ANNALIVM
BARONII
EPITOMES
PARS ALTERA

VT sunt hominum diuersi gustus, & varii librorum vsus; fuere, quibus huius Epitomes amplitudo voluminis, iusta, quibusque nimia visa sit. Quapropter vt ad vtrorumque arbitrium Opus accommodarem, ita præsenti Editione illud hoc loco dissecaui, vt cum tam mole, quam etiam subsequentium temporum qualitate, rerum gestione, personarum diuersitate, Principatuum differentia, multisque aliis omnis generis discriminibus, nemini non æquabilis partitio videri possit; qui tamen rem vniuersam vno fasce complexam maluerint, habeant in promptu, quo partes compingendo sibi satisfaciant.



ANNALIVM BARONII EPITOMES PARS ALTERA.

IESV CHRISTI AN. 518.

HORMISDÆ AN. 5.

IVSTINI IMP. 1.

THEODOR. REG. 26.

ANNVS Christi quingentesimus decimus octauus, Magni atq; Florentii Consulatu, maximus plane ac florentissimus illuxit Ecclesiæ; quo vocata frequentissime par exul, tandem rediit postliminio, remoto penitus schismate peruicaci, atque hæresi pertinaci compressa, cum Oriens simul cum Occidente in vnam eandemque fidem Catholicæ communionis glutino compaginatus est. Namque Anastasius Imperator præteritorum omnium malorum auctor, fautorve, cum rursus *a* adeo commotum sensisset in se populum Constantinopolitanum, vt sui commiserationem excitaturus ad Circum veniens, corona deposita, per præcones proclamarit, se paratissimum esse Imperio cedere, eligerentque vnum aliquem, qui illud gubernaturus esset; (quo facto populus placatus est) breuissimo post tempore, ingentibus superuenientibus terræ tremoribus multisq; portentosis territus idem Imperator insomniis, (quorum vno, vir quidam terribilis librum manu gestans, ei dixit: *Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo:*) idem, inquam, qui totum ferme Orientem persecutionis igne excusserat, cum iam *b* ante oraculo edoctus fuisset, igne quoque sibi pereundum fore; multis frustra aduersus illud mortis genus paratis remediis, hoc tandem anno, die nona Iulii, cum tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipse perterrefactus è cœnaculo in cœnaculū descenderet, & alios atq; alios thalamos subiret, demum fulmine ictus interiit; cum regnasset *c* annos viginti septem, menses tres, & dies viginti nouem, vel (vt alii *d* volunt) dies tres, quem Cedrenus ait fuisse procerissimo corpore, oculis trucibus & mediocriter cæsiis, caluastrum ac canum.

Cuius obitum cum eodem tempore diuinitus agnouissent Elias Hierosolymitanus, & Flauianus Antiochenus Episcopi Catholici, ab eodem Anastasio ob fidem Orthodoxam olim in exilium pulsi; iidem quoque post dies decem ad tribunal Dei accedere iussi sunt, causam suam aduersus eundem Anastasium acturi; vt de Elia refertur à Cyrillo in Rebus *e* gestis S. Sabæ, de vtroque vero in Prato *f* Spirituali. Cui quidem cœlesti iudicio, in terris & illud consentaneum accidit, vt vtriusque huius Antistitis nomen in sacras suas Tabulas Ecclesia Catholica receperit; contra vero Anastasii Imperatoris, sicut & Zenonis æque impii, è Diptychis abraserit, (vt dicetur) eorumque memoriam execrabilem reddiderit.

Anastasio igitur sic extincto, qui deposuit *g* potentem de sede, idem exaltauit humilem, & de stercore *h* erexit pauperem, collocauitque cum principibus populi sui, vt solium gloriæ teneret. Etenim Iustinum, genere Thracem, ex stabulo (si primordia eius repetas) ad Imperii sublime fastigium euexit: qui primum ex porcario, siue armentario, factus gregarius miles, inde vbi in militia virtutum meritis, fide Catholica præuia, primos duxisset ordines, tandem Prætorianorum Præfecturam acceperat. In quo & mirabiliora apparuerunt opera Dei, cum idem è carceris sordibus in thronum Imperialem translatus est. Siquidem ait Zonaras *i*, Anastasium paulo ante obitum nuntiatis sibi insidiis, multos comprehendisse, atque inter alios Iustinum & Iustinianum; cumque in animo haberet eos occidere, deterritum esse somno, quo ei vir terribilis apparens minaciter prohibuit, ne quid mali eis faceret, quod vterque suo tempore Deo seruiturus esset. Narrat eadem Cedrenus *k*; additque reliquos ea de causa captos ab eodem Imperatore esse iussos interfici, Iustino & Iustiniano gladio super eorum ceruices imminenti præter spem omnem ereptis.

Ceterum Iustinum inuitum ac renitentem creatum esse Imperatorem, attestantur eiusdem literæ ad Hormisdam Romanum Pontificem statim post creationem suam missæ *l*, & aliæ Pontificis ad illum redditæ. Ex quibus omnino redarguas, quæ ex Zacharia Eutychiano (vt multa alia absurda) Euagrius *m* recitat; nempe eundem Iustinum acceptа ab Amantio Eunucho Præfecto Cubiculi Anastasii, magna pecuniæ vi, quam iis distribueret qui possent Theocritum quendam eiusdem Amantii amicum ad Imperium euehere; eandem ipsum Iustinum populo & Excubitoribus largitum esse, vt ipsemet ab illis Augustus crearetur. Quod autem addit de eodem Amantio nequissimo Anastasii ministro, atque hæresis Eutychianæ propugnatore acerrimo, necnon de Theocrito, aliisque per Iustinum è medio sublatis; ea post aliquot dies, exposcente etiam populo, contigerunt. Edidit vero ipso Imperii exordio Iustinus non mediocre pietatis specimen, cum suam coniugem *Lupicinam* dictam,

I. ANNVS PACIFICVS. [Quo incipit Tomus VII. Annalium Baronii]

a *Euag. lib. 3. c. vlt.* b *Hæc omnia de Anastasio pluribus describuntur ab anct. Miscel. li. 15. Zonar. Ann. part. 3. Cedr. in Comp. & alijs.*

SOMNIŪ ANASTASII IMP.

FVLMINE ICTVS MISERE PERIT.

c *Marcell. in Chron.* d *Euagr. lib.*

II. ELIAS ET FLAVIANVS SS. EPIS. DIVINITVS VOCATI AD IVDICIŪ ADVERSVS EVM.

e *Ap. Sur. 5. Dec.* f *Prat. Spir. c. 55.*

III. IVSTINVS E CARCERE EDVCITVR AD THRONŪ IMPERII.

g *Luc. 1.* h *Psal. 112.* i *Zonar. Annal. par. 3.*

k *Cedr. in Comp.*

IV.

l *Ext. inter ep. Hormis.* m *Euag. lib. 4. c. 2.*

DECLARAT SE CONCILII CHALCE. ASSERTOREM.

dictam, insignis pietatis fœminam, nomine *Euphemiæ* illustris martyris (in cuius basilica celebratum fuerat S. Chalcedonense Concilium) pietatis ergo appellari *n* voluit, antequam illam Augustæ titulo decoraret: vt eo nomine pariter declararet, cum se, tum illam, esse eiusdem Synodi studiosissimos.

n Zonar. & Cedr. in Iustino.

V. NOMINA ORTHOD. IN DIPTYCHA RELATA, HÆRETICORVM DELETA.

Cum autem decimaquinta die eiusdem mensis Iulii (quæ fuit Dominica) & sequenti, ex more iidem Augusti ad Ecclesiam magnam Constantinopolitanam perrexissent, vna cum Iohanne eiusdem ciuitatis Episcopo; trophæa tunc erecta sunt de impietate compressa, dum post multiplices populi exultantis faustas acclamationes pro Iustino Imperatore, eiusque coniuge Augusta, atque Iohanne Episcopo, necnon infaustas conclamationes aduersus hæreticos; eodem populo petente, ac miro fidei ardore id sæpius exposcente, expunctum è sacris tabulis nomen sacrosancti Concilii Chalcedonensis, & abrasa nomina S. Leonis Papæ, atque Euphemii Macedoniique Constantinopolitanæ Ecclesiæ Orthodoxorum Antistitum, in eadem sacra Diptycha restituta sunt; Seuerus autem impius Antiochenæ Ecclesiæ inuasor publice condemnatus: vt hæc omnia fusius recitata habentur in Actis Synodi *o* Constantinopolitanæ, contra Antimum postea sub Mena celebratæ. De quibus tamen monendum putamus Lectorem, cum ipsa quidem Acta noscantur omnino legitima, haud tamen dubium in eo fuisse falsata, dum quoties nominatus reperitur Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, toties additus est titulus *Patriarchæ Oecumenici*. Præter enim quod nunquam recepisset Romanus Pontifex eiusmodi Acta, vbi indebitus ille titulus Iohanni tributus esset, postmodum Pelagius *p* Papa Sanct. Gregorii decessor, ipseque etiam Gregorius *q*, in Iohannem Constantinopolitanum eius nominis Tertium, qui sibi eundem titulum vsurpauerat, impugnatores insurgentes, omnino asseruerunt nihil eiusmodi ab eius prædecessoribus Constantinopolitanis Episcopis aliquando præsumptum fuisse. Itemque illud de iisdem Actis obserua, eandem fraudulentam manum, quæ Constantinopolitano Episcopo eum titulum addidit, nomen quoque S. Leonis Papæ post Constantinopolitanos Episcopos Euphemium & Macedonium, vltimo loco posuisse: cum alioqui & sui ipsorum veteres Libri Rituales primo loco descripta habeant nomina Romanorum Pontificum, inde vero eius Ecclesiæ Antistitum.

o Con. Cōst. sub Men. Act. 1.

DE NOMINIS OECVMENICI IMPOSTVRA GREGOR.

p Pelag. Pap. ep. 1.

q Greg. 4. ep. 32.

VI. SYNODVS CONSTAN. PRO CONFIRMATIONE PRÆCEPTORVM.

Cæterum, quod quæ retulimus, exposcente populo tumultuarie gesta eēent, vt eadem rite, more maiorum, in conuentu Patrum agerentur, idem Iohannes Constantinopolitanus Episcopus post dies quatuor, nimirum die vigesima Iulii collegit Synodum *Constantinopoli* eorum quos ibi reperiri contigit Episcoporum, vel qui proxime degentes cito vocari potuere, numero quadraginta. Cui primum oblatus est à monachis Orthodoxis libellus, quinque continens petitiones; quæ examinatæ in Synodo, totidem elicuerunt ab eadem decreta, videlicet de restituendis in Diptycha nominibus Euphemii & Macedonii, de reuocandis ab exilio aliis Episcopis Orthodoxis, de relatione Quatuor Synodorum Oecumenicarum in easdem Ecclesiasticas tabulas, deque in iisdem reponendo nomine S. Leonis Papæ, ac denique de damnatione Seueri Antiocheni: quæ omnia simul tam ipsa Synodus, quam Iohannes Episcopus, vniuerso Christiano Orbi nota fieri voluere, cum publicis, tum priuatis ad diuersos Antistites, ea de re scriptis literis *r*. Sed in iis illud constat perperam à populo flagitarum, & à Synodo firmatum, vt nomina Euphemii & Macedonii in Diprycha referrētur, qui licet exilium, aliaque incommoda pro fide Catholica passi essent, tamen schismatici perseuerantes nunquam à sede Apostolica recepti fuissent in communionem, ob retentum pertinaciter nomen Acacii eiusdem ciuitatis Episcopi schismatici & hæreticorum communione polluti. Vnde etiam factum est, vt & ipsa postea (sicuti videbitur) agente Hormisda Papa, ab iisdem Diptychis deleta fuerint. Qua in re plane eluxit, quanta esset in vniuersa Ecclesia moderanda Apostolicæ sedis auctoritas, dum quæ tantæ ciuitatis tam frequens populus, vna cum monachis & clericis, tanta instantia petiisset, & congregati in Synodo Orthodoxi Episcopi stabiliissent, consentiente Imperatore, vno tantum Romano Pontifice dissentiente, irrita prorsus reddita sunt.

r Ext. apud Synod. Cōst. sub Men. Act. 1. al. 5. vbi ha. eadem relecta & confirmata fuerunt sub Iustiniano Imp.

VII. FREQVENTES SYNODI IN ORIENTE CATHOL.

Cum autem ex literis Synodalibus eiusdem Concilii Constantinopolitani, vniuersis innotuisset Iustini noui Augusti fides Orthodoxa, confestim ab Episcopis Catholicis, ac præsertim illis qui timore persecutionis sub Anastasio vel latebras captassent, vel communicationi hæreticorum se turpiter miscuissent, frequentia celebrata sunt Concilia, & inde Synodales scriptæ Constantinopolim epistolæ: quibus se confirmare cuncta quæ ibi gesta essent, significarunt. Eanamque de causa hoc tempore coiuisse in singulis Orientis prouinciis Orthodoxorum Synodos, ex eo satis datur intelligi quod Rusticus S. R. E. diaconus Cardinalis, eiusdem sæculi scriptor luculentissimus, dum contra Acephalos per dialogismum disputat *s*, testatur duo mille & quingentos Episcopos sub hoc eodem Iustino Imperatore probasse Catholicam fidem. Extantque *t* hactenus epistolæ duarum tunc habitarum Synodorum, *Hierosolymitanæ* atque *Tyriæ*, necnon Episcoporum Secundæ Syriæ, itemque clericorum & monachorum Apameæ & Antiochiæ; quibus omnibus tum fides Catholica probatur, tum impiorum Seueri Antiocheni & Petri Apameani pseudoepiscoporum horrendæ in Catholicos persecutiones portentosæ blasphemiæ, aliaque nefanda scelera, turpitudines, atque sacrilegia describuntur, damnanturque.

s In Bibl. Patr.

t Act. 1. Syn. sub Men.

VIII. EPISCOPI DARD. ET ILLYR. REDEVNT AD ECCL.

Quo etiam tempore Episcopi Dardaniæ & Illyrici, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione, quam amplexati fuerant, tyrannide Anastasii acerbe nimis exagitati iterum defciuerant, (vnde & meruerunt paulo ante ipsius obitum Anastasii *u*, horrendo terræmotu vexari, quo viginti quatuor castella vno momento collapsa, plurimique totius prouinciæ montes scissi sunt, saxaque euulsa, arbores eradicatæ, & profundæ voragines patefactæ:) vbi audierunt ipsum mortuum esse, legationem ad Hormisdam Romanum Pontificem mittentes, in Ecclesiam Catholicam recipi flagitarunt; quibus idem Pontifex communionem impertitus est: vt patet ex literis *x*, quas ipse Hormisda statim ad S. Cæsarium Arelatensem Episcopum, Vicaria Præfectura Apostolicæ Sedis in Gallia tunc fungentem, scripsit hoc eodem anno quarto Idus Septembris.

u Marcel. Chron.

x Rec. Bar. Ann. Tom. VII. hoc ex archiu. Eccl. Arel.

IX. EDICTA IVSTINI PRO ORTHODOX.

Quod vero ad Iustinum Imperatorem attinet; ipse mox Orthodoxorum omnium votis annuens, edictum promulgauit, quo iuberentur exules omnes fidei causa ad propria redire, pristinosque gradus recipere; subrogati vero in ipsorum locum hæretici procul pelli, & aliis pœnis exagitari: cōfirmansque sacrosanctum Chalcedonense Concilium, præcepit illud ab omnibus obseruari. Quod quidem edictum licet non extet, meminit tamen eius Cyrillus in Rebus *y* gestis magni ac mirifici Sabæ anachoretæ: qui & ipse hoc tempore ex abditis eremi Palæstinæ exiens, quamuis senio iam fatiscens, varias cœpit peragrare prouincias, effici volens præco diuinitus concessæ gratiæ, & Imperatorii promulgator edicti. Cui etiam in restituenda fide commilitonem accessisse æque magnum illum Theodosium Cœnobiarcham, postquam ab exilio reuersus est, idem auctor narrat in eiusdem Vita *z*. Rursum vero Iustinum aliam promulgasse sanctionem aduersus Seuerianos hæreticos, aliosque Ecclesiæ perduelles, qua à cunctis illos publicis muneribus omnique militia repulit; fidem facit Iustiniani ipsius successoris constitutio aduersus omnes hæreticos, vbi cauit ne dotalia priuilegia hæreticis mulieribus prodessent.

y Ap. Sur. Dec.

z Ibid. 11 Ianuar.

Vt autem prædicta omnia quæ in Oriente gesta sunt, subsistere possent; primus omniū ipse Instinus Imperator hoc eodem anno Calendis Augusti de sua creatione, vt Ecclesiæ filius, ex more dedit *a* literas ad Hormisdam Romanum Pontificem, à quo cuncta fulcienda erant. Ipsique parirer Orientales Episcopi, & præcipue Ioannes Constantinopolitanus, intelligentes frustra se pro Catholica fide instauranda laborare, nisi Catholica communione per Catholicæ Ecclesiæ Episcopum impertirentur; hanc vt ab Hormilda consequi possent, tum aliis eiusdem Imperatoris, tum suis ipsorum literis egerunt; quibus & suas insuper addidit Iustinianus Domesticorum Comes, acerrimus Catholicæ fidei assertor, ac Iustini sororis filius, & summa pollens apud

X. IVSTIN. SCRIBIT AD HORMISD.

a Ext. inter lit. Hormis. Rom. Pont. vna cum aliis insertum recenſendu.

eum

LITERÆ ORIENTALIVM AD HORMIS.

eum auctoritate. Iis vero literis expetierunt omnes, vt Legati ab Hormisda mitterentur Constantinopolim, qui Apostolica potestate conciliarent Ecclesiis pacem, & lapsos in Ecclesiam restituerent. Quibus mense Decembri acceptis per Gratum V. C. sacri Consistorii Comitem & Magistrum scrinii & memoriæ, Legatum ab Imperatore missum, idem Hormisda, actis Deo gratiis, continuo rescribens ad Iustinum & Iohannem, significauit se inconcusse custodita velle, quæ à prædecessoribus suis iuste Orientalibus præscripta fuerant. Et vt cuncta facilius disponerentur, retinuit Romæ Gratum vsque ad sequentem annum, quo ipse Pontifex suos pariter mitit Constantinopolim Legatos. Atque interim more maiorum collecto Episcoporum *Conuentu*, omnibus consideratis quæ iam antea in ea causa gesta essent, decreuit ita oblatam ab Orientali Ecclesia pacem suscipiendam, si Acacii nomen penitus abolerent, & delerent quos apposuerant sacris tabulis Euphemium & Macedonium eodem schismate pollutos.

IESV CHRISTI AN. 519.

HORMISDÆ AN. 6.

IVSTINI IMP. 2.

THEODOR. REG. 27.

I. EVTHARICI CONSVLATVS.

ANno Domini quingentesimo decimo nono, Iustinus Imper. collegam sibi adsciuit in Consulatu Eutharicum, cognomento Cillicam, generum Theodorici Regis, patrem vero Athalarici successoris Theodorici. Quod enim pax firma esset inter Iustinum atque Theodoricum, eius rei gratia mutuis iidem Principes inter se certabant officiis, adeo vt adoptionis quoque gratia impertitum à Iustino fuisse Eutharicum, constet ex epistola *a* ab eodem Athalarico ipsius filio ad Iustinum postea scripta.

a *Ap. Cass. 6. ep. 1.*

II. LEGATI MISSI AB HORMIS. CONSTANTINOPOL.

Quod autem ad anni huius res gestas pertinet; Hormisda Papa ad conciliandas res Orientales, ex decreto Synodi Romanæ superiori anno habitæ, legationem misit, qua functi sunt *S. Germanus* mirificus ille Capuanus Episcopus (quem etiam ad Anastasium Imperator. eodem munere functum olim vidimus sub Anastasio Papa Secundo) *Ioannes* item Episcopus, *Blandus* presbyter, & *Felix* atque *Dioscorus* diaconi; quibus commonitionem dedit in scriptis *b*, de iis quæ agere deberent, vt ne vel transuersum vnguem à mandatis recederent: scripsitque per eosdem ad Iustinum Imperatorem & Euphemiam Augustam; itemque ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, ac clerum eiusdem Ecclesiæ; necnon ad Iustinianum Domesticorum Comitem, ac Celerem & Patricium clarissimos aulicos; sed & ad Præfectum Thessalonicensem, aliosque per quos transituri essent Legati; ac deniq; ad Anastasiam & Palmatiam Patricias clarissimas fœminas, quæ tempore persecutionis Anastasii, pro Catholica fide non solum steterant inconcussæ, sed & virorum suorum animos in officio continuerant. Quibus quidem omnibus intueri licet summam eiusdem Pontificis in rebus agendis solertiam, summumque reconciliandæ Ecclesiæ studium dum nihil omni ex parte intétatum reliquit, quo missa legatio optatam referret concordiam.

b *Ext. vna cum sqq. liter. inter ep. Hormis.*

III. DE RECEPTIONE, ET REBVS GESTIS LEGATORVM.

Porro de iis quæ Legati egerunt, extant *c* relationes quædam atque epistolæ ab ipsis ad eundem Pontificem transmissæ. Ex quibus hoc summatim referimus: videlicet, Imperatorem in occursum Legatorum vsque in Italiam direxisse Stephanum & Leontium Viros Clarissimos; eosdemque Legatos ingenti vbique plausu & honore, atque etiam alicubi cum cereis pleno die accensis, ac crucibus, exceptos esse, tam ab Episcopis aliisque Ecclesiæ ministris, quam à Magistratibus Imperatoris atque populis, ac præcipue Constantinopoli, quo peruenerunt feria secunda hebdomadæ (vt vocabant) Authenticæ, quam Maiorem Latini dicunt: Sequenti autem die admissis ipsis ad Imperatorem præsente cuncto Senatu, eundem Imperatorem cum grandi reuerentia literas Romani Pontificis suscepisse: Deinde vero Iohannem illius ciuitatis Episcopum, post aliquam dilationem, subscripsisse fidei libello ab Hormisda per Legatos misso; (qui tanquam forma erat præfixa, non Iohanni tantum, sed omnibus qui coniungi vellent Catholicæ Ecclesiæ per Apostolicam Sedem:) ac secundum eiusdem libelli tenorem, anathematizasse Nestorium & Eutychetem hæresiarchas, atque Alexandrinos olim Episcopos Dioscorum, Timotheum Ælurum & Petrum Mogum; itemq; Acacium Constantinopolitanum, cuius causa tot Romani Pontifices desudarant, & eos qui in eius communione perseuerarant: indeque cum prædictorum omnium, tum etiam eiusdem Ecclesiæ Constantinopolitanæ schismaticorum Antistitum, Phrauitæ, Euphemii, Macedonii, & Timothei, nomina è sacris Diptychis deleta fuisse, vna cum nominibus Zenonis & Anastasii hæreticorum Imperatorum: Eidemque insuper libello, atque anathematismis, subscripsisse plures alios Episcopos & Archimandritas, cum in itinere antequam Legati Constantinopolim peruenissent, tum in ipsa vrbe Constantinopolitana: Vniuersumque populum, ipsosque Augustos, & cunctos aulicos, ingenti lætitia ac festiuitate hanc communionis Orientalis Ecclesiæ cum Apostolica sede renouationem, ipsis sanctis Paschatis diebus factam, celebrasse: Ac denique eundem Imperatorem literas ad alias prouincias direxisse, quo vniuersæ Ecclesiæ in eandem coalescerent communionem, & vt qui prædicare renuerent Chalcedonense Concilium Episcopi, è suis sedibus pellerentur.

c *Ibid. in ep. Hormis.*

IV. d *Ext. omnes ibid.*

Hæc omnia fusius continent Legatorum relationes; necnon quæ mox secutæ sunt literæ *d* gratulatoriæ ad Hormisdam scriptæ, cum ab iisdem Iustino Imperatore & Iohanne Antistite, tum ab aliis Episcopis, Iustiniano Comite, cæterisque viris fœminisque clarissimis. Ad quos rursum omnes idem Pontifex rescribens huius anni mense Iulij, gratias egit de iis quæ iam peracta essent; monuitque laborare pariter pro pace Ecclesiarum Alexandrinæ & Antiochenæ. Sed in literis ad ipsum scriptis ab Andrea Episcopo Præualitano in Epiro, obseruandus est modus loquendi quo in inscriptione vtitur, nempe *Angelicis meritis coæquando Patri Patrum Papæ Hormisdæ*: & in principio epistolæ: *Commendans me humillime vestigiis vestris piissimis*, &c. Ac pariter Theodoritus Episcopus Lignidi: *Vestris prædicandis & adorandis me præsentare vestigiis.* Vt videas, quanto etiam antiquis illis temporibus honore consuescerent sanctissimi Episcopi, Romanorum Pontificum maiestatem venerari. Sed & quod Ioannes Episcopus Constantinopolitanus literis suis de Iustino Imperatore agens, ait omnes Deum glorificasse, *quoniam talem verticem* ipse Iohannes *suis manibus tali corona decorasset*; ex his etiam videas, iam tunc in more fuisse, vt Orientalis Imperii electi Imperatores ab Episcopo Constantinopolitano coronarentur: sicut & antea de Leone Thrace, & Anastasio vidimus.

OBSEQVIA ORIENTALIVM ERGA ROM. PONT.

IMPP. ORIENTALES CORONATI AB EPIS CONSTANT.

[Olim Theodosius Magnus à S. Meletio Episcopo Antiocheno coronari secundum quietem visus est. Vnde forte mos ortus, vt reliqui Imperatores à Patriarchis Constantinopolitanis coronari deberent: à quibus etiam cum de eorum fide aliquo modo ambigebatur, iidem Patriarchæ, prius quam coronarent, fidei confessionem in scriptis exigebant: vt vidimus factum in Anastasio, & videbitur in aliis. At licet hæc magna esset Patriarcharum auctoritas; longe tamen maior & augustior in Romanis fuit Pontificibus; adeo vt post coronatum à Leone Tertio Carolum Magnum, qui à Pontifice coronatus non esset, pro Imperatore non haberetur: de quo inferius suis quibusque locis.]

CORONATIO IMPP.

Inter alias autem clarissimas fœminas, quibuscum fuit in his negotiis eidem Pontifici communio literarum, *Iuliana Anicia* extitit, orta illa ex nobilissimo stemmate Aniciorum, de quo sæpe dictum est supra; ex quo præter Probas, etiam Iulianæ plures claruere. Ista vero de qua nunc agitur Constantinopoli degens, Orthodoxæ fidei causa ab Anastasio *e* magnopere exagitata, postea Iustinianum *f* pia elusit arte, cum auro suo, cui Iustinianus inhiabat, cameram texit basilicæ Sancti Polyeucti martyris: quæ tamen eidem Iustiniano miræ pulchritudinis, & ingentis pretii gemmam donauit. Sed & *Anastasiam* illam, cuius extant ad eundem Hormisdam, & huius ad eam literæ, post obitum viri sui Pompeii, eiusdem Iulianæ consobrini, abdicato sæculo secessisse in Palæstinam, ibique in monte Oliueti vitam excoluisse monasticam;

V. DE IVLIANA ET ANASTASIA CLARISS. FŒMINIS.

e *Misc. l. 15.*

f *Greg. Tur. de glor. mar. c. 133. ap. Baron. ann. 527.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

monasticam, & egregia enituisse sanctitate, Cyrillus *g* in Saba testatur.

g *Sup. Sur. 5 Dec.*

VI. ANTIOC. ANTIOCHIÆ ORDINANDVS ANTISTES.

Vt autem ad res Legationis Apostolicæ redeamus; cum id iam ageretur, vt Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus Catholicæ communionis crearetur; resistentibus Eutychianis hæreticis, tandem post multa & longiora certamina, Imperator sua auctoritate *Paulum* Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyterum Orthodoxum, Episcopum fieri iussit: ne tamen Constantinopoli ordinaretur (quod Acacium vidimus vsurpasse, vt hoc modo Ecclesiam Antiochenam sibi subiiceret) sed Antiochiam, secundum antiquam consuetudinem, & iussionem Hormisdæ Papæ, ordinandus mitteretur, Legati Apostolicæ Sedis effecerunt; vt de his constat ex variis ipsorum relationibus *h* ad Hormisdam mensibus Maii & Iunii missis. In quibus præterea, tumultuantium monachorum Scythiæ historia exacte describitur: quæ sic habet.

h *Ext. int. ep. Hormis.*

VII. MONACH. SCYTAR. NOVVS ERROR.

Priusquam Apostolicæ Sedis Legati Constantinopolim peruenissent, quæstio oborta fuerat inter *Victorem* diaconum, acerrimum professorem Chalcedonensis Synodi, & *Leontium* monachum Scytham, Vitaliani Magistri militum æque natione Scythæ affinem, aliosque collegas Scythiæ monachos, qui sub specie pietatis quasi niterentur eandem roborare Synodum, hæresim Eutychianam, auctam Theopaschitarum blasphemia, validare studebant. Cum vero iidem Victorem accusarent hæresis Nestorianæ, & aduersus eum Constantinopoli dedissent libellum prædictis Sedis Apostolicæ Legatis, ac Ioanni Constantinopolitano Episcopo; ipse Victor, quo se Catholicum omnino esse monstraret, professus est se credere quæcunque continerentur in Concilio Chalcedonensi, & in epistola S. Leonis ad Flauianum, pariterque recipere scripta Cyrilli aduersus Nestorium. At monachis ex aduerso reclamantibus, hæc non sufficere, sed vt quis euacuaretur ab omni suspicione hæresis Nestorianæ, addendum esse, *Vnum de Trinitate esse Christum crucifixum*; displicuit Legatis cauillosa eiusmodi suggestio, asserentibus satis esse, profiteri Chalcedonense Concilium, absque aliqua additione verborum. Cumque ab iis appellantes monachi Romanum Pontificem, Romam se contulissent, iidem Legati de omnibus certiorem reddentes Hormisdam, monuerunt etiam non admittendam esse eiusmodi illorum assertionem, cum ob periculosam nouitatem, tum quod fraudem in ea contineri illud euidentissime significaret, quod non solum Eutyches hæresiarcha, eiusque discipuli, eam introducere conati essent in Synodo Chalcedonensi, sed & impius Anastasius Imp. omnibus recipiendam proposuisset; cum tamen nec sanctæ Synodi illam agnouissent, nec in epistolis contineretur S. Leonis Papæ, nec esset in consuetudine Ecclesiastica. Hæc Legati, & alia eiusmodi, in suis relationibus: Et quidem recte.

NOVÆ LOCVTIONES IVRE SVSPECTÆ.

VIII. CVR ORTHODOXI VITARENT DICERE, VNVM DE TRINITATE PASSVM.

Quamuis enim in aliis bene cognitis Orthodoxis, à quibus omnis impostura suspicio procul abesset, ea sententia tolerabilis videri potuisset; in istis tamen monachis iure fuit condemnanda, non solum quod eam ad impugnandum Chalcedonense Concilium inferrent, quasi carens illo additamento esset imperfectum, ac proinde ei haud tuto credi posset; sed etiam quod abhorrentes dicere vnam Trinitatis personam esse passam in carne, dolose conarentur explodere receptum in Ecclesia *Personæ* nomen; ac denique quod sic vnum de Trinitate in carne natum & passum dicerent, vt nulla habita proprietatis vocum distinctione, sicuti Deum, ita Diuinitatem natam & passam assererent. Quam quidem ipsos impietatem ex deliriis Theodori Mopsuesteni deprompsisse, datur intelligi ex Dionysio Exiguo in præfatione ad epistolam Procli Constantinopolitani ad Armenos, quam rogante Feliciano Pastore in Latinum vertit. Eadem ergo ratione, qua olim Orthodoxi contradixerunt, ne Trisagio additamentum illud apponeretur: *Qui crucifixus es pro nobis*; restiterunt etiam, ne vnus de Trinitate passus simpliciter diceretur: cum Eutychiani per vnitatem, vel singularitatem, substantiam acciperet & non personam; vel si personam diuinam, certe humanæ expertem naturæ, quam negabant post adunationem duarum naturarum in Christo; dicentes, ex duabus naturis, & non in duabus naturis, Christum constare. His igitur & aliis pluribus ex causis, quas recenset Ferrandus diaconus Carthaginiensis, huius temporis auctor magnæ æstimationis, de his fusius disputans in epistola ad Anatolium S.R.E. diaconum, qui eum de his consuluerat; fuerant hæc omnino in istis monachis cauenda. Cum autem res postea inter Catholicos transacta est, Catholicum sensum ex verbis elicere, additis aliquibus quæ omnem possent obstruere aduersariis aditum, ratio temporis postulauit; vt suo loco dicturi sumus.

IX. MONACHI SCYTHAE TENTANT AFRICANOS.

Cæterum monachi illi qui Romam venerant, cum illic diutius detinerentur, (eos enim, licet inuitos, ac fugam tentantes, Hormisdæ detinere placuit *i* vsque in aduentum Legatorum, à quibus plenissime de omnibus instrui posset:) hoc consilium inierunt, vt ad Africanos Episcopos legationem mitterent, vna cum fidei Catholicæ professione ipsis probanda, impudenter mentientes, secum omnes Orientis Ecclesias eadem sentire. Ne tamen quouis modo deprehendi possent, quod essent hæretici, illud astute cogitarunt, vt non eam mitterent, quam Constantinopoli Legatis, vel Romæ Hormisdæ exhibuissent fidei confessionem, qua dicendum contendebant, non vnam personam de Trinitate, sed simpliciter vnum de Trinitate esse passum in carne: sed *Verbi* nomen apposuere, vt viderentur dicere, Deum Verbum, qui est vnus ex Trinitate, esse passum in carne. Quo modo non potuerunt Episcopi Africani eorum confessionem non probare, ignari motæ in Oriente, & Romam delatæ controuersiæ; cuius nulla prorsus est mentio apud S. Fulgentium, cum qui eximius erat huius temporis Ecclesiæ Africanæ doctor, omnium nomine collegarum ad ipsos monachos rescribens, egregium illum edidit *De Incarnatione Verbi, & Gratia ac Libero arbitrio* commentarium plane aureum: in quo inter alias gemmas, niter de Primatu Romanæ Ecclesiæ ista sententia tanto doctore digna; *Duorum magnorum Luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi caput est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus Orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.* Quemadmodum & Iustinianus Comes scribens ad Hormisdam *ii* de prædicta mota ab iisdem monachis quæstione, rogat vt quid sequi, quidve super hoc Orientales vitare deberent, suo ipse eos rescripto certiorare dignaretur: *Hoc enim* (inquit) *credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*, &c.

TESTIMONIA DE PRIMATV RO. ECCL.

ii *Int. ep. ff. Hormis.*

X. QVÆ NEFARIA THESSALONICAE IN LEGATOS ADMISSA.

Quæ autem alii Eutychiani hæretici hoc tempore egerint Thessalonicæ, ab omni prorsus abhorrent humanitate. Cum enim Ioannes Episcopus, vnus ex Legatis Apostolicis, Thessalonicam venisset, ad suscipiendam ab eius prouinciæ Episcopis subscriptionem libelli ab Hormisda Papa in Orientem missi; Dorotheus Thessalonicensis Episcopus non solum recusauit ei subscribere, sed etiam illum publice conscidit, populumque adeo in Ioannem concitauit, vt ei caput duobus locis fregerint, ac renes dissipauerint; occidissentque penitus, nisi Ecclesiæ ad quam confugit reuerentia vindicatus euasisset: duos vero ipsius seruos, atque hospitem qui eum domo susceperat, necauerunt. Post quæ nefanda patrata, cum idem Dorotheus à Iustino Imperatore iussus esset Constantinopolim perduci, ac coram Iudicibus delegatis causam dicere; idem ipse, nouo grauiorique scelere, Iudicibus ingenti pecuniarum vi corruptis, qui amandandus erat in Oasim exilium teterrimum, in proximam tantummodo ciuitatem Heracleam relegatus est; ibique paucis diebus detentus, absque alia pœna ad suam Ecclesiam redire permissus. Habentur hæc omnia in Relationibus *k* cæterorum Legatorum Constantinopoli commorantium ad Hormisdam Papam, & in redditis ab eodem Pontifice ad illos ea de re epistolis *l* mensibus Octobris & Decembris huius anni. Quæ vero postea gesta sunt, dicentur anno sequenti.

k *Int. epist. Hormis.*
l *Hormis. ep. 56. 57.*

XI. m *Euagr. l. 4. c. 1. & 4.*

Interea hoc præsenti anno, (vt ex supputatione Euagrij *m* satis perspicue colligitur) nempe secundo Imperij Iustini inchoato, lata est mense Septembri ab eodem Imp. aduer-

SEVERVS PVLSVS ANTIOCHIA.

sus impium illum Seuerum Antiochiæ pseudoepiscopum, totius Orientis depopulatorem, sententia, vt damnati sæpe hominis lingua, qua Deum iugiter blasphemabat, præcideretur. At nefarius impostor meritas pœnas fuga vitauit: quem Liberatus *n* Diaconus ait Alexandriam se recepisse, cum iam ibi defunctus esset collega impietatis Dioscorus Iunior, subrogatusque in locum eius ab hæreticis *Timotheus* æque hæreticus. Haud enim eo statu res erant Alexandrinæ Ecclesiæ, vt eis, sicut aliis, Imperator facile mederi posset, populo ipso pariter cum suis Episcopis in hæresim deducto; persuaso nimirum Chalcedonense Concilium fuisse Nestorianorum conuentum, ab eoque destrui quæcumque ipsorum Pater S. Cyrillus contra Nestorium conscripsisset. Et quod magno periculo perturbari res Alexandrinorum, vtpote ciuitatis numerosissimæ, ac seditiosissimæ, exempla plurima docuissent; illic securi degere videbãtur, qui eo confugiebant hæretici aliunde expulsi.

n Liber. Breuiar. c.19. MISERANDVS STATVS ECCL. ALEX.

XII. NOVÆ HÆRESIS ORTÆ IN ÆGYPTO.

Sed quodnam portentum his diebus talium commercio ibidem Alexandriæ proditum fuerit, idem Liberatus recenset: nimirum quæstione mota de Corruptibili & Incorruptibili, Seuerum asseruisse corpus Christi Corruptibile, *Julianum* vero Halicarnassæum Episcopum (qui & ipse Iustini edicto è sua sede pulsus, Alexandriam se receperat) Incorruptibile; scriptisque libris vtrumque suam sententiam confirmasse, inde vero schismate conflato, alios dictos fuisse *Corrupticolas*, alios autem *Incorruptibiles*, siue *Phantasiastas*. Cumque Timotheus Alexandrinus Episcopus Seueri opinioni de Corruptibilitate adhæreret, *Themistium* eiusdem Ecclesiæ diaconum aduersus eum intulisse. Si Corpus Christi corruptibile esset, deberet etiam dici Christum aliqua ignorasse; cumque hoc Timotheus negaret, Themistium ab eius communione discessisse, & ab eo dictos esse in Ægypto *Themistianos*. Hæc Liberatus; de quibus agit pluribus Leontius o Scholasticus, ageturque inferius suis locis.

o Leunt. de Sect. Act. 5. & 10.

IESV CHRISTI AN. 520.

HORMISDÆ AN. 7.

IVSTINI IMP. 3.

THEODOR. REG. 27.28.

I. a Marcel. in Chron. VITALIANI COSS. CADES.

ANno Christi quingentesimo vigesimo, Rustico & Vitaliano Coss. idem *a* Vitalianus, quem aduersus Anastasiũ Imper. specie religionis insurrexisse superius vidimus, mense Consulatus sui septimo, septemdecim vulneribus confossus in Palatio interemptus est: luens videlicet pœnas de affectato rursum aduersus Iustinum Principatu, deque auxilio hæreticis præstito contra Apostolicæ Sedis Legatos; quem quidem fautorem se præbuisse gentilium suorum pseudomonachorum Scytharum, de quibus anno superiori dictum est, assertione constat eorundem Legatorum in Relationibus ad Hormisdam Papam. Quod autem Euagrius *b* eius necis causam Iustini adscribit tyrannidi, timorique quem conceperat ex magna illius potentia; proculdubio ex Zacharia Eutychiano, ipsi Vitaliano fauente, deprompsit.

b Euagr. lib. 4. c. 3.

II. c Ext. int. ep. Hormis. EXIGIT HORMISDA PP. DEBITAM OBSERVANTIAM AB EPISCOPO CONSTAN

Sub principium quoque huius anni mortuum esse Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, litteræ *c* Dioscori vnius ex Legatis Apostolicis ad Hormisdam hoc anno datæ significant. Cum autem electus in eius locum *Epiphanius* presbyter Syncellus, moram faceret mittendi ex more legationem ad Romanum Pontificem; exegit ab eo debitum Hormisda *d* litteris ad eum scriptis, quibus declarat antiquarum regularum obseruantiam, & vetustæ consuetudinis formam fuisse, vt electi Episcopi legationem Romam mitterent ad petendam Apostolicæ Sedis communionem, qua nomen Catholicum consequi possent, & sic totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopi ipsis communicarent. Quomodo vero Hormisdæ Epiphanius satisfecerit, dicetur paulò pòst.

d TINOP. Hormisd. ep. 68.

III.

Interea Possessor Africanus Episcopus Constantinopoli degens, de quo superius facta est mentio, eundem Hormisdam (quem caput esse sciret, vt suis litteris *e* profitetur, totius Ecclesiæ Catholicę, atque in ea præsidere magistrum) de noua quæstione consuluit, quæ recens ibi exorta fuerat de doctrina Liberi arbitrij & Gratiæ Dei, contenta in scriptis *Fausti* Regiensis Episcopi Gallicani. Ad quem rescribens Hormisda, inter alia magna energia inculcauit, illa tantum admitti scripta debere, quæ recipit examen Catholicæ fidei, & cum doctrina Ecclesiæ, ac Patrum Synodorumque præceptis consentiunt: alludens quoque ad censuram Gelasii Papæ atque Romanæ Synodi, qua eiusdem Fausti scripta reiecta fuere inter apocrypha.

e Ext. int. ep. Hormis. DE FAVSTI REGIENSIS SCRIPTIS.

IV.

Sed quod in his multum olim laboratum fuerit; vt in iisdem elucidandis, quando sese occasio offert, paululum immoremur *f*, imprimis in memoriam reuocandum quod superius dictum est, post S. Augustinum prodiisse quosdam, qui ex eius scriptis male perceptis complures inuexerunt errores, quos eiusdem Sancti Augustini nomine & auctoritate propugnare conabantur: sed eos pro defensione ipsius agentem Sanct. Prosperum valide cõfutasse. Dicebantur isti (vt Sigebertus *ff* adnotauit) hæresis Prædestinatorum sectatores, quod scilicet de prædestinatione & diuina gratia disputantes, assererẽt nec pie viuentibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo præsciti essent ad damnationem, nec impiis obesse etsi improbe viuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam: qua assertione boni à bonis auocarentur operibus, & mali stabilirentur in malis. His autem erroribus detento postea *Lucido* quodã magni nominis presbytero; ad eum in Catholicam fidem reuocandum, Faustus *g* ex Abbate Lirienſi factus Regiensis in Gallia Narbonensi Episcopus, insignis apud omnes æstimationis, epistolam scripsit vna cum anathematismis aduersus ipsius errores: quam cum vt vere Catholicam Episcopi Concilij Arelatensis ea de causa collecti approbassent, eidem etiam ipse Lucidus resipiscens in eodem Concilio subscripsit; aliamque insuper epistolam ad alium Episcoporum Conuentum *Lugduni* eadem occasione habitum, scripsit in detestationem eorundem errorum, quos & pariter anathematismis insectatus est.

f Egat de his Baron. ann. 490 & 529 quæ nos hue opportunius referenda putauimus.

ff Sigeb. in Chron. an. 15 HÆRESIS PRÆDESTINATORVM

g De tempore, quo Faustus sedit Regiensis episcopus, vide ann. 466. post. num. IV.

Cum autem & ipse Faustus duos libros eodem argumento scripsisset de Gratia Dei & Libero arbitrio, deque Præscientia & Prædestinatione, in quibus multos miscuisset errores, & præcipue Pelagianæ hæresis; ac duarum prædictarum Synodorum monumenta, quibus eius ad Lucidum epistola approbata esset, iisdem suis libris affixisset, vt sic videri possent iam à duobus Synodis esse recepti: inde accidit, vt de ea quæstione turbæ motæ fuerint Constantinopoli; quæ etiam in Occidente varios excitasset tumultus, quod ea arte paratum esset venenum, vt decipi etiam prudentes homines possent. Sed sicut in Occidente non solum Gelasius Papa in Synodo (vt diximus) ipsius Fausti scripta inter apocrypha reiecit, verum etiam eadem egregie confutarunt SSS. Auitus *h* Episcopus Viennensis, Fulgentius *i* Ruspensis, & Cæsarius *k* Arelatensis: ita in Oriente Ioannes vir eruditus Antiochenus presbyter eadem contrariis scriptis redarguit, & Orthodoxi ferme omnes eis sese opposuerunt, cum à nonnullis proferrẽtur in medium. Quinam autem colligantur ex iisdem errores, scriptis S. Augustini & sententiæ Catholicæ Ecclesiæ aduersantes, tu vide illos collectos à Ioanne Maxentio in Responsione *m* ad Hormisdam Romanum Pontificem.

V. FAVSTI ERRORES.

Sed cum nec his contentus Faustus insuper scripto edito asseruisset Animas esse corporeas, nihilque esse in creaturis incorporeum, istud quoque eius figmentum eruditissimus Claudianus cognomento Mamertus, Ecclesiæ Viennensis presbyter, (ita enim duntaxat eum nominant Sidonius *n*, Gennadius *o*, & Ado: ex quibus redarguas eos, qui hunc ipsum asserunt Viennensem Episcopum) frater vero Sanct. Mamerti eiusdem Ecclesiæ Episcopi, quem superius vidimus egregium sanctarum Rogationum siue institutorem, siue restitutorem; fortissime confutauit tribus desertis-

h Ado in Chron. ann. 492.
i Ispd. de Vir. Ill. c. 74.
k Gennad. de Script. Eccl. cap. 86.
l. Ado ibid.
m Ext. int. Bibl. Patrũ.

VI.

n Sidon. 4. ep. 11. ad Patrem.
o Gennad. c. 83.

p *Sidon.4. ep.3. & in prof. Claud. oper.*

VII. RESIPISCIT, ET SANCTO FINEQVIESCIT.

simis libris de Satu animæ ad Sidonium Apollinarem conscriptis, quos idem Sidonius luculẽta laudauit epistola *p*.

Ceterum quod vsque ad hæc nostra tempora eundem Faustum continuerit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primus expunxit; quodque etiam Ecclesia Regiensis, vbi ipse sedit Antistes, semper eundem vt Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decima septima Ianuarij; ibique in eius memoriam antiquitus erecta basilica eius nominis titulo insignita, hactenus ipsius cultu à Fidelibus frequentetur; quodq; demum tot seculis, Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente nemine penitus (quod sciatur) contradicente, ista eidem Fausto exhibita intelligantur; opinari compellimur, de eodem Fausto accidisse, quod de multis viris sanctis asseritur, vt aut errorem correxerit, vel ante suorum scriptorum fictam ab Ecclesia damnationem diem obierit, (incertus est enim eius obitus annus) habens in animo in his sequi quod sequendum doceret Ecclesia. Ita enim ipsum compositum animo fuisse, aliisque innotuisse, inde facile potest intelligi, quod semper (vt indicant Acta Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis superius citata) communicationem habuerit cum Orthodoxis Galliarum Episcopis. Porro illud mirari nõ desinimus, eundem à nonnullis redigi in classem monachorum Ordinis S. Benedicti, cum antequam iste Sanctus auspicaretur vitam monasticam, iam Faustus senex ex hac vita decessisset. Atque iam de his satis, quæ diuisis temporibus actitata, oportuit hic in vnum collegisse, vt illius quæstionis causa facilius percipi posit.

VIII. IMPOSTVRÆ MAXENTII MONACHI.

Quod vero ex iis quas diximus Possessoris ad Hormisdam litteris, idẽ Põtifex intellexisset, ob Scythas monachos à Legatis repulsos eandẽ Constantinopolitanam Ecclesiam turbatam esse; eadem sua ad Possessorem reddita epistola, voluit; et ipsum quæ cum eis Romæ transacta fuissent, Orientalibus innotescere, eorundem describens mores corruptissimos, consilia praua, turbasque ab ipsis Romæ concitatas, ac tentatam populi seditionem, atque seductionem, in tantũ vt nec monitis, nec mansuetudine, nec auctoritate comprimi potuerint. Quibus litteris cum se Monachi vehementer perurgeri viderent, ex eis qui videbatur esse disertior, idem quem nuper nominauimus Ioannes cognomento *Maxentius*, aduersus illa scripsit Apologiam; in qua vt liberam dicendi sibi compararet facultatem, Hormisdæ esse negauit epistolam, ab aduersariis eius nomine scriptam affirmans. Non enim eo proteruiæ peruenerant isti, in quam prolapsi sunt infelices nostri temporis hæretici, vt cõtra Epistolam Romani Pontificis auderent refractarium stylum exercere. Ceterum hanc Epistolam vere Hormisdæ esse, perspicue intelliget qui reliquas omnes ab eo in hac causa eodem argumento atque stylo datas perlegerit. Quas cum minime compertas habuisset Cochlæus vir doctus, & hæreticorum alioqui valentissimus oppugnator, eadem scripta Maxentij nactus, & quod adeo dolosis artibus fucata essent, vt vere Catholica apparerent, ea ipse primus post S. Fulgentij Opera edidit atque laudauit, ipsamque Hormisdæ epistolam ad Possessorem ex iisius Maxẽtij assertione fictam credidit.

IX. q *Ext. ant. ep. Hormis.*

Porro ex iisdem Hormisdæ litteris, aliisque de hac controuersia vltro citroque datis *q*, prædicti Maxentij aliæ calumniæ facile refelluntur, quibus inter ceteras Dioscorum vnum ex Legatis Apostolicis, reliquorum more Eutychianorum, Nestorianismi accusauit; ipsumque Hormisdam Papam asseruit negasse Christum vnum esse de S. Trinitate. Accidit autem post hęc, vt iam appropinquantibus Romam Legatis, ad quorum vsque aduentum monachos Hormisda detinere voluit; iidem monachi causæ diffisi, opportunitatem temporis nacti, publicas locis publicis scriptas contestationes affigentes Roma aufugerint. Legatos vero discessisse Constantinopoli mense Iulij huius anni, vt in vrbem redirent, quo ab Hormisda *r* reuocati fuerant; satis indicant litteræ *s* Iustini Imperatoris ad eundem Pontificem per eos datæ septimo Idus Iulij.

r *Hormis. ep. 64. Iust. epist. Hormis.*

X.

Dum autem ista Romæ gererentur, Epiphanius Constantinopolianus Episcopus memor officij quod iure debitum ab eo suis litteris Hormisda exegerat, mensuram apposuit superefluentem, dum videlicet primum litteras *t* ad eundem Pontificem, vna cum Orthodoxæ fidei suæ professione misit, postea vero Legatos addidit, cum aliis priuatis suis litteris, necnon Synodalibus à *Concilio* Episcopotum in eam rem *Constantinopoli* celebrato, ac denique egregiis muneribus Romam perferendis. Quo eodem tempore & ipse Imperator suam legationem cum litteris direxit, & Iustinianus æque suas ad eundem Pontificem litteras adiecit, miro ardore res Ecclesiæ curans. Quas quidem omnes diuersis temporibus datas, peruenisse Romam mensibus Septembris atque Decembris, constat ex nota earum receptionis ibi addita. Docet vero contextus, ipsas ad hoc potissimum scriptas esse, vt Hormisda rogaretur de duabus quæstionibus in controuersiam adductis respondere; quarum prior erat de asserendo vnum ex Trinitate Christum natum & passum; posterior (quam instantius vrgerent) de tolerandis in Diptychis Episcoporum Orthodoxorum nominibus, qui Acacio schismatico olim communicassent: vt scilicet, quoniam Ecclesiæ Ponti & Asiæ, totiusque ferme Orientis, nullis minis aut persuasionibus induci poterant, vt nomina suorum Episcoporum è sacris tabulis tollerentur, indeque maximum schisma in Ecclesia Catholica conflandum timeretur; idem Hormisda, temporum rerumque qualitate considerata, (cum potissimum ab iisdem tabulis iam erasa essent nomina Acacij, aliorumque auctorum tumultuum) ceterorum nomina retineri permitteret. Sed & quod causa Ioannis Hierosolymitani Episcopi, qui pulso S. Elia ab Eutychianis intrusus fuerat in illam Ecclesiam, licet postea conuersus esset in Catholicæ fidei defensorem populo gratum, tamen ex mala institutione periclitaretur; pro ipso quoque Iustinus & alij iisdem suis litteris preces Hormisdæ obtulerunt. Quæ vero ad ea omnia ille rescripserit, dicetur anno sequenti.

int. Epist. Horm. EPIPHANII EPISC. CONST. ET IVSTINI IMP. LEGATIONES AD HORM. PP.

Præter autem duas illas recensitas legationes ad eum missas, tertia eodem ferme tempore accessit ab Ecclesia Thessalonicensi, quæ Dorotheum eius ciuitatis Episcopũ de nefandis sceleribus aduersus Apostolicum Legatum (vt vidimus anno superiori) perpetratis excusaret: quam & ipsam decretam esse ordinatione Iustini Imperatoris, idem Hormisda tradit scribens *u* ad Epiphanium Constantinopolitanum. Is vero & ipse Dorotheus, tanquam innocens, suas litteras *x* excusationis plenas addidit: ad quem Hormisda satis acriter respondit *y* quarto Calendas Nouembris huius ipsius anni. Quid autem præterea decreuerit de ea causa, non apparet.

XI. LEGATIO AB ECCL. THESSAL. AD ROM. PONT.

u *Hormis. ep. 77.*

x *Ext. ant. ep. Hormis.*

y *Ibid. ep. 70.*

Hoc item anno, cum vbique Eutychiana hęresis cum suis fautoribus exploderetur, accidit in Syria, vt cum ea de re non solum Catholici, sed & Nestoriani hæretici è diuerso pugnantes exultarent, iidem Nestoriani solemni ritu Theodoreti Cyri Episcopi, qui aliquando Nestorio fauisset, imaginem super currum cum Psalmorum Canticis introduxerint Cyrum ciuitatem, atque ibidem memoriam celebrarint Nestorij, eiusque magistrorum Diodori Tarsensis & Theodori Mopsuesteni. Quod vbi perlatum esset ad Imperatorem, ipse aduersus eos rescriptum dedit tertio Idus Augusti huius anni, quod recitatum extat in Quinta Synodo. z Haud quidem improbandus videri poterat eiusmodi cultus Theodoreti imaginis, si ab Orthodoxis redditus esset; cum ipse, licet visus aliquando hæreticus, tamen postea (vt vidimus) Catholicus cognitus, probatusque, in pace & cõmunione Ecclesiæ Catholicæ ac Sedis Apostolicæ quieuerit. Sed quod Nestoriani id feciisse dicantur, haud potuit factum non reprehendi ab Orthodoxis; cum præsertim tantorum dehonestata eadem fuisset imago consortio hæreticorum.

XII. THEODORETI IMAGO CULTA A NESTORIANIS.

z *Quint. Syn. Act. 7. in fin.*

IESV CHRISTI AN. 521.

HORMISDÆ AN. 8.

IVSTINI IMP. 4.

THEODOR. REG. 29.

ANno Christi quingentesimo vigesimo primo, Occidens Valerium dedit Consulem, Oriens Iustinianum

I IVSTINIANI CON-

SYLATVS CELEBERRIMVS.

Iustini Aug. nepotem; quem Marcellinus ait famosissimum hunc Consulatum præ Consulibus omnium Orientalium vtilitatibus edidisse in erogatione pecuniarum, & exhibitione munerum, atque spectaculorum, ferarumque. Licet enim gladiatorum dempta fuissent cruenta spectacula, retentus tamen cruor fuerat in venatione ferarum, & pugna cum bestiis ab humanitate penitus aliena. In cuius feri atque ferini moris detestationem, extat Theodorici Regis Italiæ Epistola *a* ad Maximum, qui post annum sequentem Consul Romæ creatus est.

a Ap. Cassiod. Var. 42.

II.

Sed vt res gestas præsentis anni aggrediamur; qui superiori missi Romam fuerant ab Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, atque Synodo in eadem vrbe habita, ipsoq; Iustino Imperatore, ad Hormisdam Papam Legati, Constantinopolim remissi sunt ad finem mensis Martij: quibus idem Pontifex septimo Cal. April. litteras *b* dedit ad eos à quibus acceperat, prolixe ipsorum petitionibus respondés. Et quidem ad ea quæ petierant, vt sinerentur in Diptychis remanere nomina Episcoporum, qui cetera Orthodoxi, fuissent Acacij communione polluti; demonstrat id minime concedi posse, quod talium communione vniuersa simul inficeretur Ecclesia; ac populos illos qui id expeterent, cogendos esse ad remedia salutaria, non sequendos in voluntatibus deprauatis. Ad aliam vero quæstionem, de vno ex Trinitate passo in carne, respondet huiusmodi nouam & ambiguam sententiam non esse admittendam, ob multiplices fraudes quæ sub ea laterent; cum præsertim absque illius vsu, doctrina de Verbi Incarnatione iam satis à maioribus elucidata esset. Quibus ita decretis, scriptisque, suas vices legauit eidem Epiphanio, vt ea penitus seruanda curaret, atque insuper Ecclesiæ Hierosolymitanæ prouideret, aliosque vbique lapsos cum libellis reciperet; ita tamen vt (ne quid subreperet hæreticæ communionis fermenti) singulorum libellos Romam ad ipsum Pontificem mitteret. Quibus quidem omnibus exemplum plane Hormisda posteris tradidit Pontificibus, quod acceperat ipse à maioribus, non ob gratiam Imperatorum, Regumve, quantumlibet importune instantium, non precibus quorumlibet magnorum Antistitum, vel etiam Synodorum, non cuiusuis dignæ causæ prætextu, quo magnatum etiam restitutio prouinciarum expectaretur, debere Romanos Pontifices, quibus cura competit custodiendi depositum Christianæ religionis, vel minimũ deflecti, cum à maioribus accepta fides vel læditur, vel in ambiguitatis angustias adducitur, aut traditio fauciatur, seu illibata semper existens communicatio Catholica custodita polluitur.

b Hormis. ep. 72. 73. 75. 76. 77. ISTE NEGAT HORMISDA INIVSTE PETITA AB Iust.

III.

PAVLVS ANTIOCH. SE ABDICAT.

Inter hæc autem Antiochena Ecclesia diu ab hæreticorum antesignanis possessa, licet illinc fugato Seuero Catholicus (vt vidimus) Paulus ei datus esset Antistes, tamen magnopere fluctuauit, dum idem Paulus ita moribus labefactatus apparuit, vt omnes ferme Orthodoxi, imo & proprij ipsius domestici ab eius communione deciscerent. Quamobrem cum in dies multiplicarentur aduersus eum querelę, idem male sibi conscius, miser sponte se abdicauit; vt patet ex literis *c* quas Iustinus Imperator, & Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus ea de re ad Hormisdam Papam hoc anno Calendis Maij dederunt. Cum vero & paulò post idem Paulus diem obiisset, tradit Euagrius *d* in eius locum Antiochiæ suffectum esse *Euphrasium* Hierosolymitanum presbyterum.

c Ext. int. ep. Hormis.

d Euagr. lib. 4. c. 4. in fin.

IV.

ASTERIVS EPISCOP. ALEXÃDR. ORTHOD.

Eodem anno iussu Imperatoris, haud valentis ferre nobilissimam Ecclesiam Alexandrinam Catholico diutius carere Episcopo, quæ sub hæreticis Impp. hæreticis tradita fuerat Antistitibus; Orthodoxis datus est Orthodoxus Antistes, *Asterius* nomine; hæreticis tamen adhuc impio Timotheo inhærentibus. Habes ergo interciſum esse Nicephori Chronicon in quo desideratur Asterius Orthodoxus; quem Acta *e* Arethæ martyris & sociorum, de quibus dicturi sumus anno sequenti, quam fidelissime produnt.

e Ap. Sur. 24 Octob.

V.

OBITVS S. BRIGIDÆ *f Ap. Sur. 1. Febr.*

Hoc insuper anno *S. Brigida* clarissima Scota virgo (cuius extant *f* præclaræ res gestæ) in Hibernia diem clausit extremum; vt tradit in Chronico gentilis eius Marianus: cui potius assentiendum putamus, quam iis qui ante biennium defunctam pronunt.

IESV CHRISTI AN. 522.

HORMISDÆ AN. 9.

IVSTINI IMP. 5.

THEODOR. REG. 30.

I.

ANno Christi quingentesimo vigesimo secundo, creati sunt Coss. Symmachus atque Boëtius. Sed Boëtij tertius hic numerandus erit, si duo qui superioribus temporibus recensiti habentur Seuerini Consulatus, vnius eiusdemque Boëtij extiterunt. De ipsius vero doctrina & scriptis dictum est sub secundo *a*.

a An. 510. 1.

[Immo prædicti Coss. huius anni, filii fuerunt magni illius Boetij; qui de eorundem filiorum suorum copulato Consulatu meminit lib. 2. de Consol. quicquid auctor Vitæ Boetii filios eius Consules faciat Patricium & Hypatium, qui anno Christi 500. Consulatum gesserunt: cuius hallucinationem arguit doctiss. Sirm. in Ennod. 8. epist. 1.]

II.

Sub isto vero Boëtij Cõsulatu, Trasamundus Rex Wandalorum in Africa, cum regnasset (vt ait Procopius *b*) annos viginti septem, & amplius menses quatuor (vt addit Isidorus *c*) ex hac vita decessit, instar *d* Antiochi desperatione rerum bellicarum sinistre cedentium nimium afflictatus: cum videlicet ingenti clade affectus esset ab eo quem bello petisset, Cabaone Præfecto Tripolis, Mauro quidem ipso, sed disciplinæ Christianę minime experte, dum iustitia, ieiunio, castitate, atque etiam pietate hostes vincendos esse haud frustra putauit. Rem vero gestam exacte describere Procopius, & Euagrius *e*.

b Procop. de Bel. Vand. lib 1.

c Isidor. in Chron. Vvand.

d 1. Mach. 6.

TRASAMVNDVS REX MISERE MORITVR.

e Euagr. li. 4. c. 15.

Porro defuncto Trasamundo, Regno Africæ potitus est *Hildericus* filius Hunerici, nepos Genterici, ex filia Valentiniani Imperatoris eius nominis Tertij genitus, vt Isidorus est auctor: qui addit, eum, cum à Trasamundo obstrictus iuramento fuisset, ne Catholicis ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret; antequam regni administrationem susciperet, ne religionem sacramenti violaret, omnes Episcopos exules ad sedes suas reuocasse, & ecclesias aperiri iussisse. Tuncque accidit reditus in Africam Antistitum Catholicorum, per tot lustra in Sardinia & aliis locis exulantium; qui accurate describitur in Actis *f* magni illius S. Fulgentij Ruspensis Episcopi, eiusmodi glorioſi exilij atque triumphalis reditus præcipui participis. Eodemque mox tempore plebs Carthaginiensis Catholica, cum clero qui ibi repertus est, eiusdem ciuitatis Episcopum Bonifacium creauerunt. Quæ quidem omnia peracta esse adhuc viuente Hormisda Papa, Anastasius *ff* quoque Bibliothecarius testatur. Post hæc autem *g* ab iisdem Orthodoxis Episcopis, ad restituendam collapsam disciplinam & bene instituendas Ecclesias, pluribus in locis celebrata sunt Concilia, quorum fit mentio triũ (nempe *Byzacent*, *Vzecensis*, & *Suphetani*,) in iisdem Rebus gestis S. Fulgentij, qui eis interfuit, & in postremo egregium edidit humilitatis, simul & charitatis exemplum, cum in Vzecensi, iudicio Episcoporum prælatus cuidam alij Episcopo, qui se priorem existere affirmabat, postea in Suphetano Patres supplicter rogauit vt sibi rursum Episcopus ille, qui se postponi ægre ferebat, præferretur.

III.

REDITVS EPISCOPORVM EXVLVM IN AFRICAM

f Ap. Sur. 1. 1. Ianuar.

ff Anast. de R. Pont.

g Hac periodo contenta, habentur apud Baron. an. seq.

IV.

LAZORVM CONVERSIO AD FIDEM.

Hoc item anno, qui numeratur quintus Iustini Imp. *Lazorum* populi, Iberis ad portas Caspias sitis contermini, ad Christianam fidem conuersionem contigisse, ex Theophane scribit auctor *h* Miscellæ: qui ait, Zatum ipsorum Regẽ Constantinopolim ad hoc venisse ad Iustinum vt baptizaretur, ab eoque ingenti gaudio susceptum, ac filium appellatũ esse, sed & Imperatoris Lazorum titulo, atque corona & alba clamyde Imperiali decoratum. Agunt pariter de eadem Lazorum conuersione Zonaras *i* & Cedrenus *k*, necnon Anastasius Bibliothecarius in Chronico, sed anno superiori: Agathias autem sub Iustiniano Imperatore; aitque hos quos Lazos diximus, *Colchos* antiquitus fuisse nominatos. Tot secũ bona vexit restituta Catholica fides; quæ schismatis libera nexibus, iam arctis & angustis suis nesciens contineri limitib. ad externos lõge positos Euangeliũ ppagauit. Quod vero Lazi Persarũ Imperio antea subiacerent, Cabades Per-

h Miscel. lib. 15.

i Zonar. Annal. par. 3.

k Cedr. in Comp.

sarum

sarum Rex hac occasione Iustino infensus, pacem fregit quæ inter Romanos & Persas diutius durauerat. De conatu autem eiusdem Cabadis contra Iberos Lazorum confines, æque Christianos, ac Persis subditos, vt eos ad fidem deserendam compelleret, deque ipsorum suscepta à Iustino defensione, pluribus agit Procopius *l*.

l *Procop. de Bel. Pers. lib. 1.*

V. PERSECVTIO IN HOMERITAS CHRIST. ET PAX EIS REDDITA. *De tempore vero cepta primo ab eu Christiana fides, egit Bar. Tom. III. an 354.*

Sed & populi *Homeritæ*, (quæ regio olim Saba dicta est, ex qua prodiit Regina illa Salomonis sapientiam auditura) penes quos iam ab antiquis temporibus, cum Indis & Æthiopibus Euangelium prædicatum est, coaleſcere Ecclesia cœperat, hoc ipso anno quinto Imperij Iustini, cœpti sunt dire vexari ab impiissimo apostata *Dunaan*, ex Christiano facto Hebræo, eiusdem prouinciæ Rege Christianis infensissimo: eaque in persecutione *Arethas* insigni pietate vir primarius ciuitatis Nagran, (quam armis diu frustra tentatam, pessimo periurio Dunaan ingressus est) aliique complures omnis sexus, ætatis, & conditionis homines, illustrem martyrij coronam consecuti sunt: vt pluribus narrant fidelissima ipsorum Acta *m* his ipsis temporibus scripta, sed postea Metaphrastis nomine edita; cum tamen in eis nihil præterea ipse præstiterit, quam vt in tomum à se collectum Vitarum Sanctorum inferret. Adstipulantur autem rei gestæ veritati, Græci auctores Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, atque alij. Porro anno sequenti ipsum Dunaan bello victum, atque vna cum omnibus suis occisum fuisse, eiusque regnũ occupatum ab Elesbaan Æthiopum Rege Christiano maxime pio, qui à Iustino Imp. ad vltionem Homeritarum incitatus, insignem victoriam misso diuinitus auxilio est adeptus, eadem ipsa Acta fuse tradunt: adduntque eundem Elesbaan, posteaquam optime prouidisset tam ciuili quam Ecclesiastico Homeritarum statui, misso diademate suo Hierosolymam, relictaque Regni sui Æthiopici administratione, cilicium induisse, & vitam monasticam in monte quodam summa austeritate ad finem vsque vitæ excoluisse. De Homeritis autem eorumque regione pluribus agit Procopius *n*.

m *Ex ap. Sur. 24. Oct.*

ELESB. REX ÆTIOPVM FIT MONACHVS.

n *Procop. de Bel. Pers. lib. 1.*

IESV CHRISTI AN. 523.

HORMISDÆ AN. 10.

IVSTINI IMP. 6.

THEODOR. REG. 31.

I. a *Vide Cass. 5. Var. 24.* OBITVS HORMISDÆ PP.

ANno Christi quingentesimo vigesimo tertio, Consule Maximo, quem Roma *a* dedit, idque (vt habet Marcellinus) absque collega, licet errore ei collega ab aliquo iungatur Olybrius: hoc, inquam, anno, octauo Idus Augusti, *S. Hormisda* Papa, cum sedisset annos nouem & dies decem, (vt ex Indicibus Vaticanis constat, cum alioqui Anastasius nonnisi annos octo ei tribuat) ex hac vita decessit, perfunctus quam optime munere Pontificio: sepultusque est in Basilica S. Petri. Sed præter illa quæ de eo dicta sunt superius, habet plura de aliis rebus eius præclare gestis Anastasius, atque inter cætera de Manichæis ab eo repertis, & post plagas ad extorquendam veritatem inflictas in exilium pulsis, ac libris eorum combustis: itemque de pretiosis donis sub eius Episcopatu à Iustino Imperatore, votorum gratia (vt ait) B. Petro in eius Basilica Vaticana oblatis; aliisque pariter à Theodorico Rege eidem Ecclesiæ collatis, muneribus dixerim, non oblationibus. (Solent enim Oblationes tantummodo esse Fidelium Orthodoxorum, quæ solemni ritu in ecclesiam inferri consueuerunt, & recipi: Munera vero, quæ nulla habita distinctione donantis, in Ecclesiam, tamquam in gazophylacium, inferuntur.) Extatque *b* insuper eiusdem Hormisdæ nomine editum egregium scriptorum monumentum, cum acerrimus vindex continentiæ clericalis, aduersus eos qui lapsis laxare viderentur habenas, patentes dedit litteras. Ceterum postquam ab eius obitu sedes vacasset dies septem, totius Cleri consensu in locum eius subrogatus est Ioannes Etruscus Constantij filius, ex Presbytero Tituli Pammachij.

b *Tom. V. Antiq. Lect. pag. 287.*

IOANNIS CREATIO.

[Sed ea epistola (quam rec. Bar. Annal. Tom. VII. hoc an) vix poterit esse Hormisdæ istius, cum in ea fiat mentio repetita Ioannis Apostolici Papæ; omnes autem eius nominis Rom. Pontif. sederint post ipsum Hormisdam. nec certe illa redolet stylum Pontificium. Est ergo alterius alicuius Hormisdæ, minoris sedis Episcopi, vt ex prædictis manifeste apparet.]

Quo eodem anno Iustinus Imp. aduersus hæreticos & infideles promulgauit edictum *c*, quo Manichæos capite puniri iussit; multosque eorum suppliciis affecisse, Cedrenus tradit. Reliquis vero hæreticis, necnon Paganis, atque Iudæis & Samaritis, eadem lege magistratũ gerere, & dignitatem habere, atque militare prohibuit; exceptis Gothis, quibus licet Arianis, ob fœdus cum Theodorico Italiæ Rege, parcendum putauit. Sed & hoc ipso anno sexto eiusdem Imperatoris, Cabadem Regem Persarum, Manichæorum (qui in ipsius ditione frequentissimi erãt, quod inde oriundi essent; vnde & plura inter eos & Persas communia fuisse dogmata, Agathias *d* testatur) permulta millia, vna cum ipsorũ Episcopo trucidasse, idem Cedrenus scribit: quod in Miscella *e* traditur accidisse, quia cogitauerant Cabadi regnum adimere vt illud traderent Phatuarsæ eius filio, quem iidem à puero instituerant.

II. c *l. 12. C. de har. & Manich.*

MANICHÆI OCCISI. d *Agath. de Bel. Pers. l. b. 2.* e *Miscel. lib. 15.*

Hoc itidem sexto Iustini anno, magno damno Catholicæ religionis, Euphemia Augusta ex hac vita migrauit: cui honorifice extrema perfunctus Iustinus, aliam accepit coniugem *Theodoram* nomine, quam & Augustæ titulo insigniuit. Hæc Græci *f* auctores.

III. f *Cedr. & alii hoc an.*

IESV CHRISTI AN. 524.

IOANNIS AN. 1.

IVSTINI IMP. 7.

THEODOR. REG. 32.

ANno Christi quingentesimo vigesimo quarto, Iustino Aug. secundum & Opilione Coss. idem Imperator Catholicæ fidei cultor studiosissimus, cum hactenus Arianis hæreticis ob fœdus cum Theodorico initum pepercisset; memor diuinæ *a* legis, prohibentis ne cum Dei hostibus fœdus aliquo modo sanciatur; nondum Imperij *b* sui anno sexto absoluto, sub hoc ipsius Consulatu secundo, eosdem Arianos exagitare aggressus est, & Ecclesias ipsis aufere.

I. IVSTINI IMP. ARIANOS EXAGITAT. a *Deut. 7. Iosue 9. Iudic. 2.* b *Miscel. lib. 15.*

Quæ audiens Theodoricus, litteris apud eum questus, cum nihil posset cõsequi pro libertate suorum Arianorum, potentiori remedio rem tantam agere cogitauit; nempe vt impelleret ad legationis ea de re suscipiendum munus, Ioannem Romanum Pontificem, futurum apud Imperatorem pacis mutuæ conseruandæ sequestrem: cominatus (vt habet Anastasius *c*) nisi id ageret, se totam Italiam gladio perditurum. Quamquam ex Boëtij *d* scriptis satis datur intelligi, illam præcipue intercessisse legationis suscipiendæ causam, quod apud Theodoricum Senatus Romanus criminis maiestatis reus effectus, in suspicionem adductus esset aliqua cum Iustino moliri secreta. Sed de Ioannis profectione, dicetur anno sequenti quo ea contigit.

II. THEODOR. REX AGIT PRO SVIS ARIANIS. c *Anast. Biblioth. lib. de Rom. Pont. in Ioan.* d *Boet. de Consol. lib. 1. prof. 4. Baron. an. seq. num. I. & XII.*

Sub hoc eodem Opilionis Consulatu celebratum legitur *Arelate* Concilium, quod Tertium ordine positum est; in quo multa de Ecclesiastica seruanda disciplina in ordinandis Ecclesiæ ministris, aliaque plura sancita leguntur. Præfuit ei insignis Cæsarius eiusdem Ecclesiæ Antistes, de quo superius. Vnde corrigas quod alij eandem Synodum referunt in Consulatum alterius Opilionis ante annos septuaginta, nempe Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, quo tempore nondum natus erat Cæsarius. Sed Collector male cautus, sibi nimis sapiens visus, cum inuenisset hoc Concilium celebratum sub Consulatu Opilionis, nec additus esset collega; (quod sæpe factum reperitur in monumentis Occidentalibus, prætermisso Orientali Consule poni tantum Occidentalem; itemq; in Orientalibus Actis, omisso Occidentali recenseri dumtaxat Orientalem:) addendum putauit Vincomalum collegam, qui prædicto anno quadringentesimo quinquagesimo tertio Consulatum gesserit cum altero Opilione.

III. CONCIL. ARELAT. III. [Quod est quidem apud Baron. To. VI. an. 455. Sed idem postea monuit, illud in hunc annũ, istiusque Opilionis Cõsulatũ referendũ esse. Quo etiam celebratũ creditur Carpentoratense, quod ipse primo an. 463. postea an. 29 collocauit.]

IESV CHRISTI AN. 525.

IOANNIS AN. 2.

IVSTINI IMP. 8.

THEODOR. REG. 33.

I. LEGATIO IOANNIS PP. CONSTANTINOPOLIM. a *Marcel. in Chron.*

ANno Christi quingentesimo vigesimo quinto, Probino atque Philoxeno Coss. Ioannes Romanus Pontifex, præter morem prædecessorum (vt ait Marcellinus *a* Comes) à Theodorico Rege subire coactus est legationem (de qua dictum est anno superiori) ad Iustinum Imp. vna cum Theodoro, Importuno, & Agapeto Excoss. & alio Agapeto Patricio, quos ei Legationis comites Theodoricum dedisse, Anastasius Bibliothecarius hæc narrans testatur. Id autem hoc anno accidisse, ex Epistola ipsius Ioannis sequenti anno ad Episcopos Italiæ data *b* colligitur. Porro miracula quæ ipsum edidisse contigit tam in itinere, quam in ciuitate Constantinopolitana (in cuius ipso ingressu visum cæco restituit) S. Gregorius *c* Papa recitat. Miro autem honore in eadem vrbe exceptum esse, dexterumque dextero Ecclesiæ sedisse solio, ac diem Resurrectionis Dominicæ Romanis precibus celebrasse, Marcellinus tradit. Additque Anastasius, occurrisse illi omnem ciuitatem ad milliarium duodecimum cum cereis & crucibus; atque ipsum Imperatorem humiliasse se pronum in terram, & Ioannem adorasse, multum exultantem quod videre meruisset in suo Regno Vicarium Petri Apostoli: (nullum enim hactenus viderat Oriens Romanum Pontificem, præter S. Clementem, cum inde transiit relegatus in Chersonesum.) ideoque eius manibus coronari voluisse: licet iam antea viderimus illum, simul ac electus est in Imperatorem, à Ioanne Episcopo Constantinopolitano diadema suscepisse.

b *Ext. Tom. 1. Ep. & Fast.*

c *Greg. 3. epist. 2.*

OBSEQVIA IRGA PONTIF.

II. d *Miscel. lib. 15.* CALVMNIA IN IOANNEM PP. DILVVIVR.

Omnia porro quæ petiit, Ioannem à Iustino obtinuisse, sicque liberatam esse Italiam a Theodorico Rege, idem Anastasius addit. Eademque ferme omnia quæ apud ipsum, habentur pariter in Miscella *d*. Quod tamen hi auctores significant, ista hæc intelligi debere de restitutis à Iustino in integrum Arianis; inde scimus sanctissimum Pontificem acerbas subire calumnias. At vero etsi ea fuerit Theodorici eos Legatos mittentis intentio; quantum tamen ei ex aduerso acciderit, quamque ea contra historiæ veritatem ab iisdem auctoribus scripta fuerint, vel illud aperte conuincit, quod ipsum Ioannem è legatione redeuntem vna cum aliis legatis, Theodoricus in carcerem apud Rauennam (vt iidem ipsi Anastasius & Miscellæ auctor affirmant) detruserit, ibique eundem mori compulerit. Eius vero mortem non aliâ ob causam contigisse, Gregorius *e* Turonensis disertis verbis testatur, nisi quod Arianorum Ecclesias in Catholicas consecrasset. Qui & ipse Ioannes, id vbique se in Oriente eadem Legatione fecisse, asseruit in epistola Circulari anno sequenti ex carcere data.

e *Greg. Tur. de glor. mart. lib. cap. 40.*

III. INGENS ANTIOCHENA CLADES EXTERRÆ MOTV.

His iisdem Coss. Antiochenam ciuitatem, diu hæreticis prostituram (inquit Marcellinus Comes, res fuit temporis scribens) repens inter prandentium ora terræmotus inuasit, ac magnum eius partem, sinistris mox ventis vndique flantibus, flammasque coquinarum pro tempore æstuantes ruentia in ædificia miscentibus, duplex torridum exitium importauit; atque Euphrasium eiusdem ciuitatis Episcopum, dempto eius capite, combusto simul obruit sepulchro. Hæc ille. quam etiam cladem Euagrius *f* describens, pariter ait eam contigisse anno septimo Iustini Imperatoris, mense decimo, quarto Calendas Iunij, die Veneris, in ipsa meridie. Additque *g* eandem reuelatam esse Cæsareæ Palæstinæ, eodem ipso momento quo contigit, *Zosimo* Phœnici sanctissimo anachoretæ, miraculis clarissimo: cui etiam aliquando leo, cum eius asellum deuorasset, in sarcinis ferendis asini ministerium præbuit. Sed & eandem cladem, antequam eueniret, præmonstratam diuinitus fuisse magno Theodosio Cœnobiarchæ, Cyrillus in Vita eius *h* asserit. Porro illam cum Imperator accepisset, præ dolore exutum purpura & diademate, sacco se induisse, aspersumque cinere multos dies in luctu sedisse solitarium, postea vero magna vi auri miseris præsto fuisse; habetur in Miscella. De alia autem eiusdem ciuitatis simili quassatione, dicetur post biennium. Aliasque pariter Orientis nonnullas vrbes iisdem contigisse agitari cladibus, idem Euagrius *i* scribit.

f *Euagr. lib. 4. c. 5.*

g *Id. cap. 7.* LEO EXHIBET ASINI MINISTERIVM.

h *Ap. Sur. 11. Ianuar.*

Sed quod de Zosimo anachoreta facta est mentio; dum de illo eadem quæ Euagrius, Nicephorus *k* recitat, mox subdit de alio eiusdem nominis cœnobita Palæstino, qui curam suscepit *Mariæ* illius *Ægyptiacæ* à patria dictæ, q̃ è perditissima meretrice facta est compluribus aliis eiusdem libidinis feminis, austerrimæ pœnitentiæ exemplum; cum (vt ait) diuino nutu ad sacrosanctum Lignum Crucis venerandum excitata, inde transito Iordane, in interiorem solitudinem se abdidit, neque cum aliquo homine præterquam vno illo Zosimo, locuta est, cibo simul & vestitu abstinens, ac inter orandum frequentissime in sublime elata: cui etiam post sanctum obitum, leo sepulchrum effossum parauit; eius vero Vitam, atque item Zosimi, Sophronius Episcopus Hierosolymitanus descripsit. Hæc Nicephorus. Cognita vero atque probata fuisse eiusdem Mariæ Acta vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ, tum de Orientalibus fidem faciunt Menologia, tum de occidentalibus Martyrologia. Eademque citata atque recepta reperiuntur in Secundo Nicæno *l* Concilio Oecumenico, necnon à S. Ioanne Damasceno *m*, & aliis tam Græcis quam Latinis auctoribus. Quam vero Græce scripsit Sophronius eius Vitam, Paulus diaconus Neapolis transtulit in Latinum, quæ præ manibus habetur *n*. Vixit autem iisdem ferme diebus alia *Maria o* Tarsensis, quæ & ipsa ex meretrice pœnitens in monasterio vitam transegit. Sicut & alius *Zosimus p* Cilix, qui ex insigni anachoreta factus est Episcopus Babylonis, & iterum abdicato Episcopatu, ad Sinæ monasterium reuersus est.

i *Euagr. ib. cap. 8.*

IV. k *Niceph. lib. 7. cap. 5.* DE MARIA ÆGYPTIACA.

l *Conc. Nic. II. act. 4.*

m *Damasc. orat. 3. de Imag.*

n *Sigeb. de Script. Eccl. cap. 69.*

o *Prat. Spir. cap. 31.*

p *Ibid. cap. 114. 127. ap. Baron. an. 570. 11.*

Eodem anno Ioannes Hierosolymitanus Episcopus, cum sedisset annos vndecim, mortuus est, inque locum eius suffectus *Petrus*: vt habet Nicephori Chronicon.

V.

IESV CHRISTI AN. 526.

FELICIS IV. AN. 1.

IVSTINI IMP. 9.

ATHALAR. REG. 1.

I. IOANNIS PP. EPISTOLA E CARCERE DATA. a *Ext. tom. 2. Concil. & tom. 1. Epist. Rom. Pont.* OBITVS EIVS.

ANno Christi quingentesimo vigesimo sexto, Consule Olybrio absque collega (vt ponitur à Marcellino, & aliis) S. Ioannes Romanus Pontifex è carcere, in quem apud Rauennam coniectus fuerat à Theodorico Rege, epistolam *a* dedit ad vniuersos Italiæ Episcopos, qua eos exemplo suo hortatus est aduersus Arianos fidem Catholicam defendere, Ecclesiasque ab eis vsurpatas sacro ritu in vsum Catholicorum consecrare. Defuncto vero illo paulo post in eodem carcere, (nimirum vigesima septima mensis Maij, qua martyrij eius solemnitas ab Ecclesia celebratur;) corpus eius Rauenna, vt ait Anastasius, Romam translatum est, sepultumque magna gloria in Basilica S. Petri: cum vixisset in Pontificatu annos duos, menses nouem, dies quatuordecim. Ex cuius die obitus corrigendum est, quod dicta ipsius epistola è carcere data habetur tertio Idus Iunij: pro quo reponendum erit, tertio Idus Ianuarij. Sed & quod scripta ponitur sub Consulatu Maximi & Olybrij, expungendus est Maximus: tam enim Maximus, quam Olybrius, diuersis annis absque collega Consulatum gesserunt. Quæ vero eiusdem Ioannis epistola ad Zachariam Archiepiscopum, data ponitur decimoquinto Calendas Nouembris sub Consulatu item Maximi & Olybrij, ea referenda est ad Consulatum illum Maximi. Postquam autem vacasset sedes (sicut Anastasius habet) dies quinquaginta octo, electus est in locũ eius die vigesima quarta Iulij FELIX eius nominis Quartus, natione Samnita, filius Castorij, cum adhuc superstes esset Theodoricus Rex.

FELIX PP. CREATVR.

II.

Cuius quidem Regis furor semel contra Ecclesiam Romanam conceptus, nequaquam Ioannis Pontificis obitu finem inuenit: sed q̃ nullus vnquam Ethnicorum Principũ,

nedum

THEODOR. REX ARROGAT SIBI ELECTIONEM SVMI PONT.

nedum Catholicorũ ausus fuerat, iste hæreticus mediatus impleuit; nimirum vt redigeret in seruitutem ipsam Romanam Ecclesiam, dum Summi Pontificis electionem atque nominationem sibi procaciter arrogauit. Vt autem suæ ipsius voluntati nulla esset occasio refragandi, quem in Romano Clero probatissimum nouit virum, Felicem Papam nominauit. Fatale enim quodammodo fuit, (si ita liceret Christiano loqui) vt quem delegit olim Constantius Arianus Imperator, & quem modo Arianus pariter Princeps nominauit, *Felix* vterq; appellaretur. Porro de huiusmodi à Theodorico facta electione, extat *b* Athalarici Regis (qui hoc anno eidem successit) epistola ad Senatum Romanum, iam acquiescentem iniquæ impij Regis conditioni, cui diu fuerat refragatus. Accepisse tamen postea tanta præsumptio noscitur moderationem illam, vt ex pristino vsu Clerus deligeret Pontificem, quem Rex suo confirmaret assensu: quã quidem ab Arianis Italiæ Regibus vendicatam sibi tyrannice auctoritatem, iis de medio sublatis, Orientalis Orbis Imperatores sibi pariter (vt videbitur) arrogarunt, ac denuo cesserunt.

b Ap. Cassiodor. 8. ep. 15.

III. QVANDO RES EIVS COLLAPSÆ.

Sed suo maximo damno tentauit hæc omnia tyrannus sacrilegus; dum qui in præsens vsque tempus, triginta tria annorum curricula summa regni felicitate transegerat, quod toto illo tempore de Apostolica Sede bene meritus esset; quamprimum illam vexare cœpit, repentina immissã cælitus vindicta prostratus est, & ad inferos perpetuo damnatus: cum & aliis insuper facinoribus dirum sibi exitium acceleraſſet; dum videlicet primo Seuerinum *Boetium*, post diuturnum carcerem quo eum Ticini detinuit, postea etiam ipsius socerum *Symmachum*, à perfidis ingentis eorundem gloriæ inuidis apud Regem delatos, quasi Romanam Rempublicam in pristinum statum redigere tentassent; idem Rex nulla exactiori habita eiusmodi accusationis perueſtigatione, capite truncauit: Viros Patricios ambos & Exconsules, generis nobilitate, sapientia, ac moderatione animi, ceteris que virtutibus, atque omnium humanarum scientiarum, nec non facultatum Theologicarum peritia, inter Romanos & Senatorios viros facile principes.

DE BOETIO, ET SYMMACHO, NECATIS AB EO.

IV. EORVM EXCELLENS DOCTRINA.

Extant enim hactenus, quæ id de Boëtio abunde probẽt, plurima ipsius opera, de quibus etiam dictum est in secundo ipsius Consulatu: quorum & nonnulla in vinculis constitutus elucubrasse cognoscitur; atque inter alia aureos illos libros de Consolatione Philosophiæ, in quibus *c* multa habet de accusatoribus suis, de criminibus obiectis, & pœnis eo vsque toleratis: eius vero Vitam erudite conscripsit Iulius Martianus; habuitque idem semper plurimos laudatores, nec desunt qui præconia augeant, aut aliquando desuturi sunt. Quod vero ad Symmachum spectat; iisdem ipsum quibus Boëtium insignibus præconiis, dum de vtriusque nece egit, Procopius *d* extulit. Sed & quam esset sacris litteris institutus, ex iis possumus intelligere quæ idem Boëtius ipsius gener de illo habet in libro de Trinitate, quẽ è carcere ad ipsum nõdum vinculis adstrictum scripsit, cum & inter alia eum arbitrum suorum scriptorum constituit. Eundemque omnium scientiarum doctrinam calluisse, locuples est testis Priscianus Cæsariensis Grammaticus (qui hoc ipso tempore *e* Constantinopoli docuit) in libro quem ad eum de Ponderibus atque Mensuris inscripsit. Denique extant plures Ennodij Ticinensis epistolæ, in quibus eiusdem Symmachi cum summa nobilitate & probitate doctrina etiam coniuncta laudatur: quem & Rex ipse Theodoricus *f* eius occisor, cum tranquillioris esset animi, suis litteris sicut & prædictum Boëtium, laudasse reperitur.

c Boet. de Consol. lib. 1 proſ. 4.

d Procop. de Bel. Goth. lib. 1.

e Cassiod. de Orthogr. cap. 12.

f Ap. Cassiodor. 4. ep. 51. & 1. ep. 45. & 2. ep. 40.

V. THEODORICI PRODIGIOSVS OBITVS.

Cum igitur in istos tales ac tantos viros truculentus barbarus violentas manus iniecisset, paucis post diebus (inquit Procopius) cœnanti ipsi cum mirę magnitudinis piscis ministri decoctum caput apposuissent, illud ei Symmachi nuper occisi caput est visum, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & torue intuentibus oculis, furibunde ipsi & acerbe comminari. Vnde monstri nouitate territus, membrisque præter modum tremebundus & rigens in cubiculum citato gradu secedens, idemtidemque iubens togarum vt sibi vim magnam ingereret, lecto decubuit, & patratum à se in Symmachum & Boëtium scelus deflens, haud longe post mortuus est. Hæc Procopius: quæ parum fideliter Iordanus, siue Iornandes dictus, Gothus Episcopus prætermisit, cum eundem Theodoricum senio confectum obiisse tradit: addit tamen, testamento monuisse suos, vt Senatum Populumque Romanum amarent, Orientisque colerent Imperatorem; insuperque detestatum esse quæ furore percitus perpetrasset.

Quomodo vero in infernum detrusus sit, demonstratum est in visione sancto cuidam viro in insula Lipari solitariam vitam agenti, dum (sicut à S. Gregorio *g* Papa narratur) visus est inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium discinctus & discalceatus, & vinctis manibus deductus in vicinam Vulcani ollam *h* ignem continuum euomentem proiici. sicque (quod addit Gregorius) à Ioanne & Symmacho iuste in ignem missus apparuit, quos ipse in hac vita iniuste iudicarat. Quod autem nulla de Boëtio mentio sit, æque existimare licet eum ante Ioannem & Symmachum esse iussum occidi, ostensos vero in visu illos nouissime à Theodorico iniuste damnatos. At enim de Boëtio non prætereat, quod Iulius Martianus refert in eius Vita *i* ex traditione Ecclesiæ Ticinensis; nempe eundem, cum regius spiculator letale vulnus intulisset, vtraque manu diuulsum caput sustinuisse: interrogatumque à quonam se percussum existimaret, ab impiis, respondisse: atque ita cum in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paululum expirasse, extinctumque diuinos honores, qui sanctis Martyribus debentur, à Catholicis consecutum esse.

VI. DAMNATIO AD INFEROS

g Gregor. 4. dial. 30.

h Huius Vulcani olla descriptionem, vide ap. Cassiod. 3. ep. 48. ad Ioann. Curial.

i Ext. ante oper. Boet.

INGENS MIRACVLVM AVVLSI CAPITIS BOETII.

Sed quod ad tempus obitus Theodorici spectat; fuisse comperitur dies secunda Septembris, si credimus Anastasio *k*, qui eum defunctum tradit post dies nonaginta octo ab obitu Ioannis Papæ, quem contigisse vidimus vigesima septima mensis Maij. De annis vero quibus regnauit, corrigendus videtur locus Procopij *l*, in quo anni triginta septẽ eius regno in Italia tribuuntur, cum à nece Odoacris non amplius quam triginta quatuor annos numerari contingat inchoatos. Qui quidem plurimis officiis, legibusque, de Vrbe ipsa & tota Italia benemeritus, inter magni nominis Principes fuisset collocandus, nisi eum Ariana hæresis infamasset, atque extrema crudelitas in probatissimorum Senatorum necem debacchata fœdasset, præter illa quæ impiissime præsumsisse vidimus in ipsam Apostolicam Sedem, dum vnus eius Pontificem in carcere occidit, & alterius electionem sibi vsurpauit.

VII.

k Anast. in Ioan.

l Procop. de Bel. Goth. lib. 1.

THEODOR. IN QVIBVS LAVDANDVS, ET VITVPERANDVS

Cum autem absque prole masculà decessisset, eius filia *Amalasuentha* (dicta vulgo Amalasuntha) pro Athalarico filio suo, annum dumtaxat octauum agente, regnum administrandum suscepit, qui natus est ipsi ex patre Eutharico cognomento Cillica. Porro de ipsa magni ingenij femina, prudentia & æquitate mitifica pollente, pluribus agit Procopius, nec non de pueri Athalarici educatione: quem cum eadem eius mater litteris etiam imbui vellet, & à senioribus instrui; obstitere Gothi, barbare asserentes litteris & seniorum institutionibus homines effeminari ac timidos reddi; ideoque nec Theodoricum vlla ex parte contigisse litteras, nec Gothorum liberos ad ludimagistros mittendos vllo pacto percensuisse; sed frequentius dictasse, nequaquã eos quos fetulæ timor inuasisset, gladios ac lanceas parui facturos. Hæc Procopius. Quomodo vero regnum Athalarici prudentia matris optime vbique stabilitum fuerit, docẽt variæ ipsius nomine scriptæ à Cassiodoro litteræ: ex quibus etiam datur intelligi, ipsum quo omnes vbique subditos tam Romæ quam in reliqua Italia, Dalmatio, atque ea Galliarum parte quam possidebat, in officio contineret; exegisse *m* ab eisdem iuramentum q. dicitur fidelitatis. Sed quod attinet ad ea quæ Theodoricus in Gallia possederat; ita trãsactum est inter eundem Athalaricum, atque Amalaricum (vt Procopius docet) natum ex filia illius Alarici, quem Clodoueus Rex Francorum extinxit, vt Athalaricus possideret quæ eis Rhodanũ essent loca, Amalaricus quæ trans Rhodanum: qui & insuper Amalaricus eas prouincias recepit, quas in Hispaniis Theodoricus Athalarici auus, tamquam tutor & moderator administrandas susceperat; vt constat ex Isidoro.

VIII. ATHALARICVS REX ITALIÆ.

EIVS EDVCATIO.

m Cassiod. 8. ep. 1. & seq.

Ceterum post obitum Theodorici, Burgundiones Procopius (qui eos Germanos vocat) subactos esse à Francis scribit; idque ipsum affirmat Gregorius *n*: ex quibus redar-

IX. BELLVM INTER

guis

FRANCOS ET BVRGVNDIONES.

guas recentiorē Chronographum *o*, qui ea refert ad annum Domini quingentesimum decimumquintum, longe ante mortem Theodorici. Regebant Burgundiones hoc tempore Sigismundus & Godomarus fratres, filij Gundebadi, siue Gundebaldi, de quo superius: aduersus quos bellum gerens Clodomeris filius Clodouei, Sigismundum ad saltus Agaunenses prælio victum, captumque, occidit cum vxore & filiis, & in puteum iactari præcepit. Cum autem ne occideretur, intercessisset *S. Auitus* Abbas Nutiacēsis egregiæ vir sanctitatis, post inde, iuxta eius prædictionem, idem Clodomeris renouato bello Godomarum Sigismundi fratrem prælio pariter superatum persequens, dolose necatus est ab hostibus iam in fugam versis: cum nihilominus reliqui Franci deuictis Burgundionibus regionem ipsorum in suam redegere potestatem. Rem gestam describit Gregorius Turonensis; qui & alibi *p* ingens tunc editum miraculum recenset, de sacris Reliquiis SS. Andreæ Apostoli & Saturnini martyris, è medio grandi incendio illæsis ab illæso viro Turonico extractis. Quod autem ad prædictum bellum attinet, Agathias *q* res Francorum prosecutus, aliqua recenset à Latinis diuersa.

o Greg. Tur. l. 3. de gest. Fran. & Sigeb. in Chron.

p Gregor. de glor. mart. c. 31.

q Agath. li. 1. hist.

X. SIGISM. REX FILIVM NECAT ET POENITET.

Quem vero superius vidimus Sigismundum, ab impietate Ariana ad Catholicam fidem conuersum à S. Alcimo Auito Episcopo Viennensi; idem cum falsis posterioris coniugis persuasus criminationibus filium Sigericum, quem ex priori vxore filia Theodorici Regis Italiæ susceperat, peremisset, continuo facti pœnitens ad SS. Martyres Agaunenses peregrinatus, enixis precibus expetiit, vt in hoc sæculo potius quam in futuro pœnas daret admissi facinoris: quem & exauditum vidisti, dum à Clodomero interfectus est. Eius porro corpus è puteo in quem coniectus fuerat sublatum, ad Agaunense ab ipso erectum cœnobium delatum est: ibique multis claruit miraculis, cum ad eius sepulchrum solerent frigoritici, seu quartanarij, pristinam sanitatem recipere. Narrat hæc Gregorius *r*. Acciditque vt miraculorum frequentia idem *Sigismundus* dignus sit habitus qui in Tabulis Ecclesiasticis reciperetur anniuersaria vbique memoria celebrandus Calendis Maij. Eoque exemplo demonstratum est, quam Deo sit accepta, post quodlibet immensum patratum facinus pœnitentia; quamque præstet hic à Deo pœnā accipere delictorum, quam in futuro sæculo condemnari. Sed & quanto suo damno non audiant Principes seruos Dei monitores, Clodomerus suo exemplo aliis demonstrauit.

r Greg. Tur. de glor. mart. c. 71. 75.

XI. EPHRÆM. COMES ORIENTIS ELIGITVR EPISC. ANTIOCH.

Hoc eodem anno Ecclesia Antiochena, iam anno superiori destituta pastore, mœrēs ob ingentē quā vidimus acceptā ex terræmotu cladē, noui Episcopi electione respirauit: cum qui ad leuamen tantarum miseriarum eo accesserat insignis pietate *Ephræm* Comes Orientis, velut præmium summæ ipsius erga ciuitatem prouidentiæ, (vt ait Euagrius *s*) ab Antiochenis electus est Episcopus: idque præcedentibus prophetiis, vt narratur in Prato *t* Spirituali. Quantum autem sollicitus ipse fuerit pro restituenda, firmandaque fide Catholica in Oriente labefactata, vel vno declaratur exemplo, quod eodem libro *u* recitatum habetur; dum videlicet sciens apud Hierapolim Seuerianum quemdam hæreticum, æmulum gloriæ magni illius Symeonis Stylitæ, columnam conscendisse, & ex ea quasi ex pulpito docere hæreses, illuc protinus conuolauit; ac quod rationibus non posset, ingenti illum miraculo probatæ per ignem Catholicæ fidei, ab hęresi reuocauit, populumque ad ipsum confluere solitum ab eius seductionibus liberauit.

s Euagr. lib. 4. c. 6.

t Prat. Spir. cap. 37.

u Ibid. c. 36.

IESV CHRISTI AN. 527.

FELICIS IV. AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 1.

ATHALAR. REG. 2.

I. IVSTINIA-

ANno Christi quingentesimo vigesimoseptimo, Mauortio absque collega Consule, Iustinus Imp. morbo senio- que grauatus, Iustinianum ex sorore sua nepotem, Comitem olim Domesticorum, postea Nobilissimum creatum, tandem enixius petente Senatu, magnoque populi applausu, huius anni Calendis Aprilis, annos natum quadragintaquinque, Imperatorem creauit, & suis manibus eius capiti diadema imposuit; statimque eius vxor *Theodora*, Augusta est appellata. Ipse vero Iustinus quarto post mense è vita decessit, cum imperasset annos nouem, ac decimum inchoasset. Hæc Marcellinus *a*, Euagrius *b*, Zonaras *c*, & alij. Quibus addit Cedrenus *d*, ipsum Iustinianum, simulac Imperator creatus est, cuncta bona sua quæ hactenus possedisset Ecclesiis donasse.

IVSTINIANVS CREATVR IMP.

a Marcel. in Chron.

b Euagr. li. 4. c. 9.

c Zonar. Annal. p. 3.

d Cedr. in Annal.

Extat vero ad ipsum, mox vt creatus est Imperator, satis prolixa egregia Epistola parænetica, articulis distincta ab Agapeto diacono magnæ Ecclesiæ scripta de recte administrando Imperio, quam Græci *Regiam Schedam* vocant. Sed quisnam fuerit iste *Agapetus*, diu multumque quæsitum est. Vixit his temporibus Agapetus diaconus S. R. E. qui nominatus cum aliis reperitur in Actis Tertiæ Romanæ Synodi sub Symmacho Papa; idemque creditus, qui postea sub eodem Iustiniano creatus est Romanus Pontifex; vir sane doctrina atque pietate insignis, & apud eundem Imp. magnæ auctoritatis. Verum cum ista scriptio Græce exarata habeatur, & quidem admodum exculte, non Latinum, sed Græcum in omnibus auctorem ostendit. Claruerunt præterea his temporibus Constantinopoli duo *Agapeti*, quorum frequens est mentio in Actis Synodi Constantinopolitanæ sub Mena: verum quod ambo essent monasteriorum Archimandritæ, iste autem de quo est sermo diaconus indigitetur magnę Ecclesię; diuersus fuisse videtur ab illis. Porro quamdiu eius monitis (quisque ille tandem fuerit) Iustinianus aurem præbuit, iuste recteque in omnibus Imperium administrauit: vbi vero deflexit, sibi Orbique Romano ruinam parauit, vt apparebit suis locis.

II. DE EPISTOLA AGAPETI AD ILLVM.

Cum primum autem in occidente cognitum est eum creatum esse Imperatorem, confestim Athalaricus Italiæ Rex, honorifica ad eum legatione missa *e* pacem ab eo expetiit; quam & obtinuisse satis intelligitur cum ex antiquis nummis *f*, in quorum altera parte Iustiniani nitet imago, in altera nomen inscribitur Athalarici Regis; tum etiam quod dum vixit, nunquam ei Iustinianus negotium facessit: hæc omnia summa prudentia moderante Amalasuentha Athalarici matre, quæ nouit Iustiniani animum officiis assiduis demerere; vt quæ scribit Procopius *g* in eius obitu demonstrant. Quo etiam auctore *h* constat, Hildericum quoque Wandalorum in Africa Regem, plurimis eundem Imperat. legationibus atque muneribus frequentasse. Verum ita pacem illum cum iisdem Arianis regibus tenuisse Cedrenus significat, vt tamen Arianos in Oriente positos sæpe legibus exagitarit. Denique & Francos ad eundem Legatos misisse, testis est Gregorius *i* Turonensis.

III. LEGATIONES DIVERSORVM PRINCIPVM RECIPIT.

e Cassiod. 8. ep. 1.

f Habet Baron. Annal. Tom. VII. hoc an. ex Lal. Pasqual.

g Procop. de Bel. Goth. lib. 1.

h Id. de Bel. Wand. lib. 1.

i Greg. Tur. de glor. mar. lib. 1. c. 31.

Sic igitur Deo bene disponente res Imperij, Iustinianus haud ingratus existens, curauit vt quæ essent Catholicæ religionis optime perficerentur. Ipso namque sui Imperij exordio, de fide Catholica, quam profitebatur, ab omnibus custodienda, promulgauit edictum *k*; quo simul omnes hæreses anathematizauit, pœnisque aduersus hæreticos cōstitutis subiecit, ac præcipue de quibus tunc maxime controuertebatur, Nestorianam, Eutychianam, & Apollinariam. Eundemque constat alias pariter leges sanciuisse, quibus statum Reipublicæ pulchre disponeret: atque inter ceteras illam *l*, qua iussit Episcopos præfectis prouinciarum Iudicibus præpositos esse, ne quid ab illis contra iustitiæ ordinem admitteretur. Adiecit vero ad diuinum auxilium promerendum, maximam ieiuniorum austeritatem, & assiduas ad Deum preces; itemque eximium cultum sanctorum Martyrum, venerationem sacrarum Reliquiarum, erectiones atque restaurationes Ecclesiarum & domorum hospitalium; ac denique prauorum proscriptionem morum, & propagationem virtutum; vt de his omnibus liquet, cum ex ipsiusmet scriptis atque constitutionibus, tum ex Procopio *m*, aliisque auctoribus. Factumque est, vt eiusmodi piis factis Monarchiam adeptus fuerit, expulsis barbaris: contra vero eadem postea deserens, obrutus impietate perierit. Vt in vno Iustiniano, vnicuique principum sint exem-

IV. EIVS OPTIMA PRINCIPIA.

k l. 5. C. de Sum. Trin.

l Nouel. 86.

m Procop. de ædif. Iustin.

pla proposita de iis quæ sectentur vel fugiant, certis amplissimisque notis expressa. Agetur de singulis inferius suis quibusque locis.

V. DE BELLO PERSICO.

Huiusmodi igitur iactis ad stabilitatem Imperij fundamentis, iam auspicaturus Bellum Persicum, ex more legatos præmisit ad Regem Persarum Cabadem, ea petiturus quæ tibi iure debita esse constaret: quibus denegatis *Belisarium* Ducem aduersus eos cum exercitu misit; cui inter alios *Procopium* Cæsariensem consiliarium iunxit, eundem ipsum qui præsens cuncta conspicatus, eadem scriptis tradidit: quem consulat qui ea cupit. Porro sæpius per quadriennium ope diuina victis Persis, Narses Persa cum fratribus ad Romanos deficiens: donatus est à Iustiniano Quæsturæ munere. Post illud vero quadriennium, vario marte pugnatum est; quousque tandem Cabade Rege defuncto, cum eius filio Cosrhoë iustis legibus pacem composuit Iustinianus anno Imperij sui septimo. Duo vero inter cetera, eo bello notanda contigisse reperiuntur. Alterum quod Procopius refert, de Mirrhane Persarum duce; qui cum oblatam à Belisario pacem arroganter respuisset, Deorum suorum opem iactans, demum diuersis prælijs attritus, ab ipso suo Rege Cabade maximas sustinuit pœnas, ornatu imprimis illo priuatus, quo crines redimitos auro & margaritis gestare solebat; qui honor apud Persas omnium maximus, quem à Rege quis consequi posset, habebatur. Alterum autem memorabile habet Cyrillus huius temporis scriptor accuratissimus in Vita magni illius Theodosij Cœnobiarchæ, de Kerico, siue Cyriaco, vno ex Romani Ducibus exercitus maxime pio; qui cum incursionem facturus in Persas, visitare primum sancta Hierosolymorum loca statuisset, diuertens & ad Theodosium, cilicium quo sanctus interius induebatur, ab eo petens, & in prælio pro thorace induens, gloriosissimam diuinitus reportauit de hostibus victoriam, viso ipsomet Theodosio ei in pugna assistere.

VI. POPVLI DIVERSI AD FIDEM CONVERSI.

Sed & in hoc bello perficiendo, inter alia diuersorum populorum auxilia, Imperatorem vsum esse copiis *Erulorum*, *Blemyum*, atque *Nabatheorum*, qui tempore eiusdem Augusti ad fidem conuersi sunt; idem Procopius tradit. De Erulorum vero conuersione agunt pariter Euagrius *n* atque Nicephorus *o*, necnon auctor Miscellæ *p*; qui insuper addit de conuersione simili hoc ipso anno facta *Gerdæ* Regis Hunnorum qui sunt iuxta Bosphorum. Sed & habet idem Procopius *q* de populis *Tzanis* finitimis Armeniæ, sterilem penitus regionem, ac perpetua hieme oppressam, assiduisque niuibus irrigatam incolentibus; qui à Iustiniani ducibus deuicti, Christianam fidem amplexati sunt: & dimissis quibus solebant viuere latrociniis, humaniorem coluere vitam, ac Romanis aduersus hostes auxilio fuere. De quibus etiam meminit ipse Iustinianus *r* in rescripto ad Zetam Magistrum militum, cum agit de populis interioris Armeniæ: sed depraua te ibidem Anzitena prouincia, pro Tzanitena ponitur. Memorat quoque ex eodem Procopio Euagrius *s* *Abasgos* ad mitius humaniusque vitæ genus traductos iisdem temporibus fidem Christianam recepisse, Iustinianumque ex eunuchis aulicis quemdam Abasgum genere ad eos misisse, qui vetaret ne quisquam in ea gente deinceps eunuchus fieret, cum qui cubiculis Imperatorum inseruirent, plerumque ex ea sumi consueuissent. Porro de his agens Procopius, tradit eos habitasse apud montem Caucasum, ad quos & allusisse putat eius Iustinianum, dum in constitutione *ss* aduersus eos qui eunuchos facerent, ait barbaros simulatque ipsius de hoc audissent mandata ea custodiuisse, atque inolitam castrandorum puerorum consuetudinem dereliquisse. Quanto enim id vitæ periculo fieri soleret, docet idem ipse eadem constitutione, dum testatur, quosdam ex his qui euaserant incolumes, sub ipsius aspectu aliquando deposuisse, è nonaginta ægre tres seruatos esse. Quod vero rursum ad gentes sub Iustiniano conuersas spectat; meminit præterea Procopius *t* de quibusdam idololatris Ægypti populis, necnon Iudæis qui prope Boreum vrbem templum constituxerant, ad Christi religionem reductis, quamuis tempus quo ea acciderint non consignet.

VII. Hoc eodem anno Athalaricus Rex Italiæ sanctionem *u* edidit pro Romana Ecclesia, (quæ sub Gothis antiquorum iurium detrimentum patiebatur) ne illius clerici ad laicalia tribunalia aliquo prætextu traherentur, nisi forte Romanus Pontifex litigantium petitionibus prouidere cõtemneret. Qua constitutione cum & alia habeantur in laudem atque venerationem Apostolicæ Sedis; ipsius promulgatoris comparatione, hominis licet Ariani, si seipsos metiantur Principes Nouatores, plane inferiores ipso quam longissime inuenientur.

ATHALARICI EDICTVM PRO ECCLES. ROM. *u Ext. ap Cassiod. l. 8. ep. 24.*

Ab huius item anni Consulatu Mauortij, magnus ille *Dionysius* cognomento *Exiguus*, Paschalem Cyclum exorditus, ad nonaginta quinque annos perduxit; cuius fragmentum Marianus Scotus recitat, sub eodem Consulatu Mauortij. Fuit iste *Dionysius* natione Scytha, professione monachus, in vtraque lingua doctissimus, & sacrarum litterarum peritissimus; cuius mirificas laudes, & egregia scripta, pluribus celebrat Cassiodorus *x*, ipsius æqualis & studiorum consors. Ipsi autem debemus (vt testatur Beda *y*) quod in Cyclo suo annos non per Olympiadas, vel Consules aut Indictiones, siue annos Diocletiani, sed à Christi Domini nostri Incarnatione numerari cœpti sunt: quatenus (inquit Beda) exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est Passio redemptoris nostri, euidentius eluceret. Sed & Alexandrina Ecclesia, vna cum vniuersa Ægypto, detestata chronologiam illam, quæ ab impio & immani Christianorum hoste Diocletiano Imperatore, ex ipsius ea de re edicto promulgato deducebatur, quãque Græci calculatores vt plurimum obseruabant; illud præstitit, vt non à Diocletiano, sed à Martyrum tempore qui sub Diocletiani persecutione passi sunt, annorum computum deriuaret: quem hactenus apud eos vigere vsum, cernere licet in litteris *z* Gabrielis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem Papam Octauum scriptis.

VIII. DIONYSII EXIGVI CYCLVS.

x Cassiod. de d. n. lect. c. 23. y Bed. de rat. temp. cat. 45. ANNI NVMERARI COEPTI A CHRISTI INCARNATIONE.

z Rec. Bar. in Hist. leg. Alex. ad Clem. PP. VIII. in Append. Tom. VI. Annal.

[Initium Cycli Dionysiani collocant alii anno Christi 532 quod ipsemet Dionysius epistola ad Petronium Episcopum, notet annum Diocletiani 248. Quod autem ipse primus numerare cœpit annos à Christi Incarnatione, inde videas nihil certi constare de annis à Christo apud Eusebium, Hieronymum, & alios Chronographos Dionysio antiquiores, nisi prout colligitur ex Impp. successionibus per adiunctionem annorum quibus quisque regnauit, & per collationem cum Olymp. & Coss. ac proinde numeros illos siue series annorum Christi, quæ in prædictis Chronicis reperiuntur, fuisse recentius a librariis additas: sicut etiam pluribus docet Pontacus in Not. ad Euseb. Chron.]

Quod vero pertinet ad Collectionem & translationem Græcorum Canonum, à Dionysio factam; non id laboris idcirco ab eo susceptum scias, quod Latina Ecclesia hactenus caruisset iis canonibus; sed quod seu vitio Interpretis, seu librariorũ incuria, reperirentur valde mendosi: vt ipsemet testatur in epistola ad Stephanum Salonitanum Episcopum, (à quo petitus illud opus confecit) quam Cresconius Africanus Episcopus retulit in suam Collectionem, dum & ipsam Dionysij collectionem complexus est, subiecitq; eam quam eodem ferme tempore Ferrandus diaconus Carthaginiensis elaborauit, sed alio plane ordine, dum citando, non recitando, sub vnoquoque collegit capite omnes canones diuersorum Conciliorum qui de ea re tractantes reperirentur; quod opus iure Cresconius Breuiarium appellandum putauit. Sic igitur habes, post primam illam mendis scatentem canonum veterem collectionem, in idem opus primum omnium laborasse *Dionysium* Exiguũ, secundo loco † *Ferrandum* diaconum Carthaginensem, postea *Martinum* Episcopum Bracarensem, quarto vero loco *Cresconium*. Sed de his aliisque recentiorum Canonum Collectoribus rursum *a* inferius dicendum erit.

IX. DE COLLECTIONE DIONYSII, ALIORVMQVE.

† [Quid si Ferrandũ dixeris præcessisse Dionysium? Vide Perron. cont. Reg. Mag. Brit. lib. 1. c. 48. in fin.]

a An. 865. num. II. III.

His temporibus Franci bella gesserunt aduersus Thuringios, quorum Regem Hermenefrido Theodoricus Italiæ Rex nuptui tradiderat neptem suam, vt docent datæ ab eo tunc litteræ *b* ad eundem Regem. Mortuo vero eodem Theodorico, cuius patrocinio fouebatur, alius Theodoricus & Clotarius Clodouei Francorum olim Regis filij, aduersus eundem Hermenefridum ducentes exercitum, eum superatum occiderunt. Agit de his Gregorius *c*, & alij recentiores. Iuste autem hæc ipsum passum esse ob necem illa-

X.

b Ap. Cassiod. l. 4. ep. 1.

c Greg. Tur. l. 3. hist. Franc.

p Nicephor. lib. 17. c. 13. *q Procop. de Bel. Pers. lib. 1. et de ædif. Iustin. orat. 3. ap. Baron. an. 529.* *r l. vlt. C. de off. mag. mil.* *s Euagr. lib. 4. c. 21. ap. Baron. ibid.* *ss Nouel. 142.* *t Procop. de ædif. Iustin. orat. 6. ap. Baron. an. 550.*

illatam Berthario germano suo, vxoris Amalbergæ suasu, idem Gregorius pluribus docet. Duxit autem ex præda parta Clotarius sorte sibi obtingentem, captiuam filiam eiusdem Bertharij Regis defuncti, eamdemque cum ad annos nubiles peruenisset, sibi matrimonio iunxit: quæ quidem illa est magna *Radegundis*, celebris sanctitate Regina; de cuius captiuitate, custodia, sancta educatione, piissimis in ipsa infantia moribus, præsagiis eminentissimæ erigendæ sanctitatis perfectionis, ac denique inuitis nuptiis, agit pluribus Fortunatus *d* eiusdem temporis scriptor in Vita ipsius, ageturque etiam inferius de eadem.

DE S. RADEGVNDIS REGINÆ PRIMORDIIS.

d Ap. Sur. 13 Aug.

IESV CHRISTI AN. 528.

FELICIS IV. AN. 3.

IVSTINIA. IMP. 2.

ATHALAR. REG. 3.

ANno Christi quingentesimo vigesimo octauo, Iustiniano Aug. secundum Consule absque collega, idem Imperator sanctiones *a* edidit de electione, ordinatione, & assiduitate Episcoporum; deque eorundem, necnon xenodochiorum bonis ac redditibus; itemque contra raptores virginum, aliarumque feminarum. Quod autem singulis fere annis frequentissimæ sint leges de rebus sacris, Ecclesiasticisque personis, ab eo promulgatæ; non immerito à compluribus arguitur quasi rerum diuinarum inuasor, dum diuinis se miscuit qui humanis tantū præfectus esset rebus. Verum haud incongrue illud fortasse quis respondebit; cum ipse (vt ait Suidas) homo fuerit rudis omnium litterarum, & quod dici solet, analphabetus; cumque & Tribonianus, cuius potissimum opera in sanciendis legibus vtebatur, Ethnicus esset; par esse credere, omnes Ecclesiasticas Iustiniani Constitutiones, Epiphanij fuisse Episcopi Constantinopolitani, & eius qui in locum ipsius Mena successisset; quas libētius ipsi edi voluerint nomine Imperatoris, vt validioris essent obseruantiæ. Quibus adde, quod quæ ab eodem Augusto eo argumento sancita esse reperiuntur, eadem ipse ad sacras Patrum confirmandas regulas, stabilendosque canones, se agere consueuisse sæpissime *b* est contestatus: adeo vt plane in his non earum legum conditorem, sed canonum præ se ferret executorem. Neque est credibile, ipsum existimasse, Imperatoria potestate se posse leges præscribere Ecclesiæ ac sacerdotibus, qui ab eis (vt ex pluribus ipsius constitutionibus apparet) leges requireret, suasque eisdem subiiceret. Denique & Ioannes Papa, qui eius Imperij anno quinto sedere cœpit, ex ipsius legatorum relatione testatur, *c* ea quæ de fide idem promulgaret edicta, facere consueuisse interueniente Episcoporum consensu. At vero quæcunque tandem fuerit in his mens ipsius, quam sobrie rebus se immiscere Ecclesiasticis Christiani Principes debeant, magnum in exemplum cunctis idem esse potest Iustinianus, dum quisq; cōsideraverit, quo demum ipse peruenerit gressibus istis, pietatem maximam licet in omnibus præ se ferentibus. Quod autem accidit, vt cum diutius superuixerit, easdemque à se leges latas quam exactissime obseruari præceperit, inque suum Codicem redegerit; eædem vim quamdam acceperint, atque in canones ferme Ecclesiasticos frequenti vsu transierint: id quidem haud quis mirari debet. quæ enim iusta rectaque nouit sancita Ecclesia, etiamsi eorum non Christianus Princeps, sed Diocletianus aut quiuis alius persecutor Ecclesiæ, fuerit promulgator, minime respuere consueuit; sed ea suis legibus & decretis probare, nisi cum aliquid aduersus sacras leges ac bonos mores ab eis præsumptum est.

I

a l. 42. 43. C. de Epis. & cler. l. 3. C. de rapt. virg.

QVOMODO IVSTINIANVS DE REB. ECCLES. LEGES SANCIVERIT.

ECCLESIA NON RESPVIT LEGES RECTAS, AB IMPIIS LATAS.

b Nou. 5 6. 123. 133. 137 &c.

Hoc eodem anno, qui tertius *d* numeratur à priori terræmotu Antiocheno, rursum grauioribus impulsibus eadem ciuitas agitata, dire admodum concuti cœpit; sed Dei ope subuentum est ne funditus periret, dum visione quidam monitus hæc verba pro foribus inscribere, *Christus nobiscum, state*; quicunque ea domibus suis inscripserunt, terræmotum ab eis dispulerunt; vt tradunt Auctor Miscellæ, *e* Cedrenus *f*, Nicephorus *g*, & alij. Quorum insuper, necnon Euagrij *h* omnium antiquissimi sententia illud affirmatur, tunc nouum esse inditum Antiochenæ ciuitati nomen, vt *Theopolis* diceretur: ita enim in Constitutionibus Iustiniani ab hoc tempore promulgatis, aliisque antiquis monumētis dictam reperies. Verum eadem postea sub eodem Iustiniano, ab irruente Cosrhoë Persarum Rege capta est, & incendio tradita. Vt plane cognitum sit, haud fuisse satis mutasse nomen, nisi & doctrinæ ab hæreticis depravatæ, & morum corruptissimorum subsecuta esset correctio; qua deficiente, eadem omnium Orientalium florentissima olim ciuitas, immensis attrita est cladibus, & suis sepulta ruinis.

II.

d Euagr. lib. 4. c. 6.

DIVINVM REMEDIŪ IN TERRÆM. ANTIOCH.

c Miscel. lib. 16.

f Cedr. in Annal.

g Niceph. lib. 17. c. 3.

h Euagr. d. c. 6.

ANTIOCHIA DICTA THEOPOLIS.

IESV CHRISTI AN. 529.

FELICIS IV. AN. 4.

IVSTINI IMP. 3.

ATHALAR. REG. 4.

ANnvs Domini quingentesimus vigesimus nonus Basilij Iunioris absq; collega annotatur in Fastis Panuini, præter antiquiorum auctoritatem. Namq; Cassiodorus Decium tantum habet, Occidentalem Consulem ponens; & Marcellinus Orientalem, Iustinianum solum. Sane quidem hunc illum esse Consulatum Decij Iunioris, quem habent Acta Concilij Arausicani posterioris, plura sunt quæ demōstrēt; quorum ignoratione factum est, vt Conciliorum Collector, & alij, male retulerint ad tempora Leonis vel Hilari Romanorum Pontificum. Cæsarium enim Episcopum Arelatensem qui ei præfuit Concilio, haud illis temporibus se disse Episcopum docent quæ superius variis locis de ipso dicta sunt: quem & peruenisse ad annum Christi quingentesimum quadragesimum quartum, dicetur inferius. Insuper tempus ipsum Liberij Patricij Præfecti Galliarum, qui huic Arausicano Concilio subscripsisse reperitur, vt error cognoscatur admonet. Sed illud imprimis aduertendum, falso referri eidem interfuisse Concilio quatuor Præfectos Prætorio, vt textus deprauatus habet. Nam vt Codex Vaticanus docet, quatuor sunt illa nomina personæ vnius, nempe Petrus Marcellinus Felix Liberius, sicut Lucius Aurelius Auianus Symmachus, & alia plura id genus: & in ipsius Synodi exordio, non quatuor qui interfuerint ibi Præfecti, sed vnus dumtaxat Liberius Patricius nominatur: ac denique hoc tempore Athalarici Regis, non quatuor Præfectos Galliam administrasse, sed vnum hunc Liberium, patet ex eiusdem Regis *a* epistola ad eundem Liberium data. Qui quidem ille ipse esse Liberius inuenitur, cui Theodoricus Athalarici prædecessor eiusdem Galliarum Præfecturæ fasces antea crediderat; quique inter alia præclare ab ipso, bello paceque in Italia, Gallia, & alibi gesta, commendatus ex eo habetur *b* quod Italos Gothis consociarit, tertia agrorum parte illis concessa.

I.

DE TEMPORE CONCILII ARAVSIC. POSTER. [Quod quidē primo Baron. collocauerat an. 463. Sicut & duo illa, quæ huic subdūtur, nempe Vasense, & Carpentoratense. Sed postea in Addit. Tomi X. voluit ea in hunc an. 529. trāsferri.]

a Ap. Cassiod. lib. 8. ep. 6.

b Ibid. 2. ep. 15. ad Sen.

II.

OCCASIO EIVS CELEBRANDI.

Quod vero ad ipsum Concilium Arausicanum spectat; eius celebrandi auctor fuisse videtur Felix Pontifex qui hoc tempore Romanam regebat Ecclesiam; permotus ipse scriptis eiusdem S. Cæsarij, quæ his diebus miserat ad ipsum Felicem de Gratia & Libero arbitrio, aduersus Fausti Regiensis libros eiusdem argumenti, de quibus supra; quæque agnita ipse Felix nō solum probauit, sed etiam (vt tradit Gennadius *c*) per suam epistolam roborauit, vulgandaque vbique curauit. Non extant illa quidem; sed quanta fuerint, ex Romani Pontificis addita illis epistola coniectare licet. Ea vero de re editi sunt pariter in eadem Synodo canones viginti quinque, ex antiquorum Patrum definitionibus excerpti, qui maxime conformes reperiuntur doctrinæ S. Augustini, cuius etiam Apostolica Sedes (vt superius vidimus) se professa est de Gratia & Libero arbitrio probare sententiam. Vt autem hoc potissimum tempore, & Arausici, Patres conuenerint, id inde accidit, quod in eandem ciuitatem à

c Gennad. de Script. Eccl. c. 86.

Liberio Præfecto vocati fuissent ad dedicationem ecclesiæ quam ipse illic construxerat: à quo etiam & aliis viris illustribus qui iisdem sacris Encæniis interfuere decreta sua Patres subscriptione firmari voluerunt, vt suo ipsorum obstricti tenerentur chirographo, ne fallacibus hæreticorum artibus aditus aliqua ex parte pateret.

III. CONCIL. VASENSE. d *Supr. an. 442. III.* CONCIL. CARPENTORATENSE. *De cuius tempore vide quæ dixi supra ad an. 524. in fin.*

Sub eiusdem quoque Decij Iunioris Consulatu, celebratum in eadem prouincia reperitur VASENSE seu *Vasionense* CONCILIVM mense Nouembris, cui itidem Cæsarius præfuit, interfueruntque alij plures ex iisdem Episcopis, qui præcedenti Arausicano. Eius vero Acta confusa fuisse cum aliis Vasensibus, sat alias *d* dictum est. Quod autem iidem ferme omnes Episcopi etiam CONCILIO CARPENTORATENSI interfuisse reperiuntur, facile conicere possumus illud circa eadem tempora collectum esse; cum alioqui celebrati conuentus dies desiderentur & Coss. Inter Episcopos autem reperitur fuisse *Eucherius* Iunior Episcopus Lugdunensis, cuius superius facta est mentio cum actum est de Seniore. Adfuit etiam *Prosper*, sed longe ab illo diuersus, qui Aquitanus dictus, Leonis Papæ scitur vixisse temporibus: itemque ab illo Aurelianensi Episcopo, cuius facta est superius mentio ex Sidonio. Ex ipsis vero huius Synodi Actis, illud tantum reperitur sancitum ibi decretum, de Bonis oblatis Ecclesiis parochialibus, quidnam & quantum ex eis sibi vendicare Episcopis liceat. Sed & Synodalis extat inde data epistola ad Agrecium Episcopum, qua significatur, sententia Patrum ipsum esse suspensum per annū à celebratione Missarum, ob perperam factam ab eo ordinationem, & quod ad dicendam causam vocatus ad Synodum, venire recusasset, nec quemquam suo loco misisset.

IV. S. FVLGENTII OBITVS. e *Ap. Sur. 1. Ianuar.*

Hoc eodem anno ipsis Calendis Ianuarij, summum illud ac pene vltimum Africanæ Ecclesiæ decus, Fulgentius Ruspensis Episcopus, doctrina & sanctitate mirabilis, optatum diu, ante præcognitum, præsenti vitæ finem lætus imposuit. Qui quidem (vt ait Rerum ab eo gestarum scriptor *e* ipsius discipulus) ante annum ferme quam de sæculo isto raperetur, profunda cordis compunctione permotus, relictis Ecclesiasticis occupationibus, secessit in insulam, & in quodam breui scopulo, vbi iam monasterium fabricari mādauerat, lectioni, & orationi ac ieiuniis plus solito vacauit. Inde vero ob murmurantes de eius absentia Fratres reuersus ad monasterium, cui se post reditum ab exilio incluserat in cidit repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones: vbi septuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc solum frequenter dicebat, *Domine da mihi modo patientiam, postea indulgentiam*: nec ab isto sermone aliquando cessauit, siue dolor affligeret, siue febris intenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis, vt lauacris balneariis vteretur: *Nunquid balnea*, inquit *facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore, moriatur? Si vero proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi, obsecro, persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam?* Demū venia à suis monachis petita, si forte molestus & difficilis iis extitisset, & omni reliqua pecunia iussa indigentibus distribui, placide obdormiuit in Domino, anno ætatis suæ sexagesimo quinto, Episcopatus vigesimoquinto. Quod vero spectat ad locupletem hæreditatem Scriptorum eius; quæ Isidori tempore adhuc restabant, idem Isidorus *f* recensuit; cum plures alias egregias lucubrationes edidisset, quæ iam tunc perierant. Constatque insuper testificatione Ferrandi diaconi Carthaginiensis, (qui & ipse Fulgentij extitit discipulus) eundem in extremis vitæ momentis absoluisse tractatum ad Reginum Comitem, de quæstione illa famosa Alexandriæ (vt vidimus) agitata, vtrum Christi caro corruptibilis an incorruptibilis sit.

ÆGROTĀTIS VERBA. f *Isid. de Script. Eccl. c. 14.*

V. S. BENED. CASSINVM PETIT. g *Greg. dial. lib. 2.*

Hoc item anno magnus ille *S. Benedictus*, de cuius initiis dictum est superius, ex angustiis Sublacensium montium diuino monitu egressus, *Casinum* petens, ad cuius montis radices erat sita villa Marci Varronis, illic erecto cœnobio monasticum ordinem (quem iam antea satis dilatauerat extructis pluribus monasteriis) mirifice propagauit, cum iam ille in Oriente magna ex parte per hæreses & delicias collapsus esset. Agit de his Gregorius Papa in Dialogis *g*, vbi res ab eodem Benedicto præclare gestas, obtentasque aduersus diabolum victorias, atque ingentia edita miracula recenset

De tempore vero quo Casinum venit, id firmatum habes ex Casinensi veteri Chronico, atque ex Leone Ostiensi Episcopo, itemque ex scriptore Actorum *h* S. Placidi.

h *Ap. Sur. 5. Octob.*

Sub eodem pariter Decij Consulatu, Iustinianus Imp. quem anno superiori dederat *i* colligendum emendandumque *Codicem* ex tribus antiquis Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano iam absolutum, suoque nomine *Iustinianeum* appellatum, confirmauit *k*, vulgauitque. Ad quem laborem cum decem viros constituisset; qui præ ceteris in opus insudasse visus est, fuit *Tribonianus* Quæstor, Pamphilius genere; quem Procopius *l* & Suidas aiunt, disciplina quidem omnium artium nulli suæ ætatis fuisse secundum, sed pecuniæ ad miraculum extitisse auidum, ideoque ius pretio vendere solitum, ac præ auctoritate qua apud Iustinianum pollebat, leges quotidie pro cuiusque necessitate accepto pretio ad libitum condere vel antiquare. Addit vero Suidas, eum Ethnicum fuisse & impium, adeoque Iustiniano adulatum, vt persuadere illi conatus sit, eum non moriturum, sed cum carne in cœlum assumptum iri. quod ipsum testatur etiam Hesychius Milesius, de Philosophis scribens. *Ioannem* autem Patricium ac Præfectum Prætorio, qui primus omnium recensetur Decemuirorum, genere Cappadocem fuisse, artiumque liberalium ac disciplinæ omnis expertem, impium, auarum, crudelem, ac perfidum, aliisque omnibus vitiis inquinatum, Procopius *m* est auctor. Ex quibus videas, quales homines sanciuerint Imperio Romano Leges.

VI. i *Constit. de nouo Cod. fac.* EDITIO CODICIS IVSTINIANEI. k *Constit. de Iustin. Cod. confir.* l *Procop. de Bel. Pers. lib. 1.* DE TRIBONIO. DE IOANNE CAPADOCE. m *Id. ibid.*

IESV CHRISTI AN. 530.

BONIFACII II. AN. 1.

IVSTINIA. IMP. 4.

ATHALAR. REG. 5.

I. OBITVS FELICIS PAPÆ.

ANno Christi quingentesimo trigesimo, Lampadio atque Oreste Coss. ad quartū Idus Octōbris *S. Felix* Romanus Pontifex ex hac vita decessit, vbi sedisset annos quatuor, menses duos, dies decem & octo: sepultusque est in basilica S. Petri. Cuius postquam sedes vacasset tres dies, (vt quidem habet Anastasius; cum alioqui legatur alicubi vacasse mensem vnum & dies quindecim, habita consideratione ad tempus schismatis, quando tandem ab omnibus cognitus est Bonifacius legitimus Pontifex.) in basilica Iulij creatus est in locum eius, BONIFACIVS huius nominis secundus, patria Romanus, patre Sigisvultho: ex quo patris nomine conicere possumus, eum, etsi natus Romæ, genere tamen fuisse Gothum. Aduersus quem in schismate erectus est in basilica Constantiniana *Dioscorus* diaconus: sed Dei beneficio accidit, vt isto post aliquot hebdomadas morte præuento, extingueretur & schisma. Porro Dioscorum magnopere simoniæ crimine infamatum fuisse, eaque de causa post mortem à Bonifacio anathematizatum, testatur Iustinianus Imp. in edicto *a* inscripto ad Ioannem Pontificem, sed ad Vigilium dato. Quod tamen Bonifacij decretum ab Agapeto postea Papa abolitum, Dioscorumque iniuste damnatum absolutum esse, Anastasius *b* Bibliothecarius est auctor. Quæ vero legitur in Collectione Conciliorum nomine Iustini Imp. ad Bonifacium Papam fidei professio, ex multis vitiosa deregitur: sicut & Epistola illa, quæ nomine eiusdem Bonifacij legitur data ad Eulalium Episcopum Alexandrinum, quæ multa absurda continet.

BONIFACII ELECTIO. DIOSCORVS SCHISMATICVS. a *Ext. Tom. Concil.* b *Anast. in Agap.*

II. HILDERICVS REX WANDALORVM CAPTIVVS.

Hoc eodem anno Hildericus Rex Wandalorum in Africa, à Gilimere fratre consobrino, Genserici filio, ac Genserici nepote, regnandi cupidissimo, calumniose apud Wādalos accusatus proditoriæ cum Imperatore collusionis; ab iisdem coniectus est in vincula, cum iam annos septem regnasset, ipseque Gilimer in eius locum Rex est electus. Quod vbi Iustinianus audiuit, per legatos Gilimerem interpellauit de restituendo in regnum Hilderico aut saltem

Constan-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Constantinopolim mittendo; ac postea eidem hæc negligenti bellum comminatus est. Quæ fusius Procopius *c*; reliqua inferius.

c Procop. de Bel. Vand. lib. 1.

III. IVSTIN. EXAGITAT HÆRETICOS.

Sub iisdem pariter Coss. Iustinianus Imper. sanctionem *d* edidit de successione bonorum hæreticorum; vt eam soli ipsorum filij Orthodoxi sibi vendicent, hæretici autem omnino repellantur; & vt parentes hæretici cogantur alere filios Orthodoxos. Cum vero ea constitutione inter alias hæreticorum sectas adnumeret *Samaritas* seu Samaritanos, plane eiusdem visus est meminisse Cyrillus *e* in Vita S. Sabæ, dum ait Iustinianum de Samaritanis Palæstinæ legem tulisse, ne essent alter alterius heredes; ne per successiones, opes illorum crescerent: eamque vt promulgaret, Sabam ei auctorem extitisse, cum iisdem Samaritanis, creato sibi Rege, Palæstinam Episcoporum aliorumque Ecclesiæ ministrorum, atque omnis generis Christianorum cædibus, & Ecclesiarum incendiis, diriſſime infestantibus, ipse à Patriarcha Hierosolymitano impulsus, licet iam nonagenario maior, (quippe qui anno sequenti mortuus reperitur annos natus nonaginta duos) Iustinianum adiit; à quo honorificentissime, tamquam vnus ex Angelis Dei, non solum virorum illustrium, sed etiam Patriarchæ Epiphanij occursu, ipsiusmetque Imperatoris, necnon & Imperatricis, ob visum eius caput splendente corona decoratum, veneratione & adoratione exceptus, quæcumque voluit obtinuit, cum aduersus furorem hæreticorum, tum in fauorem Catholicorum; atque inter alia, multarum reædificationem veterum ecclesiarum, nouarumque erectionem: eique ipse pro remuneratione pollicitus est Africæ & Italiæ recuperationem. qui tamen Augustum Theodorũ instantissime petentem, vt quæ sterilis erat, eius precibus fieret mater filiorum, tristem cum repulsa dimisit; quod (vt dicebat) nollet Deus aliquem fructum ex ea edi, ne ipse quoque gustaret Seueri dogmata, & deteriores quam prius sub Anastasio, tumultus conturbarent Ecclesiam: his plane foris prodens quod intus Theodora occultabat, nempe ipsam addictam hæresi Seuerianæ; sicuti & euenta postea declararunt. At hæc fusius Cyrillus. Quod vero ad Samaritanos spectat; haud hic finis pugnæ Imperatoris aduersus illorum improbitatem, quos aliis postea opus fuit legibus *f* perurgeri, de quibus dicetur inferius. De eorundem vero præcedentibus sub Zenone & Anastasio Aug. seditionibus, sceleribusque, agit etiam Procopius *g*.

d l. 19. C. de haret.

e dp. Sur. 5. Dec.

DE SAMAR. HÆRETICOR. SCELERIBVS.

f Nouel. 45. & alibi.

g Procop. de aed. Iust. erat. 5.

Quod autem pertinet ad Ædificia sacra, Sabæ suasu à Iustiniano in Palæstina & adiacentibus locis erecta vel restaurata, atque redditibus locupletata; descripsit illa accuratius idem Procopius *h*, ac præcipue constructum Hierosolymis Deiparæ templum, magnitudine & magnificentia nulli secundum; quod & miraculo illustrarum est inuentæ recens ad columnas ei suffulciendo excidendas lapidicinæ. Hoc vero pium Imperatoris studium subditi quoque adeo sunt imitati, vt vix reperiri quis esset, qui nisi erigendi ecclesiam facultas sibi suppeteret, saltem ex suis bonis aliquid decedens non legaret ecclesiis, vel etiam ex asse institueret illas heredes. Indeque accidit, vt iisdem huius anni Coss. idem Imp. decimotertio Cal. Nouemb. sanctionem *i* promulgarit, qua declarauit, vt si quis in testamẽto CHRISTVM exasse, vel semisse, aut aliter hæredem instituisset, ecclesiæ illius loci caperent hæreditatem, ita tamen vt ad pauperum alimoniam conferrent. itemque definiuit, si quis aliquem Archangelorum, vel Martyrum, reliquisset heredem, quid agendum in ambiguis esset. Sed de his modo satis: res iam petamus Occidentales.

IV. ÆDIFICIA SACRA ERECTA.

h Procop. ib.

i Ext. in lib. 1 tract. misc. post Cod. Iust. t. 16.

Hoc tempore Theodoricus Rex Francorum expeditionem parauit aduersus Gothos agentes in Galliis: Sigeberti que assertione expressum habetur, hoc anno Francos vendicasse sibi quæ in Gallia Gothi sub Theodorico Italiæ Rege occupauerant. Verum tamen non hoc tempore id accidisse, significare videntur literæ Cassiodori *k*. quas scripsit cum ab Athalarico Rege collatum post tres annos gessit ipse Romæ munus Præfecturæ Prætorianæ; in quod tempus perseuerauerat pro Gothis in Galliæ Narbonensis administratione Liberius Præfectus Prætorio. Denique Procopius *l* diserte testatur, Francos ditione Gothorum in Galliis potitos esse sub Theodato eorundem Gothorum Rege; qui vt ipsos Francos contra Græcos incitaret, quæ in Galliis possidebat cessit eis: cum alioqui & Wisigothi qui in Hispania regnabant sub Amalarico Rege, aliam partem possiderent Galliæ Narbonensis, secundum diuisionem quam post obitum Theodorici vidimus factam inter eosdem Athalaricum & Amalaricum: quam eandem iisdem Wisigothis abstulisse Francos post occisum Amalaricum, idem Procopius tradit. Sed & quod ex iisdem Cassiodori litteris, quæ scriptæ habentur Indictione duodecima, videlicet anno Domini quingentesimo trigesimo septimo, plane constat ante illud tempus Theodoricum Francorum Regem morbo defunctum esse; inde quoque eundem redarguas Sigebertum, dum illius obitum refert anno quingentesimo trigesimo septimo; atque alios *m*, qui eundem annos viginti duos vel viginti tres regnasse tradiderunt.

V. FRANCI QVO TEMPORE GOTHOS E GALLIA EXPVLERINT.

k Cassiod. l. 10. ep. 1.

l Procop. de Bel. Goth. lib. 1.

m Greg. Tur. 3. de Gest. Franc. 23.

Porro laudatur Theodorici pietas & iustitia, cum in aliis rebus, tum aduersus inuasores rerum Ecclesiasticarum, à Gregorio Turonensi tam in rebus *n* gestis Francorum, quã in Vita *S. Nicetii*; quem virum sanctissimum, ac zelo fidei & iustitiæ præstantissimum, miraculisque clarissimum, professione monachum, Theodoricus licet sæpe passus acerrimum vitiorum suorum reprehensorem, præficiendum curauerat Ecclesiæ Treuerensi. Cuius etiam censura correctum & emendatum Theodobertum, filium ac successorem Theodorici, ac meliori frugi redditum, cum initio male administrare regnum cœpisset; ex variis eiusdem Gregorij *o* scriptis certum redditur. Sed de Nicetio rursum inferius. Hic tamen haud omittendum, quod de eius ortu Gregorius narrat; nempe cum partu fuisset effusus, omne caput eius (vt est consuetudo nascentium infantium) à capillis nudum visum esse, in circuitu vero modicorum pilorum ordinem apparuisse; vt putares coronam clericiab eisdem esse figuratam. Iremque, post quam in Episcopum ordinatus est, in cathedra sua sensisse nescio quid graue super ceruicẽ suam: eumque bis aut ter manum clam ad tentandum iniecisset, nullius rei causam inuenire potuisse, quæ hoc pondus inferret: diuertentemque caput ad dexteram & lævam, odoratum esse odorem suauitatis: & intellexisse hoc onus esse sacerdotij ipsius dignitatem.

n ibid. c. 12. DE S. NICETIO TRAVER.

o ibid. c. 25. & 34. In Vit. S. Nicet. & de glor. Confess. c. 93.

IESV CHRISTI AN. 531.

BONIFACII II. AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 5.

ATHALAR. REG. 6.

I.

ANNVS Christi quingentesimus trigesimus primus, vacuus Consulibus ordinariis, Post Consulatum præcedentium Lampadii & Orestis inscribitur. Quo *Romæ* in basilica S. Petri à Bonifacio Papa collecta est *Synodus*, in qua idem Vigilium diaconum, hoc ambitiose quærentem, successorem sibi delegit. Narrat hæc breuiter Anastasius. Quod enim (vt superius dictum est) Gothorum Reges Italiæ dominantes, impie sibi vendicassent Romani Pontificis electionem; vt eiusmodi præsumptam licentiam ab illis Romana Ecclesia eriperet, hoc prætextu visus est Bonifacius nouam istam & à prædecessoribus hactenus intentatam viam aggredi. Verum hoc licet speciem iustitiæ aliquam præseferret, tamen quod contra canones factum esset, continuo alia iterum (vt Anastasius addit) facta *Synodo*, tam ab ipso Bonifacio, quam ab aliis cunctis Patribus improbatum est atque rescissum: in quod etiam postea Siluerius *a*, aliique successores Romani Pontifices declamarunt. Sed & quam illud Deo ipsi displicuerit, manifestatum est, cum ad aliorum exemplum eundem *Bonifacium* cito ex hac vita subtraxit; nimirum, vt idem habet auctor, die decimaseptima Octobris huius anni; quem & sepultum ait in Basilica S. Petri. Quod autem addit, sedem vacasse menses duos ac dies quindecim; cum sic dicendum esset, successorem creatum fuisse in principio anni sequentis, erroris ipse arguitur ex inscriptione *b* Tituli Eudoxiæ, (quæ est Ecclesia

NON DEBENT ROM. PONTIF. SIBI ELIGERE SVCCESSORES.

a Siluer. ep. ad Vigil. To. 2. Conc. BONIF. PAPÆ OBITVS.

b Hab. Biron. Annal. Tom. VII. hoc an. IOANNES II. CRATIO

S. Petri ad Vincula dicta) vbi eius successor ponitur sedere cœpisse hoc ipso anno, Post consulatum Lampadij & Orestis. Qui quidem fuit IOANNES huius nominis Secundus, cognomento *Mercurius*, patria Romanus, filius Proiecti de Cælio monte, ex presbytero Tituli S. Clementis creatus Pontifex.

II. AMALARICVS OCCIDITVR A FRANCIS.

Hoc eodem anno, quo absoluitur quintus & vltimus Amalarici Regis Gothorum in Hispania (qui à Childeberto Francorum Rege Clodouei filio Parisiis regnante, bello siue in Hispania, siue apud Narbonem appetitus, quod sororem eius Crotildem feminam Catholicam, Arianus ipse Catholicis infensissimus vxorem ductam, ob religionem pessime haberet *c*, occisus est; ipseque Childebertus magnos ex eo bello thesauros sacros & profanos asportauit:) & primus incipit numerari Theudis eiusdem Amalarici successoris, qui licet Arianus, tamen bene habuit Orthodoxos, vt S. Isidorus affirmat; celebratum reperitur CONCILIVM TOLETANVM, dictum Secundum, sub *Montano* eiusdem ciuitatis Archiepiscopo, doctrina conspicuo, & sanctitate illustri; quam & aliquando Deus miraculo *d* igneo ad explosionem infamiæ ipsi illatæ confirmare voluit, dum videlicet tamdiu prunas tenuit vestimentis ardentes, donec coram sedis suæ altari sacro, totius Missæ celebritatē per semetipsum expleret; qua peracta, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem. Cum eo vero interfuerunt eidem Synodo septem alij Episcopi; sed si numero pauci, virtute atque eruditione præstantes: inter quos enituit *Iustus* Vrgelitanus, non solum & ipse clarus inter Scriptores Ecclesiasticos, sed & trium germanorum, itidem Episcoporum, & æque disertorum, collegio illustrior redditus; nempe *Iustiniani* Episcopi Valentini *Nebridii*, & *Helpidii*: de quorum scriptis agens Isidorus *e*, inter alia ait, Iustinianum scripsisse contra *Bonosiacos* hæreticos, qui Christum adoptiuum, & non proprium asserebant. Sed periere præclara horum omnium virorum illustrium monumenta, præter Iusti *f* opus in Cantica Canticorum. Porro ab iis qui prędictæ Synodo interfuerunt, quinque reperiuntur sanciti canones ad disciplinam Ecclesiasticam illustrādam, & mores Fidelium informandos. Præter hanc vero, aliam quoque *Palentiæ* in eadem prouincia Toletana celebratam esse, docet eiusdem Montani epistola *ff* ad Turibium data, vbi de rebus in ea gestis agitur.

c Narrant hæc Gregor. Tur. 3. de Gest. Franc. 10 Isidor. in Chron. Gothor. necnon Procop. lib. 1 de Bel. Goth. qui tamen ea perperam Theodeberto, nō Childeberto tribuit.

CONCIL. TOLET. II. d Aldefons. de Vir. Illustr.

QVATVOR FRATRES EPISCOPI. e Isid. de Vir. Illustr. c. 20. 21 Sp. Bar. hoc an. & 548 BONOSIACI HÆRET. f Ext. in Bibl. Patr. CONCIL. PALENT. ff Ap. Garsf. Loaisf.

Quod autem pertinet ad statum rerum Orientalium huius anni; Marcellinus refert, Mense Ianuarij factam esse conspirationem aduersus Iustinianum Imp. Hypatio, Pompeio & Probo, genere consobrinis, Anastasij Imp. nepotibus, singulis Imperium sibi vendicare volentibus: eosque per quinque continuos dies vrbem Constantinopolitanam rapinis ferro, igneque, per sceleratos ciues depopulatos esse; quinta vero die, dum ad inuadendum ascenderent Palatium, captos ac trucidatos esse, innumeris passim in Circo populis peremptis & tyrannorum sociis continuo proscriptis. Hæc Marcellinus *g*; quæ à Procopio *h* fusius enarrantur: affirmatque coactum fuisse Iustinianum acclamanti populo satisfacere, in deponendis à magistratu Ioanne atque Triboniano; sed eo cessante tumultu, eosdem restituros esse; tantam autem fuisse, præter incendia & prædam, hominum cædem, vt desiderata fuerint triginta millia. His autem putamus permotum Iustinianum, præcauentem in futurum, Nouellam *i* edixisse sanctionem, qua armorum vsum à priuatis adimere conatus est, dum prohibuit ne quis priuatus esset armifactor, ac ne qui publico operi in armis faciendis inseruirent, venderent ea priuatis.

III. CONIVRATIO CONTRA IVSTINIA. IMP.

g Marcel. in Chron. h Procop. lib 1 de Bel. Persic.

i Nouel. 85.

Hoc item anno à Mariano Scoto consignatur Inuentio corporis *S. Antonii* Magni in eremo, & Translatio Alexandriam; etsi alij in alios Christi annos hæc referant. Sed cum ea de re huius temporis scriptorum testimonia desint; cui magis quam dicto auctori assentiamus, haud est liberum definire.

IV. INVENTIO CORPORIS S. ANTON.

IESV CHRISTI AN. 532.

IOANNIS II. AN. 1.

IVSTINIA. IMP. 6.

ATHALAR. REG. 7.

ANNO Christi quingentesimo trigesimo secundo, absque nouis Coss. creatis Post Consulatum Lampadij & Orestis secundo notato in Fastis, quo Iustiniani sextus inchoatur; idem Imperator quem animo conceperat ad bellum Wandalicum apparatum, iam palam prodidit, multis ad hoc rationibus, prædictionibus, atque visionibus incitatus; cum alioqui essent quam plurima, quæ illum ab eo consilio dimouere potuissent: laboratumque est toto hoc anno in comparandis rebus ad tantam expeditionem necessariis, Belisario nauiter in opus incumbēte, quem rei bellicæ peritissimum ducem Iustinianus exercitui præfecit. Tractantur vero hæc fusius à Procopio *a*: simulque obsequia describuntur, quibus Imperator promereri studuit opem Sanctorum, ac præcipue cœlestis militiæ Principis Michaelis, cœlique Reginæ Dei genitricis MARIÆ, cuius studiosissimus erat.

I. IVSTIN. BELLVM WANDAL. PARAT.

a Procop. de Bel. Wandal. lib. 1.

Hoc eodem anno inualescentibus Origenistis in Palæstina, qui per centum annos delituerant, magna facta est perturbatio Orthodoxis. Quæ incipiens à quibusdam pseudomonachis, (quorum præcipui extitere *Nonnus* quidam Palæstinus, speciem præferens pietatis, infectus autem præter alias hæreses etiam Gentilismo & Manichæismo, atque ei impietate haud impar *Leontius* Byzantinus;) & inde longe lateque se extendens, ingentem vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ intulit cladem, vsque ad Quintam Synodum, in qua iidem vna cum auctore Origene, nec non Theodoro Mopsuesteno, cuius æque dogmata iidem impij monachi propugnabant, damnati sunt. Idque isti profecerunt, vt qui hactenus in Ecclesia toleratus fuisset Origenes, cum errores in eius scriptis reperti tantummodo à maioribus damnarentur; post hæc nomen ipsius execrabile fit redditum, ipseque (vt videbitur) damnatus à Patribus in Concilio, post annos ab eius obitu ferme trecentos: de cuius etiam ad inferos vna cum aliis hæresiarchis damnatione, ostensa *b* traditur hoc ipso tempore diuinitus visio. Exordia autem atque progressus motuum ab eiusmodo pseudomonachis excitatorum, fuse descripsit Cyrillus in rebus *c* gestis SS. Sabæ Quiriaci; qui ambo vna cum aliis sanctissimis monachis, egregiam nauauere operam in iisdem hæreticis confundendis, & à monasteriis quæ corrumpere satagebant procul expellendis.

II. ORIGENISTÆ HÆRETICI RVRSVM EMERGVNT.

b Prat. spir. c. 28.

c Ap. Sur. 5. Dec. & 29. Sept.

His quoque temporibus, Iustinianus Imp. solicitus omnes hæreticos ad Ecclesiam Catholicam reuocare, sciens impiissimi Seueri sectatores Episcopos & monachos adhuc in Oriente eius hæresis esse pertinaces defensores; ad errorem extirpandum, Collationem inter ipsos atque Catholicos habendam censuit Constantinopoli, sex ex Seuerianis vocatis Episcopis,, Orthodoxis vero quinque pro Catholicæ fidei defensione ex aduerso stantibus: cuius Acta Collationis ab Innocentio Maroniæ Episcopo, vno ex Catholicæ partis Antistitibus, scriptis mandata, iam alta obliuione sepulta, nuper in lucem *d* prodiere: ex ea vero factum est, vt multi ad communionem Ecclesiæ redirent, plurimis tamen adhuc in errore permanentibus.

III. COLLATIO INTER ORTHOD. ET SEVERIANOS HÆRET.

d Rec. Baron. Tom. VII hoc an. accepta à Nicol. Fabro

IESV CHRISTI AN. 533.

IOANNIS II. AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 7.

ATHALAR. REG. 8.

ANNO Christi quingentesimo trigesimo tertio, Iustiniano Augusto tertium Consule, idem Imperator auspicaturus perdifficile bellum Wandalicum, non alunde magis

I. LEGATIO A IVSTI-

quam

quam ex bene custodita Catholica religione, exéplo Theodosii Senioris maxime pii Imperatoris, conciliare sibi diuinum numen contendens; eius rei gratia, hoc anno ad Ioannem Romanum Pontificem honorificam legationem misit duorum primariorum Orientis Episcoporum, Hypatii Ephesini, & Demetrii Philippensis; cuius meminit Liberatus *a*, qui Romæ tunc affuit; necnon Anastasius *b* Bibliothecarius, qui etiam addit de muneribus à Iustiniano tunc ad B. Petrum missis. Legationis autem mittendæ hæc fuit occasio.

II. OCCASIO LEGATIONIS.

Cum aduersus hæreticos Eutychianos, dolis fidem Catholicam inuadentes, (vt vidimus sub Hormisda) reiectam illam sententiam Nestoriani pariter hæretici auditent, qua diceretur vnus de Trinitate esse passus in carne; perinde ac si secundum suam ipsorum doctrinam duplex assereretur esse Christi persona, sicut & naturæ duæ humana atque diuina, & sic dici videretur passus homo, vt negaretur Deus esse passus in carne: mox illud quasi ex necessaria assumptione iidē collegerunt, Si non est passus vnus de Trinitate in carne, ergo nec natus idem in carne; ergo nec vere ac proprie dici potest Maria Dei-genitrix; quæ fuerat præcipua Nestorii hæresis. His accedebat, quod (vt diximus) è latebris emergentes Origenistæ, inter alias quas proponerent sententias, illa erat (sicut habet Cyrillus *c* monachus) vt negarent Christum vnum de Trinitate fuisse. Econtra vero Orthodoxi aduersus Nestorianos & Origenistas pugnantes, sicut asserebant pie sancteque dici vnum de Trinitate esse passum in carne, ita nefas esse dicebant negare sanctissimam Virginem MARIAM vere proprieque Matrem-Dei nuncupandam.

III. DE CAVSA ACŒMETARVM MONACH.

Quibus in hunc modum se habentibus, qui Nestorianæ sententiæ potissimi assertores Constantinopoli essent monachi Acœmetæ, cum ab Imperatore, agente Epiphanio Episcopo, magnopere vrgerentur; auxilium ab Ecclesia Romana sperantes, à qua scirent eam fuisse reiectam sententiam, qua ab Eutychianis calide dicebatur vnus de Trinitate passus in carne, legatos ad Ioannem Papam misere, Cyrum & Eulogium monachos, rogantes vt quæ semel explosa esset ab Apostolica Sede sententia, nullo aduersariorum conatu reciperetur. Ea vero audiens Epiphanius effecit & ipse apud Imperatorem, vt is Legatos ad eundem Pontificem dictos Episcopos mitteret, tanquam ad *Caput omnium sanctarum Ecclesiarum*, vt vocat eum Iustinianus literis suis tunc ad eum scriptis confessionem fidei suæ continentibus, vna cum approbatione sanctarum quatuor Oecumenicarum Synodorum, quas aduersarii ab eo contemni spargerent. Ipsæ autem eius literæ, quas suo *d* Codici inseri voluit, cum absque die & Consule ibi recitentur; tamen in epistola *e* quam idem postea scripsit ad Agapetum Papam istius Ioannis successorem, dum easdem iterum descripsit, notatæ leguntur die octaua Iduum Iuniarum sub hoc ipsius Consulatu tertio. sed pro *Iuniarum* restituendum esse *Ianuariarum*, inde apparet, quod epistola eiusdem Imperatoris *f* eodem argumento ad eundem Epiphanium scripta, qua huius mentionem facit, data reperiatur septimo Calendas Aprilis sub prædicto Consulatu: cum etiam paulo ante (vt iisdem ad Epiphanium literis testatur) promulgasset edictum *g*, quod extat datum Idibus Martii huius ipsius anni, quo pariter præpositi a Catholica fidei confessione, insuper Nestorium, Eutychetem, & Apollinarem anathematizauerat; vt sic his omnibus tam publice quam priuatim sæpius inculcatis, se in cunctis vere Orthodoxum esse significaret. Namque peculiare fuisse diximus, vt cum quis Nestorium damnaret, à Nestorianis Eutychianus diceretur, siue Apollinarista; contra vero Eutychetem condemnans, ab Eutychianis appellaretur Nestorianus.

IV. DIVERSA RATIO QVÆSTIONIS, VTRVM VNVS DE TRINITATE PASSVS.

Cæterum in hac quæstione ad memoriam illud reuocandum est, quod in Hormisda superius diximus, nunquam quidem eam sententiam, qua vnus de Trinitate passus diceretur in carne, fuisse reiectam à Sede Apostolica tanquam hæreticam, sed proscriptam vt nouam atque suspectam, ne sub ea Scytharum monachorum Eutychianorum fallaciæ occultarentur; re tamen ipsa, si dolus abesset, recipi posset. Quamobrem cum personæ mutatæ essent, iamque abuterentur Nestoriani & Origenistæ ipsius Hormisdæ Apostolica auctoritate; plane absque eius iniuria reuocari posse visum est in dubium, quod ipse alias de re illa respondisset; indeque licentia parta est Epiphanio Episcopo & Iustiniano Imperatori, de eo tractandi apud Ioannem Papam. Quid vero actum sit postquam legationes Acœmetarum & Imperatoris Romæ auditæ fuere, dicetur anno sequenti. Totum enim huius anni temporis spatium in eo insumptum est, vt quid decernendum esset quam accuratissime quæreretur ab Apostolica Sede.

V. FERRANDVS CONSULITVR AB ANATOLIO DIAC.

Tuncque Anatolius sacræ Romanæ Ecclesiæ diaconus consuluit Ferrandum diaconum Ecclesiæ Carthaginiensis, discipulum S. Fulgentii, virum huius temporis doctrina insignem, quæ ipsius esset de proposita quæstione sententia. Ad quem Ferrandus prolixam satis atque eruditam epistolam scripsit, qua docuit recte dici vnum de Trinitate passum; sed securius addi, passum in carne: & ad omnes obstruendos aditus impiæ calliditati, eum qui dicturus sit vnum de Trinitate passum, prius addere debere, Omnipotentis Dei vnam esse substantiam, tres personas, ex quibus vna persona, id est Filius, Deus permanens, homo factus natus & passus sit, neque Patre, neque Spiritu sancto pariter incarnato; quamuis opus nostræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. Hæc ipse: qui & insuper eodem argumento aliam scripsit epistolam ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum. Sicut ergo Ferrandus monuit, ita factum à Iustiniano apparet, vt cum assereret vnum de Trinitate passum, multa præmiserit, & rursus multa subiecerit, quæ omnem possent de subdola captione suspicionem auferre. Vt non sit mirum, si ipsius Imperatoris confessio à Romano Pontifice, post anni vnius agitatam controuersiam, recepta fuerit atque probata, vt suo loco videbimus. Quæ quidem omnia ex sententia pariter Chalcedonensis Concilii esse dicta, Facundus Episcopus Hermianensis in tractatu ad eundem Iustinianum de Tribus Capitulis docet. Sed & Dionysius Exiguus, cuius hoc tempore Romæ summa erat æstimatio, eidem sententiæ fauit in præfatione ad epistolam Procli ad Armenos, quam huius rei gratia tunc in Latinum transtulit.

VI. ATHALARICI CONSTITVTIO ADVERSVS SIMONIACOS.

Hoc item ipso tempore, quo Ioannes Papa Pontificiam sedem obtinuit, quod multa accidissent indigna in ipsa Romana Ecclesia Sede vacante, dum videlicet complures ad Pontificatum adipiscendum malis artibus sibi aditum præpararent; agente ipso Ioanne, Senatusconsultum factum est, quod edicto suo roborauit *h* Athalaricus Rex, contra Simoniacos qui aliquid eo nomine accepissent. Non enim ista aduersus clericos promulgarunt, quos reliquerunt canonum censura plectendos; sed in eos tantummodo in quos potestatem haberent, nimirum laicos, quibus ob postulationem alicuius in Episcopum, aliquid datum vel promissum esset. Ex quibus intelligas, quam execrabilis semper fuerit in Ecclesia simoniaca culpa, aduersus quam (quòd canones non proficerent) Ariani Regis auxilium oportuerit imploraſſe. Addidit vero idem Athalaricus summam pecuniæ, quæ pro confirmatione electorum Episcopotum, tam ipsius Romani Pontificis, quam aliorum quorumcumque sub ditione eiusdem Regis constitutorum, (quam ipsos Gothos tyrannice vsurpasse vidimus) soluenda esset sub prætextu eamdem in pauperes erogandi.

DE PECVNIA IN CONSECRATIONE EPISC. SOLVENDA

VII.

Hoc ipso anno cum Iustinianus tertium gereret Consulatum, idem Imperator vbi cum Persis pacē firmasset, (quod septimo ipsius Imperii anno, nempe præsenti contigisse Procopius *i* tradit) comparata classe aduersus Vvandalos eidemque ex more antequam solueret, ab Epiphanio Episcopo Constantinopolitano benedicta, Belisarius dux fortissimus eidem præfectus est. Qui post tres menses ex quo soluit Constantinopoli, ad littus Africanum prouinciæ Byzacenæ appellens, & aquæ in loco arido scaturientis miraculo confirmatus, inde prope Carthaginem exercitum duxit die decimaquinta Septemb. qua natalis S. Cypriani eiusdem olim ciuitatis Episcopi anniuersariæ vigiliæ agebantur. Ac primum debellato & occiso Ammata Gilimeris tyranni fratre, ipsoque Gilimere ab urbe Carthagine aufugiente, ciues Belisario maxima cum lætitia portas aperuerunt: deinde vero cum Gilimer collectis copiis, vna cum fratre Zanzone, quem ex Sardinia reuocauit, eamdem vrbem obsidere pararet, obuiam eis factus Belisarius, prælio commisso

BELISARIVS DE BELLAT WAND.

a Liber. Breuiar. c. 20. *b* Anast. in Ioan.

c Cyrill. in Vit. S. Quiriac. cap. 10. ap. Sur. 29. Sept.

d l. 8. C. de Sum. Trin. et fid. Cath. *e* Ext. in ep. Agap. de quo Baron. an. seq. nu. XXXVII. fl. 7. C. eo.

f Cons. præterm. l. 8. lib. 1 Cod. & l. 3 C. de Sum. Trin.

i Procop. de Bell. Pers. lib. 1.

commisso Zanzonem occidit, ac Wandalorum castra expugnauit Gilimere fuga lapso. Quæ omnia hoc anno gesta, fuse descripta habes a Procopio *k*, qui sub Belisario militans cunctis præsens extitit. Vbi & aliquot recenset eiusdem Belisarii summę iustitiæ exempla in puniendis militibus ebriis, homicidis, atque rapacibus, quibus & vniuersum exercitum in officio continuit, & Africanorum animos sibi deuinxit, viamque parauit ad vincendos hactenus inuictos hostes. Sed & mira diuina prouidentia factum esse, alibi idem *l* narrat, vt Wandali omnia propugnacula & loca munita Africæ, excepta Carthagine, mœnis atque munitionibus spoliauerint, ne Africanis rebellandi aliquo modo animus esse posset: quibus ita inuentis, absque aliqua obsidione omnibus Belisarius potitus est, eademque mox cingenda iterum nruris & munienda curauit.

k *Id lib* 1 & 2. *de Bel. Wandal.*

l *Id. de edif iustin. orat.* 6.

VIII. VICTORIA DIVINITVS PARTA.

Hæc vero tanta tali facilitate consummata idem auctor considerans, iure admiratus est, quartum à Genserico successorem venientem, eiusque regnum opibus multis ac militum robore florens, à quinque millibus hominum aduenarum, (hunc enim tantummodo numerum equitum qui Belisarium sunt secuti, & toto eo tempore bellum sustinuere, fuisse ait) portu stationeque carentium, tam breui tempore ruere potuisse. Sed quod dubitat ipse, vtrum fortunæ illa an virtuti sint tribuenda; haud dubium est facta esse nutu diuino, cum tot tantisque piis operibus Iustinianus diuinum sibi numen conciliasset; nimirum (vt vidimus) Sanctorum cultum promouendo, fidem Catholicam propugnando, & ius antiquum in Christinam obseruantiam reuocando; præter proprias vigilias, ieiunia, aliosque labores, quorum idem ipse in quadam postea promulgata constitutione *m* meminit. Ex quibus discant Principes, cum bellica tractant, quibus operibus Deum sibi propitium reddant. Cæterum renuntiata hæc fuisse Constantino, oliantequam præsens annus elaberetur, argumento sunt constitutiones *n* eiusdem Imperatoris de confirmatione Digestorum, datæ sub hoc eodem tertio ipsius Consulatu, decimo septimo Calendas Ianuarii: in quibus cum de recuperata vna cum Carthagine vniuersa Africa mentio habeatur, ex iis Chronicon Marcellini corrigas, vbi ea gesta ponuntur sub quarto Iustiniani Consulatu, nimirum anno sequenti. Iisdem vero die & Consule data legitur constitutio de Iuris docendi ratione: sed quæ loco præfationis Institutionũ libris præfigitur epistola, post sex dies data est, nempe vndecimo Calendas Ianuarii, licet vulgata lectio habeat, vndecimo Calendas Decembris) sub eodem tertio Consulatu.

m *Nou. 30. in fi.*

n *l 1 & 2. D. de confir. Digest.*

IESV CHRISTI AN. 534.

IOANNIS II. AN. 3.

IVSTINIA. IMP. 8.

THEODATI REG. 1.

I. CONCIL. ROM. IN QVÆST. VNIVS DE TRINIT. PASSI.

ANno Christi quingentesimo trigesimo quarto, Iustinianus Aug. quartum adiit Consulatum, nactus collegam Paulinum, quem ortum ex Deciorum antiqua familia his temporibus florentissima, Romanus Senatus Athalarici *a* Regis voluntate delegit. Quo anno, Indictione duodecima, ab eodem Athalarico Magnus Aurelius Cassiodorus Senator auctus est amplissima dignitate Præfecturæ Prætorii: de qua ad eum extat *b* eiusdem Regis epistola, vbi multa in ipsius laudem ex magistratibus bene perfunctis habentur. Quanta autem vir iste clarissimus enituerit pietate, vel ex eo ostenditur, quod insignitus tanto munere, Ioannis *c* Romani Pontificis implorauit ad Deum preces pro bono regimine; ac reliquos Italiæ Episcopos *d* interpellauit, vt orationibus atque ieiuniis vacantes ita plebem instituerent, vt quæ in ea Iudex puniat non inueniat: quibus etiam literis, quid sæculi potestates, ipsi Magistratus sibi ipsis, quid populo, quid Episcopis, atq; imprimis diuino cultui debeant, quid etiam Episcopi ipsis Magistratibus atque populis præstare teneantur, edocet.

a *Cassiod. 9. 22. 23.* CASSIOD. CREATVR PRÆF. PRÆT.

b *Ibid. ep. 24.*

c *Id. 11. ep. 1.*

d *Ibid. ep. 3.*

Hoc item anno, postquam diu multumque disceptatum esset de controuersia, quæ anno superiori Acœmetarum monachorum & Iustiniani Imperatoris Legati ad Ioannem Romanum Pontificem retulerant; & ad conuincendos aduersantes Catholicæ veritati, curatum esset, vt etiam à transmarinis eruditis viris (quod diximus) ea de re tractatio scriberetur: demum habito de his *Romæ* CONCILIO, ex veteri Catholicæ fidei præscripto, quid sentiendum esset fuit firmiter stabilitum; & ab ipso Romano Pontifice scripta ad Imperatorem octauo Calendas Aprilis epistola *e*, qua missam ab eodem Imperat. fidei professionem in omnibus probauit; Acœmetas autem, aliosque omnes contrarium sentientes, ab Ecclesiæ Catholicæ communione alienos declarauit. Qui & insuper eodem tempore à doctissimis quibusdam Senatoribus de eadem re interpellatus; aliam ad illos eo argumento scripsit epistolam *f*, qua tum probatur vnam personam sanctissimæ Trinitatis dici Christum, eundemque natum & passum in carne, vereque ac proprie MARIAM Virginem Dei matrem dici & esse, tum etiam ambæ illæ Iustiniani & Ioannis mutuem datæ epistolæ (quas & in suum Codicem *g* idem Imperator referri voluit) legitimæ declarantur: Vt etiam illas genuinas asseruerunt doctissimi huius sæculi Iurisconsulti Alciatus *h* & Cuiacius *i*, etiamsi id negare præsumpserint, frigidissimis quibusdam ac prorsus imperitis rationibus, leguleii quidam Nouatores *k* Sedis Apostolicæ hostes, quod in eis mire eluceat Romanæ Ecclesiæ maiestas, atque in vniuersam Ecclesiam Catholicam auctoritas, ab ipsomet Iustiniano singulis pene periodis inculcata: quæ tamen & in aliis passim cum eiusdem tum aliorum Imperatorum constitutionibus, æque indubitate asserta habetur.

c *Liber. c. 14.*

f *Ext. in Bibl. Sanct.*

g *l. 8. C. de Sum. Trin.* PROBATÆ EPIST. IVSTIN. ET IOAN.

h *Alciat. 4. Parerg. 23.*

i *Cuiac. 12. obser. 26.*

k *Hotom. 1. am. ab. resp. 1. cum imperitam plur. hue refellit Baron. Ann. Tom. VII. hoc an.*

Porro cum fidei suæ professionem ab Apostolica Sede confirmatam Iustinianus accepisset; vt ea fixius vniuscuiusque animis inhæreret, prudenter illud excogitauit, vt eam ad Ecclesiasticæ cantici rhythmos accommodatam, instar Psalmi Ecclesiis traderet concinendam. Id namque ab ipso factum anno sequenti, quo eius Imperii nonus incipit, Miscella habet; quamuis Cedrenus anno septimo actum tradat: sed magis illi sententiæ inhæremus, vt non ante id tentatum fuerit, quam Imperator acceperit à Romano Pontifice confirmatum hidei suæ edictum. Sed & hic opus est monere Lectorem, reperiri in Tomis Conciliorum longe prolixius eiusdem Imperatoris Edictum, imo Librum, (ita enim appellat Liberatus *m* Diaconus) inscriptum ad Ioannem Romanum Pontificem: quod tamen cum de Tribus Capitulis, diu postea in Ecclesia controuersis, exactam contineat discussionem, referendum esse constat ad tempora Vigilii Papæ. Estque ille ipse Liber, quem aduersus eadem Tria Capitula Theodorum Cæsariensem Episcopum ab ipso Iustiniano edendum curasse, idem Liberatus testatur, & videbitur suo loco.

m *Liber. c. 14.*

III.

Quod autem pertinet ad res bellicas Africæ; cum anno superiori omnia feliciter illic Romanis successissent, eadem hoc anno sunt felicissime absoluta: cum videlicet prælio superatus Gilimer, contulit se in montem Numidiæ Papuam dictum, accessu difficilimum; ibique à Phara Duce iussu Belisarii obsessus, post trium mensium consumptum spatium, fame vexatus, ærumnisque confectus, dedens se Pharæ, per eum Carthaginem ad Belisarium ductus est: sicque susceptum confectum est bellum, vniuersa Africa à Romanis vindicata post annos nonaginta quinque (vt ipsemet Iustinianus *n* testatur) ex quo Wandali eam occupauerant. Post quæ Belisarius, relicto in Africa Salomone Duce exercitus, qui aduersus rebellantes Mauros dimicaret, Constantinopolim rediens, superata calumnia quam in eum inuidi parauerant, Imperatoris decreto triumphum egit antiquorum more, (nisi quod pedes ambulauit) ampla præferens spolia & insignia trophæa, ipsumque Gilimerem vna cum omnibus ipsius consanguineis ac præstantioribus Wandalis. Qui quidem Gilimer, postquam ad Hippodromum in conspectum Imperatoris perductus, ipsum in alta sede constitutum, populumque circumstantem conspexit, ac demum seipsum in quam conditionem peruenisset considerauit; nihil questus, illud tantum memorasse dicitur: *Vanitas o vanitatum, & omnia vanitas.* Cui Imperator loca quædam in Galatia ad habitandum simul cum suis propinquis dedit: Patricium autem creare non licuit, quod à secta

IV. GILIMER REX WAN. SE DAT ROMANIS.

n *l. 1. C. de off. PP. Afr.*

BELISARII TRIVMPHVS.

o *Eccl. 1.*

nollet

nollet Ariana discedere. Hilderici vero quem ille necauerat filios & nepotes, vt ex Valentiniani Imperatoris sanguine venientes, opibus amplius munerauit: ac Belisario immensos præterea contulit honores, quem & anno sequenti Consulem ordinarium creauit. Hæc autem omnia pluribus prosecutus est Procopius *p*, qui interfuit.

p Procop. li. 2. de Bell. Vandal.

V.

Posthæc idem Imperator ad optimum recuperatæ Africæ regimen adducens animum, constitutiones *q* ea de re hoc ipso anno edidit, quibus quanta à Deo fuerit inde consecutus beneficia abunde recensет, & summa humilitate gratias agit: easdemque constitutiones voluit inferri in Codicem suum, iam antea quidem ipsum (vt vidimus) editum, sed ita vt idem ex nouis promulgatis postea sanctionibus, quibus interdum nonnulla iura sancita emendabantur, & alia addebantur augeretur. Ipsum enim hoc anno, suo Consulatu quarto, Imperator decimo sexto Calendas Decembris edidit iterum auctum & emendatum, recenti quæ illud significaret apposita constitutione *r*. Qui & insuper alias sanctiones *s* edidisse reperitur, de his quæ spectarent ad res Africanas Ecclesiasticas moderandas: & vt tam Ecclesiæ, quam singuli alii, sua reciperent quæ perdidissent sub Wandalis. Sed quæ idem, siue ad pietatem ac cultum Dei, Beatissimæque Virginis Dei genitricis, (cuius præcipue precum opitulationi hæc tanta accepta ferebat) aliorumque Sanctorum; siue ad decorem; vel munimentum spectantia, in Africa ædificia erigenda curauerit, Procopius *t* diligenter prosecutus est: qui & ait, ipsum Bagaiensem vrbem, muris cinctam, nomine coniugis *Theodorianam* appellasse, Adrumetum autem pariter munitam suo nomine *Iustinianam*: qua etiam appellatione ipsam Carthaginem ab eo nuncupatam esse, docent literæ *u* Synodi Carthaginiensis, & ipsius Iustiniani Constitutiones *x*. Sed & illud laude dignissimum, dum barbaros repertos in Africa, quos *Mauros* vocant, Romanis subiectos, ex Gentibus reddidit *y* Christianos. Reliqui vero Mauri vix post decennium subiugari potuerunt; plurimis parere recusantibus, in partes interiores Africæ effugatis.

q Li. & 2. C. de Off. PP. Afr. PROVIDET IMP. ECCLESIÆ ET STATVI AFRICÆ.

r lib. 1. de emend. Cod. § N. nil 36. & 37. & post Nouell. Iust. edit. Iulian. p. 245. 246.

s Procop. de ædif. Iustin. erat. 6.

u Tom. II. Conc. in Agap.

x Nouell. 35. &c.

MAVRI REDDITI CHRISTIANI.

y Procop. lib. 1. erat. 3.

VI.

Hoc eodem anno Athalaricus Rex Gothorum in Italia, corruptis moribus adolescens, vbi annos octo in regno absoluisset, mortuus est. THEODATVS autem, filius Amalafredæ sororis Theodorici, (quem nummi & veteres *Theodahathum* triplici aspiratione, secundum Gothicam pronunciationem nominant) iam ætate prouectus, consilio Amalasunthæ regnum suscepit; vir literarum Latinarum ac Philosophiæ Platonicæ satis peritus, sed rei bellicæ prorsus ignarus, & accumulandarum pecuniarum studiosissimus. Qui quidem ingrati animi indignum committens facinus, simul ac liberas nactus est regni habenas, eandem Amalasuntham vinculis alligatam, in insula ad lacum Vulsinum posita asseruari in carcere iussit. Interea vero oratum pacem legatos Constantinopolim misit, literasque eiusdem argumenti ipsam Amalasuntham, Romanumque Senatum, ad Imperatorem dare coegit. Narrat pluribus hæc omnia Procopius *a*; literas autem recitat qui scripsit Cassiodorus *b*. Verum cum post hæc gesta idem Theodatus, nonnullorum persuasione, quorum cognatos olim Amalasuntha neci tradi iusserat, eandem obtruncandam curasset; ita enim Procopius; sed Iornandes in balneo strangulatam asserit:) vbi hoc Iustinianus accepit, ad vindicandam Amalasunthæ, fœdere atque amicitia sibi coniunctissimæ necem, aduersus Gothos bellum parare decreuit, dimissis re infecta legatis: & aduersus eosdem commouere Francos fategit, iam ante viuente Athalarico concitatos. Quæ vero gesta sint, dicetur anno sequenti.

a Procop. de Bell. Goth. Lib. 1.

b Cassio. 10. ep. 23. 4. & lib. 11. ep. 13.

AMALASVNTHA NECATVR.

VII.

Hoc anno sub dictis Coss. finem imponit suo Chronico Marcellinus Comes Illyricianus, vt ipse eius operis præfatione testatur; aitque, hoc opus alii cuidam suæ scriptioni subiecisse: quam illam putamus, cuius meminit Cassiodorus *c*; dum ait Marcellinum quatuor libros de temporum qualitatibus, & positionibus locorum, pulcherrima proprietate confecisse: sed & eundem testatur *d*, Constantinopolitanam & Hierosolymitanam ciuitates quatuor libellis minutissima narratione conscripsisse. At præter Chronicon, reliqua eius scripta periisse videntur.

MARCELLINI COMITIS SCRIPTA.

c lib. de diuin. & s. c. 17.

d ibid. c. 25.

[Cum igitur hic finem imposuisse suo Chronico testetur ipsemet Marcellinus; sane quæ deinceps sequuntur ad finem vsque Imperii Iustiniani, ab alio quopiam adiecta postea esse intelliguntur: quæ tamen à Panuinio, & multis aliis nullo discrimine pro Marcellinianis edita sunt: vt etiam notauit Sirmondus in accuratissima huius Chronici eiusque Appendicis editione.]

IESV CHRISTI AN. 535.

AGAPETI AN. I.

IVSTINIA. IMP. 9.

THEODATI REG. 2.

ANno Christi quingentesimo trigesimo quinto, Belisario absque collega Consule, Iustinianus Imperator Gothicum Bellum auspicaturus, præteritorum satis doctus exemplo, debellari à Deo feliciter hostes cum Imperator pie pro religione laborat; id imprimis egit, vt quæ in ipsa ciuitate Constantinopolitana aduersos sacros canones, probatamq; consuetudinem audiret admitti, corrigenda curaret. Quamobrem quatuor inter alias Constitutiones *a* scripsit mensibus Martio & Aprili ad Epiphanium illius Episcopum; ni mirum de numero clericorum maioris Ecclesiæ, (qui cum amplior esset quam redditus Ecclesiæ ferrent, ideoque ipsa ære alieno opprimi cogeretur, atque etiam bona alienare; decreuit eum esse debere quadringentorum viginti quinque, nempe sexaginta Presbyterorum, centum Diaconorum, nonaginta Subdiaconorum, centum decem Lectorem, viginti quinque Cantorum, & quadraginta Diaconissarum; præter centum Ostiarios:) de obseruantia monasticæ disciplinæ deque illis qui essent in monasteria suscipiendi; de Episcoporum & Clericorum electione & ordinatione secundum canones agenda; ac de non alienandis permutandisve bonis Ecclesiarum &c.

I. IVSTIN. CONSTITVTIONES PRO OPTIMA ŒCONOMIA ECCLESIÆ.

a Nouell. 3. 5. 6. 7. NVMERVS CLERICOR. MAIORIS ECCL. CONST.

Aliam item eodem mense Aprili in subditorum subleuationem addidit *b* ad Ioannem Præfectum Prætorio, de Magistratibus gratis conferendis: qua inter alia constituit, vt singulis Præfectis Episcopi imminerent, qui siquid iniustum ab illis committeretur, Imperatori deferrent: insuperque adiecit, vt Prouinciarum Præfecti iurarent Metropolitanis Episcopis, omnia seruaturos quæ essent Imperatoris legibus constituta; eiusque iurisiurandi præscriptam formulam eidem constitutioni additam voluit: quæ sic se habet: *Iuro per Deum omnipotentem, & Filium eius vnigenitum Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *& Spiritum Sanctum, & per sanctam glorioſam Dei-genitricem & semper Virginem* MARIAM, *& per quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam, germanumque seruitium me seruaturum sacratißimis nostris dominis, Iustiniano, & Theodoræ coniugi eius, occasione traditæ mihi ab eorum pietate administrationis, & omnem laborem & sudorem cum fauore sine dolo & sine arte, quæcumque suscipio in commissa mihi ab eis administratione de eorum Imperio atque Republica. Et communicator sum sanctißimæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ: & nullo modo vel tempore aduersabor ei, nec alium quemcumque permitto, quantum possibilitatem habeo.* Ac deinde multis additis de iustitia gratis, & cum omni æquitate, & absque vllo personarum respectu administranda; demum ita iuramentum concludit; *Si vero non hæc omnia ita seruauero, recipiam hic & in futuro sæculo in terribili iudicio magni Domini Dei & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *& habeam partem cum Iuda, & lepra Giesi, & tremore Cain: insuper & pœnis quæ lege eorum pietatis* (hoc est, Imperatorum) *continentur, ero subiectus.*

II. *b Ext. in oppend. Nou. 8.* EPISCOPI INSPECTORES PRÆFECTORŪ.

Quibus sic à Iustiniano probe dispositis, rursum noua ad Romanum Pontificem data sanctione *c*, priuilegium contulit Romanæ Ecclesiæ, aliisque Occidentalibus omnibus quæ Catholica communione ei coniunctæ essent, vt earum prædia atque latifundia non (vt antea) triginta tantum vel quadraginta, sed centum annorum præscriptione gauderent: indignum omnino ratus, vt ipsa omnium caput Ecclesiarum, *apud quem* (vt ait) *Summi Pontificatus apicem esse, nemo est qui dubitet*, eo priuilegio careret, quod meminerat Orientalibus Ecclesiis concessisse *d* ante septennium

III. *c Nouell 9.* CONSTITVTIO DE PRÆSCR. CENTVM ANNOR.

d l. 23. C. de SS. Eccl.

anno

anno secundo sui Imperii, suoque pariter Consulatu secundo: quamuis id fraude Prisci Emeseni, dataque pecunia, ab eo tunc iisdem Ecclesiis Orientalibus impetratum fuisse, Suidas *e* innuat. Quomodo vero hanc concessionem reduxerit ipsemet postea ad terminum quadraginta annorum, dicetur suo loco: iam cætera huius anni prosequamur.

e *Suid. verb* Priscus.

[Sumptum id ex Procopio in Vita Iustiniani proxime edenda.]

IV.

Hoc igitur anno Romam delata reperitur *f*, ad Ioannem Pontificem scripta Synodalis epistola ex CONCILIO CARTHAGINIENSI, celebrato sub *Reparato* eiusdem ciuitatis Archiepiscopo. Vindicata namque in pristinam libertatem Ecclesia Africana, ii qui tunc extabant in vnum conuenere sanctissimi Episcopi vsque ad numerum ducentorum decem & septem: qui restituere conantes collapsam ob longam seruitutem Ecclesiasticam disciplinam, ad eundem Pontificem legationem misere per Caium & Petrum Episcopos, ac Liberatum diaconum Ecclesiæ Carthaginiensis; qua ipsum inter alia consuluerunt de modo, quo Ariani ad Catholicam fidem suscipi deberent: profitentes se charitati conuenire existimasse, vt quid haberet ea de re sensus eorum in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo ipsis, vel definitio Romanæ Ecclesiæ proderetur. Porro iidem Legati Romam aduenientes, inuento Iohanne iam defuncto, literas Agapeto eius successori dedere; quibus ipse rescripsisse reperitur *ff* quinto Idus Septembris post Consulatum Paulini, nempe hoc ipso anno; eorumque consultationibus respondens decreuisse, Arianos Episcopos pœnitentes non debere quidem recipi in Ecclesiam cum honoribus, sed tamen eis alimenta ex charitate præstanda esse.

f *Tom. 1. Ep. Rom. Pont. & Tom. 2. Conc. in Agap.* CONCIL. CARTH PRO RESTITVENDA DISCIPLINA.

ff *Agap. ep. 1.*

V.

Cum igitur ex prædictis constet, ipsum Ioannem Papam ad hunc vsque annum vitam propagasse; quo tamen potissimum die aut mense decesserit, haud adeo exploratum habetur: licet Anastasius Bibliothecarius id dicat accidisse sexto Calendas Iulii: cui multa aduerlari patet; ac præcipue quod ipsemet Agapetus priuatis literis *g* ad prædictum Reparatum redditis, aperte testetur suæ ordinationis nuntium ipso principio huius anni, aspera adhuc hieme, in Africam delatum esse: itemque quod literæ à Iustiniano Imperatore ad eundem Agapetum hoc ipso Belisarii Consulatu scriptæ, (de quibus mox dicetur) datæ reperiantur pridie Idus Martias; redditæque ad ipsum ab Agapeto, decimo quinto Calend. Aprilis sub eodem Consulatu. Vnde & necessario colligas, illapsum esse errorem in diem datæ ab eodem Iustiniano constitutionis, quam diximus, de præscriptione centum annorum, quæ scripta ponitur sexto Calend. Maii huius ipsius Consulatus Belisarii; vt scilicet pro *Maii*, reponatur *Martii*; scriptaque ea fuerit die vigesima quarta Februarii, quando nondum innotuisset Constantinopoli obitus Ioannis. Subdit autem Anastasius, Ioannem sepultum esse in basilica S. Petri: Et postquam cessasset Episcopatus eius dies sex, subrogatum esse in locum eius, quem diximus, AGAPETVM patria Rommanum, filium Gordiani presbyteri: quem fuisse Archidiaconum, eundemque apprime eruditum, testatur Liberatus *h* in Breuiario.

g *Id. ep. 2.*

AGAPETI ELECTIO.

h *Liber. c. 21*

VI.

De cuius creatione vbi Iustinianus Imperator certior factus est, confestim ad eum scripsit quas diximus literas, vna cum Catholicæ quam profiteretur fidei confessione *i*; eadem ipsa, quam olim ad Ioannem Agapeti decessorem miserat confirmandam. Sed quod ea priuata esset, tractaretque de fidei mysteriis; ita illam recipere se atque probare, contestatus est Agapetus ad eundem mox rescribens *k*, quatenus erat sacris canonibus consentiens, non vt erat profecta à laico homine docere in Ecclesia præsumente: *Firmamus* (inquit) *laudamus, amplectimur, non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus.* Sicque & in cæteris discas (quod etiam superius monuimus) ita probatas ipsi Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, Iustiniani vel aliorum Principum de rebus Ecclesiasticis editas sanctiones, si eædem sacris Canonibus innitantur; secus, si contra. Quapropter hac Agapeti censura prudentior factus Iustinianus, non amplius priuatam à se editam confessionem vsurpauit; sed ne quid sibi arrogare visus esset, publicam postea prodidit, cum Agapetus Constantinopoli anno sequenti existens Catholicæ fidei professionem ab eo exegit: tunc enim illam ipsam edidit *l*, quam olim Hormisda Papa miserat per Legatos Constantinopolim, subscribendam ab iis qui Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem consequi vellent,

i *Ext. inst. ep. Agap.*

k *Agap. ep. 6*

IMPP. CONSTITVTIONES QVÆ PROBATÆ.

l *Ins. ep. Agap.*

VII.

Cum autem aliis literis idem Imperator pro Africana agens Ecclesia, (à qua ex prædicto Concilio Carthaginiensi legationem *ll* susceperat) ab Agapeto petiisset, vt iis qui ab Ariana hæresi ad Catholicam fidem rediret, concederetur retinere dignitates Ecclesiasticas in quibus fuerant apud hæreticos, & ad alias promoueri: de his rescribens Agapetus *m*, laudauit quidem ipsius zelum, sed docuit, nec esse lapsos cum honoribus recipiendos, nec vere pœnitentibus honores curæ esse: Epiphaniumque Constantinopolitanum Episcopum reprehendit, quod vnum aliquem ex iis, inconsulta Sede Apostolica, ordinare præsumpsisset: cæterum mittere se Legatos (sicut & Imperator petierat) in Orientem, qui suo nomine tam ista, quam alia Ecclesiæ negotia curarent. Quinam autem missi fuerint, cum nulla ibi mentio fiat, ex Actis Synodi Constantinopolitanæ sub Mena intelligere possumus, fuisse eosdem illos qui ei subscripti reperiuntur, nimirum *Sabinum* Episcopum Canusinum, *Epiphanium* Asculanum, *Asterium* Salernitanum, *Leonem* Nolanum, *Rusticum* Fesulanum, vna cum *Theophane* & *Pelagio* S. R. E. Diaconis.

ll *Constat ex literis scriptis ad Salom. PP. Afr. post Nou. Iustin.* m *Agap. ep. 3.*

LEGATIO AB AGAPETO PP. MISSA IN ORIENTEM.

VIII.

Quod vero etiam petiisset Imperator, Episcopum ciuitatis Iustinianæ Primæ (quam quidem magnifice ab eo recens extructam fuisse iuxta locum Tauresiam dictum in Dardania Europæ, vnde ipse oriundus erat, Procopius *n* est auctor) pallio insigniri, viceisque gerere Apostolicæ Sedis; Agapetus iisdem suis literis totum pariter negotium Legatis commisit. Neque enim quicquam temere in præiudicium aliorum Metropolitanorum concedere volebat. Sicque re dilata, tantū Vigilius diu vi Imperatoria agitatus, huic ipsius petitioni acquieuisse intelligitur ex Nouella constitutione *o*, vbi agit Imperator de priuilegiis eiusdem natalis sui soli, quæ alias *p* fusius enumerauerat. Extantque sancti Gregorii Papæ literæ *q* de collato Pallio Ioanni Archiepiscopo Primæ Iustinianæ. Porro Secundam Iustinianam dictam fuisse ab eodem Imperatore, quæ olim apud eosdem Dardanos vrbs erat nomine Vlpiana, idem Procopius tradit. Cum autem & Carthaginem atque Adrumetum in Africa, æque Iustinianas de nomine suo appellasse, superius dictum sit: sed & in subscriptionibus Episcoporum Quintæ Synodi Oecumenicæ, quinque aliæ recenseantur nouæ Iustinianæ, tresque aliæ Iustinianopoles; iam ex his videas, Iustinianum valde solicitum fuisse propagandi sui nominis, tam in Occidente, quam per vniuersum Orientem.

n *Procop. de ædi. Iustin. orat. 4.*

o *Nou. 131.*

p *Nouell.*

q *Greg. 4. ep. 15.*

PLVRES IVSTINIANÆ VRBES.

IX.

Hoc ipso anno Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus, validus satis Orthodoxæ fidei propugnator, cum sedisset annos quindecim; ex hac vita decessit: in cuius locum, callidis occultisque consiliis Theodoræ Augustæ (vt testatur *r* Liberatus) *Anthimus* Episcopus Trapezuntius in Ponto, qui foris licet Catholicam fidem profiteretur, intrinsecus Eutychianam hæresim sectabatur, in sedem Constantinopolitanam intrusus est. Hinc que malorum origo; hinc ipsi Imperatori atque vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ acerbissimarum cladium fons erupit. Quam felicissimus Iustinianus extitisset, & plane cui nullus vnquam vel Gentilium vel Christianorum Imperatorum longo interuallo fuisset exæquandus, si Catholicam nactus fuisset sibi similem consortem Imperii: Quanto enim ille propensiori studio palam fauit Catholicæ fidei, tanto Theodora callidiori consilio clam Eutychianæ hæresi adiumento fuit & augmento. Dum autem plus æquo, & quam deceat Catholicum Principem, audiuit Iustinianus consilium hæreticæ vxoris, scandalum sibi tandem & ruinam molitus est; vt quæ dicentur annis singulis demonstrabunt.

r *Liber. breuiar. c. 20.*

ANTHIMVS IMPIVS EPIS. CONST. Liber. breuiar. c. 20.

IVSTINIANVS LÆSVS A CONIVGE HÆRETICA.

X.

Hoc etiam tempore, defuncto Timotheo Alexandrino Episcopo hæretico, eadem impia Theodora curauit in eius locum suffici *Theodosium* quendam scriptorem orationum, & sectatorem perditissimi illius pseudoepiscopi quondam Antiocheni, Acephalorum capitis, & Corruptibilium hæ-

HÆRETICI ALTERCANTVR PRO SEDE ALEXAN.

resis

resis inuentoris, Seueri. Quem quidem Theodosium licet pars magnatum Episcopum agnoscerent, reliqui tamen cum monachis & populo *Gaianum* Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiaconum, æque hæreticum, sed Iuliani Halicarnassei Incorruptibilium auctoris sequacem elegerunt: vnde maximæ in ea ciuitate seditiones cædesque inter populum & milites ortæ sunt. Demum vero Gaiano à Iudicibus post quartum sedis mensem pulso, nouissime & Theodosius non ferens contra se odium populi, de sede discessit; secessitque Constantinopolim, quo ab Imperatrice Theodora honorifice vocatus fuerat, postquam eiusdem Augustæ ope sedem Alexandrinam violenter occupasset annum vnum & menses quatuor. Quarum rerum historiam plenius describere Liberatus *s* Diaconus, & Leontius *t* Scholasticus, ambo huius temporis scriptores. Sed quod pertinet ad successionem Alexandrinorum Antistitum; ex quo ibi præcipuam sedem hæretici occuparunt, ab ipsis & per ipsos successio spuria deducta est, interrupta vero Catholicorum; cum tamen constet & ipsos Orthodoxos, etsi longe inferiores numero hæreticis essent, nihilominus Orthodoxum aliquando habuisse Episcopum cui communicarent. Post Theodosium autem & Gaianum, (quorum mutuæ altercationes & expulsiones ad biennium productæ sunt) qui successerunt Episcopi Alexandrini, omnes fuere Catholici, quos numerat Leontius, eosdemque *Synoditas* ob cultum Synodi Chalcedonensis appellat; nempe *Paulum, Zoilum, Apollinarem, Ioannem, & Eulogium* æqualem sancti Gregorii. Nec vero illud ex Liberato omittendum, consuetudinem fuisse Alexandriæ, vt qui succedere deberet Episcopo defuncto, excubias supra defuncti corpus ageret, manumque eius dexteram suo capiti imponeret; eodemque manibus suis sepulto, acciperet collo suo pallium B. Marci, ac tunc legitime sederet.

s Ibid. *t Leont. de sect. act. 5.* ORTHODOXI EPISCOPI ALEXAND.

XI. AGNOITARVM HÆRESIS.

Quo vero tempore Theodosius hæreticus Constantinopoli degeret, tradit Leontius AGNOITARVM (sic ab ignoratione dictorum) dogma motum esse. Quod enim Dominus dixerit, neminem horam Iudicii scire, ne Filium quidem, sed solum Patrem; quæsitum esse: An Christus eam ignoraret, vt homo; magnaque inde orta altercatione, Theodosium negasse Christum ignorare, atque id circo à suis contrarium asserentibus diuisum esse, & aduersus eosdem scripsisse. Hæc Leontius: qui vtrorumque eorundem hæreticorum circa hæc errores, ex doctrina Catholicæ fidei confutat, diceturque de iis rursum inferius *u*. Ioannes *x* quoque Damascenus affirmat, eos qui à Theodosio nuncupati sunt hæretici *Theodosiani*, postea à Iacobo propagatore *Iacobitas*, itemque alio nomine *Ægyptios* esse appellatos: Agnoitas autem à Themistiano quodam eiusdem sectæ principe, *Themistianos* dictos; hosque insuper Christum ignauiæ & timiditatis arguisse, & vnam in eo naturam coniunctam asseruisse. Ita igitur Seueriani omnes isti professione, hosteque Concilii Chalcedonensis, inter se ipsos more hæreticorum pugnacissime decertarunt: vt plane acciderit veluti portento quodam, vt bellua sine capite, (ita Acephalorum hæresis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter se pugnantibus. Nam ex primo eorum capite SEVERO (à quo denominati sunt *Seueriani*) plura alia pullularunt, nempe GAIANVS, à quo *Gaianitæ*; THEODOSIVS, à quo *Theodosiani*; IACOBVS, à quo *Iacobitæ*; THEMISTIVS, à quo *Themistiani*. Numerat adhuc aliud caput Damascenus, nempe BARSANIVM, ex quo *Barsaniani*, siue *Semidalitæ*; qui cum omnia Gaianorum & Theodosianorum decreta defenderent, aliquid tamen præterea addebant de suo.

u Inf. ann. 565. *x Damasc. l. 3 de haer.* ACEPHALORVM CAPITA MVLTA.

XII. IO PHILOPONI ERRORES.

Porro cum aduersus istas pessimas Seueri propagines disputauerint olim plurimi tam Catholici, quam etiam hæretici tractatores; inter primos, degente adhuc Theodosio Constantinopoli, *Ioannes* quidam cognomento PHILOPONVS, Grammaticus Alexandrinus, adeo infeliciter iisdem se opposuit, vt in Tritheitarū dogma ipsemet lapsus sit; quemadmodum de illo tradit Leontius ipsius errores confutans, & Suidas eiusdem multiplicium Scriptorum mentionem habens; ex quorum etiam nonnullis meruisset inter Ecclesiæ Doctores adnumerari, nisi postea ab illius doctrina deficiens, etiam indignum se præbuisset qui inter Christianos adscriberetur. Nam & ipsum Photius in Bibliotheca tradit scripsisse librum contra Synodum Chalcedonensem, necnon alium commentarium aduersus Resurrectionem mortuorum. Quod vltimum ita declarat Nicephorus *y*, de eiusdem erroribus & scriptis agens, non vt animas diceret sine corporibus cœlesti gloria fruituras; sed eas aliis corporibus, iisque ex nihilo creatis induendas, quod assereret corpora nostra corrumpi secundum formam atque materiam. Propagata vero est ista Philoponi hæresis, ex Origene accepta, ad posteros; qua imbutus Eutychius Constantinopolitanus Episcopus, confutatus est à S. Gregorio, vt suo loco dicetur. Addit autem de Philopono Nicephorus, quod licet consentiret Catholicis duas esse in Christo vnitas naturas, alteram diuinam, humanam alteram; erraret tamen cum adderet, facta vnione non amplius duas, sed vnam tantum compositam esse naturam; vnde *Monophysitarum* hæresis pullulauit, & *Monothelitæ* progressi sunt.

y Niceph. li. 18. c. 47 48.

Sed quod pertinet ad *Iacobum*, à quo *Iacobitarum* hæresim denominatam diximus; idem Nicephorus *z* scribit, eum fuisse genere Syrum, obscurum prorsus virum, & ob summam tenuitatem cognominatum *Zanzalum*: qui Eutychetis, & Dioscori, necnon Petri Cnaphei, atque Seueri recepto dogmate, Monophysitarum & Theopaschitarum hæreses apud Syros propagare magnopere studuerit. Vnde multo exorto dissidio, eos qui rectæ doctrinæ adhærerent appellatos esse *Melchitas*; quod Concilium Chalcedonense, & Imperatorem (*Melchi* enim Syris Rex est) consectarentur; qui vero contrarium sentirent, multa variaque habuisse nomina, *Iacobitas* tamen maxime fuisse dictos. Eundem autem Iacobum auctorem quoque extitisse *Armenorum* sectæ; quæ fuit veluti hæresum omnium sentina; quippe qui cum Ario dicerent, Deum Verbum naturam mutationi obnoxiam habentem, carnem anima carentem assumpsisse: cum Apollinare, corpus Domini mentem non habere, eique diuinam naturam sufficere, mentisque vim operatricem perficere: aliaque plura ab aliis hæreticis delumpta sibi ipsis arrogasse: sed & de Incarnatione Verbi multa absurdissima; eademque inter se contraria pro tempore effutisse & vt hæreses suas adstruerent, plurima diuini Euangelii dicta rescidisse, aliaque rursum addidisse: denique Monophysitarum, Aphthartodocitarum siue Incorruptibilium, & Monothelitarum hæreses, veluti hæreditarias augere, cupientes, Petri Cnaphei additamentum Trisagii valde complexos esse. Hæc Nicephorus de Armeniorum dicta hæresi; quam à Iacobo, post Seuerum, originem hoc ipso tempore duxisse, aperte docet Photius, dum agens de scriptis Ephræm Episcopi Theopolitani siue Antiocheni, qui his diebus sedebat, ait eum exagitasse quoque prædictum Iacobum hominem Seuerianum, à quo sunt Iacobitæ denominati: vnde nihil est, vt ad posteriora quis tempora eandem hæresim referat.

z XIII. DE IACOBO AVCTORE HAERESVM ARM. *Nicet. l. 6. c. 52. 53.*

At non hic finis portentorum: præter enim recensita prædictæ bestiæ capita, ad eundem Seuerum pertinere tradit Nicephorus *a* *Caucobaditas, Angelitas, & Damianistas*, ita dictos ab Episcopis & locis iis nominibus appellatis hæreticos: Itemque *Tetraditas, Petritas, & Paulitas*, quorum alii Petrum, alii Paulum Seuerianos, sed ab inuicem dissidentes consectabantur. Denique & ipsum aspidem tot ouis fœcundum Seuerum, hoc eodem tempore cum Anthimus Constantinopoli & Theodosius Alexandriæ sederent, Constantinopolim accessisse; & cum inuenisset Anthimum eadem secum sentire, persuasisse, vt sua dogmata gloriæ terrenæ & Episcopatui præponeret, ac de eadem re scripsisse Alexandriam ad Theodosium, refert Euagrius *b* ex ipsius Seueri epistolis. Sed hæc tunc acciderunt, cum Anthimus (vt paulo post dicturi sumus) factus reus impietatis, abdicare hæresim quæsitus est, vt remaneret in sede. Interea vero ita se comparauit vulpes ista, Anthimus inquam, initio Episcopatus sui, vt cum nefandus hæreticus esset, studeret tamen in omnibus apparere Catholicus; dum non solum probauit Chalcedonense Concilium, sed & publice coram Imperatore disertis verbis attestatus est, se in omnibus assensurum iis, quæ Apostolica Sedes sentienda præscriberet; pariterque ad alios Patriarchas scripsit, se per omnia sequi eandem Sedem. Hæc enim de illo intexta habentur in ipsius damnationis senten-

a Id. c. 49. XIV. ALIA ACEPHALOR. CAPITA.

b Euagr. l. 4 c. 11. ANTHIMI EPISC. CONST. DVBDOLA ARTES.

tia

XV. c *Cassiod. præf. de diuin. instit.* DE SCHOLIS THEOLOGIÆ APERIENDIS ROMÆ.

tia in Synodo postea promulgata. At de rebus eius agendum fusius anno sequenti.

Quod autem ad res Occidentales pertinet; hoc pariter anno Agapetus Papa, hortatu Cassiodori Senatoris (vt ipse c Cassiodorus testatur) animo concipiens publicas Romæ sacrarum literarum Scholas collatis expensis erigere, bellicis tumultibus ab incœpto reuocatus est. Qua in re sicut admiratione, ita & obseruatione dignum est, non extitisse hactenus Romæ doctores, qui publice in scholis sacras literas profiterentur, vt ex hoc magis intelligas puritatem Apostolici fontis ibidem iugiter scaturientis, & in vniuersum orbem aquas limpidas deriuantis; cum non pro arbitrio differentium, verbisque pugnantium hominum, sacra dogmata ea Ecclesia definiret; sed quæ ab Apostolis tradita, à maioribus deducta, à patribus seruata accepisset, hæc ipsa vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ obseruanda præscriberet. At vero postea, ne videretur repulisse scientiam, & examina refugisse, ipsa quoque ea quæ docuisset, æque in scholis differenda proposuit; occasione præsertim haereticorum, aduersus quos necesse fuit Catholicis tractatoribus, cuncta quæ sunt fidei Christianæ omni genere argumentorum vera firmaque demonstrare; sicut & de Scholis Orientis egregie olim dixit S. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem S. Athanasii.

XVI. BELLI GOTH. TEMPVS. d *Procop. de Bell. Goth. lib. 1.*

Cæterum bellici tumultus, quorum meminit Cassiodorus, fuerunt ob bellum Gothicum à Iustiniano cœptum (vt testatur Procopius d) anno Imperii sui nono, nempe præsenti. Quo quidem, felici progressu per Mundum Præfectum Illyrici Dalmatiam Gothis subiectam inuadens, Salonam vrbem expugnauit: per Belisarium vero vniuersam Siciliam recuperauit; qui vltima die Consulatus sui, Syracusas ingenti omnium plausu triumphans ingressus est. Ad inuadendam autem Italiam, quam fortiori robore Gothi tenebant, visum est eidem Iustiniano Francos sibi fœdere coniungere; ex pietate potissimum ad eos promouendos argumenta deducens, dum quos sciret Catholicæ fidei studiosissimos, hortatus est ad expellendos Gothos hæreticos Arianos: vt patet ex literis ad ipsos ea de re scriptis, quas Procopius recitat: quos insuper magna pecunia donasse tradit, maioremque pollicitum esse vbi rem bellando gessissent.

FRANCI AB IMP. VOCATI ADVERS. GOTH.

PVRGAT ORBEM AB IMMVNDITIIS.

Pro receptis autem hactenus à Deo beneficiis, idem Imperator aliquam vicem rependens, quod maxime ipsi Diuinitati gratum esse sentiret, inter alias hoc ipso anno latas ab eo multiplices sanctiones pro optimo Religionis Catholicæ & Imperii statu, id magnopere curauit, vt ab omni turpitudine emundaret (quantum fas esset) ipsam primariam ciuitatem Constantinopolim & omnes prouincias Romano Imperio subiectas, dum Calendis Decembris aduersus lenones, qui paupertate oppressas iuuenculas vndique colligentes, eas postea quibusvis obuiis prostituebant, seueriss imam edidit sanctionem e. atque (vt Procopius f scribit) amplissimum monasterium exædificauit, magnisque prouentibus dotauit, ad recipiendas alendasque miseras prostitutas, quæ resipiscentes Deo vellent iugi pœnitentia deseruire.

e *Nouell. 14*
f *Procop. de ædif. iustin. orat. 1.*

XVII. g *Rec. Bar. Ann. Tom. VII. hoc an. ex arch. Eccl. Arel.* NVLLA OCCASIONE ALIENANDA PRÆDIA ECCL.

Sed vt redeamus ad Agapetum Papam; extant g duæ ipsius ad S. Cæsarium Episcopum Arelatensem scriptæ hoc eodem anno, post Consulatum Paulini, epistolæ; altera de non alienandis bonis Ecclesiasticis, cum ab eo rogatus fuisset eorum alienationem permittere ad alendos pauperes: altera de appellatione Contumeliosi, sic dicti Episcopi Gallicani, ad Sedem Apostolicam. Quod autem ad priorem spectat; quamuis & qui rogaret sanctus esset, & causa ipsa necessaria videretur, tamen renuit Agapetus; & missoad Cæsarium decreto Romani Concilii Tertii sub Symmacho, quo prohibitum esset sub anathemate, cuiusquam necessitatis obtentu prædium rusticum, quantæcumque magnitudinis vel exiguitatis fuisset, alienare; firmus perstitit in præcipienda eiusdem decreti obseruatione: exemplum posteris præbens, quam alieni esse debeant à rerum Ecclesiæ alienatione quouis obtentu quæsita. Quod vero ad Contumeliosum pertinet; cum is fuisset antehac à Ioanne h Agapeti decessore, ad relationem Episcoporum Gallorum, ob multa crimina de quibus accusabatur, priuatus Episcopatu, & in monasterium redactus ad pœnitentiam; idem postea ad Agapetum recurrens, obtinuit Iudices denuo delegari, qui de ipsius causa iterum cognoscerent.

h *Ext. ea de re litera ap. Bar. Anna. Tom. VII. an. 514. ex arch. Arel. Eccl.*

Occasione vero aliarum literarum eiusdem Agapeti ad Clotarium Francorum Regem, grande ab eodem Rege patratum est hoc ipso anno sacrilegium (quod describitur in Annalibus i Francorum) in nece *Gualteri Domini de Yvetot* in Northmannia, sic postea dicta Galliarum prouincia. Qui cum ob præclaras animi & corporis virtutes eidem Regi summe charus esset, factum est solitis inuidorum aulicorum calumniis, vt amore Regis in odium verso, idem Gualtherus prudenter se ab eius furore subducens abfuerit è Gallia per decennium; quod quidem insumpsit in persequendis & debellandis terra marique Saracenis, ac Christianæ fidei hostibus. Cum autem in patriam redire summopere desideraret, Romam se conferens obtinuit ab Agapeto literas ad Clotarium pro sua ipsius reconciliatione: quas cum Regi ipsa feria sexta Hebdomadæ sanctæ Suessione in sacello suo sacris præsenti, iamque ad sanctissimæ Crucis adorationem procedere parato (tempore, vt sibi videbatur, ad desiderium suum consequendum valde propitio) obtulisset; Rex eo agnito, furore correptus, ipsum Gualtherum ibidem gladio peremit. Sed imperata ab Agapeto Papa, sub pœna interdictionis Regni, tanti sacrilegii satisfactione: statuit Rex terram *de Yvetot* ab omni in perpetuum feudo, omnibusque Regi debitis iuribus immunem fore. Verum postea titulus Regni, quo terra illa ad multum tempus potita est, mutatus fuit in Principatum, qui adhuc permanet in familia Dominorum du Bellay.

i *Gir. du Hail. Hist. Franc. in Vit. Clotar. Primi.*

XVIII. CLOTARIVS REX MVLCTATVR A PONT.

ERECTIO REGNI DE YVETOT IN GAL.

[Hanc historiam Regni de Yvetot, præter Halianum, ex quo illam descripsit Baronius, æque recitant qui ante illum scripserunt, Gaguinus, Gilius, Tilius, & si qui alii eorundem temporum Rerum Franciarum auctores: cum tamen vetustiores illi eam silentio prætermiserint. Qua ratione, & quod seipsam narratio aliqua ex parte destruere videatur; non desunt hodie; qui inter fabulas recenseant, quæ constanti credulitate per multa sæcula obtinuit in Gallia. Econtra vero sunt alii, qui rem vere gestam esse, nihilque obstare quin eo ipso tempore & ab iisdemmet personis geri potuerit, multis & rationibus & auctoritatibus defendunt. Equidem nec hos nec illos iam moror: hoc tamen silere nefas existimaui, quod viderim id semel atque iterum scriptis publicis Baronio obiici. An vero non ipse extra omnem omnino culpam, si quod fieri potuit, & vere factum ipsi Franci dicunt & scribunt, in suos ipse Annales retulit?]

IESV CHRISTI AN. 536.

AGAPETI AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 10.

THEODATI REG. 3.

I.

ANnus Christi quingentesimus trigesimus sextus, nullius Consulatu notatus, post Consulatum Belisarii in veteribus monumentis inscriptus habetur; idemque primus annus Belli Gothici in Italia à Procopio numeratur, cum Iustiniani Imperii decimus inchoatus est.

II.

AGAP. PAPA LEGATIONEM COGITAT SVSCIPERE AD IMP.

Quo cum Theodatus Rex Gothorum non solum bellū indictum accepisset, sed etiam dispendium (vt vidimus) iam passus esset Dalmatiæ atq; Siciliæ; homo meticulosissimus, qui Platonicis potius disciplinis quam bellicis artibus instructus esset pacem quam iam olim petierat, nec impetrarat, nunc per Summi Pontificis legationem obtenturum se credidit. Itaque cum literis Rauenna, vbi degebat, scriptis, ipsi Papæ & Senatui Romano (vt loquitur Liberatus a) interminatus esset, se omnes gladio interempturum, nisi egissent apud Imperatorem vt destinatum exercitium de Italia submoueret; Agapetus Papa eiusmodi legationem coactus suscepit. Hocq; ipsum est, quod Procopius b tradit, Theodatum timore nimio perterritum indignissimas pacis conditiones (quas recenset) summa pusillanimitate Imperatori per ipsius Legatum Petrum ad se missum obtulisse; atque vna cum illo Constantinopolim transmisisse Rusticum, Romanum virum è numero sacerdotum, & ad eam rem confirmandam peridoneum. Hunc enim certum est fuisse Agapetum, qui Rusticus dictus est: quem quidem videtur Procopius ignorasse fuisse Romanum Pontificem, cuius nec amplius vsquam meminit. Extant vero apud Cassiodo-

a *Liber. Breuiar. c. 21.*

b *Procop. l. 1. de Bel. Got.*

rum

rum *c* datæ hoc anno literæ ab eodem Theodato, eiusque coniuge Gudelina, ad Iustinianum Imperatorem & Theodoram Augustam, continentes exhortationem ad oblatam pacem non respuendam. Ac denique recitat Procopius alias priuatas, quibus idem Theodatus pollicitus est cedere regno iis, quos ad illud suscipiendum Iustinianus mittere voluisset, dummodo duodecim centenariorum annuus prouentus ipsi relinqueretur.

c Cassiod. 10. ep. 19. & 33.

III.

Agapetus igitur eiusmodi subire prouinciam barbarico coactus imperio, cum pecunias ad expensas faciendas non haberet, regio Arcario opus habuit vasa sacra oppignerare: quæ tamen postea Cassiodori opera reddita esse Ecclesiæ S. Petri; à qua sublata fuerant, patet ex ipsius ea de re scriptis ad Arcarios literis *d*. Ad quæ quidem prouoco Nouatores; qui ex opulentia creuisse Romanæ Ecclesiæ summam auctoritatem, non ex Apostolica potestate, dixere; cum tamen sit cernere illam, quæ sub barbarico iugo ad extremam inopiam redacta erat, vix vnquam sublimiori maiestate Orbi Christiano imperasse, & maxime in ipsa Imperatoria ciuitate Constantinopoli; prout quæ superius dicta, & inferius dicenda sunt, abunde docent. Cuius etiam Pontifex Agapetus, etsi visus esset ad Imperatorem pro pace roganda missus, à Deo tamen proficisci iussus apparuit, vt ægrotanti Ecclesiæ Orientali medelam afferret. Eiusque rei illud indicium præcesserit, quod ornatus à Deo miraculorum virtute, in itinere constitutus, in quodam Græciæ loco mutum & claudum natum per sanctissimi Missæ sacrificii oblationem ambulare & loqui fecit; vt indubitatus est testis S. Gregorius *e* Magnus. Vt plane illud contigerit Agapeto, quod olim primo Romano Pontifici, eidemque Apostolorum Principi Petro, dum rogatus à mendico claudo eleemosynam dare, propetita pecunia qua carebat, sanitatem omni pretiosiorem auro contulit.

d Id. 12. ep. 20. NON EX DIVITIIS, SED EX APOST. AVCTORITATE MAIESTAS ROM. ECCL.

MIRACVLA AGAPETI.

e Greg. 3. dial. 3.

IV.

Cum autem Agapetus Constantinopolim peruenit, causam egit Legationis suæ. Sed quod eam feliciter successisse Anastasius *f* tradit, redarguitur ex Liberato *g* & Procopio *h* huius temporis scriptoribus, dum ille ait, Imperatorem minime acquieuisse Agapeto pacem Theodato petenti, quod magnam pecuniarum vim in exercitu comparando iam insumpsisset: ex Procopio autem intelligitur, dum ista tractarentur, Gothos qui residui erant in Dalmatia, cū Romanis conferentes manus, priores tulisse, occiso primum Mauritio Mundi filio, ac demum Mundo ipso qui anno superiori Salonas ceperat, quas hoc anno Gothi itidem recuperauerunt: hisque Theodatum elatiorem factum, de promissionibus factis pœnitere cœpisse; & ex altera similiter parte Iustinianum easdem reiicientem, confestim Belisarium è Sicilia in Italiam cum exercitu traiicere præcepisse. Hæc pluribus Procopius. Sed Ecclesiasticas Agapeti res Constantinopoli gestas prosequamur.

f Anast. in Agap. g Liber. c. 21 h Procop. l. 1. de Bell. Goth. DE PACE GOTH. EPIS DEMPTA.

V.

Ipse igitur cum eo aduenisset, Anthimum illius Ecclesiæ Episcopum intrusum hæreticum, in salutationem & communionem suscipere noluit, nisi prius libello oblato se Orthodoxum probaret, & ad sedem suam, nempe Trapezuntium, reuerteretur: nec à sententia dimoueri vnquam potuit, quamuis id vehementer ab ipso peteret Imperator, (cui nondum compertus fuerat Anthimus hæreticus) necnon impia Anthimi fautrix Theodora Augusta, imo & recusanti exilium minarentur, quando & constantissime Agapetus Imperatori respondit: *Ego quidem peccator ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum venire desideraui: nunc autem Diocletianum inueni: qui tamen minas tuas non pertimesco.* Cum vero post hæc interrogatus ab eo coram ipso Imperatore Anthimus, renuisset confiteri duas in CHRISTO naturas, tunc idem Imperat. fraude comperta, *humiliauit se* (vt loquitur Anastasius) *Sedi Apostolicæ, & adorauit beatissimum Papam Agapetum:* Anthimum autem ab eodem depositum expulit; atque in eius locum suffici curauit *Menam*, genere quidem Alexandrinum, sed Constantinopoli agentem Præpositum primarii xenodoxii Samsonis dicti, virum pietate, religione Orthodoxa, aliisque virtutibus conspicuum. Hæc quidem omnia ita gesta referuntur apud Liberatum, Anastasium, Miscellæ *i* auctorem. Narrat vero præterea Zonaras *k*, nonnullos è primoribus Episcopis Orientis refragatos esse Agapeto in gratiam Imperatricis, sed eos omnes ab eo superatos. Additque Nicephorus *l*, Anthimum ab Archimandritis eius vrbis & aliis accusatum, nec quidem in conspectum ab Agapeto admissum fuisse, sed mox sede depositum. Magis tamen inhærerem sententiæ Anastasii, dicentis vocatum eum, & discussione facta, cum nollet confiteri duas in Christo naturas, damnatum fuisse: nisi illud ipsum quod Nicephorus, testarentur etiam Acta Synodalia *m* ex libello Archimandritarum oblato Imperatori post obitum Agapeti. Vnde intelligere possumus, vsum Agapetum plenitudine potestatis, cum Anthimum obstinatum hæreticum per libellos aduersus eum oblatos agnouisset, minimè seruata ordinaria forma iudicii, nec congregato (vt moris erat) Concilio, ipsum damnasse.

i Mis. l. 16. k Zonar. Annal. par. 3. in Iustiniane.

l Niceph. l. 17. c. 9.

m Conc. Cōstant. sub Men. Act. 1.

VI.

Sic itaque depositō Anthimo postquam præfuisset ei Ecclesiæ (sicut habet Nicephorus *n*) menses decem, vel (vt Zonaras) annum vnum; haud tamen extitit eiusmodi iudicium commiseratione ieiunum: siquidem aditum ei apertum reliquit, vt si quando ab errore pœnitens ad Ecclesiam redire vellet, Episcopatus priſtinus Trapezuntinus eidem integer seruaretur. Sed eam commiserationem ægre ferentes Orthodoxi Archimandritæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, alio eidem Agapeto oblato libello petierunt, vt præfinitus Anthimo daretur ad resipiscendum terminus, quo elapso nullus ei vltra pateret ad aliquam Ecclesiam aditus. Idque postea eundem Pontificem, iterata in eum sententia, statuisse, & omni prorsus sacerdotio & communione Catholica priuatum declarasse; docetur prædicto Archimandritarum ad Imperatorem libello. Quo minus autem vteretur impertita primo ab Agapeto humanitate, tradit Euagrius *o* impedimento fuisse impiissimum illum Seuerum caput hæreticorum Acephalorum, qui tunc erat Constantinopoli; à quo male suasus, elegit sede carere; quam Chalcedonense Concilium profiteri. Verum & præter illum, excommunicatos fuisse ab eodem Romano Pontifice eundem nefandum Seuerum horum omnium malorum architectum, eiusdemque cum eo nequitiæ collegas Petrum Episcopum quondam Apameensem, & Zoaram monachum Syrum, Constantinopoli tunc agentes, atque impiæ Theodoræ Augustæ ipsius Seueri discipulæ protectione fultos, non regiam solum vrbem, sed & totum ferme Orientem facinorosis suis dictis factisque infestantes; traditur in iisdem superius citatis, aliisque ab Episcopis Orientis aduersus eosdem hæreticos oblatis Agapeto, & post eius obitum Imperatori libellis *p*; in quibus plurima eorundem scelera recensentur.

n Niceph. in Chron.

o Euag. l. 4. c. 11.

ANTHIMVS SEDVCTVS A SEVERO.

p Ext. in Conc. Cōst. sub Men. Act. 1

Quod autem ad Menam spectat Anthimo subrogatum; is antequam Episcopus deligeretur, suæ fidei professionem publice edere iussus, ei subscripsit quam olim præscripsisse diximus Hormisdam Papam omnibus Orientalibus communionem Catholicam expetentibus. Simulac vero ab Agapeto ordinatus est, obtulit rursum more maiorum eidem Romano Pontifici libellum fidei, quo omnes condemnauit hæreses, & Catholicam fidem professus est: cuius postea meminit Vigilius *q* Papa in epistola ad Iustinianum. Hisque omnibus peractis, idem Agapetus literis suis circularibus omnes Episcopos Orientales de cunctis reddidit certiores; quarum quidem extat *r* exemplar ad Petrum Hierosolymitanum: vbi etiam inter Menæ dignitatis prærogatiuas adnumerat, quod à temporibus Petri Apostoli nullum alium vnquam Orientalis Ecclesia suscepisset Episcopum manibus Romanæ Sedis ordinatum.

VII. MENAS SVBROGATVS IN LOCVM ANTHIMI.

q Vigil. ep. 2. Tom. 1. epist. Rom. Pont.

r Ap. Conc. Const. sub Men. Act. 1. & ep. 5. Agap.

VIII.

Cum vero post hæc idem sanctissimus Pontifex (vt tradit Liberatus *s*) in Italiam reuerti disponeret, accidit vt Constantinopoli migraret ex hac vita, & tanquam omnibus rite absolutis ad quæ Dei prouidentia missus erat, post opus vocaretur ad præmium. Eius vero corpus (vt ait Anastasius) in loculo plumbeo translatum est Romam, ibique sepultum in basilica S. Petri duodecimo Calendas Octobris: quem diem ipsius depositionis annuatim celebrandum suscepit Ecclesia Catholica. Nam quod ad tempus obitus spectat; quo huius anni mense ac die defunctus sit, haud satis liquido constat. Certum est tamen, errare eos qui eius obitum ponunt, vigesima prima mensis Maii: siquidem ex Actis eius Concilii, quod hoc eodem anno celebratum est Constantinopoli post migrationem Agapeti, redarguun-

s Liber. Breuiar. c. 22.

OBITVS AGAPETI PAPÆ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

EGREGIA EIVS LAVS.

tur, dum eius prima Actio die secunda eiusdem mensis Maii habita legitur; adeo vt opus sit affirmare, ipsum ante eum mensem defunctum esse: quem quidem Anastasius tradit sedisse tantum menses vndecim & dies octodecim. Verum cum superioris anni exordio ipsum obiisse Pontificatum, satis aperte fuerit demonstratum, vtique amplius anni periodo vixisse, opus est affirmare. Cui quidem haud scio an similis alius inueniri possit, qui adeo breui temporis spatio Ecclesiæ Catholicæ præsidens talia tantaque perfecerit; cuiusque æque apud Occidentales atque Orientales sint amplissima conclamata præconia; ac denique qui cunctis Fidelibus sui ardentius reliquerit desiderium.

IX.

Cæterum extat in Bibliotheca *t* Vaticana, de rebus eius gestis Constantinopoli, deque obitu, ac magnifico funere, vetus monumentum, scriptum (vt apparet) Latine ab aliquo Latino qui tum in eadem vrbe interfuit cum Agapeto; quod quidem in omnibus consentit cum illis quæ ex aliis auctoribus dicta sunt superius. Habet autem præterea quædam alia notatu digna: Atque imprimis quod numeret annos *Ab Ædificatione Romanæ Ecclesiæ*. Sicut enim priscis Romanis mos fuit ab Vrbe Condita annos recensendos deducere, ita etiam nonnullis Ecclesiasticarum rerum tractatoribus visum est, ab Ecclesia Romana condita temporis nota memorias consignare. Cum vero ait auctor, Agapetum a Theodato Constantinopolim missum esse anno Ædificationis Romanæ Ecclesiæ quadringentesimo nonagesimo; ei chronographiæ ad amussim nostram cohærere gaudeas. Etenim dom ostendimus anno Domini quadragesimo quinto Romanam Ecclesiam ab Apostolorum Principe Petro esse erectam, plane ab eo tempore absoluitur hoc anno quadringentesimus nonagesimus, & inchoatur quadringentesimus nonagesimus primus, quo vertitur annus Domini quingentesimus trigesimus sextus. Deinde cum idem auctor agens de obitu Epiphanii Episcopi Constantinopolitani, qui Anthimum præcessit, ait eum fuisse vigesimum illius vrbis Episcopum; prorsus numerare intelligitur à Metrophane prædecessore Alexandri qui vixit tempore Constantini Magni: ab ipso enim vsque ad Epiphanium, demptis hæreticis & schismaticis, totidem numerantur. vt plane appareat Nicephori catalogum, à Stachi (vt ait) ab Andrea Apostolo ordinato inchoatum, his temporibus ignotum fuisse. Est denique illud ibidem notandum, quod ait Agapetum sacra altaris sedisque velamina, sacrilegi Anthimi infecta fœtibus, Catholicis precibus eluisse. Quæ verba citantur à Gratiano *u* ad probandum antiquum ritum, quo Catholica Ecclesia semper exhorruit quæ sunt hæreticorum, non solum ipsas Ecclesias, sed & omnia vtensilia, nec illis absque expiatione sacra vti solere. Sicut etiam eodem scripto additur, eundem Agapetum omnes templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis, Orthodoxis obsecrationibus expiasse.

t *Lib. num. 1538. ap Regest. S. Greg. pag. 194. Rec. Baron. Tom. VII. hoc an.*

CHRONOGRAPHIA AB ECCL. ROM. CONDITA.

EXPIARI SOLITA TEMPLA, ET VTENSILIA HÆRETICORVM.

u *De consec. dist. 1. c. 23.*

[Quod audis de serie Episcoporum Constantinop à Metrophane incipiente, accipe de iis qui ibi sedere cœperunt post translatum illuc Imperium, & nomen vrbi mutatum. Quin enim iam antea Byzantium habuerit Episcopos, nullum est dubium. (Vide supra ann 324. num. xv.) Porro Metrophanem fuisse vltimum Byzantii, & primum Constantinopolis, constat ex iis quæ de eo diximus ad an. 317. num. III.]

X.

Iam vero quæ post sanctissimi Pontificis decessum, antequam successor crearetur, Constantinopoli fieri contigerit, hic enarranda sunt. Cum essent illic Apostolicæ Sedis Legati, quos idem Pontifex præmissos anno superiori ad res componendas, decedens nulla imminutos potestate reliquit; his cura potissima fuit, vt quæ ab eodem viuente constituta fuissent, iisdem obseruandis Orientales Episcopi suis ipsorum verbis obligarentur. Quapropter communicato consilio cum Mena Constantinopolitano, (quem & ipsum vicaria sedis Apostolicæ præfectura ab eodem Agapeto insignitum fuisse, declarant Acta Synodi tunc habitæ) eorum omnium communi opera, hoc anno sexto Nonas Maii celebrari cœptum est CONCILIVM *Constantinopoli* ex vicinioribus Episcopis, & iis qui in eadem ciuitate tunc reperti sunt, omnibus quinquaginta numero: præsidentibus cum Mena iisdem Apostolicæ Sedis Legatis, quos superius recensuimus, Sabino Episcopo Canusino, Epiphanio Asculano, Asterio Salernitano, Rustico Fesulano, & Leone Nolano, necnon Theophane atque Pelagio S.R.E. diaconis. Interfuerunt q; pariter Menas & Petrus Apostolicæ sedis Notarii, cum quibusdam subdiaconis procuratoribus reliquorum clericorum eiusdem Sedis: itemque legati ab Antiocheno Patriarcha Ephræmio, atque alii à Petro Hierosolymitano, necnon è Cæsarea Cappadociæ, Ancyra, & aliis locis missi. Cuius quidem Synodi cum extent Acta, quinque Actiones siue Sessiones complectentia, recitata in Concilio *x* Hierosolymitano paulo post habito; eorum hanc tibi summam describimus; Vt post trinam, eandemque peremptoriam dilationem Anthimo ad resipiscendum datam ex indulgentia (vt testatus est Menas Episcopus) Agapeti Papæ, postque publicas ipsius proclamationes, cum magna diligentia perquisitus nusquam comparuisset, tandem ex sententia totius Synodi, confirmantis eam quam iam antea Agapetus pronuntiarat, idem Anthimus declaratus fuerit excommunicatus, & omni sacerdotio & dignitate, ac nomine Catholico priuatus. In vltima vero eiusdem Synodi Actione, habita pridie Nonas Iunii, (quam Acta Hierosolymitani Concilii Secundam Synodum vocant, Primam vero eam quam memorauimus contra Anthimum; licet potius dicendæ sint variæ Actiones eiusdem Synodi) discussis multis libellis Synodo atque Imperatori oblatis, confirmata est pariter Agapeti sententia damnationis in Seuerum, Petrum, atque Zoaram eorundemque sequaces omnes.

x *Tom. 2. Conc.*

XI.

Quibus omnibus peractis, dedit literas *y* de damnatione dictorum omnium hæreticorum Menas, simulque Acta Synodi misit ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum. Iustinianus autem Imperator pro munimento eorum quæ à Patribus decreta essent, sanctionem *z* contra eosdem damnatos hæreticos scripsit hoc ipso anno octauo Idus Augusti, qua insignibus eos cunctis vrbibus pellens, in solitudines relegauit; librosque & scripta ipsorum igni condemnauit; atque omnibus hæreticis silentium iniunxit, vt non auderent amplius loqui de fide. Denique Petrus Hierosolymitanus acceptis Menæ literis, collegit & ipse *Hierosolymis* CONCILIVM Episcoporum quadraginta quinque, decimo tertio Calendas Octobris; cuius extant *a* Acta, quæ Actiones omnes Constantinopolitani continent, & approbatas confirmant. Quæ vero post hæc secuta sunt de Anthimo, dicetur suo loco. De Seuero autem liquet, haud diu post fuisse superstitem: quem & cum præsenti vita, æterna quoque fuisse priuatum, Deus aliquando ostensum voluit, ad curandum quemdam hominem in errorem lapsum; vt certa testificatione narratur in Prato *b* Spirituali. Hocque insuper anno decimo Iustiniani (vt auctor est Liberatus *c*) Theodosius Episcopus Alexandrinus hæreticus Seuerianus Constantinopoli agens, cum omnino subscribere renuisset Concilio Chalcedonensi, in exilium ab Imperatore pulsus est; ibidemque Constantinopoli ordinatus in locum eius *Paulus* vnus ex Abbatibus Tabennensibus Ægypti, fide Orthodoxus: procurante hæc omnia Pelagio, qui Constantinopoli fuit Apocrisiarius Romanorum Pontificum, Agapeti primum, inde Siluerii, ac demum Vigilii.

y *Ext. in Syn. Const. sub Men. Act. 1.*

z *Nou. 42.*

CONCIL. HIEROS. PRO CONFIRMATIONE CONSTANTINOPOLITANI.

a *Tom. 2 Conc.*

b *Prat. Spir. c. 26.*

c *Liber. c. 21. & 23.*

XII.

Dum autem ista in Oriente gererentur, cum Romæ auditus esset obitus S. Agapeti Papæ, atque iam habetentur more maiorum sacra comitia de nouo creando Pontifice; Rex Gothorum Theodatus (si credimus Anastasio) SILVERIVM natione Campanum, Hormisdæ quondam Papæ filium, accepta ab illo pro electione pecunia, contradicente licet clero, per vim ac metum ordinari curauit. Cæterum Liberatus *d* qui his temporibus vixit, vbi de Siluerio ex subdiacono in Pontificem electo agit, nihil penitus habet de violentia Theodati, nec de collata à Siluerio pecunia. At vero vim à Gotho tyranno & hæretico Ariano illatam esse, facile adducimur vt credamus. Sed datam fuisse pecuniam, ne quidem verisimile fit; cum illud ipsum crimen idem Siluerius Vigilio sedis suæ postea inuasori, in libello sententiæ eius damnationis potenter obiiciat: quod haud puto adeo constanter facere potuisse, si eiusdem ipse reus criminis extitisset. Addit autem Anastasius, ordinato Siluerio sub vi & metu, quamuis multi ex clero eius electionem antea im-

DE SILVERII PP CREATIONE.

d *Id. c. 22.*

probassent,

probassent, tamen postea ad euitandum schisma ei subscripsisse. Sed quod idem Hormisdæ Papæ filius à Liberato quoque dicitur, intelligendus est haud dubium ex legitimo susceptus matrimonio ante Pontificatum: alias enim ad tantæ dignitatis gradum prorsus fuisset inhabilis. Quo autem huius anni mense vel die eius creatio contigerit, haud quis facile poterit nisi diuinando definire, quod incertus sit dies mortis Agapeti. Quod tamen Anastasius scribat, id factum esse mense vno atque diebus viginti octo post eiusdem obitum Agapeti; certumque sit pariter ex Actis Synodalibus superius citatis, Agapetum defunctum esse paulo ante tempus Synodi Constantinopolitanæ sub Mena, quæ cœpta est hoc anno sexto Nonas Maias: inde colligi posse videtur, Siluerii suffectionem factam esse mense Iunio.

XIII. DE PACTIS CONVENTIS INTER THEOD. AVG. ET VIGILIVM DIAC.

Interea vero tradit Liberatus, Theodoram Augustam Constantinopoli cum Vigilio Agapeti diacono secreto egisse, vt ipse promitteret, si in Papam eligeretur, sublaturum se Synodum Chalcedonensem, atque Anthimum & Seuerum restituentem, eorum fidem confirmaturum; eoque facto promisso, Vigilium literas ab Imperatrice ad Belisarium accepisse, vt ipse Pontifex Romanus constitueretur, septemque insuper auri centenaria ipsi darentur: sed cum Romam aduenisset, reperisse iam Siluerium in throno sedentem. Quid autem post hæc factum fuerit, dicetur inferius. Hunc autem illum Vigilium esse scias, quem iam temporibus Bonifacii vidisti pertentasse ab eo viuente subrogari in sedem, contra leges omnes & consuetudines Ecclesiasticas. Vt non debeat mirum videri, si gloriæ turbine agitatus in præcipitia se dederit.

XIV. CONCIL. AVRELIAN. II.

Hoc eodem anno, qui numeratur vigesimus secundus Childeberti Francorum Regis ab obitu Clodouei parentis, celebrata est in Galliis nono Calendas Iulii, Secunda SYNODVS AVRELIANENSIS, cui præfuit *Honoratus* Episcopus Bituricensis, interfueruntque vel per se vel per vicarios Episcopi triginta; inter quos plures fuere sanctitate celebres, quorum nomina scripta sunt in Tabulis Ecclesiasticis: ab iisque conditi sunt canones vnus & viginti, ad disciplinam Ecclesiasticam, & mores Catholicos pertinentes. Inter quos qui numeratur quartusdecimus sancit, oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine interfuerint interempti, recipi debere, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse. Qui vero inter eos Episcopos recensetur *Iniuriosus* Turonensis, præter doctrinam ac vitæ sanctitudinem constantia quoque excelluit in redarguendis Regibus: de quo inter alia refert memoria dignum sanctus Gregorius *e* eiusdem postea Ecclesiæ Episcopus, quod cum Rex Clotarius indixisset, vt omnes Ecclesiæ Regni sui, tertiam partem fructuum fisco soluerent, idque reliqui Episcopi licet inuiti consensissent; viriliter hoc Iniuriosus respuens, ac subscribere dedignans, Regi dixerit: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur:* & iratus contra Regem, nec Vale dicens abscesserit: eaque re commotus Rex, timens etiam virtutem sancti Martini, cuius Ecclesiæ idem Iniuriosus præsidebat, miserit ad eundem Episcopum munera, veniam petens, & quod fecerat damnans.

e Greg. Tur. de gest. Frā. lib. 4. cap. 2. ap. Baron. an 540. CONSTANTIA INIVRIOSI EPISC. IN REGES.

XV. ARIANI MILITES REBELLANT IN AFRICA.

Hoc item anno contigit, vt Ariani milites in Africa, mœsti ob templorum prohibitionem ipsis factam à Salomone Duce exercitus ex mandato Imperatoris *f*; coniurantes in necem eiusdem Salomonis, Paschali tempore in hostes conuersi, Africanam prouinciam dira afflixerint clade; electoque sibi duce *Stoza* tyranno, ab Imperio Romano omnino defecerint: quorum furorem Salomon fugiens, in templo latitans mortem imminentem euasit. Sed hæc pluribus Procopius *g*: subditque de Carthagine ab iisdem seditiosis militibus direpta, ac de accersito Belisario Syracusis in Africam; deque Germano post eum ab Imperatore in Africam misso, cum idem Belisarius ad bellum Gothicum reuocatus est. Sed male lacunam textus Procopii impleturus quis, addidit id factum anno duodecimo eiusdem Imperatoris. Etenim cum idem auctor disertis verbis dicat, tunc accersitum fuisse in Africam Belisarium Syracusis agentem, nonnisi hoc anno id factum oportuit: nempe, vt qui vltimo superioris anni tempore potitus est Syracusis, ibi degens hoc anno reuocatus fuerit in Africam; sequenti vero Romam cum exercitu profecturus, Neapolim sibi obuiam ciuitatem ceperit: quem ab eo tempore semper in expeditione Italica perseuerasse, idem auctor satis ostendit, dum eius singula affectatus est vestigia, & quæ duodecimo etiam Imperatoris anno ab eo sunt gesta, susius est prosecutus.

f Post Nou. Iustin. edit. Iul. pa. 246. & Nouell. 137.

g Procop. de Bell. Vand. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 537.

SILVERII AN. 1.

IVSTINIA. IMP. 11.

VITIGIS REG. 1.

I.

QVi sequitur annus Christi quingentesimus trigesimus septimus. Post Belisarii Consulatum secundus, ponitur idem à Procopio *a* secundus Belli Gothici, & vndecimus Iustiniani Imperatoris. Quo (vt idem testatur auctor) Belisarius Syracusis soluens, Romamque cogitans, primum omnium Neapolim sibi obuiam munitissimam in Campania ciuitatem, post duram viginti dierum obsidionem, in deditionem accepit, & humanissime (si eidem Procopio credimus) tractauit. Verum ab aliis *b* inuenimus traditum, eum ob nimiam cædem ibi perpetratam, à Siluerio Papa, cum Roma potitus est, acriter reprehensum esse, & pœnitentiam agere compulsum. Et æque Anastasius *c* asserit, eundem omnes ciues interfecisse; adeo vt nec ecclesiis, nec sacerdotibus, aut virginibus sacris pepercerit.

a Procop. de Bell. Goth. lib. 1. NEAPOLIS CAPTA A BELISARIO.

b Miscell. lib. 16.

c Anast. in Siluer.

II.

Porro tanti præsidii amissione consternati Gothi, eoque magis quod Regem haberent omnium ignauissimum, imo & de proditione suspectum; quem & viderent non solum nihil de bellico apparatu in tanto rerum discrimine meditari, sed de rebus euenturis scisciari Iudæum quendam magum: iidem nouum sibi creārunt Regem, VITIGEM Ducem, è Dalmatia antea euocatum, virum strenuum, belliciscque sudoribus vbique spectatum; Theodatumque interemerunt, postquam regnasset annos tres. Verum & ipse Vitiges Romam ingressus, tamen Belisario victori ad tempus cedere coactus, commonefacto Siluerio Romano Pontifice, atque vniuerso Senatu, vt Gothis de Vrbe benemeritis fideles persisterent; relictoque ibidem præsidio quatuor millium selectissimorum Gothorum sub Duce Leudere; ipse cum cæteris ad reparandas vires, & res componendas profectus est Rauennam. Vbi filiam Amalasunthæ ibi asseruatam, matrimonio sibi inuitam licet coniunxit; vt ita sanguinis regii, vel ex coniugis saltem parte, Regnum ipsum minime expers esset. Confestimque legationem ad suos qui in Gallia erant Gothos misit, necnon ad Francos, vt eos belli sibi socios iungeret: ac Legatis suis dedit in mandatis, vt Regibus Francorum Gallias cederent, & pecuniam à Theodato pactam persoluerent, vt sic eos his beneficiis obligaret. At interim veriti Romani ne paterentur quæ Neapolitani, suadente Romano Pontifice sese Belisario dedere; missoque qui eum vocaret nuntio, vno eodemque die per portam Asinariam ingressus est idem cum exercitu, & ex aduersa egressi sunt Gothi Rauennam ituri. Potitus autem Vrbe Belisarius; tanquam victoriæ insignia claues portarum Constantinopolim misit, vinctumque Leuderem Ducem, qui capi quam cum aliis fugam capere delegisset. Hisque peractis, in reparandis Vrbis mœnibus egregiam operam nauauit. Hæc omnia fuse Procopius. Qui tamen cum nihil dicat, quonam mense & die huius anni capta à Belisario Vrbs fuerit; Euagrius *d* ait accidisse ad quintum Iduum Decembris, post annos sexaginta quibus à Gothis occupata fuisset. Id ipsum tradit & Nicephorus *e*: Anastasius autem quarto Idus eiusdem mensis. Quod quidem contigit anno ex quo ab Erulis capta est, sexagesimo expleto; ex quo autem à Gothis possessa *f*, quadragesimo tertio.

VITIGES REX GOTHOR.

ROMA SE BELISARIO DAT.

d Euag. lib. 4. c. 18.

e Niceph. l 17. c. 13.

f Miscell. lib. 16.

III.

Hoc eodem anno Paulus Episcopus Alexandrinus Orthodoxus, incaute agens in potestate ipsi ab Imperatore

PAVLVS

EPISC. EIICITVR ALEXANDRIA.

tradita, deponendi in Ægypto Duces & Tribunos hæreticos,& Orthodoxos substituendi;reus necis Oeconomi Ecclesiæ Alexandrinæ iniuste constitutus, in exilium eiectus est,& Imperatoris iussu depositus apud Gazam Palæstinæ à Pelagio S.R.E. Apocrisiario,& Episcopis Antiocheno,Hierosolymitano,Ephesino,& aliis;inque eius locum subrogatus *Zoilus* æque Orthodoxus.quæ cuncta vt se habuerint,diligenter prosecutus est Liberatus *g*. Testatur vero Agatho Papa in Epistola ad imperatores Constantinum,Heraclium, & Tiberium,(de qua suo loco) scriptum fuisse ad hunc Zoilum à Iustiniano edictum pro fide Catholica aduersus Acephalos; quod periisse videtur. Reperiuntur autem complures aliæ eiusdem Imperatoris hoc ipso anno editæ constitutiones,tam de personis rebusque sacris quam profanis;inter quas extat *h* illa data Calendis Septembris, qua in cunctis monumentis publicis apponi voluit nomen Imperatoris, Consulum, & Indictionis.

g Liber. Breuiar. c. 23.

h Nou. 47.

IESV CHRISTI AN. 538.

SILVERII AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 12.

VITIGIS REG. 2.

1. ROMA OBSIDETVR à VITIGE.

COss. Ioanne atque Volusiano aperitur annus Domini quingentesimus trigesimus octauus,idemque à Procopio numeratus tertius Belli Gothici in Italia. Quo Rex Gothorum Vitiges,reuocatis in Italiam Gothis qui apud Francos erant, comparatoque exercitu militum centum quinquaginta millium, aduersus Belisarium veniens, Romam mense Martio obsidere cœpit. Quæ autem crebro inter vtramque partem sint conflata certamina, qui iterati conflictus, & quam in multis prudentia & bellica fortitudo Belisarii enituerit; eundem exacte cuncta narrantem, qui præsens fuit,Procopium *a* consulat qui ea cupit.Illud vero haud omittendum, quod ad pietatem spectans ab eodem narratur;nempe quod cum mœnium Vrbis partem quandam inter portas Flaminiam & Pincianam, quæ lapidum laxata iampridem compagine, à solo ad summum fastigium scissa, vtrimque sic inclinaret vt iamiam casura videretur;Belisarius demoliri niteretur,vt iterato ædificaret: obstitere Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperisse, asseuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam se suscepturum. Quod vtique Romanis ex voto successit; quandoquidem nec eo die quo per Gothos sunt mœnia oppugnata, nec per omne obsidionis tempus, hostilis vis vlla ad hunc locum peruenit. Quapropter cum miraculi postea loco ea res sit habita, nec tarcire quidem imposterum quisquam, nec de integro restituere ausus est. Sed illud maioris miraculi obtinet locum,quod cum per annum & amplius Vrbe obsessa,in suburbiis moram Gothi fecerint, iidemque Ariani, atque Romanæ Ecclesiæ hostes acerrimi; nihil tamen contumeliæ damnive intulerint Apostolorum Petri & Pauli basilicis extra ciuitatem positis,earumve ministris,sed siuerint illic Catholico ritu libere sacra peragi: prout idem testatur auctor. Quibus vehementer redarguas recentes Nouatores,diaboli faces, fæcesque hæreticorum, sacra Deo dicata vbique Sanctorum monumenta rapinis incendiisque vastantes.

a Procop. de Bell. Goth. l. 1. & 2.

MVRVS VRBIS SVB S. PETRI CVSTODIA.

GOTHI VEXERATI BASILICAS SS. APOST.

II. SILVERIVS PAPA PER CALUNIAS EIICITVR.

Hinc vero oborta suspicione, Siluerium Pontificem fauere Gothis, ipsum Belisarius confestim transmisit in Græciam,suffecto ei *Vigilio*;vt breuiter Procopius tradit.Sed dolosæ fraudis fuit iste prætextus. Eiusmodi namque velamento obtectum est,quod impia Theodora Augusta (vt vidimus ex Liberato)cum Vigilio molita fuerat; nempe se effecturam vt ipse crearetur Pontifex, ea conditione vt Anthimum in sedem Constantinopolitanam restitueret, eiusque Seuerianum dogma confirmaret. Cæterum ex eodem Liberato, huius rei gestæ historiam exacte prosequente, necnon ex Anastasio liquet, Theodoram à Siluerio petiisse, vt Anthimum restitueret;eo vero recusante,eandem Belisario mandasse, vt quæsitis prætextibus illum deponeret, ac Vigilium ordinari curaret. Inde igitur intentata in Siluerium de proditione calumnia, fictæque eius nomine ad Regem Gothorum literæ, quarum colore Belisarius ipsum fraudulenter tentum,vestituque indutum monachi,in exilium misit Pataram Lyciæ ciuitatem,inque locum eius,renitente licet clero, Vigilium intrusit;cum præter literas Theodoræ ad Belisarium hac de re datas, idem insuper Vigilius duo auri centenaria eidem promisisset.Hæc partim ex Anastasio,partim ex Liberato.

VIGILIVS INTRVDITVR.

III.

DE LITERIS EIVS NOMINE SCRIPTIS.

Addit vero Liberatus;cum procurante Pataræ Episcopo Imperator iussisset Siluerium Romam reduci, & de literis proditionis iudicium fieri, vt si vere ab eo scriptæ dignoscerentur, in alia ciuitate Episcopus degeret; sin autem falsæ fuissent approbatæ,restitueretur suæ sedi; eius Romam aduentu territum Vigilium,eundem à Belisario petitum, sibique traditum, in Palmariam insulam (fœcundam antiquorum martyrum palmis)deduci curasse;scripsisseq; ad Theodoram,& ad Episcopos hæreticos, confirmantem ipsorum hæresim, & anathema dicentem iis qui confiterentur duas in Christo naturas. Hæc quidem Liberatus;quæ licet in reliquis vera sint,in iis tamen quæ de Vigilii scriptis ait, dubiæ sunt fidei, aut potius commentitia, excerpta ab eo ex falso vulgi rumore. Vt enim taceam, quod alia absurda pleraque, atque etiam repugnantia, in iisdem quæ recitat scriptis habentur; si ea re vera misisset Vigilius cur non ex illis postea conuentus est, cum de restitutione Anthimi altercatus est Constantinopoli cum Theodora;vel cum à Theodoro Cæsariensi Episcopo & Mena Constantinopolitano durius vexatus est, quod vtrumq; excommunicationi subiecisset? vel cum in ipsum furore accensus Iustinianus Imperator, etiam vi agendum putauit? aut demum cum in eundem Quinta Synodus,quod ad eam accedere renueret,nõnihil commota est?Hæc enim omnia publice sunt vẽtilata,& publicis Actis excepta; nec tamen de dictis scriptis vel nutu vsquã mentio. Sicut nec apud Facundum Hermianensem in Africa Episcopum, res sui temporis scribentem: qui cum in Vigilium ob Tria Capitula subinfensus, plura alia ei obiicere non dubitauerit,de hoc tamen omnino siluit. Denique Sextæ *b* Synodi Acta testantur, nomine Vigilii ab hæreticis confictas fuisse literas ad Iustinianũ & Theodoram:cuiusmodi & istas quarum Liberatus meminit,fuisse,haud est dubitandum.

b Sext. Syn. Act. 15.

IV. LAPSVS VIGILII NIHIL OBEST INTEGRITATI ROM. SEDIS.

Sed etsi vere illas scripsisset Vigilius, nullum tamen ob id inferri penitus præiudicium Apostolicæ Sedi potest. Siquidem nihil tunc definiuit contra fidem tanquam Pontifex, neq; animo hæretico,sed occulte propter cupiditatem præsidendi,vt Liberatus ibidem dicit, & ex epistola ipsius asserta apparet:Scribit enim,vt caueant ne illam aliquis videat,& vt sint omnia occulta vsque ad tempus. Nam si palam se hæreticum professus esset, sciebat vtique nunquam passuros Romanos eum sedere in Petri cathedra:si vero Catholicum, metuebat Imperatricem hæreticam, cuius opera Pontificatum adeptus etat. Itaque in eiusmodi angustiis constitutus, rationem istam excogitauit,vt Romæ Catholicus ageret, & interim per literas apud Imperatricem hæreticum simularet. Imo etsi reuera Vigilius addidisset ad schisma hæresim, hoc tamen nihil obesset nostræ causæ:quandoquidem id fecit dum adhuc superesset Siluerius;quo viuente(licet in exilio)nemo iure dixerit, Vigilium schismaticum, alienæ sedis emptorem & inuasorem,(quæ negari non possunt)vere potuisse dici Pontificem Maximum, quamuis in Sede Petri sederit violenter intrusus. Quomodo vero Apostolicæ Sedi moderandæ inuigilauerit in eodem Vigilio Dei vindicta, quasq; Belisarius,qui impiæ fœminæ mandatum adeo impie executioni mandanit, meritas ab eadẽ fœmina luerit infœlix pœnas,suis locis dicturi sumus. quamuis & idem Belisarius confestim post scelus admissum in se reuersus, ad illud expiandum Romæ Ecclesiam erigendam curauerit, cui præforibus inscriptionem *c* incidi voluit,pœnitentiæ suæ perpetuum monumentum.

c Hab. Bar. Ann. Tom. VII. hoc an. Extantque Romæ impriset exteriori Eccl. Crucifero rum prope fontẽ Triuium.

V.

Cum igitur expulso Siluerio, ageret Vigilius Romanum Pontificem; quantumlibet spurius, quæ tamen Pontificii muneris essent,exequi minime prætermisit. Nam inter alia acceptis Eucherii Episcopi Hispani literis ad Siluerium scriptis ipse sub dictis huius anni Coss.Calendis Martii respondisse *d* reperitur ad eiusdem consultationem de Priscillianistarum hæreticorũ abstinentia,de Arianorũ rebaptizatione,

d Vigil. ep. 2. Tom. 1. epist. Rom. Pon.

de

de Glorificationis hymno, de Romanæ Ecclesiæ primatu, aliisque rebus ad religionem pertinentibus. Ac quinque post diebus, hoc est pridie Nonas eiusdem mensis Martii, pari modo rescripsit *e* ad Cæsarium Arelatensem Episcopum de causa Theodoberti Francorum Regis: qui cum incestuosas contraxisset nuptias cum vxore fratris sui, factique pœnitens Romanum Pontificem per Legatos consuluisset, cuiusmodi pœnitentia posset illud purgare delictum; Vigilius Cæsario mandauit, vt iuxta compunctionis meritum eidem Regi pœnitentiam iniungat, illud quam maxime præcauendo, ne posthac cum illa femina commisceretur, aut eadem domo habitaret.

e Ex. Baron. vbi sup. ex arch. Eccl. Arelat.

Sed iam his recensitis, quid interea in Oriente in causa Origenistarum factum sit, videamus. Narrat Liberatus *f*, redeunte è Palæstina Pelagio sacrę Romanæ Ecclesiæ diacono & Apocrisiario, aduenisse pariter cum eo Constantinopolim nonnullos eiusdem Palæstinæ monachos (suasu videlicet magni illius Theodosii Cœnobiarchæ vt ipsius Acta *g* declarant) secum deferentes capitula è libris Origenis excerpta, quæ peterent damnari vna cum ipso auctore Origene. Quaptopter (vt decebat rem tantam, cuius causa per multa sæcula vniuersus Christianus exagitatus est Orbis) Occidentalibus simul conuenientibus cum Orientalibus, nempe pro illis Apostolicæ Sedis Apocrisiario Pelagio, & pro istis Mena Episcopo Constantinopolitano, & ipso (vt dictum est) vicem agente Romani Pontificis, vna cum aliis Orthodoxis Episcopis qui hoc tempore reperti sunt Constantinopoli; magnum actum est de Origene iudicium, cui nec defuit maiestas Imperatoris: quippe qui cum videret omnes in idipsum conspirare, vt cum erroribus suis auctor etiam damnaretur; iussit ea de re Sententiam scribi aduersus ipsius errores atque blasphemias, petitas ex deliriis Paganorum & Manichæorum, additasque ab ipso alias quamplurimas, quibus Ario aliisque hæreticis materiam præbuit suarum ipsorum impietatum. quæ quidem Sententia *h* extat valde prolixa, ac multiplici doctrina referta, Patrumque testimoniis roborata, ab iisdem Episcopis dictata, sed ipsius Imperatoris nomine ad Menam inscripta; vt petulantes hæretici, nihili facientes Episcoporum iudicium, per Imperatoriam constitutionem coerceri possent: eandemque ad se missam confestim approbarunt Vigilius Romæ sedens, Zoilus Episcopus Alexandrinus, Ephræm Antiochenus, & Petrus Hierosolymitanus: vt horum omnium testis est Liberatus. Additi vero sunt etiam decem anathematismi contra eosdem errores ipsummetque eorum auctorem Origenem; quos postea in Quinta Synodo recitatos probatosque esse, Nicephorus *i* tradit. Quod enim sciretur extra fines esse regalis auctoritatis, de fide sancire decreta, eam ob causam prædicta nomine Imperatoris scripta ad Menam epistola, idem monitus est Menas Synodum habere, à qua ista omnia confirmarentur: quod & factum est, vt videbitur.

f Liber. cap. 23. ad fi. MONACHI PALÆST. AGVNT VT DAMNETVR ORIGENES.

g ap. Sur. 11. Ianuar.

SENTENTIA IN ORIGENEM LATA.

h Rec. Bar. vbi supr. ex cod. M. S. Ant. Aug.

i Niceph. li. 17. c. 27 28.

[De multiplicibus Origenis erroribus, atque blasphemiis, vide (si cupis) hoc Edictum Iustiniani, & aliam eiusdem epistolã ad Quintam Synodum: itemque Hieron. Apol. aduers. Ruffin. Cyrillum monachum in Vit. S. Quiriaci. apud Sur. 29 Sept. ac denique ipsum Baron. Annal. Tom II. V. VII. Tot enim fuerunt, vt vix in vnum colligi possint. Egimus vero & nos superius variis locis de eorum quamplurimis, vt non sit modo in iis recensendis laborandum.]

VII.

k Liber. cap. 24. DE TRIB. CAPITVLIS CONTROVERSIA CŒPTA.

Sed quid interim mali ex hac iusta Origenis damnatione emerserit, Liberatus *k* declarat, dum addit Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, secretum Acephalorum Origenisque defensorem, & Augustis familiarem charumque, ingenti dolore damnationis Origenis ductum, vtque Pelagio Apocrisiario (qui eam quæstionem in ipsius Theodori odium mouisse existimaretur) vicem rependeret, atque nouis Ecclesiam Catholicam perturbationibus infestaret; & ipsum damnationem molitum esse in Theodorum Mopsuestenum, eo quod ille multa contra Origenem scripsisset; ideoque opera impiæ Theodoræ Augustæ Acephalis fauentis, Iustiniano fraudulenter suggessisse, omnes Acephalos Synodum Chalcedonensem facile suscepturos, dummodo vellet Imperator damnationem promulgare contra eundem Theodorum Mopsuestenum, cuius laudes quamuis hæretici ea Synodus susceperisset: itemque in Epistolam Ibæ Edessæni Episcopi, quã licet Nestorianam Synodus Orthodoxam pronuntiasset; ac deniq; aduersus Scripta Theodoreti Cyri Episcopi contra Cyrillum Alexandrinum, quæ tametsi pro Nestorio auctor edidisset, eundem Synodus in communionem recepisset. Quæ quidem TRIA sunt illa famosissima CAPITVLA Synodi Chalcedonensis, ex quorum damnatione à Iustiniano incaute & imprudenter postea promulgata, quamplurima oborta sunt mala, ipsaque Ecclesia diro ac diuturno schismate vexata; vt suis locis videbitur inferius. Adeo vt ipse Theodorus Cæsariensis (quemadmodum scribit Liberatus) aliquando publice clamitauerit: *Se & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc scandalum introisset in mundum.* Post quæ idem Liberatus finem imposuit Breuiario suo de causa Nestoriana & Eutychiana, collecto (vt ait) ex Ecclesiastica Historia è Græco in Latinum translata, & ex Gestis Synodalibus, atque etiam Epistolis sanctorum Patrum. Quod quidem paulo post hæc ab eo scriptum fuisse, ex vltima rerum gestarum narratione possumus intelligere, dum obiter meminit abdicationum & exiliorum, quibus sequentibus annis mulctati sunt Episcopi qui damnationem Trium Capitulorum suscipere recusarunt. Ipsum autem ex eorum classe fuisse qui pro Tribus Capitulis pugnantes, pro Theodoro etiam Mopsuesteno, licet non pro erroribus eius, scripsere defensionem; haud obscure suis ipse scriptis *l* significat.

l Id. cap. 3. 20. 24.

VIII.

QVÆ VERE EA EVERINT.

Quamus autem ex iis quæ iam dicta sunt, & aliis quæ per singulos ferme annos dicenda erunt, nulla dubitatio exoriri possit, quin hæc quæ diximus Tria fuerint illa Capitula, de quibus tantopere controuersum est: tamen hic occurrendum putamus cuidam viro erudito, qui à veraci maiorum sententia discedens, nouam de iisdem iniit rationem; dum hæc illa Tria putauit esse Capitula, quorum fit mentio in epistola à Ioanne Romano Pontifice *m* ad Auienum aliosque Senatores, quæ eadem habet Iustinianus in fidei professione *n* ad ipsum Ioannem Papam: nempe, Vtrum Christus vna sit ex personis sanctissimæ Trinitatis: Vtrum Deus Christus carne passus fuerit, impassibili Deitate: & Vtrum Maria Virgo vere & proprie dici possit Mater Dei. Verum cum constet contentionem de Tribus Capitulis esse agitatam inter solos Catholicos, non autem inter Catholicos & hæreticos; quis vnquam Catholicorum de tribus istis quas modo diximus quæstionibus dubitauit? & nõ potius omnes pro iis aduersus Nestorianos & Eutychianos iunctis manibus animisque certauerunt? Quæ ergo causa, vt ob easdem inter se inuicem tam in Oriente quam Occidente, Catholici diro schismate fuerint separati? Accedit quod cum non tempore Ioannis illius, sed sub Vigilio orta fuerit quæstio de Tribus Capitulis, vel inde appareat longe diuersa illa fuisse ab iis quæ recitantur in epistola Ioannis. Sed de his modo hactenus.

m Ext. in Bibl. Patrũ.

n L. reddentes. C. de Sum. Trin.

IX.

Quod ad res bellicas Italiæ pertinet; hoc ipso anno duodecimo Imperatoris, tertio Belli Gothici (vt narrat Procopius *o*) Dacius Mediolanensis Episcopus vitæ sanctitate insignis, ciuesque primores nõnulli Romam venientes, petierunt à Belisario modicum ad se præsidium mitti, quo asseuerarent se Mediolanum omnemque Liguriam abductam à Gothis posse Imperatori recuperare. Quomodo autem Belisarius eadem Mediolanensi ciuitate, totaque Liguria potitus sit, idem auctor diffuse narrat.

o Procop. l. 2. de Bell. Goth. DACIVS EPIS. CÕTRA GOTHOS IMPLORAT AVXILIVM.

IESV CHRISTI AN. 539.

SILVERII AN. 3.

IVSTINIA. IMP. 13.

VITIGIS REG. 3.

I.

ANno Domini quingentesimo trigesimo nono, Apione Ægyptio absque collega Consule, (quem complures Imperatoris hoc anno datæ *a* Nouellæ Arionem nominant) eodemque numerato à Procopio Belli Gothici in Italia quarto, Siluerius Papa tertio exacto suæ sedis anno, auctoritate Pontificia, qua licet in Palmaria insula relegatus detentus pollebat, octauo Calendas Iulii CONVENTV habito quatuor, qui eum conuenerant, Episcoporum, videlicet Tarracinensis, Fundani, Firmani, & Minturnensis, aduersus

a Non. 78. vsque 91. SILVERIVS PP. DAMNAT VIGILIVM INTRVSVM.

Vigilium Romanæ Cathedræ emptorem & inuasorem anathematis sententiam *b* tulit Cū & præterea congemiscens vniuersus Catholicus Orbis ad Vniuersalis Ecclesiæ Præsulis ignominias, communicaret eius vinculis (vt licuit) scriptis epistolis: quarum vnicum supereſt monumentum *Amatoris* Episcopi, (quem puto Augustodunensem illum, qui hoc tempore egregia claruit *c* in Gallia sanctitate) literas *d* ad Siluerium cum muneribus mittentis, vt ea quam patiebatur ipsum leuaret inopia. Sed quæ extat ad eundem reddita Siluerii nomine epistola, ab aliquo otioso ex Anastasii scriptis absque vllo iudicio consarcinata est, quibus & ipse suas miscuit fabulas. Mouentibus autem aduersariorum inuidiam eiusmodi obsequiis Siluerio impensis, necnon anathemate ab eo in Vigilium illato, eius rei causa factum est, vt arctiori custodiæ traditus demum inedia cōsumi coactus fuerit: verum id quidem sensim, adeo vt in annum sequentem ærumnosam vitam produxerit.

b Ext. Tō. 2. Conc. & Tō. 1. Ep. Rom. Pont. in Siluer.

c Martyrol. Rom. 26. Nouemb.

d Ext. eod Tō. 1. Epist.

II. CLADES ILLATAE OB EXPVLSIONEM SILVERII.

Sed quantis hæc Deus illata in Summum Pontificem mala immissis cœlitus cladibus vindicarit, satis apparet ex iis quæ Procopius hoc anno decimotertio Iustiniani accidisse refert: cum in Oriente *e* Hunnorum ingentes exercitus Istrū transmittentes, multis ciuitatibus expugnatis, omnia vsque ipsius Constantinopolis suburbana, nullo penitus resistente populantes, immensos thesauros cum centum & viginti millibus captiuorum abduxerunt; aliisque sæpius iteratis incursionibus talia Imperio mala intulerunt, qualia nunquā vlla natio barbara intulisset: adeo vt ad ea tandem auertenda, coactus fuerit Imperator annuam ipsis polliceri pecuniam; sicut & Saracenis. Eodemque insuper anno Rex Persarum Cosrhoes à Vitige Gothorum Rege solicitatus *f*, statuit rumpere fœdus, quod perpetuum fuerat cum Romanis sancitum; nec vllis potuit ab instituto reuocari literis vel legationibus Imperatoris. Atque item in Occidente, quamuis post durissimam anni integri & dierum nouem Vrbis obsidionem, ea demum soluta fuerit; mox tamen hoc ipso anno quarto belli Gothici tam dira fames vniuersam vexauit Italiam, vt maxima pars hominum præ inedia interierit; fuerintque qui fame cogente alterni se esitarent. Nam & fœminas duas tunc fuisse tradunt, quæ diuertentibus ad se peregrinis, noctuque dormitantibus, interfectis diuescebantur; quousque decem & septem diuersis temporibus in cibum absumptis, decimus octauus somno tunc subito experrectus vtramq; obtruncauit. Describit hanc famem pluribus Procopius: quam auctor Miscellæ coniungit cum ea quam Vrbs passa est dum obsideretur; tantam fuisse asserens, & maxime in Liguria, vt pleræque matres infelicium natorum comederent membra. Sed hæc ipse perperam ponit sub anno decimoquinto Imperatoris, & grauiori errore Cedrenus sub anno nono: quæ ad hunc præsentem referenda sunt ex Procopio, qui quæ vidit scripsit.

e Procop. de Bel. Pers. l. 2.

f Id. de Bel. Goth. l. 2.

III. EXCIDIUM MEDIOL. PER GOTHOS.

Quo pariter idem auctor recenset cladem amplissimæ ciuitatis Mediolanensis; quando à Gothis iterum capta, & solo penitus æquata est, in eaque virorum trecenta millia sine vllo ætatis respectu trucidata; fœminæ vero seruitiorum in morem abductę, Burgundionibus dono datę sunt, vt promeritas eis gratias Gothi redderent pro inita secum belli societate. Reparatus autem, qui ad Romanos defectionis causa fuerat, minutatim concisus obiectus est canibus vorandus. De Dacio vero eiusdem ciuitatis Episcopo quid factum fuerit, licet nihil Procopius dicat, ipsum tamen fuga lapsum S. Gregorius *g* Papa testatur, dum narrat quomodo Constantinopolim pergens; Corinthi domum quandam ab infestatione dæmonum inhabitabilem redditam, pristino vsui restituerit. Quem quidem, quod Gothi Ariani essent Gregorius causa fidei Mediolano exactum putauit.

g Greg. 3. epist. 4.

IESV CHRISTI AN. 540.

VIGILII AN. 1.

IVSTINIA. IMP. 14.

VITIGIS REG. 4.

I. CONSULATUS PAULINI.

ANnus Domini quingentesimus quadragesimus, ascriptus Fastis reperitur Consulatu solius Iustini: tu addas ex Actis Concilii Aurelianensis Tertii collegam Paulinum, Iuniorem dictum ad distinctionem alterius Paulini, qui ante sex annos vna cum Iustiniano Imperatore Consulatum gessit. Cum enim in fine eorundem Actorum celebratio eius Synodi adscribatur anno vigesimo sexto Childeberti Francorum Regis sub Consulatu Paulini Iunioris, hic ipse annus Domini quingentesimus quadragesimus demonstratur: tot enim reperiuntur anni ab obitu Clodouei ipsius patris. Sic igitur libera iam reddita Vrbe, placuit Belisario hoc afflictis reddere Senatoribus, vt more maiorum suum in Occidente creatent Consulem. Porro idem annus à Procopio, qui per chronologiam Belli Gothici numerat annos, ponitur quintus eiusdem belli.

II. SILVERII PAPAE MARTYRIUM.

Quo anno *S. Siluerius* Papa in insula Palmaria confectus ærumnis, consumptusque inedia, diem tandem clausit extremum duodecimo Calendas Iulii, cum sedisset annos quatuor, & quintum inchoasset: cuius memoriam sub Martyris titulo quotannis Ecclesia celebrat. De loco autem martyrii, inter Liberatum & Anastasium ea discrepantia reperitur, quod ille in Palmaria insula id accidisse ait, iste vero in Pontia: sed cum eædem ipsæ sibi vicinæ sint, perfacile potuit de altera in alteram transferri; cum alioqui Liberatus, qui iis ipsis temporibus scripsit, firmiorem sibi vendicet fidem. Sepultus est autem (vt ait Anastasius) in eodem loco, & ad eius sepulchrum multitudo concurrens languentium sanitatem obtinere consueuit. Quod autem aliqui nec duos annos eius sedi concedunt; inde id euenisse liquet, quod absurde admodum numerent eius sedis tempus vsque ad Vigilii intrusionem tantum: quem tamen vsque ad consummatum martyrium, semper legitimum perseueraſſe Pontificem haud est dubium.

III. VIGILII SUBROGATIO.

Cum vero subdat Anastasius, cessasse Episcopatum eius dies sex; hinc intelligi posse videtur, quem inuasisse vidimus Vigilium viuentis Siluerii sedem, simulac eundem defunctum, atque miracula edentem audiuit, se in ordinem redegisse; probe scientem minime legitimum fore dicendum Romanum Pontificem, quem tot crimina deturpassent, sicque hæc considerantem, locum præbuisse sacris habendis comitiis. Vtrum autem vere eo animo è sede descenderit, vt prorsus eam desereret, an vero fretus potentia Belisarii, ac voluntate Theodoræ Augustæ, quod esset eandem mox iterum conscensurus, vafre id egerit, vt quoquo modo eliceret de sua electione Cleri Romani consensum; hæc relinquimus Dei cordium inspectoris iudicio. Ipsum vero Clerum putamus in tantis rerum angustiis, ad euitandum schisma, quod proculdubio dire vexaturum erat Ecclesiam, si quemcunque alium eligerent, diuinitus inspirato consilio communi sententia VIGILIVM creasse Pontificem: cum præcipue eius personam, quam diu ob oculos habuissent, satis perspectam haberent; nempe esse hominem reuera Catholicum, honoris tantum cupiditate flagrantem, vtpote Senatoria Romana familia ortum, quem Anastasius tradit filium fuisse Iohannis Consulis. Hæc enim cuncta Dei nutu esse facta, Romanam Ecclesiam solicitius gubernantis, probauit euentus. Siquidem statim vbi legitima electione Petri thronum Vigilius conscendit, ab hac fidei petra sacerdotale robur in tantum accepit, vt plane ad confutandas hæreses visus sit habuisse à Domino Apostolatum. Cum alioqui hæc fuerint illa tempora, (quando videlicet clero non adeo liberum fuit quicquid vellet agere) de quibus dictum est à S. Gregorio *a*, ab Hormisda Papa vsque ad Vigilium fuisse Romanorum Pontificum ordinationes expositas.

DEI PROVIDENTIA PRO ROM. ECCL.

a Greg. 7. ep. 53.

IV. IVSTINIANI LEGATIO AD VIGILIUM.

Hoc igitur anno, simulac de legitima Vigilii prouectione Constantinopolim nuntium perlatum est, Iustinianus Imp. more maiorum ad eum protinus legatum mittens Flauium Dominicum V.C. Exconsulem & Patricium, literas dedit vna cum Catholicæ fidei confessione; præstititque id ipsum Menas Constantinopolitanus Episcopus. Quamuis enim desiderentur eiusmodi ipsorum scripta; tamen ita omnino factum esse, aperte declarant quæ ad eos ab ipso Vigilio per eundem Dominicum redditæ sunt literæ *b* sub huius anni Consulatu Iustini, decimoquinto Calendas Octobris. In quibus cum inter alia, de fide Catholica in omnibus semper à se illibate seruata, atque imposterum seruanda, magnifica ac gloriosa prædicet; tum omnem de hæretica ab ipso scripta

b Vigil. ep. 2. & 3.

VIGILII FACTA DIVINITÙS MUTATIO.

epistola

epistola (de qua superius actum est) suspicionem abolet; tum etiam omnem prorsus voluit, siue Theodoræ, siue aliis, adimere spem implendi quæ fuisset aliquando de Anthimi restitutione pollicitus: cum & insuper iisdem suis literis confirmans omnia quæ à prædecessoribus gesta fuissent, ipsum quoque Anthimum vna cum aliis hæreticis atque schismaticis nominatim excommunicauit. Quæ vero post hæc secuta sunt, dicentur inferius.

V. CONCIL. AVREL III.

Ad hunc eundem annum (vt vidimus) referenda est Tertia SYNODVS AVRELIANENSIS: nobilis ipsa quidem ob sanctos Episcopos qui ei interfuerunt siue per se siue per vicarios, numero viginti quinque, sub *Lupo* Archiepiscopo Lugdunensi. A quibus inter alia plura, quæ triginta duobus capitulis definierunt, recens fuit conditus *c* Canon aduersus Iudæos, ne à die Cœnæ Domini vsque ad secundum Sabbathi in Pascha, hoc est ipso quatriduo, procedere inter Christianos, vel Catholicis populis se vllo loco aut quacunque occasione miscere præsumerent. Cui accessit Regis Childeberti edictum ea de re promulgatum, quod citatur à Concilio *d* Matisconensi Primo: vbi & huius sanciendæ legis ea causa narratur, quod Iudæi cernerentur quasi insultationis causa illo quatriduo per plateas aut forum deambulare. Sed & memoria dignum quod in eodem Concilio Aurelianensi statutum *e* est, (annuentibus haud dubium ipsis Francorum Regibus, quibus cum fide Catholica Ecclesiastica immunitas cordi semper extitit) vt clericus cuiuslibet gradus, sine Pontificis sui permissu, nullum ad sæculare iudicium præsumeret attrahere, nec laicus clericum.

c Conc. Aurel. III. c. 19 DE IVDÆIS CANON, ET REGIS EDICTVM.

d Conc. Matiscon. 1. c. 14.

e Conc. Aurel. 31.

VI. GENEROSA FRANCOR. EXPEDITIO IN ITALIAM.

Hoc item anno periclitans Regnum Francorum ciuilibus Regum motibus, ingenti miraculo quieuit; cum exercitus Childeberti & Theodoberti Clotarium obsidens, horrenda tempestate, Crotildis Reginę matris eorum precibus ad Deum fusis cœlitus excitata disiectus est, super Clotariũ ne signo quidem apparente horroris huiuscemodi. Rem gestam memorant Gregorius *f* Turonensis, & Sigebertus. Post quæ idem Theodobertus, filius Theodorici fratris prędictorum Childeberti & Clotarii, ingenti animo inuadens Italiam, magnum in Picenum vsque duxit exercitum; qui lue exagitatus, re infecta redire ad propria coactus est. Scimus Procopium ob hanc rem in Francos vt fœdifragos multa iactare: Verum si consulas Agathiam *ff*, haud leuem extitisse generosissimæ genti belli suscipiendi causam censebis; dum videlicet testatur; haud æquo animo pati potuisse Theodobertum, Iustinianum Græco fastu in monumentorum publicorum Imperatoriis titulis ponere, sicut Wandalicum & Gothicum, ita & Francicum nomen; perinde ac sicut Wandalos & Gothos, ita Francos etiam debellasset, quos ne attigisset quidem. Hæc enim ad inferendum bellum satis iusta visa est causa Francis, alieni dominii vel nomine tenus impatientibus, & iugo extraneo subdi penitus auersantibus. Quod autem idem Procopius calumniose de iisdem tradit, humanas adhuc id temporis hostias immolare consueuisse, nullum habet adstipulatorem, imo contradictorem eundem Agathiam æque Græcum; qui non solum asserit (quod & superius alia occasione dictum est) eos fuisse Christianos, sed & rectissimæ inter cæteros omnes fidei: habuisseque præterea Antistites & sacerdotes, atque festos haud secus ac alios Catholicos peregisse dies: sed & moribus quam optimis fuisse præditos, & maximum in modum ciuiles; æquitate vero ac concordia, cæterisque virtutibus admirabiles.

f Greg. Tur. lib. 3. hist. Franc. c. 28. Sigeb. an. 540.

ff Agath. lib. 1. hist.

VII. RAVENNA CVM VITIGE REDDITA BELISARIO.

Quod ad res Gothicas in Italia spectat; aliquis tandem diuinæ gratiæ Romano exercitui fauor illuxit, cum nulla Ducum virtute Rauenna ciuitas, ipseque Vitiges Rex Belisario deditus est. Hæc vero quomodo se habuerint, fusius narrat qui interfuit Procopius *g*, ea sub isto Belli Gothici anno quinto claudens; vnde eos redarguas, qui referunt ad annum superiorem. At non hic finis eiusdem belli. Parua enim Gothorum manus minime despondens animum, nouum elegit sibi Regem nomine THEODEBALDVM: quem cum ipso regni exordio vix mille Gothi sequerentur, iidem tamen postea maioribus in annos singulos, nouis creatis Regibus, incrementis aucti, res Romanas (vt videbitur) in maximum discrimen adduxerunt. Ita enim plane diuina prouidentia moderans res humanas, reuiuiscere ad tempus permisit extinctum in Vitige regnum Gothorum, vt Latinis nimium insultantes Græcos cohiberet: deleuit vero tandem, vt Arianæ hæresis error, quo nec afflictati cladibus Gothi carere voluerunt, cum ipsa gente pariter tolleretur.

g Procop. de Bell. Goth. l. 2. THEODEBALDVS REX GOTHOR.

At in Oriente hoc eodem anno Rex Persarum Cosrhoes in Romanum Imperium mouens exercitum, nullo obice per Mesopotamiam descendit in Syriam, eandemque deuastauit, ciuitatibus dirutis, & habitatoribus aut cæsis aut captiuis factis: interque alias vrbes, Antiochia omnium totius Orientis nobilissima potitus, cunctos ciues in ea inuentos internecioni, ipsam vero ciuitatem igni tradidit; excepta maiore tantummodo Ecclesia, quã pecunia redempram voluit esse saluam, antea tamen ornamentis omnibus spoliatam. Hæc pluribus Procopius *h*. Quorum malorum causa haud dubium extitit violatio Catholicæ fidei toties ab Episcopis Syriæ facta, imprimis vero Antiochenis quos superius vidimus: vt plane sicuti experimento cernimus amplissima quæque ruere ædificia, cum ipsorum fundamenta deficiunt; ita etiam necesse sit pessumdari florentissimas ciuitates atque prouincias, quibus Christianæ religionis deficit fundamentum. Clamant enim hæc vera esse omnes quæ sunt in Asia, Africa, & Europa, Orientalis olim Imperii prouinciæ, traditæ feris barbaris ad multa sæcula deuastandæ.

VIII. ANTIOCHIA CAPTA A PERSIS.

h *Id. lib. 2. de Bell. Pers.* DEI VINDICTA OB VIOLATAM CATHOL. FIDEM.

Ista vero narrans Procopius, meminit etiam ingentis cuiusdam miraculi de Ligno Crucis Dominicæ, quod Apameæ in Syria accidit; cum idem sacratissimum lignum populo ad adorandum ab Episcopo ostensum, ingenti flamma ignis splendentis non comburentis visum est circumdari. Cuius etiam virtute Apameenses ab insultu Cosrhois liberatos esse, tradit Euagrius *i*, qui puer cum parentibus suis miraculo interfuit. Denique scribit Procopius, Iustinianum Imper. tanta perpessum, magna demum ignominia pacem à Cosrhoe redemisse, persolutis quinquaginta millibus nummum aureorum, totidemque per annos singulos dandis loco tributi pactis.

IX. MIRACVLVM DE LIGNO S. CRVCIS.

i *Euag. lib. 4. c. 25.*

IESV CHRISTI AN. 541.

VIGILII AN. 2.

IVSTINIA. IMP. 15.

THEODEB. REX.

ANnus Christi quingentesimus quadragesimus primus, Basilii Iunioris sine collega Consulatu notatur: nec post hæc amplius aliquis Consulatus reperitur additus Fastis, etsi non penitus Consules esse desiisse, ex veteribus monumentis apparet. Ita namque plane Iustinianus eiusmodi per Consulatus à maioribus deductam chronologiam palatim antiquare voluit, illam inducens qua per Imperatoris annos tempora notarentur, adderentur vero Consules si qui essent. Cuius quidem mutationis causa, haud paruam sibi peperit ab antiquitatis cultoribus inuidiam. Nisi potius ea fuerit conuertenda in legum conditorem Tribonianum, qui amplissimam dignitatem, quam ipse, quod Paganus esset, consequi non valeret, aliis inuiderit. Verum ab omnibus in ipsum Imperatorem culpa transfertur, fastu elatum ægre ferentem sub alieno potius nomine quam Imperatoris tempora numerari: cum tamen ipsi Imperatori vna cum Imperio iugem inhærere voluerit Consulatum, vt constat ex ipsius constitutione *a* de Consulibus.

I. CONSVLATVS COEPTI NEGLIGI.

a *Nou. 105.*

Porro hic ipse annus, qui & decimus quintus eiusdem Imperatoris numeratur, idem à Procopio *b* sextus ponitur Belli Gothici; quo Belisarius ob ingentem sibi partam gloriam de recuperata Italia, ab æmulis passus inuidiam, in suspicionemque adductus affectatæ tyrannidis, Constantinopolim reuocatus est: quo & secum duxit Vitigem Gothorum Regem, eiusque vxorem, necnon liberos Theodebaldi noui Gothorum Regis, aliosque quamplurimos præstantiores captiuos, vna cum pecunia omni, & regia pretiosaque cætera supellectile. De cuius gloria, insignibusque virtutibus, & in omnes beneuolentia, necnon de immenso in eum omnium fauore, pluribus agit Procopius *c*.

II. b *Procop. l. 2. de Bell. Got.* BELISARIVS REVOCATVR AB ITALIA.

c *Ibid lib. 3. in pr.*

III.

Imperator autem totà Deo beneficiis auctus, illud ei ex more rependit obsequium, vt de S. Ecclesia Catholica quibuscumque valeret studiis benemereret, pias sanctasque cum pro fide *d* aduersus hæreticos, ad disciplinam Ecclesiasticam conseruandam promulgans sanctiones, quarum plures extant hoc ipso anno editæ: atque imprimis illa *e*, qua celebrati in prouincia Africæ Byzacena *Concilii* statuta, ad priuilegia Ecclesiarum & disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, confirmauit. Sed & Calendis Maij Nouellam *f* promulgauit constitutionem, quadraginta quatuor capitulis distinctam, de ordinationibus, acculationibus, aliisque rebus ad disciplinam Episcoporum, clericorum, ac monachorum spectantibus. Qua vero mente tum hæc, tum alia ad res Ecclesiasticas pertinentia, soleret ipse sancire decreta, cum sæpe alias (vt vidimus) contestatus fuerit, tum maxime hoc eodem anno alia edita decimo Calendas Martij constitutione *g* declarauit se id minime agere vt leges Ecclesiæ præscriberet, sed vt aliorum querelis pulsatus vindicem se canonum ac regularum Ecclesiasticarum præstaret. Verum accidit, vt cum vehementiori inuigilaret studio super sacrorum custodiam canonū, dum videret eos ab iis negligi qui magis obseruare deberent, Episcopis; aliquando canones ipse conculcauerit, penitusque pessumdederit Ecclesiasticam Oeconomiam. Sic enim ex quadam hoc eodem anno Calendis Februarij edita constitutione *h* apparet, præter ius fasque tunc vsurpatum fuisse, vt per prouinciarum Præfectos Episcoporum iudicia exercerentur, & ab iis ad maiores Præfectos appellaretur, ac rursum si opus esset ad Imperatorem: cum tamē non sæculares Iudices causas cognoscere Episcoporum & inferiorum clericorum, sed Synodos Episcoporū & si ab his esset appellandum, non ad Imperatorem, sed ad maiores Sedes, ac denique ad Romanum Pontificem recurrendum; docerent sacræ sanctorum Patrum regulæ, traditio ostenderet, vsusque probasset: tunc vero laicis concessum se his immiscere, cum vel ad hæreticos aut schismaticos comprimendos, vel aduersus potentiores aut discordes, ab Episcopis essent in auxilium vocati. Cæterum hæc ipsa quæ fuerunt obiter pertractata, æque videntur ab eodem Imperatore esse correcta: siquidem nulla eius sanctio reperitur, qua Episcoporum causas à Præfectis cognosci voluerit, & ab iis ad alios item sæculares Iudices, ac denique ad imperatorem appellari.

IV.

At vero hoc item anno aliam promulgauit *i* decimoquinto Calendas Aprilis, de Ecclesiasticis titulis & priuilegiis, aliisque multis ad Ecclesiarum iura & xenodochia pertinētibus, qua cum de quatuor Synodis primum decreuisset, earum dogmata sicut sanctas Scripturas accipi debere, & regulas sicut leges obseruari; mox de sede Constantinopolitana addidit, vt primum locum post Romanā teneret; ex earundem Synodorum definitionibus id se non definire, sed definitum promulgare seu confirmare testatus. Verum cum tam ex Concilio Oecumenico Constantinopolitano, quam etiam Chalcedonensi id sibi Episcopus Constantinopolitanus vendicare conatus esset, nec valuisset resistente (vt vidimus) S. Leone Papa; Iustinianus modo id non tam ex iure canonum sibi arrogauit, quam contra omne ius fasque præsumpsit. Quo item anno Calendis Iunij alia edita constitutione *k*, antiquauit priuilegium Ecclesiæ concessum de præscriptione centum annorum, quod esset litium seminarium; satis existimans fore quadraginta annorum periodum, vt Ecclesia sua sibi vendicare valeret.

V.

Hoc insuper anno idem Imperator, quem aduersus Samaritanos Christianorum hostes infensissimos leges scripsisse vidimus, monitus iam à Sergio Episcopo Cæsarensi eos ad meliorem frugem restitutos esse, nouam edidit sanctionem *l*, qua pœnas in eos sancitas antiquauit. Verum cōuersionem ab eis non ex animo factam, sed simulate vt à pœnis quibus affligebantur liberarentur, atque parentum hereditatum, quibus per leges priuabātur, participes esse possent; testatus est postea Iustinus Iunior aduersus eos rescribens *m*: de quorum rursus sceleribus dicetur suis locis. Hoc vero ipso anno Iustiniani decimoquinto, ponit Cedrenus *Auximitarum* in Æthiopia populorum ad fidem conuersionem, ex voto Adadi ipsorum Regis, quo se obligauit Christianam amplecti religionem, si victoriam referret de Homeritis Damiani Iudæorum Regis ditioni subditis; quorum Adadus regionem vna cum Rege cepit ac possedit. Sed hæc anno sequenti contigisse in Miscella narrantur. Ad Homeritas autem iam ante Euangeliū peruenisse, superius vidimus; sed rursum ipsorum Rex Damianus apostatasse videtur.

VI.

Hoc pariter anno Domini quingentesimo quadragesimo primo, à Gordiano *n* ponitur consummatum martyrium *S. Placidi* monachi discipuli S. Benedicti, & sociorum, in Sicilia à piratis illatum. Sed dum illud consignat anno Iustiniani decimotertio, dicendum esset eos passos esse anno Domini quingētesimo trigesimo nono. Ceterum quamuis eos egregiam consecutos esse coronam martyrij, nullatenus reuocari possit in dubium; (siquidem antiquiores Ecclesiæ *o* tabulæ inter martyres allectos habent:) tamē ab auctore qui sub nomine Gordiani eam conscripsit historiam, multis ipsa reperitur erroribus deprauata, qui & temporum rectæ rationi & historicæ veritati repugnant. Cuius etiam sunt generis epistolæ *p*, quæ siue Gordiani, siue aliorum nomine, apud Leonem Ostiensem in Appendice leguntur Chronici Cassinensis; ac præcipue Iustiniani Imperatoris nomine, qua vult salua esse Cassinensi monasterio, quæ Tertullus Placidi parens, quæve Iustinus Senior Augustus eidem Cœnobio contulisset rura, villas, castra, oppida, ciuitates, & municipia ibidem recensita. Non indiget qui eos primus tantus genuit Pater sanctissimus Benedictus, neque ab eo descendens sancta & generosa posteritas per cuncta sæcula in Ecclesia Dei feliciter propagata, eiusmodi mentitis gloriæ titulis, siue ex sanguinis nobilitate, siue ex diuitiarum amplitudine comparatis: qui etsi nec his caruere, ex virtutibus tamen terræ cœloque sunt redditi celeberrimi.

VII.

Hoc eodem anno, qui post Consulatum Paulini Iunioris reperitur inscriptus, ex consensu Theodoberti Francorum Regis, sexto Idus Nouembris celebrata est sub *Honorato* Archiepiscopo Bituricensi, *Aruernis* in Gallia SYNODVS; cui etsi pauci numero, meritis tamen excelsi quindecim interfuerunt Episcopi, quorum plerique egregia claruere sanctitate: interque illos *S. Gallus* eiusdem tunc Aruernensis Ecclesiæ Antistes, quem patruum suum fuisse gloriatur S. Gregorius *q* Turonensis Episcopus, dum multa de eo admiratione quidem digna recensēt; & inter alia, quod aliquando maximum suæ ciuitatis incendium oppositis sacrosanctis Euangeliis penitus extinxerit. Quod vero adfuisse etiam eidem Synodo reperitur *Flauius* Rhemensis Episcopus; ex eo velim obseruet, plane errore deceptos qui *S. Remigii* eiusdem Ecclesiæ Episcopi obitum referunt *r* ad annum Domini quingentesimum quadragesimum quintum. Nam quomodo ad illud tempus potuit peruenisse, si hoc anno sedisse Flauius reperitur, quem & præcessisse ponitur Romanus eiusdem S. Remigij primus successor. Par erat (si licuisset) Antistitis celeberrimi, Francorum Apostoli, ex hac vita ad Deum trāsitum certis signasse die & anno. Sed quod quæ de iis scripta ferūtur, haud immobili veritate subsistant, inuiti abstinere cogimur, & nonnisi hic dumtaxat obiter meminisse. Gregorij *s* enim Turonensis testificatione, asserentis septuaginta annos & amplius eū sedisse, & Hincmari septuaginta quatuor tribuentis, inualuit opinio illa, vt qui creatus habetur Episcopus anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, idem peruenerit ad annum quingentesimum quadragesimum quintum. Sed Synodalia Acta maiorem sibi vendicant fidem; ex quibus liquet neque ad annum septuagesimum peruenisse.

VIII.

Ceterum in hoc Concilio Aruernensi sexdecim à Patribus conditi reperiuntur canones, ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam, conseruandamque. Interque alia, damnauere illos qui à Regibus bona Ecclesiæ vsui pauperum inseruientia impetrarent, quique Regum fauore potius quam meritis Episcopatus adipiscerentur. Siquidem ait Gregorius *t* Turonensis, tēporibus Regis Theodorici, parentis Theodoberti, sub quo hæc Synodus celebrata est, illud iniquum germen cœpisse pullulare, vt sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à clericis. Cuiusmodi impietatem patris detestatus pius filius Theodobertus, sanciri voluit Ecclesiasticas leges, quibus iura antiqua Ecclesiis illibata penitus seruarentur.

d Nouel. 109 115. 132.
c Ext. in collect. Iulia. prope fi. CONCIL. BYZACENVM.
f Nouel. 123
g Nouel 137 IVSTINIANVS CANONVM VINDICEM AGENS, EOS CONCVLCAT.
h Nouel. 115. *in pr.*
k Nouel. 11
l Nouel. 125
m Nouel. 144. AVXIMITARVM CONVERSIO.
n DE MARTYRIO S. PLACIDI. *Ap. Sur. 5. Octob.*
o Martyrol. Rom. 5. Octob.
p [De harum Epist. suppositione agit pluribus Gallon. in Resp. ad Monach. Bened. pro defensione eorū quæ de his dixerat Baronius, edita Romæ ann. 1604.
CONCIL. ARVERNENSE.
q Greg. Tur. l. 2. de glor. mart. c. 23.
r Sigeb. in Chron. & alii eum secuti.
DE OBITV S. REMIGII FRANC. APOST.
s Greg. Tur. de glor. Confess. c. 79.
t VETITVM RES ET BENEF ECCL ACCIPERE A REGIB. *l. 10. in Vit. S. Gall.*

IESV CHRISTI AN. 542.

VIGILII AN. 3.

IVSTINIA. IMP. 16.

TOTILÆ REG. 1.

I. ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus secundus, absque nouis Coss. inchoatus, Post Basilij Consulatum inscribitur, idemque à Procopio Belli Gothici septimus numeratur. Quo in Italia occiso Rege Theodebaldo, Gothi euexerunt in regnum ARARICVM: eodemque paucos post menses perempto, TOTILAS Theodebaldi nepos, ingenio & viribus præstans in flagellum dominantium in Occidente Græcorum, Rex creatus est. Qui hoc ipso anno, non amplius quam quinque millium Gothorum collecto exercitu, bis collatis signis Romanorum exercitum superauit. reliqua vero fortiter ab eo gesta, eademque à Procopio *a* enarrata, suis locis memorabuntur.

TOTILAS GOTHORVM REX.

a *Procop. de bel. Goth. lib. 2.*

II. ANTIOCHIA RESTITVTA.

Hoc eodem anno Iustinianus Imp. adiiciens animum vt incensam à Cosrhoë Persarum Rege Antiochiam restitueret, non solum munitiorem illam reddidit, sed & magnificentiorem ecclesiis, xenodochiis, theatris, balneis aliisque ædificiis cum publicis tum priuatis, quæ Procopius *b* describit.

b *Id. de aed. Iustin. lib. 2. in fin.*

Quod autem ad res Occidentis spectat; hoc eodem anno Rex Francorum Childebertus, vna cum fratre Clotario, aduersus Theudem Gothorum Regem Arianum in Hispania regnantem mouerunt exercitum; victoresque Cæsar-augustam vsque peruenientes, accepta ab obsessis illus vrbis ciuibus S. Vincentij martyris sacra Tunica, (cuius per muros in ieiunio & fletu, ac cum psalmodia Ecclesiastica circumductæ, mirabili virtute ciuitas est ab eorundem Francorum inuasione defensa) aliisque sacris Sanctorum Reliquiis, in redemptionem obsidionis, subacta magna Hispaniæ parte, cum ingentibus spoliis in Gallias reuerterunt ouantes. De tempore fidem facit Sigebertus: rem autem gestam exactius narrant Gregorius *c* Turonensis, & Aimoinus *d*. Hic tamen errare in eo videtur, dum sub S. Germano Parisino Episcopo ea gesta ponit, quem multis post hæc annis sedisse cõstat. Sub eo tamen S. Germano factum est, vt idem Childebertus Rex anno regni sui quadragesimo octauo, (qui fuit Christi quingentesimus sexagesimusprimus) Sanctorum Reliquias ab Hispanis acceptas, aliasque plures, vna cum patte Ligni S. Crucis, honorifice recondiderit in templo, quod in honorem S. Vincentij sumptuose Parisiis extruxit, multisque prouentibus dotauit; vt ex eodem Aimoino constat: qui amplius habet, eundem S. Germanum ad eandem basilicam aliis quoque spiritualibus muneribus locupletandam, ad loca Sancta in Orientem profectum, à Iustiniano Imp. dono accepisse partem Coronæ Christi spineæ, sanctorumque reliquias Innocentium, & Brachium S. Georgij martyris; eaque in prædicta Basilica collocasse. A quo tempore multum viguisse S. Vincentij in Gallis cultum, testes sunt etiam Venantius *e* Fortunatus & Gregorius *f* Turonensis. Constatque insuper, eundem Childebertum Regem maxime pium, quæ ante expeditionem ædificare vouisset templa in honorem SS. Auiti *g* & Eusichij *h*, quorum prædictione & protectione victoriam reportauit, post reditum insigniter extruxisse. Cæterum cum Scriptores veteres, de adepta victoria Childeberti omnes æque testentur; quidnam est, rogo, quod apud Chronicon Isidori legitur, Theudem quinque Francorum Reges Cæsaraugustam obsidentes debellasse? Quinam enim quinque isti Reges? & vnde victor Theudes, quem victum esse liquet? Hæc igitur facile (puto) consenseris ab aliquo fuisse ad Isidorum apposita, magis quam sanctum virum esse mentitum.

c *Greg. Tur. 3. hist. Franc. 29.*

d *Aimoin. 2. hist. Fr. 29.*

RELIQVIÆ INCAL. ASPORTATÆ. *De quibus agitur apud Baron. part. 10 hoc an. partim. 561.*

e *Ven. Fort. lib. 1. c. 8. & 9.*

f *Greg. Tur. de glor. mart.*

g *Ad. S. Aust. ap. Sur. 17. Iunii.*

h *Greg. Tur. de glor. Cõfess. 82.*

IV. DE TEMPORE OBITVS S. BENEDICTI

Hoc item anno Domini quingentesimo quadragesimo secundo, ponitur à pluribus obitus *S. Benedicti* in Cassino monte; idque ipsum asseritur in Chronco Cassinensi quod tamen minime nobis probatur. Etenim quomodo hoc anno mense Martio dicere possumus ipsum esse defunctum, cum necdum creatus esset Totilas Rex Gothorum, quem hoc anno occiso Theodebaldo præcessit Araricus: cum tamen satis ex S. Gregorio certum sit, S. Benedictum sæpius cum eodem Torila regnante miscuisse sermones? Quare prudentius Leo Ostiensis asserit ipsum defunctum potius anno sequenti, Domini scilicet quingentesimo quadragesimo tertio, duodecimo Cal. Aprilis. Qui vero eum tradidit decessisse anno Christi sexcentesimo tertio Marianus Scotus, longius errauit. Verum hæc dicta sunto ad redarguendos potius de tempore eius obitus vulgatos errores, quam ad certum annum nobis incertum statuendum: cum illud quidem certum sit, plura ab eo post hæc præclare gesta esse.

IESV CHRISTI AN. 543.

VIGILII. AN. 4.

IVSTINIA. IMP. 17.

TOTILÆ REG. 2.

I. ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus tertius, Post Basilii Consulatum secundus inscribitur; idemque à Procopio octauus Belli Gothici numeratur. Quo (vt ipse *a* pluribus describit) Totilas Gothorum in Italia Rex, Samnio, Campania, Apulia, Calabria, aliisque prouinciis atque ciuitatibus potitus est, atque etiam Neapolim post longam obsidionem in deditionem accepit. Quid vero ipsi, eiusque Ducibus in ea expeditione acciderit cum sanctis aliquibus viris, atque inter alios cum ipso sanctissimo Benedicto, & quæ miracula tunc ab iis edi cõtigerit; narrat abunde S. Gregorius *b* Papa in suis Dialogis. Tantum autem ex S. Benedicti monitis profecisse Totilas repertus est, vt redditus mitior multa in illis regionibus humanitatis & continentiæ exempla ediderit: vnde factum est quod de eo scribit Procopius, eius vt nomen sicut fortitudinis & sapientiæ, ita benignitatis atque iustitiæ celebre apud Romanos fieri cœperit.

I.

a *Procop. de Bel. Goth. lib. 3.*

b *Greg. Dialog. lib. 1. c. 2. lib. 2 c. 14. 31. lib. 3. c. 1. 5. 6. 12. 18*

TOTILAS S. BENEDICTI MONITIS MITIOR FACTVS.

Hoc item anno, rursum rupto fœdere Rex Persarum Cosrhoës in Romanum Imperium immisit exercitum: cum Belisarius in Persidem missus, vno tantum castro capto, eodemque postea amisso, nihil præterea memoria dignum egit, inuadente Romanum exercitum ægritudine, adeo vt vix pars eius tertia seruari potuerit: quæ omnia fuse Procopius *c*.

II.

c *Procop. de Bel. Pers. lib. 2.*

IESV CHRISTI AN. 544.

VIGILII AN. 5.

IVSTINIA. IMP. 18.

TOTILÆ REG. 3.

I. ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus quartus, notatus reperitur, Post Basilij Consulatum tertio; idemque à Procopio numeratur Belli Gothici nonus. Quo Totilas Romam cogitans, eam prius literis ad Senatum scriptis, quam armis tentare decreuit: sed cum Ioannes Præfectus Constantinopoli olim missus, Senatum rescribere vetuisset; indignatus Totilas, ad Vrbis obsidionem exercitum mouit: cum istis admonitus Iustinianus Belisarium è bello Persico reuocans, in Italiam misit. Hæc sunt quæ præsenti anno Procopius *a* accidisse tradit. Additque, eodem tempore omnes qui Arianæ hæresis Romæ suspecti haberentur, ne proderent Gothis itidem Arianis Vrbem, inde pulsos esse: quod opera factum creditur Vigilij Papæ. A quo & illud procuratum esse, vt iterum Belisarius in Italiam mitteretur, innuere videtur *Arator* S. R. E. subdiaconus, dum in præfatione ad ipsum Vigilium hoc ipso anno præfixa nobili heroico carmini, quo luculenter Acta Apostolorum à S. Luca conscripta cecinit, ait Vigilij opera Vrbem liberatam esse.

I.

REVERSVS BELISARIVS IN ITALIAM: a *Procop. de Bel. Goth. lib. 3.*

Hoc item anno ponitur à Procopio *b* tertia Cosrhois in Romanorum ditionẽ irruptio; cũ Sergiopolim tentauit ciuita-

II.

b *Id. de Bel. Pers. lib. 2.*

vitatem, quæ S. Sergij patrocinio diuinitus defensa, illæsa permansi; tvt narrat Euagrius *c*, & ipse huius sæculi auctor.

c Euagr. l. 4. c. 27.

III. PESTIS IMMISSA PER ANGELOS MALOS.

Hoc quoque anno lues magna in Oriente grassari cœpit, orta ab Ægyptiis qui apud Pelusium habitant, immissaque per Angelos malos humana specie hominibus apparentes; cuius multos ac mirandos effectus descripsit Procopius *d*. alia vero ab eo prætermissa, sed & nonnulla diuersa, Euagrius *e* addidit; cum videlicet idem morbus progressu temporis varias mutationes acciperet. Eum enim ætatem Procopij longe prætergressum esse oportuit. Siquidem ait Euagrius, annos quinquaginta duos (post quos hæc scriptis mandasse ipse testatur) inter homines grassatum esse; neque Orientem solum ab eo, sed vniuersum ferme terrarum Orbem depastum esse, nonnullasque vrbes penitus habitatoribus orbatas. Quod vero tribus tantummodo mensibus (vt Procopius scribit) Constantinopoli præualuerit, miraculo tribuitur; quod licet nec à Procopio vel Euagrio recēseatur, haud tamen obliuione sepultum est. Nam tantum beneficium, S. Dei genitricis incercessione acceptum, solemni die festo in honorem ipsius instituto, remansit posteris perpetua memoria consignatum die secunda Februarij; cuius meminerunt, præter publicas Græcorum *f* Tabulas, alij tum Græci tum Latini auctores: qui quidem *Hypante*, siue *Hypapante* est nominatus, nempe humilis Occursus Symeonis, cum Deipara suum Filium Dominum nostrum IESVM CHRISTVM in templum intulit. Eius autem festiuitatis in Occidente visus est Gelasius Papa iecisse fundamenta, cum abstulit Lupercalia, mense Februario, vt scribit Varro *g*, agi solita. Sed ex Procopio, qui hæc præ oculis habuit, corrigis necesse est, quod hanc pestem alij decimo Iustiniani anno, alij nono vel alij alio contigisse dixere. Cum vero idem Imperator accepisset Persas quoque ea laborare, misit aduersus eos exercitum, qui ab eis ignominiose fugatus est ac trucidatus: quod pluribus narrat idem auctor.

d Procop. de Bel. Pers. l. 2.
e Euagr. l. 4. c. 28.

DEI GENITRIX PESTEM SEDAT CONSTANTINOPOLI.

f Menolog. Miscel. an. 15 Iustinia. Nicephor. l. 17 c. 28. Cedr. in Comp. Sig. b. in Chron. ann. 542. Le quo vide plura in Not. Bar. ad Martyrol. 2. Febr.

Hoc quoque anno defuncto S. Cæsario Episcopo Arelatensi, in locum eius Auxanius substitutus est: qui cum per legatos Pallium petiisset à Vigilio Papa, hicque dare distulisset absque notitia Imperatoris; tandem anno sequenti, petente Childeberto Francorum Rege, & consentiente Iustiniano Imperatore, eidem non modo pallium misit, sed & vices suas in Gallia delegauit: sicut de his patet ex duabus epistolis *h* ab ipso Vigilio ad eundem Auxanium, aliaque ad omnes Episcopos sub regno Childeberti constitutos, scriptis decimoquinto Calendas Nouembris huius anni, & vndecimo Calendas Iunij anni sequentis, nempe Post Consulatum Basilij tertio & quarto: quibus etiam eundem Antistitem hortatus est, vt pacis fœdera inter Iustinianum & Childebertum integra custodiri procuraret.

IV. AVXANIVS ARELAT. VICARIVS FACTVS VIGILII PP. IN GAL.

g Var. de ling. Lat. lib. 5.

h Rec. Bar. Ann. Tom. VII. hoc & seq. an. ex arch. Eccl. Arel.

Hoc eodem anno decimo nono Imperij Iustiniani, quarta à Cos hoë expeditio facta est, qua ipso primo egressu obsedit Edessam; sed ita vt non iam contra homines, sed contra Deum ipsum Christianorum bellum esset, vt scribit Procopius *b*. Quomodo autem id acciderit, cum Euagrius *c* testetur se à Procopio accepisse, nec tamen apud ipsum Procopium legatur; dicere necesse est mutilum locum illum Procopij. Narrat autem Euagrius; cum intellexisset Cosrhoës omnium illius regionis Fidelium sermone celebrari quandam promissionem à Christo factam, quod nunquam Edessa ab hostibus subiugari deberet; ipsum eo animo eiusdem ciuitatis obsidionem suscepisse, quo illam traditionem falsam esse conuinceret: verum diuina virtute sacratissimæ Imaginis CHRISTI Non-manu-factæ, quam Edesseni ab ipso Domino missam Agbaro ipsorum Regi, summa veneratione colebant, machinis Cosrhois incensis atque dirutis, profligatoque exercitu, eum illinc ignominiose recessisse. Hæc pluribus Euagrius, quæ apud Procopium desiderantur: quamuis & ipse multa alia habeat, quibus diuina virtus in tuenda ciuitate enituit. Qui & ad postremum addit, à Iustiniano redemptas fuisse auro ab eodem Cosrhoë quinque annorum pacis inducias.

II. VIRTVTE IMAGINIS CHRISTI EDESSA DEFENSA.

b Procop. de Bel. Pers. lib. 2.
c Euagr. lib. 4. c. 26.

Hoc item anno cum Græci tum Latini historici *d* tradūt, de Paschatis tempore ex Iustiniani Imp. definitione Constantinopoli erratum esse. Ita namque permittit Deus, vt cū sacris se immiscent Principes, & quæ sunt sacerdotum sibi vsurpant, in errorem labantur. Porro in Occidente pariter de Paschatis die huius anni exortam esse controuersiam, intelligi potest ex CONCILIO Quarto AVRELIANENSI hoc tempore celebrato: (quamuis enim certus non ponatur eius annus; ei tamē præsentes fuisse leguntur iidem ferme Episcopi, qui ante annos quinque interfuerant Tertio in eadem ciuitate habito:) cuius primi duo canones conditi sunt de tempore Paschæ, & quis illud indicere deberet, (aduersus temeritatem, vt apparet, Imperatoris) nempe Episcopus Epiphaniorum die; & si quando de eo dubitaretur, tunc per Metropolitanos Sedes Apostolica consuleretur. Quod autem pertinet ad Cyclum Victoris, qui ita commendatur ab ea Synodo, vt tamen vbi aliqua emergeret ambiguitas, esset consulenda Sedes Apostolica; auctor illius fuit *Victor* Episcopus Capuanus, doctrina & sanctitate celebris, quem Beda *e* dicit his temporibus illum scripsisse ad confutandum Cyclum Victorini Aquitani, qui scripserat tempore Hilari Papæ, vt ex Gennadio vidimus. Verum non hoc anno, sed post Cōsulatum Basilij nouies, ex Victoris seu Victorini cyclo obortam esse aliam controuersiam, idem Beda *f* affirmat. Qui vero confectus est tunc temporis Paschalis Cyclus ad euitandos errores, anno post sequentem, Christi quingentesimo quadragesimo septimo, extat ille quidem, sed mutilatus ex parte, inter Antiquas Inscriptiones *g* in Appendice.

III. ERRATVM IN ORIENTE IN DIE PASCHATIS.

d Miscel. an. 19. Iustin. Cedr. hoc an. & alii. CONCIL. AVREL. IV.

QVANDO, ET A QVO INDICENDVM PASCHA.

e Bed. de 6. ætat. sub. Iustinia.

f Id. de temp. rat. cap. 49. in fin.

g Pag. 1161. num. 5.

[De vero anno prædicti Iustinianei decreti circa celebrationem Paschatis, deque eiusdem sauiori intellectu, ac Ios. Scaligeri in eius explicatione errore, eaque occasione de legitima Ieiunii Quadragesimæ tam apud Latinos quam Græcos inchoatione, ac duratione, & de Kalendarii Gregoriani à calumniis hæreticorum vindicatione, abunde nuper disputauit Dionys. Petauius Soc. Iesv in Not. Chronolog. ad Historiam S. Nicephori Patr. Constantinop. quem vbi consulueris, non pœnitebit te operæ]

Hoc item anno Iustiniani decimonono, missus Areobindus maritus filiæ sororis Imperatoris in Africam; à Guntharide sibi subiecto Duce (sub quo aduersus Mauros Wandali militabant) iam effecto tyranno, necatus est contra fidem præstitam Reparato Episcopo Carthaginensi. Post dies vero triginta sex idem Guntharis dolo necatus & ipse est ab Artabane Duce, quem conuiuio exceperat. Hæc diffuse Procopius *h*: post quæ finem imponit historiæ de Bello Wandalico in hunc vsque annum conscriptæ quod quidem felicissime inchoatum, ac pene absolutum; denuo restauratum difficillimumque in dies redditum est crebris defectionibus populorum, emergentibus nouis tyrannis; postquam Imperator, siue eius ministri, sacrilege agentes, in Insula Romanum Pontificem morti impie coëgerunt.

IV. TYRANNI IN AFRICA.

h Procop. de Bel. Wand. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 545.

VIGILII AN. 6.

IVSTINIA. IMP. 19.

TOTILÆ REG. 4.

I. ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus quintus, Post Basilij Consulatum quartus, à Procopio Belli Gothici decimus numeratur: cuius initio Belisarius iterum in Italiam aduenit: Totila autem Tibure per proditionem potitus, ciues omnes vna cum Episcopo internecioni subiecit. Cum quo non valens Belisarius collatis signis decernere, ipse in Æmilia constitutus misit Romam ex suis qui Vrbem pro viribus tutarentur. Quod autem in Miscella *a* legitur, Belisarium ipsum se Romam contulisse, ac crucem auream centum librarum, pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas victorias descripserat, per manus Vigilij Papæ Beato Petro obtulisse: id quidem per suos factum oportuit; quippe ipsum haud esse Vrbem ingressum, ex Procopio res singulas exactissime prosequente colligitur. De Cruce vero, aliisque multis donis à Belisario oblatis, est etiam testis Anastasius in Vigilio.

a Miscel. lib. 16.

DONA OBLATA S. PETRO A BELISARIO.

IESV CHRISTI AN. 546.

VIGILII. AN. 7.

IVSTINIA. IMP. 20.

TOTILÆ REG. 5.

I.

ANno Christi quingentesimo quadragesimo sexto, Post Consulatum Basilij quinto, eodemque Belli Gothici vndecimo à Procopio numerato, Totilas Spoletum in deditionem accepit, Perusiumque post longam obsidionem dolo occupauit. Pluribus hæc Procopius *a*. Sed quomodo tunc contigerit *S. Herculanum* ciuitatis Perusinæ Episcopum, eiusdem Totilæ iussu subire martyrium, S. Gregorius *b* narrat: verum apud eum, pro septem annis quibus corrupte legitur durasse obsidio Perusij, restituendi sunt ex Procopio septem menses. Inde vero mox crudelis barbarus (qui de ferocia sua monitis S. Benedicti aliquid ad tempus remisisse visus eandem duplo resumsit) ad Vrbem obsidendam pergens, octauo ab ea milliario *S. Cerbonium* Populonij Episcopum, quod milites quosdam Romanos à Gothorum crudelitate abscondendo seruasset, coram omni populo obiecit vrso dilaniandum. Sed cum illum vrsus intactum relinqueret, immo & adularetur, ac pedes lamberet; ipse quoque ferus barbarus à fera bestia humanitatem discens, ad eiusdem Episcopi venerationem permotus est. Narrat hęc idem S. Gregorius *c*. Porro ipsum Totilam benignum se erga cultores agrorum cum ad Vrbis obsidionem veniret præbuisse, sed obsessis ciuibus fame laborantibus omnem commiserationem denegasse, Procopius docet.

a Procop. de Bel. Goth. lib. 3. TOTILA CRVDELITER AGIT IN EPISC. CATHOL.

b Greg. 3. dial. 13.

c Ibid. c. 11.

II.

Hoc item anno Pelagius S.R.E. diaconus, functus munere Apocrisiarij apud Imperatorem Constantinopoli, acepto successore Stephano pariter diacono, Romam redit: vt Procopius testatur, dum ait ipsum haud diu ante Vrbis obsidionem à Totila factam esse reuersum. Cuius absentiæ nactus occasionem Iustinianus, quod illo resistente minime peragere potuisset, confestim ex sententia Theodori Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ Pelagij æmuli, aduersus Tria Capitula compositum ab eodem Theodoro Scriptum, proprio sui ipsius nomine promulgauit. Id enim cum Liberatus *d* imprimis tradat, Facundus *e* etiam Hermianensis in Africa Episcopus, & ipse res sui temporis scribens affirmat, necnon Vigilius Papa in sententia *f* aduersus eundem Theodorum postea prolata. Hic autem Iustiniani nomine scriptus libellus, siue potius edictum dixerimus, illud ipsum est valde prolixum, (quippe quod omni genere doctrinæ refertum, omnique ex parte constans esse Theodorus voluit, additis etiam aduersus dissidentes quatuordecim anathematismis) quod sub mendaci apposita à librario ad Ioannem Papam inscriptione hactenus lectum fuit: cum ex iis quæ superius dicta sunt liquido constet, non ante præsens tempus potuisse esse conscriptum, præcedentibus primum quas vidimus Theodori cum Pelagio diacono controuersiis, quę sub Papa Vigilio & non alio contigerunt.

IVSTIN. IMP. EDICTVM ADVERSVS TRIA CAPP.

d Liber. Breuiar. c. 24.

e Facund. pro defens. Capitul. l. 2. & 4. Tom. 2. Concil. in Vigil.

III.

Quod vero ad ipsius argumentum attinet; etsi demum post obortas ea de re quamplurimas controuersias, Catholica Ecclesia sententiam Imperatoris contra Tria Capitula sit secuta; hoc tamen exordio propositæ quæstionis, assertæque ab Imperatore sententiæ, contra eadem complures Orthodoxi, immo & ipse Vigilius Romanus Pontifex quasi vindices Chalcedonensis Concilij, in cuius præiudicium ea viderentur ab Imperatore sancita, insurrexere: non quidem vt defenderent errores, qui dicerentur reperti in commentariis Theodori Mopsuesteni, aut in Epistola Ibæ, vel in scriptis Theodoreti aduersus Cyrillum; sed pro personis ipsis agerent, contendentes non esse damnandos, Theodorum, quem indemnatum à Patribus in Ecclesiæ communicatione constaret esse defunctum; aut Ibam & Theodoretum, quos damnantes hæreses Chalcedonensis Synodus recepisset. Ideoque de personis, & non de fide quæstionem fuisse, Gregorius *g* Magnus optime notauit. At cum perspicue cognitum fuit, nequicquam esse derogatum Chalcedonensi Concilio per damnationem Trium Capitulorum; ipsa

CAVSA TRIVM CAPP. SVMMATIM RELATA.

g Greg. 3. ep. 37.

imprimis Apostolica Sedes, eandem Imperatoris edicto primum promulgatam, & postea per Quintam Syndum cõfirmatam assertionem, probauit atque retinuit; & qui deinde ab ea dissentere, vt schismatici habiti sunt atque reiecti: cũ alioqui ante huiusmodi nouissimum Apostolicæ Sedis assensum, non fuerit piaculum pro Tribus pugnare Capitulis. Hæcque est summa totius historiæ, immo tragœdiæ; vtpote per quam damna plurima Ecclesiæ noscantur illata, cum ipsi Catholici inter se digladiantes, (neq; enim, vt iam diximus, Catholicorum cum hæreticis, sed Catholicorum tantummodo ipsorum hoc fuit certamen, qui omnes saluum vellẽt Chalcedonense Concilium) vix tandem concordiam inire valuerunt. Cum igitur ea omnia velamento quodam pacis cum Acephalis ineundæ, (vt ex Liberato superius vidimus, & Facundus *h* confirmat) ab Imperatore agerentur, quod tamen suas sciret de Fide constitutiones nullius esse roboris, nisi ab Episcopis auctoritatem acciperent; hæc ipse animosius Præsulibus subscribenda ingerens, effecit vt Menas Constantinopolitanus, Zoilus Alexandrinus, Ephræm Antiochenus, Petrus Hierosolymitanus, aliique permulti Orientales Episcopi, primo quidem subscribere renuentes, sed postea siue blanditiis siue terroribus compulsi, ei cesserint: cui ex altera parte Stephanus Apostolicæ Sedis Apocrisiarius, vna cum Dacio Episcopo Mediolanensi, & ipso Constantinopoli tunc degente, atque in Occidente Pelagius Romam nuper reuersus, necnon Africani Episcopi, ipseque imprimis Vigilius Papa, cum verbis tum scriptis valide restiterunt. adeo vt & iidem ipsi mox Orientales coactam suã subscriptionem detestantes, Romanum Pontificem consuluerint, protestati sententiam se retracturos si eam ipse nõ probaret: quod præcipue Menas ab Stephano redargutus præstitit, contestatus sub ea se conditione cessisse, quod iuratum ipsi fuisset, suum se chirographum recepturum, si ea Romanus Episcopus nõ probaret: prout hæc omnia pluribus narrat Facundus *i*.

IV. h Facund. Lib. 1. QVINAM CONSENSERINT, VEL RESTITERINT IMP. IN CAVSA CAPP.

i Id. lib. 2. & 4.

Quare cum cerneret Imperator, primarum sedium Orientalium suspectam esse sententiam ad Romani Pontificis arbitrium, & ex eius definitione, tanquam legitimi Vniuersalis Ecclesiæ moderatoris, cuncta pendere; idem Vigilium Papam summa celeritate Constantinopolim accedere rogauit: qui nihil remoratus, hoc ipso anno recessit ab Vrbe. Cuius profectionis cum alias Anastasius Bibliothecarius causas asserit, atque subtractum violenter ab Vrbe, insectatumque iurgiis & blasphemiis tradit; aperti erroris ex Facundo & Procopio huius temporis scriptoribus, redarguitur: oportuitque plane summo ipsum honore ab Imperatore vocari, ne ipse aduersans inefficaces redderet omnes eius de promulgato decreto conatus. Sed Vigilij Constantinopolim accessionem magnum intulisse Catholicæ Ecclesiæ damnum, declararunt euenta: quibus etiam demonstratum fuit, quam prudentissime egerint antecessores Romani Pontifices, S Leo, & alij, dum vocati sæpe ab Orthodoxis licet Imperatoribus in Orientem, nunquam passi sunt ab ipsa fixa Romæ sede diuelli.

V. VIGIL. PP. ACCERSITVR AB IMP.

Hoc igitur anno, qui (vt dictum est) à Procopio Belli Gothici vndecimus numeratur, Vigilium Papam Roma recessisse, & in Siciliam peruenisse, idem affirmat. Ibi vero Dacium Mediolanensem Episcopum Constantinopoli venientem obuiam habuisse, & legatum suscepisse à Zoilo Episcopo Alexandrino missum; sed & multas vndique prouincias ab eo postulasse vt nullatenus edicto Iustiniani acquiesceret, ideoque ipsum literis libellisq; iis qui consenserant cõminatum esse, atque aliis literis per Legatos ab Imperatore petiisse nequid innouari pateretur: hæc, inquam, omnia Facundus *k* tradit dum Vigilius in Sicilia ageret gesta esse. Procopius autem addit *l* eundem Pontificem diutius illic mansisse, indeque vt laboranti fame Vrbi succurreret, magnum nauium numerum frumento onustarum Romam transmisisse, sed eas cum ad Portum Romanum appellerent, in hostium potestatem venisse, vectoresque occisos, & Valentinũ Episcopũ ibidem inuentũ vtraq; manu truncatũ esse. Fuisse autem hunc *Valentinum* Episcopũ Siluæ Candidæ, alio titulo SS. Ruffinæ atq; Secũdæ, missumq; à Vigilio in Vrbẽ, vt ibi Vicarius cõsideret; Anastasius tradit. Additq; Vigiliũ in Sicilia cõmorantẽ, Catanę ordinationẽ habuisse mense Decẽbri

VI. QVID VIGILIVS IN SICILIA.

k Id. lib. 4.

l Procop. de Bel. Goth. lib. 3.

Dum

VII. AVREL. ARELAT. VICARIVS PAPÆ IN GAL. in *Rec. Bur. Ann. Tom. VII. hoc a. ex archiuo Eccl. Arelat.*

Dum vero subdit, eodem mense in Vigilia Natalis Domini peruenisse Constantinopolim, tum ab eadem sua ipsius assertione redarguitur, tum à Procopio, qui docet Vigilium nonnisi post exactam hiemem è Sicilia discessisse.

Hoc eodem anno cum Auxanius Arelatensis Episcopus ex hac vita migrasset, in locum eius subrogatus est Aurelianus; quem Vigilius Papa, petente Childeberto Francorum Rege, & consentiente Iustiniano Imp. Vicarium suum esse decreuit; eodem prorsus modo, quem in Auxanio obseruatum vidimus: vt patet ex literis *m* ab eodem Vigilio hoc anno post Consulatum Basilij quinto, vndecimo Calendas Septembris, datis cum ad ipsum Aurelianum, tum ad cæteros Galliarum Episcopos sub Regno Childeberti constitutos.

VIII.

Hoc item anno Ephræm Episcopus Antiochenus ex hac vita migrauit, & in eius locum *Domnus* eius nominis tertius est subrogatus; vt Nicephorus habet in Chronico. Qui autem Ephræm anno superiori diem obiisse putarunt; ex his quæ ipsum hoc anno egisse cum Iustiniano ex Facundo vidimus, erroris conuincuntur. Idemque dicendum de Petro Episcopo Hierosolymitano, quem eadem ratione non ante præsentem annum diem obiisse oportuit: in cuius locum suffectum esse *Macarium* eius nominis secundum, tam Euagrius quam Nicephorus tradunt.

IESV CHRISTI AN. 547.

VIGILII. AN. 8.

IVSTINIA. IMP. 21.

TOTILÆ REG. 6.

I. TOTILAS VRBEM PRODITIONE CAPIT.

ANno Christi quingentesimo quadragesimo septimo, Post Consulatum Basilij sexto, Belli Gothici duodecimo, obsessa à Totila Vrbs cum grauissima premeretur inedia, nec valuisset Pelagius diaconus, à Romanis ad eundem Regem missus, paucorum illis dierum inducias his conditionibus impetrare, vt si intra constitum tempus nemo ipsis suppetias veniret, iidem se vrbemque sine mora ei prodererent: cumque in tantum creuisset fames, vt cetero omni victu (etiam animalium quorumcumque immundissimorum, atque herbarum impurissimarum) deficiente, purgamentis iam & stercoribus ciues vterentur, nonnulli etiam manus sibimet præ desperatione inferrent: ad postremum cum copiæ missæ Constantinopoli ab Imperatore variis in via bellis detentæ, & à Gothis interea profligatæ essent: tandem milites quidam Isauri, pacta à Totila mercede, ipsum per portam Asinariam noctu in Vrbem introduxerũt, plurimis Romanis militibus vna cum ducibus aufugientibus, paucis ad ecclesias cum ciuibus se recipientibus. Quo tempore constat è plebe homines ad quingentos tantummodo in Vrbe resides fuisse, qui in ecclesias se receperant; cum ceteri omnes iam antea in alias se contulissent terras, vel fame ac lue absumpti periissent.

II.

Ceterum Totilas hac victoria benigne vsus, primum omnium orandi gratia S. Petri basilicam ingressus, Pelagij diaconi victus precibus, licet Vrbis prædam militibus concesserit, ciuium tamen vitam, (exceptis nonnullis iam antea à militibus occisis) feminarumumque pudicitiam, per omnia custoditam haberi voluit. Tunc vero miserandum illud accidit, vt Romanorum primores tam viri quam feminæ, amissis omnibus fortunæ bonis, domos circumeundo cibum dari sibi suppliciter precarentur. Post quæ missi à Totila idẽ Pelagius, & ex Vrbis rectoribus præcipuus Theodorus, ad Iustinianum Imperatorem, pacem ab illo Gothis petituri, cum responsum ab eodem accepissent, Belisario se liberam dedisse potestatem ea pertractandi quæ ad Totilam pertinerent; exacerbatus barbarus, quod ab oblata pace se videret excludi, atque interim in Lucania cladem accepisset, Vrbem ad solum delere decreuit. Verum ipsius Belisarij, hostis licet, literis ac salutaribus monitis ab eo consilio distractus, muris tantum ex parte dirutis, quo videlicet facilius cũ vellet ad eam regredi liceret, ipse aduersus hostes progressus, apud Lucanos primum, inde Calabros pugnauit. Cum interea hæc Belisarius Vrbem aggressus, ingressusque, muros dirutos (vt licuit) confestim instaurauit, fossisque muniuit; adeo vt reuertentem ad eius oppugnationem Totilam omnino repulerit. Huncque tandem finem res Vrbis anni huius habuerunt: quas omnes diffusissime Procopius *a* descripsit.

BELISAR. EAM RECVPERAT. *a Procop. lib. 3. de Bel. Goth.*

Hoc item anno transacta hieme (vt idem auctor scribit) Vigilius Papa è Sicilia soluit Constantinopolim. Vbi honorifice ab Imperatore ei obuiam facto (vt tradit Anastasius) & à populo cantante, *Ecce aduenit Dominator Dominus*, &c. receptus; dum pro Tribus Capitulis maximam inter Episcopos concitatam reperit esse discordiam, collecta eorum qui aderant SYNODO triginta Episcoporum, cum nec in ea aduersæ inter se partes concordare possent, decreuit vt quæ quisque sentiret, & quibus rationibus comprobaret, scriptis proderẽt. Tuncque opportune accidit, vt inter alios *Facundus* Hermianensis in Africa Episcopus doctrina clarus, Constantinopoli eo tempore agens, responsionem ederet; moxque ampliorem commentarium quam disertissimum duodecim libris partitum pro defensione Trium Capitulorum compositum, offerret Imperatori, cum adhuc Vigilius aduersus oppugnatores eorundem Capitulorum laboraret.

III. VIGILII PP. ADVENTVS CONSTANTINOP.

IV. QVID EGERIT DE TRIB. CAPP.

Qui quidem Vigilius ambarum partium defensionibus acceptis, videns nihil afferri præiudicij Chalcedonensi Cõcilio, vel Catholicæ fidei, quam quis partem tueretur, cum re vera omnes æque damnarent errores qui fuerant Theodori, Ibæ, atque Theodoreti; sed maximum damnum accipi ex eo, quod Orientales iamiam in gratiam Imperatoris schismate esset diuidendi: primum quidem, ne ob id Occidentales defensores Capitulorum scandalum paterentur, secreto libellum conscripsit in confirmationem Edicti Iustiniani, demum vero, cum eundem libellum, ipso Vigilio inscio, Rusticus & Sebastianus eius & S.R.E. Diaconi publicassent, indeque tumultuari inciperent Episcopi Africani, & iam res esset in eo statu reposita, vt vel paucis Occidentalibus, vel omnibus Orientalibus inhærendum esset; cõsultius ipsi visum est, Orientalium fauere sententiæ. Porro ipsum comprobasse Iustiniani aduersus Capitula promulgatam sententiam, satis indicant Acta publica latæ postea ab eo damnationis *b* in eosdem Rusticum & Sebastianũ, necnon ipsa Acta Quintæ & Sextæ Synodorum Oecumenicarum. Cum vero magnæ ob eam causam à contrariæ opinionis defensoribus turbæ cierentur, rursus Vigilius eandem emissam de Capitulorum damnatione sententiam suspendit, ac denuo inita cum Imperatore, vniuersoque Senatu, necnon Mena Episcopo Constantinopolitano, Theodoro Cæsariensi, Dacio Mediolanensi, aliisque tam Græcis quam Latinis Episcopis conuentione, aliud decretum edidit, vt de vniuersa controuersia penitus taceretur vsque ad proxime cogendam Synodum Vniuersalem. Hæc enim ita transacta esse, patet ex lata postea ab eodem Pontifice sententia contra eosdem Theodorum & Menam.

b Vigil. ep. 5

V. DEFENDITVR AB ACCVSATIONIBVS ADVERSARIOR.

Quod autem istud Vigilij consilium in deteriorem fuerit partem acceptum à defensoribus Capitulorum, (sicut etiam id Facundus in libello contra Mocianum fugillare conatus est, quasi Vigilius ob timorem Imperatoris à cœptis resiliisset:) ad eius excusationem satis superque esse potest, quod summæ constantiæ specimen edidit vbi non cum Catholicis, sed pugnandum sibi fuit aduersus hæreticos, cum cum quibus minime esse dissimulandum sciret. Cum enim præter huiusmod contentiones, adhuc valde solicitaretur (quod tradit Anastasius) à Theodora Augusta de restitutione quam olim promisisset Anthimi in sedem Constantinopolitanam, tantum abest vt ei obtemperare voluerit, vt potius auctoritate Pontificia aduersus eam insurgens, excommunicationis ipsam sententia perculerit; eadem pariter afficiens pœna hæreticos omnes Acephalos, Seuerianos, & Eutychianos: vt harum rerum indubitatam fidem facit S. Gregorius Papa.

c Greg. 2. ep. 36 ad Hisar.

IESV CHRISTI AN. 548.

VIGILII AN. 9.

IVSTINIA. IMP. 22.

TOTILÆ REG. 7.

I. ANno Domini quingentesimo quadragesimo octauo, Post Consulatum Basilij septimo, & Belli Gothici decimotertio, nouis *a* cladibus in Italia diuersis in locis Romanus exercitus à Gothis affectus est: additumque ad alia damna, vt *Sclauinorum* exercitus transmisso Istro Illyricum occuparit: quæ postea ab illis *Sclauonia* dicta est.

a Procop. de Bel. Goth. lib. 3.

II. SCHISMA ADVERS. VIGIL. OB TRIA CAPP. Quo etiam anno R. E. diaconi Rusticus atque Sebastianus Constantinopoli apud Vigilium agentes, vna cum aliis quibusdam eiusdem Pontificis clericis, cum vidissent ipsum minime condemnasse (vt in votis erat) eos qui damnarant Tria Capitula, immo & cum illis communicasse; iidem ab Africanis impulsi, (id præ ceteris operantibus Felice Gallitano Abbate, & Lampridio monacho schismaticis, qui hanc ob causam Constantinopolim se contulerant) aduersus ipsum Vigilium literas ad diuersos Episcopos dederunt, tamquam præuaricatorem, & impugnatorem Concilij Chalcedonensis. Hæc enim expressa habentur in libello damnationis in eosdem sequenti anno prolatæ. Addiditque his Rusticus, vt ad suam firmandam sententiam, commentarium per dialogismum scriberet aduersus Acephalos; ad cuius finem posuit pro Capitulis disputationem. Extat ipse quidem, sed disputatione illa mutilus: opus, si spinas demas, viro docto dignum. Scripserunt vero & alij aduersus Vigilium: sed de iis dicendum inferius; sicut & de illis, qui eius patrocinium susceperunt.

III. Hoc eodem anno Theudis Rex Gothorum in Hispania occisus est, vbi regnasset (ex sententia Isidori) annos sexdecim & menses quinque. quod tamen apud eum mendose legitur accidisse anno Iustiniani Imperatoris duodecimo, pro vigesimo secundo: ex quibus etiam corrigas Ætæ menda. Paulo vero ante eius obitum, nobilem Hispalensem Ecclesiam *S Lauriani* martyrio illustratam, vetera Ecclesiæ Catholicæ monumenta *b* testantur; cum videlicet (vt qui prosecuti sunt res Hispaniæ tradunt) is genere Pannonius, sed Mediolani presbyteratum exercens, inuectus zelo fidei Catholicæ in Totilam Arianum, & ab eo quæsitus ad necem, fuga lapsus in Hispaniam, ibi cognita ipsius sanctitate post Maximum electus esset Hispalensis Episcopus: sed rursum instigatione Totilæ, barbarica obstinatione eum persequentis, à Theude quæsitus Romam confugit ad Vigilium, ac denuo reuersus in Hispaniam ab exploratoribus Totilæ, mira sagacitate singula eius vestigia affectantibus, apprehensus apud Massiliam, capite truncatus est. Huncque tandem felicem consecutus est finem vir sanctissimus, ardore fidei & dicendi libertate omnes huius sæculi Catholicos facile antecellens, & miraculorum operatione nulli secundus. Theudi vero Regi successit *Theodegiselus* æque Arianus: quem post annum vnum ac menses septem inter epulas occisum esse, Isidorus scribit; idque ob pœnam (vt Gregorius *c* Turonensis declarat) offensi numinis, dum curiosius & animo maleuolo laborauit disquirere veritatem insignis miraculi, quotannis fieri soliti in Lusitania ad fontem baptismatis, solemni die Sabbati sancti; quo piscina prius vacua, diuinitus ita replebatur sponte, vt licet altiori cumulo huc illucq; latices fluctuarent, haud tamen in partem diuersam aqua deflueret: quinimo etsi conspersо desuper sacro chrismate, omnis populus exinde pro deuotione hauriret, agros vineasq; aspersione saluberrima tutaturus; nunquam tamen cumulus minueretur; quo vsque infante primo tincto, mox aqua reduci inciperet, & baptizatis omnibus, lymphis in se reuersis, vt initio prodebantur nescio, ita & fine clauderentur ignaro. Hæc Gregorius de solemni illo miraculo, quod Deus ad cõfusionem impietatis Arianæ, & suorum corroborandam fidem præstare dignabatur. Vbi & aliam subdit vltionem in alium quemdam hæreticum eius miraculi contemptorem diuinitus inflictam. Verum de huiusmodi sacrorum fontium miraculis alibi quoque fieri solitis, dictum est alias *d*.

S. LAVRIANI MARTYRIVM. b Martyrol. Rom. 4. Non. Iulii.

c Greg. Tur. de glor. mart. cap. 24. 25. INCREDVLVS REX DAT PORNAS.

d Sup. an. 417. num. VI.

Hoc eodem anno Macarius Hierosolymitanus Episcopus, vbi sedisset annos duos, pulsus est ob suspicionem (vt ait Euagrius *e*) hæresis Origenistarum; & in eius locum suffectus *Eustochius*. Verum Macarium passum esse calumniam, constat ex narratione quæ de ipso habetur in Prato *f* Spirituali, necnon ex Actis *ff* Vitæ S. Gregorij Episcopi Agrigentini qui ab eo creatus est diaconus; in quibus est honesta & prolixa eius mentio, eidemque spiritus prophetiæ tribuitur. Quamobrem & inde factum est, vt vbi Origenem damnasset, (sicut Euagrius addit) in suam Ecclesiam receptus sit; quem sedisse annos quatuor Nicephorus *g* scribit. Post eum autem rursum liquet restitutum esse Eustochium, qui per legatos Quintæ Synodo interfuisse legitur.

IV. e Euagr. l. 4. c. 36. f Prat. Spir. c. 96. ff Ap. Sur. 23. Nouëb. g Niceph. lib. 17. c. 26.

Huius vero Eustochij tempore, testatur Euagrius *h* vixisse prope vrbem Gazam in Palæstina *Barsanuphium* sanctissimum anachoretam genere Ægyptium; qui per quinquaginta annos & amplius in ædicula quadam inclusus, neque à quopiam visus est, neque quicquam alimẽti vel aliarum rerum in terra cepit, cum multis interim niteret miraculis; adeo vt cum Eustochius his minime fidem adhibens ædiculam ipsius perfodere constituisset, parum abfuerit quin ignis ex ea erumpens omnes qui cum eo aduenerant combureret. Pergit etiam idem auctor *i* agere de *Symeone* Emeseno; qui omnis gloriæ cupiditate abiecta stultitiam simulans ideoque vulgo *Salus*, id est Stultus nuncupatus, ingẽtia nihilominus edidit miracula in confundendis dæmonibus & convertendis hæreticis atque Iudæis, multaque spiritu prophetico reuelauit: cuius extant *k* Res præclare gestæ fusius conscriptæ à Leontio Neapolis Cypri Episcopo, quæ probatæ fuere à Patribus Nicænæ *l* posterioris Synodi.

V. h Euager. lib. 4. c. 32. DE BARSANVPHIO ANACHOR. INCLVSO. i Ibid. c. 33. DE SYMEONE SALO. k Ap. Sur. 1. Iul. l Syn. Nic. II. Act. 4.

Hoc item anno Iustiniani vigesimo secundo (vt habet Procopius *m*) Theodora Augusta ipsius coniux, ad cladem fidei Orthodoxæ solum intenta, ex hac tandem vita subducta est: sicque accidit, vt quæ à Vigilio Papa sauciata primum fuerat diro iaculo anathematis, eiusdem haud post diu vlciscente numine secutis sit interitus. Eodem quoque tempore, vt idem auctor *n* scribit, Ioannes Patricius Cappadox (de quo superius) qui semper apud Iustinianum primarium locum obtinuerat, à quo & Consul ordinarius factus fuerat, & ad quem Præfectura Prætorij fungentem extant plurima eiusdem Imperatoris rescripta; homo plane in exemplum positus rerum mundi huius volubilis status, ob suspicionem magistratu deiectus, bonisque exutus, atque in exilium Cyzicum missus, ad vitam retinendam sacerdotium sumere cõpulsus est. Sed & paulo post reus factus necis Cyziceni Episcopi, in carcerem primo coniectus, deinde per totam Ægyptum vsque ad Antinoi vrbem circumductus, petere ab obuiis stipem coactus est; cum nihilominus in tantis ærumnis constitutus, nunquam imperandi spem dimisisset, quam olim ex prædictione quorundam conceperat, futurum vt aliquando Augusti habitum indueret. Eam vero impletam fuisse Procopius tradit, dum sacerdotium sumens, forte aliis deficientibus, presbyteri cuiusdam Augusti nomine habitum induit.

VI. THEODORA AVG. MORITVR. m Procop. l. 3. de Bel. Goth. & li. 2. de Bel. Pers. n Ibid. de Bel. Pers. IOANNIS CAPPADOC. MISERANDVM EXITIVM.

IESV CHRISTI AN. 549.

VIGILII AN. 10.

IVSTINIA. IMP. 23.

TOTILÆ REG. 8.

I. ANno Domini quingentesimo quadragesimo nono, Post Consulatum Basilij octauo, Belli Gothici decimoquarto, Belisarius Constantinopolim reuocatus est, cum (vt ait Procopius *a*) per quinquennium ex Italia nusquam decessisset, nec potuisset per eam quoquam pacto vagari; sed tacita quadã fuga deterritus, id omne tempus deloco in locum nauigando consumpsisset. Reuocatum autem fuisse amantissimæ coniugis precibus, reuersumque Constantino-

a Procop. l. 3. de Bel. Goth. BELISARII REDITVS. INGLORIVS.

OCCIDENTALE IMPERIVM COLLAPSVM.

polim otiosam degisse vitam, idem auctor affirmat. Considerare vero ne prætermittas, quam disparis exitus à priore posterior hic fuerit Belisarij in Italiam aduentus, & reditus Constantinopolim. Ex quo enim in Romanum Pontificem Siluerium violentas manus iniecit, vis omnis ipsius, roburque Romanæ militiæ concidit; addita vero fuit hostibus bellica fortitudo, quam innumeræ victoriæ sunt secutæ: vsque adeo vt quæ tanto fuerat parta labore Italia pessumierit, cum illa iterum potiti sunt Gothi, ipsaque Vrbs anno sequenti in eorum seruitutem redacta est. Pannoniam autem & finitimas regiones *Longobardi* à propriis sedibus super Istrum fluuium positis excitati inuasetunt, grassantesque in Dalmatiã & Illyricum cuncta depopulati sunt. Hæc pluribus Procopius.

II. QVAM IVSTO TITVLO FRANCI GALLIAS POSSIDEANT.

Qui subdens de auctu hoc eodem tempore Francorum Regno, ait Gothos iam ab huius belli principio Galliarum partem suæ quõdam ditionis effectam, videlicet Massiliam, Arelatem, totiusque eius oræ maritimæ loca, Francis (quos ipse Germanos ab eorum prima origine vocat) tradidisse, cum minus se posse existimarent Romanis simul ac Francis resistere: post Gothos vero, etiam Imperatorem Iustinianum vltro concessisse vt easdem sibi iidem Franci haberent. Ex quibus videas, quam ipsi iusto titulo illas possideant, nempe acceptas cessione Gothorum, & confirmatione Imperatoris Romani. Pergens autem Procopius, ad gloriam insinuandam Francorum adiicit, eos omnium primos cœpisse cudere aureos nummos, natiuo & Galliarum metallo, non Romanni Imperatoris (vt ceteri solerent) imagine, sed suorum Regum impressa: Siquidem & Persarum Reges, etsi ad arbitrium numisma argenteum facerent, auro tamen non eis fas fuisse sum imponere effigiem; nec barbarorum Principem alium quemquam id facere ausum esse ante Francorum Reges.

FRANCI PRIMI OMNIVM AVREOS CVM REGIS IMAGINE.

III.

Hoc insuper anno accidisse idem auctor tradit, vt Artabanes qui Gunthariden tyrannum occidisset in Africa, vna cũ Arsace cognato suo aliisque proceribus, aduersus Iustinianum conspirauerit; & nisi molitiones detectæ fuissent, plane de ipsius Imperatoris vita atque Imperio actum esset. Illud interim satis admiratione dignum, quod licet tot tantisque malis obortis vndique Romanum fluctuaret Imperiũ, ipse tamen Iustinianus totus esset (vt sæpius idem auctor queritur) in dogmatibus Ecclesiasticis perscrutandis: quibus dum plus quam decet Imperatorem curiose vacaret, vniuersum pessum dedit Imperium.

IVSTINIANVS NIMIS CVRIOSVS DOGMATVM, PERDIT. IMPERIVM.

IESV CHRISTI AN. 550.

VIGILII AN. 11.

IVSTINIA. IMP. 24.

TOTILÆ REG. 9.

I.

ANNO Domini quingentesimo quinquagesimo, Post Consulatum Basilij nono, & Belli Gothici decimoquinto. Iustiniani vero vigesimo tertio nondum expleto, die decimaquinta Calendarum Aprilium, Vigilius Papa ad Valentinianum Tomitanum in Scythia Episcopum scripsit *a* aduersus schismaticos, qui vbique litteris suis vulgarant, ipsum Vigilium Tria damnando Capitula impugnare Chalcedonense Concilium. Cum enim eius rei causa complures ab illius se communione disiungerent; qui prudentiores essent, ad rem apertius cognoscendam, scripserunt ad eum literas Constantinopolim, inter quos fuit hic Valentinianus: præstititque idipsum S. Aurelianus Arelatensis in Gallia Episcopus, ad quem pariter extat eiusdem *b* Pontificis de eadem quæstione in sui defensione epistola, conscripta tertio Calendas Maias hoc ipso anno Iustiniani vigesimo quarto iam inchoato.

a *Vigil ep. 6* VIGILIVS PROSVI DEFENSIONE.

b *Id. ep. 4.*

II.

In qua quod meminit de Vrbe nouissime à Gothis capta, rogatque vt de eius incolumitate, Ecclesiæque Romanæ iuribus illæsis conseruandis, satagat opera Childeberti Frãcorum Regis; bene hæc consentiunt iis quæ Procopius sub hoc eodem anno decimoquinto Belli Gothici narrat, nimirum proditione rursum Isaurorum Vrbem Gothis cessisse, Romanis cæsis, iis exceptis qui in Ecclesias se recepissent; iisque etiam abire iussis, cum iam destitutam habitatoribus Vrbem ac desolatam relinquendi Totilas consilium iniisset, eundem opportuna oblata occasione à proposito destitisse, videlicet quod cum idem Totilas à Francorum Rege filiam in matrimonium petiisset, ille se daturum negauit, eo prætextu quod Vrbem caput Imperij destitutam hostibus relinquens, se summa gloria pariter spoliaret: sicque factum esse vt reuocatis ciuibus, vrbem ipse nouis ædificiis illustrarit. Subdit vero post hæc Procopius de Sicilia à Totila inuasa; deque deuastatis à Sclauinis, iterum Istrum transmittentibus, Illyrico & Thracia.

RVRSVM GOTHI POTIVNTTR VRBE.

III. VIGIL. CONDEMNAT ADVERSARIOS.

Vigilius interim Pontifex, cum cerneret ex literis à diuersis ad se missis, quam graue damnum afferret Ecclesiæ vnitati falsus ille rumor à schismaticis aduersus ipsum sparsus; ne grauiora inde mala orirentur, collectis qui Constantinopoli tunc erant Italiæ Episcopis, contra R. E. clericos schismaticos, præcipue vero Rusticum & Sebastianum diaconos, earundem calumniarum promulgatores, necnon Felicem Gilitanum in Africa Abbatem schismatis inventorem, damnationis & depositionis sententiam *c* protulit, qua etiam eorumdem alia scelera patefecit. Verum cum isto pacto conflatum schisma magis excitaretur, vnicũque huiusmodi dissidiis videretur remedium, vt Vniuersalis Synodus haberetur; quæ sibi conducere possent Iustinianus parare solicitus, interim Mopsuestenum Concilium agi curauit, misso illuc Martanio Comite Domesticorum, vt aliqua inde afferret de damnatione olim facta Theodori Mopsuesteni.

c *Id. ep. 5.*

IV. CONCIL. MOPSVEST. IN CAVSA THEODORI.

Hoc igitur anno, qui nonus post Consulatum Basilij numeratur, *Mopsuestiæ* in Secunda Cilicia celebrata est SYNODVS, cui nouem Episcopi interfuerunt, multique viri clarissimi Comites atque Tribuni; cuius Acta inserta habentur in Quintæ Synodi Actione quinta. Porro in ea nihil præterea factum est, nisi diligens examinatio de nomine Theodori, num in eius Ecclesiæ sacris Diptychis vna cum aliis Episcopis Catholicis fuisset vnquam adscriptum: cumque nunquam scriptum esse reperissent, sed eius loco appositum nomen Cyrilli Alexandrini; ea de re certiorem reddidere Vigilium Papam, Imperatoris (vt aiunt) iussione: videlicet ne in futura Generali Synodo Theodorum ipse damnare detractaret, quam sciret fuisse iam ante condemnatum.

V. DIGNA ADMONITIO IORNANDIS. HISTOR.

Ad hunc item annum vigesimum quartum Iustiniani perduxit Iordanus, siue Iornandes Gothorum Episcopus, quem scripsit commentarium de Regnorum ac temporis successione; vt ipse in præfatione ad Vigilium quemdam, alium à Romano Pontifice, testatur. In cuius fine perbelle admonet, hanc nos ex Historiarum lectione consequi debere vtilitatem, vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indesinenter voluitur & inuoluitur, eum nos contemnere penitus & odio prosequi persuadeant.

IESV CHRISTI AN. 551.

VIGILII. AN. 12.

IVSTINIA. IMP. 25.

TOTILÆ REG. 10.

I. NOVÆ CLADES IMPERII.

ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus primus, Post Basilij Consulatum decimus, & Belli Gothici decimus sextus, Romano Imperio funestissimus extitit: cũ Germanus insignis ductor exercitus à Iustiniano in Italiam missus, in quo eius recuperãdæ omnis collocata spes erat, improuisa morte subtractus est; classisque Imperatoria naufragium fecit in ostiis Hadriatici maris; & iterum Sclauini grassantes, apud Hadrianopolim Romanum profligarunt exercitum, atque ad ipsam vrbem Constantinopolim appropinquantes, vix repulsi ad propria remearunt. Narrat pluribus hæc omnia Procopius: ex quibus videas pro hostibus pugnasse Deum, cum à Principibus in religionem peccaretur. Quomodo vero etiam in ipsius religionis Chri-

stianæ

stianæ Summum antistitem sæuitum fuerit, dicendum modo est.

II. Instigante rursum Theodoro Cæsariensi, qui inhærens Iustiniano Imp. omnium ei malorum auctor accessit; contra decretum quod diximus, & emissam sponsionem seruãdi silentij de Tribus Capitulis vsque ad Concilium Vniuersale, Imperator aduersus eadem Capitula publice appendi iussit edictum, cui omnes æque episcopi Orientales assensi sunt: Zoilumque Alexandrinum, quod inhærens olim Vigilio Capitula damnare renuisset, sede priuauit, & in eius locum *Apollinarem* substituit: ac tantum denique abfuit vt illud edictum rogante per suos Vigilio reuocare voluerit, vt etiam maligno actus spiritu, præter minas vim quoque adhibens suis mandarit satellitibus, vt in eundem ipsum Vigilium Apostolicæ Sedis Antistitem manus iniicerent. Qui quidem è domo sua ad proximam S. Petri Ecclesiam confugiens, ibique ad aliquod tempus Ecclesiastica tractans; decimonono Calendas Septembris huius vigesimi quinti anni Iustiniani, collecto tredecim Episcoporum Occidentalium qui aderant *Conuentu* aduersus eundem Theodorum Cæsariensem, peruersorem legum, & euersorem iurium, occultum hæreticum, manifestum schismaticum, excommunicationis atque depositionis, in Menam vero Constantinopolitanum, & alios Episcopos Imperatori conniuentes, suspensionis à communione sententiam [a] intulit; qua hæc omnia gesta narrauit. Verum ipsam sententiam haud statim promulgauit, sed apud se retinendam aliquamdiu iudicauit, sperans fore vt aduersarij resipiscerent; sicut ipse declarauit in literis Circularibus anno sequenti scriptis.

Vigil. damnat Theodorvm Cæsar. et Menam Const.

a Ext. Tom. 1. Epist. Rõ. Pont. & Tom. 2. Concil. in Vigil.

IESV CHRISTI AN. 552.

VIGILII AN. 13.

IVSTINIA. IMP. 26.

TOTILÆ REG. 11.

I. ANno Christi quingentesimo quinquagesimo secundo, Post Consulatum Basilij vndecimo, Belli Gothici decimo septimo, sexto Idus Februarij, adhuc anno durante Iustiniani vigesimo quinto (cuius Imperium mense Aprilis cœpit) idem Augustus sanctionem [a] edidit aduersus Iudæos, qui suos prohiberent sacræ Legis libros alia tradi docerique lingua, quam Hebraica; quo fiebat vt simplicioribus, quos vellent ipsorum magistri propinarent errores, iussitq; eam lingua locorum vbi ipsi habitarent, tradi. Vnde etiam intelligitur, Hebræos iam vulgo à linguæ Hebraicæ vsu desciuisse, & nationum lingua, siue ea quæ apud eos vulgaris erat, vti consueuisse.

a Nouel. 146. Omnes lingva docere legem, Ivdæis conceditvr.

II. Vigilivs confvgit Chalcedonem. Eodem vero tempore Vigilius Romanus Pontifex, qui anno superiori Constantinopoli vim metuens Imperatoris ad Ecclesiam S. Petri confugerat; cum nec hoc asylum videretur tutum, ante oculos Imperatoris positum, trans mare quæsiuit effugium, & in basilica S. Euphemiæ martyris apud Chalcedonem habitare disposuit. Sed antequam ab ecclesia S. Petri recederet, accidisse noscũtur quæ Anastasius Bibliothecarius iungit immo confundit cum prioribus quæ acciderant viuente adhuc Theodora Augusta: nempe vt eidem Vigilio dederit quidam alapam in faciem, vocans eum homicidam, interfectorem Siluerij Papæ, & filij mulieris cuiusdam viduæ; tuncque ipsum fugientem in basilicam S. Euphemiæ, tenuisse columnam altaris. Ceterum vbi Iustinianus hanc ipsius fugam accepit, insuperq; eundem mala corporis valetudine laborare; facti pœnitens, dignam tanto Pontifice legationem ornauit, qua eum iuramento præstito Constantinopolim in pristinum domicilium reuocaret. Missique fuere Calendis Februarij Belisarius, Cethegus, & Petrus Excoss. & Patricij, itemque Iustinianus & Marcellinus Excoss. & Comites, ac Constantinus Quæstor. Verũ nec his iuratis Vigilius obtemperare voluit, nisi prius quæ de Tribus Capitulis Imperator appendisset edicta, idem protinus reuocaret. Sed & ad vniuersam Ecclesiam Encyclicam dedit epistolam, qua cuncta quæ gesta essent innotescerent. Extat [b] ipsa quidem, sed mutila, narrationem continens eorum quæ modo retulimus: ex qua quorũlibet aliorũ redargues ea de re quæcunque scriptorum mendacia. Siquidem epistolari historiæ cætera quorumuis scripta cedant necesse est; ac præsertim cum ex illis accepta noscitur epistolis, quæ *Encyclicæ* dictæ vniuerso populo Christiano scriptæ sunt. Porro inter plurima alia mendacia, illud maxime redarguas, quo Nicephorus [c] (parum æquus in Vigilium, quod Constantinopolitanum Episcopum à communione suspẽdisset) asserit parem sententiam aduersus ipsum à Mena fuisse latam. Quod si iste autus esset, necessario plane & præcipue de eo habenda mentio fuisset in iisdem Vigilij literis.

b Vigil. ep. 7

c Niceph. lib. 17. c. 26. Vid. Peron. cont. Reg. Mag. Brit. lib. 1. c. 44.

III. Clades Imperii ob tvrbas Ecclesiæ. Turbata autem in hunc modum Ecclesia, rerum naturam æque esse turbatam, ea quæ hoc anno accidisse Procopius [d] tradit, declarant; nimirum Græciæ ciuitates plures terræmotu excisas, hiatu terræ loca multa absorpta, portentosasque maris æstuationes factas. quibus accessit Sclauinorum & Hunnorum in Romanũ Imperium repetitæ incursiones; necnon Insularum Corsicæ & Sardiniæ à Gothis facta occupatio. Concuti namque opus est omnia, cum ipsa petra super quam Ecclesia fundata est, motibus in diuersa propellitur. Cum vero vice versa eadem reponitur in caput anguli, omnia repente firmata quiescunt, vt quæ sequuntur declarant.

d Procop. l. 3. de Bel. Goth.

IV. Imperatoris, et svorvm poenitentia. Etenim hoc eodem anno factum est, vt Imperator à Vigilio per Legatos monitus, appensa antea de Tribus Capitulis tolli iusserit edicta, & nihil amplius de illis tractari voluerit vsque ad Synodum Generalem: itemque vt Theodorus Cæsariensis horum omnium malorum auctor, iam pœnitens facti (quod admireris) libellum supplicem Vigilio obtulerit, quo & rectam fidem professus est, & de irrogatis in eundem Pontificem contumeliis veniam petiit; ac denique id ipsum præstiterint alij Orientales Episcopi, & præcipue Menas Constantinopolitanus: tandemque eiusmodi præmissa satisfactione, iidem ab ipso Vigilio in communionem recepti fuerint vt de his omnibus constat ex eiusdẽ Vigilij Papæ Constituto anno sequenti promulgatõ. Nec vero mora, hanc Ecclesiæ pacem mox secuta est salus Imperij. Siquidem hoc eodem anno (vt pluribus tradit Procopius) Gothiè Sicilia præter omnem spem expulsi sunt, belloque nauali victi; & misso in Italiam Narsete fortissimo Duce, res Gothorum in deterius dilabi cœperunt. Vt plane perspicue fuerit demonstratum, pro statu rerum Ecclesiasticarum res Imperij à Diuinitate disponi.

Pax Ecclæsiæ, salvs Imperii.

V. Respirante itaque iam populo Constantinopoli, & optata pace lætante, publica festa peracta sunt, q̃ triumphi quandã speciẽ præsetulerunt; cum hoc eodem anno eiusdem ciuitatis Episcopus Menas, postquam à Vigilio Papa in communionem admissus est (vt inquit Nicephorus [e]) die vigesimanona Iunij Encænia celebrans basilicæ SS. Apostolorum, quam Iustinianus magnificentius [f] instaurauerat, in ea recondidit sacras curru aureo circumuectas SS. Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei reliquias. Bene autem eidem mox cessit, vt hoc ipso anno feliciter ex hac vita migraret, cum sedisset annos sexdecim: de cuius successore dicetur anno sequenti. Sub eo vero ingens aliquod miraculum Cõstantinopoli accidisse Euagrius [g] refert de puero Hebræo, qui quod cum aliis Christianis pueris degustasset particulam Corporis CHRISTI, ab impio patre arte vitriario in clibanum ardentem in quo vitrum formare consueuerat iniectus, ibidem post triduum illæsus inuentus est, mirabiliter conseruatus ope Beatissimæ Dei genitricis: qui cum matre baptizatus est, pater autem obstinatus permanens, Iustiniani iussu cruci suffixus.

e Niceph. vbi sup.

f Procop. de ædif. Iustin. lib. 1.

g Euagr. lib. 4. c. 35. De pvero Ivdæo ab incendio servato.

VI. Concil. Avrel. V. ob Tria Capp. Hoc eodem anno, qui numeratur Childeberti Francorum Regis trigesimus octauus, eiusdem cohortatione celebrata est Quinta SYNODVS AVRELIANENSIS quinquaginta Episcoporum, præsidente *S. Sacerdote* Episcopo Lugdunensi, ac præsentibus compluribus aliis sanctitate conspicuis Antistitibus, quorum memoriam anniuersario cultu suis diebus Catholica recolit Ecclesia: interque alios *S. Tetrico* Lingonensi, qui sicut viuens nouit bene suo gregi præesse, ita & post obitum eiusdem curam gerere; dum [h] successorem suum moribus deprauatum, in somnis adeo valido

h Greg. Tur. 5. hist. Fr. 5.

Apolleri ivrat Imp. edictvm.

ctu virga percussit, vt ille tertia post die sanguinem ore proiiciens exprauerit. Interfuit porro etiam Synodo Aurelianus Arelatensis, quem ad Vigilium Papam vidimus legationem in causa Trium Capitulorum misisse, quinimo & eorundem præcipue occasione Capitulorum, ipsam fuisse Synodum celebratam, canon primus inter viginti tres ibidem constitutos admonet, dum eius exordio damnantur hæreses Nestorij & Eutychetis.

VII. Hoc item anno alium Francorum Regem Theodobertum, eiusdem Childeberti nepotem, rursum inuadentem Italiam ex hac vita decessisse, filiumque Theodebaldum regni hæredem, & paterni instituti prosecutorem reliquisse Procopius *i* tradit. Porro de pietate Theodoberti nonnulla habet Vita S. Mauri Abbatis, in quem plura idem Rex contulit beneficia. Quomodo autem in venatione occasio est obitus eius exorta, narrat Agathias; sed Gregorius *k* Turonensis morbo interiisse tradit, qui & de Parthenio, cui regni ab eo cura commissa erat, subdit, cum ob tributa prædicti Regis tempore imposita, odio Francis esset, post Regis obitum Treueros fugientem, & in Ecclesia se intra aream abdentem, nihilominus à furente populo, obnitentibus licet sacerdotibus, curiosissime perquisitum, indeque extractum, pugnis cæsum esse, sputisque conspurcatum, ac denum vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obrutum.

i Procop. lib 3. de Bel. Goth.

k Greg. Tur. 3. hist. 16. TRIBVTOR EXACTOR IN GAL. OCCISVS.

IESV CHRISTI AN. 553.

VIGILII AN. 14.

IVSTINIANI IMP. AN. 27.

I. EVTYCHIVS ORDINATVR EPISCOP. CONST.

ANno Domini quingentesimo quinquagesimo tertio, Post Consulatum Basilij duodecimo Belli Gothici decimooctauo, in ipso anni exordio, *Eutychius* Monachus doctrina & sanctitate conspicuus, missus ab Amasiæ in Ponto Episcopo Constantinopolim, vt suo nomine interesset futuræ Oecumenicæ Synodo; multis visionibus à Deo designatus, omnium consensu ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, in locum Menæ sub finem anni superioris defuncti. Quomodo autem hæc gesta fuerint, pluribus narrat Eustathius eiusdem Eutychij alumnus in ipsius Rebus *a* gestis. Idem vero cum simulac sacris initiatus est mysteriis, fidei Catholicæ professionem *b* more maiorum Vigilio Romano Pontifici obtulisset, ab eo in communionem acceptus est. Quemadmodum & Apollinaris Alexandrinus, licet ei (vt vidimus) ingressum vitiosum, pulso Zoilo, Imperatore ad Episcopatum patefecisset, tamen eodem Zoilo defuncto, cum æque Vigilio fidei Catholicæ professionem obtulisset, & ipse pariter receptus est.

a Ap. Sur. 6. April.

b Extat vna cum Vigilii resp. data 6. Id. Ianuar. huius anni in Quint. Syn. Collat. 2. & int. Vigil. Epist.

II. *c Procop. l. 3. de Bel. Goth.* NARSES VINCIT TOTILAM, OPE DEI GENITRICIS.

Quanta vero hæc pax Ecclesiæ Romano statim Imperio attulerit bona, ex iis quæ Procopius *c* narrat satis intelligi potest; cum videlicet hoc ipso anno Gothorum classis Orientem infestans, redire coacta est cum ignominia: Tarentum à Gothis antea captum, Romanis militibus redditum est: præterque opinionem Narses ab Imperatore missus cũ exercitu, obstructis licet ab hostibus & obseratis itineribus, Rauennam peruenit incolumis; ac postea Rubiconem fluuium à Gothis custoditum occiso eorum Duce transiens, in Tuscia occurrentem cum ingenti exercitu Totilam prælio superauit, atque occidit, vniuerso cum eo exercitu trucidato. Factumque Dei opera (cui omne acceptum Narses vir maxime pius & æqui amantissimus indesinenter referre cõsueuerat) vt bellicosissimus vir Totilas, innumeris clarus victoriis, vna cum potentissimo exercitu, vinceretur à semiuiro Narsete, (eunuchus enim erat) cuncta nitente Sanctissima Deigenitrice, à qua cælitus signum accepisse tradit Euagrius *d* de tempore quo cum hostibus dimicare deberet. Posthæc vero tam aliæ nobilissimæ Italiæ ciuitates, quam Vrbs ipsa à Narsete breui tempore capta est: additumque, vt cum THEIAS Gothorum fortissimus post necem Totilæ in Regem ab eis electus, compressionem diu Romanorum militum fortiter sustinuisset, demum & ipse occideretur. Quæ tanta consecutus est Imperator, dum sibi imperari à Romano Pontifice passus est. Iis autem fuse narratis, Procopius Historiæ suæ de bello Gothico finem imponit: cætera imposterum ab Agathia petenda erunt.

d Euag. lib. 4. c. 25.

THEIAS REX GOTHOR. OCCIDITVR.

Dum hæc in Occidente gererentur, interea Iustinianus de cogenda Constantinopoli Synodo Oecumenica ex Vigilij Papæ sententia satagebat; cum non ob Tria tantum Capitula schismate videretur Orbis diuisus, sed etiam ob damnatum cum suis erroribus Origenem. Ad hos enim sedandos tumultus Synodum vocatam esse, Euagrius *e* docet. Leontius *f* autem Scholasticus, qui his iisdem vixit temporibus Iustiniani, hos cogendæ Synodi dignos prætextus adducit; nimirum vt occulti auerterentur Eutychiani atque Nestoriani; quippe eo ventum esset, vt iidem hæretici sese Nestorij vel Eutychetis discipulos palam profiteri erubescentes, eorundem tamen fauere dogmatibus, aliis quibusdam prætensis causis, minime prætermitterent: puta cum Eutychiani se minime posse dicerent amplecti Synodum Chalcedonensem, ob ea quæ Tribus Capitulis comprehenderentur; qui ob eam causam non Eutychani, sed *Hæsitantes* dicebantur: sicut iidem vice versa eos qui reciperent Tria Capitula, *Synoditas* nominare consueuerant. Ad eos igitur simul Ecclesiæ Catholicæ vniendos, in causa Trium Capitulorum Imperatorem studuisse dictam Synodum congregare, idem Leontius tradit.

e Id. c. 37.

f Leont. de Sect. act. 6.

III. AGITVR DE COGENDA QVINTA SYNODO. QVI VIGERENT CONFLICTVS ECCLES.

Verum sicut laudabile fuit Imperatorem ex Romani Pontificis sententia Synodum colligere laborasse; ita illud reprehensione non caruit, dum quos sciret suæ sententiæ Orientales Episcopos aduersus Tria Capitula fauere, eosdẽ ad Synodum conuocare, omissis Occidentalibus, conatus est. Siquidem nimis desiderij sui tenax, sic Synodum cogi curabat, vt tamen eandem sibi, si liceret, consentientem faceret. Sed resistente Vigilio, atque petente vt cum de re ageretur, cuius causa vniuersus quoque ferme Orbis Occidentalis perturbatus esset, in Italia aut in Sicilia Synodus haberetur, quo ad eam Occidentales Episcopi facilius conuenire possent; abnuit hæc quidem Imperator, at instante rursum Vigilio, vt saltem ex Italia & Africa Constantinopolim accerserentur, ei hac conditione assensus est, vt exæquato numero Occidentales pariter cum Orientalibus adessent. Quibus sic pactis conuentis, cum Vigilius cuncta festinaret implere, interea Iustinianus à se antea conscriptum edictum de Tribus Capitulis ad eundem Pontificem misit, vt quæ de illis sentiret scriptis profiteretur; eoque negante id fieri debere non expectato Episcoporum aduentu, denuo ab Imperatore eiusmodi moræ impatiente nimis importune rogatus, vix obtentis ob ægram corporis valetudinem viginti dierum induciis, eo temporis interstitio tum ipsum Imperatoris edictum, tum etiam aliud quoddam volumen examinauit, ab eodem per Benignum Episcopum Heracleæ Paphlagoniæ ipsi Vigilio missum, quo continerentur errores quamplurimi ex Theodori Mopsuesteni scriptis excerpti: conscripsitq; super iis rebus Constitutũ, de quo dicetur paulo post, & ex quo interim hæc cuncta desumpta sunt quæ ad Synodum præfati sumus: ea namque præstat audire magis, quam quæ ex Nicephoro ad eandem Synodum præmittuntur.

IV. QVINAM EPISCOPI AD SYNODVM VOCANDI.

VIGIL. EXAMINAT ANTEA SCRIPTA.

Sed & præterea de illa admonendum putamus, ipsa quæ edita in hanc diem Acta eius reperiuntur, esse admodum corrupta, atque etiam decuttata in pluribus; vt suis locis fiet manifestum. Quod vero ad Actiones pertinet, siue Collationes dixeris, seu Sessiones; duas dumtaxat Nicephorus numerat, alteram aduersus Tria Capitula, alteram contra Origenis errores: verum quæ extant Acta, octo continent Collationes; de quibus singulis dicturi sumus. Interfuerunt autem Orientales Episcopi numero centum sexaginta quinque, quorum præcipui fuere *Eutychius* Constantinopolitanus, *Apollinaris* Alexandrinus, *Domnusque* siue Dominus Antiochenus, *Eustochius* vero Hierosolymitanus per legatos interfuit. Externorum autem *Sextilianus* Tunicnsis siue Tunetensis in Africa Episcopus præsto fuit, legatus missus à Synodo Carthaginiensi, & Primoso tunc eiusdem ciuitatis Antistite totiusque Africæ Primate.

V. DE NVMERO ACTIONVM, ET EPISCOP. SYNODI QVINTÆ.

Ita igitur quarto Nonas Maij huius anni, Iustiniani Imperatoris vigesimi septimi, Post Consulatum Basilij duodecimi, nulla habita Vigilij Papæ adhuc ægrotantis ratione, nec expectatis Occidentalibus Episcopis, Orientales vna cõue-

VI. COLLATIO PRIMA.

nerunt.

nerunt. Vbi primum lectus est libellus Iustiniani oblatus Synodo, narrans quæ hactenus circa quæstionem Trium Capitulorum gesta essent, roganſque Patres de iis ferre ſententiam. Lectæ deinceps literæ Eutychij Constantinopolitani Episcopi ad Vigilium, & huius ad illum responſio, de quibus actum est superius. Ac post hæc Synodus decreuit, eundem Vigilium, vt ad Synodum conueniret, ſolemni & tantæ Sedis Pontifice digna esse accersendum vocatione; ad quam missi sunt viginti Legati, videlicet tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, ac reliqui omnes Metropolitani Episcopi; vt Acta ipsa declarant. Qui redeuntes retulere, causatum ipsum corporis ægritudinem, pollicitum esse scriptis se Synodo satisfacturum; sicque Prima Sessio finem accepit.

VII. COLLATIO II.

Rursum ad octauum Idus Maias iisdem conuenientibus Episcopis, imprimis viginti illi Legati, qui iterum Vigilium conuenerant, retulerunt Synodo eum respondisse, non posse vna cum ipsis conuenire, quod non adessent Occidentales Episcopi nisi perpauci admodum; sed & cum Imperator vna cum ipsis Legatis ad eundem denuo accersendum misisset Belisarium cum sex aliis Exconsulibus & Patriciis, ipsum inducias postulasse quo suam sententiam scriptis depromeret. Hac vero peracta relatione, Synodus iussit mitti tres Episcopos, qui Primasium Episcopum Adrumetinum in Africa, Constantinopoli tunc agentem, vocarent ad Synodū, simulque Episcopos quosdam Illyrici: qui legati redeuntes, dixerunt Primasium recusasse accedere, eo quod Papa non esset præsens in Synodo; Illyricos autem, eo quod non adesset eorum Archiepiscopus Benenatus cui respondere deberent. Sed quod ad *Primasium* spectat; hunc illum esse putamus, qui clarus habetur inter Scriptores Ecclesiasticos. Quod vero Trithemius dicit, fuisse Episcopum Vticensem, discipulumque S. Augustini, & Scholiastes floruisse ait temporibus Theodosij Iunioris; sane quidem vtrumque decipi dixerim, quandoquidem & Cassiodorus *g* Primasij vt sui æqualis meminit, & ipse Primasius *h* in suis scriptis Cassiodorum citat, quem his vixisse temporibus Iustiniani nullus ignorat.

DE PRIMASIO EPISC. ADRVMETINO.

g Cassio. l. de diuin. lect. c. 9.

h Primas. comment. in ep. ad Hebr.

VIII. COLLATIO III.

Sequenti die à præcedenti Collatione, nempe ad septimum Idus Maias, Tertio Episcopi conuenientes, publicam fidei Catholicæ professionem ediderunt; nimirum se credere quæ olim SS. Apostoli, quæ & SS. quatuor Synodi tradidissent, quæque insuper SS. Ecclesiæ Doctores tam Græci quam Latini (quos recolunt) scripsissent, tenere.

IX. COLLATIO IV. & V.

Quarta Collatione habita quarto Idus Maij, iussæ sunt recitari horrendæ blasphemiæ excerptæ (vt dicebatur) ex variis scriptionibus Theodori Mopsuesteni, aduersus quas ab omnibus magna fuit detestatione conclamatum. Collationem autem Quintam codex typis excusus habitam ait octauo Idus Maij; sed mendum inesse constat ex notatis diebus præcedentium Collationum: vnde potius pridie Idus Maij, quo & Vigilij Constitutū datum repetitur, eam esse celebratam dixerimus. In qua primum ea quæ SS. Patres, vel leges Imperiales, aut historici aduersus Theodorum Mopsuestenum conscripsissent, recitata sunt; sed & quæ pro eodem scripta fuerant, discussa & confutata. Post hæc S. Augustini, aliorumque multorum antiquorum testimoniis atque exemplis probatum, aliquem posse damnari post mortem. Lectaque deinceps Acta Synodi Mopsuestenæ ante triennium habitæ aduersus eundem Theodorum. Inde ad causam Theodoreti facto transitu, ex ipsius scriptis aduersus S. Cyrillum nonnulla sunt recitata, quæ ab Orthodoxa fide viderentur aliena: hisque iuncta in Actis legitur epistola quædam eiusdem Theodoreti nomine edita post obitum Cyrilli, qua multis dicteriis in defunctum inueheretur. Quibus peractis, laudauit Synodus iudicium SS. Patrum Concilij Chalcedonensis, quod non prius Theodoretum suscepissent, quam ipse Nestorium condemnasset. Sicque finis impositus est Quintæ Actioni.

DE SCRIPTIS THEODORI, ET THEODORETI.

X. *i Sup. anno 444. nu. IV.* ACTA SYNODI CORRVPTA.

Verum cum superius *i* à nobis in Cyrilli obitu detecta sit de Theodoreti illa quæ dicitur epistola impostura; ex iis discES Acta quæ extant huius Quintæ Synodi haud adeo esse legitima, sed magna ex parte supposita aucta in aliquibus, in aliis mutilata. Sic enim & leges illæ Theodosij Imperatoris aduersus Nestorium, recitatæ in ista eadem Actione quinta, aliter se habent in Codice Theodosiano, & in Actis Concilij Ephesini, in quibus nulla prorsus habetur mentio de Theodoro Mopsuesteno. Hæc de suppositis scriptis. De sublatis vero constat, quod in iisdem publicis Synodalibus Actis desideretur Vigilij Papæ libellus oblatus Synodo, quem ipse *Constitutum*, hoc est decretum appellat: qui ille ipse est, quem de sua sententia interpellatus pollicitus fuerat se missurum ad Imperatorem & Synodum; quem tamen & vniuerso Orbi Catholico communem esse voluit. Idem vero cum in fine notatum habeat diem, quo ipsum Vigilius publice edendum curauit, videlicet pridie Idus Maij, anno Imperatoris vigesimoseptimo, post Cōsulatum Basilij duodecimo; ad hunc ipsum diem Collationis quintæ pertinere cognoscitur. In qua quidem scriptione valde prolixa *k*. illud imprimis videtur Vigilius respexisse, ne Tria Capitula defendens, in suspicionem adduceretur defensionis errorum Nestorij ob indemnatum Theodorum Mopsuestenū. Ideoque primum omnium multus fuit in confutatione ac damnatione singulorum errorum qui in scriptis eiusdem Theodori dicebantur inuenti, sexaginta capitibus comprehensi: deinde vero quæ de Tribus Capitulis sua esset sententia fusius declarans, illud in summa statuit, errores quidem Theodori, Ibæ, & Theodoreti, si qui essent, reiiciendos esse & anathematizandos; personis autem nullam debere inferri contumeliam, quas Synodus Chalcedonensis recepisset: ac demum decreuit, quæcunque contra hanc ipsius sententiam à quibusuis dicerentur aut scriberentur, nullam habitura auctoritatem. Eidem vero pariter subscripserunt, qui cum ipso Constantinopoli erant ex Oriente, Italia, & Africa sexdecim Episcopi, & tres S. R. E. diaconi.

DE VIGILII PAPÆ CONSTITVTO.

k Recitat illam integram Baron. annal. Tom. VII. hoc an. ex Bibl. Vatic. eandemque explicat.

SENTENTIA VIGILII DE TRIB. CAPP.

Porro cum (vt vidimus) in præcedenti Collatione actum iam esset de causa *Theodori*, ac *Theodoreti*, quæ duo erant ex Tribus illis Capitulis; in Sexta demum (quæ celebrata ponitur decimoquarto Calendas Iunii) multum agitatum est tertiū, nempe causa *Ibæ*: tandemque Epistola eius ab omnibus condemnata, & dictum iterum anathema Nestorio ac Theodoro Mopsuesteno. Verum dum falsa quædam asserta reperiūtur in Actis huius Collationis, de impostura non mediocté suspicionem inducunt: veluti cum dicitur, Ibam olim negasse eam epistolam esse suam, additurque eam à Synodo Chalcedonensi fuisse damnatam: neutrum enim horum verum esse, superius suo loco *l* aperte demonstratum est. Sed & in eo corrupta esse eadem Acta constat, dum in collatione facta epistolæ Ibæ cum professione Concilii Chalcedonensis, additum est (quod diutius frustra tentasse vidimus nonnullos Eutychianæ hæresis suspectos, obnitente Hormisda Papa ob dolos ipsorum vitandos) *Christum vnum esse de S. Trinitate*, quasi id professa fuerit Synodus Chalcedonensis; quæ potius vnam dicere maluit personam S. Trinitatis, quam vnum de S. Trinitate.

XI. COLLATIO VI. DEPRAVATA.

l Sup. ann. 448 num. VIII. IX.

Post hæc ad septimum Calendas Iunii conuenientes Episcopi, Septimam celebrauerunt Collationem: in qua ex suggestione facta nomine Imperatoris, lectæ sunt plures Vigilii Papæ ad diuersos scriptæ epistolæ, in eo ex his laborante Imperatore, vt posset ipsum arguere præuaricationis, quasi antea condemnasset Tria Capitula, quæ postea defendisset. Ac demum Octaua, eademque vltima Collatione, celebrata quarto Nonas Iunij pronunciata est sententia contra eadem Tria Capitula, videlicet aduersus ipsum Theodorum Mopsuestenum, Ibæ Epistolam, & Theodoreti scripta aduersus Cyrillum. Quod vero scirent, absque assensu Romano Pontificis irrita reddi decreta Concilij; vtcumque possent Vigilij consensum ad hanc ipsorum sententiam prætendere, in ea posuerunt, ipsum antea & scriptis & sine scriptis eadem damnasse Capitula, tacentes omnino quid ab ipso per editum Constitutum pendente Synodo pro eorum defensione decretum esset. Ad calcem denique sententiæ, à Synodo positi habentur duodecim anathematismi contra Nestorij & Eutychetis hæreses, & aduersus Tria Capitula, quę omnia secuta subscriptio centum sexaginta quinque Episcoporum roborauit.

XII. COLLATIO VII. & VIII.

Rebus igitur sic stantibus, quas exhibent Acta, plane consenties hanc Synodum non Oecumenicæ tantum, sed nec priuatæ mereri nomen; vt quæ non solum non præsente

XIII. QVALIS ISTA SYNODVS.

Romano Pontifice siue per se siue per Legatos, sed etiam ipso resistente fuerit celebrata, & contra ipsius decreta ab ea sententia dicta. De qua & illud considerandum est, quod tradit Leontius *m*, tantum abfuisse vt Eutychiani illi hæretici, qui dicebantur Hæsitantes, receperint (vt promissum fuerat) Chalcedonense Concilium, Tribus illis quibus offendi videbantur Capitulis condemnatis; vt contra pressius in errore permanserint, prætextu contrarietatis, quæ iam inesse videretur inter duo Concilia Chalcedonense & hoc Quintum. Vnde euidens relictum est posteris documentum, nihil contra fas hæreticis concedendi sub specie conuersionis illorum.

m *Leont. de sect. act. 6. in fi. & 7: Adde Damasc. 3. de fid. Orthod. 11.*

XIV. DISSENSIONES AVCTÆ EX SYNODO.

At non hæretici tantum minime conuersi sunt, sed & ipsi Orthodoxi schismate diuisi; atq; ab Imperatore, qui Christianissimus semper videri & vocari voluit, persecutio excitata aduersus eos qui damnationem Trium Capitulorum non recipierent; quos in exilium egisse, ac plerosque ad pœnas quæsiisse tam ex Africa, quam ex Illyrico (vbi pro defensione Capitulorum collectum fuerat *Concilium*) constat ex Liberato *n*, Isidoro *o*, & Facundo Hermianensi; qui & ipse ad pœnas quæsitus eo quod pro Capitulis scripsisset, è latebris aduersus Mocianum hæc ipsa exprobrantem libellum conscripsit. Immunes à persecutione illi tantummodo fuere, qui non sub Iustiniani degebant Imperio: hincque accidit, vt Venetæ & ei adiacentium regionum Episcopi, cum essent hoc tempore sub Francorum dominio (vt præter alios, testis est etiam Procopius *p*) contra Quintam Synodum cogerent *Concilium Aquileiæ*, cuius meminit Beda. Demumque progressum est eusmodi schisma vsque ad ipsos Hibernos; quos pro Tribus Capitulis acriter pugnasse, constat ex S. Gregorio *q*. Constituto namque Vigilij Papæ freti, hi omnes id sibi iure licuisse arbitrati sunt. Ipsum vero Vigilium, cæsum, ac fune collo tractum, carcereque mancipatum, demum in exilium fuisse deportatum vna cum Clero qui cum eo erat, Anastasius tradit. Quod si ita est, quomodo verum erit quod affirmant Græci auctores, Euagrius *r*, Nicephorus *s*, Eustathius *t*, Cedrenus, Zonaras, atq; Photius *u*, eundem Vigilium per literas consensum iam ante exilium Synodo præbuisse? Certe si id præstitisset vel pendente ea, vel statim vt est absoluta; nec in exilium esset eiectus, & eiusmodi ipsius literæ tanto emendicatæ labore, Actis Synodi essent intextæ, atque Ecclesiæ vniuersæ notæ factæ.

n *Liber. Breuiar. c. vlt.*
o *Isid. de Vir. Ill. cap. 18. 25.*
p *Procop. de Bel. Goth. lib. 3.*
q *Greg. 2. ep. 36*
VIGIL. PESSIME HABITVS AB IMP. r *Euagr. lib. 4. c. 37.*
s *Niceph. li. 17. c. 27. 28.*
t *Eustath. in Vit. Eutych.*
u *Phot. de Sept. Synod. ap. Euthym. Panopl. par. 2. tit. 24.*

XV. QVA AVCTORITATE QVINTA SYNODVS OECVMENICA FACTA SIT.

Quonam igitur pacto titulum hæc Synodus & auctoritatem obtinuit Oecumenicæ? Nimirum quia ipsius postea Vigilij (vt videbitur) aliorumque qui post ipsum præfuerunt Apostolicæ Sedi, assensu roborata fuit. Sicut & olim accidit Synodo Constantinopolitanæ sub Theodosio Seniore; quæ licet contra Damasi Papæ decretum celebrata, qui Synodum Romæ habendam indixerat, eius tamen accedente postea cõsensu, eadem Oecumenica facta est. Quod autem dum de Synodis egerunt Patres, non eodem præconio hanc Quintam celebrarunt, sicut alias quatuor præcedentes; id ea de causa contigisse S. Gregorius *x* Papa declarat, quia in quæstione Trium Capitulorum, ob quam ea præcipue celebrata est, non de fide controuerteretur, quam vtraque pars saluam esse vellet, sed tantum de personis. Vnde & accidit vt plerique Synodos recensentes, hanc prætermiserint: puta Cassiodorus *y*, & ipse aliquando S. Gregorius *z* atque etiam Patres Concilij Bracarensis *a* Secundi. De eius autem approbatione, auctoritatem habes eiusdem S. Gregorii variis ad diuersos ea de re scriptis litteris *b*: in quarum etiam nonnullis *c* agit de libro quodam eodem argumento aduersus Tria Capitula scripto à Pelagio Papa, ipsius Gregorij proximo decessore. Eorumque pariter successores Romani Pontifices *d*, atque alia Oecumenica Cõcilia postea celebrata, eandem de Quintæ Synodi receptione sententiam comprobarunt.

x *Greg. 3 ep. 37. ad Const. Aug. &*
y *Cassiod. 1. Inst. 11. & 17.*
z *Greg. 3 ep. 33 & 37.*
a *Conc. Bracar. II. in praef.*
b *Greg. 1 ep. 24 2 ep. 36. 3 ep. 4 7 ep. 54.*
c *ep. 36.*
d *Leo II. ep. ad Const. Imp. quæ est in VI. Syn. Hadr. Imp. ad Nectar.*

XVI. CONTRARIÆ SENTENTIÆ DE TRIB. CAPP.

Quid ergo? Num Vigilius errauit defendens Tria illa Capitula? an vero tum ipse, tum Pelagius, & alij qui postea illa damnarunt? Vt hanc quæstionem soluas, primo considerandum est, quod est pluries dictum, in his disceptationibus nullam fuisse de fide quæstionem, vt alter ab altero aliter sentiens dici posset hæreticus: rursumque ex iisdem quæ dicta sunt, quæque sæpius repetuntur cum in ipsius Vigilij Constituto, tum in Actis Quintæ Synodi, intelligendum, vtramque partem in id dumtaxat respexisse, vt consultum esset dignitati Concilij Chalcedonensis. Cum igitur damnarentur Tria Capitula, nihil derogatum fuit eidem Synodo, sed tantum aliquid magis perspicue declaratum. Etenim cum in ea Theodori Mopsuesteni præconia recitata essent, & epistola Ibæ in nonnullis recepta, ac denique Theodoretus acclamationibus laudatus; nequis tamen existimaret, ob id à S. Synodo eorundem quoque scripta, quæ errores insertos haberent, approbata fuisse; placuit postea Theodorum ex suis ipsius scriptis fuisse hæreticum demonstrare, pariterque damnare; itemque Ibæ epistolam, ob blasphemias in ea contentas, vt hæreticam reprobare; ac denique Theodoreti aduersus Cyrillum scripta reiicere. Hæque sunt causæ, quibus Tria illa primum condemnare Capitula tum Vigilius & Iustinianus, tum ipsa Quinta Synodus sunt persuasi. Vt autem postea Vigilius sententiam aliquando mutarit, id quidem primo inde accidit, quod veluti per cuniculos aditus patefactus videretur ad inuadendum Chalcedonense Concilium, cum quæ in eo acta essent iterum ad examen reuocarentur: præterea quod si concederetur, vt in communione Catholica defunctus aliquis posset damnari, pateret ostium vt ex suis scriptis quisque Ecclesiæ scriptor post obitum sæpe posset vt hæreticus condemnari, cum haud facile sit reperire aliquem, qui quantumlibet titulo sanctitatis atque doctrinæ refulserit, non sit erroris alicuius arguendus: ac demum quod videret cum Africanam tum alias plures Occidentales Ecclesias schismate diuidendas, si contra Capitula in priori sententia perstitisset. Sed cum postea grauiori damno, vniuersum Orientem ab Ecclesia Romana diuisum cerneret; tunc & ipse Synodo consensum præbuit. Quapropter quod nouis emergentibus causis in re quæ nihil præiudicij Orthodoxæ fidei afferre poterat, sententiam sæpe mutauit; haud magis arguendus est leuitatis, quam ipse sanctissimus Paulus Apostolus, cum postquam de abroganda circumcisione suffragium tulisset, deinde noua suborta causa Timotheum *e* circumcidit, ac rursum priora secutus, Petrum *f* ad tempus dissimulantem redarguit, pro ratione temporis ac circumstantiarum factus omnia omnibus vt omnes lucraretur. His denique accessit & alia vrgentissima causa recipiendæ eiusdem Synodi; nempe quod in ea (vt mox dicetur) rata habita esset damnatio Origenis, & eius errorum, qui magnopere in Oriente inualescebant; ne eam damnando Synodum, videretur Vigilius Origenis erroribus aliquo modo fauisse. Sicut autem ipse, ita & eius successores iisdem ex causis eandem suscipiendam existimarunt: quos & vniuersa secuta est Ecclesia, paucis exceptis schismaticis qui ad aliquod tempus respuerunt.

CONCILIANTVR.

CVR VIGILIVS SENTENTIAM MVTARIT.

e *Act. 16.*
f *Gal. 2.*

Ceterum multa in Actis Synodi desiderari, & iam demonstratum est, & ex aliis adhuc constat. Namque in ea anathemate damnatum esse Origenem, Didymum, & Euagrium, vna cum omnibus ipsorum erroribus, testantur inter alios Cyrillus in Actis *g* S. Sabæ omni fide conscriptis, atque Nicephorus *h*; qui & decem recitat anathematismos aduersus Origenem tunc scriptos, quorum superius facta est mentio. At vero in ipsis Actis Synodi, de Origene eiusque erroribus condemnatis fit tantum breuissima mẽtio in quinta Collatione, & in vndecimo anathematismo aduersus omnes hæreses. Recitatque insuper Cedrenus *i* epistolam Iustiniani Imp. ad Synodum de erroribus Origenis; & ex eiusdem auctoris sententia, primo de Origene actum esse in Synodo ponitur, inde vero de Tribus Capitulis. Post quæ subiicit item aliam eiusdem Imperatoris ad Synodum datam epistolam, continentem historiam de quatuor Conciliis Oecumenicis; vbi ad calcem plura habet aduersus Theodorum Mopsuestenum. Fuisse autem hæc omnia Actis Synodi intexta, sed inde ab Origenistis sublata, (quorum Theodorus Cæsarienſis Cappadox malorum omnium concinnator, cuius summa erat apud Imperatorem auctoritas, patronus extitit) nemo iure dubitauerit. Quin & Vigilium Papam seorsum Pontificio decreto damnasse Origenem, testis est Cassiodorus *k*; innuiturq; in eiusdẽ Synodi Actione quinta. Vbi etiam aperte confirmatur quod Cedrenus dixit, prius in Synodo actum esse de Origene

XVII. ACTA SYNODI MVTILATA AB ORIGENISTIS.

g *Ap. Sur. 5. Dec. & in VII. Synod. Act. 1:*
h *Nicph. li. 17. c. 27. 28.*
i *Cedr. in Comp. Annal.*

ORIGENES DAMNATVS IN SYNODO.

k *Cassiod. 1. diuin. Inst.*

quam

quam de Tribus Capitulis ; dum in recensione eorum quæ facerent ad damnationem Theodori Mopsuesteni licet defuncti, inter alia eiusmodi defunctorum damnationis exempla, asseritur iam ab eadem ipsa Synodo Origenem fuisse damnatum.

Illa præterea Acta deesse noscuntur, quibus agebatur de adiectis Patriarchatui Hierosolymitano Ecclesiis omnibus totius Palæstinæ, (quæ antea, ex instituto Nicænæ Magnæ Synodi, Cæsariensi Ecclesiæ subiacebant) aliisque nonnullis ad Patriarchatus Alexandrinum & Antiochenum antea pertinentibus: quod in hac Quinta Synodo peractum esse, traditur in Bello *l* sacro, necnon in Vaticanæ Bibliothecæ codice notissimo, cuius est titulus *Liber Censuum*. Tentauerat quidem hoc olim (vt vidimus) Iuuenalis Hierosolymitanus Episcopus in Synodo Ephesina, & perfecerat in Chalcedonensi : sed quominus illud, quia in præiudicium vertebatur aliarum Ecclesiarum, auctoritatem haberet, Leo Papa interceſſerat. Nunc ergo primum Hierosolymorum Ecclesia Patriarchatu vere aucta cognoscitur; quamuis & iam antea eo nomine, sed absque inconcussa iurisdictione gauderet. Porro Iustinianus Cæsariensem ciuitatem, eiusmodi auctoritate Ecclesiastica spoliatam, remunerare voluit *m* restituto quem diu ante possederat Proconsulatu.

Iam vero Monothelitarum fuit inuentum, vt sub titulo Quintæ Synodi, tanquam ex eius Actis depromptam ediderint epistolam quandam, Menæ Constantinopolitani Episcopi nomine ad Vigilium Papam conscriptam, de vnica in Christo voluntate ; aliasque duas, eiusdem Vigilii nomine inscriptas ad Iustinianum & Theodoram de vna in Christo operatione. Sed eiusmodi hæreticorum impostura detectæ sunt à Legatis Apostolicæ Sedis in Sexta *n* Synodo ; vbi etiam dictum est anathema in eos qui quoquo modo Quintam Synodum corrupissent. de qua modo hactenus.

Hoc eodem anno Iustiniani vigesimo septimo, Autumnali tempore, per quadraginta dies ciuitas Constantinopolitana, aliæque regiones Orientis, ipsaque Alexandria, ingenti terræmotu concussæ sunt, multis etiam ciuitatibus solo æquatis : quod tradunt Agathias *o*, Miscellæ *p* auctor, & Cyrillus *q*. Hæc vero præsagia fuisse malorum quæ sunt prædictam Synodum consecuta, nemo negare poterit, quicunque ab euentis facta nouerit iudicare. Narrat insuper Cedrenus sub huius anni periodo, terribilem casum auari cuiusdam diuitis Constantinopolitani : qui cum vehementer ægrotans triginta libras argenti pauperibus distribuisset, restitutus autem valetudini facti pœnituisset; re cum amico communicata, vbi non potuit auerti ab eo prauo dolore, tunc alter ille promittens ei pecuniam reddere, dum vellet in templo dicere haud se eam pauperibus, sed illum alium elargitum esse; statim vt hoc auarus præstitit, in ipso Ecclesiæ exitu mortuus concidit; integram vero pecuniam alius pauperibus erogauit.

Hoc etiam anno finem huic vitæ imposuisse magnam illam fœminam *S. Chrotildem*, siue Clotildem, Clodouei Regis coniugem, Scriptores *r* tradunt : cui debent Franci, quicquid boni ob susceptam Christianam religionem sunt consecuti; vtpote quæ suis precibus & hortationibus, cum ipsi Clodoueo tum vniuersæ Francorum genti auctrix fuerit, vt Christianam religionem abiecta idololatria susciperent. Quæ viduata viro, fere reliquum vitæ tempus ad sepulchrum S. Martini Turonis sanctissime perduxit : vnde Parisios solemni pompa deportata, in basilica S. Petri (postea S. Genouefæ dicta) ad latus Clodouei Regis sepulta est à filiis suis Childeberto & Clotario Regibus : quod tradit Gregorius *s* Turonensis. Prosecuta vero est tantæ fœminæ dignam memoriam Catholica Ecclesia, dum inter Sanctos illam adscribens, diei quoque natalis eius *t* anniuersariam commemorationem celebrat.

1. *ap. Baron. ann. 555. num. IX.*

XVIII. HIEROSO. ECCL. ERECTA IN PATRIARCHATVM.

l *Guil. Tyr. lib. 14. de bel. sacr. c. 12.*

m *Num. 103.*

XIX. SYNODVS CORRVPTA A MONOTHELITIS.

n *Syn. Sext. act. 14.*

XX. TERRÆMOTVS IN ORIENTE.

o *Agath. l. 2.*
p *Misc. l. 16.*
q *Cyril. in Vit. S. Sab. ap. Sur. 5. Dec.*

DE AVARO TERRIBILIS CASVS.

XXI. CHROTILDIS REGINÆ OBITVS.

r *Sigeb. in Chron. & alii eum sequuti.*

s *Greg. Tur. 4. hist. 1. & lib. 10. c. 31.*
t *Martyrol. Rom. 3. Iunii.*

IESV CHRISTI AN. 554.

VIGILII AN. 15.

IVSTINIANI AN. 28.

ANno Christi quingentesimo quinquagesimo quarto, Post Consulatum Basilii decimo tertio, Vigilius Papa precibus Narsetis Ducis (qui ea de re fuerat rogatus à Clero Romano) ab Imperatore liberatus est exilio : quam rem gestam Anastasius describit. Tunc vero accidisse etiam putamus, vt idem Vigilius ex causis superiori anno deductis, assentiens Imperatori Quintam Synodum comprobarit. Etenim cum de consensione Vigilii Græci omnes (vt vidimus) affirment, nec id ante exilium accidere potuerit; necesse est affirmare id ab ipso factum esse hoc tempore, cum ab exilio solutus permissus est in suam redire Ecclesiam, iam vendicata per Narsetem à Gothis Italia. Innuit hoc ipsum Liberatus *a*, & ipse ex eis vnus qui pugnarunt pro Trium Capitulorum defensione, dum ait Vigilium ob eiusmodi defensionem afflictum fuisse, nec tamen coronatum : plane alludens ad eius exilium, & post exilium à priori proposito defectionem.

Hoc item vigesimo octauo Iustiniani anno, à Cosrhoe Persarum Rege aduersus eum bellum motum est, non quidem ex more in Syria, sed in Colchorum prouincia; vbi Romanus exercitus turpiter victus atque fugatus est : quæ pluribus refert Agathias *b*. Iis vero narratis, diuertit ad peregrinationem, seu transmigrationem quorundam Philosophorum Gentilium è Romano solo in Persidem, ea (vt refert) occasione, quod pertæsi illi Christianam religionem, & eam colentium mores, ad Persas, quos acceperant esse modestiores, proficisci decreuerunt : verum vbi falsa decepti fama, Persarum fœdissimos inuenerunt mores, cõfestim redire ad pristinos lares, & cum Christianis reliquum vitæ tempus degere censuerunt.

I. VIGILIVS PP. AN XXI LIO LIBERATVR.

a *Lib. c. 22. in fi.*

II.

b *Agat. l. 2.*

IESV CHRISTI AN. 555.

PELAGII AN. 1.

IVSTINIANI AN. 29.

ANno Domini quingentesimo quinquagesimo quinto, Post Consulatum Basilii decimo quarto, Vigilius Romanus Pontifex venturus in Italiam, Syracusis in Sicilia calculi morbo diem obiit, cum sedisset annos sexdecim; etsi Anastasius plures tribuit, cui tamen aduersatur rerum gestarum series. Quo autem mense, dieve, sit mortuus, nulla apud antiquos mentio : nec nobis de his diuinandum, cum neque ex eius successoris annis possint ea satis definiri. Eius vero corpus delatum Romam, sepultum est ad S. Marcellum via Salaria. Hicque tandem finis Vigilii Papæ; vt iusto Dei iudicio in insula defunctus sit confectus ærumnis ex morbo, qui coegerat sanctum decessorem suum Siluerium deportatum in insulam, illic animam exhalare. Quique malis artibus Pontificatum adeptus fuerat, immensis semper agitatus est fluctibus; inuisus Imperatori, cuius gratiam tot studiis demereri fategerat : haud gratus Episcopis Orientalibus, aduersus quos diu multumque certauit; & Occidentalibus defensoribus Trium Capitulorum execrabilis redditus, quod eorum impugnatoribus inhæserit.

Postquam vero ab eius obitu sedes vacasset menses tres & dies quinque, subrogatus est in locum eius PELAGIVS Archidiaconus, natione Romanus, filius Ioannis Vicariani : quem Anastasius tradit ductum esse in suspicionem illatæ mortis Vigilio, ideoque fere omnes tam ex clero quam ex populo ei communicare recusasse ; vt vix Episcopi duo, nempe Ioannes Perusinus & Bonus Ferẽtinus, inuenti fuerint, qui vna cum Andrea presbytero Ostiensi eum consecrarent : sed eundem post consecrationem facta processione cũ Litania à S. Pancratio, vsque ad S. Petrum, ibi consecenso ambone, præsente Narsete Duce, & vniuerso populo, tenen-

I. VIGILII PP. OBITVS.

IVDICIVM DEI IN EO.

II. PELAGII ELECTIO.

tem Euangelium & Crucem ſuper caput ſuum, ſe ab eo crimine purgaſſe: decretumque promulgaſſe aduerſus eos qui pecunia aut promiſſionibus ad gradus ordineſque Eccleſiaſticos peruenirent. Porro ipſum non ſine aſſenſu, immo & promotione Iuſtiniani Imp. Pontificem creatum eſſe, idem Anaſtaſius *a* ſatis indicat. Iam enim ſibi huiuſmodi auctoritatem exemplo impiiſſimorum Gothorum Regum Arianorum Imperator arrogauerat; & qui præ cæteris videri voluit pius, ſe maxime impium præſtitit, dum duriores coegit Romanam Eccleſiam ſubire conditiones, quam tulerat ſub Ethnicis Imperatoribus; de quibus nulla eſt vſquam mentio, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem ſibi aliquando vſurpauerint. Sicque ducta eſt in captiuitatem Domina gentium, & Regina prouinciarum facta eſt ſub tributo: ſicut tot idem è Ieremiæ *b* Lamentationibus petitis verbis deplorauit iſta S. Gregorius *c* Papa; cum & doluit, non ſine certæ oblatione pecuniæ eiuſmodi fieri ſolitam ab Imperatore probationem Romani Pontificis; vt etiam dicetur opportuniori loco inferius.

a *Anaſt. in Vigil. in fi.* IVSTIN. SIBI ARROGAT PROMOTIONEM ROM. PONT.

b *Ierem. Thren.* 1.

c *Greg. in ſept. Pſalm. pœnit. ap. Baron. ann. ſuper. nu.* 11.

III. FRACI CV ALEMANNIS INVADVNT ITALIAM.

Hoc eodem anno vigeſimo nono Imperii Iuſtiniani, qui ſub Theodibaldo Francorum Rege militabant duo fratres germani, iidemque Alemanni, *Leuthares* & *Bucellinus* (ſic enim iſtum Gregorius *d* Papa nominat, quem Turonenſis *e* *Bucillenum*, Agathias *f* *Butilinum*) pro Gothis aduerſus Romanos, inuito licet Theodibaldo, bellum geſturi, cum ſeptuaginta duobus millibus Francorum & Alemannorum delectis militibus deſcendentes in agrum Campanum, Lucanos, Brutios, omneſque interiacentes regiones depopulati ſunt. Narrat ea pluribus Agathias: qui & Francorum ſub Bucellino militantium erga res ſacras abſtinentiam commendat, Alemannorum vero ducem Leutharem ſequentium impietatem condemnat: ſubditque de terribili quam in ſe iram Dei expertus eſt idem Leuthares, dum onuſtus ſacrorum ſpoliis domum rediens, trans Padum ad Venetiæ loca in rabiem verſus, propria membra morſibus dilacerauit, totuſque Alemannorum exercitus variis morbis conſumptus eſt: Bucellinum autem ait apud Capuam ingenti prælio à Narſete ſuperatum, & necatum eſſe cum omni Francorum exercitu; adeo vt ex tam immenſo hoſtium numero, quinque tantummodo fuerint reperti qui remearint ad propria. quod quidem ipſe tribuit tum pietati ac iuſtitiæ Narſetis, qui non ante conſerere manus cum hoſtibus voluit, quam purgato exercitu; tum etiam iniuſtitiæ Bucellini, obſtinate nimis patrocinium Gothorum hæreticorũ & alienæ ditionis inuaſorum ſuſcipientis. Verum Gregorius Turonenſis ait eundem Bucellinum miſſum à Theodoberto Theodibaldi patre, crebris prælijs Beliſarium, ipſumque poſtea Narſetem ſuperaſſe, Italiamque vniuerſam atque Siciliam ſub ditione Francorum redegiſſe: donec tandem regnante Theodibaldo, à Narſete victus & interfectus eſt, Italiaque recuperata.

d *Greg. Tur. 4. hiſt. 9.*

e *Greg. Tur. 3. hiſt. 32. & l. 4. c. 9.*

f *Agath. lib. 2.*

IV. ROM. EXERCITVS PROFLIGATVS A PERSIS.

Hoc vero ipſo anno Romanus exercitus qui in Perſide militabat, in quo quinquaginta millia Romanorum erant, fugatus eſt à tribus millibus Perſarum; vlciſcente Deo innocentem ſanguinem Regis Colchorum Chriſtiani ac maxime pii, qui à Romani exercitus ducibus fuerat doloſe necatus: quæ pluribus proſequitur Agathias. Eodemque anno Iuſtiniani vigeſimo nono, rurſum Iudæos & Samaritanos tumultus in Palæſtina excitaſſe, ac Cæſareę multos Chriſtianos interfeciſſe, & Eccleſias combuſſiſſe, necnon Prefectum Heremiſſe, horumque ſcelerum grauiſſimas poſtea pœnas variis ſupplicijs dediſſe, auctor Miſcellæ narrat.

V.

Sed inter hæc dum quæ dicta ſunt de Francis in Italia gererentur, Theodibaldum ipſorum Regem adoleſcentulum morbo ex hac vita migraſſe, Agathias affirmat. At cum ſeptem annos regno eius Gregorius *g* Turonenſis tribuat; ex iis quæ de obitu patris Theodoberti ſuperius dicta ſunt, debuit Theodibaldus ad aliquot adhuc annos vitam prorogaſſe. Eum autem vxorem Wldotradam duxiſſe; hancque vna cum regno eiuſdem Theodibaldi, inceſtuoſo connubio Clotarium Regem magnum eius patruum accepiſſe, ſed reprehenſum à ſacerdotibus dimiſiſſe, idem Gregorius narrat: Qui & iam antea aliud eiuſdem Clotarii ſimile crimen retulerat *h*; nimirum duas ſibi in matrimonium coniunxiſſe ſorores, ex quibus ſeptem ſuſcepiſſet filios.

g *Greg. Tur. 4. hiſt. 9.*

h *Ibid. c. 3.*

IESV CHRISTI AN. 556.

PELAGII AN. 2.

IVSTINIANI AN. 30.

ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſexto, Poſt Conſulatum Baſilii decimo quinto, debellatis (vt vidimus) Francis, Alemannis lue conſumptis, & Gothis in deditionem acceptis; à bellis Italia tandem quieuit: cum tamen vigeret bellum Eccleſiaſticum de Tribus Capitulis. Quando Pelagius Papa, qui iam Vigilii prædeceſſoris ſui decretum de confirmatione Quintæ Synodi ratum habuerat, vt & ipſos Occidentales Epiſcopos (quorum maxime refractarios inuenit Venetos, Iſtrios, atque Ligures, interque omnes Aquileienſem & Mediolanenſem) ſibi in his obſequentes redderet, per Narſetem comprimere atque coercere niſus eſt, multis ad eum ea de re ſcriptis *a* literis. Sed quæ geſta ſint per Narſetem, ex Scriptorum inopia latent.

I. PELAGII PP. CONATVS ADVERSVS DEFENSORES TRIVM CAPP.

a *Pelag. ep. 2. 3. 4. 5. To. 1. Epiſt. Rr. Pont.*

II.

Quæ vero reliqua fuerint Pelagii aduerſus ſchiſmaticos ſtudia, poteſt intelligi ex aliis ipſius ſcriptis. Siquidem inter plures, quæ extant eiuſdem ad Childebertum Francorum Regem, & Sapaudum, ſiue Sabaudium Arelatenſem Epiſcopum (cui ex more anteceſſorum, cum vſu pallii vices ſuas per vniuerſam Galliam delegauit) variis occaſionibus hoc & ſequenti anno, nempe Poſt Conſulatum Baſilii decimo quinto & decimo ſexto, ſcriptæ *b* epiſtolæ; illa notatu eſt plane digna, quam ad eundem Regem dedit hoc anno tertio Idus Decembris. Quod enim (vt dictum eſt) Orientalibus conſentiẽs Pelagius in probanda Quinta Synodo aduerſus Tria Capitula, à ſchiſmaticis Occidentalibus in ſuſpicionẽ adductus eſſet de violata fide Catholica; eius rei gratia Rex Childebertus maxime pius Ruffinum legatum Romam miſit, ſciſcitatum à Pelagio, an Catholicam Leonis Papæ Epiſtolam de fide aduerſus Eutychetem ſequeretur. Cui per eaſdem ſuas literas Pelagius reſcribens, anathematizauit omnes quicumque aliquo modo deuiarent à doctrina Epiſtolæ Leonis, & Concilii Chalcedonenſis. Cum vero rurſum idem Rex, ad omnem penitus dubitationem tollendam, petiiſſet ab eodem Pontifice exactiorem fidei profeſſionem; eam Pelagius compulſus eſt ad ipſum mittere, quæ habetur inter illas quas diximus epiſtolas. Qui & inſuper, vt tandem omnibus quocumque loco de ipſius ſententia dubitantibus ſatisfaceret, expedire iudicauit de fide Catholica ad vniuerſum populum Chriſtianum circulares eo argumento literas dare, quæ extant ibidem. At licet profuerint iſta multis, qui eidem Pelagio veluti membra capiti ſe ſubdiderunt; non tamen omnibus, cum in pluribus locis diutius eiuſmodi viguiſſe ſchiſmaticos liqueat.

b *Rec. Fur. ann. Tom. VII. an. 556 & 559. ex arch. Eccl. Arelat.*

REGIS FRANC. SOLICITVDO PRO FIDE CATHOL.

Hoc eodem tempore (vt Agathias *c* tradit) regnũ Francorum in maximum diſcrimen adductum eſt, ex bello ciuili conflato inter fratres Reges Childebertum & Clotarium ob diuiſionem bonorum Theodibaldi Regis defuncti ipſorum nepotis. Cui & domeſticum bellum acceſſit, dum Chramnus perditiſſimus Clotarii filius contra patrem arma mouit, quo tempore pater aduerſus Saxones rebellantes in expeditione eſſet. Quando & Gregorius *d* Turonenſis contigiſſe narrat, vt clerici Diuionenſes quęnam eſſent Chramno obuentura ex diuinarum Scripturarum oraculis inquirentes, poſitis ſuper altare tribus libris, nempe Prophetarũ, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, poſt preces ſuper ea re ad Deum fuſas, in ſingulorum fortuita apertione inuenta ſint vaticinia futuri ipſius excidii, quæ poſtea (vt videbitur) fuere adimpleta. Cum vero his ciuilium diſcordiarum temporibus plerique iniicerent manus in bona Eccleſiaſtica, & immunitates eccleſiarum violarent; nonnulla tunc fieri contigit miracula, quibus diuinæ in eos vltionis ira omnibus nota facta eſt; quæ idem Gregorius *e* recitat.

III. c *Agath. l.*

d *Greg. Tur. 4. hiſt. 17.* VATICINIA REVENIENDAR. QVÆSITA EX SCRIPT.

e *Id. 4. hiſt. 16. & 18. & de glor. mart. c. 66. & de mir. S. Mart. l. 1. c. 23.*

Hoc eodum anno egregiam diuinitus victoriam (quam Agathias *f* fuſius proſequitur) de Perſarum copiis apud Colchos Romanus exercitus obtinuit; dum qui ſacrificii cauſa Iuſtinus Dux, Imperatoris conſanguineus, cum mille equitibus in templum quoddam magna veneratione à Chriſtianis habitum abiiſſet, reuerſurus in munitionem, hoſtes quibus forte occurrit fugauit, occiditque.

IV. f *Agath. l. 3.* IVSTINVS PIETATI INTENTVS PERSAS VINCIT.

IESV CHRISTI AN. 557.558.

PELAGII AN. 3.4.

IVSTINIANI AN. 31.32.

I. ANnus Domini quingentesimus quinquagesimus septimus, Post Consulatum Basilii decimussextus, Constantinopolitanis admodum extitit luctuosus, ob ingentem iterum in ipsa hieme repetitum terræmotum, qui vrbem horrenda & per dies quamplurimos continuata quassatione adeo concussit, vt tota fere collapsa fuerit: cum & eodem tempore quidam impostores maiorem incusserunt plebi terrorem, prædictionibus vulgatis de proxime futuro mundi occasu. Factum est tamen, vt his malis territi omnes, non solum supplicationibus publicis vacauerint, sed & vitiis depositis vitam in melius mutauerint: at vbi periculum transiit, confestim ad pristinam rediere pleriq; cõsuetudinem: vt hæc omnia pluribus descripsit Agathias *a*, post recensitas anni huius reliquas res gestas; nempe damnatos capite Rusticum & Ioannem Duces exercitus, ob necem illatam Colchorum Regi Christiano Romani Imperii socio; bella prospere confecta aduersus Mysianos, qui defecerant à Romanis ad Persas; necnon supplicium superbissimi Persarum exercitus Ducis, quem ob male rem gestam Cosrhoes Rex excęcari iussit. Post terræmotus vero descriptionem, idem auctor addit de reædificatione à Iustiniano Imp. facta plurimorum ędificiorum, ac præcipue sacrorum; interque hæc, maximi omnium atque præcellentissimi templi S. Sophiæ; de quo etiam egit Procopius *b*: sed & Euagrius *c* mirabilem eius structuram, situm, & dimensiones complexus est: Cedrenus autem sacram eius mensam ex auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, cunctisq; rebus tam pretiosis quam vilibus, quas terra fert, mare, & totus mundus (vt ait) conflatam descripsit.

INSIGNIS TERROR CONSTANTINOPOLI.

a *Agath. l. 5.*

DE TEMPLO S. SOPHIÆ.

b *Procop. de ædif. Iustin. lib. 1.*

c *Euag. lib. 4. c. 30.*

II. Anno vero Christi quingentesimo quinquagesimooctauo, Post Basilii Consulatum decimoseptimo, vere iam ineunte (inquit Agathias *d*) derepente & iterato vrbẽ Constantinopolim pestilens morbus inuasit, & infinitam sustulit multitudinem; cum tamen haud prorsus cessasset, ex quo primum anno Iustiniani Imperii quinto irrepere cœperat. Porro ad hæc auertenda mala, pestis scilicet, & terræmotus, necnon æque sæuientis famis; Iustinianus ad populum sanctionem *e* edidit de imploranda Dei misericordia, ac vitandis blasphemiis, illicitisque concubitibus; quorum sceleruin causa tanta obuenisse mala conqueritur. Nam quod ad hæc attinet; tradunt Glycas & Cedrenus, repertos his temporibus esse Constantinopoli ciues quamplurimos, & Senatores non paucos, atque etiam nonnullos Episcopos, masculorum corruptores; quorum aliis veretrum amputari iusserit Imperator, aliis calamos acutos in mearus genitalium inseri, eosque nudos tanquam in triumpho per vrbem circumduci. Verum nec tantæ maculæ tantis sunt abstersæ flagellis, quæ olim nonnisi igne *f* cœlitus immisso dilui meruerunt.

II. *d Agat. l. 5.*

c *Nou. 77.*

IVSTIN. IMP. TVRPITVDINES CONATVR AVERTERE.

f *Gen. 19.*

III. Siquidem his successit ineunte iam hieme, noua Hunnorum Cotrigurorum incursio duce Zaberga, qua post transitam ab eis celeri cursu Mœsiam Scythiamque, tota pene Græcia atque Thracia, nemine resistente, miseranda strage vastata est: iamque ipsi regiæ vrbi idem periculum imminebat, quando Belisarius clarissimus olim Dux, etsi prę senectute in curuitatem iam declinatus, armatus Hunnis occurrens magno labore eosdem ab ea propulsauit; auroque postea penso, & annuo promisso tributo, ad propria remisit. Hæc omnia fusius Agathias. Cuius iusta illa querela est, hæc tempora deplorantis, cum thesauris Romani Imperii, non florentissimi (vt olim) atque copiosissimi exercitus nutrirentur, ad Imperii limites ab hostium incursionibus tuandos; sed iidem in scorta, aurigasque, & homines eiusmodi vanos atque effœminatos impenderentur. Sicut & iure Euagrius *g* eundem Imperatorem summæ inertiæ arguit, quod in Circi factionibus adeo Prasinis aduersus Venetos studuerit, vt eis impune permiserit non solum aduersarios trucidare, sed etiam in Magistratus qui eos cohibere vellent, insurgere, & in alienas ædes irrumpere, singulorumque thesauros diripere. Ita namque miser Iustinianus à pristino illo vitæ instituto desciuit, dum se supra sacrosanctos Dei sacerdotes erexit. A quibusnam enim iniustis actibus abstinuisse potuit, qui nec veritus est in supremum Christianæ religionis Pontificem manum iniicere?

III. NOVA HVNNORVM INCVRSIO.

g *Euagr. l. 6. c. 1.* PRODIGIOSA IVSTINIANI MVTATIO.

IESV CHRISTI AN. 559.

PELAGII AN. 5.

IVSTINIANI AN. 33.

ANno Christi quingẽtesimo quinquagesimo nono, Post Consulatum Basilii decimooctauo inscripto, *Pelagius* Papa, vbi sedisset annos quatuor, menses decem, dies octodecim, ex hac vita migrauit die secunda Martii; sepultusque est in basilica S. Petri. Ita ex Anastasii commentario, qui scriptus habetur in Vaticana Bibliotheca; necnon ex eiusdem Pontificis Epitaphio, quod ex antiquis Vaticanæ Basilicæ monumentis Manlius collegit. Ex quibus erroris redarguitur impressus Anastasii codex, & alii qui eundem Pontificem annos vndecim vixisse ponunt, quive anno sequenti obitum eius referunt. Quæ autem extat eiusdem Pelagii nomine ad Vigilium quendam Episcopum scripta epistola; dum ad finem data ponitur sub Consulatu Narsetis atque Ioannis, impostura suspicionem auget. Etenim cum vetera quæque monumenta, signata vbique reperiantur post Basilii Consulatum toties repetitum (meminit namque Cassiodorus *a* eiusdem vicies semel repetiti) plane significatur nullum aliuin interea Consulem esse creatum. Qua etiam ratione & reliquæ epistolæ post Consulatum Basilii datæ, sed aliorum à Mercatore Consulum nota suppositæ, eadem falsitatis suspicione laborant.

I. PELAGII PP OBITVS.

a *Cassiod. de comput. Paschi.*

Cæterum postquam vacasset Pelagii sedes menses tres & dies viginti quinque, Anastasius ait subrogatum esse in locum eius IOANNEM huius nominis Tertium, patria Romanum, cognomento *Catellinum*, natum ex patre Anastasio viro illustri. Sed quod ad sedis Pelagii vacationem spectat; ex tempore obitus Ioannis ipsius successoris, dicendum est potius vacasse menses quatuor & dies viginti quinque; sicque Ioannis electionem contigisse die vigesima septima Iulii. Cuius quidem omnia ferme rerum gestarũ monumenta perierunt.

II. IOANNES PP. III.

Hic quoque est annus, quo *S. Euphronius* creatus est Turonensis Episcopus; vt ex Gregorio *b* eiusdem postea sedis Antistite colligitur, dum annum secundum Redis Sigeberti (qui regnare cœpit anno Domini quingentesimo sexagesimo quinto) numerat eiusdem Euphronii septimum. Vnde affirmare necesse erit, cuncta quæ sub eodem Episcopo facta esse dicuntur, non ante præsentem annum contigisse. Quod & de SYNODO PARISIENSI, cui ipse præsens extitit, dicendum est; quamuis illam alii ante biennium referant. Dignus plane memoria Conuentus: in quo Patres inter alia laudabiliter instituta, insurgentes aduersus auctoritatem regiam plus æquo sibi sumentem, anathemati subiecerunt *c* eos qui nomine regio res Ecclesiasticas inuaderent, aut Episcopatus adipiscerentur, aut etiam contra parentum voluntatem vxores ducerent. Cum autem huic Synodo minime subscriptus reperiatur *Saphoracus* eius ciuitatis Episcopus, quem interfuisse constat Synodo Quintæ Aurelianensi habitæ anno Domini quingentesimo quinquagesimo secundo; facile mihi persuadeo, posterius quod habetur *Concilium Parisiense*, in quo idem Saphoracus depositus legitur, ante præsens celebratum esse; vt & qui huic habetur Germanus subscriptus, ipse sit sanctissimus ille Dei Sacerdos Parisiensis, quem Eusebio successisse post depositum Saphoracum Aimoinus tradit. Sane quidem cum Acta Parisiensis illius Concilii Secundi dicti, demonstrent illud post Quintum Aurelianense habitum esse; æque ratio persuadet, ante præsentem Synodum esse collectum. Quod vero pertinet ad *S. Germanum*; ipsum ex Abbate monasterii S. Symphoriani, sanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione præstantem, præcedentibus prophetiis vocatum ad regimen Parisiensis Ecclesiæ, auctor est Fortunatus *d* Pictauiensis

III. b *Greg. Tur. lib. 1. mirac. S. Mart. c. 32.*

CONCIL. PAR. AG. ADVERSVS REGES ECCLESIAST. CA TRACTANTES c *Conc. Paris. l. c. 1. 6 & 8.*

DE TEMPORE CONCILIOR. PARIS.

ILLVSTRES EPISCOP. GALLI. d *Ap. Su 28 Mai*

uiensis Episcopus, qui res ab eo præclare atque mirifice gestas scriptis tradidit. Interfuit insuper huic priori ordine positæ Synodo Parisiensi S. *Pratextatus* Rotomagensis Antistes, nobilior postea redditus corona martyrii: itemque fama ille insignis, decus Aquitaniæ, *Leontius* Burdegalensis; aliique sanctitate illustres Episcopi, quorum nomina relata sunt in Tabulas Ecclesiasticas: omnes vero quindecim numerantur, à quibus statuti sunt canones nouem tantum numero, sed virtute pollentes; ex quibus non solum qui illis vixere temporibus, sed & Nouatores hodierni exagitentur.

IESV CHRISTI AN. 560.

IOANNIS III. AN. 1.

IVSTINIANI AN. 34.

I. a *Miscell. & Cedr.*

ANno Christi quingentesimo sexagesimo, Post Basilii Consulatum decimo nono, Iustiniani trigesimo quarto *a*, valde ægrotans idem Imperator Constantinopoli cum vulgo mortuus iactaretur, quasi in interregno quibusque quod vellent agendi licentiam sibi sumentibus, eadem plane perpetrata sunt scelera, quæ in vrbis direptione ab hostibus fieri consueuerunt; ac præcipue ergasteria mercatorum sunt expilata. Eundem autem Imperatorem ope sanctorum Quatuor militum martyrum, statim vbi eorum sacræ Reliquiæ nuper inuentæ eius corpori impositæ fuere, è faucibus mortis erutum conualuisse, tum omnes alii referunt, tum ipse Procopius *b* rerum inspector: quo etiam auctore constat, non semel tantum, sed sæpius eiusmodi curationes Iustiniano accidisse; quippe quem ait SS. pariter martyrum Cosmæ & Damiani beneficio ab alia desperata ægritudine curatum esse. Quo item præsenti anno Sigebertus ponit aliud ingens miraculum de Imagine Saluatoris; quam cum Iudæus quidam de Ecclesia furto sublatam telo transfixisset, igneque cremare vellet, tanta ex ea vis sanguinis exiuit, vt per eius vestigia Iudæus detectus, à Christianis fuerit lapidatus.

IMP. SÆPIVS VIRTVTE SS. RELIQVIARVM SANATVS.

b *Procop. de ædif. Iustin. lib. 1.*

MIRACVLVM DE CHRISTI IMAGINE.

II. THEODOMIRI REGIS ARIANI CONVERSIO.

Sed & in Gallicia Hispaniæ prouincia, cum regnantes ibi hactenus Sueui impii Ariani, post Alaxam apostatam haud modicum Catholicæ Ecclesiæ damnum intulissent vsque ad præsentem annum, quo regnare cœpit *Theodomirus*; hic tandem ab hæresi ad fidem Catholicam conuersus est, occasione restitutæ salutis Ariamiro ipsius filio, beneficio S. Martini magni illius Turonensis olim Episcopi. Rem gestam, simulque Reliquiarum eiusdem S. Martini (pallii videlicet ferici, super sepulchrum positi pondereque valde aucti; prout etiam ad sacra Apostolorum corpora Romæ fieri consueuisse, alias *c* vidimus:) ab vrbe Turonensi in Galliciam solemni pompa translationem ad Ecclesiam quâ in eius honorem idem Rex extruxit; & miracula earundem virtute edita, pluribus describit eiusdem vrbis Antistes Gregorius *d*; apud quem tamen idem Rex *Charraricus* nominatus reperitur.

c *Ann. 461. num. 11.*

d *Greg. Tur. de miracul. S. Mart. lib. 1. c. 11.*

III. DE MARTINO BRACARENSI.

Accidit autem magna Dei prouidentia, vt iisdem ipsis diebus, quibus eædem Reliquiæ de loco leuatæ sunt, & in Galliciam appulerunt; pariter alius *Martinus*, & ipse ex Pannonia magni illius Sancti patria oriundus, vir summæ doctrinæ ac sanctitatis, è patria soluerit, & in Galliciam appulerit; qui Sueuorum conuersioni magno fuit stabilimento: vbi etiam primo Dumiensis monasterii *e* ab ipsomet ædificati Abbas postea Bracarensis factus Metropolitanus, Ecclesiasticam disciplinam optime instituit, multasque Ecclesias ac monasteria ædificauit: vt hæc omnia Gregorius *f* refert, necnon Isidorus tum in Chronico Sueuorum (vbi etiam meminit de eiusdem Regis Theodomiri conuersione) tum in tractatu *g* de Scriptoribus Ecclesiasticis, & alii.

e *Vasæum chron. Lean. in Not. ad Cont. Luc. Tuid & 5. Hist. Franc. 38.*

f *Isid. de Scr. Eccles. c. 22.*

IESV CHRISTI AN. 561.

IOANNIS III. 2.

IVSTINIANI AN. 35.

I. ANASTASIVS SINAITA EPISC. ANTIOCH.

ANno Domini quingentesimo sexagesimo primo, Post Basilii Consulatum vigesimo, & Iustiniani trigesimo quinto, defuncto Domino Iuniore Episcopo Antiocheno vbi sedisset annos quatuordecim, in locum eius subrogatus est magnus *Anastasius* cognomento *Sinaita*; quod in Sina monte vitam monasticam exercuisset; de quo agendum sæpe inferius. Eodemque tempore, post Eustochium Hierosolymorum Ecclesiæ substitutus est *Ioannes*; quem tamen alii in locum Macarii iterum restituti creatum dicunt.

II. BELISARII DVCIS CALAMITAS.

Præsenti pariter anno trigesimo quinto Iustiniani, mense Nouembri, structas fuisse insidias ad eundem occidendum Imperatorem; iisque detectis, in crimen adductum Belisarium, bonis & dignitate exutum esse, sed anno sequenti mense Martio restitutum; habetur apud auctorem Miscellæ; eundemque post biennium Byzantii mortuum, Cedrenus tradit. Sed eius restitutioni aduersantur Latini *a* nonnulli, qui eum excæcatum, exutumque omnibus dignitatibus atque diuitiis, mendicare stipem fuisse coactum asserunt: aduersus quos dimicat Alciatus *b* sui Iustiniani acerrimus defensor. Sane antiquiorum vna omnium sententia fuit, Belisarium in coniurationis suspicionem adductum, ab Imperatore fuisse redactum in ordinem. De reliquis autem varias reperimus sententias; cum alii dixerint excæcatum, vsque ad finem vitam traxisse miserrimam; alii vero in eo tantum consentiant, vt è sublimiori statu deiectus, rursus fuerit in pristinum restitutus. Verum Græci Zonaras, Glycas, Cedrenus, Constantinus, Manasses, cum bonis & dignitatibus ex inuidia priuatum dicant & doleant, de restitutione tamen nihil habent; imo in statu miserrimo derelictum, nec amplius subleuatum significant. Vtrorumque opiniones ex Ioanne Græco auctore his iambis habe:

Iste Belisarius Imperator Magnus,
Iustiniani existens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cum explicuisset victorias,
Postea inuidia excæcatus (O fortunam instabilem)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio,
Belisario obulum date Imperatori,
Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.
Alii dicunt Chronici, non excæcatum fuisse hunc,
Ex honoratu autem infamem profecto factum esse,
Et iterum ad reuocationem æstimationis venisse prioris.

a *Crinit. de honest. disciplin. libr. 15. Volat. Pentar. & alii recentiores omnes.*

b *Alc. 4. parerg. 24.*

III. c *Eccles. 5.* DIVINA IVSTITIA IN BELISARIVM.

Quod autem Altissimus *c* sit patiens redditor, seram haud quis iudicabit esse vindictam, qua tandem Belisarium prosecutus est, ob ea quæ in gratiam Theodoræ Augustæ olim perpetrauerat aduersus sanctissimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem Siluerium. Cuius si sceleris quis immensitatem consideret, haud incusare poterit & non admirari potius diuinum iudicium iuste latum in ipsum, cum experiri coactus est, quod (vt ex Procopio vidimus) sub eodem Iustiniano Imperat. pati compulsus est Ioannes Consul atque Præfectus Prætorio insignis Patricius, qui re vera ob inopiam coactus est mendicare. Nam quod his de Belisario enarratis Alciatus repugnans, nullum præterea argumentum afferat, quam de re tanta silentium Procopii & Agathiæ, nihil est, quod ex Procopio aliquid induci possit, cum minime ad hæc vsque tempora suam Historiam perduxerit. Sed & quod ipsum Suidas asserat, post Historiarum volumina scripsisse librum, *d* quo eiusdem Iustiniani Imp. & vxoris eius Theodoræ, itemque Belisarii, eiusque coniugis, vituperationes comprehenderit; eo commentario hæc tractata fuisse, ratio argumenti persuadet existimare. Porro Agathias haud potuit huius anni gesta recensere, cum eius Historia non excedat annum trigesimum secundum Iustiniani. At de his hactenus.

d [Liber hic Procopii, continens Vitam Iustiniani & Theodoræ, repertus nuper est in locupletissima Bibloth. Vaticana; quo illorum ingentia plurima vitia minutim describuntur: quem eundem & in Gallia reperiri audio.]

IESV CHRISTI AN. 562.

IOANNIS III. AN. 3.

IVSTINIANI AN. 36.

I. CHILDEBERTI REG. OBITVS.

ANno Domini quingentesimo sexagesimo secundo, Post Consulatum Basilii vigesimo primo, religiosissimus ac Christianissimus Francorum Rex Childebertus, sanctis operibus clarus ex hac vita migrauit, agens in suo regno annos quadraginta nouem. Ad hunc enim vsque annum saltem peruenisse ipsum, docent vetera monumenta *a* de Bonis ab eo donatis Ecclesiæ ab ipso erectæ in honorem S. Vincentii anno regni quadragesimo octauo: ex quibus emendes eos, qui nonnisi quadraginta quatuor annos eidem tribuerunt. Sepultus est autem (vt iusserat) in eadem Basilica S. Vincentii. Eius vero regnum Clotarius *b* ipsius germanus exclusis filiabus arripiens, solus totius Francorum regni monarchia potitus est. Qui Parisios veniens, & ob contemptum S. Germani illius ciuitatis Episcopi, in grauem morbum repente incidens, causa mali cognita, accersito cum honore Germano, eiusdem sancti viri vestimentorum ad loca doloris appositione sanatus est; vt scribit in eius Vita Fortunatus *c* Pictauiensis. Post quæ Clotarius cum cæteros viros sanctos, tum præcipue *Maurum*, qui à S. Benedicto missus fuerat in Gallias ad propagandam vitam monasticam, coluit; multaque erga eius monachos exhibuit pietatis officia, quæ Mauri Acta prosecutus Faustus narrat.

a Ap. Aimoin. lib. 2. cap. 10 & Baron. ann. sup.

b Greg. Tur. 4. Hist. Fr. 20. CLOTAR. MONARCHIAM ADIPISCITVR GALLIARVM.

c Fortun. in Vit. S. German. c. 24.

II. DE MODO INDICTIONIS INVENIENDÆ, ET NVMERANDÆ.

Hoc eodem anno Domini quingentesimo sexagesimo secundo, Magnus Aurelius Cassiodorus Senator scribebat de Indictione adinuenienda currente, ac de Epacta, aliisque ad Paschalis temporis computum spectantibus. Ex quo hæc accurate tractante, accepto Indictionis inueniendæ numerandæque modo, nos quoque singulos post hæc annos Indictionis nota signaturi sumus; cum præsertim iam nos deserant Consules, vel admodum infrequentes reperiantur. Sic autem ipse computat, vt qui nosse voluerit, quotus annus sit ab Incarnatione Domini computet 36. per 15. & fient 540 his addat 12. & erunt 552. addat & Indictiones anni cuius voluerit, (vt puta decimam, vicies semel post Consulatum Basilii Iunioris; quo videlicet anno hæc ipse scribebat) & erunt 562. Vel sic, vt si quis (exempli gratia) velit scire quota sit Indictio anno vicies semel post Consulatū Basilii, sumat ab Incarnatione Domini, id est 562. his addat tria, & fient 565. hæc partiatur per 15. & remanebunt decem; eritq; eo anno Indictio decima. Ita Cassiodorus præsentē designās annum. Illud tamen notandum est, quod etsi numeret ipse ab Incarnatione, nos vero à Natali Domini; vnus tamen idemque annus Domini est, cum nouem tantum menses intercedant ab Incarnationis tempore vsque ad Natale, eodemque anno & sub iisdem Coss. CHRISTVS sit incarnatus pariter & natus. Verum si à mense Septembri more maiorum numerare cœperis Indictiones, tunc fiet vt non semper eadem sit Indictio anni ab Incarnatione numerati, (quæ accidit vigesima quinta mensis Martii) & eius qui exorditur à sequenti Natali Domini. Quanquam nec hoc pacto vllum fiat præiudicium institutæ chronographiæ; cum (vt dictum est) idem annus Incarnationis Christi sit & Natalis, currat-que idem annus, licet non eadem Indictio, absoluta priori mense Septembri, quo & sequens inchoatur. Quoniam igitur maiores nostri, qui Christi annis coniunxere Indictiones, eos non à Natali Domini, sed ab Incarnatione (vt patet ex Cassiodoro) incipiunt numerare; nos ad euitandas perplexitates, eodem pariter ordine iungemus Christi annis Indictiones; ita vt præsenti anno, veluti sit ab Incarnatione inchoatus, ex sententia Cassiodori decimam ponamus Indictionem, quam æque idem coniungit cum anno Christi quingentesimo sexagesimo secundo, & anno post Consulatum Basilii vigesimo primo; in omnibus adamussim nostræ consentiens Annalium chronographiæ.

DIFFICVLTATES HVIVSMODI COMPVTATIONVM

[Etsi putauerit hic Baronius chronologiam suam firmiter stabilisse: non tamen deerunt frequentia temporum inuoluera, nisi quis diligenter attendat animum ad varias Auctorum rationes numerandi annos Christi. Nam qui ab Incarnatione (seu conceptione) numerant, siquidem ab eius die quæ Natalem anteceſſit initium sumant, non poterunt concordare in anno Iuliano & Consulibus, cum illis qui à Natali, nisi per septem dies, quot videlicet residui sunt à 25 Decembris quo natus est Christus, vsque ad proximas Calendas Ianuarii, quibus nouum annum Iulianum noui Coss. auspicabantur; licet concordent in anno Christi per tres menses, qui computantur à Natali vsque ad diem anniuersarium Incarnationis, quæ incidit 25. Martii. At si initium sumant ab ea die Incarnationis, quæ Natalem subsecuta est; tunc Natalis & Incarnationis initia nullo modo poterunt conuenire eodem anno Iuliano iisdemque Coss. quippe Natalis in exitu anni & Coss præcedentium contigerit: concordabunt autem in anno Christi in genere per nouem menies, qui currunt inter diem Incarnationis vsque ad Natalem subsequentem. Cum & alioqui nonnulli à Dominica Paschæ, alii à Calendis Aprilis, & annos Christi, & ipsos etiam illorum annorum menses computasse reperiantur: nec denique desint qui Incarnationem cum Natiuitate confuderint, quamplurimi vero à Calendis Ianuarii numerent. Id quoque ipsum seruandum erit in Indictionum computo; cum vel quis annum Christi, aut Iulianum, inchoat ab Indictione quæ in præcedenti initium habuit, vel Indictionis annum constituit in annis Christi aut Iulianis currentibus. præterquam quod illæ tam apud Græcos quam Latinos per aliquot annorum centenaria, ab octauo Cal. Octob. initium sumpserint, postea vero Græci ab ipsis Calendis Septembris, Pontifices Romani à Calendis Ianuarii anni sequentis numerare inceperint: vt etiam dictum est supr. ann. 512. post XIV. quando primum eiusmodi Indictiones cœperunt. Quæ vides quantam in Chronologia confusionis præbeant occasionem minus ista perpendentibus. Nec audemus negare, in huiusmodi annorum fractutis, & temporum distinctionibus, aliquando peccatum esse his Annalibus. Sed quis se Theseus ab hisce aliisque eiusmodi labyrinthis expediat? Certe illi ipsi qui filium Ariadnæ se probe tenere putant, quam sæpe in perniciem suam & aliorum seducantur, vel mutuæ ea de causa digladiationes satis demonstrant. Equidem profiteor, mihi multo maioris pretii esse rerum ipsarum cognitionem, quam huiusmodi arithmeticarū scrupulositatum discussionem.]

III. DE CASSIODORI VITÆ INSTITVTO, ET SCRIPTIS.

Quod vero ad ipsum *Cassiodorum* spectat; qui à tempore Theodorici Amali vsque ad Vitigem, apud ipsos Gothorum in Italia Reges Præfecturis innumeris illustratus florentissime vixit; post illorum naufragia in exoptatum diu tranquillitatis portum secessit; nempe in monasterium à se constructum, quod Viuariense dixit, siue etiam Castellense, omnibusque rebus ad vitam necessariis, atque insuper egregia plane bibliotheca ornauit; vt docet ipse in eius descriptione, quam reperire est in libris de diuinis Lectionibus. Ipsum vero situm fuisse in extrema parte Calabriæ siue dixeris Magnæ Græciæ, apud ciuitatem Scyllitanam, vbi famosus Scyllæ contra Charybdim scopulus imminet, ex S. Gregorio *d* Papa intelligi potest; licet alii dicant illud in Rauennate fuisse territorio collocatum. Certe remotiora videtur quæsiisse loca, qui sæculo nuntium omnino remisit, & non vbi assiduo bella vigerent. Ibi igitur Deo & literis vacans, reliquum vitæ tempus ad obitum vsque, semper aliquem fertilissimi ingenii partum edens, effœtam licet annis, fœcundam frugibus senectutem duxit. Suas vero multiplices lucubrationes ipse *e* alibi recenset; quarum quæ extant, abunde docent ipsum doctissimum æque ac sanctissimum virum extitisse. Quantum autem vitam duxerit, incompertum nobis est: sed prope centenarium euasisse, inde possumus opinari, quod ipsemet testetur *f* se de Orthographia librum elaborasse anno ætatis suæ nonagesimo tertio: post quem adhuc conscripsit *g* commentarium de diuinis Lectionibus, aliosque tractatus. Sic igitur qui vegetiorem ætatem in optima regni gubernatione vtiliter honorificeque consumpsit, nec in decrepita senectute labores ad res diuinas conuersos vel minimum intermittens, in suo monasterio tandem sancto fine quieuit.

d Greg. 7. ep. 31. & 33. Indict. 1.

e Cassiod. de diuin. lect. in præf. & cap. 5. & in præf. Orthogr. & in præf. Variar. & præf. lib. 11. Variar.

f Id in præf. Orthogr.

g Id. instit. diuin. lect. c. 30.

IESV CHRISTI AN. 563.

IOANNIS III AN. 4.

IVSTINIANI AN. 37.

I.

ANno Christi quingentesimo sexagesimo tertio, Post Consulatum Basilii vigesimo secundo, Fastis inscripto, numerari cœpto Indictionis vndecimæ, noui de Fide tumultus Ecclesiam Constantinopolitanam perturbarunt, cum se Iustinianus infelix in hæresim præcipitem dedit. Vidimus supra *a*, ex Eutychianorum secta, inter alias plures errorum propagines, duas hæreticorum factiones progressas esse, quarum altera *Corrupticolarum*, altera *Aphthartodocitarum*, siue *Incorruptibilium*, vel *Phantasiastarum* nominabatur.

a An. 519. init. & 535. num. VII. & IX CONTRARIÆ HÆRETICORŪ SECTÆ.

batur. Hi quidem sic incorruptibilem, & passionum penitus expertem Christi carnem dicebant, vt tamen si voluisset, eandem subiicere passionibus valuisset. At contrarium omnino profitetur Ecclesia Catholica, nempe ita assumptam à Deo carnem passionibus absque peccato fuisse subiectam, vt tamen si voluisset, vel quando voluisset, ab eis se liberum reddere potuisset: itaque qui erant in carne Christi eiusdem naturales affectus, non passiones, sed propassiones Theologi Orthodoxi nominarunt; nempe vt cum vellet ipse tantum insurgerent, & si nollet nequaquam ipsi dominarentur. Ex priori autem sententia illud deducebatur absurdum, vt vna tantum esset in Christo voluntas; ex posteriori autem recta illa assertio, vt sicut duæ prædicantur in Christo Naturæ, ita pariter & duæ Voluntates affirmarentur. Quamobrem factum est, vt ex illa priori sententia exorta fuerit *Monothelitarum* hæresis, quæ diu multumque Ecclesiam perturbauit, vt suis locis dicturi sumus. Contraria vero sententia, dicentium Verbum corpus suscepisse passionibus subditum, in eo à Catholicis discrepabat, quod id ei necessitate incubuisse traderent, vt etiamsi noluisset, illis inseruire cogeretur: vnde & in illam deteriorem prolapsi sunt hæresim, qua ab ignorantia dicti sunt *Agnoitæ*, vtpote qui dicerent nescisse penitus Christum vt hominem, iudicii diem; quippe quod cum per omnia nobis similis fuerit, ignorantiæ passio ita ipsi inhæserit, vt quod nesciret sui natura, id nosse minime potuisset. Agunt vero pluribus de his omnibus Leontius *b*, Damascenus *c*, Euthymius *d*, & alii.

b *Leont. de sect. act. 5 c. 1.*
c *Damasc. de hæres. lib. 3.*
d *Euthym. Panopl. tit. 16. 17.*

II. IVSTINIANI LAPSVS IN HÆRESIM.

Iustinianus igitur, vbi semel de dogmatibus edicta sanciendi sibi arrogauit auctoritatem; ad huiusmodi pariter dirimendas quæstiones, haud consulta more maiorum Apostolica Sede, aut coacta aliqua prouinciali saltem Synodo, ipse non secus ac Antichristus in templo Dei erigens sibi cathedram, Incorruptibilium sententiæ adhærens, eandem vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ credendam edicto conscripto proponere decreuit. Hoc autem ipsum fecisse suasu perditissimi Theodori Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopi, (quem & famosam illam de Tribus Capitulis quæstionem excitasse vidimus) non obscure innuit Eustathius *e* in Vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani. Cumque Iustiniani in hæresim lapsus tam Græci quam Latini auctores omnes sint testes, omnesque pariter facinus detestentur; vnus tantum Nicephorus *f* crimen attenuans, ait ipsum Aphthartodocitarum hæresi in hæsisse propter summum erga Christum amorem; nimirum ferre non posset, vt Christus diceretur carnem suscepisse passionibus obnoxiam. Verum & ipse hac ex parte Nicephorus nimium imprudens iudicandus, qui putauit ex nimio in Christum amore posse aliquem aduersus Christum hæreses promulgare. Cæterum Euagrius *g*, postquam de eodem Iustiniani edicto egit, addit cum omnes Episcopos compellere statuisse, vt opinioni suæ assentirentur, eos vero se Anastasii Episcopi Antiocheni (magni illius Sinaitæ, de cuius promotione dictum est superius) sententiam expectare respondendo, primum Imperatoris conatum repulisse: cum autem illum frustra Imperator tentasset, exilium omnibus Episcopis contradicentibus comminatum esse. Hæc Euagrius: reliqua annis sequentibus.

e *Ap. Sur. 6. April.*
f *Niceph. li. 17 c. 29.*
g *Euagr. lib. 4 c. 38 & 39.*
ANAST. ANTIOCHEN. REFVGNAT EI.

III. CONCIL. BRACAR. CONTRA PRISCILLIANISTAS.

Interea vero dum Imperator in Oriente à Catholica fide deficiens, in Episcopos Orthodoxos persecutionem instituit; in Occidente qui fuerat hæreticus, ad fidem conuersus Princeps, per Catholicos Episcopos Concilium celebrauit quo damnarentur errores. Hoc enim ipso anno, qui tertius Theodomiri Sueuorum Regis numeratur, idem Calendis Maii colligi curauit SYNODVM BRACARENSEM in totius Galliciæ metropoli ciuitate; in qua, ex præscripto (vt Episcopi testantur) Apostolicæ Sedis, damnati reperiuntur Priscillianistarum, aliorumque hæreticorum errores, & stabilita Ecclesiastica disciplina; statutis canonibus quadraginta, quibus octo Episcopi subscripsere vna cum Lucretio eiusdem vrbis Antistite. Sed in Actis Concilii, loco Theodomiri Ariamirus erronee positus est, qui Theodomiri filius ac postea successor extitit. Inter canones autem ille notandus est *h*, quo Patres sanciuerunt, vt quicumque in clero cibo carnium non vterentur, tamen pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus prægusta-

h *Conc. Brac. c. 32.*

re cogerentur: quod si contemnerent, excommunicati ab omni officio remouerentur.

[Post obitum Baronii, editum est à Fr. Bern. de Brito, 2. tom. Monarch. Lusit. ex vetustissimo codice regii monasterii Eburobritiani S. Bernardi, aliud *Concilium Bracarense*, longe ante istud celebratum, nempe circa annum Domini 408. Æra 446. a *Pancratiano* eius Sedis Episcopo cum aliis nouem coepiscopis: in quo præter confirmationem fidei Catholicæ aduersus errores barbarorum Hispaniam deuastantium, peculiari studio curatum est, vt Sanctorum Reliquiæ ab eorundem furore occultarentur tantisper dum tranquillitas pacis rediret.]

IESV CHRISTI AN. 564.

IOANNIS III. AN. 5.

IVSTINIANI AN. 38.

ANno Christi quingentesimo sexagesimo quarto, eodemque postremo qui Post Consulatum Basilii numeratur in Fastis vigesimus tertius, Indictione duodecima, Iustinianus Imp. vbi elaboratum à se edictum reiici ab Orthodoxis percepit, ira exæstuans magnam aduersus eos Persecutionem commouit. Cuius primus passus est impetum, qui proxime aderat ipsi viriliter contradicens Eutychius Constantinopolitanus Episcopus: quem quidem ridiculis quibusdam criminibus accusatum, ac per Conciliabulum quoddam condemnatum, vi per milites ab Ecclesia extractum vigesimo secundo mensis Ianuarii, mutato sæpius exilii loco, tandem Amaseam in Pontum relegauit ad suum ipsius Eutychii monasterium pristinum; atque in eius locum suffecit *Ioannem* cognomento *Scholasticum*, ex Apocrisiario Ecclesiæ Antiochenæ, hominem plane seruum gloriæ, & nundinatorem rerum sacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus est dignitatem. Quomodo autem hæc gesta fuerint, fuse narrat Eustathius *a* exilii comes, & scriptor Vitæ Eutychii: vbi & multa refert insignia eiusdem miracula Amaseæ edita, ad stabiliendam fidem Catholicam, confutandamque hæreticam prauitatem: qui & demum post mortem Ioannis, duodecimo elapso exilii anno, iterum restitutus est, vt dicetur suo loco.

I. IVSTIN. PERSECVTIONEM EXCITAT IN CATHOLICOS. EVTYCH. EPIS. CÓS. PELLITVR.
a *Ap. Sur. 6. April.*

Hocitem anno, qui Clotarii Regis Francorum præcedit *b* obitum, eius filii Chramni sæpe aduersus patrem rebellantis *c*, & ab eo sæpe ad veniam recepti, tragœdia finem habuit: cum idem prælio cum patre in Minore Britannia commisso, victus captusque, iussu patris tugurio inclusus est, & igne consumptus vna cum vxore ac filiabus, quas ad rebellionem habuerat impellentes. Reuerso autem ab hostium cæde Clotario contigit interesse *S. Medardi* Episcopi Nouiomensis felici ad Deum migrationi: cuius & corpus, suos ipse humeros feretro subiiciens, Suessionem transtulit. Habet hæc pluribus auctor Vitæ *d* eiusdem Sancti, qui asseritur Fortunatus: simulque describit miraculum ingens, quo post eius obitum cœli aperti sunt, & diuina luminaria fere per duarum horarum spatium ante illius apparuere præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia transisse perpetuam, subditque de quamplurimis aliis miraculis, quæ dum corpus transferretur, in via fieri contigit, ac postea in egregia super corpus eius erecta à Sigeberto Clotarii filio Ecclesia: cui & monasterium coniunctum est, itidem regia munificentia exædificatum; quod postea (vt videbitur) Papa Gregorius munitum à se voluit Sedis Apostolicæ priuilegiis, vt caput omnium esset Galliæ monasteriorum, nullique subesset ditioni.

II. b *Greg. Tur. 4 hist. Fr. 21. in fi.* c *Ibid. c. 16 & 20 & mirac. S. Mar. lib. 1. c. 23.* CLOTARII REX FILIO REBELLEM IGNE COMBVRIT. d *Ext ap. Sur. 8 iun.* S. MEDARDI FVNVS.

Porro eadem die qua obiit Medardus, pariter excessisse ex hac vita *S. Gildardum* Rotomagensem Episcopum ipsius germanum, eademque cum ipso die natum, atque sacratum Episcopum, Audoenus eiusdem Ecclesiæ Episcopus vetustis suis cecinit. Sicut & Catholica *e* Ecclesia, vna eademque die amborum ad Deum transitum celebrat. Quæ tamen intelligenda omnino videntur, vt acciderint quidem iisdem diebus, sed diuersis recurrentibus annis: siquidem constat Gildardum, qui subscriptus reperitur Synodo Primæ Aurelianensi celebratæ anno Domini quingentesimo septimo, longe ante hæc tempora obiisse; successoremque habuisse Flauium, qui interfuit Conciliis itidem Aurelianensibus Secundo, Tertio, & Quarto; ac denique post eum his diebus

III. DE SS. MEDARDO ET GILDARDO FRATRIBVS. e *Mart. Rom. 8. Iunii.*

ei Ecclesiæ præfuisse Prætextatum, qui subscripsit Synodo Aurelianensi Quintæ habitæ anno quingentesimo quinquagesimo secundo, & pluribus post hæc annis vixit. Quo vero tempore Gildardus Aurelianēsi Primæ subscripsit, non Medardus Noviomensem regebat Ecclesiam; sed Sophronius, qui eidem Synodo interfuisse reperitur.

IESV CHRISTI AN. 565.

IOANNIS III. AN. 6.

IVSTINIANI AN. 39.

I. IVSTINIANVS RAPTVS MORTE SVBLATVS.

ANno Domini quingentesimo sexagesimo quinto, Indictionis decimætertiæ, Iustinianus Imp. vbi absoluisset sui Imperii annum trigesimum octauum, atque nonum ingressus esset (vt ait Euagrius *a*) per menses octo, vel (vt auctor Miscellæ menses septem & dies decem, aut (quod Cedrenus tradit) dies tredecim; ex hac vita migrauit Idibus Nouembris, media nocte, vt habet Coripus huius temporis poeta in carmine de Iustini Imperatoris laudibus. Media namque nocte clamor factus est, cum ex improuiso instar furis ianuam effringentis, mors eum rapuit ipsi importuna, opportuna vero Romano Imperio sub Imperatore hæretico titubanti. Vt enim Dei iudicium fieret manifestius, tunc subitanea est morte subreptus, cum iam indixisset exilium Anastasio Episcopo Antiocheno, atque cæteris illi inhærentibus Ecclesiæ sacerdotibus; vt tradit idem Euagrius *b* huius temporis auctor, qui & ipsum iusto Dei iudicio ad supplicia apud inferos luenda detrusum esse affirmat. Sed qui diu post Euagrium vixit Nicephorus *c*, quamuis & ipse æque confirmet, Iustinianum, cum eorundem Episcoporum exilii libellum dictaret, inuisibili ictum plaga periisse; tamen addit eundem extremo illo spiritu facti pœnituisse, iussisseque Eutychium ab exilio reuocari. Quod ex eo (vt puto) argumento deduxit, quia non sicut aliorū hæreticorum, eius nomen abrasum fuit è sacris tabulis; vel quia Patres Sextæ Synodi, Romanique Pontifices Gregorius *d* & Agatho *e*, elogio Catholico & pietatis titulo, aliisque postea religiosis honoribus reperiuntur *f* eius memoriam prosecuti. Verum id accidit, quod quam ipse coluisset hæresim, ea nullis constaret edictorum publicis monumentis; (nam etsi scripsit, non tamen, vt docet Euagrius *ff*, promulgauit illud de Incorruptibilium hæresi edictum:) cum econtra eiusdem fides Catholica pluribus promulgatis sanctionibus probaretur, quem & libros de Incarnatione Domini edidisse, Isidorus *g* tradit.

a *Euag. lib. 4. c. 40.*

b *Id. lib. 3. c. 1.*

c *Niceph. li. 17. c. 31.*

d *Greg. 2. ep. 10. 3. ep. 41. 7 ep. 126.*

e *Agath. ep. ad Heracl. & Tiber. imp.*

f *Niceph. ib. ff Euag. d. c. 40.*

g *Isid. c. 18. de Scr. Eccl.*

II. DE EIVS POSTREMO IVDICIO.

Quam autem mortuus ante horrendum maiestatis diuinæ tribunal, cui nulla potest specie subrepi, sententiam acceperit, etsi non sit hominis iudicare, opinari tamen si cui licet, facilius est inuenire qui Euagrii de eius condemnatione velit sequi sententiam, vtpote suorum temporum rerum gestarum Scriptoris insignis, atque ex Græcis primi eorum qui leguntur Orthodoxi, quam reliquorum historicorum, qui longe post Iustiniani tempora res ab eo gestas, nec ipsi ab hæresi immunes, scripsere; cum præsertim in eandem proculdubio sententiam Procopius eiusdem temporis luculentissimus historicus abiisse visus sit, dum quem antea sæpe laudarat, scripto postea volumine magnopere vituperauit, vt ex Suida iam superius dictum est. Sane quod attinet ad Ecclesias, aliaque pia ædificia, quæ ipse vbique vel erexit, vel restituit; aliena id pecunia fecisse, Euagrius *h* queritur. Et quod item spectat ad leges ab eodem promulgatas, è quibus magnum apud omnes nomen adeptus est; cum idem tradat auctor, eum tanta auaritia, ac tam turpi rerum alienarum arsisse appetitione, vt omnia subiectorum bona per se aut per Magistratus expilauerit, diuitibus falsa crimina compingens, & cum sordidis etiam personis calumniosa lucra participans; eius sententia, quot à Iustiniano nouæ sancitæ sunt leges, & veteres restitutæ, tot tensa dicentur ad extorquendam pecuniam retia. Cæterum quemadmodum quæ ab eo iuste sancita reperiuntur, (sicut & aliorum Imperatorum Constitutiones, & Responsa Prudentum) Christianitas non refugit: ita quæ præter ius fasque obseruanda præcepit, Catholica Ecclesia respuit: veluti quæ sibi super res personasque Ecclesiasticas arrogare præsumpsit, quæve de vsuris constituit. Sed in his consule Alciatum *i*; quamuis haud ei in omnibus assentiamur.

h *Id. lib. 4. c. 29.* EIVSDEM TVRPIS AVARITIA.

i *Alciat. 6. Parerg. 10.*

Simulac autem Iustinianus defunctus est, eadem ipsa die, Senatu hortante, insignia suscepit Imperii IVSTINVS Iunior, filius Dulcissimi ex Vigilantia sorore Iustiniani: cuius item coniux *Sophia* appellata neptis fuit Theodoræ Augustæ; vt apparet ex Victoris Tunnensis, siue Tununensis in Africa Episcopi Chronico, & Corippo pariter Africano Grammatico, qui eiusdem Iustini laudes eleganti carmine diffuse cecinit. Ex quo etiam constat, eundem ab auunculo iam antea creatum Curopalatem, (ita Græci dicunt magistratum, cui Palatii cura credita erat) atque Cæsarem dispositum esse: statimque post coronam acceptam à Ioanne Patriarcha, habita ad populum oratione, eiusque susceptis querelis aduersus exactiones auunculi, sua vnicuique reddi præcepisse, & æs alienum Iustiniani dissolui. Addit vero Euagrius *k*, eundem mandatum dedisse, vt omnes Episcopi & sacerdotes, qui vndique Constantinopolim euocati fuerant, ad suas ipsorum sedes se reciperent, monens nequis in fide aliquid innouare moliretur. Porro ipsi iam longe antea prædictum fuisse Imperium ab Eutychio Constantinopolitano, testis est Eustathius *l* in Eutychii Vita. Sed sicut pincerna *m* tardius recordatus est Ioseph in carcere detenti; ita & Iustinus serius quam par erat Eutychium ab exilio reuocauit, & non ante quam qui in eius locum immissus fuerat Ioannes ex hac vita discesserit.

III. IVSTINVS II. IMPER.

k *Euagr. lib. 5. c. 2.*

l *Ap. Sur. 6. April.*

m *Gen. 40.*

Hoc item anno Clotarius Rex Francorum, cum ageret ab obitu Clodouei patris annos quinquaginta vnum in regno, post visitatum sepulchrum B. Martini Turonis, & exomologesim peccatorum factam, inde regressus febre in venatione correptus diem obiit Compendii: qui cum grauiter vexaretur à febre, dixisse fertur: *Vah, quid putatis? qualis est iste Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit?* Corpus autem eius à filiis Suessionas translatum est, atque sepultum in loco quem ipse delegerat ad basilicam construendam in honorem nuper defuncti S. Medardi, quam postea filius Sigebertus ædificauit. Hæc Gregorius *n* Turonensis. Eo vero defuncto, quatuor eius filii partiti sunt regnum; quorum *Charibertus* sedem tenuit Parisiis, *Chilpericus* Suessionis, *Guntheramnus* Aurelianis, *Sigebertus* Rhemis. Eorum autem omnium religiosissimus habitus est Sigebertus: qui simulac regni habenas suscepit, S. Nicetium Treuerensem Episcopum, à patre in exilium amandatum, quod sæpius ipsum pro iniustis operibus excommunicasset, postliminio reuocauit, sedique suæ restituit; vt fusius idem Gregorius tradit in Vita eiusdem Nicetii.

IV. CLOTARII REG. OBITVS.

n *Greg. Tur. 4. hist. 21.*

Hoc eodem tempore pestis illa vehemens atque vbique pauenda, INGVINARIA dicta, quæ orta fuerat in Liguria, vniuersam depasta est Italiam, peruasitque etiam Gallias, & regiones Boreales: quæ antequam locum aliquem occuparet, præcedebant signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ si quis voluisset abluere, magis apparebant. Eiusmodi vero scriptionem à rusticis in Gallia *Thau* vocari solitam Gregorius *o* ait: quo etiam auctore constat, vrbes Rhemensem, Treuerensem, & Aruernensem, ab eadem peste liberatas esse ope sanctorum Remigii, Nicetii, & Galli earundem Episcoporum. Mirabiles autem eius effectus egregie descripsit Paulus *p* Diaconus in Gestis Longobardorum; meminitque eiusdem S. Gregorius *q* Papa, miraque narrat de puero armentario præcipuæ simplicitatis & humilitatis; qui cum ea lue percussus, vsque ad mortem deductus esset, subito raptus in cœlum, donum linguarum accepit, & quæ ibi vidisset domino suo significauit: qui tamen die tertio, occulto Dei iudicio, manus, & brachia, lacertosque suos dentibus laniauit, & ita mortuus est. Equidem in amentiam quoque & in furorem deducere homines consueuisse pestem illam, Gregorius Turonensis testatur.

V. PESTIS INGVINARIA PAVENDA.

o *Id. 4. hist. 5. de glor. Confess. c. ap. 179. & in Vit. S. Nicet.*

p *Paul. diac. lib. 1. c. 4.*

q *Greg. 4. dial. 26.*

Hoc itē anno Domini quingentesimo sexagesimo quinto; Iustini primo, Beda *r* consignat *Pictorum* in Insulæ Britanniæ Septemtrionali parte commorantium ad Christi fidem conuersionem, per S. COLVMBANVM presbyterum & Abbatem Hibernum: quem & ait ibidem in quadam insula nobile cōstruxisse monasterium, ex quo plurima alia postea per ipsius discipulos in Britannia propagata fuerint; sed ita

VI. CŌVERSIO PICTORŪ.

r *Bed. de gest. Angl. lib. 3. c. 4.* S. COLVMBANVS PICTORVM APOST.

vt illud in omnibus teneret principatum ; adeo etiam vt Abbatis iuri & omnis prouincia & ipsi quoque Episcopi ordine inusitato deberent esse subiecti, iux a exemplum eiusdem Columbani primi doctoris illius prouincię qui non Episcopus, sed presbyter tantum extitit & monachus.

IESV CHRISTI AN. 566.

IOANNIS III. AN. 7.

IVSTINI IVN. 1.

I. ANno Christi quingentesimo sexagesimo sexto, Iustini Imperat. primo, inchoato tamen ab anno superi ori mense Nouembri, Indictionis decimæquartæ, idem Iustinus, vt populum exhilaratet mœstum ob intermissionem Consulatuum, ipse Consul creari voluit, & donatiuum more maiorum dedit, vt scribit Corippus *a*.

a Corip. l. 2.

II. IVSTINVS IMP. SOLLICITVS DE CATHOL. FIDE.

Quod vero periclitantem nactus esset statum Imperii, ob fidem Catholicam à prædecessore magnopere perturbatam; edictum etiam de recta Fide conscripsit, quod recitatur ab Euagrio *b*, eoque omnes hortatus est ad Catholicæ Ecclesiæ doctrinam atque vnitatem amplexandam. Habetque insuper Miscellæ auctor, eundem Imp. hoc ipso anno ad sedandos obortos Alexandriæ occasione diuersarum inter se altercantium sectarum tumultus, eo misisse Photinum Belisarii priuignum, simulque sumptuosa munera Ecclesiis offerenda dedisse. Quibus quidem iactis stabiliendi Imperii fundamentis, magna ei parta est fiducia, vt ingruentes barbaros non timeret. Hoc namque anno cum auspicatus est Consulatum, auditis legatis Gagani, siue Chaiani, Regis Auarum, qui missi erant ad exigendam annuam pecuniam, quam Iustinianus ei soluere consueuerat ne incursionem faceret in Romani Imperii ditionem; non solum renuit id præstare, sed etiam bellum comminatus est si quid contra Imperium moliri tentarent. Prosequitur ista Corippus. Addit vero Photius in sua Bibliotheca ex Theophanis Byzantii historia, cœpta (vt ait) à Bello Persico, quod actum est post fœderis solutionem anno secundo Iustini Iunioris, & producta vsque ad annum decimum eiusdem Belli; Turcas quoque legationem misisse cum muneribus ad Iustinum, qua peterent ne susciperet Auares ipsis infestissimos: aitque de *Turcis*, fuisse populum habitantem apud Tanaim, eosdemque antiquitus appellatos esse Massagetas, à Persis vero ipsorum lingua Chermichiconas. Verum nec eos ignorarunt veteres: siquidem Plinius *d* Turcas adnumerat inter eas gentes quæ circa Mæotidem paludem habitabant. Quorum dum huius etiam temporis scriptor meminit Agathias *e*, ait ipsos fuisse horribiles visu, intonsos, sordidos, implexos squalidor. Sed & ab illis multa eosdem Auares Scythicos populos eis confines, his ipsis temporibus perpessos esse, Euagrius *f* tradit.

b Euag. lib. 5. c. 4.

c Miscell. lib. 16.

DE TVRCIS.

d Plin. 6. hist 7.

e Agath. l. 1.

f Euag. libr. 5. c. 1.

III. IVSTINI PRAVI MORES.

Sed vt ad Iustinum redeamus; felix plane ipse extitisset, nisi auaritia & turpi vita fœdasset quæ ipso Imperii exordio laudabiliter peregisset. Ait enim Euagrius, deliciis eum defluxisse & mollicie, in voluptatibus obscœnis volutatum esse; alienæque pecuniæ adeo ardenter appetentem fuisse, vt omnia iniqui quæstus gratia, imo & ipsa sacerdotia plebeiis hominibus venalia palam exponeret. Incontinentis autem animi primum illud publica lege *g* hoc anno Cal. Ianuariis dedit indicium, dum pœnas Iustiniani legibus aduersus illicita coniugia sancitas silere voluit. Atque sensim in deteriora lapsus, paulo post hoc item anno, decimo octauo Calendas Octobris alia promulgata constitutione, communi coniugum consensu dissolui matrimonium posse sanciuit. Quæ quidem male inter Iustiniani *h* Nouellas adnumerata habetur; cum ipse eius lator Iustinus in ea testetur expresse, diuersam Iustiniani de ea re fuisse sententiam. Ideoque ea recte in editione Iuliani Antecessoris, Iustino, non Iustiniano tribuitur. Quod autem eundem in hæresim quoque Pelagianam dilapsum postea esse, Gregorius Turonensis scribit; id minime receptum esse videtur.

g Iustin. Nouell. 3. ap. Iulian. EDICTVM DE DIVORTIO.

h Nou. 140.

Sed quod ad res Occidentales pertinet, cum (vt vidimus) in Concilio Parisiensi statutum fuisset, neminem admittendum ad Episcopatum, quem Regis auctoritas absque canonica electione intrusisset; Leontius Burdegalensis Episcopus collecto prouinciæ suæ Episcoporum CONCILIO *Santonis*, inter alia decreta Emerium à Clotario auctoritate regia in Episcopatum Santonensem intrusum, sede priuauit: qui tamen à Rege Chariberto Clotarii filio vi rursum restitutus est, mulctatis pecunia Leontio & ipsius coepiscopis. Hæc fusius Gregorius *i* Turonensis. Fuit autem iste *Leontius* decimus tertius Burdegalensis Ecclesiæ Episcopus: qui nobilissimo ortus genere, diuitiisque pollens, & egregiis animi virtutibus exornatus, coniugatus licet, inuitus ordinatus est: cuius vxor *Placidina*, ex Imperatorio stemmate procreata, eademque optimis composita moribus, etsi diuisa corpore à sancto viro, inhæsit tamen ipsi in bonis operibus comes indiuidua: vt hæc carminibus cecinit Venantius *k* Fortunatus ipsi Leontio magna familiaritate coniunctus. Extitit vero & Placidinæ virtutis æmula, soror eius nomine *Alchima*; quæ & ipsa Apollinari viro suo vt Episcopus crearetur indulgens, pariter ad construenda sanctis Martyribus templa se contulit, vt Gregorius *l* narrat. Porro hic Leontius, Iunior dicendus est respectu Senioris itidem Burdegalensis Episcopi, æque nobilitate & vitæ sanctitate conspicui; cuius epitaphium apud eundem Fortunatum *m* extat à Theodosio scriptum: de quo puto mentionem haberi apud Sidonium *n* Apollinarem.

IV. CONCIL. SANTONENSE.

i Greg. Tur. 4. hist. Fr. 26.

DE LEONTIO EPIS. BVRDEO.

k Fortun. carm. lib. 1.

l Greg. Tur. de gl. mart. c. 65.

m Fortun. l. 4. carm.

n Sidon. l. 6. ep. 3. & 7. ep. 6.

Ad hunc quoque annum pertinere constat, quod idem Gregorius *o* factum tradit, vt ipse tunc diaconus, & alius ipsius clericus, à morbis grauissimis liberarentur postquam vna nocte vigilassent ad sepulchrum Beati Martini. Vbi etiam addit de miraculis factis virtute cereorum, qui eidem sepulchro offerri solerent; sed & longe iis maiora à Sancto edita scriptis mandans, quatuor libris distinxit. Hæc autem quæ de se retulit, prætermisisse noluimus, quod ea triplici signarit chronographia; nempe anni centesimi sexagesimi tertii post obitum Sancti Martini, Euphronii Episcopi Turonensis anni septimi, & secundi Sigeberti Regis: quæ omnia optime concordant posita à nobis chronographiæ obitus Sancti Martini anno Domini quadringentesimo secundo, electionis Sancti Euphronii anno quingentesimo quinquagesimo nono, & regni Sigeberti anno superiori.

V. o Greg. Tur. lib. 1. c. 32. & c. de mirac. S. Mart.

Cæterum admiratione maxima dignus est fidei Christianæ feruor, qui his temporibus erga sacrarum Reliquiarum cultum adeo exardebat in Galliis, vt licet abundarent illæ prouinciæ sacris pignoribus sanctorum Martyrum & Confessorum, nihilominus fame inhiarent ad peregrina: quorum gratia in Orientem profectum vidimus sanctum Germanum Parisiensem Episcopum: & sanctam Reginam, Clotarii Regis quondam coniugem, clarissimam Radegundem, (quam magno beneficio Francorum gentis, virginem æque ex Burgundiæ Regibus oriundam, sicut & Clotildem fidei Christianæ Francis auctricem, Deus clarere in Ecclesia multis miraculis fecit hoc sæculo:) cum Pictauis monasticam vitam excoleret in monasterio à se constructo, his ipsis temporibus sæpius legatos misisse in Orientem ad perquirendas sanctas Reliquias, atque inter alias digitum sancti Mametis martyris, ipsomet martyre annuente, à Patriarcha Hierosolymitano, partemque Crucis Dominicæ dono accepisse ab imperatore, testis est Bandomina virgo, quæ cum ea in monasterio coalescens, quæ vidit quam fidelissime scripsit *p*. Tuncque à Venantio Fortunato eiusdem Sanctæ Radegundis studiosissimo, (in cuius etiam laudem, & de miraculis ab illa edi solitis, tam metro quam soluta oratione quamplurima scripsit;) nobiles illos conscribi contigit sacros Hymnos, quos ab vniuersa Occidentali Ecclesia in honorem sanctissimæ Crucis cani receptum est, qui incipiunt, *Vexilla Regis prodeunt, &c.* &, *Pange lingua gloriosi prælium certaminis, &c.* Quanta autem & quam frequentia miracula virtute eiusdem particulæ ligni S. Crucis fieri solerent, tum eadem Bandomina, tum etiam Gregorius *q* Turonensis abunde testantur.

VI. CVLTVS SACRAR. RELIQVIARVM VIGET IN GALLIS.

p Bandom. in Vit. S. Radegund. lib. 2. ap. Sur. 13. Aug.

q Greg. Tur. de gl. mart. c. 5.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

[Prædictum Hymnum *Pange lingua, &c.* ab antiquo Scholiaste Sidonii tribui Claudiano Mamerto presbytero Viennensis Ecclesiæ, itemque à Gennado libr. de Script. Eccles. iam monuerunt qui Sidonium notis illustrarunt; eundemque significari à Sidonio, ad ipsum Claudianum scribente 4. ep. 3]

VII. r *Isid. de Vir. Illust. c. 25.* VICTORIS TVNNEN. CHRONIC.

Quod autem postremo ad hunc annum spectat; tradit Isidorus *r* Victorem Tunnensem, siue Tununensem in Africa Episcopum Chronicon suum à principio mundi in hunc vsque primum Iustini Iunioris annum perduxisse.

IESV CHRISTI AN. 567.

IOANNIS III. AN. 8.

IVSTINI IVN. AN. 2.

I. IVSTINVS IMP. SAVIT IN NOBILES.

ANnus Christi quingentesimus sexagesimus septimus, Indictionis decimæ quintæ, Iustini Imp. secundus, sanguinolentus fluxit nece Senatorum Ætherii & Addæi, qui principem locum apud Iustinianum diu tenuerant; quos Iustini iussu vltimo supplicio affectos, omnes historici tradunt. Eos autem accusatos fuisse coniurationis in ipsum Imperatorem, sed & præterea aliorum criminum noxios extitisse, Euagrius *a* tradit at diuina id vltione factum asserit Eustathius *b* in Vita S. Eutychii Episcopi Constantinopolitani, quod eum ipsi in exilium trudentes pessime habuissent. Porro ante hos è medio sublatum esse Iustinum ipsius Imperatoris cognatum, idem Euagrius docet; virum (vt ait) magnæ apud omnes gloriæ, cum ob rerum bellicarum vsum, tum ob alia ornamenta; quem cum inuidia & timore ductus Imperator, criminibus confictis Alexandriam deportari, ibique paulo post noctu in lecto misere interimi curasset; non tamen potuit ipsius furor, eiusque coniugis Sophiæ ante restingui, quam in eiusdem caput Iustini ad se delatum calcibus insultassent. Hæc Euagrius, aliique.

a *Euagr. lib. 5. c. 1.* b *Ap. Sur. 6. April.*

Sed iam ingens strepitus barbarorum Italiam aggredi parantium, ad se nos conuertit. Tradit Paulus *c* Diaconus Ticinensis, Longobardorum suorum res prosecutus, Narsetem illum qui Romam, Italiamque vniuersam a Gothis liberauerat, à Romanis eius diuitiis inuidentibus apud Iustinum Imp. eiusque coniugem Sophiam, accusatum fuisse magnæ erga ipsos oppressionis; eaque de causa Imperatorem iratũ Narseti reuocato successorem in Italiam misisse Longinum: cumque Augusta quoque eidem per opprobrium, quia eunuchus erat, mandasset, vt cum puellis in gynæceo lanarum pensa diuideret; Narsetem respondisse, *talem se ei telam orditurum, qualem ipsa dum viueret detexere non posset*: itaque Neapolim secedentem, inde legatos in Pannoniam ad Longobardos (qui olim ex Scandinauia insula progressi, Pannoniam occuparant, & iam per quadraginta & amplius annos possederant) cum multimodis pomorum, aliarumque rerum generibus, quarum Italia ferax esset, misisse, vt pauperrima Pannoniæ rura deserentes ad possidendam Italiam cunctis refertam diuitiis venirent. Hæc Paulus. Et quod spectat ad inimicitias inter Senatum Populumque Romanum & Narsetem conflatas; Anastasius quoque auctor est, Ioannem Papam ad eos inter se conciliandos accessisse sequestrem, Neapolimque ea de causa profectum, Narsetem in Vrbem reduxisse. Sed ista ab auctoribus conscripta qui post plurimos annos vixerunt, vt in dubium reuocentur haud mirum videri debet; cum præsertim ab huius temporis scriptore arguantur. Certe enim Corippus *d* Africanus Grammaticus, qui his ipsis diebus Iustini Imperatoris laudes Constantinopoli scripsit, aperte docet, Narsetem iam ante præsentem annum reuocatum fuisse Constantinopolim, magnosque honores apud Imperatorem consecutum; dum illum ait præsentem extitisse anno superiori cum Iustinus Consulatum adiit, inhæsisseque præ cæteris lateri ipsius cum audiuit legatos missos ab Auaribus barbaris. Quamobrem ea omnia à Paulo, siue ab aliis de Narsete asserta commenta corruunt, dum volunt minime antehac fuisse reuersum Constantinopolim, sed hoc anno altercatum cum Romanis, & ab Augusta contemptum.

II. c *Paul. diac. de gest. Longob. lib. 1. c. 5* DE NARSETE HISTORIA PAVLI DIAC. REIICITVR.

d *Corip. lib. 3. & 4.*

III. e *Paul. diac.*

Ex his pariter & illud refellitur quod iidem Latini auctores *e* tradunt, Narsetem cum Ioanne Pontifice Romam reuersum, ibi extremum diem clausisse; corpusque eius loculo plumbeo collocatum, vna cum ipsius thesauro Constantinopolim translatum esse. Non enim solum his repugnant quæ Corippus de eo scripsit, sed etiam quod Cedrenus habet anno sexto Tiberii Imperatoris, Narsetem Constantinopolim reuersum, sumptuosa ibi ædificia erexisse. Sicut & quod Gregorius *f* Turonensis, aliique tradunt, eundem Constantinopoli in domo sua cisternam effodisse magnam, in qua ingentes thesauros ab Italia exportatos absconderit, interfectis postea omnibus conscijs. Hinc enim intelligas, plures post hæc annos ipsum Narsetem fuisse superstitem. Verum & horum ipsorum in eo fides vacillat, dum quem omnes *g* prædicant religione maxime pium, operibusque probe factis Deo gratissimum, ipsi eundem auaritissimum atque crudelissimum faciunt. Cæterum cum præter ea quæ diximus, Euagrius, qui pleraque de Narsete retulit, ad Mauritii tempora suam Historiam perducat, nec de Narsetis obitu vel minimum quidem loquatur; adhuc fuisse superstitem, haud leuem suspicionem ingerit. Quo fit vt hunc illum eundem esse putem Narsetem virum insignem, sub eodem Imper. Mauritio domi forisque spectatum, quem omnes *h* Græci auctores eadem pietate imbutum, ipsumque Patricium, & Romani exercitus Ducem celebrant. Quod si quis penitus inficias ierit, tunc necesse erit affirmare, duos eodem ferme tempore eiusdem nominis, ordinis, dignitatis, probitatis, & victoriis insignitos Duces vixisse Narsetes: quod haud adeo fit verisimile, cum nulla distinctione prior Senior vel Maior, posterior Iunior vel Minor dictus inueniatur. Quibus insuper suademur, ipsum eundem esse Narsetem Patricium, Sanct. Gregorii Papæ obseruantissimum, ad quem eiusdem Pontificis *i* tres extant epistolæ.

f *Greg. Tur. hist. Franc. l. 9.* g *Procop. lib. 5. de Bell. Gothic. Euag. lib. 4. c. 25. Paul. diac. l. de gest. Longob. 3. Niceph. lib. 17. c. 13.* h *Theoph. in Mistell. lib. 7. Zonar. Mauric. Niceph. lib. 18. cap. 10. Costan. in annal.*

Porro hoc eodem anno qui præcessit aduentum Longobardorum in Italiam, terribilia noctu prodigia, igneasque in cœlo acies, ipsum qui postea effusus est humani generis sanguinem coruscantes, visas esse auctor est idem S. Gregorius *k*, & post eum Paulus *l* diaconus. Narratque insuper Gregorius *m*, ante hæc S. Redempto Episcopo Ferentinati apparuisse noctu Eutychium martyrem, ac ter hæc verba repetisse, *Finis venit vniuersæ carnis.* Quod oraculum ne quis puter mendax fuisse, sciat hisce verbis non sæculi consummationem significatam, sed gentis Italiæ cladem: sicut cum olim Deus comminatus fuit per Prophetam *n*, *Venit finis super quatuor plagas terræ*, non mundi demonstrauit interitum, sed imminentes tantum clades. Certe quidem finis quodammodo tunc dici potuit aduenisse Romani Occidentalis Imperii, cum Longobardi Italiam inuadentes rerum potiti sunt. Post paucos enim *Exarchos* ab Imp. ad regendam Italiam missos, qui Rauennæ considere consueuere; iisdem diu prævalentibus Longobardis, Occidentis Imperium penitus collapsum est; neque vique ad Carolum Magnum amplius restitutum, vt tamen in Gallias fuerit ipsum translatum. Sed hæc inferius suis locis.

i *Greg. l. 1. ep. 6. 5. ep. 14. & 6. ep. 27.*

IV. QVÆ PRÆOSTENSA DE INCVRSIONE LOGOBARDORVM. k *Ex hom. 1. in Euang. Paul. diac. lib. 1. c. 23. Greg. Tur. lib. 8.* l *Ezech. 7.*

Hoc eodem anno, qui est secundus Iustini Imp. defuncto Athanagildo Rege Gothorum in Hispania, Liuba regno præfectus est, vt tradit Isidorus *o*; apud quem tamen cum hoc loco tum sequentibus, deprauatus noscitur numerus Ætæ: quod & sæpissime in eiusmodi notis accidisse reperias. Fuerunt autem Athanagildo duæ filiæ, quæ nuptui sunt traditæ duobus germanis Francorum Regibus, nempe maiori natu *Galsuintha* Chilperico regnanti Suessionis, minor *Brunichildis* Sigeberto regnanti Rhemis; sicque pax conciliata est inter Francos & Gothos in Hispania regnantes. Quod vero hæ sorores à Patre etsi Ariano, Catholicis tamen fauente; essent genitæ; perfacile fuit easdem, vbi venerunt in Gallias, abiurata Ariana impietate reddi Catholicas. Sed qui tunc temporis cecinit Venantius *p* Fortunatus epithalamium de nuptiis Sigeberti ac Brunichildis, idem postea lamentatus est Galsuinthæ lugubres elegos. Hæc enim à viro suo contempta (qui inter multas, quas præter illam habebat vxores & concubinas, *Fredegundis* amore cæcatus erat) cum sæpius ea de re quereretur, eiusdem Chilperici iussu ex consilio Fredegundis noctu extincta est in lecto: cuius sanctitatis, ac in cœlum receptionis haud leuia extiterunt post mortem indicia, quæ præter Fortunatum refert Gregorius *q* Turonensis: qui & addit, post paucos dies Chil-

V. o *Isidor. in Chron. Gothor.* PAX INTER FRANCOS ET HISP. EX FŒDERE NVPTIARVM. p *Fortun. carm. lib. 6.* DE REGINA FREDEGVNDE q *Greg. Tur. lib. 4. c. 28.*

pericum in matrimonium recepisse Fredegundem, indeque multas exortas esse turbas inter ipsum & fratres eius, qui eundem hac de causa regno expulerunt; quod tamen postea recuperauit. Ipsa *r* vero Fredegundis quanam arte se Chilperico post necem Galsuinthæ coniunxerit, Ado Viennensis narrat; nempe absente Chilperico Fredegundem Audoueræ Reginæ (ex qua iam tres filios Chilpericus susceperat) fraudulenter persuasisse, vt filiam quam ex eodem viro suo habuerat, ex sacro fonte ipsa per se non per aliam susciperet: eaque de causa, quod id legibus Ecclesiasticis prohibitum esset, Audoueram à Chilperico dimissam esse, atq; velatam, & Fredegundem in connubium admissam: Episcopum vero qui filiam baptizauit, & matri eam tenere non prohibuit, exilio damnatum esse. Sed hæc postea.

1 *Hæc de Audouera habet Baronius ea occasione an. 583. num. XXVI.*

VI. HISP. ADVERSVS GRÆCOS PVGNANT.

Hoc vero tempore in Hispaniis aduersus Græcos, ascitos primo contra Francos, sed post pacem à Gothis cum Francis sancitam, conuersos in hostes, iugiter pugnandum fuisse, Isidorus tradit: cuiusmodi bellum etiam suo tempore adhuc viguisse. S. Gregorius *s* Papa innuit. Conuentum namque tradunt historici inter Iustinianum Imperatorem & Gothorum in Hispania Reges, vt si opem ferret Imperator aduersus Francos, Hispaniæ pars sub Romani Imperii ditionem hoste superato rediret.

s Greg. 7. ep. 126.

VII. S. LAVNOMARVS ABBAS.

Sub hoc item anno secundo Chilperici, Clotarii filii, Regis Francorum, notatæ reperiuntur præclaræ res gestæ S. *Launomari* Abbatis, qui his temporibus in Gallia egregia sanctitate ac miraculis refulsit. quæ quidem extant *t* omni fide conscriptæ ab æquali ipsius.

t Ap. Sur. 19. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 568.

IOANNIS III. AN. 9.

IVSTINI IVN. AN. 3.

I.

ANno Christi quingentesimo sexagesimo octauo, Indictione prima, Consulatu quoque Iustini Imper. secundo alicubi notato, *Alboinus* Rex LONGOBARDORVM è Pannonia in Italiam magnis potens viribus aduenit, regente illam Longino pro Imperatore. Id enim Paulus Diaconus *b* accidisse ait hoc ipso anno Domini quingentesimo sexagesimooctauo, Indictione prima, quarto Nonas Aprilis; vel (vt alii volunt) ipsis Calendis eiusdem mensis: idque ipsum pariter de anno satis indicat Gregorius *c* Papa, licet nonnulli anno superiori id factum velint. Quod autem ad ipsum *Alboinum* spectat; fuit is formidabilior Romanis, quod affinitate coniunctus esset Francorum Regibus, vt qui Clothosindam Clotarii filiam olim in vxorem *d* duxisset; & quod Hunnos haberet fœderatos, quibus Pannoniam precario concessit; ac denique quod Saxones, Gepidas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, & alios complures eiusmodi barbaros *e*, quorum vel singuli facessere negotium Romano Imperio potuissent, nactus esset auxiliares. Accedebat ad tanta hæc, memoria rerum ab ipsis Longobardis olim gestarum, quando Narses aliquot ex illis vocatos aduersus Gothos *f*, omnino necesse fuit magna pecunia donatos quam citissime ad propria remittere, quod amicos ipsos direptionibus, incendiis, & libidinibus suis crudelissime infestarent. Quales autem fuerint eorundem in Italia progressus, pluribus tradunt qui eo argumento commentarios conscripsere.

I. *a Nou. Iustini ad Spes. sind. Episc. Byzac. ap. Iulian.* LONGOBARDI INFLVNT IN ITALIAM. *b Paul. diac. de gest. Longob. l. 1 c. 6. c Greg. Pap. 4. ep. 34. & 11. ep. 43. d Greg. Tur. 4. hist. 41. e Paul. diac. lib. 2. c. 12. f Procop. li. 3. de Bell. Goth.*

II. IVSTINVS IMP. AGIT ADVERSVS OPPRESSORES PAVPERVM.

Quod autem ad res spectat Orientales; de Sophia Augusta dignum Christiana fœmina facinus Chronographi *g* hoc anno recensent; nempe eam accitis omnibus qui ære alieno obstricti essent, debita eorum creditoribus dissoluisse. Præcesserant hæc clamores pauperum, à potentibus oppressorum; pro quibus cum Imperator sæpius rescripsisset, imo & aliquando conuocatis in vnum potentibus egregia ad eos pro hac re oratione habita sic eã concluisset, *Quod si meis præceptis non parere, sed in rapiendo vestris obsequi vultus cupiditatibus, alium vestro arbitrio deligite Imperatorem. Ego enim contumacibus, iniustis, & aliena volantibus imperare nolo:* cum nec sic quidem aliquid proficeret, tandem creato qui huius rei curam gereret seueriſſimo Vrbis præfecto propria sponte se ad id offerente, & per istum vno ex sublimioribus Magistratibus, è medio Imperatoris cõuiuio viabstracto, & verberibus affecto, caputque raso, & super asinum nudo per mediam vrbem ducto, ac denique bonis omnibus spoliato, quæ viduæ de eius iniustitia conquerenti addicta sunt; reliquos in officio continuit, & seuerum illum Iudicem, Patricia dignitate ornauit, ac per omnem vitam Præfectum Vrbis esse iussit. Quam rem egregie gestam, memoriaque dignam Cedrenus descripsit.

g Cedr. an 3 Iustini.

IESV CHRISTI AN. 569.

IOANNIS III. AN. 10.

IVSTINI IVN. AN. 4.

I.

ANno Christi quingentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda, Liuba Rex Gothorum in Hispania anno regni sui secundo collegam sibi allegit fratrem suum *Levvigildum*; cui & cessit Hispanias, ipse contentus regno quo potiebatur in Gallia Narbonensi. Hæc Isidorus in Chronico. Quo item anno (quæ est Æra sexcentesima septima) ipsis Calendis Ianuarii sub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege celebratum *a* est in Gallicia Hispaniæ prouincia LVCENSE CONCILIVM: in quo rogatione Regis eadem ciuitas noua instituta est Metropolis, circumscriptique sunt Ecclesiarum Galliciæ limites, ad lites de finibus euitandas.

a Ambros. Moral. de Reb. Hisp. CONCIL. LVCENSE.

II.

In Oriente vero, hoc ipso anno quarto Iustini Imperatoris, Tiberius Comes Excubitorum, qui postea Augustus creatus est, Auares barbaros debellauit. Hæc Ioannes Abbas Biclarensis in Chronico: quorum etiam meminit Corippus in carmine de laudibus Iustini.

IESV CHRISTI AN. 570.

IOANNIS III. AN. 11.

IVSTINI IVN. AN. 5.

I.

ANno Christi quingentesimo septuagesimo, Indictionis tertiæ, Iustini quinto, & in ipsius quadam constitutione *a* secundo Post Consulatum eiusdem inscripto, Apollinaris Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, vbi sedisset annos vndeviginti (secundum Nicephori Chronici rationem) ex hac vita migrauit; in cuius locum subrogatus est *Ioannes*. Fit vero etiam in Prato *b* Spirituali nobilis mentio de eodem Apollinare, occasione immensæ eiusdem erga pauperes misericordiæ, necnon ordinationis trium sanctissimorum Episcoporum, quorum vnus è mortuis resurrexerat. Vbi insuper traditur *c*, frequentia Deum his temporibus per Catholicos operatum esse miracula ad hæreses destruendas.

a Nou. Iustin. de fil. liber. ap. Iulian.

b Prat. Spir. c. 193. & 124.

c Ibid. c. 213.

II. *d Paul. diac. lib. 2. c. 12.* LONGOB. PROGRESSVS IN ITALIA.

Quod ad res Occidentales spectat; Paulus *d* Diaconus agens de progressu Longobardorum in deprædationem Italiæ, refert eos hoc anno tertiæ Indictionis Mediolanum cepisse, & omnia vsque ad Tusciam inuasisse præter Romam & Rauennam, ac nonnulla castella maritima. Quo etiam tempore ait Paulinum Patriarcham Aquileiensem vita functum esse, Ecclesia regenda Probino relicta.

III. DE NOMINE PATRIARCHÆ.

Sed quod hic prima sit mentio de *Patriarchatu Aquileiæ*; sciendum est, vsurpatum frequenter etiam in Occidente reperiri his temporibus *Patriarchæ* nomen pro Archiepiscopo; nimirum vt qui sub se alios haberet Episcopos, sicut dictus esset Archiepiscopus, idem pariter ex vocis significatione, *Princeps Patrum*, & Græco nomine *Patriarcha* appellaretur. Sic Gregorius *e* Turonensis Patriarcham vocat S. Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem; & in Concilio Secundo Matisconensi, Priscus Lugdunensis item Episcopus Patriarcha pariter nominatur: extantque de his tam in Oriente quam Occidente antiquiora etiam testimonia; puta cũ apud Socratem *f* Patriarchatus Ponticus & Asianus leguntur: & apud Cassiodorum *ff* Athalaricus Rex Gotho-

e Greg. Tur. 5. hist. 20.

f Socr. lib. 5. c. 15.

ff Cassiod. 9. ep 15.

rum

rum in Italia scribens ad Ioannem Papam Secundum, Metropolitanos vocauit Patriarchas. Vnde & ipsos Arianos, suæ ipsorum sectæ primarios Episcopos Patriarchas appellare consueuisse, Victor Vticensis, Gregorius Turonensis, & alii docent. Factumq; est, vt & alii hæretici à Catholica communione discisi, quem sequerentur erroris principem, eũdem quoque dicerent Patriarcham; ad hoc male vsurpato eiusmodi nomine, quod olim Apostolicarum tantum præcipuarum Sedium nomen erat amplissimæ dignitatis. Quod vero ad præsentem cautam spectat, non alio præterito tempore, sed præsenti, cum videlicet Venetiarum & Istriæ Episcopi atque Liguriæ (vt vidimus ex epistolis *g* Pelagii Papæ) essent in schismate ob quæstionem de Tribus Capitulis, Paulinusque Aquileiẽsis his omnibus præemineret; placuit iisdem schismaticis, illum sibi loco Romani Pontificis à quo desciuissent, constituere supremum Antistitem, quem & Patriarcham nuncupauere. Hanceque putamus veram germanamque Patriarchatus Aquileiensis originem: quod nomen eidem Ecclesiæ Episcopis retinere bono pacis permissum postea à Romanis Pontificibus fuisse videtur. Sed quod rursum ad eosdem schismaticos pertinet; an non sunt hæc certa diuinæ vindictæ impressa vestigia, cum ita eædem prouinciæ traditæ sunt à Deo ore gladii deuorandæ, (quarum clades Paulus prosequitur) vt non ad aliud euocati videri potuerint Longobardi, quam ad ipsas perdendas; cum interea Roma ipsa quamuis à Gothis sæpe antea capta, à Longobardis tamen minime comprehendi vnquam potuerit?

Hoc eodem anno, qui numeratur sextus Chariberti Francorum Regis, decimoquinto Calendas Decembris habita reperitur SYNODVS TVRONENSIS Secunda. Cui cum octo tantum Episcopi interfuisse legantur, nec inter eos ponatur S. Euphronius illius ciuitatis tunc Antistes; inde existimo seriem Episcoporum interciſam esse. Hæc autem Synodus in eum finem celebrata noscitur, vt Ecclesiastica disciplina nonnullorum temeritate proculcata in statum pristinum restitueretur: pro qua re sanctissimi illi Patres canones viginti octo statuerunt obseruatione dignissimos. Inter quos ille est *h*, quo de asseruatione sanctissimæ Eucharistiæ decernitur, vt ea in altari non in Imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur. Nempe vt digniorem sibi vendicaret locum, statutum est vt non inter sacras Imagines super altari poni solitas, sed sub ipsa Cruce, quæ in meditullio altaris collocari consueuit, poneretur. Notauimus etiam superius, eandem intra columbam argenteam conseruari consueuisse: sed illud huic Synodo minime placuisse videri potest. Ex vtroque autem isto ritu aperte videas, haud esse nouum vt Corpus Christi super altare seruetur. Nam & præterea Venantius Fortunatus epigrammate celebrauit perelegans aureum vas, turris instar factum à Felice Episcopo Bituricensi qui huic Synodo interfuit, ad conseruandam sacratissimam Eucharistiam.

Inter alia quoque iidem Patres canones condiderunt de cura pauperum *i*, vt in vnaquaque ciuitate tam vicini presbyteri quam ciues omnes suos pauperes alerent, ne pauperes per ciuitates alias vagarentur: itemque aduersus repullulantem *ii* Nicolaitarum hæresim, qua sacri ministri iam resumebant vxores: necnon contra incestuosos *k*; idque (vt apparet) ad corrigendum ipsum Regem Charibertum tanto crimine labefactatum, vtpote qui sororem coniugis suæ nefarie sibi copulasset, nimirum Marcouefam Merofledis vxoris sororem: vnde & cum nollet corrigi, à S. Germano Parisiensium Episcopo huius canonis vindice cui subscripserat, fuisse excommunicatione percussum, auctor est Gregorius *l* Turonensis. Sed & quod accidisset frequentium occasione bellorum, vt cum non esset amplius in thesauris regiis vnde Princeps satisfaceret militantibus, bona Ecclesiæ iidem inuaderent, ea à Rege petentes, vel sponte vsurpantes; aduersus eos qui talia præsumerent, iidem sanctissimi Patres non solum excommunicationem, sed & maledictionem Iudæ traditoris intorserunt *m*; subiicientes & alium ei similem canonem, iam antea in Synodo Parisiensi aduersus eosdem regios inuasores sancitum. Quos & variis exemplis declarat Gregorius *n* Turonensis diuinitus puniri consueuisse. Sed & quomodo id ipsum expertus sit Rex ipse Charibertus, dicetur in eius obitu.

Hoc eodem anno, qui pariter sextus numeratur Guntheramni Francorum Regis, germani eiusdem Chariberti, habita legitur SYNODVS LVGDVNENSIS quatuordecim Episcoporum, quorum aliqui per Legatos interfuerunt, quæ Prima dicta reperitur earũ quæ in ea ciuitate celebratæ sunt. Statutique in ea fuere sex canones, quibus Ecclesiasticæ paci atque indemnitati consultum est, ob scandala à quibusdam malis Episcopis illata. Nam tradit Gregorius *o* Turonensis, Salonium & Sagittarium fratres, illum Episcopum Ebredunensem, hunc Vapingensem, sacrilegiis, homicidiis, adulteriis, comessationibus, aliisque eiusmodi sceleribus inquinatos, ac de iis apud Guntheramnum accusatos; in hoc Lugdunensi Concilio, eiusdem Regis iussu ea de causa congregato, depositos esse. Sed eosdem Apostolicam sedem à Concilio appellantes, falsis suggestionibus à Ioanne Papa literas ad Regem impetrasse, earumque auctoritate sedibus suis restitutos esse, idem auctor tradit. At de iis rursum inferius.

Hoc item anno regni sui tertio Liuba Rege Gothorum in Hispania mortuo *p*, Levvigildus eius germanus in collegam antea ascitus, solus regnare cœpit. Cui cum esset vxor Theodosia Catholica fœmina, eademque soror sanctorum Leandri, Fulgentii, Isidori, ac Florentiæ, filia vero Seueriani Carthaginiensem prouinciam moderantis: nihil tamen ex sancto consortio profecit Rex impius Arianismi tenacissimus; de cuius in Catholicos persecutione dicetur suo loco. Ei vero longe dissimilis Theodomirus Sueuorum itidem in Hispania Rex Catholicus, maximeque pius, hoc eodem anno defunctus, filio Ariamiro (quem precibus S. Martini, ex diuturno atq; grauissimo morbo sanum accepisse vidimus) vna cum pietate regnum pariter reliquit. quem Sanctorum cultorem eximium fuisse testatur Gregorius *q* Turonensis, dum recenset diuinam vltionem in ipsius mimum, vuas porticus Ecclesiæ S. Martini, contra ipsius Regis prohibitionem incidere tentantem; qui eiusdem Regis precibus ad Deum fusis à periculo liberatus est.

IESV CHRISTI AN. 571.

IOANNIS III. AN. 12.

IVSTINI IVN. AN. 6.

ANno Christi quingentesimo septuagesimo primo, Indictionis quartæ, Alboinus Longobardorum Rex Ticinensi ciuitate post obsidionem trium annorum & amplus in deditionem accepta, ab eius quam vouerat direptione, miraculo concidentis in portæ medio equi, nec vlla arte exurgere valentis, auersus est. Paulo vero post, vbi regnasset in Italia annos tres & menses sex, Calendis Octobris peremptus est insidiis coniugis Rosimundæ: cui cum ipse aliquando apud Veronam in conuiuio hilarior factus, vinum dari præcepisset in poculo, quod de capite Regis Chunimundi ipsius Rosimundæ parentis fecerat; eadem mox in mariti nece patris cædem vindicatura, Helmigẽ Regis armigerum, & Peredeum virum fortissimum, facta iisdem sui copia, in Alboini cædem impulit. Post quæ ipsa vna cum Helmige Rauennam ad Romanos fugiens, Longini Exarchi suasu, vt ipsi nuberet, eidem Helmigi poculum venenatum propinauit; qui vbi venenum sensit, partem eius ipsam Rosimundam bibere coegit: sicque diuino iudicio ambo vno modo perierunt. Narrat hæc omnia Paulus *a* Diaconus; qui Alboino successisse tradit *Clephonem* Regem. Corrigendus vero textus Gregorii Turonensis videtur, vbi præter omnium sententiam Alboinum regnasse in Italia scribit annos septem.

De PATRIARCHATV AQVILEIEN. Deque etiã vide infra an. 602. num. 11. m. f.

g Pelag. ep. 3. & 5.

IV. CONCIL. TVRON. II. PRO ECCL. DISCIPLINA.

h Con. Tur. 11. c. 2. VBI S. EVCHARISTIA ASSERVARI DEBERET.

V.

i Ibid. c. 5.

ii Can. 20.

k Can. 22. CHARIBERTVS FRAN. REX EXCOMMVNICATVR À S. GERMAN. PARIS.

l Greg. Tur. 4. hist. 26.

m Can. 25. & 26.

n Greg. Tur. lib. 2. de gl. mart. c. 17. & 9. Conf. c. 71. & alibi sæpe.

VI. CONCIL. LVGDVN. I. IN CAVSA DVOR. FRATVOR. EPIS.

o Id. l. 6. hist. Fran. 20.

VII

p Isidor. in Chron. LEWIGILDVS REX GOTHOR. IN HISP.

q Greg. Tur. lib. 4. de mirac. S. Mar. c. 7.

I.

ALBOINVS REX LONGOB. NECATVS ARTE CONIVGIS.

a Paul. diac. lib. 2. de gest. Longob. c. 28. & 29.

IESV CHRISTI AN. 572.

IOANNIS III. AN. 13.

IVSTINI IVN. AN. 7.

I. IOANNIS PP. OBITVS.

ANno Christi quingentesimo septuagesimo secundo, Indictionis quintæ, *S. Ioannes* Papa vbi sedisset annos tredecim, minus diebus quatuordecim, obiit tertio Idus Iulii, & sepultus est in basilica S. Petri. Post quem cum sedem vacasse menses decem & dies tres, Anastatius dicat, agetur de eius successore anno sequenti. Extat *a* vero absque tempore data epistola eiusdem Ioannis Papæ ad Edaldum Viennensem Archiepiscopum, de officio Missarum celebrando ritu Romano; qua etiam significat se eidem petenti pallium mittere: & de capillis S. Pauli Apostoli. Sed quæ feruntur alia eiusdem Pontificis Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ aduersus Corepiscopos, qui sibi quæ essent Episcoporum vsurparent: ea impostura facile arguitur, tum ex falsa appositione Consulum, tum quod nomen ipsum Corepiscoporum iam hoc tempore in Galliis, siue in Germania, penitus fuisse abolitum, certum facit, quod nulla eorum mentio fiat in tot Conciliis Gallicanis his temporibus celebratis. Sed & quod eadem dicitur, Linum & Clementem minime fuisse reuera Romanos Pontifices, sed Corepiscopos tantum, ab omni plane antiquitate & veritate historiæ alienũ est. Suntq; insuper alia signa ex quibus conuincitur eam non fuisse Ioannis sed ex suppositis mercibus Mercatoris.

a *In Bibl. Fortiae par. vii.* STVRIA EIVS EPISTOLA.

II. CHARIB. REX INVADIT SVO DAMNO RES ECCLESIÆ.

Hoc pariter anno defunctus est Charibertus Francorum Rex qui regnabat Parisiis, vbi tenuisset regnum annos octo; vltione id diuina agẽte, quod inuasisset possessionem quandam Ecclesiæ S. Martini: vt pluribus rem gestam narrat Gregorius *b* Turonensis, qui & alibi *c* testatur, eundem Regem decessisse excommunicatũ à S. Germano Episcopo Parisiensi, ob incestum coniugium de quo dictum est superius. Porro ei successit in regno *Sigebertus* ipsius frater, qui regni sedem Rhemis tenuerat.

b *Greg. Tur. de mirac. S. Mart. lib 1. c.29.*
c *Id.4 hist. Fran. 16*

III. CONCIL. BRACAR.

Hoc ipso anno, Æra sexcentesima decima, mense Decembri, celebrata reperitur à duodecim Episcopis, SYNODVS posterior BRACARENSIS anno secundo Ariamiri Regis Sueuorum, sub S. Martino Metropolitano: in qua statuti sunt canones decem ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes. Eademque Æra sexcentesima decima, eos qui inde cum Nitigio Metropolitano Lucensi ad propria reuersi sunt Episcopi, alium *Luci* habuisse *Conuentum*, patet ex constitutione regia, eadem pariter Æra data, quam Ambrosius *d* Morales in lucem edidit. Verum quod ea Theodomiri Regis esse dicatur; tã ex Æra notata, quã ex mentione quæ in ea fit Secundæ Synodi Bracarensis, constat non patris eo nomine appellati, quem iam ante biennium defunctum vidimus, sed filii Ariamiri esse. Quod autem commune fuisse reperitur tam patri quam filio, vt *Mirus* vterque nominaretur; commune pariter fuisse videtur nomen Regibus Sueuorum; sed patri *Theodo*, filio *Aria* prænomen fuisse cognoscitur. Cæterum ad hunc Lucensem Conuentum idem qui supra Martinus Bracarensis collectionem & emendationem Orientalium canonum direxit, quæ extat *e*. Eius vero doctissimi ac sanctissimi viri alia præclara ac pia scripta, Isidorus *f* recenset, quæ pariter extant *ff*.

Vide supra in pont. an. 563 CONCIL. LVCEN. II.
d *Ambr. Moral. Chron. lib. 11. c. 62.*
e *Tom. 2. Conc.*
f *Isid de Script. Eccl. c. 22.*
ff *Tom 5. bibl. Pat.*

IV. ANASTAS. SINAITA PELLITVR ANTIOCHIA.

Quod spectat ad res Orientales; hoc ipso anno *g*, qui numeratur vndecimus sedis S. Anastasii Sinaitæ Episcopi Antiocheni, ipse accusatus de profuso inutiliter sacro thesauro ne à Iustino Imper. diriperetur, sed & de aliis criminibus calumniam passus, ab eodem Imp. in exilium missus est; inque eius locum subrogatus *Gregorius*, & ipse monachus Sinæ montis: quem ista narrans mirifice laudat Euagrius *h*. Sed & cum de eodem æque alii auctores multa laude dignissima tradant; apparet eum minime fuisse violenter in sedem intrusum, sed legitime electum, cum Anastasius fuisset in Synodo ab Episcopis, etsi non iuste, aliqua tamen specie iustitiæ, condemnatus. Cæterum idem Anastasius post annos viginti quatuor quibus sedit Gregorius, Mauritii Imper. tempore iterum (vt dicetur) sedi suæ restitutus fuit.

g *Niceph. in Chron.*
h *Euag. l. 5. c. 6.*

Hoc autem primo anno quo Gregorius sedere cœpit, Christiani incolentes Maiorem Armeniam, cum grauia paterentur fidei causa à Cosrhoe Persarum Rege, legatione secreto missa ad Imperatorem, pactisque cum eo certis conditionibus; post trucidatos Persarum Duces, se cum suis omnibus Romano subiecerunt Imperio, à quo olim per Philippum Imp. abalienati fuerant. Cum vero de his Cosrhoes apud Iustinum expostularet, respondit Iustinus, præfinitum inter Romanos Persasque pacis tempus effluxisse; nec fas esse, vt Christiani Christianos tempore belli ad se confugientes desererent. Hæc pluribus Euagrius *i*.

V. ARMENII à PERSIS OB FIDEM AFFLICTI SE DANT ROMANIS.

i *Id. c. 7.*

IESV CHRISTI AN. 573.

BENEDICTI III. AN. 1.

IVSTINI IVN. AN. 8.

I. BENEDICTVS PP. CREATVR.

ANno Domini quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, vbi Romanæ Ecclesiæ Sedes bellicis tumultibus exagitata, post Ioannis obitum vacasset menses decem & dies tres; decima sexta mensis Maii creatus est BENEDICTVS cognomento *Bonosus*, patria Romanus, filius Bonifacii: Græci vero eum non Benedictum, sed à cognomento *Bonosum* appellant, vt Euagrius *a*.

a *Id. c. 16.*

II. Quo etiam anno, qui fuerat in locum Alboini Longobardorum Regis subrogatus Clephis, vbi regnasset annum vnum & menses quinque, à seruo occisus est; interregnumque fuit (vt Paulus *b* Diaconus ait) annis decem: cum interim triginta sex militum Duces partiti sibi quas cepissent in Italia ciuitates, easdem misere depopulati sunt, homines passim cædentes, Ecclesias ac monasteria diripientes, & sacerdotes interficientes; tantoque licentius sæuientes, quanto ex crudelitate quisque potentior videri vellet, cum neminem haberet qui patratorum vltor scelerum iudex existeret: Adeo vt Longobardorum grassationem S. Gregorius inter alias numeret sæuissimas Ecclesiæ Persecutiones; cuius & multa exempla, variis mixta aduersus illam exercentes miraculis, ipse suis scriptis *c* inseruit. quæ quidem à Paulo diacono præterita constat, tum quod is post ducentos annos suam de Longobardis Historiam conscripserit, tempore videlicet Caroli Magni Imperatoris; tum etiam quod Longobardus & ipse, vtpote patria Foroiulienſis, diaconus vero Ecclesiæ Ticinensis, suæ genti nimium fauerit, sæpius eam de benignitate & humanitate laudans. Cæterum Longobardos fuisse Christianos, Procopius *d* haud obscure significat: verum & quamplurimos adhuc Gentiles perseuerasse, & qui erant Christiani fuisse secta Arianos, ex eodem S. Gregorio *e* aperte constat.

b *Paul. diac. lib. 2. c. 27.* LONGOBARDI PER SÃ DANT ITALIAM.
c *Greg. 4. ep. 34. 3. dial. 13. 26 27. 28. 29. 37. & 4. dial. 21. 22. 23 & l. 1. c. 4. & l. 2. c. 17.*
d *Procop. de Bell. Gub. lib. 2.*
e *Greg. hom. 1. in Euang. & 3. dial. 26 27. 28. 29 37.*

Hoc quoque anno auctor est Sigebertus altercatum esse inter Francos & Hispanos de Paschatis die, quem Hispani duodecimo Calendas Aprilis, Franci decimoquarto Calendas Maii celebrarunt: sed Francos recte celebrasse per hoc diuinitus apparuisse, quod fontes in Hispania, qui in Sabbatho sancto ad baptizandum sponte repleri solerent, non in Hispanorum, sed in Francorum die Paschatis repleti sunt. Quod quidem Sigebertus ex Gregorio *f* Turonensi desumpsisse videtur: qui tamen illud tardius accidisse innuit, dum ponit sub anno Childeberti Ianioris Regis secundo, qui est Domini quingentesimus octogesimus: quamuis & id alias quoque accidisse, ex eodem *g* constet. De perenni vero miraculo nonnullorum fontium, anniuersaria die Paschatis impleri consuetorum, dictum est alia occasione superius *h*.

III. ALTERCATVM INTER GALL. ET HISP. DE DIE PASCH.
f *Greg. Tur. 5. hist. 17.*
g *Id. 10. hist. 23.*
h *An 417. num. VI. 548. III.*

IESV

IESV CHRISTI AN. 574.

BENEDICTI AN. 2.

IVSTINI IVN. AN. 9.

I. NOVÆ CLADES IMPERII.

ANNO Christi quingentesimo septuagesimo quarto, Indictionis septimæ, Iustini Imp. nono, (vt ponit Cedrenus) Orientale Imperium ipsius Imperatoris partim socordia, partim præcipitatione, maximam cladem passus est ab incursionibus Auarum atque Persarum; à quibus vniuersa Syria deuastata est, ciuitasque munitissima Dara in finibus posita expugnata, atque ipsa Antiochia in magnum discrimen adducta: quæ pluribus describit Euagrius *a*. Additum vero ad calamitatem, vt Imperator (quē crebro ægrotare, ac vertigine vexari consueuisse, Cedrenus tradit) nouo mœrore acceptarum istarum cladium in phrenesim inciderit, dilucidis tantum modo interuallis ad modicum temporis spatium aliquando resipiscens: cum interea Sophia Augusta precibus à Cosrhoë Persarum Rege inducias ad triennium obtinuit: vt pluribus narrant Euagrius *b*, aliique. Quomodo vero idem Iustinus magicas incantationes aliquādo passus, diuino præsidio curatus sit appositio capiti suo fræno Constantini, in quo connexus erat vnus ex Clauis quibus Christus in Cruce confixus est; Gregorius *c* Turonensis recitat.

a Euagr. l. 5. c. 9. 10.

IVST. IMP. INCIDIT IN PHRENESIM.

b Ibid. c. 11. 12. ap. Baron. an. seq.

c Greg. Tur. 1. de glor. mart. 6.

II. SAMARITÆ IN SACRAS IMAGIN. INSANIVNT.

Sed & alia rursum clade contigit Syriam nonnihil affligi à Samaritis hæreticis, sæpe repressis, sed denuo in Catholicos insurgentibus: qui cum post Iustinianum, ab ipso quoque Iustino *d* ciuilibus pœnis mulctati essent, rursum pessimæ feræ in sacras Domini nostri IESV CHRISTI, sanctissimæ Crucis, ac Beatissimæ Virginis, aliorumq; Sanctorum Imagines grassati sunt; vt patet ex egregia epistola paræneticā Symeonis Stylitæ Iunioris ad ipsum Iustinum Imperatorem data, quæ recitata est in Actis posterioris Nicænæ *e* Synodi. Quid vero de his Iustinus egerit, nusquam verbum Certum est autem, eosdem perfidissimos hæreticos, nec minis, nec beneficiis Imperatorum valuisse ad fidem conuerti; qui etiam sub Gregorio *f* Papa noscuntur viguisse in Sicilia. De ipso vero *Symeone Stylita*, qui his temporibus vixit vt ille Senior in columna, magnisque claruit miraculis; plura scribit Euagrius *g*, cui magnus cum eo vsus amicitiæ interfuit, & quomodo ad tam arduæ vitæ institutum, occasione reperti, dum adhuc puer esset, pardi, eiusdemque tanquam felis esset, cingulo ad monasterium ducti, excitatus fuerit, pluribus narrat.

d Nouel. Iustin. 5. inter Nouel. Iustinian. 144. e Conc. N. 6. Nouell. 22. 1.

f Greg. 5. ep. 32. & 7. ep. 22. Ind. 1.

g Euagr. lib. 6. c. 22.

III. DE ORDINATIONE GREGORII TVRON.

Sic igitur tum Oriens tum Occidens eodem tempore, cum plurima ingruerent vndique mala, magna Dei misericordia viris sanctissimis illustrati sunt. Nam & in Occidente, cum S. Euphronius Episcopus Turonensis ex hac vita migrasset, *Gregorius* ille, cuius scripta frequentissime his Annalibus citari contingit, æque sanctus, ac generis nobilitate præstans, ei successit. Quod quidem anno præsenti accidisse, optime colligitur ex eodem Gregorio *h*, dum asserit vigesimum primum habuisse in Episcopatu annum, quando S. Gregorius Papa agebat in Pontificatu quintum, qui est annus Domini quingentesimus nonagesimus quintus; itemque dum alibi *i* dicit, se ordinatum anno centesimo septuagesimo secundo à transitu S. Martini, quem anno quadringentesimo secundo obiisse demonstratum est. Mense vero secundo à die ordinationis, in grauissimum ac desperatum morbum incidisse, & cum omnia alia remedia inutilia essent, haustu pulueris sepulchri S. Martini integram sanitatem in momento recuperasse, ipsemet Gregorius *k* de se testatur: idemque inferius ex eodem puluere & alios incolumes euasisse tradit; sicut etiam ex cereolis ad sepulchrum Sancti incendi solitis. Sed & ex contactu veli, lignique cancelli eiusdem sepulchri, sanatum se ab aliis morbis affirmat *l*: iisdemque modis & alios plurimos curatos esse testatur. Quemadmodum & *Venantium Fortunatum*, natione Italum, patria Tarusanum, Rauennæ in litteris instructum, à vehementissimo oculorum dolore sanatum esse virtute olei lampadis ad Imaginem S. Martini pendentis, testatur Paulus *m* diaconus: ipseque Fortunatus tanti beneficij memor, pro gratiarum actione res gestas eiusdem Sancti quatuor libris concinuisse voluit. Qui ad visitandas ipsius sacras Reliquias Turonos petens, indeque Pictauos transiens, multorum illic Sanctorum gesta partim prosa, partim metro conscripsit; & post aliquod tempus eius ciuitatis primo presbyter, deinde Episcopus ordinatus est; vir huius temporis poeticis & oratoriis facultatibus excultissimus.

h Greg. Tur. 10. Hist. vlt.

i Id. de mir. S. Mart. lib. 1. c. 32. & lib. 2. c. 1.

MIRACVLA EX SEPVLCHRO S. MART.

k Id. d. c. 1.

l Ibid. Lib. 4. c. 1. & 2.

DE VENANTIO FORTVNATO.

m Paul. diac. de gest.

Eonzob. l. 2. c. 9. ap. Baron. an 568.

IESV CHRISTI AN. 575.

BENEDICTI AN. 3.

IVSTINI IVN. AN. 10.

I.

ANNO Domini quingentesimo septuagesimo quinto, Indictionis octauæ, Iustini Augusti decimo, (vt ponit Cedrenus) idem Imp. cum ob phrenesim incapax esset administrationis Reipublicæ, dilucidum consecutus interuallum, ex consilio Sophiæ Augustæ, *Tiberium* Comitem excubitorum, genere Thracem, collegam sibi adsciuit sub nomine Cæsaris; virum omnibus animi corporisque dotibus præstantem, bello paceque clarissimum, religione Catholica pollentem; quem mirifice laudasse reperiuntur Euagrius *a* Gregorius *b* Turonensis, Suidas, aliique. Sed quod idem Euagrius *c* eius cooptationem post triennium factam significat, nempe anno Iustini Imperij duodecimo ac mense decimo cum dimidio, à reliquis ferme omnibus tam Græcis, quam Latinis horū & posteriorum temporum auctoribus redarguitur, qui eam in hæc anteriora tempora referunt; sicut etiam apertius patebit ex chronologia sequentium Imperatorum.

TIBERIVS COOPTATVR IN IMPERIVM

a Euagr. l. 5. cap. 13.

b Greg. Tur. l. 6. c. 30.

c Euagr. cap. 13.

[Euagrii sententiam primo Baronius secutus, Tiberii cooptationem collocauerat anno Domini 578. Sed postea re accuratius perspecta, in Append. Tom. XII. ad ann. Christi 86. agnouit Euagrium errasse in recensendis annis Imperii Iustini, & sequentium Impp. Tiberii & Mauritii, iis præcipue motus rationibus, quæ producuntur inferius in ingressu Mauritii, ann. 583. num. IV. Quamobrem cum ex semel constituta eiusmodi chronologia, æque errare contigisset in collocandis singulis rebus gestis, quæ notam habent annorum Tiberii & Mauritii; iam primario emendato errore, cetera etiam quæ ex eiusmodi pendent chronologia, (nimirum ab ingressu Tiberii, qui ponitur hoc anno 575. vsque ad exitum Mauritii, qui incidit in annum 602.) fuere necessario à nobis emendanda, & suis quæque locis restituenda, quamuis sciamus nec sic tolli cunctas huius chronologiæ difficultates, ob auctorum ea de re dissonantiam. Quinimo & lapides ipsos (quod miteris) in vna eademque Vrbe Roma in his variasse reperimus; dum in quadam tumba, quæ visitur in atrio Oratorii S. Michaelis pone munitionem S. Angeli, legimus epitaphium cuiusdam Boetii, vbi tempus depositionis eius notatur oct. Calend. Nouemb. Indict. XI. Iustini August. ann. XII. & Tiberii Cæsar. ann. III. in ecclesia vero S. Praxedis in monte Exquilino aliud cuiusdam tabernarii, vbi annus tertius Imperat. Mauritii (cuius æque initium pendet ab isto Tiberii) iungitur cum Indict. prima. cum tamen pro correctione Baronii faciat etiam Historia Miscella, quæ Tiberii cooptationem ponit anno decimo Imperii Iustini, tertio anno ante eiusdem Iustini obitum. Vt in his nihil aliud habeamus dicendum, nisi alteros respexisse tempus, quo Tiberius primo cooptatus est a Iustino in collegam, alteros tempus quo abdicante se, vel moriente Iustino, solus Tiberius Imperium administrare cœpit. Sane in temporum ratione subducenda, dum ita Chronologi variant, qui operam locabit, perdet. Vt vt sit, nobis modo satis fuerit mentem Baronii sequi; quippe qui eius epitomen agimus, non nouam historiam cudimus. Ac denique etsi aliquid desit perfectæ rationi temporum, id tamen absque detrimento fiet cognitionis ipsarum rerum gestarum, ac præcipue Ecclesiasticarum, quas tractamus.]

II.

Hoc eodem anno aliquot Longobardorum Duces ad Gallias infestandas (quas frustra huc vsque tentantes, cum ignominia repulsi fuerant) per Alpes Cottias *d* aditum sibi facientes, Nicæam deuastant, aliasque nonnullas obuias ciuitates. Quam incursionem à S. Hospitio prædictam fuisse, Gregorius *e* Turonensis tradit; multaque narrat de vitæ sanctitate ac miraculis eiusdem *Hospitii*, qui seipsum voluntarie catenis vinctum in turri ad pœnitentiā recluserat. Meminit vero præterea *f*, de aliis Longobardoum in Gallias eruptionibus aduersus Burgundiones: quos cum primo Longobardi maxima clade affecissent, postea iidem apud Ebredunū ab illis, duce Mūmulo Patricio, quem Gunteramnus Rex cum exercitu misit, ad internecionē cęsi sunt. In quib. pręliis Saloniū & Sagittariū frat. Episcopos (de quorū vitiis dictū est superius)

d Paul. diac. lib. 3. c. 1.

e Greg. Tur. 6. hist. 6.

f Id. lib. 4. c. 36.

perius) armatos lorica & galea (cuiusmodi monstra tunc primum cœpta sunt videri) multos manibus propriis interfecisse, idem *g* auctor queritur, dum & alia eorundem scelera pluribus prosequitur.

g *Ibid. c.37. & li.5 c 20.*

IESV CHRISTI AN. 576.

BENEDICTI AN. 4.

IVSTINI IVN. AN. II.

I. a *Greg.Tur. 4 hist Fr. 47.48 49.* CONCIL. PARIS. PRO SEDANDO BELLO CIVILI REGVM.

ANNO Domini quingentesimo septuagesimo sexto, Indictionis nonæ, ciuili ac fraterno in Galliis recrudescente bello inter Guntheramnum atque Sigebertum & Chilpericum Francorum Reges *a*, celebrata est prouincialis SYNODVS *Parisiis*, ea de causa ab eodem Guntheramno maxime pio procurata, vt sanctissimi qui tunc in Galliis florebant Episcopi contentionem obortam sedarent. Verum vbi semel res armis cœpta est agi, siluerunt Ecclesiasticæ leges Accidisse namque ait Gregorius *b* inter hæc, vt Chilpericus per filium suum Theodobertum superato Gundebalo Duce, magnam intulerit cladem Turonensibus, Pictauiensibus, aliarumque ciuitatum ecclesiis atque monasteriis: quorum tamen expilatores aliquos grauissimam diuinitus vindictam expertos esse narrat: in cuius passim scriptis, aliorumque huius temporis auctorum, quamplurima alia eiusmodi diuinæ iræ in inuiolatores rerũ Ecclesiasticarũ exempla reperire est. Ceterum paulo post hæc pacem inter ipsos Reges ex insperato virtute S. Martini compositam, miraculisque comprobatam, idem auctor *c* scribit.

b *Ibid. & de glor. mart. lib.1. c.105.* EXPILATORES RER. ECCLES. DIVINITVS PVNITI.

c *Id.4. hist. 49. & de miracul. S. Mart. lib.2. c.5.6.7. ap. Baron. ann. seq.*

IESV CHRISTI AN. 577.

BENEDICTI AN. 5.

IVSTINI IVN. AN. 12.

I. BENED. PAPÆ OBITVS.

ANNO Domini quingentesimo septuagesimo septimo, Indictionis decimæ, pridie Calendas Augusti mortuus est *Benedictus* Papa, & sepultus in basilica S. Petri, cum sedisset annos quatuor, mensem vnum & dies viginti octo, vt scribit Anastasius: cum tamen si ratio habetur eius creationis & obitus, dicendus sit sedisse annos quatuor, menses duos, dies quindecim. Dicitur autem fecisse ordinationem vnam per mensem Decembrem, & in ea creasse presbyteros quindecim, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca viginti vnum. Sed quod Ioannes Diaconus dicat, ab eo creatum fuisse diaconum S. Gregorium; id quantum à veritate aberret, dicetur cum de Gregorio erit sermo. Habetur porro nomine Benedicti notata epistola ad Dauid Episcopum in Hispania Bætica de mysterio SS. Trinitatis. Postquam vero ab eius obitu sedes vacasset menses tres & dies decem, decima mensis Nouembris creatus est PELAGIVS eius nominis Secundus, patria Romanus filius Winigildi; ex quo nomine eum potius genere Gothum quam Romanum putamus. Tradit autem Anastasius, eundem fuisse ordinatum absque iussione Principis, eo quod Longobardi obsiderent Vrbem Romam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret.

PELAG II. CREATIO.

IESV CHRISTI AN. 578.

PELAGII II. AN. 1.

IVSTINI IVN. AN. 13.

I. ANNO Domini quingentesimo septuagesimo octauo, indictionis vndecimæ, defuncto Ioanne Constantinopolitano Episcopo postquam sedisset annos duodecim & menses septem, vt habet Nicephorus in Chronico, & consentit Eustathius in Vita Eutychij; Tiberius Imp. memor beneficiorum ab eodem S. Eutychio acceptorum, (qui primo ipsum Notarium apud Iustinum collocauerat, postea etiam Imperium eidem prædixerat) mox eundem ab exilio reuocatum, sedi Constantinopolitanæ restituendum curauit: vbi miro populi fauore; & magno Imperatorum Iustini adhuc viuentis & Tiberij honore, tertia die Octobris exceptus est; multis magnisque cum in ipso itinere, tum in aduentu, ac postea editis ab eo miraculis: inter quæ illud proficuum omnibus extitit, quo supplicationes cum populo faciens, liberationem à Deo obtinuit grassantis à multis annis pestis. Quæ omnia fuse prosecutus est Eustathius *a* in eius Rebus gestis.

EVTYCHIVS RESTITVITVR IN SEDEM CONSTANTINOP.

a *Apud Sur. 6. April.*

IESV CHRISTI AN. 579.

PELAGII II. AN. 2.

TIBERII II. AN. 1.

I. IVSTINI IMP. OBITVS.

ANNO Christi quingentesimo septuagesimo nono, Indictionis duodecimæ, mense Augusti, Iustinus Imp. ex hac vita recessit, postquam expleuisset in Imperio annos tredecim ac menses nouem; licet Euagrius *a* tres amplius annos tribuat: sed alij ferme omnes nonnisi tredecim habent; de quo dictum est superius. Qui quidem Iustinus proxime moriturus, adstante Eutychio Patriarcha, & vniuerso Senatu, egregia Tiberium admonitione, quæ omnibus lacrymas extorsit, recitaturque ab Euagrio, Miscellæ auctore, atque Cedreno, hortatus est ad rectam Imperij administrationem. Verum confestim post ipsius obitum, Sophiam Augustam eius coniugem aduersus Tiberium conspirasse pro Iustiniano Duce Iustini nepote, quem in Imperium euehere ambiebat, sed re comperta Tiberium eam in ordinem redegisse, Iustinianum autem tantummodo obiurgatum maximo imposterum amore dilexisse, eundemque aduersus Persas cum exercitu immisisse; tradunt Gregorius *b* Turonensis, Paulus *c* diaconus, atque Theophanes in Miscella *d*. Cedrenus autem indicat Sophiæ aduersus Tiberium indignationem euenisse ex recenti manifestatione Anastasiæ Tiberij coniugis, quam Tiberius Augustam salutauit: quippe quod, cum Sophia ignorasset fuisse Tiberio vxorem, effecisset vt in Imperium proueheretur, quo post obitum Iustini ei nuberet. Additque, Tiberio in somnis Angelum prædixisse nomine sanctissimæ Trinitatis, tyrannos ipso regnante Imperium non inauaturos. Missos vero à diuersis regionibus legatos ad eum, & inter alios Chilpericum Francorum Regem id officij præstitisse, Gregorius narrat *e*. Sed quæ habet *f* de ingentibus thesauris diuinitus ei patefactis, ob insignem ipsius erga pauperes liberalitatem; quamuis adstipulatores repererit Paulum *g* diaconum, & alios recentiores Latinos; tamen miramur nullum ex Græcis eis suffragari, præter illa quæ habentur in Miscella *h* ex Theophane.

SOPHIA AVG. IN ORDINEM REDACTA

b *Greg. Tur. 5. hist. Fr. 30*

c *Paul. diac. 3. de gest. Long. 6.*

d *Misc. lib. 17.*

II. Hoc eodem anno, (vt ex S. Gregorio *i* Papa intelligere possumus, qui ea scribens tertio sui Pontificatus anno, accidisse ait ante quindecim annos) contigit *Quadraginta rusticos* à Longobardis tentos, martyrij coronam adipisci, quod noluerint carnes immolatitias comedere: itemque alios *Quadragimta captiuos* eandem gloriam consequi, quod recusauerint caput capræ diabolo sacrificatum adorare. Porro est etiam de eiusmodi veneratione capitis capræ immolati, eiusdem Pontificis *k* querela ad Reginam Francorum Brunichildem, contra nonnullos Gallos, qui licet Christiani essent, in ea tamen impietate perseuerarent.

i *Greg. Pap. 3. dial. 27. 28.* SVPERSTITIO DE CAPITE CAPRÆ.

k *Id. 7. ep. 7.*

Hoc ipso anno, cum pax inita inter Francorum Reges noui belli obice turbaretur, conspirantibus in Sigebertum Chilperico ac Guntheramno eiusdem fratribus; prælio Theodobertus filius Chilperici victus occisus est; sic pœnas luens nefandorum scelerum, quæ (vt vidimus) à militibus sibi subditis in Dei ecclesias & personas Ecclesiasti-

III. INTERFICITVR THEODOBERTVS REX FR.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cas perpetrari permiserat. Victor autem Sigebertus, cetera Rex optimus ac vere Christianissimus, ductus furore belli quod sæpe Jacessitus inuitus susceperat, cum Chilpericum Rotomagi obsideret, eiusque mortem (dissuadente frustra S. Germano Episcopo Parisiensi) meditaretur, ipse hoc eodem anno ætatis suæ quadragesimo, regni vero decimoquarto, dolo impiæ Fredegundis Chilperici vxoris, per sicarios simulantes aliquid ei secretius suggerere, gladiis veneno infectis percussus interiit: cui successit in regno Childebertus filius. Hæc pluribus Gregorius *l* Turonensis.

l *Greg. Tur. l.4. c.50. 51.*

IV.

m *Id. lib. 5. c.2. 14.* De Moroveo incestuoso.

Post recuperatum autem per Sigeberti mortem præter spem à Chilperico Regnum, accidisse idem auctor *m* tradit, vt maior natu ex alia coniuge Audouera ipsius filius nomine Moroueus, incestuosum contraxerit coniugium, quo sibi copulauit Brunichildem patrui sui Sigeberti relictam vxorem. Cuius rei gratia contra filium insurgēs pater, ipsum armis rem agentem, superatum captumque tonsurari iussit, & presbyterum factum relegauit in monasterium Cenomanicum. Vnde cum aufugisset ad basilicam S. Martini Turonos, minaciterque Gregorium Episcopum coëgisset sibi communionem imperiri; mandauit pater Chilpericus, vt inde tanquam apostata expelleretur; & negāte Gregorio Ecclesiasticas immunitates violari posse, exercitum eo misit, quo tota regio deuastata est: cum interea infelix Moroueus, consulta prius Pythonissa, quæ prospera ei cuncta promisit, postea vero appositis super S. Martini sepulchrum sacræ Scripturæ libris, Psalterij, Regum, & Euangeliorum, cum post tridui ieiunia atque vigilias, in fortuita eorundem librorum apertione, primi versus paginarum omnia sibi infausta portenderent; idem de rebus suis desperans fugam ad Brunichildem iniit, sed ab Austrasiis non est receptus. Hæc pluribus Gregorius; quæ tamen constat gesta ex parte esse anno sequenti. De eodem autem Gregorio illud admonendum; cum in reliquis laudandus semper extiterit multis de causis, in eo tamen haud imitandum esse, quod communionem impertiit apostatæ transfugæ habitus clericalis desertori, ad hominumque cædes parato; cum ipse maiori polleret auxilio, nempe patrocinio S. Martini, qui ad vlciscendas illatas personis vel locis suis iniurias continuo soleret tunc assurgere.

Ex fortuita S. Scripturæ apertione quæsita ventura.

V.

n *Ibid. c.8.*

o *Aimoin. lib.3.c.16.*

Hoc item anno S. Germanum mirificum illum Parisiensem Episcopum in cœlum migrasse, patet ex eodem *n* Gregorio: cuius vitam ac miracula descripsit Venantius Fortunatus; egregiumque eiusdem epitaphium à Chilperico Rege conscriptum Aimoinus *o* habet. Excultum namque fuisse ipsum Regem poëticis litteris, sed & addidisse Græca elementa Latinis, testantur iidem Gregorius & Fortunatus. Hocque insuper anno contigisse conuersionem Iudæorum qui Aruerni erant, Gregorius *p* tradit; cum videlicet diruta à populo Christiano eorum synagoga, S. Auitus eius ciuitatis Episcopus tam hortationibus quam minis eosdem ad fidem perduxit: ex Euangelij (vt putauit) præscripto, quo Dominus *q* monuit compellendos vi aliqua intrare in Ecclesiam remorantes; licet à S. Gregorio *r* Papa eiusmodi violentus progressus aduersus Iudæos, incensioque Synagogarum, minime comprobetur: sed neq; à recentioribus Scholasticis scriptoribus, vi extorquendam confessionem conceditur; quamuis non desint qui ex aduerso obnixe repugnent.

p *Greg. Tur. lib.5.c.11.* Iudæi vi coacti ad fidem

q *Luc.14.*

r *Greg. Pap. lib.1.ep.34. & 45. lib.3. ep.31. lib.4. ep.6 lib.7. ep.25. & 26 lib.11.ep.15.*

IESV CHRISTI AN. 580.

PELAG. II. AN. 3.

TIBERII II. AN. 2.

I. Concil. Paris. in causa Praetextati. Ro-

ANNO Domini quingentesimo octogesimo Indictionis decimætertiæ, agente Chilperico Francorum Rege cōuocata est SYNODVS PARISIENSIS in causa *Prætextati* Episcopi Rotomagensis, cui datum erat crimini à Rege, quod Moroueum rebellem ipsius filium, cum Brunichilde patrui relicta matrimonio coniunxisset, & cum eodem aduersus ipsum Regem coniurasset, ac demum pecunias quasdam regias surripuisset. Quæ licet meræ essent calumniæ ab impia Fredegunde Chilperici vxore in eum excogitatæ; eas tamen ipse Prætextatus diu ab aulicis tentātus, tandemque spe veniæ deceptus, turpiter nimis confessus est, ac post verbera relegatus fuit in insulam. Quomodo vero hæc gesta fuerint, pluribus narrat Gregorius *a* Turonensis, qui Synodo interfuit, & pars eius magna fuit, dum & aduersus ipsum Regem magno animo regulas Ecclesiasticas defendit. Addit autem, Moroueum hoc eodem anno Fredegundis artibus spontanea nece defunctum esse; id ipso exposcente à Galleno familiari, ne in manus inimicorum veniret.

TOM. AB EPISC.

a *Greg. Tur. 5. hist. Fr. 18*

II.

Hoc quoque eodem anno (vt idem refert *b* Gregorius) apud S. Martini sepulchrum fieri contigit, vt vinum in vase quodam positum mirum in modum auctum fuerit iniecta vnica gutta aquæ colligi solitæ ex eodem sepulchro. Ex quo miraculo longe lateque vulgato, aliisque eiusdem generis, accidisse videtur vt nomen S. Martini super vinum inuocaretur; illudque eo modo benedictum, atque mutuæ symbolo charitatis inuicem propinatum, in honorem eiusdem Sancti potarent. Sed quod tum pietas docuit, prauus vsus labefactauit, vt eius inuocatione non ex vino miracula, vt olim, sed ebrietates ex luxu soleant prouenire. Porro de vino, atque etiam pane, benedictione aliorum sacerdotum, his & superioribus, atque etiam posterioribus temporibus, mirum in modum multiplicatis, extant quoque apud S. Gregorium *c* Papam alioique exempla quamplurima.

b *Ibid. c. 21.* VINVM S. MARTINI. c *Greg. Pap. dial. lib. 1. c. 9. & lib. 3. c. 37. De quibus agit Baron. inter sit loci. Vide etiam sup. an. 577 num. 11.*

III.

Hoc insuper anno, Tiberij Imperatoris sexto ex quo cum Iustino regnare cœpit, tertio Nonas Octobris Pelagius Papa epistolam *d* scripsit ad Aunanium siue Auxanium Episcopum Arelatensem, vt suaderet Francorum Regibus opem ferre Romanæ Ecclesiæ Longobardorum incursionibus laboranti, & ab illorum confœderatione recedere.

d *Rec. Bar. Annal. Tō. VII. an. 584 insi. acceptam à Nicol. Fabro. Sed cur hic eam ponamus, vide sup. an. 575. post num. 1.*

IV.

Hoc quoque tempore cœptam constat *Baioariorum*, siue Boiorum, aut Bauarorum, è Gentilismo conuersionem ad fidem, annuntiante illis Euangelium viro sanctissimo RVPERTO Episcopo Vangionensi in Gallia; qui à Bercario loci Comite dira passus, solumque vertere coactus, Dei nutu ad Borealium conuersionem populorum accinctus, eo penetrauit cum aliis duodecim sacerdotibus. Quæ quidem cœpta hoc anno Childeberti Regis Francorum secundo, (vt eiusdem Ruperti Acta *e* testantur) in posteriores annos propagata noscuntur. Porro Childebertum, non Primum illum, Clodouei filium, qui regnare cœpit anno Domini quingentesimo decimoquarto, intelligendum esse, (vt putauit *f* qui Annales Boiorum scripsit) sed potius Secundum, qui post patrem suum Sigeberum regnare cœpit anno superiori, iam alias *g* testati sumus. Erat tunc Baioariæ Princeps *Theodo* huius nominis Tertius; cuius conuersionem reliqui ei subiecti sequuti, pariter effecti sunt Christiani. Vnde factum est vt ipse Rupertus *Baioariorum Apostolus* sit merito nuncupatus; qui remisso nuntio Ecclesiæ Vangionensi, erectaque cælestibus præuiis signis sede Saleburgensi, atque ibidem extructa ecclesia S. Petri, quo Apostolicæ Sedi obsequentem esse illum populum commoneret, eiusdem est nominatus primus Episcopus: vbi & sanctæ sorori *Erentrudæ* monasterium Ducis munificentia ædificauit sub nomine Beatissimæ Virginis MARIÆ. Ac denique post obitum ab Ecclesia inter Sanctos relatus, colitur die sexta ante Calendas Aprilis.

e *Apud Sur. 27. Mart. & Baron. an 590.*

f *Valent. Annal. Boior. lib. 3.*

g *Baron. in Notat. ad Mart. Rom. 27. Mart.*

RVPERTVS BAIOAR. APOST.

IESV CHRISTI AN. 581.

PELAG. II. AN. 4.

TIBERII II. AN. 3.

I.

ANNO Domini quingentesimo octogesimo primo, Indictionis decimæquartæ, Tiberius Augustus. Regem Persa-

PERSÆ A ROMANIS PENITVS DEVICTI.

rum Cosrhoën, post obitum Iustini Imperium Romanum inuadentem, per strenuissimos Duces, Iustinianum Iustini nepotem, de quo dictum est anno superiori, & Mauritium qui post Tiberium rexit Imperium, variis prælijs penitus profligauit, ipsamque Persidem devastauit: eoque mœroris adegit superbum Regem crebris victoriis elatum, vt miserabiliter mori coëgerit; legemque ante obitum ferre, ne Rex Persarum impositerum contra Romanos arma moueret. Cui in regno successit Hormisda ipsius filius. Narrant hæc pluribus Euagrius *a* & Agathias *b*: iste vero addit, Cosrhoën fuisse cunctis prædecessoribus Persarum Regibus anteponendum victoriis suis, vel ipsi etiam Cyro Cambysis. Quod autem eum ait regnasse annos quadraginta octo; quem Procopius *c* tunc viuens, & rerum Persicarum sciens, cœpisse ponit anno septimo Iustiniani Imperatoris, qui fuit Christi quingentesimus trigesimus tertius; vtique eum hoc anno Domini quingentesimo octogesimo primo decessisse oportuit. Eundem vero Euagrius *d* ex aliorum relatione tradit, sub extremum ætatis tempus diuino regenerationis lauacro tinctum fuisse.

a *Euagr. l.* 5 *c.* 14 15. *ap. Bar. an.* 579
b *Agath. lib.* 4.
c *Procop. ls. 1. de Bel. Pers.*
d *Euagr. li.* 4 *c.* 27.

COSRHOES PERS. REX FIT CHRISTIANVS. *Vide infr. an* 591. *n.* II.

Hoc eodem anno Tiberij Imp. tertio (vt ponit idem Euagrius *e*) Antiochia Syriæ ingenti terræmotu magna ex parte vastata est, & Daphne tota concidit. Sed & eadem ciuitas, necnon Constantinopolis, grauiter exagitatæ sunt occasione *Anatolii* cuiusdam plebeij hominis, qui malis artibus varios magistratus adeptus, Antiochiæ hostias secreto simulacris immolare deprehensus est. Qui vna cum sceleris consciis in quæstionem raptus, cum liberæ Iudicibus dimitteretur, obstitit populus grauissimo excitato tumultu; adeo vt etiam Gregorium eiusdem ciuitatis Antiochenæ Episcopum de tanti sceleris participatione accusauerit, ob familiaritatem quam Anatolius cum ipso habuerat. Quapropter Tiberius Imp. Anatolium cum suis Constantinopolim accersens, cum adhibitis aduersus eos tormentis nihil contra Episcopum expiscari valuisset, in ceteros vero reos nonnisi sententiam exilij tulisset; adeo Constantinopolitanus concitatus est populus, vt tum in eundem ipsum Imperatorem, tum etiam in Eutychium Patriarcham, aliosque Iudices, tanquam aduersus religionis Christianæ proditores insurrexerit. Actumque est tandem, vt cæteris quidem reis viuis à populo combustis, ipse Anatolius bestiis primum in Amphitheatro expositus ac dilaniatus, deinde in crucem actus fuerit; cuius inde corpus lupi in terram disturbantes (quod nunquam visum fuerat) membratim deuorarunt. Hæc pluribus Euagrius, qui & rem valde admirabilem habet de Imagine Beatissimæ Virginis, quæ erat in carcere Antiocheno; nimirum quod cum Anatolius ei supplicare velle ostenderet, ea ipsum veluti sacrilegum detestata, à se penitus abiecerit; rursumque addit, ipsam Deiparam Fidelibus nonnullis tum Antiochiæ tum Constantinopoli apparentem, eos contra scelestum illum concitasse.

e *Id. lib* 5. *c.* 17. 18. *Adde Niceph. lib.* 18. *c.* 3.

TVRBÆ ANTIOCH. ET CONSTANTINOP. OB IMPIETATEM ANATOLII.

Ap. Baron. an. 580 *sed vide sup. an.* 575. *post n.* 1.

S. DEI-GENITRIX AVERSATVR ANATOLIVM.

Hoc item anno (vt qui res Ecclesiæ Mediolanensis prosecuti sunt *f*. affirmant) Laurentius Iunior post Frontonem creatus est eiusdem Ecclesiæ Episcopus; moxque ad Pelagiũ Papam, vt in communionem Catholicam reciperetur, scripsit libellum, quo se in causa Trium Capitulorum Romanæ inhærere Ecclesiæ professus est. Cui quidem libello tum cõplures alij Senatores, tum ipse Gregorius qui postea fuit Romanus Pontifex, Vrbanam hoc tempore gerens Præfecturam, subscripsere; tanquam videlicet fideiussores Laurentij. ex quo intelligas cur idem Gregorius hunc libellum nominet Cautionem. Hæc autem cum ipsius Gregorij *g* testificatione manifesta sint; & ex iis nullus relinquatur locus asserendi ipsum ante præsentem annum, quo Vrbanam Præfecturam gerebat, potuisse esse monachum; vides quam longe ab historica veritate discrepet Ioannes diaconus, dum in Vita eiusdem S. Gregorij tradit, ipsum à Benedicto Papa Pelagij decessore creatum ex monacho fuisse Diaconum Cardinalem S.R.E. quem & fingit adhuc monachum existentẽ, ab eodem Benedicto missum esse in Britanniam ad conuersionem Anglorum. Haud enim mirum si idem Ioannes in enarrandis S. Gregorij rebus gestis interdum aberret, quem constat post Gregorium trecentis ferme annis vixisse.

III. *f Ranuin. & Galesin. in serie Episc. Med. ol*

g *Greg. 3 ep. 2 ad Const.* GREG. POSTEA PAPÆ, PRÆFECTVRA VRBIS.

IV.

Aggressuri itaque iam nos ordine temporum res tanti viri mirifice gestas recensere; ante omnia de ipsius genere dicimus, fuisse *h* ipsi atauum Felicem Romanum Pontificem, non quidem Quartum eius nominis, (vt existimauit Ioannes diaconus) sed Tertium, vt cum ratio temporis persuadet, tum etiam patria: siquidem Quartus Samnita fuit, Tertius vero Romanus, sicut & Gregorius; cuius pariter progenitores & antecessores liquet fuisse Romanos. Patrem autem eius Gordianum, matrem Siluiam vocatam esse; eosdemque pietatis cultores, omnes æque consentiunt: sed excelluisse *Siluiam* sanctitate, Ecclesiasticæ Tabulæ fidem faciunt. Ipsum vero excultum fuisse bonis literis, (quantum illud ferebat sæculum, ob diuturna bella æruginatum) tam ex ipsius scriptis, quam ex Gregorii *i* Turonensis eiusdem æqualis testificatione manifestum satis est. Sed & iuris scientiam apprime calluisse, ipse suis postea litteris *k* declarauit. Sicut & quod inter Senatores militauerit, Præfecturamq; Vrbanam hoc eodem tempore gesserit, ex ipsomet *l* constat; cum tamen (vt alibi *m* testatur) iam antea intus anhelare cœpisset ad solitudinem. Quæ illa putamus fuisse tempora, quibus ipse adhuc laicus existens sex monasteria in Sicilia, septimum Romæ erexit in Regione montis Cælij ad Cliuum Scauri, eademque dotauit, reliqua bona sua pauperibus erogans: vt testis est rerum Gregorij maxime conscius alter Gregorius *n* Episcopus Turonensis.

DE RIVS VITÆ PRIMORDIIS:

h *Id. l.* 4. *dial. c.* 6. *& hom. in Euang.* 38. *Martyr. Rom. in Fel. Quæ dere etiam Bar. Tom. VI. an.* 492. *in pr. & pluribus in Not. ad Roman. Mart.* 25. *Febr.*
i *Greg. Tur. lib. hist.* 2.
k *Greg. Pap.* 11. *ep.* 54.
l *Id.* 3 *ep.* 2.
m *Id. in præf. Moral.*
n *Greg. Tur. lib. hist.* 1.

V. ET INSTITVTIONE MONASTICA.

In eo pariter redarguendus est Ioannes diaconus, dum ait ipsum Gregorium vitam excoluisse monasticam primo sub Hilarione Abbate, inde vero sub Maximiano. Meminit enim ipse Gregorius *o* tantummodo Valentini, siue Valentionis, qui sibi in Monasterio suo præfuerit: & qui haud diu permissus est agere in monasterio, non alium Abbatem post Valentinu habuisse institutorem putamus. Sed & cum erecto ab ipso in Vrbe monasterio, non (vt multi existimarunt) e proxime positis Cassinatibus monachis, quibus post destructum à Longobardis cœnobium Cassinẽse, Romæ apud Lateranensem basilicam datum *p* fuerat monasterium; sed ex prouincia Valeria (atque haud dubium ex monasteriis S. Equitij quæ multa in ea prouincia habuit *q*; nec extra ea ibi eo tempore vlla alia fuisse reperiuntur) petitum primum illum Abbatem Valentinum, à quo & habitum ipse Gregorius, & regulas monasticæ conuersionis accepit, ex ipsius scriptis *r* manifestissime appareat: videant hinc, quo iure nonnulli tradant fuisse Gregorium institutionis S. Benedicti professorem; cum ipsum S. Equitium constet ante S. Benedictum in dicta prouincia monasteria extruxisse, congregasseq; iam monachos cũ S. Benedictus petiit eremum. Ceterum eundem Gregorium vixdum monasterium ingressum, Pelagius Papa repente illinc inuitum ac nolentem abstraxit, & diaconum S.R.E. ordinatum, Apocrisiarium misit Constantinopolim; vt ex ipsius Gregorij *s* ad Leandrum testificatione certum redditur. Non enim nisi Diaconis eiusmodi munus credi consueuisse, idem postea ad Phocam Imperatorem scribens *t* docet. Liquet tamen eum, arreptum semel monasticum institutum nunquam deseruisse: quem & in ea peregrinatione multos secum duxisse monachos quibuscum viueret, ipse ad eundem Leandrum testatur; & reuersum Romam, in suum monasterium rediisse visuri sumus.

o *Greg. Pap.* 4. *dial.* 21.

p *Id. lib.* 2. *dial. in pr. & c.* 17. *& 4. ep.* 34. *ad Const. Aug.*
q *Id.* 2. *dial.* 3. *in fin.* 11. *dial.* 4. *& lib.* 3. *c.* 22. *& lib.* 4. *c.* 21.

Id. prof. in Moral. ep. Baron. an. 583.
t 11. *ep.* 43.

[Scias, Lector, ea quæ Baronius habet de tempore monachatus S. Gregorii, deque eiusdem professione sub instituto S. Equitii, non autem S. Benedicti, ac de aliis quæstionibus eo pertinentibus, acriter impugnata fuisse à nonnullis monachis Ordinis S. Benedicti; sed eadem satis valide defensa ab *Antonio Gallonio* Congregationis Oratorii, Apologia Romæ edita anno 1604. aduersus Constant. Bellotum, ipso adhuc Illustrissimo Card. superstite, & approbante. Post cuius obitum scripserunt & alii eandem terram reciprocantes; sed qui vt plurimum leuibus potius nitantur coniecturis, quam grauibus rationibus. Nec vero tantummodo S. Gregorium sibi monachos Benedictinos vendicare, sed & alios qui nihil penitus ad ipsos pertinuerunt, iam variis locis visum est superius, 494, V. 502. VIII. Quasi non sat habeat nobilissimus Ordo legitimorum liberorum, nisi & supposititios sibi vndique nundinetur. Verum nihil nos de istis iudicamus, qui sensa dumtaxat Baronii referenda suscepimus.]

VI.

Hoc item anno cœpta iam Indictione decimaquinta, euocatione Regis Francorum Guntheramni, sub Priico Lugdunensi Archiepiscopo, Calendis Nouembris celebrata est Prima SYNODVS MATISCONENSIS, vt eius Acta *u* testantur; licet illic corrupte dicatur coacta anno duodecimo

u *Conc. Matisconens.*

CONCIL. MATISC. I.

cimo dicti Regis: nam si (vt ibidem asseritur) decimaquinta Indictione celebrata fuerit, non duodecimo, sed decimoseptimo id accidisse oportuit. Extant eiusdem Synodi canones decem & nouem ab vno & viginti Episcopis sanciti; iidemque omnes ad morum emendationem, Ecclesiasticamque disciplinam spectantes, complures vero ad Iudæorum petulantiam coërcendam. Interque alia actum ibi *x* de Quadragesima dicta S. Martini, trium dierum in hebdomada, nempe secundæ, quartæ, & sextæ feriæ, à Festo S. Martini vsque ad Natalem Domini ieiuniis obseruanda. Fuisse autem in Galliis huiusmodi ieiunia primum instituta à S. Perpetuo Turonensi Episcopo, Gregorius *y* eiusdem Ecclesiæ Antistes docet. Fluxit vero inde, vt nonnulli Fidelium ipsum integrum tempus Aduentus, quod Natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato transigerent.

x *Ibid. c. 9.* DE QVADRAGESIMA S. MART.

y *Greg. Tur. 10. hist. 31.*

VII. EVLOGIVS EPISCOP. ALEX.

Eodem quoque anno defuncto Ioanne Episcopo Alexandrino cum sedisset annos vndecim, in locum eius suffectus est *S. Eulogius*. Hæc ex Nicephori Chronico: deque eodem Euagrius *z*, & alij. Sed & meminit eiusdem cum laude sæpe in suis epistolis S. Gregorius Papa; ageturque pluries de eo inferius.

z *Euagr. lib. 5. c. 16.*

IESV CHRISTI AN. 582.

PELAG. II. AN. 5.

TIBERII II. AN. 4.

I.

ANNO Domini quingentesimo octogesimo secundo, Indictionis decimæquintæ, qui quartus Childeberti Frãcorum Regis, ac decimus octauus Guntheramni ipsius patrui habetur, eiusdem Guntheramni iussu celebrata *a* est Prima SYNODVS CABILONENSIS in causa Sagittarij & Salonij Episcoporum, de quibus est superius actum. Qui in ea Synodo accusati de adulteriis atq; homicidiis, sed & rei maiestatis constituti, & patriæ proditores, ab Episcopatu deiecti sunt.

a *Greg. Tur. 5 hist. Fran. 17.* CONCIL. CABILON. I. IN CAVSA PRAVOR. EPISC.

IESV CHRISTI AN. 583.

PELAG. II. AN. 6.

MAVRITII AN. 1.

I.

ANNO Domini quingentesimo octogesimo tertio, Indictionis primæ, mense Aprilis, die octaua post Pascha, Eutychius * Constantinopolitanus Episcopus ex hac vita migrauit, cum post reuocationem ab exilio sedisset annos quatuor & sex menses; vt prætet alios asserit qui interfuit Eustathius *a* in eius Rebus gestis. Cum vero paulo ante quam in morbum incideret, commentarium edidisset de Resurrectione carnis, quo cum firmiter aduersus Gentiles & hæreticos eam astrueret, ex Origenis tamen erroribus asseret fore eam absque carne palpabili; Gregorius diaconus Apostolicæ Sedis Aprocrisiarius, ipso conuento atque admonito, post multam inter eos disputationem, interueniente Tiberio Imperatore, liber ille combustus est, & Eutychius errorem agnouit: qui & ægrotans, quandocunque noti Gregorij ad eum salutationis gratia pergebant, pellem manus suæ tenens dicebat: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*: quod omnino prius negare consueuerat. Refert hæc pluribus ipse Gregorius *b*, quæ Eustathius dissimulauit. Ceterum haud valuit næuus iste, vel quantauis macula, quam cito absterserit, Eutychij animæ labefactare pulchritudinem: vt non immerito Græci eum vt Sanctum colant, anniuersariaque die eiusdem natale celebrent.

a *Ap. Baron. an. 586. sid v. in sup. an. 575. post num. 1.*

b *Greg. 14. Moral. 29.*

c *Menolog Græc.*

II. IOAN. IEIVNATOR HYPOCRI.

Ei vero suffectus est *Ioannes* quidam monachus, cognomento *Ieiunator*: cui tamen (vt Eustathius tradit) Eutychius adhuc viuens haud voluit suo elogio suffragari, cum ægrotans ab Imperatore de successore requireretur; vtpote qui nihil boni præuideret de homine, qui ex iugi omnibus noto ieiunio popularem captãs auram, eadem inflatus intumuisset. Cuiusmodi etiam ductus hypocrisi, cum ad Episcopatum quæreretur, fugam simulans, nonnisi coactus eum suscipere videri voluit; vt ei postea S. Gregorius *d* exprobrauit, cum per superbiam suam ille Ecclesiam subuertere conatus est, sicut videbitur inferius suis locis.

SI SVA ADIPISCITVR SED. CONST.

d *Id. l. ep. 4. & 4. ep. 38.*

Vbi autem ab obitu Eutychij quatuor fuissent menses elapsi, mortuus est quoque Tiberius Imperator mense Augusto, cum regnasset solus annos quatuor, totidemque cum Iustino vno minus mense: prout testatur Euagrius *e*, aliique fere consentiunt. Proxime vero moriturus, Imperium publice Mauritio tradidit; quem iam antea Comitem Excubitorum, & Magistrũ militiæ creatum, postea etiam victorem à debellatione Persarum, aliorumque barbarorum redeuntem, Cæsarem dixerat: cui & vna cum Imperio, suum quoque nomen impertiuit, vt diceretur MAVRITIVS TIBERIVS; ac filiam suam Augustam, à suo pariter cognomine *Constantinam* dictam (nam & ipse, *Tiberius Constantinus* dici voluerat) in vxorem tradidit: vt hæc omnia pluribus prosecuti sunt Euagrius *f*, Nicephorus *g*, & alij; qui & eiusdem Mauritij fortitudinem, pietatem, aliasque insignes virtutes mirifice laudarunt: præsagia vero diuina futuri eius Imperij recensent idem Euagrius *h*: illudque ipsum fuisse ei prænunciatum à SS. Theodoro Sicæota Archimandrita, & Eutychio Constantinopolitano Episcopo, testantur Acta *i* rerum ab iisdem Sanctis gestarum, in quibus æque commendatur eiusdem Mauritij eximius religionis cultus. Porro ipsum ab antiqua Roma genus & nomen traxisse, sed ob parentes ex quibus proxime oriundus esset, Arabissum vrbem Cappadociæ patriam agnouisse, Euagrius *k* tradit: additque ipsius cum Augusta Constantina nuptiis (quod nulli ante Imperatori euenisse aliquando traditum esset) vtrumque eiusdem parentem decora canicie venerandum, ac fratres forma eximios interfuisse.

III. TIBERII IMP. OBITVS.

e *Euagr. li. 5. c. 13.*

MAVRITIVS IMP.

f *Id lib. 5 c. 19. & seqq.*

g *Nicepho. lib. 18. c. 6.*

h *Euagr. lib. c. 21.*

i *Ap Sur. 6. & 26. Aprilis.*

k *Euagr. lib 5. c. 19. & lib. 6. c. 1.*

Eundem autem hoc anno imperare cœpisse, non solum quæ de tempore obitus Tiberij ab Eustathio qui præsens fuit dicta sunt, manifeste docent; sed & apertissime confirmatur ex eo quod in epistolis *l* S. Gregorij Papæ adnotatum est, anno secundo ipsius Pontificatus, siue Christi anno quingẽtesimo nonagesimo primo, fuisse septimum annum Consulatus, seu Post Consulatum Mauritij, quem certum est omnium sententia incidisse anno secundo eiusdem Imperij. Et adhuc apertius ex aliis monumentis publicis, cum apud eundem S. Gregorium *m*, vbi annus Imperij Mauritij decimustertius iungitur cum Indictione pariter decimatertia, tum apud Bedam *n*, vbi æque eiusdem Imperatoris annus decimusquartus iungitur cum Indictione decimaquarta, cum hoc anno, quo ipsum inchoasse Imperium ponimus, fuerit etiam Indictio prima. Asserit id ipsum & Gregorius *o* Tunonensis, huius temporis scriptor, dum Tiberij exitum, & Mauritij ingressum ponit anno Childeberti Francorum Regis octauo: idemque superius *p* dixit, eo anno vltimum Ianuarij fuisse Dominicum diem, quo Dominicalis litera fuit C. quam certum est cadere in præsentem annum Domini quingentesimum octogesimum tertium, (Sed quod ad annos Childeberti pertinet; apparet errorem illapsum in Gregorium, dum octauus ibi numeratur qui dumtaxat quintus dici debuit.) Denique cum ex ipsa Mauritiana historia, auctore Theophylacto cognomento Simocato antiquitus scripta, aliisque tam Græcis quam Latinis historicis, constet Mauritium peruenisse ad annum Imperij vigesimum; & certum sit tempus obitus eius, & ingressum Phocæ ipsius successoris, accidisse anno Christi sexcentesimo secundo mense Nouembri; vtique affirmandum est eum imperare cœpisse hoc eodem anno Christi quingentesimo octogesimo tertio, quo Tiberius mense Augusto defunctus est.

IV. DE TEMPORE INGRESSVS MAVRITII.

l *Greg lib. 2. Reg. in pr.*

m *Id. 4. ep. 44.*

n *Bed. de gest. Angel. lib. 1. c. 23.*

o *Greg. Tur. lib. 6. c. 30. hist. Franc.*

p *Ibid. c. 25.*

[Ingressum Mauritii in Imperium, antea Baronius collocauerat ann. 586. Sed postea re accuratius considerata, in Append. Tomi XII. voluit in hunc annum referri, iis partim motus rationibus, quæ præcedendi §. continentur. Apposuimus enim & nos quædam in eius sententiæ confirmationem, quæ minime apud eum reperiebamus. Sed & meminisse debes eorum quæ diximus eadem occasione superius ad ann. 575. I. nempe ex huiusmodi correctionibus Baronii,

transferendas à nobis fuisse in alios annos, quam in Tomis ipsius Baronii habeantur, res eas gestas, quæ pendent ex chronologia Tiberii & Mauritii Imp. notatis tamen in margine locis, quibus eas apud Baronium reperire sit]

V. CONCIL. BRENNAC. IN CAVSA GREG. TVRON.

Hoc item anno, qui quintus (vt diximus) numeratur Childeberti Iunioris Francorum Regis, habita est in Gallia SYNODVS BRENNACENSIS; cuius aliquot extant apud Gregorium *q* Turonensem Episcopum monumenta: nam celebrata ipsa est in causa ipsius Gregorij, cum falso reus factus esset, quod Fredegundem vxorem Chilperici Regis infamasset de commixtione cum Bertheramno Burdegalensi Episcopo. Ea vero de re cum ex sententia Synodi Gregorius, celebratis Missis in tribus altaribus, & addito iuramento, se purgasset; accusatores eius excommunicati ac pœnis subiecti fuere: Rex vero Chilpericus eidem reconciliatus, ipsius etiam benedictionem *r* expetiit, quem paulo ante reum maiestatis constituisset. Scripsit quoque de hac Synodo carmen Venantius *s* Fortunatus, quo & cecinit laudes Chilperici & Fredegundis, & quidem puro intuitu charitatis, vt è domo regia manantem ex impudica Regina fœtorem veluti plurimo effuso balsamo effugaret. Verum qui non secundum faciem iudicat Deus, aduersus eosdem Chilpericum & Fredegundem durissimam mox sententiam protulit, qua ipsos duobus Filiis *t* Clodoberto, & Dagoberto, grauissima lue tunc Gallias deuastante extinctis, priuauit: quibus adhuc ægrotantibus, vt simulata aliqua pœnitentia eos à periculo Fredegundis liberaret, omnia incendit debitorum iniusta nomina, idque ipsum agendi Chilperico auctrix extitit. Sed liberis paulo post extinctis, & ipsa in consueta peccata recidens, nouercali odio commota in Clodoueum, Chilperici ex priori vxore Audouera filium, eundem in suspicionem adductum quod in eam aliquid moliretur, detrusum in carcerem gladio feriri curauit, euulgans ipsum obnoxium culpæ sibi necem intulisse. quam rem gestam Gregorius *u* narrat. Additque de alia Francorum Regina, coniuge Guntheramni germani Chilperici, hac eadem peste defuncta, ipsam cernentem se euadere non posse, Herodiano more Regem petiisse, & cũ iuramenti interpositione adiurasse, vt cum primum ipsa decessisset, medicos qui eam curauerant (quasi potiones lethiferas ab iis accepisset) gladio perimeret, vt esset vnus dolor regiis pariter & medicorum amicis, & in eius exequiis aliorum quoq; funera plangerentur. Quod & Regem præstitisse ait.

q Id. lib. 5. c. 47. & seq.

r Id. lib. 6. c. 5.

s Fortun. carm. lib. 9.

t Greg. Tur. lib. 5. c. 34. EREDEGVNDIS SCELERA.

u Ibid. c. 39.

VI. S. MARTINI BRACAR. OBITVS.

Hoc eodem anno Childeberti quinto (vt ex eodem Gregorio *x* constat) Martinus ille de quo superius, insignis Bracarensis Episcopus, ex hac vita migrauit, postquam triginta circiter annos sedisset, vt idem auctor tradit: qua ratione dicendus esset inchoatus eius Episcopatus circa annum Domini quingentesimum quinquagesium tertium. Verum alij eius in Hispanias aduentum referunt tantummodo ad annũ quingentesimum sexagesimũ: cui sententiæ magis inhæsimus, quod ex Actis Concilij Bracarensis Secundi, tum nota Æræ, tum numero annorum Ariamiri Regis sibi vendicet auctoritatem. Dies autem qua tantus vir, cui multum debet Hispania, ad cœlum migrauit, celebratur ab Ecclesia ad decimum tertium Calendas Aprilis. De cuius etiam mirificis laudibus, extat egregium Venantij *y* Fortunati carmen.

x Ibid. c. 37.

y Fortun. carm. l. b. 5.

VII. PERSECVTIO EXCITATA A LEWIGILDO.

Hoc item anno, teste eodem Gregorio *z*, qui (vt numerat) quintus est Childeberti Regis, dira persecutio in Hispania excitata est a Lewigildo Rege Ariano aduersus Catholicos; qua (vt ait) multi exiliis damnati, facultatibus priuati, facie decocti, carceri mancipati, verberibus affecti, ac diuersis suppliciis trucidati sunt. Sed & Isidorus *a* breuiter & ipse eandem persecutionem perstringens, multos è Catholicis ait in Arianam perfidiam terroribus impulsos esse, ac plerosque sine persecutione illectos auro rebusque deceptos; nec solum ex plebe, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium ex Cæsaraugustano Episcopo apostatam factum. Quæ vero recentior huius persecutionis causa præcesserit, idem Gregorius hanc recenset; nimirum quod cum Lewigildi filius primogenitus nomine Herminigildus, vxorem duxisset Ingundem Sigeberti Francorum Regis ex Brunichilde coniuge filiam; hæcque fide Catholica præstans, à Goisuintha Regina (Athanagildi olim vxore, matre vero Brunichildis, ac proinde ipsius Ingundis auia, quæ demum Lewigildo nupserat) Arianam impietatem amplecti sæpius solicitata, omnino acquiescere recusasset; ideoq; ab eadem pessime habita, ac calcibus etiam ad sanguinem vsque verberata, denique per vim more Arianorum rebaptizata esset: haud tamen ipsa animum à fide diuertens, tantum etiam apud Herminigildum maritum continuis hortationibus suis profecerit, vt & ipse relicta hæresi religionem Catholicam sit professus: ea vero de re iratus Lewigildus, bello filium persequi, simulque Ecclesiam vexare cœperit.

z Greg. l. 5. h. f. 38.

INGVNDIS REGINÆ EGREGIA CONFESSIO.

Porro Herminigildus viribus patris impar, non solum Græcos qui in Hispaniis (vt vidimus) pro Imperio Romano aduersus Gothos militabant, sibi sociauit *b*, sed etiam ad aliud obtinendum auxilium, Legatum ad Imperatorem Cõstantinopolim misit S. Leandrum Hispalensem Episcopum, doctrina & pietate clarum: quem & ipsum Herminigildi conuersioni plurimum contulisse, qui prosecuti sunt res Hispaniarum tradunt, confirmatque S. Gregorius *c* Papa, cui tunc ea ratione contigit eiusdem cognitionem habere, cum ipse ageret (vt diximus) apud Imperatorem Sedis Apostolicæ Apocrisiarium: quando & eodem adnitente Leandro opus aggressus est *Moralium expositionum in librum Iob*, quod absolutum primo sui Pontificatus anno ad illum id expetentem misit: vt de his omnibus constat ex ipsius tunc scriptis literis *d*.

VIII. HERMINIGILDVS PRO DEFENSIONE RELIG. ARMA PARAT CONTRA PATREM.

b Greg. d. c. 38.

c Greg. Pap. 3. dial. 31.

d Id. 1. ep 41. & præf. comment. in Iob.

Quod autem ad bellum inter patrem filiumque spectat: perduasse illud variis casibus ad aliquot annos, ex Gregorio Turonensi, aliisque apparet: qui etiam docet quam prauis artibus Lewigildus apud Chilpericum & Fredegundẽ egerit, ne Childebertus Ingundis frater, & Guntheramnus Reges, exercitus quos paratos ad inuadendam Hispaniam haberent, eo dirigerẽt. Qui vero tandem exitus belli fuerit, dicetur suo loco. Sed quam multa eodem tempore & ingẽtia miracula variis locis fieri contigerit in confirmationem fidei Catholicæ, & confusionem impietatis Arianæ, cum & nonnunquam ipsius sectatores videri vellent æque auctoritatẽ habere prodigia edendi, idem Gregorius *e* scriptis suis memorat: & inter alia de duobus Arianis; qui cum disputatione persuaderi à Catholicis non valerent, ad miraculorum editionem prouocati, insigniter confusi permanserunt; necnon de Episcopo æque Ariano, qui velut alter Cyrola, cæcum illuminare videri volens, hominem probe videntem, pecunia ad fraudem illectum, spe diuinitus deceptus, cæcum penitus reddidit. Recitat insuper Gregorius *f* disputationem, quam ipse habuit de fide aduersus Legatum quendam Arianum, missum à Lewigildo ad Chilpericum. Ac denique de eodem Chilperico addit; cum & ipse ferretur præceps ad insectandam Arianam hæresim, transgressum limitem, in Sabellianissimum impegisse, sed ab eo mox per ipsum Gregorium, & S. Saluium Albigensem Episcopum abductum fuisse, ac rectæ fidei restitutum.

IX. MIRACVLA IN CONFIRMATIONEM FIDEI

e Greg. Tur. de glor. Confess. c. 12. 13 14. de glor. mart. lib. 1. c. 79. 80. 81.

f Lib. 5. hist. Fran. 43.

IESV CHRISTI AN. 584.

PELAG. II. AN. 7.

MAVRITII AN. 2.

ANno Christi quingentesimo octogesimo quarto, Indictionis secundæ, qui sextus numeratur Childeberti Francorum Regis, per Igidium Rhemensem Episcopum, & alios collegas legatos, compositæ sunt res Francorum, pace inter Reges stabilita ea conditione, vt post obitum Chilperici Childebertus ei heres in vniuerso regno succederet. Habet ista Gregorius *a*.

I.

a Id. lib. 6. c. 5. & 31.

Eodem anno, Indictione iam incipiente tertia, quarto Nonas Octobris, Pelagius Papa admodum fatigatus Longobardorum assiduis bellis, post fœdus cum illis initum iureiurando perfracto iterum rediuiuis, ab Imperatore auxilium petiturus, Honoratum Notarium Constantinopolim legauit, eique ea de re ad Gregorium diaconum adhuc ibi Apocrisiarium agentem litteras *b* dedit. Vnde forte accidit, vt Mauritius Legatos ad Childeberum Francorum Regem

II. PELAG. PP. PETIT AVXILIVM CONTRA LONGOB.

b Pelag. ep. 3

misérit

miserit cum pecuniis, solicitans eum ad bellum aduersus Longobardos suscipiendum: Cum Childebertus parum liberaliter in his agens, misso tamen demum exercitu ad inuadendam Italiam, discordia Ducum rem infectam dimisit. quæ pluribus narrat Gregorius *c* Turonensis.

Sed quod ad Gregorium S. R. E. diaconum spectat; fuit ipse post hæc reuocatus Romam à Pelago Pontifice, qui ex more ad nouum Imperatorem Mauritium, nouum Apocrisiarum misit Laurentium eiusdem Ecclesiæ Archidiaconū; vt ipse testatur Gregorius *d*. Qui quidem ea occasione Romam rediens, secum detulit ab Imperatore dono acceptas *e* sacrosanctas Reliquias Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ, nempe illius brachium, & istius caput: quæ monasterio suo Romæ ad Cliuum Scauri ab eo olim erecto recōdidit; quod & inde S. Andreæ dictum esse *f* constat. Sed & ipsum Romam reuersum, iterum se eidem monasterio inclusisse, eidemque ipsummet vt Abbatem præfuisse vsque ad electionem suam in Romanum Pontificem; idem ipse satis aperte docet, dum in suis Dialogis *g* narrat historiam de monacho proprietario defuncto, in quem vt Abbas pœnam irrogauit vt sepeliretur in sterquilinio.

Interea vero aduersus ingruentes ob Tria Capitula schismaticos, iussu Pelagij Papæ stylum exercens, librum ea de re scripsit, quem Pelagius misit ad Eliam Aquileiensem Episcopum, Paulini de quo superius successorem. Testatur id Paulus *h* diaconus qui librum illum Epistolam *i* vocat. Eiusdem enim plane fuisse generis visa est, cuius erat Epistola S. Leonis ad Flauianum; quæ cum epistolæ nomine scripta esset, eadem diceretur & Tomus ob sui amplitudinem: nam & ipsa Pelagij epistola etiam à S. Gregorio Liber est nuncupata, cum eandem postea ad Hibernos *k* æque scismaticos transmittens, ex modestia totam Pelagio tribuit, nihil sibi arrogans laboris à se in ea scribenda suscepti. Cete rum Paulus de his agens in eo errat, dum ait Eliam Aquileiensem redargutum esse à Pelagio, quod nollet suscipere Tria Capitula; cum econtra liqueat eum caput fuisse schismaticorum, qui damnationi Capitulorum consentire recusarent. Sicut & in eo corrigendus *l* est, dum Eliæ obitum, & successionē Seueri, ad illa refert tempora, quibus S. Gregorius Augustinum in Angliam misit; cum id non solum ceteris auctoribus *m* omnibus, anno Domini quingentesimo octogesimo sexto ponentibus Eliæ obitum, aduertatur; sed & ipsi Gregorio, qui Seuerum sedisse antequam ipse Gregorius esset Pontifex, significat literis *n* ad eum scriptis anno primo sui Pontificatus.

c Greg. Tur. lib 8. c. 30. 38. Habet vero Baronius an. 588. Sed vide sup. an. 585. post num. IV.

III. GREG. DIAC. ROMAM REVERTITVR.

d Greg. Pap. 4. ep. 38. & lib. 2. ep. 51. in fr.

e Ita habet cod. Vatic. nu. 1353 pag. 1.

f Greg. Pap. 9. ep. 22. ad Prob.

g lib. 4. dial. 55.

IV. SCRIBIT ADVERSVS TRIA CAP.

h Paul. diacon. de gest. Long. lib. 3. c. 10.

i Recitat illam valde prolixam Bar. Tom. VII. an. 586. quæ cum alias duabus breuioribus eiusdem Pelagii Papæ nomine ab eodem Gregorio antea scriptis ad eundem Eliam atque vniuersos Istriæ Episc. acceptas emunt à Nic. Fabro Paris.

k Greg. 2. ep. 36.

l Paul. diac. lib. 3. c. 12.

m Panuin. Rubeus hist. Raven. lib. 4.

n Greg. 1. ep. 6.

IESV CHRISTI AN. 585.

PELAG. II. AN. 8.

MAVRITII AN. 3.

ANNO Domini quingentesimo octogesimo quinto, Indictionis tertiæ, Mauritij Imp. anno secundo cœpto à mense Augusti anni superioris, idem Imperator (vt Cedrenus & alij testantur) Consulatum absque collega suscepit; ita vt reliqui eius Imperij anni, ab eodem Consulatu nomen multiplicato nomine sortirentur: quod in aliquibus eius temporis monumentis obseruatum videbis inferius. Quo eodem anno Mauritij secundo idem Cedrenus ponit, quosdam Græcos cum inter prandendum conuicia in sanctissimam Virginem Deiparam iecissent, illico à malis spiritibus correptos pœnas dedisse; domino vero domus in qua prandissent, ipsam Deiparam in somnis virgula pedes incidisse.

I. BLASPHEMI IN MARIAM VIRG. PVNITI.

Ap. Baron. an. 587. sed vide sup. an. 585. post. num. IV.

Quod ad res pertinet Occidentis; hoc eodem anno Longobardi, cum per decennium sine Rege sub Ducibus extitissent, regiminis eiusmodi sine capite iam pertæsi, initis vna comitiis, Regem vt antea crearunt; delectusque est ex omnibus, Clephonis vltimi Regis filius nomine *Antharith*: sed barbaricum nomen nimis asperum, cognominis *Flauii* lenitate delinierunt; quo prænomine omnes qui postea fuere Longobardorum Reges vsi sunt. In noui vero Regis, eiusque ministrorum sustentationem, Duces qui tunc erant, omnis substantiæ suæ medietatem regalibus vsibus tribuerunt. Hæc omnia Paulus *a* diaconus. Porro sub hoc Antharith miraculum illud accidisse noscitur, quod Papa Gregorius *b* narrat de Claue aurea S. Petri Apostoli; quam cum miles quidem Longobardus Arianus in Transpadanis partibus inuentam cultello incidere voluisset, illum ipsum cultellum arreptus per spiritum sibi in gutture defigens, misere periit. Quo miraculo Antharith contentus, aliam auream clauem conficiens, eam cum illa priori ad Pelagium Papam transmisit. Hæc Gregorius. Sed quod per clauem possessio designatur, illud per illam clauium missionem significatum fuisse posset exeuentis asseri, non tantum à Lōgobardis Vrbem non capiendam, sed & ipsos omnes cum sua ditione Romano Pontifici parituros. Vnde merito his diebus Venantius *c* Fortunatus laudes celebrans Apostolorum Petri & Pauli, inter alia egit de ipsorum patrocinio, quo munierunt Vrbem ne à Longobardis caperetur: quod & ingenue alibi idem Gregorius *d* fassus est.

Hoc eodem anno Childeberti Francorum Regis septimo, Chilpericus Rex ad Iudæorum conuersionem addicēs animum, complures eorum ad fidem conuersos baptismo suscepit; sed dum alios adigere vellet, multarum cædium occasionem præbuit. quæ pluribus recensēt Gregorius *e* Turonensis.

a Paul. diac. 3. de gest. Long. 8.

b Greg. 6. ep. 23.

DE CLAVE S. PETRI GRANDE MIRACVLVM.

c Fortun. lib. 3. carm.

d Greg. 7. ep. 25.

III.

e Greg. Tur. 6 hist. Fran. 17.

IESV CHRISTI AN. 586.

PELAG. II. AN. 9.

MAVRITII AN. 4.

ANNO Christi quingentesimo octogesimo sexto, Indictionis quartæ, quo Mauritij Imperij annus tertius finitur & quartus inchoatur mense Augusti, traditur apud Miscellæ *a* auctorem & Cedrenum *b*, Philippicum Orientis Præfectum, Ducemque exercitus, cui Mauritius sororem suam Gordiam in matrimonium collocauerat, admirabilem consecutum esse victoriam aduersus Persas ope sanctissimæ imaginis Saluatoris ἀχειροποίητου, id est, Non-manufactæ, quam ad Abgarum Edessæ Regem à Christo missam prodidere veteres; de qua, eiusque miraculis, iam dictum superius. Cum & alioqui tanta hæc videri potuisset Deus præstitisse Christiano eidemque Catholico exercitui, ad confutandum vanum magorum vaticinium, quo Regi Persarum victoriam de Romanis polliciti erant; vt iidem auctores referunt. De Philippici vero strenuissimi Ducis rebus aduersus Imperij Romani hostes præclare gestis, agit etiam Euagrius *c*.

I.

a Miscel. lib. 17.

b Cedr. in Annal.

INSIGNIS VICTORIA VIRTVTE IMAG. SALVAT. Ap. Baron. an. 589. sed vide sup. an. 583. post num. IV.

c Euagr. lib. 6. c. 3. 12. 13.

Hoc eodem tempore, cum præparatum Gregorij S. R. E. diaconi industria aduersus schismaticos Trium Capitulorum defensores pharmacum, de quo dictum est ante superiorem annum, Pelagius Papa minime profuisse cognouisset; idem Pelagium Pontificem Seniorem imitatus, qui eosdem schismaticos per Narsetem Ducem compescere laborauerat, Smaragdum Italiæ Exarchum aduersus illos excitauit: qui quidem impigre ei obsecutus, Rauenna Gradum properans, Seuerum Aquileiensem Episcopum schismatici corum caput, vna cum tribus aliis Istriæ Episcopis Rauennam deduxit, ac vi compulit communicare cum Ioanne illius ciuitatis Episcopo Trium Capitulorum damnatore; sicque post annum ad Ecclesias suas redire permisit, sed mox iidem cum iam à reliquis Episcopis Istriæ schismaticis, aut à populo minime reciperentur, in pristinum schisma relapsi sunt. Habet ista pluribus Paulus *d* diaconus. Quem tamen hic lector attendat grauissime in errorem lapsum (quod & superius attigimus) aliis quoque recentioribus *e* errandi occasionem fuisse, dum historiæ de Tribus Capitulis penitus ignarus, putauit eorum damnatores fuisse schismaticos. Ex quo factum est, vt in deuium semel immisso pede, iidem implicati teneantur aliis multis erroribus: veluti cum dicunt Ioannem Rauennatem Episcopum à communione

II. PELAG. PP. COMMOVET EXARCHVM ADVERSVS SCHISMATICOS.

d Paul. diac. lib. 3. c. 12.

e S. Gou. de reg. Ital. lib. 3. Hist. Rub. lib. 4. hist. Rauen.

ERROR PAVLI DIAC. IN HISTOR. DE TRIB. CAPP.

Ecclesiæ Romanæ defecisse, & Smaragdum exarchum Catholicos Episcopos persecutum esse, atque alia eiusmodi vetitati penitus repugnantia; Catholicos vocantes schismaticos, schismaticos autem inter Catholicos numerantes: cum tamen præter ea quæ superius à nobis dicta sunt, constet ex epistola quam Gregorius *f* Papa ad eundem Ioannem Rauennatem postea scripsit, ipsum Ioannem strenue laborasse aduersus eosdem schismaticos in Italia agentes. Est vero etiam libellus *g* eorundem Episcoporum schismaticorum Istriæ & Venetiarum, oblatus Mauritio Imperatori aduersus Gregorium Papam, quo hæc omnia de Smaragdo & Seuero, deque Seueri prædecessore Elia, aliisque rebus eo spectantibus, dilucidius explicantur.

f Greg. 2. ep. 32.

g Rec. Bar. Annal. Tō. VIII. an. 590. accepium a Nic. Fabro.

IESV CHRISTI AN. 587.

PELAG. II. AN. 10.

MAVRITII AN. 5.

I. CONCIL. CONSTANTINOP. IN CAVSA GREG. ANTIOC.

ANNO Christi quingentesimo octogesimo septimo, Indictionis quintæ, à Ioanne Episcopo Constantinopolitano celebratum est CONCILIVM in causa Gregorij Episcopi Antiocheni: qui factione Asterij Orientis Præfecti accusatus ab Antiochenis de multis criminibus, ad Imperatorem & Concilium prouocans, Constantinopolim venerat: sed Synodi atque Senatus sententia absolutus, liber ad ciuitatem suam reuersus est. Hæc pluribus Euagrius *a*, qui tunc affuit, eidemque Gregorio adstitit. Ea vero hoc anno gesta esse, constat ex S. Gregorio *b* Papa, dum scribens de eadem Synodo ad Eulogium Alexandrinum & Ioannem Constantinopolitanum Indictione decimatertia, numerat à tempore eius celebrationis annos octo. Idem autem iisdem, aliisque ad Eusebium *c* Episcopum Thessalonicensem datis literis, scribit Ioannem quidem hanc de causa Gregorij Antiocheni prætexuisse occasionem cogendę Synodi; re vera autem vt homo inaniter superbus nomen sibi *Patriarchæ Oecumenici* arrogaret; idque ex animi sententia in eadem Synodo perfecisse: sed ea cum Pelagius Romanus Pontifex accepisset, cuncta Synodi gesta præter sententiam pro Gregorio latam, datis ad eundem Ioannem literis dissoluisse; suūque apud Imperatorem Constantinopoli agentem Apocrisiarium, ne eidem Ioanni in sacris cōmunicaret, prohibuisse. Hæc Gregorius: extantque *d* ipsę quarum meminit Pelagij literæ, ea de re tunc ad omnes Episcopos (vt habet inscriptio) qui illicita vocatione Ioannis ad Synodum Constantinopolim conuenerant, datæ Calendis Martij huius Indictionis quintæ.

a Euagr. lib. 6. c. 7.

b Greg. 4. ep. 36. 38.

c Id. 7. ep. 70.

ARROGANTIA IOAN. CONST.

d Tom. 1. Ep. Rom. Pont. in Pelag.

II. CONVVLTATVR NOVATOR DE NOMINE VNIVERSALIS.

Molinæum autem sugillat Baronius: aduersus quem etiam Remundus Rufus egregia commentarij scripsit & duplicata scripto eius defensorem exagitauit.

c cap. nullus Patriarch. dist. 99.

DE PRIMATV ROM. ECCLS.

Sed quod in eis dicit, neminem Patriarcharū vti debere nomine VNIVERSALIS, inde quidam è Iuris professore factus vno momento Theologus, mox infert primatum esse in Ecclesia non debere, ac proinde contra Pelagij assertam sententiam Romanos Episcopos sibi eum super omnes Ecclesias vendicare. Sed ignoscendum miscello, nonnisi ex illatis in Gratiani e arcam fragmentis stipem mendicanti. Si enim ipsam Pelagij integram epistolam perlegisset, erubuisset certe talia proferre: in qua videlicet tot robustis sententiis elucet Primatus Romani Pontificis; dum inter alia asseritur, Priuilegia à Christo in Petrum collata, eadem in Petri successorum Romanorum Pontificum redundare præstantiam: Ius Generalis Synodi conuocādæ, firmandæque, vnius esse tantummodo Romani Pontificis: Romanam Ecclesiam à Domino esse institutam caput omnium Ecclesiarum: Ipsos prædecessores Ioannis Episcopos Constantinopolitanos, sæpissime professos esse eorundem Romanorum Pontificū primatum; ac reliquos omnes Orientales Patriarchas in ambiguis expectare consueuisse Apostolicæ Sedis sententiam; & ad eandem ex vniuerso Orbe maiores atque difficiliores causas deferri solitas. dum item in ipsum Ioannem, aliosque ei adhærentes fulmen excommunicationis interminatur, si quid eiusmodi inconcessum præsumerent. Cum igitur tot firmissimis rationibus Pelagius sit assertor Primatus Romanorum Pontificum, quis ingenio adeo obtusus non videat, ipsum dum ait nullum Patriarcham dici debere Vniuersalem, ad illos Orientales ad quos scribit habuisse respectū? Quæ vero idem Leguleius in ipsum quoque Sanctum Gregorium effutiit, nos ea, cùm res Gregorij prosequemur, in eundem pariter retorquebimus. Denique quod eadem sua epistola tradat Pelagius, nunquam antea aliquem Constantinopolitanorum Antistitum permissum esse vti nomine *Oecumenici*, sed omnes ipsorum conatus retusos fuisse, penitusque repressos à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus: vel hinc saltem potest liquido perspici Græcorum impostura (quam & superius attigimus) in Actis Quintæ Synodi, dum in eis passim Constantinopolitanus Episcopus *Oecumenicus* appellatur.

III. *f Euagr. lib. 6. c. 8 9.* DIVINA VLTIO IN POPVLVM REBELLEM EPISCOPO.

Sed vt ad Gregorium Antiochenum redeamus; quam seuere vltus sit Deus Antiochenos, qui adeo dire persecuti sunt illum, describit Euagrius *f*: relictumque plane fuit posteris exemplum post multa alia quæ videri poterant exoleuisse, magno periculo à luporum parte stare oues aduersus pastores suos. Siquidem post reditum Gregorij Antiochiā, cum ipse Asterius eius persecutor pridie Calendas Octobris virginem vxorem duceret, & tota propterea ciuitas festum celebraret; subitaneo ingenti terræmotu concussa ciuitate, quamplurima tam priuata quam publica, & tam sacra quam profana ædificia prostrata sunt, quorum ruinis sexaginta hominum millia periere, interque eos ipse Asterius: Episcopus autem præter omnium expectationem incolumis euasit, licet domicilium in quo habitabat ruinam passum fuerit.

IV. CONCIL. LVGDVN. II. PRO DISCIPL. ECCLES.

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc eodem anno, qui ab obitu Clotarij Francorum Regis, numeratur, Guntheramni eius filij regni vigesimus secundus, celebrata est mense Maij Secunda SYNODVS LVGDVNENSIS; cuius extant sex canones, quibus antiquas regulas Ecclesiasticas innouantes, hoc de leprosis Patres addiderunt, vt in vnaquaque ciuitate ipsis ab Episcopis sufficientia alimenta darentur, nec permitterentur alio vagari. Quod & eadem ratione in Synodo Turonensi *g* Secunda, de omnibus pauperibus statutum fuisse vidimus. Præfuit vero huic Lugdunensi Prīscus eius ciuitatis Archiepiscopus; subscripseruntque alij Episcopi septem, & per vicarios duodecim.

g Conc. Turon. II. c. 5.

V.

Hocque item anno, qui nonus numeratur Childeberti pariter Francorum Regis, missa à Levvigildo Gothorum in Hispania Rege ad Chilpericum itidem Francorum Regem legatione, filiam eius in coniugem filio suo Reccaredo petiit; quæ & tandem inuitissima in Hispaniam ducta est. Testatur hæc quidem Gregorius *h* Turonensis: cuius etiam assertione constat, post annos quinque, nempe decimoquarto Childeberti, eundem Reccaredum mortua forte illa Chilperici filia (cuius nomen haud Gregorius prodidit) iterum vxorem duxisse Clodosuindam filiam Brunichildis, sororem ipsius Childeberti.

h Greg. Turon. 6. hist. Fran. 34 & 45. i Id. l. 9. c. 16 & 28.

VI. *k Id. lib. 6. cap. 35. l Id. l. 6. c. 46. Ado in Chron. & alii.* CHILPER. REX OCCIDITVR ARTE FREDEG. CONIVGIS. EIVS DAMNATIO AD INFEROS.

Hoc etiam tempore cum filius paruulus Chilperici morereretur, Fredegundis Regina existimans à maleficis id factum esse, de iisdem diris simam exercuit quæstionem quam pluribus delicti sit Gregorius *k*. Quo item anno Rex ipse Chilpericus *l* fraude eiusdem pessimæ Fredegundis vxoris suæ adulterantis cum Landerico Maiore domus, cum à venatione iam subobscura nocte rediens ab equo desiliret, gladij ictibus confossus est. Vocat illum idem Gregorius *Neronem huius temporis, atque Herodem*; multaque habet de eius sceleribus, ac potissimum de odio aduersus sacerdotes & Ecclesias, direptionibusque bonorum, quæ illis testamento relinquerentur à Fidelibus: itemque de ipsius libidinibus, necnon crudelitate, qua delectabatur maxime in eruendis fontibus oculis; ac demum recenset visionem de eiusdem ad inferos damnatione, ostensam Regi Guntheramno ipsius fratri, sed moribus dissimillimo Reliquit vero idem Chilpericus filiolum infantem nondum baptizatum, qui dictus est *Clotarius*; de quo sæpe inferius.

VII. CONCIL. AVERN. S. LVPENTII MARTYRIVM.

Hoc eodem tempore facta est SYNODVS ARVERNI, pro sedandis turbis obortis inter Episcopos Rutenorum & Caturcensium, occasione diœcesis vsurpatæ. Contigitque martyrium *S. Lupentii*, Abbatis S. Priuati martyris vrbis

Gaba-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Gabalitanæ, qui necatus est ab Innocentio eiusdem vrbis Comite: cuius caput in flumen deiectum, mirabiliter per aquilam è fundo fluminis extractum, ripæ depositum est, & vna cum corpore sepultum; ad cuius sepulchrum multa facta sunt sanitatũ miracula. Narrat hæc omnia pluribus idem Gregorius *m*.

m Id. lib. 6. c. 37. 38.

IESV CHRISTI AN. 588.

PELAGII II. AN. II.

MAVRITII AN. 6.

I. n Id. lib. 8. c. 28. HERMINIGILDI REGIS MARTYRIVM. Bar. an. 584. sed vide infr. an. 592. post an. XII.

ANno Christi quingentesimo octogesimo octauo Indictionis sextæ, Childeberti Francorum Regis decimo, (vt ponit Gregorius Turonensis *n*) die decimatertia Aprilis contigit nobile martyrium *Herminigildi* Regis Catholici, de cuius ad fidem conuersione dictum est superius. Qui cum aduersus Lewigildi patris exercitum pugnaturus, à Græcis, quos in auxilium vocauerat, pecunia à Levvigildo corruptis, proditorie derelictus, in Ecclesiam aufugisset; accepto patris iureiurando de securitate, illinc exiens, mox contra fidem datam in carcerem coniectus est; cumque omnino recusaret Arianis inhærere, ipsa nocte Paschatis Sancti iussu patris securi percussus glorioſum martyrium consummauit; quod statim plurima secuta sunt miracula. Hæc autem plenius describuntur apud Gregorios Turonensem *o* & Romanum *p*, necnon Adonem *q* Viennensem. De coniuge vero Herminigildi Ingunde, quę ipsi auctrix conuersionis fuerat, idem Turonensis asserit, eam ereptam à Græcis vt cum filio paruulo perducerent ad Imperatorem, in Africa defunctam esse.

o Id. l. hist. 38. & lib. 6. c. 43. & lib. 8. c. 28. p Greg. Pap. 3. dial. 31. q Ado in Chron.

II. PERSECVTIO IN HISP.

Porro Levvigildus, quamuis (vt iidem auctores tradunt) visus sit pœnituisse necis filio illatæ; tantum tamen abfuit vt perfidiam Arianam deseruerit, vt contra iracundia ex dolore concepta exæstuans, aduersus Catholicos acerbiorem persecutionem excitauerit, relegans Episcopos in diuersa loca, Ecclesiasque bonis spolians. Quo tempore exulasse constat Sanctum Leandrum, atque Fulgentium, fratres Episcopos, aliosque, quorum ex parte meminit Isidorus *r* dum eorum scripta recenset. Immo & Sueuos in Hispania commorantes, qui vna cum ipsorum Rege ante aliquot annos (vt vidimus) ad Catholicam fidem conuersi fuerant, idem Levvigildus eam deserere coëgit; cum, vt refert *s* idem auctor, tonsurato eorum tyranno Audica, (qui Eburicum Ariamiri filium, ac in regno successorem, in monasterium incluserat) deletum ipsum Sueuorum regnum in Gothos trãstulit. Verum Sueuos denuo ad fidem reuocatos esse per Reccaredum Levvigildi successorem, & ipsum Catholicum factum, habent Acta Concilij Toletani Tertij. Necvero Herminigildi tantum sanguine illustrata est hoc tempore Hispaniarum Ecclesia; sed & *Vincentii* Abbatis: qui cernens maximam irrogatam esse iniuriam Catholico nomini per Vincentium Cæsarauguſtanum Episcopum apostatam, è solitudine prosiliens aduersus Arianam blasphemiam pugnaturus, cum id strenue vbique præstaret, tandem post verbera & carcerem, ab Arianis ante fores monasterij crudelissime peremptus est Legione vndecima mensis Septembris, qua die ab Ecclesia Catholica anniuersaria eius memoria celebratur.

r Isid. de Script. Eccl. c. 28. & 31. s Id. in Chron. Goth.

VINCENTII ABB. MARTYRIVM.

III. t Tom. 2. Conc. CONCIL. MATISC. II. PRO OECONOMIA ECC.

Hocitem anno, vigesimo quarto inchoante Guntheramni Francorum Regis, vndecimo Calendas Nouembris, eiusdem iussu celebrata *t* est *Matisconе* SYNODVS Secunda dicta, eademque Generalis appellata, quod ex omnibus prouinciis eidem Regi subiectis collecta sit; cui præfuit *S. Priscus* Lugdunensis Episcopus, idemque appellatus *Patriarcha*, (de qua voce dictum est superius) subscripseruntque Episcopi omnes numero sexaginta duo, (præter eos qui per legatos interfuerunt) quorum plurimi in numerum Sanctorum post mortem relati reperiuntur. Ab iis autem statuti sunt viginti canones, ad œconomiam Ecclesiasticam eius temporis maxime vtiles: ac præcipue de veneratione quæ à sæcularibus præstanda esset Clericis: & ne clericorum iudicia agitarentur per sæculi Magistratus: (quod quidem non recens institutum, sed ab ipso Christianitatis nascentis exordio seruatum esse, Patres asseruerunt:) itemque aduersus Episcopos venatores, & nequis ad Ecclesiam confugientes extrahere auderet. Ad quod vltimum iterum sanciendum Patres inducti fuisse videntur, ex iis quæ hoc ipso anno, cum de nece Chilperici Regis quæstio haberetur, Turonis in Ecclesia sancti Martini, & Agenni in basilica sancti Vincentij Martyris, fieri illicita contigissent, in quorum vltionem plura facta sunt miracula, quæ narrat Gregorius *u*. Ad postremum in eadem Synodo illud à Patribus additum fuit, vt quolibet triennio generale Concilium ageretur, quod indici deberet ab Archiepiscopo Lugdunensi. Post peractam vero Synodum, Rex Guntheramnus sanctionem *x* edidit memoria dignissimam, ad Episcopos atque Iudices scriptam hoc eodem anno quarto Idus Nouembris; qua (vt decebat Christianissimum Principem) hortatus est Episcopos, Verbi imprimis prædicationi inuigilare; & ne munus Episcopale per Vicarios, sed per seipsos explerent; Iudices autem admonuit, vt attenderent correctioni morum, & noxiorum punitioni.

DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS. u Greg. Tur. 7. hist. 21. 29.

x Ext. Tom. II. Concil. post Acta Conc. Matis. on I. PIVM GVNTHERAMN. REG. EDICTVM.

Hocitem anno, qui decimus numeratur Childeberti maxima pars ciuitatis Parisiensis (exceptis Ecclesiis) igne conflagrauit, cum eiusmodi incendium aliquot ante diebus mulier quædam ex visione habita frustra ciuibus prædixisset. Acciderũt autem eo tempore plura admiranda virtute Sanctorum Martini & Germani, quæ Gregorius *y* narrat. Addit *z* vero posthæc, eodem hoc anno natum filium Childeberto Regi, à Magnerico Treuerensi Episcopo baptizatum appellatum esse *Theodobertum*; de quo sæpe dicendum inferius.

IV. INCENDIVM PARIS.

y Greg. l. 8. c. 31. z Idem. c. 37.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno Romanum exercitum contra Persas militantem, qui ducibus suis in ordinem redactis, & aliis ad libitum electis, discessionẽ fecerat, vix tandẽ Gregorius Antiochenus Episcopus, de quo dictũ est anno superiori, oratione ad eũ genibus flexis cum multis lacrymis habita, (vsus videlicet præcipuis ad persuadendum ex Christiana rhetorica petitis locis) obsequentem reddidit Philippico Orientis Præfecto. Narrat hæc pluribus Euagrius *a*, simul & bellicos horum temporum aduersus Persas progressus describens.

V. GREGORIVS ANTIOCH. CONCILIAT EXERCITVM REBELLEM

a Euagr. li. 6. c. 4. 5. 10. 11. &c.

IESV CHRISTI AN. 589.

PELAGII II. AN. 12.

MAVRITII AN. 7.

I CONCIL. VALENT.

ANno Domini quingentesimo octogesimo nono, Indictionis septimæ, Guntheramni Francorum Regis vigesimo quarto nondum absoluto, decimo Calendas Iulij, celebrata est SYNODVS VALENTINA in Gallia Narbonensi septemdecim Episcoporum; in qua pauperum causæ sunt cognitæ; sed & donationes factæ diuersis Ecclesiis ab eodem Rege, siue Regina, atque filiabus eius Deo sacratis virginibus, auctoritate Apostolica confirmatæ, ac eorundem Antistitum subscriptionibus munitæ. Emendandum vero est quod in titulo dicti Concilij apposita est Indictio secunda: si quidem Guntheramni annus vigesimus quartus incidisse noscitur in Indictionem septimam. Quo eodem anno *a* infeliciter eidem Regi cessit bellum, quod ipse audita morte Herminigildi, neptisque suæ Ingundis, parauerat aduersus Gothos, qui hactenus in Galliæ Narbonensis ea parte quæ *Septimania* dicebatur, sedes semel fixas tenebant. Traditque Biclarensis, (qui tamen rem gestam ad tertium Reccaredi Gothorum in Hispania Regis annum ponit) Claudium Lusitaniæ Ducem obuiam factum Francis apud Carcasonem, vix cum trecentis viris sexaginta millia fere Francorum in fugam vertisse, & maximam eorum partem

a Greg. Tur. 8. hist. 28. Chron. Isid. in Chron. Goth.

FRANCI VICTI A GOTHIS

gladio trucidasse. Quam tantam cladem idem Guntheramnus apud Gregorium *b*, ob militum perpetrata sacrilegia contigisse, egregie philosophatus est. Quem tamen respuisse petitam à Reccaredo, etiam post victoriam, iteratis legationibus pacem, *c* Gregorius tradit.

b *Ibid. c.* 30.

c *Ibid. c.* 35. & 39.

II. PRÆTEXTATI EPIS. ROTOMAG. MARTYRIVM.

Eodem insuper anno peremptus est in Gallia *Prætextatus* Episcopus Rotomagensis; quem inter Martyres scriptum coluit semper Ecclesia Catholica. Is enim diu multumque odio impiæ Fredegundis Reginæ exilijs afflictatus, nihil remittens sacerdotalis constantiæ in redarguendis perperam factis Principum, potissimum vero ipsius Fredegundis, quã alteram Iezabelem his temporibus Gallia passa est; tandem immisso ab eadem sicario, intra ipsam ecclesiam Rotomagensem ad altare precesagẽs. gladio percussus spiritum Deo reddidit. Hæc pluribus Gregorius *d*: qui addit insuper de necato ab eadem Regina, Seniore quodam eiusdem Ecclesiæ Rotomagensis, quod ipsi necem sanctissimi Antistitis exprobrasset.

d *Ibid. c.* 31. & 41.

III. INGENS TIBERIS INVNDATIO.

Romæ quoque extrema huius anni funesta admodum extitere; Tiberis imprimis adeo portentosa alluuione, vt super muros Vrbis (quod testatur Sanctus Gregorius *e*) influeret; & cuncta vastante inde secuta peste, progenerata ipsa ex multitudine serpentum, vna cum ingenti dracone magnitudinem grandis trabis referente, per illius inundationis alueum in mare descendentium; qui aquis suffocati in littus eiecti sunt, & aerem corruperunt. Quod cum plures tam antiquiores quam recentiores scriptum habeant, id præ aliis recensuere Gregorius *f* Episcopus Turonensis, & Paulus *ff* ac Ioannes *g* diaconi. Corrigendus tamen Gregorij textus, vbi deprauate id accidisse traditur ad annum Childeberti Francorum Regis decimumquartum; cum hic præsens annus ab eodem numeretur dumtaxat eiusdẽ vndecimus. Cum enim hanc alluuionem accidisse constet mense Nouembri Indictionis octauæ, quæ hoc anno incipit mense Septembri; nihil est vt ad alium eam annum referamus, præsertim cum extra dubium sit eam accidisse ante creationem Sancti Gregorij Papæ, quæ facta est anno sequenti. Denique dum idem Papa Gregorius scribẽs Dialogorum libros anno tertio euoluto sui Pontificatus, id ante fere quinquennium contigisse testatur *h*; æque ad præsentem annum referre cognoscitur. Quod autem ad immensum illum Draconem spectat, quem vndis mersum, & fluento delatum ad mare, supradicti auctores tradunt; certum est minime esse potuisse id genus serpentum, quos *dracones*, naturalium rerum scriptores appellant: sed vulgo ita appellatas monstruosas illas reptantes bestias quæ magnitudine sua reliquos serpentes excedunt. Eas Plinius *i boas* nominat, quas & aliquando visas in regionibus prope Tiberim positis tradit.

c Greg. Pap. 3 dial. 19. PESTIS EX SERPENTVM CORRVPTIONE.

f Greg. Tur. l. 10. hist. c. 1 ff Paul. diacon. l. 3. de gest. Long. c. 1. g Ioan. diac. in Vit. S. Greg. l. 1. c. 34. 36.

h Greg. Pap. 3 dial. 19. DE SERPENTE DRACONE.

i Plin. l. 8. c. 14.

Porro quod contingeret solet, vt istiusmodi inundationes fluminum in aliis quoque circum prouinciis sint communes; hoc item anno Athesis fluuius Veronæ exundauit: quando mirandum illud accidit, vt excrescentia ad Sancti Zenonis Martyris atque Pontificis Ecclesiam veniens, licet ianuæ essent apertæ, aqua in eam minime intrarit, quæ tamen vsque ad tectum peruenit. Et quod mirabilius visum est, cum à subita inundatione multi intus inclusi reperirentur, iidem per eandem portam apertam ad bibendum hauriebant aquam, nec tamen ea intra Ecclesiam vllo modo diffluebat. Narrat hæc Gregorius *k* Papa. Pestem autem cum subsecutam tradat alter Gregorius *l* mense Ianuario, dicetur de ea anno sequenti.

IV. INSIGNE MIRACVLVM VERONÆ EDITVM.

k Greg. d. cap. 19.

l Greg. Tur. 10. hist. 1.

IESV CHRISTI AN. 590.

GREGORII AN. 1.

MAVRITII AN. 8.

I.

ANno Domini quingentesimo nonagesimo, Indictionis octauæ, Post immensam illam Tiberis inundationem & serpentium putredinem, ipso medio mense Ianuario, vt auctor est Gregorius *a* Turonensis, lues Inguinaria Vrbem Romam inuasit, immissa (vt signa docuerunt) ex ira diuina: siquidem testatur Gregorius *b* Papa, visas esse sagittas cœlitus delapsas in homines, quos mox pestis improuisa percuteret. Ea vero primum omnium *S. Pelagium* Papam percussum esse, scribit Turonensis: quem tamen defunctum tantummodo esse sexto Idus Februarij, Anastasius ponit; sepultumque in basilica S. Petri: idque postquam sedisset annos duodecim menses duos & dies viginti septem. Manifesti enim erroris arguuntur; qui alium deprauatum Anastasij textum secuti, tribuunt eidem annos dumtaxat decem menses duos & dies decem. sicut & illi qui ad alia tempora eius obitum referunt; ac præcipue Beda *c*, dum creationem Gregorij collocat sub anno decimo Mauritij Augusti, quam hoc anno septimo eiusdem Imperatoris nondum expleto contigisse, certum redditur vel ipsius testificatione Gregorij *d*, dum sui Pontificatus anno secundo septimum numerat Consulatus Mauritij, quem gessisse vidimus anno Imperij secundo.

a Greg. Tur. 10. hist. Fr. 1.

b Greg. Pap. 4. dial. 36. PELAG. PP. PESTE MORITVR.

c Bed. de gest. Ang. l. 1. c. 23.

d Greg. l. 2. epist. in pr.

Porro inter alias res gestas ipsius Pelagij, est mentio de CONCILIO ROMANO ab eo habito ad res Ecclesiasticas stabiliendas. Id enim ipsemet testatur in epistola quam scripsit ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, vbi agit de nouem Præfationibus Ecclesiæ Romanæ, quas eis tenendas præcepit. Sed & quod inter alia opera quæ fecit, ponitur ab Anastasio basilica supra corpus Beati Laurentij Martyris constructa; quid tunc pauendum accideret, cũ ab operarijs quæreretur corpus Sancti Laurentij, Gregorius *e* Pelagij successor narrat; nimirum cum subito sepulchrum eius apertum esset, eos omnes qui præsentes fuerunt, corpusque martyris viderunt, quamuis minime tangere præsumserint, omnes tamen intra decem dies defunctos esse. Ceterum scribit Anastasius, cessasse Pelagij Episcopatum menses sex & dies viginti quinque; nempe computandos vsque ad consecrationem successoris. Alioqui enim statim post Pelagij decessum, oculis omnium in *Gregorium* conuersis, vtpote qui ceteris omnibus vitæ sanctitudine, claritudine generis, scientia atque vsu rerũ præstaret; idem totius Cleri consensu Summus Pontifex electus est.

II. CONCIL. ROM. SVB PELAG.

e Id. 3. ep. 30

GREGO. PP. ELIGITVR.

Non tamen confestim in Petri cathedra sedere licuit. Etenim quod sub Arianis Gothorum Regibus præsumptum vidimus, vt electus Pontifex non nisi persoluta pecunia confirmatus à Principe sedere deberet; vindicata postea Vrbe cum vniuersa Italia à Gothorum dominatione per Iustinianum Imperatorem, non minori ille tyrannide idem ius confirmandi Pontificem, & pro confirmatione pecuniam exigendi sibi retinuit. Quod pluribus aliquando deplorauit ipse Sanctus Gregorius *f*, inter diros Ecclesiæ persecutores adnumerans Imperatorem talia præsumentem, atque Regis nomine indignum censens. Ideoque & ipse electionem suam irritam reddere laborauit: & qui clero ipsum eligenti aut populo postulanti non posset obsistere, ad vnicum illud remedium confugit, vt Mauritium Imperatorem (ad quem de electione facta mittebatur à Clero Populoque Romano decretum) literis suis dehortaretur à sui confirmatione. Quæ præsentiens Germanus tunc Præfectus Vrbis, occurrens malo, nesciente Gregorio, eius ad Imperatorem datas literas incercepit; ipse vero suas misit, quibus eum moneret nihil his perditissimis temporibus opportunius contingere posse, quam vt Gregorij, talis tantique viri electio confirmaretur, quod & perfacile fuit Imperatori suadere, qui Gregorio Constantinopoli olim fuisset familiarissime vsus; vsque eo vt & compatrem delegisset, cum genitum à se filium ab eo ex sancti Lauacri regeneratione suscipi voluit. Narrant hæc omnia Gregorius *ff* Turonensis, & Ioannes *g* diaconus. Quomodo vero se habere soleret administratio Romanæ Ecclesiæ, dum qui electus esset vetabatur ea quæ sunt Pontificis munia exercere, donec accedente Imperatoris consensu Pontificio initiari daretur; dicetur opportunius infra cum agetur de electione Ioannis Quarti.

III. [HIC INCIPIT TOM. VII ANNAL. BARONII] TYRANNICA VSVRPATIO IMP. IN ROM. ECCLES. fit. in 4. Pal. pont.

ff Greg. Tur. 10. hist. 1. g Ioan. diac. Vit. S. Greg. l. 1. c. 39. 40.

Inter hæc tamen necessitate grassantis Romæ luis, in eo se Gregorius pro Pontifice gessit, vt sub finem mensis Augui Litanias generales, atque processiones publicas, tam Cleri quam populi omnis ordinis ac sexus, ad luem auertendam indiceret. Cuiusmodi *Litania, Septiformis* dictæ, ordo sic describitur in fine sermonis *h* quem tunc Gregorius

IV. LITANIA SEPTIFORMIS TEMPORE PESTIS.

h Ap. Greg. l. 1. ep. 1.

ad po-

ad populum habuit, (qui tamen male relatus est in ipsius Epistolarum librum vndecimum sub Indictione sexta) vt per varias diuersarū personarū classes, sigillatim ex diuersis ipsis assignatis ecclesiis exeuntes procederent seorsum Clerici, Viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, Feminæ coniugatæ, Viduæ, Pauperes & Infantes. Qui tamen ordo paulo diuersus repetitur apud Gregorium Turonensem, dum de his agit ex relatione cuiusdam diaconi sui; quod cum diuersis diebus Litaniæ celebrarentur, indeque diuersæ affigerentur in Ecclesia inscriptiones, singulæ diebus singulis; ex alia ipsarum diaconus Gregorij Turonēsis descripserit, & ex alia alius retulerit inter Epistolas Gregorij Papæ. Cū autem primis Litaniis processum esset ad Ecclesiam S. Mariæ ad Præsepe, quæ & Maior dicitur; tradunt veteres Rituales libri, vltimis processum esse ad basilicam Sancti Petri: sed & ab eodem Gregorio sanctam Imaginem Deiparæ Virginis, (quæ hactenus extat in eadem basilica Sanctæ Mariæ) magna veneratione delatam esse, Ordo Romanus quem Vaticana Bibliotheca custodit, affirmat. Quo tempore mirandum illud accidisse tradunt, vt cum peruenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adiacentem; in signum reconciliati numinis, visus fuerit Angelus super ipsam molem nudatum gladium in vaginam recondere; eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse: quemadmodum (vt vidimus) per sagittas cœlitus lapsas, idem fuerat diuinitus præmonstratus. Tuncque licet non sic penitus lues cessarit vt omnino extincta fuerit, maxima tamen ex parte vis eius repressa est. Cuius rei gratia in Litaniis illis, quæ vsu antiquo annua celebritate in Ecclesia recurrunt pro omnibus auertendis malis, idem Gregorius preces indixit *i* cum gratiarum actione pro tanto accepto diuinitus beneficio.

ANGELVS SVPER MOLEM HADRIANI VISVS.

i *Greg. in Regist. in pr. Ind. 10.*

V. PLVRIMÆ VISIONES DIVINITVS OSTENSÆ.

Sed & idem Pontifex in suis Dialogis *k* multas recenset historias, plurimis mixtas miraculis, atque visionibus, quibus hoc eodem anno quo pestis Romæ grassabatur varie ostensum est, quomodo se habeant animæ hominum tum in ipso transitu tum post obitum, secūdum bona aut mala quæ in vita gesserunt opera: simulque detectum est, quam salubre sit defunctis quod hic pro eis offertur sacrificium incruentum; ac quo pacto soleant proxime morituri futura prædicere. De quibus etiam morientium diuinationibus agit alibi Cicero *l*, earumque tres affert rationes; duas vero Gregorius, nimirum siue accidere per reuelationem, siue quod e materia emergere iam animæ inchoantes, prælibare quædam possint de iis quæ vinculis solutæ carnis intelligunt. Sed nec de ista agentes peste possumus non confutare errorem, qui nulla veterum testificatione vulgo iactatur; ex hoc tempore scilicet cum pestis ingrueret, & homines morbo tacti sternutando mortui caderent, pie introductum esse vt sternutantem quemlibet salutemus. Inoleuisse enim eiusmodi vsum apud Gentiles longe ante, & vt eiusmodi salutationem impertiendo deos inuocarent, Plinius *m* testatur, & alij.

k *Ll. 4. dial. 26. 36. 37. 47. 55.*

l *Cic. de diuin. lib. 1.*

m *Plin. 28. hist. 2. Petron. in Satyr. Apul. lib. 9.*

SALVTANDI VSVS INSTERNVTAMENTO

VI. GVNTERAMNI REG. PIETAS, ET MIRACVLA

Ceterum eodem tempore Inguinariam hanc pestem inuasisse pariter Hispaniam, indeque in Galliam deuectam esse, Gregorius *n* Turonensis affirmat: traditque Gunteramnum Francorum Regem pietate insignem, ad eam à suo Regno auertendam, Rogationes, Vigilias, ac Ieiunia populo indixisse, ipsumque eleemosynas solito largius pauperibus erogasse. quo etiam tempore gratia miraculorum in eo cognita fuit, dum virtute fimbriæ ipsius vestimenti puer à febre quartana sanatus est, ac per eiusdem nominis inuocationem laruę sæpius fugatæ. Quibus addas quod hoc eodem anno Childeberti duodecimo, (vt Gregorius *o* numerat) idem Rex Guntheramnus dum in ecclesia ad altare communicandi gratia accessisset, à sicario appetitus, diuina protectione custoditus est, gladio mirabiliter de manu sicarij decidente: per quem detectis sceleris conscijs, iidem pœnas debitas dederunt, ipse vero sicarius verberatus tantum dimissus est incolumis; digno Christianissimi Principis exemplo, qui (vt ait Gregorius) nefas putauit eum qui ab Ecclesia eductus fuerat, vita priuare.

n *Greg. Tur. 9. hist. 21. 22.*

o *Ll. 9. c. 3.*

VII. S. RADEGVNDIS OBITVS.

Hoc item anno, die decimatertia Augusti, (inquit idem auctor *p*, qui interfuit) *S. Radegundis* Regina Pictauis in suo quod erexerat monasterio ex hac vita ad cœlestem ab Angelis suscepta transiit. Cuius corporis tactu, dum ad tumulum ferretur, cæcus illuminatus est; multaque postea ac magna ad eius sepulchrum edita sunt miracula, quorum aliqua refert Gregorius *q* qui eius funus curauit. At vero res ab eadem S. Regina cum ante tum post mortem gestæ, plenius duobus habentur *r* conscriptæ libris, priori Fortunati Pictauiensis Episcopi, posteriori Bandominæ monialis ipsius Radegundis alumnæ. Extantque insuper eiusdem Sanctæ literæ *s*, ab ipsa in sui monasterij commendationem, ac curam de eo habendam, ad Episcopos paulo ante obitum scriptæ; egregiū piissimæ ac Christianissimæ Reginæ monumentū.

p *Ll. de glor. Confess. 106.*

r *Ap. Sur. 13 Aug.*

s *Ap. Greg. l. 9. c. 42.*

VIII. GREGORII CONATVS NE ORDINARETVR PONTIFEX

Cum autem paucis post hæc diebus, Imperatoris literæ de Gregorij Romani electi Pontificis confirmatione in Vrbem delatæ fuissent; ipse latibula captans, & quia palam egredi portas ciuitatis non poterat, dissimulato habitu negotiatoribus quibusdam se immiscens in cauernis delituit: sed diligenter à Romanis quæsitus, indicio columnæ fulgidæ super ipsum iugiter è cœlo dependentis inuentus est; captusque ad Sancti Petri Basilicam tractus, & in Summum Pontificem consecratus. Narrat hæc Ioannes diaconus in Vita eiusdem Pontificis; necnon Gregorius *t* Turonensis ex relatione cuiusdam sui diaconi, quem tunc iis omnibus Romæ interesse contigit, cum missus ab eo fuisset ad petendas sacras Reliquias: Sed & eadem ex ipsius pariter Gregorij Papæ scriptis *u* fidem sibi vendicant. Quæ igitur adeo mirandis præostensa est signis ordinatio, celebrata hoc anno tertio Nonas Septembris, eadem veluti sacrosancta annis singulis in Ecclesia repetenda, consignata tunc publice fuit in Romanæ Ecclesiæ *x* tabulis; quæ & in vniuerso Catholico Orbe solemnis hactenus perseuerat in honorem tanti Pontificis ob facta præclara MAGNI, & præfectura totius Ecclesiæ MAXIMI. Etsi vero pendenda ab eo fuerit Imperatori pecunia, quæ ab ipsius prædecessoribus exacta est; haud tamen ipse, sicut nec illi, in crimen adduci potuerunt, quippe quod eis electio legitime facta contulerit Pontificatum, nō Regum vel Imperatorum tyrannice vsurpata confirmatio: pro qua licite pecunia dari potuit, quod non redimeretur ea Pontificatus, sed liberatio à vexatione, cum aliter non liceret munus Pontificium exequi. Nam & hoc tempore eo misero statu constitutam fuisse Rempublicam, vt in ea magistratus & dignitates inolita consuetudine publice venales haberētur auctione proposita, apparet ex epistolis eiusdem S. Gregorij *y*.

t *Ll. 10. hist. 1.*

u *Greg. Pap. prof. Pastor. & 6. c. 4. vet. edit. ad Cyriac. Epist. Const. x Martyrol. Rom. 3 Sept.*

DE PECVNIA DARI SOLITA PRO CONFIRMATIONE PONTIF.

y *Greg. 12. ep. 27. in ind. 7.*

Sed cum inter hæc non solum pestis reliquiæ Vrbem vexarent, sed etiam ventorum *z* vehementia eadem conquassata esset, ac Longobardorum *a* incursionibus infestaretur, diraque premeretur *b* fame; ipse Gregorius quo magis increbescere vidit mala, eo fortius ad ea superanda animi virtute surgens, hoc ipso *c* exordio Pontificatus sui, præclarissimum *de Pastorali cura* commentarium elaborauit, occasione accepta literarum Ioannis Rauennatis Episcopi, quibus ab eo redargutus fuerat quod pastoralem curam delitescendo fugere voluisset. Qua in re imitatus Gregorium Nazianzenum, sicut ille eadem ex causa scripsit de sua fuga apologeticum quo periculosam eiusmodi spiritualem præfecturam ostendens, se haud insipienter fugisse monstraret: ita hic Gregorius Romanus suæ fugæ defensionem parans, simul ostendit tanti muneris periculum; & veluti ex eminentissima totius mundi cathedra docuit, quales esse debeāt qui in Episcopos assumuntur, & quomodo assumpti se gerere debeant. Eodemque tempore complures rescripsit cum ad amicos sibi gratulantes, tum ad alios epistolas *d*, quibus luget miserrimum quem putabat animæ suæ statum, in quem sub honoris specie se videret esse coniectum. Sed quod ad ipsius Scripta pertinet; plane ea admiranda cognoscas, si in eis non folia tantum, sed qui insint fructus attendas. Cumque tulerit infelicissima conditio huius sæculi, vt inter barbaros barbarismis repleta fuerit Latinitas; pene miraculum habitum est, Gregorium inter tot tenebras aliquo illucescere potuisse fulgore.

z *Ll. de hom. in Luc. 21.*

a *1. ep. 3.*

b *1. ep. 2.*

c *4. ep. 46. vel ll. 13.*

QVA OCCASIONE GREG. SCRIPSERIT DE CVRA PASTOR.

d *Ll. 1. ep. 3. 4. 5. &c.*

[Vt fiat satis publico cuiusdam docti Galli desiderio, visum est hic obseruare, (quod ipse à Baronio omissum pie queritus est) tanti habitum fuisse in Gallijs prædictum S. Gregorii Tractatum *De cura Pastorali*, vt ex decreto concilii Turon. III cap. 3 & Cabilonensis II cap. 2 sub Leone PP. III. & Carolo Magno Imp. debuerint Episcopi illum scire & intelligere: idemque in Mogunt. in præf. & Rhemensi cap. 10. eodem tempore habitis, lectus fuerit, ad hoc vt Pastores Ecclesiæ in-

EIVS LIBRI DIGNITAS.

telligerent, quomodo ipsi viuere, & qualiter sibi subiectos deberent admonere: ac denique in Aquisgranensi sub Greg IV. & Ludov. Pio, frequentes ex eo sententiæ ad dirigendam Episcopalem disciplinam, tanquam ex norma perfectionis citatæ reperiantur. Possent & alia tam ex nostris, quam aliarum nationum Scriptoribus, Synodisque, in laudem diuini huius commentarii produci: sed temperamus, quod & iam plus quam petitum præstiterimus, & hæc ipsa aliis forte nimis cita videri possint.]

X. QVOMODO SE CVM SCHISMATICIS GESSERIT.

Quantum autem hoc ipso anno Pontificatus sui primo laborauerit, cum in aliis rebus, tum vt eos qui ab Ecclesia schismate diuisi erant ob controuersiam Trium Capitulorum, atque etiam Arianos Longobardos ad Ecclesiam reduceret; testantur plurimæ eiuidem epistolæ *e*. Vrgebat namque & iussio Imperatoris, vt eosdem schismaticos Episcopos deberet eo fine ad Synodum Romam conuocare; sicut habetur eiusdem Gregorij testificatione, scribentis *f* ad Seuerum Aquileiensem eorundem antesignanum, dum eũ venire ad Synodum iubet. Sed accidit, vt cũ Episcopi Istriæ, more præcedentium schismaticorum, qui vt subterfugerent iudicium Ecclesiasticum prouocare consueuerunt ad Imperatores, dedissent libellum Mauritio Augusto ne cogerentur Romam proficisci, sed ipse dignaretur eos audire; idem Imperator querelis eorum permotus, quibus multa aduersus Gregorium effutierant, nullo de veritate habito diligentiori examine, imperiose præceperit eidem Pontifici ab illorum causæ cognitione desistere: prout de his omnibus cõstat ex eodem schismaticorum libello, & Mauritij literis quę adhuc extant *g*. Sed qui venire Romam contempsit Seuerus, meruit paulo post sede ab hostibus priuari Aquileia incensa, & ipse profugus ad summam est deductus inopiam vt stipem quæreret, sicut patet ex Gregorij epistola *h* ad Ioannem Episcopum Rauennatem, vbi inter alia agit de eleemosyna mittenda incensæ ciuitati eiusdem Seueri.

e Id. l. ep. 14. 16. 17.
f Id. ep. 16.
g Rec. Bar. annal. Tõ VIII. hoc an. acceptas à Nic. Fabro.
h 2. ep. 32. Ind 10.

XI. 11. ep. 17. DIVINA IN ANTHARITH. REG. VLTIO.

Sed & ex alia eiusdem Pontificis epistola *i* scripta ad vniuersos Italiæ Episcopos, constat Antharith Longobardorum Regem, quod hoc anno Paschali tempore prohibuisset Longobardorum Orthodoxorum filios in fide Catholica baptizari, diuina vltione extinctum esse: quod quidem Nonis Septembris accidisse, Paulus *k* diaconus affirmat. Eo tamen adhuc viuente, hoc eodem anno quo Gregorius ordinatus est, Franci ab Imperatore Mauritio aduersus Longobardos Galliam Cisalpinam occupãtes solicitati, in Italiam descenderunt: vbi cum non reperissent exercitum Imperatoris ex condicto mittendum, nihil magni momenti efficere potuerunt, quod Longobardi in munita loca se recepissent; ideoque iidem Franci circumquaque palantes, in prædam conuersi per trium mensium spatium, demum morbis afflicti atque consumpti, cum magna præda multi que captiuis in Gallias redierunt. Hæc fusius Gregorius *l* Turonensis: qui tamen quem Antharith Regem Longobardorũ Gregorius Papa, Paulus diaconus, & alij nominant, ipse Apthacharium appellat; quem & hoc anno obiisse refert. Sequenti vero Agilulphus eius successor misit *ll* in Gallias Agnellum Tridentinum Episcopum, ad redimendos captiuos, qui à Francis abducti fuerant.

i Greg. Tur. lib. 10. hist. Fran. c. 3. ll Paul. diac. lib. 4. c. 4.

XII. LEWIGILDI REG. OBITVS.

Hoc itẽ anno impius Levvigildus Wisigothorum in Hispania Rex Arianus mortuus est, postquam regnasset (vt Isidorus habet) annos decem & octo ab obitu fratris Liubæ. Quod quidem anno præsenti contigisse, tum asserit Gregorius *m* Turonensis huius temporis scriptor, dum Levvigildi obitum ponit sub anno Childeberti Francorum Regis duodecimo, qui incidit in hunc Domini quingentesimum nonagesimum, tum Ioannes Abbas Biclarensis, & post Episcopus Gerundensis in Hispania, (qui his ipsis temporibus vixit, scripsitque perbreuem historiam à Iustino Iuniore vsque ad annum octauum Mauritij) duplici consignat chronologia, duth ingressum Regis Reccaredi, qui patri Levvigildo successit, ponit anno quinto Mauritij Augusti, & primo Gregorij Papæ. Cui item omnino consentit Lucas Tudensis, & ipse huius temporis scriptor Hispanus, dum æque anno quinto Mauritij regnare cœpisse Reccaredum habet; & alia addita nota, id ait accidisse Æra sexcentesima vigesima octaua, nempe hoc ipso anno Domini quingentesimo nonagesimo, quo Gregorius Pelagio successit. Sed quod iidem auctores de anno quinto Mauritii habent, suspectum omnino erit, nisi accipiatur de annis post ipsius Consulatum, quibus eiusdem Imperij annos consignari consueuisse superius diximus. Cumvero anno Imperij secundo Consulatũ iniisse constet, ea ratione quintus post Consulatum erit hic præsens, quo septimus Imperij finitur, & octauus inchoatur mense Augusti.

m Id. lib. 8. cap. vlt.

DE TEMPORE REGNI RECCAREDI.

[Levvigildi obitum, & Reccaredi successionem, posuerat primo Baronius Tom. VII. an. 585. Sed postea Tom. VIII. an. 591. maluit ea ad hoc tempus referri, iis partim motus rationibus, quæ hoc §. continentur. Addidimus etenim & nos aliqua in eius sententiæ confirmationem, quæ apud eum non habentur. Ex hac autem semel stabilita chronologia, emendandi erunt Æræ numeri, qui reperiuntur in Synodis Hispanicis sub eodem Reccaredo celebratis, contrarii annis eius regni ibidem notatis, qui ab hoc præsenti anno Domini quingentesimo nonagesimo initium accipiunt. Vnde & nos, (licet haud ista omnibus placere, nec ad amussum esse videamus) quibus à Baronii vestigiis deuiate non licet, tam eadem Concilia, quam alia quæ ex Reccaredi annorum chronologia pendent, in sua quæque loca reponere curauimus: notatis tamen in margine locis, quibus ea in Tomis Baronii extant.]

Quod autem ambo Gregorij, Romanus *n* & Turonensis *o*, Levvigildum persecutionis suæ pœnitentem decessisse tradunt, ac S. Leandro Hispalensi Episcopo Reccaredi filij sui conuersionem commendasse; ipsum tamen Catholicum omnino decessisse, haud satis certis probatur assertionibus; quippe cuius memoria execrabilis remanserit posteris. Verum Reccaredus memor pietatis fratris sui Hermenigildi martyris, vbi regni suscepit gubernacula, *Conuentu* habito tam Catholicorum quam Arianorum Episcoporum, cum vidisset Arianos nec miraculis nec rationibus Catholicis respondere posse, ipse Catholcorum fidem complectens, ad eam quoque omnes ditionis suæ subditos perduxit: vt constat ex iisdem Gregoriis *p*, Isidoro *q*, Ioanne Biclarense, aliisque.

XIII. n Greg. Pap. 3. dial. 31. o Greg. Tur. 8. hist. Fr. vlt. EIVS CONVERSIO AD FIDEM CATHOL. p Greg. Pap. ibid. Greg. Tur. 9. hist. 5. q Isid. in Chro. Goth.

Ad hoc quoque tempus pertinet CONCILIVM ANTISIODORENSE diœcesanum in Gallia celebratum, cui præfuit *Aunacharius* eiusdem ciuitatis Episcopus solus cum Abbatibus & presbyteris diœcesis: in eoque sanciti sunt canones quadraginta quinque, ad Ecclesiasticam disciplinam, & monasticam obseruantiam spectantes; iidemque magna ex parte sumpti ex iis quæ statuta fuissent in Concilio Matisconensi Secundo, cui idem Aunacharius interfuit. De iis tamen monendum, ne dum in aliquibus *r* Vigilias prohibitas legis, de sacris quę in Ecclesiis fierent intelligas; sed de illis quæ in priuatis domibus (vt ibidem docetur) quæ nonnullas haberent admixtas superstitiones. Quam enim frequens esset hoc tempore sacratum *Vigiliarum* vsus in Galliis, illud ostendit inter alia, quod quemlibet diem Dominicum Fideles præcedentibus nocturnis vigiliis agere consueuisse, docet canon primus eiusdem posterioris Concilij Matisconensis. Quin etiam in hoc ipso Antisiodorensi, vndecimo canone habetur de religiose seruandis Vigiliis Paschatis.

XIV. CONCIL. ANTISIODOR.

r Conc. Antisiod. c. 3. & 5. DE VIGILIARVM VSV HVIVS TEMP.

Quod ad res Orientales spectat; hoc eodem anno Mauritij Imp. septimo nondum expleto, (quantum ex Euagrio & aliis colligere fas est) Persarum Rex Hormisda, Romano Imperio infestissimus, à suis occisus est, ob tyrannidem (vt idem auctor *s* ait) quam in subditos exerceret. Sed quomodo res se habuerit, ita in Miscella *t* ex Theophane traditur: nimirum cum dux Persarum Varames male cum Romanis pugnasset, Regem ignominiæ causa muliebrem ad eum vestem misisse, eundemque præfectura priuasse. Itaque Varame rebellante, ac fictis literis milites in Regem commouente; Bindoën quemdam nobilem Persam, liberatum è carcere per fratrem suum, ex improuiso Regiam cum suis inuasisse, Hormisdamque è solio deturbatum in custodiam coniecisse, & filium eius Costhën Regem constituisse; ac postea educto Hormisda è carcere, Persas nobiles ante oculos eius vxorem & alium filium ferra diuisisse, ipsique oculos eruisse, ac rursum in ergastulum detrusisse: cumque benigne ibi à filio Cosrhoë tractaretur, sed & ipse ex aduerso filium conuitiis onerare non cessaret, conculcans quæ ab eo mitterentur; Cosrhoën iratum fustibus eundem cæsum mori coegisse: sed tum ob eiusmodi exhibitam in patrem crudelitatem, tum ob alios quosdam nobiles ab eodem ex suspicione proditionis occisos, rursum milites eo relicto ad Varamen ty rannum transiisse: ipsum vero Cosrohën fugam capessentem, dubium ad Christianosne vel Turcas confugeret, equo liberas laxantem habenas vt quo vellet abiret, ad Romani

XV. HORMISDÆ REG. PERS. INFELIX EXITVS.

s Ap. Baron. an. 592. sed vide sup. an. 583. post num. IV. t Euagr. lib. 6. c. 15. t Miscel. l. 17.

COSRHOES CONFVGIT AD ROMANOS.

Imperij ditionem peruenisse. Hæc auctor Miscellæ, quibus haud admodum dissenti ntia Euagrius *u* aff rt, cum & pluribus prosequitur quomodo Cosrhoes iussu Mauritii honorificentissime exceptus fuerit, plurimisque ab eo muneribus donatus, ac tandem in regnum restitutus: sed de restitutione, anno sequenti.

u *Euagr. l.6 c.16.17.*

IESV CHRISTI AN. 591.

GREGORII AN. 2.

MAVRITII AN. 9.

I. IN REGNŪ RESTITVITVR

ANno Christi quingentesimo nonagesimo primo, Indictionis nonæ, Mauritius Augustus Regem Persarum Cosrhoen regno restituturus, ei bello præfecit Narsetem Ducem; qui incruenta potitus victoria feliciter id præstitit. Narrantur hæc in Miscella *a* ex Theophane: additurque de quibusdam Turcis, qui in exercitu rebellium Persarum militantes, capti & Constantinopolim ducti sunt; inuentos illos stigmate in fronte Cruce signatos, & ab Imperatore rogatos quid sibi id vellet, respondisse, cum peste ipsorum prouincia laboraret, illud sea Christianis fuisse edoctos remedium pro salute consequenda. Agens vero Euagrius *b* de eiusdem Cosrhois restitutione per Romanos facta, addit eum in regnum restitutum, Cruces auro & lapidibus pretiosis exquisite elaboratas, aliaque egregia donaria piissimis inscriptionibus norata, quæ (vt prosecutus est) Deo Christianorū, sanctoque martyri Sergio in Oriente celeberrimo, idem regno spoliatus atque in aliis periculis ærumnisque constitutus vouerat; tranimisisse ad Gregorium Antiochenum Episcopum, vt ab eo in eiusdem Martyris templum honorifice reponer ntur. Ex quibus huius temporis Nouatores rubore suffundi debeant, cum etiam ab infidelibus & idololatris redarguantur in veneratione sanctissimæ Crucis, & cultu sanctorum Martyrum; dum talia egit Ethnicus, sua tamen conscientia Christianus, veritus publice profiteri quod sentiret, ne rebellem experiretur populum, quem omnibus demulcere officiis hoc sui regni exordio satagebat.

a Miscel. l.17. Ap. Baron. ann.593 ne quis dissim. 583. num.IV.

b Euag. l.6. c.18.&c.

EIVS SACRA DONARIA.

II. REX PERS. CREDITVS CHRISTIANVS.

Sane quidem increbuit hoc tempore per Orbem fama, Persarum Regem Christianam religionem suscepisse: idenim Ioannes Biclarensis aperte scripsit. Verum liquet esse mendacium; sicut quæ de conuersione Reginæ Regisque Persarum habet Paulus *c* Diaconus. Siquidem Cosrhoen Gentilem permansisse, tum Euagrius hanc describens historiam testatur; tum Gregorius Papa scribens *d* ad Domitianum Episcopum Melitinæ Mauritii Imp. cognatum, cum frustra laborasse in conuersione eiusdem Regis dolet. Illud quidem assertione Theophylacti in Historia Mauritiana *e* eodem tempore scripta constat, post adeptam beneficio Christi victoriam, eundem Regē in Iudæos qui Varami fuissent adiumento gladium exeruisse; quos ait ex illis progenitos esse, qui post excisas Hierosolymas ad Assyrios vnde venerant reuersi essent: additque eam victoriam Persas consecutos esse auspice Dei-Genitrice, cuius & nomine pro symbolo militari in bello vsi essent. Cæterum hoc eodem tempore *Naamanem* Saracenorum Principem ad fidem Christianam vna cum suis omnibus conuersum esse, Euagrius *f* est auctor.

c Paul. diac. l.4 c.52. d Greg. Pap. l.2 ep.63. ind. 11. e Hist. Mauri. l.5.

PRINCEPS SARAC. CŌVERSVS AD FIDEM.

f Euagr. lib. 6. c.21.

III.

Quod autem pertinet ad res Occidentis; hoc eodem anno mense Februario Gregorius Papa Synodalem *g* epistolam (ita enim ipse appellat *h*) dedit ad Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, cui fidei suę professionem intexuit; contestatusque est ita, se Quatuor Concilia Vniuersalia venerari, sicut sancti Euangelii quatuor libros, necnon & Quintum se aduersus Tria Capitula susciperе. Erat enim illud in more, vt simulac quis Romanus creatus esset Pontifex, vicinis collectis Episcopis Synodum ageret, in qua se esse fidei Catholicæ custodem tenacissimum declararet; ex eaque, epistola Synodalis transmitti soleret ad omnes vbiq; Episcopos, potissimum vero ad præcipuarum Ecclesiarum Patriarchas. Sed quod in inscriptione eiusdem epistolæ duo nominantur Antiocheni Episcopi, Gregorius, & Anastasius; in memoriam reuoca, quod superius dictum est, Anastasium calumniam passum Antiocheno fuisse Episcopatu deiectum, & in locum eius subrogatum Gregorium. Quod vero magna, ob spiritualem animorum coniunctionem, intercesserit olim inter ipsum Gregorium Papam & Anastasium necessitudo; non solum ad eum, sicut ad cæteros Patriarchas Synodalem epistolam misit, sed etiam aliam priuatam *i* addidit vna cum munere Clauium S. Petri Apostoli, de sepulchro eiusdem sumptarum; quæ (vt ait) super ægros positæ, multis miraculis solerent coruscare. Cuiusmodi & alias, habentes intus de limatura Catenarum eiusdem S. Petri, hoc eodem tempore transmississe reperitur *ii* ad Andream virum insignem, & ad Ioannem Patricium & Exconsulem; necnon ad alios postea sæpissime, vt patet ex plurimis eiusdem epistolis. De quibus & Gregorius Turonensis *k* agens, ait multos consueuisse claues aureas ad referandos cancellos sepulchri S. Petri facere; qui eas ferentes pro benedictione priores accipiebant, quibus infirmitatibus ægrorum mederentur.

g Greg. l.1. ep. 24. h Id. l.1. ep.4 GREG. PP. PROFESSIO DE SYNODIS OECVMEN.

Laborans præterea strenue idem sanctus Pontifex in ministerio pastorali; inter alia præclara, quæ hoc eodem anno statuit, præstititque in vtilitatem & correctionem omnium tam Ecclesiasticorum quam laicorum, & tam clericorum q̄ monachorum, quæ in ipsius epistolis conspici possunt; ex sacrorum canonum instituto, vetuit *l* clericos cum fœminis conuersari. Cumque in Sicilia prauus ille abusus obrepsisset, vt subdiaconi vxorem ducerent; (quod prohibitum à Pelagio Gregorii prædecessore fuerat, qui & coniunctos separari voluit: ipse iterum Gregorius scribens *m* ad Petrum in Sicilia subdiaconum, prohibuit ne imposterum quis subdiaconus ordinaretur, nisi continentiam seruare Episcopo spopondisset: coniunctos vero ita manere voluit, vt nulla eis spes esset ad superiorem ordinem ascendēdi nisi ab ea quam acceperant vxore se penitus separassent. Ex quibus plane refellitur commentum illud, quod Nouatores *n* ex conficta ab aliquo imperito defensore coniugii clericorum, epistola nomine S. Vdalrici Augustani Episcopi ad Nicolaum Papam deprompserunt; nimirum, cum aliquando hic ipse Gregorius suo decreto vxores sacerdotibus ademisset, pauloque post iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores sex millia capitum infantium suffocatorum reperisse; & cum eam cædem intelligeret Pontifex ex occultis fornicationibus sacerdotum natam esse, continuo illud suum decretum reuocasse.

i Ibid ep.25. DE CLAVIBVS SEPVLCHRI S. PETRI MITTI PRO MVNERE SOLITIS. ii Ep.29.& 30. k Greg. Tur. l. de glor. mart. 28.

IV.

l l.1 ep 50. MATRIMONIVM PROHIBITVM SVBDIACONIS.

m ep 42.

n Centur. 6. c.7. col.388. & Cent. 9. col 540. FABVLA DE FILIIS SACERDOTVM.

V.

Verum hæc fabula non solum ex iis, quæ dicta sunt, refellitur sed ex aliis quamplurimis. Quam enim falsum sit pœnituisse Gregorium eiusmodi sui decreti, patet ex eo, quod eadem ipse repetiit post tres annos, nimirum Indictione duodecima scribens *o* ad Leonem Episcopum Catanensem in eadem Sicilia: Itemque quod in Concilio Romano habito Indictione decimaquarta canonem statuit, vt si quis presbyter aut Diaconus vxorem duceret, anathema esset. Pluresq; insuper extant eius epistolæ *p*, quibus prohibet habitare cum clericis fœminas, nisi quas canon concedit sanguine proximas. Denique ad Augustinum in Angliam missum rescribens *q*, illud inter alia decreuit, ne permittat clericos in sacris ordinibus constitutos vxores ducere: quinimo admonet, vt pollutus in somnis sacerdos ex crapula præcedenti, abstineat à sacri celebratione mysterii. Hæc quidem quod ad Gregorium.

o Greg. l.3. ep. 34.

p l.1. ep.50. l.7. ep.109. l.11 ep.40.

q 12 ep.31.

VI. DE EPIST. S. VDALRICI NOMINE CONFICTA.

Quod vero ad S. Vdalricum spectat; cum ex eo, quod tradunt auctores *r* ipsum octoginta tres annos vixisse, ex iisq; quinquaginta in Episcopatu egisse, Episcopum autem creatū esse anno Domini nongentesimo vigesimo quarto; sequatur eundem natum esse anno octingentesimo nonagesimo primo, atq; obiisse nongētesimo septuagesimo quarto. quomodo is ad Nicolaū Papam illam scribere epistolam potuit, cum Nicolaus Primus obierit anno octingentesimo sexagesimo septimo, nempe annis viginti quatuor ante Vdalricum natum, Nicolaus autem Secundus creatus fuerit Papa anno milleſimo quinquagesimo nono, nimirum octoginta quinque annis post eundem Vdalricum defunctum? Quod enim his demonstrationibus exclusi Centuriatores, alium effingunt Vdalricum Episcopū Augustanum; cum hoc absq; aliquo auctore producant, nec illud Augustani ipsi admittant, qui vnicum tantum agnoscunt suæ ciuitatis Episcopum Vdalricum nomine; id qua facilitate asseritur, eadem & reiicitur. Deniq; quod ipsam narrationis seriem spectat; quomodo paulo post sancitum à Gregorio eiusmodi decretum,

r Herm. Contract. & Ab. Vrsp.

potuerunt sex millia infantium capita reperiri; & non saltem plures annos oportuit expectare, vt tot furtim nascerentur infantes? Sed & quomodo intellectum est, illa esse capita filiorum clericorum, non laicorum? Denique cur de historia tam admiranda nihil scripsere Ioannes Diaconus, Beda, Sigebertus, Ado, Freculphus, aliique tam multi illorum temporum scriptores? Sed his modo satis; quæ etiam alii *f* antehac refellerunt.

f Bell. Cōtr. de Cler. l. 1. 12. & 14.

VII. DE ELECTIONE EPISC. IVS TEMP.

Quod ad reliqua pertinet; idem Gregorius Papa hoc ipso anno nonnullas Ecclesias vacantes, vicinis Episcopis commendauit; pluresque nouorum Episcoporum electione curauit implendas. Cuius rei praxis his temporibus ita se habuisse cognoscitur, vt si dissentirent eligentes, vel minus idoneos eligere perseuerarent, tunc Romanus Pontifex *t* quem vellet daret illis pastorem. Sed & quod hodie fit, vt idem Romanus Pontifex in aliis etiam diœcesibus conferat sacerdotia curam animarum annexam habentia; tunc pariter consuetum fuisse, docet eiusdem epistola *u* ad Importunum Episcopum. Dedicationem quoque diuersarum Ecclesiarum fieri concessit, quippe quod minime fas esset inconsulto Romano Pontifice Ecclesias dedicare, vt patet etiam Gelasii *x* Papæ auctoritate. quod tamen haud intelligendum putamus in prouinciis subiectis Patriarchis Orientalibus. Cum autem dedicarentur Ecclesiæ, præter alia solemnibus ritibus exhiberi solita, quam magna consueuissent præberi impensa antiquæ illæ agapes, in quibus pauperes epulari solerent; satis patet ex eiusdem Gregorii Epistola *y* ad Petrum subdiaconum scripta pro dedicatione oratorii S. Mariæ; pro qua dare iubet ad erogandum pauperibus, *in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum*, in supplementum inopiæ eius quæ dedicaretur Ecclesiæ. Porro quam hactenus vidimus Pontificatus sui exordio sanctum Antistitem in rebus personisque Ecclesiasticis rite componendis solicitam impendisse curam; (cum alioqui nonnisi ex iis quæ ad publica Ecclesiæ Vniuersalis negotia spectare videntur, quædam duntaxat delibauerimus:) in eandem sequentibus etiam annis vigilantissimo studio vsque ad obitum continuo incubuisse, docent abunde ipsius Epistolæ, duodecim libris per singulas Indictiones probe dispositæ: ex quarum singulis verbis, nonnisi magna, quæcumque siue in publicis siue priuatis rebus gesserit scripserit ve, esse, quisque prudens intelligat.

u Id. 2. ep. 10.

x Gelas. Pap. ep 9. c. 6. & 27. ad Epis. Lucan.

DE IMPENSIS IN DEDICATIONIB. ECCL.

y Greg. 1 ep. 34.

GREG. VIGILANTISSIMA CVRA

VII. PATRIMONIA ROM. ECCL. IN DIVERSIS PROVINCIIS.

Habebat Romana Ecclesia (vt ex eodem Gregorio, aliisque auctoribus patet) locupletissima vbique toto orbe terrarum patrimonia, non in Italia solum & Sicilia, sed & in Asia, & in Gallis, atque in Africa: ad quæ curanda mos erat subdiaconos mittere. In iis vero curandis ita voluit eos se gerere, vt sicut cauere *z* deberent: ne ea aliquo modo per subreptionem inuaderentur, ita alienum *a* nihil possideri permitterent; & ex delictis *b* alienis commodum nullum Ecclesiæ fiscus sentiret; ac denique in omnibus semper ratio pauperum haberetur. Cum autem Africana Rom. Ecclesiæ patrimonia iam cultorum defectu destituta pene haberentur, ea Gennadii Patricii & Exarchi in Africa, viri maxime pii diligentia ad pristinum cultum restituta fuere. Cuius rei gratia idem à Deo magnas consecutus est victorias aduersus hostes, quos pietate potius quam armis subiecit, vt de eo testatur Gregorius *d*. Qui bene vsus tanti viri religione, eundem quoque aduersus Donatistarum præsumptionem erexit. Accidit enim, vt quoniam in prouincia Numidiæ vetus illa vigebat consuetudo, vt Episcopus ordinatione antiquior Primas diceretur, cum Episcopus quidam Donatistarum hoc tempore cæteris sede antiquior reperiretur, ipse sibi primatum vendicaret. Id vero ne vllo modo fieret, S. Gregorius intercessit scribens ad eundem Gennadium *e* Exarchum, necnon ad Catholicos Episcopos *f* Numidiæ.

z l. ep. 70. a l. ep. 42. 63 68. 71 80.

b d ep. 42.

c l. ep. 53.

d l ep. 73.

DONATISTÆ REPVLSI A PRIVILEGIIS CATHOL.

e l. ep. 72. f l. ep. 75.

IX. DE OFFICIO CHARTVLARII.

Sed quod in Epistola ad Episcopos meminit Hilarii S.R.E Carthularii, in Africam missi ab ipsius Gregorii prædecessore; cum eiusdem muneris sæpe & alii mentionem faciant, hic obiter sciendum est, quem Latini *Chartularium* dicebant, Græcos *Chartophylacem* nominasse: quorum officium erat, præsidere iudicis Ecclesiasticis loco Pontificis, & chartas publicas custodire. Verum in Ecclesia Constantinopolitana longe ampliorem fuisse eam dignitatem, quam in Romana, satis intelligitur ex Theodori Balsamonis *ff* Responso de duobus officiis Chartularii & Defensoris. Curabat namque iudicia, quæ iure Pontificatus pertinerent ad Patriarcham: vnde & nuncupabatur os & manus Patriarchæ: eiusque erant insignia, gestare annulum aureum, & tiaram auro ornatam, atque ante pectus Patriarchale bulloterium instar Rationalis Aaronis: cumque procedendum esset, vehebatur mulo, qui (sicuti Patriarcha vti soleret) ornatus esset linteo albo. Sed & ipsi soli post Patriarcham, catechistico more populum in Ecclesia docere licebat: & in iudicialibus vbicunque adesset, personam repræsentabat Patriarchæ, magno insidens tribunali, & causas audiens tam ciuiles quam criminales: vnde in ipsius initiatione dabat ei Patriarcha in manus claues, summam eo signo collatam significans potestatem. Denique cum esset ordine sacro tantum modo diaconus, in publicis tamen confessibus sedebat ante Episcopos, quamuis sæpe, sed frustra, ab Episcopis ea de causa fuisset reclamatum. In Oecumenicis tamen Synodis neque sedebat; sed præsto erat suæ functioni, qua præerat Chartophylacio, siue Archiuo vbi scripta publica asseruarentur; indeque promebat quæ in Synodo legenda essent, vt patet ex Actis Sextæ *g* Synodi. Ac demum in Responsis *h* Ioannis Episcopi Citri traditur, eius fuisse sigillum scriptis imprimere. Sed de his satis.

ff Balsam. in Medit. l. 7. Iur. Græc.

g Syn. Sext. Act. 13. 14.

h l. 5. Iur. Græc.

X.

Quod vero pertinet ad reliquas huius anni res gestas; cum anno superiori (vt vidimus) Antharith Rex Longobardorū mortuus esset; Reginaque Theodolinda, quam nuper acceperat in vxorem à Batoariæ Rege Garibaldo, (vt Paulus *i* Diaconus affirmat) Longobardorum concessione Regina perseuerans, delegisset sibi virum Agilulphum Ducem Tauritanum, eundemque nominatum Agnonem, secta Arianum: idem *Agilulphus* Longobardorum Rex appellatus est hoc anno mense Maio. Qui debellatis, occisisque illis quos aduersarios passus esset, regnum sibi stabiliuit Italiæ: exceptis enim Roma, atque Rauenna, cum aliis ad eas spectantibus locis, vniuersa Italia ab Alpinis montibus Rhegium vsque Calabriæ illi parebat. Idem vero paulo post, per eandem Theodolindam Reginam, vna cum vniuersis Longobardis, qui Gentilitatis aut Arianismi impietatibus irretiti erant, conuersus ad fidem Catholicam, & in baptismate nominatus Paulus. Hæc pluribus idem auctor *k*. Quibus videas, magno Dei consilio factum esse, vt robustissimæ eædemque indomitæ gentes, siue Christiano siue Catholico nomini infensissimæ, Franci, Gothi, & Longobardi, auitis abdicatis erroribus, per fœminas conuerti fuerint ad verum religionis cultum, Franci in Gallia per Chrotildem Burgundam, Gothi in Hispania per Ingundem Francam, Longobardi in Italia per Theodolindam Bauaram.

i Paul. diac. de gest. Longob. lib. 3. c. 14.

AGILVLPHI REG. LONGOB. CONVERSIO.

k Id. l. 3. c. vlt. & l. 4. c. 1. & 2.

FEROCISS. NATIONES PER FŒMINAS CONVERSÆ.

IESV CHRISTI AN. 592.

GREGORII AN. 3.

MAVRITII AN. 10.

I.

ANnus Christi quingentesimus nonagesimus secundus, Indictione decima, funestus fuit Italiæ, & valde ærūnosus S. Gregorio Papæ, tum foris agitato assiduis præliis Longobardorum sub Duce Arnulpho omnia deuastantium, tum intus morbo vexato; vt de his patet ex epistola *a* hoc anno data ad Ioannem Rauennatem Episcopum, qua illum imprimis vrget, vt à Romano Patricio & Exarcho Rauennæ commorante licentiam sibi impetret, pacem cum eodem Arnulpho æquis conditionibus contrahendi.

a Greg. 2. ep. 32. ind. 10.

Interea vero cum nihil prætermitteret exactissimæ curæ pastoralis, toto Orbe pro Pontificatus sui munere exercendæ, idem acceptis ex Numidia legatis, qui nuntiassent Donatistas pecunia data ab Episcopo quodam Catholico impetrasse, vt in ipsius ciuitate fineretur pariter esse Episcopus Donatista, (quod quidem aliquādo bono pacis permissum, postea sublatum fuerat) eique concederetur iterum baptizare Catholicos: ad hæc tam enormia corrigenda, in Numi

II. GREG. PP. PROVIDET NEGOTIIS ECCL. TOTIVS ORBIS.

dim

diam proficiſci iuſſit Hilarium S. R. E. Carthuluium Carthagine degentem: vt coacto Concilio, ille deponeretur Epiſcopus qui talia permiſiſſet. Eodemque anno, ab eodem cognitæ ſunt *b* cauſæ Epiſcoporum Thebanæ ciuitatis in Bœotia & Primæ Iuſtinianæ, itemque Epidauritani, Agrigentini, Salonitani, Calaritani, & aliorum. In iudicandis porro Epiſcopis ita ſe tunc praxis habebat, vt ſi quando Epiſcopus apud Romanum Pontificem accuſatus, Romamque vocatus, vel miſſus, damnari minime meruiſſet, tunc ad ſui purgationem iurare compelleretur ſupra corpus ſancti Petri Apoſtoli, ſecundum ea, quæ & ipſa habet ſanctus Auguſtinus *c*: quod hoc anno factum eſt de Leone *d* Epiſcopo Catanenſi, ac poſtea de Mena *e* Toloſano. Hocque etiam tempore Epiſcopi Hiberni, qui hactenus ſchiſmati ob Tria Capitula conflato conſenſerant, tandem anguſtia perſecutionis preſſi ad Romanam Eccleſiam clamarunt. Quos Gregorius ad vnitatem reducere cupiens, literas *f* ad eos miſit, vna cum libro ea de re Pelagii Papæ nomine ab ipſo Gregorio (vt vidimus) olim conſcripto. Porro hos ad Catholicam communionem rediiſſe, inde certum deducitur argumentum, quod poſt hæc iidem de rebus dubiis, vti cæteri Orthodoxi, eundem Pontificem conſuluiſſe reperiuntur *g*: quod vtique non feciſſent, ſi adhuc in ſchiſmate permanſiſſent.

b Vid. l. 2. ep. 3. ind. 11.

c Aug. de gest. Cæc. ep. 47. *d* Greg. l. 13. ep. 35. Ind. 10. *e* Id. l. 11. ep. 8. HIBERN. SCHISMAT. CONVERSIO. *f* l. 9. ep. 56. Ind. 10. *g* Id. l. 9. ep. 61

III. TVNICÆ S. IOAN. TRANSLATIO.

Hoc item anno *Tunicam S. Ioannis* Euangeliſtæ Romam delatam eſſe, ex eodem *h* apparet: quam collocatam eſſe ſub altare ſancti Ioannis in baſilica Conſtantiniana, multiſque coruſcare ſolitam miraculis, teſtatur Ioannes Diaconus *i*; cum præcipue ſiccitatis tempore foras excuſſa pluuiam conferret, inundationis vero tempore ſerenitatem reduceret.

h l. 2. ep. 3. Ind. 11. *i* Ioa. Diac. in Vit. S. Greg.

IV. MAVRITII IMP. INIQVA LEX A S. GREG. CORRIGITVR.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno denigrauit Mauritius Imp. nomen ſuum, dum Iuliani Apoſtatæ legem renouauit, qua prohibitum fuerat, nequis miles nondum expleta militia monachus effici poſſet. Sed eam ab Imperatore ad Gregorium miſſam, idem Gregorius valide impugnauit, eandemque ita decreto ſuo emendauit, vt in his militibus locum non haberet qui vere pœnitentes probati eſſent. Sed & quod eodem edicto prohibitum fuiſſet, actionibus publicis implicatos nullo pacto recipiendos in monaſterium; ita temperauit, vt ſtatuerit eos eſſe recipiendos cum illis obligationis nexibus ſoluti fuiſſent. Hæc autem omnia manifeſta fiunt, tum ex literis quas ipſe anno ſequenti ad finem Indictionis vndecimæ de ea re ſcripſit *k* ad Mauritium, necnon ad Theodorum medicum eiuſdem Imperatoris intimum; tum ex aliis poſtea ad diuerſos Metropolitanos Orientis atque Occidentis eodem argumento conſcriptis *l*.

k Greg. l. 2. ep. 61. & ep. 65. Ind. 11.

l Id. l. 7. ep. 11. Ind. 1.

V. QVOMODO SACERDOTIS SVBITI SINT REGIBVS.

Ex quibus etiam vltimis intelligas, quomodo accipienda ſint quæ abiectè nimis videri poſſent ab eo dicta in iiſdem ad Mauritium & Theodorum datis; dum inter alia ait, Deum Imperatori conceſſiſſe, vt non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotibus dominaretur: vnde Nouatores probare nituntur ſacerdotium Regibus ſubiectum eſſe. Qui enim cenſor & corrector exurrexit conſtitutionis Imperatoriæ, vt ad rectam Catholicæ Eccleſiæ normam aptaret; haud ſe ſubiectum Imperatori, ſed potius in his ſuperiorem demonſtravit. Sic vero Deum ſubieciſſe tradit ſacerdotes Mauritio, vt olim eos ſubiecerat perſecutoribus Neroni atque Diocletiano, quos etiam gladio in eos agere permiſit. Nam & Gregorium inter eos connumeraſſe Mauritium, (ſiue alium Imperatorem, ſub quo velis eum ſcripſiſſe commentarium in Pſalmos pœnitentiales) quod poteſtatis ſuæ iura tranſcendens, Eccleſiam, quam ſui ſanguinis pretio redemptam Saluator voluit eſſe liberam, ipſe facere conaretur ancillam, cum eam potius dominam ſuam agnoſcere deberet, eique deuotionis obſequium exhibere; ideoque indignum prorſus fuiſſe qui inter Reges haberetur; apertiſſimis verbis idem ſanctiſſimus Pontifex, illo commentario *m* declarauit. Siquid vero nihilominus indignum Apoſtolico vigore prædictæ ipſius Epiſtolæ habere videantur, nihil illud veritati aut iuribus Eccleſiæ præiudicare poterit; quandoquidem ipſo illius exordio quam ad Imperatorem ſcripſit, imprimis conteſtatus eſt, ſe non vt Epiſcopum eam ei commonitionem impertire, ſed iure priuato. qui quidem cum iure publico agendum fuit, Imperatoris conſtitutionem Pontificia auctoritate (vt vidimus) correxit.

m Id. in Pſ. 4. pœnit. ap. Baron. ann. 593. & ante 590.

IESV CHRISTI AN. 593.

GREGORII AN. 4.

MAVRITII AN. 11.

I.

ANno Domini quingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione vndecima, Gregorius Papa Conſtantinopolim miſit Sabinianum Diaconum Apocriſiarium, illum ipſum qui eidem poſtea in Pontificatu ſucceſſit. Cui proficiſcenti literas ad diuerſos amicos *a* viros Illuſtres dedit; itemque ad Ioannem *b* Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quem auctoritate Apoſtolica redarguit, & quod alium Ioannem presbyterum, qui iniuriam ab ipſo paſſus Apoſtolicam Sedem appellauerat, adhuc inquietaret; & quod reprehenſionem ab eodem Gregorio ipſi factam de Anaſtaſio item preſbytero ac monacho, quem Ioannes fuſtibus puniri iuſſiſſet, non eo quo ſcripta fuerat animo ſuſcepiſſet. Hocque pariter eodem anno Andream Epiſcopum Tarentinum duobus menſibus à celebratione Miſſarum ſuſpendit *c*, eo quod mulierem quandam fuſtibus ſubiecciſſet. Vetitum enim erat aliquem fuſtibus ab Epiſcopis cædi: virgis autem ſubiicere reum fuiſſe conceſſum, ex plurimis eiuſdem Pontificis Epiſtolis patet. Qua vero auctoritate hos Gregorius coercuit eadem quoque res Africanæ Eccleſiæ curans, *Concilium* generale ab Epiſcopis *Numidiæ* ipſius iuſſu *d* habitum nullum penitus reddidit *e* atque caſſum, quod in eo aliqua contra canones Eccleſiaſticos accepiſſet fuiſſe ſtatuta.

a Greg. l. 2. ep. 51. 64. 66. Ind. 11.

b l. 11. ep. 32. GREG. REDARGVIT Io. CONST.

c l. 2. ep. 44.

INVALIDAT. GESTA CONCILII NVMID. *d* l. 7. ep. 47. 48. *e* l. 1. ep. 7

II.

Hoc item tempore, cum defuncto Laurentio Iuniore Mediolanenſi Epiſcopo, idem Pontifex illius ciuitatis clero *f* teſtimonium perhibuiſſet de probitate Conſtantii eiuſdem Eccleſiæ Diaconi, quem ipſe Conſtantinopoli familiarem habuerat; (teſtimonium, inquam, tantummodo perhibuit pro eius vero electione nihil officii impendere voluit, quod vt ait, iam olim propoſuiſſet, nunquam pro alicuius perſona in Epiſcopum eligenda agere:) idem Conſtantius omnium conſenſu creatus eſt. Qui cum mox aſſenſum præbuiſſet damnationi Trium Capitulorum, tres Epiſcopi ei ſubiecti ea de cauſa ab eius communione ſubtrahentes, Theodolindam quoque Longobardorum Reginam, fœminam religioſiſſimam, in ſchiſma vna ſecum abducere conati ſunt. Quod audiens Gregorius, continuo ad eam cum literis *g* Ioannem Abbatem & Hippolytum Notarium miſit, & ad eundem Conſtantium *h* ſcripſit, vt illis cooperaretur in reparatione periclitantis Reginæ. Eandem tamen aliquamdiu in ſchiſmaticorum ſententia perſtitiſſe, eiuſdem Gregorii poſt ea ſcriptæ literæ *i* docent.

REFVGIT AGERE PRO PERSONIS IN EPISCOPOS PROMOVENDIS

f l. 2. ep. 29. Ind. 11.

g l. 3. ep. 4

h l. 3. ep. 2.

i l. 3. ep. 37.

III

Inter hæc autem idem ſanctiſſimus Pontifex laboribus & anguſtiis fatigatus & preſſus, ad modicum temporis ſpatium amicam repetiit ſolitudinem, ita tamen, vt in otio eſſet maxime operoſus. Cum enim collegiſſet res præclare geſtas ſanctiſſimorum virorum Italiæ, eorum potiſſimum qui ſuæ ætate vixerunt, quas vel ipſe probe ſciret, vel à viris fidedigniſſimis accepiſſet; diligentiſſimam in his curam impendens, eaſdem per dialogiſmum proſecutus eſt, interlocutorem adhibens Petrum Diaconum, virum à pueritia ſibi vſu amicitiæ intimum, quem in eam ſolitudinem ſecum duxerat. Hæc ipſe omnia in exordio operis pluribus aperit. Eos vero *Dialogorum* libros elaboratos eſſe anno quarto ipſius Pontificatus, (qui ingreditur hoc anno menſe Septembri vna cum duodecima Indictione) eiuſdem ſæpe in eodem opere teſtificatione certum redditur, dum de peſte agens quæ Vrbem vexauit eo anno quo ipſe Pontifex creatus eſt, ante triennium accidiſſe affirmat *k*. Cum autem iidem ipſius Dialogi longe poſtea à Zacharia Papa fuiſſent ex Latino in Græcum conuerſi, ita plane expetentibus Græcis, Ioannes Diaconus accidiſſe ait, vt eorum poſteri eoſdem corrupe-rint, dum quod Gregorius in fine ſecundi libri habet Spiritum S. à Patre Filioque procedere, abſtulerunt ipſi nomen Filii.

SECESSVM PETIT AD COLLOQVIA DIALOGOS

k l. 4. Ind. 12. 1647. DIALOGI GREC. IN GRÆCVM CONVERSI. Claudius in Vit. Greg. lib. 4 c. 75

Cæte-tum

IV.

m *Greg. ep. lib. 2. Ind. 11 & lib. 3. Ind. 12.* GREG. IN SECESSV CVRAM AGIT ECCLESIÆ VNIVERSALIS.

Cæterum secessionem illam breuem haud extitisse Pontificalibus negotiis feriatam, quamplurimæ datæ hoc anno ab eo ad diuersos Epistolæ *m* docent; quibus Episcopos varie peccantes redarguit, puniuit, deposuitque; monachos discolos coercuit, pusillanimes hortatus est; omnisque conditionis ac sexus homines in officio continens, qui inter illos afflicti essent consolatus est, egenisque & oppressis subuenit. Puellam *n* seruituti obnoxiam, monasticam vitam amplecti cupientem, redimi Ecclesiæ pecunia voluit, vt voti compos effici posset. Illudque aduersus Iudæos decreuit *o*, ne eorum ancillæ vel serui ad Ecclesiam fugientes ipsis redderentur: & mancipia Christiana à Nasate Iudæo empta reddi libertati mandauit *p*; ipsumque puniri, quod lucri causa captandi, Eliæ Prophetæ nomine erexisset altare, inuitans Christianos ad eius cultum. Cumque audiisset in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quosdam idololatras, & Angelorum cultores, (quæ Iudæorum hæresis erat) loci Episcopum Eutychium admonuit *q*, pro eorum conuersione strenue laborare. Denique tot se occupationibus & tribulationibus hoc anno detentum fuisse idem ad Narsetem Patricium scribens *r* significat, vt (quod ait) ipsi neque legere, neque per epistolas multa loqui liceret: oblitumque se esse manducare panem suum à voce gemitus sui.

n 2. *ep.* 39.
o 3. *ep.* 9.
p 2. *ep.* 37.
q 2. *ep.* 60.
r 2. *ep.* 63.

V.

TVRBÆ IN GALLIA, OB DVAS REGIAS MONIALES, DISCOLAS.

Hoc eodem anno, qui numeratur Regis Francorũ Childeberti decimusquartus nondum absolutus, contigit vniuersam Galliam fatigari duarum regiarum monialium causa, videlicet *Chrodieldis* filiæ Chariberti Regis, ac *Basinæ* filiæ Chilperici pariter Francorum Regis: quæ sub S. Radegunde Regina in monasterio Pictauiensi professæ virginitatem, post obitum eius non patientes ab Abbatissa Leubouera, haud paris nobilitatis fœmina regi, cum ipsæ primatum ambirent, facta seditione foras egressæ sunt, eo prætextu vt apud Reges aduersus Abbatissam expostularent. Verum cum parum apud eos profecissent, Pictauos redeuntes se intra sancti Hilarii basilicam continuerunt, indeque per armatos nefandissimos quosque ac perditissimos homines cuncta rapinis cædibusque miscentes, monasterium quoque Sanct. Radegundis diripuerunt, & Abbatissam vinculis alligatam abduxerunt, insuperque plagis intra Ecclesiam S. Hilarii, cum alios quamplurimos affecerunt, tum ipsum Episcopum Pictauiensem nomine Moroueum, necnon Gundegisilum Burdegalensem Metropolitanum, aliosque Episcopos prouinciales qui in eam ciuitatem, vt his malis mederentur *conuenerant*. Qui quidem Episcopi, cum ob eiusmodi aliasque horrendas grassationes, eosdem regias moniales à communione suspendissent; hæc ipsorum sententia approbata est ab alio *Conuentu* Episcoporum, qui apud Regem Guntheramnum eadem occasione collecti erant; itemque ab alio rursum *Pictauis* celebrato ab Episcopis vtriusque Regni, Childeberti videlicet & Guntheramni: à quibus causa exacte discussa, eædem moniales discolæ recusantes Abbatissæ reconciliari, excommunicatæ sunt, ipsaque Abbatissa in monasterium restituta. Hæc omnia pluribus Gregorius *s* Turonensis, qui eisdem interfuit; quę quidem hoc anno cœpta, in sequentem propagata sunt. Quo iterum *Metis* habita *Synodo*, (in qua pariter in ordinem redactus est Ægidius Rhemẽsis Episcopus, coniurationis in vitam Childeberti Regis conuictus:) eadem Basina coram Episcopis solo prostrata veniam petiit, eaque obtenta Pictauos rediens Abbatissæ se subiecit: Chrodieldis autem Childeberti Regis precibus in communionem recepta, Pictauos item, sed non in monasterium regressa est. Rei gestæ seriem habet idem *ss* Gregorius Turonensis: subdens & de vltione diuina in eorum Ducem qui iussu Chrodieldis inuaserant basilicam S. Hilarii.

PLVRES SYNODI EA DE CAVSA HABITÆ.

s *Greg. Tur. 9. hist. 39. & seqq. & lib. 10. c. 15. & seqq. ap. Baron. hoc an. & seq.*

ss *Id. l. 10. c. 20. & 21.*

VI.

Hoc item anno, petentibus Francorum Regibus, datum *t* legitur à sancto Gregorio Papa priuilegium monasterio S. *Medardi* Suessionensi in Gallia, quo illud constituit caput monasteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni subiici, præterquam Sedis Apostolicæ. Datum enim ponitur septimo Calendas Iunii, anno ab Incarnatione Domini *u* quingentesimo nonagesimo tertio, Indictione vndecima: sed aduertendum est, subscriptionem Episcoporum, ac Regis Francorum Theodorici, eidem priuilegio appositam, haud in omnibus congruere his temporibus, ideoque videri

t *Greg. Pap. lib. 2 epist. Ind. 11. post ep. 38.*

u *Ita veteres Codd. & non 594 vt habet recens editio.*

postea adiectam. In fine vero, Regibus, Antistitibus, Iudicibus, & aliis, quicunque eiusmodi priuilegium in aliquo violare præsumerent: excommunicatio, & dignitatis priuatio denuntiatur. Quam eandem comminationem habet & aliud priuilegium ab eodem Pontifice *x* post hæc ad instantiam Theodorici Regis & ipsius auiæ Brunichildis Reginæ concessum ecclesiæ, monasterio, ac Xenodochio ab ipsa cõstructo in ciuitate Augustodunensi. Quod si hæc decernantur in violatores priuilegiorum vnius monasterii, vel xenodochii: (sicut inde postea argumentatus est Gregorius *y* Papa Septimus aduersus Henricum Imperatorem;) quid præstandum erit in destructores sanctæ matris Ecclesiæ, & fidei Catholicæ oppugnatores?

x II. *ep.* 10. *ap. Baron. an.* 603. *nu.* XVII.

y *Greg. Sept. l. 4 ep.* 2. & 23. & 1 *ep.* 21.

COMMINATIO PRIVATIONIS DIGNITATIS QVOMODO INTELLIGENDA.

[Quam vidisti priuationis comminationem in priuilegiorum Apostolicorum violatores, scimus multis non probari, quasi minus Gregorii conueniat mansuetudini, & res sit leuior quam vt tantam pœnam ipsis etiam Regibus, vel Imperatoribus, intentare debeat. Fuit tamen ea, vt vere Gregorii Magni agnita à Gregorio Septimo ante quingentos quadraginta abhinc annos. Fuisseque illam iis temporibus apponi solitam à Summis Pontificib. clausulam priuilegiis suis, constat ex multis aliis, quæ suis quibusque locis inseruit Baronius Annalibus; puta Tom. XI. ann. 1091. & 1096. Vrbani Secundi; Tom. XII ann. 1100. & 1111. Paschalis Secundi: & cætera eiusmodi. Equidem (quicquid sit de iure depositionis & priuationis; neque enim huiusmodi certamen mearum virium est, aut instituti:) existimo non fuisse Pontificum mentem, ob quamcumque priuilegiorum violationem, pœnam adeo grauem irrogare; sed tum demum cum violatores id in odium, seu detestationem, & contemptum Sedis Apostolicæ, eiusve Pontificum, & obfirmato in eorum perniciem animo perpetrarent; ita vt non tam de priuilegiorum immunitate, sed de Romanæ Ecclesiæ auctoritate, adeoque de fide Catholica ageretur. Egregie plane Gregorius Magnus homil. 26. in Euangel. *Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex aliqua culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste; nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat fiat.*]

Hic item annus Deo acceptabilis extitit ob conuersionem Gothorum. Vbi enim Reccaredus Hispaniæ Rex Catholicam fidem (vt vidimus) profiteri cœpisset; eodemque ad hoc ipsum hortante Gothos Episcopos, magistratus, & populum, perpaucis exceptis, omnes eandem cum Rege abdicata hæresi Ariana profiterentur: eius rei causa, vt cuncta solide stabilirentur, hoc eodem anno (qui numeratur quartus ipsius regni) octauo Idus Maias, *Toleti* celebrari voluit CONCILIVM, Tertium eius ciuitatis dictum, idemque vniuersale totius Hispaniæ, atque eius etiam Galliæ partis quæ apud Narbonensem prouinciam subiecta adhuc erat Gothis; vt ex Episcoporum subscriptione patet; qui interfuerunt omnes numero circiter septuaginta, vna cum ipso Rege atque Regina. Quod vero in eius Actis, anno quarto Regis Reccaredi iungatur Æra sexcentesima vigesima septima, error cognoscitur ex stabilito superius eiusdem Regis ingressu. Ipsum autem Concilium auctoritate Apostolica celebratum esse, ex eo intelligi potest, dum Lucas *z* Tudensis ait S. Leandrum Episcopum Hispalensem, totius Hispaniæ hoc tempore celeberrimum, ei interfuisse legatione functum pro Romano Pontifice. Porro extant ipsa Synodi Acta, canonesque viginti tres in ea editi; itemque Regis oratio fideique professio sincerissima, atque edictum piissimum; ac denique Gothorum Catholica assertio, & anathematismi aduersus hæresim Arianam, in quibus inter alia damnantur quicumque Spiritum sanctum non crediderint à Patre & Filio procedere, eisque coæternum & consubstantialem esse. Notandumque insuper, quod à sancta Synodo Rex maxime pius hoc inter cætera petiit, vt in omnibus Hispaniarum Ecclesiis, ad roborandam gentis suæ nouellam conuersionem, ante sumptionem Eucharistiæ, singuli, iuxta Orientalium morem, clara voce fidei recitarent Catholicæ symbolum. Cæterum aliquid in eisdem Synodi Actis desiderari posse videtur, cum & regio dicatur *a* sancitum edicto, vt libri omnes hæreticorum igni comburendi darentur.

VII.

CONC. II. TOLET. III POST CONVERSIONEM REICCAREDI REGIS.

z *Ex Isid. in Chron.*

a *Aimoin. lib. 3. de rib. Franc. c. 77.*

[Quod quidem apud Baron. habetur Tom. VII. ann. 389. sed in hunc annum referendum fuisse, docetur ex iis quæ diximus ad ann. 590. XII.]

Quod

VIII. GESTA SYNODI.

Quod vero ad canones qui reperiuntur spectat; imprimis Patres ad integrum consequendum conseruandumq; splendorem Hispanicarum Ecclesiarum, diu denso nubilo hæresis vel superstitionis Gentilitiæ obscuratum, statuerunt vt *b* Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ SS. Præsulum Romanorum Epistolæ in suo vigore permanerent. Deinde prauum illum abusum *c* sustulerunt, quo Clerici contra antiquam Ecclesiæ disciplinam[1], relicto tribunali Ecclesiastico se inuicem ad forum sæculare trahebant: idque ne amplius fieret, sub pœna excommunicationis prohibuerunt. Ac pariter ex decreto piissimi Regis statuerunt *d*, vt Iudices sæculares locorum, & Actores fiscalium patrimoniorum, semel in anno ad Conciliū prouinciale Episcoporum conuenirent, vt ibi discerent quam pie & iuste cum populis agere deberent in administratione sua: & prospicerent Episcopi qualiter illi cum populis agerent, vt ipsos errantes corrigerent, aut eorum insolentiam Principum auribus insinuarent. quod si correptos emendare nequirent, eos & ab Ecclesia & à communione suspenderent: sed & ab Episcopis deliberaretur, quid per prouincias sine detrimento præstare deberent Iudices, si ad Concilium non venirent. Hæc de iis Canon. At non recens istud ab iis institutum. Siquidem est de his antiquior sanctio Concilii Arelatensis *e*, qua iubentur Episcopi inuigilare super Præsides prouinciarum, nequid contra disciplinam committant; ac si id præsumant, eos anathemate percellant. Et antiquissimæ sunt Constitutiones Imperatorum Christianorum, quibus monentur Episcopi præesse debere Præfectorum tribunalibus. Sed de his dictum est suis locis.

b Conc. Tolet. III. c. 1.

c Ibid. c. 13.

d Cap. 18. EPISCOPI INVIGILARE DEBENT SUPER PRAES. PROVINC.

e Conc. Arelat. c. 7.

IX. CONCIL. NARBON.

Hoc item anno Reccaredi Quarto, post Concilium Toletanum, celebrata est quoque alia SYNODVS *f Narbonæ*, cui octo interfuerunt illius prouinciæ Episcopi, vna cum Nigetio Narbonensi Antistite: in quo plures renouati sunt canones antiqui, aliique recens additi ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Inter quos fuit, vt Iudæis non liceret corpora defunctorum deducere psallendo. Pro tantis vero pietatis muneribus, Deus eundem Reccaredum Regem, cuius opera hæc Concilia celebrata fuerunt, hoc anno eripuit à coniuratione Argimundi Ducis exercitus; qui vt Rex fieret, aduersus eum vna cum pluribus aliis conspirauerat: quorum studiis Dei nutu detectis, capti omnes meritas dedere pœnas; ipseque primum Argimundus verberibus interrogatus, deinde turpiter decaluatus, post hæc dextera amputata, asino sedens per vrbem ductus est. Hæc enim eodem anno, quo Concilium Toletanum celebratum est, gesta esse Ioannes Biclarensis ponit: cum & iam anno superiori, eiusdem Regis Tertio, (vt ipse numerat) detectæ fuissent aliæ insidiæ Gosuinthæ Reginæ Reccaredi nouercæ, Catholicis infestissimæ, & Vdilæ Episcopi Ariani; ob quas Episcopus in exilium pulsus, Regina vero, Deo ipso vltore, citius ex hac vita erepta est. Denique & iam ante, ipso eius regni anno secūdo, Sunnam Episcopum Arianum & Seggam affectatæ tyrannidis conuictos, in exilium, Seggæ prius manibus amputatis, missos esse, idem Biclarensis scribit.

[1] Conc. Narbon. [Cuius Acta nunquam hactenus exsula, edidit Baron. Annal. Tom. VII. ann. 591. (sed loco non suo) accepta ex cod. Hisp. Bibliothec. regiæ.]

X. DE CHAGANI IRRVPTIONE IN THRACIAM.

In Oriente porro, hoc anno aduersus Auares, & Slauinos, vel Sclauinos sub Rege Caiano siue Chagano Hunno, Istro traiecto Thraciam infestantes, varie pugnatum esse ab Imperatoris exercitu; & ab eorum incursionibus Europam liberatam, tum virtute & armis Prisci Ducis, quem primo Imperator manubiarum accusatum à Præfectura deposuerat, posteaque restituerat, tum eloquentia & persuasione Theodori medici, legatione apud eundem Chaganum pro pace fungentis; pluribus narrat Nicephorus *f*. Quæ quidem præsentis anno contigisse, apparet ex literis *g* S. Gregorii Papæ, adgaudentis Prisco de ipsius restitutione, scriptis mense Iulio Indictionis vndecimæ.

f Niceph. li. 18. c. 28. 29.

g Greg. 2. ep. 31. ind. 11.

XI. DE TVNICA SALVATORIL

Hoc item anno Sigebertus ponit *Tunicam* inconsutilem Domini nostri IESV CHRISTI in Zaphat non longe ab Hierosolyma, confessione Simeonis Iudæi inuentam, translatam esse in eandem ciuitatem à Gregorio, Thoma, & Ioanne, Patriarchis Antiocheno, Hierosolymitano, & Constantinopolitano, ac publicæ veneration expositam. Hæc ille: antiquiorem enim, quem de his citemus auctorem, habemus neminem. Sed ab his diuersa quodammodo ante hæc tempora scripsit Gregorius *h* Turonensis, dum ait se ex quorundam relatione didicisse, eandem Tunicam magna veneratione iam olim habitam fuisse in vrbe quadā Galatiæ.

h Greg. Tur. l. mirac. 8.

Hoc præterea tempore claruisse in Perside insignem fœminam Christianam nomine *Golauduch*, eandemque post multa tolerata à Magis tormenta, ingentiaque edita miracula, coronam martyrii assecutam esse; Euagrius *i* tradit. Vocatur ea apud Nicephorū *k Colinduch*, vbi & quædā de ea narrantur captu difficilia ex Stephano Episcopo Hierapolitano ipsius vitę scriptore. Sed quicquid sit, certū est eam celebratā esse cultu anniuersario ab Oriētalibus, penes quos passa est.

XII. DE GELAVDVCH MARTYRE.

i Euag. l. 6. c. 19.

k Niceph. l. 18. c. 25.

IESV CHRISTI AN. 594.

GREGORII AN. 5.

MAVRITII AN. 12.

ANno Christi quingentesimo nonagesimo quarto, Indictionis duodecimæ, Gregorius Papa inter alia egregia quæ præstitit, scripsit *a* aduersus Schismaticos, Trium Capitulorum defensores, pro tuitione Quintæ Synodi, ad Theodolindam Reginam adhuc iisdem schismaticis fauentem, & Constantium Episcopum Mediolanensem persecutionem ab iis patientem. Idemque aduersus Donatistas in Africa inualescentes, Episcopos *b* Catholicos negligentes incitauit: ex alia vero parte Dominicum Carthaginiensem, qui Concilio contra Donatistas habito sanxerat, vt Episcopi qui hæreticos non inquirerent & expellerent, dignitate ac bonis priuarentur, à nimio hoc impetu *c* reuocauit, quod maiores videret id concitaturum inter ipsos Catholicos Episcopos discordias. Ac de conuertendis Iudæis pariter solicitus, eos non violentia, sed ipe præmii allici debere *d* monuit. Multumque laborans *e* in Barbaricinis populis, qui Sardiniæ montes incolebant, (quos olim ex *f* Africa Wandali in eam insulam expulerant) à Gentilismo ad fidem reducendis; id tandem *ff* præstitit. Presbyterisque *g*, vbi deessent Episcopi, concessit baptizatorum frontes chrismate linire. Sed & cum Dalmatiæ *h* Episcopi iam anno superiori in Salonitanum Metropolitanum elegissent Maximū quendam virum prauum ac simoniacum, quem ipse Gregorius reiecisset; idemque nihilominus, Imperatoris iussione prætenta, eundem consecrassent: eos omnes Gregorius hoc anno à communione suspendit. Ioannem quoque Rauennatem, (quem iam ante redarguerat *i*, quod præter Ecclesiasticam consuetudinem, nec tempore nec loco decenti pallio vteretur) iterum hoc anno cum de eadem re tum de aliis prauis moribus corripuit *k*. Deniq; quamplurima alia exhibuit egregia pastoralis vigilantiæ exempla in Episcopos negligētes, aut nimium præsumentes; necnon in monachos regulas suas transgredientes: itemque charitatis erga pauperes; atque curæ diuersarum Ecclesiarum, aliorumque locorum sacrorum: quæ omnia apud eum *l* videre licet.

I.

a Greg. 3. ep. 33. & 57.

b 3 ep. 32. & 35. EPISCOPI CARTHA. COERCETVR IMPETVS INDISCRETVS.

c 4. ep. 3.

d 3. ep. 3. & 4. ep. 6.

e 3. ep. 23. &c.

f Procop. de Bell. Vandal. lib. 2. Meminit eorundem Iust. l. 2. de off. PP. Afr.

ff Greg. 4. ep. 33. ad Cōst. Aug.

g 3. ep. 26.

h 3. ep. 15. & 20.

i 2. ep. 54. Ind. 11.

k 4. ep. 15.

l l. 3. Epist. ind. 12. & l. 4. ind. 13.

Illud verum non omittendum, quod cum Augusta Constātina Mauritii Imp. coniux, in suo palatio Ecclesiam in memoriam S. Pauli Apostoli ædificasset, & ab eodem Gregorio expetiisset, vt Constantinopolim mitteret eius caput, siue partem aliquam corporis; idem Pontifex *m* sibi id minime licere multipliciter excusauit, nōnullis additis miraculorum exemplis, quæ edi cōtigissent cum quid ex sacris Reliquiis trāsmutare Romæ quis auderet: sed earum loco mitti solere ait Brandea, per quæ tantæ virtutes fierent, quantæ per ipsa Sanctorum corpora. Polliceturque autem, se eidē Augustæ missurū de catenis quas S. Paulus in collo & manibus gestasset, ex quibus plurima miracula demonstrarentur: quorum illud non minimū, quod cum frequenter multi peregrini aliquid ex limatura earundem catenarum peterent, sacerdos cui ea esset cura commissa, aliquibus petentibus nulla difficultate vel mora de iisdem ramenta lima excuteret, quibusdā vero diu per catenas ducta lima nihil penitus excutere valeret.

II. GREG. CAPVT S. PAVLI DENEGAT AVGVSTÆ.

m 3. ep. 30

DE CATENIS S. PAVLI.

Hoc item anno, qui quintus numeratur Reccaredi Hispaniæ Regis, pridie Nonas Nouembris celebrata est SYNODVS HISPALENSIS, cui præfuit S. Leander eiusdem ciuitatis Episcopus. Interfuerunt pariter alii septem Episcopi: qui tria in Synodo decreta firmata ad Pegasium Astigitanum in eadem prouincia Episcopum direxerunt. Inter quæ illud memorabile, quo statuerunt, Iudices sæculares, (permissione tamen Episcopi) seperare debere ancillas, aliasque

III. CONCIL. HISPAL.

Ap. Baron. an. 590. sed vide sup. an. 590. post num. XI.

MVLIERES A CLERICIS SEPARANDÆ PER MAGISTRATVS.

extraneas

extraneas mulieres à cleticis. Quod enim frequentissime legibus Ecclesiasticis id frustra vetitum videret, voluit sancta Synodus laicos Iudices insurgere læsæ sæpius legis Ecclesiasticæ vindices. Præter autem tres dictos canones, collegit ex diuersis locis, Hispalensis Concilii alios vndecim, vir insignis Garsias Loaisa in editione quam summa elucubrauit industria Hispanorum Conciliorum.

IV. ANAST. SINAITA RESTITVITVR SEDI ANTIOCHENÆ.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno mortuo Gregorio Episcopo Antiocheno, in eius locum restitutus est *Anastasius* Sinaita, qui viginti tribus antehac annis in exilium pulsus fuerat. Hæc Euagrius *n*: cui consentiunt S. Gregorii Papæ *o* ad eundem Anastasium gratulatoriæ scriptæ literæ Indictione decimatertia, quæ cœpta est hoc anno mense Septembri. Addit vero Euagrius, paulo quoque post defunctum esse Ioannem Hierosolymorum Antistitem: successorem tamen non apposuit, quia (vt ait) antequam aliquis in locum eius sufficeretur, ipse finem Historiæ suę imposuit, anno duodecimo regni Mauritii Imp. qui inchoatur hoc anno mense Augusti. Sed constat *p* Ioanni suffectum esse *Amos* antea Abbatem. Qui autem præter Euagrium, res gestas sub Mauritio prosecutus est, his prope diebus emersit in lucem *Theophylactus* cognomento Simocatus Græcus historicus, qui Mauritianam scripsit historiam, de qua superius.

n *Euag. l. 6. c. 23.*
o *Greg. 4. ep. 37.*
p *Id. 7. ep. 7. Ind. 1. Prat. Spir. c. 149.*

IESV CHRISTI AN. 595.

GREGORII AN. 6.

MAVRITII AN. 13.

I. ANnus Domini quingentesimus nonagesimus quintus, Indictione decima tertia, vniuersæ Italiæ calamitosus extitit; cum recuperatis per Romanum Rauennæ Exarchũ quibusdam ciuitatibus quæ à Longobardis tenebantur horum Rex Agilulphus furore percitus non solum easdem iterum cepit, sed & ipsum agrum Romanum maxima depopulatione vastauit; vt constat tam ex Paulo *a* Diacono, quam ex Gregorio *b* Papa, qui hoc eodem tempore flagitante populo difficillimas Ezechielis Prophetias pro concione interpretabatur. Quod quidem admirati sunt *c* cordati omnes; vt videlicet sub oneroso fasce curæ totius Orbis, & in tanto discrimine Vrbis, potuerit Gregorius in his philosophari, & populus in eodem periculo constitutus conciones tales ab eo exigere: cum præsertim S. Hieronymus nullo pastorali onere prægrauatus, sed solũ sacris literis incumbens, testetur *d* interpretationem in eum Prophetam aggressum se, impeditum esse prosequi, quod in Oriente ipse tunc degens audisset Occidentalem Orbem, Vrbemque vastari à Gothis. At vero S. Gregorius vix tunc à cœptis est violenter abstractus, vbi vallata Vrbe, vulnera ciuium, vincula, atque cædes est oculis contemplatus.

a *Paul. diac. lib. 4. c. 7.*
b *Gregor. in Ezech. hom. 13. 15. & 22.*
c *Bernar. de consid. l. 1. ad fi. & alii. GREC PP. CONTEMPLATIONE ET ACTIONE PRÆCIPVVS.*
d *Hier. ep. 92. ad Marcell.*

II. QVIBVS ARTIBVS VRBS LIBERA PERMANSERIT A LOGOB

Quod autem & antea & præsenti anno grassantibus Longobardis in omnes Italiæ regiones, Roma fuerit inaccessa; præstitit hoc vigilantia Romanorum Pontificum, qui præter iuges excubias in vigiliis ieiuniis & orationibus, addiderunt, vt Ecclesiæ pecuniis redimerent vexationem; prout idem Gregorius hoc item anno scribens *e* ad Constantinam Augustam testatus est: qui tamen alibi *f* totum id tribuit non largitioni pecuniarum, sed Petro Apostolo vigilanti super custodiam Vrbis: rursumque alio loco *g*, lacrymis, orationibus, & districtissimæ abstinentiæ monialium, quarum tria millia in Vrbe tunc fuisse testatur. Cum nihilominus alia epistola *h* satis sibi virium fuisse asserat; vt si in Longobardorum se morte miscere voluisset, iam ipsi nec Regem, nec Duces, nec Comites haberent: sed destitisse, quod in mortem cuiuslibet hominis se miscere formidaret. Itaque nihil vtilius putauit, quam vt cum Agilulpho pax componeretur, quem ab ea non alienum sciret. Qua de re cum per Seuerum *i* Exarchi Scholasticum apud ipsum Exarchum egisset, Exarchus vero rem ad Imperatorem detulisset; ipse Mauritius Augustus eundem S. Gregorium datis ad eum literis, vt nimis simplicem derisit, quod adeo facile cederet Regi Longobardorum; pariterque de pluribus aliis conquestus est, nulla Summi Sacerdotii habita ratione. ad quem rescribens *k* Gregorius, & obiecta diluit, & de honore cultuque quo debeant omnes ex præscripto legis diuinæ venerari sacerdotes, exemplo etiam Constantini Magni ipsum Imperatorem admonuit.

e *Greg. 4. ep. 34. Ind. 13.*
f *7. ep. 23. Ind. 1.*
g *6 ep. 23. Ind. 15.*
h *7. ep. 1. Ind. 1.*
i *4 ep. 29.*
k *4. ep. 31.*

III. Io. EPISC. CONSTANTINOP. INSVRGIT IN GREG.

Sed aliæ maiores eum presserunt angustiæ. Nam quo magis ipsum despectui habitum sciret ab Imperatore Ioannes Cõstantinopolitanus, eo arrogantius in eundem insurgens, solita temeritate insolentius prosequutus est, quod cœperat aduersus Apostolicam Sedem, Vniuersalem se Pontificem vbique nominare. Quin etiam eo vsque progressus est, vt Ioannis presbyteri (de quo superius) Acta Romam discutienda vt iussus fuerat mittens, eaque in re se Romano Pontifici subditum agnoscens; in iisdem tamen Actis se pene per omnem versum, *Oecumenicum Patriarcham* nominaret: quod ipse Gregorius testatur in epistola *l*, quam hoc eodem anno scripsit ad Sabinianum Diaconum, (sic enim in inscriptione corrigendum est) Apostolicæ Sedis Apocrisiarium Constantinopoli agentem. Quamobrem qui hactenus aberrantem Ioannem summa tolerauerat patientia, ac per Apocrisiarios suos verbis redarguerat; hoc potissimum anno excitatus in ipsum Gregorius, tum illum literis suis *m* corripuit, Sabinianumque *n* admonuit ne vllo modo cum illo communicaret, ne eius videretur fauere superbiæ; tum ad *o* Mauritium Imperatorem, Constantinam Augustam, Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, alios que, aduersus eum literas dedit; quibus omnibus cum plura inculcet in detestationem superbi illius nominis *Patriarchæ Vniuersalis*, demum addit *p*, ei consentire nihil aliud esse, quam fidem perdere: nimirum quod cum à CHRISTO, vni Petro præfectura fuerit gregis vniuersalis credita, (hac enim in re Petri Apostoli causam agi docet *q*) si quis eiusmodi stabilitam violauerit hierarchiam, aliter sentire videretur quam ipse Dominus sentiẽdum præcepit. Ideoq; & alibi *r* ostendit, esse præcursorem Antichristi, qui superbum illud sibi nomen vsurpat. Vt non sit mirandum, si vnius voculæ occasione adeo Gregorius laborauerit, cum etiam vnius interdum syllabæ, aut etiam literulæ causa, fuerit sanctis Patribus aduersus Arianos & Eunomianos hæreticos diu multumque pugnandum.

l 4. *ep. 39.*
GREG. AGIT CONTRA IOANNEM.
m *4. ep. 38.*
n *d. ep 39.*
o *4. ep. 32. 34. 36.*
p *d. ep 39.*
q *d. ep 34.*
r *6. ep. 30. ad Maurit. Imp.*

IV. DE NOMINE VNIVERSALIS.

Quod autem ad ipsum vocabulum *Vniuersalis Patriarchæ* spectat; cum illud Gregorius in dictis epistolis singularitatis nomen appellet, per quod (vt ait) vniuersi alii sacerdotes honore debito priuarentur; satis euidenter constat, id Gregorium accepisse pro singulari & vno solo, præter quem nemo sit; ita vt ei reliqui omnes Episcopi subessent, vt filii & vicarii, & non vt fratres & in administratione collegæ. Quo quidem sensu solus CHRISTVS est *Vniuersale* Ecclesiæ caput; ipsaque Ecclesia *Vniuersalis* dicitur vna toto orbe diffusa, extra quam nulla potest esse Ecclesia: eaque demum significatione negauit Gregorius vllum Romanorum Pontificum illud sibi nomen vsurpasse. At vero alia est eiusdem nominis significatio, qua dicitur Vniuersale; hoc est, quod remanentibus partibus integris, ipsum cæteris supereminet: qua ratione vetuit olim Pelagius Papa, ac postea Gregorius, inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum: de Orientalibus vtique intelligentes, quod nequaquam alteri alterum vellent esse subiectum. Sed eo sensu Leonem Papam sæpe in ipso Generali Concilio Chalcedonensi, alios que alibi Romanos Pontifices dictos reperiri Vniuersales Episcopos, & Vniuersalis Ecclesiæ Antistites, manifestum faciunt antiqua monumenta: idque absq; aliquo fastu, cum eo nomine id quod est exprimatur, nempe quod ipsis cura pastoralis vniuersi gregis totius orbis concredita sit; quam semper vbique in omnes exercuisse, abunde his Annalibus demonstratur; patetque de ipso Gregorio ex eius epistolis, quibus singulis annis quamplurimas ex diuersis vniuersæ Christianitatis Ecclesiis ad Apostolicam Sedem delatas causas decidit. Denique (vt egregie Innocentius *s* Papa Tertius longe post ea aduersus Græcorum obiectiones interpretatus est) cum Ecclesia duabus de causis *Vniuersalis* vocetur, nempe vel quod de vniuersis constet Ecclesiis, quæ Græce *Catholica* nominatur; vel quod sub se contineat Ecclesias vniuersas: prima quidem acceptione, Ecclesia Romana non est Vniuersalis Ec-

QVO SENSV ROM. PONT. DICATVR VNIVERSALIS.

s *Innoc. III. 2. ep. 198. ap. Baron. Tom. IX. ann. 787. n. 11.*

clesia, sed pars Vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Secunda vero nominis ratione, Romana Ecclesia, ipsaque sola, Vniuersalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata.

V. GREG. HVMILITAS. De qua plura exempla videre poteris apud Baron. an. 598. num. III. & seqq. sumpta ex Gregorii epistolis, & Trito Spir. t Greg. 4. ep. 31.

Cur autem tantum Gregorius abhorruerit ipsum quodcumque Vniuersalis Episcopi nomen, declarat ipse; nempe quod fastuosum nimis esse videretur, & Christianæ humilitati minime congruens. Vnde nec adeo mireris si se negat dici velle Vniuersalem, qui alia epistola *t* ad Imperatorem hoc eodem anno scripta, se et negat sacerdotem esse: quemadmodum & olim S. Paulus *u* indignum se dixit vocari Apostolum. Denique, vt paucis sensum Gregorii ex Gregorii verbis expressum habeas; illum abunde patefacit, quod alibi *x* ait, si qua culpa in Episcopis inuenitur, omnes Episcopos Apostolicæ Sedi esse subditos; cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales esse. Cuius regulæ perennem praxim obseruare licet in dictis, factisque ipsius. Nam & cum hoc ipso tempore ageretur Romæ causa Ioannis & Athanasii presbyterorum, qui à iudicio eiusdem ipsius Ioannis Constantinopolitani Sedem Apostolicam appellauerant; ex aliis ipsius Gregorii literis *y* intelligere possumus, Ioannem quidem presbyterum Chalcedonensem (qui hæresis iniuste Constantinopoli damnatus fuerat) in Synodo ea de causa Romæ habita repertum innocentem, absolutum esse: Athanasium *z* autem inuentum esse aliqua ex parte Manichæum; sed & eius accusatorem esse pariter conuictum Pelagianum: repertumque falsatum codicem Ephesini Concilii, qui missus Constantinopoli fuerat. Quãdo enim in Constãtinopolitano iudicio fuit ipse Athanasius condemnatus, magna tum accidit vecordia atque imperitia, ne dixerim malitia Ioannis Episcopi, vt apud ipsum ederetur Synodus Secunda Ephesina pro Prima, Conciliabulum videlicet Nestorianorum pro Oecumenica Synodo Orthodoxorum. Quod non semel ab ipso factum, sed iterum etiam in causa quorundam monachorum, idem Gregorius testatus est postea scribens *a* ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum. Quibus videas, eum qui nimio fastu vocari voluit Oecumenicus, nimia ignorantia, aut dolo, sub auctoritate Concilii Oecumenici, nisi verus Episcopus Oecumenicus vigilasset Gregorius, Pelagianam hæresim antea sæpe damnatam rursum introducturum fuisse in Ecclesiam.

u 1. Cor. 15. x 7. ep. 64. ind. 2. COGNOSCIT DE IVDICIIS CONSTANTINOPOL. EPISC. y 6. ep. 15. & 16. Ind. 14. z 5. ep. 14.

VI. CONCIL. ROM. IN CAVSA Io. PRESB. CHALC. b Epist. li. 4. sub ep. 44.

Sed quod ad dictum CONCILIVM in ea causa *Romæ* collectum spectat; habitum illud hoc anno Mauritii decimotertio, Indictione decimatertia, die quinta Iulii, constat ex scriptis *b* eiusdem S. Gregorii. Suntque in eo præterea statuti sex canones, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes; quibus subscripserunt Episcopi viginti duo, ac S. R. E. presbyteri triginta quatuor. Inter canones autẽ quartus est, vt corpora Romanorum Pontificum sine tegmine deferrentur ad sepulturam: ea nimirum occasione, quod cum (vt ait) Dalmaticis tegerentur, ipsas postea populus inter se partitus loco sacrarum reliquiarum asseruarent: quem monuit, vt è corporibus potius Apostolorum ac Martyrum velamina acciperent. Ita namque sibi Gregorius viuens consultum volebat, ne post mortem coleretur, vt sanctus. Deniq; in scripto codice Sublacensi reperimus, in Concilio Romano eundem Pontificem probasse & confirmasse Regulam S. Benedicti.

VII. DE CAVSA MAXIMI EPISC. SALON. c 4. ep. 34. d 7. ep. 1. ind. 1.

Hoc item anno Mauritius Imperator tyrannice aduersus eundem Gregorium agens, Maximum in Ecclesiam Salonitanam intrusum, & à Gregorio censuris eiectum, iamque in contemptum Sedis Apostolicæ apertius exiliẽtem, per suos ministros in Ecclesia illa Episcopum retinuit. Qua de re cum Augusta Gregorius *c* expostulans, multaque insuper Imperatori insinuanda Sabiniano *d* Aprocrisiario suo scribẽs; contestatus est se paratiorem esse mori, quam B. Petri Ecclesiam suis diebus degenerare. Cum vero omnino voluisset, vt idem Maximus Romam causam dicturus accederet; tamẽ concessit postea vt Rauennam se conferret, vbi delegatum à Sede Apostolica haberet iudicem Marinianum Episcopum. Apud quem cũ Maximus iuramento præstito super corpus S. Apollinaris se purgasset de simoniaca labe ipsi imposita, accepta pœnitentia de inobedientia qua peccasset in Sedem Apostolicam, Salonas permissus est redire: cui & expetenti idem Pontifex Pallium misit. Hæc autem constant ex epistolis *e* ipsius Gregorii datis Indictione secunda: vnde appareat causam hanc cœptam Indictione duodecima perdurasse annos quinque.

e 7. ep. 79. 80. 81.

VIII.

Hoc pariter anno cum idem Gregorius pro corrigendis nonnullis, quæ aduersus sacros canones in Galliis agerentur, literas dedisset *f* ad Virgilium Arelatensem Episcopũ, (cui & pallium misit, & vices suas ex more delegauit) necnon ad *g* alios Galliarum Antistites; vt id omnino perfici posset, regias manus in auxiliũ petens, de iisdem ad *h* Childebertum Francorum Regem scripsit: potissimum vero illud admonuit, ne laici statim tonso capite raperentur ad Episcopatum, seu potius raperent ipsi Episcopatum, hoc suadens exemplo, quod sicut non ante exercitui Dux præponeretur, nisi labor eius fidesque probata constaret; ita nec Dux animarum constitui deberet, nisi quem anteactæ vitæ virtus & solicitudo aptum esse monstraret. Scripsit & ad matrem Regis Brunichildem *i* Reginam, vbi inter alia de ipso Francorum Regno atque Rege habet: *Non immerito contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret; quippe earundem gentium Creatorem & pure colit & veraciter confitetur.* Et rursum postea ad *k* eundem Childebertum: *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen excellit; Esse autem Regem, quia sunt & alii, non miram est: sed esse Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit; ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid enim se Reges cæteri gloriantur habere, habetis: sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis.* Dedit vero Gregorius has literas Candido prerbytero, quem ad curandum patrimonium Sancti Petri quod habebat in Gallis, misit ad eundem Regem; & vna cum literis, munus dedit Rege Christianissimo dignum, videlicet Claues S. Petri, in quibus de limatura catenarum eius aliquid inclusum esset, quæ (vt ait) collo eius suspensæ, à malis eum omnibus tuerentur.

f 4. ep. 50. ind. 13. g ibid. ep. 52. h ep. 53. 15. ep. 5. Ind. 4 LAVDES REGNI, ET REGIS FRANC. k 5. ep. 6.

IX. DE ANGLORVM CONVERSIONE GREG. COGITAT. l 5. ep. 10.

Sed & cum nouisset in Galliis complures detineri iure belli captiuos Anglos, venalesq; exponi; idem Pontifex gentis Anglorum, quæ Britanniæ insulæ magna ex parte domina facta esset, sed Gentilismum adhuc coleret, conuersionem animo versans: eidem Candidato in mandatis dedit *l*, vt ex captiuis Anglis adolescentes emeret, qui monasteriis bene instruendi committerentur. Nouisse vero antea Anglos Gregorium Romæ venum expositos, tradit Ioannes Diaconus: admiratumque in eis vultus elegantiam, eosdem Angelos nominasse, emptosque censuisse, non vt alia mancipia tradendos glebis, sed inter Angelos collocandos, in monasteriis scilicet ad vitam monasticam excolendam. Quid vero post hæc contigerit, dicetur anno sequenti.

X. m 4. ep. 14. ind. 13. n 4. ep. 45. DE MARINIANO EPISC. RAVEN. o 3. ep. 54 & 4. ep. 8 P. R. mist. Rauenn. lib. 4. q An. 412. X 13. ep. 28 & 29. ind. 14. & 8. ep. 9. ind. 3. 9 ep. 22 & 11. ep. 34.

Hoc eodem anno mortuus est Ioannes Episcopus Rauennas; quem sæpe antea ob alia correptum, proxime quoque irrisorem & fastu tumentem, duplici animo ambulantem, Gregorius *m* redarguerat: in cuius locum subrogatus *n* est Marinianus valde ipsi Gregorio probatus, quo cum diu in monasterio fuerat conuersatus; cui & pallium *o* statutis diebus vrendum, & confirmationem priuilegiorum Ecclesiæ olim Rauennati à Romanis Pontificibus traditorum concessit. Fertur *p* autem alia eiusdem Gregorii nomine epistola ad eundem Marinianum scripta de priuilegiis eiusdem Ecclesiæ Rauennatis; sed quæ ex multis commentitia conuincatur: eadem (vt puto) manu consarcinata, quæ eodem argumento Valentiniani Imp. rescriptum confinxit, quod superius *q* refellimus. Cæterum quem præsenti anno suis literis magnopere laudauit Gregorius Marinianum, eundem postea acriter reprehendere *r* oportuit de auaritia & oscitantia. Ita namque humanæ conditionis fert instabilitas, vt mutatione status mutati interdum homines, atque virtutes in vitia conuerti facile possint. Eundem tamen rursum laudasse *s* reperitur ac si sanctissimus esset, & ægrotans ipse eundem ægrotantem consolatus esse.

XI. t Greg. Turon. hist. 25 DE ARRESTITIO IMPOSTORE IN GALLIA

Hoc item anno, qui numeratur à Gregorio *t* Turonensi Regum Francorum, Childeberti Decimussextus, & Guntheramni Trigesimus, per prauum dæmonem excitatus est in Galliis pseudopropheta. Quidam *n homo Bituricensis*, dum in silua ligna cæderet, diaboli nequitia muscarum circum-

sessus examine, indeque amens redditus, post biennium transactis vrbibus propinquis, Arelatensem ac Gabalitanam regiones adiit; ibique indutus pellibus quasi religiosus viuens, accepta demum à dæmone vaticinandi atque sanandi potestate, in tantum se extulit, vt CHRISTVM se profiteretur, assumpta secum quadam muliere quam *Mariam* vocaret, & partem Deitatis habere diceret. Cumque iam multitudo ingens populi eum sequeretur, ipseque Episcopis, & aliis à quibus adorari despiceretur, minas intentaret, atque etiam ciuitates vi aggredi pararet; idem per missos ab Aurelio Episcopo Vellauense strenuos viros, in medio suorum gladiis confossus est: Maria autem suppliciis supposita, omnes eius præstigias publicauit. Porro eiusmodi

DE S. AREDIO LEMOVICENSI.

impostura architectus diabolus æmulatus est gloriam Dei, quam hoc eodem tempore consecutus est ex sancto suo *Aredio* Lemouicensi: qui Spiritus sancti gratia per visibile columbæ signum repletus, & ipse fœmina, nempe matre sua Sancta Pelagia comministra vsus, ad sublimeque culmen sanctitatis euectus, deuicto diabolo gloriosus comitantibus Sanctis in cœlum ascendit: cuius primordia, progressus, & exitum, resque in eis mirabiliter gestas, idem Gregorius *a* breuiter perstrinxit. Post quorum narrationem, postque appositam seriem Turonensium Episcoporum, ipse idem Sanctus Gregorius finem Historiæ Francorum imposuit, propagatæ in quintum vsque annum Gregorii Papæ, qui cœptus est anno superiori mense Septembri. Adiecit vero & catalogum Scriptorum suorum, vna cum graui contestatione, nequis ob rusticitatem sermonis eos aboleret, vel immutaret.

a ibid. c. 29.

IESV CHRISTI AN. 596.

GREGORII AN. 7.

MAVRITII AN. 14.

I. IO. CONST. OBITVS.

ANno Christi quingentesimo nonagesimo sexto, Indictionis decimæquartæ, tumidum illum superbia Ioannem Constantinopolitanum is qui superbis resistit Deus ex hac luce subtraxit, post Episcopatus ipsius annos tredecim, vt habet Nicephorus: qui quod ieiuniis & eleemosynis magnam viuens sibi laudem comparasset, post mortem à suis sanctus falso est habitus; eaque opinione propagatū esse nomen eius ad posteros, constat ex eodem Nicephoro *a*. Substitutus autem in locum eius *Cyriacus* Oeconomus optimi vir nominis, simulac thronum conscendit, ad promerendam à Romano Pontifice Catholicam communicationem, Legatos ad Gregorium Papam vna cum literis & fidei professione Romam misit. Sed licet ad eum rescripserit Gregorius *b*, reciprocamque miserit Catholicæ fidei regulam; ac pariter alias reddiderit de eius electione gratulatorias ad Mauritium Imperatorem & Episcopos qui eum ordinarant literas: nihilominus tamen dedit Sabiniano Apocrisiario suo in mandatis, ne assisteret eidem Cyriaco sacra Missarum solemnia celebranti, nisi vsurpatum à prædecessore illicitum nomen *Oecumenici* penitus dimitteret: de quo dicetur anno sequenti. Interea vero postquam illos Cyriaci Legatos dimisisset, admonuit *c* eosdem absentes adhuc in via positos, de quadam ipsorum assertione erronea, qua dixissent, omnes quotquot in inferis confessi essent Christum Deum, ab eo liberatos esse: quam quidem sententiam diu ante damnatam esse demonstrat assertione SS. Philastrii & Augustini. quidque de his sentiat Catholica Ecclesia, paucis declarat; nempe descendentem ad inferos Dominum illos solummodo ab inferni claustris eripuisse, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruasset.

a Niceph. li. 18. c. 54.

b Greg. 6. ep. 4. 5. 6. 7. ind. 15.

c 6. ep. 15. QUINAM PER CHRISTŪ LIBERATI FVERINT AB INFERIS.

II. AVGVST. ET ALII AD ANGL. CONVERSIONEM MISSI.

Cum autem Gregorius Anglorum gentis conuersionem iam antehac (vt vidimus) meditatus esset, hoc anno *Augustinum* monasterii sui Præfectum, virum sanctissimum, cum aliis quibusdam ipsi adiunctis sociis, in eam rem misit in Angliam. Hi vero cum in Gallias peruenissent, despondentes ob rei difficultatem animum, Augustinum Romam remiserunt, qui eiusmodi cœptum Pontifici dissuaderet. Sed ipse operi vehementius instans, & remisit mox Augustinum, & eos, qui in Galliis remanserāt inchoatum iter perficere hortatus est literis; quas recitat hæc narrans Beda *d* in Rebus gestis Anglorum: meminitque eorundem Ioannes Diaconus in Vita *e* S. Gregorii. Quæ quidem hoc anno gesta esse, tum ex eodem Beda constat, dum ea consignat Indictione decimaquarta, & anno Imperii Mauritii pariter decimoquarto; tum ex multiplicibus literis *f* quas ipse Gregorius redeunti ad opus Augustino commendatitias dedit ad Reges Francorum, & diuersos Galliarum Episcopos; quæ omnes datæ ponuntur mense Iulio eiusdem Indictionis decimæquartæ. Sed quid post hæc fieri contigerit, dicetur inferius pro ratione temporis. Ex iisdem vero S. Pontificis ad Francorum Reges tunc scriptis epistolis, colligi posse videtur, hoc ipso anno eiusdem Indictionis decimæquartæ defunctum esse Childebertum Regem, suique Regni reliquisse hæredes Theodoricum atque Theodobertum filios suos; cum videlicet sexta libri quinti epistola ad Childebertum conscripta sub eadem Indictione ponatur, rursumque epistola eiusdem libri quinquagesima octaua scripta appareat sub eadem pariter Indictione ad dictos Theodoricum atque Theodobertum. Atque ex his alii videntur redarguendi Chronographi, qui in annum sexcentesimum istorum ponunt ingressum.

d Bed. de Reb. gest. Angl. lib. 1. c. 23. *e* Ioan. diac. Vit. S. Greg. lib. 2. c. 34. *f* Greg. 5. ep. 52. 53. 59.

III. EPISCOPI EŌCORDES SINT CVM PROVINC. PRÆSIDIB.

Hoc item anno, præter consuetos singulorum annorum, iugesque eiusdem Gregorii labores pro continendis confirmandisque Catholicis, & compescendis conuertendisque hæreticis, schismaticis, atque Iudæis; omnium ex officio curam gerens, illud Episcopos magnopere admonuit, ne contentiones haberent cum prouinciarum Præsidibus, sed eos officiis promereri studerent, eo quod magnopere conduceret si cum sæcularibus ministris Episcopi concordes essent. Est de his elegans eius epistola *g* ad Ioannem Episcopum Syracusanum; quem admonet, vt si opus sit, Missas etiam in domo Venantii Præfecturam illic gerentis celebrari faciat. ex quibus intelligas, in domibus etiam priuatis consueuisse dici Missas. Sicut nec inusitatum fuisse, quod obiiciunt Nouatores, vt in vna Ecclesia plura sint altaria. eiusdem docet epistola *h* ad Palladium Episcopum Santonensem, cum petitas mittens ad eum sacras reliquias, meminit de ecclesia tredecim habente altaria.

g 5. ep. 43.

PLVRA ALTARIA IN VNA ECCLESIA.

h 5. ep. 50.

IV. CONCIL. CÆSARAVG II.

Hoc insuper anno celebratum est in Hispania à quatuordecim Episcopis CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM Secundum, septimo nimirum anno (vt ibi ponitur) Reccaredi Regis. Vbi inter alia illud notatū dignum sancitum reperitur, vt sacrosanctæ Reliquiæ quæ inuentæ essent in Ecclesiis Arianorum, ab Episcopis igne probarentur; vt tunc legitimæ censerentur, si ab incendio illæsæ remanerent.

Ap. Baron. an. 592. sed vid. sup. an. 590. post num. XII.

RELIQVIÆ IGNE PROBANDÆ.

IESV CHRISTI AN. 597.

GREGORII AN. 8.

MAVRITII AN. 15.

I. LEGATIO EPISCOPI CONST. AD GREG. PP.

ANno Christi quingentesimo nonagesimo septimo, Indictionis decimæquintæ, Cyriacus Constantinopolitanus Episcopus Responsales suos ex more Romam misit ad Gregorium Papam, vna cum epistola Synodali, qua rum fidei Catholicæ professio contineretur, tum eosdem Responsales in communionem recipi peteret: quod & Mauritius Augustus literis suis postulauit. Annuit Gregorius, ne quouis modo auctor ipse schismatis diffamari posset; & quos benigne excepit, eosdem etiam interesse secum Missarum solemniis passus est; ita tamen, vt assentiri noluerit, Apocrisiarium suum Constantinopoli sacris interesse à Cyriaco celebrandis, nisi rixosum nomen Oecumenici penitus tolleret: sicut hæc cuncta breuiter narrauit ipse Gregorius *a* Eulogio & Anastasio Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, literis hoc anno ad ipsos datis. Idemque per Anatolium, (quem, reuocato Sabiniano, Apocrisiarium ad Imperatorē misit) Cyriacum *b* monuit, fieri minime posse, vt concordia mutua intercederet, nisi superbum nomen aboleretur. Quo etiam argumento ad Imperatorem, aliosque quam-

a Greg. 6. ep. 31.

b 6. ep. 28.

plurimos

c 6.ep.22. c.ep.30.

plurimos scripsit *c*, cum ab iis per Sabinianum Romam redeuntem literas accepisset.

II. d 7.ep.5. ind.1. PALLIVM INIRE PETENDVM.

In Occidente quoque rescribens ad *d* Brunichildem Reginam Francorum, inter alia excusauit cur non miserit Pallium Syagrio Episcopo Augustodunensi: nimirum quod non esset ab eo enixe petitum: cum prisca (vt inquit) consuetudo obtinuisset, vt honor Pallii nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulantibus dari non deberet. Admonuit insuper eandem Reginam, vt quæ apud aliquos vigeret idololatria; penitus extirparet: quam quidem haud mireris si audis in Gallia iterum pullulare; cum etiam in Italia prope ipsam Vrbem ab aliquibus reuocatam esse, idem Gregorius testetur in literis *e* hoc eodem anno ad Episcopos Spoletanum & Tarracinensem datis. Id enim secum vexit bellorum iugis infestatio, vt cum remissio fieret Ecclesiasticæ culturæ, inter bonum semen eiusmodi zizania miscerentur.

c 7.ep.2.&28.

III. AVGVSTINI ET SOCIOR. APPELLVS IN BRITANN.

Hoc item anno Augustinus ac socii, quos ad conuertendam Angliam missos à Gregorio vidimus, illuc cum interpretibus quos ex Gallia habuerant appellentes, benigne ab *Edilbertho* Anglorum in Cantio Rege in ciuitatem *Doroueruam*, quæ Regni ipsius metropolis erat, (eadem dicta & *Cantuaria*) susceptisunt: nam & antea fama ad eum Christianæ religionis peruenerat, vtpote qui vxorem haberet Christianam ex Francorum regia progenie, nomine *Bertham*; quam ea conditione à parentibus acceperat, vt eam sineret in religionis Christianæ ritu viuere; quem & exercebat in ecclesia prope ciuitatem in honorem S. Martini antiquitus facta. Idem igitur in eam ciuitatem ingressi, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Saluatoris in tabula depictam, litaniasque canentes; obtenta à Rege prædicandi licentia, ingentibus coruscantes miraculis, & secundum ea quæ docebant ipsi per omnia viuentes, multos ad fidem cõuersos baptizarunt; interque primos ipsum Regem, quem deinceps quamplurimi secuti sunt. Hęc cuncta fusius Beda *f*. Omnes autem hoc anno audientes verbum Dei, ad decem millia baptizatos esse sequenti Natalis Domini die primæ Indictionis, S. Gregorius testatur in literis *g* eiusdem Indictionis mense Iunio datis ad sibi carissimum S. Eulogium Episcopum Alexandrinum; cum ab eo fuisset æque ipse certior redditus, de conuersione hæreticorum qui Alexandriæ erant, & inita Fidelium concordia. Quibus quidem literis cum Gregorius doceat, Augustinum iam antequam in Angliam peruenirct, factum sua licentia fuisse Episcopum; inde corrigendus videtur Beda, dum post conuersionem factam Anglorum, tradit missum fuisse eum in Gallias vt Episcopus ordinaretur. Sicut etiam eiusdem Gregorii testificatione liquet, non Bertham, sed *Adilbergam* nomine dictam fuisse coniugem Regis Anglorum: cui & tribuit viri sui, gentisque conuersionem.

CONVERSIO REGIS ANGLORŪ. *f Bed. hist. Angl. l.1. c.25.26.* *g Greg.7. ep.30.*

IV. DE ANTIOCHO ANACHORETA.

Hoc quoque tempore *Antiochus* anachoreta, magna inter Orientales omnes sanctitate vigens, ex hac vita migrauit annum natus centesimum, qui sexaginta annorum spatio nec vinum, nec oleum, nec aliud huiusmodi gustauerat; triginta iam annis panem non comederat, sed oleribus crudis cum sale & aceto vescebatur, aquamque bibebat. Hæc & alia de illo Gregorius in Actis *h* S. Theodori Siceotæ Episcopi Anastasiopolitani. Hunc vero Antiochum diuersum ab illo *Antiocho*, item monacho, & Abbate Lauræ in Palæstina fama celebri scias; qui eodem ferme tempore, nempe sub Heraclio Imperatore, & Cosrhoe Persarum Rege, vixit clarus inter Scriptores Ecclesiasticos; cuius sunt Sermones de diuersis centum triginta, & Exomologesis; de quo plura inferius.

h *Ap. Sur. 22. April.*

IESV CHRISTI AN. 598.

GREGORII AN. 9.

MAVRITII AN. 16.

I. ANno Domini quingentesimo nonagesimo octauo, Indictionis primæ, pace cum Agilulpho Rege Longobardorum diutius tractata, sæpius per ministros Imperatoris & Exarchi Rauennæ impedita; tandem, vt ad tempus fœdus iniretur, Gregorius obtinuit: cum interea, ne forte dum hæc tractarentur, Longobardi aliquid infausti in ciuitates Imperatori subiectas aggrederentur, idem Gregorius Episcopos in diuersis locis positos, vt custodiæ earum inuigilarent, admonuit *a*; nec à vigiliis murorum excusari homines Ecclesiasticos voluit.

GREG. CVRAT ETIAM TEMPORALIA. *a Greg.7.ep. 25.20.*

Eodem quoque anno, idem Pontifex inter alia quæ circa Ecclesiæ curam gessit, DEFENSORVM in Vrbe officium Regionariis adnumerauit. Qui vero *Regionariorum* dignitate ac nomine augebantur, eisdem patebat aditus, vt ad sacra simul cum Pontifice conuenirent, erantque omnes septenario mystico numero designati, vt sicut Diaconi Regionarii septem, totidemque Notarii Regionarii, similiter Subdiaconi, atque Defensores septem essent numero. Eorum vero priuilegium erat vt assisterent Pontifici in Ecclesia; ita tamen, vt eo præsente starent, absente vero sederent cum reliquo clero. De quibus est hoc anno data epistola *b* ad Bonifacium Primum Defensorem cum alioqui præter septem Diaconos, Notarios, Subdiaconos, & Defensores Regionarios, essent insuper alii complures in Vrbe & in omni Ecclesia Diaconi, Notarii, Subdiaconi, & Defensores. Inseruiebant autem *Defensores* præcipue pauperum defensioni & Ecclesiarum: mittiq; solebant à Romano Pontifice in diuersas prouincias tum ad curanda patrimonia Ecclesiæ Romanæ, tum alia diuersi generis administranda negotia; vt docent eiusdem Gregorii plures ad eosdem variis temporibus scriptæ epistolæ. Quarum formulam constituendorum, & quomodo in causis & patrociniis Ecclesiasticis se gerere deberent, habes quoque apud eundem Pontificem *c*.

II. DE OFFICIO ET DIGNITATE DEFENSORVM.

b 7.ep.17.

c 4.ep.25. *l.a.137.ep. 24.& 66. ad 29.ep. 27.n.4.*

Solicitus etiam, sicut alias de monachorum quiete, plura de iis scripsit; priuilegiaque concessit *d* monasterio Classensi sub diœcesi Rauennate constituto, quod cum ab eius Ecclesiæ Episcopis dura pati cogeretur, ab eorum in pluribus potestate exemit: & à prædecessoribus concessa priuilegia monasteriis *e*, salua voluit. Sic enim occasione nonnullorum Episcoporum monachos opprimentium, manauit vt Summi Pontifices eiusmodi solerent vallare ea priuilegiis.

I. d 7.ep.18.

e 7.ep.51. MONACH. PRIVILEGIA VNDE.

Accepit quoque hoc anno Gregorius, vna cum literis, sancta munuscula à Leontio Exconsule viro maxime pio, nimirum (vt ipse testatur in literis *f* ad eum redditis) oleum S. Crucis, & lignum aloes. Quid vero per *oleum S. Crucis* intelligere debeamus, satis perspicue indicat Beda *g* in epitome de Locis Sanctis; dum agens de S. Crucis-Ligno Hierosolymis Constantinopolim translato sub Hieracho Imp. ait de nodis eius sancti ligni liquorem odoriferum oleo simile profluere consueuisse, cuius virtute omnis generis ægritudines sanarentur. De eodem quoque tum apud Cyrillum in Saba tertium mentio habetur, tum apud alios scriptores Rerum gestarum Sanctorum; qui illud adhibere solebant ad fugandos dæmones, & alia edenda miracula.

IV. f 7 ep.34.

g *Bed. Epit. de Loc. Sanct. c.2. in fi.* DE OLEO S. CRVCIS. *de quo plura, a Greg. Tur. l.1. de Glor. Mart. c.9.*

Quod rursus pertinet ad res Orientales; hoc ipso anno Mauritii Aug decimoquinto ægrotans ipse morbo difficili testamentum condidit, quo Theodosium filiorum natu maximum, iam ante hac Imperatorem ab ipso declaratum, Constantinopolis dominũ fecit cum administratione Orientis. Tiberio Romam veterem cũ Italia, & Insulis maris Tyrrheni delegauit; cæterasque Romanæ ditionis prouincias inter reliquos filios distribuit; quibus ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum suũ Ecclesiæ Melitinensis Antistitem, virum rebus agendis dexterum, consilioque dexteriorem, cui Imperator maioris momenti negotia expedienda committere consueuerat, tutorem designauit. Habentur ista apud Theophylactum in Historia Mauritiana.

V. MAVRITII IMP. TABVLA.

Sed & hoc eodem tempore, magnus *Theodorus Siceota*, olim ex monacho Episcopus Anastasiopolis in Galatia inuitissime factus, cum despectui & odio se haberi videret; (nam & potatus aliquando veneno, excessisset ex hac vita, nisi MARIA Dei Genitrix Virgo succurrisset;) consulto diuino Spiritu, sedi nuntium remisit: ac contradicente suo Metropolitano Archiepiscopo Ancyrano, literis datis ea de re ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum, necnon ad Mauritium Imperatorem, vacationem obtinuit; sicque ad pristinæ vitæ statum se contulit. Cum vero quam à Deo ac

V. THEOD. SICEOTA EPISCOPATVM DESERIT.

EIVS MIRACVLA.

ceperat gratiam curationum in edendis miraculis, petentibus sæpe communicasset; ab iisdem Cyriaco & Mauritio accersitus Constantinopolim, ibi dum ad breue tempus moratur, tum Imperatoris filium à lepra mundauit, tum alia ingentia miracula edidit virtute tantum signi Crucis, additaq; aliquando aqua benedicta: quæ quidem tu ipse, si cupis, in eius Vitæ Actis *h* perlege; quæ fidelissime scripsit, qui à puero cum ipso coaluit, imo & eiusdem benedictione conceptus est, (cum videlicet parentes steriles, acceptis zonis quibus ille vir sanctus benedixerat, eum ediderunt) Eleusius, qui & Gregorius dictus est, presbyter atque Theodori monasterii alumnus.

h Ap. Sur. 22. April.

VII. *i Gregor. de gest. Franc. lib. 3. c. 81.*

Quo etiam anno defunctus est Guntheramnus Rex Francorum religiosissimus, postquam videlicet regnasset *i* annos triginta tres. Dum vero qui res Francorum sunt prosecuti, aiunt ipsum reliquisse regnum Childeberto, argui posse ex Gregorii Papæ epistolis, iam superius dictum est; ex quibus constare videtur, Childebertum biennio ante defunctum esse.

IESV CHRISTI AN. 599.

GREGORII AN. 10.

MAVRITII AN. 17.

I. DE CAVSA EPISCOPI BYZAC. *a Greg. 7. ep. 60. lib. 2.*

ANno Christi quingentesimo nonagesimo nono, Indictionis secundæ, accusato à suis Episcopis de quodam crimine, Primate prouinciæ Byzacenæ in Africa; eius causa ab Imperatore, iuxta statuta canonica, ad Gregorium Papam remissa *a* est: sed persolutis ab eodem Primate Imperatoris Magistratibus decē auri libris, ab iis controuersia sopita est. Cæterum qui in titulo posuit hanc causam fuisse Episcopi Constantinopolitani, deceptus est, quod legerit Byzancenum, pro Byzaceno.

II. OECVM. SYNODVS SINE CONSENSV RO. PONT. NVLLA.

Hoc item anno, cum idem Gregorius subodoratus esset peragi Synodum Constantinopoli inscia Sede Apostolica; veritus nequid noui ibi decerneretur de nomine Oecumenici in fauorem Episcopi Constantinopolitani, scribens ad omnes Episcopos Orientis, eos admonuit, vt statuta vetera nullatenus in ea violari permitterent; cum alioqui (vt addit) sine Apostolicæ Sedis auctoritate atque consensu, nullas quæ cumque acta forent vires habitura essent: hæc vero eius monita spernentibus excommunicationem minatur. Extat *b* eiusmodi literarum exemplar missum ad Eusebium Thessalonicensem; cuiusmodi fuere quæ ad alios transmissa sunt.

b 7. ep. 70.

III. ANASTAS. SINAITÆ ORITVR. *c Niceph. li. 18. c. 44.* *d Greg. 10. ep 22. Sigeb. de Script. Eccl. c. 42.* DE ANASTAS. ANTIOCH. IVNIORE. *e Mis. ell. Cuar. Zonar. &c.*

Contigit hoc pariter anno mori S. Anastasium Sinaitam Episcopum Antiochenum, cum sedisset annos sex inchoatos, postquā Ecclesiæ suæ restitutus est. Extitit is clarus inter Scriptores Ecclesiasticos; cuius adhuc extant nonnulla præclara monumenta, fitque de aliis ab ipso æque conscriptis in iisdem mentio: recenset vero & alia Nicephorus *c*, qui eundem vocat primarium præclarumque Ecclesiæ doctorem. Sed & idem susceptum à Gregorio Papa, quem mirifice coluit, de Cura pastorali librum *d*, Græcum reddidit. Cæterum ei in Episcopatu alium eiusdem nominis subrogatum fuisse *Anastasium*, alter Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus in Chronico tradit. Errat autem Callistus, dum illum qui præcessit nominatum Sinaitam, non hunc qui successit tradit occisum à Iudæis. Id enim Iuniori Anastasio est tribuendum ex sententia cæterorum omnium Græcorum *e* historicorum, dum eam Iudæorum seditionem ponūt sub anno septimo Phocæ; ad cuius Imperium haud peruenisse potuit Anastasius Senior, quem hoc anno decessisse constat. Porro ipsum Iuniorem, simulac creatus est Episcopus, more maiorum fidei Orthodoxæ professionem ad Romanum Pontificem misisse, fidem facit epistola, quam hoc ipso anno Gregorius *f* Papa ad ipsum reddidit. Ad hunc enim Iuniorem eam scriptam esse, satis intelligitur ex ipsius contextu.

f Greg. 7. ep. 48.

IV.

Fuit vero hoc eodem tempore laborandum eidem Gregorio aduersus quosdam, in ipsum oblatrantes, quod contra Constantinopolitanam Ecclesiam insurrexisset, à qua (vt aiebant) Romana in sacris ritibus pleraq; mutuata esset. Qua de re ipse scribens *g* ad Ioannem Syracusanum Episcopum, primum obiecta diluit, ostendens ritus illos aut à traditione Apostolorum, aut ab antiquissima Romanæ Ecclesiæ consuetudine vigere; & postea ad omnem tollendam inuidiam, profitetur se minime dedignari sibi subditarum Ecclesiarum bonas consuetudines imitari: Constantinopolitanam autem Ecclesiam Apostolicæ Sedi subditam esse, probat etiam testimonio ipsius Imperatoris, atque Cyriaci *h* eiusdem ciuitatis Episcopi.

g 7. ep. 64. DE RITIB. A GRÆCIS ACCEPTIS. *h ita leg. pro* Eusebio.

Quo eodem tempore reperitur Rex Hispaniæ religiosissimus Reccaredus, Abbates quosdam Romam misisse ad Limina Apostolorum, cum muneribus S. Petro offerendis: de qua legatione mentio habetur in literis *i* S. Gregorii ad eūdem Regem hoc anno redditis. Cui & alia ipse remisit munera, videlicet clauem S. Petri, vna cum ferro de catenis eius incluso; itemque Crucem, in qua erat particula ligni Dominicę Crucis, & de capillis B. Ioannis Baptistæ. Sed & scribens *k* ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum, à quo prius literas accepisset, pallium quoque ei transmisit. Quem quidem laborasse æque ac Gregorium tunc podagra, ipse eadem testatur epistola. Certe si numerandos suscipias sanctitate celebres homines, qui podagrę morbo afflictati sunt, copiosum conficies catalogum: quo redarguas eos qui voluptuosos ex podagræ doloribus arguunt homines. Eo vero morbo Gregorium iugiter ab hoc tempore valde afflictatum esse vsque ad obitum, adeo, vt vix à lectulo aliquando surgere posset ad sacra Missarum solemnia celebrāda; ipse aliis postea ad diuersos scriptis *l* literis sæpius testatus est: cum tamē nihil vnquam remisisse quotidianæ solicitudinis Ecclesiarū omnium, satis demonstrent quamplurimæ eius epistolæ tū hoc tum sequentibus annis conscriptę. Cum autem his temporibus dira lues vastaret Africam, de ea scribens *m* ad Dominicum Episcopum Carthaginiensem, qualiter se gerere debeat monet; non quidem, vt saluti suæ consulens deserat gregem, sed vt pro eo vitam exponat; illum magis ac magis à praui operis perpetratione coercens, & bonorum præmia, malorumque pœnas edisserens.

i 7. ep. 116. *k 7. ep. 117.* GREG. LABORAT PODAGRA. *l 8. ep. 35. 36. 9. ep. 27. 38. 12. ep. 7.* *m 8. ep. 41.*

Scripsit *n* item ad præcipuos Galliarum Episcopos, monens Synodum congregari; necnon ad Brunichildem Reginam, ac Theodobertum & Theodoricū Reges Francorum, vt Simonia, & alia crimina corrigi deberent, & ne laici ac neophyti ad Episcopatum assumerentur.

VI. *n 7. ep. 111. vsque 116.*

IESV CHRISTI AN. 600.

GREGORII AN. 11.

MAVRITII AN. 18.

I. *a Paul. d. ac. lib. 4. c. 14. in fi.* *b Greg. 8. 36.* ROMILDA DIGNAM ACCEPIT PRODITIONIS SVÆ PŒNAM.

ANno Domini sexcentesimo, Indictionis tertiæ, Sclaui, siue Sclauini barbari (de quorū incursionibus iam superius dictum) Istriam *a* deprædati, Italiam *b* penetrare cœperunt: & Chaianus, siue Gaganus Auarum Rex Venetiam prouinciam inuadens, Forum-Iulii insidiis Romildæ relictę Agilulphi Ducis, qui eodem tunc bello perierat, cepit ac cōbussit: Romildam vero digna impudicitiæ ipsius pœna afficiens, palo publice infigi iussit, quod spe sumendi sibi maritum ipsum Regem, ei ciuitatem prodidisset. Cuius filiæ matri dissimiles, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mamillas sub fascia posuerunt; quibus ex calore putrefactis, eiusmodi fœtorem Auares naturalem esse credentes, ab iis abstinuerunt. Eædem vero per diuersas postea regiones venumdatæ, tandem coronam castitatis suæ recipientes, vna nupsit Alemannorum Regi, alia Baioariorum Principi. Refert ista Paulus *c* Diaconus.

c Paul. hist. lib. 4. c. 12.

II. CHAIAN. REX AVARVM DAT PŒNAS SCELERIS.

Hoc item anno, qui numeratur tertius ante Mauritii Augusti obitum, cum idem Chaianus Rex Auarum inferiorem Pannoniam, ac postea Thraciam inuadens, cunctaque vastans, iam ipsi vrbi Constantinopolitanæ immineret, adeo vt timore ciues correpti consilium inirent Europam deserendi, & in Asiam atque Chalcedonem migrandi: ipse Chaianus meritas sceleris pœnas exoluens, quo Sanct. Martyris

Alexandri

Alexandri ecclesiam incenderat, eiusque sepulchrum argenteo tecto coopertum spoliauerat, ac sacras Reliquias iniuriis affecerat; pestis Inguinariæ grassatione magnam exercitus sui partem amisit, vnoque die septem filiis suis eadem lue absumptis priuatus est. Hæc ex Theophane in Miscella, Nicephorus *d*, & alii. Porro cum Mauritius Imp. hortante Senatu legatos ad eundem Chaianum pro pace misisset, ipseq; Chaianus captiuos obtulisset viritim redimendos vno nummo, postea etiam quatuor siliquis; his conditionibus ab Imperatore recusatis, Chaianus omnibus occisis captiuis ad propria rediit. Quomodo vero impium hoc Mauritii facinus, quo tot insontes perire passus est, seuere admodum vltus sit Deus, dicetur inferius suo loco. Subditur autem post hæc in Miscella, de legatione ab exercitu Imperatoris missa contra Priscum suum ipsorum Ducem. Inter legatos autem *Phocas* Centurio, cum paulo liberius alloquutus Imperatorem, ab vno Patriciorum alapa percussus esset, & barba euulsus; hinc ei oblata est occasio tentandi noua: de quo dicendum postea.

d Nicepb. li. 18. c. 28. 29.

IMPIVM MAVRITII IMP. FACINVS.

Eodem anno, cum S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus Romam ad S. Gregorium misisset cognoscendum, atque probandum commentarium suum aduersus Agnoitas hæreticos scriptum, ipse Gregorius eundem, vt Catholicum laudauit *e*. Ita enim plane præcipuorum Orthodoxorum morem fuisse superius demonstratum est, vt aduersus hæreticos quæ scriberent, eadem plerunque cognoscenda mitterent ad Romanum Pontificem.

III. EPISC. ALEX. SCRIPTA SVA MITTIT ROMAM.

e Greg. 8. ep. 42.

Mortuo item Constantio Episcopo Mediolanensi, cum Agilulphus Longobardorum Rex successorem ei nominare vellet; eius conatibus resistens Gregorius, Mediolanenses *f* monuit, vt firmiter manerēt in facta per eos electione Deus dedit Diaconi in eius sedis Episcopum: quod & exclusa Agilulphi petitione, strenue impletum est. Ex Annalibus *g* vero Mediolanensibus proditur, S. Gregorium concessisse Mediolanensibus, vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius ciuitatis Antistes (quisquis pro tempore esset) conuocato Concilio Episcoporum sibi subditorum, eligeret Regem quem vellet.

IV. *f 8. ep. 65.* *g Sigon. de reg. Ital. an. 601.* PRIVIL. MEDIOLAN. ANTISTITIS, ELIGENDI REGEM.

Missio item hoc anno ab Imperatore in Italiam, administrare Vrbanam Præfecturam, Leontio Exconsule, reuocatus est Gregorius; cui redeunti Constantinopolim dedit S. Gregorius Papa literas *h* testes eius magistratus bene perfuncti. Leontius vero per Siciliam transiens, Imperatoris iussu redegit in ordinem Libertinum V. C. Expræfectum, cæsumque bonis spoliauit: qua de re eum Gregorius redarguit *i*, quod homo liber flagellis minime subiicii deberet: ipsum autem Libertinum consolatoriis literis *k* conuenit, atq; eleemosynis fouit: multaq; insuper alia præstitit circa Vniuersalis Ecclesiæ curam, quæ in ipsius Regesto *l* videre est.

V. *h Greg. 8. ep. 34. vsque 60.* *i 8. ep. 51.* *k 8. ep. 31.* *l Epist. lib. 8. Ind. 3.*

IESV CHRISTI AN. 601.

GREGORII AN. 12.

MAVRITII AN. 19.

I. *a Greg. 9. ep. 27.*

ANno Christi sexcentesimo primo, Indictione quarta, Gregorius Papa legatione susceptа Maximiniani Arabiæ Episcopi, petentis Reliquias Sanctorum, eas ei transmisit *a*. vt intelligere possis, quam toto Orbe creuisset cultus Sanctorum.

II. CONCIL. ROM. *b Rec. Baro. Tom. VIII. hoc an. ex Bibl. Vatic.* GRÆC. CŌSTITVTVM PRO MONACHIS.

Qua etiam Indictione quarta, Nonis Aprilis idem Pontifex *Romæ* SYNODVM celebrauit Episcoporum viginti, ac Romanæ Ecclesiæ presbyterorum quatuordecim, & diaconorum quatuor: in qua decretū *b* edidit, quod appellari cōsueuerat *Constitutum*, quo consuluit monachorum quieti & indemnitati, ne ab Episcopis vllas imposterum molestias paterentur, siue in bonis, siue in Abbatum electionibus, aut monachorum inuitis Abbatibus ordinationibus.

III. HÆRESES

Cum vero literis Theotistæ sororis Imperatoris Constātinopoli scribentis, certior factus esset, ipsam in suspicionē adductam esse quarundam hereticarum opinionum; quibus assereret, Obtentu religionis coniugia solui posse; Baptisma haud penitus peccata auferre; Si quis de peccatis suis in triēnium pœnitentiam ageret, postmodum ei peruertse licere viuere; ac denique, Si quis necessitate compulsus aliquid de quo reprehenderetur, anathematizare se diceret, anathematis vinculo ipsum non teneri: de his ad eandem referibens *c* hoc ipso anno Gregorius, quamuis ipsam passam esse calumniam æstimare se dicat, admonet tamen eos anathematizare errores, atque se iuramento purgare: fœminam alioqui religiosissimā habitam, atq; ab ipso Gregorio sæpius laudatā.

ADSCRIPTÆ SORORI IMP.

c Greg. 9. ep. 59.

Hoc item anno defuncto Amos Hierosolymorum Episcopo, subrogatus est in locum eius *Eſychius*, qui more maiorum, vt Catholicæ communionis particeps fieret, misit suæ fidei professionem ad Gregorium Papam: Gregorius autem ea Orthodoxa probata, ad ipsum literas *d* reddidit, quibus eum inter alia admonuit de extirpanda Simonia. Vix enim credi potest, quantum hoc tempore in vniuerso Orbe eiusmodi labe Ecclesia Dei inquinaretur. De qua etiam cum iam antea redarguisset *e* Gallicanos Episcopos, hoc item anno aduersus eosdem querelas repetiit, scribens *f* ad illiorum præcipuos, necnon ad Reges Reginamque Brunichildem. Sed viguit illic nihilominus hæc pestis, donec tandem opera SS. Eligii & Audoeni per Dagobertum Regem (vt videbitur) compressa est.

IV.

d 9. ep. 49. SIMONIACA HÆRESIS VBIQVE VIGENS. *e 7. ep. 11. & seqq.* *f 9. ep. 48. vsque 57.*

Iisdem vero literis cum à Gregorio commendentur sacri ministri, quos ipse in Angliam mitteret; sciendum est ex Beda *g*, hoc eodem anno nonnullos ex iis, qui cum Augustino in Angliam missi fuerant, ab eodem Romam redire iussos esse, vtà S. Gregorio maior numerus verbum Dei annūtiantium mitteretur: idq; mox præstitisse Gregorium, simulque per eos misisse vasa sacra, vestimenta sacerdotalia, & omnis generis ornamenta Ecclesiarum, codicesq; plurimos, ac Sanctorum Reliquias. Cuius etiam extant *h* ad ipsum AVGVSTINVM Anglorum Apostolū & Episcopum primum literæ, quibus ei congratulatus est de felici successu conuersionis illius gentis: admonuitq; ne ob tam grandia facta, miraculaq; à Deo per ipsum edita, aliquo modo inflaretur. Sed & cum eundem Gregorium Augustinus consuluisset de nōnullis ad Episcopale officium pertinentibus, idem singulis respondens Decretalem Epistolam misit, quæ licet vltimo loco epistolarum sit posita, ad hunc tamen annum referenda noscitur testificatione Bedæ, qui ipsam vna cum aliis literis quarta Indictione datam affirmat. Quo etiam tempore ad eundem Augustinum misit Gregorius Pallium; & Episcopatus Angliæ designans, quā inter alios Eboracensis & Londonensis auctoritatem habere deberent, disposuit. Scripsit quoque ad Edilberthum Anglorum Regem gratulatorias literas *i*, de ipsius ex dæmonum cultu ad veram Christi fidem conuersione: necnon ad *k* Aldibergam Reginam eius coniugem, laudans eam de egregia nauata opera in conuersione eiusdem gentis. Quod autem iisdem literis Regem monuerat, vt idolorum templa destrueret; hæc postea, vt sibi visus est, in melius corrigens, scripsit *l* ad Mellitum Abbatem (quem hoc anno cum aliis in subsidium Augustini misit) vt templa idolorum non destruerentur. sed per aquam benedictam purgata in Ecclesias Christianorum consecrarentur, appositis Sanctorum Reliquiis; vt dum gens ipsa eadem fana sua non videret destrui, de corde errorem deponeret, & Deum verum cognoscens & adorans, ad loca quæ consueuerat, familiarius concurreret. Qua etiam ratione & alios pariter Gentilitios ritus ad pietatem conuerti mandauit, quod duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esset. Addit deniq; Beda *m*, Augustinum in Dorouerna regia ciuitate inuentam antiquam Christianorum Ecclesiam à Romanis olim erectam, in nomine Saluatoris dedicasse; atq; ibidem sibi habitationem statuisse, & cunctis successoribus suis Angliæ Primatibus. fecisse quoq; in eadem ciuitate monasterium; ipsumq; Edilberthum Regem, eiusdem hortatu, in eo ecclesiam SS. Petri & Pauli Apostolorum construxisse, in qua & ipsius Augustini & omnium Episcoporum Dorouernensium, simul & Regum Cantii poni corpora deberent. Atque hæc sunt cunabula Ecclesiæ Anglicanæ; de quibus agit pluribus Beda.

V. *g Bed. l. c. 27. & 29.* GREGORII CVRA DE REB. ANGLICIS. *h Greg. 9. ep. 58.* AVGVST. ANGLOR. APOSTOLVS. *i 9. ep. 60.* *k 9. ep. 59.* *l Ep. Bed. li. c. 29. 30. & Greg. 9. ep. 71.* TEMPLA, AT RITVS GENTILIVM; AD PIETATEM CONVERTENDI. *m Bed. lib. c. 33.*

Hoc item anno Gregorius Papa ad Siciliæ Episcopos circularem epistolam *n* mittens, ob imminentia ibi à barba-

VI. *n Greg. 9. ep. 45.*

CONCIL. ROM. 09. ep. 69. ANDREAS, IMPOSTOR ET FALSARIVS. p 9. ep 22. TESTANDI FACVLTAS ABBATI DATA.

tis pericula, Litanias indixit celebrandas singulis feriis quartis & sextis singularum hebdomadarum. quod remedium profuisse declarauit eu ntus, cum certum sit eam Insulam nullam hostium passam esse incursionem. *Romæ* insuper CONCILIVM habuit; in quo inter alia damnatus *o* est *Andreas* Græcus homo, sub monachali habitu degēs apud basilicam S. Pauli, detectus impostor, atque falsarius, dum sermones quosdam prauos ipsius Gregorii nomine suppossuit, & Eusebii Thessalonicensis Episcopi literas ad eundem Gregorium scriptas falsauit. Itemque in eodem Concilio data *p* est P. obo Abbati testandi facultas de iis bonis, quæ ante susceptum monasticum habitum habuisset. Tanti namque momenti æstimabatur, facultatem testandi dare monacho, etiam de bonis ante ingressum monasterii acquisitis, vt id Gregorius facere noluerit nisi Synodo conuocata. Sicut & alias pariter in Concilio decreuisse reperitur *q*, vt nullius essent ponderis, quæ de bonis post Episcopatum adeptis Episcopus testamento disposuisset in præiudicium Ecclesiæ suæ; secus vero de his, quæ ante Episcopatum possedisset.

q *sup. t. ap. Baron ann. 595. LIX.*

VII. CONCIL. TOLET. *Ap. Baron. an. 597. sed vide supr. an. 590. post num XII.*

Hoc insuper anno, qui numeratur duodecimus Reccaredi Regis Hispaniæ, celebratum est CONCILIVM TOLETANVM ab Episcopis sexdecim; cuius tantummodo canones duo reperiuntur. De castitate enim à ministrantibus altari seruanda illud sancitum est, vt si quis eam violaret, non solum è gradu excideret, sed & duro carceri mancipare tur.

VIII. r Aimoin. de gest. Franc. lib 3. c 87. 88. ANGELVS VISVS IN GAL. EVAGINATO GLADIO.

Hoc denique anno, qui secundum chronologiam superius positam numeratur quintus *r* Regū Francorum Theodoberti atque Theodorici fratrum, conflatum est ciuile bellum inter eos atque Clotarium filium Regis Chilperici & hæredem Guntheramni: magnaque facta vtrimque cæde, cessit tandem victoria prædictis fratribus, fugiente Clotario. In qua pugna (inquit Aimoinus) Angelus Domini astans euaginatum visus est tenuisse gladium. Quæ quidem visio, non solum quod tunc fieret, sed etiam quod postea futurum esset, haud dubiis demonstrauit signis: siquidem ira Dei effusa supra Reges Francorum, effecit, vt se inuicem bello ciuili consumerent.

IESV CHRISTI AN. 602.

GREGORII AN. 13.

MAVRITII AN. 20.

I. a Paul. diac. lib 4 c 5. ROMANOS DEVS PER LONGOB. PLECTIT.

ANno Christi sexcentesimo secundo, Indictionis quintæ, absoluto tempore pacis initæ inter Romanos & Longobardos, iisdem rursum vtrimque certantibus, Ariulphus (ita enim vocat Paulus Diaconus) Spoleti Dux Paganus prælio Romanos vicit, ope diuinitus missa S. Martyris Sabini Episcopi: sicuti in vltionem Deus sæpe vsus est Regibus Babyloniæ, aliisque ad plectendos Hebræos delinquentes. Rem gestam pluribus prosequitur idem Paulus: qui ait, paulo post mortuum esse Ariulphum. Quo enim vsus erat Deus in puniendis Romanorum peccatis ministro, eundem accepto muneri ingratum, atque in Gentilismo persistentem, eodem anno mortis pœna affecit.

II. b Greg. 10. ep. 36. c 10. ep 30. PROFESSIO SCHISMAT. AD ECCL. REDEVNTIVM. d Rec. Baro. Ann. Tom. VIII. hoc an. acceptam à Nic. Fabro.

Quo eodem tempore Tergestinus Episcopus à schismate Trium Capitulorum ad Ecclesię vnitatem rediit; ad quem extat S. Gregorii epistola *b* hoc anno data. Formulam autem fidei & vnitatis professionis, quam facere solerent redeuntes ad Ecclesiam, habes in epistolis *c* eiusdem Gregorii; qua inter alia. *sub sui ordinis casu, & anathematis obligatione, sponderent, iurarentque, semper se in vnitate S. E. Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansuros: & si aliqua se excusatione vel argumento ab hac vnitate diuiderent, periurii reatum incurrerent, & æternæ pœnæ obligati inuenirentur, cumque auctore schismatis haberent in futuro sæculo portionem.* Quod vero in ea professione nulla penitus mentio habetur de fidei dogmatibus, quorum causa conflatum est schisma, vt non nisi eorum confessione facta esset quis in Ecclesiam admittendus; desiderari videtur in ea pars illa *d*, qua imprimis Quatuor Synodi recipiuntur & comprobantur, sicut S Euangelii quatuor libri; deinde vero Quintum Concilium pari veneratione asseritur & approbatur, & illud reiicientibus anathema dicitur. Cæterum vbi Tergestinus Episcopus reuersus est, blanditiis rursum tentatus à Seuero Gradensi schismaticorum capite, cum minime acquiesceret, diram ab eo persecutionem est passus; cuius rei gratia opus fuit S. Gregorio, aduersus Seuerum implorare *e* anno sequenti auxilium Smaragdi Exarchi. Iste autem Seuerus, qui dicitur Gradensis Episcopus, haud dubium ipse idem est cum Seuero Aquileiensi, de quo superius: sed incensa (vt ex Gregorio *f* constat) Aquileia à Longobardis, idem in Gradensi Ecclesia sedem collocauit. Imo extant Acta Synodalia apud Gradum habita sub Elia Aquileiensi Episcopo, tunc Romanæ Ecclesiæ communicante, in quibus recitatur epistola Pelagii Papæ Secundi ad eundem Eliam, qua conceditur, vt Gradum loco Aquileiæ ipse teneat; sitque eadem Gradus metropolis totius Venetiæ & Istriæ, quæ & *noua Aquileia* nuncupetur: vnde euenit, vt idem Episcopus & *Patriarcha* aliquando *Aquileiensis*, aliquando vero *Gradensis* nominaretur.

e Greg. 11. ep. 40. PATRIARCHA GRADEN. IDEM QVI ET AQVIL. f Id. 2. ep. 32 Ind. 10.

[Ita tamen, vt, sicut ex iisdem Actis Synodalibus sub Elia, Andr. Dandulus Dux Venet. (qui ea recitat in suo Chron. vna cum epistola Pelagii Papæ) infert, *Patriarchatu* dignitas prius in Ecclesia Gradensi quam Aquileiensi fuerit inchoata; idque tunc in persona eiusdem Eliæ, ex concessione Pelagii. Quomodo vero fuerint iterum hæ sedes diuisæ, vide infra ann 605. II. Fuit vero præterea in eadem SYNODO GRADENSI lecta, & communi omnium consensu approbata, fides Concilii Chalcedonensis: subscripseruntque vna cum eodem *Elia, & Laurentio* presbytero Apostolicæ Sedis Legato, alii quindecim illarum partium Episcopi, & quorundam absentium locum tenentes, ac duodecim presbyteri: imperante Tiberio Aug. anno eius Imperii quinto, Non. Nouemb, Indict. 13. Hæc ibi.]

CONCIL. GRADENSE.

III. g 10. ep. 33. h 10. ep. 35. i 10. ep. 8. & 31. APOST. SEDIS VIGES SEMPER AVCTORITAS.

Fuerunt etiam plura Episcoporum iudicia ad Sedem Apostolicam hoc anno delata, quæ Gregorius aliis cognoscenda remisit. Causam enim Pauli Episcopi Diaclini delegauit *g* Ioanni Episcopo Primæ Iustinianæ: iudicium Clementii Primatis prouinciæ Byzacenæ grauium criminum rei, demandauit *h* Concilio Episcoporum quod in eadem prouincia celebrari iussit: causamque Paulini Regensis in Numidia Episcopi de simonia accusati, ac Donadei Diaconi ab Episcopo suo depositi, cognosci pariter voluit *i* in alio Concilio in eadem Numidia celebrando. Ex quibus videas Apostolicæ Sedis auctoritatem adeo vigentem, vt neq; bella, neque alia incommoda retinere possent homines, quo minus tam ab Oriente quam Occidente ex Transmarinis Ecclesiis appellationes & alia iudicia deferrentur ad eam; eademque ab ipsa pro libito aliis cognoscenda committerentur. Quod & singulis ferme annis hoc tempore factitatum, fidem faciunt eiusdem Pontificis epistolæ.

IV. DE NECE MAVRITII IMP. k 11. ep 1. l Ap. Sur. 22 April. m Cedr. in Annal. n Niceph. lib. 18. c. 38. EIVS PŒNITENTIA.

Quod autem ad res Imperii pertinet; hoc eodem anno mense Nouembri, cœpta iam Indictione sexta, occisum esse Mauritium Imperatorem publica monumenta apud Gregorium *k* descripta testantur. Eius vero necem antea diuinitus ostensam esse S. Theodoro Siceotæ, qui ipsi olim Imperium prædixerat, Acta *l* eius Vitæ habent. Eandemque prædictionibus aliis atque portentis significatam; sed & populum in Mauritii ludibrium, Maurum quendam hominem Mauritio similem super asinum imposuisse, & corona ex aliis confecta coronasse, ac per vrbem circumductum sannis ac sibilis infectatum esse; tradunt Cedrenus *m* atque Nicephorus *n*. Addunrque, præcognitum ipsi Mauritio fuisse, ab eo se occidendum, cuius non ē duabus his literis inchoaretur PH. eiusque rei gratia Philippicum fororis ipsius maritum in suspicionem adductum, periculum euasisse, quod Mauritius diuinitus certior factus esset de vero nomine interfectoris sui. Tradunt etenim eundem Imp. eiusmodi portentis pertetritum, maleque sibi conscium de tot millibus innocentium Christianorum, quos passus esset à Rege Auarum immaniter trucidari, cum minimo eos potuisset redimere pretio; facti pœnitentem scripsisse ad omnes Patriarchas, & monachos Orientis, vt à Deo peterent, vt ipse de peccatis admissis in hac vita & non in futura pœnas lueret: eoque ipsi concesso, insuper in somnis ab ipso CHRISTO Domino intellexisse, se vna cum vxore, liberis, ac tota familia, per Phocam militem trucidatum iri.

Accidit

IESV CHRISTI AN. 603.

GREGORII AN. 14.

PHOCÆ AN. 1.

ANno Christi sexcentesimo tertio, Indictionis sextæ, cum allatæ essent Romam septimo Calendas Maij Phocæ & Leontiæ Augg. imagines, iis acclamatum est in ecclesia Lateranensi ab omni Clero atque Senatu: vt habetur apud Gregorium in exordio vndecimi libri Epistolarum. Mitti namque Imagines Imperatorum ab ipsis consueuerant in diuersas prouincias Imperio Romano subiectas, & ad Principis amicos; iisdemque veluti Imperatori præsenti debitus honoris cultus *a* deferri; & in eas peccans, maiestatis reus efficiebatur. De quarum veneratione est etiam ampla frequensque mentio in epistola Gregorij Papæ Secundi ad Leonem Isauricum Imperatorem, & apud posteriorem Nicænam Synodum, atque Damascenum, vel alios qui scripserunt de veneratione sacrarum Imaginum. Simulac autem S. Gregorius accepit Phocæ euectionem in Imperium, litteras *aa* gratulatorias ad eum dedit: Cumque & ipse post hæc alias ab eodem recepisset, quibus persolutis quę solerent reliqui Imperatores officiis, questus esset quod nullum inuenisset Cõstantinopoli ex more residere S.R.E. Apocrisiarium: (acciderat enim anno superiori Anatolium mori:) misit illuc Gregorius Bonifacium diaconum, cum aliis rursum literis *b* ad eundem Imperatorem, Leontiam Augustam, & Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum. Phocas vero quinto *c* ab inito Imperio mense literas ad Cosrhoën Persarum Regem dedit, quibus ex antiqua (vt Nicephorus ait) consuetudine, quæ vigebat inter Romanos ac Persas, euectionem suam ad Imperium eidem significauit. At Cosrhoës vindictam in animo voluens de Mauritij nece, à quo ipse in regnum fuerat restitutus, fœdus cum Romanis initum rumpens, funestissimum Imperio Romano bellum cœpit; de quo inferius suis locis.

Hoc item anno Romæ error ille per S. Gregorium *d* correctus est, quo quidem vel ex superstitione Iudaica, vel ritu Græco coli debere Sabbatum perinde atque Dominicum diem prædicabant: cuiusmodi homines vocat prædicatores Antichristi, qui die Sabbato atque Dominico operari prohibebit; Sabbatum quidem celebrans, quia Iudaizare populum compellet; Dominicum vero diem, quia easse die resurrecturum mentietur. Sed & præter alia multa, quæ hoc anno in administratione vniuersalis Ecclesiæ, occasione causarum ex diuersis vndique Ecclesiis ad Sedem Apostolicam delatarum, idem Pontifex peregisse reperitur, decoro etiam Episcoporum prospiciens, Paschasium Neapolitanum acriter redarguendum *e* curauit, quod ita quotidie despectus cum vno aut duobus clericis diceretur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula esset, & extraneis sic vilis ac despicabilis appareret, vt nihil habere Episcopalis vel ingenij vel reuerentiæ videretur.

Eodem anno cum Arnulphus Longobardus Spoleti Dux Romam oppugnaturus, parasset exercitum mense Iunio, & cum proxime instaret dies natalis Apostolorum moliretur eius excidium; de his Gregorius solicitus, literas *f* scripsit ad diuersos Imperatoris Duces per Italiam constitutos, vt si Arnulphus Vrbem aggrederetur, ipsi aduersus eum à dorso laborarent, & loca eius deprædarentur, quo ita reuocaretur à cœptis. Quin & pro custodia Neapolitanæ ciuitatis misit Constantium Tribunum, literasque dedit ad milites *g*, (non ad Episcopos, vt vetus habet editio) vt illi parerent. Ita quidem ipse, Pontifex cum esset, militaria coactus est pertractare; & præ auctoritate suæ Sedis, militibus etiã ac ciuitati Imperatori subditis, vt vellet imperabat: hæcque sub Phoca tyranno. O tempora hac ex parte felicia! Vtinã modo essent in regra ipsi spiritualia iura, q̃ maiori in dies ignominia tantę Sedis, auersione contentiosa calcantur. Sed

I. DE CVLTV EXHIBITO IMAGINIB. IMP.

a *Vid. sup.* 404. III. & 488. I. II. & *fuse bulang. in Imp. Rõ. lib. 2. c. 12. & 13.*

aa *Greg. 11. ep. 38.* GREG. SCRIBIT AD PHOCAM.

b *11. ep. 45. 46. 47. c. Niceph. lib. 18. c. 43.*

II. d *Greg. 11. ep. 3.* ERROR DE CVLTV SABBATI

e *11. ep. 31. ad Anthem.* REDARGVIT EPISCOPVM DE VILI INCESSV.

III. f *12. ep. 21. 22. 23.* TRACTAT MILITARIA.

g *11. ep. 24.*

V. PHOCAS VICTVS IN IMPERIVM.

Accidit autem inter hæc, vt iusso exercitu vltra Istrum hiemare, milites id ægre ferentes, seditione facta, de nouo creando Imperatore tumultuose agere cœperint; quemque audacem scirent esse PHOCAM Centurionem (de quo superius facta est mentio) super scutum eleuantes, Imperatorem acclamauerint, & Constãtinopolim deduxerint. Quem aduentare audiens Mauritius, nauem conscendit cum vxore ac liberis; sed tempestate repulsus est ad litus. Cum Phocas iam à Senatu ad Hebdomum exceptus, & à Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, post exactam ex more ab eo fidei Catholicæ confessionem, coronatus, atque insignibus regiis decoratus; eundem Mauritium ad se perduci iubens, mox ante eius oculos quatuor paruulos filios masculos necari præcepit; nihil aliud Mauritio proferente, quam illud Dauidicum *o*, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Immo cum nutrix vnum è pueris subtraxisset è nece, & pro illo proprium filium offerret; id Mauritius fieri prohibens, verum suum filium prodidit, qui visus est è vulneribus lac dare cum sanguine. Tandem vero vltimo loco & ipse occisus est, anno Imperij vigesimo, ætatis sexagesimo tertio: omnium autem abscissa capita delata in campum iuxta tribunal, ad fœtorem vsque ibi permanserunt, donec Phocas licentiam ea auferẽdi, atque sepulturæ mandandi concessit. Sed & post Mauritium cæsus est Petrus ipsius frater, aliique nonnulli proceres. Philippicus autem eiusdem sororis maritus, sacerdotio initiatus est; ipsaque eius coniux Gordia eiusmodi quietum vitæ genus arripuit. Ac demum qui solus superfuit Theodosius, eiusdem Mauritij filius primogenitus & in Imperio collega, cum ante aduentum Phocæ ad petendum auxilium à Cosrhoë Rege missus à patre in Persidem fuisset; & ipse anno sequenti ab eodem Phoca Nicææ interceptus est, ac pariter necatus. Qui petens, priusquam necaretur, diuinis mysteriis impertiri, postquam impetrasset, gratiis Deo actis, lapide ter pectus percutiens; *Domine Iesu Christe*, inquit, *tu scis me nulli hominum iniuriam fecisse: nunc autem mihi euenit vt tua iubet potentia*. Quæ omnia pluribus tractant auctor Miscellæ *p*, Cedrenus *q*, atque Nicephorus *r*. Verum Theodosij cædes neque tunc credita est, sed alium in eius locum suppositum fuisse iactatum est; vnde & nouæ conflatæ sunt in Phocam insidiæ, de quibus, vna cum Mauritij vxoris ac filiarum cæde, suo loco agendum. Hæc autem quæ Constantinopoli gesta sunt, eodem ipso momento, diaboli arte per statuas quasdam æneas Alexandriæ nuntiata esse, Miscella habet.

o *Psal. 118.*

p *Miscel. li. 17.*

q *Cedr. in annal.*

r *Niceph. li. 18. c. 38. & segq.*

VI. *s Niceph. c. 39.*

Scito vero calumniam fuisse, quam aduersa populi pars intulit *s* in Mauritium, quod Marcionis hæresis sectator esset: siquidem eius fidem Catholicam non solum recepit, sed & prædicauit sæpe S. Gregorius *t*. Laudat illum Nicephorus *u* præcipue de cultu doctorum virorum, ac de liberalitate cum erga loca sancta, tum erga subiectos. Equidem inter felicissimos Imperatores collocandus erat, si quemadmodum fuit Catholicæ fidei tenacissimus, fuisset pariter & in reliquis æque sincerus: sed dum libertatem Ecclesiasticam conuellere voluit, ac contemptui habuit Pontificem Romanum, aliaque praua opera commisit, dei vindictam meruit experiri. Qualis autem esset Phocas, Cedrenus docet, dum ait fuisse deformem, terribilem aspectu, rubente capillo, superciliis coeuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatum quæ ipso irascente denigrabatur, vinolentum, mulierosum, sanguinarium, in dicendo ferocem, à miseratione alienum, moribus ferum, hæreticum: Vxoremque eius Leontiam Augustam iisdem fuisse moribus imbutam. At quod hæreticus dicatur, calumniose id passus videtur. Habet denique idem auctor *x*, quendam sanctum monachum à Deo quærentem, cur tam impium Christianis dedisset Imperatorem, responsum accepisse, deteriorem illo alium inueniri potuisse nullum, & hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia. Quare tam ex eius sæuiente tyrannide, quam ex aliũde emergentibus malis, fuisse tempora ipsius Imperij infelicissima, idem auctor aliique tradunt; nempe grassantibus vbique fame, peste, ac bello, & in tantum sæuientibus frigoribus, vt congelauerit mare, ac pisces perierint.

t *Greg. 7. ep. 48. 9. ep. 40.*

u *Nic. c. 42.*

PHOCÆ ASPECTVS, ET MORES.

x *Cedr. an. vlt. Phoc. ap. Baron. an. 610. III.*

VII. CONCIL. OSCENSE. *Ap. Baron. an. 598. sed vide sup. an. 590. post n. XII.*

Hoc item anno, qui numeratur decimustertius Reccaredi Regis, celebratum est in Hispania OSCENSE CONCILIVM: cuius duo duntaxat canones reperiuntur, quibus consultum est castitati clericorum.

suo ipsorum damno, qui talia agunt, Deum experientur vltorem. Ceterum Arnulphum, hac forte Gregorij vigilantia territum, à cœptis destitisse constat; pacemque sequenti anno confectam iterum esse cum Longobardis: Literas autem ab ipso Gregorio tunc de his scriptas, licet in codice sub Indictione septima collocatæ reperiantur, sub sexta reponendas esse, ea potissimum ratio suadet, quod hæc acta dicantur esse mense Iunio, quo natalis Apostolorum agitur, ipsum vero Gregorium mortuum esse constat mense Martio septimę Indictionis.

IV. CONCIL. BARCINON. *Ap. Baron. an. 599. sed vide sup. an. 590. post num. XII.*

Hoc pariter anno, qui numeratur Reccaredi Regis decimusquartus, Calendis Nouembris celebrata habetur *Barcinone* in Hispania SYNODVS Episcoporum duodecim, cuius quatuor dumtaxat extant canones, duo, aduersus simoniacam prauitatem, tertius aduersus laicorum præposteras ordinationes, quartus denique contra monachos atque moniales, post castitatem promissam connubia agentes.

IESV CHRISTI AN. 604.

SABINIANI AN. 1.

PHOCÆ AN. 2.

I. ANno Christi sexcentesimo quarto, & S. Gregorij decimo quarto inchoato iam anno superiori à tempore exordientis Indictionis septimæ, mense Septembris, idem Pontifex quarto Idus Martij feliciter ex hac vita migrauit. Quantum vero ante obitum hoc ipso anno in iis quæ sui muneris erant laborauerit, declarant eius epistolæ quæ extant datæ sub Indictione septima; quamuis sint aliquæ ibidem collocatæ, quæ longe ante scriptæ esse noscantur; quæ autem notatu digniora gesta sunt, pax est imprimis cum Agilulpho Rege Longobardorum renouata. Qua sancita cum idem Rex auctus fuisset filio, eum pia mater Theodolinda Regina nominatum Adalvvaldum, in fide Catholica voluit baptizari, de hisque certiorem reddidit S. Gregorium; vt constat ex literis *a* gratulatoriis ab eodem Pontifice ad eam redditis: quando & infantulo pro munere phylacteria misit, (sic vocat, quas veteres nominare consueuerant *Bullas*, ad collum appendi solitas) nempe crucem cum ligno sanctæ Crucis Domini, & lectionem S. Euangelij theca Persica inclusam. cuius item sorori tres anulos misit, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula.

a *Greg. 12. ep. 7.*

MVNERA A GREG. AD INFANTEM REGIVM MISSA.

II. Missaque à Felice (Episcopo, vt puto, Messanensi, ad quem haud pridem S. Gregorius scripsisse *b* reperitur) ad eundem Pontificem consultatione *c*, quod multi scandalum passi essent ex eo, quod idem Gregorius scribens ad Augustinum in Anglia Episcopum, concessisset ratum esse matrimonium in quarto gradu affinitatis contractum, cum antiquis Pontificum & Conciliorum decretis prohibitum esset etiam in septimo gradu: his respondens Gregorius, docuit non esse in exemplum adducendum, quod nouellæ Ecclesiæ concessum esset; ideoque monuit vt Fideles antiqua statuta custodirent de prohibitione septimi gradus. Porro frigescente post hæc spiritu, cum inualesceret magis caro, ab Innocentio Tertio Romano Pontifice in Concilio Lateranensi, ad grauiora peccata vitanda, relaxata est nonnihil fibula disciplinæ, vt intra quatuor tantum gradus prohibitum fuerit matrimonium.

II. bis. *ep. 10. c Ex. To. 1. Concil.*

DE GRADIB. PROHIBITIONIS MATRIMONII.

III. Quod vero ad obitum *Gregorii* attinet; de eo certum est illos errare, qui dixerunt ipsum sexta Indictione defunctum. Ioannes *d* enim diaconus eum septima obiisse affirmat: idéque asseuerat Beda; & omnino certum redditur ex tabula donationis factæ ab eodem Gregorio basilicæ S. Pauli Apostoli, plurimorum fundorum pro luminaribus incendendis, quæ data habetur octauo Calendas Februarij, anno secundo Imperij Phocæ, Indictione septima: vt nulla possit de his dubitatio exoriri. quin ex his etiam habes quod corrigas in Paulo *e* diacono, dum etsi sub anno secundo Phocæ obitum ponit S. Gregorij, tamen ait fuisse octauæ Indictionis annum. Porro eiusmodi donationum diuersis in Vrbe ecclesiis à S. Gregorio collatarum, alia item incisa lapidibus extant vetera monumenta; atque inter cetera pro foribus basilicæ S. Petri, cui prædia contulit cum oliuetis numero triginta quinque: ex quibus intelligas quam abundans in eadem ecclesia esse soleret copia lampadum incensarum, quarum dumtaxat vsui tot tantaque inseruire deberent olivieta. Sed ad eius obitum reuertamur.

DE TEMPORE OBITVS S. GREG. *d Ioan. diac. lib. 4. c. 8.*

e Paul diac. l. 8. c. 68.

IV. Sanctissimus igitur Pontifex, mœroribus ex cura totius Orbis Christiani attritus, atque podagrę doloribus consumptus, quod multorum precibus conatus est impetrare, (sicuti quamplurimæ eius epistolæ testantur) vt ex hoc corpore liberaretur, feliciter est consecutus, migrans in vitam æternam, ad quam dum vixit iugiter anhelauit. Sedit annos tredecim, menses sex, dies decem; vtpote qui ordinatus tertia die Septembris, mortuus est duodecima Martij; sicut Tabulæ Ecclesiasticæ perpetua memoria notatum custodiunt. Sepultusque est (vt scribit Ioannes diaconus) in extrema porticu basilicæ S. Petri: vnde post ducentos viginti quinque circiter annos à Gregorio Papa Quarto translatus est in alium nobiliorem locum intra ipsam ecclesiam. Plura vero quæ extant de ipso antiquorum elogia, etsi hyperbolice quædam videri possint dicta, declarant tamen quanta idem Pontifex gloria acceptus fuerit à posteris. Inter quos Ildephonsus, sanctissimus ille Toletanus Episcopus, in libello de Viris Illustribus numeraturus eius scripta, ex Isidoro *f* primum dicit, ipsum tanto per gratiam Spiritus Sancti scientiæ lumine præditum fuisse, vt nullus in præteritis temporibus par ei fuerit vnquam: postea vero ipse addit, eundem vicisse sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.

EIVS LAVDES.

f Isid. c. 40.

V. Sed quod ad eius Scripta attinet; ea diuino potius tribuenda esse numini, quam humanæ industriæ, manifesta visio declarasse fertur. Etenim columbam (quæ symbolum est Spiritus S.) ad ipsum desuper lapsam cum quid de sactis literis scribere vellet, visam à Petro diacono esse, eaque de causa columbam in capite ad aurem eius pingi consueuisse, Ioannes *g* diaconus asserit. Post eius autem obitum, diabolum quibus valuit artibus per ministros suos conatum esse, vt eiusdem lucubrationes ignibus traderentur, idem auctor ex maiorum (vtait) traditione narrat: nempe cum nonnulli calumniatores Gregorium dilapidationis bonorum Ecclesiæ accusassent, iamque in personam sæuire non possent, eosdem ad comburendos eius libros se conuertisse; cũque aliquos combussissent, ne idem de reliquis fieret obstitisse Petrum diaconum, iuramento publice facto de eiusmodi columbæ apparitione, eodemque confirmato per miraculum præsentis mortis eiusdem ipsius Petri, quam sibi optauit ad conciliandam sibi dictorum fidem. Verum Ioannis in his vacillat fides, cum nec Isidorus aut Ildelphõsus, dum recensent catalogum scriptorum Gregorij, imo nec ipse Paterius eiusdem Gregorij Notarius (de quo frequens est mentio in epistolis, & aliis Actis publicis eiusdem S. Pontificis) dum cuncta diuinæ Scripturæ testimonia ab eodem Sancto elucidata in ordinem suum redegisset, (quod ipsius opus hodieque extat) aliquid de exustione scriptorum habeant. Sigebertus etiam nullam, obstante Petro diacono factam esse librorum exustionem testatur in Chronico: sed de Viris *h* Illustribus secus; vbi & meminit *Antiphonarii* ab eodem Gregorio Ecclesiæ vsui relicto. Quibus adde *Sacramentarium*, siue librum Sacramentorum, nempe ad sacros ritus Missarumque solemnia volumen pertinens, nuper cusum. Quod autem Ioannes tredecim numerat libros Epistolarum, secũdum annorum numerum quibus in Pontificatu vixit; cum hodie nonnisi duodecim numerentur, non putes vnum ex ipsis esse deperditum; sed eosdem aliter numeratos, nempe vel per annos Pontificatus eius, vel secundum Indictiones digestos. At hæc de scriptis S. Gregorij satis sunto; præter illa q̃ iidem auctores tradunt, & ipsemet numerauit in epistola *i* ante biennium scripta ad Ioannem subdiaconum Rauennatem. Res vero ipsius gestas, non ab alio quam ab eo quẽ diximus Ioanne diacono scriptas fuisse, certo reperimus: verum ante ipsum à Paulo diacono id factum constat; sed excidit eiusmodi lucubratio. De nonnullis autem eius miraculis, in promptu est quem consulas

V. COLVMBA AD AVREM

g Ioan. diac. de Vit. S. Greg. lib. 4. c. 69.

SCRIPTA.

h Sigeb. c. 41. & 43.

i Greg. 13. ep. 22. ind. 5.

eundem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eundem Ioannem. Feruntur que alia præterea ab eo vel instituta, vel acta, quæ recentiores scriptores congesserunt.

VI. QVÆDAM FABVLÆ EXPLODVNTVR.

Quod autem pertinet ad vulgatam illam fabulam, de liberata precibus Gregorij à pœnis inferni anima Traiani Imperatoris; refellimus eam fusius post mortem ipsius Traiani. Qua eadem censura reiicienda sunt, quæ nomine Ioannis & Petri diaconorum eius, produntur ex codice *k* quodam Vaticano, de petitione ipsius facta à Deo, vt quicunque deinceps in circuitu ecclesiæ S. Andreæ Apostoli, quam in Cliuo Scauri construxerat ac dedicarat, se deligeret sepeliendum, modo fidem tenuisset Christianam, non esset obnoxius pœnis inferni, deque eiusdem petitionis à Deo exauditæ facta ipsi per Angelum nuntiatione. His enim cum alia plurima in eiusdem fabulæ narratione contenta aduertentur, quæ recens illud additamentum esse demonstrent; eadem præterea contraria reperiuntur & doctrinæ Catholicæ, & ipsius Gregorij scriptis, in quibus sæpius ipse docet *l*, procul abesse vt Christianus homo quem criminalis culpa sequatur, loco possit sacro iuuari. Risimus autem qui Gregorio, vel antecessoribus Romanis Pontificibus, pro insignibus scuta tribuunt (vt nunc moris est) diuersis imaginibus & coloribus picta; cum eorum vsus longe sit recentior. Porro quem Græci vocarunt *Gregorium Dialogum*, hunc primum intelligi, certum redditur testimoniis veterum *ll* tam Græcorum quam Latinorum; cum tamen inter eos non desint qui id cognominis Gregorio secundo tribuant. Datum est autem illud Primo, ex quo Zacharias Papa eius Dialogos in Græcum conuertit, nimirum vt à Thaumaturgo, Nazianzeno, Nyssenoque distingueretur.

k Plur. 3. num. 151. in ipsi. Dial. S. Greg. in fin. edicis.

l Greg. 4. Dial. 51. 55. 54.

ll Dam. sc. erat. de st. dif. Phot. in Bibl. Enthym & Euthy. Greg. c. 96. Sigeb. an. 605. Luitpr. in relat. sua Legat. & alii.

Vbi vero post S. Gregorij obitum sedes vacasset (vt Anastasius habet) menses quinque & dies decem & octo, ipsis Calendis Septembris electus est in locum eius SABINIANVS, vt tam Latini quam Græci omnes scriptores æque affirmant. Ex quibus redarguas Nicephorum *m*, dum post S. Gregorium somniat quemdam *Innocentium* eius successorem, omnibus aliis incognitum. Fuit autem Sabinianus natione Tuscus, patria Volaterranus ex parte Bono: estque ille ipse, quam ab eodem Gregorio missum fuisse Constantinopolim Apocrisiarium superius vidimus. Sed non caruisse eius electionem tumultu, indicat successoris Constitutum de electione Summi Pontificis editum, de quo dicetur suo loco.

Ita enim habetur vp. baron. Tom. IX. an. 716. cũ prius Tõ. VIII. præsentian. scripsisset hoc cognomẽ pertinere ad Gregoriũ Secundũ.]

VII. SABINIANVS CREATVR PAPA.

m Nicepb. Lib. vlt.

VIII. DERELICTVS ANGLIC. ECCL.

Sub hoc pariter Redemptoris anno Beda recenset S. Augustini in Anglia Episcopi obitum; cum prius duas *Synodos* habuisset vna cum Episcopis antiquæ Britannorum gentis, iam multo tempore à communione Catholicæ Ecclesiæ diro schismate ante diuisis, quod inter plura alia, quæ contra vnitatem Ecclesiæ obseruarent, Paschæ diem non suo tempore celebrarent. Sed cum nec rationibus, nec miraculis in confirmationem doctrinæ quam prædicaret coram ipsis tunc editis, pertinaciam eorum flectere valuisset; minitans eis prædixit fore, vt qui pacem cum fratribus habere nollẽt, bellum ab hostibus forent accepturi, & qui nationi Anglorum nollent viam vitæ prædicare, per eorundem Anglorum manus vltionem essent mortis passuri. quod & postea euenit. Hæc pluribus Beda *n*. Qui & addit de ordinatione hoc ipso anno ab eodem Augustino facta duorum Episcoporũ, *Melliti* quem præfecit ciuitati Londonienſi, vbi Rex Edilbertus ecclesiam nobilissimam S. Pauli construxit: & *Iusti*, quem misit in ciuitatem Roffensem vulgo dictam Rotcheſtrensem, in qua idem Rex ecclesiam S. Andreæ ædificauit. Defuncto autem paulo post Augustino, successit ei in Episcopatu Dorouernensi ac Primatu Angliæ *Laurentius*; quem idẽ Augustinus (vt ait Beda *o*) idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne se defuncto status nouæ Ecclesiæ vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet. Verum id S. Gregorij Papæ nutu Augustinũ fecisse haud est dubiũ, cũ alioqui ne id fieri posset canones ante vetuissent. Quantum autem Laurentius insudauerit non solum in propaganda inter Anglos fide, sed & in conuertendis ad vnionem Ecclesiæ antiquis Britannis, necnon Scotis & Hibernis, qui eiusdem omnes schismatis essent rei; idem Beda pluribus pergit enarrare.

n Bed. hist. Angl. lib. 2. c. 2.

o Ibid. c. 4.

IX. P Myst. Lib. 17. COSRHOES INVADIT IMPERIVM IN VLTIONEM MAVRITII.

Sed quod ad res Orientales pertinet; hoc *p* ipso anno Rex Persarum Cosrhoës in vltionem necis Mauritij Imp. collectum copiosum exercitum aduersus Phocam immisit: eodemque tempore Narses Dux rebellans, Edessamque obtinens, eidem Phocæ bellum intulit. Cumque Phocas Domitium Magistrum militum propinquum suum aduersus Cosrhoën, Germanum Prætorem aduersus Narsetem misisset; vtrobique male à Romanis pugnatum est Germano occiso, & Domitio vix incolumi euadente *q* S. Gregorij martyris protectione, & S. Theodori Siceotæ Archimandritæ orationibus.

q Act. S. Theod. Siceot. ap. Sur. 22. April.

IESV CHRITSI AN. 605.

SEDES VACAT.

PHOCÆ AN. 3.

I.

ANNO Domini sexcentesimo quinto, Indictionis octauæ, Adalvvaldus paruulus filius Agilulphi Longobardorum Regis Mediolani creatus est à patre Rex, adstantibus Legatis Theodoberti Francorũ Regis; & pax firmata est perpetua cum Francis. Sed & Seuero Patriarcha Aquileiensi defuncto, ordinatus est in locum eius Ioannes in ipsa ciuitate Aquileia, consensu eiusdem Agilulphi Regis; ex altera vero parte ab Episcopis qui erant sub Romanis, ordinatus est in Insula Gradensi Candianus, siue Candidianus: ex quo tempore cœperunt esse duo Patriarchæ. Hæc omnia breuiter Paulus *a* diaconus.

a Paul. diac. lib. 4. c. 10.

II. DE AQVILEIENSI ET GRADENSI PATRIARCHIS.

Sed quod ad historiam de duobus his Patriarchis attinet; qui rem gestam minime sunt accuratius prosecuti, dixerunt Aquileiensem ab Agilulpho electum, Gradensem vero à populo Gradensi; reque delata ad Romanum Pontificem, ab eo Ioanne reiecto, probatum esse Candidianum. Sed hæc ipsi diuinando. Porro veritas rei gestæ ex Mantuano Concilio proditur, quod celebratum est sub Eugenio Papa, anno quarto Pontificatus ipsius: ex cuius Actis *b* constat, quo tempore Longobardi Italiam inuaserunt, Paulum Patriarcham tunc Aquileiensem ad Gradus Insulam confugisse; non quidem vt sedem ibi Patriarchalem cõstitueret, sed vt pro tempore barbarorum immanitatem euaderet. Eo vero mortuo, itemq; Probino, Elia, atque Seuero eiusdem successoribus; in Seueri locum Aquileiæ ordinatum esse Ioannem, fauente eius electioni Agilulpho Longobardorum Rege, in Gradu autem Insulæ Candidianũ fauore Italiæ exarchi. Hæc ex Actis Synodi Mantuanæ. Vbi tamen dum Candidianus hæreticus appellatur, quem Romanum, nempe communicantem Romanæ Ecclesiæ, Paulus Diaconus vocat; aperte constat, eius aduersarios fuisse schismaticos, qui hæreticos appellare cõsueuerant eos qui Tria Capitula damnarent; ex quorũ schismaticorum (vt apparet) scriptis eiusmodi narratio illata fuit in prædictæ Synodi Acta. Hoc igitur modo duo diuersi, inter seque contrarij fuerunt eiusdem prouinciæ Patriarchæ. Hactenus enim qui *Aquileiensis* fuit Episcopus; idem & *Gradensis* dictus est, vt vidimus superius ex Gregorio Papa. Factũ vero est etiam postea, vt cum Aquileiensis securitatis causa tempore belli se ad Forum-Iulij contulisset, idem quoque *Foro Iulienſis* siue *Iulienſis* Patriarcha nominaretur; sicut apud Walfridum *c* Strabonem, & Marianum Scotum appellatus reperitur. Ceterum sic res transacta est, quousq; Aquileiẽses perseuerarunt in schismate: redditis vero ipsis Ecclesiæ Catholicæ æque suis iuribus integrata est à Romano Pontifice & Mantuano Cõcilio Ecclesia Aquileiensis. Interea vero de horum altercationibus rursum dicendum inferius.

b Habebat Baron. in sua Bibliotb

c Walfr. Strab. de reb. Eccles. c. 25.

III. SABIN. PP. OBITVS.

Hoc eodem anno, octaua Indictione, vndecimo Calendas Martij mortuus est *Sabinianus* Papa, cum sedisset menses quinq; & dies decem & nouẽ. Ita enim consentiunt omnes veteres, atq; etiam Græci, nempe ipsum esse defunctum eodem quo creatus est anno. Ceterum scripti codices, repentini eius obitus causam terribiliorem afferunt: cuius rei gestæ tragœdiam Sigebertus *d* summatim complexus, ait eum quod liberalitati Gregorij prædecessoris sui derogaret, ab ipso Gregorio per visum ter de tenacia sua reprehensum, cũ nec adhuc resipisceret, quarto terribiliter increpitum, atque insuper in capite percussum esse; eoque dolore vexatum, non multo post mortem obiisse. Hæc ille. Cuius rei gratia accidit (quod habet Anastasius) vt non ex more per mediũ ciuitatis delatum fuerit cum funebri pompa corpus eius ad

d Sigeb. in Chron.

FVNVS EIVS IGNOBILE.

basili-

basilicam S. Petri, sed eiectum extra Vrbem per portam S. Ioannis, perductumque vsque ad pontem Milvium, inde illatum sit in ipsam S. Petri Ecclesiam, vbi est sepulturæ mandatum. Hocque ita factum, quod exasperatus admodum esset aduersus illum populus Romanus, eo quod dira vrgente fame triticum Ecclesiæ non erogasset (vt S. Gregorius consueuerat) in pauperes, sed verum exposuisset triginta solidis modium vnum. Addit vero idem auctor, sedem vacasse menses vndecim ac dies viginti sex. Nam cum non soleret consecrari electus Pontifex, nisi (vt ferebat iniquitas temporum) post Imperatoris ratihabitionem, diutiores his temporibus esse consueuerunt Sedis Romanæ vacationes. Ex quibus redarguas aliquem ex recentioribus, qui nescio quomodo vnum dumtaxit diem tribuit vacationi sedis Sabiniani.

IV. CIBARIA IN LAPIDES CONVERSA.

Porro eadē sæuiente fame in detestationem immisericordis auaritiæ magnum idem Sigebertus narrat accidisse miraculum; vt cum pauper quidam à nautis eleemosynam petiisset, respondisseturque nauclerus se nihil præter lapides habere; subiiciente paupere, *Omnia ergo vertantur in lapides*, quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum fuerit, colore & forma rerum eadem permanente. Sic enim Sapiēs olim admonuit, non exasperare pauperem in inopia sua, quoniam maledicentis illius deprecatio exaudietur. Vt non adeo mirum videri debeat, id factum esse quod Sigebertus narrat: sed potius mirandum, si maledictionem pauperum non semper statimque diuina vltio subsequatur.

e *Eccles.* 4.

Quod spectat ad res Orientales; cum Phocas *f* Narsetem qui rebellarat, iteratis de securitate iuramentis ad Romanos redire tandem persuasisset; mox eundem periurus viuum comburi præcepit. Huncque demum consecutus est finem celeberrimus Dux, Gothorum, Persarum, & aliorum barbarorum victoriis, siquis alius ante glorioſissimus. Effeceruntque ista, vt Phocas tyrānus potiusquam Imperator ab omnibus haberetur, vtpote qui non hostium sed Romanorum cæde stabilire sibi conaretur Imperium; eo præsertim tempore, quo Persæ aduersus Romanos in dies magis magisque præualerent.

V. f *Theoph. & Cedr. an.* 3. *Phoc.* NARSETIS INFELIX EXITVS. *De quo vide supra* 567. III.

IESV CHRISTI AN. 606.

BONIF. III. AN. 1.

PHOCÆ AN. 4.

I. BONIF. PP. III. CREATVR. a *Anast. de R. Pont.*

ANNO Christi sexcentesimo sexto, Indictione nona, decimoquinto Calendas Martias, ex diacono *a* Pontifex Romanus creatus est BONIFACIVS eius nominis Tertius, qui à S. Gregorio missus olim fuerat Constantinopolim Apocrisiarius ad Phocam Imp. Accidit enim sæpius, vt qui eo functi essent munere, iidem in Summos Pontifices eligerentur; cum videlicet Clerus eos eligere studeret, quos sciret Imperatori fore gratos.

II. SIMVLTAS INTER PHOC. IMP. ET CYRIAC. EPISC. CONST. b *Theoph. Cedr.*

Quo tempore intercesserunt quædam odiorum fomenta inter eundem Phocam Imp. atque Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum. Siquidem cum hoc eodem anno ipsius Phocæ *b* quarto, Constantina relicta Mauritij Imp. cum tribus filiabus, consilio Germani Patricij ambientis Imperium, ad magnam ecclesiam confugisset, ingensque indè seditio in populo exorta esset; Phocas ab Ecclesia eas abstrahere voluit, nec tamen valuit, resistente ei acriter Cyriaco pro immunitate Ecclesiastica. Verum iuramento à Phoca præstito de earum illæsione, eductæ sunt, & clausæ in monasterio. Hinc igitur in Cyriacum Phocas exacerbatus in eius odium Imperiali edicto sanciuit, nomen *Vniuersalis* decere Romanam tantummodo Ecclesiam, tanquam quæ caput esse omnium Ecclesiarum; solique conuenire Romano Pontifici, non autem Episcopo Constantinopolitano, qui sibi illud vsurpare præsumeret. Quod quidem hunc Bonifacium Papam Tertium ab Imperatore Phoca obtinuisse, cum Anastasius Bibliothecarius, tum Paulus *c* Diaconus tradunt. Cyriacus autem (vt creditur) mœrore confectus, hoc eodem anno (vt Annales Græcorum habent) ex hac vita decessit, postquam sedisset annos decem, & vndecimum inchoasset: in cuius locum subrogatus est *Thomas* diaconus & Sacellarius magnæ ecclesiæ.

c *Paul. diac. li. 4. de gest. Longob.*

Sed quod ad Phocæ edictum attinet; haud eo quidem ipse (quod garriunt Nouatores) hoc tribuit priuilegium Ecclesiæ Romanæ, vt in Catholica Primatum ageret: hunc enim iam ipsam habuisse, semperque exercuisse ab ipso sui principio, non solum super omnes alios Patriarchas Orientales, sed & multo magis super omniū nouissimum Constantinopolitanum, quamplurimis est superius locis latissime demonstratum: nec in eo fuit aliquando cum Episcopis Cōstantinopolitanis controuersia *d*, quippe qui nunquam eundem primatum in dubium reuocarunt; sed in eo tantum, quod ipsi nuper titulū sibi Oecumenici vsurpassent, (quod Romanis Pontificibus cum ab aliis, tum ab ipsis Oecumenicis Synodis iure tributum vidimus) & reclamantibus licet iisdem Romanis Pontificibus, conseruassent hactenus fauore Mauritij Imperatoris. Hanc igitur causam sententia sua Phocas decidens, eam adiudicauit Romano Pontifici, vt ipse solus, non etiam Constantinopolitanus, diceretur Oecumenicus.

III. PRIMATVS ROM. ECCL. NON A PHOCA.

d *Hæc dere præclare disput. Card. Perr. Resp. ad Reg. Mag. Brit. lib. 1. c. 34.*

Quod autem ad Bonifacium Papam; is vbi primum sedē Pontificiam adeptus est, ad reprimendam clericorum ambitionem Pontificatibus inhiantium, CONCILIVM in Ecclesia *Vaticana* habuit Episcoporum septuaginta duorum, presbyterorum Romanæ Ecclesiæ triginta quatuor, & reliqui Cleri, aduersus eos qui superstite adhuc Romano Pontifice, aut quouis alio alicuius ciuitatis Episcopo, de eo qui esset post eius obitum eligendus in successorem tractarent: quod Synodus decreto suo sub anathemate vetuit facere, nisi tertio die depositionis eius. Hæc Anastasius: perierunt enim Acta Synodi, sicut & alia ipsius Bonifacij. Qui hoc eodem anno (vt idem auctor habet) ex hac vita decessit duodecima die Nouembris, vbi sedisset menses tantum octo & dies viginti tres: sepultusque est in basilica S. Petri, ac vacauit sedes menses decem & dies sex.

IV. CONCIL. ROM. DE ELECTIONE ROM. PONTIF.

BONIF. PP. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 607.

BONIF. IV. AN. 1.

PHOCÆ AN. 5.

I. BONIF. PAP. IV. CREATVR.

ANNVS Christi sexcentesimus septimus, cœptus est Indictione decima. Quo BONIFACIVS ex Valeria ciuitate Marsorum, Ioannis medici filius, ex presbytero ordinatus est eius nominis Quartus Pontifex Romanus die decimaoctaua Septembris. Qui statim domum suam in monasterium erexit, ipsumque reditibus locupletauit. Sed & à Phoca Aug. impetrauit PANTHEON nobile Romæ delubrum, tot antiquorum scriptorum præconiis celebratum, à Marco Agrippa ter Consule tempore Augusti erectum, Iouique Vindici consecratum, quod adhuc intactum remanserat à demolientibus dæmonum sedes Romanis Christianis: illudque expurgatum ab antiquæ sordibus idololatriæ, in honorem Dei-genitricis MARIÆ & omnium sanctorum Martyrum (quorum plurimorum reliquiæ ex cœmeteriis extra Vrbem positis eo translatæ sunt) consecrauit. Narrat hæc Anastasius; quorum etiam meminit Beda *a*.

PANTHEON DEO DICATVM.

a *Bed. 2. hist. Ang. 4.*

Turbulentissimus vero fuit iste annus Constantinopolitanis, cum detecta coniuratione Constantinæ quondam Augustæ relictæ Mauritij Imperatoris, atque Germani Patricij, aduersus Phocam conspirantium sub spe vitæ Theodosij filij Mauritij, quem fama ferebat haud necatum fuisse, sed alium pro eo ipsi simillimum; idem Phocas ira exæstuās, non solum ipsam Constantinam, eiusque tres filias in eodem loco vbi Mauritius interemptus fuerat, gladio trucidauit; sed & Germanum, necnon Theodorum Orientis Præfectū, alioſque plurimos Patricios ac nobilissimos viros occidit. Quæ hoc anno Phocæ quinto gesta, pluribus narrātur apud

II. CARNIFICINA CONSTANTINOPOLI, OB CONIVRATIONEM.

Theo-

Theophanem *b*, Cedrenum, Nicephorum, *c*, & alios. Ceterùm ex pia Mauritij familia pleræque pietate insignes extitere fœminæ: exornat vero Ecclesiasticas *d* Tabulas tam Græcorum quam Latinorum eiusdem filia *Sopatra* nomine, sanctissima virgo, vna cum *Eustolia* & *Romana* Estque præterea mentio in Prato *e* Spirituali de *Damiana* clarissima fœmina, sorore eiusdem Imperatoris, Hierosolymis vitam degente vna cum nepte sua ac Mauritij.

Dum autem in nobilium cædem ita debaccharetur Phocas, Cosrhoës Persarum Rex (vt Annales *f* Græcorum habent) totam Syriam deprædatus est, nullo sibi obuiam facto qui resisteret. Quo etiam anno idem Phocas manuum pedumque grauissimis ægrotans doloribus, sanatus est à S. Theodoro Siceota, cum is à Thoma Patriarcha accersitus Constantinopolim fuisset, ad declarandum portētum quod in Galatia acciderat, dum in quibusdam publicis supplicationibus Cruces quæ gestari solent, per se vehementer concussæ fuerant. quod ipse Theodorus de breui secuturis multorum à fide apostasiis, atque atrocissimis barbarorum incursionibus, necnon diuini cultus & Imperij interitu interpretatus est. Hæc pluribus Eleusius Theodori discipulus in Actis *g* Vitæ ipsius. Quibus similia de malis obuenturis prædixisse S. Gregorium Papam dum viueret, constat ex eius epistola *h* ad Maximum Salonitanum Episcopum; vbi tam sæua ea futura denuntiauit, vt qui tunc viuerent, comparatione sui temporis, felices æstimarent extitisse maiores, innumeris licet calamitatibus oppressos. Hæc vero ab euentis ipsis paulo post confirmata fuere, cū præter immanes Christianorum cædes à grassantibus vbique Persis illatas, sanctamque ciuitatem Hierosolymam ab eisdem captam, & sanctissima Cruce spoliatam; erupit ab inferis Monothelitarum hæresis, & nefandissimi Mahometis impietas: de quibus omnibus dicetur inferius pro ratione temporis.

b Mos. lib. 7. c Niceph. lib. 18. c. 41. d Mart. R. 9 Sept. e Prat. Spir. c. 127.

III. *f Miscel. ibid.*

PRÆSAGIA MALORVM FVTVRORVM.

g Ap. Sur. 12. April. h Greg. 8. ep. 36. ind. 3.

IESV CHRITSI AN. 608.

BONIF. IV. AN. 2.

PHOCÆ AN. 6.

ANno Domini sexcentesimo octauo, Indictionis vndecimæ, Phocæ Imp. sexto, Annales *a* Græcorum tradunt factam esse mortalitatem, atque penuriam omnis rei; effusumque rursus sanguinem plurimorum nobilium virorum, quos ob leuissimas suspiciones crudelis Phocas occidi iussit: adeo vt Priscus (siue, vt alij vocant, Crispus) ipsius gener non valens amplius sustinere eius tyrannidem, Heraclium Prætorem Africæ aduersùs ipsum concitauerit. Tradunt præterea, hoc ipso anno Persas deuicto Romano exercitu, captisque multis Armeniæ, Cappadociæ, Galatiæ, & Paphlagoniæ ciuitatibus, reliqua omnia Chalcedonem vsque depopulatos esse.

Quo pariter anno Thomas Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset *b* annos duos & menses septem, ex hac vita libens volensque tantorum malorum pertæsus discessit. In cuius locum suffectus est *Sergius*; quem magnæ tunc æstimationis iuuenem fuisse, tum constat ex carmine Georgii Pisidæ, diaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Chartophylacis, admirandi huius temporis in poetica facultate viri, quo vitæ huius vanitatem deploranit, ipsumque Sergium cui opus inscripsit plurimum commendauit; tum etiam ex Rebus *c* gestis S. Theodori Siceotæ, vbi Thomæ exitus & ipsius Sergij ingressus describitur. Porro eundem Sergium postea in transuersum actum, caput factum esse hæreticorum Monothelitarum, suo loco videbitur. Hoc vero item anno Idibus Septembris, defunctus est S. Eulogius Episcopus Alexandrinus, cum sedisset *d* annos viginti septem; vir sane tum sanctitate tum etiam doctrina insignis, de quo sæpe superius, cuius scripta numerantur à Photio in Bibliotheca. Quomodo autem S. Leo Papa ipsi in somnis rependerit gratias, quod pro suæ adue sus Nestorium epistolæ defensione laborasset, habetur in Prato *e* Spirituali. Successit vero in eius locum *Theodorus Scribon.*

I. *a Miscel. lib. 17. Cedr. in Felix. Tatvs Imperii ivs Phocæ.*

II. *b Niceph. in Chron. Sergivs ordinatvr Episc. Const.*

c Ap. Sur. 22. Apr.

d Niceph. ibid.

Prat. Spir. c. 48.

Res autem Occidentalis Ecclesiæ his temporibus subobscuræ, in Gallia tantum inuentione *f* corporis *S. Victoris* martyris, ex gloriosa legione Thebæorum, qui Solodori passus fuerat, coruscarunt; cum illud Enchonius *g* Episcopus Maurianensis diuina sibi reuelatione indicatum, in Ecclesia suburbani Genabensis, præsente Theodorico Francorum Rege, reperit in arca argentea iacens, cuius facies eximio diuinitus irradiata splendebat fulgore; atque ad eius sepulchrū multa exinde facta sunt miracula. Quod quidem in detestationem recentiorum eiusdem ciuitatis Genabensis hagiomachorum (à quibus ipsa in gehennam mutata est) notasse voluimus; qui sciant, testes esse in cœlo Martyres eorum impietatis, atque eosdem vindices affuturos.

III. INVENTIO CORPORIS S. VICTORIS MARTYRIS. *f Sigeb. in Chron. g Aimoin. lib. 3. c. 90.*

IESV CHRISTI AN. 609.

BONIF. IV. AN. 3.

PHOCÆ AN. 7.

ANno Christi sexcentesimo nono, Indictionis duodecimæ, Imperii Phocæ septimo, Antiochiæ *a* Iudæi in Christianos insurgentes, plerosque ciuium occiderunt, incenderuntque, interque alios ipsum *Anastasium* Patriarcham, cuius secta pudenda in os proiecerunt, corpus vero traxerunt in plateam vrbis; qui ob hæc meruit inter sanctos Martyres *b* cooptari. Missus vero aduersus eos cum exercitu Bonosus Orientis Præfectus, plurimos occidit, quosdam detruncatis artubus in exilium expulit.

Quo etiam anno Phocas crudelis tyrannus plurimos è populo, quod ipsum in Circo Prasini irrisissent, variis mortis generibus necari præcepit. Prasini vero coacerbati miserunt ignem in Prætorium, & incenderunt curiam, & scrinia, & carceres, ex quibus egressi vincti fugere. Vnde iratus Phocas, eos militia priuauit. Idemque multos Patricios ac Præfectos, insidiarum aduersus ipsum auctores conscioue, interfecit. Quæ narrat pluribus Theophanes Est vero etiam ad eius sæuitiam & illud vtique addendum, quod cum carcer, qui vnicus *c* tempore Constantini Magni ædificatus erat Cōstantinopoli, absque aliquo incremento vsque ad Phocam permansisset; iamque nimis angustus esset ad capiendos eos omnes quos huius furor in carcerem detruderet, ideoque inclusi fœtore ac pædore valde cruciarentur: hoc tempore nobilissima quædam matrona commiserata eorundem miseriam, suam cesserit domum ad carcerem ampliandum.

Hoc item anno Eſychius Hierosolymitanus Patriarcha, vbi sedisset annos octo, ex hac vita migrauit: successitque ei *Zacharias*.

In Occidente vero, Italia gemebat sub gladiis Longobardorum; Gallia feruebat bellis ciuilibus; Africa tota in procinctu erat, ob bellum quod inferendum parabatur ab Heraclio aduersus Phocam tyrannum.

I. *a Miscel. lib. 17. Cedr. an. vlt. Phoc. Nicephor. lib. 18. c. 44.* ANAST. ANTIOC. OCCIDITVR A IVDÆIS. *b Mart. Rō. 21. Nouemb.*

II. TVMVLTVS ET CÆDES POPVLI CONST. *c Gly. in Annal. in Constant. Mag. ap. Bar. an. 607.* CARCER DILATATVS OB CRVDELITATEM PHOCÆ.

III.

IV.

IESV CHRISTI AN. 610.

BONIF. IV. AN. 4.

HERACLII AN. 1.

ANno Domini sexcentesimo decimo Indictionis decimætertiæ, HERACLIVS in Africa Imperator appellatus, cum magno exercitu nauibus Abidum appulit: vbi receptis exulibus principibus à Phoca tyranno relegatis, Heracleam venit; indeque Constantinopolim properans, deuicto ad portum Sophiæ exercitu Phocæ, ciuitate potitus est: cum Photinus quidam, cuius vxori Phocas stuprum intulerat, in Regiam irrumpens, eundem Phocam è solio deturbatum, nigraque veste indutum, & nūmellis constrictum, ad Heraclium deduxit. Qui mox illum cōspicatus, *Miser*, inquit, *itane*

I. HERACLIVS ELIGITVR IMP. ADVERSVS PHOCAM.

PHOCAS OBTRVNCATVR.

Rempu-

Rempublicam gubernasti? Ad quæ deploratus Phocas, *Tuum est* (respondit) *rectius eam gerere:* Illico autem Heraclij iussu, manibus ei, pedibusque, atque pudendis amputatis, tandemque & capite, truncí quod reliquum fuit milites combusse runt. Hæc pluribus in Miscella ex Theophane. Addit vero Cedrenus, Heraclium Imaginem Saluatoris miraculo effigiatam secum vexisse ex Africa; quam & postea (vt videbitur) aduersus Cosroën profectus detulit: plane enim consultius experimento cognitum est, contra hostes eiusmodi sacras Imagines ferre, quam more Romano Imperatorum effigies. Quapropter notatur etiam apud Theophanem, Stephanum Cyzici Episcopum, cum Heraclius peruenisset Heracleam, acceptum stemma S. Dei-genetricis de ecclesia detulisse Heraclio.

II. [a] Nec vero illud de Phoca prætermittendum est, ipsum dum imperaret cõtendisse magnis studiis, vt ij quos in bello aduersus Christianæ fidei hostes occidi contigisset, inter martyres censerentur; sed ab instituto penitus cessasse, cum ei restitissent Constantinopolitanus & alij Antistites; vtẽtes potissimum auctoritate S. Basilij, cuius esset ad Amphilochium canon pœnitentialis de iis qui in bello fecissent homicidium, vt non impertiretur eis sacra communio absque præuia pœnitentia. Habet ista Theodorus a Balsamon, dum eiusdem S. Basilij canones interpretatur. Hac vero Phocam puto via eneruatum militum robur erigere conatum esse, quos videret annis singulis à Rege Persarum sterni atque fugari: probe scientem, non viros tantum, sed & feminas ætate tenellas, eiusmodi spe martyrij omnia fortiter tormenta superasse.

[a] *Balsam. in c. 13 conc. Basil. ad Amphil.* [Quod tamen de Nicephoro Phoca, qui cœpit imperare an Chr. 963. accipiendum esse, omnino existimo: cui & reliqui historici Græci diserte tribuunt, nemo isti de quo hic agitur. Vid. infr. an. 964. nu. VII.]

Sic igitur Phocas hoc anno occisus est, Imperij sui octauo: cum quo pariter alios fratres eius & necessarios enecatos, Zonaras tradit. Sed (quod semel admonuisse sat erit) scito supputationem annorum Domini, quæ apud Græcos reperitur, differre ab ea quæ apud Latinos est, aliquot annis: siquidem hunc quem octauum Phocæ omnes numerant, eundem illi sexcentesimum secundum Domini ponunt; alij [b] etiam sextentesimum vigesimum quintum: Latini autem recte sexcentos decem supputant. Subdit vero Cedrenus, Heraclium in expeditione aduersus Phocam adiutum fuisse à Crispo ipsius Phocæ genero: sed eundem ab Heraclio Cappadociæ præfectum, cum noua moliretur, ex Senatus sententia clericum factum esse, & in exilium pulsum, vbi mortuus est.

III. ANNOR. CHRISTI SVPPVTATIO GRÆCE DIVERSA.

[b] *Niceph. l. 18. c. 16. in fin.*

[Edidit nuper Dionys. Petauius Soc. IESV Græce & Latine Breuiarium histo ricum S. Nicephori Patr. Constantinop. de rebus gestis ab obitu Mauritii Imp. ad Constantinum vsque Copronymum, & notis chronologicis illustrauit. In quibus obseruat imprimis, nullum huc vsque Chronicon, Annales nullos extitisse, vbi non tempora Heraclii præpostere descripta sint, & ex annorum vel anticipatione, vel traiectione, vitij aliquid adhæserit. Deinde ex aliorum auctorum. Theophanis, Cedreni, Fastorum Siculorum, cum prædicto Nicephoro collatione, necnon Indictionum, ac Lunæ Solisque cyclorum, ac Paschatum & feriarum characterismorum diligenti obseruatione, eruisse professus rectam singulorum annorum chronologiam, ponit primũ Heraclii annum cœpisse quidem hoc ipso Christi anno 610. sed mense tãtummodo Octobri, cœpta Indictione 14 à mense Septembri præterito: ita vt primus eius annus numerari potius debuerit anno Iuliano sequenti, cum istum maiori ex parte Phocæ octauus occupauerit, quem constat octo solidos annos, binis exceptis mensibus, implesse. Et ex hoc fundamento, postertora tempora in aliquibus emendauda notauit. Te de hoc monere voluimus, vt valeas illum consulere, dum nos Auctoris nostri Annales prosequimur.]

INITIVM HERACLII

IV. HERACL. IMPER.

HERACLIVS igitur, genere Cappadox, ex familia illustri ortus, & diuitiis potens, robore ac pulchritudine præstans, coronatus est à Sergio Patriarcha, vna cum *Eudocia* Rogati Afri filia; quam cum iam antea sibi desponsasset, eo ipso coronationis die toro copulauit. Hæc Glycas, & Cedrenus: qui & addunt, Heraclium cum antea barbam haberet latam atque prolixam, mox vbi factus est Imperator, comam totondisse ac mentum rasisse, qui erat Imperatorum habitus. Fuisset autem plane hic annus in omnibus ex nece tyranni felicissimus, nisi Persarum cladem esset expertus; qui eodem ipso anno [c] mense Maio Syriam deuastantes, Apamiam & Edessam ceperunt, Romanorumque exercitum eis occurrentem penitus profligarunt.

[c] *Theoph. in Miscel. Ced.*

V. Hoc item anno Theodorus Alexandrinus Episcopus, vbi sedisset [d] annos duos, mortuus est, atque in eius locum creatus *Ioannes* cognomento *Eleemosynarius*, genere Cyprius, filius Epiphanij eiusdem Insulæ Præfecti: cuius res præclare gestas scriptis mandauit S. Leontius Neapolis Cypri Episcopus eiusdem æqualis: quæ omni fide conscripta recepta fuere in Concilio Nicæno posteriori; sed qui ea postea exscripsit ex prototypo Metaphrastes, paraphrastice aliqua eis addidisse videtur, haud vtique quaque veritate constantia. Quomodo autem ipse Ioannes ab Alexandrinis ardenter expetitus, nolens coactus ab Heraclio Imp. fuerit curam illius Ecclesiæ suscipere; susceptam autem iam ab ipso principio optime administrare cœperit, hæreses expellendo, simonias extirpando, mores corrigendo, ecclesias ac xenodochia ædificando, pauperes (quos dominos suos vocare consueuerat) alendo, omnibus ex æquo iustitiam publice administrando; idem Leontius e abunde tradit.

[d] *Niceph. in Chron.* IOAN. E. LEEMOSYNAR. EPISC. ALEXAN.

[e] *Ap. Sur. 23. Ianuar.*

Quod pertinet ad res Occidentales; celebrata est *Romæ* eadem huius anni Indictione decimatertia, viuente adhuc Phoca, tertio Calendas Martij, à Bonifacio Papa Quarto SYNODVS; in qua actum est de rebus Anglorum, quarum causa (vt ait Beda [f]) Mellitus Londonensis Episcopus ad Sedem Apostolicam accesserat: sed desiderantur Synodi Acta. Quod autem nuper extra mœnia ciuitatis Londoniensis erectum fuisset monasterium, & in eo ædificata ecclesia in honorem B. Petri Apostoli, quam idem Princeps Apostolorum nocte illa quæ solemnem eius ab Episcopo faciendam dedicationem præcederet, diuinitus solitis cæremoniis consecrasset; (quam rem gestam pluribus recenset Ealredus [g] Abbas scriptor grauissimus, qui res gestas S. Edwardi Regis Anglorum scriptis tradidit:) harum inter alias rerũ gratia, nempe pro optima illius monasterij constitutione, & vtrum consecratio ecclesiæ eo modo peracta, rata haberi deberet, eundem Mellitum Romam accessisse putamus.

V. CONCIL. ROM. PRO REB ANGL.

[f] *Bed. 2. hist. 4.*

S. PETRVS SVAM ECCLES. CONSECRAT.

[g] *Ap Sur. 5. Ianuar.*

Hoc itidem anno sexcentesimo decimo, qui ab Hispanis notatur Æra sexcentesima quadragesima octaua, decimo Calendas Nouembris celebratum est TOLETANVM CONCILIVM anno primo Gundemari Regis, qui tertius regnauit à Reccaredo primo ex Gothis Hispaniarum Rege Catholico; cui successerat Liuba, huic vero Wittericus. In hoc autem Concilio nihil præterea actum apparet ab Episcopis prouinciæ Carthaginensis, qui in vnum conuenerunt numero quindecim, nisi vt profiterentur, Ecclesiam Toletanã, non Carpetianæ solum regionis, sed totius Carthaginensis prouinciæ esse Metropolim, (quod in controuersiam à nõnullis deducebatur) eamque antiquitus consecutam esse dignitatem. hæc ex Actis eiusdem Concilij, necnon ex ipsius Regis Gundemari in eius decreti confirmationem edita constitutione, cui non Episcopi dictæ Synodi, sed ex aliis Hispaniæ prouinciis & Galliæ Narbonensis subscripti habentur vniuerso viginti sex. Vt autem non vnius Carthaginensis prouinciæ, sed totius Hispaniæ, Toletanus Episcopus Primas fuerit, ab Ecclesia Romana esse consecutum certum est; neque id semel, sed repetitis sæpius postea priuilegiis perpetuo stabilitum. At quando [h] primo huiusmodi priuilegium consecutus sit, incertum est. Nam quod aliqui tradunt, id factum fuisse ab ipso Petro Apostolo, haud probari potest. Quomodo enim id tunc factum potuit, si an primatum gereret vnius prouinciæ Carthaginensis, in controuersiam deductum fuit hoc tempore?

VI. CONCIL. TOLET. DE PRIMATV ILLIVS ECCLES.

[h] *Vide infra an. 845 VIII. in fi.*

IESV CHRISTI AN. 611.

BONIF. IV. AN. 5.

HERACLII AN. 2.

ANNO Christi sexcentesimo vndecimo, Indictione decimaquarta, Persæ ex more irrumpentes in Armeniam & Cappadociam, post ingentem prædam hominum, & omnium rerum vastationem, potiti sunt Cæsarea Cappadociæ, populumque captiuum abduxerunt. Quo pariter anno

Hera-

Heraclij *a* Secundo, Eudocia Augusta tertio die Maij filium peperit *Heraclium Minorem*, qui & *Constantinus Iunior* dictus est. eundemque filium fuisse secundum spiritum Ioannis Eleemosynarij, Patriarchæ Alexandrini, tradit Leontius in Vita *b* ipsius Ioannis. Cum vero paulo post eadem decessisset Imperatrix, eius pompam funeris *c* puella quædam barbara prospectans per fenestram, sputum imprudens in feretrum deiecit; quæ mox comprehensa & cremata Augustæ infeliciter parentauit.

Quod pertinet ad res Occidentalis Ecclesiæ; remanserunt illæ scriptorum inopia prorsus obscuræ: nisi quod Ecclesia Gallicana vita & obitu sanctissimi atque mirifici Præsulis Bituricensis *Austregisili* claruit. de quo erroris arguas eũ, qui in annum sexcentesimum vigesimum septimum eius obitum refert; cum constet eum ante Theodoricum Francorum Regem esse defunctum, qui post triennium ex hac vita migrauit. Extant *d* vero mirabiles eius res gestæ quam fidelissime conscriptæ; ex quibus apparet, ipsum decessisse paulo post quam ingenti prorsus animo restitisset Guarnerio homini sæuissimo, tumidissimo, & auaritissimo, quem Rex Theodoricus misisset ad vrbem Bituricensem ad exigendas pecunias insuetas. Sub cuius successore *S. Sulpitio* idẽ Guarnerius inuito Præsule quod cupierat perficiens, sensit continuo diuinam vindictam, cum ad exonerandum ventrem secedens intestina omnia emisit: ex quo tempore nemo ausus fuit regiorum ministrorum ab ea vrbe illam pecuniam extorquere. Hæc pluribus idem auctor; qui & alia subiicit admiranda de S. Austregisilo aduersus rerum Ecclesiasticarum inuasores.

a Theophan. in Misc. l. 18. HERACL. IVN. NASCITVR. AVGVSTA MORITVR. b Ap Sur. 23 Ianuar. c Zonar. in Annal.

II. DE S. AVSTREGISILO EPISC. BITVRIG.

d Ap. Sur. 20 Maii.

IESV CHRISTI AN. 612.

DEVS-DEDIT AN. 6.

HERACLII AN. 3.

I.

ANno Domini sexcentesimo duodecimo, Indictione decimaquinta, cessantibus Persis iam victoriis exatiatis, inuadentes Syriam Saraceni ferro igneque cuncta miscuerunt: cum interea Heraclius Imp. *Epiphaniam* filiam suam anni huius exordio, vergente vero ipso ad finem HERACLIVM filium suum, eundemque *Constantinum* cognominatum, Augustos nuncupauit, ac per Patriarcham coronati fecit. Hæc ex Theophane in Miscella.

II. S. COLVMBANI EXILIVM, ET RES IN GALLIA.

Quod ad res Francorum pertinet; hic ille est annus, quo *S. Columbanus* probatissimæ sanctitatis Abbas, (qui iam ante viginti annos ex Hibernia patrio solo in Gallias venerat, ac Luxouiense in Burgundia monasterium erexerat) Reginæ Brunichildis opera ex eodem suo monasterio eiectus, in exilium pulsus est. Cum enim Rex Theodoricus qui Burgundiæ imperabat, familiarissimus factus Columbano, ab eoq; sæpius redargutus de probrosa vita quam in adulteriis transigeret, sæpiusque cum muneribus suis reiectus, & minis excommunicationis territus, deliberasset tandem concubinis derelictis legitimam sibi sumere coniugem, verita eadem Brunichildis eius auia, ne sic ipsa regni administratione exueretur, quæ transitura esset in vxorem Theodorici, omnem mouens lapidem effecit, vt & Rex solitis misceretur adulteriis, & Columbanus, quasi ab aliis diuersam monachis suis regulam custodiendam tradidisset, expelleretur. Quo tempore idem Sanctus, tum ipsi Theodorico prædixit, regnum eius cum omni propagine regia funditus ruiturum tum in exilium pergens, atque Clotarij filij Chilperici, & Teodoberti fratris Theodorici regna pertransiẽs, (à quibus honorificentissime exceptus est) vaticinatus est fore vt idem Theodoricus intra triennium regno priuaretur, & monarchiam totius Galliæ Clotarius obtineret. quod & postea (vt dicetur) euenit. Aliquandiu vero apud Mogũtiam commoratus, Sueuorum partem ab idolorum cultu ad veram Christi fidem conuertit. Quæ omnia fuse descripta habentur à Iona (non Beda, vt errore aliqui putant) qui his temporibus vixit, Vitamque eiusdem Columbani fidelissime conscripsit *a*; innumera recensens miracula ab eodem sancto his aliisque occasionibus edita.

Quo eodem anno *Desiderius* Viennensis Episcopus, ac paulo post *Delphinus* Episcopus Lugdunensis, eiusdem impiæ Brunichildis opera (vt idem auctor, aliique *b* tradunt) crudeli morte perempti martyrium consecuti sunt.

a Ex. 21. Bed. & ap. Sur. 21. Nouemb.

III. b Bed. 5. hist. 20. Mart. Rom. Ado. &c. ap. Baron. hoc an. & 614.

IESV CHRISTI AN. 613.

BONIF. IV. AN. 7.

HERACLII AN. 4.

I. a Theoph. l. 18. Misc.

ANno Christi sexcentesimo decimotertio, Indictionis primæ, Heraclij Aug. quarto, Persæ consueta irruptione Imperium afflictantes, Damascum *a* ceperunt, & captiuum duxerunt populum. Quo tempore Heraclius Legatos ad Cosrhoen ipsorum Regem pro pace mittens, promisit ei tributum annuum soluere; sed despexit Cosrhoes, quod iam in magnam spem venisset totius potiundi Imperij. Eodemque anno idem Heraclius, defuncta iam ante vxore, incestuosas nuptias contrahens, neptem suam *Martinam* in matrimonium duxit, Augustamque nominauit, coronatam à Sergio Constantinopolitano Episcopo: sed detestandum id facinus graui vindicta à Deo punitum esse, docent Zonaras, Cedrenus, atque alij, dum turpia atque nefanda, quæ inde passus est Heraclius, referunt.

HERACLII INCESTVOSVM CONIVGIVM.

II. b Ap Sur. 21. Nouemb.

Hic idem est annus, quo Theodobertus Francorum Rex prælio victus à Theodorico fratre (inter quos lis erat exorta de regnorum limitibus) & suorum proditione captus, ductusque ad Brunichildem auiam quæ Theodorico fauebat; eiusdem suasu clericus ordinatus est, & non multos post dies impie nimis occisus. Hæc Ionas sui temporis scriptor in Rebus *b* gestis S. Columbani, qui ea omnia ante prædixerat. At recentiores qui prosecuti sunt res Francorum, de Theodoberti clericatu nihil: addunt autem Brunichildem sæuientem in filios Theodoberti, eos omnes neci tradidisse. Si q; periit cum progenie sua Theodobertus anno regni sui decimoseptimo, cum & ipse eo anno cõiugem suam occidisset.

III. ECCL. ANGLIC. PERSECVTIONEM PATITVR.

Accidit præterea vt hoc Redemptoris anno, die vigesima quarta mensis Februarij, primus Rex Anglorum Christianus Edilberthus ex hac vita transierit, cum regnasset annos quinquaginta sex. Cuius filius ac regni successor *Eadualdus*, qui Paganus perdurauerat, eique impietati aliud scelus recens addiderat, vt vxorem patris haberet; occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendi, iis qui sub imperio sui parentis, vel fauore, vel timore, fidei & castimoniæ iura susceperant. Vnde & diuina vindicta meruit Rex crebram mentis vesaniam, & spiritus immundi inuasionem pati. Quo etiam tempore cum pariter Saberethus Rex Orientalium Saxonum, nepos Edilberthi Christianus decessisset, eiusque filij Paganismum colerent; hinc orta aduersus Christianos persecutione, coacti fuere Iustus Roffensis ac Mellitus Lõdonienses Episcopi, in partes Galliæ ad tempus secedere. Quæ omnia pluribus Beda *c*. Sed quod hunc annum consignat obitus Edilberthi, ex eodem in epitome reponendus esset anno Christi sexcentesimo decimosexto, vel etiam decimooctauo.

c Bed. 2. hist. Angl. 5

IESV CHRISTI AN. 614.

BONIF. IV. VLT.

HERACLII AN. 5.

I. BONIF. PP. OBIT. DEVS-DEDIT CREATVR.

ANno Christi sexcentesimo decimoquarto, Indictione secunda, octaua Maij (quidam habent vigesima quinta) *Bonifacius* Papa diem obiit, cum sedisset annos sex, menses octo, dies tredecim, sepultusque est in basilica S. Petri. Cumque sedes vacasset menses quinque & dies duodecim, DEVS-DEDIT Romanus, filius Stephani Subdiaconi, creatus est

Pontifex die decimatertia Nouembris. Hæc ex Anastasio.

II. CANDEN. EPISCOP. FLAGELLATVS A S. PETR. a Beda hist. Angl. lib. 2. c. 6.

Quo pariter anno, cum Laurentius Doroternensis Metropolitanus, qui adhuc in Anglia remanerat, & ipse illinc recedere deliberasset, nocte quadã a S. Petro obid correptus, & acriter flagellatus, mane facto Regem adiens, remque enarrans, plagas ostendit: quibus Rex perterritus, confestim præter spem omnem, abdicata idololatria, ac connubio illegitimo, Christianam fidem pieratemque amplexus est. & Episcopos qui in Galliam secesserant reuocauit. Hæc Beda a.

III. b Ion. in Vit. S. Columb. c. 28. & Sur. 21. Nouemb. c Aimoin. lib. 3. c. 70.

Hoc item anno adfuit tempus triennij vt Columbani vaticinium impleretur de morte Theodorici Francorum Regis, ac Clotarij monarchia. Nam & cum vno dumtaxat anno Theodoricum fratri Theodoberto superuixisse maiores tradant, vtique hoc anno ipsum mortuum esse dicendum est. Porro eundem diuinitus fulmine ictum interisse, Ionas b Abbas fuit temporis historiam scribens testari videtur. Sed veneno necatum dolo impię Brunichildis ipsius auię, ob inimicitias post obitum Theodoberti ortas, testatur Aimoinus c: qui nihilominus refert & aliorum sententiam, dicentium eum ex hac vita ereptum dysenteriæ morbo, decimooctauo regni sui anno. Post eum vero Brunichildis filium eius illegitimum Sigebertum in regnum suffecit. Cuius regni exordio Walfridus Strabo, magni nominis suæ ætatis auctor, in Rebus d gestis S. Galli Abbatis accidisse ait, vt Fridiburga virgo Gunzonis Ducis filia, ipsiusque Sigeberti Regis sponsa, eodem die quo nuptiæ celebrari deberent, omnibus insciis, depositis regalibus vestimentis sacrum sumpserit velamen, cui ex voto se obligarat, cum à dæmonis vexationibus per S. Gallum nuper liberata esset. Quam piam eius deliberationem pius Rex, licet illam summe deamaret, approbans, donis illam ingentibus honorauit, præfecitque monasterio ancillarum Dei, quod in honorem B. Petri Apostoli constructum erat in ciuitate Metensi; vbi hæc gesta sunt.

d Ad 13. Sur. 16. Oct. erat FRIDIBVRGA VIRGO DIGNVM FACINVS.

IV. BRVNICHILDIS REG. INFELIX EXITVS.

Cum igitur ex his pium Sigeberti animum colligere possis, obfuit tamen ei impietas proauiæ Brunichildis, ac detestabilis memoria parentis: quotquot enim aduersus eos odium conceperant, in Sigebertum illud penitus conuerterunt. Itaque Rex Clotarius, ad quem iure deferebatur successio regni Theodorici, quod ille nullos reliquisset filios legitimos; collecto exercitu aduersus eundem Sigebertum progrediens, ipsum prælio victum, captumque peremit, sed & quinque fratres eius, Theodorici filios nothos, vna cum ipsa Brunichilde capiens, eosdem separatim interfici iussit: Brunichildem autem primo per contemptum super camelo circumductam, postea cunctis aduersus eam conclamantibus, crinibus ac brachiis caudæ indomiti equi alligatam, miserrimo supplicio vitam finire coegit. Hæc breuiter Ionas; fusius Aimoinus e, & alij, recentientes cuncta feminæ improbæ scelera, cuius opera & consilio decem Reges extinctos tradunt. Quam quidem tam diu toleranit Deus, vsquedum in seruos suos non est furens debacchata. Ritmus autem recentiorem auctorem, qui conatus est eam excusare; quæ ab omnibus historicis huius temporis sacrilega, sanguinaria, & vbique nefaria conclamatur. Licet enim illam aliquando S. Gregorius Papa suis epistolis laudasse reperiatur; non tamen Gregorij laudes ignota crimina, aut postea commissa purgant.

e Aim. lib. 4. c. 1.

V. CLOTARIVS SOLVS REGNAT IN GALLIA.

Sic igitur Brunichilde vna cum spuria Regum prole è medio sublata, Clotarius monarchiam totius Galliæ secundum quod S. Columbanus prædixerat, est consecutus. Qui memor viri sanctissimi, legationem ad eum misit, qua eum ex Italia, in quam se prope Mediolanum receperat erecto monasterio Bobiense, reuocaret in Gallias ad locum ex quo electus fuerat: verum id persuadere minime potuit, quod sciret Columbanus iam imminere sui corporis dissolutionem; quæ sequenti anno accidit nono Calendas Septembris. Interea tamen scripsit ad Regem litteras commonitorias, quibus eum intra limites bene institutæ vitæ contineret: quod & diligenter Rex secutus est. Habet hæc Ionas in fine rerum gestarum eiusdem Columbani. De Rege vero Clotario illud habetur f expressum, fuisse literis eruditum, misericordem, Ecclesiarum vtilitatis studiosum, seruorumque Dei ac sacerdotum amatorem, quorum cultu sciret conciliare sibi Deum.

f Aimoin. lib. 4. c. 16. & alii.

Inter alios autem plures sanctissimos viros, qui diebus his floruerunt in Gallis, quorumque opera frequentius Clotarius vsus est, *S. Arnulphus* extitit Metensis Episcopus, (cuius res gestas idem Ionas descripsit) vitæ moribus & miraculis clarus; cui & filium suum Dagobertum Rex instituendum tradidit: Necnon *S. Lupus* Episcopus Senonensis; quem postea cum ex subdola malignantium versutia (vt ait Aimoinus g, & vt fusius tradunt h eiusdem sancti viri Acta) Clotarius Rex in exilium misisset; idem paulo post eundem reuocauit, ac veniam cum gemitu ad pedes eius humi prostratus petiit, eique per se ipsum famuli loco in conuiuio ministrauit, multisque muneribus donatum Ecclesiæ suæ restituit. Ceterum cum in eiusdem S. Lupi Actis fiat mentio prægrandis *Tintinabuli*, sine campanæ, quæ in ecclesia Senonensi erat ad conuocandum populum; satis declaratur, iam hoc tempore in vsu frequenti eas fuisse in Occidente receptas. In Oriente autem adhuc consuetudo illa perseuerabat, pulsandi ligna.

VI. DE SS. ARNVLPHO METENSI ET LVPO SENONE. Quæ vero hoc §. continentur, habet præcipue Baron. an. seq. & 631.

g Ibid.

h Ap. Sur. 1. Sept. CAMPANARVM VSVS PRIMVM IN OCCID.

Hic item annus Sisebuti regnantis in Hispaniis quartus numerandus erit, secundum Isidori Chronicon, dum vno amplius anno Heraclium præcedere Sisebutum in regno affirmat; qui & in præfatione tradit, se vsque ad Heraclij & Sisebuti tempora ipsum Chronicon perduxisse. Cuius postremo loco ponit, eundem Sisebutum Iudæos regni sui ad Christi fidem conuertisse: sed violentia quidem adhibita, vt docet id improbans canon quinquagesimus septimus Quarti Toletani Concilij, necnon Tudensis in Chronico, qui tamen hæc gesta refert in ipsum Sisebuti regni principium. Porro extat i lex de his ab eo data, qua sanxit vt omnes regni sui Iudæi, qui intra annum baptizari nolussent, centum flagella decaluati susciperent, & exilio mulctarentur, facultatibus eorum fisco delatis. Atque Ado Viennensis, Iudæorum qui baptizari renuerunt nonnullos fuga lapsos migrasse in Gallias: nonaginta vero millia tunc baptizata fuisse, alij k tradunt. Hoc autem ipsum factitatum postea in Galliis fuisse sub Dagoberto Rege Clotarij filio, hortante Heraclio Imperatore, historici l qui Francorum res sunt prosecuti confirmant: idemq; obseruatũ ab ipso Heraclio Hierosolymis, Theophanes est auctor, & ex eiusdem Imperat. constitutionibus m liquet; ad hoc videlicet impulso, tum ob grassationem Iudæorum in Christianos ibidem Hierosolymis factam; tum etiam quod (vt iidem Francorum historici tradunt) per astrologiam, in qua apprime fuit eruditus, cognouisset à circumcisis gentibus Imperium esse vastandum. Sed quos ipse putauit futuros Iudæos Imperii vastatores, fuerunt ij Saraceni, iidemque Hebræorum instar circumcisi; de quibus postea agendum.

VII. IVDÆI VBIQVE IVSSI BAPTIZARI IN VIS.

i Leg. apud Isid. in Hist. Goth.

k Aimoin. 4. hist. Fr. 22.

l Aim. ibi & Append. ad Greg. Tur. Regord. in Vit. Philip. Aug. in Ind. Orient. lib. 2.

Interea hoc ipso anno, quinto eiusdem Imperatoris, à Costhoe Persarum Rege Syrias deuastante, sacrosancta Hierosolymorum ciuitas capta est, loca sancta diruta atque combusta; & qui in eadem ciuitate erant Christiani, Iudæis vili pretio venundati, ab iis post innumera tormẽta dire admodum trucidati sunt: Zacharias vero Patriarcha, vna cum sanctissimo Ligno S. Crucis, aliaque multa præda, in Persidem abductus est. Hæc Theophanes n: qui ait numerum occisorum à Iudæis Christianorum fuisse nonaginta millium. Si quæ autem in tanta vastitate inueniri potuit consolatio, subministrata est ea quidem à magno illo Alexandrino Patriarcha Ioanne Eleemosynario, qui fugientes Alexandriam Magistratus, priuatos, Episcopos, clericos, susceptit, aluitque: reliquias vero eorum qui remanserant ex captiuitate, per suos visitauit, rebusque necessariis recreauit, atque etiam captiuos redimere curauit: vt hæc omnia tradit in eius Vita Leontius.

VIII. HIEROSOLYMA CAPTA A PERSIS.

n Theoph. Misc. lib. 12.

Sed & *Antiochus* monachus Palæstinus Abbas Lauræ Sabæ, vitæ sanctitate mirificus, & doctrina celebris, sparsim eiusmodi Hierosolymitanam cladem, ac S. Crucis captiuitatem in suis homiliis deplorasse reperitur, quas his iisdem temporibus numero centum vnde triginta o composuit, vt suis prodesset monachis non valentibus loco vno consistere, sed ob barbarorum grassationes huc atque illuc diuagantibus, ac per loca deserta salutem sibi quærentibus: vt scilicet illi in tanta penuria verbi Dei, haberent vnde consolationem acciperent spiritualẽ, atque in monasticæ vitæ institutis cõfirmarentur. Hoc enim fuisse animi eius

IX. ANTIOCHI MONACHI HOMILIÆ O EXTANT Bibl. Patr.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

consilium, declarat ipse in præfatione ad Eustathium Abbatem, cuius rogatu ea conscripsit: vbi & Martyrium enarrat quadraginta quatuor sanctissimorum monachorum, quos ante octo dies quam caperetur Hierosolyma, Ismaelitæ siue Saraceni in monasterio ipsius Antiochi crudeliter membratim conciderunt: quorum etiam diem natalem celebrat Ecclesia Catholica decimasexta mensis Maij. Addit & de miserando casu monachi Sinaitæ, qui cum in monastica exercitatione incanuisset, à dæmone tandem variis illusionibus & in somniis deceptus, in Iudaismum delapsus est, & vxorem accepit; sed tandem vermibus arrosus expirauit. Porro Saracenos vbique grassari consueuisse in monasteria sunt etiam alibi quamplurima testimonia.

MONACHI APOSTATÆ MISERANDVS EXITVS.

Sed vt ad Costhoen reuertamur, plane admiratione dignum illud fuit, impium hominem adeo esse reueritum Crucem sanctam, vt nec ausus fuerit ab ipsa theca qua operiebatur, signaculum amouere vt vel eam inspiceret; sed timore perculsus, vti in sacrosancto templi loco asseruabatur obsignata, ita in Persidē voluerit transferre; quo demum prorsus modo omnino intacta Hierosolymam reportata fuit cū sigillo integro. Tradit enim ista Suidas in Heraclio: quibus consentaneum est quod dicitur apud Adonem *p* in Martyrologio, eandem Crucem sanctam summo honore in Persida fuisse asseruatam. Immo & timorem ingentem Persis incussisse, quod iactaretur ab ipsis Deum Christianorum in eam prouinciam aduenisse, testantur Acta *q* sanctissimi martyris Anastasij Persæ; qui eiusmodi tunc terrore Persarum commotus, de religione Christiana scisciari cœpit, quam & magno postea ardore (vt videbitur) susceperit, consummauitque.

X. S. CRVX CAPTA TERROREM PERSIS AFFERT.

p Ado in Martyrol. 14. Sept.

q Ap. Sur. 22. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 615.

DEVS-DEDIT AN. 1.

HERACLII AN. 6.

I.

ANno Christi sexcentesimo decimoquinto, Indictione tertia, nullo resistēte Cosrhoes inuasit occupauitq; vniuersam Ægyptum; excurrensque Lybiam, Carthaginem frustra tentauit; quam plurimis vero captiuis abductis, onustus præda reuersus est in Persidem. Hæc Annales *a* Græcorum, de quibus sit etiam mentio apud Leontium *b* in Vita Ioannis Eleemosynarij Episcopi Alexandrini, dum narrat, quomodo ingenti fame Ægyptum vexante, cum idem Ioannes præter vniuersos Ecclesiæ thesauros, etiam mille auri libras mutuo acceptas expendisset in subuentionem egenorum, qui Persas fugientes aduenissent Alexandriam, nec iam quod amplius erogaret haberet; hancque aucupatus occasionem quidam prædiues clericus, qui secundas nuptias cōtraxerat, eidem in has angustias redacto multa millia frumenti, & auri centum quinquaginta libras, vt ipsum ordinaret diaconum, offerret; nihilominus ille eiusmodi simoniacum cum sua pecunia omnino reiecerit. Vixque eum remiserat, cum ipsi nuntiatum est aliquot naues Ecclesiæ in portum appulisse, ferentes ex Sicilia multa frumenti millia, quibus ipse populum pauit. His autem plane ostensum est, quanta suadeat mala prudentia carnis, cum in Deum peccare consulit potius, quam de eius prouidentia spem concipere: quo fit vt res Ecclesiæ quotidie in deterius prolabantur.

a Theoph. in Miscel. lib. 18. Cedr. in Comp. an. 6. Herac.

b Ap. Sur. 23. Ianuar.

PRVDENTIA CARNIS ADVERSATRIX ECCLESIÆ.

II. TYRANNI IN ITALIA

Accidit autem ad mala quibus Romanum Imperium adeo esset in Oriente labefactatum, vt etiā in Occidente quod residuum erat nutare cœperit, rebellante in Italia *Ioanne* cognomento *Compsino* Præfecto vrbis Neapolitanæ; qui cæso Ioanne Exarcho, tyrannidē arripuit. Cuius rei gratia missus ab Heraclio Imperatore *Eleutherius* exarchus, Ioannis Exarchi cædem vlciscens, Compsinum bello captum petemit: sed tamen & ipse postea in tyrannum erupit. Habet hæc paucis Anastasius in Rebus gestis Deusdedit Romani Pontificis, & successoris eius Bonifacij Quinti. Quo etiam auctore constat, fuisse insuper hunc annum Italiæ infaustum ob terræmotus vehemētissimos, & quæ subsecuta est, luem elephantiæ. Tuncque accidit, vt cum *c* afflictæ Vrbi prospiceret ipse sanctissimus Pontifex Deusdedit, præsensque visitaret ægrotos, miseratione commotus vnum ex illis exosculatus, diuino miraculo ab eodem morbo reddiderit mundum.

c Martyrol. Rom. 8. Nouemb.

DEVS D. PP. OSCVLO SANAT LEPROSVM

IESV CHRISTI AN. 616.

DEVS-DEDIT AN. 2.

HERACLII AN. 7.

I.

ANno Christi sexcentesimo decimosexto, Indictione quarta, mortuus est Agilulphus Longobardorum Rex, vbi regnasset *a* annos viginti quinque: cui successit maior natu filius Adalvvaldus sub tutela Reginæ matris Theodolindæ: sub quibus ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ donationes locis sanctis factæ. Sed famosissima illa fuit, quam exhibuerunt basilicæ in honorem S. Ioannis Baptistæ ab iisdem in Modoetia erectæ, qui locus duodecim distat millibus à Mediolanensi ciuitate: à quo tempore (ait Paulus *b* diaconus hæc narrans) Longobardi in omnibus actibus suis tam bellicis quam ciuilibus, cœperunt inuocare S. Ioannem, vt illis præberet auxilium virtute Domini nostri IESV CHRISTI.

a Paul. diac. lib. 4. c. 15.

LONGOB. INVOCĀT S. IO. BAP.

b Ibid. c. 22.

II.

Hoc item anno tradunt Annales *c* Græcorum eo vsque progressos esse Persas, vt per Lybiam venerint Carthaginē, eamque diu obsessam tandem ceperint: cum inter tot tantaque Orbis flagella, Heraclius Imp. stupiditate quadam oppressus, omissa omni de bellicis rebus cura, ad suos filios honoribus prouehendos incumberet. Hoc siquidem anno creauit Consulem *Constantinum* Iuniorem, qui & *Heraclius* dictus est; minoremque eius fratrem ex Martina genitum, *Constantinum* itidem nominatum, Cæsarem dixit.

c Theoph. li. 18. Miscel.

III.

Quod vero Ecclesia Hierosolymitana, abducto in Persidem Zacharia Patriarcha, absque pastore relicta esset, iniuncta est eius administratio *Modesto* Abbati: qui licet nondum Episcopus, (viuebat enim adhuc Zacharias; nec licebat vnius Ecclesiæ Episcopos esse duos) loco tamen Episcopi magno animi ardore non ea tantum quæ ad curam animarum, quietemque monachorum extorrium spectare videbantur, pertractauit; sed etiam in restituendis igne consumptis ecclesiis alterum se Zorobabelem exhibuit: cuius rei locuples testis est Antiochus monachus in præfatione ad Homilias suas; de quibus dictum est superius.

MODESTVS ABBAS CVRAT ECCL. HIEROSOL.

IESV CHRISTI AN. 617.

DEVS-DEDIT AN. 3.

HERACLII AN. 8.

I.

ANno Domini sexcentesimo decimoseptimo, Indictione quinta, *S. Deusdedit* Papa (secundum Anastasij rationem, & Tabulas Ecclesiasticas) ad cœlum migrauit sexto Idus Nouembris, vbi sedisset annos tres, minus dieb. quinque; sepultusque est in basilica S. Petri. Extat eius scriptorum tantummodo fragmentum apud Gratianum *a*, vnius epistolæ ad Gordianum quendam in Hispania Episcopum scriptæ, de viris ac mulieribus, qui proprios liberos susceperint ex lauacro sancto; quos idem Pontifex, ex prædecessorum sententia, omnino iussit à carnali copula abstinere. Adduntur ab aliis alia, nempe restituendam esse dotem, & liberam facultatem nubendi concessam post annum: sed neutrum habet Gratianus. Cetcrum cum post mortem Deusdedit, sedes vacasset mensem vnum & dies sexdecim, (siue, vt alij codices Anastasij habent, dies sex) in eius locum subrogatus est BONIFACIVS eius nominis Quintus, patria Neapo-

DEVS D. PP. OBIT. 230 *q peruenit ad nos.*

DE SPIRIT. COGNATIONE DICRETVM.

BONIF. PP. V. CREATVR.

Neapolitanus, die decimaquarta, vel secundum alios vigesima quarta Decembris. Ante tempus autem ipsius ordinationis (inquit Anastasius) Eleutherius Exarchus, cum tyrannide sumpta Rex Italiæ dici voluisset, venturus Romam, à militibus Rauennatibus in via occi us est, caputque eius missum Constantinopolim ad Imperatorem.

II. DE AGRESTINO MONACHO SCHISMATICO.

Quo tempore monachus quidam Luxouiensis in Burgundia monasterij (in cuius regimine, S. Columbano sanctus item Eustasius ipsius discipulus successerat) nomine *Agrestinus*, qui quondam Theodorici Francorum Regis Notarius fuerat, sub prætextu fidem gentibus prædicandi, nonnullas absque vllo fructu peragrans regiones, cum Aquileiam peruenisset, illic Aquileiensium imbutus schismate (quo ob Tria Capitula ab Ecclesia Catholica seiuncti adhuc erant) in Gallias rediens, alios secum præcipites in ruinam abducere tentauit: sed frustra, cunctis videlicet communioni Catholicæ & Apostolicæ Sedis (vt decet gentem Christianissimam) inhærentibus. Quare ab hoc conatu desistens, aliudque certamen suscipiens, nempe aduersus monastica instituta à S. Columbano suis relicta, de variis ea defectibus leuiter nimis incusare cœpit, traxitque seditiosus homo ad suas partes nonnullos Episcopos; vsque adeo vt ad has turbas comprimendas, Clotario Francorum Regi opus fuerit dare operam, vt cogeretur *Matisconе* CONCILIVM. In quo idem Agrestinus ab Eustasio Abbate valide confutatus, & quod nimis refractarium se ostenderet, ab eodem ad diuinum iudicium intra annum, causam cum S Columbano dicturus, citatus; demum Episcopis Catholicis cogentibus, conuersionem simulãs ad breue tempus quieuit. Sed paulo post iterum monasteria tentans, multos seduxit, aduersus quos Dei vindicta se variis punitionibus exeruit: donec tandem & ipse Agrestinus in pertinacia sua permanens, vt Eustasij ad diuinum iudicium citatio præualeret, triginta diebus ante finem vertentis anni, à seruo suo (cuius vxore abuti dicebatur) securi percussus interiit. Sicque cessauit eiusmodi schisma, cunctis ipsius fautoribus ad saniorẽ mentem reuersis. Quæ quidem omnia exacte prosecutus est Ionas Abbas huius temporis scriptor, in Vita *b* eiusdem S. Eustasij.

CONCIL. MATISC. IN MVS CAVSA.

b Ext. ap. Bed.

III. COSRHOES REPELLIT LEGATIONEM HERACLII

Quod pertinet ad res Orientales; cum nullam sibi adesse vim resistendi Persis Heraclius Imp. sentiret, nouam ad Cosrhoen eorum regem legationem misit, qua pacem quibusuis iniquis conditionibus exposceret. Sed truculentus barbarus, quem olim vidimus ex ortem regni, viribus Christiani Romani Imperij restitutum, horum immemor, illam pacis conditionem præscribere non erubuit, vt ipse Romanus Imperator cum suis omnibus Christum abnegaret, & Solis quem Persæ adorarent cultor fieret. Referunt hæc Annales *c* hocanno. At respexit tandem, sero licet, Deus Christianorum talem Ethnici Regis arrogantiam, eumque dedit in opprobrium gentibus, vt suo loco dicetur.

c Theoph. in Mis. cl. lib. 18.

IESV CHRISTI AN. 618.

BONIFACII V. AN. 1.

HERACLII AN. 9

I. *a Theoph. Cæsaren.*

ANNO Christi sexcentesimo decimooctauo, Indictione sexta, Chaianus Rex Auarum *a* sub pacis nomine decipiens Imperatorem, suburbia ciuitatis Constantinopolitanæ est deprædatus. Eodemque anno sui Imperij nono, octauo Calendas Maias, Heraclius, exigente Sergio Patriarcha, pragmaticam *b* sanctionem edidit, qua confirmauit decretum ab eodem Sergio factum, ne quis cooptaretur in clerum, nisi in defuncti locum subrogaretur: nempe quod accideret vt procerum fauore tot homines sese intruderent in Ecclesiam Constantinopolitanam, vt reditus ad alendos omnes non suppeterent.

b Nouel. imp lib. 2. Nouel. 4. HERACLII SANCTIO DE CLER. ECCL. CONST.

IESV CHRISTI AN. 619.

BONIF. V. AN. 2.

HERACLII AN. 10.

I. CONCIL. HISPAL.

ANNO Christi sexcentesimo decimonono, Indictionis septimæ, quo & secundum Isidori Chronicon nonus numeratur Sisebuti Hispaniæ Regis, & Æra sexcentesima quinquagesima septima, Idibus Nouembris celebrata reperitur in Hispania SYNODVS HISPALENSIS octo Episcoporum, quibus præfuit *S. Isidorus* eius ciuitatis Antistes. Ab iis vero controuersiæ plures diuersarum Ecclesiarum, per tredecim sunt decisæ Actiones. In quibus obiter notamus, improbari *a*, ministros Episcoporum, quibus in rebus & Iudiciis Ecclesiasticis vtuntur, esse laicos: itemque vetari *b* monachis omnem consuetudinem cum Deo dicatis virginibus. Sed & in eadem Synodo *c* ad rectam fidem conuersus est quidam Episcopus Acephalorum, natione Syrus; aduersus cuiusmodi sectam vltimus canon editus est.

a Conc. Hisp. act. 9.
b ibid. act. 11.
c Act. 12.

II. *d Luc. Tudens. in Chron.* SISEBVTI REG VIRTVTES, ET OBITVS.

Porro ipse Rex Sisebutus hoc eodem anno sui regni nono defunctus est: quem Lucas *d* Tudensis affirmat, non solum fuisse scientiis eruditum, & in bello manu potentem, sed & moribus sanctum; adeoque inter cetera clementem, vt post victorias adeptas, hostes à militibus suis captos & in seruitutem redactos, pretio illorum dominis dato liberos dimitteret. Successorem reliquit Reccaredum paruulum filium; qui ab obitu patris post sex menses itidem mortuus est: eique successit Suinthilla anno sequenti; qui pulsis iis qui nomine Imperatoris aliquas tenebant in Hispania ciuitates, ipse solus monarchia potitus est Hispaniarum.

IESV CHRISTI AN. 620.

BONIFACII V. AN. 3.

HERACLII AN. 11.

I. HERACL. ACCIPIT AVRVM ECCLES. AD BELL. PERS.

ANNO Christi sexcentesimo vigesimo, Indictione octaua, Heraclius Imp. inita pace cum Auarum Rege Chaiano, totus existens in expeditione paranda aduersus Persas, cum pecunia militiæ neruo careret, nec sæpe à Persis spoliati subditi tributum pendere valerent, eo adactus est (quod habet Theophanes) vt ab Ecclesiis, & religiosis domibus mutuo quam haberent pecuniam acciperet, sed & sacra earundem aurea argenteaque vasa conflaret; quo posset militibus, pro templis ipsis, pro fide Christi, ac recuperatione sanctissimæ Crucis certaturis stipendia soluere. Ad quod cum venisset Alexandriam ab Imperatore exactor missus Nicetas Patricius, dum pecunias Eccl siæ, non quidem concedente, sed nec omnino prohibente S. Ioanne Patriarcha, auferret; diuinitus aliæ quas Nicetæ Ioannes donaret suppeditatæ fuerunt; cum videlicet eodem momento allatæ sunt ad ipsum plures mellis amphoræ, quæ omnes auro plenæ repertæ sunt: quarum cum vnam misisset ad Nicetam, iste miraculum agnoscens, non solum omnia quæ sustulerat restituit, sed & ipsam amphoram remisit, ac de suo libras auri trecentas addidit.

AVRVM DIVINITVS SVPPEDITATVM.

[Hoc tamen longius ante obitum Ioannis contigisse, significare videtur Leontius eius Vitæ scriptor, dum inter alia ait, ab hoc tempore Ioannem & Nicetam tanto fuisse inter se coniunctos vinculo amicitiæ, vt etiam Ioannes fuerit Nicetæ filiorum susceptor. Quinimo cum idem Leontius aperte testetur, Ioannem Alexandria a Nicetæ abductum fuisse priusquam ea vrbs a Persis caperetur; iam in Miscella & Cedreno ex Theophane traditur, Alexandriam in Persarum deuenisse potestatem Heraclii anno sexto. Vnde & habes, quod in Ioannis Episcopatus stabilienda chronologia industriam tuam exerceas.]

II.

Cum vero & eundem optaret ad Heraclium ducere, quo percepta à tam mirifico viro benedictione Imperator iecu

S. IOAN. ELEEMOS. OBITVS.

MIRACVLVM IN EIVS SEPVLTVRA. a *Ap. Sur.* 23. *Ianuar.*

IMMENSVM AVRVM ABEO EROGATVM IN PAVPERES.

rior ad Persicum bellum proficisceretur; annuenteque ei Ioanne, iam vna peruenissent in Rhodum insulam, idem sanctus reuelatione habita de proxima sui corporis dissolutione, Nicetæ permissu in insulam Cyprum patriam suam diuertit; ibique pie admodum animam Deo reddidit die vigesima tertia Ianuarij, qua memoria eius anniuersario cultu ab vniuersa Ecclesia Catholica recolitur. Inter autem miracula, quæ post eius obitum ad ipsius sacras Reliquias edita sunt, illud haud quidem leue, quod cum essent eæ deponendæ in capsa vbi duo alij iam erant conditi Episcopi, visa sunt horum corpora cultum tribuere corpori Ioannis, atque ab inuicem sponte seiuncta ipsum medium inter se accipere. Habet hæc omnia pluribus Leontius *a* in eius Vita: vbi & testamentum ipsius recensens, ait Deo gratias egisse, quod ex mundi bonis nihil aliud sibi reliquum esset, nisi tertia pars nummi, quam & ipsam iussit dari pauperibus; cum tamen quando creatus esset Episcopus, inuenisset in thesauro Ecclesiæ Alexandrinæ octo millia librarum auri, atque ex oblationibus piorum collegisset denis millibus plures his pecunias, quas omnes in pauperes erogasset. In quibus miteris & diuitias eius temporis Ecclesiarum, & pietatem Fidelium, ac liberalitatem tanti Patriarchæ; qui ideo merito & *Eleemosynarius* dictus est, & meruit sæpius à Deo extraordinariis modis magnas habere pecunias, quas dare pauperibus posset. Porro eundem vixisse in Episcopatu annos decem, Nicephorus ait; eique suffectum esse *Georgium*: quem putamus fuisse illum eiusdem Ioannis consobrinum, de cuius cũ caupone contentione, & mirabili Ioannis mansuetudine, in eius Actis elegantem Leontius recenset historiam.

IESV CHRISTI AN. 621.

BONIF. V. AN. 4.

HERACLII AN. 12.

I. HERACLII PIE COEPTA EXPEDITIO.

ANno Christi sexcentesimo vigesimo primo, Indictionis nonæ, Heraclij duodecimo, die quarta Aprilis, post celebratam solemnitate Paschalem, mox secunda feria vesperi idem Heraclius Imp. exercitum mouens aduersus Persas, Constantinopoli nauem ascendit, relicto in eadem vrbe Constantino filio, vna cum Sergio Patriarcha, & Bonoso Patricio viro prudentissimo; eodemque filio, ipsoque Imperio, per litteras commendato Regi Auarum Chaiano, cum quo pactus erat amicitiam. Manu vero tenens Imaginem Saluatoris Non-manu-factam, de qua sæpe superius actum, exercitum hortatus est ad fortiter pro CHRISTO pugnandum, commonuitque sectari iustitiam & pietatem; atque eidem iurauit, se milites omnes loco filiorum habiturum, & vna cum illis vsque ad mortem strenue certaturum. Hæc omnia ex Theophane in Miscella. Præter quæ testis est etiam Cedrenus, eundem Imp. antequem proficisceretur, dixisse Patriarchæ, se in manibus Dei, Deiparæ, & ipsius Patriarchæ relinquere vrbem & filium, indeque magnam ecclesiam ingressum atratum calceos, ante altare procumbentem, Deum orasse vt prosperam expeditionem suam redderet. Cui tunc Georgius Pisides prædixit, fore vt qui nigros indutus calceos oraret, rubefaceret eos cruore Persarum.

II.

VINCIT PERSAS. a *Theoph. Cedr. Zonar. & alii.*

Prius autem quam ista gererentur, cum Saës Dux Persa deuastato Oriente cum magno exercitu Chalcedonem vsq; veniens, Heraclium simulata pacificationis spe ad colloquiũ pertraxisset, receptis ab eo septuaginta proceribus legatis ad Cosrhoën, eosdem vinctos in Persidem misit. Cui tamen Cosroës quod Heraclium vidisset, neque retinuisset, & ad Cosrhoën deduxisset; mox cutem detrahi, legatos vero custodiri ac male tractari iussit. In cuius locum alio misso aduersus Romanos Duce nomine Sarbaro, hunc Imperator, post peragratas Armeniæ Pontique regiones, ludificatis hostibus in Persidem irruens, Imagine CHRISTI præuia inter primos ipse pugnans, iusto prælio vicit, eiusque exercitum penitus deleuit: suo vero hac victoria confirmato, in Armeniam ad hiberna dimisso, ipse Byzantium rediit. Hæc pluribus Annales *a*.

Ceterum aderat in primo illo Persarum exercitu, vna cũ Saë militans *Anastasius* nobilis Persa, filius insignis magi, ipseque eiusdem artis magicæ ac præstigiatoriæ peritissimus: qui hoc anno suos relinquens, amore suscipiendi baptismatis se contulit ad Romanorum exercitum, indeque Hierapolim; vbi apud argentariũ degens genere Persam, religione Christiánum, fidei rudimenta suscepit: incensus vero multo magis ad subeundum martyrium, vbi in ecclesiarum parietibus picta intuitus esset certamina Sanctorum, Hierosolymam petens, à Modesto curante illam Ecclesiam baptizatus est, mutato priori nomine Magundat in Anastasium; & postea ingrediens monasterium S. Anastasij, sub Iustino sanctissimo Abbate institutis spiritualibus educatus est. Sed hæc pluribus eius Acta *b*; quæ quidem non à Metaphraste scripta fuere, sed descripta potius, & ante ipsum cognita, probataque in S. Posteriori Necæna Synodo, & à Latinis vt fide dignissima recepta, atque emendata à Beda, si quæ vitio trãslatoris potuissent mendosa videri.

III. AN AST. PERSA AD CHRISTIANOS TRANSIT. [De cuius tamen cõuersionis, monachatus, & martyrii tempore, paulo aliam init (licet dubie) Dionys. Petauius chronologiam in Notis ad S. Nicephorum.] b *Ap. Sur.* 22. *Ianuar.*

IESV CHRISTI AN. 622.623.624.

BONIFACII V. AN. 5.6.7.

HERACLII AN. 13.14.15.

I.

ANno Domini sexcentesimo vigesimo secundo, Indictionis decimæ, Heraclij decimotertio, idem in Armeniam ad exercitum properans, rursum per legatos Cosrhoi pacem obtulit: eo vero illam respuente, mense Maio in Persidem ingressus est, aggressusque Cosrhoën ipsum, qui apud Gazacoren ciuitatem cum quadraginta bellicosissimorum milium castra posuerat: cumque præmissi ab Imperatore nonnulli Saraceni qui sub eo militabant, incidentes in vigiles Cosrhois, quosdam eorum occidissent, aliquos vero cum eorum duce captos ad Heraclium perduxissent; his territus Cosrhoes, derelicto exercitu in fugam se turpiter conuertit: Heraclius autem Gazacoren & Thebarmam ciuitates cepit, incenditque vna cum templo Ignis, & impostura Carbonum; potitusque est thesauro Cræsi Lydorum Regis; atque mox Cosrhoen per angustias Mediæ insecutus, multas vrbes agrosque vastauit: ac demum supplicationibus exercitui iniunctis, vt diuinam reuelationem de iis quæ agenda essent accipere mereretur, apertis postea sacri Euangelij libris, inuenit sibi mandari vt in Albania hiemaret. Hæc ex Græcorum Annalibus *a*. Frequentem autem fuisse his temporibus eiusmodi consultationem diuini numinis, per Euangelij, siue totius sacræ Scripturæ codicis fortuitam apertionem, quæ alias superius dicta sunt satis ostendunt. Tot porro hæc tantaque ab Heraclio gesta S. CRVX Christi operata est, vincens Persas cum captiua detineretur ab eis. Et sicut magno olim Philistinorum & deorum ipsorum damno, illata *b* est captiua Arca in templum Dagon, ita plane, sed longe maiori iactura Regni Persarum & superstitionis ipsorum, captiua in Persidem ducta est sanctissima Crux, quę & crucem tandem dirissimam ipsi intulit capienti. Dum autem in Albaniam Heraclius se reciperet, egregium edidit Christianæ misericordiæ exemplum, cum vehementi adueniente tempestate, geluque, compassus captiuis, quos ad quinquaginta milia habebat in castris, omnium vincula soluit, ac liberos dimisit; vt iidem Annales referunt.

TVRPIS FVGA COSRHOIS. a *Theoph. in Miscel. Lib. 18. & Cedr. in Heracl.* DIVINA REVELATIO EX APERTVRA EVANGELII. b 1. *Reg.* 5. CRVX CAPTIVA VINCIT PERSAS.

II. ALIÆ VICTORIÆ HERACL.

Anno vero Domini sexcentesimo vigesimo tertio, Indictione vndecima, idem rursum in Persidem irruens, tres Persarum Duces Satabaclam, Sarbaram, atque Sain, cum totidem validissimis exercitibus, variis vsus stratagematibus, diuersisq; commissis diu noctuque prælijs, penitus deuicit, ingentemque prædam cepit, Sarabacla ipso occiso, Sarbara vero nudo vix fuga elapso: licet antequam hæc tanta perficerentur, Heraclius à Lazis atque Abasgis, qui in ipsius militabant exercitu, potentiam Persarum formidantibus, in patriam suam regressis destitutus fuisset, indeque reliqua pars exercitus in varia non semel discrimina incidisset.

Qui & anno sequenti, Tauro monte superato, ad Tigrin

fluuium peruenit, aduersusque Sarbaram iterũ ducens exercitum, Euphraten vadauit. Inde occupatis Samosatis, rursus Taurum transiit, Adanaque peragrata Sarum amnem traiecit: cumq; Sarbaras ex altera parte castra posuisset, pontemque ex funibus & lana contextum super flumen extendisset, Romani, frustra contradicente Imperatore, per pontem incomposito agmine in Persas irruentes, multos quidem occiderunt, sed insidiis circumuenti in magnum discrimen inciderunt, à quo eos Imperator liberauit, quando & gigantem singulari certamine è ponte detrubauit, & paucis stipatus aduersus innumeros hostes fortissime pugnans, eosdem superauit, fugauitque. Vnde sibi Sarbaras metuens, retro abiit: Imperator autem suos ad Sebasteam adduxit, ac traiecto Halis flumine ibi hiemauit. Quarum rerum euentu Rex Persarum Cosrhoes furore percitus, ecclesias omnes quæ in eius dominio erant, bonis ac donariis expoliauit: vtque Heraclio molestam rem faceret, Christianos omnes ad societatem Nestorianæ hæresis adegit. Hæc omnia pluribus Annales.

GIGANTEM VINCIT.

IESV CHRISTI AN. 625.

BONIFACII V. AN. 8.

HERACLII AN. 16.

I. BARBARI COEVNT ADVERS. ROM. IMP.

ANno Christi sexcentesimo vigesimo quinto, Indictionis decimætertiæ, quinto Belli Persici, Heraclij Imperij decimosexto, qui tam sæpe atque ignominiose superatũ se ac fugatum Cosrhoes à Romanis vidit, omnes quas tum valuit vires collegit ex seruis liberisq; hominibus, omnemque excogitauit artem, qua conuerteret bellum è Perside in Romanum solum. Namque imprimis misso Sarbara Duce cum potissimo exercitu, qui pacto fœdere cum Chaiano Auarum Rege fidifrago, solicitatisque Bulgaris, Sclauinis, atque Gipedibus, omnes simul barbaros permoueret ad inuadendam ipsam vrbem regiam Constantinopolim; insuper Sain fortissimum totius Persidis ducem, cum immenso peregrinorum ac ciuium, necnon seruorum numero, additis quinquaginta millibus selectissimorum militum, quos præ excellentia Chrysolacas nominauit, quasi aureum cuneum, aduersus ipsum Heraclium direxit. Qui quidem Heraclius his cognitis exercitum suum in tres partes diuidens, vnam Constantinopolim misit ad custodiam vrbis, alteram tradidit Theodoro fratri suo aduersus Sain; ipse vero cum minima ad Lazos venit, indeque aduersus Cosrhoen processurus, Turcas orientales, Gazaros dictos, in auxilium euocãs, quadraginta eorum millia à Ziebil eorum Duce accepit; cum prius idem Ziebil disruptis Caspiis portis Regnum Persarum à tergo inuadens, omnia ferro igneque vastasset.

II. VBIQ DIVINA OPE SVPERANTVR.

Porro Sais exercitus in ipso contra Theodorum certamine, tum grandine miræ magnitudinis à Deo per intercessionem Beatissimæ Virginis immissa contritus est, tum gladiis Romanorum confossus. Quod indigne ferente Cosrohe, Sais mœrore mortuus est; cuius cadauer ad se delatum, idẽ Cosrhoes pluribus præ rabie confodit vulneribus. Auares autem vbi decem dies Constantinopolim obsedissent, virtute pariter Deiparæ Virginis (in cuius honorem, iam ab ipsis Constantini temporibus eadem vrbs dedicata fuerat, eiusque nomine appellata *Ciuitas Virginis*, vt suo loco dictum est;) cum mutuis inter se certaminibus, tum vi tempestatum terra marique perierunt, paucis domum summo cum dedecore reuersis. Sed nihilominus Sarbaras Chalcedonem obsidione cingens: biennium ibi perdurauit; donec in suspicionem adductus apud Cosrohen quod Romanis consentiret, interfici iussus, ipse re comperta obsidionem soluit; paceque cum filio Imperatoris inita, in Persidem remeauit, eodem tempore quo Cosrhoes ad extrema redactus (vt videbitur) misere per filium periit. Habent autem hæc omnia Græcorum Annales, à Theophane primum Græce editi, & ab Anastasio Bibliothecario Latinis *a* communicati, à Cedreno vero Græcis in compendium redacti.

a Vid. infr. an. 813. ad num. III.

Dum ista in Oriente gererentur, Deus vbique mirabilis, in Occidentali Ecclesia nouæ plantationis ad multiplices futuras propagationes spem auxit; cum hoc anno ad gentem Nordanhumbrorum, siue Norhumbrorum, (hoc est Anglorum Borealium, ob flumen Humbrum ita dictorum,) quibus præerat Rex Edvvinus, porta aperta est prædicationi S. Euangelij. Accidit enim, vt idem Rex Gentilis nuptias appetens Edelburgæ Christianæ virginis, sororis Edualdi Cantiæ Regis Christiani, illis hac conditione potitus sit, vt eandem coniugem suam cum omnibus qui eam comitarẽtur, cultum religionis Christianæ seruare permitteret. Missus igitur cum ea *Paulinus* (qui olim à sancto Gregorio Papa vna cum Mellito, Iusto, aliisque in Angliam missus, hoc ipso anno ab eodem Iusto, Dorouernensi Archiepiscopo creatus est Episcopus Eboracensis, in qua ciuitate Edvvinus morabatur) multum laborauit, vt & qui Reginam sequuti essent à fide non deficerent, & Pagani ad eam conuerterentur. Quæ cum intellexisset Bonifacius Papa, euestigio literas dedit ad ipsum Regem Edvvinum, hortans ad idolorum cultum relinquendum; aliasque ad coniugem eius Edelburgam, admonens in eo laborare; cum & alias antea vna cum Pallio misisset ad Iustum, qui ex Episcopo Roffensi ordinatus fuerat anno præterito Archiepiscopus Dorouernensis, siue Cantuarensis, in locũm defuncti S. Melliti: qui & ipse Londonia Cantuariam translatus fuerat post obitum Laurentij, successoris S. Augustini, primi eius ciuitatis Archiepiscopi. Quas quidem Epistolas recitat Beda *b*, dum & horum omnium, quæ summatim recensuimus, historiam fusius pertractat.

III. ANGLOR. BOREALIVM CONVERSIO.

b Bed. de gest. Angl. lib. 2. c. 8. & seqq.

Ceterum in hunc vsque annum Bonifacium Papam peruenisse, ex eodem Beda, Anastasioque constat: quem obiisse vigesima quinta Octobris, ac sepultum esse in Basilica S. Petri, denique cessasse Episcopatum eius menses sex & dies octodecim, idem Anastasius tradit: ex quibus apparet eum sedisse annos septem, menses decem, diem vnum.

IV. BONIF. V. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 626.

HONORII AN. 1.

HERACLII AN. 17.

V. HONORII PAPÆ CREATIO.

ANno Christi sexcentesimo vigesimo sexto, Indictionis decimæquartæ, die decimaquarta mensis Maij, in locum Bonifacij defuncti, HONORIVS natione Campanus filius Petronij hominis Consularis, vir eruditione Theologiæ præstans, atque etiam poeticis excultus litteris, creatus est Romanus Pontifex. Laudatissimus ipse quidem habetur apud Anastasium, alioquin res autem ab eo gestæ suis locis recensebuntur.

II. HERACLII ALIÆ INSIGNES VICTORIÆ.

Hoc item anno sexto Belli Persici, Heraclij decimoseptimo, hiemis tempore in Persidem idem Imperator cum Turcis ingressus, improuiso Cosrhoen perterruit; sed mox à Turcis, vim frigoris & crebras Persarum incursiones impatienter ferentibus, derelictus est. Qui tamen haud despondens animum, quinimo magna fide suos, hortationibus suis securos redditos de opitulatione diuina, Deique Genitricis MARIÆ, aduersus hostes educens, incensis pluribus ciuitatibus, cum nouo præpotenti Persarum Duce Razate pridie Idus Decembris ingens prælium iniit, quo ipse inter primos fortiter pugnãs, Razatem ipsum alioquin plures manu propria, non sine vitæ suæ periculo occidit; collectisque ex aliis opimis, nimirum auratis Razatis armis, glorioſam admodũ victoriam adeptus est, cæsis multis Persarum millibus, Romanorum vero quinquaginta tantum militibus desideratis, cum pugnatum fuisset à primo mane vsque ad horam nonam. Cum vero mox contra ipsum Cosrhoen, qui non longe aberat, festinaret, eodem Cosrhoe fugam capiente, Imperator palatiis eius campestribus potitus est, vbi Romanorum inuenta signa bellica in præliis olim à Persis capta, trecenta numero vindicauit, aliisque quamplurimis diuersi generis bonis ad Persarum delicias ibi positis, capiis, &

maxi-

maxima ex parte incensis, ibidem cum exercitu Natalem Domini & Epiphaniam celebrauit, Deo, Deique Genitrici, quam in auxilium totius belli asciuerat, de tot felicibus successibus gratias agens. Quæ cuncta hoc anno & initio sequentis gesta, pluribus narrant sæpissime citati Annales Græcorum.

III. ANASTASII PERSÆ CONFESSIO.

Eodem anno Anastasius Persa monachus, de quo superius, cum Cæsaream Palæstinæ aduenies quosdam Persas Magos de præstigiis suis redarguisset, abillis delatus, & à Marzabana tentus, quem Cosrhoes Præfectum miserat in Palæstinam, egregium se Christi confessorem inter maxima ac multiplicia tormenta præstitit: quod apud eius Martyrii Acta *a* lector copiosius enarratum inuenier. Eius vero certamen hoc anno cœptum, sequenti (vt videbitur) consummatum est.

a *Ap. Sur. 22. Ianuar.*

IV. EDWINI REGIS CONVERSIO.

Sed & qui literis Bonifacii Papæ de Christiana religione amplexanda commonitus fuerat, Edwinus Rex Anglorum Borealium, hoc eodem anno, postquam ingens euasit à sicario periculum, victoriamque de Rege inimico habuit, Paulini Episcopi hortationibus, & recordatione visionis cœlestis ipsi olim in extremis angustiis posito oblatę, sponsionisque tunc factæ de sectanda salutari doctrina; fidem Christi suscipere decreuit, consentientibus Regni sui primatibus, ipsisque etiam Gentilitatis Pontificibus, quorum omnium supremus manum primus adhibuit diruendis idolis, subuertendisque eorum templis. Quomodo autem hæc cuncta se habuerint, exacte narrat Beda *b*: docetque eundem Regem anno sequenti Paschali tempore baptizatum fuisse, vna cum infinita propemodum eius subditorum omnis generis multitudine. Ac deinde subdit de conuersione Carpualdi Regis Anglorum Orientalium, eiusdemque nece à Gentili quodam illata, ac successione Siberti viri per omnia doctissimi atque Christianissimi; qui cum exulasset in Gallia, fidem ibi susceperat, eamque in Anglia valde propagauit opera Felicis Episcopi nationę Burgundi.

b *Bed. lib. 2. c. 9. 12. 14. 15.*

V.

Hoc pariter anno, qui numeratur Clotarii Francorum Regis trigesimus nonus ab obitu Chilperici parentis, idem Rex *c* consortem sibi regni adsciuit *Dagobertum* filium suum ex Bertrude Regina susceptum, atque S. Arnulpho Metensi Episcopo (vt diximus) educandum traditum, & optimis moribus imbutum.

c *Aimoin. lib. 4. c. 8.*

VI. REX LONGOB. OB AVERSAM MENTEM PELLITVR.

Eodem tempore Longobardorum Rex Adalualdus, cum iam regnasset annos decem, euersa mente insaniens (vt ait Paulus *d* Diaconus) eiectus est regno, & in locum eius subrogatus Arioualdus fauore Episcoporum Transpadanorum: aduersus quos ob illud facinus Honorius Papa literas *e* dedit ad Isacium Rauennatem Exarchum, laborans, vt Adalualdus restitueretur, tum quod eius mentis euersio arte venefica procurata, non omnem penitus rationis vsum ademisset; tum præcipue, quod fide Catholica præstaret, Arioualdus autem Arianæ impietatis tenacissimus esset. Verum quamuis Exarchus nonnihil hac in re collaborauerit, tamen constat desiisse à cœptis, ac pacem cum nouo Rege iniisse; nempe quod (vt par est credere) viribus Imperii contra Persas occupatis, haud se putauit sufficere ad bellum contra vniuersam gentem Longobardorum agendum. Quid autem post hæc de iis actum fuerit, haud compertum habetur, cum & Exarchi & Arioualdi res gestæ manserint prorsus obscuræ, vt Paulus etiam Diaconus queritur. Cæterum Ionas Abbas huius temporis scriptor, in Vita S. Bertolfi Abbatis monasterii Bobiensis, habet quædam miranda, quæ accidisse nonnullis monachis eiusdem cœnobii sub eodem Arioualdo Rege, pro comprobatione fidei Catholicæ aduersus Arianam perfidiam: ex quibus apparet, ipsum Regem, etsi hæreticus esse non desiit, ad meliorem tamen frugem in iis, quę ad mores pertinent, reuocatum esse. Notandaque est à Principibus Catholicis, eiusdem Regis Ariani responsio facta cuidam Episcopo eum aduersus monachos interpellanti:

d *Paul. diac. lib. 4. c. 5.*
e *Ext. ap. Iuen.*

ARIANI REG. SCITVM DICTVM.

Non est meum, inquit, *sacerdotum causas discernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare.*

quod tradit idem Ionas.

IESV CHRISTI AN. 627.

HONORII AN. 2.

HERACLII AN. 18.

ANno Christi sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decimaquinta, die vigesima secunda mensis Ianuarii, *S. Anastasius* monachus Persa, post iteratā sæpe anno superiori cōfessionem, è Palæstina à Persis ad Cosrhoen Regē missus, magna animi constantia diutinis toleratis diris tormentis, eiusdem Regis iussu aqua submersus martyrium feliciter cōsummauit, vna cum aliis septuaginta Christianis: caputque eius sectum ad Regem delatum est. Quæ quomodo se habuerint, eius Acta *a* omni fide antiquitus conscripta docent. Sed desideratur scriptio Georgii Pisidæ, qua laudationem eiusdem martyris prosecutum esse testis est Suidas. Eiusdemque miraculorum alium insuper extitisse librum, cōstat ex fragmento, quod ex eo recitatum habetur in Actione quarta posterioris Nicæni Concilii: vbi etiam fit mentio de translatione eius corporis Cæsaream Palæstinæ, aliunq; postea Romam facta ipsius Capitis atque Imaginis, ex quibus ingentia prodiere miracula. Exantque adhuc eadem sacra pignora ibidem Romæ in monasterio Sancti Vincentii ad Aquas Saluias, quod & auctum est ecclesia nomine Sancti Anastasii.

I. ANAST. PERSÆ MARTYRIVM.

a *Ap. Sur. 22. Ian.*

Quod vero ad Cosrhoen Regem attinet; qui victus hoc certamine à martyre fuit, iam faciliori negotio à cæteris vincendus, (siquidem aduersus eum pugnaturus Anastasius moriens exurrexit, vt probauit euentus) fugiens miserā facie Heraclii, sese vna cum coniugibus, liberisque, atque thesauro, Seleuciā recepit vrbem trans Tigrim munitissimam. Vbi in dysenteriæ morbum incidens, cum operam daret, vt filium suum Mardesam ex Syra dilecta coniuge natum coronaret; id compertum habens maior natu filius Syroes, cum optimatibus egit de necando parente, vsus etiam ad hoc Romanorum auxilio: sicque patrem fugientem insecutus, captum, ac pedibus colloque catenis ferreis vinctum, misit in domum tenebrarum, sic dictam quam recens extructam Cosrhoes ad recondendas pecunias munierat: vbi perparum ei panis & aquæ ad victum tribuens, fame prope enecauit; exprobrās, vt comederet aurum, ad quod colligendum multos fame necasset, ac mundum destruxisset. Misitque insuper Satrapas, omnesque eum odio habentes, qui ipsum iniuriis ac contumeliis afficerent, percuterentque, atque conspuerent: ac deinde Mardesam, aliosque omnes filios coram ipso interfici iussit; demumq; post quinque dies ipsum met acubus perimi fecit. Hæc Annales *b* Græcorum de interitu Cosrhois. Quem nonnisi talia plane decuere digna supplicia, per proprium filium ministrata, vtpote nefarium atque sacrilegum hominem, destructorem Orientalis Orbis, ingratum ac perfidum Deo hominibusque principem, sæuumque suis ac sanctis tyrannum.

II. FVGA COSRHOIS.

A PROPRIO FILIO CAPITVR, ILLVDITVR, ATQVE NECATVR.

b *Theoph. tab. 18. Cedr. an. 18. Herac.*

At non caruit tanta victoria glorioſissimo triumphō. Siquidem idem Cosrhois filius Syroes, occiso patre potitus regno Persarum, pacem cum Heraclio Imp. iniens, eueſtigio captiuos omnes Imperatori reddidit, interque eos Zachariam Hierosolymorum Antistitem, simulque sacratissimum venerandæ Crucis lignum, illæsum ipsum quidem (vt superius dictum est) & intactum, imo nec à Persis visum. Quod primum Constantinopolim, sequenti anno Hierosolymam ab Heraclio reportatum esse, Annales produnt: eo namque glorioſior extitit ipsius triumphus, quo largiori ambitu est perductus; accurrentibus ad spectaculum vbique Fidelibus cum palmis & oliuis, suffitibus atque luminibus, & præ gaudio lachrymas emittentibus, atque ex more hymnos sacros tantæ victoriæ occinentibus, ipsumque Heraclium eiusdem venerandæ Crucis recuperatorem magnis acclamationibus excipientibus.

III. S. CRVCIS TRIVMPHVS.

Actum præterea ab eodem Imp. per Theodorum fratrem suum apud nouum Regem Persarum, habent Annales, vt quæ hactenus occupatæ fuerant à Persis Imperii Romani

IV.

SCRIPTORES RERŪ HERACLII.

prouinciæ, ipsis recedentibus liberæ esse sinerentur, vt prius. Porro de rebus gestis Heraclii in Bello Persico, fideliorem quem sequeremur inuenimus neminem, nisi Theophanē, ex quo ea quæ dicta sunt relata habentur in Annalibus. Scimus tamen ab aliis nonnulla adiici fabulosa, quæ consulto præterisse maluimus. Caremus autem scriptis illis Georgii Pisidæ Diaconi magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Chartophylacis, quibus (vt auctor est Suidas) prosecutus est historiam omnem de Heraclio Imperatore, tam de Bello Persico, quam de Auarico, soluta oratione: qui & his fermè diebus pulcherrimis iambis aduersus Proclum Philosophū hæreticum scripsit Carmen, siue Mundi opificium, ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum; ad cuius finem meminit etiam Heraclii de Persis victoriarum. Extantque c patriter antiqui nummi aurei & argentei, repræsentantes Heracliorum patris & filii Imperatorum imagines, & multiplicibus modis Cruces triumphales expressas.

c Habet Baron. Annal. Tom. VIII. hoc ann. ex musæo Lalii asserv.

Sed inter tot læta infaustum vnum accidit, quod idem Suidas refert; nimirum quod cum Heraclius Sergio Patriarchæ ingentem pecuniam & gemmas pretiosas misisset, ea omnia submersa sunt. Nempe erant ista restituenda Ecclesiis illis, à quibus Heraclius ad bellum mutuo acceperat. Verum nolens Imperator ex his vllum Ecclesias sentire damnum, (vt idem auctor scribit) constituit, vt è fisco & Ecclesiæ & Clero annua pecunia penderetur.

V. DE PECVNIA, ET ALIIS REBVS PRETIOSIS TRADITIS.

IESV CHRISTI AN. 628.

HONORII AN. 3.

HERACLII AN. 19.

I.

ANno Domini sexcentesimo vigesimo octauo, Indictione prima, Heraclius Imper. recedens Constantinopoli (ait Theophanes) ipso veris initio profectus est Hierosolymam, pretiosum ac viuificum sanctissimæ CRVCIS Lignum reportans. Quod quidem factum illustri miraculo commēdatum fuisse in Ecclesiasticis Ritualibus traditur: dum videlicet Heraclio, vt erat auro & gemmis ornatus, eam in locum Caluariæ vnde fuerat à Persis sublata, suis humeris referente, coactus ipse est in ciuitatis porta subsistere; nec penitus vltra progredi valuit, donec à Zacharia Patriarcha admonitus, relicto Imperiali indumento, detractisque calceis, plebeio indutus amictu, quo paupertatē & humilitatem Christi magis imitaretur, sic reliquum itineris facile confecit. Ex eo vero tempore (vt eadem addunt Ritualia) factum est, vt quotannis EXALTATIONIS CRVCIS memoria celebraretur, quod ibidem fuerit reposita ab Heraclio, vbi Saluatori primum fuerat constituta. Est ea dies decimaquarta Septembris. Verum etsi ea solemnitas æque Græcis atque Latinis celebris est; tamen dicta die Septembris celebrant illi Exaltationis nomine Inuentionē ipsam: Latini vero Inuentionem colunt mense Maio, Septembri autem memoriam restitutionis eius ex Perside Hierosolymam, hanc que solemnitatem nominant *Exaltationem*. Quod autem sub Zacharia Episcopo factum tradunt Annales Græcorum, & (quod magis est) communis Ecclesiæ traditio; Suidas a sub Modesto potius accidisse affirmat: quasi qui absente Zacharia Ecclesiam Hierosolymitanam curasset, eo antequam triumphus S. Crucis ageretur defuncto, in ipsius locum suffectus fuerit.

I. S. CRVX SVO LOCO RESTITVITVR.

FESTVM EXALTATIONIS.

a *Suid. in Heracl.*

II.

Postquam autem Heraclius Hierosolymis Deo iusta persoluit, Iudæosque omnes Crucis CHRISTI inimicos ab eadem ciuitate pepulit, quos (vt habent Annales) ad tertium milliarium vetuit ei appropinquare; idem peregrinatus in Orientem, vbi Hierapoli esset in Phrygia, contigit Syroen nouum Persarum Regem, cum ageret tuæ electionis annum vnum, diem obiisse percussum à Barbara Duce, siue Adeser; qui & ipse occisus est mense septimo, substitutusque in locum eius Bartazas: quo pariter mense septimo extincto, regnum Persæ filio Cosrhois Barahani dicto tradiderunt; qui totidem mensibus regnasse dicitur, & successorem habuisse Hormisdam; hocq; à Saracenis pulso, delatum esse regnum ad Arabes. Sic igitur præpotens, formidandumque Romanis etiam illis antiquis, Persarum Regnum, iusta plane Dei sententia, vbi Cruci Dominicæ dominari voluit, penitus extinctum est. Cum autem nomen Heraclii, ob ingentes res fortiter gestas, toto terrarum Orbe celeberrimum esset redditum; ad ipsum exteri Reges tam ab Oriente quam Occidente legationes cum muneribus decreuere. Id enim Theophanes b prodit, inter alios præstitisse Regem Indorum, qui Imperatori gratulaturus ob Persas penitus debellatos, misit Legatos cum margaritis & lapidibus pretiosis. Et ex Gallia idem fecisse Dagobertum Clotarii filium, constat ex Aimoino c; functosque ea legatione Seruatium atque Paternum, qui amicitiam ab Imperatore petitam ad Regem retulere.

PERSAR. IMPERIVM COLLAPSŪ.

LEGATIONES VNDIQVE AD HERACLIVM.

b *Theoph. an. 22. Heracl.*

c *Aim. lib. 4. c. 21.*

IESV CHRISTI AN. 629.

HONORII AN. 4.

HERACLII AN. 20.

I.

ANno Christi sexcentesimo vigesimo nono, Indictionis secundæ, Heraclii vigesimo, cum idem Imperator (vt Græcorum Annales a habent) Hierapoli esset, venit ad eum *Athanasius* Patriarcha Iacobitarum hæreticorum, de quibus dictum est superius; vir quidem acris, sed nequam ingenii; & cum ad Imperatorem habuisset de fide sermonē, repromisit ei Heraclius Patriarchatum Antiochenum, si Chalcedonensem vellet Synodum suscipere. Qua in re sicut commendatione digna fuit Heraclii recta erga Catholicam fidem intētio, ita culpanda nimia curiositas, qua damnatum hæreticum Eutychianum ad colloquium prohibente b Apostolo admisit: sic enim factum est, vt dum putauit imprudens fidei consulere, prodiderit eam, seque ipsum miser in erroris foueam præcipitem dederit. Hinc enim omne proue nisse malum Principibus Christianis, Constantio, Valenti, Iustiniano, Heraclio, aliisque eiusmodi, ipsa declararunt euenta.

a *Theoph. Cedr. &c.*

HERACLIVS DECEPTVS AB HÆRETICIS.

b *Ioan. ep. 2.*

II.

Considerans igitur impius Athanasius, si Patriarcha fieret Antiochenus, omnibus se Ecclesiis Orientalibus dominaturum; nihil cunctatus fidei se Catholicæ simulauit assertorem. Sed vafre duas confessus in Christo Naturas, verbis tamen dolosis Imperatori vnicam tantum Christi Voluntatem insinuauit; effecitque, vt idem Imperator, consultis Cyro Phasidis Lazorum Metropolitano sibi amicissimo, necnon Sergio Constantinopolitano, & vtroque eiusdem cum Athanasio sententiæ reperto, ipse quoque eisdem assensum suum præbuerit. Siquidem in Rebus gestis S. Maximi Abbatis & Martyris, præcipui oppugnatoris hæresis Monothelitarum, de quo sæpe inferius, ista de Athanasio perditissimo impostore narrantur, & de Heraclio; cuius siue simplicitatem, siue mentis leuitatem condemnat, quod putans se Athanasium ad Catholicam fidem posse perducere, ipsius inuentus est esse captiuus, triplici funiculo trium Patriarcharum vinctus, videlicet eorundem *Athanasii* iam Antiocheni facti, *Cyri* ab Ecclesia Lazorum translati (vt dicetur) in Alexandrinum, & *Sergii* Constantinopolitani; qui & ipse parentibus Iacobitis natus, licet in hanc diem Catholicum se exhibuisset, vbi tamen Imperatorem vidit ancipitem, potiorem illi ruinam operatus est. Sicque plane accidit, vt felicissimus Heraclius nactus infelicissimos præceptores, MONOTHELITARVM ab eis impietatem acceperit; quæ hoc anno patefacta, miserrime postea Ecclesiam Dei vexauit.

ATHAN. HÆRET. EVTYCH. SIMVLAT SE CATHOLICVM.

MONOTHELITARVM HÆRESIS EXORTVS.

III.

Quod enim totus ferme Oriens diuersis scateret hæreticis, potissimum vero Eutychianis, & iis qui ex eis prouenerant variis nominibus nuncupatis; insuper & Nestorianis, atque Apollinaristis: diuinum quoddam visum est improbis Eutychianis inuentum, si dogma assereretur, in quod

Hic ait compassus esse an. 628. num. vlt. 631. 1. 633. L V.

omnes

EA TRIPLEX.

oēs nominati hæretici pariter conuenirēt, sicq; pax inter eos sanciretur; dum sc. vnica tantum affirmaretur esse in Christo Voluntas. In id enim conuenisse Apollinaristas certū est, qui loco animæ vel intellectus, Verbum in Christo ponerent: itemq; Nestorianos, qui constituerent vnionem Dei & hominis secundum solum affectum & voluntatē: Eutychianos aliquet fuisse peculiares huius blasphemiæ assertores, cum vnam duntaxat in Christo naturam assererent. Quapropter res ita se habebat, vt pulchro velamine pacis, error impius obtegeretur: adeo vt eiusmodi ipsorum conatus, potius extirpatio hæresis, q̄ eius propagatio exterius videretur; quandoquidē præseferrēt Monothelitæ, defensores se esse Chalcedonensis Concilii, hæresum vero tam Nestorii, quam Eutychetis, siue aliarum euersores: vnde & contigit, vt toto ferme reliquo tempore quo vixerunt tum Sergius tū Heraclius, iidem perseuerauerint inter suos Catholico nomine, nec per annos plures fuerit eiusmodi hęreticorum vafricies detecta. Quo autem tenderet ipsorum conatus in astruenda vnica in Christo Voluntate, æque omnes consentiunt fuisse ad tollēdam duarum naturarum in Christo vnitarum differentiam, & ad instaurandam hac via hæresim Eutychianam, ac deniq; ad sociandos sibi (vt dictum est) alios Orientales hæreticos. Id enim ex Scriptoribus eius temporis, testatur idem qui supra S. Maximus in Disputatione habita cum Pyrrho Monothelita, de qua inferius, ac post eum S. Ioannes *c* Damascenus, & ex recentioribus S. Thomas *d*.

EIVSDEM SCOPVS.

c Damasc. de haer. in fi.

d S. Th. par. 3. q. 18. ar. 1.

IESV CHRISTI AN. 630.

HONORII AN. 5.

HERACLII AN. 21.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo, Indictionis tertiæ, Heraclii vigesimo primo, defunctus ponitur in Annalibus *a* pseudopropheta MAHOMETVS, siue Mahometes, à quo improba secta *Mahometanorum* oborta est. Monstrum tm peperit, & enutriuit Oriens; cuius deformitati alia cuncta necesse sit cedere, quæ siue Danieli, siue Ioanni Euangelistæ diuinitus demonstrata fuerunt ad aliquod grande malū significandum. Præcursorem quidē Antichristi hunc omnium sceleſtissimum extitisse, Ioannes Damascenus *b* existimauit. Citati vero Annales tradunt, apud Homeritas hunc, siue in Arabia Felice, Hali parente Ismaelita genitum, pauperem hominem suam operam mercede locasse; inhæsisseque seruitio cuiusdam potentis viduæ, Cadichæ siue Tadigæ dictæ, cuius pascendos suscepit camelos; & cum vafer esset ingenio, insinuantem se dominæ gratiæ, effecisse tandem, vt eam sibi cōiungeret vxorem. Profectus autem in Palæstinā, ibi versatus cum Iudæis & Christianis, ab eisdem aliquid est conatus addiscere: mentemq; vanam prurigo cum exagitaret honoris, ex occasione bene accepta, Prophetæ sibi nomen acquisiuit. Cum enim & à demone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret; vxorem suam indigne id ferentem ea arte demulsit, vt se diceret ad conspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concidere. Quod cum eidem mulieri confirmasset; pseudomonachus quidam Arianus, ob falsam fidem ibidem relegatus, eaq; paulatim opinio animis omnium inhæsisset; idem sibi ipsi quædam effingens, ea, vt diuinitus accepta curioso populo facile persuasit; plenumq; vanis figmentis volumen conscripsit, quod è cœlo delatum mentiens, suis tradidit sectatoribus obseruandum; sicq; factum est, vt error vane conceptus, nō miraculorum virtute, sed vi armorum magis magisq; apud posteros atque exteros inualesceret. Ad quem primum accurrerunt Iudæi, existimantes ipsum esse quem expectarent Messiam, quod eum circumcisionem amplecti scirent: sed cum eundem cognouissent immunda comedere, nempe cameli carnem, è sententia quidem recesserunt, non tamen cessarunt in Christianos eum commouere.

I. *a Theoph. & Cedr.* MAHOMETIS ORTVS.

b Damasc. de haer. in fi.

EIVS ORIGO, ATQVE PROGRESSVS.

II. DOGMATA PRAEDA-

Excogitauit ad sectam propagandam versutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, fœminarum multitudinem suis concedens in hac vita, & in futura promittens paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum & potū laute abundeq; suppeterent, & ad coitum præsto esset pulcherrimarum multitudo fœminarum; his vero potissimum potituros fore, qui vel hostes occiderēt, vel occiderentur ab hostibus: ista satis astute proponens, quo suos in bello fortes efficeret. Vt vero populos omnes alliceret, ex cunctis ferme aliqua miscuit; nempe ex Iudæis circumsionē, Dei vnius cultum, abstinentiā à carne suilla ex Christianis nomen Christi, ita tamē, vt eum, sicut Ariani siue Nestoriani, coleret: ex Manichæis, vt nequaquam cruci Christum affixum diceret, sed vmbram eius, Crucem penitus abominatus. Sed & de eodē Christo dicebat, (vt refert Damascenus) ipsum quidē Verbū esse Dei & eius Filiū, sed creatum atq; seruū; eumq; fatebatur ex Maria sine semine generatū. Aiebat enim, verbum ac Spiritum Dei, cum in Mariam introisset genuisse filium qui Dei propheta & seruus esset: Iudæos a. voluisse quidē eum contra legem in crucem agere, sed cum eum tenuissent, eius tantum vmbram in crucem egisse; ipsum vero nec in crucem actum fuisse, nec mortuum: Deum n. illum ad se transtulisse in cœlū, quod ei esset carissimus; ibiq; interrogatum à Deo an se filiū Dei dixisset, id negasse, & tantūmodo se seruū Dei professum esse. His autem ineptiis alias addidit; nempe sibi, vt veritatis cultori fideli, tradēdas claues paradisi in die iudicii. Fatumq; insuper asseruit, & siue ad bonum siue ad malum homines destinari. Cultum præterea astri, quod Cubar dicunt, nempe Luciferi, siue Lunæ, commiscuisse tradunt, ne Gentilitiæ superstitionis secta exors existeret. Hanc aūt de cultu Luciferi fuisse Saracenorū antiquā superstitionem, testatur S. Hieronymus in Hilarione. Ista itaq; & alia pudenda consarciens, ad omniū cōseruationem vafrum illud excogitauit, vt q̄ satis intelligeret cūcta quæ ædificasset, perfacile destruēda fore, si quis illi vellet examinare, de traditis à se institutis vetuerit omnino disputari. Demq; de eodem impostore cētum & tredecim fabellas, ex Euodio monacho Euthymius in sua Panoplia recēset; quas singulas curiosis relinq̄mus cōsulēdas.

His igitur commentis & imposturis, circulator nefandus paulatim cōciliauit sibi Arabum regnū: in quo vbi exegisset annos nouem, defunctus est in loco cui nomen *Mecha*. Cuius sepulchrum ex lapidibus pretiosissimis extructū esse, & sublime pendere in medio templo, Laonicus *c* tradit; agitque de assidua ad illud vndiq; peregrinatione, quamuis difficillima ob vastitatem arenarum, per quas magnetis demonstratione dem Mahometis quotannis celebrari solitis, ac de ritib. cultuque superstitionis eius; necnon de ipsius discipulo, & successore impietatis *Homare*. Porro eius sectam cum à Latinis tum à Græcis confutatam singulis inuenies sæculis, miraculisq; plurimis erroris conuictam. Suntq; multi qui eiusdem impostoris cunabula, progressus, obitum, leges atque alia prosecuti, de his volumina confecerunt: cuius & cadauer à canibus semesum, sed ad honestandum tale portētum, à successore volunt mirificum erectum illi esse sepulchrum. Sed ista ad Annalium nostrorum institutum satis sunto; cum & in plerisque eorum multa fabulosa immixta inuenerimus. Successisse vero in regno Mahometi Eububezer, siue Ababachar, citati ante Annales tradunt.

III.

c Laon. lib. 3. de reb. Turc.

Hoc eodem anno mortuus est Georgius Episcopus Alexandrinus, vbi sedisset annos decem; & in eius locum subrogatus *Cyrus* ex Lazorum Antistite; id operante Heraclio Imp. qui vtebatur eo familiarissime.

IV. CYRVS CREATVR EPISC. ALEXANDR.

Eodem anno Honorius Papa, deiecto Fortunato hæretico Gradensi Patriarcha, subrogauit in locum eius Primogenium subdiaconum Regionarium Ecclesiæ Romanæ: de quibus extant in Chronico Andreæ Danduli Ducis Venetiarum, ipsius Honorii *d* litteræ ad vniuersos Episcopos per Venetiam & Istriam constitutos. Nequid autem minus haberet Gradensis Ecclesia ab Aquileiensi, ipsi Romani Pontifices (vt pluribus supra *e* dictum est) eandem Ecclesiam Patriarchatus titulo illustrarunt: vnde factum est, vt perennia inter vtramque odia coaluerint, quæ nutrita sunt opera sæcularium Principum, studentibus Longobardis Aquileiensi, Gradensi vero Exarchis Rauennatibus post Romanum Pontificem. Namque pro Ecclesia Gradensi semper insurrexisse ipsos Romanos Pontifices, litteræ Gregorii II. & Gregorii III. declarant. Quibus etiam constat, Venetorum Remp. occasione Gradensis Ecclesiæ cui fauebat, à Romana Ecclesia plurimum hausisse adiumenti: eiusque rei ipsam optime conscium, ad nutum Romani Pontificis paratam semper extitisse in Longobardos insurgere.

V. *d Rec. Bar. Tom. VIII. hoc ann. ex vet. Ms. e Ann. 602. 11. & 605. 11.*

DE ÆMVLATIONE INTER ECCL. AQVIL. ET GRADENSEM.

IESV CHRISTI AN. 631.

HONORII AN. 6.

HERACLII AN. 22.

I. IMPERIVM RO. LÆSA RELIGIONE COLLABITVR.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo primo, Indictione quarta, res Orientalis Imperii fluctuare magnopere cœperunt. Ex quo enim Heraclius Imperator est naufragatus à fide, mala cuncta Romanum Imperium inuaserunt; quod dum ille coluit pietatem, florentissimum extitit. Qui enim nouit Deus in rebelles fidei Principes excitare gentes vltrices, quibus velut virga furoris iratus plagas illis infligat; excitauit contra Heraclium barbaros Arabes, de quibus nihil tale timuerat. Hoc siquidem anno (vt produnt Annales) post Mahometis Principis obitum, collapsa iam penitus bellis ciuilibus Persarum Regum potentia, cœperunt iidem Arabes bellum gerere aduersus Romanos, quos & ingentibus (vt videbitur) affecerunt damnis. Adeo vt minime a scopo veritatis aberret, qui dixerit nullum Romanorum Imperatorum maiora damna quam Heraclium in Christianam Rempublicam inuexisse, dum non solum non accurrit ad extinguendum ignem, quem diabolus per Mahometis arma tum adhuc debilia mundo intulit; sed & alteri incendio ab eodem auctore per Monothelitas inuecto, fomenta interim parauit.

HERACL. PESSVMDEDIT REMP.

II. DEI PIPINIS PRINCIPIBVS.

Hoc item anno, vbi Clotarius Rex Francorum annos quadraginta quatuor regnasset, ex hac vita migrauit; eiusque filius *Dagobertus* solus potitus est vniuerso Francorum Regno: cuius regimini reliquit Clotarius præfectum Pipinum Ducem Neustriæ, quem sibi in Maiorem domus ob egregias virtutes adciuerat. Dicendus hic *Pipinus* eius nominis Primus; ex quo duo alii processere, videlicet Secundus ipsius nepos, & Tertius secundi nepos, qui & regnum Francorum suo tempore adeptus est. Accepimus enim ista ex Stephano Abbate, qui res gestas *a* S. Modoaldi Archiepiscopi Treuerensis prosecutus est: vbi ne confundatur historia, de duobus Pipinis viris clarissimis genus texitur. Prior enim de quo est sermo, fuisse ponitur Carlomanni Senioris filius, qui ex nupta sibi Itta religiosissima fœmina, eiusdem S Modoaldi sorore, liberos suscepit Grimoaldum, Gertrudem, & Beggam, pietate omnes insignes: ex Begga iuncta matrimonio Ansegiso filio S. Arnulphi postea Metensis Episcopi, sit natus Pipinus Iunior Senioris nepos. Ex hoc autem natus est Carolus cognomento *Martellus*: ex quo tres sunt geniti filii Carolus, Carlomanus, atque PIPINVS Tertius ordine, Primus autem eius generis Rex Francorum. Porro prædicti Pipini huius nominis Primi virtutes mirabiliter prædicat idem Stephanus *b*; asserens eum fuisse probatissimæ vitæ, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurum, defensionem legum, munimentum patriæ, decus Curiæ, viam Ducum, & disciplinam Regum: cumque sub Clotario ac Dagoberto Maioris Domus dignitate, modicum à sublimitate regia differente fungeretur, omnia Regui negotia prudentissima dispositione ordinasse, exerentem tam in bello fortitudinem, quam in pace iustitiam. De cuius etiam eximia religione, in Rebus *c* gestis S. Wironis in Scotia Episcopi traditur, cum accederet ad confessionem Sacramentalem, solitum fuisse in pœnitentiæ signum calceos detrahere. Denique eiusdem hortationibus Dagobertum æquitati ac iustitiæ operam dedisse, æque Aimoinus affirmat.

a *Ex ap. Sur. 12. Maii.*

b *Ibid. lib. 1. c. 2. & 34.* PIPINI PRIMI VIRTVTES.

c *Ap. Sur 8. Mau.*

III. VIRI ILLVSTRES, QVIBVS VSVS EST DAGOB. REX.

Cæterum Dagoberti regni exordio, *S. Arnulphus* Metensis Episcopus, qui eum educauerat, diuinitus inspiratus, admonituque, quod Regi se non fore proficuum amplius præuideret, eremum petiit, licet eum Dagobertus vi etiam adhibita in Curia retinere conatus sit. quæ plurimis narrat eius Vitæ scriptor Ionas Abbas. Eidemque datus est successor in Episcopatu *Gotricus*, magnæ pariter vir sanctitatis. Præter quem, vsus est etiam familiarissime Dagobertus *Chuniberto* Colonienſi Episcopo, pari sanctitatis fama illustri, necnon *S. Eligio*, qui ex aurifabro factus Episcopus Nouiomensis, toto orbe miraculorum fulgore coruscauit; cuius res gestas copiosissime scripsit *d* eius æqualis *S. Audoenus* Episcopus Rotomagensis.

d *Ap. Sur. 1. Dec.*

IESV CHRISTI AN. 632.

HONORII AN. 7.

HERACLII AN. 23.

I. ARABES SARACENI DEPRÆDANTVR GAZAM.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo secundo, Indictione quinta, Arabes Saraceni sub Eububezer Mahometis successore inuadentes Gazensem regionem, eam deprædati sunt, occiso Præside Palæstinæ, qui armatus eis occurrerat. Quo tempore (vt Theophanes habet) apparuit in meridie cometes gladii formam præseferens; signum videlicet minitantis iræ Dei, atque eorundem Arabum inualescentis Imperii. Sed magna vindicta diuinæ iustitiæ factum est, vt ibi magis eiusmodi clades Imperium Romanum sit depasta, vbi tum hæresum tum schismatum frequentes scaturigines erumpentes, quasi sulphurei amnes materiam igni diuinæ indignationis assidue ministrarũt: vt quæ annis ferme singulis dicenda erunt, perspicue declarabunt.

II. DAGOB. REX VXOREM REPVDIAT. S. AMANDI LABORES IN PRÆDICATIONE FIDEI.

Eodem pariter anno Dagobertus Francorum Rex, Gomatrude coniuge, eo quod sterilis esset, quorundam aulicorum consilio repudiata, Nantildem puellam è monasterio raptam in matrimonium sibi iunxit. Hæc Aimoinus *a*: quorum etiam meminit Hugbaldus monachus in Rebus *b* gestis S. Rictrudis omni fide conscriptis, cum de *S. Amando* Episcopo Traiectensi agens, ait illum, quod vna cum aliis Episcopis eiusmodi impium Dagoberti facinus libere reprehendisset, ab ipso Rege pulsum esse in exilium. Ex quo malo illud bonum elicuit Deus, vt idem S. Pontifex in Vasconiam eiusdem S. Rictrudis patriam perueniens, multos illic à Gentilismo, cui adhuc quibusdam locis addicti erant, ad fidem conuerterit. Quod idem alio tempore eundem Tornacensibus & Gandauensibus præstitisse, quamplurimis vbique in confirmationem fidei miraculis editis (inter quæ & mortuum ad vitam reuocauit,) sed & traiecto Danubio, spe martyrii ad Sclauos populos perrexisse, frustratum vero ad suos rediisse; Baudemundus ejusdem sæculi auctor enarrat in Rebus *c* gestis ipsius. Quomodo vero Dagobertus facti pœnitens eundem in gratiam receperit, suo loco dicturi sumus.

a *Aimoin. lib. 4. c. 19.*

b *Ap. Sur. 12. Maii.*

c *Ap. Sur. 6. Febr.*

IESV CHRISTI AN. 633.

HONORII AN. 8.

HERACLII AN. 24.

I.

ANnus Domini sexcentesimus trigesimus tertius, Indictionis sextæ, tam Romano Imperio, quam Ecclesiæ Catholicæ funestissimus extitit. Imperio quidem, quia cum decessisset primus Mahometis successor Eububezer siue Ababachar, Haumarus in locum eius *Amiras* factus (id erat Principatus eorum nomen) inter alias Bostrensem ciuitatem cepit, occurrentemque sibi cum exercitu Theodorum Heraclii Imp. fratrem prælio vicit: qua re in desperationem coniectus Imperator, præfectis exercitui aliis ducibus, ipse relicta Syria vbi tunc erat, sublatoque ab Hierosolymis sanctissimæ Crucis ligno, Constantinopolim in locum tutum se recepit. Hæc Annales *a* hoc anno eiusdem Imp. vigesimo quarto. Causa vero asportandi factum Crucis lignum, illa interceſſisse videtur potissima, quod haud falsus coniector Heraclius præuidit Arabes dominaturos locis illis. Quanto autem cultu & veneratione Constantinopoli habitum fuerit, declarat Beda *b* agens de eius adoratione fieri solita tribus diebus Hebdomadæ sanctæ ab vniuerso clero & populo; deque liquore odorifero ex eiusdem S. Ligni

a *Theoph. & Cedr.* S. CRVCIS LIGNVM TRANSLATVM CONSTANTINOPOLIM.

b *Bed. de Loc. Sanct. c. 20.*

nodis

nodis tunc profluere consueto, quo omnes ægritudines sanarentur.

II. MONOTH. HAERESIS PROMVLGATVR A CYRO ALEXANDR.

Quod autem pertinet ad mala quibus Catholica Ecclesia hoc anno mirum in modum exagitata est; hic principium ponitur patefactæ hæresis MONOTHELITARVM: nam Maximus in Disputatione cum Theodosio, de qua inferius, asserit Indictione sexta eiusmodi innovationes Alexandriæ incepisse, per expositionem novem capitulorum hæreticorum à Cyro illius civitatis Episcopo factam; & ad Sergium Constantinopolitanum missam, ab eoque probatam. Idque ipsum Acta c Sextæ Synodi fusius docent: nempe Cyrum collecta Alexandriæ *Synodo* Indictionis sextæ mense Maio, Monothelitarum hæresi aperuisse viam, eo simulato prætextu quod hæreticos omnes in Ægypto positos Ecclesiæ Catholicæ iungere posset, si duarum *Voluntatum* & *Operationum* voces silentio suppri[mi] erentur, satis esse dicentem, si in Christo tantum *Dei virilis Voluntas & Operatio* diceretur, ex qua duarum in Christo naturarum exacta professio ederetur, qua etsi non voces, resipsæ tamen expressæ haberentur.

c *Syn. Sext. Act.* 13.

III. SOPHRONIVS HIEROS. ADVERSATVR CYRO.

Verum huic subdolo Cyri conatui mox aduersatum esse Sophronium, tunc adhuc tantum monachum, postea vero Hierosolymitanum Episcopum; literasque dedisse ad Sergium Constantinopolitanum, vt illud de vnica Voluntate & Operatione capitulum Synodi Alexandrinæ deleretur, duæque assererentur in Christo Voluntates & Operationes; constat ex iisdem Sextæ Synodi Actis. Immo & ipsummet Constantinopolim ea de causa ad Sergium profectum esse, Sergius ipse testatur in epistola ad Honorium Papam; de qua mox agetur. Sed exciderunt priores illæ Sophronij de his ad Sergium literæ, extantque *d* duntaxat quas hoc eodem anno scripsit ad eumdem, vbi ipse in locum demortui Modesti creatus est Episcopus Hierosolymitanus. Quæ tamen cum in Græco codice Sextæ Synodi reperiantur ad Honorium Papam inscriptæ, & ita etiam sæpe citatæ, subque eodem nomine à Photio *e* memorentur; facile credidetim encyclicas eas fuisse, ab ipso Sophronio ex Synodo secundum consuetudinem scriptas, & veluti suæ fidei confessionem, vbi creatus est Episcopus; missasque ab eo ex more tum Romam ad Honorium Papam, tum Constantinopolim ad Sergium Patriarcham.

d *Vid. Act.* 13.

e *Phot. in Bibliosth. c.* 231.

IV. f *Ext in Sext. Syn. Act.* 12. SERGIVS CONSTANT. DE IIS SCRIBIT AD HONOR. PP.

Vbi autem priorem illam Sophronii epistolam Sergius accepisset, mox ad Honorium Romanum Pontificem ipse literas *f* dedit, quibus eum de omnibus quæcumque hactenus tam ab Imperatore quam aliis circa hanc quæstionem acta essent, certiorem faceret; admoneretque optimum fore ad pacem inter omnes hæreticos conciliandam, si de nouis eiusmodi vocibus ab vtraque parte omnino taceretur, hoc est tam ab iis qui Vnam, quam ab iis qui Duas in Christo Voluntates atque Operationes assererent. Quæ quidem ab Honorio haud potuerunt velut ab hæretico dicta recusari, quippe quæ nihil habere viderentur aduersarium Concilio Chalcedonensi, in quo de duabus in Christo naturis indiuise & inconfuse coniunctis esset contra Eutychetem assertio promulgata. Nam & æque Sergius eamdem suis literis inseruit Orthodoxam doctrinam, simulque professionem epistolæ S. Leonis; ac demum Honorii sese censuræ subiicere testatus est, si quid ipse minus vel, amplius in iisdem suis litteris dictum esse cognoscerer. Qua propter licet hæc subdole ab eo prolata esse postea detecta fuerint, eundem tamen præsenti tempore non tantum Orthodoxum ab omnibus creditum esse, sed & magnæ existimationis Episcopum habitum, facile etiam cognosces ex prædicta sanctissimi Sophronii encyclica epistola, ad ipsum Sergium æque atque Honorium scripta, in qua præter alia multa in eiusdem laudem dicta, in fine preces eius vehementer expoſcit. Vt his omnibus consideratis, non mireris si ad eumdem rescripserit g Honorius, tamquam ad Catholicum hominem & valde pium, immo si paria se cum illo de nouatum vocum silentio sentire significauerit.

g *Ext. ead. Act.* 12.

V. EXPLICATIO DICTORVM HONORII.

Quod tamen Sergius manifestus post hæc cognitus hæreticus fuerit, atque damnatus, inde etiam complures existimarunt, æque Honorium censendum esse hæreticũ; nullam videlicet rationem habentes temporis diuersitatis, nec rerum. Siquidem (vt diximus) cum ista scriberentur, nec leuis quidem suspicio erat de Sergio quod hæreticus esset; nec poterat culpæ adscribi de vtraque voce silentium, imo laudari potius debuit, quod velut pacis signaculum esset appositum: cum & alioqui omnis vocum nouitas soleat in Ecclesia esse suspecta, & satis superque consultum fidei Catholicæ de Verbi incarnatione videretur, si in Christo duas confiteretur quis naturas indiuise, inconfuse, & inconuertibiliter coniunctas. Hoc autem & ipse Honorius iisdem literis confessus est, & pariter professus vnum operatorem diuinitatis & humanitatis CHRISTVM IESVM; hoc est, ipsum in vna consistentem persona, operatum (vt ait) secundum duplicem operationem duarum naturarum, humanæ atque diuinæ. Vt plane rem ipsam prædicasse noscatur, cuius nouas voces merito putauit, ob iã exorta scandala, & propositam futuram pacem, reticendas esse. Neque enim adhuc eo progressa res erat, vt non sine scandalo eædẽ prætermitti possent; sicut postea accidit, cum sub Theodoro Papa detecta est hæreticorum fraus in fabricatione Typi à Constante Imp. promulgati, de quo suo loco dicendũ. Nam & Sophronius, quamuis Cyro restiterit, tñ postea acquieuit pariter Sergio, ob bonum pacis eiusmodi vocum silentium suadenti; vt constat ex eadem prædicta Sergii ad Honorium epistola. Cum autem in nullam vnquam ipse ob eiusmodi consensionem, vel minimam hęresis suspicionem perductus fuerit; cur igitur afferat pręiudicium Honorio longius à Sergio absenti, si ei se consentire affirmauerit in iisdem quæ probarat ante Sophronius his rebus gestis præsens?

Cum autem post hæc iterum Sophronius de cohibenda Cyri temeritate, qua contra id quod constitutum fuerat de tacendis ab vtraque parte vocibus controuersis, vnam procaciter nimis iactaret in Christo voluntatem, ad Honorium Papam legationem misisset, (vt qui venit tunc missus legatus Stephanus Episcopus, postea ẽt testatus est in Concilio Romano sub Martino Pontifice, Collatione secunda) haud segniter in eo agens Honorius, confestim silentium omnino imposuit eidem Cyro talia prædicanti, datis ad ipsum eo argumento literis; quæ licet non extent, earum tamen est mentio in aliis ad Sergium eodem tempore scriptis, quæ habentur recitatæ in Sexta *h* Synodo. In quibus dum se perstare significauit in sententia, vt bono pacis ad vitandas turbas & commotiones populorum, de voce vtraque, tam vnius quam duarum voluntatum & operationum, taceretur; quam prudentissime destruxit hæresim, & firmauit Catholicam fidem; definiens (sicut & ante fecerat) pro vna operatione oportere vnum operantem Christum Dominum in duabus naturis veridice confiteri, & pro duabus operationibus ipsas potius duas naturas, id est diuinitatis & carnis assumptæ, in vna persona Vnigeniti Dei Patris, inconfuse, indiuise, & inconuertibiliter prædicare propria operantes. Quibus quidem plane insinuauit, non conuenire personæ vnitatẽ operationis: sed operantis: sicut & Io. *i* Damascenus de his agens, docet non dici posse ratione vnius personę vnã voluntatem, sed vnum volentem, sicut nec vnam operationem, sed vnum operantem, in duabus scilicet naturis: quas dum Honorius asseruit indiuise, inconfuse, & inconuertibiliter coniunctas, duas plane necessario introduxit operationes & voluntates. Sicque nihil his magis Catholicum, nihilque his temporibus ad pacem in Ecclesiis conseruandam vtilius, dici potuisse videtur.

VI. HONOR. PROPVGNAT CATHOL. FIDEM.

h *Sext. Syn. Act.* 13.

i *Damasc. l. de fid. Orth. c.* 14.

Quod vero Patriarchæ Constantinopolitani hæretici Sergius, Pyrrhus, ac Paulus, aliique Monothelitæ, ad confirmandum suum ipsorum errorem, ostentare postea consueuerunt Honorii priorem ad eundem Sergium epistolam, quasi in ea vnicam in Christo voluntatem asseruisset: illam eiusmodi in Honorium illatam calumniam iam olim S. Maximus martyr eiusdem sæculi scriptor celebris, & Catholicę fidei præclarus defensor, aduersus eundem Pyrrhum disputans *k*, egregie confutauit: docens insuper, & ea de re satisfactum pariter fuisse Imperatori Constantino per *l* Joannẽ Papam, dũ videlicet, quod dixerat Honorius de vna voluntate, ita ex ipsius secretarii, qui epistolas scripserat ab Honorio dictatas, & tunc adhuc superstes erat, declaratione interpretatus est, vt cum Sergius scripsisset quosdam duas voluntates in Christo contrarias dicere, rescripserit Honorius, in Christo non duas voluntates contrarias extitisse, nẽpe vnam

VII. VINDICATVR A CALVMNIIS.

k *De hac Disput. agetur infra an.* 645.

l *Vid. infr. ann.* 641. *in fin.*

carnis

carnis & alteram spiritus, sicut sunt in nobis post peccatum, sed vnam tantũ, nempe spiritus, quippe quod caro in Christo nihil absolute appetebat contra rationem. At hæc (ut egregie docet Maximus) solam naturam humanam signat, non etiam divinam & humanam. Ex quibus illi erubescendi occasionem habeãt, qui postea sub Catholico nomine eumdem Honorium hæresis Monothelitarum accusarũt: cum, ut diximus, & eum iam olim adversus hæreticos sufficientissime Maximus defenderit; & in Synodo Lateranensi centum quinque Episcoporum sub S. Martino Papa & Martyre, itemque in alia centum viginti quinque Episcoporum celebrata à sanctissimo Pontifice Agathone, in quibus nominatim damnati fuere præcipui eiusmodi hæresis auctores atque fautores, nulla prorsus vel leuis mentio quod errauerit Honorius facta fuerit. Quod vero in Sexta Oecumenica Synodo quæ extat, recensitus cum Monothelitis legatur Honorius; aperiemus impostura, cum de his suo loco opportunius agetur. Iam ceteras huius anni res gestas prosequamur.

VIII. CVRAT RES ANGLORVM.

Hoc eodem Redemptoris anno mense Iunio, idem Honorius Papa petitioni annuens Edwini Nordanhumbrorum in Anglia Regis, misit Pallium tum Paulino Eboracensi Episcopo, tum etiam Honorio Dorovernensi, qui Iusto nuper defuncto successerat; eisdemque ambobus vices Apostolicæ Sedis tribuit, ita vt dum quis eorum obiret, alter in locum defuncti alium posset ordinare Episcopum, nec esset necesse ea de causa Romam petere. At vero cum huius ipsius anni mense Octobri idem Edvvinus Rex à rebellante Carduella, antiquorum in eadem provincia commorantium Britannorum Rege, ac Penda Merciorum Rege Pagano, bello impetitus, prælioque victus, & occisus fuisset; sed & qui ei successerunt, fidem Christianam abiurassent: (qui ab eodem Carduella impie quidem, sed iusta vltione perempti sunt:) ex his valde perturbata est Ecclesia Anglicana, quousque Osvvaldus anno sequenti regnum suscepit. Hæc vero omnia quomodo gesta fuerint. Beda *l* prolixe narrat.

l *Bed. lib. 2. hist. Angl. c. 17. & seqq. & lib. 3. c. 1.*

IX. ET SCOTOR.

Sed & cum Honorius Papa didicisset Scotos, Christianos antiquos licet, & Evangelicæ vitæ cultores eximios, Pascha tamen Domini celebrare non eo die quo vniuersa Ecclesia consueuit; idem de huiusmodi aliisque corrigendis erroribus, literas ad eos dedit; ut testatur Beda *m*. Nihil tamen ipsum profecisse, ex eo perspicue possumus intelligere, quod eius successoribus Romanis Pontificibus in iisdem non modicum fuerit insudandum. Ceterum non ideo Ecclesia Scotorum à communione Sedis Apostolicæ separata fuit aliquando. Etenim quamuis error grauis esset, utpote toties in Ecclesia Catholica damnatus; tamen quod circa ritus, non circa fidei dogmata versaretur, visus est in gente illa à Sede Apostolica tolerandus, donec perfectius posset populus imbui veritate. Siquidem eiusmodi error non in eos irrepsit ex refractaria contentione, ut agere voluerint contra totius Ecclesiæ Catholicæ vsum, sed (ut idem testatur Beda *n*) ex ignoratione Paschalis computus, quod nemo illis vltra orbem positis Synodalia eius obseruantiæ decreta porrexisset. Quamobrem nec numerandi fuere inter Quartadecimanos, à Nicæno Concilio damnatos; quippe quod non sicut illi, Iudæorum more, Pascha Domini luna decimaquarta in qualiber feria accideret celebrarent; sed illud semper agerent die Dominica, vt Catholici omnes: verum in eo ab eis differebant, quod Catholici illum Dominicum diem suscíperent, qui à decimaquarta luna ad vesperam vsque ad vigesimam primam lunam primus occurreret; Scoti *o* vero eũ, qui à decimatertia luna vsque ad vigesimam: ex quo illud absurdum interdum contingebat, vt si decimaquarta luna occurreret Dominica dies, ipsi eadem die vna cum Iudæis Pascha pariter celebrarent. Quem errorem apud eos cœptum anno Domini quingentesimo sexagesimo quinto, perdurasse per annos centum quinquaginta, vsque ad annum septingentesimum decimumsextum, quo penitus extinctus est, idem auctor *p* scribit.

ERROR SCOTOR. DE DIE PASCHATIS.

m *Id. lib. 2. c. 19.*

n *Id. lib. 3. c. 4.*

o *Id. lib. 3. c. 17. & 25.*

p *Eod. c. 4.*

Hic item anno, qui numeratur tertius Sisenandi in Hispania regnantis, Nonis Decembris habita est celeberrima SYNODVS TOLETANA, Quarta dicta, eademque Generalis appellata; Æra nimirum sexcentesima septuagesima prima, vt ex veteribus scriptis codicibus, qui illustrauit

X. CONCIL. TOLET. IV.

Ecclesiasticas Hispaniæ antiquitates Garsias Loaisa testatur. Interfuerunt Episcopi numero septuaginta, tam ex Hispania quam Galliæ Narbonensis parte illa quæ adhuc parebat Hispaniarum Regibus; quibus præfuit *S. Isidorus* Hispalensis Episcopus. Edita vero ab illis sunt septuaginta quatuor capita, eademque obseruatione dignissima, de his quæ ad doctrinam Catholicam, disciplinam Ecclesiasticam, & bonos mores spectant. Sed & illud memoria dignum; quod in præfatione Synodi Patres docent, ipsum Regem Sisenandum, cum in Basilicam ingressus esset, vbi Synodus haberetur, primo coram Episcopis humo prostratum cum lacrymis postulasse ut ipsi pro se Deum orarent; deinde eosdem exhortatum esse, vt secundum paterna decreta omnia agerentur. Post hæc autem primo loco à Patribus fidei Catholicæ professio est edita; in qua inter alia Spiritum S. à Patre Filioq; procedere, ex doctrina antiquorum professi sunt. Reliqua vero docte, pieque, & non nisi Spiritus S. illustratione fancita, tu apud Acta consule.

REX HVMI PROCVMBIT.

Verum præter illa ipse Isidorus alibi *q* testatur, decretum in eodem Concilio fuisse, vt vnus vbique in vniuersa Hispania sacer ritus seruaretur in cunctis ministeriis Ecclesiasticis. Fuitque sententia plurimorum, cui libens subscribo, tunc à Patribus iniunctum fuisse onus eidem S. Isidoro, (utpote earum rerum peritia & scientia ceteros excellenti) ut elucubraret volumina Ecclesiasticorum Officiorum, quibus tum in sacris Missis, tum in Horis psallendis canonicis, uti deberent omnes Hispaniarum Ecclesiæ. Nam & extant adhuc Missale & Breviarium, Ecclesiasticam redolentia antiquitatem, quæ sub titulo pariter eiusdem S. Isidori cusa fuere. Sed cur idem Omnium sacrorum rituum vulgo *Mozarabe* dicatur, libenter item assentiori is qui dicunt vocem esse depraua tam, & loco *Mixtarabum*, dici *Mozarabe*. Nimirum cum post Saracenorum tyrannidem, facta esset Christianorum Hispaniæ diuisio, aliorum videlicet qui viuerent inter Arabes velut serui, & aliorum qui extorres facti aufugissent siue ad montes siue ad exteras nationes; istos fuga lapsos, alios gentiles suos viuentes inter Arabes, Mixtarabes appellasse; ritumque sacrorum, quem ex vsu librorum S. Isidori iidem retinerent, quib. fuga lapsi carerent, eodem pariter nomine Mixtarabum Officium dicere consueuisse, quod eo scilicet vterentur Mixtarabes Christiani.

XI. q *Isid. Orig. lib. 7.*

DE OFFICIO MOZARAB.

IESV CHRISTI AN. 634.

HONORII AN. 9.

HERACLII AN. 25.

I. ÆGYPTVS OCCVPATVR À SARACENIS.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo quarto, Indictionis septimæ, Heraclii vigesimo quinto, Saraceni mirum in modum inualescentes contra Romanos, eosdem multis præliis vicerunt; Damascum, aliasque plurimas Syriæ ciuitates ceperunt; ipsamque nobilissimam Ægyptum, quæ prouincia ab Augusti temporibus sub Imperatorum ditione hactenus perseuerauerat, sub tributum redegerunt. Hæc pluribus Annales Græcorum. Ex quibus constat, pugnasse tunc Deum aduersus Romanum Imperium pro Saracenis, cum ipse Imp. pro hæreticis aduersus Ecclesiam Catholicam bellum strueret; Ægyptiosque subiugatos esse à barbaris, eo tempore quo in Ægypto per Cyrum Episcopum Alexandrinum noua hæresis communi omnium consensu pullularet. Ceterum erant tunc cum Damascus capta est, inter alios ciues, parentes S. Ioannis Manzur, Damasceni dicti; qui ob insignia virtutum præconia, inter captiuos liberi permanserunt, adeo ut licet Christiani essent ac fide Orthodoxi, tamen ab iisdem Saracenis (qui nihil negotii Catholicis facessérũt) publicis manciparentur functionibus. Hæc enim tradit scriptor rerum gestrarum ipsius Ioannis, quem nondum noc tempore natum idem videtur innuere.

DE PARENTIBVS S. IO. DAMASCENI.

II. OSWALDI REGIS ANGLOR. FIDES.

Eodem anno in Anglia Osvvaldus sanctissimus Rex, Edvvini nuper extincti ex sorore nepos, venturus ad pugnam contra Carduellam tyrannum, magna fide in eodem loco Crucem ligneam erexit, fusisque apud eam precibus, ipse

cum

cum paruo exercitu, sed fide Christi munito, eundem Carduellam immensis suis copiis fidentem superauit, occiditque. Et vocato ex Scotia (vbi ipse exulans baptismum susceperat) *S. Aidano* Episcopo, antea monacho, viro plane Apostolico; per eius prædicationem, cui & ipse Rex interpretis munere fungebatur, Berniciorum gentem sibi subditam ad fidem Christi cõuertit: cum prius nihil apud eos alius proficere potuisset Antistes, quod austerioris esset animi. Quę omnia pluribus Beda *a* prosequitur, multa referens de pietate eorundem Aidani & Osvvaldi, necnon de miraculis ad eandem Crucem ligneam fieri consueris. Addit & eundem Regem, cum suos subditos regna cœlorum sperare docuit, regna quoque terrarum plusquam nullum maiorum suorum à Deo consecutum esse: siquidem omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (hoc est, Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglorum) diuisæ erant, in ditione accepit. Ipsum autem adeo in pauperes & peregrinos benignum & largum fuisse, vt & aliquando cum sedisset ad prandium, audiens esse pauperes in platea expectantes eleemosynam, mox antequam aliquid degustaret, miserit ad eos dapes sibi appositas, discumque argenteum confringi, ac minutatim eis diuidi præceperit. Quare delectatus Aidanus, qui aderat, apprehensa eius dextera, *Nunquam*, inquit, *inueterescat hæc manus.* Quod & postea accidit, cum Osvvaldo occiso, manus à corpore excisæ, incorruptæ permanserunt, & in ecclesia seruatæ digna à cunctis veneratione honoratæ sunt.

a Bed. de gest. Angl. lib. 3. c. 2. & seqq.

IESV CHRISTI AN. 635.

HONORII AN. 10.

HERACLII AN. 26.

I. SYRIA à SARACENIS OCCVPATA.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo quinto, Indictionis octauæ, Heraclii vigesimo octauo, Haumar Arabum & Saracenorum Princeps vniuersam subegit Syriam, deleto vna cum exercitu Sergio Romanorum in Palæstina Duce; ipsaq; sancta ciuitas Hierusalē obsessa est. Hæc Annales breuiter; quæ lamentabili voce abunde deplorauit eiusdem S. ciuitatis Episcopus sanctissimus Sophronius, in oratione quam durante obsidione habuit in die Natalis Domini: vbi miserrimum describens illius regionis statum, cum omnia loca sancta quæ erant extra Hierosolymam à feris barbaris possessa diriperentur, inter alia luget, quod non posset suo loco celebrare cum suis Natalitiũ Domini, nempe in Bethlehem quæ in manibus hostium esset.

II. FIDEI PROPAGATIO IN ANGLIA.

Sed dum tot tenebræ occuparent Orientem, lux Euangelica fulgentibus radiis coruscauit in Occidente. Hoc enim anno in Anglia gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Geuissi vocabantur, vna cum ipsorum Rege Cynigilso fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum *Byrino* Episcopo illuc ab Honorio Papa misso. Narrat hæc Beda *a*: quæ gesta hoc anno Redemptoris esse, constat ex ipsius S. Byrini Actis *b*. Vbi inter plura alia, quæ ab eodem edita narrantur miracula, illud est insigne, quod ascensurus aliquando nauem, cum vrgentibus nautis præ festinatione in littore vbi Missam celebrabat reliquisset pallam ei ab Honorio Papa datam, super quam in altari Corpus Christi consecrabat, & in qua Corpus Dominicum inuolutum & ad collum suspensum ferre semper consueuerat, (qui mos antiquus adhuc vigebat) naue plenis velis mare sulcante, reminiscens obliti charissimi pignoris, ipse fide armatus in aquam descendit, & per illam pedibus incedens, recepto quod reliquerat, ad nauem regressus est, quæ interea immobilis extitit. Ob quæ mira à nautis tanquam Deus adoratus, eosdem ad fidem Christi conuertit.

a Bed. 3. hist. 7.
b Ap. Sur. 3. Dec.

INGENS MIRACVLŨ BYRINI.

IESV CHRISTI AN. 636.

HONORII AN. 11.

HERACLII AN. 27.

I. HIEROSOLYMA CAPTA à SARACENIS.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo sexto, Indictione nona, ciuitas sancta, in qua operatus est Deus salutem in medio terræ, anno secundo obsidionis, pactis cõuentis dedita est Saracenis. Egit namq; Sophronius eiusdem Episcopus, vt Christianis in vniuersa Palæstina liceret secure quæ sunt Christianæ religionis sacra peragere. Haumar autem Saracenorum Princeps mox vbi ciuitatem ingressus esset, cilicinis ex camelis & sordidis indumentis amictus, templum Salomonis adiens, vtpote affinis genti Hebræorum, eius destructionem luxit, ac postea in vsum suæ sectæ restaurauit. Sophronius vero non ferens videre sancta a canibus proculcari, cum ad hanc desolationem retulisset prophetiam Danielis de abominatione in loco sancto, mœrore confectus obiit. Hæc omnia Annales tradũt. Cæterum Hierosolyma à Saracenis hoc anno capta, ab iisdem captiua tenta est per annos quadringentos sexaginta tres; videlicet vsque ad annum Domini millesimum nonagesimum nonum, quo Francorum pia fortitudine cœlesti munita auxilio, à iugo tyrannico liberata est.

II. SERGIVS INVADIT ECCLES. HIEROS.

Post Sophronium autem, inuasisse Ecclesiam illam hæreticum hominem *Sergium* quondam Ioppensem Episcopum; apparet ex relatione Stephani Episcopi in Synodo Romana sub Martino Pontifice, Secretario secundo. Sed & illud Hierosolymitana clades attulit detrimentum, vt æque cum ciuitate Sophronii scripta naufragium passa sint; præter duas homilias *a*, alteram in Natali Domini habitam, de qua anno superiori, alteram de Angelis; itemque epistolam *b* vnam aduersus Monothelitas, de qua pariter dictum est superius: ex quibus satis intelligi potest, qualis quantusque vir fuerit doctrina egregie & eloquentia præditus. Qui cum & sanctitate percelebris innotuisset, eius natalis dies in Tabulas *c* Ecclesiasticas relatus est.

a Ext. in Bibl. Patr.
b In Syn. Sext. Act. 13.
c Martyrol. Rom. 11. Mart.

Hoc item anno, Æra sexcentesima septuagesima quarta, celebratum habetur CONCILIVM TOLETANVM, dictum Quintum, Episcoporum viginti, anno primo Cinthilani Regis, laudatissimi Principis: cuius exant canones nouem, iidemque pro Regis salute Regnique stabilitate sanciti. Quod autem ei minime interfuisse reperiatur S. Isidorus Hispalensis Episcopus, qui Concilio Toletano Quarto ante triennium celebrato præfuerat; id accidit, quod hoc eodem anno traditur esse defunctus, postquam Ecclesiam illam quadraginta ferme annis administrasset; cum stans in Ecclesia, peracto sermone ad populum, & expansis manibus benedicens omnibus, Regemque Deo commendans, felicissimo somno obdormiuit in Domino, vir doctrina simul & ingenio pollens, virtutibusque & sanctitate, atque etiam miraculis præclarus, ex Gothorum stirpe progenitus, filiusque Seueriani Ducis Carthaginensis, & frater magni illius S. Leandri, olim Hispalensis similiter Episcopi. De eiusdem S. Isidori admirandis laudibus, plura habent Tudensis in Cinthilano Rege, & Sanct. Ildelphonsus Archiepiscopus Toletanus. Sed & iste scripta *d* illius exacte recenset: quæ ferme omnia adhuc extant. Tudensis autem de ipsius successore *Theodisco* natione Græco loquens, ait eum fuisse sub ouina pelle lupum rapacissimum: qui libros quosdam Sancti Isidori corruperit, & ob fidei errorem, quo Christum filium Dei adoptiuum tantum esse dicebat, à Synodo depositus ad Arabes transierit, & sectæ Mahometanæ adhæserit.

III. CONCIL. TOLET. V.

S. ISIDORI OBITVS, ET VIRTVTES.

d Multa alia eius nomine exstant habentur, de quibus vide Bellar. de Script. Eccl. in Isidoro.

EPISCOPVS HISPAL. APOSTATA.

IESV CHRISTI AN. 637.

HONORII AN. 12.

HERACLII AN. 28.

I. ANTIOCHIA CAPTA A SARACENIS.

ANno Domini sexcentesimo trigesimo septimo, Indictione decima, totius Orientis metropolis ciuitas Antiochia à Saracenis capta est, cum iam antea ab iisdem occupata esset reliqua pars Syriæ. Plane vero his temporibus, quibus siue à Persis antea, siue ab Arabibus postea, iisdemque Mahometanis & Saracenis, captæ sunt nobilissimæ ciuitates Orientis, Alexandria, Hierosolyma, & Antiochia vna cum eisdem subditis regionibus; accidit vt siue habitatoribus in Occidentem cum migrantibus, siue mercatoribus cum iisdem gentibus tuto versantibus, siue aliis fidelibus Christianis id curantibus, complura Sanctorum cum Martyrum tum Confessorum corpora translata fuerint in Occidentem, atque in diuersis locis, Romæ, Venetiis, vel alibi collocata. Romam autem translatas tunc fuisse venerandas Reliquias Ignatii martyris Antiochia, constans fama, vetusque traditio, potius quam scripta significant. Sed S. Marci corpus longe post hæc tempora transferri Venetias contigit; de quo dicetur suo loco.

TRANSLATÆ RELIQVIÆ IN OCCIDENTEM.

IESV CHRISTI AN. 638.

HONORII AN. 13.

HERACLII. AN. 29.

I. CONCIL. TOLET. VI.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo octauo Indictionis vndecimæ, Cinthilani Hispaniæ Regis secundo, Æra sexcentesima septuagesima sexta, quinto Idus Ianuarias, celebratum habetur generale, siue dixeris nationale CONCILIVM TOLETANVM, Sextum nominatum, cui præfuit *Silua* Episcopus Narbonensis ceteris senior, interfueruntq; Episcopi siue per se siue per legatos numero quinquaginta duo; à quibus sancita sunt capita decem & nouem, cum ad fidem Catholicam stabiliendam, tum etiam ad Ecclesiasticam disciplinam custodiendam elaborata. Quorum tertio, in odium maxime Iudæorum, ex eiusdem Regis sententia, atque Optimatum Regni consensu, à Patribus sancitum est, vt qui in Regnum Hispaniæ imposterum vocarentur, non ante thronum conscenderent, quam inter reliqua conditionum sacramenta polliciti essent, se nullo modo permissuros in Regno suo aliquem degere qui non esset Catholicus; adeo vt si quis eorum, eius legis ac promissionis temerator existeret, *esset* (inquiunt Patres) *anathema maranatha in conspectu Dei, & pabulum efficeretur ignis aterni, simulque cum eo damnatione percellerentur, quicumque sacerdotum vel quorumlibet Christianorum eius implicati fuissent errori.* Ex quibus quidem apparet, haud indebite tributum esse titulum Hispaniæ Regibus, vt CATHOLICI cognominentur; vtpote tanto facti titulo digni, quod non solum iurent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam non Catholicum in amplissimo suo regno permanere.

REGES HISP. CVR COGNOMINATI CATHOLICI.

II. HONORII PP. OBITVS.

Hoc eodem anno, quarto Idus Octobris, *Honorius* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, vbi sedisset annos duodecim ac menses quinque, minus tribus diebus: (Ita enim ex Synodalibus Actis Romani Concilii sub Martino Papa, est corrigendum quod apud alios legitur, post annos duodecim & menses vndecim:) sepultusque est in basilica S. Petri. De cuius erga diuinum cultum reuerentia in disponendis rebus Ecclesiasticis, atque munificentia in ædificandis, ornandis, dotandisque ecclesiis, multa admiranda apud Anastasium inuenies. Sed mirabilius plane, quod in refossis nuper egregiis antiquitatum *a* monumentis de eodem Honorio Papa traditur, ab ipso sublatū schisma Histrianum de Tribus Capitulis, spatio annorum septuaginta inueteratum; ad quod demoliendum frustra insudassent prædecessores Romani Pontifices, præsertim vero S. Gregorius, vt vidimus superius. Vnde mirifice commendatur ipsius Honorii Pontificatus, omni quidē ex parte laudatissimus: quamuis postmodum iidem schismatici iterum lapsi, in eo permanserint vsque ad Sergium Papam. Sed & quod iisdem antiquis monumentis & inscriptionibus post eiusdem Pontificis obitum confectis, permulta alia de optimo ipsius regimine Ecclesiæ, & sincera per omnia fidei Orthodoxæ obseruationē prædicentur; ex iis quoque erubescere debeant, qui in ipsum vel mutire audeant.

a Cassiod. Annot. in Lect. tom. 6. pag. 421. Appen. antiq. inscript.

pag. 1163. num. 5. & pag. 1165. num. 11.

III. SEVERINVS PAPA.

Quod autem ait Anastasius sedem eius vacasse annum vnum, menses septem, & dies decem & septem; haud sic intelligendum est, vt non ante electus fuerit eius successor: sed potius quod qui iam Romæ canonice electus erat SEVERINVS, cum resisteret consentire Edicto Imperatoris, de quo agetur paulo post, non fuerit ab eodem Imperatore (vt tunc tyrannice fieri moris erat) confirmatus. Hoc enim colligi posse videtur ex ipso Anastasio, dum agens de eodem Seuerino, ait, cum ipse adhuc electus esset, (hoc est, nondum ordinatus) Episcopium Lateranense à Mauritio Chartulario, & Isacio Italiæ Exarcho (quod numquam antehac factum fuerat à quoquam) armata manu deuastatum fuisse; primatesque Ecclesiæ omnes (hoc est, Cardinales) eorum violentiæ resistentes in exilium pulsos, ac deniq; Ecclesiam thesauro & supellectilibus sacris spoliatam, aliqua etiam prædæ parte Constantinopolim ad Heraclium Imp. missa, postmodum vero ordinatum fuisse Seuerinum. Hæc igitur cum pendente Seuerini ordinatione accidisse doceat Anastasius; putamus Imperatorem distulisse confirmationem ipsius electionis quousque promissionem ab eo eliceret de acceptatione Edicti perfidiæ, quod ipse promulgaturus esset; & quoniam illud Seuerinus cum omni clero fuerat exécratus, nequaquam ipsum accepisse confirmationem, sed absque ea ordinatum esse. quem idem Anastasius ait fuisse moribus sanctum, benignumque super omnes homines, & largum in pauperes; patria autem Romanum, patreque natum Abieno.

GRASSATIO EXARCHI IN ECCLES. ROM.

] In Collectaneis Anastasii Bibliothecarii, nuper à doctiss. Iac. Sirmondo editis, extat epistola S. Maximi Abbatis & Confessoris ad Abbatem Thalassium, ex qua intelligitur, Seuerino post Honorii obitum electo, Constantinopolim, eius causa missos esse Legatos pro confirmatione ipsius electionis cumque eam Græci suspensam diutius tenentes, legatos promittere vellent, persuasuros se consecrando Pontifici subscribere Heraclii Ecthesi, ipsos scito responso Græcos elusisse, dum negantes vim cuiquam inferendam esse in causa fidei, ac nihilominus promittentes delaturos se ad electum Pontificem Ecthesin, & si ipse iudicaret eam bene habere, rogaturos, vt ei subscriberet, consensum consecrationis obtinuerunt. Hinc igitur motæ illæ consecrationis Seuerini, quem nihilominus Ecthesin constanter repudiasse, testatur Martinus Papa sub finē Secretarii tertii Synodi Rom. vt etiam dicetur anno sequenti.]

IV.

Hoc item anno, Ariualdus Rex Longobardorum Arianus vbi regnasset annos duodecim, mortuus est; inque locum eius subrogatus Rotharis itidem Arianus: cuius temporibus (vt ait Paulus *b* diaconus) pene per omnes ciuitates regni eius duo Episcopi fuerunt, vnus Catholicus & alter Arianus. Idemque Longobardorum leges, quas sola consuetudine hactenus retinuerant, scriptis primo mandauit; codicemque ipsum, Edictum appellari præcepit, anno septuagesimo septimo ex quo Longobardi in Italiā venerant.

b Paul. diac. lib. 4. cap. 44.

LEGES SCRIPTIS MANDATÆ.

IESV CHRISTI AN. 639.

SEVERINI AN. 1.

HERACLII AN. 30.

I. HERACLII IMP. ECTHESIN PROMVLGAT.

ANno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Indictione duodecima, Heraclius Imp. semel Deo auersus, animo induratus, tandem publicum promulgauit edictum, ad stabiliendam cui fauebat Monothelitarum hæresin; quod ECTHESIN, hoc est expositionem nominauit. Id enim factum esse hoc anno, videlicet duodecima currēte Indictione, docēt Acta Romanæ *a* Synodi sub Martino Papa, in quibus ipsa Ecthesis integre recitata habetur; impia quidē illa, sed ita cōcinnata, vt fallere posset quempiā incautum: q̄ in

a Syn. Later. sub Mart. Sect. 1. & 3.

eadem

eadem Synodo Martinus adscribit perfidiæ Sergii Constantinopolitani Episcopi. Sed & postquam ea promulgata est, ad ipsam confirmandam à Sergio *pseudosynodum* celebratam esse, pariterque scriptam ad eum ab impio Cyro Alexandrino epistolam adulatione plenam; constat ex tertio Secretario eiusdem Concilii Romani. Denique eamdem Ecthesin missam esse ab Imperatore ad Isacium Italiæ Exarchum, & per hunc ad Romanum Pontificem Seuerinum vt eam probaret, certum redditur ex eadem Cyri ad Sergium epistola: Seuerinum autem vna cum vniuerso Romano Clero illam detestatum esse, & anathemate damnasse, declarauit idem Martinus Papa in prædicta Romana Synodo.

SEVER. PP. DAMNAT ILLAM.

II. MORITVR.

Porro ipse *Seuerinus* haud diutius superstes fuit, afflictionibus exagitatus à ministris Imperatoris, quod Ecthesin approbare renuisset: siquidem ea quæ de his anno superiori dicta sunt, in hunc potius referenda putamus, postquam ipse Imperatori consentire renuit. Quod vero eiusdem incerta sit dies electionis, hinc factum est vt nec quamdiu Pontifex perseuerauerit adeo certo definiri possit; quamuis alii pro arbitrio addant & minuãt annos, menses, & dies. Tribuit autem eius sedi Anastasius menses duos & dies quatuor; videlicet à tempore ordinationis, non autem electionis, atque ipsum sepultum esse in basilica S. Petri. Sane illum non prætergressum esse hunc annum, ex eo liquido intelligi potest, quod sequenti sedisse Ioannem constet ex Synodo ab eo tunc facta. Sed & quod idem Anastasius dicat eum defunctum esse quarto Nonas Augusti, ac sedem vacasse menses quatuor & dies viginti nouem; ex hac eius assertione dicendum erit, vltima die huius anni ordinatum esse in locum eius IOANNEM huius nominis Quartum natione Dalmatam, filium Venantii Scholastici.

IOAN. IV R. PONT.

III.

Auctor quoque est Beda, hoc anno perlatas esse Romam Episcoporum Scotorum litteras ad Seuerinum scriptas de controuersia celebrationis diei Paschatis, (de qua superius dictum est) ac de reuiuiscente in Scotia Pelagianismo: sed cum iam Seuerinus diem obiisset, Clerum Romanum vna cum ipso Ioanne electo necdum confirmato, eas aperuisse, Scotisque consultationum suarum responsa dedisse. Cuius litterarum fragmenta cum idem auctor *b* recitet, ex earum præfatione colligi potest, quomodo administrari toleret Romana Ecclesia, dum qui electus erat Pontifex, vetabatur tyrannice munus suum exercere, donec accederet Imperatoris confirmatio. Sic enim se habet inscriptio, *Dilectissimis Thomiano &c. Hilarius Archipresbyter & seruans locum S. Sedis Apostolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & seruans locum S. Sedis Apostolicæ, & Ioannes seruus Dei Consiliarius eiusdem Apostolicæ Sedis.* Vnde videas curam Romanæ totiusque Vniuersalis Ecclesiæ non electum Pontificem solum gessisse, sed quatuor simul eiusdem Ecclesiæ præcipuos ministros. Sicut etiam ex epistola *c* S. Martini Papæ ad Eliterum intelligitur, in absentia Pontificis locum ipsius repræsentare consueuisse Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium.

b Bed. 2. hist. Angl. 19. QVOMODO ADMINISTRARETVR ROM. ECCL. PENDENTE CONFIRMATIONE IMP. Quæ quidam excerpta sunt ex Baron. hoc an. & 650. X. & 650. XV.

c Martin. Pap. ep. 15.

IV. OBITVS SERGII EPISCOP. CONST. ET SVBROGATIO PYRRHI.

Hoc eodem anno, turbarum omnium in Oriente auctor & architectus Sergius Episcopus Constantinopolitanus, post impiam illam Ecthesin in sua pseudosynodo confirmatam, cum se summa rerum potitum arbitraretur, vocatus est à summo iudice reddere rationem ad tremendum illud diuinum examen Dei viuentis & videntis. Quem quidem ad hunc vsque annum peruenisse, quæ nuper ex Synodalibus Actis Romani Concilii sunt dicta demonstrant: ex quibus corrigendum est Nicephori Chronicon, in quo octo tantum anni & menses septem tribuuntur eius Episcopatui; quem liquet tenuisse annis triginta & amplius. Plutis namque sunt ad fidem certam faciendam, Epistolæ, & acta Synodalia, quouis alicuius auctoris Chronico. Ceterum sublato de medio hæretico Patriarcha, alius ab hæretico Imperatore in eius locũ subrogatus est pariter hæreticus, *Pyrrhus* Chrysopolitanus monachus, Sergio impietate non minor.

V. SARACENI POTITVNTVR REGNO PERS.

Dum autem sic in fidem Catholicam iuraretur bellum, aduersariorum Saracenorum vires in immensum augebantur: qui Persarum regnum inuadentes, hoc anno potiti sunt illo, cum ad fugam conuersus Hormisda Rex Persarum, rebus penitus desperatis regalia quoque dimisit insignia.

VI.

Quod ad res Francorum pertinet; hic est annus octauus Regis Dagoberti, quo ipse ad meliorem frugem conuersus, dimissis concubinis, puellaque Regentrude sibi in matrimonium collocata, ex ea filium suscepit, quem Sigebertum nominari voluit; reuocato ad eum baptizandum ab exilio S. Amando Episcopo Traiectensi, cuius pedibus prostratus veniam petiit iniuriæ in ipsum irrogatæ. In baptismo autem pueri mirandum illud accidit, vt cum oratione finita nemo forte ex circumstanti multitudine respondisset *Amen*, aperuerit Dominus os eiusdem pueri; qui dies tantummodo quadraginta natus, audientibus cunctis clara voce respondit, *Amen*. Cuius tanti miraculi testes sunt præter Aimoinum *e*, Baudemundus *f* atque Hugbaldus *g* horum temporum scriptores, in Rebus gestis eiusdem sancti Pontificis, & sanctissimæ feminæ Rictrudis Marcianensis.

d Aimon. lib. 4. de gest. Franc. cap. 20.

INFANS XL. DIER. IN BAPTISMO RESPONDET, AMEN.

e Ibid.

f Act. S. Amandi, ap. Sur. 6. Feb.

g Vit. S. Rictrud. ap. Sur. 12. Maii.

IESV CHRISTI AN. 640.

IOAN. IV. AN. I.

HERACLII AN. 31.

ANno Domini sexcentesimo quadragesimo, Indictione decimatertia, Ioannes Romanus Pontifex collecta SYNODO damnauit promulgatam ab Heraclio anno superiori Ecthesin, vna cum ipsa Monotheletarum hæresi, quæ eiusdem Imperatoris auctoritate plurimum inualuerat: idque ipsum præstiterunt diuersis habitis *Conuentibus*, Ecclesiæ Africanæ. Testatur hæc imprimis Theophanes. Et vero rei magno Africanis adiumento fuisse Maximum martyrem, docent Acta rerum ab ipso gestarum quæ habentur ad calcem Operum eius in tribus codicibus Vaticanis. Ex quibus sciendum est, fuisse hunc *Maximum* patria Constantinopolitanum, antiqua nobilitate clarum, litteris philosophicis ac Theologicis egregie excultum: qui inuitus ab Heraclio in Palatium tractus, vt regiis cõmentariis conscribendis operam daret, in ea functione factus est omnibus dignum virtutum quod imitarentur exemplar. Monotheletarum autem hæresi ad Regiam accessum habente, ipse sibi consulens Palatium deseruit, atq; monasterium ingressus Chrysopolitanum in vlteriore litore situm, paulo post eiusdem subire coactus est præfecturam. Quod autem videret illam hæresim in Oriente in dies augeri, iter dirigens in Occidentem qui tali scelere careret, Romam venturus, in transitu Africanis, aliisque finitimarum prouinciarum atq; insularum Episcopis hortator extitit, vt Synodis vbique habitis eamdem Monotheletarum impietatem condemnarent.

I. IOAN. PP. DAMNAT ECTHESIN HERACLII.

DE MAXIMO ABBATE ACERR. ET DECATHOL. PROPVGNATORE.

Porro cum ea quæ diximus Romæ & alibi in Occidente gesta, Imperatori innotuissent, seque per ea execrationi omnibus vbique esse videret, haud leuiter commotus, illud excogitauit consilium, vt nouo promulgato edicto omnibus declararet, Ecthesin illam suam nõ esse, sed Sergii Constantinopolitani Episcopi, qui eam Imperatoris nomine ediderit, quo maiorem ei auctoritatem compararet. Hæc enim ita se habuisse, hanc quæ nouam declarationem ab Imperatore ad Ioannem Romanum Pontificem missam esse, docent Acta publica in Senatu Constantinopolitano postea confecta, cum sub Constante Imperatore Monothelitæ causa Maximi tractaretur. Sed vtinam Heraclius, sicut destruxit, ita ædificasset; nimirum vt eodem, vel alio edicto, rectæ fidei confessionem promulgaret toto orbe terrarum: nam ea plane indigebat, vt se ab omni hæresis suspicione purgaret.

II. HERACL. NEGAT ECTHESIN.

Hoc pariter anno ex humanis sublatus est pessimus ille Cyrus Alexandrinus Episcopus, postquam sedisset (vt habetur in Nicephori Chronico) annos decem. Successit illi *Petrus* eiusdem farinæ homo, hæresis Monotheletarum propugnator acerrimus. In sede pariter Antiochena *Macedonius* successit perditissimo illi Athanasio hæretico. Sed quando ipse decesserit ignoratur: nec de Antiochenis Episcopis successoribus vlla deinceps mentio vsque ad tempora Sextæ Synodi, quibus ei præfuisse Ecclesiæ reperitur *Macarius* hæreticus famosissimus. Sicut & Hierosolymitanæ Ecclesiæ obscura est successio, occupatis regionibus illis à Sarac enis.

III. CYRI ALEX. OBITVS, ET PETRI SVBROGATIO.

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc eodem anno,

IV.

a *Aimoin. lib. 4. c. 23.*

REGIS SCLAVORŪ SCITVM DICTVM.

qui numeratur nonus Dagoberti Francorum Regis, veteres a poruaunt Legatum ab eo missum Richarium, siue Sichariū, ad Sclauorum Regem pro repetendis mercibus ablatis quibusdam mercatoribus Francis. De qua legatione illud insigne narrant, quod cum idem Sclauorum Rex Legato dixisset, expetere se amicitiam Regis Francorum, isque respondisset *Non esse possibile, vt serui Christi cum canibus fœdera iungerēt*; tum ad eum ille, *Quandoquidem vos serui profitemini esse Dei, & nos sumus canes: ideo quæ vos nequitis contra eius geritis voluntatem, vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morsibus ipsa vlcisci*: statimque à suo conspectu Legatum abiecit. Cæterum claruit hoc tempore in Gallia egregiæ sanctitatis vir *Richarius* nomine, qui paternis monitis ipsum Dagobertum Regem ad meliorem frugem conuertit, cuius res præclare gestas scripsit postea Albinus *b* Flaccus ad Carolum Imperatorem.

b *Ap. Sur. 26. April.*

V. ECCL. ANGLIC. PROPAGATVR. c *Beda. lib. 3. c. 8.*

Eodem Redemptoris anno Eadwaldum Anglorum in Cantia Regem defunctum esse; relicto regni hæredi filio Earconberto, testatur Beda *c*; resque Ecclesiasticas felicioribus progressibus auctas tradit. Hic enim (vt ait) primus Regum Anglorum idola vbique destrui, ieiuniumque quadraginta dierum obseruari præcepit: cuius & filia Earcongatha monasticam vitam amplexa, Gallias petens vixit in monasterio nobilissimæ Abbatissæ Fatæ. Siquidem eo tempore (inquit) necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britanniæ monasticæ conuersationis gratia Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant. Porro *Fara*, quam diximus, magni illius S. Columbani Abbatis quondā discipula, dicta quoq; reperitur *d Burgundofara*, quasi Burgunda Fara: quæ & fratri suo nomine *Faroni*, viro nobilissimo æque ac prudentissimo, persuasit, vt amplissimis Palatii honoribus, Regisque Clotarii singulari amicitia posthabitis, adhuc vigente iuuentutis flore, consentiente coniuge, Ecclesiastico ordini se adiungeret: qui postea creatus Episcopus Meldensis egregia claruit sanctitate; vt pluribus habetur in eius Vitæ Actis *e*.

DE BVRGŪ DOFORA ABBATISSA. d *In Vit. S. Eustas. Abb. Lumin. ap. Ced. Baron. hic, & an. 614.* e *Ap. Sur. 28. Octob.*

IESV CHRISTI AN. 641.

IOAN. IV. AN. 2.

CONSTANTINVS.

HERACLEONAS.

I. HERACLI IMP. INFELIX OBITVS.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo primo, Indictione decimaquarta, mense Martio *Heraclius* Aug. vbi imperasset annos triginta vnum, infelici exitu vitam clausit, confectus ærumnis animi, corporisque molestus, ea passus quæ pudet referre: sed & præter alias corporis ægritudines, magnopere hydropisi laborauit. Qui quidem reliquit de se quasi in tabula egregie effigiatum exemplar, quantum Deo inhærentes Principes possint, quantumve ab eo recedentes sint inualidi, ac Reipublicæ & Ecclesiæ noxii: propagata etiā eadem ad posteros suos infelicitate. Etenim qui cum ipso regnarat, & ipsi successit CONSTANTINVS, iugi morbo detentus, vix quatuor in Imperio (vt tradit Theophanes) menses absoluit; coronatus eadem quamecum ad sepulchrum pater coronam gestauit, persolute pretio templo septuaginta librarum. Creditum vero fuit, venenum ipsi à Martina Augusta nouerca propinatum. Cuius Martinæ filius HERACLEONAS, adiuuante Pyrrho Constantinopolitano Episcopo, Imperii habenas regendas suscepit: sed rebellante Senatu, post sex menses ab Imperio depositus est, ac mutilatione nasi mulctatus; pariterque eius mater Martina, perfida femina, linguæ abscissione punita, ac deniq; ambo in perpetuum exilium electi, collato Imperio filio Constantini, quem alii Constantem, Corstantium alii, alii Constantinū nominant, nos vero secuti Theophanem CONSTANTEM appellamus: cuius Imperii initium anno sequenti contigit.

CŌSTANS IMP.

II. IOAN. PP. OBITVS.

Hoc item anno *Ioannes* Papa, vbi sedisset annum vnum menses nouem, & dies sex, ex hac vita migrauit quarto Idus Octobris, sepultusque est in basilica S. Petri. Cumq; vacasset sedes eius mensem vnum & dies tredecim, hoc eodem anno die vigesima quinta Nouembris subrogatus est in locū eius THEODORVS, Theodori Episcopi filius, patria Hierosolymitanus: vt hæc omnia tradit Anastasius. Qui & de eodem Ioanne habet, ipsum per omnem Dalmatiam seu Istriam multas pecunias misisse, ad redimendos captiuos, quos Gentiles deprædati essent. Etenim Slaui, siue Sclaui, in illas regiones grassantes, magnam multitudinem captiuorum abduxerant, quos Ioannes Papa redemit: qui eo liberior fuit in erogendo Ecclesiæ thesauro, quod haud pridem vidisset eum in damnum eiusdem Romanæ Ecclesiæ fuisse ab Honorio congregatum; quodque sciret aurum Ecclesiam habere (sicut ait S. Ambrosius *a*) non vt seruet, sed vt eroget: quamuis non semper improbanda sit prudentia, qua in necessitates Ecclesiæ pecunia custoditur; secundum quod in sacra Scriptura *b* dicitur, vtiliorem esse sapientiam cum diuitiis. Sed si his Ecclesia careat, certum est haud Dei tuto præsidio destitui; imo diuinum magis sibi conciliare patrocinium, cum humanis auxiliis destituta videtur: non enim innititur auro, licet auro bene vtatur. Cæterum qui in Dalmatiam pro redimendis captiuis pecunias misit Ioannes, thesaurum inde longe locupletiorem est consecutus; nemne (vt habet Anastasius) corpora SS. Venantii, Anastasii, Mauri, aliorumque plurimorum martyrum, quæ Romam transferenda curauit, quod ea in Dalmatia & Istria barbarorum pererent incursibus & incendiis.

THEODORI ELECTIO.

IOAN. LARGITAS IN REDIMENDIS CAPTIVIS.

a *Ambr. 2. Offic. 28. ap Baron. ann. 638.*

b *Eccl. 7.*

[In Collectaneis Anastasii Bibliothecarii, de quibus sup. ann. 678. num. III. extat prædicti Ioannis PP. IV. ad Constantinum Imp. Heraclii filium qui hoc anno regnasse ponitur, scripta pro Honorio Pontifice Apologia, de qua ex S. Maximo facta est superius mentio ann. 633 num VII. Cuius videlicet scribendæ occasio nata est ex Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano & aliis Monothelitis, qui Honorii ad Sergium Pyrrhi decessorem epistola abutebantur, quasi ipsorum hæresi faueret; quam Ioannes recto atque orthodoxo sensu dictatam probat.

IESV CHRISTI AN. 642.

THEODORI AN. 1.

CONSTANTIS AN. 1.

I. PYRRHVS EPISCOP. CONST. EXTORRIS FACTVS.

CŌSTANS IMP. HAERESIM MONOTH. PROPAGAT.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo secundo, Indictione decimaquinta, Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus in suspicionem adductus conspirationis cū Martina Augusta de propinato veneno Constantino Imperatori, sibi timens sponte recessit, cum sedisset (vt ait Nicephorus) annos duos, menses nouem, & dies nouem. Pergens autem in Africam, mansit ibi annos tres; post quos profectus est Romam, vt dicetur. In eius vero locum, ab hæretico Imperatore Constante subrogatus est *Paulus* æque hæreticus Monothelita. Sicut enim Imperii, ita & impietatis hæres Constans, hæresim quam sciebat ab Heraclio auo cœpisse originem, mirum in modum propagare conatus est, præficiendo Ecclesiis vacantibus Episcopos hæreticos, prouinciisque regendis Præsides deputando eiusdem erroris assertores: vt nunquam turpior apparuerit facies Orientalis Ecclesiæ, quam his temporibus; cum etiam ex altera parte vbique inualesceret secta Mahometana.

II. a *Beda. lib. 3. c. 9. & 14.* OSWALDI REGIS OBITVS, RELIGIO, ET MIRACVLA.

Hoc eodem Redemptoris anno (vt scribit Beda *a*) Rex Nordhumbrorum pientissimus Osvvaldus in prælio occisus est ab eodē Pagano Rege Merciorum, à quo & prædecessor eius Edvvinus peremptus fuerat: qui & eiusdem caput, manusq; cum brachiis à corpore præcisas, in stipitibus suspendi iussit; quousque post annum veniens cum exercitu successor regni Osvvinus, ea abstulit & honorifice condidit. Cæterum eiusdem Osvvaldi egregiam sanctitatē succedentibus multis miraculis, testificatione diuina declaratam esse, (adeo vt etiam puluis, vbi corpus eius in terram cecidisset, vtilissimus esset sanandis morbis) docet idem Beda: qui & multa alia habet *b* de ipsius cultu religionis dum viueret, deque misericordia & largitate in pauperes, aliisque eiusdem virtutibus memoria digna, & miraculis comprobata; quæ tu consulas.

b *ibid. & c. 14.*

IESV

IESV CHRISTI AN. 643.

THEODORI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 2.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictionis primæ, Constantis Imperatoris secundo (vt habent Græcorum Annales) Haumar Princeps Saracenorum erigere studens templum Hierosolymitanum, cum ædificium cœptum sæpius corrueret, Iudæi causam rogati, asseruerunt id accidere virtute Crucis iuxta positæ. Itaque Saraceni Crucem quæ templo montis Oliuarum imposita erat, deposuerunt; sicque demum ædificia ipsorum firmata sunt. Ea vero res Christiani nominis inimicis occasionem præbuit, multas vbique Cruces deturbandi. Hæc ex Theophane. Addit autem Guillelmus *a* Tyrius, illud templum, postquam iuxta conceptum, eleganti forma & opere feliciter consummatum est, ab eodem Principe multis & infinitis ditatum fuisse possessionibus, ad conseruanda perpetuo eiusdem sarta tecta, & continuanda luminaria. Illud vero plane mirandū, cum tot essent insignia Hierosolymis Christianorum templa, nullum eorum vendicare sibi ausos fuisse dominantes impios Saracenos, sed libera omnia prioribus vsibus iisdem Christianis reliquisse; eademque vt antea frequentata fuisse à totius terrarum orbis Fdelibus, prout inferius videbitur.

I. CRVCIS POTENTIA.

a Guil. Tyr. de Bel. sacr. lib. 1. cap. 2.

Inter hæc in Italia *Mauritius* Chartularius, quem superius vidimus expilasse Patriarchium Lateranense, Romæ in tyrannum erumpens, misso per Isacium Exarchum aduersus eum Dono Magistro militum, ab omnibus derelictus confugit in ecclesiam Beatæ Mariæ ad Præsepe: sed inde extractus, missusque Rauennam, capite truncatus est. Paulo vero post idem Isacius, qui & ipse Patriarchium deprædatus fuerat, percussus diuino ictu interiit. Hæc Anastasius in Theodoro. Ita vltor Deus voluit posteris relinquere amplissimis notis declaratam vindictam, quam meruerunt qui manus sacrilegas inferunt in sancta.

II. EXPILATORES PATRIARCHII LATER. MALE PERVNT.

Huius item anni Indictione prima, scripta est ab Episcopis Cypri in *Concilio* congregatis, Synodalis epistola *b* ad Theodorum Romanum Pontificem, (quem *Patrem Patrum*, & *Vniuersalem Papam* nominant) de Monothelitarum hæresi ab ipsis damnata. Quo eodem tempore Stephanus Dorensis Episcopus. à Sophronio Hierosolymitano olim iussus, ac denuo post eius obitum à Catholicis Palæstinæ Antistitibus delegatus, Romā se contulit pro Ecclesia Hierosolymitana, quam inuaserant pseudoepiscopi, iidemque coniuncti Paulo Constantinopolitano hæreticorum acerrimo fautori. Qui quidem Stephanus à Theodoro Papa consecutus est Apostolicæ Sedis in illis partibus vicariam præfecturam, qua illorum omnium caput Sergium Ioppensem Episcopum intrusum in sedem Hierosolymitanam condemnaret, & ab eo ordinatos Episcopos gradu depositos in ordinem redigeret, quod & præstitit. Hæc enim constant ex libello eiusdem Stephani oblato postea Martino Papæ in Concilio Lateranensi. Ex quibus & videas permisisse Deum singulis quibusque sæculis exagitari diuersarum prouinciarum Episcopos, quo assiduis rerum gestarum exemplis innotescerent, nullum aliud esse confugium aduersus ingruentes hæreticos, quam ad Apostolicam Sedem Romanam, ceu diuinum asylum, in quo posset quis auxilium experiri.

III. b Ext. in Concil. Lateran. sub Mart. Sect. 2. CONFVGIVM ORTHODOX. ROMAM.

STEPH. VICARIVS APOST. SEDIS IN ORIENTE.

IESV CHRISTI AN. 644.

THEODORI AN. 3.

CONSTANTIS AN. 3.

I. REX SIGE-

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo quarto, Indictione secunda, in Britannia admodum propagata est Christiana fides per *Furseum* Hibernum. Et Sigebertus Anglorum Orientalium Rex, relicto regno cognato suo, monasticam vitam professus, à Pagano Merciorum Rege Penda occisus est. Hæc fusius Beda *a*.

BERTVS FIT MONACHVS. a Bed. lib. 3. cap. 4.

Hoc eodem anno, quo Dagoberti Francorum Regis decimusquartus inchoatur, idem Rex omnibus circumpositis gentibus nationibusque sibi subiugatis, vt se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, conuocatis filiis ac cunctis regni sui primoribus, vniuersas pene Galliæ Ecclesias patrimonii sui hæredes instituit; singulis multa dona largitus, tam in satisfactionem malorum quæ hactenus gesserat, quam vt post suum obitum pro requie animæ suæ sacrificium vbique ter in hebdomada offerretur: simulque Sigebertum ac Hludouicum filios suos eodem die Reges constituit. quæ omnia pluribus prosequitur Aimoinus *b*.

II. DAGOBERTI REG. MVNIFICENTIA ERGA ECCLESIAS.

b Aimoi. lib. 4. c. 30.

IESV CHRISTI AN. 645.

THEODORI AN. 4.

CONSTANTIS AN. 4.

ANno Christi sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, habita est in Africa famosa illa de fide Catholica DISPVTATIO inter Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum extorrem, eumdemque hæreticum Monothelitam, & Maximum Constantinopolitanum Abbatem Orthodoxum. Etenim vbi Pyrrhus in Africam peruenisset, hæresis suæ semina vbique iaciens, aduersantem sibi maxime habuit Maximum, quem iam antea in eamdem prouinciam accessisse vidimus. Vnde exigentibus Episcopis Africanis, ipsoque prouinciæ Præfecto Gregorio Patricio, conuentum est vt iisdem præsentibus publica fieret inter eos de publicis controuersiis disputatio: quam hoc anno contigisse, nempe Indictione tertia mense Iulio, ipse titulus Disputationi præfixus edocet. Extat enim ipsa eadem *a* prout à Notariis tunc excepta fuit, conseruata integra vna cum aliis pluribus eiusdem Maximi lucubrationibus atque epistolis, in tribus antiquitus scriptis codicibus quos Bibliotheca Vaticana *b* custodit. Finis autem disputationis fuit, vt Pyrrhus erroris sui conuictus, pœnitens recantarit palinodiam; Romamque accedens, oblato fidei Catholicæ libello Theodoro Papæ, receptus sit vna cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam, eidemque omnia necessaria Ecclesiæ Romanæ sumptibus honorifice subministrata. Hæc enim præter Acta eiusdem Disputationis, testantur pariter ex Græcis Theophanes & Photius, ex Latinis Anastasius Bibliothecarius: constantque insuper ex aliis Actis publicis Constantinopoli habitis, cum Martinus Papa ibidem in vinculis constrictus teneretur; vbi etiam refellitur calumnia, qua hæretici eludere conantes eiusmodi à Pyrrho factam erroris sui abiurationem, dixerunt ipsam vi & tormentis ab eo extortam esse.

I. DISPVTATIO MAXIMI ORTHOD. CVM PYRRHO MONOTHEL.

a Recitat illam integrā Baron. Græce & Latine Annal. Tom. VIII. hoc an. sine in Append. eiusdem Tomi, b Num. 335. 336. 337

PYRRHVS RECANTAT PALINODIAM, c Ens. in ep. 26 Mart. Pap.

Sed & cum gloria Maximi ex publica illa disputatione vbique propagata esset, cœperunt eum omnes consulere. Extat *d* enim eiusdem ad Nicandrum Episcopum responsio de dogmatibus Orthodoxis, & aliæ ad diuersos. Qui & aliquando in crimen à Catholicis vocatus, quod Pyrrhum laudasset dum adhuc hæreticus esset, & quod tres in Christo voluntates asseruisset; duas secundum duas ipsius naturas, tertiam vero secundum hypostaticam vnionem, opus habuit apologiam texere ad Siciliæ monachos, à quibus de his admonitus fuisset. Quomodo vero sanctissimo viro, ob defensionem fidei Catholicæ gloriose contigerit obire martyrium, suo loco dicturi sumus.

II. d Incidd. Vatic. vbi sup. APOLOGIA MAXIMI.

Hoc insuperanno, qui numeratur quartus Constantis Imperatoris, Haumar Saracenorum Princeps, qui Hierosolymam ceperat, Crucesque deposuerat; tulit sui sceleris pœnam, occisus per fraudem à quodam Persa. Cui substitutus fuit Hoamen eius cognatus. Hæc ex Theophane.

III.

IESV CHRISTI AN. 646.

THEODORI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 5.

I. ANno Christi sexcentesimo quadragesimo sexto, Indictione quarta, quatuor Primates Africani in singulis sibi subiectis prouinciis, (nempe Byzacena, Numidia, Mauritania, & Proconsulari) *Synodos* conuocarunt, ad confirmanda Catholica dogmata, quæ vidissent anno superiori tam valide à Maximo propugnata. Extant enim eorumdem Conciliorum monumenta, recitata in Lateranensi [a] sub Martino Papa; videlicet Synodalis epistola, à tribus simul ipsorum, nempe Byzaceno, Numidico, & Mauritano, ad Theodorum Romanum pontificem) quem *Patrem Patrum*, & *Summum omnium Præsulum Pontificem* appellant) scripta ea occasione, quod cum iidem Patres Constantinopolim essent legationem, ad Paulum eius ciuitatis Episcopum Monothelitarum principem commonendum, missuri, de ea re prius ipsum Theodorum certiorem reddere voluerunt, quod (vt aiunt) *antiquis regulis sancitum esset, vt quicquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non prius tractandum esset, nisi ad notitiam almæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, vt eius auctoritate iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cetera Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei sacramenta salutis.* Hac igitur ratione, & quod Gregorii Præsidis tyrannide (cuius etiam hoc anno Constantis Imp. quinto meminerunt Annales Græcorum) commercium Africanorum cum Orientalibus fuisset penitus interclusum ipsique etiam Episcopi in suspicionem coniurationis cum Gregorio adducti à maleuolis essent apud Imperatorem: miserunt iidem Patres Romam ad Theodorum Pontificem literas, quibus petierunt vt sua ad Paulum scripta per Apostolicæ Sedis Responsales ei redderentur, rogaruntque insuper, vt nisi idem emendaret errorem, ab ipso Romano Pontifice excommunicationis sententia damnaretur. Non tamen extant ipsæ eorumdem literæ ad Paulum scriptæ; sed tantum, quas [b] separatim Patres Concilii Carthaginiensis Proconsularis prouinciæ ad ipsum miserunt; vna cum aliis Synodi Byzacenæ, eodem tempore ad Imperatorem eadem de re conscriptæ. Quod autem in nullo dictorum Conciliorum reperiatur nominatus Episcopus Carthaginiensis; id inde accidisse scias, quod is qui tunc temporis præerat ei Ecclesiæ, nomine Fortunatus, siue Fortunius, communicaret [c] Paulo Constantinopolitano. Eo vero defuncto, siue è gradu deposito, subrogatus est in eius locum hac eadem Indictione quarta Victor: qui confestim more maiorum fidei suæ professionem [d] misit ad Romanum Pontificem.

Cernens igitur Theodorus, in vnam eamdemque sententiam conuenire vniuersam Ecclesiam Africanam, omnesque pariter in Paulum Constantinopolitanum conclamare; misit ipse Apocrisiarios suos cum literis acerrimis ad eumdem Paulum; quibus post admonitionem plurimam & exhortationem, plenam rectæ fidei præscribens formulam, subiecit anathema aduersus omnes qui ab Ecclesiæ Catholicæ sententia discreparent. Non extant ipsæ quidem Theodori literæ; sed ita rem gestam esse, aliæ à Paulo ad ipsum redditæ docent, quæ descriptæ habentur in Actis [e] Synodi Romanæ sub Martino Papa: quas si legeris; miraberis quæ soleat esse hæreticorum ad sua excusanda scelera; & operiendos errores. fraudulenta locutio. Quid vero post hæc factum fuerit, dicetur annis sequentibus.

[Prædictæ Theodori Papæ literæ ad Paulum Constantinopolitanum scriptæ, editæ nuper sunt in Collectaneis Anastasii Biblioth. à doctiss. Iac. Sirmondo; qui eas refert ad an. Christi 643 quando post receptam à Paulo Synodicam de sua in locum Pyrrhi subrogatione, arguit illum, & quod damnatæ Ecthesis Heraclianæ chartam publicis locis à Pyrrho suspensam non sustulisset, & quod eiusdem Pyrrhi, qui Patriarcharum odio compulsus abdicarat, adhuc superstitis necdum damnati sedem occupasset. Quare Synodum coram Apocrisiariis suis conuocari iubet, vt Pyrrhi causa examinetur; ipsamq; Ecthesim rursum anathemate percellit.]

Hoc interim eodem anno, in Hispania celebratum est CONCILIVM TOLETANVM, Septimum dictum, anno videlicet Chindasuindi Regis quinto, Æra sexcentesima octogesima quarta, cui præfuit *Orontius* Emeritensis Episcopus, subscripseruntque siue per se siue per vicarios alii Episcopi triginta octo: à quibus statuti sunt canones sex ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Quæ autem in eo habetur appendix de inuentione librorum S. Gregorii Papæ, suo loco *f* ponenda erit.

III. CONCIL. TOLET. VII.

[f] *Infr. an. 649. in fin.*

IESV CHRISTI AN. 647.

THEODORI AN. 6.

CONSTANTIS AN. 6.

I. ANno Christi sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictionis quintæ, Constantis Imperatoris sexto (vt scribit Theophanes) factus est ventus vehementissimus, qui inter alia multos Stylitarum disiecit monachorum; videlicet eorum qui in columnarum verticibus sibi habitacula construebant. Eodemque anno Saraceni Africam, bello ciuili ob rebellionem Gregorii Præsidis agitatam inuaserunt. Gregorium victum ex ea pepulerunt, eamdemq; subactam tributariam sibi reddiderunt.

SARACENI OCCVPANT AFRICAM.

II. Hoc item anno, quo absoluitur Dagoberti Francorum Regis decimussextus, idem Rex decimanona Ianuarii defunctus est, cuius erga Ecclesias munificentia ex ipsius testamento superius est demonstrata. Eius corpus (inquit Aimoinus [a]) conditum aromatibus, sepultum est in Ecclesia S. Dionysii quam ipse vniuersis quæ in Galliis tunc temporis erant excellentiorem condiderat, aureisq; atque holosericis pretiosissimis ornamentis decorauerat, & ampliss imis reditibus dotauerat. Post quem duo ipsius filii, Sigebertus, & Clodoueus siue Hludouicus, regni administrationem susceperunt. Quod autem ad salutem animæ eiusdem pertinet; scribit idem [b] auctor ea ipsa hora qua is expirauit, visionem diuinitus ostensam esse Ioanni cuidam viro sanctissimo, in parua aliqua insula prope Siciliam eremiticam vitam excolenti; qua apparuerunt ei haud procul in pelago dæmones vinctum Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisq; verberibus ad Vulcania loca trahentes; qui distentus cruciatibus, quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia: Cum repente aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse Sancti illi quos Dagobertus in auxilium euocauerat, nempe Dionysius atq; Mauritius martyres, & Martinus confessor, (quorum ecclesias plus cæteris idem Rex ditauerat) qui arreptam à dæmonibus ipsius animam secum ad æthera leuarunt, Deo hymnos concinentes. Quam quidem visionem Ausoaldus Defensor Ecclesiæ Pictauiensis, ab eodem Ioanne eremita acceptam, narrauit S. Audoeno olim à Secretis eidem Regi Dagoberto, & postea creato Episcopo Rotomagensi, qui eam primus scriptis mandauit, ab eo vero Aimoinus excepit: cuius etiam, tanquam indubitatæ, meminit post multos annos Ludouicus Imperator in epistola ad Hilduinum Abbatem monasterii S. Dionysii, quæ habetur præfixa Areopagiticis ab eodem Hilduino conscriptis. In quibus consideres, recta diuini iudicii sententia factum esse, vt qui se antea multis facinoribus inquinauerat Dagobertus, iis nondum penitus (quod ad pœnam attinet) expiatis, quamuis pluribus bonis operibus postea abundasset, purgatorii post obitum pœna (ad breue licet tempus) aduersariis spiritibus, quibus ante fuerat obsecutus, traditum esse cruciandum. Sed & insuper intelligas; (quod optime notauit Aimoinus) nequaquam à Sanctis ornatum contemni quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri.

[a] *Aim. 4. de gest. Franc. 33.* DAGOBERTI REG. OBITVS.

[b] *Ibid. cap. 34.* VISIO DE ANIMA ILLIVS.

[Cuius memoria & hactenus visitur intra ecclesiam S. Dionysii ad sepulchrum ipsius Dagoberti antiquitus in lapide sculpta; vbi habentur dæmones ipsum in cymba per mare agitantes, & Sanctis de cœlo descendentes, eumdemque è manibus dæmonum eripientes.]

TEMPLORVM ORNATVS DEORVM.

[a] *Syn. Later. sub Mart. Pap. Secret. 2.*

SEDIS APOST. SVMMA AVCTORITAS.

[b] *Ext. in eadem Secret. 2. vna cum epistola ad Imp.*

[c] *Patet ex Act. 14. Sext. Syn.*

[d] *Ext. in eod. Secret. 2*

II. THEOD. PP MITTIT APOCRISIARIOS CONSTANTINOPOLIN.

[e] *Ibidem Secret. 4.*

IESV CHRISTI AN. 648.

THEODORI AN. 7.

CONSTANTIS AN. 7.

I. ARTES PAVLI EPISC. CONST.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo octauo, Indictione sexta, (vt notatur in Actis publicis S. Maximi martyris Constantinopoli habitis) Paulus Constantinopolitanus Episcopus cum vidisset ex literis à Romano Pontifice & à Conciliis Africanis ad ipsum anno superiori scriptis, vniuersam Occidentalem Ecclesiam aduersus se concitatam, hæresisque Monothelitarum damnationem publice in valuis ecclesiæ affixam esse; ad dolos se conuertens, auctor extitit Imperatori Constanti, edictum a proponere, quod TYPVM vocarunt; quo quidem consuetà illa prætensa causa, vt omnes Christiani Orbis Ecclesiæ simul in vnam eandemque sententiam vnirentur, silentium de excitata controuersia indictum est, tam iis qui vnam quam qui duas in Christo Voluntates & Operationes assererent. Ea id agens Paulus calliditate, vt quoquo modo, vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus & operationibus sententia; immo vt Christus non solum in humana eius natura, sed etiam in vtraque omnino sine voluntate, & operatione hoc est absque natura & essentia esse denuntiaretur; quæ Manichæorum fuit hæresis. Hanc enim subdoli fuisse hominis mentem, Patres Concilij Lateranensis b sub Martino Papa declarant, dum eundem ab Imperatore promulgatum, Typum examinandum susceperunt: quem quidem licet foris apparentem æquum, & pacis conciliatorem, eius tamen fraude detecta Patres anathemate damnarunt; quod videlicet hæresi iam vbique promulgata, nullus amplius locus esset silentio eiusmodi vocum, vt fuerat tempore Honorij Papæ, quo nondum apparuerat hæreticorum versutia.

a Ext. in Synod. 4. Const. Later. sub Mart. TYPVS A CONSTANTE IMP. PROMVLGATVS.

b Ibid. Sect. 4. & 5.

II. CONCIL. ROM. PRO DAMNATIONE HÆRESIS MONOTHEL.

Verum & ante illa sub Martino peracta, nempe hoc ipso anno, Theodorus Papa collecta pariter SYNODO, cum ipsam Monothelitarum hæresim, tum eius caput Paulum Constantinopolitanum, frustra hactenus eiusdem Pontificis literis commonitum, simili anathemate perculit: nec Paulum dumtaxat, sed & Pyrrhum eiusdem Ecclesiæ olim Patriarcham, qui in errorem relapsus erat opera Olympij Exarchi hæretici audacissimi. De Pauli namque damnatione testis est Anastasius in Theodoro: Pyrrhi vero lapsum post pœnitentiam asserunt Annales c Græci, necnon Anastasius eodem loco, & S. Maximus in epistola ad monachos Siculos, ac demum Martinus Papa in Lateranensi Synodo Actione prima: ex quibus etiam omnibus constat, eundem à Theodoro Synodali sententia damnatum fuisse ac depositum. Quinimo addunt Annales, Theodorum ad sepulchrum S. Petri accedentem, de sanguine Christi ex calice distillato in atramentum, depositionem Pyrrhi excõmunicati conscripsisse. haud tamen aliqua huiusmodi maledictionis, in Ritibus sacris Ecclesiæ Romanæ reperitur esse præscripta lex, vel factum ipsum aliquo alio quod sciamus declaratum exemplo; quod apud Græcos post hæc etiam factum legimus d in octaua Oecumenica Synodo aduersus Photium. Ceterum Pyrrhus post præuaricationem suam reuersus in Orientem, & in gratiam Imperatoris receptus, post obitum Pauli, pactam in mercedem impietatis Constantinopolitanam sedem resumpsit, vt dicetur inferius.

c Theoph. an. 20. Heracl.

DIRA PYRRHI RELAPSI EXCOMMVNICATIO.

d Infra an. 869. V.

III. FVROR PAVLI CONST. IN APOCRIS. SED. APOST.

Interea dum quæ hoc anno gesta Romæ fuerunt Constantinopoli audita sunt, furore percitus Paulus, primo quidem altare & oratorium, quod erat in ædibus, in quibus Apocrisiarij Romanæ Sedis habitare consueuissent, diripuit; deinde aduersus eosdem Apocrisiarios Constantinopoli tũc existentes, necnon ceteros Orthodoxos ipsis inhærentes, persecutionem mouens, quosdam carceri tradidit, alios in exilium misit, rursumque alios, verberibus submisit. Quæ cum ipsi Martinus Papa sub Theodoro contigisse demonstret in ipso exordio Lateranensis Synodi; ex illis erroris redarguitur Anastasius, dum hanc persecutionem ad eiusdem Martini tempora refert. Nam Martini Apocrisiarios non ista passos, sed seductos fuisse, ipsemet dolet in literis e scriptis aduersus Paulum Episcopum Thessalonicensem.

e Mart. ep. 12.

Eodem hoc anno, qui septimus Constantis Imp. numeratur, Saracenorum Princeps insulam Cyprum inuasit, captamque Constantiam ciuitatem demolitus est. Ita namque sinistra omnia cessere infelicissimo Imperatori, dum ipse bellum aduersus Catholicam fidem in dies magis augeret.

IV. SARAC. OCCVPANT CYPRVM.

IESV CHRISTI AN. 649.

MARTINI AN. 1.

CONSTANTIS AN. 8.

I. THEOD. PP. OBIT. MARTINVS CREAT.

ANNO Christi sexcẽtesimo quadragesimo nono, Indictione septima, *Theodorus* Papa vbi sedisset annos septẽ, mẽses quinque, dies viginti, pridie Idus Maij ex hac vita migrauit, sepultusque est apud S. Petrũ: cumq; sedes vacasset mensem vnũ & dies sexdecim, in locũ eius subrogatus est die prima mensis Iulij, MARTINVS patria Tudertinus in Tuscia. Hæc ex Anastasio.

II. CONCIL. LATER. PRO DAMNATIONE TYPI. a *Theoph. an. 19. Heracl.*

Vbi vero Martinus thronum Apostolicum conscendit, confestim Synodum indixit celebrandam hoc eodem anno mense Octobri in hoata iam Indictione octaua, & exordio anni noni Constantis Imperatoris. Eo namque tempore dictam SYNODVM LATERANENSEM celebratam esse, eius Acta disserte docent in principio. Præfuit ei ipse Martinus Romanus Pontifex: interfuisse vero Episcopos centũ quinque, in iisdem Actis habetur; totidemque numerat Anastasius, sed à Theophane a ponuntur centum decem: qui & ait, S Maximum Abbatem ad Synodum cogendam induxisse Martinum; idq; ipsum in Rebus gestis eiusdem S. Maximi conscriptum habetur. Quod autem ibi etiam dicitur, ipsum huic Synodo interfuisse, nec tamen in Synodi Actis vlla de eo fit mentio; id inde accidit, quod etsi Abbates admitterentur ad Synodum, haud tamen facultas eis esset, sicut erat Episcopis, dicendi sententiam, & subscribendi, sed tantum consulendi. Porro ob eiusdem Synodi amplitudinem ac maiestatem, eam S. Martinus in epistola b ad S. Amandum postea data, *Concilium Generale* nominat. Cuius quidem extant c Acta integra, tum Græce tum Latine scripta, eo quod non tantum in Archiuo Apostolicæ Sedis illa fuerint seruata, sed etiam (vt tradit Anastasius) plurima ex prototypo cõfecta sint exemplaria, quæ ab eodem Pontifice missa sunt in omnes prouincias Orientis & Occidentis. Continet autẽ Secretaria, siue dixeris Consultationes, vel Sessiones, Actionesve, quinque, singulis diebus confectas.

b *Ext. post Act. Concil. Later. sub Mart.* c *Tom. 2. Conc.*

III. TENTATVS AB IMP. MARTINVS.

Causa autem eius cogendæ, non tam fuit vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani Episcopi damnarentur, qui iam fuerant condemnati; quam vt recens illa ab Imperatore proposita credendi formula, *Typus* dicta, omnino proscriberetur, & anathemati subiiceretur. Cum enim mox vt ex vsurpata illa tyrannice auctoritate Imperator Martini electioni consensit, & quasi pro quodam gratitudinis præmio, ab eo exigere conatus esset sui subscriptionem edicti, literis ea de re ad ipsum scriptis: (vt patet ex sinceris Actis d S. Audoeni Episcopi Rotomagensis:) eiusmodi facinus execratus Martinus, tantum abfuit vt Imperatori consentire voluerit, vt potius in ipsum insurgens indixerit Synodum, qua promulgatam eius perfidiam condemnaret. A quo non solum deterreri non potuit literis Imperatoris, sed nec ipsius Olympij exarchi præsentia: qui in Italiam ad promulgandum Typum missus, Romam veniens eo ipso tempore quo Synodus habebatur, primo seditionem per exercitum mouere tentauit; & cum frustra id fieri videret, Spatharium suum impulit, vt dum ipse Exarchus in Missarum solemniis ab eodem Pontifice communionem acciperet, eum interimeret; sed excæcato diuinitus eo tempore spathario, ab isto quoque imminenti periculo ereptus est Pontifex, ipseque ei Olympius postea reconciliatus: quæ omnia tradit Anastasius.

d *Act S. Audoen. s. 2. ap. Sur. 24. Aug.*

TENTATVS EXARCH IN MAR.

IV.

His igitur nullo modo perterritus Martinus, Synodum (vt diximus) celebrauit. In qua primo auditæ sunt variæ legationes, ac lectæ literæ tam Orientalium quam Occidentalium Antistitum aduersus Monothelitarum hæresim, eiusque sectatores: deinde producta quæcunque ab eiusmodi hæreticis aduersus Catholicam fidem scripta esse reperirentur, vna cum Ecthesi Heraclij, & Typo Constantis Augg. nomine promulgatis. Primumque omnium lecta sunt scripta *Theodori* Episcopi *Pharanitæ*, obscuri quidem nominis viri, sed ex impietate optime noti; qui & ideo princeps erroris habitus est, quod ex eius scriptis omnes qui hæresim promulgarunt acceperint. Quare & ex iisdem cognita sunt ipsius Monothelitarum hæresis penetralia, ostensumque (quod posteà successores præ pudore occultare conati sunt) ex quo fonte blasphemia flueret de vna tantum in Christo Voluntate & operatione; nempe quod iste Theodorus assereret, incorporaliter ex vtero processisse Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Ad hæc autem, & alia impia hæreticorum dicta confutanda, recitatis Quinque Vniuersalium Synodorum de fide decretis, & veterum sanctorum Patrum sententiis; iussa sunt æque legi antiquorum scripta hæreticorum, quo iis consentire deprehensi recentiores hæretici, mendaces pariter arguerentur, dum vt deciperent simpliciores, se Patres sequi & sacra Concilia tueri mentiti essent.

THEOD. EPISC. PHARAN. PRINCEPS MONOTHEL.

V.

HÆRETICI DAMNATI CVM IPSORVM SCRIPTIS.

His igitur à S. Synodo exacte cognitis atque discussis; ad veram de Verbi Incarnatione doctrinam declarandam, stabiliendamque, & ad confutandas cunctas omnium eius aduersariorum assertiones, viginti ex doctrina SS. Patrum sancti sunt Canones, cum totidem additis anathematismis aduersus eos qui secus sentirent: damnatique cum omnes antiqui hæresiarchæ, à præteritis Synodis Oecumenicis, & aliis sanctis Patribus, vniuersaque Ecclesia Catholica reprobati; tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoresque præcipui, Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, & Sergius, Pyrrhus, ac Paulus Constantinopolitani Episcopi, vna cum impiis ipsorum scriptis, necnon Ecthesi Heraclij, & Typo Constantis; ac denique omnia firmata sunt cunctorum Episcoporum subscriptionibus. Postea vero scripta est à Martino Pontifice & vniuerso Concilio, Synodalis epistola Circularis ad omnes vbique Fideles, de iis quæ ibi gesta essent; quæ extat *e*, ex sacris scripturis magna industria concinnata, dignaque plane tanto Pontifice, tantoque Episcoporum cœtu.

e Mart. ep. 1.

VI.

ACTA SYNODI AD OMNES MISSA.

Sed & vna cum ea epistola missa sunt exemplaria Synodalium Actorum; vt de iisdem in Africam directis, testis est ipse Martinus *f* scribens ad Ecclesiam Carthaginiensem & Episcopos ei subiectos: de missis vero itidem in Asiam ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ, fidem faciunt aliæ eiusdem Pontificis *g* ad ipsum aliosque Orientales scriptæ litteræ. Eademque missa esse in Gallias, testatur idem Papa in epistola *h* ad S. Amandum Traiectensem Episcopum scripta, cum ipse pertæsus prauos mores ministrorum Ecclesiasticorum, petiisset à Martino vacationem ab Episcopatu; quam tamen non obtinuit. Meminerunt, & pariter eiusdem epistolæ Synodalis in Gallias missæ, Acta *i* S. Eligij Noviomensis, ab eius æquali & æque sancto Audoeno Episcopo Rotomagensi conscripta: ex quibus etiam constat Martinum Legatos ad Reges Francorum Clodoueum ac Sigebertum direxisse, vt Episcopos doctrina præstantes è Galliis ad se mitterent, quorum adminiculo facilius hæresis comprimeretur; quibusque credi posset Legatio Apostolica, vt pariter in Galliis quæ Romæ gesta essent, congregatis prouincialibus Synodis firmarentur. Eadem vero accepta esse magno plausu ab vniuerso Catholico orbe, adeo vt ad plenam fidei Catholicæ professionem, post Quinque Vniuersalium Synodorum assertionem, huius præterea Romanæ addiicere solerent confessionem; satis intelligitur ex Synodo Anglicana *k* sub Theodoro Archiepiscopo Dorouernensi, de qua dicendum suo loco: qui vsus perseuerauit vsque ad plenam promulgationem Sextæ Oecumenicæ Synodi.

f Id. ep. 4.
g ep. 5. & seqq.
h Ext. post Concil. sub Mart.
i Ap. Sur. 1. Dec.

ET VBIQVE RECEPTA.

k Bed. lib. 4. c. 17.

VII.

MART. PP SCRIBIT AD CONSTANT. IMP. ET ALIOS.

Porro qui hæc omnia vigilantissima solicitudine curauit, ac summa constantia in ipsius Exarchi faciem Typum Imperatoris damnauit, idem Martinus Papa vna cum Synodo de rebus in ea gestis scripsit quoque literas *l* ad ipsum Constantem Imp. ea quidem moderatione, vt nequaquam ei crimini daret Typi editionem, sed Paulo qui suaserat; veruntamen moneret, vna cum Orthodoxa fide bene custodita crescere Reipublicæ statum, minui vero cum Imperatores & Reges pro aduersariis fidei pugnant. Scripsit itidem (vt diximus) ad Ioannem Philadelphiæ Episcopum; quem & creauit in Oriente Vicarium Apostolicæ sedis, vt Hierosolymitanæ, Antiochenæ, aliisque earum partium Ecclesiis pastoribus destitutis, vel ab hæreticis misere labefactatis succurreret: itemque ad alios *m* quosdam Episcopos, Archimandritas, & Viros Illustres, vt præsto eidem Ioanni Vicatio essent, eidemque morem gererent: quo etiam argumento alias vberiores grauioresque literas dedit ad omnes qui iisdem Ecclesiis Hierosolymitanæ & Antiochenæ subiacecerent, sacerdotes, monachos, atque laicos; eosdem insuper monens de perperam facta ordinatione Macedonij Antiochiæ & Petri Alexandriæ Episcoporum hæreticorum, qui absque vlla electione canonica eas Ecclesias inuaserant. Sed acerrimæ illæ fuerunt, quas ad Paulum Thessalonicensem Episcopum misit; quem & in hæresim lapsum, & alios in errorem inducentem, (siquidem & ipsos etiam Apocrisiarios Apostolicæ Sedis, ad eum missos vt ab errore eum reuocarent, ipse in partes suas traxit) necnon & corruptorem literarum Apostolicarum ab eodem Pontifice ad ipsum antea scriptarum, extra Catholicam communionem esse iussit, & sede depositi; deque eiusdem damnationis causis ad Thessalonicensem Ecclesiam scripsit. Quæ autem post hæc gesta sunt, dicentur anno sequenti.

l Mart. ep. 3.
m Id. ep. 6. vsque 13.

PAVLVS EPISC. THESSAL. DAMNATVR.

VIII.

DE REVELATIONE LIBROR. MORAL. S. GREG. PP.

Hoc eodem anno, qui vltimus censetur Chindasuindi Hispaniarum Regis, cum idem Martinus Romanus Pontifex sedere cœpisset, contigisse fertur Reuelatio partis librorum Moralium S. Gregorij Papæ, diuinitus à SS. Apostolis Petro & Paulo facta Taioni Episcopo Cæsaraugustano, pernoctanti ad sepulchrum eorundem Apostolorum, cum is à Rege missus Romam ad eosdem libros petendos, moras pateretur, quod ij haud facile reperiri possent inter immensam librorum multitudinem Archiui Romanæ Ecclesiæ. Res gesta describitur in Appendice ad primam Synodum Toletanam. Libros autem Moralium S. Gregorij qui in Hispania desiderarentur fuisse tertiam & quartam partem eorundem Moralium, intelligi potest ex epistola *n* eiusdem S. Gregorij ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum, ad quem opus integrum inscripserat. Cæterum de eodem Rege Chindasuindo scribunt historiæ Hispanorum, eum, vbi regnasset annos sex & menses octo, hoc ipso anno cessisse regnum filio Recceswintho. Eundemque tradunt *o*, expulso in exilium perfido Theodisco Hispalensi Episcopo, (de quo superius dictum est) obtinuisse à Romano Pontifice, vt primatus Hispaniæ ab eadem Ecclesia à Hispalensi in Toletanam transferretur, sicut fuerat ab antiquo. Cuius etiam Regis eluxit munificentia in monasteriis locupletandis.

n Greg. 4. ep. 46. Ind. 13.
o Roder. Tol. lib. 2. de reb. Hisp. cap. 20. & Luc. Tudens. in Chr.

PRIMATVS ECCL. HISP. TRANSLATVS TOLETVM.

IESV CHRISTI AN. 650.

MARTINI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 9.

I.

ANno Christi sexcentesimo quinquagesimo, Indictione octaua, vbi Constans Imperator nouit, quæ Romæ in Synodo aduersus Typum à se promulgatum gesta essent, furore repletus, SS. Martinum Romanum Pontificem, & Maximum Abbatem Constantinopolitanum, in exilium relegauit. Hæc ita præsenti Indictione octaua, Constantis Imp. anno nono, gesta esse breuiter narrat Theophanes, cum anno vigesimo Heraclij agit de origine ac progressu hæresis Monothelitarum; necnon fidelissimus scriptor Rerum gestarum ipsius Maximi.

[Ita quidem apud Theophanem consignatur tempus abductionis Martini PP. ab Vrbe: at cum Martinus ipse Ep. 15. ad Eliter. asserat se

abdu

abductum fuisse feria quarta 15. Cal. Iulias, iam adnotauit Sirmondus in Collectan. Anast. Bibl. his fine controuersia designari annum Christi 653. Qui idem in Synopsi Chronica eisdem Collectaneis præfixa in annis Pontificum Rom. horum temporum, & certaminibus SS. Martini & Maximi, nonnihil dissentit a chronologia Baronii: cui tamen nos adhærere omnino necesse habemus, maxime cum non careat antiquis auctoribus quibus innitatur; nec adeo difficile aliquando fuerit, mendа irrepsisse in aliorum veterum scripta.]

II. MART. PP. IN EXILIVM PELLITVR, ET PESSIME TRACTATVR.

Verum vt de Martino prius agamus; cum non auderet Imperator, ob solam Typi sui damnationem eum Vrbe pellere, ne apud Christianos tyranni & persecutoris, siue hæretici nomen consequeretur; causas effinxit, quibus iuste videri posset expulsus: nempe accusans eum, quod mutasset traditam à maioribus fidem; quod aduersus Romanum Imperium aliquid molitus esset cum Saracenis: quod contra Dei-Genitricis MARIÆ cultum, nescio, quid esset locutus; ac denique quod irregulariter contra canones sedem inuasisset. His igitur aduersus eum confictis criminibus, Calliopas Italiæ Exarchus, (qui defuncto nuper Olympio successerat) vt voluntatem Imperatoris exequeretur, venit cum exercitu Romam; ingressusque armatus ecclesiam Constantinianam, ac Palatium Lateranense, nihil veritus loci sanctitatem, sed nec Cleri Romani magnitudinem animi, pro sui defensione Pontificis diro anathemate præsentes ferientis aduersarios; Martinum haud renuentem, immo & rem armis à suis agi omnino prohibentem, ab eadem ecclesia exturbauit, & corpore licet ægrum, podagræque doloribus afflictatum, decimotertio Calendas Iulij noctu ac clanculum (præ metu Romanorum) naui imposuit; eundemque crudelissime haberi iussum (sicut & habitus est) in Orientem asportandum militibus tradidit. A quibus cum in insulam Naxum deductus esset, ibi annum integrum agere exul iussus est, semper in corporis ægritudine perseuerans. Quæ quidem omnia vberius narrantur in epistolis *a* quas idem Pontifex ad Theodorum & Elitherum postea scripsit, cum agens Constantinopoli rogatus ab illis, cuncta recensuit vt se habuerunt, necnon in alia, quam eodem tempore vnus ex ipsius comitibus scripsit ad Clerum Romanum & alios Occidentales: quas omnes, vna cum aliis ab eodem Pontifice in exilio Græce scriptis, Anastasius Bibliothecarius reddidit Latinitati, vt nunc sunt. Fuit autem illud impiorum consilium, vt anno integro Martinus inter Cycladas insulas premeretur angustiis, quo eius constantia frangeretur, tandemque Imperatori consentiret: cum tamen e contrario magis ipsum pro tuenda veritate factum robustiorem visuri simus inferius.

a *Mart. ap.* 1415.16.

III. MAXIMI ABBATIS VINCVLA, ET EXILIVM.

Quod vero spectat ad Maximi Abbatis vincula; etsi eum eodem quo Martinus captus est anno, æque ab Vrbe abductum esse, cum Theophanes, tum Acta ipsius Vitæ testantur: id tamen ei paulo ante quam Martino contigit, vtpote quod non adeo difficile fuerit in ventum solum monachum peregrinum capere & vinculis manicipare. Quomodo vero ipse iam septuagenarius Constantinopolim naui perductus, ac per vias ibi incalceatus ac sine amictu tractus, coram Senatu rationem reddiderit calumniarum ipsi obiectarum de proditione Imperij, de odio aduersus Imperatorem, & quibusdam somnijs de eodem habitis, ac denique de hæresi Origenistarum; sed & multis, aliis variisque modis tentatus, magna animi constantia cum Senatui tum alijs postea ad eum missis restiterit, calumniasque diluerit, ac demum impulsu Pauli Constantinopolitani Episcopi hæretici, ac iussu Constantis Imp. in Traciam exul missus fuerit, vna cum duobus Anastasij ipsius discipulis, quorum alter fuerat etiam S.R.E. Apocrisiarius: hæc, inquam, omnia fusius narrantur in eisdem ipsius Maximi Rebus gestis: ceterum vero dicentur postea.

IV. *b Ap. Sur. 1. Dec. 634.*

Quod ad res Ecclesiæ Gallicanæ pertinet; S. Audoenus Episcopus Rotomagensis in Actis *b* S. Eligij Noviomensis auctor est, hoc ipso tempore quo Martinus Papa in exilium abductus est (cuius & constantiam mire prædicat) quemdam hæreticum pulum à partibus transmarinis in Gallias venientem, cœpisse Augustoduni subdole nefanda sua dogmata prodere cumque id in Palatium ad aures S. Eligij perueniret, consilio cum ipso Audoeno inito (hi enim ambo & præcipuæ erant apud Regem Clodoueum auctoritatis, & arctissimæ inter se amicitiæ) egisse cum Rege, vt ad illum hæreticum refellendum Synodvs Episcoporum *Aurelianis* congregaretur. In qua cum idem hæreticus mira in disputando subtilitate omnes Antistitum rationes diu eluisset, tandem cuiusdam doctissimi Episcopi nomine Saluij industria conuictum, communi Episcoporum sententia damnatum esse, & cum ignominia a finibus Galliarum eiectum. Hæc Audoenus: quæ plane eadem habentur in ipsius Audoeni Rebus *c* gestis: sed quisnam hæreticus iste, vel cuius hæresis fuerit, neutrobi dicitur.

CONCIL. AVREL. PRO DAMNATIONE CVIVSDAM HÆRETICI.

c Ap. Sur. 24. Aug.

Nec vero hic omittendum, quod ante discessum ab Vrbe Martini Papæ contigisse constat; nempe S. Landelium *d* Cameracensis Ecclesiæ presbyterum, cum iam tertio profectus esset Romam ad Limina Apostolorum, ab eodem Martino munus prædicationis suscepisse acceptumque talentum bene impendisse, claruisseque miraculis, ac multa monasteria erexisse, fauente ipsi sua munificentia Clodoueo Francorum Rege. Itemque *S. Amandum* Episcopum Leodiensem, pariter Romam venientem, ab eodem Pontifice prædicationi Euangelicæ ad Gentes mancipatum fuisse, fructuseque vberes ex Gentium conuersione collegisse: vt S. Bauonis Acta *e* significant, necnon *S. Landoaldi f* Archipresbyteri, qui à Martino datus est vna cum *Amantio* diacono, ipsi Amando comes. Insuper & eadem de causa accessisse ex Hibernia *S. Follianum*, nempe vt exemplo *Fursei* ipsius Germani, acciperet benedictionem ad Infidelium conuersionem; traduntur eius Acta *g*. Porro consuetum fuisse sumi à Pontifice Romano licentiam prædicandi Gentibus, alia quoque docent exempla quamplurima, de quibus etiam agitur his Annalibus, suis quibusque locis.

V. DIVERSI SANCTI VIRI APOSTOLATVM ACCIPIVNT A SVM. PON.

d Acta S. Landel. ap. Sur. 15. Ianuar.

e Ap. Sur. 1. Octob.

f Ap. Sur. 2. Mart.

g Ap. Molan. in Natal SS Belgii. Octob.

IESV CHRISTI AN. 651.

MARTINI AN. 3.

CONSTANTIS AN. 10.

ANno Domini sexcentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona, decimotertio Calendas Septembris, Oswinus in Anglia Rex nono regni sui anno, proditione amici occisus migrauit ad superos. Ita Beda *a*, qui eius egregia facta scriptis commendata posteris spectanda reliquit. Addit quoque, *Aidanum* Episcopum, de quo superius dictum, mœrore Regis, quem multum ob ipsius pietatem, humilitatem, ceteraque virtutes diligebat, confectum, post dies duodecim decessisse, nimirum pridie Calendas Septembris; cuius & miracula recensel, ex quibus dignus habitus est qui annuersario cultu ab Ecclesia Catholica celebretur.

I.

a Bed. lib. 3 hist. Angl. c. 14.

Hoc item anno, inchoata iam Indictione decima, S. Martinus Papa cum in Naxo insula in ærumnis iam annum egisset, ad grauiora subeunda pro fide Christi à perfidissimis hæreticis supplicia, mense Nouembri Constantinopolim ductus est; ibique licet ægritudine laboraret, nihilominus tam in carcere, quam coram Magistratibus, multis calumnijs impetitus, diriissima passus est; cum & Pontificijs insignibus exutus, ac seminudus constitutus ferreis catenis collo totoque corpore vinctus, publice per vrbem Constantinopolitanam à carnificibus tractus est; sed & catenarum pressuris laceratus, frigoreque & inedia in horrido carcere consumptus, omni denique ex parte afflictionibus lancinatus, gladio quoq; vitã finiisset, (quod maxime optabat) nisi Paulus Constantinopolitanus Episcopus, horum omnium malorum architectus, eodem tempore in peccatis suis moriens, conscientiæ tamen stimulis coactus peccatum in Martinum agnoscere, (*Hei mihi!* inquiens, *& hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est.*) Imperatorem adiuasset, nihil amplius mali ei inferri. Quapropter exulare tantummodo Chersonam in Ponto Euxino iussus est: quod vtique anno sequenti accidisse constat; siquidem detentus est Constantinopoli in carcere sex integros menses. Porro ista omnia quæ summatim retulimus fuse describuntur in litteris *b*, quas superius diximus exaratas fuisse ad Cle um Roman. & alios Occidẽtales ab vno ex illis qui eidem Pontifici peregri-

II. MART. PP. CERTAMINA IN EXILIO.

b Ap. Martin. ep. 16.

nationis

nationis comites adhæserunt. Quot autem cladibus illatis in Romanum Imperium à Saracenis, vltus sit Deus tanta hæc in Summum totius Orbis Pontificem patrata facinora, desctibunt Annales c Græcorum.

c *Cedr. in Heracl. an. 20.*

IESV CHRISTI AN. 652.

MARTINI AN. 4.

CONSTANTIS AN. II.

I. RELEGATVR CHERSONAM.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo secũdo, Indictione decima, S. Martinus Romanus Pontifex ipsa sancta quinta feria Cænæ Domini Constantinopoli soluens, Chersonam locum exilio suo destinatum Idibus Maij perductus est: qui quidem locus infelicissimus ad exilium sancti viri, delectus esse visus est, vt ibi fame consumptus diem extremum claudere cogeretur. Quantis enim incommodis ibi laboraret, vbi nulla incolis charitas esset, (quippe qui ferme omnes Gentilismum colerent) atque omnium rerum penuria tanta esset, vt & panis ibi nominaretur tantũ, non videretur, ipsemet testatus est duabus epistolis *a* illinc scriptis ad quosdam familiares suos Constantinopoli degentes.

a *Martini ep. 17. 18.*

II.

Sed quod maiorem viro sancto dolorem incussit, fuit cũ subrogatum sibi successorem, se viuente & pro fide exulante, audisset. Hoc enim eodem anno cum exutus ille Pontificatus insignibus, missusque tam longe apud Gentiles in exilium absque spe vlla restitutionis, iam inter mortuos propemodum collocaretur; Calliopas Exarchus impleuit Romæ quod in mandatis acceperat ab Imperatore, vt in locum Martini alius subrogaretur. Et Romanus Clerus, licet diu reluctatus, ne tamen cogeretur subire periculum quod imminebat, vt nisi ipse eligeret, daretur inuitis ab Imperatore Pontifex, qui eiusdem cum eo esset hæresis propagator; elegit tandem (Vicaria tamen, dum Martinus viueret, Præfectura) *Eugenium*, patria Romanum filium Ruffiniani; qui inde maximam compatauerat sibi laudem, quod ab ipsis ferme incunabulis vacasset rebus Ecclesiasticis, semperque extitisset erga pauperes munificentissimus. Porro eius electionem contigisse hoc anno die nono Augusti, colligitur ex Anastasio, dum eius sedis tempus recenset.

EVGENIVS DATVS SVCCESSOR MARTINO AB IMP.

III. IMPII EPISCOPI CONST.

Hoc eodem anno, cum (vt diximus) superiori defunctus esset impius Paulus Constantinopolitanus Episcopus; post multas de successore contentiones, subrogatus est, cui plerique contradicebant, bis impius *Pyrrhus* apostata: qui miser vbi sedisset *b* menses quatuor & dies viginti tres, mortuus est, & in locum eius suffectus æque impius *Petrus*, sed anno sequenti.

b *Niceph. in Chron.*

IV.

Ad hunc *c* quoque annum, *Emmerammi*, siue *Heimerammi*, Episcopi Ratisponensis martyrium referendum esse, liquet ex ipsius antiquitus scripto Epitaphio: quod quidem contigit sub Theodone Bauariæ Principe, cum eiusdem Principis filia Ota virgo Sigibaldo cuidam commixta, ex stupro concipiens, in vitæ discrimen vna cum iuuene adduceretur. Siquidem ipse Heimerammus, vt eos à nece eriperet, (Christi exemplo, qui aliena innocens super se peccata suscepit libens volensque) sibi passus illud stupri crimen adscribi, licet postquam nocentem à morte liberasset, suam innocentiam defenderet, & pro causæ cognitione ad Romanum Pontificem vna cum accusatoribus remitti postularet; nihilominus à Lantberto Theodonis filio cædi iussus, post singulorum membrorum detruncationem, & oculorum ac linguæ euulsionem, truncus relictus, adhuc prophetice nonnulla locutus est, ac tandem expirauit, miraculis post obitum clarissimus. Narrant hæc fusius eiusdem Acta *d*, scripta à Cyrino Episcopo item Ratisponensi, qui eodem ferme tempore vixit. Natalem autem eius, decimo Calendas Octobris in sacras Martyrum relatum Tabulas, anniuersaria die egregio Catholica Ecclesia celebrat elogio.

c [Habet hæc Baron. ann. 701. sed postea correxit in Appẽd. Tom. IX. & in hunc annum 651. referenda præcepit.] MIRA EMMERANNI CHARITAS.

d *Ap. Sur. 22. Sept.*

IESV CHRISTI AN. 653.

MARTINI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 12.

I. NON RECIPIVNTVR ROMÆ LITERÆ D'ETRI EPISCOPI CONST. HÆRET.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione vndecima, in Pyrrhi locum subrogatus est in sede Constantinopolitana ab hæreticis *Petrus*, qui in eadem Ecclesia suscipiendorum hospitum munere fungebatur, hæreticus & ipse Monothelita: qui vt faciem saltem Catholici hominis ostenderet, ad Eugenium, loco S. Martini Romæ sedentem, quo ab eo in communionem recipi mereretur, litteras misit: sed cum eæ multis ambagibus inuoluerentut, tumultuante aduersus eas Clero ac populo, omnino reiectæ sunt; vt tradit Anastasius in Eugenio.

II. CONCIL. TOLET. VIII.

Hoc eodem anno, quo Recceſuinthus in Hispania quintum inchoauit sui regni, Æra sexcentesima nonagesima prima, mense Decembri, celebrata est SYNODVS TOLETANA, Octaua dicta, cui interfuerunt Episcopi quinquaginta duo, præter absentium Vicarios, & Abbates, præfuitque *Orontius* Emeritensis Metropolitanus, ceteris senior: à quibus statuti reperiuntur canones duodecim. Exarsit vero potissimum zelus Patrum aduersus sacros ministros carnis inquinamento pollutos: itemque aduersus quoscumque, Fideles, qui prætextu incommodæ ægritudinis, Ieiunij Quadragesimæ violatores existerent. Sed & illud memoria dignum statuerunt *a*, vt Pontificum Hispanorum & maiorum Palatinorum negotium esset, quem Regi defuncto succedere vellent, eligere; eique rei fierent ab ipsis comitia, aut in vrbe regia, aut in loco vbi contingeret Regem mori. Porro si hæc de electione Regum Hispaniarum sancire potuerunt Hispaniæ Episcopi; quid adeo mirandum, primum summumq; in Ecclesia Catholica Hierarcham de Electoribus Imperatorum constituere decretum?

a *Concil. Tolet. VIII. c. 10.* EPISCOPI HISP. CVM OPTIMATIBVS DE LIGVNT REGEM.

[Quod quidem habitum esse constat anno quinto Recceſuinthi: sed quia regnauit ipse simul cum patre, alii aliter & annos eius numerant, & consignant Concilia Toletana sub eo celebrata.]

III. CONTRA IVDÆOS INGITER FVIT IN HISP. AGENDVM.

Cum autem aduersus Iudæos querela Regis Synodum interpellasset, placuit *b* vt in eos qui post Christianam fidẽ susceptam ad Iudaismum reuersi essent, leges Sisenandi Regis seueræ admodum exercerentur: quarum timore iidem conuenientes, atque pœnitentiam præseferentes, ad Recceſuinthum Regem anno sequenti scripsere libellum *c*, quo se obseruantissimos Christianæ legis fore iureiurando promiserunt. Verum semper Hispaniarum Episcopis super huiuscemodi perfidis hominibus inuigilandum fuit, vtpote qui mille artibus fallere, promissis non stare, tegereque impietatem velamento religionis consueuerunt: vt vix sit reperire celebratum post hæc ibi Concilium, in quo non fuerit aliquid de his statuendum: cum tamen non inficias ierimus, inter tot vepres lilia nasci sæpe visa esse, viros, inquam, ex iis pietate insignes.

b *Ibid. c. 11.*

c *For. Iudic. lib. 12. tit. 2. c. 16.*

IV. ILDEFONSVS ABBAS, POSTEA EPISCOP. TOLET.

Ceterum in hac *Synodo* post scriptos canones secuta est subscriptio, primum Episcoporum, deinde Abbatum, postea Vicariorum absentium Episcoporum, ac demum illustriũ Palatinorum. Qui autem quarto loco inter Abbates nominatus reperitur *Ildephonsus*, fuit insignis ille sanctitate & doctrina clarus, qui postea successor extitit Eugenij in Ecclesia Toletana; olim vero discipulus fuerat S. Isidori Hispalensis Episcopi, cum adhuc militaret clericus in Ecclesia Toletana, indeque monasticam vitam professus, Agaliensis cœnobij præfecturam acceperat: de quo plura dicenda inferius.

V. PROPAGATA RELIGIO IN ANGLIA.

Hoc item anno propagatus est Christianismus in Anglia, cum populi Middelengli, id est, Mediterranei Angli, vna cum Principe eorum Penda (filio alterius Pendæ Merciorum Regis, crudelissimi Pagani, & aliorum Christianorum Regum peremptoris) fidei mysteriis sunt imbuti, haud abnuente Penda patre, occasione postulatæ à filio in vxorem Alchfledæ filiæ Osvvi Regis Nordanhumbrorum Christianæ fœminæ, quæ pluribus Beda *d* prosequitur. Hocque pariter anno signatum habetur martyrium Reginæ *Osithæ*

d *Bed. in Epit. hist. an. & l. hist. 21.*

e in

e Vict. vitt. alia ap. Sur. 7. Oct.

e in eadem Anglia; quæ educata in monasterio, cum inde contra votum à parentibus tradita esset nuptui Regi Orientalium Saxonum, ab eo intacta seruata licentiam accepit monasterium rursum ingrediendi; vbi feliciter martyrium est consecuta ab irruentibus piratis Danis Gentilibus. Ac denique eodem anno Sigebertus consignat obitum *S. Iudoci* filij Regis Britonum; qui spreto regno & mundo, peregrinus & eremita in pago Pontino quieuit.

VI. COLOSSVS RHODIVS FRACTVS A SARAC. Syr. Pan. ap. 344.7.

Quod pertinet ad res Orientales, hoc item anno Constantis Imp. duodecimo (vt habent ex Theophane Annales Græcorum) Mauuias Saracenorum Princeps Rhodum veniens, *Colossum*, siue æneum illud Solis simulacrum, in portu constitutum, interque septem mundi miracula olim numeratum, (cuius nimirum tanta magnitudo erat, vt diuaricatis cruribus spatium præberet nauibus portum ingredientibus, altitudinem habens centum viginti sex pedum) iam antea g terræmotu disiectum, confregit, Iudæoque cuidam Emeseno vendidit, qui nongentos camelos ex eius ære oneranit.

g Cedr. Oxon. 1.9. vt ex in Eutych. Chron.

VII. DE MANICHÆIS IN ARMENIA REGENTIB.

Quo eodem tempore Armenia ab iisdem Saracenis longe lateque deuastata est. Eam vero cladem hæc meruit prouincia, quod Manichæorum hæresis, tot ante Conciliis ac legibus Imperatorum sæpe sæpius iugulata, ibidem reuiuiscere cœpit subdolis artibus cuiusdam *Constantini* hominis Manichæi qui tamen quod videret Manichæos capitali vbique supplicio puniri, eorumque libros flammis tradi, quo facilius auditores suos in fraudem perduceret, fingens se Manetis doctrinam repuere, Basilidis aliorumq; antiquorum hæreticorum flagitia amplexus, nouus repente pernicioſæ pestis ductor exiliit; solaque iactans Euangelica & Apostolica scripta, seque *Siluanum* illum esse mentiens, quem Paulus olim Apostolus in Macedoniam miserat, quamplurimos in errorem pertraxit. Qua de re certior factus Constans Aug. aduersus eos Palatinum quemdam Symeonem misit, qui pseudo Siluanum illum ab vno ex carissimis ipsius discipulis lapidis ictu occidendum curauit. Verum & ipse postea infelix *Symeon* ab iisdem Siluani discipulis misere seductus, eiusdemque impietatis successor factus, vt nomini suo famam eadem qua decessor arte conciliaret, *Titi* nomen (illius videlicet discipuli S. Pauli) sibi vsurpauit, multosque & ipse in errorem perduxit: donec occasione schismatis inter ipsum, & Iustum Siluani interfectorem, de interpretatione Scripturæ oborti, omnes ferme eiusmodi hæretici sub Iustiniano *h* Imp. eius nominis Secundo igne combusti sunt: qui tamen rursum sub Leone Isaurico repullularunt, vt dicetur suo loco. Hæc autem, quæ multis annis gesta breuiter in vnum congessimus, desumpta sunt ex veteri historia *Petri Siculi*, qui aduersus Manichæos egregium edidit commentarium ad Archiepiscopum Bulgariæ, quem nondum editum custodit Vaticana Bibliotheca: floruitque sub Basilio & filiis Imperatoribus anno Christi octingentesimo septuagesimo, cum adhuc vigerent in Oriente eiusmodi hæreses.

h Ap. Baron. an. 685.

quoque septentrionalibus magna veneratione coli eius apud Chersonam sepulchrum, variaque curationum signa ibidem edi solita, & iam olim testatus est Gregorius Papa Secundus scribens ad Leonē Isauricum; hodieque id ipsum factitari, qui eas regiones peragrarunt tradunt. Vnde in eam sententiam imus, vt etsi corpus eius Romā delatum est, pars tamen aliqua Chersonæ remanserit, vendicantibus eum vt suum martyrem incolis Christianis. Vbi autem Romæ eius obitus innotuit, nullus alius quæsitus est qui ipsi succederet, sed qui tunc sedere per imaginem saltem EVGENIVS (vt diximus) inuentus est, accedente rursus semel antea lato Cleri consensu legitime sedere cœpit: vt nonnisi ab hoc tempore eius Pontificatus tempus sit numerandum.

EVGENII LEGITIM. PONTIF.

[* Qui in literis ab vno ex eius exilii comitibus ad Occidentales scriptis, itemque in Hypomnestico quod habetur in Collect. Anastas. Biblioth. diserte asseritur contigisse die decimasexta Sept. qua celebratur memoria S. Euphemiæ virg. & mart. Indict. decimaquarta]

II. IMP. VINCITVR A SARAC.

Hoc eodem anno Constans Imp. à Saracenis nauali prælio superatus est apud Phœnicem Lyciæ; ipseque in maximum vitæ discrimen adductus, vix mutata veste fugiens saluus euasit, & de relictis omnibus Constantinopolim se recepit. Sic enim vox sanguinis iusti Abel, Martini inquam, clamauit in perfidum ipsum imperatorem, qui instar Cain nonnisi in fuga nouit sperare salutem. Quomodo autem ista se habuerint à Theophane *b* narratur pluribus. Qui & ait, cum nocte prælium præcedente Imperator somniasset se esse Thessalonicæ, id ei coniectores interpretatos esse de futura clade, per vocabula inuicem separata, *Vis ἄνω νικᾶν Cede alteri victoriam.*

b Theoph. an. 13. Const. Imp.

III. VIOLATOR SEPVLCHRI CORREPTVS DIVINITVS.

Hoc item anno Rotharis Rex Longobardorum Arianus, vbi regnasset annos sexdecim & menses quatuor, moriens Regnum reliquit filio Rodoaldo. Quo iuxta basilicam S. Ioannis Baptistæ humato, cum post aliquod tempus quidam noctu aperto sepulchro, omnia corporis ornamenta abstulisset; hic eadē causa per visionem à B. Ioanne grauiter increpitus, quod licet Rotharis Arianus fuisset, tamen eidem Sancto se commendasset, quotiescunque deinceps ingredi vellet dictum S. Ioannis ecclesiam, confestim valide repulsus, retro ruere cogebatur. Rem probe testatam narrat Paulus c diaconus: ex quibus obserues, nec impiorum preces interdum despicere Sanctos, vel irremuneratas relinquere præmio saltem aliquo temporali: siquidem & creator omnium Deus solem suum oriri facit super bonos & malos.

c Paul. diac. lib. 4. de gest. Longob. c. 48.

IV. DE S. FOLLIANO, ET SOCIIS MART.

Hoc eodem Redemptoris anno *Follianus* Fossensis Episcopus natione Hibernus, qui à S. Martino Papa prædicandi Gentibus Euangelium auctoritatem acceperat, martyrij coronam suscepit vna cum tribus discipulis: quorum Acta tu vide in Martyrologio *d* Belgico, quod Molanus illustrauit: sicut & *Leuini* Gandensis Episcopi, qui eidem comes inhasit & magister extitit; occubuit autem multis vulneribus confossus, dum prædicationi Euangelicæ instaret apud Eschaim. Etenim sancta his temporibus pertigit æmulatio Hibernos & Scotos religionis Christianæ cultores. Quod enim scissent, ab Vrbe complures in Britanniam ad Anglorum conuersionem sanctos viros missos, & ipsi hactenus id non sine culpa neglexisse viri essent, quod ob locorum propinquitatem commodius peragere potuissent; complures ex ipsis paternis egressi domibus ad prædicandum gentibus Euangelium profecti sunt, vt ex Beda apparet, & nonnullorum Sanctorum vitæ Actis omni fide cōscriptis. Sed auctor, vt ex Hibernia eiusmodi homines transferrentur in Gallias, vel alias eius regiones, fuit *Vincentius* Comes Hannoniæ, qui vxorem habuit consanguineam Regis Dagoberti beatissimam Waldetrudem: missus enim à Francorum Rege in Hiberniam, inde secum duxit strenuos fidei prædicatores, Follianum, eiusque germanum Fursēum, cum aliis quos egregia sanctitas decorauit: sed & ipse Vincētius excultus manu S. Authberti Cameracensis Episcopi, tandem monastico suscepto habitu sese totum CHRISTO addixit, & in Sanctorum *f* album post obitum relatus est.

d Martyr. Belg. vlt. Octob. eiusd. 12. Nouemb. ZELVS HIBERN. ET SCOT.

DE S. VINCENTIO COMITE HANNON.

f Molan. 14. Iul.

IESV CHRISTI AN. 654.

EVGENII AN. 1.

CONSTANTIS AN. 13.

I. S. MART. PP. OBITVS. *

ANNVS Christi sexcentesimus quinquagesimus quartus, cœptus est Indictione duodecima: quo *S. Martinus* Papa ærumnis confectus Chersonæ in Ponto, inchoata iam Indictione decimatertia, ex hac vita migrauit duodecima die mensis Nouembris, qua ab Ecclesia Catholica colitur vt martyr: cuius corpus multis miraculis coruscans, Romam postea (licet tempus ignoretur) translatum est, & in Titulo Equitij collocatum. Sed & ab ipso adhuc viuente cæcum in Oriente illuminatum fuisse, fidem facit qui eodem tempore vixit S. Audoenus Rotomagensis Episcopus in Rebus a gestis S. Eligij Nouiomensis, dum eiusdem S. Martini gloriosum martyrium summis laudibus prædicat. A populis

a Cap. 34. ap. Sur. 1. Dec.

IESV CHRISTI AN. 655.

VITALIANI AN. 1.

CONSTANTIS AN. 14.

I. EVGENII PP. OBITVS.

ANNO Domini sexcentesimo quinquagesimo quarto, Indictione decimatertia, die secunda Iunij, Romæ diē obiit *Eugenius* Papa; sepultusque est apud S. Petrum. Cuius sedes cum vacasset (vt ait Anastasius) mensem vnum & dies viginti nouem, siue vt habet alia lectio, dies viginti tres; in eius locum subrogatus est VITALIANVS, filius Anastasij, patria Signinus prouinciæ Campaniæ. Qui ex more Apocrisiarios, siue Responsales suos confestim ad Imperatorem Constantinopolim misit, cum Synodica de fidei Catholicæ cōfessione; quos Imperator benigne suscepit, confirmatisq; priuilegiis Romanæ Ecclesiæ, per eosdem misit ad Papam sacrosanctum Euangeliorum librum gemmis albis miræ magnitudinis exornatum, offerendum basilicæ S. Petri Apostoli. Ita plane callidus Princeps, quo rebus Occidentalis Imperii bene consultum esset, conatus fuit muneribus saltem demerere Clerum Populumque Romanum, quos sciret sibi infensos reddidisse per electionem S. Martini Pōtificis. Et quamuis Anastasius hæc referens, non dicat illum emisisse fidei Catholicæ professionem; æque tamen id possumus intelligere, nihilque penitus prætermisisse quo Catholicus forinsecus hominibus appareret. Sed & cum eadem legatione Vitalianus literas dedisset ad Petrum Constantinopolitanum Episcopum, hortans eum ad fidem Catholicam amplexandam; rescripsit ille se profiteri quæ docuissent veteres Patres, quorum etiam adnexuit testimonia: sed quanta id fraude fecerit, circumcisis iis & detruncatis, detectum est postea in Sexta *a* Synodo.

FRAVS CONSTANTIS IMP. ET PETRI EPISCOP. CONST.

a Sext. Syn. Act. 13.

II. PROPAGATVR RELIGIO IN ANGLIA.

Contigit hoc eodem anno latius propagari in Anglia Christianam religionem, cum eam Mercij & Orientales Saxones amplexi sunt, opera *Osvvi* Regis Nordanhumbrorum Christiani, & prædicatione *Cedd* Episcopi Apostolici plane viri: conuerso ab eodem Osvvi, Sigeberto Rege Orientalium Saxonum, & deuicto Penda Gentili Merciorum Rege crudelissimo, qui cum trieies maiori exercitu aduersus Osvvi processerat: ad quem in prælio obtinendum, vouerat Osvvi filiam suam Domino sacra virginitate dicandam offerre, & multa prædia ad construenda monasteria donare: quod & præstitit post victoriam adeptam. Rex vero Sigebertus paulo post susceptam Christianitatem, necatus est à duobus suis propinquis, non alia de causa (vt confessi sunt) quam quod ille nimium indulgens esset in condonandis iniuriis. At per hanc eius mortem innnoxiam expiauit Deus aliam veram ipsius culpam, qua communicauerat vni ex iis qui eum occiderunt, quem Cedd Episcopus ob illicitum coniugium excommunicauerat. Et quamuis veniam culpæ Rex ab Episcopo summa humilitate petiisset, nihilominus vltus est Dominus, secūdum viri sancti prædictionem, eius inobedientiam. Vnde discant Principes, aliique omnes, quanto suo damno non pareant sacerdotibus, quantaque iactura quis communicet excōmunicatis. Hæc autem cuncta quomodo se habuerint, pluribus describit Beda *b*.

REX OCCISVS OB CHRISTIANAM MANSVETVDINEM.

b Bed. hist. Ang. l.3. c.22 & 24.

Hoc item anno in Hispania celebratum est mene Nouembris TOLETANVM CONCILIVM, Nonum dictum, Æra nimirum sexcentesima nonagesima tertia, Regisque Recceswinthi anno septimo; cui interfuerunt Episcopi sexdecim, præter Abbates & Vicarios Episcoporum absentium, præfuitque *S. Eugenius* eiusdem ciuitatis Episcopus, eius nominis secundus; ac sanciti sunt canones septemdecim, de rebus, bonis, & personis ad Ecclesiam pertinentibus; quos tu consulas.

III. CONCIL. TOLET. IX.

IESV CHRISTI AN. 656.

VITALIANI AN. 2.

CONSTANTIS AN. 15.

I. IMP. LABORAT SVBVERTERE MAXIMVM.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione decimaquarta, ab Imperatore Constante, & Petro Constantinopolitano Episcopo, decreta est legatio ad Maximum Abbatem confessorem, Byziæ in Thracia exulantem, quo eum in errorem Monothelitarum perducerēt: missique fuere Theodosius & Paulus Patricij & Proconsules, atque alter Theodosius Cæsariensis in Bithynia Episcopus, vir omnium eius sectæ doctissimus. Hi autem cum diu contulissent cum Maximo, tantum abfuit vt eum à cœptis reuocauerint, vt contra ipse eosdem summa potentia veritatis in suam sententiam traxerit; & ad iurandum adegerit, se abiecta hæresi Catholicam fidem amplexuros: sicque reuersi sunt ad Imperatorem, quo & ipsum in eandem sententiam perducerent. At vero assentiri renuens Imperator, misit rursum eundem Paulum Patricium, qui Maximum honorifice Constantinopolim duxit, constituitque in monasterio S. Theodori: sed cum illuc statim ad eum, duriorem misisset Imperator aliorum Patriciorum legationē, iidemq; nec verbis, nec factis admodum illiberalibus, eum commouere potuissent vt communicaret Ecclesiæ Constantinopolitanæ hæresi pollutæ, eundem omnibus rebus exutum, variisque calumniis oneratum, Perbera locum Thraciæ determinum in finibus Imperij situm in exilium amandarunt. Quæ omnia exacte narrantur in ipsis earum rerum Actis, quæ tunc scripta fuerunt ab aliquo qui omnibus præsens extitit; quæ & postea Anastasius Maximi discipulus, vna cum aliis eiusdem rebus gestis simul collegit; extantque in codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, quorum superius facta est mētio. Quomodo vero demum martyrium consummarit, dicetur anno sequenti.

ALIVD DE TERRIMVM MAXIMI EXILIVM.

II.

Interea qui obniti hactenus visus est veritati, Imperatoris fauens prauis affectibus, Petrus Patriarcha Constantinopolitanus, vbi sedisset annos duos (corrupte apud Nicephorum leguntur duodecim) & menses tres, mortuus est; atque in eius locum subrogatus *Thomas*. Qui cum in Synodo *a* Sexta asseratur fuisse Catholicus, in eo deprauata esse eiusmodi Acta, (quod & in multis aliis eidem Synodo accidisse à mala manu Theodori Constantinopolitani Episcopi videbitur suo loco:) satis constat ex iisdem S. Maximi sincerissimis Actis, in quibus idem Thomas recensetur cum Monothelitis aduersus Maximum sedisse.

a Syn. Sext. Act. 16.

III. CONCIL. TOLET. X.

Celebratum est hoc anno Calendis Decembris *Toleti* CONCILIVM, quod numeratur Decimum, Æra nimirum sexcentesima nonagesima quarta, annoque Recceswinthi Regis octauo; cui interfuerunt Episcopi viginti, Vicarij vero absentium quinque; præfuitque *S. Eugenius* Toletanus Metropolitanus, ac sanciti sunt canones septem. Primoque loco statutum, vt dies festa Incarnationis Verbi, nempe *Annuntiationis* Deiparæ, celebraretur ante octo dies à Natali Domini, eo quod quando reuera mysterium illud incidit, Ecclesia vel Ieiunij Quadragesimalis pœnitentia, vel celebritate Paschæ teneri soleat occupata. At visum postea *b* ob excellens mysterium, nonnisi ea die qua contigit celebrari debere.

DE DIE CELEBRANDÆ ANNVNTIATIONIS.

b Vid. inf. an. 1004.

IV. POTAMIVS EPISC. SE IPSVM ACCVSAT.

Post conditos vero canones, cognita est causa Potamij Episcopi Bracarensis; qui (quod mirum visum fuit) nemine accusante, se ipse prodens abdicansque, libellum obtulit sui lapsus & pœnitentiæ: videlicet confessus se tactu femineo sordiisse, indeque per nouem ferme iam menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo cuidam pro admisso flagitio acturum pœnitentiam se concluisse. Cuius rei gratia in lacrymas vniuersa conuersa Synodus, licet illum antiqui canones honore priuari decernerent; tamen eius miserata, reseruauit illi nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione iam abstulisset; sed ita vt iusserit eum perpetuæ pœnitentiæ inseruire: in ipsius vero locum præ-

posuit

posuit Ecclesiæ Bracarensi *S. Fructuosum*, Ecclesiæ Dumiensis antea Episcopum, ex Regio Gothorum sanguine ortum, Ducis filium, multorumque monasteriorum conditorem & patrem. Aduertendum autem, citatum à Patribus Synodi ad condemnationem Potamij canonem, non aliquem fuisse ex canonibus pœnam infligentibus eiusmodi lapsis, sed canonem Concilij Valentini Galliæ, aduersus eos qui sua sponte proderent culpam: quos quidem omnino damnandos esse voluere; nam siue re vera peccatum admisissent, ob peccatum puniendi; si vero non admisissent, ob mendacium plectendi forent: de quo dictum est suo loco.

CANON DE CLERICIS PVBLICE SVA CRIMINA PRODENTIBVS.

IESV CHRISTI AN. 657.

VITALIANI AN. 3.

CONSTANTIS AN. 16.

I. S. MAXIMI INSIGNES CERTAMEN PRO FIDE CATHOL. [a Nisi potius hæc Iudicum quæstio exilium Maximi præcesserit, quod ciillatum ante biennium.]

ANno Domini sexcentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decimaquinta, S. Maximus Abbas, amboque Anastasij quos vna cum eo in exilium pulsos vidimus, Constantinopolim reuocati sunt *a* ad dicendam causam de calumniis, quibus à suppositis testibus accusarentur, quasi Imperium hostibus prodidissent, & in Imperatorē dira obloquti essent: illud agentes perfidi Monothelitæ, vt eos à Catholica fide diuellerent, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ hæresi pollutæ communioni sociarent, à qua viderent quam plurimos eorum constantia commotos recedere. Cum igitur Constantinopolim ducti, ibique impulsu potissimum Thomæ Patriarchæ, diuersis diebus & in Senatu & alibi interrogati, atque omnibus artibus tentati, nunquam à sententia dimoueri potuissent; tandem Præfecto Vrbis puniendi traditi, Maximus quidem septuaginta iam & quinque annos natus, ipsiusque discipulus Anastasius, qui ei annis triginta septem comes inhæserat, primo distentis neruis adeo crudeliter cæsi sunt, vt nullum membrum à plagis sanum relictum fuerit; sicque in carcerem coniecti, postero die rursum educti ambo lingua præcisi sunt. Cum vero ingenti miraculo nec sic desisterent æque articulate atque antea loqui, iisdem crudelissime restibus tormentisque laceratis, dextræ manus amputatæ sunt; ac demum ludibriis atque dicteriis per medium forum circumducti, nudi omnibusque omnino Rebus destituti in exilium rursum emissi sunt, vna cum altero Anastasio æque ipsius Maximi discipulo; quem licet & ipsum flagellis cæciderint, reliqua tamen pepercerunt ei inferre supplicia, respectu muneris quo functus fuerat Apostolicæ Sedis Apocrisiarij.

LOQVVNTVR MARTYRES LINGVIS ABSCISSIS.

II. S. MAXIMI CONSVMMATIO MARTYRII

Perductus autem Maximus in quoddam Alaniæ castellum, Schimarim dictum, (nam reliqui duo in diuersa regionis Abasgorum loca, ab inuicem disiuncti emissi sunt) ibique concluſus detentus, demum Indictione quinta, obitus die diuinitus præcognito, migrauit in cœlum Idibus Augusti: cuius monumentum tres lucidæ faces ingenti splendore illustrare visæ sunt. Quæ quidem omnia summatim recensita, desumpta sunt ex prolixioribus Actis eodem ipso tempore summa fide conscriptis, quorum iam sæpe mentionem habuimus. Quibus insuper adstipulantur Theophanes aliique historici Græci, simul cum Latinis auctoribus: ita vt gloriosum S. Maximi martyrium, tam in Oriente quam Occidente Scriptorum omnium monumentis fuerit celebratū, ac Tabulis Ecclesiasticis insertum, accedatque ad gloriam tanti Martyris, quod sui nobilissimi ingenij, & fidei Orthodoxæ, permultas atque præclarissimas post se lucubrationes *b* reliquit, quas Bibliotheca Vaticana custodit; estque earundem ferme omnium apud Photium mentio. Ex iis vero cum aperte videre sit, quam fuerit Orthodoxæ fidei & paternarum traditionum in omnibus custos tenacissimus, atque etiam Romanæ Ecclesiæ obseruantissimus: est inter alia plurima egregium de hac re testimonium in epistola quam scripsit ad Martinum; vbi hæc ipsius reperiuntur verba, *Omnes termini terræ, & quicunque vbique terrarum Christum Dominum pura mente & Orthodoxa fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, ad sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & eius confessionem & fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes spiritualium & sanctorum dogmatum: quemadmodum Sex illæ sanctæ Synodi sacra disertis verbis, & magna cum religione exposuerunt, apertissime pronuntiantes fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuersæ vbique terrarum Christianorum Ecclesiæ à sancta Romanorum Ecclesia originem habuerunt, & fundamentum solum & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferi præualebunt, iuxta ipsiusmet Saluatoris nostri promissionem; vt habeat scilicet Claues Orthodoxæ in ipsum fidei & confessionis, & aperiat illis qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram & realem & solam pietatem quærentes, & claudat econtra & obstruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in cœlum, &c.* Hæc ille Theologus suæ ætate præcipuus, & martyrij titulo egregie insignitus: atque de illo hactenus.

b Retexit earum argumenta Baron. Annal. Tom. VII. hoc an. ex tribus codd. Vatic. nus. 335. 336. 337 extat atque nonnulla edita.

Hoc eodem anno, qui & numeratur nonus Recceſuinthi Hispaniarum Regis, *S. Eugenius* Toletanus Episcopus, eius nominis Secundus, mortuus est Idibus Nouembris: de cuius vita in clericatu & monachatu optime instituta, præclarisque lucubrationibus agit S. Ildefonsus *d*, qui ex monachorum præfecto successit eidem in Episcopatu Toletano. Sed & ipsius *Ildefonsi* tanta fuit morum sanctitas, vt multis miraculis claruerit, atque etiam aliquando non solum mirabili S. Leocadiæ virginis & martyris publica manifestatione honoratus fuerit; sed etiam cum immenso ardoret sanctissimæ Dei Genitricis amore, (cuius & laudes, cultumque in suis opusculis copiose prosecutus est) dignum illum eadem misericordissima Virgo censuerit, quem præsentia corporali visitaret in suæ solemnitate Assumptionis, siue, vt habet antiqua traditio Ecclesiæ Toletanæ, in die solemnitatis Expectationis eiusdem Deiparæ, quæ ibidem celebrari consueuit die decimaoctaua Decembris: cum videlicet ipse ante horas matutinas ex more ecclesiam ingressus ad orationem, reperit illam in cathedra Episcopali sedentem; quæ ei vestem candidissimam dedit & dona spiritualia impertiit, ac vitam æternam promisit. Cuiusmodi historiæ non solum recensentur in Rebus gestis eiusmodi S. Ildefonsi, quas paulo post eius obitum Iulianus (non ille Toletanus Episcopus, sed alius eiusdem Ecclesiæ diaconus) in præfatione voluminis S. Ildefonsi de laude B. Virginis contexuit: (vbi & addit, inde factum esse vt eam cathedram nullus Episcopus adire postea tentauerit; præter Sisibertum, qui statim eam perdens exilio relegatus est:) sed prædictæ Deiparæ apparitionis insuper meminit canon vndecimus Concilij in Hispania ad Pennam Fidelem, sub Ægidio Episcopo Toletano habiti anno Domini milesimo trecentesimo secundo, cum decreuit vt solemniori & duplici officio eiusdem S. Ildefonsi festiuitas celebraretur. Hisque omnes penitus quires Hispaniarum Ecclesiæ scriptis sunt prosecuti, & (quod magis est) Romanum ipsum Martyrologium decimo Calendas Februarij absque controuersia adstipulantur.

DE ROM. FIDE ET ECCLESIA, TESTIMONIVM MAXIMI. *Quod quidem habetur apud Baron. alia occasione Tom. X. an. 897. in LXXII. c Mart. 16.*

III

d *Ildef. de Vir. Illustr.* S. DEI GENITRIX APPARET ILDEFONSO.

Hoc item anno, qui numeratur vndecimus Sigeberti Francorum Regis, ipse ex hac vita migrauit; quamuis alii decem tantum vixisse annos tradant, alii toto cœlo errantes dicant peruenisse ad annum Domini sexcentesimum sexagesimum secundum. Constat *e* autem ipsum ob egregias animi virtutes, præclaraque pietatis opera, à maioribus relatum esse inter Sanctos, colique diem natalem eius Calendis Februarij: de cuius etiam miraculis scripsit libellum Sigebertus Gemblacensis. Qui quidem Rex cum frænum iniiciens indomitæ dominandi cupiditati, paterni regni ipse maior natu minorem sibi sumpsisset partem Austrasiæ, maiorem vero totius ferme regni cessisset minori fratri Clodoueo; bene vsus pace, cum ab externis & à ciuilibus bellis quiesceret, sese totum monasteriis erigendis, aliisque pietatis operibus mancipauit. Cum vero reliquisset vnicum filium, eundemque adhuc puerum nomine Dagobertum, adoptato iam antea, cum prole careret, Ildeberto filio Grimoaldi Maioris domus: huius Grimoaldi arte, post patris mortem, Dagoberto puero in Scotiam amandato, ipsoque Ildeberto à Clodoueo Sigeberti fratre in bello perempto; idem Clodoueus potitus regno Sigeberti, ipsum Childerico filio suo secundogenito tradidit, adolescenti (vt aiunt) leuissimo, & ad omnem prauorum impulsum facile mobili.

IV. OBITVS, ET PIETAS S. SIGEB. FRANCOR. REGIS.

e *Molan. Natal. SS. Belg. die 1. Febr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 658.

VITALIANI AN. 4.

CONSTANTIS AN. 17.

I. ANno Christi sexcentesimo quinquagesimo octauo, Indictione prima, Thomas Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset (vt habet Nicephori Chronicon) annos duos & menses septem, mortuus est; & in eius locum subrogatus *Ioannes* eiusdem Ecclesiæ Syncellus & Custos vasorum. Hic quoque in Sextæ Synodi Actis prædicatur Catholicus; sed perperam, vt & de eodem Thoma dictum est superius.

II. REX SARACEN. TRIBVTVM PENDIT IMPERATORI.

Eodem anno, Constãtis Imp. decimoseptimo, (vt Theophanes habet) pax sancita est inter Romanos & Saracenos; cum Mahuvias istorum Princeps suorum seditione compulsus, ad Imperatorẽ misit, pacis nomine in singulos dies ab Arabibus mille nummos depensum iri promittens, & equum, & seruum.

III. a *Sigeb. in Chron. Molan. de SS. Belg.* S. THEODARDI MARTYRIVM: b *Ap. Sur. 10. Sept.*

Hoc item anno *a S. Theodardus*, natione Gallus, professione monachus, qui ex Abbate monasterij Stabulensis (vnius ex duodecim, quæ erexisset in Austrasia Rex sanctissimus Sigebertus) inuitus fuerat constitutus Episcopus Leodiensis in locum defuncti *S. Remacli*; martyrij coronam adeptus est, cum Childericum Regem adiens, vt bona Ecclesiæ à quibusdam ablata, restituenda curaret, ab iisdem in itinere gladiis confossus est, & membratim discerptus: cuius extant *b* Acta scripta, vel restituta potius, à Sigeberto Gemblacensi. Successit vero ipsi *S. Lambertus*, discipulus & ipse S. Remacli, & martyrio pariter coronatus, vt suo loco videbitur.

IESV CHRISTI AN. 659.

VITALIANI AN. 5.

CONSTANTIS AN. 18.

I. CONSTÃS IMP. FRATREM SVVM DIACONVM OCCIDIT.

ANno Christi sexcentesimo quinquagesimo nono, Indictione secunda, Imperator Constans anno regni sui decimooctauo, fratrem suum Theodosium ob quamdam offensam diaconum consecrari fecit: eundemque paulo post nece auferens, fratricidium sacrilegio magis infamauit. Sed haud impune: exegit enim fusus sanguis innocẽs à Deo vindictam, vt omnibus vitæ suæ diebus, instar Cain, conscientiæ stimulis agitatus, profugus & vagus viueret super terram. Cum enim idem Theodosius, qui in sacrosanctis mysteriis poculo CHRISTI Sanguinis Constãtem impertierat, eidem crebro per quietem appareret habitu diaconi poculum sanguine plenum porrigens, ac dicens, *Bibe frater*; eius visionis frequentia victus infelix Imperator, statuit in Siciliam secedere. Itaque relictis Constantinopoli vxore cum tribus filiis, nauem conscendens, cum soluisset conuersus retro vrbem ipsam conspuit. In Sicilia vero Syracusas sibi delegit vbi vitam ageret; quo & statuit Imperium Romanum transferre, quod inuisus esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque prauas de religione opiniones: sed cum misisset qui vxorem & liberos adducerent, Constantinopolitani eos dimittere noluerunt. Hæc Annales *a* hoc anno exhibent. Agit vero Anastasius de Imperatoris Romam aduentu, antequam in Siciliam se conferret: sed de eo dicetur inferius. Porro nec in Sicilia insomnium illud vexare ipsum desisse, ex iisdem Annalibus constat.

DIVINA VLTIONE EXAGITATVS SECESSIT IN SICILIAM.

a Theoph. Cedr. an. 18. Const.

II. SARACENI RVRSVM INVADVNT IMPERIVM

Hoc eodem anno, qui bello ciuili suorum depressus Mahauias Princeps Saracenorum, pendere delegerat tributum Constanti Imperatori; iam exigẽtibus eiusdem Augusti peccatis, æmulo suo Hali nece sublato, solus absque timore imperans, aduersus Persas primum, inde aduersus Romanos sese erexit.

Eodem anno Rex Longobardorum Rodoaldus, vbi regnasset annos quinque, & dies septem, occisus est à Longobardo homine, cuius vxorem adulterio polluerat. Huius tempore illud memoria dignum contigisse Paulus *b* Diaconus refert, vt eiusdem ipsius Regis coniuge adulterij accusata, quidam Reginæ seruus Carellus nomine à Rege expetierit, vt cum eo qui Reginæ crimen ingesserat, pro eius castitate singulari certamine dimicare liceret, eaque re impetrata, idem Carellus, astante cuncto populo, calumniatorem superauerit, sicque Regina pristinæ dignitati restituta fuerit. Qua quidem origine inuexerunt barbari in Italiam, detestandã eiusmodi consuetudinẽ, vt monomachia iurgia definirent; qua sicut nihil crudelius, ita nihil stultius potest excogitari, cum nequaquam semper in vnoquoque bello victoria iustitiam consequatur, sed occulto Dei iudicio declinet interdum ad eum qui causam malam foueat. Ceterum successit Rodoaldo Regi Aripertus filius Gundibaldi, qui fuerat germanus Theodolindæ Reginæ.

III. b *Paul. Diac. lib. 4. c. 49. 50.* MONOMACHIA INTRODVCTA IN ITALIAM.

IESV CHRISTI AN. 660.

VITALIANI AN. 6.

CONSTANTIS AN. 19.

I. CLODOVEVS FRANC. REX INCONCESSA TENTAT.

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo, Indictionis tertiæ, qui & numeratur Clodouei Iunioris Francorum Regis decimusquartus, cum vigeret in Gallia grauissima fames, idem Clodoueus argentum, quo pater eius Dagobertus apsidem sepulchri S. Dionysij & sociorum Martyrum operuerat, auferri mandauit, eiusque loci Abbati egenis dispertiendum tradidit. Hæc Aimoinus *a*, eiusmodi factum pietati adscribens, quod ab aliis vt sacrilegium condemnatur. Quid enim Principibus in iis quæ Deo semel dicata sunt? vel cur non ipse prius regios thesauros distrahebat, quam sacra tangeret? aut si tale quid perpetrari necessitas suaderet, non illæ quidem regiæ manus, sed sacerdotales esse debuerant; sicuti ab Ambrosio, Augustino, Exuperio, aliisque sanctis viris quamplurimis factum scimus. Denique tradit Sigebertus, eundem Regem adeo irreuerenter S. Dionysij corpus discooperuisse, vt & os brachij fregerit, rapueritque, ideoque mox in amentiam perpetuam incidisse. Verum assertio de amentia, videtur redargui ex iis quæ de eo dicentur post sequentem annum. Sed quod ad reliqua spectat; post huiusmodi facinus, collabi cœpisse regnum Francorum familiæ Morouingorum, & traditur in Appendice ad Aimoinum *b*; & patebit ex iis quæ de Clodouei successoribus scribentur.

a *Aimoin. lib. 4. c. 41.*

QVANDO COEPIT DEFICERE REGNVM E FAMILIA CLODOVEI. b *Ibid. lib. 4. c. 44.*

IESV CHRISTI AN. 661.

VITALIANI AN. 7.

CONSTANTIS AN. 20.

I. OBITVS AMANDI FLANDRORVM APOST.

ANnvs Christi sexcentesimus sexagesimus primus, Indictionis quartæ, rerum gestarum inopia tam in Oriente quam Occidente obscurus, veluti face magnopere illustratur in Gallia, natali sanctissimi viri *Amandi a* Traiectensis Episcopi, *Flandorum Apostoli* nuncupati; de cuius in conuersione Gentilium susceptis laboribus dictum est superius. Quid præterea hoc anno gestum sit, nihil inuenimus adeo memoria dignum.

IESV

IESV CHRISTI AN. 662.

VITALIANI AN. 8.

CONSTANTIS AN. 21.

I. a *Aim. l. 4. c. 41.* CONCIL. CLIPPIACVM. DIVISIO MONASTERII S. DIONYSII.

ANno Domini sexcentesimo sexagesimo secundo, Indictionis quintæ, Clodouei Francorum Regis decimo sexto, (vt Aimoinus *a* habet) apud villam *Clypiacum* territorij Parisiensis collecta est SYNODVS omnium propemodum Francorum gentis Episcoporum, & secularium Principum: vbi in expiationem, puto, admissi quod vidimus aduersus S. Dionysium sceleris, idem Rex omnium consensu, ipsiusque etiam Landerici Episcopi Parisiensis, eiusdem S. Dionysij monasterium, vna cum omnibus possessionibus suis, ab Episcopi Parisiensis, cui antea parebat, aliorumque omnium dominio liberum esse constituit; ita vt nulli (vt ait) præterquam Deo, & Sanctis in quorum honorem ædificatum fuerat, ipsisque Francorum Regibus, subiacere deberet, quo liberius monachi pro salute Regum ac statu regni Deum deprecarentur.

II. b *Tom. 2. Concil.* CONCIL. CABILONENSE.

Sed & sub eodem Clodoueo Rege (quoto autem anno ignoratur) celebrata reperitur *b* octaua Calendas Nouembris SYNODVS CABILONENSIS; cui inter alios Episcopos sanctitate celebres interfuisse leguntur, qui etiam in dicto Concilio Clypiacensi præsentes fuerunt, SS. Audoenus Rotomagensis, & Eligius Nouiomensis, præfuitque Gandericus Lugdunensis: à quibus omnibus constituti sunt canones decem & nouem, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Post quos legitur etiã epistola Synodalis ad Theodorum Episcopum Arelatensem; qui licet publicam iam ageret pœnitentiam ob publica peccata commissa, adhuc tamen citatus est causam dicere ad sequentem Synodum.

IESV CHRISTI AN. 663.

VITALIANI AN. 9.

CONSTANTIS AN. 22.

I. CONSTANS IMP. VENIT IN VRBEM.

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo tertio, Indictione sexta, Constans Imp. quinta die mensis Iulij Romam aduenies ad Limina Apostolorum visitanda, honorifice susceptus est à Vitaliano Papa, qui ei cum clero occurrit milliario sexto ab Vrbe. Pacifice enim aduenienti, personam præstulit hominis Orthodoxi: ideoque præcipuas ecclesias deuote visitans, dona etiam eis obtulit. Omnia tamen ærea ciuitatis ornamenta, tegulasque ipsas æreas ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres, & aliaad ornatum Vrbis posita auferens, Constantinopolim direxit. Cumque duodecim dies Romæ egisset, inde petens Neapolim, postea itinere terrestri Rhegium accessit, ac demum Syracusas se recepit Indictione septima: vbi per multos annos commoratus, adeo immensis populos illos expilationibus tam sacrarum quam profanarum rerum affilixit, vt nunquam tales passi fuissent, nec aliqua spes vitæ eis remaneret. Hæc cuncta Anastasius in Vitaliano.

II. a *Paul. diac. de gest. Longob. lib. 5. c. 6. 7. 11.* VATICINIVM DE REGNO LONGOB.

Quæ eadem describens Paulus *a* diaconus, multa commiscet de bello ab eodem Imperatore in Italia inaniter gesto aduersus Grimoaldum Regem Longobardorum, & eius filium Romoaldum Ducem Beneuentanum: quod antequam auspicaretur, cum eremitam quemdam consuluisset, qui propheticæ spiritum habere dicebatur, ab eo responsum accepit, Longobardos superari non posse, quod S. Ioannes Baptista pro illis continue intercederet, ob basilicam ab illorum Regina in ipsius honorem in Modoetia cõstructam: futurum autem aliquando vt eadem ecclesia despectui haberetur, tuncque eam gentem perituram. Hæc pluribus Paulus quæ ex ipsius assertione *b* ante Imperatoris in Vrbem aduentum contigerunt. Veruntamen Grimoaldum Regem hoc ipso anno Ariperto successisse, constat ex quodam eius edicto *c*, quod datum ponitur anno sexto ipsius regni mense Iulio Indictione vndecima. Quem quidem ex Ariano redditum esse Catholicum per S. Ioannem Bergomensem Episcopum & martyrem, traditur in Actis eiusdem Sancti. Cuius & rei certum reliquit ipse Rex monumẽtum, dum ex Paulo constat, ipsum erexisse basilicam sub titulo S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, quem liquet fuisse Arianorum acerrimum oppugnatorem. Bellicam autem eius virtutem, variasque expeditiones cum aduersus Græcos, tum contra suos rebellantes, describit etiam idem auctor.

c *Ext. ap. Sigon. de regno. Ital. l. 2. in Grimoalde: ex quo idem ipse Sigonius erroris arguitur, dum exordium Grimoaldi ponit anno Domini 661.* GRIMOALDI REG. CONVERSIO.

IESV CHRISTI AN. 664.

VITALIANI AN. 10.

CONSTANTIS AN. 23.

I. a *Niceph. in Chron.*

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, vbi sedisset *a* annos quinque & menses nouem, mortuus est; atque in locum eius subrogatus *Constantinus* diaconus eiusdem Ecclesiæ, & Vasorum custos ac Oeconomus; idemque Catholicæ communionis, Monothelitis penitus aduersarius, vt Sextæ *b* Synodi Acta (si tamen impostura careant) significant. Certe nihil prohibet quin vere potuerit esse Catholicus, Imperatore iam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico.

b *Synod. Sext. act. 14*

II. COLLATIO IN ANGLIA DE CELEBRATIONE PASCHÆ.

Quod ad res Anglicanæ Ecclesiæ pertinet; cum in provincia Mediterraneorum Anglorum, Nordanhumbrorum, & Merciorum, ex Scotia petiti præsiderent Episcopi, qui etsi in omnibus fide essent Orthodoxi, in celebratione tamen Paschatis minime cum Catholicis (vt sæpius dictum est) conuenirent: huius rei gratia factum est, vt hoc ipso Redemptoris anno sexcentesimo sexagesimo quarto, coram Rege Osvvi, eiusque filio Alchfrido (quorum ille Scotorum, iste Catholicorum partibus inhæreret) inter vtriusque partis sacerdotes de ea re disputatio haberetur: cuius is fuit exitus, vt auditis Catholicorum rationibus, nitentibus præcipue auctoritate Romanæ Ecclesiæ, & potestate S. Petro collata, Rex ipse Osvvi cum Episcopo Cedd de quo superius, & omnibus ferme aliis, relicta Scotorum opinione, Catholicis adhæserit. Describit hæc pluribus Beda *c*: qui & addit, disputatum præterea fuisse de tonsura coronæ clericalis, quam Scoti pariter recipere renuebant. Quomodo vero de eadem Paschatis quæstione, celebriori conuentu disputatum postea fuerit, suo loco dicturi sumus.

c *Bed. 3. hist. 25.*

III. CLODOVEI III. OBITVS.

Hoc eodem anno Clodoueus Francorum Rex diem obiit, vbi regnasset annos decem & octo, vt habet vetus Auctor qui appendicem affixit ad Gregorium Turonensem. Quod autem ait, circa vitæ finem mente captum fuisse; de eo dictum est superius. Reliquit vero tres paruulos filios, nempe Clotarium, Childericum, atque Theodoricum: quibus quæ ventura essent, iam ante Clodouei obitum demonstrata fuisse in visione S. Eligio Nouiomensi Episcopo, narrat S. Audoenus Rotomagensis in ipsius Rebus *d* gestis. Agemus & nos suis locis de iisdem.

d *Ap. Sur. 1. Dec. lib. 2. cap. 31.*

IV. MARTYRIVM S. AIGVLPHI.

Sub eodem Clodoveo (de anno vero non constat) contigit *S. Aigulphum* monachum, è Floriacensi monasterio ad præfecturam Lirinensis (in quo collapsa monastica disciplina videretur) vocatum, vna cum sociis à pseudomonachis illic degentibus in carcerem primo coniectum esse, deinde vero in ignobilem insulam inter Corsicam & Sardiniam perductum, ibi post linguæ abscissionem, & eruptionem oculorum, supplicio capitis martyrium subiisse. Quo comperto, sceleris auctores post multa tempora iussu Clodovei Regis necati sunt. Habent ista pluribus eorundem Martyrum Acta *e*. Sed & docent (quibus & alij complures Scriptores adstipulantur) ipsum Aigulphum missum antea fuisse à Mummulo Abbate Floriacensi Cassinum, ad auferendas inde sacras Reliquias S. Benedicti Abbatis, addunt

e *Ap. Sur. 3. Sept.* DE TRANSLATIONE S. BENED. IN GAL.

f *Paul. diac. lib. 6. c. 2.*

alij *f*, & Scholasticæ sororis eius à Cenomanis vel Aurelianensibus esse sublatas. Siquidem ipsum cœnobium iam ante octoginta fere annos deuastatum à Longobardis fuisse, ipsosque monachos maxima ex parte Romam translatos, superius vidimus ex S. Gregorio. Sunt tamen innumeri qui his translationibus contradicant. Porro antiquissimus omnium Paulus *g* diaconus, qui proximo sæculo vixit, & monachus in dicto Cassinensi cœnobio diem extremum clausit, quæstionem ita dirimit, vt dicat translata ossa fuisse, remansisse vero tedactas in puluerem carnes: hocque modo ipse intelligit, quod inferius *h* agens de restitutione monasterij Cassinensis facta per Petronacem Brixianum, absque vlla dubitatione tradit corpus ipsum S. Benedicti illic fuisse: cuius hac in re auctoritas apud me plurimum valet. Vtcumque sit, venerari Fideles pie sancteque corpus integrum, vbi tenuis tantum puluisculus habeatur alicuius Sancti, quod eiusdem sit virtutis cuius & integrum corpus; docuimus supra ex Gregorio Nazianzeno in Iulianum.

g *Id. lib. 2. c. 1.*

h *Lib. 16. c. 40. noua edit.*

V. i *Martyrol. Rom.* & GERTRVDIS ORTVS.

Transiit hoc eodem anno die decimaseptima Martij *i* ex hac vita insignis illa Virgo Deo dicata, Francorum nobilitatis decus, *S. Gertrudis* filia Pipini Ducis: cuius extant Res præclare gestæ, omni fide posteris traditæ. Sed & ipsius mater, *Iduberga* nomine & *Itta* cognomine, viduata Pipino viro, à S. Amando Traiectensi Episcopo sacrum religionis velamen accipiens, ita vixit vt & ipsa inter Sanctas *k* meruerit adnumerari. Has fixit beata illa familia in cœlo radices, ex quibus Francorum Regum progenies fœcundo cespite pullularet, vbi truncus vetus familiæ Clodouei arescere cœpit auitæ defectu virtutis.

k *Melan. Mart. 88. Belg. 9. Mart.*

IESV CHRISTI AN. 665.

VITALIANI AN. 11.

CONSTANTIS AN. 24.

I. LEGATIO EX ANGLIA AD VITAL. PP.

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione octaua, ex Anglia à Rege Nordanhumbrorum Oswi legatio missa est ad Vitalianum Romanum Pontificem, vna cum vasis aureis argenteisque in basilicam S. Petri Apostoli deferendis. Qui enim anno superiori in Collatione habita, accepisset illam firmiter tenendam fidem quam Romana doceret Ecclesia, cui Petrus consignatum Euangelium reliquit; cum ingruente in Anglia lue, ex hac vita subductus esset Deus dedit Episcopus Dorouernensis, inito cum Ecgberto Cantuariorum Rege consilio, successorem ei ex consensu Cleri Wighardum presbyterum deligentes, eundem miserunt Romam, vt à Summo Pontifice Archiepiscopatus gradum acciperet, cum potestate ordinandi per omnem Angliam Antistites. Sed is in Vrbem perueniens, priusquam consecraretur Episcopus, morte præreptus est. Narrat hæc Beda *a*, litterasque recitat quas ea de re Vitalianus Papa ad eundem Regem Oswi rescripsit. Quem autem pro Wighardo idem Pontifex in Angliam Episcopum miserit, dicetur inferius suo loco.

a *Bed. lib. 3. c. 29.*

II. b *Sigeb. in Chron.* S. ELIGII ORTVS.

Eodem Christi anno *b* admirandus ille Nouiomensis in Gallia Episcopus *S. Eligius*, huius sæculi splendor, de quo sæpe superius, *Flandrorum Apostolus* nuncupatus, (quippe qui tam in illis, quam aliis vicinis populis ad fidem Christi conuertendis, & optimis moribus informandis, multum insudarit) in ipsa Nouiomensi ciuitate ex hac vita migrauit, miraculis & in vita & post mortem celeberrimus, & egregiis factis perinsignis; cuius præclaras Res *c* gestas vir æque sanctitate clarus Audoenus eius æqualis Rotomagensis Episcopus tribus libris digessit: extantque *d* eiusdem nomine sexdecim homiliæ. Eius corpus cum Regina Bathildis Clodouei relicta, pientissima fœmina, & ipsius S. Eligij studiosissima, quæ cum paruulis filiis regnabat, in monasterium Calam ab ipsa erectum transferre vehementi cuperet desiderio, alij vero Parisios deducere conarentur; neutri ipsum vllo prorsus modo mouere loco potuerunt: sed cum ab ipsis ciuibus Nouiomensibus leuari cœptum est vt ad sepulchrum ei in eadem vrbe præparatum transferretur, mira facilitate motum est; eiusque theca ac monumentum, tam ab ipsa Regina, quam reliquis proceribus, infinitis aureis argenteisque atque gemmeis donis ornatum. Et quæ ab eo viuente commoneri consuenerat eadem Regina, post ipsius obitum, eiusdem iussu cuidam aulico in visione apparentis, correpta est, quod cum esset vidua, regalibus tamen indueretur indumentis aureis gemmatisque. Quapropter mox ipsa illis depositis, pauperibusque distributis, vel in alios pios vsus collatis; relicta postmodum filiis suis administratione Regni, sumpto habitu monastico in eo ita vixit, vt post mortem in Sanctarum *e* album referri meruerit.

c *Ext. ap. Sur. 1. Dec.* d *In Bibl. Patr.* MIRACVLVM DE S. ELIGII CORPORE. BATHILDIS REGINA DIVINITVS MONITA ADDICARE ORNATVM.

e *Martyrol. Rom. 17. Ianuar.*

Hoc pariter anno ex hac vita decessit magnæ vir sanctitatis *Wandregisilus f* sacerdos: qui ex consobrino genitus Pipini Ducis Austrasiorum, Comes Palatinus apud Dagobertum Regem obligatus coniugio, cum vxore virgine & ipse virgo religionis ergo virginitatem seruare pari consensu decreuit; attonsusque est in clericum, atque eius vxor velata. Sane quidem videas his temporibus, quibus densa caligine Oriens obscurabatur, elucescere splendoribus Sanctorum Gallias & Britanniam.

III. f *Ext. eiusd Acta ap. Sur. 22. Iul.* DE S. WANDREGISILO.

IESV CHRISTI AN. 666.

VITALIANI AN. 12.

CONSTANTIS AN. 25.

I. a *Niceph. in Chron.* THEOD. IMPIVS EPISC. CONST.

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona, Constantinus Patriarcha Constantinopolitanus, vbi sedisset *a* annum vnum menses duos & dies septem, mortuus est; subrogatusque in eius locum *Theodorus* presbyter Syncellis & Custos vasorum, hæreticus omnium impudentissimus, versipellis, Monothelitarum sectæ propugnator audacissimus; de quo sæpe inferius.

Hoc eodem anno, qui numeratur decimusoctauus Reccesuinthi Hispaniarum Regis, Æra septingentesima quarta, celebratum est CONCILIVM EMERITENSE, duodecim comprouincialium Episcoporum Lusitaniæ: cuius sunt canones viginti tres, ad optimum Ecclesiæ statum disponendum spectantes. Sed memoria dignum quod iubet canon tertius, vt cum Rex in bello detineretur, quotidie in singulis ecclesiis sacrificium Deo pro ipsius, exercitusque salute offerretur. Sed & illud recens institutum *b* est, ne nisi presbyteri ab Episcopis impedimento aliquo detentis vicarij ad Synodos mitterentur; iisdemque sedere à tergo Episcoporum concederetur, diaconis autem nullo modo. Itemque salubriter decretum *c*, nequis defuncto Episcopo quoquo modo detraheret, aut malum quicquam de eo loqueretur. Atque etiam, vt cui plures *d* ecclesiæ ob pauertatem ipsarum essent concreditæ, in earum singulis singula sacrificia Dominicis diebus offerre deberet. Reliqua tu consulas.

II. CONCIL. EMERITEN.

b *Con. Emerit. c. 5.* c *Ibid. c. 17.* d *Can. 19.* SACRIFICIVM QVOTIDIANVM PRO REGE.

IESV CHRISTI AN. 667.

VITALIANI AN. 13.

CONSTANTIS AN. 26.

I. SAPORIS TYRANNVS ELIGITVR, ET CITO PERIT.

ANno Christi sexcentesimo sexagesimo septimo, Indictione decima, *Saporius* Armeni Præfectus rebellans aduersus Imperatorem, à Rege Saracenorum auxilium petiit: ad quem etiam cum eodem tempore legatio Constantis Imperat. aduenisset, hancque Saracenus contemnens fauisset potius Saporio; ea re indignatus Imperatoris Legatus, publice contestatus est, spreto Romanorum Imperatori Deum auxilio affuturum. Nec fefellit spes: siquidem

cum

cum paulo post Saporius Hadrianopolim adueniens, in ipso portæ transitu equum quo ferebatur flagello percussisset, saltans equus caput ipsius in partem superiorem portæ allisit, vitaque priuauit. Hæc ex Theophane.

II. CRETÆ EPISCOP. APPELLAT SEDEM APOST.

Quo eodem anno, inchoata vndecima Indictione, Ioannes Episcopus Lappæ in Creta iniustitiam passus ab Archiepiscopo Cretensi appellans ad Apostolicam Sedem, Romam venit mense Decembri: ibique in *Synodo* à Vitaliano Papa ea de causa habita, absolutus est. Patent vero ista ex literis *a* eiusdem Vitaliani ad Paulum Cretensem Archiepiscopum anno sequenti scriptis; quibus eum acriter redarguit, quod appellantem Episcopum cohibere contra canones tentasset.

a *Vital. ep. 1*

III. S. ILDEPHONSI OBITVS.

Hoc item anno, decimo Calendas Februarij (vt habet Martyrologium Rom.) magnus ille meritis sanctus, miraculisque & scriptis clarissimus, *Ildephonsus* Toletanus Archiepiscopus ex hac vita migrauit, vbi magna cum laude Ecclesiam illam rexisset annos nouem & duos fere menses. Ita enim habet Vaticanus codex, scriptus de Episcopis Toletanis ab auctore eius temporis: vbi etiam numerantur eius lucubrationes. Sed dolemus magnopere, iniuria temporum, & grassationibus Saracenorum, tot nobilissimi ingenij monumenta, perpaucis exceptis, esse deperdita.

IESV CHRISTI AN. 668.

VITALIANI AN. 14.

CONST. POGON. AN. 1.

I. CONSTAS IMP. OCCIDITVR.

ANNO Domini sexcentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, Constans Imp. Syracusis in balneo occisus est, anno Imperij vigesimo septimo, vt Theophanes habet: quem tamen Indictione duodecima necatum esse, Anastasius *a* Bibliothecarius & Paulus diaconus tradunt; ipseque Anastasius diem notat decimamquintam mensis Iulij. Ceterum cū Acta Synodalia Sexti Oecumenici Concilij (quibus haud dubium maior fides adhibenda est) mense Nouembris Indictionis nonæ, numerent Constantini annum decimumtertium; omnino dicendum est, eum hac Indictione vndecima patri successisse.

a *Anast. in Vital.* b *Paul. diac. lib. 5. c. 11.*

II. CONSTANTINVS POGON. IMPERAT.

Occiso igitur Constante, rebelles *Metium* quemdam, siue *Mezentium* Armenum Imperatorem crearunt. Quo audito, CONSTANTINVS Constantis filius in Siciliam venit, tyrannumque occidit, vna cum iis qui aduersus patrem coniurauerant. Quæ pluribus narrant Annales Græcorum. Suppetias autem ministrasse Vitalianum Pontificem Constantino Catholico Imperatori aduersus tyrannos, idem Augustus in literis postea ad Donum Papam scriptis professus est. Qui quidem bene dispositis rebus Occidentalis Imperij, regressus est Constantinopolim, fratribusque *Tiberio* & *Heraclio* in collegas allectis, vna cum eis imperauit. Fuit (vt dictum est) Catholicæ religionis professor; idemque ob barbam dictus *Pogonatus*, quod scilicet Constantinopoli soluens tenera adhuc lanugine, è Sicilia promissam barbam (vt Zonaras ait) retulisset.

III. THEODORVS TARSENS. ORDINATVR EPISC. IN ANGLIA.

Hoc eodem anno Vitalianus Romanus Pontifex in Angliam sacrorum ministrorum inopia laborantem, misit *Theodorum* Tarsensem Cilicem, opere & sermone potentem, moribus probatissimum, ac diuina & humana literatura Græce & Latine excultissimum: de cuius in Episcopum Dorouernensem ordinatione Romæ hoc anno facta, & honorifico in Angliam anno sequenti aduentu, vna cum Hadriano Abbate Afro, æque doctissimo, & monasterialibus simul atque Ecclesiasticis disciplinis instructissimo, (quem cum Episcopum primo Vitalianus ordinare voluisset, ipso onus recusante, & in Theodorum reiiciente, nihilominus Pontifex cooperatorem eidem Theodoro dedit:) sed & de magnis in ea Insula ab iisdem sanctissimis viris factis progressibus in docenda fide Catholica, ordinandis itibus Ecclesiasticis, informandis moribus, tradendis omnimodis scientiis ac disciplinis, introducendis cantibus Ecclesiasticis: de his inquam, omnibus agit pluribus Beda *c*; asserens Theodorum primum fuisse, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consenserit; neque vnquam florentiorem fuisse Angliam quam sub eius regimine. de quo rursum agetur inferius.

c *Bed. lib. 4. c. 1. & 2. ap. Baron. hoc an. & seq.* FLORENTISS. ECCLESIA ANGLIC.

IV.

Hoc item anno Clotarius maior natu Francorum Rex mortuus est: quatuor namque eum regnasse annos, auctor Appendicis ad Gregorium Turonensem affirmat, & alij cōsentiunt. Successerunt in Regnum fratres Theodoricus & Childericus: sed illo redacto in ordinem, Childericus tenuit annos tres; de quo dicetur inferius. Hunc autem tradunt coegisse Ebroinum Maiorem domus regiæ, fieri monachum in Luxovienſi cœnobio, quod fauisset Theodorico: idque & in Actis S. Philiberti Abbatis expressum habetur. Verum sponte ipsum secessisse, metu tamen Childerici, rerum spectator Visinus tradit in Rebus *d* gestis S. Leodegarij Episcopi Augustodunensis & martyris: qui à Childerico domui suæ præpositus, & ipse inuitorum maleuolentiam deuitans, relicta Curia se in idem monasterium Luxouiense contulit, vbi vsque ad obitum Childerici mansit, ac postea iterum Episcopatum suum repetiit, & tandem martyr occubuit; vt dicetur suo loco.

EBROINVS FIT MONACH.

d *Ap. Sur. 2. Oct* S. LEODEGARII PROCESSVS.

IESV CHRISTI AN. 669.

ADEODATI AN. 1.

CONST. POGON. AN. 2.

I. VITALIANI PP. OBITVS.

ANNO Domini sexcentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, sexto Calendarum Februarij, *Vitalianus* Papa, vbi sedisset annos tredecim, menses quinque, minus diebus quatuor, ex hac vita migrauit; sepultusque est apud S. Petrum: cuius probitas ita refulsit, vt inter Sanctos Pontifices adscriptus fuerit Ecclesiasticis Tabulis; licet eiusdem scripta & acta maxima ex parte calamitate temporis deperierint. Ceterum ab eo datum tradunt Episcopum primum Ferrarienſibus, vel (vt Rubeo *a* placet) Vicoabentiæ Episcopatum Ferrariam translatum; datusque est primus Episcopus Marinus nomine.

a *Rub. lib. 4. Hist. Raven.*

II. MAVRE EPISC. RAVEN. CONTVMACIA.

Prodit insuper idem Rubeus ex Rauennatis Ecclesiæ monumentis, à Vitaliano Papa excommunicatum fuisse Maurum tunc Episcopum Rauennatem, quod ab ipso Romam vocatus causam dicturus, adesse contempserit. Qui quidem Exarchi fretus potentia & amicitia, eo vesaniæ progressus est, vt in Vitalianum eandem anathematis sententiam reciprocaret. Eo vero portentoso facinore perculsi omnes Italiæ Episcopi, vna cum Vitaliano coeuntes, eundem Maurum vt indignum penitus sacerdotio exuerunt. At ille in furore suo persistens, etiam in ipso sui transitu contestatus est omnes Rauēnatis Ecclesiæ clericos, ne vnquam subiicerent se Romano Pontifici: qua de re ab omni prorsus Ecclesiastica communione, suffragiis scilicet pro defunctis exhiberi solitis, & commemoratione è sacris Diptychis interdictus est à successore Vitaliani Adeodato. In cuius autem locum subrogatus Reparatus, cum & ipse refractarius laborasset perficere per Imperatoris rescriptum, ne Ecclesia illa subiaceret Romanæ; in fine tamen vitæ facti pœnitens obiisse dicitur *b*. Huic vero demum successit Theodorus, Ecclesiæ Romanæ obsequentissimus, qui & interfuisse reperitur Synodo Romanæ sub Agathone: immo & non ob aliam causam venisse tunc Romam, nisi vt se Pontifici subiiceret, testatur Anastasius in Agathone. Atque hactenus de Episcopis Rauennatibus; quæ simul strinximus *c* occasione Vitaliani Maurum corripientis.

b *Anast. in Dono Pap.*

c *Vid. infr. an. 708. 11.*

III. ADEODATVS PP. CREATVR.

Cum autem (vt tradit Anastasius) post obitum Vitaliani sedes vacasset menses duos & dies tredecim, in eius locum ex monacho subrogatus est die nona mensis Aprilis ADEODATVS, patria Romanus, patre Iouiniano, gratissimus omnibus, & in omnes munificentissimus.

IV.

Sub hoc Romano Pontifice, vbi Constantinopolim profectus est Constantinus Imperator, inuasam fuisse Siciliam

d Paul. diac. lib. 5. c. 13. LITERÆ NOMINE MONACHOR. SICVL. SVSPECTÆ

à Saracenis, direque vastatam, Anastasius habet; eademque tradit Paulus *d* diaconus. Verum cladem istam factam esse sub Vitaliano potius dicendum esset, si quæ extant nomine monachorum Siculorum Ordinis S. Benedicti ad Cassinenses Romæ apud Lateranum degentes, & ipsius Vitaliani Papæ ad eosdem Monachos Siculos scriptæ literæ, sinceræ probari possent. Sed eæ nobis parum arridēt; ob id potissimum quod nonaginta octo ciuitates & villas in Sicilia hoc tempore possedisse monachi dicuntur, quando nec ipsa Romana Ecclesia vel vnius oppiduli domina esset vt ipsum possideret, immo nec Imperator ipse Insulæ dominus tot illic ciuitates haberet.

IESV CHRISTI AN. 670.

ADEODATI AN. 2.

CONST. POGON. AN. 3.

I. S. AVDOENVS PEREGRINATVR AD LIMINA APOST.

ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo, Indictione decimatertia, Oswi Nordanhumbrorum in Anglia Rex pientissimus mortuus *a* est decimoquinto Calendas Martij; & in eius locum successit Ecgfridus ipsius filius. In Belgio autem in pago Cameracensi *S. Maxellendis b* virgo Deo dicata, quod Arduino cuidam nubere recusasset, ab eodem occisa martyrium consecuta est. Eodemque *c* tempore *S. Proiectus* Aruernensis Episcopus martyrium æque subiit ab Hectoris Massilienſis Patricij amicis, quod cum Proiectus apud Childericum Regem conquestus esset de plurimis ab eodem Hectore illatis damnis Aruernensi Ecclesiæ, Rex facinorosum hominem gladio cædi iussisset. Sufficiens etenim ad martyrij decus existimata est causa, cum ob defensionem suæ Ecclesiæ id Proiectus sit passus.

a Beda lib. 4. c. 5.

b Molan. in SS. Belg. 13. Nov.

c Sigeb. in Chron. hoc an.

S. PROIECTI MARTYRIVM.

IESV CHRISTI AN. 671.

ADEODATI AN. 3.

CONST. POGON. AN. 4.

I. CHILDERIC. FRANCOR. REX OCCIDITVR.

ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo primo, Indictione decimaquarta, Childericus Francorum Rex anno regni sui tertio, cum nobilium suorum animos in se concitasset ob nimiam in eos sæuitiam; ab vno illorum nomine Bobilone, quem seruili supplicio ad stipitem tētum verberare fecisset, occisus *a* est; & in locum eius successit germanus ipsius Theodoricus. Quo audito Ebroinus, qui eidem Theodorico antea studuisset, & eius causa in monasterium (vt vidimus) detrusus esset, ex monacho refectus miles, aduersus eos quos passus esset aduersarios gladium strinxit, nobilesque complures obtruncauit, restitutus à Rege summo Magistratui Maioris domus regiæ. Ceterum in horum Regum successione diuersi diuersa scripsere: quibusdam enim asserentibus, post obitum Clotarij eleuatum in regnum Theodoricum, eoque sublato Childericum successisse; alij contra affirmant Theodoricum successisse Childerico: quod & confirmari videtur ex iis quæ scribit S. Audoenus huius temporis scriptor in Vita *b* S. Eligij, de oraculo successionis eorundem Regum ipsi Eligio propalato. Certe enim Theodoricum diutius tenuisse regnum, & saltem ad annum decimumnonum peruenisse, ex Aimoino etiam aliisque constat.

a Append. ad Greg. Tur. Aim. lib. 4. c. 44. EBROINVS EX MONACHO REFECTVS MILES.

b Ap. Sur. 1. Dec.

II. CORLESTE SIGNVM TERRIFICVM.

Quod ad res Orientis spectat; reddunt Græcorum Annales hoc anno quarto Imperatoris Constantini, cœlesti signo perterrefactum esse Orbem, ita vt videretur eius interitus imminere: inuasamque à Saracenis Lyciam atque Ciliciam, & compositum ab eisdem apparatum ad expugnandam Constantinopolitanam ciuitatem.

IESV CHRISTI AN. 672.

ADEODATI AN. 4.

CONST. POGON. AN. 5.

I. S. AVDOENVS PEREGRINATVR AD LIMINA APOST.

ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo secundo, Indictionis decimæquintæ, Adeodati Pontificis quarto, S. Audoenus Rotomagensis in Gallia Episcopus, senio licet confectus ad Limina Apostolorum peregrinatus est, magno Gallorum aliorumque piorum virorum stipatus comitatu, ingentiaque ab iis qui cum eo pergere non potuerunt ferens secum munera, ecclesiis Vrbis, pauperibusque distribuenda; quod ipse diligentissime præstitit: & cum aliquando ad S. Petri Confessionem hunc versum incepisset, *Exultabunt a sancti in gloria*, diuinitus responsum est, *Latabuntur in cubilibus suis*. Recedens vero in Gallias, multas secum retulit Sanctorum Reliquias. Narrant hæc pluribus eius Vitæ *b* Acta.

a Psal. 149.

b Ap. Sur. 24. Aug.

II. CONCIL. ANGLIC.

Hoc insuper anno mense Septembri, quo prima Indictio inchoatur, & decimoquinto Calendas Martij numerari incipit annus tertius Ecgfridi Regis Anglorum, à Theodoro Episcopo Dorouernensi Apostolica qua fungebatur auctoritate, congregata est in Anglia SYNODVS aliquot Episcoporum, in qua decem sanciti sunt canones, ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam, & disciplinam recte instituendam: quos singulos Beda recensēt *c*. Addit que de transitu quorumdam sanctorum virorum Ecclesiasticorum, ac virginum monialium, quos grauissima lues hoc anno Angliam depasta absumpsit: Itemque de *Sebbi* Orientalium Saxonum Rege, qui post innocentissimam triginta annorum regni administrationem morbo correptus, ex consensu vxoris religiosum monachorum suscepit habitum; ac paulo post visione diuinitus accepta de proximo sui transitu, cum post mortem sarcophago imponeretur breuiori, idem sarcophagum magno miraculo congruæ corpori effectum est longitudinis; sicut pluribus narrat idem *d* auctor.

c Bed. lib. 4. c. 5.

SEBBI REX EIT MONACHVS.

d Id. ca. 11.

III. SARACENI OBSIDENT CONSTANTINOPOLIM, SED DIVINITVS REPELLVNTVR.

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus Imperij Constantini, Saraceni ingenti numero traiicientes in Thraciam, & Constantinopolim appropinquantes, assiduis eam præliis à mense Aprili vsque ad Septembrem expugnare tentarunt: transactaque Cyzici hieme sequenti anno id ipsum conati sunt: idemque per septem annos continuos iterarunt annis singulis: sed diuina, Deique Genitricis ope, magna accepta clade confusi recesserunt, ac demum circa partes Scyllei hiemalibus procellis comprehensi, omnino disperierūt. Hæc Græcorum Annales *e*. Quo etiam hoc anno tradunt, pugnante alio Saracenorum Duce aduersus copias Romanorum sub Floro, Petronio, & Cypriano Ducibus constitutas; ex ipsius exercitu triginta millia desiderata esse: addunt que de nouo adinuento Igne, quem Marinum dicebant eo quod in mari arderet, quo & naues Arabum combustæ sunt, auctore Callinico quodam architecto, qui ab Heliopoli Syriæ profugus ad Romanos venit. Sed quod ad obsidionis Constantinopolitanæ septennium attinet; error esse videtur in numero annorum: quippe anno ab hinc quarto inter Romanos & Arabes pacem esse sancitam, iidem produnt Annales. Est vero etiam mentio in decimatertia Actione Sextæ Synodi de obsidione Constantinopolis, quæ facta est per spatium duorum annorum; sed sub Vitaliano Romano Pontifice, ac proinde diuerso ab isto tempore. Porro tot tantaque præter spem concessit Deus Imperatori, de fide Catholica bene mereri satagenti, ac quotidie animo versanti quomodo pacem in Ecclesia sanciret: quod & tandem feliciter præstitit.

e Theoph. & Cedr. an. 5. Const. Imp.

IV.

Eodem anno Recceſuinthus Hispaniarum Rex, vbi ab obitu patris regnasset annos viginti duos & menses sex, mortuus est Calendis Septembris, desiderium sui relinquens, vtpote Regis optimi, Ecclesiæque valde proficui. Cuius cū nulli extarent filij, fratres autem ob nimiam imbecillitatem regni administrandi incapaces esse viderentur; omnium tā populi quam magnatū consensu in eiusdem locum inuitus

ac

In Wambæ Hisp. Regis vnctione miracvlvm.

ac diu reluctatus, vi adhibita suffectus est Bamba, siue Wamba, vel Wambanus, ex regio Gothorum sanguine ortus, prædecessori haud pietate impar: qui cum in Regem vngeretur, è vertice vbi oleum sanctum perfusum fuerat, euaporatio quædam fumo similis in modum columnæ sese erexit, & ex ipso capite apis visa est prosilire, & ad cœlos volare; quæ signa fuerunt secuturæ sub ipsius regimine felicitatis. Habet hæc & alia Tudensis, aliique.

IESV CHRISTI AN. 673.674.

ADEODATI AN. 5.6.

CONST. POGON. AN. 6.7.

I.

ANno Domini sexcentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, Grimoaldus Longobardorum Rex diem obiit, postquam regnasset annos nouem: cui succedens filius eius, quem puerum nouem annorum reliquit, Garibaldus haud diu regnum tenuit. Etenim ab internecione antea elapsus Bertaridus Ariperti Regis filius, cui debebatur regnum, cum iam extorris annos nouem apud Francos egisset, & in Britanniam hoc ipso tempore nauigaret; voce diuinitus è littore emissa admonitus de Grimoaldi obitu, mox in patriam rediens, exturbato Garibaldo, ab vniuersis Longobardis mente tertio post mortem Grimoaldi in regnum receptus est. Hæc Paulus *a*; qui tradit eundem Bertaridum fuisse virum pium, fide Catholicum, iustitiæ tenacem, pauperumque largissimum nutritorem: sed & non multo post eiusmodi insperatam regni recuperationem, Ticini in loco vnde fugerat monasterium construxisse virginum in honorem S. Virginis & martyris Agathæ; Reginam vero vxorem eius Rodelindam, extra muros eiusdem ciuitatis in loco ad Perticas dicto magnificam erexisse Ecclesiam S. Dei-Genitricis. Cur autem *Ad Perticas* locus ille diceretur, ait fuisse, quod cœmeterium illic esset Longobardorum, à quibus poni ibi solerent perticæ desuper habentes columbas ligneas, illue versas vbi illorum cari quique obiissent, atque vt sciri posset vbi defunctorum corpora quiescerent.

a Paul. diac. lib. 5. c. 33. Bertaridi Regis Longob. virtvtes.

II.

Tyranni exvrgvnt adversvs Wambam Hisp. Reg.

Eodem anno nobiles quidam Hispani indigno animo ferentes electionem Wambæ Regis, nouas res aduersus eum moliri cœperunt: primusque omnium, qui præerat Galliæ Narbonensi Gothorum adhuc dominio subiacenti, Ildericus in tyrannum erupit. Contra quem missus à Rege Paulus Dux natione Græcus, & ipse in eundem Regem arma conuertens, pleraque Hispaniæ ciuitates suæ subdidit potestati; Regisque nomen vsurpans, coronam auream, quam gemmis ornatam olim dono dederat Reccaredus S. Felici Gerundensi martyri, impius sacrilegus suo est ausus imponere capiti. Amboque tyranni multa nefanda in alios, & sacrilega in ecclesias ac personas Ecclesiasticas perpetrarunt.

III.

Debellantvr ope divina. *Quod Bamba habet hoc ann. & seq.*

Sed anno sequenti, Christi sexcentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, Wamba aduersus eos Vasconum Francorumque roboratos auxilio, cum exercitu progrediens (quem in ipso procinctu ita lustrauit, vt quos sciret milites adulteria perpetrasse, iusserit amputari virilibus; has inter alias perpetua memoria dignas promens sententias: *Ecce iam iudicium imminet belli, & licet fornicari, vt Deus ad iracundiam prouocetur?* Et, *Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum.*) diuino adiutus auxilio, Angelorumque exercitum suum circumuallantium custodia munitus, sex mensium spatio eosdem feliciter debellauit: ac Paulus sacrilegus in triumphum deductus, Toletum ingressus est (vna cum sociis perduellibus, iisdem pœnis affectis) catenis vinctus, capite decaluato, rasa barba, (quod erat apud Gothos perinfame supplicium) nudatis pedibus, indutus sordidis vestibus, camelo impositus, corona ex corio facta redimitus; post cuiusmodi ludibria, iidem omnes pariter sancitum legibus in tyrannos supplicium nouissimum subiere. Rex autem sacra vasa, & alia ornamenta quæ ablata ex ecclesiis comperit, vna cum aliis manubiis vendicatis, iussit iisdem reddi. Tantam vero victoriam haud humanis viribus partam, sed diuinitus comparatam, perpetuis consignatam monumentis tradidit posteris Iulianus, qui successit Quiriaco, huius temporis Archiepiscopo Toletano; cuius de ea re commentariolum totidem ferme verbis maiori ex parte Tudensis in suum Chronicon retulit. Quo etiam auctore constat, eundem Regem suo imperio ciuitatem subiugasse, quæ *Carta* vocabatur, eandemque ampliatam, *Bambelunam* quasi Bambæ Lunam vocasse.

Pavli sacrilegi Tyranni svpplicia.

IESV CHRISTI AN. 675.

ADEODATI AN. 7.

CONST. POGON. AN. 8.

I. Concil. Tolet. XI.

ANnus Christi sexcentesimus septuagesimus quintus, cœptus est Indictione tertia: quo celebratum est in Hispania ex prouinciæ Carthaginensis CONCILIVM TOLETANVM, Vndecimum dictum, Æra nimirum septingentesima decimatertia, anno quarto Wambæ Regis, septimo Idus Nouembris, cœpta iam Indictione quarta: cui interfuerunt Episcopi septemdecim, & per Vicarios alii duo, necnon Abbates sexta: quibus post exactam fidei confessionem editam, sancita sunt canones sexdecim, ad ipsorum Episcoporum, aliorumque sacerdotum mores informandos, disciplinamque Ecclesiasticam restituendam.

II. Divisio sedivm Episc. in Hisp. qvando facta.

Quod vero ab omnibus asseritur, in eodem Concilio Hispaniarum Ecclesiarum factam esse sedium Episcopalium diuisionem; secus senserim: nam assertione Tudensis (qui præstat fide & antiquitate) constat id factum in Concilio generali sub eodem Rege Wamba itidem Toleti celebrato, cui omnes Hispaniarum Archiepiscopi & Episcopi interfuerunt. Quod enim essent inter Episcopos ob diœcesum fines obortæ discordiæ, ad has componendas indicendum fuit Generale CONCILIVM, quod licet non extet, celebratum tamen esse, in eoque terminos Episcopatuum singulorum diuisos, atq; omnes omnino Hispaniarū sedes, tam Archiepiscopales, q̄ Episcopales octoginta numero constitutas esse, eiusdē Tudensis testificatione liquet. Reiicimus a longe longius, quæ eodem argumento scripta feruntur *a* nomine cuiusdam Rasis Arabis, dum tribuit Constantino Magno diuisionem, imo & institutionem sedium Episcopaliū in Hispania. Quis enim (vt alia plura omittam) dubitet complures Ecclesias, ab eodem auctore nominatas, siue ab Apostolis ipsis, siue ab Apostolorum discipulis esse consecutas Episcopos? Sed & Arabis & infidelis est somnium, vt ab Imperatore darentur Episcopi ciuitatibus atque prouinciis, vbi non essent antea instituti. Quapropter faceßat eiusmodi commentum: quod sane miramur à viris prudentibus fuisse creditum.

a Recitatus à Io. Mariana, de reb. Hisp. lib. 6. c. 10. Halecturque ap. Baron. ann. 680. an fi.

III. Concil. Bracar. III. *Vide supra in fi. an. 563.*

Rursum vero ex Episcopis prouinciæ Lusitaniæ celebratum est hoc eodem anno CONCILIVM BRACARENSE Tertium, Episcoporum octo, præsidente *Leodecisio* eius sedis Antistite; qui totidem sanciuerunt canones ad corrigendos prauos errores, qui in ritus sacros & bene institutam Ecclesiasticam disciplinam irrepserant. Inter quos ille memoria dignus, quo prohibitum est, ne procedentes in solemnitatibus Martyrum Episcopi, diaconorum humeris sella gestatoria vehérentur, suspensas collo sacras Reliquias portantes. Etenim sella gestatoria vehi, Romani Pontificis tantum fuit insigne, vel sicui Patriarcharum ipse concessit; sed quæ laicorum humeris vectaretur, diaconorum nunquam, neque vero infimi ordinis clericorum. Porro inter alios dignos Præsules, qui Synodo huic interfuisse leguntur, fuit *Isidorus* Asturicensis, qui moribus & doctrina enituit, reliquitq ue sui ingenii posteris monumenta.

IV. Classis Saracen. incensa.

Qui autem Dei Ecclesiæ bene instituendæ totus intentus fuit, accepit ipse Wamba Rex insigne beneficium, quod idem Tudensis paucis enarrat; nempe vt cum Saraceni ingenti comparata classe nauium ducentarum septuaginta Hispanias inuasissent, victi iidem fuerint ab eodem Rege maritimo bello, quo & eorum classis incensa funditus deperierit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 676.

DONI AN. 1.

CONST. POGON. AN. 9.

I. ADEOD PP MORITVR.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo sexto, Indictione quarta, sexto Calendas Iulii *Adeodatus* Papa, cum sedisset annos septem, menses duos, dies decem & septem (vt habet Anastasius) mortuus est, ac sepultus apud S. Petrum: quamuis in aliquibus codicibus quatuor tantum ei anni tribuantur. Sed Sigebertus æque septem eiusdem sedis annos numerat. Post cuius obitum, cum idem Anastasius tradat sedem vacasse menses quatuor & dies sex; dicendum est, hoc eodem anno Calendis Nouembris creatum esse DONVM, siue *Dominum*, vel *Domnionem*, patria Romanum ex patre Mauritio.

DONVS PP. CREATVR.

II. *a Ap. Papir. Masson. in Vit. Rom. Pont.*

Cum autem Adeodati res gestæ temporis iniuria alto fuerint sepultæ silentio, vix reperitur *a* vna eius epistola ex Turonensi archiuo in lucem vindicata; qua continetur priuilegium concessum monasterio S. Martini, dum illud ex consensu Episcopi ab ipsius exemit potestate: cum alioqui (vt ex eodem scripto redditur manifestum) iam cessassent Romani Pontifices eiusmodi immunitates concedere monasteriis; idque fortasse quod experimento didicissent, eas obfuisse potius quam profuisse monasticæ disciplinæ. Certe quidem nunquam placuit S. Bernardo (quod ex pluribus eius epistolis apparet) vt monachi ab Episcopali obedientia se subtraherent: nec gratum fuit S. Francisco; sed Fratris Eliæ, hominis non diuino spiritu, sed carnis prudentia nitentis, fuit opus. At de his modo hactenus.

EXEMPTIONES MONACHOR. A SANCTIS IMPROBATÆ.

Hoc eodem anno, qui nonus Constantini Imp. numeratur, habent Græcorum Annales, Saracenos metu Mardaitarum, siue Maronitarum, qui ipsorum Imperium in Syria & Palæstina inuaserant, composita cum Romanis pace in triginta annos, consensisse tributum ipsis annuum pendere trium millium librarum auri, virorum captiuorum quinquaginta, totidemque nobilium equorum. Sed & ista intelligentes Auares, aliosque Romani nominis hostes, ipsos pariter per legatos pacem ab Imperatore postulasse; sicque factam esse securitatem magnam tam in Oriente quam Occidente. Hæc plurimus Theophanes. Præstita vero sunt tanta Catholico Principi, pacem Ecclesiæ restituere satagenti; sub cuius antecessoribus hæreticis, Imperium florentissimum in vltimum discrimen perductum fuerat.

III. SARACENI PACEM TRIBVTO REDIMVNT.

Eodem anno Anglorum Ecclesia in prouincia Cantiæ graues bellorum incursiones sustinere cœpit ab Edilredo Merciorum Rege, quæ ad aliquot annos propagatæ sunt, vt eas describit Beda *b*: cum alioqui eodem auctore constet, floruisse eandem Ecclesiam Anglicanam his temporibus veluti Paradisum Domini, abundantem liliis sacrarum virginum, violis sanctorum monachorum, & coronis sanctissimorum Antistitum.

IV. STATVS ECCLESIÆ ANGLIC. *b Beda lib. 4. c. 6. & 19.*

IESV CHRISTI AN. 677.

DONI AN. 2.

CONST. POGON. AN. 10.

I. CONATVS THEOD. ET MACARII HÆRET. IN RO. PONT.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta, Constantinus Imp. solutus bellicis curis, ad pacem Ecclesiæ restituendam totum adiecit animum: sed obices mox passus est Theodorum Constantinopolitanum Episcopum, & Macarium Antiochenum, signiferos hæresis Monothelitarum, eosdemque acerrimos aduersarios Pontificum Romanorum. Nam vnius excepto Honorii nomine, quem ab ipsorum partibus stetisse mentiebantur, aliorum neminem recitandum putarunt in sacris Ecclesiæ Diptychis; solicitaruntque Imperatorem, vt relatum in easdem sacras tabulas nomen Vitaliani deleretur, quod tamen Imperator omnino faciendum negauit. Hæc enim ita transacta esse, testatur epistola ipsius Imperatoris ad Donum Papam anno sequenti scripta. Verum eosdem postea hæreticos Patriarchas, vel inuito, vel inscio Imperatore, prædicti Vitaliani nomen è Diptychis amouisse, declarant Acta Sextæ *a* Synodi, cum in ea actum est, vt eius nomen in eadem restitueretur.

a Sext. Syn. C. 8.

II. b *Martyrol. Rom.* S. AVDOENI OBITVS. c *Ap. Sur. 24. Aug.*

Eodem anno, nono *b* Calendas Septembris, *S. Audoenus* admirandus ille Rotomagensis in Gallia Episcopus, iam longæuæ ætatis senio confectus, pace composita inter dissentientes Francos & Austrasios, apud villam Clypiacum ex hac vita migrauit: vt constat ex eius Actis *c*, in quibus etiam permulta recensentur tam ante obitum ab ipso, quam postea ex eius corpore edita miracula.

IESV CHRISTI AN. 678.

AGATHONIS AN. 1.

CONST. POGON. AN. 11.

I. DONI PP. OBITVS.

ANno Domini sexcentesimo septuagesimo octauo, Indictione sexta, tertio Idus Aprilis, *Donus* Papa, cum sedisset annum vnum, menses quinque, dies decem, ex hac vita migrauit; sepultusque est ad S. Petrum. Meminit Anastasius cometæ, qui eius tempore apparuit per menses tres. de quo agens pariter Beda *a*, ait ingentem paulo post siccitatem subsecutam esse, quæ perdurauit triennio, ita vt nunquam imbribus terra maduerit: post siccitatem vero secutam esse maximam pestem; quam à parte Orientis proueniisse, Anastasius quoque tradit: sed de ea inferius. Ad postremum addit idem *b* auctor, post Doni obitum sedem vacasse menses duos & dies quinque.

a Bed. lib. 4. c. 12.

b Anast. in Dono.

II. IMP. AGIT DE PACE ECCLESIÆ.

Verum Donum ad aliquot amplius menses propagasse sedem, literæ Constantini Imper. ad ipsum scriptæ existimare suadent, cum datæ habeantur hoc eodem anno pridie Idus Augusti Indictione sexta. Quæ enim ratio patitur, vt post menses quatuor adhuc latuerit Imperatorem obitus Romani Pontificis, & alterius subrogatio? Quibus quidem literis pius Imperator eum admonuit de Synodo, quam ad comprimendas Christianorum de religione discordias Constantinopoli celebrare in animo haberet; hortatusque est, vt ad eam Legatos suos mitteret, aliique simul Occidentales aliquot Episcopi ac monachi accederent: pro quorum omnium sumptibus iussit Theodorum Italiæ Exarchum omnia necessaria subministrare. Extant ipsæ integræ Imperatoris literæ ante ingressum Sextæ Synodi collocatæ, vtpote ad eam præambulares: in quarum etiam titulo idem Imperator Romanum Pontificem vocat *Vniuersalem Papam*. Eas vero ad Donum, quem adhuc viuere putabat, scriptas recepit successor eius AGATHO, natione Siculus, ex monacho creatus Romanus Pontifex.

AGATHO PP. CREATVR.

III. BVLGARORVM IRRVPTIO PRIMA.

Quod autem iisdem literis Imperator queritur de perturbationibus, ex tumultu bellorum rursum exortis; sciendum est, hos fuisse BVLGAROS, hoc anno vndecimo ipsius Constantini in Romani Imperii prouincias irrumpentes, vt tradit Theophanes: qui eos duplicis generis constituens, videlicet Onogundurenses, & Contragenses, ex Septemtrionalibus Euxini Ponti partibus oriundos tradit. dictos autem à Bulga flumine, Cedrenus scribit. Porro iniqua conditione annui tributi soluendi cum eis transegisse Imperatorem, vt quies daretur & pacatum tempus celebrandi Concilii, idem Theophanes subdit. Interea vero non ferens Theodori Constantinopolitani procaciam, qui contra expressam ipsius Imperatoris prohibitionem, Vitalianum Papam è sacris Diptychis eraserat; eundem cessare protinus voluit, atque in locum eius *Georgium* subrogauit, qui postea præsens extitit Sextæ Synodo Oecumenicæ. Tu vero corrigas quod apud

THEOD. EPISCOP. CONST. ELIGITVR.

Nice-

Nicephorum legitur, sedisse Theodorum annos duos & menses tres; vt loco duorum, ponas duodecim: ad hoc namque tempus peruenisse, docent eædem ipsius Imperatoris ad Donum literæ.

IV. SVDARIVM CAPITIS CHRISTI IGNI PROBATVM.

Hoc item anno vndecimo Constantini mortuus est Mahuias Princeps Saracenorum, relinquens regni successore Gizid filium suum. Eiusdem autem Mahuiæ tempore inuentum fuisse sacrosanctum SVDARIVM capitis Redemptoris & ignis probatione ab ipso Mahuia controuersiam de eo diremptam; testatur Beda *c* in libello de Locis Sanctis, quem scripsit ex relatione Arculphi Episcopi Galli, qui his ferme diebus loca sancta visitauit. cum videlicet (vt narrat) litigantibus de eo Christianis cum Iudæis, ob grandem quæ eius possessoribus accedere consueuerat diuitiarum auctionem, Mahuias CHRISTVM iudicem precatus, illud in ignem coniecit; vnde veloci raptu effugiens & summo in aere diutissime quasi ludendo voluêritans, ad vltimum cunctis vtrimque intuentibus, sese leuiter in cuiusdam Christiani sinum deposuit.

c Bed. de loc. sanct. c. 5.

V. FRISII CONVERSIO. *d Hist. Angl. 20.*

Hoc denique anno *Frisii* fidem receperunt ex prædicatione *S. Wilfridi* Episcopi Eboracensis in Anglia; qui à Rege Ecgfrido ob quandam simultatem iniuste sede electus, & Romam quo appellauerat pergens, ventis contrariis in Frisiam pulsus est. Hæc pluribus Beda *d*; qui & de eiusdem absolutione per Agathonem Papam facta, cum Romam anno sequenti peruenit, testis est.

IESV CHRISTI AN. 679.

AGATHONIS AN. 2.

CONST. POGON. AN. 12.

I. SYNODI PLVRES CONTRA MONOTHELITAS.

ANno Christi sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione septima, cum innotuissent Episcopis Occidentalibus per Agathonem Papam, ea quæ ab Imperatore scripta essent de legatione Constantinopolim ad Synodum mittenda; eiusdem pariter Pontificis iussu iidem *Synodos* congregarunt, quibus vbique condemnata est hæresis Monothelitarum. Id quidem factum esse in Italia, Gallia, & Anglia, ipsius Agathonis literæ sequenti anno ad Imperatorem datæ declarant. Verum ex omnibus Italiæ Episcoporum Conuentibus, supereſt tantum memoria de Mediolanensi sub *S. Mansueto* magnæ æstimationis his temporibus eius ciuitatis Episcopo; cuius extat Synodalis epistola ad Imperatorem, quam tamen sub nomine Mansueti à S. Damiano Ficinensi Episcopo scriptam, testatur Paulus *a* diaconus. *Gallicanorum* autem Conciliorum Acta penitus exciderunt. Sed *Anglicanæ* Synodi hoc ipso anno, decimoquinto Calendas Octobris, præsidente *Theodoro* Angliæ Primate habitæ, aliqua adhuc fragmenta supersunt apud Bedam *b*; in quibus inter alia, expresse asseritur processio Spiritus sancti ex Patre simul & Filio. Celebratam autem eam Synodum opera Ioannis Archicantoris Ecclesiæ S. Petri Romanæ Vrbis & Abbatis monasterii S. Martini, idem Beda *c* asserit; quem in Angliam ab Agathone missum ait, vt quænam esset Ecclesiæ Anglicanæ fides de Christi Voluntatibus & Operationibus exploraret. Sed & ab eo tempore eandem Ecclesiam edoctam esse cantum Ecclesiasticum qui Romæ vigebat, idem Beda tradit.

a Paul. diac. lib. 6. c. 4.

b Bed. lib. 4. c. 17.

c Ibid. c. 18.

II. *d Ibid. c. 22.*

SACRIFICIVM MISSÆ PROSPECTVM VIVIS ATQVE DEFVNCTIS.

Subdit *d* vero de pace hoc ipso anno per eundem Theodorum composita inter Ecgfridum Nordhumbrorum & Edilredum Merciorum Reges, graui bello mutuo confligentes. Quo tempore grande miraculum accidisse ait; vt in prælio iuuenis quidam captus, nunquam vinculis constringi potuerit, quin continuo ea dissoluerentur, quod germanum haberet presbyterum, qui eundem defunctum existimans, sacrificium Missæ pro eius anima celebrare consueuisset. Vnde multi (vt ait Beda) accensi sunt in fide ac deuotione pietatis, ad offerendas Deo victimas sacræ oblationis pro ereptione suorum qui de sæculo migrauerunt; intelligentes sacrificium salutare ad redemptionem valere & animæ & corporis sempiternam. Aliam autem historiam huic simillimam narrat Leontius *e* in Vita S. Ioannis Eleemosynarii; aliasque S. Gregorius *f* Papa, necnon & alii: quas apud ipsos auctores videre licet.

d Paul. diac. de gest. Lang. lib. 6. c. 4.

e Ap. Sur. 23. Ianuar.

f Greg. 4. Dial. 57.

IESV CHRISTI AN. 680.

AGATHONIS AN. 3.

CONST. POGON. AN. 13.

I. CONCIL. ROM. CONTRA MONOTHEL.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo, Indictione octaua, ab Agathone Pontifice *Romæ* veris tempore aduersus Monothelitas coacta est SYNODVS, Generalis dicta; cui interfuerunt centum viginti quinque Episcopi, qui Synodalibus literis subscripti leguntur in quarta Actione Sextæ Synodi, vbi eædem recitantur; inter quos legati reperiuntur missi à Synodo in Gallijs habita, Felix Arelatensis, Adeodatus Leucorum Episcopus, & Laurinus diaconus Ecclesiæ Tolonensis; & ex Britannia Wiltridus Episcopus Eboracensis, licet primum non legationis, sed appellationis causa (vt dictum est) cum anno superiori Romam diuina prouidentia perduxisset. De rebus autem in Synodo gestis, nihil præterea reperitur, nisi epistola Synodalis quam diximus, ab Agathone Papa & vniuerso Concilio scripta ad Constantinum Augustum & fratres eius Imperatores Heraclium & Tiberium, de fide Catholica contra Monothelitas; aliaque longe prolixior eodem argumento ad eosdem Augustos ab ipso Agathone *a* priuatim missa. Neque enim canon vllus in ea sancitus legitur, quod non ob aliud fuerit conuocata, quam ad fidem Catholicam confirmandam, & legationem Constantinopolim decernendam ad SYNODVM OECVMENICAM.

a Ex. Act. 4. Sext. Syn.

II. LEGATIO DVPLEX MISSA AD SYNODVM OECVMEN.

Cui quidem Legationi obeundæ delecti sunt ab vniuerso Concilio Romano, *Ioannes* Episcopus Portuensis, *Abundantius* Paternensis, & *Ioannes* Regitanus siue Regiensis; ab Agathone vero priuatim *Theodorus & Georgius* presbyteri, *Ioannes* diaconus, ac *Constantinus* subdiaconus S. R. E. & ab Episcopo Rauennate Theodoro alius *Theodorus* presbyter: cum quibus etiam perrexerunt nonnulli alii clerici ac monachi. Constant quidem ista ex iisdem literis: quibus etiam cum Agatho tum Synodus contestantur, haud se mittere Legatos ad disputandum de quæstione cõtrouersa tanquam de re incerta; sed ad docendum quæ esset Apostolicæ Sedis traditio, adeo vt nihil præsumerent augere, minuere, vel mutare; & quicunque eandem fidem confiteri noluerint, eos perpetuæ damnationis reos esse declarant. Cæterum in eadem Synodi epistola, dum in confessione fidei asseritur Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedere, malam manum Græcanicam nomen *Filii* abrasisse, conquestus est in Concilio Florentino Iulianus S. R. E. Cardinalis: idque ipsum longe antea aduerterat Emmanuel Caleca Græcus auctor, in commentarijs aduersus Græcorũ errores conscriptis. Quod monuisse voluimus, ne mirum adeo videatur, cum in nonnullis aliis Acta Sextæ Synodi à Græcis esse deprauata dicentur.

III. LEGATI PERVENIERVNT CONSTANTINOPOLIM.

Sed vt ad Legatos redeamus, quos Anastasius in Agathone ait, eorum Constantinopolim aduentum contigisse die decima mensis Nouembris, errorem esse omnino liquet, ex eo quod ipsius Oecumenicæ Synodi Acta docent eam inchoatam esse die septima mensis Nouembris, cum iam ante iidem Legati aduenissent. Imo cum epistola Imperatoris, inscripta ad Georgium Patriarcham Constantinopolitanum, post eorundem aduentum data, (siue edictum dixeris, quo significauit, vt quantocyus Metropolitani Episcopi iuberentur se conferre Constantinopolim) cõsignetur die quarta Iduum Septembris; certe ante illud tempus oportuit eo peruenisse Legatos. Quam vero honorifice susceptì fuerint ab Imperatore, ex iis quæ idem scribit Anastasius intelligi potest.

IV. NVMERVS EPIS. SEX. SYN.

Porro numerus Episcoporum qui Oecumenicæ Synodo interfuerint, diuersus à diuersis ponitur: ducentos octoginta nouem habent Annales *b* Græcorum; Photius *c* centum septuaginta; Paulus *d* diaconus, & Anastasius *e* Biblio-

b Theoph. & Cedr.

c Phot. de 7. Synod.

d Paul. diac. de gest. Lang. lib. 6. c. 4.

e Anast. in Agath.

thecarius

thecarius centum quinquaginta; Theodorus Balsamon centum septuaginta vnum: in vltima autem Actione eiusdem Synodi, numerantur subscripti omnes Episcopi cum Legatis presbyteris atque diaconis, centum sexaginta sex; verum ipso Synodi exordio longe minor numerus habetur, quod Episcopi omnes tanta brevitate temporis minime peruenire potuissent Constantinopolim. Locus autem vbi conuenerunt, fuit (vt habent Acta) Secretarium Sacri palatii, quod cognominatum est *Trullus*. Quam vocem, in eo, quod ad ædificiū aliquod pertinet, (omittimus enim dicere de Trulla, quæ est genus vasis; siue quod significat cæmentariorum instrumentum:) dictam reperimus tam in fœminino genere quam masculino, pro sublimi fornice desuper in altum porrecto & in rotundum concamerato, quem Itali dicunt *Cuppulam*. Sed & admonendus est lector, reperiri apud Anastasium in Agathone, Epitomen eiusdem Synodi, in qua complura inueniantur, quæ in ipsis Actis desiderantur; contra vero desint multo plura, quæ in Actis scripta reperiuntur: de quo dicetur inferius.

De loco, Trullo dicto.

V. Quando cœpta.

Cœpta autem Prima Sessio, siue Actio, fuit septima die mensis Nouembris, Indictione nona; hoc ipso videl. Christi anno sexcentesimo octogesimo, Imperatoris vero decimotertio ab obitu patris, eodemque numero notato post ipsius Consulatum *f*; ex quo autem imperare cœpit viuo parente anno vigesimo septimo. At Sessio ita dispositа fuit sicut in Concilio Chalcedonensi, nempe vt digniori loco à sinistris sederent Apostolicæ Sedis Legati, à dextris *Georgius* Constantinopolitanus Episcopus, *Macarius* Antiochenus, ac *Petrus* presbyter & monachus Legatus Sedis Alexandrinæ. Adfuit quoque pro Ecclesia Hierosolymitana *Georgius* item presbyter & monachus, qui sedisse reperitur à parte læua post Legatos Apostolicæ Sedis & Occidentalis Synodi. De cuiusmodi Sessionis ordine dictum est satis in Concilio Chalcedonensi. Nam & quod idem Apostolicæ Sedis Legati in hac Sexta Synodo primi sententiam dixisse reperiuntur, primi item subscripsisse, aliaque eiusmodi egisse; ex iis abunde intelligitur primarium illis delatum esse honorem more maiorum. Eminentiori vero loco Constantinus Imp. cum suis Magistratibus sedit, omnibusque ferme Actionibus interfuit, vt eas moderaretur. Locus autem medius Synodi ex antiqua consuetudine datus est sacrosanctis Dei Euangeliis, super sedem ornatam positis, CHRISTVM ipsum repræsentantibus.

f Vide supra ann. 101 post num. 1.

Consessvs qvomodo dispositvs.

VI. Quæ in sex primis Actionibvs gesta.

His ita dispositis, Apostolicæ Sedis Legati aggressi loqui, sui aduentus causam edocuerunt, questique sunt de eo, quod quatuor Constantinopolitanæ sedis Episcopi, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, itemque Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus Episcopus Pharan, nouam induxissent hæresim in Ecclesiam de Vna in Christo Voluntate & Operatione; ac demum petierunt narrari causam erroris, & originem nouitatis. Itaque iubente Imperatore causam ab aduersa parte reddi Apostolicæ Sedis Legatis; coryphæus eius sectæ Macarius Antiochenus Episcopus, & cum eo alii pro sede Constantinopolitana causam agentes, responderūt nullam à se nouitatem introductam, sed ea tantum prolata esse quæ à sacris Synodis & SS. Patribus essent accepta. Quibus auditis Imperator, cum dixisset non passurum se in Synodo eos residere, nisi quæ proposuissent omnia probarent; id Macarius pollicitus est præstare. Itaque tam in hac Prima, quā in totis quinque sequentibus Actionibus reliqua parte huius anni celebratis (quarum vltima, nempe Sexta, habita est duodecima Decembris) nihil aliud actum est, nisi quod lecta sunt trium Oecumenicarum Synodorum Acta, videlicet Ephesinæ, Chalcedonensis, & Quintæ, necnon testimonia quamplurima Patrum, in quibus Macarius vane iactabat asseriunicam in Christo Voluntatem: quæ quidem ab Apostolicæ Sedis Legatis, ac vniuersa Synodo, diligenter examinata, inuenta sunt falsata, detorta, atque detruncata. Quod autem Actio Septima sequenti anno celebrata reperiatur, agetur de ea suo loco: modo quæ reliqua sunt anni huius digna memoria percurramus.

VII. Dira pestis Italiam invasit.

Hoc enim anno, post Lunæ Solisque Eclipsin, pestem ingentem per tres continuos menses dire vastasse Vrbem, & alias nonnullas Italiæ ciuitates, tradunt Paulus *g* & Anastasius *h*. Additque Paulus, multis Romæ visibiliter apparuisse, bonum & malum Angelum noctu per ciuitatem pergere; & quotiens ex iussu boni Angeli, malus venabulo quod in manu ferre videbatur, ostium alicuius domus percuteret, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Tuncque per reuelationem cuidam dictum esse, pestem nō prius quieturam, quam in basilica S. Petri ad Vincula poneretur altare S. Sebastiani martyris: eo vero facto, pestem protinus cessasse. Hæc ille. Extat autem ibidem hactenus integrum ipsum altare, necnon eiusdem S. Martyris Imago multiuo opere expressa. Sed & ex hoc propagata ad posteros religio est, vt pestis tempore, voti causa, Imago eiusdem S. Sebastiani diuersis in locis pingi soleret, atque in eius memoriam altaria erigi, & ecclesias fabricari.

g Paul. diac. lib. 6. hist. Long. c. 5.

h Anast. in Agath.

Cessat cvltv S. Sebast.

Eodem anno Wamba Hispaniarum Rex, cum regnasset annos octo & mensem vnum, nouo exemplo monasticum amplexus est institutum: ita nimirum vt cum Etingius, siue Eruigius Comes (natus ex Ardabasto homine Græco, qui ab Imperatore expulsus in Hispaniam se receperat, & vxorem acceperat Receswinthi Regis consobrinam) eidem Wambæ potionem lethiferam dedisset, & ex ea Rex à sensu alienatus apparuisset; eo viso Episcopi atque Proceres Hispani, ignorantes causam morbi, pœnitentiam ei similibus casibus tunc in Hispania consueram exhibentes, monastico illum habitu induerint, atque tonsura initiarint: quod Rex à potione liberatus agnoscens, ipse voluntarie se monasterio inclusit. Quæ quidem colliguntur ex Tudensi, qui ea à Iuliano Toletano accepit; sed declarantur expressius in primo canone Concilii Toletani anno sequenti celebrati: quo etiam ostenditur, eundem Wambam eximia animi magnitudine scriptis suis pronuntiasse regni successorem eundem Eruigium veneni propinatorem. Sequenti vero canone significatur, eam tunc in Hispaniarum Ecclesiis viguisse consuetudinem, vt cum vrgente ægritudine, se quis proxime moriturum putaret, eiusmodi monastici habitus pœnitentiam peteret: quam si quis etiam extra mentis integrum sensum constitutus, ab Antistite ministratā, accepisset, imo etiam si eam minime petiisset, sed nesciens accepisset; haud vlterius ad sæculum reuerti ipsi liceret, sed teneretur in perpetuū monachus permanere: licet pœna dignus censeretur sacerdos, qui eam non petenti, vel aliquo saltem signo se cupere significanti ministrasset. Sic igitur Wamba Dei iudicio assumptus in regnum, hominis fraude eo priuatus est ingenti suo bono: quem in eo vitæ instituto transgisse vsque ad obitum annos septem atque tres menses, tradunt, sed in nuper citato codice, ex Iuliano anni duodecim ponuntur.

VIII. Wamba Rex fit Monach.

Mos Hisp. Eccl. in svscipiendo ab infirmis Monachatv.

IESV CHRISTI AN. 681.

AGATHONIS AN. 4.

CONST. POGON. AN. 14.

ANno Domini sexcentesimo octogesimo primo, Indictione nona, quod reliquum fuit SEXTAE SYNODI Oecumenicæ expletum est. Nam decimatertia die Februarii Actio Septima est celebrata: in qua adhuc actum est de testimoniis Patrum tam ab hæreticis quam Catholicis pro sua sententia productis: iussaque est collatio exactissima eorundem fieri per Georgium Constantinopolitanum, & Macarium Antiochenum, cum codicibus Patriarchii. Et sic finem ea Actio habuit. Sed apud Anastasium traditur, (quod quidem in Actis Synodalibus desideratur) post eandem Actionem iursum conuentum esse decimaquarta, decimaseptima, & vigesimaquinta eiusdem mensis Februarii, actumque de dogmate Monothelitarum, subscripto à Macario, necnon à Theodoro olim Episcopo Constantinopolitano, reiecto vero à Georgio tunc Patriarcha. Quæ quidem ab eodem Theodoro postea cum iterum restitutus est ei sedi, abrasa esse ex Actis Synodi, quod ex illis ipse ostenderetur hæreticus, dicetur inferius.

I. Reliqvæ actiones Sextæ Synodi.

Octaua quæ numeratur in Actis Sessione, habita septima die mensis Martii, Georgius Episcopus Constantinopolitanus, relatione facta de veritate locorum quæ ex SS. Patribus

II.

à Le-

à Legatis Apostolicæ Sedis prolati fuerant, palam testatus est se cum iisdem Sanctis Patribus profiteri Duas in Christo Volentates & Operationes: egitque vt S. Vitaliani Papæ nomen in Diptycha restitueretur, quod sublatum à Theodoro fuerat. Eius vero confessionem alii quoque post eum omnes Episcopi secuti sunt; non sine egregio Agathonis Romani Pontificis præconio, cuius se definitionem amplecti professi sunt: excepto vno Macario Antiocheno; qui cum Stephano Abbate obstinate perstans in errore, procaciter etiam contestatus est, se ab eo non discessurum, nec si membratim præcideretur, & abiiceretur in mare: quinimo impudéter nimis iactare non erubuit, se vt suam hæresim stabilirer, Patrum scripta corrupisse. Itaque ab vniuersa Synodo anathema in eum conclamatum est; eidemque pallium, aliaque insignia Patriarchalia ablata sunt. Tandemque Actione Nona sequenti die celebrata, in eundem Macarium, eiusque discipulum Stephanum Abbatem, sententia damnationis atque depositionis lata est. Quo tempore accidisse Anastasius ait, vt quamplurimæ aranearum telæ nigerrimæ in medio populi ceciderint, in signum sordium hæreseos expulsarum. Tribus autem sequentibus Actionibus eodem mense Martio habitis, recepti sunt libelli quorundam palinodiam recantantium; lectaque & approbata epistola Sophronii olim Episcopi Hierosolymitani ad Sergium Constantinopolitanum: atque item lecta, sed damnata Macarii, aliorumque hæreticorum scripta. Ac demum Actione decimatertia, celebrata vigesima octaua eiusdem mensis, à Patribus sententia lata est aduersus omnes hæreticos Monothelitas; nominatimque aduersus Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum Episcopos olim Constantinopolitanos; necnon contra Cyrum Alexandrinum, & Theodorum Episcopum Pharan. Post quos etiam in Actis vulgatis separatim nomen additur Honorii Romani olim Pontificis, tanquam & ipse in epistola ad eundem Sergium scripta, ipsius adhæsisset errori de vnica in Christo Voluntate; quod & alibi sæpius in iisdem Actis repetitum legitur.

PROCACIA MACARII ANTIOC.

DE TELIS ARANEARVM DICTIS PORTENTVM.

DAMNATIO MONOTHEL.

III. HONOR. PP. DEFENDITVR A CALVM.

Sed quam parum ista de Honorio cohæreant, consideremus. Primo enim profitetur Synodus, eorum se hæreticorum damnationem confirmare, quos iam prædamnauerat Agatho Papa in epistola ad Imperatorem. At tantum abest, vt in ea Agatho Honorium damnarit, vt contra sæpius confidenter affirmauerit, Apostolicam Sedem Romanam nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexam esse, nec hæreticis nouitatibus succubuisse, aut à tramite Apostolicæ traditionis deuiasse; omnesque eiusdem Ecclesiæ Pontifices ipsius Agathonis decessores, semper & in prosperis & in aduersis sinceram fidei regulam viuaciter tenuisse, ac defendisse; sed & viriliter insurrexisse aduersus quascunque hæreses, ac præcipue contra istam Monothelitarum: adeo vt non aliud permiserit Legatis suis ad Synodum Oecumenicam missis definire, quam secundum traditionem Apostolicæ Sedis, vt ab iisdem decessoribus suis Pontificibus instituta esset. Quomodo vero hæc tanta adeo intrepide proferre ausus esset Agatho, si Honorii hæresis omnibus nupertime innotuisset? Quinimo ipsum perquam verissime illa asseruisse, testatus est ipse Imperator vna cum vniuersa Synodo, quando post eam absolutam scribens ad Concilium Romæ congregatum, commendansque dictam Agathonis epistolam, ait eam se ac totam Synodum Oecumenicam suscepisse, quod esset omnino consentiens veritati. Qua igitur ratione dicetur, eandem Synodum ipsum Honorium inter hæreticos recensuisse?

IV. CONVINCITVR IMPOSTVRA DE HONORIO.

Rursum, si ob damnationem Theodori Mopsuesteni, & scriptorum Theodoreti atque Ibæ, Orientalium sub aliis sedibus constitutorum Episcoporum, totum Orbem terrarum oportuit commoueri, Conciliumque Oecumenicum congregari; & non sine maximo labore id vix tandem obtineri valuit: quomodo accidisse dicemus in præsenti Synodo, vt vnius duntaxat lectione epistolæ condemnatus fuerit primariæ Sedis Antistes, de qua illa esse consueuit omnium vox, in Synodis, *Prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur*? Quomodo lecta epistola, antea cum auctore damnata fuit, quam examinata? Sed & si examinata fuisset, & hæretica inuenta, nonne antequam cum ea damnaretur ipsius auctor, oportuisset exacte disquiri, num vsque ad obitum in eadem sententia perstitisset: quem certe non perstitisse, illud necessario demonstrabat, quod semper Romæ Catholicus habitus, eiusque memoria honorifice custodita extitisset. Non sic vel clericulus quispiam consueuit aliquando damnari; non laicus homo, defunctus præsertim, ab Ecclesia eiici; dixerim amplius, non famosus hæreticus, imo nec hæresiarcha (vt est exemplum de Theodoro Mopsuesteno) ita vno impetu condemnari, nisi multo temporis spatio antea iudicio ventilato ac sæpius discusso. Quæ igitur causa, vt præcipitata potius quam prolata fuerit à Synodo, de Honorii Summi totius Ecclesiæ Pontificis damnatione sententia? Denique si vere in Synodo hæc peracta fuissent, quomodo qui præsidebant Apostolicæ Sedis Legati minime reclamarunt; cum tamen in omnibus Actionibus, ac pro leuioribus causis semper interlocuti reperiantur? præcipue cum satis ipsis constaret, epistolam Honorii nihil continere erroris?

Sed dices: quomodo igitur in Actiones & Epistolas Synodales, pluribus in locis, ista de Honorio potuerunt irrepsisse? Respondeo breuiter: Cum Theodorus ille Constantinopolitanus Episcopus, quem superius diximus à Catholico Imperatore, vt hæreticum, expulsum esse, & in eius locum subrogatum Georgium qui huic Synodo interfuit, inter Episcopos Constantinopolitanos hæreticos à Synodo relatus esset: (id enim & Anastasius *a* non obscure indicat; & alioqui cum de omnibus eiusdem Ecclesiæ Patriarchis, qui à tempore exortæ Monothelitarum hæresis exiterunt, eadem Synodus iudicium habens, aliquos ex eis condemnasse legatur *b*, quos diximus Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum alios vero vt Orthodoxos significasse, nempe Thomam, Ioannem, & Constantinum; nulla causa adferri potest, cur solius Theodoti nomen inter omnes alios, siue hæreticos, siue Catholicos, prætermitti debuerit:) vt tamen nusquam in iisdem Synodi Actionibus inter hæreticos nominatus reperiatur, id inde accidit, quod post mortem Georgii, quæ contigit anno sequenti, restitutus in sedem Constantinopolitanam, nactus Synodalia Acta priusquam vulgarentur, aut etiam Romam mitterentur; nomen suum è damnatorum numero deleuerit, atque in eius locum ipsius Honorii Papæ nomen variis locis inseruerit, tum vt istam aliasque ab ipso factas lituras restitueret, tum vt leuiorem Monothelitarum suorum culpam redderet, quod exemplo Romani Pontificis, quem sequi deberent, ipsi peccassent. Nam sicut verisimile satis est & alia complura addita pariter & detruncata ab eo fuisse; ita desiderari Acta illa, quæ fieri contigerit in electione successoris Macarii à Synodo damnati ac depositi, extra dubium est. Etenim de eo factam esse postulationem ab Episcopis Syriæ, constat ex ipsis Actis *c*; & in locum eius subrogatum esse *Theophanem* Abbatem Siculum hac ipsa Actione, cum Anastasius Bibliothecarius, qui Synodum in compendium redegit, expresse declarat; tum euidentissime constat ex eo, quod idem Theophanes in singulis sequentibus Actionibus reperitur titulo Episcopi Antiocheni nominatus.

V. SYNODI ACTA CORRVPTA A THEOD. CONST.

a *Anast. in Agath.*

b *Sext. Syn. Act. 13.*

c *Ibid. Act. 12.*

Cæterum si necdum tot rationibus pro Honorii absolutione prolatis cedēdum quis obstinatus censuerit; in promptu est, vt de eo integrari iudicium possit. Nam quod in sententia aduersus eum lata, eius damnationis illa vnica causa exprimitur, quod in literis ad Sergium scriptis impia eius dogmata confirmasset; quam id longe procul fuerit à veritate, dilucide satis ostendimus, dum suo loco *d* de iis egimus. Extant enim ipsæ adhuc integræ iisdem Actis intextæ, ac Dei magno beneficio conseruatæ, vt qualis Honorius fuerit ex ipsis probe intelligi possit. Adeo vt quamuis concederemus (quod tamen omnino negamus) ipsum re vera in Synodo ob ea scripta damnatum fuisse; est vt ex iisdem scriptis, eadem damnatio retractetur; quandoquidem in iis quæ facti sunt, vnumquemque posse falli nemini dubium est.

VI. MVLTIPLICITER HONOR. COMPROBATVR ORTHOD.

d *Sup. ann. 633 num. V. VI. VII. & addē quæ hu habentur in Collatione Anastasii Bibl. nuper à nobis Sirm. edita.*

Sed vt ad gesta Synodi redeamus; rursum die secunda mensis Aprilis Actio Decimaquarta est habita: in qua lecta sunt Menæ Patriarchæ, & Vigilii Papæ scripta de vnica Voluntate, eademque esse suppositia redarguta, atque anathemati tradita: sed quæ Athanasii nomine produxere Episcopi Cyprii pro duabus Voluntatibus & Operationibus, à Synodo probata sunt.

VII. ACTIO XIV.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

VIII. POLYCHRONII TEMERITAS.

Actione vero Decimaquinta, celebrata die vigesimasexta eiusdem mensis Aprilis, pertractata est causa Polychronii cuiusdam presbyteri & monachi Monothelitæ: qui quidem homo plane insanus, asserens se diuinitus admonitum de constituenda vnica Voluntate in Christo, eoque nomine pollicitus se mortuum suscitaturum, apponendo supra eius corpus chartulam fidei suæ confessionem continentem; cum eiusmodi miraculi pollicitatione magnam populi multitudinem post se traxisset, coacta est Synodus, ne fidei sacramentum leuissimi hominis petulantiæ in discrimen adduceretur, eam indignam licet conditionem subire. Itaque concessit periculum publicè fieri, præsentibus etiam ipsis Patribus, necnon Imperatore atque vniuerso populo: Sed cum per plures horas mortuo insusurrasset, nec suscitare valuisset; aduersus eum tanquam nouum Simonem inclamatum est anathema à populo, idemque in locum Synodi redactus, cum nollet hæresim abiurare, è sacerdotio depositus est, & anathematis vinculo suppositus. Rursumque Actione Decimasexta, quæ habita reperitur die nona Augusti, alius procax hæreticus nomine Constantinus, presbyter Apameensis Syriæ, licentia accepta dicendi, ad docendam Synodum se venisse professus, temperamentum quoddam proposuit, quo concordari possent Monothelitæ atq; Catholici; nimirum hac ratione, vt dicerentur in Christo duæ Operationes, Voluntas vero vna; ita videlicet vt Christus assereretur humanam voluntatem deseruisse cum carne & sanguine Crucis tempore. Sed explosa à Synodo atque damnata eiusmodi assertione, tanquam Manichæorum, ipse Constantinus parem cum ea damnationis sententiam accepit.

PERICVLVM FIDEI PVBLICE FACIVM.

ALIVS HÆRET. EXPLODITVR.

IX. IMP. FRATRES SVOS ABDICAT.

Quod autem spectat ad tam longam moram, qua ista Actio post superiorem est celebrata; Annales Græcorum, licet nullum referant bellum quo fuerit Romanum Imperium lacessitum; tamen hoc anno, cum scilicet nondum decimustertius Imperatoris absolutus esset, domesticis dissensionibus laboratum ostendunt, ob quas Imperator fratres suos & collegas Heraclium & Tiberium, in suspicionem rerum nouandarum adductos amouit, soluitque ipse cum IVSTINIANO filio imperauit. Verum nõ id factum videtur ante absolutam Synodum: siquidem in reliquis eius Actionibus, cum Constantino nominati reperiuntur iidem ipsius fratres Imperatores Heraclius atque Tiberius,

X. SYNODI DECRETVM FIDEI.

Actione Decimaseptima, habita vndecima mensis Septembris, Orthodoxæ fidei decretum approbatum à Patribus publice lectum est; quo Quinque Vniuersalia Concilia confirmata sunt, eorundemque Symbola recitata: appositaque est damnatio Monothelitarum hæreticorum, ex præscripto Epistolæ Agathonis Romani Pontificis, atque Synodi Romæ ab eodem coactæ: ac demum de Vno Volente & Operante in Duabus Operationibus & Voluntatibus doctrina, ex sanctorum Patrum sententiis est approbata: hancque Actionem omnes qui aderant subscriptione sua firmarunt; nempe omnium primi, presbyteri priuatim ab Agathone Papa missi, deinde Patriarchæ Orientis, tum legati à Synodo Rom. decreti, subinde alii Episcopi, ac demum omnium postremus ipse Imperator Constantinus. Vltima autem Actio, eaque Decimaoctaua, celebrata est decimasexta eiusdem mensis Septembris: in qua Imperatori Constantino ibidem præsenti faustæ acclamationes dictæ sunt; iterumque professa est Synodus, in definitione Catholici dogmatis sequi se Epistolam Agathonis Papæ, & Synodales literas Romani Concilii. Subditur post hæc edictum eiusdem Imper. de fide Catholica. Reperiturque ad finem Actionis, epistola ipsius ad Episcopos Synodi Romanæ; data tamen illa non eodem die quo celebrata est Actio, sed longe postea, nempe decimo Calendas Ianuarii: qua commendans illorum qui conuenerant studium in defendenda vna cum Romano Pontifice fide Catholica, eundem Pontificem vocat *Vniuersalem Principem Pastorum*: eiusq; relationem se tanquam S. Petri vocem suscepisse profitetur. Sed & pergens dicere de impio Macatio Antiocheno, eiusque discipulis, ait illos ex communi Synodi sententia depositos, probationi sanctissimi Papæ traditos esse. Cur autem iidem missi sint Romam, cum nulla afferatur in dicta epistola causa; ex alia eiusdem Imp. scripta ad Leonem Agathonis successorem accipere licet; nempe quod ipsi damnati id petierint, appellantes Romanum Pontificem. Nam quod ait Anastasius *e*, eos in exilium Romam missos; longe procul est à verisimili. Nullum enim antehac extare recordamur exemplum, vt exilio *f* relegandis damnatis improbis hæreticis, pro loco exilii decreta fuerit Vrbs, locus videlicet omnibus expetendus; sed potius Oasena solitudo, vt Nestorio, aut alia deserta ac barbara loca.

DE EPIST. IMP. AD CONCIL. ROM.

DAMNATI IN SYNODO OECVM. APPELLANT SEDEM APOS.

e *Anast. in Agath.*

f *Vid. inf. an. 703. nu. 11.*

Hactenus breuiter de Actionibus Sextæ Synodi, quæ reperiuntur tam in Græcis quam Latinis codicibus: in quibus cum multa inuidiosè deprauata inuenerimus, vnum quidem certum indubitatumque relictum est, nempe damnatam esse Monothelitarum hæresim: quam illorum Patrum sententiam, vt sacrosanctam Ecclesia Catholica semper custodiuit, hactenusque custodit. Desideratur vero etiam inter Acta huius nouissimæ Sessionis, epistola Synodalis ab eodem Concilio scripta ad Agathonem Romanum Pontificem; quæ inter epistolas Leonis eius successoris prima ponitur; sed quæ huc referenda necessario est, eo quod S. Synodus potissimum petat ab ipso Romano Pontifice, tanquam à *Primæ Sedis* (vt vocant) *Antistite Vniuersalis Ecclesiæ, stante supra firmam fidei petram*, confirmari quę in eadem Synodo fuissent ex Sanctorum Patrum testimoniis & auctoritatibus definita; videlicet quod *sicut ex duabus & in duabus Naturis, diuinitate atque humanitate, ex quibus compositus est, & ex quibus existit, Christus verus Deus prædicatur & glorificatur inseparabiliter, inconuertibiliter, inconfuse, & indiuise, ita duæ naturales Operationes indiuise, inconuertibiliter, inconfuse, impartibiliter prædicandæ essent.* Quod autē pertinet ad canones, qui nomine Sextæ Synodi à Græcis tempore Iustiniani Iunioris co..scripti sunt; de illis suo loco *ff* pluribus dicturi sumus.

XI.

CONFIRMATIO SYNODI PETITVR A ROM. PON.

ff *Infr. an. 692.*

Cum autem Anastasius (vt diximus) nonnulla addat, quæ non reperiuntur in Actis Synodi quæ extant; tamen longe plura prætermittit, dum sex tantum in ea habitas refert Actiones, ipsamque penitus absolutam ante Paschale tempus. Ad postremum vero post damnationem hæreticorum ibidem factam, ait abrasa esse à Diptychis nomina Patriarcharum hæreticorum, eorundemque picturas de ecclesiis aliisque vbiq; locis ablatas: sed & Dominica Octauarum Paschæ ab Episcopo Portuensi in ecclesia S. Sophiæ, præsentibus Imperatore & Patriarcha, Missas Latine celebratas esse, ac Latinis pariter vocibus acclamationes factas. Addit denique, per Legatos Sedis Apostolicæ Romam redeuntes scriptam ab Imperatore ad Papam Agathonem epistolam, quam *Sacram* vocabant; qua significauit liberare se Romanam Ecclesiam à pensitatione illa pecuniæ, quam primum impii Gothorum Reges Ariani persoluendam recens creatis Romanis Pontificibus indixerant, ac post illos extinctos, Orientales Imperatores exigere consueuerant; vt sæpe dictum est superius. Idemque auctor in Ioanne Quinto habet, eundem Pontificem, tunc adhuc diaconum & vnum ex Legatis Apostolicæ Sedis in prædicta Sexta Synodo, retulisse Romam Imperatoris iussionem pro liberatione censuum ac tributorum, quæ Romana Ecclesia pro patrimoniis, quæ in Sicilia & Calabria possideret, pendere annue consueuisset. Retinuit tamen adhuc Constantinus ius confirmationis Romani Pontificis, antiquitus pariter tyrannice vsurpatum. quando autem ab hac seruitute Ecclesia Romana fuerit ab eodem Imp. liberata, suo tempore dicetur.

XII.

QVÆ ANAST. AMPLIVS HABEAT DE ACT. SYNODI.

ECCL. ROM. LIBERATVR A SOLVTIONE PECVNIÆ PRO ORD. PONT.

Hoc pariter anno, mense Ianuario, celebratum est in Hispania CONCILIVM TOLETANVM numeratum Duodecimum, Æra septingentesima decimanona, anno primo Etuigii Regis; ad hoc (vt apparet) eiusdem voluntate collectum, vt ipsi regnum Hispaniarum confirmaretur ab Episcopis; quibus his temporibus in Hispania tantum tribuit Christiana religio, vt absque ipsorum consensu (quod superius dictum est) non liceret regnare cuiquam, quamuis hæres esse defuncti Principis videretur. Præfuit eidem Synodo *Iulianus* Hispalensis Episcopus, subscriptique reperiũtur alii triginta quinque præter Vicarios absentium, & aliquot Abbates: & ab omnibus sanciti sunt canones tredecim. Ac primo quidē fide Regis Catholica cognita, eiusdem confirmarunt electionem. Postea vero de iis egerunt, qui consentientes susciperent in extremis pœnitentiam per tonsuram ac vestem religiosam; decreuerunt que, eiusmodi non debere violati vtcumque factam professionem: videlicet ne eiusdem Regis

XIII. CONCIL. TOLET. XII. PRO CONFIRMATIONE ERVIGII REG.

DE PŒNITENTIA MONACHISMI APVD ILLOS.

posset

possetlabefactari creatio, essetve spes vlla, vt Wamba iterum reperetet regnum, quod per eiusmodi pœnitentiam amisisse vidimus. Pœnam tamen vnius anni excommunicationis statuerunt sacerdoti, qui cuilibet non petenti, neque sentienti, eiusmodi tribueret pœnitentiam. Sed & nouæ sedes Episcopales iussu Wambæ diuersis locis erectæ, sublatæ g sunt.

p Conc. Tol. XII. 4

XIV. h Ild. in 6. 1 Sp. Brunlo in ad S. Isid. Conc. Tolet. 4. De nominatione Episcop. a Regib. Hisp. vsurpata.

Actum præterea, vt h Toletanus Antistes ordinaret quem Rex nominaret Episcopum; qui ordinatus suo deberet se præsentare Metropolitano. Ad quod sciendum est ex veterum i Scriptorum monumentis, Gothorum Reges in Hispania nominationem sibi vendicasse creandorum Episcoporum: quorum nominatio referebatur ad Concilium, vt de persona inquireret vtrum digna esset sede Episcopali. Quoniam autem longæ moræ tolerent intercedere in his perficiendis, ob idque contingere vacantes sedes diutius absque Episcopo permanere; id sancitum est in hoc Concilio, vt quem Rex nominaret, vnus Toletanus Episcopus, de persona habita inuestigatione solita, ordinare posset. Verum, quod hæc res admodum inuidiosa esset, quæ videretur statuta in præiudicium reliquarum Archiepiscopalium sedium; aduersus eiusmodi huius Synodi decretum constat fuisse ab Hispaniarum reliquis Episcopis tumultuatum, ab eisque in contrariam partem flexum Regem, sibi timentem ne cæteri Hispaniæ Episcopi rebellarent. Actumque est ab Episcopis ipsis cum Romano Pontifice, *vt nullus Archiepiscopus Hispaniarum subderetur alicui Primati, præterquam Romano.* Ita enim ita se habuisse, docet Tudensis. Quibus etiam intelligas, arbitrio Romanorum Pontificum pro temporis, & personarum ratione dari & demi consueuisse Ecclesiis priuilegia; neque quicquam consistere, quod Reges aut Concilia de his statuant, nisi Pontifex Romanus annuerit.

Episcopi Hisp. sublesse tantum Rom. Pontifici volvarunt.

XV. k Conc. Tol. XII. c. 5. l ibid. can. 9. m Can. 10.

Redarguti quoque in eadem k Synodo fuere, qui plures vno die Missas celebrantes, in vltima tantum, non in singulis communicarent. Sed & aduersus l Iudæos inter alia statutum, ne libros legere auderent quos fides Christiana repudiaret. Indultumque m præterea confugientibus ad Ecclesiam spatium triginta passuum foras progrediendi. Reliqua tu consulas.

XVI. n Bed. lib. 4. c. 13.

Hoc eodem anno graui fame ac peste laboratum in Anglia, testatur Beda n. Tuncque accidit, vt S. Vvilfridus Eboracensis Episcopus Roma reuersus in Angliam, cum recipere sedem suam tyrannice occupatam non valeret, ad prædicandum *Australibus Saxonibus* Euangelium conuersus, eosdem ex Gentilibus reddiderit Christianos, ac dira fame liberauerit, impetrata pluuia, & tradita piscandi arte. Fuerunt item eodem pestis tempore complures emissæ cœlitus visiones, ostensæ veris Dei seruis atque ancillis de æternæ vitæ certitudine; quibus veluti lacte quodam nouellos Fideles Deus alere, & tanquam imbrem super plantatam recens Ecclesiam, ad eam multiplicandam concedere voluit: sicut econtra ad terrorem incutiendum malis, eosdemque ad pœnitentiam reducendos, alias terribiles visiones de certa nonnullorum morientium ad inferos damnatione, apparere quoque permisit: & tam has, quam illas, scriptis o fideliter posteris tradi ad excitandam Fidelium tepescentium pietatem æque concessit.

Visiones de Paradiso et Inferis in Anglia.

o Id l. b. 4. & 5. h. st. Angl.

IESV CHRISTI AN. 682.

AGATHONIS AN. 5.

CONST. POGON. AN. 15.

I. De Agat. pp. obitus tempora.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, quarto Idus Ianuarii, *Agatho* Papa ex hac vita migrasse ponitur: qui & sepultus est apud S. Petrum, & inter Sanctos post obitum adscriptus. Cuius cum Anastasius dicat sedem vacasse annum vnum, menses septem, dies quinque; de causa tamen adeo longæ vacationis nihil habet. Verum si positum tempus obitus certum esset, omnino tamdiu sedem vacasse, affirmare pariter nos cogerent Acta Decimæquartæ Synodi Toletanæ, celebratæ anno sexcentesimo octogesimo quarto. Etenim cum in iis a asseratur, tunc adhuc Leonem Papam fuisse superstitem, omniumque testificatione certum sit, Leonem non integros vndecim menses sedisse; vtique affirmare necesse est, eius electionem non ante sequentem annum contingere potuisse. At enim cusa nuper refossa ex monumentis Floriacensibus b epistola Agathonis ad Edictum Viennensem in Gallia Archiepiscopum, necessario affirmare cogit eum diutius vixisse, atque etiam post reditum Legatorum à Synodo Constantinopolitana *Concilium Romæ* centum pene Episcoporum habuisse, ac deinde illam epistolam scripsisse pridie Calendas Martii anni sequentis. Hæc enim ex eadem epistola manifeste probantur: ac proinde habes, haud tam longo tempore sedem vacasse, vt ab Anastasio ponitur: (cuius adeo inusitatæ vacationis, nec vllam causam alicubi inuenimus) atque item, pro eo quod Agatho defunctus asseritur quarto Idus Ianuarii, legendum esse Iunii; vt sæpe alias similem errorem vitio librariorum accidisse comperimus.

a Conc. Tol. XIV. c. 2.

b Bibl. Fl. r. par. vlt.

II. Thesd. damnatvs hæret. restitvitvr in sed. Cost.

Hoc autem anno, antequam Legati Apostolicæ Sedis Constantinopoli recederent, Georgius illius Ecclesiæ Patriarcha, (vti Chronico Nicephori habetur expressum) postquam sedisset annos tres, ac totidem menses, mortuus est; inque locum eius restitutus *Theodorus Syncellus*, quem ante ipsum fuisse ex eodem throno ob Monothelitarum patrocinium depositum vidimus: sed homo versipellis Catholicam fidem ceu larvam suscipiens, eam aggressus foris profiteri, ad Patriarchatum sibi reditum præparauit: eum vero tractus, par est credere, omnia per quæ in Actis Oecumenicæ Synodi nouit sibi ob hæresim infamiam irrogatam, prorsus abstulisse, quemadmodum superius dictum est: nec est vero dissimile, illud consentiente etiam Imperatore, Catholico licet, perfecisse; persuaso nimirum, vt qui ipsum Theodorum in sedem post rectæ fidei confessionem restituisset, eundem non amplius pateretur in Synodalibus Actis numerari inter hæreticos: hoc enim & in ipsius Imperatoris verti contumeliam, quod talem ad tantam sedem prouexisset, quem Oecumenica Synodus, vt hæreticum damnasset. Et vt quod prætendebat facilius perficeret, Imperatori ingessisse putatur, (quis enim alius id potuit egisse?) vt Legati Romani variis prætextibus diutius Constantinopoli detinerentur, atque interim Synodalia Acta inde dimoueri non sinerentur. Quæ autem post hæc secuta sint; suo loco dicturi sumus.

III. Concil. Rotomag.

Hoc eodem Redemptoris anno, Indictione decima, *Rotomagi* in Gallia sub *S. Ansberto* eiusdem ciuitatis Episcopo, vitæ probitate ac miraculorum editione clarissimo, celebratum est Concilivm Generale, cuius Acta desiderantur: tantum enim mentio de ipso est apud Angradum monachum in eius Sancti Rebus c gestis; actumque inter alia tradit de priuilegio collato monasterio Fontanellensi, vt per succedentia tempora, secundum S. Patris Benedicti regulam, & concessiones præcedentium Francorum Regum, ex semetipsis sibi Abbatem monachi eligerent.

c Ap. Sur. 9. Febr.

IESV CHRISTI AN. 683.

LEONIS II. AN. 1.

CONST. POGON. AN. 16.

I. Leo II PP creatvr.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione vndecima, mortuo (vt diximus) *S. Agathone* Romano Pontifice, subrogatus est in locum eius Leo huius nominis Secundus, natione Siculus, Pauli filius, vir pietate & eruditione præstantissimus, musicæque peritissimus. Cuius ordinationi cum Anastasius a tradat interfuisse Ioannem Episcopum Portuensem, quem vidimus Legatum adstitisse Sextæ Synodo Oecumenicæ; inde etiam manifestius probatur, quod dictum est anno superiori de prorogatione vitæ Agathonis vsque ad hunc annum postquam iidem Legati redierunt Constantinopoli Romam: defunctumque esse

a Anast. in Leon. in fi.

quarto Idus Iunii; ac post eius obitum, sedem vacasse menses duos, & dies quinque, vsque ad ordinationem Leonis, quæ facta est decimaquinta mensis Augusti,

II. ACTA SYNODI SEX. CORRVPTA ROMAM MISSA.

Statim autem vt Leo ordinatus est, ait Anastasius eum suscepisse Sextam Synodum, eiusque Acta è Græco in Latinum vertisse, sed fuisse eadem (quod superius diximus) corrupta à Theodoro Constantinopolitano. æque patet ex eodem Anastasio, dum asseruit fuisse in eis nomen Honorii inter damnatos hæreticos numerarum inuentum, prout ea, quæ præ manibus habentur, Acta præseferunt; cum tamen in Agathone, dum agit de singulis Actionibus eiusdem Synodi, recensetque damnatos hæreticos sigillatim, nullam de Honorio habuerit mentionem. Extant *b* & quædam eiusdem Leonis nomine scriptæ epistolæ tam ad Imperatorem Constantinum, quam ad Eruigium Regem & Episcopos Hispaniæ, in quibus pariter Honorii damnatio sæpius repetitur. Quæ si germanæ probari possent, tum alterum de duobus oportuit euenisse, vel eam iniquissimam conditionem, necessitatem temporis Leonem subire coegisse, vt si id non fecisset, damnata hæresis iterum reuixisset, Actaque Synodalia abolenda fuissent: vel Leonem præteritarum rerum ignarum, nescisse ipsa Acta legitima Sextæ Synodi, eumque præteriisse, quæ de scriptis Honorii literis vel per Ioannem Pontificem, vel per Maximum Abbatem declaratio siue defensio præcessisset. Sed horum neutrum in Pontifice culpa caruisset: nec ad ea subterfugia recurrendum est, cum plurimis euidentissimis argumentis satis appareat easdem epistolas penitus esse adulterinas *c*. Quæ si veræ essent, indigeret potius ipse Leo apologia, quod cedere vtius esset Græcorum impostutæ de Honorii asserta falsa damnatione. Honorium enim neque extitisse hæreticum, neque in Synodo damnatum esse, aut damnari iure potuisse; satis superque superius est demonstratum: adeo vt quæcunque aduersus ea, & à quocunque dicta fuerint, necesse sit prorsus euanescere.

b Tom. 2. Epist. Rom. Pont. & Tom. 3. Conc.

c Hoc pluribus demonstrat Baron. ann. Tom. VIII. hoc an. quem vtinam: nobis enim satis, quæ pro defensione Honorii dicta sunt superius an. 633. num. V. & seqq. & an. 681. nu. III & seqq.

Cæterum de Macario, aliisque in Sexta Synodo vere condemnatis hæreticis, Romam missis, illud ex Anastasio habetur, eos scilicet dum nollent à suo recedere proposito, per diuersa monasteria fuisse à Leone exulos: Anastasium autem presbyterum, & Leontium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Romam pariter à Synodo remissos ad palinodiam recantandam, ab eodem Leone post damnatas omnes hæreses in communionem receptos esse.

III. QVID LEO EGERIT DE HÆRETICIS ROMAM REMISSIS.

IV. CONCIL. TOLET. XIII.

Hoc item anno, Æra septingentesima vigesima prima, pridie Nonas Nouembris, habita est SYNODVS TOLETANA, Decimatertia ordine posita, Eruigii Regis anno quarto inchoato mense Octobri. In sequenti Synodo Toletana nominatur istud Concilium Generale, eo quod ex omnibus Hispaniæ prouinciis vna simul conuenissent Episcopi quadraginta octo, Vicarii vero absentium viginti septem, Abbates aut alii in dignitate Ecclesiastica constituti octo; & Comites ac Proceres viginti sex, vna cum ipso Rege Eruigio. Sanciti autem in eo fuerunt canones tredecim, tam de his quæ Rex ab eis decerni petiisset quam de aliis causis Ecclesiasticis. In quibus plane eluxit modestia Regis, cum per Episcopos sanciri voluit, quæ regii viderentur esse iuris; nempe de restitenudis in pristinos honores & bona iis, qui tempore decessoris sui Wambæ tyrannos fuerant consectati; & de relaxatione tributorum antea debitorum. Adeo vt nihil tunc magis viderentur cupere Hispaniarum Reges, quam ciuilia etiam quæque negotia ad Episcopale forum referre: cum econtra hodie nihil solicitius ac vehementius prouinciarum Præsides agant, quam vt causas Ecclesiasticas in sæculare iudicium quibusvis pretextibus trahant.

MODESTIA ANTIQVORVM REG. HISP.

V. d Conc. Tol. XIII. c. 7. DE IIS QVI VINDICTAM A SANCTIS EXPETERE SOLERANT.

Inter alia vero de rebus Ecclesiasticis illud ibidem sancitum *d* est, vt non amplius auderet quis sacerdos, cuiuslibet causa doloris, aut amaritudinis fraternarum rixarum, altaria denudare, luminaria extinguere, aut diuina officia ab Ecclesiis subtrahere. Quod enim aliquando nonnulli sancti viri magna ex causa, nec nisi diuino impellente Spiritu, aduersus potentiores bona Ecclesiæ inuadentes eo modo consueuissent excitare Sanctos illos quorum essent ablata bona, post alia remedia frustra tentata; accideretque, vt propediem vindicta diuinitus immissa perringeret delinquentes: (cuius rei nonnulla videre est exempla apud Gregorium *e* Turonensem:) isti passim id ipsum ad priuatas iniurias vindicandas impie vsurpabant: quod ne amplius quis tentare aliquando præsumeret, Patres sancito canone vetuerunt.

e Greg. Tur. de gl. mart. lib. 1. c. 89. de gl. confes. c. 71. &c. ap. Bar. To. VII. ann. 579. XVI. & 583. XLVIII.

Celebrato vero prædicto Concilio, reuersisque ad suas Ecclesias Episcopis, cum allatæ essent in Hispaniam litteræ Leonis Romani Pontificis, simulque Sextæ Synodi Acta ab ipso missa, nec tempus opportunum esset ingruente sæua hieme eos iterum conuocandi; visum est in sequentem annum differre eius rei tractationem. Ne tamen istiusmodi mora aliquam inobedientiæ suspicionem posset afferre, consultum fuit, vt interim ea per Ecclesias ad Episcopos mitterentur; fieretque confirmatio rerum in Oecumenico Conuentu gestarum, quæ vna cum apologia de dilato negotio ad Romanum Pontificem dirigeretur. Hæc quidem testantur Acta Synodi Toletanæ Decimæquartæ, anno sequenti celebratæ.

VI. DE ACTIS SEX. SYN. ROMA IN HISP. MISSIS.

IESV CHRISTI AN. 684.

BENEDICTI II. AN. 1.

CONST. POGON. AN. 17.

I. LEON. PP. OBITVS.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, Indictione duodecima, *Leo* Papa vbi tediillet menses decem & dies quatuordecim, mortuus est quarto Calendas Iulii; qua die in Ecclesiasticis Tabulis inter Sanctos adnumeratus habetur, etiamsi apud Anastasium defunctus ponatur quinto Nonas Iulii; quem & sepultum dicit apud Sanctum Petrum. Habet quoque, eius temporibus factum esse, vt ex iussione Imperatoris Ecclesia Rauennensis restituta fuerit sub ordinatione Sedis Apostolicæ; hoc est, vt defuncto Archiepiscopo, qui in eius locum eligeretur, iuxta antiquam consuetudinem Romam veniret ordinandus. Addit que insuper eundem Leonem fecisse Constitutum, vt Archiepiscopi nihil pro vsu Pallii, aut diuersis officiis Ecclesiæ, persoluere deberent. quod etiam constat iam olim in Concilio Romano S. *a* Gregorium statuisse. Denique ait Anastasius, sedem Leonis vacasse mensem vnum, & dies viginti duos. Quapropter hoc eodem anno, die vigesima Augusti, BENEDICTVS creatus est, eius nominis Secundus, patria Romanus filius Ioannis, pietate, doctrina, virtutibus que clarissimus. Cuius tempore Ecclesiam Romanam in pristinam libertatem restitutam esse, Anastasius est auctor: cum (vt ait) Constantinus Imper. ei concessit, vt qui deinceps eligeretur in Summum Pontificem, mox nulla expectata Imperatoris confirmatione ordinaretur.

a Greg. 4. ep. 44. ap. Bar. Tom VIII. ann. 595. LVIII. BENED. II. CREATVR. REDDITA AB IMP. LIBERTAS ELECTIONIS RO. PONT.

II. DE LITTERIS BENED. PP. IN HISP. MISSIS.

Feruntur eiusdem Benedicti iam electi, nondum tamen consecrati, duæ epistolæ, altera ad Petrum Notarium, altera vero ad Regem Eruigium, de missione in Hispanias Actorum Sextæ Synodi. Sed cum eadem Acta tam antehac à Leone illuc missa viderimus, eiusmodi epistolæ apertæ conuincuntur impostutæ; non solum, quod in eis Benedictus illa Acta tunc primum mittere dicatur, sed maxime, quod esse reperiantur eædem ipsæ, quæ titulo Leonis ad eundem Regem habentur inscriptæ; quas æque suppositas fuisse vidimus. Scripsit quidem Benedictus litteras ad Hispaniæ Episcopos; sed anno sequenti *b*, postquam accepisset confirmationem ab ipsis factam Sextæ Synodi in Concilio, quod (vt mox dicetur) celebrarunt hoc ipso anno. Est enim de iis certa testificatio in Actis Decimæquintæ Synodi Toletanæ celebratæ anno Domini sexcentesimo octogesimo octauo. Quibus quidem litteris monuit eos Benedictus, vt corrigerent, vel declararent nonnulla, quæ subduriuscule vel ambigue ab ipsis dicta viderentur de substantiis & Voluntatibus in Christo, aliisque nonnullis capitulis.

b Vid Baron. ann. cit.

III. CONC. TOLET. XIV. PRO CONFIRMATIONE SEXTÆ SYN. OECVM.

Hoc igitur eodem anno, qui & quintus Eruigii Regis numeratur, Æra septingentesima vigesima secunda, mense Nouembri, celebrata est SYNODVS TOLETANA, ordine Decimaquarta, occasione receptæ Leonis Pontificis litterarum

& Actorum Sextæ Synodi. Interfuerunt Episcopi septemdecim, atque alii per Vicarios decem, sexque Abbates. A quibus, præter ea, quæ in fine superioris anni dicta sunt, constitutum est, vt post quatuor Oecumenicas Synodos, nempe Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, & Chalcedonensem, hæc quæ Sexta dicitur, quinto loco poneretur. Quæ ipsi idcirco, non vt abiicerent Quintam; sed quod in ea nihil de fide, (vt sæpe dictum est) sed de personis tantummodo actum esset, eadem iis prætereunda, vt non necessaria ad dogmata, visa est.

IV. FILII IMPP. DATI IN FILIOS BENEDICTO IP.

Hoc pariter anno, qui præcedit obitum Constantini Imperatoris, contigisse ait Anastasius, vt Benedictus Papa receperit mallones capillorum Iustiniani & Heraclii filiorum eiusdem Constantini, ab eo ad se missos. Per *Mallones* autem intelligit cirros capillorum: μαλλὸς enim, idem est, quod Vellus seu Coma. Quid autem hoc significaretur symbolo, ex Paulo Diacono possumus intelligere, dum ait *c* Carolum Principem Francorum Pipinum filium suum ad Lwithprādum direxisse, vt eius iuxta morem capillum susciperet; qui eius cæsariem incidens ei pater effectus est. Ex quibus eam his temporibus videas consuetudinem viguisse, vt per eiusmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium, & qui eos acciperet patris nomen consequeretur. Itaque voluit pius Imperator, vt filii sui scirent se Romanum Pontificem habere peculiarem parentem, cuius monitis impensius parere deberent. Est vero etiam apud eundem Anastasium *d* in historica præfatione ad Octauam Synodum, aliud eiusmodi capillorum abscissionis exemplum, cum de admirabili studio Regis Bulgarorum erga Romanam Ecclesiam agens, scribit illum eo vsque pietatis processisse, ac tanta veneratione B. Petrum coluisse, vt quadam die manu propria capillos suos apprehendens, contemplantibus cunctis, Apostolicæ Sedis Legatis tradiderit, dicens, *Omnes Primates & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoscant, ab hodierno die me seruum fore post Deum B. Petri, & eius Vicarii.*

c Paul. diac. lib. 6. c. 53. prima edit. PER CAPILLOR. EXHIBITIONEM SIGNIFICATA FILIATIO ADOP.

d Ap. Baron. Tom. X. an. 869. num. LXXIII.

V. THEOD. EPISC. CONST. MORITVR.

Hoc eodem anno Theodorus Constantinopolitanus Episcopus, impius ille malorum omnium fabricator, mortuus est, cum sedisset (vt testatur Nicephorus) annum vnum & menses decem; & in eius locum subrogatus *Paulus* ex laico. Quis vero iste fuerit, & quomodo hæc se habuerint, scriptorum inopia latet.

VI.

Hoc item anno Ecgfridus Nordhumbrorum in Anglia Rex, misso in Hiberniam exercitu vastauit misere gentem innoxiam, ita vt nec ecclesiis parceret aut monasteriis. Sed mox vindice Deo pœnas sui reatus luit, dum anno sequenti ipsemet exercitum ad vastandos pariter sine causa Pictos ducens, ab iis cum maxima parte militum trucidatus est. Hæc pluribus Beda *e*: qui addit, ab hoc tempore cœpisse virtutem regni Anglorum diffluere, Pictis & Britonibus magna ex parte se in libertatem vindicantibus, terrasque suas recipientibus.

e Bed. l. b 4. hist. Angl. cap. 26. REGNVM ANGLOR. EX SACRILEGIO ET INIVSTITIA DECIDIT.

IESV CHRISTI AN. 685.

IOAN. V. AN. 1.

IVSTIN. IVN. AN. 1.

I. IVSTINIANVS IVN. IMPERAT.

ANno Domini sexcentesimo octogesimo quinto, cœpto Indictione decimatertia, Constantinus Imp vbi regnasset annos septēdecim, diem obiit, relicto IVSTINIANO filio Imperii hærede: quem Anastasius in Ioanne tradit, hoc anno inchoante decimaquarta Indictione mense Septembri imperare cœpisse. Quo tempore diuino veluti miraculo factum est, vt cum ipse Iustinianus pene puer esset, nullius que consilii, & crederetur Orientale Imperium penitus collapsurum; Deus non solum continuerit barbaros ne adueriùs eum mouerent exercitus, sed sponte ipsi venerint instaurare sancitam cum patre eius concordiam, aucto etiam, quod ipsi persoluendum esset tributo. Id enim de Abimelecho Saracenorum Principe Cedrenus *a* testatur. Et Theophanes ait, missum hoc eodem anno à Iustiniano cum exercitu Leontium, Romano Imperio acquisiuisse Armeniam, Iberiam, Albaniam, Hircaniam, atque Mediam, interemptis Saracenis illic existentibus.

a Cedr. in Iust. an. 1.

II. ERRORES ARMENIORVM.

Inuentos autem in Armenia Manichæos Imperatorem igne comburi iussisse, iam alia occasione ex Petro Siculo superius retulisse meminimus. Verum non his tantum malis eo tempore laborauit Armenia; sed & qui diu sub Saracenis desederant Christiani, contractis diuersis erroribus, vino tantum in sacrificio Missæ vtebantur, nulla admixta aqua; ad sacerdotium nullum admittebant Iudæorum, nisi qui ex sacerdotali genere orti essent; Quadragesimæ tempore diebus Sabbati atque Dominicis caseum & oua comedebant; ac denique more Iudaico carnes intra altare assabant, easque populo comedendas distribuebant; vt de his constat ex canonibus nomine Sextæ *b* Synodi postea sancitis.

b *Sext. Syn. c. 32. 33. 46. 100.*

III. BENED. PP. MORITVR.

Hoc item anno *Benedictus* Papa, vbi sedisset menses octo & dies septemdecim, diem obiit septima Maii, qua relatus inter Sanctos reperitur in Tabulis Ecclesiasticis: qui & sepultus est apud S. Petrum. Cum autem sedes vacasset menses duos, & dies quindecim, subrogatus est in locum eius vigesima secunda Iulii, IOANNES huius nominis Quintus, natione Syrus ex prouincia Antiochia, Cyriaci filius, vir optimis moribus ac literis præditus; qui dum esset diaconus, missus fuerat ab Agathone Papa vnus ex Legatis ad sextam Synodum. Ipseque post multa tempora iuxta priscam consuetudinem, statim post electionem, non expectata aut petita confirmatione Imperatoris, consecratus est Pontifex, ex concessione superiori anno facta à Constantino Augusto. Hæc omnia ex Anastasio.

IOANNES CREATVR.

IV. CONCIL. TYRANNICVM GALLIC.

Eodem anno Domini sexcentesimo octogesimo quinto, *Synodus* in Gallis à Rege Theodorico opera Ebroini Maioris Domus celebrata est, quæ vere tyrannica dicenda fuit; nempe ad id tantummodo coacta, vt de Episcopis quos tempore Childerici Regis sibi contrarios fuisse Ebroinus suspicabatur, ipse pœnas sumeret. Itaque multos eorum Episcopatu priuauit, alios exilio mulctauit, quosdam etiam pœnis subiecit; interque alios *S. Leodegarium* Augustodunensem, quem post famem & carceris squalorem, post oculorum euulsionem, planratumque pedum concisionem, ac linguæ & labiorum excisionem, post denique multa alia diuturnaque supplicia, tandem capite truncari iussit: sicque idem sanctus Dei seruus feliciter martyrium consummauit die secunda Octobris. Hæc breuiter Sigebertus *c*; quæ fusius narrat Vrsinus in Rebus *d* gestis eiusdem S. Leodegarii, quas fidelissime scripsit iussu Archoaldi Episcopi Pictauiensis eiusdem Sancti æqualis: vbi etiam traditur, *Guairinum* quoque Leodegarii fratrem, eiusdem Ebroini iussu ad palum alligatum fuisse lapidibus obrutum; sed & ipsum Leodegarium post linguæ excisionem vsum loquelæ recepisse, eiusdemque corpus amputato capite sese erigens, quasi horæ vnius spatio stetisse; ac deinde multa ad illud edita esse miracula; ipsiusque persecutores ac percussores diram passos esse diuinam vindictam. Denique omnium malorum auctor impiissimus Ebroinus, tertio post eiusdem Sancti martyrium anno *e*, ab Ermenfrido trucidatus est; eiusque anima ad infernum deduci diuina reuelatione audita à cæco, cui idem effoderat lumina: vt Ado Viennensis est auctor.

S. LEODEGARII MARTYRIVM.

c *Sigeb. in Chron. hoc ann.*

d *ap. Sur. 2 Oct.*

DIVINA VINDICTA IN PERSECVTORES.

e *Nempe Domini 687. vbi de eius nece Baron.*

IESV CHRISTI AN. 686.

CONONIS AN. 1.

IVSTINIANI IVN. AN. 2.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo sexto, Indictione decimaquarta, *Ioannes* Papa vbi sedisset annum vnum, & dies vndecim, (vt Anastasius habet) mortuus est die secunda Augusti, & sepultus apud S. Petrum; cessauitque Episcopatus eius menses duos, & dies decem & octo: sicque die vigesima Octobris successor eius CONON creatus est Pontifex, consentientibus in eum omnium votis, cum antea

CONONIS SVBROGATIO.

EXARCHI CONSENSVS IN ELECT. PŌT.

schismate diuisi essent in electione *Theodori & Petri* eiusdem Ecclesiæ presbyterorum. Hæc pluribus Anastasius: qui ait eundem Cononem fuisse genere Thracem, educatum in Sicilia, inde vero in Ecclesia Romana inter presbyteros meruisse; quem & multis egregiis virtutibus præditum laudat. Addit porro, illo creato, confestim ad Theodorum Exarchum Legatos ex more directos fuisse, qui eum de his admonerent. Nimirum cum Romani Pontificis confirmationem remittissent Imperatores; voluerunt tamen, vt nō crearetur absque Italiæ Exarchi, qui propius adesset, consensu: ex quo & illud obortum est malum, vt ambientes Pontificatum, per Exarchi ministerium illud quomodocumque consequi conarentur, sæpeque schismata inde conflarentur.

II. IVSTIN. IMP. FIDEI CATHOL. PRODITOR.

Quin & Iustinianum Aug. qui hoc tempore imperabat, haud ita æ fidei extitisse; sed & aduersatum esse Cononi Papæ, eiusque Legatos Constantinopolim missos præuaricari coegisse constat ex literis Nicolai Pontificis ad Michaelem Imper. Vnde & quod Cedrenus hoc anno tradit, formam à Constantino patre eo scriptam, per Iustinianum perturbatam esse; nihil aliud quam firmatam à Constantino fidem Catholicam, aduersus hæreticos, per Iustinianum emotam intelligere voluisse, eiusdem exitus declarauit: quantumuis scribat Anastasius, eum per literas Cononi promisisse, se illibatam perenniter conseruaturum fidem Catholicam. In reliquis vero scimus eodem Anastasio auctore, ipsum Iustinianum voluisse videri de Romana Ecclesia bene merereri, dum ex parte minuit capitationem patrimonii eiusdem Ecclesiæ.

III. CONSVLENDVS A PONT. CLERVS IN REB. AGENDIS.

Sed quod rursum ad Cononem spectat; illud perperam factum ab eo idem Anastasius tradit, quod cum morte Theophanis vacaret Ecclesia Antiochena pastore, quorundam Ecclesiasticorum persuasione, præter consuetudinem inconsulto Romanæ Ecclesiæ Clero ordinarit *Constantinum* Diaconum Ecclesiæ Syraculanæ, eique pallium ex more cōcesserit. Sed factum est vt cum qualis ille esset detectus fuerit, nempe factiosus homō & ad conflandas discordias natus; eius rei gratia, arcta custodia idem asseruari iussus fuerit ab Imperatoris Magistratibus qui Siciliam administrabant.

IV. KILIANVS CONVERTIT FRANCONIOS.

Accidit quoque temporibus istis, vt vigente in Hibernia monastica disciplina, nonnulli monachi cupierint Euangelium annuntiare gentibus. Inter quos eminens *Kilianus* nobilibus parentibus natus, sacris literis probe imbutus, virtutibusque pariter exornatus, Romam profectus, & à Cononе Pontifice Episcopus creatus, potestatem accepit gentibus prædicandi: qui in Germaniæ prouinciam, dictam *Orientalem Franciam*, quam iam antea lustrauerat, aduenies, eam gentem vna cum ipsius Duce Gosberto à cultu idolorum ad Christi fidem conuertit in ciuitate Wirtzburg, siue Herbipoli dicta, sedem constituens; vt fusius narratur in Rebus *a* ipsius gestis. Quomodo vero martyrium postea adeptus fuerit, suo loco dicetur. Hic autem monendus est lector, diuersum abisto esse illum alium *Kilianum* item Hibernum, qui gloria confessionis illustris claruit in territorio Atrebatensi; de quo Molanum *b* consule.

a Ap. Sur 8. Iul. Edidit etiam illam cum Notis Serarius.

b Molan in Natal. SS. Belg. 13. Nouemb.

V. IVLIANI TOLET. LVCVBRATIONES ADVERSVS IVDÆOS.

Hoc insuper tempore vexabantur Hispaniarum Ecclesiæ multitudine Iudæorum; qui haud valentes Regum legibus, Synodalibusque decretis coerceri, inter alia exprobrare solebant Christianis falsam annorum supputationem ab origine mundi, ex qua factum esset, vt ipsi perperam Messiam recepissent, cuius aduentus nondum tempus adesset. Ad quorum procaciam retundendam, Eruigius Rex rogauit S. Iulianum Toletanum Episcopum, vt suis scriptis eosdem redargueret. Præstitit id is, se quam fidelissime, tres eo argumento libros edens, qui adhuc extant; quos se absoluisse hoc anno Domini sexcentesimo octogesimo sexto Æra septingentesima vigesima quarta, testatur *c*. Manifesto autem errore *d* in huius Iuliani commentariis inscribitur Iulianus *Pomerius*: siquidem qui *Pomerii* nomine recensetur inter Scriptores Ecclesiasticos, (& natione Maurus, atque ordine presbyter tantummodo fuit, nec in omnibus recte de fide sensit) ante ducentos ferme annos vixit in Galliis tempore Gelasii Romani Pontificis, vt auctore Gennadio comperies. Sed inde fluxit erroris occasio, quod vterque quosdam eodem titulo commentarios edidit, nempe Prognosticon; quos tamen multa ab inuicem discriminent. Fuit vero & alius insuper Iulianus Diaconus Ecclesiæ Toletanæ, cuius est præfatio in libros S. Ildefonsi de laudibus B. Mariæ, æque cognomine inscriptus *Pomerius*; qui quidem cum in ea præfatione meminerit Sisberti Archiepiscopi Toletani, qui post Iulianum defunctum eam Ecclesiam rexit, vtique se diuersum omnino ab eo constituit.

c Iul. aduer. Iud. lib. 3. in fi.

d Agit de hac Baron. plurimis in Not. ad Ro. Martyr. 8. Mart. PLVRES IVLIANI.

[*Quorum duo cum absque controuersia *Pomerii* cognomen habuerint, ait Bellarm. de Script. Eccles. se non videre cur non & tertius æque habere potuerit.]

IESV CHRISTI AN. 687.

CONONIS item 1.

IVSTINIANI IVN. AN. 3.

I. CONON. PAPÆ ORTVS.

ANnus Christi sexcentesimus octogesimus septimus, cœptus est Indictione decimaquinta. Quo mortuus est *Conon* Papa die decimatertia mensis Octobris, inchoata iam à mense Septembri Indictione prima, cum sedisset menses vndecim, & dies viginti tres, vt Anastasius tradit; quem potius sequimur, quam alios qui Anastasio antiquiorem non habent aliquem cui inhæreant. Sepultus est autem ad S. Petrum; & cessauit Episcopatus eius menses duos, ac dies tredecim.

II. SERGII ELECTIO.

Quo tempore dirum conflatum est schisma inter *Theodorum* Archipresbyterū & *Paschalem* Archidiaconum, populo pro illis in duas factiones diuiso; donec maxima pars Cleri cum Optimatibus ac Iudicibus conuenientes, vno consensu vigesima sexta mensis Decembris Pontificem crearunt SERGIVM presbyterum, natione Syrum, patria Antiochenum, ex patre Tiberio, virum insignis probitatis & doctrinæ, qui diu in Sicilia vixerat, ac postea ab Adeodato Papa in Clerum Ecclesiæ Romanæ coaptatus fuerat, & à S. Leone presbyter ordinatus Tituli S. Susannæ. Cui cū statim Theodorus Archipresbyter cessisset, Paschalis quoque pudore coactus id ipsum publice egit; sed clanculum Ioannem Exarchum promissis centum auri libris Rauenna Romam accersiuit: qui repertis omnibus in personam Sergii consensisse, & ipse Paschali suffragari erubuit; verumtamen centum auri libras ab eo sibi promissas, ab Ecclesia S. Petri, frustra reclamante Sergio, immitissime extorsit. Paulo vero post sceleratus Paschalis fortilegiis & idololatriæ attendere detectus, Archidiaconatus dignitate priuatus est, & monasterio inclusus; vbi post quinquennium impœnitens mortuus est. Hæc omnia summatim ex Anastasio. Sed ex eiusdem Sergii sepulchri epitaphio, quod ex veteribus monumentis Vaticanæ basilicæ Manlius edidit, plane intelligitur, prædictum THEODORVM cognitum fuisse Pontificem, nec nisi eo mortuo sedisse Sergium. Quod quidem reliquos scriptores penitus præterit.

PASCHALIS SCHISMAT. MISERR. FINIS.

THEODORVS SEDIT ANTE SERGIVM.

III. EGICAN. HISP. REX.

Hoc item anno contigit mori Eruigium Regem Hispaniarum, anno regni sui octauo inchoante; inque eius locum subrogari Egicam, siue Egicanem, Wambæ olim Regis consobrinum, siue (vt alii volunt) filium, ipsius vero Eruigii generum; præteritis Eruigii filiis quod minus iuste eorum pater regnum administrasset. Hæc ex Tudensi, & Concilio Toletano anno sequenti habito.

IV.

Hoc eodem anno, decimotertio Calendas Aprilis mortuus est sanctitate celebris, Anglorum decus, *Cudbertus* Episcopus Lindisfarnensis; cuius vita ab infantia ad senectutem virtutibus micans, nec obitu potuit obscurari, illustrata diuinitus eius sanctitate miraculis, quæ Beda *a* recenset in Rebus gestis Anglorum copiosius autem cum eiusdem Vitam prosecutus est carmine atque soluta oratione.

a Bed. de gest. Ang. lib. 4. c. 27. & 28.

IESV

IESV CHRISTI AN. 688.

SERGII AN. 1.

IVSTINIANI IVN. AN. 4.

I. CONCIL. TOLET. XV.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo octauo, Indictione prima, Æra septingentesima vigesima sexta, mense Maio, celebratum est in Hispania CONCILIVM TOLETANVM numeratum Decimumquintum: cui interfuerunt Episcopi sexaginta vnus, per Vicarios vero quinque; Abbates vndecim, & Comites septemdecim. In quo primum ea quæ ante biennium fuerant à Benedicto Papa in ipsorum Episcoporum Hispaniæ literis adnotata (ob quod paulo licentius Iulianus Toletanus, cui omnia huius Concilii scripta tribuuntur, in eundem Benedictum insultauit) examinantes; recte pieque, & ex Patrum sententia esse prolata docuerunt, elucidantes quæ à se ambigue dicta visa essent, quam eorum declarationem Romam missam esse, & à Sergio Pontifice comprobatam, Rodericus testatur. Postea vero ex humillima Regis Egicanis maxime pii & religionis tenacissimi suggestione, actum est de duobus sibi in specie aduersantibus eiusdem Regis iuramentis factis Eruigio Regi; altero de filiorum eius & vxoris omnimoda aduersus omnes protectione atque defensione; altero vero de ministranda populo iustitia absque aliqua personarum acceptione. Quibus vna conciliatis, finis Synodo impositus est. Sunt tamen rerum Hispaniæ scriptores, qui eundem Egicanem odio plus æquo indulsisse tradant, vt qui filiam Eruigii nomine Cixilonem in coniugem acceptam repudiauerit, vindictamque sumpserit de nobilibus compluribus, quorum arte fuisset Wamba regno priuatus. Verum quod ad repudium attinet; si factum est, nonnisi ex causa sacris legibus approbata factum oportuit: quæ enim vigebat Hispanorum Episcoporum vigilantia in custodia sacrorum canonum, & in Regem præscripta auctoritas, id existimare nos cogit. Quod vero ad reliqua, etiam testificatio Synodi Toletanæ *a* Decimæsextæ eum liberum immunemque reddit, dum inter alias eius virtutes extollit misericordiam in aduersarios suos.

DISCREPANTIA IVRAMENTI REGIS EGICANIS CONCILIATA.

a Conc. Tol. XVI. c. 8.

II. THEOD. FRANC. REG. OBITVS. *b Ap. Sur. 9. Febr.*

Hoc eodem anno mortuo Theodorico Francorum Rege, quem regnasse tradunt annos vndeuiginti, successit eius filius Clodoueus huius nominis Tertius. Reiiciunt vero alii obitum Theodorici in annum superiorem; sed magis huic Chronologiæ assentiri videtur Angradus monachus in Vita *b* S. Ansberti Rotomagensis Episcopi, dum annum decimumtertium eiusdem Regis iungit anno Domini sexcentesimo octogesimo secundo, & Indictioni decimæ. Porro iam ipsi Francorum Reges, siue quod puerili ætate regnum caperent, siue socordia, vel voluptuosæ vitæ cupidine, imbelles penitus redditi, procul aberant ab administratione curaque Regni: adeo vt in Maioribus Domus (vt vocare consueuerant) totum esset regimen collocatum. quod ita permansit vsq; ad annum Domini septingentesimum quinquagesimum.

IESV CHRISTI AN. 689.

SERGII AN. 2.

IVSTINIANI IVN. AN. 5.

I. CEADVALLÆ REG. ANGLOR. PIETAS, PEREGRINATIO, ET OBITVS.

ANno Christi sexcentesimo octogesimo nono, Indictione secunda, S. Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti suæ præfuisset duobus annis strenuissime, relicto regno propter Deum, peregrinatus est Romam ad Limina Apostolorum; ibique ex voto baptizatus à Sergio Pontifice, adhuc in albis constitutus exoptatum diem clausit extremum anno ætatis trigesimo; sepultusque est in ecclesia S. Petri Apostoli, cuius & nomen in baptismo susceperat. Hæc pluribus Beda *a*. Eundem vero in itinere in Minorem Britanniam nauigio venientem, inuisisse S. Wlmarum Abbatem, & ab eo de rebus diuinis abunde eruditum esse, traditur in Actis *b* eiusdem S. Wlmari. Insuperque auctor est Paulus *c* Diaconus, eundem Regem Romam pergentem exceptum hospitio fuisse à Cuniberto Longobardorum Rege, quem iam antea Bertharidus parer in consortium regni adsciuerat. Cæterum quem Beda *Ceaduallam Regem Saxonum* dixit, alii plerique omnes, qui res Britannorum sunt prosecuti, nominant *Cedualdradum*, aiuntque fuisse non Saxonum Regem, sed Britannorum, eundemque eius gentis nouissimum. Quibus conciliandis dici forte poterit, fuisse quidem re vera Britannorum Regem, sed ob deuictos Saxones, (quod de ipso testatur *d* Beda) partemque regni illis ademptam, ad maiorem gloriæ titulum Regem Saxonum dici voluisse. Porro & complures alios Anglos omnis sexus, generis, ac conditionis homines, huius Regis imitatos exemplum, abdicato sæculo conuolasse ad Limina Apostolorum, idem Beda testis est.

a Bed. lib 5 c 7.
b Ap. Sur. 20. *iul.*
c Paul. diac. lib. 6. c. 15.
d Bed. lib. 4. c. 15. 16.

Hoc eodem anno, octauo *e* Idus Iulii, tribus martyribus Germania illustrata est. Cum enim S. Kilianus, de quo superius, Wirtzburgensis siue Herbipolensis Episcopus, Gosbertum Franconiæ Ducem iam Christianum redditum admoneret, vt relinqueret vxorem fratris sui, quam ante baptismum sibi coniunxerat; eiusdem fœminæ (cui Geilæ nomen) odium in se acerbissimum concitauit. Ideoque Gosberto ad quoddam bellum profecto, eadem ipsum *Kilianum* Episcopum, iam de proxima morte diuinitus admonitum, vna cum *Colomanno* presbytero & *Totnano* Diacono, noctu per sicarios secreto interfici curauit; & nequis rem gestam scire posset, in loco vbi sepulti sunt stabulum equorum fieri. Quare diu ipsorum morte occulta reddita, existimantibus cunctis eos ad solitas peregrinationes abscessisse; tandem vno ex percussoribus, ipsaque Geila à dæmonibus correptis, ac misere extinctis, tum facinus detectum, tum corpora reperta fuere: atque in diuinæ vindictæ cumulum, ipse quoque Dux Gosbertus à suis interemptus est, ipsiusque filii & cognati ab eius prouinciæ administratione expulsi. Hæc omnia pluribus eorundem Martyrum Acta *f*, antiquitus fideliter scripta. Quorum quidem necem hoc anno Domini sexcentesimo octogesimo nono accidisse, diserte testatur vetus inscriptio eorum sepulchro indita, quam posuit in suis Notis ad eadem Acta Nicolaus Seratius Societatis IESV: ex qua erroris arguitur Sigebertus, dum hæc ad alium annum refert.

II. *e Martyrol. Rom.* KILIANI ET SOCIOR. MARTYRIVM.

f Ap. Sur. 8. Iul.

IESV CHRISTI AN. 690.

SERGII AN. 3.

IVSTIN. IVN. AN. 6.

I. NOVI APOSTOLI IN GERMANIAM.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo, Indictione tertia, Deus nouos Apostolos decreuit ad Germanorum conuersionem: quibus etsi iam olim Euangelium illuxisset, iidem tamen variis motibus sæpius agitati, in pristinas fere tenebras reciderant; cum & adhuc plures illic essent populi, quibus nunquam fuisset Verbum Dei prædicatum, ac præcipue Frisones & Saxones. A quibus cum ortum ducerent Angli atque Saxones, qui Britanniam occupatam incolebant; horum nonnulli pietate erga progenitores ducti, (auctore & impulsore potissimum S. Ecgberto Anglo, qui monasticam in Hibernia disciplinam propensissimo studio excolens, cupiuerat ipse eam peregrinationem suscipere, nisi diuinitus iussus esset alio pergere:) omnes numero duodecim, iidemque presbyteri, (vno excepto Adelberto Diacono, filio Regis Deirorum) è Britannia proficiscentes, primo in Gallias diuerterunt ad Pipinum de Herstallo Maiorem Domus Franciæ: qui cum nuper expulso Rege Radbodo Frisones bello perdomuisset, in fauorem horum duodecim edicto vetuit, nequis illis prædicantibus quicquam molestiæ inferret. Deinde vero qui inter illos auctoritate ac meri-

to præfulgebat *Wilbrordus*, siue Willebrordus, Romam perrexit ad Sergium Papam, vt ab eo, tanquam supremo Ecclesiæ pastore, impetrata pro omnibus, ex more, Apostolatus licentia ac benedictione, felicius opus susceptum aggrederentur. Hæc pluribus Beda *a*: itemque Marcellinus *b* presbyter, & ipse vnus ex illis duodecim, in Vita *S. Swiberti* vnius pariter ex eorundem numero. Quæ autem post hæc secuta sunt, suis locis dicturi sumus.

a *Bed. lib. 5. cap. 10. & seqq.*
b *Ap. Sur. 1. Mart.*

II. Hoc quoque anno *c* magnus ille *Theodorus* Tarsensis, Dorouernensis in Anglia Archiepiscopus, sanctitate clarus, doctrina eximius, postquam sedisset annos viginti duos, menses tres, dies viginti, mortuus est anno ætatis octogesimo octauo, die decima nona Septembris, qua relatus habetur inter Sanctos quos Ecclesia Catholica colit. Mortuusque est pariter Hadrianus Abbas, quem vna cum Theodoro à Vitaliano Papa missum vidimus in Angliam. Theodoro vero successit Berectualdus vir doctissimus; quem Romam esse profectum, vt ordinationem à Sergio Papa acciperet, testatur Anastasius.

c *Beda. lib 5. c. 8.* THEODORI DOROVERN. OBITVS.

III. Eodemque pariter anno diem obiit *S. Iulianus* Episcopus Toletanus, vbi sedisset annos decem, mensem vnum, dies septem, relatus & ipse inter *d* Sanctos. In cuius locum subrogatus est Sisebertus, quem alii Sigebertum, Sisbertum alii nominant; de quo postea.

d *Martyrol. Rom. 8. Id. Mart.*

IV. Quod autem pertinet ad res Orientales; Annales *e* hoc anno referunt pacem cum Saracenis olim pactam, leui causa, & magno totius Orientis damno, ab Imperatore esse solutam; quod scilicet pecunia ab illis tributi loco pendi solita, haud ex more cusa esset ipsius Imperatoris imagine; sicque nec oblatum in massa aurum accipere voluisse. Vnde plane expertus tunc Oriens est, quod habet Ecclesiastes *f*, *Væ tibi terra, cuius Rex est puer.*

e *Theoph. & Cedr. an. 6. Iust. n.* LEVISS. CAVSA RVMPENDÆ PACIS.
f *Eccles 10.*

IESV CHRISTI AN. 691.

SERGII AN. 4.

IVSTINIANI IVN. AN. 7.

I. CONCIL. CÆSARAVGVST. Anno Christi sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione quarta, Æra septingentesima vigesima nona, Calendis Nouembris, celebratum habetur in Hispania CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM, Tertium ordine positum: in quo canones sanciti duntaxat quinque reperiuntur. Inter alia vero, cum iam antea Toletanum Decimumtertium *a* statuisset de vxoribus Regum, ne post eorum obitum ad secunda vota transirent; (ne videlicet occasione nuptiarum Reginæ, daretur alicui animus inuadendæ tyrannidis:) in præsenti nunc Cæsaraugustano, quo facilius eiusmodi pericula euitarentur, additum *b* præterea est, vt relicta Regis post eius obitum vestem regiam deponeret, religiosamque induens, cum monialibus in monasterio vitam transigeret.

III. a *Conc. Tol. XIII. c. 5.* DECRETA DE VIDVIS REGVM HISP. b *Conc. Cæsarang. I I. c. 5.*

II. Hoc item anno mortuus est Bertharidus Rex Longobardorum laudatissimus, pietate, iustitia, ac misericordia præstans, cum regnasset solus annos septem, decem autem cum filio Cuniperto. Hæc ex sententia Pauli *c* Diaconi. Cunipertus vero iam solus regnans, aduersarium passus est Alachim Ducem Tridentinum subditum suum, qui contra Bertharidum iam insurrexisset, hominem sæuum, ac præcipue Episcopis & ministris Ecclesiæ perinfensum. Aduersus quem accingens quoque se gladio Zeno Diaconus Ecclesiæ Ticinensis, licet contra tyrannum ac religionis perduellem, exitus tamen declarauit non placere Deo, vt sacri altaris ministri pugnent armis, sed potius agant apud ipsum precibus: etenim absq; aliquo emolumento idem pugnans, misere interfectus est. Cæterum nefarius tyrannus eo magis aduersus clericos exasperatus, barbare atque prorsus impie vouit, si victoriam ei Deus contra Cunipertum daret, se vnum puteum impleturum de testiculis clericorum. Sed obstitit Deus, qui eum in prælio aduersus Cunipertum interire voluit; cum antea, exercitibus ad prælium ex aduerso existentibus, singularem pugnam, quam ei Cunipertus ad euitandam militum occisionem obtulerat, recusasset, quod (vt aiebat) inter contos Cuniperti videret S. Archangeli Michaelis imaginem, ad quam ei fidelitatem iurasset. Narrat hæc omnia Paulus *d*.

II. c *Paul. diac. lib. 5. c. 33. & seqq.* ALACHIS CONTVMELIOSVS TYRANNVS DAT PŒNAS.

d *Ibid. c. 40. 41.*

III. Hoc pariter anno, vbi Paulus Constantinopolitanus Episcopus sedisset annis septem, mortuus est; ac in locum eius suffectus *Callinicus* Vasorum Ecclesiæ custos, homo nouandarum rerum studiosissimus; de quo plura inferius.

IESV CHRISTI AN. 692.

SERGII AN. 5.

IVSTINIANI IVN. AN. 8.

I. CONCIL. CONST. APPENDIX AD SEXT. OECVMEN. Anno Christi sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta, celebratum est *Constantinopoli* sub Callinico eius ciuitatis Episcopo, CONCILIVM, seu potius *Conciliabulum*: in quo nomine Sextæ Synodi sanciti sunt centum & tres canones; quot nunquam hactenus in aliquo Concilio Oecumenico conditi reperiuntur. Scimus quidem hanc Pseudosynodum ab aliis referri in quartum vel quintum annum à celebratione Sextæ Oecumenicæ, puta à Tharasio *a* ipso Constantinopolitano Episcopo: verum non ante præsens tempus coactam esse, ex tertio eius canone liquido demonstratur, dum in eo bis asseritur celebrata post quartam Indictionem, quæ anno præterito elapsa est. Ideoque redargutus est idem Tharasius à Theophane: sed redarguendus & ipse Theophanes, dum viginti septem annos enumerat ab eadem Sexta Synodo sub Constantino, vsque ad horum canonum sanctionem sub Iustiniano, referens eos ad annum secundum restituti eidem Iustiniano Imperii. At cum hunc Conuentum collectum fuisse constet Sergii Papæ temporibus, nequaquam ad Iustinianum restitutum referri potest, cum iam antea Sergius decesserit. Quare cum Sextam Synodum absolutam viderimus Indictione decima inchoante; plane vsque ad hunc præsentem annum, quo canones illi sanciti sunt, anni duntaxat intercedunt decem absoluti.

a *In Sept. Syn. Act. 2.*

II. Porro iuste à maioribus *b* eiusmodi conuenticulum, *Erratica Synodus* dicta est; omni penitus auctoritate carens, quippe quæ multa habeat contra iugem Ecclesiæ Catholicæ traditionem, Veterum: que Patrum doctrinam, atque Conciliorum decreta. Quæ omnia, puta, ab aliis abunde tractata *c*, & à nobis fere iam superius diuersis locis secundum rerum discutiendarum occasiones elucidata, vt modo omittamus; quid illud est, vt post decem annos à soluto Concilio Oecumenico, eiusdem Concilii nomine ab illo legitime coacto conuentu aliorum Episcoporum, canones sanciantur? Quos si sanciendos aliqua necessitas postulabat, quænam exigebat vt nomine Synodi ante decennium habitæ censerentur? Sed maior illa fatuitas, vt non nomine tantū Sextę, sed & Quintę Synodi ante centum quadraginta circiter annos celebratæ, iidem sanciti fuerint: nempe ad illarum supplementum, vt sc. & in hoc æquipararentur quatuor prioribus, in quibus plures conditi essent canones. Hanc enim eius facti rationem prætexuisse, ipsimet qui conuenerunt Episcopi præfati sunt ad Iustinianū Imperatorem; & postea declarauit homo schismaticus, atque schismaticorum patronus Theodorus Balsamon *d*, multa in eorundē canonum defensionem garriens, atque procaciter etiam mentiēs eidem pseudosynodo interfuisse Legatos Romanæ Ecclesiæ, (quod videlicet præsentes fuerint nonnulli ex illis Episcopis Orientalibus, quibus Romani Pontifices consueuissent delegare vices suas, ad audiendos si qui essent in Oriente qui indigerent Apostolicę Sedis auxilio. Sed hoc longe aliud esse, quam decernere Legatos ad assistendum pro sede Apostolica Oecumenicis Synodis, nemo non videt.) ac denique insultum desudans in consulendis ficus foliis, ad tegendas parentum turpitudines: qui & ideo hanc pseudosynodum *Quinisextam* vocatam fuisse ait, quia scilicet repleuit quod Quintæ & Sextæ deerat.

II. a *Bed. de sex. at. & alii.* ERRATICA SYNODVS. c *Vide abunde de eius Synodi nullitates ap. Baron. Ann. Tom. VIII. hoc an. præter illa quæ varijs locis de eadem attexuit præcedentibus Tomis, & nos ex illo. Adde Bellar. cōtr. de Rō. Pont. lib. 2. c. 27. Turrian. in lib. de Sext. Syn. Can. de Lec. Theol. c. vl. ad arg. 6. Petron. cons. Reg. Mag. Brit. lib. 1. c. 42.* PSEVDOSYN. APPENDIX AD DVAS SYNODOS. d *Bal. in Nomocan. suos.*

Cæterum

Ceterum ea talis fuit, vt & ipsos Græcorum Annalium Scriptores illius puduerit; quippe nullus eorum de ea vel verbum quidem.

III. SERGIVS PP. DAMNAT CANONES ERRATICA SYN. LIBERATVR A FVRORE IMP. e Paul. diac. lib. 6. de gest. Long. c. 11. f Bed. de sex aet. ipsius Mill.

Ipsi tamen eius fabricatores, ad corroboranda quæ inaniter statuissent, auctoritatem Apostolicam subripere tentauerunt, sine qua nullius illa ponderis esse scirent. Itaque apud Iustinianum Imp. egerunt, vt eosdem canones confirmandos mitteret Romam ad Sergium Papam. Verum sanctus Pontifex paratior mori (vt ait Anastasius de his agens) quam nouitatum erroribus consentire, ipsos reiiciendos esse decreuit. Quapropter misit rursum Imperator Zachariam Protospatharium suum, qui eundem Pontificem Constantinopolim perduceret. Sed præsto existens diuinum auxilium, effecit vt Italica militia Rauenna & aliunde cum ducibus suis Romam veniens, Sergium à periculo liberauerit, Zachariam autem iniuriis & contumeliis agitatum ab Vrbe expulerit. Hæc enim huius temporis scriptores Paulus diaconus & Beda *f* Venerabilis testantur: quibus subscripserunt & reliqui qui postea Historias conscripsere, Ado Viennensis, Marianus Scotus, & alij. Rem vero gestam fusius enarrans Anastasius Bibliothecarius, illud insuper inter alia addit, Zachariam visis vndique concurrentibus militibus, in cubiculum ipsius Pontificis perfugisse, ac præ nimia timoris angustia se sub eiusdem lectum abscondisse, sensuumque defectionem passum esse.

IV. IDEM CANONES REIECTI AB OMNIBVS SEDIBVS PATRIARCH.

His tamen nihil deterriti Græcorũ Episcopi, sæpius postea per eundem Imp. idem obtinere conati sunt à subsequentibus Pontificibus, Ioanne Septimo, & Constantino; sed frustra semper, vt videbitur suis locis. Quinimo restificatione Anastasij liquet, tantum abesse vt Romana Ecclesia eos canones receperit, vt nec aliqua trium antiquarum sedium Patriarchalium Orientalium (nempe Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ) eos vt reciperet induci potuerit, nimirum quod earundem Ecclesiarum Patriarchæ, nec per se, nec per suos legatos, eiusmodi conciliabulo interfuissent. Ita enim vsque ad sua tempora eos in detestatione illorum canonum perseuerasse, idem auctor fidem facit in epistola nuncupatoria ad Ioannem Octauum, quam præmisit versioni à se factæ è Græco in Latinum Septimæ Synodi Nicænæ celebratæ; vbi etiam legentes admonuit, ne putarent si interdum eorundem canonum Sextæ Synodi nomine promulgatorum in Septima mentio haberetur, eos ab Ecclesia Romana esse receptos aliquando. Vnde pariter intelliges, haud obstare si Gregorius Secundus & Hadrianus Pontifices ex iis citasse reperiantur canonem octogesimum tertium, qui est de Imagine Saluatoris pingenda in formam hominis: siquidem id egerunt dum aduersus ipsos Græcos, eosdem Iconoclastas pugnarent; nempe vt suis ipsorum gladiis eos iugularent: quomodo & Paulus Apostolus Ethnicorum testimonis vsus est; & hæreticorum etiam auctoritatibus contra hæreticos vti licere, Gelasius alibi docuit, & quotidiana Ecclesiæ consuetudine approbatum est.

V. EX QVO TEMPORE GRÆCI IN DETERIVS LAPSI. g Sup. an. 58. 59. Vit. Agap. XIII.

Verum quamuis eadem S. R. E. eos canones semper auersata fuerit, quos traditionibus Patrum & antiquorum Conciliorum decretis contrarios in plurimis esse nouit; tolerauit tamen multa in Græcis, puta connubia clericorum, & alia eiusmodi, quamdiu Catholicæ fidei & Ecclesiæ vnitati non sunt aduersati. Sed qui tanta procacia, inter alia mala, confregere iugum à Patribus custoditum Ecclesiastici cœlibatus, de quo dictum est alias *g* abunde; idem & in reliquis sunt in deterius æque prolapsi: vt vix breuia post hæc sint reperiri interstitia temporum, quibus vel hæresi, vel schismate, non fuerint ab Ecclesia Catholica & Orthodoxa diuisi: quousque tandem, in vltionem scelerum, à Deo vindice post longam patientiam meruerunt, virga furoris Assur conteri; cum nihilominus pia mater Ecclesia Catholica & Apostolica nunquam destiterit eosdem sic delinquentes iugiter admonitionibus excitare. Quod enim posteriores Græci ex mala sua conscientia putauerunt, ab ipso tempore Sextæ Synodi intermissam omnino fuisse Catholicam communionem Græcorum Impp. cum Romana Ecclesia; eiusmodi falsam opinionem Nicolaus Papa refellit in epistola ad Michaelem Augustum scripta. Namque id longe postea sub Photio Ecclesiæ Constantinopolitanæ pseudoepiscopo contigisse; dicetur suo loco. Porro ipse Iustinianus Imperat. hoc eodem anno, quo ista moliri cœpit aduersus Romanorum Pontificem, iusto Dei iudicio, per suos Duces *h* prodita Armenia, incepit pœnas luere impietatis suæ: & Callinicus Constantinopolitanus Episcopus, malorum omnium cõcinnator, postea (vt dicetur) ab eodem Augusto oculis orbatus est, & in exilium missus.

h Theoph. & Cedr. an. 8. iustin.

Quod ad statum rerum Occidentalium pertinet; vltimus numeratur hic annus Clodouei Tertij Francorum Regis, qui post obitum Theodorici parentis regnauit annos quatuor. Successit in eius locum Childebertus frater ipsius: quem tenuisse regnum annos decem & septem, habet auctor apud Aimonium *i*; cui præ ceteris inhærendum putamus, cum res sui temporis scripsisse testetur *k*.

VI. CHILDEB. SVCCADIT CLODOVEO. i Aim. li 4 c. 49. k ibid. c. 51.

IESV CHRISTI AN. 693.

SERGII AN. 6.

IVSTIN. IVN. AN. 9.

I. CONCIL. TOLET. XVI. IN CAVSA PRODITIONIS ARCHIEP. TOLET.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione sexta, mense Maio, habita est SYNODVS TOLETANA, dicta Decimasexta, eademque Generalis nominata; cui in causa graui conuocati interfuerunt Episcopi quinquaginta nouem, & per Vicarios tres, præter Abbates quinque, & viros Illustres. Accidit enim, vt Sisbertus eiusdem ciuitatis Episcopus, oblitus quo fungebatur muneris sacerdotalis, necnon iuramenti, quod dicitur Fidelitatis, Regi præstiti; aduersus vitam maxime pij ac iusti Regis Egicanis coniurationem fuerit machinatus. Cuius causæ cognitione à Rege Episcopis demandata, vt sacris legibus aduersus eum ageretur; eundem Sisbertum Synodus *a* ab Episcopatu deposuit, bona eius Fisco addixit, excommunicatumque perpetuo exilio damnauit: inque eius locum *b* ex Regis nominatione suffecit Felicem, Hispalensem antea Episcopum.

a Conc. Tolet. XVI. c 9. b ibid. c. 12.

II. PRO REGE QVOTIDIE MISSA CELEBRATVR. c Can. 8.

Præstitit insuper eadem Synodus illud suo Regi laude dignum, vt præceperit *c* pro eo, eiusque liberis, quotidie Missas vbique locorum in Hispaniis celebrari, excepto Passionis Dominicæ die, quando (vt aiunt) altaria denudata existunt, nec cuiquam Missarum licet solemnia celebrare. Quibus verbis agnoscas veterem Ecclesiarum ritum, hactenus obseruatum, vt ipsa Sexta feria hebdomadæ Sanctæ sacrificium Missæ minime offerretur. Sunt & alia ibidem constituta, tanta Synodo digna; quæ tu consulas.

III. SS. HEWALD. MARTYRIVM d Martyr. Rom. 5. Non. Oct.

Eodem anno duobus sanctis martyribus, iisdemque presbyteris, quorum vtrique nomen *Hevvaldo*, aucta est Germania; quos & colit vniuersa ecclesia *d* Catholica; fueruntq; ex duodecim illorum numero, quos vidimus ante triennium è Britannia profectos esse ad conuersionem Saxonum. Qui cum in vicum quemdam venissent ad fidem prædicandam, cæsi sunt à rusticis idololatris; eorum vero corpora in Rhenum fluuium proiecta, per quadraginta millia passuum, contra impetum aquæ decurrentis, translata sunt in locum vbi ipsorum essent socij; atque tum è radio lucis eadem illustrante, tum reuelatione diuina cognita, à Pipino Francorum Duce & Maiore Domus regiæ, Coloniæ sepulta sunt. Hæc pluribus Beda *e*.

e Bed. l. 5. c. 11.

IESV CHRISTI AN. 694.

SERGII AN. 7.

IVSTIN. IVN. 10.

LEONTII 1.

ANno Christi sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictionis septimæ Iustiniani Imp. decimo, cũdem Imp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iam omnibus odio factus, tam ob sæuitiam erga subditos, ac præcipue ciues Constantinopolitanos, quam ob contemptum rerum sacrarum, iussisset quibusdam suis Ducibus, vt noctu populum trucidarent, initio facto à Patriarcha: sub idem tempus LEONTIVS Præfectus olim Orientis, è carcere, in quo per calumniam triennio detentus fuerat, Imperatoris iussu eductus vt Græciæ præficeretur; duorum præcipue monachorum, qui captiuo ipsi Imperium vaticinati fuerãt, hortatu seditionem in eundem ipsum Iustinianum mouens, à populo Imperator acclamatus est: ipse vero Iustinianus captus, præcisis naribus (vnde & postea ῥινότμητος, id est, *Trunconaso*, dictus est) Chersonam in exilium relegatus; ac Theodotus pseudomonachus, & Stephanus Sacellarius, quorum ministerio diris modis populum vexarat, funibus ad pedes ligatis, per vias in forum publicum tracti, atque cõbusti sunt. Hæc Theophanes, Cedrenus, Zonaras, aliique Græci: Error tamen esse putatur, quod habet Theophanes, Iustinianum non naribus tantum, sed & lingua fuisse præcisum: nam constat postea ipsum esse locutum. Porro has tandem ipse impietatis suæ pœnas dedit, quod & Romanam Ecclesiam insecutus esset, & orientalem nouis decretis penitus deformasset.

LEONTIVS IMPERAT.

IVSTIN. IMP. TRVNCATO NASO IN EXILIVM RELEGATVR.

II. CONCIL. TOLET. XVII. ADVERSVS IVDÆOS.

Hoc item anno Hispaniæ exagitatæ sunt perfidorum ac nequissimorum motu Iudæorum, conspirantium aduersus Regem, regnumque, atque vniuersos Christianos, & in societatem adhibentium Iudæos illos qui habitabant in Africa. Quorum cognita coniuratione, eademque relata per Regem Egicanem ad CONCILIVM, quod tunc *Toleti* habitum est omnium Hispaniæ Episcoporum, etiamque Hispanis subditorum Galliæ Narbonensis Antistitum, ac multorum procerum, (videlicet eiusdem Regis anno septimo, Æra septingentesima trigesima secunda, mense Nouembri) quod Decimum septimum ordine dictum est; communi omnium consensu aduersus eosdem Iudæos statutum est, vt redigerentur in seruitutem, ac bona fisco addicerentur. Et quoniam iidem Christianæ religioni nomen dederant, & baptizati fuerant, illud de liberis eorum constituerunt, vt cũ septem annorum ætatis essent, diuellerentur à parentibus, & Christianorum ritu educarentur, iisdemque nuptiarum fœdere iungerentur.

III. a *Conc. Tolet. XVII. can. 5.* NE MISSÆ PRO DEFVNCTIS, CELEBRENTVR PRO VIVIS.

Succisa est pariter in eodem Concilio *a* abusio illa superstitiosa, quæ in sacrosanctum Missæ sacrificium irrepserat; dum scilicet aliquis aduersus inimicum suum odio flagrans, vt ille citius ex humanis subduceretur, pro ipso offerret, vel offerendum curaret, sacrificium pro defunctis offerri solitum: in quos Synodus excommunicationem, & exilium perpetuum decreuit. Erant enim olim, sicut & hodie, peculiares ritus & preces, quæ pro defunctis in pœnis Purgatorij detentis in Missæ sacrificio dicerentur. Statuit vero præterea eadem Synodus alia ad sacros ritus pertinentia; quæ tu consulas.

IESV CHRISTI AN. 695.

SERGII AN. 8.

LEONTII AN. 2.

I. FRISIOR. ECCL. EX SANGVINE MARTYR. PROPAGATVR.

ANNO Christi sexcentesimo nonagesimoquinto, Indictione octaua, Ecclesia Frisiorum in Germania feliciter propagata est, sanguine sanctorum Martyrum irrigata: nam præter duorum Evvaldorum necem superius enarratam, cõtigit & *S. Wigbertum* vnum pariter ex duodecim illuc missis, martyrio coronari iussu Radbodi Regis Frisiæ crudelissimi. Nec tamen ideo alij ab opere destiterunt; sed variis locis prædicantes, sequentibus eos signis atq; prodigiis magnos vbique progressus fecerunt. Ideoque visum est duos ex illis eligere qui ordinari in Episcopos deberent, Wilbrordum scilicet, & Svvibertum. De illo dicetur anno sequenti. *Svvibertus* autem missus in Angliam, hoc eodem anno Episcopus consecratus est à S. Wilfrido Merciorum Antistite; dictusque postea specialiter *Apostolus Teisterbandiæ, VVestphaliæ, &*

S. SWIBERTI PRÆDICATIO.

Boructuariorum, quod populos illos *a* per multos labores, & vitæ pericula, ad fidem Christi conuerterit, multa edens miracula, quibus & mortuos suscitauit, & dæmones effugauit, aliaque plurima eiusmodi Apostolica signa fecit; quæ fusius, vna cum aliis eius sociorum rebus gestis, ipsorum consocius Marcellinus descripsit in Actis *b* eiusdem S. Svviberti.

a *Baron. An. seq.*

b *Ap. Sur. 1. Mart.*

Hoc item anno *c* in finitima prouincia ex hac vita migrasse constat alium pariter Apostolicum virum, *S. Audomarum* Morinorum Episcopum prædicatum *Apostolum Taruanensiũ*; quos iam olim Christianos factos, sed negligetia Præsulum in idololatriam relapsos, ipse prædicatione & miraculis perfecte reddidit Catholicos; cuius extant *d* Res præclare gestæ à Fulchardo conscriptæ. Eodemque pariter anno, die nona Februarij, ponitur obitus *S. Ansberti* Episcopi Rotomagensis, de quo superius; cum ante calumniam passus apud Pipinum Maiorem Domus regiæ, solum vertere missus in exilium coactus fuisset: vnde postmodum liberatus, reuersusque in patriam, responso mortis accepto, sacrificio Missæ prævio se parauit, & sic feliciter Deo spiritum reddidit, miraculisque post obitum claruit, quę pluribus narrrat Angradus monachus in eius Vita *e*.

II. c *Fulchar. & Molã. 9. Sept.* S. AVDOMARI OBITVS. d *Ap. Sur. 9. Sept.*

c *Ap. Sur. 9. Febr.*

IESV CHRISTI AN. 696.

SERGII AN. 9.

LEONTII AN. 3.

I. WILLEBRORDVS ORDINATVR EPISCOPVS.

ANNO Christi sexcentesimo nonagesimo sexto, Indictione nona, vir Apostolicvs Wilbrordus siue Willebrordus, superiori anno à sociis missus vt Episcopus consecraretur, iterum Romam veniens ad Sergium Papam, ab eo nomen *Clementis* accepit, & Archiepiscopus Frisonum ordinatus est: id etiam exigente Pipino Duce & Maiore Domus Franciæ; qui & eidem redeunti sedis locum dedit Traiectũ, olim Wiltenburg dictum. Hæc Beda *a*, & Marcellinus *b*. Sed & diuina præuia admonitione, Sergium Papam ordinasse Episcopum eundẽ Wilbrordum, tradit Albinus Flaccus in Rebus *c* gestis eiusdem Sancti.

a *Bed. de gest. Angl. lib. 5. c. 12.* b *Marcel. in Svvibert. ap. Sur. 1. Mar.* c *Ap. Sur. 7. Novemb.*

Hoc eodem anno, Leontij Imp. tertio, Sataceni siue Arabes Africam ceperunt. Vnde mox à Ioanne Patricio illuc à Leontio misso expulsi, iidem paulo post cum maiori classe redeuntes, Ioannem inde pepulerunt. Qua re erubescentes Romani milites, atque timentes redire Constantinopolim; mota seditione ABSIMARVM Imperatorem crearunt, eumque TIBERIVM nominarunt. Qui Constantinopolim accedens, Leontium captum, naribus præcisis, in Dalmatiæ quoddam monasterium relegauit. Hæc Annales ex Theophane ac Cedreno. Ceterum Africam tentatam sæpius, deprædatamque, Saraceni ab hoc tempore absque obice possederunt; cum ea non solum hæreticis Manichæis atque Donatistis refertissima esset, sed etiam moribus corruptissima, adeo vt ipsi etiam Episcopi *d* vxoribus commiscerentur. Ex quibus quanta essent alia mala, facile possumus meditari; quorum causa quemadmodum olim Deus ad eos puniendos immisit Wandalos, modo eosdem penitus perdendos tradidit Saracenis.

II. ABSIMARVS ELECTVS IMP. LEONTIVM EJICIT

d *Sext. Syn. c. 12.*

IESV CHRISTI AN. 697.

SERGII AN. 10.

TIBERII ABSIM. AN. 1.

I. PROPAGATIO FIDEI IN GERMANIA.

ANNO Domini sexcentesimo nonagesimo septimo, Indictione decima, ac sequentibus pariter annis, Frisia, Hollandia, aliæque Germaniæ prouinciæ, summa industria excultæ sunt, & ad fructum vberrimum restitutæ, prædicatione & miraculis SS. Wilbrordi Traiectensis primi, &

Svviberti

Svviberti item primi Werdensis Episcopi, ceterorumque quos ex Anglia & Hibernia eo accessisse vidimus; atque aliorum qui ab iis ad opus admissi, missique sunt ex decreto *Concilii* ibidem *Tractati* habiti ad res nouellarum eiusmodi Ecclesiarum optime disponendas: quorum immensos labores, mirabiles profectus, prodigiosa miracula, & sanctos exitus, vnus illorũ Marcellinus presbyter egregie descripsit in Vita prædicti Svviberti *a*; quem tu consulas *b*, necnon Albinum Flaccum in Rebus *c* gestis eiusdem S. Wilbrordi.

a Ap. Sur. 1. Mart.
b Agit & Bar. n. fusius, hoc & seqq. annis.
c Ap. Sur. 7. Nouem.

IESV CHRISTI AN. 698.

SERGII AN. 11.

TIBER. ABSIM. AN. 2.

ANNVS Domini sexcentesimus nonagesimus octauus, Indictione vndecima inchoatus, illustratus est martyrio *S. Lamberti* Tungrensis, siue Leodiensis Episcopi *Taxandriæ Apostoli* nuncupati *a*, quod populum illum ab idolorum cultu ad fidem Christi per multos labores & angustias perduxerit. Extant *b* eius Acta à Stephano Episcopo Leodiensi scripta: in quibus tamen multa desiderantur; vt (quod imprimis ponendum erat) quæ præcessit ab eo sæpius facta obiurgatio Pipino de Herstallo Maiori Domus Franciæ, ob Alpaidem pellicem subintroductam, cum legitimam haberet vxorem Plectrudem: quod absque controuersia omnes tum veteres tum recentiores historici affirmarunt; qui dicunt *c* ipsum pellicis Pipini hortatu, ab eiusdem pellicis fratre Dodone intra ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani interemptum fuisse; Dodonem vero, omnesque cædis conscios paulo post diuina vindicta acerrime punitos, miserrime periisse. Additurque, adeo inuisas etiam post mortem pellices ipsi S. Lamberto fuisse, vt ceteris cunctis sine repulsa ad osculandum suum corpus admissis, siqua pellex accederet, quasi turbine quodam exagitatam retrocedere compelleret. Eius vero corpus post duodecim annos translatum est in Legiam; quæ ex vico creuit in nobilem ciuitatem, ex eiusdem Martyris gloria atque miraculis ibidem iugiter edi solitis. Pipinum autem vsque ad obitum vehementi fuisse exagitatum dolore ob viri sanctissimi necem, Marcellinus *d* est auctor: quamuis nunquam miser destiterit à consortio pellicis, quod ex ea suscepisset Carolum Martellum, quem reliquit heredẽ suum. Ceterũ hoc eodem anno *Beggam* eiusdẽ Pipini matrem, sanctitate claram, ad Dominum transisse, author est Sigebertus in Chronico. Sequenti vero idem auctor tradit, ipsum Pipinum orbatum esse filio Drogone Duce Campanensium: verum illum superuixisse Pipino parenti, Marcellinus affirmat.

I. a Sigeb. in Chron. hoc an. Molan. in Natal. SS. Belg. 17. Sept. b Ap. Sur. 17. Sept.
S. LAMBERTI MARTYRIVM.
c Vid. append. ad Vit. à Sueno, scriptam, ap. Sur. ibi.
ETIAM POST MORTEM REIICIT PELLICES.
d In Vit. S. Swithb. ap. Sur. 1. Mart. c. 25. Ap. Bar. n. Tom. VIII. an. 714.

Hoc eodem anno *e* celebrata reperitur SYNODVS AQVILEIENSIS, quæ (vt ait Paulus *f* diaconus) ob imperitiam Quintum Oecumenicum Concilium suscipere diffidit; donecà Sergio Papa admonita, & ipsa ceteris Ecclesiis consensit. Porro longe ante hoc tempus resipuisse liquet Ecclesiam Aquileiensem ab antiquo schismate, causa Quintæ Synodi orto ob tria Capitula: siquidem eiusdem Ecclesiæ Episcopus Agatho nomine, interfuisse & subscripsisse reperitur Synodo celebratæ ab Agathone Papa. Quamobrem eandem iterum in errorem lapsam dicere opus est, perfecte vero à Sergio esse curatam.

II. e Sigeb. hoc an. Bed. de sex ætat. f Paul. diac. lib. 5. c. 14.
CONCIL. AQVILEIENSE.

Eodem anno, Imperij Absimari secundo, tradunt Annales *g* Romanum exercitum Syriam peragrantem ac deprædantem, occidisse ducenta barbarorum millia, ingentemque retulisse prædam. Mirum autem auditu, quantum gens Saracenorum fuerit his temporibus numerosa, vtpote quæ Armeniam, Persidem, Palæstinã, Ægyptum impleret, & Libyam, Africamque vniuersam penitus occuparet, insulasq; complures, atque inde iam in Europam se infundere pararet: & quantumlibet multiplices eorundem cædes fierent, nullam visi sunt diminutionem sensisse, nec contineri potuisse quin illaberentur in exteras regiones.

III. g Theoph. & Cedr. item.

IESV CHRISTI AN. 699.

SERGII AN. 12.

TIBER. ABSIM. AN. 3.

ANNO Christi sexcentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecima Sergius Papa, diuina præuia admonitione *a*, consecrauit *S. Hubertum* Leodiensem Episcopum, dignum S. Lamberti martyris successorem, eundemque nobilissimo genere ortum, vtpote filium Bertrandi Aquitaniæ Ducis. Qui vt populum sibi subditum in Catholicæ fidei obseruantia, & S. R. E. obedientia, à qua sanctum Euangelium accepissent cultu perpetuo firmiter contineret, ac posteros eodem vinculo obligaret; tradidit illi vrbi sigillum S. Lamberti imagine sculptum, atque huiusmodi inscriptione notatum, *Sancta Legia Romanæ Ecclesiæ filia*; vt ex Placentio Molanus refert. Extant vero ipsius Huberti Vitæ Acta, quibus insignes eius virtutes, & in edendis miraculis immensa gratia prædicantur. Contulitque ipse in aream Dominicam de prædicatione ad gentes manipulos vberes, ex *Brabantia* populo tunc infideli collectos.

I. a Molan. in SS. Belg. 3. Nouemb.
S. HVBERTVS EPISC. LEODIAM.

Quibus etiam temporibus contigit ex frequenti commercio venientium ex Anglia Romam ad Limina Apostolorum, innotuisse Sergio Papæ *S. Althelmum*, siue Aldhelmum Scireburgensem Episcopum; quem, eius virtutibus captus, in Vrbem accuerit. De quo legitur, liberasse diuina virtute ipsum Sergium à calumnia progeniti ex incestu pueri; ita videlicet vt cum eundem puerum nouem tantum dies natum, coram omnibus in virtute IESV CHRISTI interrogasset, num Sergius Papa eo crimine teneretur; responderit clara voce puer, Sergium nihil commercij cum fœminis habuisse. Hæc ita in ipsius Althelmi Actis *b*: Verum quod nusquam alibi de re tanta mentio habeatur, haud satis tuta fides auctoris. De eodem sancto constantiora sunt, quæ Beda *c* refert; qui cum præclaram de eo mentionem faciat, eiusdem etiam scriptorum monumenta memorat; videlicet Librum de Paschate aduersus Britonum errorem, aliumque de Virginitate versibus & prosa compositum. Cuius hactenus extat de virginitate soluta oratione tractatio.

II. SERG. PP. DIVINITVS LIBERATVR A CALVMNIA INCESTVS.
b Ap. Sur. 25. Maii.
c Bed. 5. hist. An. 19.

Quod vero ad Librũ spectat de Paschate; tempus hoc id postulabat, vt qui in iis regionibus pollerent ingenio, illud exercerent in euellendo eiusmodi inolitæ consuetudinis errore, de quo sæpe dictum est superius. Quorum egregia opera, atque imprimis insignium Abbatum Adamnani, & Ceolfridi, (quod pluribus Beda *d* prosequitur) factum est vt hoc tempore maxima pars Scotorum & Pictorum, Britonumque, Catholicam Paschæ ac Tonsuræ clericalis obseruationem susceperint. Additque idem auctor, his ipsis præterea temporibus eundem Adamnanum scripsisse librũ de Locis Sanctis, ex veridica relatione ipsi facta ab Arculpho Galliarum Episcopo, qui totum ferme Orientem, ac præcipue Terram Sanctam diligentissime perlustrauerat, & in patriam rediens vi tempestatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus fuerat. Estque is ipse commentarius, quem postea idem Beda in compendium (vt testatur *e*) redactum, viginti distinctum capitibus edidit; hodieque extat.

III. BRITANNIA CORRIGIT ERROREM DE PASCHATE TONSVRA.
d Id. lib. 5. c. 16. & 21.
COMMENTARIVS DE LOC. SANCT.
e Ibid. c. 17.

IESV CHRISTI AN. 700.

SERGII AN. 13.

TIBERII ABSIM. AN. 4.

ANNO Domini septingẽtesimo Indictione decimatertia, *S. Vlfranus* Archiepiscopus Senonensis in Gallia, ad prædicandum *Frisonum* genti ex diuina reuelatione ani-

I. DE S. VLFRAN

mum

NI AD FRIS. APOSTOLATV. a Ap Sur. 20. Mart.

mum induxit: vbi quamplurimis ingentibus editis miraculis, multos ad fidem CHRISTI conuertit, vt fusius in eius vita a narrat Ionas monachus Fontanellensis huius sæculi scriptor. Eiusmodi autem miraculis ita veritas Christianæ religionis innotuit, vt libere prædicandi, & qui vellent esse, Christianos fieri licentiam partium illarum Princeps Radbodus, infensissimus antea Christianis, impenderit: adeo vt & filius eius id fuerit ab eodem sancto Pontifice consecutus.

IESV CHRISTI AN. 701.

SERGII AN. 14.

TIBERII ABSIM. AN. 5.

I. SERGII PP. OBITVS.

ANNVS Christi septingentesimus primus inchoatus est Indictione decimaquarta. Quo *Sergius* Papa, cum sedisset annos tredecim, menses octo, & dies quatuordecim, mortuus est quinto Idus Septembris; atque sepultus in basilica S. Petri. Hæc ex Anastasio & Romano Martyrologio, in quod eiusdem Sergij nomen ob meritum sanctitatis relatum habetur. Porro ex ipsius sepulchri epitaphio, quod ex veteribus monumentis eiusdem Vaticanæ basilicæ Manlius exscripsit, plane intelligitur, eundem Pontificem multa passum, ab Vrbeque pulsum per *Ioannem* Sedis Apostolicæ inuasorem, septennij fatigatum fuisse exilio: quod quidem reliquos omnes Scriptores penitus præteriit. Sed extant alia eiusdem præclara monumenta apud Anastasium, ad Ecclesiarum ornamenta, & ritus Ecclesiasticos pertinentia. Ex quibus illud est, quod statuit, vt in Missa tempore confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei, &c.* a Clero & populo decantaretur. Itemque quod ex diuina reuelatione inuenit in sacrario ecclesiæ S. Petri, in angulo obscurissimo, capsam argenteam nimio annositate nigram, atque intra eam, Crucem lapidibus pretiosis ornatam, habentem portionem salutiferi Ligni Dominicæ Crucis, quæ ex illo tempore omni populo Christiano die Exaltationis eius, in basilica Saluatoris Constantiniana dicta, osculanda & adoranda proposita est.

EXILIVM PASSVS AB INVASORE SED. APOST.

II. BEDA VOCATVS ROMAM A SERG. PP.

Extat insuper apud auctorem qui post Bedam prosecutus est res gestas Anglorum, eiusdem Pontificis epistola ad Ceolfridum Abbatem in Anglia eius monasterij in quo à teneris annis BEDA coaluerat, creueratque in virum perfectum sanctitate & doctrina insignem: qua idem Pontifex ipsum Bedam ad se mitti postulauit, quem consuleret de rebus quibusdam Ecclesiasticis. In quo quidem ipsius Pedæ commendes modestiam, qui cum sæpe eiusdem Sergij Papæ meminerit, nunquam se ab eo vocatum litteris tradiderit, silentio pressa relinquens quæ ad laudem suam spectare posse viderentur. An autem Sergium adierit, & hoc ignoratur: sed potius non iuisse putamus; nam ea quæ ad Historiam Anglicanam texendam, ipsi opus erant ex Ecclesiæ Romanæ Archiuis petere, non à se inde allata, sed opera Nothelmi, qui sub Gregorio Papa Secundo Romam venit, se accepisse testatur in epistola nuncupatoria ad Ceolulphum Regem, posita in fronte eiusdem à se conscriptæ Historiæ.

III. a Ap Sur. 23 Nouem. lib. 2. c. 7.

Sub eodem quoque Sergio Papa contigisse obitum sanctissimi viri *Trudonis*, habet Theodoricus *a* Abbas in rebus gestis eiusdem Sancti: qui quidem quod Hasbaniis concionatus est Euangelium CHRISTI, *Hasbaniorum* meruit *Apostolus* appellari: cuius & dies natalis ab Ecclesia Catholica quotannis celebrari consueuit.

IV. IOAN. VI. CREATVR.

Cum autem post Sergij obitum Sedes Romana vacasset (vt habet Anastasius) mensem vnum & dies viginti; hoc eodem anno die vigesima nona Octobris, creatus est IOANNES eius nominis Sextus, natione Græcus. Quo ipso anno (vt idem auctor scribit) venit è Sicilia Romam Theophylactus Patricius & Exarchus Italiæ, aliquid moliturus aduersus eundem nuperelectum Ioannem. quænam vero causæ nouæ interceserint, ignoramus. Tunc autem etiam accidisse tradit quod vidimus euenisse sub Sergio, nimirum vt in defensionem Pontificis vniuersa Italiæ militia Romam conuenerit, ab eiusque furore ipse Theophylactus per eundem Ioannem liberandus fuerit. A quo tempore Exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere; contra vero Romanis Pontificibus, pro quibus milites starent, augeri: adeo vt post hæc supplices, non insultantes, in Italiam mittere Imperatores solerent Exarchos. Ceterum quas pœnas dederit Imperator, cum in Romanum Pontificem impie ista tentauit, dicetur anno sequenti.

RES IMP. IN ITALIA IMMINVTÆ.

Hoc eodem anno, defuncto Hispaniarum Rege Egicane, filius eius Witiza, qui cum patre annos quinque hactenus regnauerat, solus regni habenas moderandas suscepit. Qui per iniustitiam & impietatem suam seruus factus peccati, omnibusque aliis scatens vitiis, se ipsum vna cum suis præcipitem dedit, ianuamque late pandidit, qua post eius obitum Saraceni torrentis instar influerent in Hispanias. Sed quod nec furiosum Regem cohibere conati sint Hispaniarum Episcopi, factum est, vt & defecerit Regnum, & ipsi simul ducti fuerint in captiuitatem Episcopi, ecclesiæque diruta, monasteria desolata, atque omnia denique pessumdata. Et (vt ait ista deplorans Lucas Tudensis, antiquus rerum Hispanicarum scriptor) quia Reges & Sacerdotes Dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hispaniarum de relicta à Domino perierunt. Tradit enim de Witiza, multa illum nefanda & horribilia flagitia per Hispanias seminasse, & ad rapinas, luxurias, comessationes, ac voluptates carnis, se suosque inclinasse: nec ipsum solum, postposita omni religione diuina, plures vxores & concubinas habuisse, Ducibusque suis vt similiter agerent imperasse; sed & effecisse, vt æque Episcopi ceterique Ecclesiæ ministri aspernarentur Ecclesiastica munia atque sacramenta; & ne aduersus ipsum insurgerent, isdem vxores & concubinas habere præcepisse; immo & ne obedirent Romano Pontifici, publico edicto sub mortis interminatione prohibuisse; quæ res (vt ait) pereundi causa Hispaniæ fuit. Pulso quoque in exilium Toletano Episcopo Iuliano, (Rodericus tamen, & alij, nō Iulianum, qui Tertius eius nominis esset dicendus Toletanus Episcopus, sed Gundericum sub Witiza ponunt:) filium suum Oppam Archiepiscopum Hispalensem simul ac Toletanum esse voluit, vt facilius posset per duplicem eiusmodi auctoritatem, fidei Catholicæ statum conuellere. Iudæos insuper in Hispaniam reuocauit; & sublatis Ecclesiæ priuilegiis, multas lucris immunitates tribuit. Pleroscque Principes, aliosque nobilissimos viros occidit, aut relegauit. Denique in tantam vesaniam processit, vt muros cunctarum vrbium sui regni (exceptis Tolero, Legione & Asturico) subuerterit, ne possent sibi resistere ciues cum eos persequi vellet. Hæc & alia Tudensis: quæ omnia toto sui regni decennio sunt ab eodem Witiza nefarie perpetrata.

V. IMMENSA FLAGITIA WITIZÆ HISP. REG.

CVR HISPANIÆ TRADITÆ SARACENIS.

Veruntamen ipsius exordio, vt specimen optimi Principis præseferret ex omnibus Hispaniarum Episcopis *Toleti* CONCILIVM generale collegit, dictum ordine Decimumoctauum. Cuius Acta cur nequaquam, vt ceterorum, scriptis tradita reperiantur, ea fere omnium sententia est, quod cum in eo complura sancita fuerint Ecclesiasticæ disciplinæ contraria, placuerit æterno silentio sepeliri. Sed cum omnes consentiant initia Witizæ fuisse optima; credideriim potius quæ fuerant bene in hoc Concilio gesta, postea ab ipso in tyrannum erumpente fuisse penitus abrogata, ipsaque eius Acta conscissa.

VI. CONCIL. TOLET. XVIII.

Sed causam apostasiæ tam insolentis ab Ecclesia Romana, cum nemo (quod nouerimus) vel antiquorum vel recentiorum historicorum enarret; nos quænam fuerit, ex certis antiquitatis monumentis in medium adducemus. Extant *b* enim Gregorij eius nominis Septimi Romani Pontificis sanctitate & magnitudine animi celebris, duæ inter alias epistolæ ad Principes qui Hispaniam à Saracenis recuperassent, scriptæ Indictionibus vndecima & decimaquinta, annis nimirum Domini millesimo septuagesimo tertio, & septuagesimo septimo, quibus significat, Hispaniæ Regnum, antequam inuaderetur à Saracenis, fuisse Romanæ Ecclesiæ traditum, quantum etiam ad ius & proprietatem à possidentibus ipsum Gothorum Regibus maxime piis; non ita quidem vt eo ipsi caruisse voluerint, sed vt illud annuo persoluto tributo, Ecclesiæ Romanæ nomine possideren-

VII. DE CAVSA DEFECTIONIS WITIZÆ AB ECCLES. ROM. b Greg. papa. 7. epist. 9 & 10. Tom. 3. Spicil. Rom. Pont.

rent. Ex iis itaque omnino affirmare necesse videtur, horum Regum indignissimum successorem impium Witizam, cum eiusmodi donationem iniquo animo ferret, eandem irritam reddere conatum, illud quod recensét Tudensis de non parendo Romano Pontifici sanxisse decretum. Quod enim ipsum à Rege qui Catholicus habebatur, intelligis promulgatum; vtique non fidei, sed temporariæ vtilitatis causa factum agnoscas oportet. Sed & inde perspicue colligas, quam male consulant ditionibus suis Principes, qui Ecclesiæ iura tollere vel minuere conantur. Etenim vltor exurgens Deus *c*, in virga ferrea tanquam vas figuli confringit eos qui adstiterunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, cupientes proiicere à se iugum ipsorum. Paruisse vero Hispaniæ Reges Gregorio Septimo, in restituendis Ecclesiæ Romanæ iuribus, videbitur suis locis: vt plane fuerit luce apertissima declaratum, sicut inobedientia Principum iactura totius facta est Regni, ita eorundem obedientia fuisse à barbaris vindicatum & stabilitum, atque in exteras etiam gentes dominij auctoritate propagatum.

Quanto suo damno Reges iura Eccles. violent.

c Psal. 2.

IESV CHRISTI AN. 702.703.

IOAN. VI. AN. 1. 2.

TIBER. ABSIM. AN. 6.7.

I.

ANno Christi septingentesimo secundo, Indictione decimaquinta, Tiberius Imp. qui anno superiori tentauit deturbare Ioannem Romanum Pontificem, passus est diuino iudicio dirum aduersarium, à quo ipse pelleretur Imperio. Siquidem (vt habent Græcorum Annales *a*) hoc ipso anno Iustinianus Rhinotmitus, quem exulem degere vidimus apud Chersonam, Chaiani Lazorum Regis sorore in matrimonium sumpta, eiusdem Regis ope ad reditum arma parare cœpit. Quem tanto vindictæ ardore incensum ferunt, vt cum maris tempestate in summo vitæ discrimine eundem constitutum monuisset vnus ex familiaribus suis, vt voueret Deo si imperium recuperaret se inimicis suis indulturum; respondérit, *Immo si pepercero cuiquam eorum, in hoc loco me Deus demergat.* Sicque Dei iudicio, qui in perfidos vltionem parabat, euadens, legationemque mittens ad Trebellium Bulgarorum Regem, vt eius auxilio posset restitui in Imperium, isto libenter annuente, factum est, vt

a Theoph. Cedr. Zon. & alij.

IVSTINIANI IMP. ARDENS VINDICTÆ CVPIDO.

II.

Anno sequenti, (qui fuit Christi septingentesimus tertius. Indictionis primæ;) idem in Imperium restitutus fuerit per eundem Trebellium, clanculo per aquæductum ingressus Constantinopolim. Qui cum Tiberium Absimarum & eius fratrem Heraclium, alioque primores ciuitatis fuga sibi consulentes, in potestatem accepisset; mox primores illos, atque Patricios, in muro ciuitatis supplicio affecit; Absimarum autem, atq; Leontium qui primus occupatat Imperium, vinctos per vrbem in pompa duxit; ludisque Circensibus eos repræsentans, vsque ad solutionem primi brauij eorum ceruices pedibus calcauit, vniuerso populo illud Dauidicum *b* acclamante, *Super aspidem & basiliscum ambulasti, & conculcasti leonem & draconem*: inde eos in Cynegium missos, capite truncari iussit. Innumerabilem quoque multitudinem tam ciuium quam militum extinxit; pluresque saccis inclusos in mare proiecit, atque alios cum ad prandium vel cœnam accubitarent, mox vt surgerent ceruicum incisione perdi iussit. Sed & Callinicum Constantinopolitanum Patriarcham oculis orbauit, Romamque relegauit; suffecto in eius locum *Cyro* quodam Amastridis insulæ monacho; qui ei recuperationem Imperij prædixerat. Omnibusque rebus penitus stabilitis, Trebellium Bulgarorum Regem muneribus digne donatum ad propria dimisit: filium vero suum TIBERIVM, *Theodoramque* coniugem imperiali corona patriter insigniuit. Hæc omnia ex Græcorum Annalibus, Theophane, Cedreno, & aliis: quæ cœpta hoc anno, in sequentem propagata noscuntur. Ceterum miro Dei iudicio factum est; vt Callinicus, qui primus ausus esset absque consensu Romani Pontificis vniuersale congregare Concilium, atque in eo canones edere contra traditiones maiorum & Eccl. sanctam disciplinam, quique aduersus Romanam Ecclesiam ad eo ardenti animo pellexerat Iustinianum; ab eodem talia passus, ad ipsum Romanum Pontificem remissus sit ab eo vitæ stipem acceptarus.

IMPERIVM RECVPERAT, ET DIRAM DE ADVERSARIS VINDICTAM SVMIT.

b Psal. 90.

CALLIN. EPISC. CONST. ROMAM RELEGATVS.

Eodem anno Christi septingentesimo tertio, Cunipertus Rex Longobardorum, vir satis laudatus vbi annos duodecim regnasset post patris obitum, mortuus est; relicto regni hærede Luithbertho filio paruulo, cui tutorem Asprandum virum illustrem constituit. Hinc vero multi ciuiles tumultus pro regno inter Principes orti sunt, quos pluribus describit Paulus *c* Diaconus.

III.

c Paul. diac. lib. 6. c. 12.

Quo item anno *d* defunctus est *S. Benedictus* (antea Biscopus dictus) Abbas in Anglia, mitæ sanctitatis vir, cuius diem natalem celebrat Ecclesia pridie Idus Ianuarij: eo verò monasteriorum fundatore, propagatus est in Anglia mirifice monachismus, cuius ipse regulas Romæ didicerat. Extat Bedæ *e* homilia in eius die natali dicta, vbi plura de ipsius laudibus ac virtutibus habet: quem & ait, quod rudis adhuc in gente Anglorum fides & Ecclesiarum institutio floreret, ad beatorum Apostolorum Limina peregrinaturum aduolasse, vt ibi perfectam viuendi formam sumeret, vbi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminéret eximium.

IV.

d Sigeb. in Chron. DE S. BENED. ABBATE IN ANGLIA.

e Bed. hom. de Sanct. 10.7.

IESV CHRISTI AN. 704.

IOAN. VII. AN. 3.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. AN. 1.

I.

ANno Domini septingentesimo quarto, Indictione secunda, exagitata est Italia bellis Longobardorum ciuilibus, donec Aripertus victor è medio sublatis aduersariis, solus pacifice regnauit. Hunc tradit Paulus *a* diaconus donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæ quondam pertinuerant ad ius Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituisse; & hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxisse. Quæ quidem sub Ioanne Septimo, qui anno sequenti sedere cœpit, facta esse Anastasius Bibliothecarius tradit: eiusdem vero donationis, seu potius restitutionis, æque testes sunt Beda, Adoënsis & alij Chronicorum scriptores. Porro Aripertum victoriam ab hostibus reportasse precibus *S. Boniti* Aruernensis, qui dimisso Episcopatu Romam ad Limina Apostolorum pergens, ab eo in itinere amanter exceptus fuerat; traditur in Rebus gestis eiusdem Sancti.

a Paul. diac. lib. 6. c. 13. ALPES COTTIÆ RESTITVVNTVR ECCLESIÆ ROM.

II.

Eodem anno Christi septingentesimo quarto, Edilredus Rex Merciorum, postquam regnasset annos triginta vnum, monasticam vitam amplexus, Coenredo regnum reliquit. Qui & ipse Coenredus, vita licet innocens, ac moribus sincerus; tamen pro consequenda delictorum suorum plenriori indulgentia, anno sui regni sexto abdicans se, Romam peregrinatus est ad sancta Limina Apostolorum. Hæc suis locis Beda in Epitome. Ita plane primitiuæ illius Ecclesiæ Anglicanæ fuit erga sacram religionem vigens feruensque cultus; vt ob frequentiam Deo philosophantium, fuerit insula referta vndique monasteriis, in quibus & Reges ipsi, qui fuerant leones in prælio, mox in sacris septis, cœlestibus caulis inclusi redderentur agni mitissimi.

REGES ANGLOR. SE ABDICANT AMORE VITÆ RELIGIOSÆ.

III.

Porro huius Coenredi temporibus accidisse ponit Beda *b*, vt nobilis quidam vir, qui quantum pro industria exteriori Regi placebat, tantum pro interiori suimet negligentia displicebat; cum ab eo sedulo admoneretur vt confiteretur & emendaret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet; ille vero verba salutis spernés, semper in tempus sequens pœnitentiam remitteret: demum in grauem infirmitatem incidés,

b Bed. lib. 5. c. 14. DE MISERANDO INTERITV CVIVSDAM IMPOENITENTIS.

rursum à Rege admonitus vt vel tunc confiteretur, respondit non se tunc velle id agere, sed cum ab infirmitate resurgere, ne forte exprobrarent sodales, quod timore mortis faceret ea quæ solpes noluerat. Sed mille saeculo post, cum & adhuc à duobus Angelis visitatus, nec sic ad pœnitentiam moueretur; tandem superueniente malignorum spirituum caterua circumdatus, in desperationem incidens, aduenienti denuo Regi rem significauit, moxque desperans decessit è vita. Simile quoddam exemplum de monacho impœnitente narrat idem auctor *c*. Extantque alia quamplurima apud S. Gregorium in Dialogis, & alios rerum Ecclesiasticarum tractatores: ex quibus discant homines pœnitentiam non differre.

c Ibid. c. 15.

IESV CHRISTI AN. 705.

IOAN. VII. AN. 1.

IVSTIN. RHINOT.
iterum Imp. 2.

I. IOANNIS PAPA VI. MORITVR.

ANNO Domini septingentesimo quinto, Indictione tertia, *Ioannes* Sextus Romanus Pontifex, vbi sedisset annos tres, menses duos, dies duodecim, mortuus est die decima Ianuarij, ac sepultus ad S. Petrum: cessauitque sedes eius mensem vnum & dies decem & octo. Hæc Anastasius. Ex cuius sententia liquet, eius successorem creatum esse ipsis Calendis Martij. Fuit autem is, IOANNES eius nominis Septimus, æque natione Græcus, ex patre Platone genitus.

IOAN. VII. CREATVR.

II.

VNVS SPIRITVS OMNIVM ROMAN. PONTIFF.

Incredibiles enim perspicias fuisse Græcorum artes, quibus nisi sunt sibi subiicere Romanam Ecclesiam. Quod enim tyrannicæ confirmationi Romani Pontificis tandem renuntiassent Imperatores, studuerunt alia via id efficere; nimirum agentes vt in collegium S. R. E. clericorum allegerentur Orientales, iidemque opera Exarchorum crearentur Pontifices. Hincque videas tot his temporibus sedisse eiusdem Ecclesiæ Antistites ex Oriente prognatos. Sed factum est tanquam miraculum à Deo, vt iidem creati Pontifices Apostolicæ Sedis, spiritum pariter hæreditarint Apostolicum, steterintque aduersus omnes conatus Imperatorum & Orientalium Episcoporum. Quod & de ipso, de quo est sermo, Ioanne Septimo accidisse probatur. Siquidem cum ad ipsum Iustinianus Aug. honorificam legationem duorum Metropolitanorum direxisset, vt sancitos Sergij temporibus Constantinopoli Sextæ Synodi uomine canones examinaret, & quos consentientes reperisset Catholicæ disciplinæ confirmaret, cæteros pro arbitrio reiiceret: etsi iusta hæc petitio esse videretur, tamen quod non deceret maiestatem Apostolicæ Sedis, vel quid minimum comprobare quod in non legitima Synodo statutum esset; ipse Ioannes conuocato ad hoc Episcoporum *Concilio*, recusauit omnino eosdem canones vel ex parte approbare licet nec eosdem condemnare voluerit, ne commoueret animum Imperatoris. Verum eos non recepisse, satis videri poterat condemnasse. Constant autem ista ex Anastasio in eodem Ioanne.

IOAN. PP. AVERSATVR CANONES SEXT. SYN.

III. DE S. WILFRIDO EPISC. EBORAC.

Prædictæ vero ea de causa celebratæ Romæ Synodo, interfuit etiam mirificus ille S. Wilfridus Archepiscopus Eboracensis in Anglia, de quo superius; sed interfuit vt reus. Iterum enim calumniam passus, & sede pulsus, iterum ad Sedem Apostolicam se contulit: à qua, eadem Synodo absolutus, in Angliam rediens ægrotauit ad mortem Meldis in Gallia; sed Archangeli Michaelis visione recreatus, in patriam aduenies, *Synodo* facta iuxta fluuium Nidd, cum honore sedi suæ restitutus est; ac post aliquot annos in pace quieuit, postquam sedisset annos quadraginta quinque. Hæc pluribus Beda *a*.

a Bed. lib. 5. c. 20.

IESV CHRISTI AN. 706.707.

IOAN. VII. AN. 2. 3.

IVSTIN. RHINOT.
iterum Imp. 3.4.

I. *a Ex Theoph. & Cedr.*

ANNO Christi septingentesimo sexto, indictione quarta, nihil præterea Annales *a* reddunt; nisi quod nõ sine magna ingratitudinis nota, Iustinianus Aug. qui armis Bulgaricis fuerat in Imperium restitutus, aduersus eos duxit exercitum: sed mox dignas tulit pœnas, vtpote qui posteriores in bello ferens, fuga elapsus vix cum paucis Constantinopolim redire valuit.

II. IOAN. PP. OBITVS.

Sequenti autem anno, *Ioannes* Papa vbi sedisset annos duos, menses septem, dies septendecim, mortuus est decimoquinto Calendas Nouembris, inchoata iam Indictione sexta; ac sepultus ad S. Petrum: cessauitque sedes eius mensibus tribus vt habet Anastasius. Ex cuius sententia, successoris creatio prolata est vsque in annum sequentem, quo de ea dicturi sumus.

IESV CHRISTI AN. 708.

SISINNIVS.

CONSTANTINI. 1.

IVSTIN. RHINOT.
iterum Imp. 5.

I. SISIN. PP. CREATIO, ET OBITVS

ANNO Domini septingentesimo octauo, Indictione sexta, decimoquinto Calendas Februarij, creatus est Papa SISINNIVS, natione Syrus ex patre Ioanne: qui (inquit Anastasius) podagrico humore ita tenebatur constrictus, vt sibi cibum propriis manibus exhibere non valeret. Itaque cum tenuisset Pontificatum dies dumtaxat viginti, septimo Idus Februarij obiit morte repentina; & sepultus est in basilica S. Petri. Cumque sedes vacasset mensem vnum, Nonis Martij creatus est Pontifex CONSTANTINVS, æque filius Ioannis, & natione Syrus. Hæc ex Anastasio.

CONSTANTINI ELECTIO.

II.

Huius vero Constantini Pontificatus exordio contigit creari Rauennatem Archiepiscopum Felicem, qui Romam ex more se conferens, vt consecrationem acciperet ab ipso Pontifice, professionem fidei edidit, & obedientiæ sponsionem. Sed rediens Rauennam, ciuium instigatione iterum se schismate ab Apostolica Sede diuisit. Cuius rei causa in ipsum concitatus Imperator, Rauennam Theodorum Patricium cum exercitu misit; qui capta ciuitate, rebelles bonis spoliauit, ac vinctos Constantinopolim misit; vbi morte puniti sunt, ipseque Felix Archiepiscopus oculis priuatus, in Pontum relegatus. Hæc Anastasius. Quæ quidem meruere Rauennates ab Imperatore perpeti, quod Exarchatus confisi potẽtia, sæpius *a* contra Romanã Ecclesiã rebellantes, venia sæpius obtẽta abusi essent. Porro defuncto post biennium Iustiniano, Felicem liberatum *b* esse exilio, & licet cæcum, Ecclesiæ suæ restitutum post præstitam Pontifici Romano solitam obedientiam, idem Anastasius tradit. Eundemque egregia claruisse sanctitate, ac miraculis etiam coruscasse, auctor est Hieronymus Rubeus, qui copiose prosecutus est res Rauennates. Ex eoque tempore constat, eiusdem ciuitatis Episcopos semper se & in omnibus Ecclesiæ Romanæ Pontificibus obedientissimos exhibuisse.

RAVENNATES DANT POENAS DE SCHISMATE ADVERSVS ECCL. ROM.

a Vide sect. an. 669. n. & infra 6. V. 1. 1. 2. V.

b Eius liberationem habet Baron. an. 711. quo ea tom. legi.

IESV CHRISTI AN. 709.710.

CONSTANT. AN. 2.3.

IVSTIN. RHINOT.
iterum Imp. 6.7.

I. IVSTIN. IMP.

ANNO Christi septingẽtesimo nono, ab Indictione septima inchoato, Iustinianus Imp. pœnitentiam agẽs (vt ait Maria-

ACCERSIT CONST. PP.

Marianus Scotus) accersit ab Vrbe Constantinopolim Constantinum Papam: quod hoc anno mense Octobri, inchoata iam Indictione octaua, factum fuit. Anastasius tradit etiamsi Scotus nona Indictione id accidisse ponat. Verum Anastasio potius assentimur; cui reliqua bene consentiunt, vt quæ dicentur ostendent. Ceterum Constantino soluenti è Portu Romano, magnumque secum ducenti virorum Ecclesiasticorum comitatum, hiemandum fuit Hydrunti, vbi honorificentissimè, sicut & in omnibus aliis locis in quos appellere contingeret receptus est; quo deinde discedente Imperator cunctis Magistratibus in mandatis, eodem illum honore suscipere, quo susceptum iri essent ipsummet Imperatore. Appellenti vero in Siciliam occurrens Theodorus Patricius graui languore detentus, eumdemque magna veneratione recipiens, confestim sanatus est. Cum interim Ioannes Exarchus cognomento Rizocopus veniens Romam, ingulauit Paulum diaconum & Vicedominum, aliosq; clericos: atq; inde pergens Rauennam, pro nefandissimis suis factis iudicio Dei turpissima morte occubuit. Hæc omnia Anastasius.

II. PROTRACTVS OSCVLATIO PEDIS EIVS.

Anno vero sequenti, Domini septingentesimo decimo, soluens Hydrunto Constantinus peruenit Constantinopolim; ibique summo honore exceptus est ab occurrentibus ei Tiberio Imp. Iustiniani Aug. filio, ac Cyro Patriarcha, & vniuerso Senatu, populoque. Ipse vero Iustinianus Nicææ in Bithynia tunc existens, occurrit ei Nicomediam; quo cum Pontifex aduenisset, Imperator coronam in capite gestans sese prostrauit ad pedes eius, eosque osculatus est, deinde in amplexum mutuum corruerunt: proxima autem die Dominica communicauit à manu eiusdem Pontificis Missas solèniter celebrantis. Post quæ confirmatis ab Imperatore Ecclesiæ Romanæ priuilegiis, ab inuicem discesserunt. Hæc idem Anastasius: eademque Anselmus Lucensis, vbi agit de potestate & primatu Romani Pontificis; ac longe ante eum Beda, & Marianus Scotus, aliique.

III. AB QVO VOCATVS CONST. AD IMP.

Quid vero Constantinopoli per Constantinum Pontificem actum sit, scriptorum inopia latet quidem: ex iis tamen quæ Anastasius scribit in Gregorio Secundo, Constantini successore, (nempe ipsum Gregorium, cum hoc tempore agens Apostolicæ Sedis diaconum, vna cu Summo Pontifice Constantinopolim aduenisset, optima responsione vniuersis quæstionibus de propositis capitulis plenissime satisfeciisse:) satis datur intelligi, Constantinum vocatum fuisse ab Imperatore in Orientem, vt finis aliquis poneretur controuersiæ de Canonibus ad Quintam & Sextam Synodum superadditis; deque his inter vtramque partem diutius altercatum esse, sed primas retulisse Constãtinum industria Gregorij diaconi, constitutiones antiquorum Patrum acerrime defendentis. Neque enim his temporibus vlla alia vertebatur quæstio inter Orientales & Occidentales, nisi de capitibus illis Synodi Quinisextæ.

IV. a Theophanes. DIRA VLTIO IMP. IN CHERSONENSES.

Quod autem ad Iustinianum pertinet: liquet ipsum eodẽ anno a variis esse concussum motibus, ob rebellantes populos Chersonesi & Bosphoritide: quibus crudelissimam vindictam exercuit, nec infantibus parcens interemptis per diuersa supplicia quam plurimis hominum millibus.

V. b Hoc habet Baronius. 710. num. XIV.

Quo item anno, defuncto Witiza nefario Hispaniarum Rege, postquam regnasset nouem annos, successit in locum eius Rudericus, siue Rodericus, filius Theofredi Ducis Cordubensis, (quem b tyrannus Witiza, ne sibi posset obsistere, oculis priuauerat) nepos vero Cindaswinthi olim Regis. Ita quidem ex Tudensi: qui ait Rudericum consilio magnatum Gothicæ gentis, regnum succepisse Æra septingentesima quadragesima octaua, virum quidem belligerum sed moribus Witizæ non absimilem, facemque totius Hispaniæ; vt quæ de eo dicentur inferius ostendent.

IESV CHRISTI AN. 711.

CONSTANT. AN. 4.

PHILIPPICI AN. 1.

I. ECCL. SAXONVM ERIGI COEPTA.

ANno Christi septingentesimo vndecimo, Indictione nona, Ecclesiæ *Saxonum* iaci cœperunt fundamenta per sanctissimum virum Apostolicum Swibertum Episcopum, de quo sæpè superius. Qui diuino monitu Coloniam veniens ad Pipinum Ducem, ab eo impetrauit vicum Werdam in insula Rheni constitutum; vbi nobili constructo monasterio, inde quasi ex forti munitione expugnauit refractarios Saxones, ad quos venit in abundantia benedictionis, in signis & virtutibus, potensque in omnibus opere & sermone: quæ omnia quomodo se habuerint, pluribus prosequitur Marcellinus presbyter in rebus a gestis eiusdem S. Swiberti & sociorum.

a Apud Sur. 1. Mart cap. 24. & 25.

Hoc eodem anno vigesima quarta mensis Octobris, iam inchoata decima Indictione, Constantinus Papa Romam ex Oriente redit, vt habet Anastasius. Qui cum addat, post tres menses ab ipsius reditu allatum fuisse nuntium de nece Iustiniani Imperatoris; vtique circa anni huius finem eam accidisse, possumus intelligere.

II.

III.

Cum igitur Iustinianus diram iam de Chersonensium rebellione vindictam sumpsisset, & maiori adhuc excandescens ira, ad reliquorum interitum denuo classem parasset; aduersus eiusmodi furorem ipsi se munientes, auxiliumque petentes a Chaiano Lazarorum Rege, nonnullos ustinianis Ducibus dolose intra Chersonam admissos interfecerunt, Imperatoremq; acclamarunt *Bardanem* PHILIPPICVM: qui à Tiberio Absimaro ob rerum nouarum molitionem apud Cephaloniam insulam relegatus fuerat, & postea à Iustiniano reuocatus vt præponeretur exercitui contra Chersonenses, rursum ob tumultum apud eosdem Chersonenses excitatum eiectus, ad Chaianum confugerat. Cum autem & alij post hæc missi ab Imperatore Duces, haud valentes debellare Chersonenses, ac timentes re infecta ad Iustinianum redire, se Philippico adiunxissent: tunc Philippicus Constantinopolim properans, præmisit Maurum Patricium aduersus Tiberium Iustiniani filium adhuc puerum, & Etiam Ducem aduersus ipsum Iustinianum.

PHILIPPICVS ACCLAMATVR IMP. ADVERSVS IVSTIN.

IV. CÆDES IVSTINIANI ET TIBERII IMP.

Qui quidem Maurus inuentum ad Blachernas prope Constantinopolim in templo Deiparæ Genetricis Tiberium, altera manu columnam altaris tenentem, altera lignum S. Crucis & in collo sacras Reliquias gestantem; eumdem inde abstractum, frustra deprecante ipsius auia Anastasia, ad pedes Mauri vna cum puero prouoluta, extra limen ecclesiæ gladio iugulauit. Elias autem, qui socius exilij Philippici fuerat, cuiusque filium Iustinianus in sinu matris pererauerat, ipsamque eius coniugem coquo natione Indo ignominiæ causa in matrimonium collocauerat, aduersus eum progressus, primũ promissa omnibus impunitate, vniuersum ipsius exercitum ad se traxit, mox vero furibunde Iustinianum aggressus, caput eius amputauit, quod ad Philippicum misit, hic vero Romam vsque transmisit. Hæc omnia Annales Græcorum. Ex quibus videas, Iustinianum tamquam feram bestiam humanum sanguinem sitientem, atque supra modum in subditos debacchantem, iusto Dei iudicio, suo suorumque sanguine supplicium luisse. Cum alioqui & ipse Philippicus Deo multipliciter inimicus esset, ob depraua-

PSEVDOMONACHVM SYNODAM PELAGIANAM PELAGIANAM FACIT.

tissimos vitæ mores, & hæresis Monothelitarum propugnationem: quam quidem eo vehementius suscepit, quod cuidam pseudomonacho Incluso, eiusdem impietatis sectatori, acceptum ferret Imperium, cuius prædictionem ab eo habuisset, præmiique loco promisisset Sextæ Synodi Oecumenicæ abolitionem: vt constat ex narratione Theophanis atque Cedreni. Sed de hoc anno sequenti.

V. b Anastasius in Constant. I. INTERPOSCOP. MEDIOL. ET TICIN.

Quod pertinet ad res Italiæ; Anastasii b testificatione liquet, venisse hoc tempore Romam S. Benedictum Archiepiscopum Mediolanensem, causam prosecuturum aduersus Episcopum Ticinensem, quem sibi vendicare conabatur sub sua iurisdictione Episcopum suffraganeum: sed eumdem Benedictum causa cecidisse ait, eo quod à priscis temporibus Sedi Apostolicæ Ticinensis Episcopus immediatæ subiaceret. Habet illud ipsum Paulus Diaconus.

Quam quidem controuersiam, iterum atque iterum diuersis temporibus excitatam, sæpius iudicari contigit.

* * *

IESV CHRISTI AN. 712.

CONSTANT. AN. 5.

PHILIPPICI AN. 2.

I. PHILIPP. IMP. AGIT DE ABOLITIONE SEXTÆ SYN.

ANNO Domini septingentesimo duodecimo, Indictione decima, Philippicus stabilito sibi Imperio morte omniũ qui Iustiniano fauissent, statim perficere est aggressus quod promiserat de abolenda Sexta Synodo, quæ Monothelitarum hæresim condemnasset: ad quod implendum eo maiori studio mouebatur, quod qui ipsi Imperium prædixisset, hoc etiam veluti diuinum oraculum adiecisset, fore & ipsi Imperium diuturnum, si id absque mora ageret. Vt autem facilius hæc exequeretur, primum omnium Cyrum Constantinopolitanum Episcopum Orthodoxum è sede dimouit, atque in locum eius suffecit *Ioannem* quemdam pseudomonachum, impietatis suæ socium. (Qui enim in eam sedem ob mercedem prædictionis prouehendus fuerat, Inclusus ille, eodem supplicio quo Elimas *a* magus, à Deo percussus est cæcitate, magus & ipse; vt eadem pœna teneret, quem eadem culpa damnaret.) Postea vero numerosissimo Orientalium Episcoporum collecto *Constantinopoli*, damnauit Sextam Synodum Oecumenicam, & in ea sancitam de duabus in Christo Voluntatibus & Operationibus sententiam; contra vero condemnatam in ea Monothelitarum hæresim, & impiũ errorem de vnica voluntate & operatione confirmauit, & ab omnibus profitendum edixit. Hæc quidem tradunt Græcorum Annales ex Theophane & Cedreno.

a Actor. 17

II. ROMÆ AGITVR ADVERSVS PRO FIDE CATHOL.

Sed & idem in impietate sua sibi complacens, dum ex more professionem Catholicæ fidei mittere deberet ad Romanum Pontificem, misit hæreticam & execratione dignã. Verum non solum eam Constantinus Papa constanter respuit: sed & quas nefandus Imperator sanctas sex Synodos Oecumenicas pictura effigiatas Constantinopoli abradi præcepisset, ipse Romæ in Ecclesia S. Petri eleganti forma depingi curauit. Tantoque fidei zelo vna cum Clero Romano Populus accensus est, vt statuerit nequaquam Imperatoris hæretici nomen, aut diplomata, vel etiam imaginem monetæ insculptam suscipere: (vnde nec eius effigies ex more in ecclesiam introducta fuit, nec eius nomen ad Missarum solemnia prolatum:) cumque Petrus quidam Ducatum Romanæ Vrbis ab eodem Imperatore accepisset; contra ipsum iungens se populus Christophoro veteri Duci, magnas Romæ turbas excitauit, quæ ad obitum Philippici perdurarunt. Habet hæc omnia Anastasius in Constantino. Eadem vero de nomine Imperatoris hæretici exoso & execrabili facto, tradunt Beda Venerabilis, Paulus *b* diaconus, & Ado *c* Viennensis. Sed & ex iis quoque discas, Romanam Rempublicam gubernari his temporibus consueuisse per Duces, qui mitterentur ab Imperatore. Vnde & *Romæ Ducatum* dici solitum, patebit etiam inferius.

b Paul. diac. l. 6. c. 35. de gest. Longobard.

DUCATVS ROMÆ.

III.

Hoc item anno defunctum esse Aripertum Regem Longobardorum, habet Francorum Chronicon ad Leges Salicas antiquitus scriptas additum: ex quo dicendum est, non annos duodecim regnasse (vt Paulus Diaconus tradit) sed tantum octo. Post illum Ansprandus regno potitus est per tres menses. Huic vero successit Lwithprandus ipsius filius, (quem Inscriptiones *d* antiquæ Leutbrandum appellant) tenuitque regnum, vt idem Paulus *e* tradit, annos triginta vnum & menses septem. qui autem ei tribuunt annos tantum viginti quinque post annos quinque eius inchoant regnum: sed erroris arguuntur cum ex aliis, tum ex eiusdẽ Regis edicto de Legibus Longobardorum, lato anno sequenti pridie Calendas Martii; vbi primum regni sui annum iungit cum Indictione vndecima, quæ incipit mense Septembri huius ipsius anni. Habet autem Oldradus Episcopus Mediolanensis in epistola ad Carolum Magnum, eumdem Lwithprandum hoc primo regni sui anno cõfirmasse donationem, siue restitutionem dixeris, Alpium Cottiarum, (in quibus etiam esset ciuitas Ianuensis, & quicquid ab ea Alpes vsque ad Galliarum fines continebatur) ab Ariperto factam Ecclesiæ Romanæ.

d Inscript. Aprens. ap. Pagi ad an. 168.

e Paul. diac. l. 6. c. 30.

DE LVIT. REGNI TEMPORE.

IESV CHRISTI AN. 713.

CONSTANT. AN. 6.

ANASTASII II. AN. 1.

I. PHILIPP. IMP. EIICITVR.

ANNO Christi septingentesimo decimotertio, Indictione vndecima, Philippicus vbi annum & sex menses in Imperio habuisset, & ipsa vigilia Pentecostes, post magnum conuiuium nobilioribus ciuibus exhibitum, meridie requiescens, à Patriciis quibusdam tentus & excæcatus est, ac postea in exilium electus; meritas dans pœnas de audacia, qua manus iniecit in res Ecclesiasticas. Et quidem de re gesta cõsentiunt tam Græci quam Latini scriptores; sed de tempore dissentiunt, dum Paulus *a* diaconus vnum tantum annum & sex menses (vt diximus) Philippici Imperio tribuit; alij autem, inter quos Theophanes atque Zonaras, annos duos & menses aliquot. Porro libentius consenserim Paulo, quod id confirment Acta publica omni fide per Ecclesiæ notarium conscripta *b*, de curatione virginis arreptitiæ Romæ facta in ecclesia S. Ioannis Baptistæ ad Aquas Saluias, virtute Reliquiarum S. Anastasij martyris Persæ, quas illuc translatas fuisse superius dictum est. In quibus quidem Actis, cum eadem virginis curatio dicatur facta mense Octobris Indictionis duodecimæ, annoque primo Anastasij Imperatoris; inde manifeste firmatur tempus expulsionis Philippici à Paulo positum.

a Paul. diac. lib. 6. c. 34.

b Hæc Acta recitat Baron. Annal. Tom. VIII. hoc an. ex Bibl. Vallicel. digna lectu, & obseruatione.

VIRGO ARREPTITIA LIBERATA VIRTVTE RELIQ. S. ANAST. MART.

Ceterum ita habito Philippico, crastino die, nempe ipsa Pentecoste, conuocato in magnam ecclesiam vniuerso populo, coronatum esse *Artemium* eidem Philippico à secretis, dictumque mutata appellatione ANASTASIVM, inter Imperatores eius nominis Secundum, Annales tradunt. Anastasius *c* autem Bibliothecarius addit, eumdem confestim publicis scriptis edictis professorem se fidei Catholicæ ac Sextæ Synodi declarasse, suæque professionis literas ad Romanum Pontificem misisse per Scholasticum Patricium, quem in Italiam legauit Exarchum. Constatque ex Theophane, Constantinum Papam continuo ad ipsum pro Responsis Ecclesiasticis Apocrisiarium direxisse Michaelem S. R. E. presbyterum Cardinalem. Perneccssaria enim eiusmodi videbatur esse legatio, vt Constantinopoli esset qui auctoritate Apostolicæ Sedis conciliaret Ecclesiæ Catholicæ pœnitentes Episcopos, qui vi aut metu consentissent pseudosynodo à Philippico celebratæ.

II. ANAST. IMP.

c Anast. in Constant.

III. DE TEMPORE INGRESSVS SARACENORVM IN HISP.

Interea vero accidit multis sæculis deploratus, vniuerso terrarum Orbi suæ calamitatis immensitate notissimus, ingressus Saracenorum in Hispaniam diabolicis machinamentis effectus, vt ipsum scelestissimum dæmonem Romæ in arreptitia, quam nuper diximus, gloriatum esse, testuntur eius liberationis Acta. Est namque Roderici Toletani Episcopi, atque recentiorum rerum Hispanicarum Scriptorum constans assertio, id factum esse hoc ipso anno. Vnus Tudensis in sequentem reiicit, quem numerat Æra septingentesima quinquagesima secunda; collocat autem hoc anno ipsas proditorum patriæ & gentis suæ molitiones. Rem vero gestam, quantum ad nostrum institutum pertinet, ex eodem Tudensi, vtpote antiquiore, summatim narrabimus.

IV. PRODITIO HISP.

Hoc igitur anno, regni sui tertio, Rudericus Hispaniarum Rex iniuriam patris sui, quem Witiza excæcauerat, vlcisci in eiusdem Witizæ progeniem decernens, duos ipsius filios Furmalum & Erpulionem ex Hispania cum summo dedecore expulit. Hi ad Iulianum, Tingitanæ in Africa prouinciæ quæ Gothis parebat Comitem, Witizæ olim familiares, se recipientes, consilium cum eo inierunt de vlciscendis iniuriis suis per Saracenos, qui maximam Africæ partem possidebant. Erat namque & ipse Iulianus offensus Rudetico Regi, quod idem Rex filia ipsius nomine Caua, quam sub titulo coniugis à patre accepisset, tanquam pellice vteretur. Itaque Iulianus occulte pariter hortatus Francos, vt inuaderent Galliam Narbonensem, quæ Gothis adhuc parebat; in

Regem

Regem se propensiorem simulans, fraudulenter ei consuluit, vt Hispaniam armis nudans; quam plenissima pace possideret, in Gallias ea & in Africam mitteret, vbi præsto essent aduersus Francorum & Saracenorum insultus. Fauebat & huic proditioni Oppa filius Witizæ, quem pater (vt diximus) præfecerat primariis Hispaniarum Ecclesiis Toletanæ & Hispalensi.

V. SARACENI OCCVPANT HISPAN.

His igitur præuiis proditorum molitionibus, primo Vlit fortissimus Saracenorum in Africa Rex, Iuliani & filiorum Witizæ ductu, Tariffum Strabonem vnum ex ducibus exercitus sui, cum viginti quinque millibus fortissimorum militum in Hispaniam præmisit: qui quidem vrbes muris nudatas inuenientes, (eam enim cladem vniuersæ Hispaniæ, tribus excepris vrbibus, intulisse Witizam superius vidimus) magna earum parte potiti sunt. Aduersus quos tamen Rudericus Rex arma quæ potuit colligens, per multos dies fortiter dimicauit, multaque hostium millia occidit. Donec Muza exercitus Africani Regis Princeps, cum infinita equitum peditumque multitudine in Hispaniam irrumpens, post multa prælia, ac longam vacillidamq; Ruderici defensionem, Gothos fugauit, & internecione deleuit; ipsoque Ruderico occiso, vniuersa potitus est Hispania: quādo & ex alia parte Gothi in Gallia commorantes, à Francis omnino consumpti sunt. Hæc Tudensis, & post eum alii; qui tantam cladem lacrymis atque suspiriis prosecuti sunt in præsentem ferme diem. Etenim etsi vulnus sanatū, haud tamen tutum, ne male obducta cicatrix (vt sæpe accidit) iterum recrudescat.

IV. QVÆ CAVSÆ RVINÆ HISPAN.

Quod autem pertinet ad causam tantæ Dei iræ; scimus ab omnibus ostentari Ruderici incontinentiam, atque iniuriā illatam filiæ Iuliani. Sed decipi penitus ipsos puto: haud enim tunc primum accidit, vt istiusmodi commiserint scelera Principes incontinentes. Altius itaque eadem causa petenda videtur: quę quidem nulla maior afferri poterit, quam quod (vt superius declaratum est) auersione voluntaria desciuisset ab Ecclesia Romana Regnum Hispaniæ sub Witiza: nimirum vt qui à suauissima Apostolicæ Sedis obedientia se subtraxissent Gothi, iidem crudelissimo Saracenorum iugo subderentur.

IESV CHRISTI AN. 714.

GREG. II. AN. 1.

ANAST. II. AN. 2.

I. CONST. PP. OBITVS. GREG. II. CREATIO.

ANno Christi septingentesimo decimoquarto, Indictione duodecima, die nona mensis Aprilis, *Constantinus* Papa vbi sepissetannos sex, mensem vnum, & diem, ex hac vita decessit, & sepultus est apud S. Petrum magna ex Pontificatu bene perfuncto comparata sibi gloria: quem præter alia quæ superius de eo dicta sunt, Anastasius tradit penuriæ tēpore nihil prætermisisse officij in pauperibus subleuandis. Cuius sedes cum vacasset (vt idem auctor ait) dies quadraginta, seu verius quadraginta duos, summa totius Cleri ac populi concordia, in eius locum subrogatus est die vigesima Maij, GREGORIVS huius nominis Secundus, patria Romanus, ex patre Marcello, antea diaconus, & S. R. E. Bibliothecarius, doctrina & sanctitate insignis. Ipsum autem hoc anno sedere cœpisse, præterquam ex ipso Anastasio satis aperte colligitur, dum numerat sedis eius annos sexdecim, menses octo & dies viginti, mortuumque dicit vndecima Februarij, Indictione decimaquarta; idipsum insuper testatur Sigebertus, atque alii plures: ex quibus redarguas recentiorem *a* auctorem, qui eiusdem Pontificatus initium ponit tantum post biennium.

[A QVA INCIPIT TOMVS IX. ANNALIVM BARONII.]

a Pauin. in Fast.

II. DE SYNODO LONDIN. OB CVLTVM IMAG. FALSA ASSERTIO.

Sub præsenti item anno recentiores quidam Chronographi recensent *Synodum Londinensem* in Anglia, de Imaginibus habitam, sed alij in annum vndecimum, vel duodecimum, alij in decimum supra septingentesimum referunt: cum tamen antiquiores scriptores, etiam qui res ipsas Anglorum sunt prosecuti, de eiusmodi Synodo nec verbum quidem. Sane haud crediderim, hæc præterire potuisse Bedam, hoc ipso tempore ibidem in Anglia viuentem, si rē vera fieri contigissent; aut ipsum noluisse scribere, cum longe minutiora scriptis suis inseruerit. Sed nec ipsum argumentum subsistit; vel causa probatur tanta fuisse, quæ debuisset in controuersiam deduci, vt & de iis consuleretur Summus Pontifex Constantinus, & Synodus celebraretur. Dicūr enim Egwinum quendam monachum, designatum Episcopum, diuinitus admonitum fuisse, vt Dei-Genitricis Imaginem in sua ecclesia collocaret: rem autem in controuersiam deductam, fuisse delatam ad Sedem Apostolicam; ac missum in Angliā à Constantino Papa Bonifacium Legatum, Cōcilium Londini celebrasse, vbi probata visione Egwini, de cultu sacrarum Imaginum fuerit promulgatum decretum. Sed quid oportuit in re in vniuersa vbique Catholica Ecclesia iam ab ipso eius exordio (vt vidimus) receptissima, hæc tam anxie perquirere? cum præsertim ex Beda *b* constet, cum ipso ingressu religionis Christianæ, Imaginum sacrarum vsum fuisse in Ecclesiam Anglicanam introductum? Quare cum his rationibus persuasi, tūm quod ista (vt diximus) maiorum testificatione careant; facile inducimur, vt commentum esse putemus.

b Bed. Hist. Angl. lib. 1. cap. 25.

III. *c* Aim. lib. 4 cap. 5. CAROL. MARTELLVS.

Hoc eodem anno Pipinus de Herstallo Maior Domus Franciæ, postquam eiusmodi Præfecturam annis viginti septem *c* administrasset, mortuus est, relicto sibi successore filio ex pellice Alpaide *Carolo* cognomento MARTELLO, licet duos haberet legitimos ex Plectrude coniuge susceptos, Drogonem, & Grimoaldum. Fuissetque ipse inter principes maxime pios adnumerādus, (Constat enim, ipsum inter alia præclare gesta, multa Ecclesiis bona contulisse, monasteria erexisse, sanctos viros coluisse, fidei propagandæ studiosissimum fuisse, & alia id genus opera crebrius adimplesse:) nisi illa de pellice eum valde denigrassent. Quomodo autem ea se habuerint, nullus fidelius quam Marcellinus *d* presbyter, qui ea præ oculis habuit, descripsit. Regnabat porro hoc tēpore in Galliis Dagobertus eius nominis Secundus: qui sequenti anno, vbi tenuisset regnum quinquennio, mortuus est, inque eius locum subrogatus à Francis Daniel clericus, quem nominarunt *Chilpericum* eius nominis pariter Secundum è regia stirpe ortum.

d In Vit. S. Suuiberti. cap. 25. ap. Sur. 1. Mart.

Quod ad res pertinet Orientis; vbi Gregorii Papæ creatio ibi innotuit, Ioannem Constantinopolitanum Patriarcham ad eum ex more Synodalem epistolam misisse. Anastasius Bibliothecarius tradit. Id enim ipso eius Pontificatus initio contigisse, inde necessario intelligitur, quod eumdem Ioannem hoc ipso anno, qui secundus Anastasii Imp. numeratur, in ordinem esse redactum Theophanes affirmat. Cuius & sententia, hoc pariter anno, Calendis Augusti, subrogatum fuisse *S. Germanum*, possumus intelligere; dum nempe ait *e* Germanum sedisse annos quatuordecim, menses quinque & dies septē, desiisse vero septima Ianuarii Indictionis decimætertiæ; videlicet proximæ Indictionum periodi. Ipsum autem translatum fuisse tradit à ciuitate Cyzicena Constantinopolim, consentiente vniuerso Clero, Senatu, ac populo, necnon & Michaele Apostolicæ Sedis apud Imperatorem Apocrisiario. Delectus enim tantus vir fuit, ob egregiā ipsius sanctitatem, & eruditionem; cum & insuper generis nobilitate haberetur insignis, vtpote natꝰ ex patre Iustiniano Patricio; qui cum à Constantino Pogonato Imp. fuisset occisus, eodem quoque tempore ipse Germanus eius filius castratus est, vt scribit Zonaras.

IV. S. GERMANVS EPISCOP. CONSTANTIN.

e Theoph. an. 13. Leon Imp.

Inter hæc vero cum Saracenorum classis Alexandria in Phœnicem properaret ad ligna cypressina conficiendis nauibus incidenda, & Anastasius Imp. classem suam vt obsisteret misisset; dissensione inter milites apud Rhodū orta, quæ pars præualuit, dum timerent Imperatorem ob admissum facinus, reuersuri ad propria cum peruenissent Adramyttum ciuitatem maritimam Æolidis, inuentum ibi indigenam hominem THEODOSIVM nomine, tributorum publicorum exceptorem, inuitum licet, & latebras quærentem, Imperatoris nomen assumere coegerunt. Qui Constantinopolim post sex mensium obsidionem proditione admissus, Anastasium monasterio inclusit. Hæc Theophanes, aliiq;. De quibus etiam agens Anastasius Bibliothecarius in Gregorio, addit eumdem Theodosium fuisse Catholicæ fidei propugnatorem; ideoque protinus vt ingressus est Cōstantinopo-

V. ANAST. IMP. ABDICATVR, ET THEODOSIVS REGNAT.

lim, restituisse Imagines quibus sex Oecumenicę Synodi depictæ erant, à Philippico impio deletas; hocq; facto ita compressisse ora hæreticorum, vt omnis de fide quæstio in ea vrbe cessarit.

IESV CHRISTI AN. 715. 716.

GREG. II. AN. 2. 3.

THEODOSII IV. AN. 1. 2.

I. DISCORDIÆ INTER ROM. ET LONGOB.

ANNO Domini septingentesimo decimoquinto, Indictione decimatertia, Gregorius Papa Vrbem Romam, quod Longobardis maxime in votis esset ea potiri, munire mœnibus decreuit; nec tamen opus cœptum perfecit, quod inter hęc Cumano castro à Longobardis sub pacis dolo peruaso, ad ipsum recuperandum adiecerit animum: quod & tandem magnis sumptibus per Neapolitanos vi obtinuit, cum nec muneribus, nec censuris, impelli ad id restituendũ Longobardi valuissent. Hæc pluribus Anastasius Bibliothecarius, & Paulus diaconus. Ceterum Longobardorum Rex Lwithprandus infensus Pontifici, repetit ab Ecclesia Romana Alpes Cottias, quas Aripertus ipsi donauerat: verum pœnitentia postea ductus, easdem rursus eidem Ecclesiæ confirmauit. Hæc iidem auctores, necnon Beda, aliique recentiores: quæ (vt vidimus) Oldradus Episcopus Mediolanensis in epistola ad Carolum Magnum, falsa tradit anno primo eiusdem Regis Lwithprandi.

II.

Sequenti vero anno, nempe Domini septingentesimo decimosexto, Indictione decimaquarta, idẽ Gregorius Papa (vt auctor est Anastasius) ad monachismi collapsi restitutionem, monasteriorumque Romæ dirutorum, ac basilicarum collabentium restaurationem, adiecit animum. Ad quæ tẽpora pertinet, quod tradit Paulus *a* diaconus, *Petronacem* ciuem Brixianum diuino amore compunctum, Romam venisse, hortatuq; Gregorii Cassinum adeuntem, monasterium B. Benedicti, à Longobardis ante centũ & quadraginta ferme annos dirutum restituisse; & susceptis ad se vndique venientibus monachis, patrem eis effectum, sub regula eiusdem Sancti viuere cœpisse. Mirum autem dictu, quanta mox fuerint propagata eo in loco monachorum examina, instar apum, quæ ex turgescentibus aluearijs prodeuntes, in diuersa loca ad fœtus multiplicationem volauerint. Sed & illud asseri iure potest, nullum vmquam toto Christiano Orbe extitisse monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui atq; doctrina, tanta numerositate ad regimen S. Apostolicæ Sedis adsciti fuerint: vt plane dici possit, fuisse idem aliquando seminarium sacrorum Antistitum; prout patebit inferius.

a *Paul. diac. lib. 6. c. 40.* PETRONAX RESTITVTOR MONASTS CASSIN.

III.

Eodem anno (vt Anastasius ait) Theodo Dux Baioariorum ad Apostoli Petri Limina primus de eadem gẽte occurrit orationis voto. Cuiusmodi ipsius peregrinationis meminit etiam Paulus *b* diaconus. Quo eodem tempore *S. Corbinianus* vir meritis insignis, pariter è Germania Romam veniens ad eadem Limina Apostolorum; quamuis solitariam vitam delegisset, à Gregorio Pontifice coactus est Episcopus consecrari; à quo & Pallium accepit, & Apostolatum omnibus vbique gentibus prædicandi Euangelium: qui tamen in Germaniam regressus, priuatim titulum Frinsingensis Ecclesiæ consecutus est. Hæc autem quomodo se habuerint, eius in Episcopatu successor Aribo pluribus narrat in eius Rebus *c* gestis; quas etiam alius item Frinsingensis Episcopus Otho summatim est prosecutus. At de illo rursum inferius.

b *Ibidem.* APOSTOLATVS S. CORBINIANI.

c *Ext. ap. Sur. 8. Sept.*

IV. SCHISMA ANGLIC. SVBLATVM.

Idem pariter annus ab Incarnatione Domini septingentesimus sextusdecimus à Beda *d* consignatur, quo in Anglia longæuum schisma de Paschatis celebratione, ac ritu Tonsuræ clericalis, (de quo sæpe dictum superius) à Scotis monachis Hiensis insulæ, opera S. Ecgberti insignis sacerdotis Hibernensis, penitus sublatum est: quam rem gestam fusius narrat Beda. Quo etiam auctore constat, hoc eodem anno mortuum esse Ceolredum Merciorum Regem. Eum vero damnatum fuisse ad pœnas æternas inferni, ob ingentia scelera in vita commissa, ex defuncti hominis in vitam reuocati certa testificatione, narrat S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus & Martyr, in insigni Epistola *e* de admirandis eiusdem rediuiui hominis visionibus Paradisi, Purgatorij, & Inferni, scripta ad Eadeburgam virginem Deo sacratam (quę & Bugga dicta reperitur) affinem Regis Cantiorum.

d *Bed. lib. 5. cap. 23.* RELATIONES HOMINIS REDIVIVI.

Hoc etiam tempore inualescentibus Saracenis, peccatisque populorum exigentibus, res Hispanicæ in deterius dilapsæ sunt. Siquidem duæ præcipuæ ciuitates hactenus integræ conseruatæ, Legionensis, & Tolerana, ab iisdem captæ, illa vi, hæc proditione Iudæorum, miserrime excisæ sunt: residui vero Gothi in ardua montium Pyrenæorum, Astutiorum, & Gallæciæ, se receperunt; & Saraceni vniuersæ iam Hispaniæ imperitantes, Cordubam sibi regni sedem elegerunt. Hæc summatim ex Tudensi. Quanta porro mala, gens inimica Deo, Christianæ religionis cultoribus, ac præcipue sacerdotibus intulerit; ex threnis Sanctorum, qui quæ paterentur scripsere *f*, facile est peruidere. Ex quibus & illud constat, siuisse Saracenos quę remanserant templa aperta esse, & à Christianis Hispanis ad libitum frequentari, quod magnã ex iis pecuniam corraderent; dum videlicet menstrua ab eis tributa exigerent, vt quicquid in ecclesias conferretur oblatione Fidelium, totum in fiscum inferretur Saracenorum.

e *Rec. Bar. Annal. To. IX. an. 716. ex codd. ms*

V. HISP. VASTATA A SARAC.

f *Vid. Eulog. Memor. Sanct. lib. 1. & Samps. lib. 1. ap. Mor. in praef. ad Eulog.*

IESV CHRISTI AN. 717.

GREG. II. AN. 4.

LEON. ISAV. AN. 1.

I. LEO ISAVRVS IMP. [Baron. Annal. Tom. IX. ingressũ Leonis ponit Indict. 14. anno superiori. Verũ ipsum huius anni Indictione 15 8 Cal. April. imperare cœpisse, diserte Theoph. scribit: cõfirmaturq; ex pluribus epistolis Gregorii Papæ Secundi, quę extant Tom. 1. Epist. Rom. Pont. & Tom. 3. Cõcil. vbi eadem calculi ratione iungũtur anni eiusdem Imp. cum Indictionibus.]

ANNO Christi septingentesimo decimoseptimo, Indictione decimaquinta, octauo Calendas Aprilis, Theodosius Augustus quietis potius quam regiminis cupidus, cõsilio cum Germano Patriarcha & Senatu habito, Imperium cessit LEONI Isauro, eius nominis Tertio, eidemque *Cononi* nominato; qui post obitum Imperatoris Anastasij (à quo fuerat Orientis Præfectura insignitus) omnia molitus erat vt eo potiretur; quod ipsi adhuc adolescenti, & humili loco nato, impostores Hebræi prædixerant; ipse vero eis præmij loco iuramento promiserat, quicquid se factuum quod iidẽ postularent. Hæc Annales *a*: qui eumdem Theodosium vna cum filio suo clericum factum tradunt: Ephesique defunctum, atque egregie dum viueret philosophatum, post mortem etiam miraculis coruscasse; suoque sepulchro epitaphij loco hoc vnicum verbum inscribi voluisse, SANITAS; vt videlicet designaret, virum fidelem per mortem tantummodo, perfectam consequi ab animæ passionibus sanitatem.

a *Theoph. Cedr. Zonar.*

II. PERGAMENSIVM HORRENDVM SACRIFICIVM.

Interea (vt iidem subdunt Annales) Masalmas Princeps Saracenorum descendens in Asiam Minorem, nullo negotio Pergamum cepit. Deceptique ciues ab impostore mago, horrendum diabolo sacrificium immolarunt; dum videlicet incisa muliere iam paritura, extractum paruulum in cacabo coquentes, in eiusmodi detestabili sacrificio omnes qui bellare volebant, dexteræ manus suæ manicam intinxerunt, vt non sit mirum, si traditi fuerint inimicis.

III. LEO IMP. SCRIBIT AD GREG. PP.

Quo pariter anno confestim ac Leo potitus est Imperio, nequid prætermitteret quod præstare soleret Orthodoxi Imperatores, coronandus à Germano Patriarcha, iurauit se fidem Catholicam illibatam in omnibus seruaturum; epistolamque scribens ad Gregorium Romanum Pontificem, fidei suę Orthodoxæ confessionem adiunxit, & ab eo Catholicam communicationem obtinuit. Cuius etiam susceptæ sunt Romæ magno honore imagines in prouincias mitti solitæ, quas *Laurata* nominare consueuerant: atque vt eædem reciperẽtur à reliquis Principibus Christianis in signum pacis & beneuolentiæ, æque eiusdem Gregorij opera curatum est. Hæc enim omnia ita gesta esse, testis est ipse idem Pontifex in epistola quadam ad eumdem Imperatorem scripta, de qua dicetur suo *b* loco.

b *Infr. an. 726. cum vita.*

Paulo vero post, hoc ipso anno Constantinopolitana ciuitas, obsidione Saracenorum arctissima sub eodem Masalma eorum Principe, in maximum est discrimen adducta, sed liberata (vt sæpe alias) Dei Genitricis auxilio, cui eam fuisse

IV. CONSTANTINOPOLIS OBSESSA A SARACENIS

olim

olim dedicatam dictum est alibi. Porro famosa obsidio ista, tum Græcorum tum Latinorum scriptis reperitur esse vulgata: quæ, si Bedæ *c* ac Paulo *d* diacono credimus, triennio perdurauit; si vero Anastasio *e*, biennio. Sed viciniores Græci, & præcipue Theophanes, cœptam ponunt Indictione decimaquinta, decimonono Calendas Septembris, solutam vero decimooctauo Calendas Augusti, Indictione sequenti. qui quidem Theophanes, non nunc tantum, sed ferme semper cum magnum aliquid à Deo consecutum esse Constantinopolitanum populum tradit, id acceptum precibus sanctissimæ Dei-Genitricis affirmat, non ob aliam causam, quã quod celeberrimus illic esset eiusdem cultus. Sed & de admiranda obsidionis solutione agens Gregorius Papa in epistola ad S. Germanum eiusdem ciuitatis tunc temporis Patriarcham, significat sanctissimæ Deiparæ venerandam effigiem à ciuibus supra muros solemnibus ritibus circumductã fuisse, sicque ab imminente periculo vrbem liberatam. Multis autem ac magnis, variisque cladibus terra marique, tam cœlitus quam ab hominibus immissis, Saracenos tunc dire afflictatos esse, iidem auctores declarant. Quinetiam tantam gratiam consecutos ciues, statuisse pro ea celebrare annis singulis solemnes gratiarum actiones, constat ex Menologio Basilii Imperatoris, vbi die decimaquinta Augusti eius rei commemoratio ponitur. Sed his lætis alia tristia Paulus diaconus & Anastasius miscentes, asserunt intra ipsam Constantinopolitanam ciuitatem trecenta millia hominum omnis sexus & ætatis, peste ac fame interiisse.

Quod ad res pertinet Occidentales; hac decimaquinta Indictione mirum in modum per dies septem Romam afflictatam esse ingenti Tiberis exundantis alluuione, adeo vt in Via Lata ad vnam & semis staturam exereuerit, pleraſque domos euerterit, agrosque dissipauerit, Anastasius est auctor: meminitque eiusdem inundationis Beda *f*, cum agit de peregrinationibus, quas his iisdem temporibus multi Anglorum gentis, nobiles & ignobiles, viri & feminæ, Duces & priuati, necnon & Ecclesiastici, Romam suscipere solerent ad Limina Apostolorum, cum muneribus offerendis S. Petro. Porro Dominum crebris Litaniis & orationibus Romanorum placatum, die octauo aquas ad proprium alueum reduxisse, idem Anastasius tradit.

c Bed. de sex Et. in fin. d Paul. diac. lib 6. ca. 47. e Anast. in Greg. Sec.

LIBERATVR OPE DEI-GENITRICIS.

INGENTIBI MORTALITAS.

V. TIBERIS INVNDATIO MONSTROSA.

f Bed. de sex Et. ad fin.

IESV CHRISTI AN. 718.

GREG. II. AN. 5.

LEON. ISAV. AN. 2.

I. ANno Christi septingentesimo decimo octauo, Indictione prima, Haumar Princeps Saracenorum, qui hoc anno expulso Masalma susceperit habenas, adeo manifestam expertus Dei indignationem in cladibus acceptis, de quibus dictum est anno superiori, vt populum sibi subditum expiaret, omnibus vini potum inhibuit, & quos putabat Dei hostes, in Christianos promulgauit edictum, quo recederent ab ipsorum religione, præmio immunitatis tributorum facientibus, pœna vero mortis detrectantibus apposita. Quin etiam ausus est literis tentare Leonem Imp. vt à fide Christiana recederet. Hæc Theophanes, & alij qui & testantur, quamplurimos Christianos haud consentientes impietati, potius delegisse necari.

PERSECVTIO EXCITATVR À SARAC.

II. Quo pariter anno à Sergio Protospathario nouus Imperator *Artemius* erectus est in Sicilia. Sed misso à Leone Aug. Paulo Chartulario, Artemius igne incensus est, sumpto supplicio de rebellibus.

ARTEM. EXRAN. COMBVRITVR.

III. Quod ad res Occidentales; hoc eodem anno, vt Tudensis numerat, Æra scilicet septingentesima quinquagesima sexta, Astures omnes in vnum collecti, super se Principẽ constituerunt *Pelagium*, Regis Theodorici Spatharium: quem in prægrandi spelunca loci natura munita degentem, cum Saraceni primum per Oppam Archiepiscopum Toletanum Witizæ Regis filium blandis verbis, postea aperto marte per validissimum militum octoginta millium exercitum appetiissent; idem viginti illorum millia cum Duce occidit, Oppam cepit, reliquos fugauit, qui fere omnes in præruptis montium, & aquarum inundationibus diuinitus oppressi sunt, ope & intercessione sanctissimæ Dei-Genitricis: cuius ideo memoriæ spelunca illa dicata est, dictaque *S. Maria de Couadonga*. Tanta vero clade Rex Saracenorum pudore suffusus, simulque furore succensus, in eos quos secum habebat Hispanos rabiem conuertens, Iulianum Comitem Tingitanum regni proditorem, & filios duos Witizæ, capite plecti iussit: diuino id iudicio agente, vt ab eodem interficerentur scelerati, cui Hispanias prodidissent. Hæc Tudensis *a*, Rodericus *b*, aliique Hispanicarum rerum Scriptores. Estque plane obseruatione dignum; tam in Oriente Leonem Imp. quam in Occidente Pelagium, cum Dei-Genitricem aduersus Saracenos inuocarunt, insperatam consecutos esse vtrobique victoriam.

PERSECVTIO EXCITATVR À SARAC.

II. ARTEM. EXRAN. COMBVRITVR.

III. PELAG. REX ASTVR. INGENTI POSITVR VICTORIA OPE DEI GEN.

a Tudens. in Chron. *b Roder. lib. 4. cap. 2.*

IESV CHRISTI AN. 719.

GREG. II. AN. 6.

LEON. ISAV. AN. 3.

I. ANno Domini septingentesimo decimonono, Indictione secunda, Gregorius Papa *S. Bonifacium*, antea Winfridum dictum, monachum & presbyterum natione Anglum, Romam venientẽ, Apostolico munere insigniuit, quod ei ad prædicandum Gentibus Euangelium per omnẽ Germaniam credidit. Qui opus sibi commissum exequens, primum Boioariorum fines perlustrans in Thuringiam peruenit: audita vero Radbodi Frisonum Regis morte (de cuius infensissimo in Christianos odio superius dictum est) in Frisiam nauigauit. Vbi coadiutor accedens magno illi Traiectensi Episcopo Clemẽti, (ita ex Willebrordo, à Romano Pontifice nominato) ei triennium in ministerio verbi fidus comes inhæsit; sed cum ab eo rogaretur Episcopus ipsi succedere, renuens licentia petita recessit: de quo plura suis locis inferius. Hæc modo summatim ex auctore *a*, qui ex Wilibaldo Episcopo, eiusdem Bonifacij discipulo, ipsius res præclare gestas prosecutus est.

I. S. BONIFACII APOSTOLATVS AD GENTES.

a Ap. Sur. 5. Iunii.

Quod autem de Radbodi Regis morte meminit; hoc anno eam contigisse, asserit etiam Ionas monachus Fontanellensis, qui eodem tempore vixit, resque gestas *b* S. Wlfranni Senonensis Episcopi scripsit. Ex quibus corrigas Sigebertũ, qui superiori anno contigisse ponit. Ceterum iste Radbodus, insignibus per eumdem S. Wlfrannum editis miraculis nonnihil permotus, vt ex acerbissimo Christianorum persecutore fieret Christianus, cum iam etiam ad fontem sacrum processisset vt baptizaretur, hac arte pedem retraxit: Interrogato namque Wlfranno, vbi esset maior numerus Principum atque nobilium gentis Frisonum, in illa cœlesti regione quam is prædicaret, an ea quam tartaream vocaret; cum de tartarea asseruisset Wlfrannus, resiliens Rabdodus, dixit non se carere posse consortio prædecessorum suorum, nec velle cum paruo pauperum numero residere in illo cœlesti regno. Hæc Ionas; cui adstipulatur Sigebertus, & alii auctores. Denique multis variisque elusus præstigiis diaboli, miserrimus homo mortuus est infeliciter absque baptismo.

I. RADBODI FRIS. REG. IMPIA IRRISIO, ET INFELIX EXITVS.

b Ext. ap. Sur. 20. Martii.

De rebus Orientalibus exhibent Annales Græcorũ, præsenti anno, qui tertius numeratur Leonis Imperij, ei natum filium *Constantinum*, dum baptizaretur in magna ecclesia octauo Calendas Ianuarias à S. Germano Constantinopolitano Patriarcha, stercus egessisse in sanctum lauacrum; ac Germanum prophetice dixisse, *Constat Christianis, & Ecclesiæ, maximi mali per eum efficiendi hoc signum esse futurum.* Hęc Theophanes, Zonaras, & alii omnes: aiuntque eidem Constantino, ob stercus ita egestum, *Copronymi* cognomen esse inditum. Quo pariter anno idem Theophanes tradit, Leonem decollari præcepisse Archiepiscopum Thessalonicensem, quod vna cum Artemio aduersus ipsum Imperatorem rebellasset: plurimamque coniuratorum factam esse Constantinopoli stragem.

III. CONSTANTINI COPRONYMI BAPTISMVS.

IESV CHRISTI AN. 720.

GREG. II. AN. 7.

LEON. ISAV. AN. 4.

I. COPRON. INFANS CREATVR IMP. À PATRE.

ANNO Domini septingentesimo vigesimo, Indictione tertia, Leo Aug. filium suum CONSTANTINVM *Copronymum* infantulum, ipso S. Paschatis die creauit Imperatorem; eumdemq; solemnibus ritibus coronauit S. Germanus Constantinopolitanus Episcopus. Quo pariter anno, secundo principatus sui, Haumare Principe Arabum, qui persecutionem aduersus Christianos indixerat, mortuo, reddita est pax Ecclesiis. Hæc Theophanes.

II. a *Chron. Franc. ex Bibl. Pith.* CAROL. MARTEL. RES FRANC. MODERATVR.

In Galliis vero, mortuo quoq; hoc eodem anno *a* Raginfrido Maiore Domus Chilperici Regis, Carolus Martellus, potens armis, acer ingenio, animo ferox, (cui eum eo iuge bellum pro principatu fuerat) res Francorum pro arbitrio moderans, Theodoricum in regni sede constituit, mortuo iam anno superiore Lothario Rege, cuius Carolus Maior domuserat: sed aduersarium magnopere sensit Eudonem Aquitaniæ Ducem, cum quo fuit ei, sicut cum Raginfrido diuturnum bellum, quo tandem Eudo superatus est.

IESV CHRISTI AN. 721.

GREG. II. AN. 8.

LEON. ISAV. AN. 5.

I. CONCIL. ROM. ADVERSVS ILLICITA CŌIVGIA. *Ex. Tom. 3. Concil.*

ANNO Domini septingentesimo vigesimo primo, Indictione quarta, Nonis Aprilis, à Gregorio Romano Pōtifice congregata est *Romæ* apud S. Petrum SYNODVS Episcoporum viginti duorum: in qua editum est Constitutum, siue Decretum, aduersus illicita ob cognationem spiritualem vel carnalem coniugia, & maxime aduersus eos qui in vxores ducerent monachas, seu etiam Presbyteras, & Diaconas; eas videlicet mulieres, quæ ex mutuo consensu à viris ad eiusmodi sacros Ordines promotis relinquebantur, quæ & ipsę tenebantur castitatem seruare; de quibus dictū est alias. Quod enim vulgatū esset, Orientales in additiriis suis canonibus pseudosynodi Quinisextæ statuisse, ne qui assumerentur ad sacros Ordines, coniuges quas habebant dimitterent, in Occidente vero id non permitteretur; nonnullæ eiusmodi feminarum, leuitate & procacia muliebri, aliis se viris iungere præsumpserūt, quos Synodus anathemati subiecit. Eademq; insuper pœna mulctauit clericos, qui comam relaxarent. Sed de hac Synodo ille corrigendus est error, quo asseritur sub Gregorio Tertio celebrata. Appositæ namq; notæ Indictionis quartæ, & anni secundi Imperii Constantini, nequaquam sub Gregorio Tertio conuenire simul possunt.

II. IMPOSTOR SYRVS MESSIAM SE FINGIT.

In Oriente, auctor est Theophanes, Syrum quemdam impostorem simulantem se CHRISTVM, seduxisse Hebræos, putantes eum vere esse Messiam. Quas quidem deceptiones ipsos à pseudoprophetis sæpe sæpius passos esse, quæ superius dicta sunt docent.

IESV CHRISTI AN. 722.

GREG. II. AN. 9.

LEON. ISAV. AN. 6.

I. LEO IMP. INSECTATVR IVDÆOS ET MANICH.

ANNO Christi septingentesimo vigesimo secundo, Indictione quinta, Leo Imp. coegit Iudæos & Montanos baptizari. At Iudæi diluerunt baptismum, seq; Catholicos simulantes, contaminarūt fidem: Montani vero in domibus, suis erroribus deputatis, seipsos incēderunt. Hæc Theophanes, atq; Cedrenus. Sed quinam hi fuerūt *Montani*, qui adeo baptismum exhorrescerent, nos latet. Non enim intelligi possunt prisci illi Montani sectatores, qui nequaquā baptismum reiiciebant. Nisi forte dicamus Manichæos significari, qui de ciuitatibus pulsi colerent montes. Scimus enim eumdem Imperatorē insecutum esse Manichæos in Armenia degentes, quos iam antea Constantinus Heraclij nepos, & Iustinianus Iunior grauiter exagitarant. Illam vero historiā Petrus Siculus, qui claruit sub Basilio Imp. & in illis regionibus versatus est, stylo Græco prosecutus est.

II. S. BONII. CONSECRATVR EPISCOPVS.

Quod ad Occidentalem pertinet Ecclesiam; hic annus est tertius, quo recedens Bonifacius à Clemente Episcopo Traiectensi, complures Frisiorum, Cattorumque, (qui cōtermini sunt Saxonibus populi) ab idolorum cultu ad Christi fidē conuertit, eaq; de re Gregorium Pontificem Romanum per literas certiorem fecit. Qui eumdem protinus Romam vocans, post elicitam ab eo confessionem rectæ fidei, & acceptum iuramentum de obedientia sibi, suisque successoribus Pontificibus Romanis exhibenda, & omni sacræ fidei traditione exacte obseruanda; consecrauit in Episcopum, ac *Bonifacium* deinceps dici voluit, cum antea Winfridus appellaretur: remittensq; in Germaniam, eum litteris suis commendauit tum Carolo Martello Francorum regni hoc tempore moderatori, tum omnibus viris Ecclesiasticis; ipsisque etiām Principibus, populisq; Germanię, tam Christianis quā Gentilibus, illos ad perseuerantiam fidei, hos ad eamdem suscipiendam exhortans. Quæ omnia fusius enarrat eius Vitæ *a* auctor ex Wilibaldo: cognoscituruq; id ipsum ex iisdem scriptis tunc à Gregorio Papa literis, quæ adhuc extant *b*.

III. ET PRÆSTATIVRAMENTVM SVMMO PONT.

Iuramentum autem à Bonifacio tunc præstitum, quod & reliqui ordinati Episcopi facere solerent, in antiquis exemplaribus ita scriptum habetur: *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *imperante domino Leone magno Imperatore, anno septimo post Consulatum eius, sed & Constantini magni Imperatoris eius filij anno quarto, Indictione sexta, promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi B. Petre Apostolorū princeps, Vicarioque tuo, beato Gregorio Papa, & successoribus eius, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdē fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur: nullo modo me contra vnitatem cōmunis & vniuersalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consentire, sed (vt dixi) fidem & puritatē meam atque concursum tibi, & vtilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo potestas ligandi soluendique data est, & prædicto Vicario tuo, atque successoribus eius, per omnia exhibere. Sed & si cognouero Antistites cōtra instituta antiqua sanctiorum Patrum conuersari, cum eis nullā habere communionē, aut coniunctionē: sed magis, si valuero prohibere, prohibebo: sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renuntiabo. Quod si (quod absit) cōtra huius promissionis meæ seriē aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, veloccasione tētauero; rens inueniar in æterno iudicio, vltionē Ananiæ & Saphiræ incurrā, qui vobis etiā de rebus propriis fraudē facere præsumpserunt. Hunc etiā Indiculū sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manupropria scripsi, atque ponens supra sacratissimū corpus S. Petri, ita, vt prædictū est Deo teste & iudice, feci sacramentū, quod & seruare promitto.* Hactenus Iuramentū. In cuius initio, cum tot chronologiis consignatum habeatur tēpus ordinationis Bonifaciis, (cuius & dies, ab auctore Vitæ eius notatur fuisse pridie Calendas Decembris, id est, in festo S. Andreæ.) ex iis corrigas eiusdem Acta nuper edita *c* dum eum ordinatum esse à Gregorio Secundo, anno septingentesimo trigesimo octauo, auctor affirmat: quo quidem tempore, non Gregorium Secundum, sed Tertium sedisse liquet.

a *Ap. Sur. 5 Iunii.*
b *Tom. 2. Epist. Rom. Pont.*
c *Ap. Canis. Antiq. Lect. Tom. 4.*

IESV CHRISTI AN. 723.

GREG. II. AN. 10.

LEON. ISAV. AN. 7.

I. ORIGO HÆRESIS ICONOCLASTARVM.

ANNO Christi septingentesimo vigesimo tertio, Indidictione sexta, exoritur in Oriente monstrum horrendum, quod diu cornibus ventilauit Ecclesiam Dei; nempe hæresis ICONOCLASTARVM. Hoc enim anno septimo Leonis Imperij, dux quidam Iudæorum ex Laodicæa maritimæ

Phœni-

GIZIDI PRINCIP. SARAC. EDICTVM CONTRA IMAG.

Phœnicis oriundus, nomine *Serantapicus*, siue *Sarantapechys*, homo præstigiator ac maleficus, & Ecclesiæ Dei hostis implacabilis, Gizido Saracenorum Principi, Haumaris successori, promisit effecturum se vt is triginta (seu, vt alij habent, quadraginta) annos Principatū retineret, si sacras omnes Imagines ab ecclesiis Christianorum quæ sub ditione eius essent, auferri mandaret. Cui credens Gizidus, spe & desiderio longioris vitæ, edictum cōtinuo generale promulgauit, quo omnes omnino Imagines & picturas, siue eæ in tabulis, siue in opere musaico, in parietibus, siue in vasis sacris, aut indumentis, & altaribus essent, expungi & auferri iussit; omnesq; insuper statuas, etiā quæ in foris ornatus gratia collocantur, diſiecit; missis Hebræis & Arabibus qui easdē comburerent; ipsasq; ecclesias, alias calce, alias aliis coloribus dealbarent, vel incrustarent. Hæc de origine Iconoclastarum breuiter ex Theophane, & Ioanne Vicario Orientaliū Episcoporum in Oecumenica posteriori *d* Nicæna Synodo. Ex quibus arguas eos, qui ante Leonis Imperium id factum volunt, vt Cedrenus; cum nonnisi sub Leone illum Regem barbarum regnare cœpisse constet, nimirum post mortem Haumaris, quem ante triennium dumtaxat obiisse vidimus.

d Conc. Nic. II. Act. 5.

II. *e Damasc. de hæres.* VNDE DICTI ICONOCLASTÆ.

Sed de iisdem Iconoclastis Ioannes Damascenus *e* agens, eos ita dictos scribit, quod cum sanctas Imagines ignominiose tractassent, easdem in minutissimas partes comminuerint, vel coniecerint in ignem; quæ vero in parietibus essent depictæ, partim aqua calida, partim calce, atramentoq; obliterarint. Tradunt autem iidem qui supra Theophanes & Ioannes, Gizidum spe longioris vitæ fruitratū, intra annum & dimidium mortuū esse, ac post eius obitum in pristinum honorem Imagines restitutas; eiusq; filium Vlidum nomine, indignatum Iudæo Serantapico, tamquam parentis interfectori, ipsum turpissima morte affecisse. Quomodo autem Leo Imperator in transuersum & ipse actus, easdem sanctas Imagines aboleri iusserit, dicetur suo loco. Interea vero tu hic considera, quibus gloriari possint antesignanis hodierni Iconoclastæ, nempe Iudæis perfidis, atq; impiis Saracenis.

IESV CHRISTI AN. 724.

GREG. II. AN. 11.

LEON. ISAV. AN. 8.

I. PROPAGATIO FIDEI PER BONIF.

ANNO Christi septingentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, S. Bonifacius Episcop⁹ ordinatus à Gregorio Papa, rediens in Germaniam, fidem Christianam mirifice propagauit; ac præcipue apud Cattos, quos Hessos vocant, quibus iam ante prædicare cœperat, Gentilitiam superstitionem euertit, Thuringios in fide vacillantes confirmauit, hæreses illic serpentes repressit, mores deprauatos correxit, ecclesias erexit, monasteria construxit, aliaq; ingentia egit, quæ eius Vitæ scriptor *a* ex Wilibaldo diffuse narrat. Quantis autē laboribus, quantaq; omnium rerum penuria, hæc peregerit, testes sunt variæ ab illo tunc temporis scriptæ epistolæ *b*, & ad ipsum ab aliis redditę, ac præcipue ex Anglia à gentilibus suis; quorum etiam sæpe subsidiis vestimentorum, librorum, aliarumq; rerum necessariarum, quibus inter agrestes illos atq; immites barbaros indigebat, adiutus est: præterquam quod etiam aliquando S. Michaelis Archangeli apparitione cōfortatus est, & alias etiam diuinitus pastus. Tanti autem fecit culmen Apostolicum Petrum, vt primam omnium ibi inter gentes erectam ecclesiam, eius nomine atque memoria insigniri voluerit; & ab Eadburga Abbatissa Regis Cantiorū affini petierit, describi sibi aureis literis eiusdem Epistolas, vt à quo accepisset ad Gentes Apostolatum, eius quoque Literas prædicandas in Gentibus secum haberet auri nitore fulgidas,

a Ap. Sur. 5. Iunij.

b Bonifacii, & aliorum ad ipsum epistolæ de quibus agitur hac Epistola, recitat Baronius ex codd. mss. hoc. & seqq. annis, necnon & præcedentibus vbi de cod. Bonif. egitur lectu dignissimas.

II.

Eodem ferme tempore, cum S. Corbinianus Frisingensis Episcopus perfunctus esset annis octo Episcopatus laboribus, amore quietis Romam venit ad Gregorium Pontificem, vt missionem ab eo onere peteret. Sed cum non obtinuisset, in Boioariam rediens, ingenti honore & reuerentia Ticini à Luitprādo Rege in transitu exceptus, indeq; ad sua reuersus, Grimoaldum Ducem filium Theodonis acriter reprehendit, quod viduam fratris sui Theodoaldi sibi copulasset. Quę quidē antiquæ Herodiadis sequens exemplum, primo eidē Sancto insidias struere conata est; sed postea monitionibus eius, pœnitentibus regnum Dei promittentis, obstinatis æternum supplicium minitantis, cedentes ambo, & ad pedes eius prostrāti, separationem ab inuicem promittentes, absolutionē obtinuerunt. Ac cum rursum ad vomitum rediissent, vlciscente numine primo filius Grimoaldi extinctus est, deinde ipse Grimoaldus ab insidiatoribus interfectus; sed & qui venenum sancto Episcopo pellicis iussu propinare voluerat, lancea percussus interiit; ac deniq; ipsa pellex omni honore ac bonis priuata, vnicum asellum ad subuectionem possidens in Italia vitam finiuit; ipsorumq; liberi, cum multa tribulatione, & principatu & vita priuati sunt. Hæc, aliaq; pluribus narrat in Rebus *c* gestis eiusdem S. Corbiniani, Aribo ipsius in Episcopatu Frisingensi successor.

DEI VINDICTA IN PECCATORES RELAPSOS.

c Ap. Sur. 8. Sept.

IESV CHRISTI AN. 725.

GREG. II. AN. 12.

LEON. ISAV. AN. 9.

I. TRANSLATIO CORPORIS S. AVGVSTI È SARDINIA TICINVM. *a Rec. Baron. Annal. Tom. IX. hoc an.*

ANNO Christi septingētesimo vigesimoquinto, Indictione octaua, opera Luitprandi Longobardorū Regis maxime pii, facta est trāslatio corporis S. Augustini ex Sardinia (quo ex Africa tempore Wandalicæ persecutionis portatum vidimus) in ciuitate Ticinensem, siue Papiensem; redempto ipso magno pretio à Saracenis, qui eam Insulam occupauerant. Rei vero gestæ series habetur in epistola *a* ad Carolum Magnum postmodū scripta à Petro Archiepiscopo Mediolanensi, qui & Olradus, vbi tum pompa translationis, tum miracula in ea & post edita, necnon ipsius Luitprādi summa deuotio describitur. Ipsi autem translationi sub Gregorio Papa Secundo factæ, adstipulantur præter Bedam, (qui cum suum commētarium de Sex Ætatibus producat in annū nonum Leonis Imp. ponit eam extremo loco; cum alioqui de ipso translationis anno diuersæ reperiantur sentētiæ:) etiam Paulus Diaconus, Marianus Scotus, Sigebertus, & alij oēs recentiores Historici. Cuius quidē dies relata in Tabulas Ecclesiasticas, pridie Calendas Martij anniuersario cultu celebris perseuerat. Hoc item anno Christi septingētesimo vigesimo quinto, (vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum) Eudo Aquitaniæ Dux odium Caroli Martelli, Saracenos ex Hispanis in Gallias euocauit: qui Burdegalam prætergressi, cunctis vbiq; locis vastatis, & ecclesiis igne crematis, basilicam quoq; S. Hilarij Pictauis incenderunt. Cumque pariter ecclesiam S. Martini Turonensis incendere in animo haberent, occurrens illis cum exercitu Francorum Carolus Martellus, eosdem maximo omnium prælio deuicit, quo vna cum ipsorum Rege Abdirama occisa sunt trecēta quinquaginta (siue, vt alij habent trecenta septuaginta quinque) Saracenorum millia, Francis dumtaxat mille & quingentis desideratis. Hæc quidem asserta habentur in eodem Chronico, necnon in Appendice ad Gregorium Turonensem; itemque à Paulo Diacono *b*, Anastasio Bibliothecario *c*, Mariano Scoto, aliisq; recentioribus qui prosecuti sunt res Francorum. Ex quibus etiam constat, hæc de prælio contigisse anno sequenti: sed & in eo ipsum Eudonem in Saracenos irruisse, & quamplurimos occidisse; ea puto ex causa, quod contra pacta conuenta illi loca sancta flammis absumpsissent.

II. SARACENI GALLIAS INVADENTES INGENTI PRÆLIO VINCVNTVR À CAR. MARTEL.

b Paul. diac. lib. 6. c. 46.

c Anast. in Greg. Sec.

In Germania vero Bonifacius (vt habet *d* auctor Vitæ ipsius ex Wilibaldo) videns multam extare messem Euangelicam, sed operarios paucos; ex patrio solo, nimirum ex Anglia, atq; etiam aliunde, diuersis temporibus acciuit non modo viros religiosos & eruditos, sed & probatas sanctitate feminas, quibus exemplo Apostolorum vteretur velut diaconissis, quas præficeret monasteriis, & per quas facilius Gētiles feminę mutua consuetudine allicerentur ad fidē. Quin etiam vt quā exactissimam monasticam disciplinam Germaniæ populis traderet, ad ipsum fontem, nimirum ad monasterium Cassinense, misisse Sturmum discipulum suum, vt

III. *d Ap. Sur. 5. Iunii.*

S. BONIF. MONACHISMI INSTITVTOR IN GERMAN.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eam illic perfectius ediſceret; teſtis eſt Rodulphus Rabani diſcipulus in Rebus e geſtis S. Liobæ, vnius ex mulieribus quas Bonifacius ex Anglia in Germaniam accerſiuit.

e Ap. Sur. 28 Sept.

IESV CHRISTI AN. 726.

GREG. II. AN. 13.

LEON. ISAV. AN. 10.

I. LEON. IMP. EDICTVM ADVERSVS SACRAS IMAG.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione nona, decimo Imperii Leonis anno, ipſe magno rugitu publicum promulgauit edictum, vt ſacræ vbique delerentur Imagines. Scimus Theophanem, Cedrenum, & alios hoc in annum eiuſdem nonum referre: at in Actis Stephani Iunioris martyris, qui ſub huius filio Conſtantino Copronymo paſſus eſt, iiſdemq; ab eius temporis auctore omni fide conſcriptis, quæ apud S. Ioannem Damaſcenum extant, id factum dicitur anno decimo: quod & Zonaras teſtatur; redditurq; manifeſtum ex Beda huius temporis ſcriptore accuratiſſimo, dum in libro de Sex Ætatibus, quem perduxit vſq; ad nonum eiuſdem Leonis annum, nihil penitus habet de eiuſmodi edicto; quod alioqui magno tragore fulminis inſtar, vniuerſo ſtatim innotuit Orbi, eo quod nondum tale quippiam promulgatum eſſet.

II. EX HEBRÆIS ICONOCLASTÆ.

Qua vero ratione acciderit, vt qui antehac ab omnibus fuiſſet Catholicus exiſtimatus, LEO Imp. vno veluti momẽto viſus ſit hæreſiarcha Iconoclaſtarum; omnes æque conſentiunt, id opera factum quorumdam Hebræorum impoſtorum, quibus ipſe (vt vidimus) in præmium prædictionis Imperij, iuramento ſe obſtrinxerat, quicquid ſe facturum quod iidem poſtularent: quamuis ſit in eo diuerſa auctorum ſententia, quod id anno ante promulgatum edictum Hebræos operatos eſſe alij dixerint, alii vero exordio Leonis Imperii ab eis tentatũ, ipſumq; eis aſſenſum eſſe, ſed in hũc vſque annum facinus continuiſſe ſecretum, timentem illud prodere, quod præuideret omnibus execrabile futurum: cũ & alioqui numquam hactenus accidiſſet in Eccleſia Dei, vt cum multi fuiſſent Imperatores hæretici, ex iis aliquis extitiſſet hæreſiarcha. Porro ipſum hæreſim ſuam præcipue diſſeminaſſe per *Theophilum* Metropolitanum Nacoliæ in Phrygia, querela fuit Orthodoxorum in Niceno Concilio poſteriori; in tantum vt etiam ab iſto, impietatis huius ſumpſiſſe originem tradant. Quod quidem ita verum eſt, ſi ratio tantum habeatur Epiſcoporum: ceterum ipſe Imperator primus auctor ab omnibus declamatur: & in Actis S. Stephani ſcribitur, eum accita, coactaque Senatorum claſſe, impium illud edictum euomuiſſe: more videlicet hæreticorum Principum, vt in Senatu, non in Eccleſia, de dogmatibus fidei agant, ac pro arbitrio definiant, inconſultis Religionis Chriſtianæ Antiſtitibus. Ei vero inſuper acceſſiſſe inſignem eiuſdem impietatis complicem, *Beſer* quemdam apoſtatam, ex Chriſtiano factum Arabum dogmatum ſectatorem, Theophanes *a* tradit.

IMPERATOR HÆRESIARCHA.

a *Theoph. an. 8. Leon.*

III. VANVS PRÆTEXTVS IMPERATORIS.

Habent autem eadem Acta S. Stephani apud Damaſcenum, quod cum ingens à plebe tumultus ob hæc Conſtantinopoli excitatus eſſet; vbi id Imperator ſenſit, excuſauerit non eo ſe ſpectaſſe, vt Imagines prorſus delerentur, ſed ſublimiori loco collocarentur, ne ore quiſquam eas contingeret, atque ita eis quodammodo contumeliam inferret. Qua quidem techna id moliri curabat, (ſicut eadem Acta declarant) vt Imagines longe ab oculis remouendo, paulatim in deſuetudinem honoris inciderent. Oſtendunt enim iſta, fuiſſe eas in Conſtantinopolitanis eccleſiis non ſolum viſui præſentes expoſitas, ſed poſitas deorſum vt exoſculari quilibet eas poſſet. Addunt inſuper, ſanctiſſimum Germanum Patriarcham fortiter Imperatori reſtitiſſe, ac multis ſuaſionibus tam per ſe, quam per alios conatum eſſe illum à nefando propoſito reuocare, cum econtra Imperator ipſum multis blanditiis ad ſe allicere tentaret.

IV. DE OBORTA HÆRESI CONSILIVM DEI.

Accidit q; illud plane mirandum, vt quæ hæreticorũ crebrius infecta venenis Orientalis Eccleſia penitus elanguerat, ea mox huius ipſo tantummodo conſpectu impietatis ſpiritus ſumpſerit, aduerſus eã totis viribus certatura. Ex quo quidem certamine licet multi facti ſint deſertores; dicere tamen auſim, numquam eam Eccleſiam viſam eſſe adeo illuſtrem quam cum aduerſus Iconoclaſtas bellum iniit; quippe quæ numquã tot tãtiſq; fuerit decorata martyribus. Quinimmo & illud aliud inſigne bonum inde elicuit Deus, vt & alij hæretici pugnantes ſimul cum Orthodoxis aduerſus cõmunes omnium hoſtes, iunxerint ſe Eccleſiæ Orthodoxæ. Siquidem Monothelitæ Orientẽ iugiter infeſtantes, ex hoc tempore fere ſiluiſſe noſcuntur. Sed & acciderunt hoc itidẽ anno ibidem portenta, ex quibus, ſi ſapuiſſet, facile potuiſſet Leo tamquam à Deo monitus à cœptis deſiſtere. Etenim æſtiuo tempore inter Theram & Therasiam Cycladas Inſulas, primo vapor vt ex camino ignis viſus eſt ebullire ex profundo maris per aliquot dies, qui paulatim incraſſatus & dilatatus, totus igneus apparuit; poſtea vero petrinos pumices grãdes, & cumulos quoſdam tranſmiſit per vniuerſam Minorẽ Aſiam, & Lesbon, & Abydum, & maritima Macedoniæ, adeo vt etiam tota ſuperficies maris iiſdem contegeretur: in medio autem tanti ignis, noua repente inſula ex terræ congerie facta, inſulæ quæ Sacra dicitur copulata eſt. Narrat hæc Theophanes. Tali vero portento præuio decebat hæreſim, tamquam nouam furiam, apparere, quam infernus vna cum globis igneis euomeret.

PORTENTVM IGNEVM IN MARI.

V. DIRA PERSECVTIO IN DEFENSORES IMAGINVM.

Sed nihil melior aut mitior his redditus Leo, rugiens aduerſus eos qui pro ſacrarum Imaginum defenſione eius ſe furori opponerent; cum iidem quoſdam regios homines (inquit Theophanes) qui Saluatoris deponerent Imaginem, quæ ſuper magnam æneam portam cernebatur, occidiſſent; ipſe multos ex populo membrorum detruncationibus, & flagris, & exiliis, & rerum iacturis, maximeq; eos qui nobilitate ac verbo clari eſſe viderentur, affecit: ita vt etiam eruditionis ſcholas à Conſtantino Magno eo vſq; ſeruatas extingueret. Sed hęc de Scholis dilucidius tractans Conſtantinus Manaſſes & ipſe Græcus hiſtoricus, ait Leonem, quod nec minis nec muneribus valuiſſet in ſuas partes trahere Bibliothecarios; (quos tantæ auctoritatis fuiſſe tradit, vt ne ipſi quidẽ Imperatores noui quicquam agẽdum ſibi putarẽt illis in conſilium non adhibitis;) furore percitum, igne admoto eoſdẽ omnes incendiſſe, vna cum ipſa Bibliotheca, tricena & tria voluminum millia complectẽte; inter quæ vnum erat admirabile, confectum ex draconis inteſtino, in quo erant ſcripti libri Homeri tam Ilias tota quam Odyſſea. Hæc Cõſtantinus: traduntq; eadem Zonaras, Cedrenus, Glycas, & alii. Porro de Imagine Saluatoris, cuius ex Theophane meminimus, Acta S. Stephani Iunioris tradunt; cũ eam Leo deiicidam præcepiſſet, iamq; ad hoc facinus perpetrandũ miſſus ſatelles impoſita ſcala conſcẽderet, diuino zelo incenſas mulieres arreptam manibus ſcalam in terrã ſimul cum ipſo aſcẽſore deieciſſe, qui eo caſu mortuus eſt; ipſas vero mulieres vna cũ pluribus aliis tam viris quã feminis internecioni datas martyriũ feliciter conſummaſſe. Tunc q; & illud memoria dignum contigit, (quod tradit Gregorius Papa in epiſtola ad Leonẽ) vt reliqui Chriſtiani principes, cũ à ſuis qui Legatorum munere Conſtantinopoli apud eumdem Imp. fungebantur accepiſſent, eum ſic inſaniiſſe in ſacroſanctam Saluatoris Imaginem; mox oẽs conuerſi aduerſus imagines ipſius Imperatoris, eas omnis generis ludibrio & ignominia affecerint, atque in ipſum Imperium commoti fuerint.

EXVSTI AB IMP. BIBLIOTHECARII CVM BIBLIOTHECA.

EGREGIVM FACINVS FEMINARVM ORTHODOX.

RELIQVI PRINCIP. CHRIST. RENVNTIANT AMICITIÆ IMP.

VI. GERM. CONST. SCRIBIT AD GREGOR. PP.

Poſtquam autem Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ipſo hæreſis exordio fortiter Imperatori reſtitiſſet, nihil ipſum antiquius habuiſſe, quã vt de iis quæ acciditſſent Conſtantinopoli, certiorẽ redderet Gregorium Romanum Pontificẽ; conſtat ex literis Gregorij ad ipſum redditis, quæ recitatæ reperiuntur in poſtetiori Nicęna *b* Synodo: ex quibus etiam liquet, longe actiora ſuſcepta fuiſſe ab eodẽ Germano prelia aduerſus Imperatorem, quibus eum manus dare coegerit; licet poſtea ſic proſtratus maiori furore ſurrexerit. Sed & ad euellenda venenatæ hæreſis germina, Gregorius *Romæ* SYNODVM conuocaſſe, & in ea pium ſacrarum cultum Imaginum ſancito decreto firmiter roboraſſe; docet vnicum ipſius Synodi quod extat fragmentum, recitatum ab Hadriano Romano Pontifice in epiſtola ad Carolum Magnum.

b *Conc. Nic. 1. Act. 4. & inter Epiſt. Greg. II.*

CONCIL. ROM. PRO CVLTV SACRARVM IMAG.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

VII. GREG. PP. PRO IMPERIO LABORAT.

Sed quod Græcorum historici affirmant, eumdem Pontificem fœdere cum Francis inito, prohibuisse ne amplius tributa Leoni ex Italia penderentur: ex odio istud atq; inuidia in Romanam Ecclesiam dictum esse scias, solitis Græcis schismaticis iacturam factam Occidentalis Imperij in Romanũ Pontificem retorquere. Tantum enim abest, vt Italos Gregorius ad defectionem contra Imperatorem his temporibus solicitauerit, vt potius magnopere laborauerit eosdem, aduersus Imperatorem ob nouæ hæresis inuentionem & propugnationem rebellare decernentes, in officio continere: adeo vt aduersus Luithprandum Longobardorum Regem, (qui zelo fidei ductus sacrilego Imperatori bellum indixerit, Rauenna capta, & classe destructa, ad aliarum ciuitatum inuasionem properaret) tum alios Italiæ populos, tum Venetos commouerit; eorumq; opera & Rauennam Exarcho restituerit, & Longobardos ad sua repulerit: vt de his omnibus perspicue apparet, tam ex Paulo *c* diacono & Anastasio *d* Bibliothecario, quam ex literis ab ipso Gregorio ad Vrsum *e* Ducem Venetiarum scriptis; aliisq; ad eumdem Imp. de quibus postea. Sanctissimus enim Pontifex cupiens beneficiis potius Imperatoris animum delinire, quam austeritate censuræ Ecclesiasticæ exasperare; omne remedium ante experiri tentauit, quã ab Orientali scindere Imperium Occidẽtale.

c Paul. diac. lib. 6. ca. 48. d Anast. in Greg. Sec. e Ext. in Chr. Andr. Dandul.

VIII. LEO VRGIT ADVERSVS GREG.

Sed ingratus Imperator, vt impius mala pro bonis rependit. Quod enim ipsum benigne primo commonitum, in errore adhuc perseuerantem Gregorius paulo acrius corripuisset; magno Leo furore commotus, literas ad eum reddidit comminatorias, fore vt sicut olim Martinus Papa per Constantem Imp. relegatus fuerat Chersonam, ita & ipse Gregorius relegaretur: adiecitq; insanus, se missurum Romam, qui Imaginem æneam sanctissimi Apostoli Petri confringeret. Quibus acceptis Gregorius literis, alias ipse rescripsit dogmaticas, easdemque reprehensionibus aculeatas; quo nomine etiam apud Orientales omnes summam sibi laudem & gloriam comparauit, vt ex Theophane aliisque patet. Sed periere istæ penitus apud Latinos; apud Græcos autem conseruatæ *f* fuere Græce, eædemque hac ipsa Indictione nona conscriptæ; tanto reuera Pontifice dignæ, ac multa eruditione & doctrina sacrarum Imaginum refertæ. Corrigendus tamen in earum inscriptione error, (quo etiam plerosq; Græcos auctores, & post eos nonnullos Latinos hallucinatos esse reperimus) dum hic ipse Gregorius nuncupatur *Dialogus*; quod cognomen Gregorij illius Magni esse apud Græcos, ex quo Zacharias Pontifex eius Dialogos in Græcum sermonem conuertit, in eius obitu monuimus.

GREG. RESCRIBIT AD IMP.

f Recitat binas eiusmodi literas Gregorii, Baron. Græc. & Latin., Annal. Tom. IX. hoc an. nunquam antea excusas, easdemque acceptas à Front. Ducæo ex Bibl. Rhem.

Ceterum Gregorius de quo modo agitur, non solum eiusmodi literas dedit ad Leonẽ, sed & Legatos misit, per quos eum ab errore reuocaret. Verum immitem barbarum cõtra ius gentium eosdem detrusos in carcerem exilio damnasse, & ibi mori coegisse, testantur literæ Nicolai Romani Pontificis ad Michaelem Imperatorem. Sed & decernens ipsum Gregorium neci tradere, id non semel, sed sæpissime per varios duces suos, siue in Italia iam existentes, siue illuc Constantinopoli missos, tum vi tum dolo pertentare non cessauit; effecissetque, nisi Romani ciues, Venetique, necnon ipsi Longobardi Romanæ alioqui Vrbis perpetui inimici, egregium edentes specimen amoris & obseruantiæ erga cõmunem omnium parentem, pro salute Pontificis inuigilassent aduersus Imperatoris Magistratus, quorum multos occiderunt, aliosque expulerunt, paucis per ipsum Pontificem, harum violentiarum minime conscium, ab imminente periculo ereptis. Sed & cum rursum Imperator rabiem suam euomens, Edictum aduersus sacras Imagines quod in Oriente promulgauerat, misisset etiam in Occidentem; ipseque Gregorius ei fortius resistens, de vitanda eiusmodi impietate, omnes vbique Christianos literis suis admonuisset; atq; inde vniuersa Italia consilium iniisset de eligendo sibi nouo Imperatore, & iunctis copiis ad exturbandum tyrannicum Principem Constantinopolim properando: nihilominus his adhuc conatibus obsistẽs Pontifex, eorum impetum cõhibuit, orationibus ipse quotidianis, ieiuniisque, & litaniis incumbens pro conuersione Imperatoris, atq; Imperij conseruatione. Hæc quidem omnia exacte Anastasius *g*; quæ non hoc anno tantum, verum & sequenti esse peracta noscuntur.

IX. IMP. LEGATOS ROMANI PONT. IN EXILIO MORI COGIT. MOLITVR QVOQVE NECEM GREGORII

GREG. BONVM PRO MALO REDDIT.

g Anast. in Greg. Sec.

Sed cum post hæc tanta, videret Pontifex se frustra laborare vt ab hæresi Imperatorem reuocaret, in deterius iugiter prolabentem; tunc demum accidit quod aiunt Cedrenus, Zonaras, & alii, ipsum Gregoriũ cum Francis iniisse fœdus. Nam & illis consentiens auctor huius temporis in *h* Appendice posita ad Gregorium Turonensem, missos ait ea de re legatos, cum muneribus sacris clauium & catenarum S. Petri, & oblatione Romani Consulatus, ad Carolum Martellum ingentis nominis Ducem Francorum, vt si opus esset in Italiam se conferret, susciperetque pro Romana Ecclesia defensionem aduersus impugnantem eam Imperatorem. In Francis enim erga Romanam Ecclesiam firma fides atque constantia sepe cognita, vt Carolum ita sibi conciliaret, Pontifici suaserunt. Nec fuit spes inanis: Siquidem vbi tantum innotuit Orienti, Francos Romani Pontificis defensionem suscepisse, mox fuit ab eius persecutione cessatum.

X. FŒDVS CVM FRANCIS INIT.

h Append. ad Greg. Tur. c. 110.

Dum autem ita omnia perturbaret Leo Imperator, ex alia parte HW Rex Britanniæ, Ceaduallæ in regno successor, atque in religione imitator, relicto & ipse regno, ad Limina Apostolorum Romam peregrinatus, monasticam ibi vitam amplexus est. Testatur hoc Beda *i*: idque ipsum his Gregorij Papæ temporibus, plures de gente Anglorum certatim facere consueuisse asserit. Inter quos fuisse reperitur *k S. Richardus* genere & rebus clarus, pater SS. Wilibaldi & Winibaldi discipulorum S. Bonifacii, atque S. Walpurgis virginis: qui nuntio remisso sæculo, primo ad S. Bonifacium Germanorum Apostolum, inde Romam aduenientes, posteaque loca magis deuia quærens, tandem post multas fortiter toleratas voluntarias ærumnas, Lucæ in Italia sancto fine quieuit, ac miraculis post obitum coruscauit. Sed perperam in eius epitaphio recentius *l* scripto Rex appellatur, quẽ antiquiora *m* monumenta docent fuisse dumtaxat nobilẽ prædiuitem.

XI. ANGLORVM FREQVENS PEREGRINATIO AD LIMINA APOSTOLOR.

i Bed. 5. hist. 7. in fin. k Vid. Ant. Lodi. Canis. Tom. 4. [Porro egit prius de his Baron. Anna. Tom. IX. an. 750. sed postea in Appẽd. Tom. XII. ea ad hæc Gregorii II tempora reponi iussit.]

Ad huius etiam anni finem, idem Bonifacius Gregorium Papam de nonnullis sibi dubiis occurrentibus in rerum Ecclesiasticarum tractatione consuluit: ad quæ mox Pontifex responsiones suas remisit, quas tu pro libito perlegas. Extant enim ipsæ eius literæ; sed male positæ sub Gregorio *n* Tertio, quæ ex Indictione & annis Imperatorum in eis positis, hoc anno esse scriptæ reperiuntur, nempe decimo Calendas Decembris Indictione decima, Imperij Leonis anno decimo, & Constantini eius filii septimo. Quod vero in eis permittit, vt si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, vir si non possit continere, nubat; hæc sic accipias, vt dicat de impedimento perenni, quod nesciebatur quando contraxit.

l Ap. Sur. 7. Febr. m Ap. Canis. vbi sup.

XII. S. BONIF. CONSVLIT APOST. SEDEM.

n Int. Epist. Greg. III. ep. 4.

IESV CHRISTI AN. 727.

GREG. II. AN. 14.

LEON. ISAV. AN. 11.

ANNO Christi septingentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, Orientales nauales exercitus Imperii Romani, aduersus Leonem Aug. ob promulgatam ab eo hæresim insurgentes, & Constantinopolim mense Aprilis accedentes, superati sunt, ac naues concrematæ, ipsique Duces capite puniti: sicque Iconoclastarum impietas magis in dies creuit; vt pluribus narrat Theophanes. Qui & amplius docet, eosdem hæreticos non solum erraſse circa Imaginum venerationem, verum etiã circa Sanctorum intercessiones, ac venerandas Reliquias: nec fuisse dumtaxat Iconoclastas, sed & Hagiomachos.

I. INSVRGVNT EXERCITVS ADVERSVS IMP.

Qui autem restiterint in hoc pro Catholica fide certamine Imperatori in Oriente, duo potissimum reperti sunt illustres athletæ, videlicet S. Germanus Constantinopolitanus Episcopus, & S. Ioannes Damascenus doctissimus in Syria monachus; quorum vterque pro facultate studuit confodere monstrum eiusmodi, & sacrarum Imaginum cultum disputationibus & scriptis propugnare. De Germano quidem, præter illa quæ superius dicta sunt, fidem faciunt paucæ ex multis, quæ reperiuntur scriptæ ab eo epistolæ recitatæ in Actione quarta Nicænæ posterioris Synodi. De Damasceno vero, præter epistolas illas, quarũ meminit Ioãnes Patriarcha

II. SS. GERMANVS ET IOAN. DAMASC. SCRIBVNT ADVERSVS ICONOCLASTAS.

triarcha Hierosolymitanus in Vita ipsius, testantur tres editæ insignes illæ Orationes pro sacrarum Imaginum cultu, quas scripsit postquam in eremum secessit, de qua diceretur anno sequenti; in quibus & acerrime inuehitur aduersus Reges, tyrannice sibi quæ sunt sacerdotum vendicantes. Fuit autem ipse nobilibus parentibus Christianis, de quibus antea egimus, ortus Damasci, (vnde & DAMASCENVS dictus est) qui & Romanã fidem ab incunabulis ab Italo homine Cosma nomine, ceu lac purum ebibit. Post parentis autem obitum, à Principe Saracenorum in aulam importune vocatus, primarii Consiliarij dignitate ornatus est. Quæ pluribus tractat idem Ioannes Hierosolymitatus.

IOAN. DAMASC. GENVS, ET PRIMORDIA.

IESV CHRISTI AN. 728.

GREG. II. AN. 15.

LEON. ISAV. AN. 12.

I. LEO IMP. IN IOAN. DEMASC TENDIT INSIDIAS.

ANNO Christi septingentesimo vigesimo octauo, Indictione vndecima, cum Leo Imp. audiuisset se scriptis Ioannis Damasceni fuisse haud mediocriter læsum; vt in eum vlciscereturad fraudes se conuertens, per quosdam ex suis egit vt aliquam epistolam manu eiusdem Ioannis scriptam nanciscceretur; eaq; notariis quibusdam ad imitandos characteres proposita, aliam confinxit ipsius Ioannis nomine, tamquam ad se scriptam pro suscipienda oppugnatione regiæ Saracenorum ciuitatis Damascenæ; eamque ad Principem Saracenorum transmisit. Qua sibi à barbaro ostensa, Ioannes literarum quidem formas suis similes esse confessus est, sed quæ in eis continerentur vmquam cogitasse omnino negauit. At magis credens Imperatori barbarus, dexteram Ioannis amputari iussit. Qui domum se recipiens, in oratorio suo ante Imaginem Dei-Genitricis prouolutus, magna fide excisam manum pristinæ suæ commissuræ admouit, ac feruentibus orationibus à B. Virgine eius integram restitutionem expetiit, quo posset illius ministerio CHRISTI Domini, eiusdemque ipsius Matris laudes scriptis celebrare. Nec mora, cum obdormiuisset, visione potitus S. Dei-Genitricis, experrectus manum sanatam reperit, linea tãrummodo quadã relicta, qua locus excisionis demonstraretur. Qua re cognita, cum vellet eum Princeps dignitati pristinæ restituere, ipse impetrata ægre missione, cunctis bonis suis, pauperibus, propinquis, & Ecclesiis distributis, Hierosolymam primo profectus est, indeque Syriæ petens eremum, apud S. Sabæ Lauram monasticam vitam egregie excoluit. Habet hæc pluribus Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus in eiusdem S. Ioannis Damasceni Vita.

AMPVTATA MANVS IOANNI A S. DEI PARA RESTITVTA.

IOAN. ERE MVM PETIT.

II. [Posuerat hęc Baron. an. 754 sed postea huc referenda iussit.]

In Occidente vero contigit hoc *a* eodem anno ex hac vita transire *S. Hubertum* Leodiensem Episcopum; cuius prędicatione omnem Arduennam ab idolorum fuisse cultu liberatam, & in Taxandria atque Brachbanto, siue Brabantia, fidem mirifice propagatam, eiusdem Vitæ Acta *b* testantur. Quorum etiam auctoritate constat, anno decimosexto ab eius transitu, corpus ipsius eleuatum ac trãslatum fuisse à Carolomanno filio Caroli Martelli: (ita enim restituendũ esse apparet, quod asserebatur factum esse sub Carolomanno Iuniori filio Pipini Regis:) quod quidem sic omnibus mẽbris integrum inuentum est, vt nuper defuncti referret speciem, vultu sudore perfuso, ac cæsariæ prolixitate & pulchritudine aucta. Eiusdem vero aliam translationem Molanus *c* ponit anno Redemptoris octingentesimo vigesimo quinto. Apud quem etiam est mentio *S. Mononis*, qui & ipse in Arduenna diutius laborauit, & ibidem à sicariis occisus titulum martyrii consecutus est.

S HVBERTI ORITVS.

b *Ap. Sur 3. Nouemb.*

c *Molan. in Natal. SS. Belg.*

IESV CHRISTI AN. 729.

GREG. II. AN. 16.

LEON. ISAV. AN. 13.

I. REX LONGOB. RE

ANNO Christi septingentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, Imperator icto fœdere per Eutychium Italiæ Exarchum cum Luithprando Longobardorum Rege, tentauit Romam sibi subiicere, Gregoriumque Pontificem occidere. Sed appropinquante iam portis Vrbis Luithprando vna cum Exarcho & exercitu, factus ei obuiã Pontifex, primo quidem Regem, præ reuerentia pedibus se ipsius prosternentẽ, ab eo scelere reuocauit, adeoq; piis suis monitis flexit, vt idem & arma sua, & coronã aureã, ac Crucem argenteam ad Sepulchrum S. Petri deposuerit: deinde vero eiusdem Regis rogatu, Exarchum ad pacis concordiã suscepit: cui & paulo post auxiliaribus copiis præsto fuit ad debellandum Tiberium quemdam Petasium, in partibus Tusciæ tyrannidem affectantem. Hæc pluribus Anastasius *a*.

VOCATVR AB INSVLTV IN GREG. PP.

a *Anast. in Greg. II.*

II. DE DISSENSIONE INTER GRADEN. ET AQVILEIẽS. EPISC.

Hoc ipso tempore, apud eumdem Pontificem questus est Donatus Gradensis Patriarcha aduersus Serenum Foroiuliensem Antistitem, res Gradensis Ecclesię inuadentem; cuius rei causa reperiuntur *b* à Gregorio scriptæ ad vtrumq; epistolæ: productaq; sunt eadem ita rursum in iudicium post triẽnium, cum sederet Gregorius Tertius. Quæ quidem Leo *c* Nonus, scribens ad omnes Episcopos Venetiæ & Istriç, cum adhuc post tãta tempora eadẽ altercatio recruduisset, sic ab vtroque Gregorio definita fuisse docet, vt Gradensis (qui & Nouæ Aquileiæ Patriarcha dicebatur) totius Venetiæ & Istriæ caput haberetur; Foroiulienſi vero subiacerent tãtummodo Longobardi, eos intelligentes, qui sub Ducis Foroiulienſis ditione essent. Vendicabat autẽ sibi ista omnia tamquam debita Foroiulienſis Antistes, eo quod idem (vt alias dictum est) & veteris quoq; Aquileiæ esset atque diceretur Patriarcha, quoniam Aquileiensis habitationem delegisset apud Foroiulium: cum nihilominus & ipsa Foroiulij ciuitas peculiarem suum haberet Episcopum, vt constat ex Paulo *d* diacono. Ceterum eiusmodi horum Antistitum altercationes, sæpius etiam agitatas fuisse sub Stephano Papa Quarto, & Hadriano Primo, Sabellicus *e* est auctor: vbi & agit de primo Episcopo à Venetis ex Senatus consulto ab eodẽ Hadriano Põtifice petito: primusq; eis datus *Obeliatus* filius Eneagrij Tribuni Metamaucensis: ac sedes in castro *f* Oliuensi constituta, vnde & Episcopus *Oliuensis* seu *Oliuolensis* dictus, postea etiam *Castellanus* ab eodem castro; ac demum trãslata eo dignitate Gradensi, nominatus est *Patriarcha Venetus*.

a *Paul. diac. lib. 6. c. 51.*

c *Sabel. 8. Ennead. 8. prop. fin. Ap. Baron. an. 772. num. V.*

f *Ita in Chron. Dandul.*

Hoc eodem Redemptoris anno, præcessisse signa cœlestia de imminente clade Saracenorum in Gallias, testatur Beda *ff* qui vidit; dum ait, huius anni mense Ianuario, per duas fere septimanas apparuisse cometas duos circa Solem, quorum vnus diei, alter noctis præcurrebat ortum, portabantq; ambo facem ignis contra Aquilonem. Quo quidem tempore Saraceni, qui ante annos quatuor à Carolo Martello in Aquitania fuerant dira cæde confecti, nouos cogentes exercitus, maiorique impetu Galliam Narbonensem inuadentes eam occupauere, sacra omnia profanaque cædibus, direptionibus, incendiis complentes.

III. ff *Bed. 5. hist. Angl. 24.*

SIGNA CÆLESTIA DE SARACENIS GALLIAS INVADENTIBVS.

IESV CHRISTI AN. 730.

GREG. II. AN. 17.

LEON. ISAV. AN. 14.

I. GERM. EPISCOP. CONST. EIICITVR IN EXILIVM, OB CVLTVM IMAG.

ANNO Christi septingentesimo trigesimo, Indictione decimatertia, Leo Imp. Persecutionem aduersus sacrarum Imaginum propugnatores renouans, septimo Idus Ianuarij S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, eorumdem Orthodoxorum antesignanum, quod nec illum minis nec blanditiis in partes suas trahere potuisset, Episcopatu se abdicare (vt ait Theophanes) coegit; seu potius (vt scribit Damascenus *a*, qui tunc viuebat) eumdem violenter alapis cæsum, & ignominose depositum, in exilium relegauit. Vndecimo vero Calendas Februarij, in locum eius subrogauit *Anastasium* eiusdẽ Ecclesiæ presbyterum Syncellum, hæreticum Iconoclastam: qui missa Synodica ad Gregorium Romanũ Pontificem, ab eo repulsus est, atq; excommunicatus; vt tradunt Theophanes, & Anastasius *b* Bibliothecarius.

a *Damasc. orat. 1. de imag.*

b *Anast. in Greg. II.*

II. GREG. PP.

Quod vero & ipse Imperator denuo à Gregorio mo-

nitus.

EXCOMMVNICAT IMPERATOR ITALOS AB EIVS OBEDIENTIA REVOCAT

nitus, nihilominus in impietate permansit: tunc demum factum est, vt idem Pontifex ipsum impœnitentem hæreticũ cognitum & declaratum, anathemate percuserit, atque Romanos & reliquos Italos ab eius obedientia, & tributorum solutione, recedere penitus fecerit; quos antea id sponte facere tentantes coercuerat, Id enim & Græci historici omnes affirmant, & Theophanes recenset sub hoc anno decimoquarto Leonis traditque Zonarus, ea Synodice Romæ facta esse, & in ea *Synodo* Imperatorem anathematis affectum pœnã. Sed & Theophanes addit, eodem quoque tempore Ioannem, vna cum Orientis Episcopis, anathemati subdidisse eumdem Imperatorem: intelligens Ioannem Damascenum, quem presbyterum cognomento *Chrysoroam* nuncupatum fuisse ait, propter auream fulgidam Spiritus S. gratiam, quæ in ipso tam eloquentia quam vitæ sanctitate floruit. Ex his autem omnibus factum est, vt vehementius à Leone in Oriente Ecclesia vexaretur.

III. DE OBITV, ET SCRIPTIS S. GERM. CONST. *c Exstant eorum inscriptiones Surii. To. 1. 19. hoc an.*

Sed quod rursum ad S. Germanum attinet; celebratur in Menologio Basilij Imperatoris (ita nominatur, quod eius iussu collectum est) die duodecima Maii eius memoria; vbi & asseritur nonagenarius ex hac vita migrasse. Qui cũ multa scripserit; præter illa quæ edita sunt in Bibliotheca Patrum, extant in Bibliotheca Vaticana varia eius opera *c*, interque alia, Annotationes in Dionysium Areopagitam: citantque alij aliã; nec dubito quin in aliis Bibliothecis alia eiusdem plura lateant.

IV.

Accidit vero etiam iisdem diebus, vt Gothorum populus qui incoleret regionem trans Euxinum Pontum, defuncto suo ipsorum Episcopo, eligerent Ioannem quemdam, sanctis moribus imbutum, & consecrandum mitterent Constantinopolim ad Germanum Patriarcham: sed ne is pollueretur hæreticorũ contagio, missus ab eo est in Iberiam trans eumdem Pontum, consecrandus ab Episcopis illius regionis: cuius memoria celebris est in eodem Græcorum Menologio die vigesima sexta Iunij.

IESV CHRISTI AN. 731.

GREG. III. AN. I.

LEON. ISAV. AN. 15.

I. GREG. II. OBITVS.

ANno Christi septingentesimo trigesimo primo, Indictione decimaquarta, tertio Idus Februarij, *Gregorius* Papa ex hac vita migrauit, cum sedisset annos sexdecim, menses octo, & dies viginti; sepultusq; est in basilica S. Petri, ac receptus inter Sanctos, quorum anniuersariam memoriam colit Ecclesia. Cuius si scripta extarent, resq; ab eo gestæ diligentius exaratæ essent, Gregorio Magno haud minorem existimares. Cum autem sedes vacasset dies tantummodo quinque, vt ait Anastasius; (apud quem tamen, additum inuenimus in quibusdam exemplaribus, mensem vnum; sed hoc repugnat iis, quæ dicuntur ab eodem in Gregorio Tertio:) decimoquarto Calendas Martii communi omniũ consensu in locum eius subrogatus est alius GREGORIVS eius nominis Tertius, natione Syrus, ex patre Ioanne: de cuius eruditione, pietate, zelo fidei, morum sanctitate, aliisque virtutibus, plura habet idem auctor. Inter quæ illud veluti *a* inauditum quiddam & nouum, tam ab ipso Anastasio, quam ab aliis eius temporis Scriptoribus refertur, quod Psalmos omnes per ordinem memoriter teneret: ex quibus deploret quisque huius sæculi ignorantiam, vt istud tanti habendum fuerit.

GREG. III. SVBROGATIO. *a VValsf. c. 25. Ap. Baron. an. 741. in Greger. obitu.*

II. LEGATIONEM MITTIT AD IMP.

Porro Gregorius eleuatus in thronum, nihil antiquius habuit quam obortam hæresim extirpare. Cuius rei gratia ad Leonem Imp. misit Gregorium presbyterum, cum literis acerrimis vt ab errore desisteret. At hic Gregorius presbyter Leonis cernens rugitus, ac crudelitatem qua his ipsis temporibus multos tam Episcopos, quam Patricios, omnisque generis homines in exilium expulit, vel neci tradidit; non ausus dare Imperatori literas Pontificis, re infecta Romam rediit. Qua de causa grauissime exceptus, fuisset etiam in Synodo ea de re celebrata depositus, nisi intercessione Patrum iram Pontifex mitigasset: quod tamen ea conditione fecit, vt ipse iterum cum iisdem literis Constantinopolim peteret. Narrat hæc Anastasius. Sed quod hæc secunda legatio contigerit anno sequenti, suo loco de ea dicturi sumus.

III. DE TEMPORE OBITVS BEDÆ.

Hoc item anno suæ Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, Beda ingentis nominis monachus & presbyter Anglus, finem imposuit, breui compendio describens statum quo illam reliquit Ecclesiam, quinam Reges prouinciis, & Episcopi Ecclesiis præessent: cum (vt ait) arridente pace & serenitate temporum, plures tam nobiles quam priuati, se suosque liberos, depositis armis satagerent magis accepta tonsura monasterialibus adscribere votis, quam bellicis exercere studiis. His vero mox adiecit appendicem de vita & scriptis suis vsque ad præsentem annum Domini septingentesimum trigesimum primum, quo ipse (vt testatur) ageret ætatis quinquagesimum nonum. Ex quibus Marianum Scotum redarguas, qui eius transitum ponit anno Domini septingentesimo vigesimo nono, & acrius illos, qui mortuũ ponunt anno septingentesimo. Quod vero Sigebertus hoc anno septingentesimo trigesimo primo Bedam defunctum affirmet, æque ex ipsius Bedæ scriptis arguitur; dum meminit *b* consecrationis Tacuini Dorouernensis Archiepiscopi, viri religione & literis insignis, factæ decima die mensis Iunij; cum omnium constans sit assertio, decessisse Bedam mense Maij. Porro Trithemius eius obitum ponit anno septingentesimo trigesimo tertio, rursumque alii trigesimo quarto; vt diuersa omnium reperiatur esse sententia. Quæ eadem inconstantia & in eiusdem ætatis termino locum habuit; dicentibus aliis annos vixisse sexaginta, aliis sexaginta vnum, aliis plures, Trithemio etiam septuaginta duos. At vero ipsum multo longius vitã produxisse, ex eius scriptis certo certius elici posse videtur. Etenim in ea epistola, quam Bedæ adscribunt omnes, cuius est titulus, *De Æquinoctio iuxta Anatolium &c.* incipitque, *Libenter accepi &c.* diserte testatur se illam scribere anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo septuagesimo sexto, quo ait Lunam decimamquartam fuisse quinto Idus Aprilis, Dominicum vero diem Paschatis decimooctauo Calendas Maij. Cum igitur ea Beda se scribere testetur dicto anno Domini septingẽtesimo septuagesimo sexto, & in appendice, de qua supra, æque affirmet se hoc anno Christi septingẽtesimo trigesimo primo annos fuisse natum quinquaginta nouem; vtique affirmare necesse est, peruenisse eum saltem ad annos ætatis centum quinque. Nec est quod quis dicere possit, errorem in numerum septingentesimum septuagesimum sextum irrepsisse: quippe idem designatus annus ad amussim concordat cum tabulis Astronomicis in circulo decemnouennali decimotertio, vbi dictis diebus æque ponitur Luna decimaquarta & dies Paschæ. Quod si hæc de longa Bedæ ætate non placent, vt noua & hactenus inaudita; tunc incumbet labor his qui negabunt, demonstrare non esse Bedæ citatam epistolam: quod nullus adhuc dixit.

b *Bed. lib. 5. cap. vlt.*

IV. DE COGNOM. VENERABILIS EI INDITO.

Certum de piissimo eius ad Dominum transitu, extat ad finem Operum ipsius, egregia epistola vnius cuiuspiam ex discipulis eius qui interfuit, ex qua multa colligas notatu dignissima. Sed quod in Vita ipsius, quæ à Petro describitur in Sanctorum Catalogo, fingitur de cognomento *Venerabilis* ei indito, siue ab Angelo, siue à lapidibus quibus ipse deceptus à discipulo cæcutiens prædicasset; id quidem vel ex eo saltem inane apparet, quod eiusmodi titulus, communis alioqui presbyteris omnibus, incognitus in Beda maioribus fuisse videatur, qui eum non isto, sed aliis titulis nominarunt: puta Hilduinus auctor eiusdem sæculi in Areopagiticis, *Sanctum presbyterum*, sicut & Marianus; Albinus Flaccus, & ipse Anglus, atque eiusdem temporis scriptor, in libro de diuinis Officiis, *Sacerdotem & Doctorem eximium*; Amalarius, qui & ipse eodem sæculo vixit, aliquando *Dominum Bedam*; Vsuardus simpliciter Bedam. Ceterum deest apud ipsum catalogus Scriptorum eius; qui ponitur ad finem Epitomes, ante antiquum auctorem anonymum, qui post eum res Anglorum est prosecutus: sed edidere *c* alii alios locupletiores. Vitam autem ipsius à Cuthberto Abbate scriptam fuisse, Molanus testatur; sed caremus ea: sunt que de eodem pleraque illustrium virorum elogia atq; laudationes; ipsaq; sancta Ecclesia Anglicana tanto

c De Beda scripta, vide Bellarm. libro de script. E. 1

Dest

Doctore semper gloriata est. Nec desunt qui tradunt eum vocatum Romam literis Gregorij Secundi Romani Pontificis, ibi diu versatum esse. Sed de illo hactenus.

V. SARACENI E GALLIA PVLSI

Quod ad res Francorum attinet; hoc anno (vt veteres ipsorum Annales à Pithœo editi habent) Saraceni, qui infesto agmine Galliam Narbonensem occuparant, à Carolo Martello victi sunt, & ab omnibus pene occupatis munitionibus expulsi; quique fuga lapsi naues conscenderunt vt redirent in Hispaniam, vi tempestatis mersi sunt fluctibus.

VI. S. EVCHER. MART.

Eodemq; anno contigit obitus *S. Eucherij* Episcopi Aurelianensis, miraculis clarissimi; quē ab exilij tempore (quod ei idem Carolus Martellus inflixerat, ob redargutionem de decimis Ecclesiarum in stipendia militum conuersis ad bellum aduersus Saracenos Aquitaniam deuastantes) sex annos superuixisse, qui res ab eo gestas *c* eodem tempore scriptis mandauit, affirmat: licet Molanus *d* (nescimus qua inita ratione) ante annos quatuor eum mortuum ponat; alij etiam longe post hæc decessisse velint.

c Ex. ap. Sirm. t. 2. Hebr. d Molan. in Natal. SS. 8 ig.

IESV CHRISTI AN. 732.

GREG. III. AN. 2.

LEON ISAV. AN. 16.

I. MATRIMONIVM IRENES ET CONSTANTINI.

ANNO Christi septingentesimo trigesimo secundo, Indictione decimaquinta, Leo Aug. anno decimosexto Imperij sui, filiam Chaiani Regis Chazarorum filio suo Constantino matrimonio sociauit, Christianam factā nominans *Irenem*. Quæ cum in fide Catholica instructa esset, pro sacris Imaginibus decertans, socerum ac maritum impietatis redarguit. Hæc Theophanes. Qui insuper asserit, eumdē Leonem ea qua cœperat impietate perseuerantem, reditus patrimonij Romana Ecclesiæ, quod in Sicilia & Calabria possidebat, in fiscum infertri præcepisse; ac describi natos mares iussisse, vt Pharao quondam de Hebræis sanxerat. Adduntq; alij *a*, hoc eodem anno ingentē classem aduersus Italos Romanosque ab eodem paratam, in Adriatico mari naufragio periisse. Sed & Gregorium presbyterum (quem vidimus anno superiori cum literis commonitoriis ad ipsum iterū missum) fecisse in Sicilia retineri, scripta auferri, & in exilium amandari, Anastasius *b* tradit.

QVID LEO CONTRA R M ECCLES.

a Cedr. hoc an.

b Anast. in Greg. III.

Quibus delatis in Vrbem, Gregorius Pontifex collecto *Romæ* apud S. Petrum CONCILIO Episcoporum nonaginta trium, præsente etiam reliquo Clero, atque primoribus Vrbis, & populo; primum omnium ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de cultu sacrarum Imaginum, decretum constituit (quod *Constitutum* appellant) quo diro anathemate ferit omnes qui eidem aduersarentur. Additumque præterea est, vt iterum ex Synodo literæ commonitoriæ ad Imperatorem mitterentur. Sed illæ, vt aliæ præcedentes, ablatæ sunt in itinere; & qui eas ferret Constantinus defensor, arctissima custodia per integrum annum detentus, tandem cum ignominia remissus est. Habet hæc omnia Anastasius. Additque, Gregorium Papam multas valde insignes atque summi pretij erexisse in diuersis ecclesijs Romæ, Saluatoris, sanctissimæ Dei Genitricis, Apostolorumque, & aliorum Sanctorum Imagines: sed & in basilica S. Petri magnificentissimum Oratorium construxisse, ac pretiosissimis ornamentis ditasse, in quo Sanctorū omniū, quas potuit toto orbe Christiano collectas sacras Reliquias condiderit, & à monachis trium monasteriorum quotidie per ordinem Officium diuinum, eorumdemque Sanctorum natalitia celebrari instituerit. Sicque idem sanctissimus Pontifex, tum scripris, tum factis, ad versus impietatem Imperatoris obnisus est in cultu sacratum Imaginum, & veneratione sanctarum Reliquiarum: quarum plane virtute factum est, vt Occidens permanserit à sæuiente Leone securus.

II. CONCILIVM ROM PRO IMAGIN.

SACRÆ RELIQVIÆ VB QVB QVÆSITÆ AD CVLTVM.

IESV CHRISTI AN. 733.

GREG. III. AN. 3.

LEON. ISAV. AN. 17.

I. LEO MAGISSÆVIT IN CVLTORES IMAG.

ANNO Christi septingentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, noui denuo missi Legati à Gregorio Papa & seorsum ab Italia ad Leonem Imp. cum precibus vt ab impietate desisteret, & promissis omnimodæ subiectionis si id præstaret; & ipsi, sicut præcedentes, in itinere spoliati sunt, & post carcerem octo mensium cum ignominia remissi: quod scribit Anastasius. Cum interim in Oriente idem Leo (sicut singulis consueuerat annis) complures sanctos Episcopos, aliosque inclytos & illustres pietate ac genere viros, detestātes eius errores, in exilium expelleret, aliisque suppliciis subijceret; quorum plurimorum memoria relata est in Menologium Græcorum. Abstinuit tamen ab infligendo supplicio *Ioanni a* Episcopo Polyboti; qui claritudine miraculorum adeo celebris erat in Oriente, vt & ipse, sicut olim magnus ille Gregorius Neocæsariensis, cognomento dictus fuerit *Thaumaturgus*. Hic enim cum ad redarguendum Imperatorem, se Constantinopolim contulisset, vehementerque reprehendisset, nullam vim passus, ad suam Ecclesiam redire permissus est; vbi suum curans gregem, illęsumque ab hæresi custodiens, quieuit in pace, eiusque anniuersariam Græci in Menologio memoriam agunt quinta die mensis Decembris.

a De hoc Ioanne egit Baron. an. 731.

II.

III. NOVVS HÆRESIARCHA À BONIF. REPRESSVS.

Hoc item anno (vt habet Chronicon Francorum à Pithœo editum) Carolus Martellus Saracenos ingenti numero ex Hispania emergentes, opem laturos suis in ciuitate Narbonensi cum ipsorum Rege obsessis, ad internecionem vsque deleuit.

Quo eodem tempore S. Bonifacius Germanorum Apostolus visitans Boioariam, emergentem hæresim vna cum hæresiarcha ERMWOLFO nominato, Apostolica auctoritate damnauit, & ab Ecclesia eiecit. Quenam autem hæresis ab illo fuisset seminata nescitur, ipsa vna cum auctore statim euulsa.

IESV CHRISTI AN. 734. 735. 736.

GREG. III. AN. 4.5.6.

LEON. ISAV. AN. 18.19.20.

I.

ANNO Christi septingentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, & sequentibus, Leo Imp. consuetam persecutionem suam in cultores sacrarum Imaginum prosequens, multos in exilium misit, quorum meminere Theophanes, & alii, necnon Græcorum Menologium. Sic enim comparatus erat, vt licet sanguinem sitiret Orthodoxorum sibi contradicentium; inuidens tamen ipsis gloriam consummati martyrij, ab eorum nece sæpius abstineret, eos amandans longius in exilium: quamquam nec semper se cōtinuisse ab inferenda nece, docet exempla *Hypatij* Lydorum Episcopi, *Andreæ* presbyteri, & *Gregorij* Limniotæ monachi propemodū centenarij: quos detrusos in carcerē excarnificari præcepit, deinde capitis cutem extrahi, ac desuper pictas rabellas congestas accendi, barbamque pice liquente conspergi, atque incendi: qui eo statu per Constantinopolitanam vrbem distracti, demum iugulati sunt, eorumq; corpora canibus exposita. Sed & in eodem Menologio aliorum quoque plurimorum extat memoria, qui post dira ac multiplicia tormenta, coronam vitæ in exilio receperunt. Quam quidem persecutionem in sequentes quoque annos quamdiu Leo vixit propagatam esse constat.

PLVRIMI MARTYRES SVB LEONE.

Qui & insuper eadem sæuitia atque insciti Georgium quemdam Patricium, qui his temporibus gerebat Constantinopoli præfecturam Vrbanam, virum æqui amantissimum, cædi iussit, quod abtoluisset quasdam mulierculas tā-

II. PHILIPPI PRÆF. IV DICTVM DE STRIGIL.

quam

quam innoxias, quæ accusatæ fuerant cædem facere solitæ lactentium infantium, eos ex improuiso adorientes per fissuras aut rimas domorum corporis earum non capaces, vel portis etiam clausis subeuntes. Quam rem gestã fusius narrat Ignatius monachus in Vita Tarasij; eos redarguens qui eiusmodi præstigias fieri posse credunt. Sed de his quæ dicuntur *Strigæ*, pluribus diuersi commentariis tractarunt *a*.

a De hac ipsa narratione Ignatii, vide Delrio Disquis. Magic. lib. 2. q. 27. sect. 2.

IESV CHRISTI AN. 737.

GREG. III. AN. 7.

LEON. ISAV. AN. 21.

I. *a Bed. in Epitom. an. Rex Anglor. fit monachvs.*

ANNO Christi septingentesimo trigesimo septimo, Indictione quinta, Rex *a* Anglorum Nordanhumbrorum Ceolwlphus, ille ipse ad quem Beda scripsit Historiam de Rebus gestis Anglorum, diuino amore succensus, maiorum secutus exemplum, relinquens Regnum Eadberto, capillis attonsus monasticam sectatus est vitam. Ita melius sancti per fidem vicerunt regna.

IESV CHRISTI AN. 738.

GREG. III. AN. 8.

LEON. ISAV. AN. 22.

I. *S. Bonifacii Romam aduentvs.*

ANNO Christi septingentesimo trigesimo octauo, Indictione sexta, S. Bonifacius Germanorum Apostolus, multa stipatus turba Francorum, Boioariorum, & Britannorum, Romam aduenit, tum vt Limina Apostolorum iterum visitaret, tum vt Gregorij Papæ conspectu frueretur & colloquio; quem & ipso eius ingressu litteris salutauerat, & de nonnullis dubiis circa disciplinam Ecclesiasticam, & ferinos illorum populorum mores consuluerat, palliumque ab eodem non petitum acceperat. Nunc autem tam ab ipso Pontifice, quam à Romanis ciuibus honorifice susceptus, paulo post in Germaniam rediit, multas secum relatis Sanctorum Reliquias, accepitque insuper ab eodem Pontifice literas ad Episcopos, Abbates, & omnes Principes, siue Optimates, ac populos Germaniæ; ex quibus constat, causam præterea ipsius Romam aduentus fuisse, quod quidam Britones æstu inuidiæ perciti, hæresim disseminare iis locis cœpissent; vt videlicet tum de his, tum de aliis nonnullis ad curam animarum spectantibus, ab ipso Gregorio instrueretur. Habet autem hæc omnia Vitæ *a* ipsius auctor ex Wilibaldo Anglo: quem quidem *VVilibaldum* Bonifacius eodem tempore à Gregorio petitum, (cum post septennij peregrinationem Hierosolymitanam, consedisset in monasterio Cassinensi) secum in Germaniam duxit, vbi & postea Eistheten sem creauit Episcopum; sicut narratur in Vita *b* ipsius, à Sancta (vt creditur) *VValburga* eiusdem sorore scripta. Sed & *S. VVinibaldum* eorundem germanum Romæ degẽtem, persuasum esse à S. Bonifacio vt pergeret in Germaniam, eius pariter Vitæ *c* Acta testantur.

a Vit. S. Bonifac. lib. 1. c. 25. & 27. ap. Sur. 5. Iunii.

b Ext. To. 4. Antiq. Lect. Canis.

c Ext. ibid.

II. *d Vetus Chron. Franc. edit. Pith.* HISPANI ANIMOS RESVMVNT CONTRA SARACEN.

Quod ad res Hispanicas attinet; bene prorsus eis cessit, vt Saraceni maximo suo damno Gallias bello tentarint, vbi ad internecionem sæpe deleti sunt à fortissimo Duce Carolo Martello: qui & hoc ipso anno *d* eosdem è Prouincia regione, quam adhuc occupabant, penitus repulit. Sic enim per Francorum victorias imminutis Saracenorum viribus, factum est vt Hispani profugi, non solum suæ ipsorum saluti prospexerint, sed ad propagandum quoque regnum adiecerint animũ, subRege Alfonso Pelagij genero, (quẽ alij Adelfonsum, siue Adefonsum aut Ildefonsum nominãt) qui post obitũ ipsius Pelagij, atq; Fauilę Pelagij filij, hoc ipso anno (Æra nimirum septingentesima septuagesima sexta, vt Tudensis numerat) regni susceperit habenas. Quod vero ex genere ortus esset præclarissimi illius Reccaredi Gothorum Principis, qui in Episcoporum Concilio *Rex Catholicus* fuit quondam acclamatus; sic iste Alfonsus æque dici cognomento CATHOLICVS voluit. Quem postea intermissum à successoribus titulum, nostro sæculo Ferdinandus Aragonius Hispaniæ Rex enixis precibus à Iulio eius nominis Secundo Romano Pontifice impetrauit, vt hæreditarius esset omniũ Regum Hispaniæ. Est *e* vero cunctorum qui eiusdem Regis Alfonsi res gestas sunt prosecuti, vna eademque assertio, ipsum plurimas ciuitates è Saracenorum manibus vendicasse, Gallæciamque ab eisdem liberasse: sed & quod Catholici Regis est, Catholicam propagasse religionem, in omnibus ciuitatibus Episcopos ordinari curantem, restituẽtemque Christianum cultum: cum alioqui tanti Regis præclara gesta, scriptorum inopia obscura remanserint.

TITVLVS CATHOLICI VNDE REGIBVS HISPAN. PROVENERIT.

e Quæ sequuntur, habet Baron. partim hoc ipso an. partim 744. ad fin.

III. DE WILICHARIO EPISCOP. VIEN.

Interea vero cum iam è Galliis fuissent Saraceni penitus fugati, Episcopi ad restaurandas exustas ab eis Ecclesias animum addixere; & inter eos egregiam huic operi curam adhibuisse *VVilicharium* Episcopum Viennensem, testatur Ado eiusdem Ecclesiæ postea Episcopus: additque, cum furioso & insano consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad vsus suos retorquerent, videntem Wilicharium Viennensem Ecclesiam suam indecedenter humiliari, relicto Episcopatu, in monasterium SS. Martyrum Agaunensium ingressum, vitam venerabilem duxisse; ac vastata & dissipata Viennensi atque Lugdunensi prouincia, aliquot annis sine Episcopis vtramque Ecclesiam fuisse, laicis sacrilege & barbare res sacras Ecclesiarum obtinentibus. Hæc Ado. Porro Anastasius Bibliothecarius tradit, Gregorium Tertium ad hunc Wilicharium misisse pallium; ex quo putauit ipse, tum in Archiepiscopatum Viennensem Ecclesiam erectam fuisse: sed longe antea, ab ipso ferme coalescentis in Gallia Christi Ecclesiæ initio, contigisse constat, vt Ecclesia Viennensis sedes esset Archiepiscopalis.

IESV CHRISTI AN. 739.

GREG. III. AN. 9.

LEON. ISAV. AN. 23.

I. VRBS ARCTATVR A LONGOBARD.

ANNO Domini septingentesimo trigesimo nono, Indictione septima, Vrbs Roma in maximas est coniecta angustias, occasione Luithprãdi Longobardorum Regis eandem infesto exercitu obsidentis, quod Gregorius Papa & Stephanus Dux noluissent reddere Transamundum Ducem Spoletanum, qui ad eos ab eiusdem Regis persecutione confugerat. Soluit tamen paulo post obsidionem, & captis aliquot ciuitatibus Ducatus Romani, in sua se recepit: Transamundus autem cum Romanorum exercitu Spoletum recuperauit. Hæc Anastasius in Zacharia Gregorij successore. A quo tamen multa prætermissa inueniuntur; & inter alia, deprædatio nominatissimæ Basilicæ S. Petri in Vaticanis collibus extra Vrbis mœnia positæ, cui olim Gothos hostes quantumlibet Arianos peperciisse vidimus. Extat enim de his epistola eiusdem Gregorij Pontificis ad Carolum Martellum Francorum Principem, seu (vt vocat) Subregulum, quem & antea interpellarat, vt auxilium ferret Romanæ Ecclesiæ contra Longobardos; quos eo acrius illam opprimere queritur, quod ea ad ipsum Carolum post Deum confugium habuisset. Luit porro eiusmodi sacrilegium Luithprandus maximo suo damno, mulctatus amissione Regni in filio, omnique gente Longobardorum: qui quamuis alias semper grauibus fuerint delictis obnoxij, tolerati tamen à Deo sunt, quousque attingere præsumpserent sacrosanctam Petri basilicam, omnibus antehac barbaris & hæreticis reuerendam.

EXPILATIO BASILICÆ S. PETRI.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 740.

GREG. III. AN. 10.

LEON. ISAV. AN. 24.

I. LEGATIO A GREG. PP. AD CAROL. MARTEL. ADVERS. LONGOB.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo, Indictione octaua, Roma tursum motu bellico exagitata est, parante aduersus eam iterum obsidionem Luithprando, eo quod Romanorum auxilio Transamundus in Ducatum Spoletanum fuisset restitutus. Quapropter his pressus angustiis Gregorius Pontifex, ad petendum auxilium à Carolo Martello Francorum Duce legationem misit cum sacris muneribus clauium S. Petri; vt constat ex Anastasio hæc narrante, atque ex ipsa epistola *a* tunc ad Carolum immenso animi æstu, & intimo cordis dolore, verbisque & obsecrationibus quam maxime ad persuadendum efficacibus conscripta; in qua etiam eum bis CHRISTIANISSIMVM *Filium* appellat: quem honorificentissimum titulum, eius regni Reges, ex concessione Apostolica, ob egregia eorum in Ecclesiam Romanam merita, feliciter in hunc vsque diem propagarunt. Cæterum hanc legationem aduersus Longobardos ad Carolum missam, male nonnulli confundunt cũ illa alia, quam ipsius decessor Gregorius secundus ad eundem Carolum, cum iisdem sacris muneribus clauium, aduersus Leonem hæreticum Imperatorem misit. Cur autem Carolus non cito aduersus Luithprandũ surrexerit, ea certior ratio afferri posse videtur, quod eundem Regem in difficillimis præliis aduersus Saracenos fidelissimum habuerit adiutorem; vt testis est sepulchralis inscriptio ipsius Regis. Sed quoniam eiusmodi ratio apud Deum minime probaretur, cum religioni sint iura omnia posthabenda; inde fortasse accidit, quod vindice numine Carolus cito & miserando interitu fuerit ex hac vita sublatus; vt dicetur anno sequenti.

a *Rec. Baron. Annal. Tom IX. hocan. Habentque Centuriatores Tom. VII. c. 10.* REGES FRANC. DICTI CHRISTIANISSIMI.

II. GERMANVS BONIFAC. PRO ECCLES. DISCIPL.

Hoc item anno S. Bonifacius Germanorum Apostolus, post nonnullos recens creatos in iis regionibus Episcopos, Legatione Romani Pontificis & Apostolicę Sedis insignis, ex mandato Gregorij Papæ Primam congregauit Germaniã (siue Augustæ, siue alibi prope Danubium: vtrumque enim asseritur) SYNODVM, ad optimam institutionem disciplinæ Ecclesiasticæ in vnitate & subiectione Romanæ Ecclesiæ; vt patet ex Actis eiusdem, quæ *b* inseruit ipse epistolæ ad Cuthbertum Archiepiscopum Dorouernensem in Anglia.

b *Rec. Baron. vbi sup. ex cod. Mss.*

III. ANGLIA OCCIDENT. FACTA TRIBVTARIA ECCL. ROM.

Hoc pariter anno Occidentalium Saxonum in Britannia Rex *Ina*, sanctorum Regum decessorum suorum insignis deuotionis æmulus, antequam regno suo se abdicaret (cuius & vxor *Edilburga*, non minoris fortitudinis femina, monasticam vitam amplexa est) perpetuo pietatis monumento fidem suam erga Romanam Ecclesiam voluit reliquisse testatam, dum regni sui domos singulas singulos denarios argenteos annuatim S. Petro pendere statuit; sic deuincire populum suum studens, vt annui census pensitatione dominum suum agnosceret S. Petrum, cuius & fidem firmam illibatamque iugiter conseruaret, & auxilium in necessitatibus inuocaret. Omittimus de his loquentes singulos historicos recensere, satis putantes sufficere auctoritatem Polydori Virgilij; qui res Anglorum summa cum laude prosecutus, dum eiusdem Regis officia pia recenser, illud de regno suo vectigali facto Romano Pontifici antiquorum testimonio confirmat; auctumque postea ait ab Ethelwolpho, seu Athulpho Rege qui totius fere Insulæ imperium obtinuit. Quomodo vero & *Offa* Orientalium Saxonum Rex idipsum de suo regno præstiterit, dicetur suo loco. Addit autem Virgilius de suo tempore (nempe præsenti sæculo: siquidem scripsit ad Henricum Octauum Anglorum Regem, anno Redemptoris millesimo quingentesimo trigesimo tertio, cum Londini esset;) vniuersam Angliã illud vectigal, pietatis & religionis causa Romano Põtifici pẽdere domesticatim collatum; ac nummos illos argenteos vocari à vulgo *Denarios Sancti Petri*; quos Pontificius Quæstor, quem non inscienter Collectorem nuncuparent, exigeret: ipsumque etiam Virgilium eandem Quæsturam aliquot per annos gessisse, eiusque muneris obeundi causa primum in Angliam venisse. Accidit autem illud mirandum, notandumque, vt confestim ac cessauit pendi vectigal, vtcumque male redemptum, hæresum alluuione Anglicana Ecclesia absorpta fuerit.

DENARIVS S. PETRI IN ANGL.

IV. DIRA PERSECVTIO IN ORIENTE.

Quod ad res Orientalis Ecclesiæ spectat; cum vbique terrarum Leonis Imperio subditarum, Orthodoxis omnibus nonnisi luctus esset & dolor, aliis dira morte mulctatis, proscriptis aliis, diuersi generis cruciatibus aliis afflictatis, aliis mancipatis carceribus fame frigoreque consumptis, seu ludibriis popularibus expositis, aliisque per publica loca tractis, membrisque distractis, atque aliis diris pœnis affectis; præter multitudinem haud mediocrem illorum, qui è ciuitatibus, relictis bonis omnibus, sponte migrantes in solitudines, voluntario exilio facti exorres, abdita montium & recessus siluarum petiere; quæ omnia ex auctoribus qui horum temporum res gestas conscripserunt, manifesta habentur: dum, inquam, his lætus attenderet Imperator, irato numine totus contremuit Oriens, atque ciuitates cõplures æquatæ solo fuere: sed & Constantinopoli corruerunt ecclesiæ & monasteria; populusq; multus extinctus est, ac quæ erant in eadem vrbe statuæ Imperatorum Constantini & Theodosij, aliorumque collapsæ ac contritæ sunt; quasi ipsæ stare non possent vbi sacræ Imagines prostratæ essent: denique & mare in quibusdam locis fugit terminos suos; perdurante terræmotu mensibus duodecim. Refert hæc Theophanes; apud quem tamen corrigẽdum est, quod ea accidisse dicantur anno vigesimo tertio Leonis: siquidem cum ipse subdat ea contigisse septimo Calendas Nouembris nonæ Indictionis, cœpta iam ipsa mense Septembri; præsentem plane significat annum vigesimum quartum eiusdem Imperatoris, inchoatum ab octauo Calendas Aprilis. Quam autem terribilis fuerit eiusmodi terræmotus, inde etiam colligi potest, quod eius memoria in Menologium Græcorum eadem die quotannis celebranda relata fuerit: vbi tamen & is tribuitur anno vigesimo quinto Leonis.

TERRÆMOTVS MAGNVS.

IESV CHRISTI AN. 741.

GREG. III. AN. 11.

CONST. COPRON. AN. 1.

I. LEO IMP. MORITVR.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo primo, Indictione nona, decimo quarto Calendas Iulij, impiissimus Leo Imp. cum regnasset annos viginti quatuor, menses duos, & dies viginti, mortuus est animæ & corporis morte. Hæc Theophanes, detrusum eum significans ad inferos. Idemque mox describens mores CONSTANTINI Leonis filij, cognomento *Copronymi*; (qui cum iam vna cum patre viginti duos annos inchoatos regnasset, solus Imperij habenas moderandas suscepit:) ait fuisse virum pernicioſissimum, & ferum, impie ac tyrannice abusum Imperio; magicis artibus & luxuriis, cruentisque sacrificiis, & caballinis stercoribus atque lotio delectatum; mollitiebus, ac dæmonum inuocationibus gaudentem; omnibusque animam corrumpentibus vitiis ab ineunte ætate infectum. Quem & hoc primo Imperij anno edictum promulgasse contra venerandas Imagines idem Theophanes, Cedrenus, & alij testantur. Sed repressus est, ne quod cœperat malum modo perficeret; Deo aduersarium excitante contra eum, si forte his monitus malis à cœpto desisteret.

CONSTANTIN. COPRON. QVALIS FVERIT.

II. ARTABASDVS IMPERIVM ARRIPIT.

Etenim hoc ipso anno idem Constantinus profectus aduersus Arabes, cum suspectum haberet Artabasdum Curopalatam virum Orthodoxum, maritum Annæ filiæ Leonis, atque ipsius Constantini sororis; primum molitus est necem filiorum eius: sed malitiam eius intelligens ARTABASDVS, insecutus eum, aufugere coegit; ipseque pergens Constantinopolim, opera Theodori Patricij Vrbis Præfecti, affirmantis Constantinũ iam esse mortuum, Imperator accla-

acclamatus est, ac filios Constantini captos, cæsos, & tonsos carceri mancipauit: quando & Anastasius Patriarcha, licet hactenus se exhibuisset hæreticum, inseruiens tempori, vna cum populo detestati cœpit, ac diris maledictis incessere Constantinum, laudibusque tollere Artabasdum. Idemque vt sibi noui Principis gratiam demereretur, grande pandidit Constantini secretum; publice super ligno sanctissimę Crucis iurans, Constantinum sibi dixisse, minime filium Dei esse quem genuit MARIA, quique dicitur CHRISTVS; sed purum hominem, quem Maria peperisset, sicut ipsum Constantinum peperisset Maria mater sua. Quibus adeo horrendis blasphemiis populus valde commotus, probra in eum iacere non cessauit. Hæc ex Theophane. Vnde non mireris, si Leo, filiusque eius Constantinus CHRISTI Domini, eiusque sanctissimæ Matris Imagines odio habuerint, qui nec ipsum Deum esse crederent, nec eam Virginem: dicendi plane non Christiani, sed Saraceni. Quæ autem hæc secuta sint; suis locis dicturi sumus.

BLASPHEMA VOX COPRONYMI.

III.

Interea vero hoc eodem anno (vt idem breuiter tradit Theophanes) Evelid Rex Arabum, successor Gizi fautoris Iconomachorum, in Oriente interfecit Christianos captiuos in omni ciuitate.

IV. GREGORIVS OBIIT.

Hoc pariter anno, cum rursus Luitprandus Rex Longobardorum bellum pararet aduersus Romanum Ducatum, quarto Calendas Decembris mortuus est *Gregorius* Papa, cum sedisset annos decem, menses nouem, dies duodecim; sepultusque est in Cœmeterio Petri Apostoli; vt Anastasius tradit: qui præter illa, quæ superius de aliis Gregorij gestis retulit, multa in fine habet de erectis, restitutisque, atque ornatis ab ipso ædificiis sacris, & ingentibus aureis, argenteis, gemmeisque donariis, nec non redditibus eis collatis ad luminaria & oblationes. Extatque hactenus in basilica S. Pauli, eiusmodi Oblationum ipsius ad missas celebrandas antiquum monumentū in marmorea tabula, qua & sub anathemate prohibet, ne posteri easdem impendere prætermitterent. Sed quas maiores nuncupare consueuerunt *Oblationes*, (de quibus ex parte dictum *a* est alias) ipse *Oblatas* vocat: erantque certa mensura panis & vini, quæ ex eius decreto è Patriarchio per Oblationarium (vt vocat Anastasius. Erant vero diaconi, *Oblationarii* nominati, huic vsui inseruientes) pro Missis celebrandis in altaribus quæ recenset, in basilicam S. Pauli diebus singulis portaretur; prout etiam hodie in quibusdam Ecclesiis fieri consueuit.

a Sup. an. 44. num. XXXI. 57. XXII. 313. XII. XIII.

V. DISCRIMEN INTER OBLATAS ET OBLATIONES ECCL.

Sed quod ad voces ipsas attinet; inter Oblatas & Oblationes differre putamus, sicut inter genus & speciem. Siquidem *Oblationum* nomine, quicquid Deo offertur cuiusuis speciei, intelligi debet: *Oblatarum* vero appellatione, quod offertur tantum pro celebrando sacrosancto Missæ sacrificio. Cum alioqui panis etiam offerri à populo soleret ad Eulogias conficiendas, cum panis ipse communioni benedictione benediceretur vt in populo diuideretur; qui vsus adhuc in pluribus viget Ecclesiis. Rursus vero Oblatarum nomen vsurpatum interdum inuenimus pro ipsa Eucharistia apud antiquos Rituales; sed communius pro ipso pane & vino, quod offertur sacrificij celebrandi causa: vt constat ex Remigio Antisiodorensi, dum agit de celebratione Missæ. Ex huiusmodi autem Oblatis olim ea pars tantum ad sacræ Eucharistiæ vsum sumebatur, quæ ad communicandum populum satis esset: vt ex S. Cypriano *b* colligitur, dum redarguens diuitem fœminam, sine eiusmodi oblatione ad ecclesiam venientem, hæc improperat; *De sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Et S. Augustinus *c*: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.* Quæ autem supererant, nec consecrabantur, ex pane & vino, cedebant in vsum sacerdotum offerentium sacrificium, & clericorum ministrantium. Postea autem cum est factum, vt quæ in sacrificium offerenda essent, sacerdotum diligentia pararentur; omnes illæ diuersorum Oblatæ, absque diminutione iisdem cessere ministrantibus. At de his satis.

b Cypr. de oper. & elee. mos.

c Aug. serm. 215. de tep.

VI. ZACHARIAS PAPA CREATVS

Quod vero spectat ad Gregorij Papæ lucubrationes; scripsit ad Leonem Imp. & eius filium Constantinum, libros tres pro cultu sanctarum Imaginum, & reliquit Epistolarum librum vnum: sed his caremus. Dum autem sedes eius vacasset dies octo, electus est in locum eius ZACHARIAS natione Græcus, ex patre Polychronio; vir (vt ait Anastasius) mitissimus, omnique bonitate ornatus, piusque & misericors, etiam in eos qui antea sui fuissent persecutores. Qui cum inuenisset totam Italiam armis Longobardorum turbatam, missa legatione Luitprandum à cœptis dimouit, commouitque vt quas ciuitates Ducatus Romani abstulisset, reddere promiserit: quod & postea præstitit, cum ab ipsomet Pontifice Interamnæ visitatus fuit. Sed & iunctis cum eodem Rege Romanis copiis, Transamundum Ducem Spoletanum, tum Regi tum ipsis etiam Romanis perfidum, coegit se eidem Regi dedere. Hæc pluribus Anastasius: reliqua vero de eo sequentibus annis.

VII. CAROLI MARTELLI OBITVS.

Hoc item anno, vndecimo Calendas Nouembris, mortuus est Carolus cognomento Martellus, cum iam pacem multis sudoribus partam, stabilem posteris reliquisset. De anno affirmant omnes tam veteres quam recentiores Chronographi: de die testantur Aimoinus *d*, & Auctor Appendicis ad Gregorium Turonensem, qui res sui temporis scripsit. Eundem autem in basilica S. Dionysij prope Parisios esse sepultum, æque omnes assentiuntur. Sed quæ scripta leguntur, tum in Vitis S. Eucherij *e* Aurelianensis Episcopi, a S. Rigoberti *f* Rhemensis Archiepiscopi, tum ex capitulis *g* scriptis (vt præfert titulus) ab Episcopis prouinciarum Rhemensis & Rotomagensis ad Ludouicum Regem, de visione eidem Eucherio ostensa animæ Caroli æternis pœnis mancipatæ, quod Ecclesias bonis expoliasset: ea haud facile est vt subsistere possint. Quomodo enim id videre potuit Eucherius, qui (vt superius dictum est) iam ex hac vita excesserat ante decennium, vel etiam (vt Molanus ponit) ante quatuordecim annos quam Carolus moreretur? Sed & quod de ipsius Caroli pietate ac deuotione erga Sanctos refertur Ludouici Imperatoris (ad cuius filium talia fuisse scripta dicuntur) elogium *h*, itemque Lupi testimonium *i* de bonis quæ idem Carolus nonnullis Ecclesiis donauit; satis id falsitatis arguere videntur. Quibus accedit, quod idē ipse S. Bonifacius qui asserit testis, oraculi de damnatione Caroli, scribens *k* postea ad Athelbaldum Merciorum Regem in Anglia hominem sceleratissimum, vt eum reuocet ad pœnitentiam, dum ingerit exempla Regum ac Principum, qui ob violationem Ecclesiarum damnati sunt ad inferos, nihil tale de Carolo cum eius meminit refert, licet id valde requireret propositum argumentum. Ait quidem illum, quod multa monasteria euertisset, & Ecclesiasticas pecunias in vsus proprios conuertisset, longa torsione & verenda morte consumptum esse: (Quem & prædictos Eucherium, & Rigobertum, necnon & alios sanctos Episcopos è suis sedibus deturbasse, & Episcopatus laicis hominibus perfruendos dedisse, est querela Scriptorum eius sæculi.) Verum haud absque exomologesi decessisse, quæ de eo Ludouicus Imperator recitat demonstrant.

d Aimoin. l. 4. c. 57.

e Ap. Sur. 20. Febr.

f Ibid. 4. Ianuar.

g Ap. Brat. 16. 9. 1 post. c. 59.

IMPROBATVR HISTORIA DE EIVS ANIMÆ DAMNATIONE

h Ex Ludou. ad Hilduin. in Areop. ap. Sur. 9. Oct.

i In rec. gest. S. Max. epis. Treu.

k Recitat. eius epist. Baron. Annal. Tom. IX. an. 745. ex cod. MS.

VIII.

Vindex enim Deus, sed non iudicans bis in idipsum, sic inuasores iurium Ecclesiarum Principes Christianos pœnitentes interdum miserando cruciatu & interitu voluit affligi, tum vt posteris sint in exemplum non minuendi vel violandi Ecclesiasticas facultates & immunitates, vtque grauissimum hoc esse delictum ex portentosis ab vltore numine illatis pœnis possit intelligi; tum etiam vt cum iidem Catholice vixerint, & alia complura bona fecerint, quod peccassent in Ecclesiæ iura, hic luerent potius, quam perpetuis damnarentur in inferno cruciatibus. A quibus Carolum fuisse immunem putamus, tam ex iis quæ iam dicta sunt, quam quod laudata eius pietas reperiatur duorum sanctissimorum Romanorum Pontificum assertione, Gregorij Secundi, & Tertij; immo & ipsius S. Bonifacij *l* Germanorum Apostoli, cum rogauit eius filium Carolomannum, vt bene cœpta à parente circa cultum Christianæ religionis prosequeretur: cuius quidem opitulatione centum millia Paganorum Germanorum ad Christianam fidem conuersa esse, testis est idem Gregorius Tertius scribens *m* ad eundem Bonifacium. Vt plane de ipso (occulta licet & nobis incognita sint diuina iudicia) salutem cum piis Principibus consecutum existimare liceat: & si peccator extiterit (vt solent Principes sæpe delinquere) ex illa tamen exomologesi, qua suam animam Domino per S. Dionysium præsentandam (quod Ludouicus Imperator testatur) adeo solicito studio commendauit, bene de eius sit salute sperandum.

LAVDATVS CAROL. A ROMAN. PONTIF. ET A. S. BONIF.

l Vit. S. Bonif. lib. 1. c. 33. ap. Sur. 5. iunii.

m Ibid. c. 31.

Cum alioqui plane impius conuincatur, qui eiusmodi sacrilegiis obnoxios, nisi pœnitentes satisfaciant, pœnas posse euadere sempiternas existimet.

IX. DVO FIL. CAR. MARTELLI.

Porro mortuo Carolo, duo eius filij Carolomannus atq; Pipinus, successerunt hęredes: ille quidem maior natu in administratione proprij ipsius Principatus, nempe Austrasiæ & Thuringiæ; Pipinus vero in Officio Maioris domus Regum Francorum. Sed Carolomannus nihil antiquius habens, quam iis consulere quæ ad religionem spectarent, S. Bonifacium ad se mox accersendum curauit, vt in Synodo Episcoporum rebus Ecclesiasticis vbique collapsis secundum canones consuleretur. De his enim ipse Bonifacius testis est in epistola *n* hoc ipso anno ad Zachariam nuper electum Pontificem Romanum conscripta, qua ipsi obedientiam pollicitus est, ac de quibusdam circa res Ecclesiasticas dubiis eundem consuluit; simulque licentiam ab eo petiit celebrandæ Synodi, quam Carolomannus requisisset, ad disciplinam Ecclesiæ restaurandam, quæ iam (vt ait) per sexaginta vel septuaginta annos calcata & dissipata fuerat: quippe Franci plusquam per tempus octoginta annorum Synodum nõ fecissent, nec Archiepiscopum habuissent, nec Ecclesiæ canonica iura alicubi fundassent vel renouassent; maximaque ex parte ciuitates & Episcopales sedes traditæ essent laicis cupidis ad possidendum, vel clericis scortatoribus, vel publicanis sæculariter ad perfuendum. Hæc, & alia multo peiora Bonifacius de miserrimo eius temporis in illis partibus Ecclesiæ & Ecclesiasticorum statu ad quæ corrigenda, præceptum petiit & iudicium Apostolicæ Sedis, cuius Legatum ageret.

n *Ibid. lib. 1. c. 1. & Tom. 3. Concil.*

IESV CHRISTI AN. 742.

ZACHAR. AN. 1.

CONST. COPRON. AN. 2.

I. DE RR. POLITICIS ET ECCL. ORIENT.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo secundo, Indictione decima, Artabasdus Constantinopoli imperans, *Nicephoro* filio in Imperij consortium allecto, aduersus Constantinum in Armenia morantem progressus, magna accepta clade in vrbem rediit: sed & ab eodem missus Niceta filius minor, æque male aduersus Constantinum pugnauit. Quo pariter anno pluuiæ defectus, & terræmotus facti sunt adeo vehementes, vt alicubi montes virentur, & castella in terram immergerentur absorpta. Defuncto quoque Euelid Arabum Principe hoc anno secundo Imperij Constantini, concessit nouus Princeps Hali Ecclesiæ Antiochenæ, post quadraginta annos viduitatis sponsum sibi Patriarcham accipere *Stephanum* monachum Syrum, agrestem quidem, sed religiosum virum. Faustumque & illud hoc anno accidit, vt Cosmas Patriarcha Alexandrinus vna cum suis, abnegata hæresi Monothelitarum, ad Ecclesiam Catholicam se contulerit. Denique *Petrus* Damascenus Episcopus, quod zelo fidei æstuans, Arabum ac Manichæorum cognationem palam arguisset, ab illis martyrium consecutus est: qui post abscisam linguã, expressiori voce Missas celebrauit. Alius autem Petrus apud Mauimenam iisdem temporibus, cum ægrotans primores Arabum, sibi antea assuetos eo quod esset Chartularius, aduocasset; *Vos* (inquit) *licet infideles amici fitis, testamenti mei testes esse volo; quod est tale: Omnis qui non credit in Patrem & Filium & Spiritum S Consubstantialem, & diuinam in vnitate Trinitatem, mortuus est anima, & æterno dignus tormento. Talis est Mahammath pseudopropheta vester, & Antichristi præcursor.* Qui ab illis ex morbo præter sensum esse existimatus, cum paulo post conualuisset, maiori incipiens voce, *Anathema Mahammath & fabulosis scriptis eius, & cunctis qui obedirent & crederent ei*, inclamare; gladio martyrium adeptus est. Hæc omnia Theophanes.

II. a *Zachar. ep. 1. Tom. 2. Epist.*

Hoc item anno Zacharias Papa, cum accepisset quas superiori anno diximus literas à S Bonifacio Apostolo Germanorum, ad ipsum epistolam *a* reddidit Calendis Aprilis, qua respondit dubiis ab eodem Bonifacio propositis; concessitque licentiam celebrandæ Synodi in ditione Carolomanni. Quibus acceptis, Bonifacius solicitus iussa Pontificis implere; hoc ipso anno Domini septingentesimo quadragesimo secundo, vndecimo Calendas Maij, SYNODVM celebrauit præsente Carolomanno; cuius adhuc extant *b* canones ad rectam constituendam, vel restituendam in illis partibus Ecclesiasticam disciplinam. Cuncta vero ibidem decreta, Romam ad Pontificem missa, ab eo comprobata *c* sunt.

Rom. Pontif. & Tom. 3. Conc. CONCIL. GERM. SVB BONIFAC.

b *Tom. 3. Conc. & in Vit. Bonif. lib. 1. c. 34. ap. Sur. 5. Iunii.*

Sed & hoc eodem anno, nondum absoluto Constantini Imperij primo mense Martij, idem Zacharias *Romæ* SYNODVM habuit; cuius Acta misit in Gallias ad Austrobertum Archiepiscopum Viennensem per Clementem presbyterum, quem idem Austrobertus Romam legauerat, nuntiaturum Ecclesiæ suæ miserandum statum à barbaris Saracenis dira passæ; pro cuius reparatione fuisse diutius ipsius Antistitibus laborandum, constat ex epistolis *d* eade re conscriptis.

c *Zachar. ep. 7 Vit. S. Bonif. l. 2. c. 6.*

III. CONCIL. ROM.

d *Ext. in Bibloth. Floriac. par. 2.*

IESV CHRISTI AN. 743.

ZACHAR. AN. 2.

CONST. COPRON. AN. 3.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo tertio, Indictione vndecima, Calendis Martij, à S. Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato, *ad Liptinas* congregatum est CONCILIVM, cui vna cum pluribus Episcopis interfuit Carolomannus Francorum Princeps, eiusque meminit Benedictus Leuita in proœmio libri quinti Capitularium Regum Francorum, recensetque nonnulla in eo decreta ad obseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ: quæ pariter habentur in Bonifacij Actis *a*, sed permixta cum aliis; quippe auctor cuncta quæ in tribus Synodalibus Conuentibus gesta esse noscuntur, sub vno congessit.

I. CONCIL. LIPTIN.

a *Act. Bonif. lib. 1. c. 34.*

Liquet vero ex iisdem Actis, & epistola *b* Zachariæ Papæ hoc eodem anno, decimo Calendas Iulij, ad eundem Bonifacium scripta pro confirmatione rerum in Synodo gestarum, damnatos etiam in ea fuisse duos impostores hæreticos, *Aldebertum* Gallum, & *Clementem* Scotum, pseudoepiscopos: quorum alter sacerdotium luxuria commaculans, ac publicis relictis ecclesiis Cruces in campis & Oratoriola statuens, falsis signis populum seduxisset, sibique sanctitatem ac secretorum cordium scientiam vendicans, suo etiam nomine ecclesias consecrasset, atque vngulas suas & pilos pro reliquiis portandos honorandosque traderet: sed & multa de mirabili suo ortu mentiretur; atque epistolam diuulgaret, quam diceret à Domino IESV scriptam de cœlo in ciuitatem Hierosolymam cecidisse, & per Archangelum Michaelem inuentam aliis innotuisse: ac denique affirmaret se Angelorum scire nomina, quorum plurima memoraret, veluti Vriel, Raguel, Tubuel, Simihel, aliaque eiusmodi monstra, quæ recitantur in Actis Synodi Romanæ postea in eadem causa (vt dicetur) habitæ à Zacharia. In quibus pariter, sicut & in aliis prædictis literis, de illo altero impostore asseritur, eum abnegasse canones sacros & expositiones sanctorum Patrum, ac decreta Synodalia; sed & impudicitiam simul cum sacerdotio iungentem, affirmasse, se post duos filios ex adulterio susceptos, esse posse legis Christianæ Episcopum; ac præterea Iudaismum introducentem, iustum esse dixisse Christiano viduam fratris defuncti accipere vxorem: demumque asseruisse, Christum resurgentem ab inferis nullum ibi reliquisse, sed omnes liberasse tam fideles quam infideles: atque multa alia horribilia de prædestinatione Dei effutiisse.

II. b *Zachar. ep. 9.*

DVO IMPOSTORES, NOVI HÆRET. DAMNATI.

Decretum fuisse præterea in eadem Synodo Liptinensi, vt pro Treuerensi, aliisque duobus Metropolitanis Germaniæ Episcopis, pallia peterentur à Romano Pontifice, ex eadem Zachariæ ad Bonifacium epistola constat. Sed accidit, vt cum nescio quo falso nuntio Bonifacius accepisset, pro iisdem palliis cõtra canonum statuta persolutã pecuniã esse,

III. PRO PALLIIS NIHIL ACCIPIENDVM.

esse, exigente Zacharia & Romanæ Ecclesiæ clericis; eius rei gratia ipse ad eundem Pontificem confestim literas dederit, quibus eum grauiter redarguit simoniacæ labis. Sed ei mitissime respondens *c* Zacharias asseruit nihil tale se cogitasse; cum nec etiam pro ipsis rescriptis ac diplomatibus quæ ab eius scrinio procederent, consueuisset aliquid exigi: quin potius anathematizare se omnes, quicunq; ausi essent donum Spiritus S. venundare.

c Zachar. ep. 8.

IV. ZACHAR. PAPA LIBERAT PRO RAVENNATIBVS.

Hac eadem vndecima Indictione, cum Luithprandus Rex Longobardorum Exarchatum Rauennæ armis sibi subiicere tentaret; Zacharias Papa Eutychij Exarchi, Ioannis Archiepiscopi Rauennatis, & vniuersi eiusdem ciuitatis ac totius Exarchatus populi precibus rogatus ipsorũ liberationem suscipere; missis frustra ad eundem Regem Legatis cum muneribus, demum relicto in Vrbe Stephano Duce ad eius curam habendam, adiens ipse Regem apud Ticinum, honorificentissime ab eo exceptus eundem ægre ab eiusmodi Rauennatium oppressione demouit: quæ pluribus Anastasius Bibliothecarius describit. Vbi autem à bellis cessatum est, hoc ipso anno, inchoata iam Indictione duodecima, annoque eiusdem Regis trigesimo secundo pariter inchoato, *Romæ* in Basilica S. Petri SYNODVM celebrauit; in qua *d* multa statuta sunt aduersus coniugia illicita, & personas Ecclesiasticas qui regulas Patrum transgrederentur; deque continentia clericorum, & aliis rebus ad disciplinam Ecclesiæ spectantibus.

CONCIL. ROM. *d* Reliqui huius Synodi Acta Baron. Annal. Tom. IX. hoc an. ex Bibl. Vatic. & Am.

Quod spectat ad res Orientales, hoc pariter anno, qui tertius numeratur Constantini Imperij, mense Septembri, quo duodecima Indictio incipit, idem Constantinus valido exercitu comparato Constantinopolim obsedit, Artabasdi copias manus secum conferentes vicit, ipsamque ciuitatem penuria maxima laborantem occupauit; capto que Artabasdum, ac duos eius filios, oculis priuauit, & quamplurimos ex iis qui eisdem præsto fuissent peremit, vel aliis tormentis afflixit; ac denique vrbem Constantinopolitanam direptioni militum exposuit: cumque post hæc Ludos equestres in Hippodromo celebraret, Artabasdum vna cum filiis & amicis ligatum introduxit; ac simul cum iis Anastasium pseudopatriarcham publice cæsum, & asini dorso verso vultu impositum circumduxit; quod ei olim S. Germanus Patriarcha prædixerat. Hæc Theophanes, Zonaras, aliique historici Græci: qui pariter asserunt, eundem Anastasium à Constantino adeo insigniter ignominia affectum, ab eodem esse rursum in thronum restitutum, quod non esset facile reperire alium qui eum æquaret impietate.

V. CONST. COPRON. IMPERIVM RECVPERAT.

LVDVS DE EPISCOPO CONSTANTIN.

Cum autem idem Constantinus accepisset res bene nuper gestas à Zacharia Romano Pontifice pro Rauennæ Exarchatu; quo eum magis demereret, quæ erant iuris Imperij quædam prædia donasse Romanæ Ecclesiæ, testatur Anastasius. Ceterum Zachariam sæpius eundem interpellasse, vt ab hæresi reuocaret, scripsit Hadrianus Papa in epistola *e* ad Constantinum & Irenem Augg.

VI. COPRON. IMP. QVÆDAM DONAT ECCLES. ROMAN.

e Ext. in Conc. Nic. II. Act. 2

IESV CHRISTI AN. 744.

ZACHAR. AN. 3.

CONST. COPRON. AN. 4.

I.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo quarto, Indictione duodecima, defuncto Stephano Episcopo Antiocheno vbi sedisset annos duos, permisit Hali Princeps Saracenorum, consecrari in locum eius *Theophylactum* Edessenum; virum (inquit Theophanes) magnæ virtutis, diuinisque charismatibus fulgentem.

II. NON ITERANDVS BAPTISMVS OB FALSAM LATINITATEM.

Hac item Indictione duodecima, & Constantini Imperij anno quarto, Virgilius atq; Sidonius viri religiosi, qui propagandi in Baioaria Euangelij coadiutores Bonifacio erant; cum oborta occasione opus esset eidem contradicere, dum ipsi videretur rebaptizandos esse, quos minister forma solita, sed vitiata Latinitate (nempe hoc modo, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*) baptizasset; modestiæ consulentes, maluerunt eum monendum esse per Romanum Pontificem. Quamobrem de his scripsere ad Zachariam Papam: qui acceptis litteris, ad Bonifacium rescripsit *a*, non esse iterandum baptismum ex falsa Latinitate, dummodo is qui baptizat, in ipsis baptismi verbis non introducat errorem hæreseos.

a Zachar. ep. 4 & in Vit. Bonif. lib. 2. c. 3.

III. LEGATIO A PIPINO, ET EPISC. GAL. AD ZACHAR. PP. DE REB. ECCL.

Quo pariter anno Pipinus Caroli Martelli filius, Carolomanni frater, Maior domus Regis Francorum, solicite curans res quæ ad Ecclesiam spectarent, tam suo quam Antistitum & Principum Francorum nomine, legationem cũ litteris misit per Eobanum presbyterum ad Zachariam Romanum Pontificem, vt ipsum de multis ad sacerdotalem ordinem, ac salutem animarum, illicitaq; coniugia pertinentibus consuleret. Quibus satisfaciens Pontifex, ad eundem *Christianissimum* (vt vocat) Pipinum, & Antistites rescripsit epistolam *b*, viginti septem continentem responsionum capita, desumpta ex canonibus Apostolorum, ac decretis Summorum Pontificum & Conciliorum. Atque vt ea ob seruarentur, Bonifacio *c* rescripsit Concilium cogere, deque eisdem canonice custodiendis inter Episcopos agere.

b Rec. Bar. Tom. IX. hoc an. ex Bibl. Vatic. c Ext. epist. in Vit. S. Bonif. lib. 2. c. 7.

IV. LVITPRANDI OBITVS, ET MORES.

Hoc item anno contigit obitus Luithprandi Regis Longobardorum, postquam regnasset (vt quidem Paulus Diaconus docet in fine Historiæ eius gentis) annos triginta vnum & menses septem: quem etiam sub Indictione duodecima fuisse adhuc superstitem, testantur Acta Synodi Romanæ anni superioris. Laudat illum idem Paulus de sapientia, pietate, iustitia, castitate, fortitudine, aliisque pacis ac belli virtutibus: eundemque omni tempore plus orationibus quam armis fidisse ait; maximaque semper cura Francorum, Auarumque pacem custodisse. Nec sane negãdum est, multa fuisse huius Principis laude dignissima, licet eum interdum furor in malum præcipitem egerit. Porro successit ei Hildebrandus ipsius nepos: qui dominium asperum in Lõgobardos exercens, ab iisdem simul conspirantibus redactus est in ordinem, postquam tenuisset regnum septem tantum menses, atque in eius locum subrogatus Rachis Dux Foroiulienſis; quem ob virtutem bellicam, humanitati ac pietati coniunctam, dignum existimarunt qui fortissimæ Longobardorum genti præesset: ad quem mox Zacharias Papa (vt habet Anastasius) legationem misit pro pace Italiæ, quæ in annos viginti confirmata est.

IESV CHRISTI AN. 745.

ZACHAR. AN. 4.

CONST. COPRON. AN. 5.

I. CONCIL. IN GERM. SVB BONIF.

ANno Christi septingentesimo quadragesimo quinto, Indictione decima tertia, habitum est CONCILIVM in Germania à S. Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato: vbi ea quæ succreuerant in agro, licet sæpe culto, spineta, vna cum collegis Episcopis, auxilio Christianissimorum Principum Carolomanni & Pipini succidit. Actum est in eo præcipue de duobus illis hæreticis, Aldeberto atque Clemente, de quibus supra; qui etsi iam in Synodo Liptinẽsi condemnati fuissent, tamen adhuc populum seducere non desisterent: visumque est, de iis referendum esse ad Romanum Pontificem. Sed & Gerulio Episcopus Moguntinus exauctoratus est, tum ob voluntarium ac fraudulentum homicidium ab ipso commissum in virum, qui olim patrem ipsius æque Moguntinum Episcopum in prælio occidisset; tum quod auibus & canibus delectaretur, quod Episcopo fas non esset: inque locum eius, iisdem adnitentibus Principibus, subrogatus est *Bonifacius* ipse, qui hactenus Apostolatui tantum Germaniæ generatim mancipatus, nulli fuerat adscriptus certæ sedi: & vt eius dignitas esset eminentior, statuerunt Ecclesiam Moguntinam, quæ tum alteri subiecta erat, in totius Germaniæ Metropolim prouehere; missaque legatione, id à Romano Pontifice impetrarunt. Hæc pluribus in Rebus *a* gestis eiusdem S. Bonifacij. Sed pertinet quoque

S. BONIF. ELIGITVR EPISCOP. MOGVNT.

a Vit. Bonif. lib. 1. c. 37. ap. Sur. 5. Iunii.

ad hanc Synodum, quod idem Sanctus zelo charitatis exæstuans, cum sciret Regem Merciorum in Anglia, Athelbaldum nomine, vitam scelestissimam, ac præcipue carnis spurcitiis inquinatam ducere, iuraque Ecclesiarum infringere, earumque facultates auferre consueuisse; vt eum ad meliorem frugem conuerteret, nomine non suo tantum, sed & Episcoporum qui Synodo interfuerunt, & auctoritate Romani Pontificis, epistolam scripsit commonitionibus paternis plenam; cuius etiam facta est superius *b* mentio in morte Caroli Martelli.

b An. 741. nuil.

II. CONCIL. ROM. CONTRA NOVOS HÆRET.

Vt autem quæ in Synodo aduersus hæreticos fuere decreta, tenaciori vinculo firmarentur; cum idem Bonifacius legasset Romam ad Zachariam Papam Deneardum presbyterum, continuo Pontifex hoc ipso anno mense Octobri, cœpta iam Indictione decimaquarta, Constantini Imperij ex quo cum patre regnare cœpit anno vigesimo sexto, coacta *Romæ* in Patriarchio Lateranensi CONCILIO Episcoporum septem, & presbyterorum decem & septem, ac reliqui Cleri Romani, eosdem hæreticos, eorumque errores impios ac ridiculos, quos iam antehac retulimus, condemnauit: dignisque igne iudicatis eorum scriptis, censuit tamen opportunum, vt ad reprobationem in scrinio Romanæ Ecclesiæ conseruarentur ad perpetuam confusionem. Cuius quidem Acta Synodi extant integra in Vita eiusdem *c* Bonifacij; atque in eis nouum illud reperitur, vt ea causa tribus vno die habitis sessionibus (quod vix alibi factum reperias) absoluta fuerit. Sed & extat ibidem *d* alia Zachariæ ad Bonifacium epistola, qua cetera omnia in Synodo Germanica statuta pariter confirmauit.

c Ibid. lib. 2. c. 4.

d Cap. 7.

IESV CHRISTI AN. 746.

ZACHAR. AN. 5.

CONST. COPRON. AN. 6.

I. MVLTIPLICIA PORTENTA IN ORIENTE.

ANNO Domini septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione decimaquarta, anno sexto Constantini solius imperantis, à die quarta Augusti vsque ad Octobris Calendas, in Oriente factæ sunt tenebræ caliginosæ; quas secuti sunt terræmotus prodigiosi in Palæstina ac tota Syria: & pestis ingens, Bubonis dicta, è Calabria & Sicilia orta est; quæ Constantinopolim aduenientes, ita eam per tres annos depasta est, vt pene desertam reddiderit; & cũ repleta cadaueribus fuissent omnia monumenta, lacus, vineæ, horti, vix superesset locus vbi mortui sepelirentur. Ea vero qui moriebantur, primo in ipsorum vestimentis cruciculæ inuisibiliter imprimebantur, moxque lue tacti vitam finiebant: cum & insuper quam plurimi multis spectris & phantasmatibus miserabiliter vexarentur. vt aperte cerneretur, has à Deo clades immissas esse, vt homines à peccatis reuocarentur, ipseque imprimis impius Constantinus Imperator his admonitus à blasphemiis suis abstineret. Verum ille, vt Pharao quondam, datus in sensum reprobum, obduratus permansit. Hæc omnia Theophanes: quæ eadem confirmantur in oratione de S. Platone, à S. Theodoro Studita insignis sanctitatis & doctrinæ huius temporis monacho, de quo sæpe inferius.

Hac item Indictione decimaquarta, qua & absoluitur secundus Rachisis Longobardorum Regis annus, idem Rex *Conuentum* cogens omnium Principum suæ gentis, vt publicis in rebus comitiis vna simul agerent de Legibus Longobardorum, vel emendandis, vel addendis: eas ex sententia omnium bene dispositas promulgauit, vt constat ex præfatione quam illis præposuit.

IESV CHRISTI AN. 747.

ZACHAR. AN. 6.

CONST. COPRON. AN. 7.

ANNO Christi septingentesimo quadragesimo septimo, Indictione decimaquinta, Carolomannus Caroli Martelli filius primogenitus (de quo iam dictum) bello paceque præstantissimus, sed amore in Deum longe præstantior; hortante *a* S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, relicto Principatu fratri suo Pipino, Romam accessit; vbi suscepto habitu monastico, ac postea constructo in monte Soracte in honorem S. Siluestri Papæ, qui illuc diutius olim delituerat, monasterio, ibi aliquandiu commoratus est: sed importunius interpellatus à nobilibus Francis, qui Romam frequẽter peregrinarentur, remotiorem locum quærens, nobilissimum S. Benedicti Cassinense monasterium petiit; vbi primo incognitus, postea vero miro casu dum ministerio coquinæ inseruiret cognitus, cũm in pascendis ouibus monasterij, tum in aliis vilibus officiis, summa humilitate & obedientia sanctissimam vitam duxit. Hæc omnes antiquiores recentioresque auctores *b* tradunt, licet in aliquibus paulo diuersus alter ab altero. Res vero gestas eiusdem sancti Principis fusius prosecutus est Walfridus Strabo. Sed quod ad tempus, quo is nuntium remisit sæculo; vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, aliique *c* Scriptores, hoc ipso anno factum ponunt: Ado autem Viennensis, Rhegino, & alij plures, superiori: cum tamen ex quibusdam Zachariæ Papæ ad Bonifacium epistolis *d*, post aliquot etiam annos id accidisse colligi posse videatur. Quot vero annis monachus vixerit, inferius suo loco dicturi sumus.

I. *a Vit. S. Bonif. lib. 1. c. 36. ap. Sur. 5. Iunii.* CAROLOMANNVS PRINCEPS FRANC. VITAM MONAST. AMPLECTITVR. *b Vit. Bonif. lib. 1. c. 36. Egin. in Vit. Carol. Mag. Anast. Bibl. in Zachar. Rhegin. in Chron. ab. 756. Leo Ostiens. Chron. Cassin. l. 1: t. 7. Walfr. Strab. in Vit. ipsius Carol. ap. Sur. 16. Neumb. & al. c Sigeb. in Chron. & Lambert. hoc an. d Ext. in Vit Bonif. lib. 2. c. 8. & 10.*

IESV CHRISTI AN. 748.

ZACHAR AN. 7.

CONST. COPRON. AN. 8.

I. HÆRESIS NEGANS NECESSITATEM BAPTISMI. *a Zanc. ep. 10. & in Vit. Bonif. l. 2. c. 8.*

ANNO Christi septingentesimo quadragesimo octauo, Indictione prima, *S. Burchardus* Episcopus Wirtzburgensis, siue Herbipolensis in Germania, Romam se contulit: cui ad Zachariam Pontificem S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus litteras dedit, quibus ex more de multis dubiis eum consuluit; monuitque inter alia, de *Sampsone* quodam presbytero genere Scoto, qui negabat sanctum Baptisma esse necessarium ad salutem, sufficere asserens Episcopalis manus impositionem. Ad quæ Zacharias hac ipsa Indictione prima Calendis Maij rescribens *a*, iussit vt eundem nequissimum hæreticum ab Ecclesia expelleret. Qui autem ibidem impingitur Virgilio presbytero, Apostolico plane viro, error, quod alius Mundus *b* & alij homines sub terra sint, aliusque Sol & Luna; hæc, aliaque nonnulla, quæ eadem epistola de eodem Virgilio referuntur, ad Bonifacium primo, & per eum ad Zachariam perlata, commentum fuisse pranorum & inuidorum hominum, declararunt euenta: siquidem & ea mox vt inania penitus euanuerunt, & ipse *Virgilius* auctus Episcopatu, perseueranit in suscepta semel Apostolica functione, & longe lateque Euangelium in gentes finitimas propagauit; quem & solennibus ritibus inter Sanctos relatum à Gregorio Nono Romano Pontifice, vetera monumenta testantur.

I. *b* [Dubitasse de Antipod. diis, non est hæresis: sed plures statuisse mundos, diuinæ repugnat Scripturæ; ac proinde hæreticis esse connumeratur.]

Sub hac item prima Indictione, datæ extant litteræ nomine Zachariæ Papæ, (sed male eiusdem Pontificatus anno item primo consignatæ) de priuilegiis concessis monasterio Cassinensi: inter quæ fuit illud *c*, vt ipsum ab omni Episcoporum ditione liberum esset, præterquam Romani Pontificis.

II. *c Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 4.*

IESV

IESV CHRISTI AN. 749.

ZACHAR. AN. 8.

CONST. COPRON. AN. 9.

I. DIRI TERRAMOTVS, ET ALIA PORTENTA, IN ORIENTE.

ANno Domini septingentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, terræmotu ingenti multæ in Syria ciuitates subuersæ sunt, ac non nullæ à montanis ad campestria cum muris & habitatoribus suis integræ & incolumes translatæ ad milliaria sex & vltra; sed & Mesopotamiæ terra in altera extremitatum disrupta fuit ad milliaria duo, & ex profundo eius ascendit alia terra alba & arenosa, de cuius medio erupit animal mulinum humana voce loquens, & prænuntians gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes: quod & factum est. Hæc Theophanes, sui temporis historiam prosecutus. Quæ quidem portenta & spectra Deus ostendit, cum imperaret Copronymus portentosus.

II. DAMASC. EXCITATAM HÆRESIM EXTINGVIT.

Sed & additum in Syria malum, dum Anastasius Abbas monasterii S. Euthymii extinctam hæresim perditissimi Cnaphei, (quæ eo tendebat, vt cum vnam in Christo naturam contra Chalcedonense Concilium prædicaret, hymnoque Trisagio adderet, *Qui crucifixus es pro nobis*; sanctissimæ Trinitati æque crucem adscriberet) in lucem reuocare laborauit. Sed quam citissime ei occurrens S. Ioannes Damascenus, eumque confutans egregia illa atque prolixa epistola de Trisagio ad Iordanem Cœnobiarcham; sui celebritate nominis, eandem hæresim antequam vulgaretur extinxit.

III. VOTVM NVNCVPAT PIPINVS S. SVVIBERTO.

Quod ad res Germanicas spectat; hoc item anno Pipinus Maiordomus Regni Francorum, Saxones & Westphalos adhuc Gentiles debellauit. Cum vero Coloniam Agrippinam rediret, & Westphali impatientes dominii Christianorum, congregata noua militum manu ipsius exercitum ex improuiso prope Werdam inuasissent, facto a Pipino voto Deo, & S. Svviberto primo Werdensi Episcopo, Saxonum & Frisiorum appellato Apostolo, de visitando cum supplicationibus eius corpore, quod ibidem Werdæ quiescebat; immensa continuo lux super Christianorum exercitum splendens, tantum Paganis, ex ea ferme exæcatis, timorem incussit, vt statim armis depositis, sese iterum Pipino subiecerint; qui in gratiarum actionem, Sancti sepulchrum discalceatus cũ primoribus suis visitauit, & regalia ipsi munera obtulit. Narrat ista S. Ludgerus primus Monasterienſis Episcopus in epistola [a] ad Xixfridum Traiectensem Episcopum de miraculis S. Svviberti.

a Ex ap. Sur. in Append. ad Vit. S. Svvib. 1. Mart.

IESV CHRISTI AN. 750.

ZACHAR. AN. 9.

CONST. COPRON. AN. 10.

I. RACHIS REX LONGOB. FIT MONACHVS.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo, Indictione tertia, Rachis Longobardorum Rex etsi maxime pius atque pacificus, nulla tamen habita ratione pacis vicennalis sanctæ cum Romano Pontifice, nescitur qua occasione Pentapolitanam inuasit vastauitque prouinciam, atque Perusiam obsidione cinxit: sed cum hoc audito Zacharias Papa illum adiisset, non solum persuasit, vt à cœptis desisteret; sed & salutaribus monitis ita eius animum ad spiritualia accendit, vt post aliquantos dies regalem exuens dignitatem, Romamque accedens, monasticum habitum ab eodem Pontifice acceperit, vna cum vxore & filia. Hæc Anastasius [a]. Eadem & Leo [b] Ostiensis; qui addit, eundem iussu Pontificis petisse monasterium Cassinense, & post aliquot religiosæ conuersationis annos feliciter quieuisse; sed & ipsius vxorem Thesiam, ac filiam Rattrudam, haud longe a Cassino monasterium construxisse, & in sancto proposito viram finisse. Successit autem hoc anno Rachisi in Longobardorum regno *Aistulphus* eius frater, consensu Principum Longobardorum. Etenim cum Leo & alii testentur, Rachisim annos quinque & sex menses regnasse, vtique in hunc vsque annum propagasse regnum apparet.

a Anast. in Zachar. b Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 8.

IESV CHRISTI AN. 751.

ZACHAR. AN. 10.

CONST. COPRON. AN. 11.

I. REGNVM FRANC TRANSFERTVR IN PIPINVM.

ANno Domini septingentesimo quinquagesimo primo, Indictione quarta, Francorũ Monarchiæ bene consulturus Zacharias Papa, ipsorum Regnum, quod sub Regibus Merouingis inertibus, & nouissime sub *Hilderico*, siue *Childerico Stupido* dicto, periclitaretur; consultus de his à Francis, Apostolica auctoritate in *Pipinum* Caroli Martelli filium, Carolomanni germanum, Maiorem domus regiæ, pietate, ac multis cõtra hostes victoriis clarissimum, transferri mandauit; eundemque Regem creari iussit, Hilderico anno sequenti detruso in monasterium.

[Hoc translationis Regni Francorum à Childerico in Pipinum opus, operosissimum ipsum, non leuem plerisque, ac præcipue nostratibus, occasionem intulit de eo etiam cum indignatione differendi. Periculosissima sane eiusmodi mutatio, pauendumque exemplum, atque etiam tum non parui momenti metusque existimatum. Placet hic appendicis vice adnectere, quæ de his Paulus Æmilius, accuratissimus Rerum Francicarum scriptor, ex antiquioribus monumentis eleganti suo stylo retulit. Is igitur, postquam Pipini egregia facinora, adeptasque de internis & externis hostibus victorias, ac restituta sacra, sanctique viris honores exhibitos, breuiter descripsit; hæc postmodum subdit: *Iam Pipinus etiam sanctis sanctius videri. Ipse primum pietate sua gaudere, hominumq; de se iudicium defensa pietate non refugiendum fructum cum iucunditate referre. Deinde vt animi mortalium prone in spem maximarum rerum sunt, Regium nomen non dissimulanter affectare. Childericus enim Rex mente stupens, vita ignauus eius cupiditate videbatur, ac regio nomine indignus, seligui dehonestamentum. Vna erat Pipinum deterrebat, quod regum nomen in quoscunque ac qualicunque foret, sanctum augustumque semper fuerat. Quis nam tam rudis, tam que stolidi vertice inueniri posse, qui de Regni transferendo à Magni Clodouei stirpe verba facere audeat? Nimirum hoc tantum, tamque nouum exemplum rem alibi tentandam esse, quam in Francia, quæ sacramenti Regi dicto deuincta, religione teneretur. Vbi autem melius quam in Vrbe Roma, fons virtutis sanctitatisque seminario, rationem & ritum haberi posse? quam vnam vmbra Regum imaginarioque sceptro ac stupido Childerico statuebat opponendam: & beneficia patrui erga Pontificem Rom. Sedemque Petri à Longobardorum Rege socio amicoque defensam, non parum ponderis habitura confidebat. Simul suæ quoque in Christianum nomen merita, ac Magistrum equitum, quod Regnum fastigium excessisse videri poterat: hæc omnia mouebant. Ergo Burchardum Virburgensem Episcopum ad Zachariam Pont. Maxim. oratorem misit, vt Francis de iure in iurando relig one qua se Childerico deuinxerant. Subiicit luculentam orationem Burchardi ad Pontificem: ac demum; Oratione Episcopi motus Zacharias, tanto minime audebat tum magni momenti cogitationem suscipere: idcirco cum Frances proceres mira consensione a nomen Pipino adesse; cupereque compertum exploratumque habuisse, vnumque Childericum Regem reliquam esse Magni Cledouei sobolem, sed liberis, sine ingenio, cuique ingenuo dolori amissum Regnum ipsi futurum non esset, nec vquam esse qui eius vicem quererentur: Frances sacramento Regi Childerico dicto solut: hinc, consentu habito Pipinum Regem salutauere. In decretum tamen abiit o Magistrio equitum animum tanta moles res protracta est: cui vbi alius nota exortus est; quales cum terrore ac formidine magnarum temporum mutatio afferre soler. Tanta spes Pipini, tanta Childerici contemptio. Audisti rem gestam, & Regni translationis artes. Audiant & Reges, non contemnere dignitatem suam, ne contemptui populis ipsi fiant; sed Reip. administrationi sedulo inuigilantes, haud patiantur opes & potentiam ad alios deuolui, qui demum illas in Regum ipsorum perniciem conuertant. Minime tamen negari potest, felicem tunc fuisse non solum Galliæ, sed & vniuerso terrarum Orbi, Ecclesiæque Catholicæ, hunc procerum Francorum populorumque conatum. Vtinam & immortalis fuerit ea translatio; pariatque in æuum nobis PIPINOS, CAROLOS, & LVDOVICOS, iustitiæ cultores, fidei Christianæ propagatores, religionis Catholicæ illibatos custodes, hæresum extirpatores, & S. R. E. aliarumq; ei firma connexione iunctarum potentissimos defensores, atque locupletatores. Fiat: fiat.]

II. DE TEMPORE HVIVS TRANSLATIONIS

Scimus complures auctores in superiorem annum ista referre; verum id hoc anno factum, persuadet vetus Chronicõ Francorum à Pithœo editum: itemque quod Aimoinus tradit, id accidisse post decem annos, ex quo Pipinus defuncto patri successit in regni Principatum, titulo Maiorisdomus. Porro citatum Chronicon non vno tempore hæc esse gesta testatur; sed hoc anno contigisse legationem à Pipino ad Romanum Pontificem (missam eam per Burchardum Wirtzburgẽsem Episcopum, & Wolradum siue Fulradũ Abbatem

S.Dionysii ac summum Pipini Capellanum) vt eum de ea re consulerent: sequenti vero Zachariam Pontificium decretum missse in Gallias, & reliqua rite peracta fuisse; adeo vt nomen Regis nonnisi sequenti anno Pipinus fuerit consecutus. Quod quidem etiam confirmatur ex literis *a* eiusdem Zachariæ datis pridie Nonas Nouembris Indictionis quintæ, quæ cœpta est mense Septembri huius anni, ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, de nonnullis ipsius consultationibus Ecclesiasticis, ac de priuilegiis concessis eidem Ecclesiæ Moguntinæ, necnon monasterio Fuldensi ab ipso Bonifacio nuper constructo, & à Carolomanno magnis reditibus locupletato: in quibus litteris non Rex, sed Princeps, vt antea, idem Pipinus cum aliis appellatur.

a *Ext in Vit. Bonif. lib. 2. c. 9. & 12.*

III.

Quod spectat ad præsentis anni res Orientalis Ecclesiæ: hoc tantum proditur, quod *Theodorus* creatus est Episcopus Antiochenus; vt Theophanes auctor est, qui eum sex annos sedisse asserit.

IESV CHRISTI AN. 752.

STEPHANVS II.

STEPHANVS III. AN. 1.

CONST. COPRON. AN. 12.

I. PIPINVS CORONATVR REX FRANC.

ANno Domini septingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, PIPINVS in Regem Francorum vnctus est Suessione à S.Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, ex mandato Zachariæ Romani Pontificis: Hildericus vero Rex vltimus Merouingiorum depositus, & in monasterium missus. Hæc enim veteres Annales à Pithœo editi hoc anno accidisse tradunt; quamuis in annum superiorem alii id factum referant, vel ante biennium alii; vt superius dictum est. Quod autem ad rem gestam attinet; eam absque controuersia asserunt scriptores omnes rerum Francicarum, siue veteres, siue recentiores.

II. ZACHARIAS PP. OBITVS.

Quo pariter anno idem *Zacharias* Papa, vbi sedisset annos decem, menses tres, & dies decem; decimaquinta Martii ad Deum feliciter migrauit; ac sepultus est apud S. Petrum, & inter Sanctos relatus. Hæc ex Anastasio, & Romano Martyrologio. Habet vero præterea idem Anastasius multa de ædificiis sacris ab eodem Pontifice erectis aut restitutis, & pretiosis ornamentis atque amplis reditibus locupletatis: necnon de capite *S. Georgii* martyris inuento, ac solemni processione translato ad diaconiam eius nominis, vbi multis miraculis coruscauit. Tradit insuper, ab eodem Pontifice traductos esse in linguam Græcam quatuor libros Dialogorum S. Gregorii Papæ; cuius assertionis adstipulatorem habet Photium tomo secundo suæ Bibliothecæ. Denique ab eodem Zacharia concessam esse Pipino Regi *Nominationem*, quam vocant, siue postulationem Episcoporum pro Ecclesiis vacantibus in regno Francorum, constat ex epistola quadam Lupi *a* Abbatis monasterii Ferrariensis Senonum in Gallia, ad Amulam Archiepiscopum Lugdunensem longe post hæc tempora scripta. Vt intelligas, cum legis à Regibus datos Ecclesiis esse Episcopos, totum id factum, non iure proprio, (quod nullum penitus in rebus Ecclesiasticis Reges habent) sed concessione Apostolicæ Sedis.

NOMINATIO EPISC. CONCESSA PIPINO. *a Lup. Ferrar. ep. 81.*

II. *b Ap. Canis. an. iq. Lect. tom. 1.*

Prodiit *b* quoque haud ita pridem vetus auctor *Metellus* monachus Tegerensis qui versibus Quirinalia scripsit nempe Translationem ad Noricos corporis S. Quirini martyris, & miracula eiusdem virtute edita: ex quo patet, sub eodem Zacharia Papa Vrbem Romam grauissimam deprædationem passam à barbaris Africanis, liberatam esse per Noricos quosdam proceres, qui peregrinationis causa Romam venerant, eosdemque meritorum virtutis ergo donatos esse ab eodem Pontifice venerando corpore S. Quirini.

IV. STEPH. PP II. ELIGI-

Sed vt ad sui decessorem eius deueniamus; postquam ab illius obitu sedes vacasset dies duodecim, sexto Calendas Aprilis subrogatus est ei successor STEPHANVS quidam presbyter, qui tertio creationis die cum à somno surgeret, & sedens causas familiares disponeret, subito alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est. Hæc Anastasius. Propter cuius breuitatem temporis, factum est, vt à pluribus hic Stephanus dimittatur in serie Romanorum Pontificum, cum tamen vere Pontifex fuerit. Post ipsum autem electus est ex Diacono Pontifex, alius item STEPHANVS eius nominis Tertius, filius Constantini, patria Romanus: qui inter alias virtutes, maxime fuit misericors erga pauperes; adeo, vt simul ac Pontificatum adeptus est, antiqua xenodochia restaurauerit, & noua construxerit, ac reditibus dotauerit: vt testis est idem Anastasius.

TVR, ET MORITVR.

STEPH. III CREATVR

Inter hæc dum bellicis incursionibus Longobardorum Rex Aistulphus Romanam atque Imperialem ditionem deuastaret, multasque iam ciuitates occupasset; idem Stephanus Papa mittens ad eum cum muneribus germanum suum Paulum Diaconum, in quadraginta annos pacem cum eo firmauit. Sed post quatuor vix menses eam Rex periurus infringens, haud vltra valuit à prauis suis conatibus, iteratis licet ab eodem Pontifice atque etiam ab Imperatore, legationibus dimoueri. Hæc pluribus Anastasius. Porro Aistulpho moribus longe dissimilem eius vxoris fratrem *Anselmum*, hoc ipso anno Nonantulam nobile monasterium in agro Mutinensi construxisse in honorem Apostolorum, Sigebertus & alii testantur: eundemque monasticam vitam esse professum, & in Abbatem promotum ducentis monachis præfuisse, Ricobaldus affirmat.

V. AISTVLPHI REG LONGOB. CONATVS.

IESV CHRISTI AN. 753.

STEPHAN. III. AN. 2.

CONST. COPRON. AN. 13.

I. STEPH. PP. LABORAT PRO SALVTE VRBIS ET ITALIÆ, ADVERSVS LONGOB.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, cum properaret Aistulphus Longobardorum Rex in Romanæ ditionis vexationem, quam sibi subiicere vehementissimo ardebat desiderio, Stephanus Papa missa Constantinopolim legatione, Imperatorem hortatus est, vt ad defensionem iurium quæ supererant Imperii Romani in Italia, exercitum mitteret: ipseque interea frequentibus, atque humillimis processionibus & litaniis, cum vniuerso Clero Populoque Romano Deum placare contendit. Quod vero minima spes esset, vt Imperator Italiam defenderet, nec iteratis sæpe muneribus ac legationibus durus Aistulphi animus emolliri valeret, idem Pontifex ad gentem Francorum, Romanæ Ecclesiæ amantissimam, exemplo decessorum suorum, recurrendum esse putauit: conscriptisque secreto per quendam peregrinum ad Pipinum Regem litteris, petiit, vt mitteret qui ipsum Pontificem in Gallias deducerent. Nec mora, Legatos suscepit Rodigangum Episcopum, & Anthcarium Ducem; qui aduenientes dum ipsi Vrbs Roma obsidione vallaretur, & alia simul oppida obsiderentur: eundem Pontificem, ipso petente, primum Papiam ad Aistulphum Regem comitati sunt, vt ab eo precibus exigeret restitutionem ciuitatis Rauennæ, eiusque Exarchatus; postea vero cum nihil impetrare potuisset, eundem, inuito licet Aistulpho, & modis omnibus iter ipsius impedire satagente, in Gallias incolumem perduxerunt. Vbi tanto illum honore Christianissimus Rex Pipinus, obuiam ei cum vxore ac liberis factus, excepit, vt non solum pedibus eius sese prostrauerit, sed & vice stratoris iuxta eius equum ambulans aliquantum itineris deduxerit. Hæc omnia fusius Anastasius; qui hunc ipsorum congressum contigisse ait apud Ponticonem in die sexta mensis Ianuarii anni sequentis.

EIVS ADVENTVS IN GALLIAS.

II. TVRPIS EXITVS EPISCOPI CONST.

Quod ad res Orientalis Ecclesiæ spectat; hoc ipso anno decimotertio Imperii Constantini, Anastasius (inquit Theophanes) qui scelerate Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit, mortuus est corpore simul & anima, miserabili passione quæ dicitur Chordapsos fatigatus, qua & stercus per os

euomuit;

euomuit; dignam exoluens vindictam pro audacia qua contra Deum, & contra suum magistrum S. Germanum exhibuisset.

IESV CHRISTI AN. 754.

STEPHANI III. AN. 3.

CONST. COPRON. AN. 14.

I. De tempore vnctionis Pipini Reg.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo quarto, indictione septima, ipso mense Ianuario, Stephanus Papa à Pipino Rege Christianissimo Parisios honorificentissime deductus, in monasterio S. Dionysii habitationem accepit; vt ait Anastasius. Sed quod addit, eundem Pipinum, eiusque filios ab eodem Pontifice tunc esse vnctos in Reges Francorum; aduersantes habet Latinos omnes historicos, qui vnctionem Pipini iam antea iussione Zachariæ per S. Bonifacium factam asserunt: verum habet Anastasius testem Theophanem *a* huius temporis Græcum auctorem, qui æque Pipinum prouectum in Regem per Stephanum tradit. Et (quod maius cæteris testimonium existimari debet) ipse Ludouicus Imperator Caroli Magni filius, Pipini nepos, in epistola ad Hilduinum scripta, quæ habetur in Areopagiticis, assertor est vnctionis Regum à Stephano factæ. vbi & additur, ipsum Pontificem Francorum proceres auctoritate B. Petri sibi à Christo Domino tradita obligasse & obtestatum esse, vt nunquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipsi vel quique ex eorum progenie orti, Regem super se præsumerent aliquo modo constituere, nisi de eiusdem Pipini, eiusque liberorum propagine, quos diuina prouidentia ad Sedem Apostolicam tuendam eligere dignata esset. Denique licet in Regem antea Pipinus prouectus fuerit, tamen nonnisi ab hoc tempore cœptos esse numerari annos ipsius regni, docent nonnulla vetera monumenta *b* Francorum. Vt dicendum videatur, voluisse eum ab ipsomet Rom. Pont. confirmari, quod prius fuerat ab eius Legato, de ipsius licet mandato, præstitum: Vel Pipinum solum à Bonifacio, ab Stephano vero etiam filios inunctos & coronatos fuisse; acceptumque prius regnandi ius, augustiori tunc solemnitate confirmatum esse.

a Theoph. ad an. 754.

II. Steph PP. sanatvr à S. Dionysio.

Præcessisse vero eandem de vnctione Regum functionē, Stephani Papæ vehementem ægritudinem, à qua diuinitus fuerit sanatus; auctor est Anastasius. Sanatum autem esse beneficio S. Dionysii; hortantibus SS. Apostolis Petro & Paulo qui omnes eidem Stephano oranti apparuerunt, idem ipse Pontifex docuit publicis suis literis *c* ad illustrandam eiusdem S. Martyris gloriam scriptis. Habet insuper S. Ludgerus *d* Episcopus Monasterienſis, egisse Pipinum Regem cum Stephano Papa de canonizatione magni illius Sancti Sviberti, cuius ope eundem hostes vicisse vidimus; ipsumque Pontificem quibusdam Episcopis commisisse vices suas, vt de Vita & miraculis eiusdem Sancti requirerent; sed eos propter incursiones Saxonum rem distulisse; eleuasse tamen eius venerandum corpus Colonienſem Archiepiscopum, in cuius parochia migrauerat ad Christum. Porro de ipsa eiusdem solemni facta canonizatione à Leone Papa Quarto, dicetur suo tempore.

b Lib. 2. mir. S. Othomari, c. 5. ap. Sur. 16. Nouemb. ex Walfrido, & Ilone monacho.

c Ext. ap. Hilduin. in Areop. ap. Sur. 9. Oct.

d Ludger. ep. ad Xfrid. Epist. Transl. in Alemand. ad Vit. S. Suvib. ap. Sur. 1. Mar.

III. e Walfr. de reb. Eccles. c. 25 in fi. Sacer cantvs restitvtvs in Gall.

Denique Walfridus *e* Strabo tradit, hoc tempore Ecclesiam Gallicanam à Stephano Papa per Romanos Clericos, cantus Ecclesiasticos perfectius edoctam esse. Et quibus corrigas quod in Rebus gestis Caroli Magni à monacho S. Galli conscriptis *f* traditur, non à Pipino, sed à Carolo Magno petitos mitti Roma Cantores; qui inuidentes gloriæ Francorum, eos falsa docuerint, eiusque criminis pœnas dederint. quamuis & certum sit, & ipsum quoque Carolum Magnum dignam nauasse operam, vt corruptus cantus Gallicanus per Romanos Cantores restitueretur; eaque de causa duos reliquisse ex suis apud Hadrianum Papam, turſumque alios duos expetiisse ab eodem Hadriano: id omni fide testante Eckerhardo Decano S. Galli, eiusdem temporis auctore, in Vita *g* S. Notkeri, necnon Pithœi Chronico *h*; quibus locis plura habentur de eiusmodi cantus introductione, ac reformatione.

f Ap. Canis. antiq. Lect. Tom. 1.

g Ap. Canis. Tom. 6.

h Ann. 787.

Sed vt ad res bellicas accedamus; cum Aistulphus impius Longobardorum Rex timeret sibi à Pipino Rege, idem Carolomannum eiusdem Pipini fratrem primogenitum, à monasterio Cassinate extractum, coegit Gallias adire, vt eum ab expeditione in Italiam reuocaret. Verum hæc parumpendens Pipinus, eundem Carolomannum fratrem suum non permisit in Italiam redire, sed in alio monasterio in Francia constituit; vbi non multo post feliciter ex hac vita migrauit. Hæc ex Anastasio. Cæterum ipsum Carolomannum ad hoc iter ab Abbate Cassinatis monasterii inuitum compulsum fuisse, (ne scilicet, quod alias factum fuerat, idem monasterium tanto labore restitutum, iterum per Longobardos exciderentur, id minitante impio Rege;) Leo *i* Ostiensis atque Aimoinus *k* tradunt. Addit quoque Ostiensis, eundem Pipinū Carolomanni fratris defuncti corpus loculo aureo conditum, cum aliis pleriſque muneribus ad monasterium Cassinense remisisse. Cum autem idem Rex Christianissimus hortatu Stephani Papæ legatos sæpius ad Aistulphum misisset, vt omnia pacifice transigerentur, nec aliquid ab illo barbaro impetrare valuisset; tandem cum exercitu ipse Alpes transgrediens, in ipsis montium faucibus eundem Aistulphum præliho vicit, fugarumque insequens Papiæ obsedit; cum Pontifex nouam timens Christiani sanguinis effusionem, eum coegit, vt accepto ab Aistulpho iuramento, obsidibusque pro restituenda Rauenna, aliisque ciuitatibus, ipse in Gallias regrederetur. Horum quidem testis est Anastasius. Additque Paulus Æmilius, Pipinum domum gloriam retulisse, se omnium mortalium primum, nullo suo dolore bellum externum aduersus gentem rebus gestis nobilissimam pro religione suscepisse, nulloque suo commodo confecisse.

i Leo Ost. lib. 1. c. 7. in fin.

k Aimoin. lib. 4. c. 26.

IV. Carolo man. missvs ad Pipin ab Aistvlpho.

Pipinvs Aistvlphvm vincit.

Denique ex Areopagiticis Hilduini constat, Stephanum Reliquias S. Dionysii martyris Parisiis Romam detulisse, ac monasterium in honorem ipsius ædificare cœpisse; quod postea frater eius & in Pontificatu successor Paulus perfecit; conuectisque illuc compluribus sanctorum Martyrum corporibus, atque Græcis ibidem constitutis monachis, *Ad Sanctos Martyres in Schola Gracorum* appellant.

V.

Sed ad turbas Orientales iam conuertamus orationem. Hoc anno, quo decimustertius absoluitur & decimusquartus inchoatur Imperii Constantini, septima Indictione, quarto Idus Februarii, ab eodem Augusto *Pseudosynodus* apud *Constantinopolim* in templo sanctissimæ Dei-genitricis ad Blachernas celebrata est, trecentorum triginta octo Episcoporum Orientalium suæ sectæ; quæ sex mensium spatio perduravit. In qua primo Imperator propria auctoritate, nulla præuia Antistitum electione aut examinatione, *Constantinum* monachum, Sylæi antea Episcopum, virum impurum & impium, in sedem euexit Constantinopolitanam, in locum Anastasii nuper defuncti. Postea vero omnium consensu decretum est, vt sacras Imagines quilibet *Idola* nuncuparet, earumque cultores, *Idololatras*: neque non solum nullos Sanctos, sed nec ipsam Deiparam Virginem, post obitum aliquid iuris habere ad intercedendum pro nobis, vel aliquo modo posse nobis prodesse: ac denique prohibitum est, Apostolos vel Martyres, aliosque Confessores, aut Virgines, *Sanctos* appellari. Et quo Catholicos in his errare demonstrarent, dicere impii sycophantæ non erubuerunt, Orthodoxos omnes esse Nestorianos, Arianos, Dioscorianos, Eutychianos, atque Seuerianos; se autem iudices sex Oecumenicarum Synodorum profiteri: decreuerunt que, vt hoc ipsorum Conciliabulum, *Septima Synodus Oecumenica* diceretur. Quæ omnia secutæ sunt nefandæ impii conuentus, ac populi hæretici acclamationes; quibus inter alia proclamatum est: *Hodie salus mundo; quandoquidem opera tua, O Imperator, idolis liberati sumus:* additique sunt anathematismi, cum in omnes Orthodoxos sacrarum Imaginum cultores, tum maxime in Sanctos Germanum Constantinopolitanum olim Patriarcham, Georgium Cyprinum, & Ioannem Manzur, dictum à patria Damascenum, quem impius Imperator pro *Manzur*, (quod eius auitum cognomen erat, significatque Redemptum) sensu Iudaico *Manseron*, hoc est, nouum Ecclesiæ magistrum vocitare consueuerat. Porro ista de pseudosynodo, eiusque decretis, breuiter habet Theophanes; fuse scriptor Actorum Sanct. Martyris Stephani iunioris

VI. Concilia bvlvm Cōstant ad versvs Imag. et Sanctos.

Anathematismi in Orthodoxos.

& sociorum, quæ apud eundem extant Damascenum; fusissime Actaverat Septimæ Synodi Nicænæ posterioris, in qua etiam recitatur, damnatur que decimo huius pseudosynodi Constantinopolitanæ.

VII. SEPTIMA PSEVDO-SYNODVS DAMNATA A STEPH. PP. ET ALIIS PATRIARCHIS.

Sed & omnia quæ Constantinus contra sacras Imagines operatus esset, ab Stephano Papa reddita esse irrita, monitumque literis eundem Imp. vt ab errore desisteret, testatur Hadrianus æque Romanus Pontifex in epistola ad Constantinum & Irenem Augg. Quin & ipsos quoque Orientales Patriarchas, videlicet Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, (quippe quorum nemo, aut per se aut per legatos, prædictæ pseudosynodo interesse voluit) idipsum vna cum Romano Pontifice fortiter præstitisse, docent eadem Stephani Acta. Cum alioqui ex numero quem diximus Episcoporum qui Constantinopoli conuenerunt, satis possit intelligi, quanta fuerit ista ruina Orientalis Ecclesiæ, cum tam ingens numerus repertus sit lapsorum Antistitum. Tunc que plane accidit, quod Ioannes *l* Damascenus ait, vt cum sacras imagines ignominiose tractassent, eaidem in minutissimas partes comminuerent atque in ignem proiicerent, & quæ in parietibus erant depictæ, partim aqua calida, partim calce, vel atramento obliterarent. Cuius synodi etiam ab eis post pseudosynodum vbique patratæ impietatis, testis est locuples idem Actorum S. Stephani scriptor. Tunc & inditum nouum sectariis nomen *m*, vt *Thymoleontes* dicerentur quod eos qui sacras Imagines exciperent, aut salutarent, plagis & suppliciis sine modo afficerent.

l *Damasc. de iis qui in fi.* SARCAE IMAG. VBIQVE DELETAE, ET COMMINVTAE. m *Id. ibid.*

VIII. IVRAMENTVM EXIGITVR ADVERSVS IMAG. ET MONACHOS.

Qua autem occasione ad hanc furoris rabiem Imperator incitatus fuerit, prædicta S. Stephani Acta hanc declarant; nempe quod à nonnullis eximiis ordinis monastici viris ipse reprehensus impietatis fuisset, atque conuictus: eamque ob rem implacabile aduersus eos bellum excitantem, solemni iurciurando supra sacrosanctum Corpus Dominicum, ac venerandam Crucem (haud enim cum aliis sacris Imaginibus, huius cultum abiicere ausus fuerat) & sancta Euangelia populum Constantinopolitanum adstrinxisse, nunquam se sacras Imagines adoraturos, sed eas Idola vocaturos; nec monachis communicaturos, aut salutantibus quicquam humanitatis vicissim exhibituros; imo quos obuios haberent, *Tenebricosos* eos (ab habitu scilicet, quem tenebrarum indumentum vocare consueuerat, σκοτίας ἔνδυμα) & *Immemorandos*, (ἀμνημονεύτους) atque idolorum cultores appellaturos, ac demum lapidibus appetituros. Ex quibus videas, à quo odium in monachos hæreditarint, vna cum hæresi, recentiores Iconoclastæ: eo tamen ipsi deteriores, quod quem ille retinebat cultum sanctissimi sacramenti CORPORIS CHRISTI, ac venerandæ CRVCIS, ipsi etiam abhorreant. His autem subiungit idem auctor, post hæc indictam fuisse pseudosynodum, de qua dictum est: post Synodum vero, tum alios Orthodoxos, tum ipsos maxime monachos, furorem Imperatoris fugientes, in varias Orbis partes extra ipsius Imperii ditionem dispersos esse. Quod idem testatum habetur in Actis *n* alterius martyris, nempe Andreæ Calabytæ, qui eadem persecutione (vt dicetur) passus est: vbi & asseritur ferme desertas ciuitates relictas esse propter multitudinem eorum qui in solitudines se recipiebāt. Quin *o* & eundem Imp. lege lata vetuisse, ne quis amplius monachus efficeretur, testis est etiam Theodorus Studita huius & ipse temporis scriptor, in oratione quam de S. Platone habuit.

n *Ext ap. Sur. 17. Oct.*

o *Debit. Bar. ann. 762. n. 5.*

IESV CHRISTI AN. 755.

STEPHANI III. AN. 4.

CONST. COPRON. AN. 15.

I. AISTVLPHI LONGOB. PERFIDIA IN ROM. PONT.

ANno Domini septingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione octaua, Aistulphus Longobardorum Rex fœdifragus atque periurus, nullam habens rationem conuentorum pactorum cum Pipino Rege Francorum, non solum non restituit, quæ ab Ecclesia Romana violenter abstulerat; sed & rursum ingēti comparato exercitu, tum reliquas Romanæ ditionis ciuitates infestauit, tum ipsam Vrbem Romam obsidione cinxit, omnia circū loca tam sacra quam profana deuastans ac comburens, sacras Imagines in ignem coniciens, sacrosanctum Corpus Dominicum polluens, monachos plagis lanians, sanctimoniales contaminans, cæteros Ecclesiasticos laicosque vtriusque sexus iugulans, infantulos à mammillis matrum extractos interimens, nullum denique impietatis & crudelitatis genus non exercens. Quibus malis pressus Stephanus Papa, *omnem post Deum spem in Regibus & gente Francorum constituens*, literas priuato suo nomine ad Reges *Christianissimos* Pipinum, (quem & *spiritualem compatrem* suum appellat) ac filios eius Carolum & Carolomannum, *Patricios Romanorum*; aliasque tam suo, quam Ecclesiæ, ac Magistratuum, totiusq; Populi Romani nomine ad eosdem Reges, & vniuersos tam Ecclesiasticos quam sæculares Francos; ac rursus alias ad eosdem vniuersos (quod nūquam hactenus factum vidimus) ipsius S. PETRI Apostoli nomine: quibus omnibus enixius, verbisque ad excitandam commiserationem quam maxime compositis, obtestatus est, vt afflictissimæ succurrerent Ecclesiæ & Vrbi Romanæ; & quemadmodum *omnes gentes, quæ ad Francorum fortissimam gentem confugissent, salua facta sunt*: ita sanctam Dei Ecclesiam, & eius populum ab hostium oppressione liberare festinarent: quippe *quos Deus super turbas populorum & multarum gentium saluos instituisset, vt per eos sancta Dei Ecclesia exaltaretur*; & *Princeps Apostolorum præ cæteris Regibus & gentibus suos peculiares faciens, omnes suas causas eis commisisset*. Et quoniā *declaratum esset, Francorum gentem super omnes quæ sub cœlo sunt, Apostolo Dei Petro primam extitisse: ideo ipsum Petrum Ecclesiam quam ei Dominus tradidisset, iisdem Francis per manus Vicarii sui commendare ad liberandum de manibus inimicorum*. Extant *a* enim adhuc eædem tres epistolæ, quibus ista, aliaque eiusmodi plurima continentur; memimitque eorundem Anastasius in eiusdem Stephani Vita.

LITERÆ S. PETRI NOMINE AD FRANCOS

a *Rec. Baro. Ann. Tom. IX. hoc an. ex cod. Vat.*

Porro his acceptis Christianissimus Rex literis, comparato statim exercitu in Italiam aduenies, Aistulphum ad Alpium angustias fugatum Papiæ obsedit; nec veniam vnquam rupti fœderis ei roganti tribuere voluit, quousque Rauennam cum vniuerso Exarchatu, aliasque omnes ciuitates in priori fœdere contentas, Romano Pontifici re ipsa tradidisset; quas eisdem Pipinus, PRIMVS AMPLIFICANDÆ ECCLESIAE VIAM APERIENS (quod ipsius elogium *b* in antiqua tabula conscriptum Rauennæ adhuc legitur) Romanis Pontificibus perpetuo possidendas suis diplomatibus concessit: etiamsi Imperatoris Copronymi ad eundem Regem missi Legati acrius institissent, vt eas Imperiali restitueret ditioni. Hæc pluribus Anastasius; qui & ciuitates à Pipino Romanæ Ecclesiæ concessas, singulas recenset. Verum Leo *c* Ostiensis latioribus eandem donationem extendens terminis, ait donasse Pipinum Ecclesiæ Romanæ ciuitates Italiæ, & territoria per designatos fines, à Lunis cum Insula Corsica, inde Suranum, inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Rhegium, Mantuam, & Pontem silicis; simulque vniuersum Exarchatum Rauennæ sicut antiquitus fuerat, cum prouinciis Venetiarum & Istriæ, cunctumque Ducatum Spoletinum & Beneuentanum: eamque donationem manu propria, & filiorum, plurimorumque Optimatum subscriptionibus roborasse.

II. PIPINVS VINCIT AISTVLPHVM.

b *Habet Baron. an. 768. XVII. ex Pap. Mass. Ann. lib. 1.* DONATIO PIPINI FACTA ECCLESIAE ROM.

c *Leo Ost. hist. Cassin. lib. 1. c. 7.*

Contigit hoc eodem anno, vt S. Bonifacius Moguntinus Episcopus, ac Germanorum Apostolus, Sedisque Apostolicæ Legatus, cōuersionem gentis Frisiorum meditatus, (quæ sæpe ab aliis prædicatum, receptumque Euangelium abiecerat, & in Paganismum defecerat) relicto Moguntiæ Lullo viro pissimo, laborumque ipsius comite fidissimo, quem ex consensu Stephani Papæ ac Pipini Regis, eiusdem ciuitatis Episcopum ordinauit; ipse in Frisiam veniens, intra breue tempus multa hominum millia baptizauerit. Cum vero quadam die ad Bortnam flumen constitisset, vt ibi baptizatis sacramentum Confirmationis impertiret; ab iisdem, ex amicis vno momento barbarice conuersis in hostes, interfectus est una cum *Eobano* Episcopo Traiectensi, & aliis nonnullis presbyteris, diaconis, ac monachis, quos in opus ministerii secum adduxerat; quorum omnium natalem diem retinent Ecclesiasticæ Tabulæ: apud Bedam autem in Epi-

III. S. BONIF. PRAEDICAT FRISIIS.

MARTYRIŪ SVBIT CŪ SOCIIS.

tome

rome quinquaginta tres numerantur, qui in itinere comites Bonifacii vnacum eo subiere martyrium; quorum interfectores, vel mutuis se vulneribus confecerunt, vel a vicinis Christianis internecioni sunt oediti. Bonifacii vero corpus primo Traiectum, inde Moguntiam, ac denique Fuldam monasterium ab ipso conditum, vbi sepulturam delegerat, celebri pompa translatum est, ac multis & insignibus claruit miraculis. Porro hæc de ipsius ac sociorum martyrio, plurib. habet auctor *d* qui post eius discipulum Wilibaldum, res ab eo gestas meliori auctiorique stylo prosecutus est; qui & ea accidisse ait hoc Redemptoris anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Nonis Iunii, cum Bonifacius egisset in Episcopatu annos triginta sex, menses sex, & dies totidem. quod quidem intelligendum est de munere Apostolatus ac prædicationis accepto à Gregorio Papa Secundo: Episcopatus enim Moguntini, nonnili anni decem numerantur. De quo nec o[illegible]imus dicere, recitari in Concilio Tributiensi *e* eius scite dictum, de antiquis sacerdotibus aureis, calicibus ligneis vtentibus, & recentioribus ligneis, calicibus aureis.

d Vit S. Bonif. lib. 2. c. 18 ap. Surium. 5. Iunii.

e Concil. Tribur. c. 18. & de consecr. dist. 1. c. vasa.

IV. PAVLICIANI HÆRETICI.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno Paulicianorũ & Manichæorũ hæresim in Thracia propagatam esse, Theophanes scribit. Ita enim Imperator omnem errorem in Orientalem induci Ecclesiam passus est, intentus tantum ipse ad destruendum cultum sacrarum Imaginum, earumq; cultores variis vbique suppliciis, ac cruciatibus, & exiliis persequendos.

IESV CHRISTI AN. 756.

STEPHANI III. AN. 5.

CONST. COPRON. AN. 16.

I. AISTVLPHI REG. LONGOB. OBITVS.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, impius ac fœdifragus Aistulphus Rex Longobardorum, quodam loco (vt ait Anastasius) in venationem pergens, diuino ictu percussus, defunctus est: posteris Principibus relinquens exemplum, maximo ipsorum damno Ecclesiastica ab eius iura tentari. Cũ vero careret prole quæ euehi posset in Regem, orta post eius mortẽ inter Longobardos de successore contentione, fauentibus aliis Desiderio Duci Tusciæ, aliis Rachisi ipsius Aistulphi fratri, qui olim (vt vidimus) illud regnum pietatis causa dimittens, monasticam vitam amplexus erat; Stephanus Papa Desiderio multa spondenti fauens, per Legatos suos egit, vt Rachis relicto quem collegerat exercitu se iterum monasterio includeret, ac Longobardi Desiderium susciperent; qui mox Ecclesiæ Romanæ ciuitatem Fauentiam, vniuersumque Ferrariæ Ducatum restituit. Hæc ex Anastasio ex quibus iusto Dei iudicio factum videas, vt cum Longobardi nollent Romanam Ecclesiam quicquam iurium in Italiæ ciuitatibus possidere, iidem ab ipsa supplices Regnum peterent. Post quæ Stephanus legationem ad Pipinum Regem, *compatrem suum spiritualem* vt vocat) *& Patricium Romanorum*, in Gallias misit, cum litteris *a*; quibus primo gratias agens de liberata per ipsum Ecclesia ab imminentibus hostium periculis, deinde rogauit, vt Desiderium moneret de plena restitutione omnium ciuitatum ac locorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium; & vt cum Græcis ageret, vt fidem Catholicam integram custodirent, atque etiam quæ abstulissent ab Ecclesia Romana restituerent. Sed quid de his factum fuerit, inexploratum nobis est.

DESIDERIVS OPE RO. PONT. CONSEQVITVR REGNVM.

a Rec. Baro. annal. To. IX. hoc ann. & Cenior. Tom I.

II. CONC. IN VERNIS.

Hoc item anno, qui numeratur quartus absolutus eiusdem Pipini ex quo à Zacharia Pontifice Rex constitutus est, eodem Rege procurante SYNODVS celebrata est mense Iulii in Palatio *Vernis* dicto: in qua habentur sanciti canones viginti sex, ad disciplinam & iura Ecclesiastica restituenda. Inter alia vero illud monuit pius Rex, ne quid exigeretur à peregrinis qui religionis causa inuiserent loca sancta: quod & iam antea in alio *Conuentu* anno superiori ab eodem Rege constitutum fuisse liquet. Id quoque hoc Concilio *b* sancitum, vt bis in anno, nempe mensibus Martio & Octobri, Synodi celebrarentur vbicumque Rex iussisset, in eiusque agerentur præsentia; ad quas conuenirent Episcopi, Abbates, & presbyteri, quos Metropolitani vellent secum eo ducere.

b Concil. Ver. c. 4. Quod habet alia recensione Baro. ann. 776 in fi.

Quo ad res pertinet Orientales; hoc anno decimosexto Imperii Constantini, septimo Idus Martii (inquit Theophanes) terræmotus magnus factus est in Palæstina & Syria; ac Theodorus Antiochenus Patriarcha ab Hali Saracenorum Principe in exilium pulsus, quasi crebro Imperatori res eorum per literas indicaret. Porro plures monachos, aliosque Christianos sub eodem Hali coronatos fuisse martyrio, constat ex Menologio Græcorum.

III. MARTYRES SVB HALI SARAC PRINCIPE.

IESV CHRISTI AN. 757.

PAVLI AN. I.

CONST. COPRON. AN. 17.

I. STEPH. PP. OBITVS.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima, sexto Calendas Maii, *Stephanus* Papa, post immensos labores pro Ecclesia Romana honeste perfunctos, ex hac vita migrauit; sepulturque est apud S. Petrum: cum sedisset annos quinque, & dies viginti octo, vt Anastasius habet. Ex cuius pariter sententia asserentis sedem vacasse dies triginta duos, dicere opus est eius successorem creatum esse quinto Calendas Iunii: qui quidem fuit PAVLVS eiusdem Stephani frater germanus, egregiis moribus præditus, & maxime pauperum, & oppressorum, atque afflictorum commoditatibus intentus, adeo vt consueseeret nocte cellas pauperum infirmorum, aliorumque inopum, necnon & carceres visitare secreto, necessaria singulis subsidia ministrare.

PAVLI CREATIO.

Qui mox, vt ex Diacono creatus est Pontifex, ad Pipinum Francorum Regem literas dedit quibus suam ordinationem significans, eius amicitiam expetiit, suamque obtulit. Fuerunt enim hæ primæ ab ipso datæ, primoque loco positæ in Codice, quo continetur Index Epistolarum ipsius ad Pipinum & alios in Gallias missarum, numero vnius & triginta; quarum duntaxat argumenta videre licuit summatim præstricta & recensita à Panuino in Vitis Romanorum Pontificum, qui eas integras haberi in Vaticana Bibliotheca testatur: verum easdem diu quæsitas, nec inuentas, seu furto seu alio aliquo modo inde sublatas existimamus: quarum pariter argumenta Centuriatores recitant, cum pertæsi prolixitatem atque multiplicitatem, vel magis veritatem, noluerũt ipsas integras edere. Cæterum ipsum quoque Paulum Papam multum laborasse in conuertendo Copronymo Imp. à sua erga sacras Imagines impietate, tum Hadrianus Papa in epistola ad Constantinum & Irenem Augg tum Anastasius Bibliothecarius in eodem Paulo testantur: sed frustra id egisse, quod perfidus homo in lapidem obduruisset, euentus demonstrauit.

II. DE EIVS EPISTOLIS.

[Quarum quidem argumenta refert Baron. an. 767. sed eas ipsas Epistolas, post eius obitum, in lucem edidit ex Bibl. Cæs. Vien. *Iac. Gretserus* Soc. Iesv, vna cum aliis huius ætat Pontificum ad Christianissimos Francorum Reges scriptis.]

Hoc item anno, nimirum Æra septingentesima nonagesima quinta, Alfonsus, siue Adefonsus Rex Gallæciæ, cognomento *Catholicus*, vbi regnasset annos decem & nouem, glorioſus Saracenorum triumphis, migrauit ad Dominum. In cuius obitu Tudensis ait, auditas fuisse in aere voces laudantium Dominum, atque dicentium; *Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo considerat, ablatus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.* In cuius locum suffectus Froilanus (Froilam alii dicunt) ipsius filius, Maurorum Ducem Gallæciam inuadentem insigni victoria deuicit, cæsis Saracenorum quinquaginta quatuor millibus; ac rebellantes Gallæcos Nauarrosque, perdomuit: quod narrat Tudensis. Qui vero nimiam eiusdem Regis seueritatem in crimen adducunt, obiiciunt necem fraternam, qua haud mediocrem nomini suo labis notã inusserit. Laudi autẽ tribuitur, quod egregie laborauerit, vt neglectos

III. ALFONSI REG. CATHOLICI OBITVS.

inter

FROILA REX PIETATE INSIGNIS.

inter iuges tumultus bellicos, canones Ecclesiasticos, ac precipue de continentia clericorum, in veterem vsum restituerit, vnde & multa meruit à Deo bona consequi. Eius vero tempore claruisse tradunt in Hispania *Verum* Archiepiscopum Hispalensem, cum scriptis tum vita insignem: sed & celebrem fuisse *Petrum* Præsulem Toletanum, qui de ratione Paschatis libellum accurate conscripsit, cum incuria disciplinæ in Hispania in calculo diei Paschatis erratum esset.

IV.

PERSECVTIO SARACEN. IN CHRIST.

Quod autem pertinet ad res Orientalis Ecclesiæ; hoc quoque anno decimoseptimo Imperii Constantini, eam præter continuam tyrannidem eiusdem scelerati Imperatoris, dira insuper vexatam esse persecutione Saracenorum, Theophanes est auctor; cum (vt ait) Habdallas illorum Princeps non solum tributa Christianis ampliauit, adeo, vt omnes etiam monachos & inclusos sub tributo redigeret; sed & ecclesias ornamentis spolians, ea Iudæis perfidis vendidit. Quem etiam Cruces abstulisse, ac prohibuisse Christianos vigilias nocturnas celebrare, & litteras discere idem [a] auctor tradit.

a *Ap. Barr. ann. 766.*

IESV CHRISTI AN. 758.

PAVLI AN. 2.

CONST. COPRON. AN. 18.

I. PAVLVS PP. CORPORA SANCTORVM TRANSFERT.

ANno Domini septingentesimo quinquagesimo octauo, Indictione vndecima, Paulus Papa, concessa Ecclesiæ pace, ad Cœmeteria inuisenda intentus, quæ sub Aistulpho obsessa Vrbe maximum detrimentum à Longobardis acceperant; ne rursum Sanctorum corpora hostilibus incursionibus paterent, quæcumque illic obuia essent, è sepulchris eleuata intra Vrbem cum hymnis & canticis transtulit: quod Anastasius tradit; pluribusque ipse Paulus, publicis ea de re scriptis literis [a] è CONCILIO *Romæ* celebrato, cum in paternis ædibus ecclesiam & monasterium extruxit sub titulo SS. Stephani Papæ & Martyris atq; Siluestri Pontificis & Confessoris, in quam transtulit complura SS. Martyrum corpora tunc ab iisdem Cœmeteriis eruta. Quod vero tradit Anastasius, in eo monasterio voluisse Paulum Psalmos Græca lingua occin; id inde accidisse putamus, quod cum Copronymus impius Imp. vetuisset esse monachos in Oriente, plurimi eorum sese Romam receperint, quibus illud monasterium Paulus tradiderit.

a *Rec. Baro. Ann. Tom. IX. An. 761. ex archiuo Monialium S. Siluestri Romæ.*

II. b *Ap. Bed. in Epito.* REX ANGLOR. FIT MONACHVS.

Eodem anno [b] egregium specimen religiosissimi Regis edidit Eadbertus Rex Nordhumbrorum in Anglia, cum Oswlfo filio regnum relinquens, ipse inter monachos profiteri cœpit. Sicut & Desiderius Longobardorum Rex monasterium monialium erexit in Ansilbergæ filiæ virginis gratiam, quæ ibidem vitam monasticam professa est.

III. PERSÆ MAGI DELVSI A DÆMONE.

In Oriente vero Persas quosdam Magos ita dæmones deceperunt, vt ad cœlum volatum iisdem suaserint; qui cum nudi ex eminentibus locis ad volatum sese præcipites darent, periere. Porro Habdallas Rex Saracenorum in eorum primores animaduertens, sectam extinxit. Hæc ex Theophane hoc anno.

IESV CHRISTI AN. 759.

PAVLI AN. 3.

CONST. COPRON. AN. 19.

I. S. OTHMARVS CALVMNIIS OPPRESSVS.

ANno Christi septingentesimo quinquagesimo nono, Indictione duodecima, *Conciliabulum in Germania* actum est; in quo *S. Othmarus* Abbas monasterii S. Galli, (agentibus Warino & Ruadhardo, quos tunc temporis Alemanniæ curam administrantes, apud Pipinum Regem de ecclesiarum expilationibus idem Sanctus accusauerat) falsi luxuriæ criminis insimulatus, damnatus est, & ignominiose expulsus: quamuis ipsius accusator diuina confestim vindicta punitus, fraudem delationis propalare non cessaret. Quæ omnia pluribus tradit VValfridus Strabo vir doctissimus in Rebus [a] gestis eiusdem S. Othmari; cuius etiam post mortem miracula scriptis tradidit. Apud quem etiam videre licet, quam grauis pœna secuta sit Sydonium Constantiensem Episcopum, iura eiusdem S. Galli inuadentem.

a *Ext. ap. Sur. 16. Nouemb.*

IESV CHRISTI AN. 760.

PAVLI AN. 4.

CONST. COPRON. AN. 20.

I. DE TRANSLATIONE CAPITIS S. IOANN. BAPT. *De hu porro vide plenius infra ann. 1025. post num. II.*

ANno Christi septingentesimo sexagesimo, Indictionis decimætertiæ, Imperii Constantini vigesimo, translatum esse Caput S. Ioannis Baptistæ è monasterio Spelei in templum suum Emesæ situm, Theophanes ait. Qui cum addat, illud ipsum Caput ibidem suo tempore ab omnibus honorari, ac miraculis coruscare solitum; inde redargui posse videntur, qui ante hæc tempora eiusdem Capitis translationem factam referunt in Occidentem.

II. PIPINVS CORRIPITVR A S. REMIG. OB BONA ECCLES.

Quo item anno (vt docet vetus Chronicon, narratque pluribus Aimoinus) Pipinus Francorum Rex Christianissimus bellum mouens aduersus VVaipharium Aquitaniæ Ducem res Ecclesiarum inuadentem, eum iplarum restitutionem facere, exhibito iuramento, obsidibusq; datis, promittere coegit. Sed cum postea periurus id præstare recusaret, anno sequenti Pipinus exercitum comparans, atque iterum post annum aduersus eundem bello agens, tandem anno Domini septingentesimo sexagesimo quinto eundem occidit, totaque potitus est Aquitania. Sic enim profecit in timore Domini Rex pius, vt cum olim grauiter correptus diuinitus fuisset à S. Remigio in somnis, atque etiam acriter flagellatus, quod villam quandam Ecclesiæ Lugdunensis sub censu persoluendo retinere vellet, (quod quidem ei à Romano Pontifice concessum fuerat; nempe vt ablata antea quædam bona Ecclesiastica, annuo persoluto censu retinere posset:) iam aduersus eos qui eadem bona tentarent inuadere, vindex insurgeret. Ex ipsius vero, quam passus est diuinam vindictam, (quam recitat Hincmarus in priori translatione S. Remigii; vbi & multas alias eiusmodi seueriores vindictas ab eodem Sancto in vsurpatores rerum Ecclesiæ suæ inflictas recenset:) discant reliqui Principes, aliique homines, quam periculose siue sub annuo prætenso censu, siue alio modo, laicus homo possideat res Ecclesiæ; quas sæpe inuiti ac nolentes, fatigati precibus, vel aliis compulsi occasionibus, vel decepti falsis suasionibus, Romani Pontifices illis possidendas indulgent.

IESV CHRISTI AN. 761.

PAVLI AN. 5.

CONST. COPRON. AN. 21.

I. ANDREÆ CALAB. MARTYRIVM. *2 Ap. Sur. 17. Oct.*

ANno Christi septingentesimo sexagesimo primo, Indictionis decimæquartæ, Constantini Aug. vigesimo primo, recruduisse quam acerbissime in Oriente persecutionem ab eodem Imperatore aduersus Orthodoxos, testis est Theophanes. qua quidem inter alios, glorioſum martyrium Constantinopoli subiit *Andreas* sanctissimus monachus, *Calabytes* dictus; quod publice redarguens Imperatoris impietatem, nec verbis, nec verberibus, nullisque prorsus tormentis à sententia demoueri vnquam potuerit. Meminit horum breuiter Theophanes; quæ fuse describit auctor [a]

Actorum

Actorum eiusdem Andreæ martyrii. Quod vero locus eius sepulturæ Chrysis diceretur, inde ipse quoque martyr dictus est *S. Andreas in Chrysi*; quo titulo reperitur inscriptus in sacris Ecclesiæ Tabulis.

II. MEMORIA S VINCENTII MAR.

Hoc item anno cum nouis cladibus agitaretur Hispania, & Valentia ciuitas in Tarraconensi prouincia à Saracenis excisa iam esset; Christianique sacra Vincentii martyris ossa inde auferentes, deportassent in extremam Lusitaniæ partem, in locum qui ex eo postea *Promontorium S. Vincentii* est appellatus: tunc cœptum est eiusdem S. Vincentii nomine monasterium perinsigne erigi Oueti, cuius antiquæ memoriæ extant vestigia apud Ambrosium *b* Moralem. vt plane appareat haud omnino exaruisse vitorem Christianæ religionis in Hispania: factumque est, vt colentes S. Vincentium, vincendi aliquando penitus Saracenos aperuerint sibi viam.

b Ambr. Moral. lib. 13. Rer. Hisp. c. 18.

III. *c In Epit. append. ad Bed. hist.*

Hoc pariter *c* anno in Anglia *S. Ecgbertus* Archiepiscopus Eboracensis, Regis germanus, scientia & sanctitate clarus, diem clausit extremum. Fuit iste magister *Albini*, qui & *Alcuinus Flaccus* dictus est, à quo egregie laudatus reperitur in literis ad Carolum Magnum scriptis, quod inter alia insignia opera, publicum literarum sacrarum gymnasium Eboraci constituisset, eamque Ecclesiam nobili valde Bibliotheca ditasset.

IESV CHRISTI AN. 762.

PAVLI AN. 6.

CONST. COPRON. AN. 22.

I. COPRONYMI IMP. CONATVS IN STEPH. MONACHVM.

ANno Christi septingentesimo sexagesimo secundo, Indictione decimaquinta, Constantinus Imp. immenso odio flagrans in monachos, quos præ cæteris sibi in promulganda hæresi aduersarios experiebatur; cum audisset in Auxentiano monte in Bithynia non longe à Chalcedone posito, degere magni nominis *Stephanum* monachum, gratia miraculorum illustrem, potentemque sermone ad confirmandos in vera religione eos qui vndique ad ipsum confugerent: in hunc mouere bellum sibi necessarium ducens, eundem primo per Callistum Patricium, virum eximia dicendi facultate præditum, in suas partes allicere tentauit; constantem vero repertum, è cella extrahi, ac militum custodiæ tradi iussit; paulo vero post ob tumultus Schyticos, (nempe Bulgaricos) in suum monasterium reduci. Post quæ Callistus nouis machinis sanctum oppugnans, calumnias atroces de ipsius in Imperatorem conuicus & machinationibus, ac cum illustri fœmina vidua nomine Anna, quæ ab ipso monasticum habitum acceperat, turpi consuetudine, in eundem intentauit, opera Sergii eiusdem Sancti discipuli, & cuiusdam ancillæ Annæ, quos multis vanis promissionibus ad eiusmodi proditionem attraxit. Quæ autem hæc secuta fuerint, dicemus anno sequenti. Ista vero summatim excepta sunt ex auctore, qui res *a* gestas eiusdem Stephani est fuse prosecutus, quique hoc ipso vixit tempore, & iis omnibus interesse potuit.

a Ext. ap. Io. Damasc. in ſ.

IESV CHRISTI AN. 763.

PAVLI AN. 7.

CONST. COPRON. AN. 23.

I. BELLVM BVLGAR. BENE CÕFECTVM.

ANno septingentesimo sexagesimo tertio, Indictione prima, septimo Calendas Iulii, Imperatorem Constantinum ad bellum Bulgaricum profectum esse tradit Theophanes, deuictisque hostibus Constantinopolim triumphantem rediisse. Cum ingratus pingues hostias litans Sata-

næ, inter alia, in odium sanctissimi viri Stephani, de quo dictum est anno superiori, sanctam fœminam Annam calumniis per proditricem ipsius ancillam oppressam, sed constantissimam in professione suæ & Stephani innocentiæ permanentem, post illata ludibria atque tormenta, mori coegit. Cuius ancillæ dominæ suæ calumniatrix, cum paulo post in remunerationem proditionis in matrimonium collocata, gemellos filios peperisset; sub mediam noctem repente conturbati infantes, arreptis maternis mamillis, horrendumque in modum exesis, eam protinus necauerunt, & vna cum ea viperini illi fœtus extincti sunt.

II. NOVI CONATVS IMP. IN STEPH. MONACHVM.

Cum autem Imperator ea se spe frustratum videret, vt in Stephanum agere posset occasione delicti cum Anna prætensi; rursum ad alias fraudes conuertens animum, catissimo sibi aulico persuasit, vt simulans fugam abiret ad Stephanum, & inter monachos cooptari peteret. Qui cum post importunas preces, fictasque lacrymas, id ab eodem Stephano extorsisset; inde arrepta Imperator occasione, (quod scilicet magnis iam antea pœnis agendum sanxisset aduersus eos, qui in monachum aliquem reciperent:) ipsum Auxentianum monasterium vna cum templo incendi, monachosque dispergi præcepit; Stephanum autem varie frustra tentatum, vt pseudosynodo aduersus sacras Imagines celebratæ subscriberet, post multa ludibria habitus monastici, ac mala ipsi illata, in exilium ad insulam Proconnesum relegauit: ad quem etiam alii Auxentiani monachi conuenientes, monasterium ibi construxerunt: quin & mater eius vna cum sorore ibidem contubernium ipsius amplexa est: ac denique sanctissimus vir, extructa columna, ac supra eam angustissima quadam ædicula, in hac sese inclusit annos natus quadraginta nouem. Quæ quidem omnia tam de Anna, quam Stephano, fuse describit auctor Rerum gestarum eiusdem Stephani. Quomodo vero post biennium iterum Constantinopolim reuocatus fuerit, suo loco dicturi sumus.

III. TVRCARVM EGRESSIO E PORTIS CASP.

Hoc eodem anno irruptionem TVRCARVM in Armeniam fieri cœptam, & sequēti anno rursus repetitam, Theophanes tradit. Sicque (quod obseruatione dignum est) egressio eorum è portis Caspiis eo tempore ponitur, cum aduersus sacras Imagines, & Deo dicatos homines, scelestissimi Imperatoris efferuesceret indignatio. Monstrosa quoque tunc portenta, futurorum malorum præsagia, ostensa diuinitus esse ad compescendam grassantem impietatem, idem auctor qui aderat, scribit; nimirum à Calendis Octobris vsque ad mensem Februarium Indictionis secundæ, factum esse tantum gelu, vt pelagus Ponti vsque ad centum milliaria præ glaciei rigore ad triginta profunditatis cubitos in lapidis duritiem fuerit versum: cumque huiusmodi gelu nive fuisset coopertum, super alios viginti cubitos creuisse: tandem vero in multas diuisum montium instar, consciss iones, in vrbem ipsam, & vsque ad Propontidem, & insulas, delatas esse. Ingentemque post hæc secutam esse siccitatem, ita vt fontes arescerent: signaque de cœlo visa, quibus vltimam imminere diem sibi homines persuaderent. Verum Imperator ex tot prodigiis non solum nullam est consecutus vtilitatem, sed & in deterius prolapsus, quem gestabat in animo Nestorianismum propalare studuit. Itaque illum primo in aures Constantini Patriarchæ Constantinopolitani ingessisse, sed ab eo repulsum quieuisse à proposito hæresis diuulgandæ, idem Theophanes scribit: ratum nimirum, frustra se in alios laboraturum, postquam ipsum, de quo adeo bene meruerat, Constantinum tam auersum inuenisset.

PRODIGIOSA GLACIES.

COPRON. IMP. NESTORIANVS.

Habet insuper idem auctor, hoc eodem anno Cosmam quendam Episcopum Epiphaniæ Syriæ, quod accusatus de subtractis vasis sacris, ab Orthodoxa fide ad perfidiam Iconomachorum transisset, à tribus Patriarchis Orientis Theodoro Antiocheno, altero Theodoro Hierosolymitano, atque Cosma Alexandrino, cum Episcopis sibi subiectis, communi sententia eadem die & hora, nempe sancto die Pentecostes, post lectionem S. Euangelii, in singulis Ecclesiis consonanter anathematizatum fuisse.

IV. COSMAS APOSTATA EXCOMMVNICATVR AB OMNIBVS PATRIARCHIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 764.

PAVLI AN. 8.

CONST. COPRON. AN. 24.

I. TRANSLATIO RELIQVIAR. IN GALLIAS.

ANno Domini septingentesimo sexagesimo quarto, Indictione secunda, cum fama increbuisset in Gallis, per Paulum Papam plurima Sanctorum corpora è Cœmeteriis in Vrbem esse translata; eorum cupidi Franci, Sanctorum cultus studiosissimi, mittentes Legatum Romam Crodogandum Metensem Episcopum, ab eodem Pontifice obtinuerunt corpora (seu potius partem corporum) SS. Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii. Tentatur id Sigebertus in Chronico.

IESV CHRISTI AN. 765.

PAVLI AN. 9.

CONST. COPRON. AN. 25.

I. IMP. DEVO AGIT CONTRA STIPH. MONACH.

ANno Christi septingentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, Imperator Constantinus maiori quotidie exæstuans odio in cultores sacrarum Imaginum, cum intellexisset ingentia miracula, quæ ab Stephano Auxentiano monacho (quem ante biennium in Proconnesum relegatum vidimus) ederentur virtute sanctarum Imaginũ CHRISTI Domini, ac Deiparæ Virginis; inuidia motus, illum inde Constantinopolim reduci iussit: vbi post habitam cum ipso de sacrarum Imaginum adoratione disputationem, cum prodens ille nummum Imperatoris effigie signatum, pernegaret num puniendus esset, qui illam effigiem pedibus proculcaret, & qui adstabant id asseruissent; tum vir Dei grauem ex imo pectore gemitum emittens; *O immanem*, exclamauit, *cæcitatem! si pro mortali Imp. forma & effigie grauissimas pœnas irrogandas esse dixistis; quas tandem pœnas subiturum esse putatis, qui vilis Dei & Matris eius effigiem conculcarit?* Vixque hæc dixerat, cum nummum eum pedibus protriuit. Quo prætextu cum eum adstantes in mare præcipitem dare vellent, Imperator lenitatem simulans, in carcerem duntaxat Prætorianum (collo tamen alligatum, manibusque à tergo vinctis) detrudi iussit; quo pariter concluſi tenebantur alii trecenti quadraginta duo monachi ex variis locis collecti, omnes aliquo membro ob sacrarum Imaginum cultum mutilati, aut alia insigni infamia notati. Permansit autem ibi diutius, singulis hebdomadis Sabbato & Dominica à religiosa quadam fœmina susceptus in victum tantummodo sex uncias panis & aquæ tria pocula, cum *a* toto vitæ suæ cursu nunquam adduci potuerit, vt cibum aut quid aliud ab Imaginum hostibus caperet. Quæ omnia pluribus prosequitur auctor Vitæ ipsius. Verum & multos alios ob eandem causam hoc item anno ab eodem tyranno diuersis pœnis affectos, iusiurandumque ab omnibus sub Imperio suo degentibus exactũ, ne quisquam adoraret Imagines, Theophanes scribit. Sicut & in *b* iisdem Actis sancti Stephani traditur, ab eodem Imp. Ecclesiam S. Mauræ martyris extra vrbem sitam solo æquatam fuisse, & in carnificinam conuersam, vbi & ipse fœdera cum dæmonibus occulte sanciret. Itemque aliam Ecclesiam S. Pelagii martyris ab eodem euersam, in sepulchrum reorum Ethnicorum conuersam esse.

STEPH. NOLIT VICTVM CAPERE AB HÆRET.

a *Ap. Baro. ann. seq. nu. XVI.*

b *Ad Baro n. 767. XL & XVIII.*

II. SANGVIS SALVIFER EX IMAG. SALVATORIS.

Quo pariter anno Sigebertus collocat ingens miraculum, quod Beryti in Syria factum est, de *Imagine Christi*, quæ à Iudæis illusa & crucifixa, cum etiam lancea in latere percuteretur, continuo ex ea tanta manauit abundantia sanguinis simul & aquæ, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint; quo morbi quicumque sanarentur; vnde & secuta est conuersio Iudæorum Berytensium. Sed alii hoc postea accidisse autumant sub Irene & Constantino filio. Rei autem gestæ veritate accurate perspecta, eadem in Tabulas Ecclesiasticas ad posterorum fidem perpetuo conseruandam relata fuit quinto Idus Nouembris. Quæ quidem ab Athanasio huius temporis Episcopo diligenter conscripta, integre recitata habetur in Actis Nicænæ *c* Synodi posterioris: quam tu tamen ex eiusdem Synodi perantiqua Anastasii versione suscipias, quod in vulgata Suriana admixta quædam habeantur apocrypha.

c *Conc. Nic. II. Act. 4. Aut vero de ea Bar. Ann. Tom. IX. an. 787. nu. XXIII. & seqq. occasione Con cil. Nic. II.*

IESV CHRISTI AN. 766.

PAVLI AN. 10.

CONST. COPRON. AN. 26.

I. INGENS CLASSIS IMP. MALE PERIT.

ANno Domini septingentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, duodecimo Cal. Februarii, Constantinus Imp. quam parauerat aduersus Bulgaros, duorum millium & sexcentarum nauium classem, vi tempestatis amisit. Qua immensa clade nihil melior factus, decimosexto Calend. Septembris monasticum ordinem infamans, coegit monachos Constantinopoli repertos singulas mulieres manu tenentes per medium Hippodromum transire, atque iniuriis à populo ad hoc conuocato onerari. In Ludis quoque Circensibus plurimos viros illustres falsorum criminum accusatos, re vera autem quod orthodoxam de sacrarum Imaginum veneratione, & Sanctorum cultu, sequerentur religionem, publicis pariter populi ludibriis expositos, partim interfici, partim oculis priuatos in exilium deportari, & crudeliter cædi iussit. Et tertio Cal. Septembr. ipsum Constantinum pseudopatriarcham calumniis similiter pressum, in exilium relegauit (credo, quod noluisset ipsi acquiescere in promulgando Nestorianismo) & in eius locum subrogauit æque impium *Nicetam* Eunuchum è Sclauis ortum. Præterea omnibus sub Imperio suo positis, tam Ecclesiasticis quam laicis, interdixit Beatæ Virginis & aliorum Sanctorum intercessiones: atque Duces exercituum, & Rectores prouinciarum, constituit suæ hæresi addictissimos, simulque in Orthodoxos crudelissimos. Denique sacras Reliquias vndique ablatas in secretioribus locis abscondit, ne Christianorum cultui paterent: atque etiam nobilissimum S. Euphemię templum, in armentarium ac sterquilinium redigens, ipsum eiusdem sanctissimæ Martyris corpus (inuidia perennis miraculi, quo ex eodem corpore iugiter proflueret odoriferum ac mirificum vnguentum, quo omnium Fidelium quilibet morbi sanari consueuerant) vna cum loculo in mare proiecit; quod à quibusdam nauigantibus sublatum, in insulam Lemnum delatum, inde post viginti duos annos à morte impii Copronymi, Constantinopolim magna gloria reportatum est. Hæc omnia Theophanes hoc anno. Sed historia de protectione, inuentione, miraculis, & relatione corporis S. Euphemiæ, atque ipsius templi profanatione, & restauratione; pluribus describitur ab auctore eiusdem temporis apud Metaphrastem *a*: licet in eo à Theophane discrepet, dum proiectas ipsius Reliquias tradit à Leone parente Copronymi.

DIVERSIMODA PERSECVTIO IMP. IN CVLTORES IMAG. ET SANCT.

DE RELIQVIIS S. EVPHEMIÆ.

a *Ap. Metaphr. 11. Iul. Lipomanus V. eod. tom Ap. Baron hoc ann. & 796.*

Hoc item anno (vt ponunt Sigebertus & Regino) SYNODVS celebrata est in Gallia prope Parisios in villa *Gentiliaco* dicta, annuente Pipino Rege; vbi disceptatum est de cultu sacrarum Imaginum, & de sanctissima Trinitate: alii autem anno sequenti potius eandem habitam tradunt. Sed vnde manarit occasio, vt de sacrarum Imaginum cultu eiusmodi Synodus haberetur, cum nemo dicat, nec quid fuerit in ea definitum sit vsquam penitus vlla mentio; fortis coniectura suadet, vt hæ merces in Gallias per Legatos perfidi Imp. Copronymi ad Pipinum missos fuerint infeliciter allatæ. Adornatam siquidem fuisse nobilem legationem ab eodem Imp. ad eundem Regem, veteres Annales tradunt, & inter multa alia dona missum organum musicum, nunquam antea in hisce partibus visum. Quæ forte ea fuit Legatio, cuius fit mentio in literis Stephani Papæ Quarti, ad Carolum & Carolomannum Reges, Pipini filios, post eius obitum scriptis, *b* dum ait eundem Imp. nisum fuisse persuadere Pipino, vt

II. CONCIL. GENTILIACVM DE SACRIS IMAGIN.

b *Ext. Tom. III. Concil. Ap. Baron. ann. 770.*

hiiam

filiam suam Ghisilam traderet in matrimonium ipsius Imp. filio: sed Pipinum respondisse, neque Francorum Principes aliis nationibus licere copulari, nec contra voluntatem Apostolicæ Sedis Pontificum id se audere peragere. Habetque Paulus Æmilius, in hoc Gentiliacensi Concilio Græcos oratores iussos esse Cæsarem suum admonere, vt cum cæteris piis sentiret. Namque defensores fuisse Gallicanos Episcopos sacrarum Imaginum, docet Synodus Romana celebrata sub Stephano Papa, de qua inferius dicturi sumus.

III. DE PROCESSIONE SPIR. S. QVÆSTIO

Quod autem spectat ad quæstionem, quæ dicitur inter Græcos & Latinos in hac Synodo Gentiliacensi agitata de sanctissima Trinitate; Ado Viennensis docet, fuisse de processione Spiritus Sancti; num videlicet dici posset, ipsum A PATRE FILIOQVE PROCEDERE. Sicque vides, quo tempore, & à quibus Græcis eiusmodi quæstio primum fuerit agitata; nempe ab impiis Iconoclastis. Quod enim Occidentales plurima in Constantinum Imp. eiusque sectatores obiicerent, ac præsertim ea quæ spectarent ad sacrarū Imaginum cultum; illi contra Latinis vitio vertebant, quod adiecissent ad symbolum verba, FILIOQVE.

IESV CHRISTI AN. 767.

SEDES VACAT.

CONST. COPRON. AN. 27.

I. PAVLI PP. OBITVS.

ANno Christi septingentesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, *Paulus* Papa vbi sedisset annos decem & mensem vnum, tertio Calendas Iulii mortuus est in ecclesia sancti Pauli, ibidemque sepultus: sed eius corpus post tres menses Romani per flumen Tiberis cum psalmodiis ad S. Petri basilicam (locum peculiarem sepulturæ Summorum Pontificum) detulerunt, posueruntque in Oratorio quod in honorem B. Virginis idem extruxerat. Hæc ex Anastasio. De tanti vero Pontificis rebus gestis plura dixissemus, si Epistolas ab eo scriptas reperire licuisset: verum cum (vt dictum *a* est superius) earum tantum argumenta habuerimus, sufficiat illud breuiter ex illis referre; sub hoc Paulo Papa Constantinum Imp. tentasse Exarchatum Rauennæ armis recuperare; pariterque Desiderium Longobardorum Regem sæpius Romanæ Ecclesiæ ditionem deuastasse: sed in his atque aliis eiusmodi angustiis, eundem Pontificem ad Ecclesiæ Defensorem Pipinum Francorum Regem Christianissimū recurrentem, auxilium ab eo petiisse, & suscepisse; adeo vt eius armis atque potentia pax vbique Ecclesiæ fuerit reddita.

a Vide sup. an. 757. ll. in marg.

PIPINVS DEFENSOR ECCL. RO.

II. CONSTANTINVS INTRVSVS IN EIDEM PONTIF.

Cæterum post Pauli obitum tradit Anastasius sedem vacasse annum vnum & mensem vnum. Cur vero tamdiu Pastore caruerit, in Rebus gestis Stephani eiusdem successoris hanc fuisse causam idem auctor docet, quod Toto quidam Dux Nepesinæ ciuitatis, fratrem suum *Constantinum*, hominem laicum, per vim in sedem Pontificiam intruserit, fecerintque per Georgium Prænestinum Episcopum ad ordines promoueri, & Pontificem consecrari, & a conuocato vicinorum Episcoporum *Conciliabulo* eius electionem approbari. Sed de eodem Georgio ipsius ordinatore addit, eum nō post multos dies violenta ægritudine oppressum, immobilem factum esse, eiusque dexteram manum contractam arruisse, sicque misere languentem vitam finiisse. Vt videas nō posse excusare vim illatam, ad imponendam manum super inuadentem Apostolicam Sedem; sed teneri millies quemlibet vitam prodigere, quam tam immane scelus patrare. Vt autem idem Constantinus pseudopapa vsurpatam sedem sibi stabilire posset, ipso sui Pontificatus initio duas epistolas *b* scripsit ad Pipinum Francorum Regem, rogans, vt ageret Ecclesiæ Defensorem, nec de se crederet maleuolis: misitque librum de Rebus gestis Sanctorum, & Synodicam epistolam de cultu Imaginum, ab Oriente ad Paulum missam, quē Legati mortuum repererant: eam vero à Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, sacrarum Imaginum propugnatoribus, datam esse, auctor est Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum.

[Edidit eas Goldast. vna cum aliis, de quibus dixi ad an. 757. in marg.]

III. STEPHANI MONACHI AVXENT. INSIGNE MARTYRIVM.

Hoc eodem anno, Constantinopoli magnus ille Stephanus Auxentianus monachus in carcere detentus, (de cuius certaminibus superius actum est,) præuiso martyrii sui tempore, per quadraginta dies ad illud fortiter sustinendum se præparauit, abstinens à consueto cibo illo tenuissimo, & monasticæ exercitationis rigorem intendens. Post quę cum impius Copronymus Imp. in honorem tertiæ suæ coniugis Eudoxiæ Brumalia Gentilium ritu celebrans, audisset Stephanum ex carcere Prætoriano monasterium effecisse, nec cessare totos dies noctesque à cantandis psalmis & hymnis diuinis, cum aliis ibidem inclusis monachis; maiori excandescens ira, eundem necari præcepit. Qui calcibus, fustibus, saxis, omnibusque eiusmodi suppliciorum ac contumeliarum generibus impetitus, ac per vias raptatus, glorioſissimum martyrium consummauit; ac rursum post mortem iisdem suppliciis à furente populo, viris, fœminis, pueris, dilaceratus est, vt sic crudelissimi Imp. sæuitiæ satisfieret; adeo vt quisquis in eum dum raptaretur incidens lapidem non iecisset, aut aliud contumeliæ genus sancto cadaueri non intulisset, pœnas lueret, atque Imperatoris hostis censeretur: demum vero corpus in Ethnicorum reorum foueam proiectum est, vbi prius quidem S. Pelagii martyris templum fuerat, sed vetustate labefactatum impius tyrannus (vt vidimus) euerterat, & in sepulchra Gentilium redegerat. Contigerunt autē ista anno ætatis Stephani quinquagesimo tertio, quarto Cal. Decembris. Quo eodem tempore is qui lethale vulnus martyri intulit, simul ac ferit, ipse quoque in terram diabolica plaga percussus ruit. Eodemque die cum sudum esset, oborta subito ignea nubes, vniuersum aetem horrenda caligine obscurauit; & cum vehementi turbine tam ingens vis prægrandis grandinis circa Palatium duntaxat regium cecidit, vt multi in discrimen vitæ venerint. Hæc omnia pluribus auctoribus ab eodem sancto Martyre gestarum, qui his interfuisse putatur, vbi & quædam addit de miraculis, ac cultu eiusdem Martyris: necnon de pluribus aliis, quos idem crudelis pariter atque impius Imp. neci tradidit; ex quibus considerare quis poterit eorum certamina, quæ nota Deo tantum absque scriptorum monumentis ex hominum memoria exciderunt. Relatus est autem Stephanus inter sanctos Martyres in Ecclesia Catholica celebrandus: quem Theophanes, in hoc dissentiens ab iisdem Actis, iam anno superiori necatum affirmat.

PRODIGIA OB NECEM EIVS.

IV. CONST. PATRIA. SVPPLICIVM.

Paulo vero antequam ista gererentur, nempe septimo Idus Octobris Indictionis sextæ, & anni Imperatoris vigesimi septimi, (vt habet Theophanes) cum qui ante biennium exauctoratus fuerat, & in exilium missus Constantinus Patriarcha Constantinopolitanus, quam secreto acceperat ab eodem Copronymo ipsius impietatem, qua negabat Christum Deum, eiusque Matrem esse Deiparam nominandam, loco vindictæ (vt Cedrenus, & alii tradunt) omnibus propalasset; idem iussus reduci Constantinopolim, & in Ludis Circensibus populo expositus, raso capite, ac veste breui & sine manicis, sedens super asinum & caudam eius tenens, quem ducebat eius nepos naso recisо; post multa ludibria, capite truncatus est, corpusque eius fune tractus in locum damnatorum; dignam factis mercedem, licet à magis impio Imp. recipiens. Hæc ex Theophane: qui plures alias cædes subiungit ab eodem tyranno perpetratas in monachos, alioſque omnis generis Orthodoxos, quicumque aut Imagines colerent, aut Sanctos inuocarent, aut Vigilias agerent, aut Ecclesias frequentarent, aut non passim iuramentis abuterentur, aut denique cum religione aliqua viuerent: itemque de monasteriis tam virorum quam fœminarum euersis, aut in vsum militum suorum conuersis. Quarum rerum testis est etiam Theosterictus, earundem inspector in Niceta: vbi & agit de blasphemiis horrendis eiusdem tyranni in Deigenitricem MARIAM, cuius non solum intercessiones, sed & nomen ab Ecclesia expellere studebat; asserens eam quo tempore Christum in se habuit, honorandam fuisse; ex quo autem illum peperit, nihil diuulisse à reliquis fœminis. Idque impiissimus homo cōfirmare conabatur exemplo marsupii; quod cum aurum in se contineret, pretiosum esset; cum vero vacuum, vile esset. Quas & hodie blasphemias plerique Nouatores amplectuntur, habituri & ipsi absque dubio partem cum Copronymo in inferno, nisi dignis pœnitentiæ lacrymis portentosa sua dogmata diluant.

c Act. Sanct. 3 April. BLASPHEMIA HORRENDA IN S. DEIGENITRICEM.

IESV CHRISTI AN. 768.

STEPHANI IV. AN. 1.

CONST. COPRON. AN. 28.

I. PSEVDOPAPA EXPVLSVS.

ANno Christi septingentesimo sexagesimo octauo, Indictione sexta, in fine mensis Iulii Romæ Christophorus Primicerius, ac Sergius Sacellarius ipsius filius, zelo fidei collecta militum manu in Vrbem ingressi, Totonem Constantini Pseudopapæ fratrem occiderunt, ipsum vero Constantinum expulerunt, postquam sacrilege sedisset annum vnum & mensem vnum. Cum autem in locum eius, nonnulli contra ius fasque subrogassent *Philippum* quendam presbyterum ac monachum; isto quoque eiusdem Christophori opera mox in monasterium remisso, tandem communi totius Cleri, Optimatum, ac Populi consensu legitimus creatus est Pontifex STEPHANVS huius nominis Quartus (quem Anastasius, aliique Tertium dicunt, quod eius nominis Secundum, ob breuitatem sedis, inter Pontifices non ponant) natione Siculus ex patre Oliuo, presbyter tituli S. Cæciliæ, vir strenuus & diuinis Scripturis eruditus, atque Ecclesiasticarum traditionum obseruantissimus. Constantinus autem à *Concilio* Episcoporum & presbyterorum rite depositus, & in monasterium inclusus, inde paulo post à militibus, inscio quidem Stephano, sed iusto Dei iudicio, violenter extractus est, ac crudeliter excæcatus; eadem pariter pœna, necno linguæ abscissione, aliis quibusdam affectis qui ipsi adhæsissent. Hæc omnia pluribus Anastasius.

STEPH. IV. CREATVR.

II. EPISCOPI EX GALLIA ACCERSITI ROMAM AD SYNODVM.

Quo etiam auctore constat, Stephanum Papam ipso sedis suæ principio ad Pipinum, eiusque filios Carolum & Carolomannum, Francorum Reges Christianissimos, & Romanorum Patricios, legationem direxisse, qua petiit, vt aliquot ex regno suo Episcopos eruditos, & sanctorum Canonum peritos, Romam mitterent, ad Synodum illic agendam pro restauratione Ecclesiasticæ disciplinæ, quam Constantinus Pseudopapa peruertisset: Legatos vero cum in Gallias aduenissent, reperto Pipino mortuo, causam suæ legationis Carolo & Carolomanno exposuisse, ac secum in Italiam ex Galliis duxisse duodecim selectissimos Episcopos, doctrina ac pietate præstantissimos. Sed de Synodo dicetur anno sequenti.

III. DE OBITV PIPINI REGIS.

Ex eo vero quod Pipini obitum Anastasius hoc anno ponit, redargui posse videntur qui ante vel post eum decessisse tradunt. De die porro, alii scribunt *a* octauo Idus Augusti esse defunctum, alii *b* octauo vel nono Calendas Octobris. Illud quidem certum, annos CAROLI MAGNI, eiusdem Pipini filii, numerari cœptos esse à septimo Idus Octobris huius anni, quando videlicet ipse coronatus est Noviomi, & Carolomannus ipsius frater Suessione. Cæterum Pipinus cum ægrotare cœpisset, ad proximum se parans obitum, orationis causa inuisit sepulchrum S. Martini Turonis; inde reuersus Parisios, ad S. Dionysium reddidit Deo spiritum, vbi & sepultus est; cum regnasset à tempore quo à Stephano Papa Tertio coronatus est, annos quatuordecim, ab vnctione vero per Bonifacium Moguntinum exhibita, annos (vt *c* numerant) quindecim, menses quatuor, & dies viginti: etsi perperam Ado Viennensis tribuat regno eius annos decem & octo. Qui quidem cum ob præstantiam rei militaris, qua sæpe hostes ingenti gloria superauit, tum ob insitum eius animo religionis cultum, ac munificentiam qua cum omnes tum præsertim pro ecutus est Romanam Ecclesiam, immortalem peperit sibi apud homines laudem, & æternam apud Deum gloriam.

a *Regino, & alii eum sequuti.*
b *Annal. Fr. à Pith. edit. Ann. lib. 4. c. 67. Mar. Scot. in Chron.* CAROLVS MAGNVS REGNAT.
c *Ann. lib. 4. c. 61. in fi.*

IESV CHRISTI AN. 769.

STEPHANI IV. AN. 2.

CONST. COPRON. AN. 29.

ANno Christi septingentesimo sexagesimo nono, Indictione septima, mense Aprilis, celebratum est *Romæ* CONCILIVM à Stephano Papa in Basilica Saluatoris iuxta Lateranense palatium; cui interfuerunt duodecim Episcopi selectissimi è Galliis accersiti anno superiori, & alii plures Tusciæ, Campaniæque, atque aliarum Italiæ prouinciarum Antistites. Cuius licet Acta non extent, tamen loco ipsorum suppetunt quæ apud Anastasium in Stephano de iis habentur scripta. Ex quibus illud primo constat, eius celebrandi eam causam magni momenti præcessisse, vt corrigeretur impudens factum à Constantino Pseudopontifice perpetratum, cum ille inuasor Apostolicæ Sedis, ex laico vno momento tanquam in scena prodiit factus Pontifex. Damnauit itaque S. Synodus eundem Sedis Apostolicæ inuatorem, in medium consessus, licet excæcatum, productum, eundemque, quod post semel agnitum reatum, exculationem prætenderet exemplo quorundam aliorum, qui ex laicis repente Episcopi consecrati fuissent, alapis eius ceruicem cædere, & extra illam ecclesiam eiicere fecit: & ne imposterum talia præsumerent laici, nec ex alio ordine, nisi qui per distinctos gradus diaconus vel presbyter Cardinalis effectus esset, Pontifex creari posset, canone sancito decreuit. Acta quoq; Conciliabuli, in quo eiusdem Constantini electio fuerat approbata, combusta sunt (inquit Anastasius) in medio presbyterii ipsius Ecclesiæ (perperam enim apud Marianum Scotum ex vitioso textu legitur, ipsos sacerdotes, atque etiam Constantinum, tunc fuisse combustos:) qui vero ab eodem Constantino fuerant ordinati, tam Episcopi, quam presbyteri atque diaconi, in pristinum gradum redacti sunt: statutumque, vt omnia quæ idem in Ecclesiasticis sacramentis ac diuino cultu egisset irrita essent, præter Baptismū, & Cōfirmationē.

I. CONCIL. ROM.

DAMNATIO CONSTANTINI PSEVDOPAPÆ.

Ad postremum, quæcumque aduersus sacras Imagines in pseudosynodo Cōstantinopolitana decreta fuissent, ea sanctam istam Synodum anathemati subiecisse, sed & approbasse epistolam Synodalem trium Patriarcharum Orientalium, ad Paulum Papam scriptam pro cultu earundem sacratum Imaginum; constat ex eiusdem Romanæ Synodi fragmentis, quæ reperiuntur in tractatione *a* Hadriani Papæ ad Carolum Magnum de Imaginibus. In quibus pariter cum mentio fiat egregiè ab Episcopis Gallicanis in eadem Synodo nuntiatæ pro sacris Imaginibus operæ; hinc plane intelligere potes quid de iisdem sacris Imaginibus in Concilio Gentiliaco prope Parisios haud pridem sit decretum. Rursumq; siue in hoc Concilio, siue seorsum, & illud ab eodem Pontifice statutum reperitur apud eundem Anastasium, vt omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, Missarum solemnia super altare B. Petri celebrarentur. Hicque prima mentio de SEPTEM EPISCOPIS CARDINALIBVS reperitur; illis scilicet qui proximos Vrbi habentes Episcopatus, assistere et Pontifici, eidem S.R.E. annexi cardini; de quibus inferius sæpe dicendum.

II. CŌCILIAB. CONSTANTIN. ADVERSVS IMAG. DAMNATVM. a. c. 12. ad. 16.

SEPTEM EPISCOPI CARDINALES.

Paucis vero mensibus post hanc Synodum defuncto Sergio Rauennate Episcopo, Longobardorū potentia Michael eiusdem Ecclesiæ Scriniarius, nullo sacerdotali fungens honore, intrusus est: ad quem dimouendū Stephano Papæ fuit plurimum laborandum hoc & sequenti anno; donec Francorum Regum Legatis adhibitis, idem Michael expulsus est, & Romam vinctus missus: Leo vero Archidiaconus legitime à Rauennatibus electus, Archiepiscopus est consecratus. Hæc ex Anastasio.

III.

Hoc item anno Hunaldum Aquitaniæ Ducem rebellantem, Carolus & Carolomannus fratres, Francorum Reges superatum ceperunt *b*, eundemque post biennium pœnitentiam simulantem, dimiserunt Romam quasi ibi perseueraturum: quem non diu post deficientem ad Longobardos sibi lapidibus obrutum male periisse affirmant *c*.

IV.

b *Chron. à Pith. edit. an. 771.*
c *Sigeb. in Chron. an. 771.*

IESV

IESV CHRISTI AN. 770.

STEPHAN. IV. AN. 3.

CONST. COPRON. AN. 30.

I. DESIDER. LONGOB. REX BIBE INFESTAT ECCL. RO.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo, Indictione octaua, Romana Ecclesia vexatione Desiderii Longobardorum Regis dire fuit exagitata. Cum enim Christophorus & Sergius, qui à Constantini Pseudopapæ tyrannide eandem Ecclesiam strenue vendicauerant, rursum pro ea apud Desiderium indesinenter agerent, vt ei pristina iura ab eodem Rege vsurpata restitueret: ea de re aduersus eos indignatus Desiderius, consilio cum Paulo Afiarta cubiculario Stephani Papæ inito, ad Vrbem fraudulenter cum exercitu properans, eundem Pontificem in colloquium foras euocatum, intra ecclesiam B. Petri inclusit; & Christophorum ac Sergium tentos, contra fidem datam excæcauit: quo ex dolore Christophorus intra triduum mortuus est; Sergius autem in monasterium Cliui Scauri intrusus, atque inde in Cellarium Lateranense deductus, aliquo tempore vixit; de cuius obitu suo loco dicendum. Hæc fusius Anastasius in Stephano, & Hadriano ipsius successore.

II. a *Ann. lib. 4. c. 68. Eginh. in Vit. Carol. Mag. & alii.* BERTA FILIA DESIDERII IVNCTA CAROLO. b *Rec. Bato. Ann. Tom. IX. hoc an. extatque Tom. III. Concil.*

Habent quoque Annales *a* Francorum, hoc anno contigisse connubium inter Carolum Regem cognomẽto Magnum & Bertam filiam prædicti Desiderii, opera Bertrudæ Caroli matris. Quod cum intellexisset Stephanus Papa, scripta ad ipsum Carolum, eiusque fratrem Carolomannum, efficacissimis verbis epistola *b*, (quam prius antiquo ritu, in confessione B. Petri posuit, & sacrificium Deo super eam obtulit) ne id fieret, interminatione excommunicationis admonuit, tum quia iam iidem ab eorum patre aliis nobilissimarum fœminarum Francarum nuptiis obligati essent, tũ etiam ne præclara (vt ait) Francorum gens, quæ super omnes gentes eniteret, perfida ac fœtentissima Longobardorum gente pollueretur, è qua leprosorum genus originem duceret. Cæterum cum Stephanus iisdem suis literis nonnisi de vna filia Desiderii Regis mentionem habeat; eas tamen plures fuisse, & ex eis alteram Carolo, alteram Carolomanno nuptam esse, veteres Annales tradunt.

III. CONCIL. WORMAT. c *Capitul. Franc. lib. 6. c. 285. & 286.*

Hoc insuper anno in Annalibus Francorum ponitur habitum ab eodem Carolo Magno CONCILIVM in *VVormatia* ciuitate; in quo post dignam fidei confessionẽ, octoginta canones subiiciuntur. Sed & in *c* Capitularibus Regum Francorum illud tunc memoria dignum reperitur enixe postulatum à populis, & ab eodem Rege decretum, vt posthac dum aliquod bellum gereretur, Episcopi minime cum militibus pergerent nec præliis interessent vulneribus obnoxii, sed in suis Ecclesiis residentes, Missas celebrarent, ac preces ad Deum pro exercituum incolumitate funderent, & eleemosynas facerent; ac paucos tantummodo sacerdotes, eosdemque pietate & doctrina conspicuos, cum exercitibus mitterent ad benedictionem dandam, & periclitantium reconciliationem faciendam: cæterum iura, resque Ecclesiasticæ intactæ permanerent, nec fas esset aliquibus eas auferre. Sequenti autem capite *d* cum ista ponantur: *Auctoritas Ecclesiastica atque canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*: ex iis intelligas, quotquot sub iisdem Francorum Regibus celebrata fuere eorum ordinatione Concilia, ea nonnisi assensu Romanorum Pontificum habita esse: quod & alias pluribus ostendimus.

EPISCOPI NE AD BELLA PERGANT.

ibid. c. 287

IV. AVDO I. HISP. REX VIRGINES IN TRIBVTVM DAT SARACENIS.

Hoc eodem anno in Hispania perempto Froila Rege per Aurelium ipsius patruum, siue (vt alii tradunt) germanum, idem Aurelius regnum inuasit, Æra (vt Tudensis supputat) octingentesima octaua; licet alii vndecim tantum annos Froilæ tribuant, defunctumque ponant anno septingentesimo sexagesimo octauo. Huius Aurelii tempore etiam seruili bello Regnum flagrauit; cuius causa, vt ipse cum Abderrhamano Maurorum Rege fœdus iniret, infamem quoque illam conditionem subire non renuit, vt numerum quendam Christianarum virginum, loco tributi quotannis Maurorum Regibus persolueret. Recensetque præterea Tudensis eiusdem Aurelii aliud periniquum decretum, vt nobiles Hispaniæ fœminæ matrimonio iungerentur cum Saracenis.

Quo item anno, Copronymi Imperii trigesimo, Ephesi Præfectus ipsius omnes monachos & virgines Deo dicatas in campum educens, edixit, vt illico ipsi inter se matrimonio iungerentur: renuentes autem (quorum maximus fuit numerus) priuatos luminibus in exilium relegauit. Hæc Theophanes.

V. MONACHI IVSSI CONIVNGI CVM MONIALIBVS.

IESV CHRISTI AN. 771.

STEPHAN. IV. AN. 4.

CONST. COPRON. AN. 31.

I. PERSECVTIO RECRVDESCIT IN MONACHOS.

ANno Domini septingentesimo septuagesimo primo, Indictione nona, Imperii Constantini trigesimo primo, recrudescente ipsius aduersus monachos persecutione, per Præfectum Thraciæ cuncta eiusdem prouinciæ monasteria tam virorum quam fœminarum, vasa sacra, libros, pecora, omnia deniq; ipsorum bona vendidit; cunctaque scripta quibus Vitæ monachorum continerentur combussit: sed & venerandas Reliquias vel igni tradidit, vel abscondit: ipsos denique monachos partim interfecit, partim excæcatos, aut facie crematos (gaudebat enim maxime huiusmodi tormento, vt iis qui prolixam barbam gestarent, eam pice, cerave, aut oleo perungeret, ignemque admoueret) in exilium expulit. Quem & alii Præsides in aliis prouinciis imitati sunt. Hæc ex Theophane.

II. a *Annal. Franc. Egin. in Vit. Carol. Ann. lib. 4. c. 68 & 69.* CAROL. MAG. REPVDIAT BERTAM. b *Rec. Bato. Tom. IX. an. 786.*

Hoc item anno, vt habent Francicarũ rerum scriptores *a*, Carolus Magnus Rex quam superiori anno hortatu matris vxorem duxerat Bertam filiam Desiderii Regis Longobardorum repudians, patri remisit; & Hildegardem de gente Sueuorum præcipuę nobilitatis ac pietatis fœminam in matrimonium accepit. Verum ex epitaphio *b* sepulturæ Hildegardis, quod extat in monasterio S. Arnulphi vrbis Metensis, putaturque esse compositum ab Albino siue Alcuino, constat eam non nuptam esse Carolo, nisi postquam ipse Italia potitus est cum Vrbe Roma; sicque eius connubium non ante annum Christi septingentesimum septuagesimum quartum contingere potuisse.

III. CAVSÆ REPVDII BERTÆ. c [De hac voce, vide quæ dixi ad an. 754. num IX. Est enim Clinica, idem quod morbosa, ac velut lectualis.]

Quod autem ad diuortium cum Berta spectat; eius quidem hanc monachus Sangallensis in duobus libris Rerum gestarum Caroli Magni causam affert, quod Berta esset clinica *c*, & ad propagandam prolem inhabilis; ideoque iudicio Episcoporum eam relictam ab illo esse velut mortuam. Porro vt ista Episcopi illi decreuerint, hæc oportuit concurrisse, nimirum, quod reddita esset ex morbo penitus impotens ad concubitum, & hoc impedimentum iam fuisset ante contractum matrimonium. Ita quidem ex sententia Iuris Canonici Consultorum: quæ obseruata tunc esse, licet de sanctissimis Episcopis & de Rege Christianissimo opinari. Nisi etiam dixerimus, causam diuortii eã intercessisse, quod Stephanus Papa (vt vidimus) sub anathemate monuisset, ne Carolus cum ea matrimonio iungeretur, eo quod iam alias legitimis nuptiis à patre copulatus fuisset. Porro quod huiusmodi causæ non omnibus paterent, nonnulli pii viri haud leue passi sunt scãdalum, cum sic repudiatam vnam, & aliam ductam viderunt à Carolo, contradicentibus Ecclesiasticis legibus: inter quos *Adelhardus* ipsius Caroli consobrinus, ea occasione se ab eiusdem palatio abdicauit, ac monasticum institutum amplectens mira claruit sanctitate: cuius res gestas *d* descripsit Paschasius Ratbertus eius temporis auctor.

d *Ext. ap. Sur. 1. Iun.*

IV. CAROLOMANNI OBITVS.

Eodem anno Carolomannus eiusdem Caroli frater, pridie Nonas Decembris, in villa Salmuntiaco ex hac vita migrauit, anno regni sui post patris obitum tertio; sepultusque est Rhemis. Cuius vxor, filia Desiderii Regis Longobardorum, cum liberis ex eo susceptis in Italiam ad patrem se recepit. Carolus autem *Conuentu* Episcoporum atque Optimatum Franciæ in villa *Carboniaco* habito, Regni partem quæ fratris fuerat suscepit. Hæc Francorum Annales *a*.

a *Annal. Pith. hoc ann. Ann. lib. 4. c. 68.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 772.

HADRIANI AN. I.

CONST. COPRON. AN. 32.

I.

STEPH PP. OBITVS.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo secundo, Indictione decima, nouus turbis Vrbs exagitata est, dum factione Pauli Afiartæ Stephani Papę cubicularii, miser Sergius Secundicerius, qui antea (vt vidimus) eiusdem Afiartæ opera fuerat excæcatus, è Cellario Lateranensi vbi seruabatur eductus plurimis confossus est vulneribus. Quod impiũ facinus postea sub Hadriano Stephani successore punitum est, vt diffuse narrat Anastasius in eius Vita. Hæc enim de nece Sergii gesta sunt cum Stephanus ægrotaret; qui post dies octo defunctus est Calendis Februarii, cum sedisset annos tres, menses quinque, dies viginti octo; sepultusque est ad S. Petrum, vt ait Anastasius Quod autem ad scriptas ab eo Epistolas pertinet; in citato superius codice, quinque ab eo ad Francorum Reges de variis rebus scriptarum argumenta *a* redduntur. Ex quorum vno constat, ipsum per literas à Carolomanno petiisse, vt liceret sibi esse Compater & testis baptismi filii eiusdem Regis. Quemadmodum & Stephanum Papam Tertium fuisse antea Compatrem Pipini Regis, superius vidimus. Sed & Hadrianum fuisse item postea Compatrem Caroli Magni, testatur *b* ipse in epistola ad Imperatores Constantinum & Irenem.

a [Recenset ea Bar. hoc an integras vero Epistolas ipsas ediderit post ea Gretserus ex cod. Bibl. Cæs. Vien. nec solum has quinque sed & alias eiusdem Pont. de quibus infra an. 795. III. vna cũ aliis aliorum Pontiff. de quibus sup. ad an. 757. II.]

Cum autem post obitum Stephani, Sedes vacasset (vt ait Anastasius) diebus octo; die nona mensis Februarii, summa omnium concordia, ex Diacono Pontifex creatus est HADRIANVS ciuis Romanus, nobilissimo genere ortus ex patre Theodoro; vitæ sanctitate, pauperum cura, zelo fidei, & disciplinæ Ecclesiasticæ doctrina, omnibusque virtutibus præstantissimus. Sub cuius Pontificatus initio, cum Desiderius Longobardorum Rex fœdifragus pacem per legatos suos Hadriano offerre simulans, interim occupasset multas ex ciuitatibus Romanæ Eccleſiæ, & nec literis, nec legationibus, nec precibus sæpius ab eodem Hadriano iteratis, à cœptis dimoueri potuisset, quinimo se propediem ad obsidionem Vrbis venturum minaretur; tunc idem Pontifex in extremas redactus angustias, legationem maritimo itinere ad Carolum Magnum Francorum Regem Christianissimũ, & Romanorum Patricium direxit, qua eum rogauit, vt sicut eius pater Pipinus, ita ipse subueniret Sanctæ Dei Ecclesiæ, & afflictissimis Romanorum rebus. Sed quod hæc legatio missa fuerit anno sequenti, agetur de ea suo loco. Quæ vero de Longobardorum infestationibus summatim hic diximus, fuse tractat Anastasius in Hadriano.

II. HADRIANVS PAPA CREATVR.

Interea vero dum hæc in Italia gererentur, idem Carolus Magnus Saxones rebellantes iterum subiugauit, atque idolorum templa destruxit: cui rei dum aliquando incumberet, magna siti laborans eius exercitus, aqua diuinitus ebulliente refectus est. SYNODVM quoque *VVormatiæ* celebrauit, quæ & Secunda eius nominis est dicta: cuius extat in Francorum Capitularibus *c* fragmentum de canonica purgatione sacerdotum, qui fuissent accusati de criminibus non probatis, per iuramentum facienda. Rursumque hoc anno à Tassilone Bauariæ Duce alia celebrata est SYNODVS Episcoporum in loco qui ab accolis *Dingoluinga* dicebatur; vbi multi sancitæ sunt *d* canones ad disciplinam Ecclesiasticam & politicam pertinentes. Inter quos ille notatione dignus, vt Episcopi & Abbates cum de luce migrarent, vnusquisque superstitum pro defuncto, in domo sua Episcopali, vel monasterio, centum Missas speciales, & totidem psalteria cantare faceret, ipseque per se triginta Missas compleret; similiterque pro presbyteris, siue monachis, triginta Missas, & totidem psalteria celebrare facerent.

III. CONCIL. WORM. II. *c Capitul. Franc. lib. 7. c. 205.* CONCIL. DINGOLVING. *d Recitat huius Synodalia, & canones, Bar. Tom. X. hic an. accepta à M. Velsero.* MISSÆ PRO DEFVNCTIS EPISC. ET ABBAT.

Quod pertinet ad res Orientales; Christiani degentes in Syria subditi Regi Saracenorum Habdallæ, persecutionem passi sunt ob promulgatum ab eodem Rege Hierosolymis edictum, vt Christiani omnes atque Iudæi inscriberentur manibus, quo à cæteris dignosci possent. Cuius rei gratia factum est, vt plurimi Christiani, quod ignominiam eiusmodi sustinere nullatenus vellent, relictis bonis suis, in Romanorum se ditionem transferrent. Ista hoc anno Theophanes.

IV. HABDALLA EDICTVM IN CHRISTI. ET IVD.

IESV CHRISTI AN. 773.

HADRIANI AN. 2.

CONST. COPRON. AN. 33.

I.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo tertio, Indictione vndecima, cum (vt dictum est) Hadrianus Papa legationem aduersus Desiderium Longobardorum Regem, ad Carolum Magnum misisset; ipse quoque perfidus Desiderius suos pariter Legatos ad eundem Carolum direxit, quibus fraudulenter significaret se cuncta quæ ad Sedem Apostolicam pertinerent, reddidisse: nimirum, vt hac arte eum detineret, ne cum exercitu in Italiam properaret. Interea vero dum, quod vehementissime desiderabat, nullomodo potuisset Hadrianum ad se allicere, vt ei persuaderet ab amicitia Caroli discedere, ac filios Carolomanni fratris Caroli (quos diximus vna cum eorum matre filia Desiderii, post mortem patris in Italiam remeasse) Reges vngere, sicque capaces reddere paterni Regni, quod Carolus occupauerat; Romam ipse cum exercitu procedere statuit: sed accepta in ciuitate Viterbiensi excommunicationis sententia, per tres Episcopos ad eum à Pontifice missa, qua eum constrictum declarabat, nisi à Romanorum finibus abstineret; illico idem Rex cum magna reuerentia ad propria confusus reuersus est. Hæc Anastasius: ex quibus videas, etiam apud impios, auctoritatem excommunicationis à Romano Pontifice latæ.

CONATVS DESIDERII REPRESSI TIMORE EXCOMMVNICATIONIS.

II. EXPEDITIO CAROLI MAG. CONTRA DESIDER.

Cæterum Carolus suscepta legatione Hadriani, non statim de inferendo bello consilium iniit, sed misit primo qui explorarent vtrum quæ occupauerat Desiderius, Apostolicæ Sedi, vt significauerat, reddidisset. Cum autem nihil ab eo præstitum agnouisset, nec eum per iteratas legationes potuisset inducere ad eiusmodi restitutionem, licet offerret de suo dare magnam auri summam: tunc demum exercitum aduersus ipsum mouens, eundem diuinitus à custodia faucium montis Ciniſii expulsum Papiæ obsedit; sed & durante obsidione Veronam expugnans, vxorem ibi & filios Carolomanni fratris suscepit, multasque alias ciuitates Longobardorum in potestatem suam redegit. Hactenus ex Anastasio de rebus huius & sequentis anni vsque ad Paschale tempus, quo Carolus Romam profectus est. Dum vero idem auctor ait, à tempore cœptæ obsidionis Papiensis vsque ad Caroli aduentum in Vrbem, interceſſisse sex mensium spatium; plane significat, mense Octobris contigisse ingressum eiusdem in Italiam.

III. SAXONES FRVSTRA LABORANT ECCLESIAM INCENDERE.

In Vita autem ipsius Caroli, annis singulis per periodos dierum festorum Natalis & Paschatis distincta, postquam de hac ipsius expeditione actum est, additur hoc ipso tempore, absente Carolo, Saxones iterum rebellantes confinia Francorum deuastasse: sed dum quandam Christianorum Ecclesiam, quam olim S. Bonifacius martyr consecrauerat, & per spiritum prophetiæ prædixerat nunquam fore igne comburendam, incedere vellent; apparuisse duos iuuenes in albis, qui ipsam basilicam ab igne protexerunt; ipsosque Saxones diuinitus perterritos, nemine persequente fugam arripuisse. Sicque qui anno superiori, dum idoli templum sterneretur, aquam insperatam dedit, hoc anno vim ignis, ne incenderetur sancta Ecclesia, impediuit; vbique mirabilis Deus in omnibus operibus suis.

IESV CHRISTI AN. 774.

HADRIANI AN. 3.

CONST. COPRON. AN. 34.

I. CAROL. MAG. ROMAM VENIT.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, cum iam per sex menses stetisset Carolus Magnus in obsidione Ticini ciuitatis; aduenie-te tempore Paschali, relicto ibi exercitu, ipse Romam ad Limina Apostolorum ad festum celebrandum venire decreuit. Quod audiens Hadrianus Papa, omnes Magistratus Vrbis obuiam ei ad triginta milliaria cũ signis militaribus misit: cum vero appropinquasset ad vnum milliare, direxit vniuersas scholas militiæ, vna cum magistris & pueris ramos oliuarum deferentibus, & laudes Regis concinentibus. Cum autem obuiam etiam aduenissent venerandæ Cruces, statim vbi Christianissimus Rex illas cõspexit, equo descendens, pedestris ad Ecclesiam S. Petri processit; & perueniẽs ad atrium, vbi eum Pontifex cum reliquo Clero operiebatur, omnes gradus sigillatim deosculatus est; ac demũ à Pontifice benigne exceptus, post mutuos amplexus, tenuit in incessu & ingressu ecclesiæ dexteram manum Pontificis, cunctis acclamantibus, *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* quod quidem accidit in die Sabbati Sancti. Postquam vero & reliquas Vrbis ecclesias visitasset, festumque solenniter celebrasset; quarta post Pascha die monitus à Pontifice, antiquam Ecclesiæ Romanæ factam à Pipino patre exarchatus Rauennatis, aliorumque dominiorum Donationem, nouis diplomatibus, à se suisque magnatibus tam Ecclesiasticis quam secularibus subscriptis, confirmauit, & ad eiusdem conseruationem solemni edito ad Confessionem S. Petri iuramento sese suosq; obstrinxit. Hæc omnia pluribus Anastasius: qui, quod ad Donationis cõfirmationem attinet, in ea easdem illas ciuitates atque prouincias nominatim adnumeratas ponit, quas à Pipinio donatas ex Leone Ostiensi superius retulimus.

RECIPITVR IN ECCL. S. PETRI.

DONATIONEM PATRIS CONFIRMAT.

[Quod audisti de Carolo dexteram Pontificis tenente; quia id ipsum & de aliis Regibus, & Imperatoribus, factum non semel similibus cõgressibus legitur; ne tibi hæc offendiculo sint, rem nõ ita vulgatam refero ex veteri libro Pontificali Ecclesiæ S. Patri in Vaticano, qui asseruatur in eius archiuo. Ibi enim dum agitur de cæremonia receptionis Regis coronandi in Imperatorem, & de eius accessu ad Põtificem, qui eum extra ecclesiam operitur, hæc habentur, quæ ipse ego inde exscripsi: *Rex accedens ad Summum Pontificem, reuerenter osculatur pedes ipsius, & offerens ei aurum quantum placuerit, benigne recipiatur ab eo ad osculum, & ad amplexum. Qui demum surgente, Rex ipse à parte dextera, & prior Diaconorum à patre sinistra deducant eum vsque ad Eccl siam, &c.* Exposui ritum: nec quid amplius addo: quippe hæc plusquam sufficiant ad tollendum omnem scrupulum.]

II. CAPTVM DESIDER. IN GAL. DVCIT.

Post hæc autẽ reuersus Carolus Papiam, paucis post diebus eandẽ graui iam morbo pressam, vna cum ipso Rege Desiderio in deditionem accepit. Sicque Ecclesia Romana in libertatem pristinam plenissime restituta amplioribusque dilatata finibus, ipse quoque Carolus vniuerso Longobardorum Regno potitus est: vbi relictis Francorum militum præsidiis, Desiderium vna cum eius coniuge secum in Franciam duxit. Hæc pariter Anastasius. De filio autem Desiderij Aldagiso tradunt Annales Francorum, ipsum fuga lapsum Constantinopolim petiisse: habetque Theophanes, eum sequenti anno illuc peruenisse; & ab Imperatore benigne exceptum, Patriciatus dignitate donatum esse.

III. DE COMMENTITIO CONCILIO, QVOD ROMA HABITVM ASSERITVR.

Sed quod Sigebertus in Chronico scribit, Carolum Papia capta rediisse Romam, & in Synodo centum quinquaginta trium Episcopotum & Abbatum, ab Hadriano Papa celebrata, datum ei fuisse ius eligendi Romanum Pontificem, & vt Archiepiscopi atqtte Episcopi per singulas prouincias ab eo inuestituras acciperent; hæc cum ab ipso nonnisi post annos trecentos triginta octo scripta fuerint, nempe anno Domini millesimo centesimo duodecimo, nullo penitus antiquioris æui auctore conscio, ne ipsis quidem qui Vitam Caroli, vel qui per annos singulos res ab eo gestas, omnesque habitos Conuentus quam diligentissime scriptis tradiderunt; iure creditur, hanc impostaram eo tempore adornatam esse in gratiam Henrici Imperatoris schismatici, cuius & partes totis viribus Sigebertus fouit. Nam quod post captam Papiam non Romam venerit iterum Carolus, sed quam celeriter in Galliam redierit, vt aduersus rebellantes Saxones expeditionem pararet, omnes auctores affirmant. Immo & Einhardus, siue Eginhardus, qui ipsi Carolo fuit à secretis, eiusque lateri semper inhæsit, ac Vitam eiusdem scripsit; expresse affirmat eum nonnisi quater Romam se contulisse; primo hoc anno in expeditione aduersus Longobardos, secundo soluendi voti causa anno septingentesimo octogesimo, tertio aduersus Ducem Beneuentanum anno septingentesimo octogesimo sexto, quarto ad restituendum Leonem Papam anno octingentesimo, quando & creatus est Imperator. Vbi ergo quintus à Sigeberto confictus, nusquã alibi assertus, eiuldẽ Caroli in Vrbem aduẽtus?

IV.

Accidit tamen, vt nullo de impostura habito diligentiori examine, creditum fuerit verum esse, quod ab eo fuisset quam mendacissime affirmatum. Vt non ad hæc refellenda se conuerterint pii Ecclesiastici tractatores, sed laborarint vt ostenderent, ista ab Hadriano concessa Carolo, fuisse postea reuocata: ex quorum numero fuit Gratianus, qui nimis credulus eandem Sigeberti impostaram totidem verbis exscripsit *a*; aliamque insuper addidit huic parem, æque à schismaticis confictam Leonis Octaui nomine in gratiam Ottonis Imperatoris. Ceterum nec ipsum nomen *Inuestituræ* ea significatione, vel vsus eius per annuli collationem (vt tradunt) & baculi, apud aliquem eius temporis scriptorem reperitur: & quod ad Pontificis electionem pertinet, repugnant his praxis & leges aliorum post Carolum Imperatorem, de quibus inferius suis locis: ac denique tantum abest vt Carolus sibi arrogare voluerit electiones Episcoporum, vt potius suo promulgato decreto *b* eas statuerit esse liberas, atque ex sacrorum canonum præscripto decerni. Sed de his modo hactenus.

a Dist. 63. c. Hadrian. 22. & cap. seq.

b Cap. li. 1. cap. 84. & dist. 63. c. sacror. canon.

[Post obitum Illustrissimi Cardinalis BARONII, *Melchior Goldastus* Caluinista edidit *Raisonnable* (vt vocat) *Constitutionum Imperialium*: vbi professus se Rom. Imperii iura aduersus Baronii Annales elenchos præscribere; Caluinistice (vt nihil aliud dicam) rem agens, modestissimum atque sincerissimum historiæ tractatorem misere prosecidit. Sed mox prodiit ex aduerso fortissimus veritatis defensor, *Iacobus* GRETSERVS *Societatis* IESV *Theologus*; qui Apologiam pro Illustriss. Cardinale suscipiens, cunctas Goldasti argumentationes dissipauit; cumque nihilominus ille irrationabiliorem *Replicationem* edidisset, eidem rursum alia edita Defensione os Gretserus obturauit. Quare quæ pro schismatico Sigeberto hæreticus Caluinista de hac controuersia procaciter effutiit, tu (si libet) vide ab eodem clarissimæ Societatis nobili Professore egregie discussa atque disiecta. Apol. Baron. cap 1. & contra Replicat. lib 2. cap. 1. & 2. Sicut & de aliis præcipuis eiusmodi Goldasti criminationibus, admotabitur inferius suis locis.]

V.

Porro inter captiuos Lõgobardos, quos vna cum eorum Rege Desiderio Carolus duxit in Gallias, fuit *Paulus Diaconus* Aquileiensis, ille qui Res gestas suorum Longobardorum scriptis tradidit, eratque Desiderio à secretis. Qui quidem (vt scribit Leo *c* Ostiensis) Regi Carolo pro sua prudentia carus admodum & familiaris factus, cum postea accusatus ab inuidis apud eundem Regem, quod ex affectu Desiderij insidias ei pararet; eaque an vera essent interrogatus à Rege, constanter respõdisset se in fide domini sui quoad viueret perseueraturum: ea de causa iussit primo Rex ei manus abscindi, sed mox considerata ipsius scribendi peritia, & historiæ cognitione, mutata sententia eundem dumtaxat in insulam deportauit. Vnde ipse confugiens ad Adelpergam Desiderij filiam, Arichisis Ducis Beneuentani vxorem, eius precib. Historiæ Eutropij duos libros adiecit de iis quæ accidissent à tempore Iuliani Apostatæ vsque ad Iustinianum Imperatorem: sed & vniuersas fere annalis computi lectiunculas rithmo composuit. Defuncto autem Arichise, sumpto monastico habitu in monasterio Cassinensi consenuit, & longæuus ætate in Domino quieuit: cum antea rogatus ab Abbate ac Fratribus, expositionem Regulæ S. Benedicti edidisset, hymnosque de singulis eius miraculis cõposuisset: quo etiam tempore literas versibus scriptas ad Carolum Magnum remisit, cum ille prius ei de ingressu monasterii pariter metro gratulatus esset. Hæc summatim de Paulo ex Leone. Scribunt insuper Sigebertus *d* & Trithemius, eundem Paulum iussu Caroli Magni

c Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 17 QVÆ INTER CAROLVM MAG. ET PAVLVM DIAC. INTERCESSERINT.

PAVLI DIAC. LVCVBRATIONES.

d Sigeb. in Chron. an. 807.

ex Patribus collegisse atque ordinasse Historias & Lectiones per totum annum singulis festiuitatibus Sanctorum cõgruentes. Sane quidem in sæculo tam rudi, ipse claruit inter primos.

IESV CHRISTI AN. 775.

HADRIANI AN. 4.

CONST. COPRON. AN. 35.

I. COPRONYMI IMP. MISERANDVS EXITVS.

ANNO Christi septingentesimo septuagesimo quinto, Indictione decimatertia, impiissimus Constantinus Imp. in expeditione aduersus Bulgaros constitutus, diuinitus est in cruribus plaga percussus, quæ à Græcis αὐθεγέξ appellatur: vnde febre validissima correptus, nauigio delatus in castellum Strongylum, ibi animæ & corporis (inquit Cedrenus) mortem obiit, vociferans *se adhuc viuentem mextinguibili igni traditum propter* MARIAM, *iubensque eam exinde honorari tanquam sanctam Virginem, ac vere Deiparam.* Testantur ista pariter reliqui omnes Græci auctores: constatque ex Theophane, ipsum obiisse die decimaquarta mensis Septembris, cum regnasset post mortem patris, annos triginta quatuor, menses duos, dies viginti sex.

II. COGNOMINA, ET IMPIETATES.

Porro siquis ex sectis quibus communicauit, eius nomina addiscere velit; ex iis quæ superius dicta sunt, Iudæum ipsum iure vocabit, Nestorianum & Manichæum: præter nomina *Iconomachi, Copronymi & Caballini*; quorum primum sortitus est ex secta, secundum ex stercore quo infans conspersit sacro sanctum lauacrum, tertium è stercore caballorum aliorumque eiusmodi animalium, cuius odore tale monstrum adeo delectatum ferunt, vt & eo se illiniret, & suos aulicos id ipsum facere iuberet. Hoc enim & Theophanes, & Theosterictus *a* huius temporis scriptores affirmant: ex quibus rideas Glycam, dum Caballinum à Cabala ciuitate refert denominatum. Quid enim Constantino cum Cabala, nato ipsi & educato Constantinopoli? Quem & præterea magicis maleficiis, & luxuriis, ac dæmonum inuocationibus & sacrificiis deditissimum fuisse, testes sunt idẽ Theophanes, & auctor Rerum gestarum S. Stephani Auxentiani martyris. Tanto igitur iam glorientur Nouatores antesignano; qui quidem dum in se latam sententiam perpetuæ damnationis moriens expressit, eandem vtique eius sectarios accepturos fore significauit. Ceterum quod præter personam Imperatoris, ageret pariter Theologum & doctorem Ecclesiæ, reliquit etiam scriptorum aliqua monumenta: meminit enim de tredecim ipsius orationibus Theosterictus, quas & se legisse testatur, & nullam in eis de Sanctorum intercessione mentionem reperisse. Sepultus est autem in templo Sanctorum Apostolorum Constantinopoli, nactus quam non meruerat sepulturam: qua penitus indignus cum esset, iusto Dei iudicio postmodum effossus, eius ossa publice in foro cremata sunt.

a *Theoster. in Nicet. ap. Sur. 3. April.*

SEPVLTVRA, ET EFFOSSIO.

[De effossione corporis Copronymi visum est attexere testimonium Georgii Hamartati, qui Chronicon composuit, quod asseruari dicitur in Bibliotheca Bauarica. Ex quo Raderus in Not. ad Vit. S. Ignatii Patr. Constantinop huiusmodi fragmentum recitat: *imperator autem Michael* (Theophili Imp filius) *submisso fabro Lamparii nomine, Constantinum Caballinum area extrahit, quem integrum inuenit. Sed cum eum sacco, qui cadauer non capiebat, vellet claudere, inuoluit eum. Par que modo Ioannem Patriarcham* (nequissimum sub eodem Constantino Iconoclastam) *vna cũ emepherio ex tumulo protraxit: quos iussu Imperatoris Hyperchius in praterio concluſit. Die vero Ludorum productos nudauit, magnaque vi diuerberauit, & ossa eorum in Amastriano combussit. Arcam vero Copronymi è viridi marmore, & artificio visendam, secuit, & in Palatino Phari templo à se condito reposuit.*]

III. LEO IV. IMP. *

Reliquit post se plures filios, interque eos LEONEM primogenitum hæredem Imperij, eius nominis Quartum; sed & filiam nomine *Anthusam*, à parentis moribus longe dissimilem; quæ cum noluisset patri acquiescere, cupienti eam viro copulare, post mortem patris omnes suas facultates partim pauperibus distribuens, partem in ecclesiarum & monasteriorum ædificationem & ornatum, vel etiam captiuorum redemptionem impendens, susceptro monastico habitu post multos annos feliciter migrauit ad Dominum, egregia sanctitate conspicua; vt de ipsa traditur in Menologio Græcorum die decimaseptima mensis Aprilis. Vbi etiam, vigesima septima Iulij, fit commemoratio alterius *Anthusæ*; quæ anachoreticam vitam deligens miraculisque præstans, à Copronymo, ob cultum Imaginum, dire percussa, cum Imperatrici parere non valenti, duorum filiorum genituram prædixisset, non solum ab ea tormentis erepta fuit, verum etiam loco matris habita, adeo vt quam peperit filiam, eius nomine Anthusam appellauerit.

* [Qui & dictus *Porphyrogenitus* est, quod in domo Porphyra dicta natus esset; de qua Miscel. lib. 23. Luitpr. lib. 1 c. 2. de Reb Europ. Anna. Comn. l. 7 Alex. cum & alioqui ita etiam dicerentur filii Impp. qui nascerentur in purpura; vt patet ex Nicet. lib. 5. & aliis. Vid. Buleng. in Imp. Rom. lib. 2 c. 9.]

IV. PIVS APPARERE STVDET.

Leo vero Constantini filius ipso sui Imperij exordio, quo sibi conciliaret omnium animos, omnibus morem gerere studens ingentem repertum à patre *b* absconditum thesaurum liberaliter expendere cœpit, (inquit Theophanes *c*) placuitque tam Optimatibus quam populo. Sed & pius visus est, sanctæque Dei-Genitricis, & monachorum amicus, adeo vt monachos Metropolitanis ac præcipuis sedib. præficeret. Quo quidem tempore accidit, vt ipse *Platonem* ciuem Constantinopolitanum, Olympi montis celebrem monachum, in Episcopum Nicomediensem prouehendum curaret; sed renuit vir sanctissimus, non tamen omittens in humili gradu Apostolicum obire munus; prout testatur Theodorus monachus Studita, qui hoc eodẽ vixit tempore, & res ab eo gestas scriptis prosecutus est. Ceterum licet talem se Leo initio ostenderit, perseuerauit tamen hæreticus; & vbi habenas Imperij iam secure possidere sibi visus est, rursum Orthodoxos persequi aggressus est, vt quæ dicentur suis locis ostendent.

b *Vid. Cedr. in Comp. hoc an.*

c *Theoph. l. 23.*

V. HABDALLÆ REG. SARAC. MORS.

Eodem quoque anno & mense (inquit Theophanes) quo obiit Constantinus, mortuus est pariter Habdalla Arabum Rex, cum ambo isti velut furibundæ bestiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus in Oriente depasti essent. Huic vero successit Madi filius eius, & ipse acerrimus Ecclesiæ persecutor.

VI. QVIBVS PRÆVIIS AD BELLA PROCEDERET CAR. MAG.

Quod ad res occidentales pertinet, SYNODVM à Carolo Magno in *Duria* habitam, Saxonesque duobus præliis profligatos esse; docent veteres Francorum Annales, sub Caroli filio Ludouico conscripti ab eius domestico, in quibus singula singulis reddunturannis. Et quidem plane obseruatione dignum est, quod antequam ad bellum aliquod Carolus proficisceretur, ad componendum ciuilem statum, & bene disponendas res Ecclesiasticas, Conuentum Antistitum atque Optimatum conuocare consueuisset: docent omnes Principes Christianos, qua via sit incedendum, vt maxima quæque intrepide aggredi, fortiter prosequi, & feliciter valeant consummare. Porro quæ tot Synodis atque Conuentibus Ecclesiasticorum simul atque sæcularium Principum, singulis annis ab eodem Rege celebratis, statuta fuerunt, promiscue simul in librum vnum congessit Ansegisus *d* Abbas Lobiensis: quibus & alia addidit, quæ postea à Ludouico Pio, & Lothario Impp. edita sunt; omnia quatuor libris congesta.

d *In Capit. Reg. Franc.*

[Hunc *Ansegisum* Capitulorum collectorem, sunt qui confundant cum *Ansegiso* Archiepiscopo Senonensi, qui vixit sub Carolo Caluo Ludouici filio, sed perperam: quamuis & hic quoque Abbas ante Episcopatum fuerit; verum non Lobiensis, vt ille, (quod monasterium fuit in Cameracensi diœcesi) sed S. Michaelis in Bellouacis.]

VII. ANGLIA ORIENT. VECTIGALIS ECCL. ROM.

Hoc eodem anno Offa Rex Merciorum, siue Orientalium Saxonum in Britannia, post alia pietatis opera ad expiationem suorum delictorum adhibita, Romam veniens Regnum suum vectigal fecit Romanæ Ecclesiæ, vt singulæ domus nummum argenteum quotannis penderent Ecclesiæ S. Petri. Quod ex veteribus Anglicanæ Ecclesiæ monumentis prodidit Polydorus *e* Virgilius. Idque ipsum iam ante annos triginta quinque fecisse Inam Occidentalium Saxonum in eadem insula Regem, superius ex eodem auctore dictum est.

e *Polyd. Virg. Hist. Angol. lib.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

VIII. [illegible]

IX.

Hoc item anno *f* martyrio coronatus est apud Machliniam in Belgio, *S. Rumoldus* Apostolicus vir, genere Hibernus: qui à Romano Pontifice Apostolatus munere initiatus, Machlinienſem populum ad Christum conuertit.

Sed & hic est annus, qui Æra Hispanica notatur octingenteſima decimatertia; qua Tudensis habet defunctum Aurelium Regem Gallæciæ; suffectumque in eius locum Silum, siue Silonem, ipsius sororis filium. Referunt tamen alij in annum superiorem, auctoritate diplomatis donationis factæ cuidam monasterio Æra octingenteſima duodecima, eiusdem Regni anno primo. In quo quidem diplomate notat nobilis rerum Hispanicarum historicus *g*, huiusmodi contentam esse execrationem, vt eius donationis violator iubeatur esse ANATHEMA MARRANO ET EXCOMMVNICATVS. Vnde (inquit) intelligitur, *Marrani* vocem vulgarem, non à Mauris quasi Mauriani vt quidam suspicantur, factam in Italia Friderici Ænobarbi tempore, cum Mauri plurimi fidem Christo datam in baptismo, passim eiurata quam susceperant religione violarent; sed potius ex Syriaca voce *Maranatha*, deductam, qua anathematis ignominia, execratioque in diuinis literis continetur. Hæc ipse. Verum hinc postea factum est, vt si ut nomen *Marrano* iure exhorrent Hispani, ita & vnde deductum est *Maranatha* ab Apostolo *h* introductam in Ecclesiam vocem, & à maioribus frequentatam, in Ecclesiæ censuris si apponatur, indigne ferant, & contumeliæ loco accipiant. Tolerandasimplicitas, si tamē de re potius quam de nomine sit solicita, nec peruicax obuersetur Ecclesiasticæ antiquitati.

g Is. Mar. an. 8. b. Hisp. 17. c. 2. in fin. MARRANI VOX VNDE DERIVETVR.

h 1. Cor. 16.

IESV CHRISTI AN. 776.

HADRIANI AN. 5.

LEON. IV. AN. 1.

I. LEO IMP. CORONAT CONSTANTINVM FILIVM.

ANno Christi septingenteſimo septuageſimo sexto, Indictione decimaquarta, cum omnes Constantinopolitani ciues ex liberalitate Leonis Imp. bene erga ipsum affecti essent, idem Aug. in festis Paschalibus, flagitante populo cum Optimatibus, creauit Imperatorem filium suum CONSTANTINVM adhuc puerulum, quem Nicetas Patriarcha coronauit: omnes autem tam Senatus, populusque, quam milites, solemni ie iureiurādo super lignum S. Crucis obstrinxerunt, scriptoque firmarunt, alios Imperatores non admittendi, præter ipsos Leonem & Constantinum, ac semen eorum. Paulo vero post Nicephorus Cæsar frater Leonis, postulatus reus maiestatis, ignominiæ causa tonsus Chersonam in exilium deportatus est. Hæc pluribus Theophanes, qui eis interesse potuit.

II. CAROL. MAG. ADVERSVM LONGOB. AT SAXONES BELLAT.

Quo item anno Carolus Magnus cum audisset rebellantem Rotgaudum Ducem Forojulienſem, regnum sibi Longobardorum vendicare conari; mira celeritate in Italiam veniens, eundem victum occidit; relictisque illic Francorum præsidiis, mox in Gallias rediit aduersus rebellantes pariter Saxones Paganos. Qui cum castrum Sigisburgum à Francis defensum expugnare vellent, quadam die cunctis videntibus, apparentia diuinitus veluti duo scuta colore rubeo flammantia & agitantia super ecclesiam illius loci, tantum Saxonibus terrorem incusserunt, vt fugam arripientes sese inuicem confoderint. Quod tantum miraculum Carolus *VVormatiæ* audiens, SYNODO ex more habita ad disponendas res Ecclesiasticas & politicas, ipsemet in Saxoniam properauit: vbi perterritos Saxones in deditionem accepit; quorum & ingens numerus baptizatus est. Hæc Francorum Annales *a* hoc anno gesta referunt.

a Vit. Carol. Mag. An. Franc. & Chron. Regin.

IESV CHRISTI AN. 777.

HADRIANI AN. 6.

LEONIS IV. AN. 2.

I. REX BVLGAR. FACTVS CHRIST.

ANno Domini septingenteſimo septuageſimo septimo, Indictione decimaquinta, Bulgarorum Rex Teletícus, qui aduersus Copronymum sæpe pugnauerat, Christianæ religionis amore suos deserens, contulit se Constantinopolim: vbi baptizatus est, & creatus Patricius à Leone Imp. qui insuper ei consobrinam vxoris suæ in matrimonium collocauit. Hæc Theophanes anno Leonis secundo: fuerunt que istæ primitiæ *Bulgaricæ* gentis, ad Christianam religionem postea magna alacritate confluentis.

II. INSIGNE CERTAMEN THEOPHANIS ISACII.

Eodem anno, qui & tertius numeratur ante eiusdem Leonis obitum, *Theophanes*, idemque dictus *Isacius*, nobilissimus adolescens Constantinopolitanus, accusatus à socero, qui omnem suam spem in ipsius prole collocauerat, quod minime liberis procreādis operam daret, sed cum vxore vitam monasticam exerceret domi, bonaque sua pauperibus largiretur; acriter ab Imperatore correptus, cum minis oculorum effossionis nisi a proposito desisteret, missus est cum munere præclaro Cyzicum, vt rebus publicis vacans obliuisceretur priuatæ pietatis. Qui iter aggressus cum cogitaret de voluntario exilio; apud Nigrianum à venerando sene Gregorio prophetiæ gratia præstante ab hac deliberatione reuocatus est, ea ratione quod breui Imperatore & socero morituris, facultas illi foret libere petendi monasterium. Quaptopter vna cum sociis & suppellectile sua considens in loco quem nactus est, multis protectionis diuinæ signis nobilitatus est. Hæc ex Theodoro Studita (vt creditur) in eius Vita.

III. CONCIL. PADERBVR.

Hoc pariter anno Carolus Magnus ad stabiliendam Ecclesiam nouellam Saxonum, SYNODVM habuit *Paderbornæ*; vbi Saxones baptizari iuramento firmauere, se Christianam fidem perpetuo seruaturos, alioqui passuros ob pœnam omnium suorum bonorum dispendium. Hæc Acta Caroli, Vetus Chronicon, Annales Francorum, & Regino tradunt. Addunt que, excepisse Carolum in eodem Conuentu, ab Hispania venientes tres Principes Saracenorum. Etenim bello ciuili Saracenis inter se dissentientibus, qui imperitabat Cæsaraugustæ ab aliis pulsus, in ipsos Carolum concitauit. Sed eius expeditio contigit anno sequenti.

IESV CHRISTI AN. 778.

HADRIANI AN. 7.

LEONIS IV. AN. 3.

I. CAROLI MAG. EXPEDITIO IN HISP.

ANno Christi septingenteſimo septuageſimo octauo, Indictione prima, Carolus Magnus exercitum aduersus Saracenos in Hispaniam mouens, subegit Nauarram, ac ciuitate Cæsaraugustana potitus est: quod veteres rerum Francicarum Scriptores tradunt. Verum cessit exercitui infelix exitus, dum à Vasconibus in saltibus Pyrenæis, visis locorum opportunitate, exercitus extrema cæsa sunt: inter quos desideratos esse Eggobardum Regiæ mensæ præpositum, & RVTLANDVM, siue *Rolandum*, Præfectum Britannici littoris, testis est Eginhardus in Rebus gestis Caroli. De qua quidem historia, vel nimia breuitate ab eo contracta, vel ab aliis sub nomine Turpini Rhemensis Archiepiscopi nimia fabulositate producta, nihil præterea est tutum asserere. Sed quomodo errore lapsi nonnulli res Hispanas prosecuti, eiusmodi cladem retulerint ad tempora Regis Alfonsi Casti, dicetur suo loco.

ROLANDI OBITVS.

II. SAXONES

At cum in ea expeditione esset Carolus, fidifragi Saxones suasione Widichindi vnius ex eorum Principibus re-

bellan-

REBELLANT, ET VINCVNTVR.

bellantes, quæ obuia habuerunt ad Rhenum vsque omnia cæde atque incendio vastarunt: sed non impune. Nam eos Carolus ipse media hieme per suos adortus, in fugam versos magna ex parte peremit: reliqui vero sequenti anno post aliam acceptam ingentem cladem, iterum se eidem Carolo subdiderunt. Hæc vetera Francorum Chronica & Annales. Quomodo vero tunc Saxonum & Westphalorum quidam Duces pro incendio S. Swibetti quod in Werda situm erat templo diuinitus puniti fuerint, ac nonnulli inde ad pœnitentiam ducti; fusius enarrat S. Ludgerus primus Monasteriensis Episcopus in Epistola *a* ad Xixfridum Traiectensem scripta.

a *Ext. in Append. ad Vit. Script. ap. Sur. 1. Mart.*

III. DE S. LVDGERO FRISIOR. APOST.

Qui idem *S. Lugderus*, genere Frisius, Frisiorumque Apostolus iure dicendus, hoc ipso tempore virtutibus ollens, eorum conuersioni, ac fanorum Gentilium destructioni gnauiter operam dabat; vt narratur in Actis *b* Vitæ ipsius à Werdensibus monachis scriptæ. Ex quibus etiam constat, ipsum sub disciplina S. Gregorij discipuli S. Bonifacij Germanorum Apostoli educatum, missum ab eo in Angliam, aliquot annis operam ibi dedisse Abbati *Albino Flacco*, siue *Alcuino*, Eboraci publice summa cum laude sacras literas profitenti: sed & postea ad cœnobium Castinense peregrinatum esse, ibique annis duobus & sex mensibus apprime monasticis institutis excultum, eadem propagasse in Frisios atque Saxones.

b *Ap. Sur. 26. Mart. & Baron. hoc an. & 818. in fin.*

IV. DE ALBINO, SIVE ALCVINO, ANGLO.

Quod vero Albinum, cuius meminimus, Bedæ fuisse discipulum plurimi tradunt; refelluntur tum ex ipsomet Albino, qui sæpius testatur *c* se magistrum habuisse Ecgbertum Archiepiscopum Eboracensem, virum eo sæculo doctissimum; tum ex Beda *d*, qui cum de Albino meminit eum vt æqualem tantum & amicum non vt discipulum designat; cuius etiam impulsu se Historiam Anglorum scribere aggressum esse profitetur. Sed & quod idem Albinus dicitur etiam Caroli Magni fuisse magister; id quidem de Mathematicis scientiis, vel Philosophicis concesserim: cæterum sacrarum rerum scientia adeo Carolum fuisse imbutum, vt magistri potius quam discipuli locum teneret, docent literæ *e* eiusdem Albini ad ipsum Carolum, quibus eum consuluit, quid sibi velit quod Ecclesia celebrat Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, ante Quadragesimam? ad quem ipse respondens, quam doctissime propositas elucidauit quæstiones. Plane miraculum videri potuit, hoc rudi sæculo inueniri Regem, eumque in procinctu continuo positum, adeo excultum sacris literis, vt equidé quem MAGNVM dicunt, iure TER MAXIMVM apellarim, nempe bellica fortitudine, scientia, & pietate.

c *Alb. Flac. in ep. ad Eadial. Episc. Eborac. ap. Anct. vetus de reb. gest. Angl. post Bed. c. 9. & in ep. ad Carol. Mag.*
d *Beda in præfat. Histor. Angl.*

EXCELLENS SCIENTIA CAROLI MAGNI.

Quo nomine eo maiori laude dignus habitus est, quod non solum ipse in cultu religionis numeros omnes absoluit, sed ceteris auctor fuerit vt sacri ritus Ecclesiæ quam diligentissime ab omnibus seruarentur. Legendi enim atque Psallendi disciplinam ipsum emendasse, cum esset vtriusque admodum peritus, Eginhardus *f* tradit. Quibusdam vero Archiepiscopis auctorem fuisse, vt Ecclesiasticorum Vestimentorum significationem diligenter explanarent, testis est Amalarius *g* Fortunatus. Quin etiam cum quæ recitarentur in Ecclesiis Martyrologia, siue S. Hieronymi, siue Bedæ, breuia nimis viderentur; iussit *Vsuardum* monachum doctrina præstantem in his laborare, vt Martyrologium redderet opulentius: est namque de his ad Carolum eiusdem auctoris breuis præfatio. Libros insuper Albini Flacci de Diuinis Officiis, monitu ipsius Caroli fuisse ab eo compositos, firma est omnium sententia. Et quæ ad Officia Ecclesiastica rite disponenda, Hadrianus Papa elaborauit (vt Amalarius *h* ait) Antiphonarium atque Responsoriale, ea omnia petitione Caroli ab eo edita esse pariter existimantur. Sicut & Lectiones singulis festiuitatibus conuenientes, per Paulum diaconum compilasse superius diximus. Feciseque & aliam Collectionem ad componendos bonos mores regularium personarum, constat ex Capitularibus *i* ipsius. Sed & quod præstat cæteris, eidem debemus ingens opus illud, ab eodem Albino siue Alcuino elaboratum, quo totius diuinæ Scripturæ tam veteris quam noui Testamenti Vulgata Editio, ab exscriptoribus misere vitiata, emendata est, eidemque Carolo oblata: cuiusmodi vetus Bibliorum codex, Alcuini labor, adhuc in Vallicellana Romana Bibliotheca, velut ingens thesaurus asseruatur. De aliis vero Caroli lucubrationibus dicetur postea commodius.

e *Ext. in Append. ad Alb. lib. de diu. Offi.*
f *Ann. Eginh.*
g *Amal. de Eccl. Offi. lib. 1. c. 9.*
h *Id. de ord. Antiph. in præf. 1. & 2.*
i *Capitul. Franc. lib. 1. cap. 85.*

V. EIVSDEM SOLICITVDO DE OFFICIIS ECCLES.

Nunc quod ad cetera Alcuini scriptorum monumenta; prodierunt *k* nuper ipsius ad diuersos Epistolæ sexaginta septem, varia doctrina refertæ. Ex quibus memorabilis est illa *l*, quam ad Scotos scripsit aduersus zizania illa pessima, quæ apud illos tunc primum seminari cœperant, hoc vero nostro sæculo densa segete Boreales omnes pene prouincias occuparunt; quibus affirmaretur illud infaustum hactenus inauditum ostentum, Confessionem peccatorum non esse faciendam sacerdotibus, sed soli Deo: quæ zizania eadem illa epistola idem vir sanctissimus atque doctissimus ita præcidit, immo conuulsit radicitus, vt amplius visa non fuerint nec audita. Sed & Abbatiam Turonensem S. Martini fuisse eià Carolo Magno traditam, constat ex alia eiusdem *m* ad ipsum Regem epistola.

k *Ext. ap. Canis. Tom. 1. Antiq. Lect.*
l *Alb. ep. 16.*

VI. ALCVINVS NASCENTEM HÆRESIM EXTINXIT.

Ceterum hoc eadem anno Hildegardis Caroli Magni coniux gemellos ei peperit infantes; sed altero decedente, alter tantum superstes remansit, quem *Ludouicum* ipse vocari voluit *n*.

m *Id. ep. 7.*

VII.

n *Ap Ann. lib. 5. a. 1.*

IESV CHRISTI AN. 779.

HADRIANI AN. 8.

LEON. IV. AN. 4.

ANno Christi septingentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, Carolus Magnus, antequam parata ex[pe]ditione proficisceretur in Saxones, in *Villa Duria Conuentum Synodicum* ex more habuit. In ipso autem procinctu, exposcente Roberto Abbate SS. Vincentij Martyris atque Germani Parisiorum Episcopi, confirmauit *a* quæ illi monasterio pater Pipinus bona contulerat, aliaque ipse adiecit. Hostes denique aggressus, fugientibus illis, incruento bello Saxoniam atque Westphaliam debellauit *b*; receptisq; ab iisdem obsidibus, ac rebus denuo iuramento firmatis, in Franciam rediit.

I. EXPEDITIO CAROLI IN SAXON.

a *Ap. Ann. ibid.*
b *Annal. Franc. Regin.*

IESV CHRISTI AN. 780.

HADRIANI AN. 9.

CONSTANTINI & IRENES AN. 1.

ANno Domini septingentesimo octogesimo, Indictione tertia, Madi Saracenorum Princeps edictum promulgauit, vt omnes qui ex Iudæis & aliis Infidelibus ad Christianam fidem transiissent, (quorum ingens erat numerus, ex iis qui seruilis conditionis cum essent, religionem susceperant Christianam) desertores efficerentur, alioqui pœnis acerbissimis plecterentur: qua de causa plurimi vtriusque sexus, post dira tormenta, glorioſum subiere martyrium. In vniuersa quoque pene Syria ecclesias solo æquari iussit.

I. EDICTVM MADI REG. SARACEN. IN CHR.

Quo item anno, defuncto Niceta Constantinopolitano hæretico Patriarcha, octauo Idus Februarij; inuitus subrogatus est in locum eius *Paulus*, genere Cyprius, verbo (inquit Theophanes) & actu coruscans, intus quidem Orthodoxus foris vero communicans cum hæreticis, ob timorem Imperatoris qui iam media hebdomada Ieiuniorum (vt idé auctor ait) occultam malitiam suam detegens, Protospatharium suum, ac præcipuos aulicorum, alios; sacrarum Imaginum cultores partim ignominia affecerat, partim supplicijs grauissimis addixerat: initio persecutionis *a* orto, ex eo quod in puluinari vxoris suæ Irenes pulcherrimæ feminæ duas Imagines repetisset; qua etiam occasione ipsam repulit, nec vnquam postea rem cum illa habuit.

II. LEO IMP. PERSEQVITVR CVLTORES SS. IMAG.

a *Cedr. in Comp.*

Sed non diu distulit Deus de impio vindictã sumere: quippe quem hoc ipso anno mense Septembri, inchoata iam iudicio-

III. DIVINITVS PERCVTITVR.

dictione quarta, cœlitus percussum sustulit. Cum enim insaniens (vt ait Theophanes) circa lapides pretiosos, coronam magnæ ecclesiæ capiti impositam portaret; exierunt carbunculi in capite eius, & captus valida febre mortuus est, cum regnasset annos quinque, minus dies sex. Tuncque IRENE piissima eius vxor, cum filio suo CONSTANTINO decem annorum puero, suscepit habenas Imperij: Nicephorum autem Cæsarem regnum affectantem, cum omnibus conscijs in exilium relegauit; aliosque Cæsares ac Nobilissimos, fratres videlicet Leonis, sacerdotes fieri coegit. Sed & Arabes, audita morte Leonis tumultuantes, per suos duces coercuit. Atque interea bene prospiciens Ecclesiæ, libertatem omnibus concessit monasticam vitam amplectendi, & Catholicam religionem profitendi. Sicque miseratus tandem Deus Ecclesiæ Orientalis, tam diu tamquã dira sub tribus vltimis Imperatoribus passæ, mirabilis in operibus suis, per fœminam & puerum compescuit impietatem, restituit religionem, firmauit Imperium. Quamuis nõ simulac Principes Catholici illuxere, impij hæretici dederint manus: sed eos magnopere restitisse, conciliabula conuocasse, & alia idgenus operatos esse, ne pietas quæ compressa iacuerat, aliquo pacto resurgeret, significet Theodorus Studita in Rebus gestis S. Platonis.

IRENE ET CONSTANTINVS IMPERANT.

PIETAS RESTITVTA ECCL. ORIENT.

IV. PROPHETIA ANTIQVA REPERTA.

Addit vero his Theophanes rem admiratione dignam, quam omnes tam Græci quam Latini Historici æque asserunt; nempe hoc ipso anno, in longis Thraciæ muris, quemdam hominem fodientem inuenisse arcam lapideam, in eaque virum iacẽrem, & conglutinatas arcæ literas continentes hæc verba; *Christus nascetur ex Virgine* MARIA. *Credo in eum. Sub Constantino & Irene Imperatoribus, ô Sol, iterum me videbis.* Increbuitq; fermo, vatis alicuis eiusmodi fuisse sepulchrum, eiusdemque repertum in eo vaticinium scriptum diuinitus reuelatum.

V.

Quod ad res Occidentales attinet; hoc eodẽ anno habita à Carolo Magno SYNODO LIPPIÆ in Saxonia res eius populi, religionemque firmauit. Initoque consilio proficiscendi Romam ad Limina Apostolorum, acturus gratias de conuersione Saxonum, simulque communicaturus cum Hadriano Pontifice de iis quæ in eadem Synodo statuta essent: idem vna cum Regina Hildegarde, autumnali tempore profectus in Italiam, Natalem diem Domini Ticini celebrauit, sequenti anno celebraturus Pascha Romæ. Hæc Annales Francorum sub Caroli filio Ludouico conscripti. Præ *b* ceteris namque locis sacris coluisse ecclesiam B Petri, eamque innumeris ac pretiosissimis donis locupletasse; testis est inter alios Eginhardus. Eundemque quod imprimis Petri Apostoli auxilio niteretur, omnia prospera habuisse; professus est Hadrianus in epistola ad Impp. Constantinum & Irenem.

b Ap. Baron. an. seq. n. 1. & 785. CAROLVS MAG. CVLTOR S. PETRI.

VI. SAXONVM ECCLESIA CVNABVLA.

Quamuis autem quæ decreta fuerint in prædicta Lippiensi Synodo, haud certo constet: ex aliis tamen diuersorum scriptorum assertionibus intelligere possumus, actum esse de erigendis sedibus Episcopalibus in Saxonia. Hoc namque anno prima iacta esse fundamenta Ecclesiæ Osnaburgensis in honorem S. Petri Apostoli, Crantzius *c* testatur. Et in Actis *d* S. Meinulphi Diaconi asseritur, hoc pariter anno ab eodem Carolo constructam esse ecclesiam Paderbornæ. Hæcque sunt cunabula Ecclesiæ Saxonum, sæpe Euangelium profitentium, ac deferentium: qui cum adhuc aliquoties post hæc rebellarint, tamen demum armis Caroli in Christiana religione retenti sunt; penitus abdicato cultu ipsorum idoli nomine *Krodo*, reddentis formam senis super piscem stantis, atque rotam vtraque manu tenentis; quem Saturnum esse dixere Latini. Factumque est, vt cum probe imbuti sint Euangelio, pristini erroris pœnitentes, & erubescentes, in detestationem *e* pudendæ impietatis, vsu loquendi receptum fuerit inter eos, vt in execrationem rei nefandæ solerent dicere, *Krodo*. Sed quo tardius, eo propensius, quam nouerunt veram religionem postea excoluere; vsque ad nostra tempora, quibus eiurata fide hæretici facti sunt, ab auitis legibus & Ecclesia Catholica alieni, à moacho desertore & impostore seducti.

c Crantz. Metrop. lib. 1. c. 2. *d Ap. Sur. 5. Oct.*

e Crantz. Hist. Saxon. lib. 2. c. 7.

IESV CHRISTI AN. 781.

HADRIANI AN. 10.

CONSTANT. & IRENES AN. 2.3.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo primo, Indictione quarta, Carolus Magnus Romam vna cum coniuge ac filijs veniens, ibi sanctum Pascha celebrauit; & ab Hadriano Papa Pipinum filium baptizari curauit, eundemque simul & eius fratrem Ludouicum Reges vnxit. *Pipinum* quidem maiorem natu Longobardorum, *Ludouicum* autem Aquitaniæ. Hæc & alia Annales Francorum. Additque vetus Chronicon à Pithœo editum, eodem tempore multa signa apparuisse, atque inter alia signum CRVCIS in vestimentis hominum frequentissimum visum esse.

I. CAROLI MAG. ADVENTVS ROMAM.

Desideratur autem in Francorum Annalibus, quod hoc anno Cõstantini & Irenes secundo Theophanes ponit; nimirum direxisse Irenem Legatos ad Carolum Magnum, quibus filiam eius peteret vxorem Constantino Imperatori: contractisque sponsalibus, relictos in Gallia quosdam Græcos, qui puellam docerent linguam & mores Græcorum. Quam quidem Rotdrudim dictam, eandemque primogenitam fuisse Caroli ex Hildegarde auctor est Eginhardus. Quomodo vero ea dimissa, aliam postea Constantinus duxerit, dicetur suo loco.

II. SPONSALIA INTER CONST. IMP. ET FILIAM CAROLI.

Hoc pariter anno *a*, occupato in Sicilia exercitu Imperatoris aduersus Helpidium Præfectum rebellantem, Madi Princeps Saracenorum per iuniorem filium suum nomine Aaron (maior enim Moises vocabatur) Orientales partes Imperij aggressus est: cui Irene Augusta, vt pacem redimeret, præter plurima munera, censum annuum pendere promisit. Helpidius autem tyrannus, sumpto secum thesauro, fugiens in Africam, à Saracenis vt Romanorum Imperator cultus est.

III. *a Theoph. lib. 23.* IMPER. CENSVM SOLVIT SARACENIS.

IESV CHRISTI AN. 782.

HADRIANI AN. 11.

CONSTANT. & IRENES AN. 3.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo secundo; Indictione quinta, ab Augustis per Staurarium Ducem confectum est bellum in Græcia aduersus Sclauos barbaros qui eam prouinciam cum Peloponneso occupauerant: iidẽque redditi sunt tributarij. Hæc Theophanes. Erat tunc in expeditione ista inter excubitores *Ioannicius* miles, ob egregia facta spectatus ipse quidem: qui Iconoclasta cum esset, apud montem Olympum magno Dei beneficio diuinitus per quendam anchoretam admonitus, hæresim abdicauit, ac mirifica postea claruit sanctitate; de quo inferius agendum erit. Porro extant res ab eo præclare gestæ, ab auctore eius temporis fideliter scriptæ: ex quibus colligitur, eum hoc anno egisse annum ætatis quinquagesimum secundum; quippe quem dicat natũ anno decimoquarto Leonis Imp. qui fuit Domini septingentesimus trigesimus.

I. DE IOANNICII CONVERSIONE.

Hoc pariter anno Carolus magnus SYNODVM habens *Coloniæ*, Legatos excipit diuersarum gentium: cumque interea Widichindo vrgente Saxones rebellassent, rursum à Carolo sunt victi. Verum ne de his totiens fastidium lectori afferatur, semel ex Eginhardo sciendum est, per triginta tres annos bellum Saxonicum perduraſſe; cum ipsi quotannis fere rebellantes, ac Christianam religionem abiurantes, totiens à Francis victi sunt, & datis obsidibus fidem recipere compulsi: donec factiosis profligatis multa reliquorum millia cum vxoribus & liberis per Gallias & Germaniam diuisa sunt. Sicque tandem bellum quieuit, (quod ponunt Annales contigisse anno Christi octingentesimo quar-

II. RES SAXONVM QVEM TANDEM EXITVM HABVERINT. *Ap. Baron. hoc an. & 804.*

to) & qui residui fuere abiecto prorsus dæmonum cultu, Christianæ fidei constantes adhæserunt, & vnus cum Francis populus facti sunt. Ex iisdem vero Saxonibus Romam quoque directam esse coloniam, apud Anastasium leges. datusque illis ad incolendum locus prope basilicam S. Petri Apostoli, qui ob id nominatus est *vicus Saxonum*: vbi nunc est celebre Hospitale, dictum *S. Spiritus in Saxia* a, pro *Saxonia*. Nec quidem illud hic omittendum, quod Petrus Damiani in epistola ad Mainardum Episcopum Vrbinatem agens de præliis Caroli aduersus Saxones sæpius iteratis, inter alia refert ex Historia Lotharingæ; cum aliquando idem Rex excelsa sede discumberet, pauperes vero quos alebat, solo tenus ignobiliter residerent; Regem Saxonum qui tenebatur captiuus, ac Gentilitatis adhuc detinebatur errore, exprobrantem dixisse; *Dum vester Christus sese perhibeat in pauperibus recipi, qua fronte persuadetis nostra illi colla submitti, quem vos ita despicitis?* his autem Carolum corde compunctum erubuisse, & exore Gentilis hominis Euangelicam prodire sententiam vehementer expauisse.

a *Vid. Not. in Martyr. 10. Nouem.*

b *Ap. Baron. an. 779. infin.* SCITA EXPROBRATIO REGIS GENTIL. DE PAVPERIBVS CHR.

III.

Sed & hic opportune ingerendum est, quod S. Gregorius Papa Septimus in epistola c ad Petrum Episcopum Albanensem & G. Principem Salernitanum, ab eo Legatos in Gallias missos, ex antiquis monumentis tradit, ipsum Carolum Magnum conscium se ope Apostoli Petri tandem indomitos domuisse Saxones, obtulisse eandem prouinciam B. Petro: insuperque vnum denarium per singulas domos Galliarum annuatim Romanæ Ecclesiæ persoluendum indixisse; ita vt in tribus locis, singulis annis colligerentur mille & ducentæ libræ, Apostolicæ Sedi offerendæ, videlicet Aquisgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium; excepto hoc quod vnusquisque propria deuotione offerebat. Hæc autem cum dicat Gregorius facta à Carolo iam Imperatore, nonnisi post consummatum bellum Saxonicum contigisse putamus.

c *Greg. Ser. 8. epist. vlt. Ap. Baron. hic an.* 804. SAXONIA OBLATA S. PETRO.

DENARIVS S. PETRI IN GALLIIS.

IESV CHRISTI AN. 783.

HADRIANI AN. 12.

CONSTANT. & IRENES AN. 4.

I. ALFON. CASTVS REGNAT IN HISP.

ANno Christi septingentesimo octogesimo tertio; Indictione sexta, Silo Rex Gallæciæ ex hac vita migrauit, anno nimirum octauo (vt Tudensis ponit) sui Regni: iamque solus regnare cœpit, quem idem viuens in collegam assumserat, *Alfonsus* siue Adefonsus, vel Adelfonsus, Froilæ olim Regis filius; qui postea cognomento *Castus* dictus est, quod a cum Berta coniuge, sorore Caroli Magni, continenter vixisse dicatur. Porro ei primum pugnandum fuit ciuili bello aduersus Maurogatum suum ipsius patruum; qui potens Maurorum auxilio, (quos fœdo pacto b pendendi illis per annos singulos centum virgines, quinquaginta ex nobilibus, & ex plebe totidem, sibi conciliauerat) eundem Alfonsum è regno expulit.

a *Ap. Bar. an.* 791. *nu.* IX.

b [Simile tributum iam antehac pactũ esse Aurelium Saracenis, vidimus superius ann. 77. num IV. Quod modo Maurogatus confirmauit vel etiam forte auxit; quippe illud Aurelii absque numero virginum recidetur.]

II. ADOSINDÆ REGINÆ PRVDENS FACTVM ADVERVS E.

Sed Adosinda Regina viro Silone viduata, remittens nuntium sæculo, monasticam vitam professa est. Quam cũ *Elipandus* Archiepiscopus Toletanus, qui Nestorianismum instaurare satagebat, ad suum errorem pellicere conaretur; ipsa specimen edens prudentissimæ feminæ, rem detulit ad Etherium Vxamensem Episcopum, & Beatum presbyterum sanctitate ac doctrina conspicuum: qui quidem aduersus renascentem hæresim fortiter insurgentes, cum ab Elipando literis correpti essent; ipsi contra impiam earum literarum doctrinam duos libros cõscripserunt, qui adhuc extant seruati in Archiuo Ecclesiæ Toletanæ: vt fidem facit qui eos legit Ambrosius Morales regius Historicus, de antiquitatibus Ecclesiasticis eius prouinciæ optime meritus. Nec tamen his monitus Elipandus correxit errorem; aduersus quem post decem annos ea de causa Concilium celebrari contigit, de quo suo loco dicendum. De *Beato* vero idem qui supra testatur auctor, ipsum in Hispania coli Sanctum; cuius & ait extare Commentarium egregium in Apocalypsim, ad ipsius socium in certamine S. Etherium inscriptum.

LIPANDVM HÆRET.

IESV CHRISTI AN. 784.

HADRIANI AN. 13.

CONSTANT. & IRENES AN. 5.

I.

ANno Christi septingentesimo octogesimo quarto, Indictione septima, Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, hactenus foris habitus hæreticus Iconoclasta, (licet intus, vt diximus, bene conscius esset veritatis) Calendis Septembris abdicans se Episcopatu, in monasterium secessit ad pœnitentiam de conniuentia cum hæreticis agendam: vbi publice coram ipsis Imperatoribus & primoribus Senatus ad eum accedentibus, communionem hæreticorum detestatus, & fidem Catholicam professus, alios que ad eam, & ad Concilium celebrandum hortatus, paulo post spiritum Deo reddidit. Cuius confessionis occasione, vtpote hominis qui omnium sapientissimus sine controuersia à cunctis haberetur, factum est, vt licentia disputandi aduersus hæresim ab Imperatoribus data fuerit, quæ huc vsque prohibita fuerat à Magistratibus his laqueis impietatis irretitis. Actumque insuper ab iisdem Augg. vt Pauli defuncti successor deligeretur Orthodoxus, qui finem tot contentionibus de religione imponeret.

CONFESSIO PAVLI EPISC. CONST. IN OBITV.

II.

Quod vero haud facile inueniretur, qui simul Catholicæ fidei zelo, & auctoritate præstaret; necessitate cogente, votisque omnium Orthodoxorum conspirantibus, immo diuino calculo, laicus quidem homo, sed sacerdotalibus plane moribus præditus, pietatisque cultor eximius, electus est *Tarasius*, qui erat iisdem Imperatoribus à Secretis. Verum ipse omnino electioni suæ consensum præstare renuit, quousq; publicam promissionem accepisset tum ab ipsis Impp. tum ab vniuerso populo, de celebrando statim Concilio Oecumenico, per quod hæresis damnaretur, & anathemate ipsa Constantinopolitana Ecclesia solueretur. Securus autem ea de re redditus, tunc demum ordinari passus est: quod accidit hoc ipso anno octauo Calendas Ianuarij, cœpta iam à mense Septembri octaua Indictione. Quæ quidem omnia fusius pertractata habentur tam apud Theophanem, quam in Actis a Nicænæ Synodi Secundæ post biennium celebratæ, nec non apud Ignatium monachum in eiusdem Tarasij Rebus b gestis. Hocque etiam auctore constat fuisse Tarasium Patricio genere ortum, patre Georgio præfecturam Vrbanam Constantinopoli magna gloria administrante, matre Eucratia dicta æque pietate conspicua: ipsum vero Tarasium auctum Consulari dignitate, & ob eruditionem insignem, morumque egregiam laudem, ad secreta curanda adscitum fuisse ab Imperatoribus. Cuius quidem electionem licet per homines, haud tamen ab hominibus, sed à Deo fuisse, signa Apostolatus quæ postea in eo eluxerunt, significarunt; atque imprimis quæ in ipso vita enituit Apostolica tam in his quę ad corporis cultum pertinent, quam animæ; necnon in reformandis cleri sui moribus, & exhibenda pauperibus misericordia, aliisque eiusmodi pietatis & curæ pastoralis officiis, quæ cunctorum inspector Ignatius describit.

a *Conc. Nic. II. Act. 1.*

b *Ap Sur. 25. Febr.*

TARASIVS ELIGITVR EPISCOP. CONST.

III.

Hoc item anno (vt auctor est Theophanes) mortuo Moyse Saracenorum Rege, qui anno superiori Madi patri suo successerat, substitutus est in locum eius minor ipsius frater, Aaron nomine, vir bellicosissimus; qui diu regnauit, semper infensissimus Christianis, quorum plurimi sub eo martyrium consummauere. Vnde illud summa admiratione dignum, quod nihilominus propensissimo esset animo (vt auctor est Eginhardus) in Carolum Magnum Francorum Regem Christianissimum; quem solum inter omnes totius Orbis Principes, honore ac munificentia sibi colendum iudicauit, missis ad eum frequentibus legationibus, atque egregiis muneribus c, & inter alia plurima Elephante, & Horologio admirando opificio elaborato; quorum

AARON REX SARAC. COLIT CAROLVM MAG.

c *De his munerib. Baron. an. 801. XX. & 806. XXX.*

etiam

§ SEPVLCHRVM CHRISTI CAROLO MAG. DONATVM.

etiam meminere reliqui Francorum historici: vel vsque adeo, vt cum ipse Carolus Legatos cum donis ad visitandum sacrosanctum Domini Sepulchrum misisset, idem Aaron non solum quæ peterent agere permiserit, sed etiam illum ipsum sacrum locum vt Caroli potestati subiiceretur concesserit; prout idem testatur Eginhardus. Quapropter Rex Christianissimus, primus inter Reges Occidentales, legitimus factus est dominus sacrosancti nostri Redemptoris Sepulchri; pro quo ab impiis iterum vendicando summa gloria eius posteri riuos sanguinis profudere.

IESV CHRISTI AN. 785.

HADRIANI AN. 14.

CONSTANT. & IRENES AN. 6.

I. LEGATIO AB IMPP. ET EPISC. CONST. AD HADRIAN. PP.

ANNO Domini septingentesimo octogesimo quinto, Indictione octaua, Impp. Constantinus & Irene de creatione & consecratione Tarasij literas scripserunt, Legatumque miserunt Episcopum Leontinum in Sicilia ad Hadrianum Romanum Pontificem: idemque præstitit Tarasius ipse, mittens fidei suæ Orthodoxæ professionem: vt horum testis est Theophanes. Extantque apud Anastasium in præambulis Nicæni Concilij literæ Imperatorum ad Hadrianum, quibus petierunt vt ipse, tamquam verus primus Sacerdos, qui in loco & sede S. Petri sederet, Constantinopolim se conferre dignaretur, ad Synodum Oecumenicam agendam; aut saltem mitteret literas suas, & homines doctrina præstantes qui eius loco Synodo interessent. Sed literæ Tarasij ad eundem Pontificem non extant nisi dixerimus easdem ad eum missas esse, quæ in Actis Nicænæ Synodi *a* recitantur datæ ad tres Patriarchas Orientales, quibus fidei suæ Orthodoxæ professionem exposuit, eosdemque ad Synodum Oecumenicam inuitauit.

a Conc. Nic. II. Act. 3.

II. b Recitatur ex parte in Act. 2. Nic. Conc. II. integra vero habetur ap. Anast. in præamb. eiusdem Conc. HADRIANVS PETIT RESTITVI ECCLESIÆ ROM. SVBLATA.

Cum igitur hæc accepisset Romanus Pontifex, epistolam ad Imperatores rescripsit *b* hoc ipso anno mense Octobri, nona iam Indictione inchoata; qua & plurimis sacræ Scripturæ, atque Sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum auctoritatibus, probat venerationem sacrarum Imaginum; & eosdem reprehendit, quod contra sacrorum canonum instituta, seu sanctorum Patrum traditionum decreta in suis literis *Vniuersalis* titulum Tarasio tribuissent: additque quod qui eum Vniuersalem nuncuparet, vel assensum tribueret, alienus esset à fide Orthodoxa, & Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ rebellis. Postulat etiam, vt si veram & Orthodoxam eiusdem S. R. E. niterentur amplecti fidem, restituerent ei in integrum quæcunque ab Orthodoxis Imperatoribus, seu à ceteris Christianis Fidelibus, oblata atque concessa essent patrimonia S. Petro, pro luminarium concinnationibus, & alimoniis pauperum: itemque vt consecrationes Episcoporum & Archiepiscoporum, qui essent ab antiquo Ecclesiæ Romanæ diœcesis, ei secundum pristinum vsum illibatæ relinquerentur. Hortatur denique ad extirpationem hæresis Iconoclastarum: ad quod opus ait se mittere in Orientem Petrum S. R. E. Archypresbyterum, & alium Petrum Abbatem S. Sabæ. Scripsitque tunc pariter ad ipsum Tarasium *c*, eius quidem confessionem fidei laudans, ordinationem vero reprehendens; quam testatur ita se approbaturum, si egerit cũ Imperatoribus, vt sacræ Imagines in ipsa vrbe Constantinopolitana, & in omnibus subditis prouinciis, in pristinum honorem restituantur.

c Ap. Anast. ibid.

III. WIDICHINDI CONVERSIO EX MIRACVLO EVCHAR.

Hoc eodem anno Carolus Magnus in Saxonia SYNODVM habuit PADERBVRNENSEM: in qua inter alia status Ecclesiæ Saxonum dispositus est, baptizatis etiam qui rebellare consueuerant Widichindo atque Albione eorum Principibus: quorum Widichindus meruit in communione Paschali, insigni diuinitus recreari visione, dum de manu sacerdotis conspexit singulos pulchellum puerum in os suscipere, eundemque quibusdam ludibundum arridere, vltroque properare; aliis vero abhorrentem auertere vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem. Narrant isthæc Annales *d* Saxonum. Vbi & additur, Widichindo ad religionem Christianam conuerso, cœptas à Carolo Magno varias Cathedrales Ecclesias erigi in Saxonia.

d Crantz. Metrop. Sax. lib. 1. c. 9. & Hist. Sax. lib. 2. cap. 23.

IESV CHRISTI AN. 786.

HADRIANI AN. 15.

CONSTANT. & IRENES AN. 7.

I. CONCIL. OECVM. EXTVRBATVR AB ICONOCLASTIS.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo sexto, Indictione nona, mense Augusti, cum Oecumenica Synodus Constantinopolim conuocata, in basilica SS. Apostolorum Petri & Pauli collecta esset; milites Prætoriani qui Cõstantino Copronymo adhæserant, eoque propinatore medullitus imbiberant Iconoclastarum hæresim, ab Episcopis eiusdem factionis instigati ad locum Synodi accedentes, magnisque acclamationibus pseudosynodum Constantinopolitanam sub eodem Copronymo habitam celebrantes, Episcopos Orthodoxos violenter exturbarunt. Quamobrem Imperatorum prudentia, haud tunc valentium seditiosos comprimere, eadem Synodus in tempus magis oportunum differri iussa est. Hæc plurimis apud Theophanem *a*, Ignatium *b*, & Anastasium *c*. Paulo vero post (vt habet idem Theophanes) Imperatores fingentes exercitum mittere aduersus Arabes; postquam Prætoriani vrbe egressi longius progressi essent, eos omnes arma deponere compulerunt, & vnumquemque ad propria dimiserunt: constitutisque aliis ducibus, militibusque, rursum mense Maio anni sequentis Episcopos ad Synodum conuocarunt

a Theoph. lib. 23.
b Ignat. in Vit. Tarasi.
c Anast. in præf. ad Sept. Syn.

II. d Ext. Tõ. 3. Concil. COLLECTIO CAN. HADR. PP.

Hoc eodem anno Hadrianus Pontifex Collectionem *d* canonum octoginta à se laboratam & (vt præfefert titulus) è Græcis Latinisque canonibus, Synodis Romanis, atque decretis Præsulum ac Principum Romanorum excerptam dedidit Ingilramno Episcopo Mediomatricis ciuitatis, cum sui negotij causa ageretur; vt ipse iis communitus, causam suam aduersus falsos accusatores defenderet. Et quidem ex more tunc celebratam esse SYNODVM existimamus; in qua de iurisdictione Ecclesiæ Romanæ inspici canones opus fuerit, aduersus oppressiones à Principibus illatas Episcopis, quorum iudicia eidem primariæ Ecclesiæ essent reseruata.

III. e Egin. in Vit. Carol. f Annal. Franc. & Chron. Pithœi. CAROLVS MAG. MVLIEROSVS.

Hoc pariter anno Carolus Magnus Britones *e* Galliæ populos rebellantes deuicit. Et mox in Italiam proficiscens, Florentiæ in Tuscia Natale Domini celebrauit *f*. Quo etiam anno defunctam constat Hildegardem ipsius vxorem pientissimam atque nobilissimam, postquam vixisset cum eo annos duodecim; vt apparet ex ipsius sepulturæ epitaphio, de quo dictum est superius. Duxit autem post eam Carolus Luitgardem, aliasque decedentibus ipsis; in hoc plane se ipso minor inuentus, cum nec iis contentus introduxerit concubinas.

IESV CHRISTI AN. 787.

HADRIANI AN. 16.

CONSTANT. & IRENES AN. 8.

I. CONCIL. VII. OECVM. CELEBRATVR NICÆÆ.

ANNO Domini septingentesimo octogesimo septimo, Indictione decima, scriptis rursum ab Imperatoribus mense Maio literis ad Episcopos Orientales, hi *Niceam* Bithyniæ conuenerunt ad SYNODVM OECVMENICAM celebrandam: quo inter primos aduenit *Tarasius* Patriarcha Cõstantinopolitanus, cum Legatis Hadriani Papæ, (nempe duobus *Petris* de quibus anno superiori, Archipresbytero, & Abbate) necnõ cũ *Ioanne* & *Thoma* legatione fungentib. p Patriarchis Orientalibus, videlicet *Politiano* Alexãdrino, *Theodoro* Antiocheno, & *Elia* Hierosolymitano, sub iugo Saracenorum

NVMERVS EPISCOP.

norum gementibus; atque item cum nonnullis Imperatorum Magistratibus pietate insignibus. Hæc ex Theophane & Ignatio. Aduenerunt insuper alij quamplurimi egregij Confessores, tum Episcopi tum Abbates, qui tempore Cõstantini Copronymi vincula & exilia passi fuerant: interque eos, *Plato* & *Theophanes*, insignes illi monachi, de quibus iam dictum est superius, dicenturque inferius, pluribus. Numerum autem omnium qui Synodo interfuerunt, fuisse trecentorum quinquaginta Episcoporum, est communis assertio: sed Photius trecentos septuaginta septem numerat, Menologium Basilij trecentos sexaginta septem. Huius autem Synodi, SEPTIMÆ dictæ, triplex è Græco in Latinum diuersis temporibus facta est versio. Prima quidem è verbo ad verbum, adeo inconcinna & inepta, vt nec eam quisque legere dignaretur. Vnde cum penitus contemptui haberetur, Anastasius S. R. E. Bibliothecarius opportunus interpres occurrit, sensa sensibus quam diligentissime reddens. Postremo qui Anastasij versionem ignorauit, primam illam exosus, aliam elaborauit; hæcque ipsa est quæ vulgo in Conciliorum Tomis excusa habetur. Cui quantum præstet quæ Anastasij est, intuebitur quisquis legere voluerit; cum plura apud Anastasium inuenturus sit quæ in vulgata desiderantur, & ea quidem haud parui momenti.

DE VERSIONIB. ACTOR. SYNODI.

II. ACTIO PRIMA, DE LAPSIS EPISC.

Conuenientibus igitur Patribus in ecclesia primaria Nicææ ciuitatis, titulo S. Sophiæ nuncupata, Prima Synodi Sessio habita est octauo Calendas Octobris, inchoante vndecima Indictione, Vbi post expositam à Tarasio causam cogendæ Synodi, lectasque Imperatorum literas exhortatorias ad eandem missas; actum est de lapsis Episcopis, quorum nonnulli sponte ad fidem Orthodoxam reuersi, recipi in Ecclesiam petierunt; obtinueruntque inter alios Episcopos sedere, post condemnationem & anathematizationem ab ipsis voce prolatam, & scripto oblatam, hæresis & hæreticorum Iconoclastarum, ac pseudosynodi aduersus sacras Imagines sub Copronymo celebratæ, eorumque omnium qui spernerent magisterium SS. Patrum, & antiquam traditionem Ecclesiæ Catholicæ. Reliquorum vero qui diutius in hæresi perstitissent, quorum fides haud adeo explorata esset, receptionem placuit in sequẽtem actionem differri.

III. ACT II. ET III. DE EISDEM.

Qua rursum conuenientibus Patribus sexto Calendas Octobris, habita est diligens examinatio de fide Gregorij Neocæsariensis Episcopi, qui antesignanus ferebatur Iconoclastarum hæreticorum. Postea vero lectæ sunt literæ Hadriani Papæ ad Imperatores & ad Tarasium, de quibus superius egimus: eæque tam ab ipso Tarasio, quam à reliquis omnibus Patribus, singulis elogiis eas laudantibus, susceptæ, & subscriptione probatæ. Ac tertia Actione habita tertio Calendas Octobris, (ita corrigendum ex Anastasij versione, quod vulgata habet sexto Calendas Octobris; quo die celebratam iam vidimus Actionem Secundam:) restitutus est in locum suum prædictus Gregorius Neocæsariensis, postquam ex intimis præcordiis signa ediderat vere pœnitentis. Lectæque sunt literæ Tarasij ad tres alios Patriarchas Orientales, necnon quas eorundem nomine pro sacris Imaginibus ei rescripsissent monachi Palæstinæ: quæ & ipsæ probatæ sunt, & subscriptione firmatæ; illatumque anathema aduersus aliter sentientes. Sed in literis *a* monachorum, quæ integræ reperiuntur in editione Anastasij, duo inter alia magnopere sunt notanda: Primum, quod de auctoritate Imperij & Sacerdotij in Ecclesia agentes, hæc aiunt; *Secundas Ecclesia portant Imperatores. Nam primum in Ecclesia locum sacerdotes possident. Sacerdotium enim Imperii sanctificatio est, & constitutio; & Imperium Sacerdotii fortitudo & firmamentum. De quibus sapiens quidam Princeps, & in sanctis Regibus beatissimus ait: Maximum donum Deus hominibus præstitit, Sacerdotium & Imperium: illud quidem adornans & regens cælestia, hoc vero gubernans ista terrestria.* Secundum vero quod iidem excusantes Patriarchas Orientis quod non potuerint interesse Sextæ Synodo Oecumenicæ, neque huic Septimæ ob tyrannidem Saracenorum illic dominantium, asserunt nullum ex hoc fieri religioni præiudicium; *præcipue cum sanctissimus Apostolicus Papa Romanus concordauerit, & in ea (Sexta Synodo) inuentus sit per Apocrisiarios sues & nunc similiter fiet* (in ista Septima.)

a Rec. illos Baron. an. 785.

DE AVCTORITATE SACERDOTII ET IMPERII.

AVCTORITAS ROM. SEDIS.

IV.

Post hæc Calendis Octobris (vt eadem translatio habet Anastasij) Quarto conuenientibus Patribus, omnium sententia iussa sunt afferri sacra volumina, ex quibus de cultu sacrarum Imaginum testimonia recitarentur: quæ primum quidem ex diuina Scriptura tam veteris quam noui Testamenti prolata sunt; deinde vero ex SS. Patribus quamplurimæ decerptæ sententiæ, allata exempla & propalata ingentia plane ac multiplicia miracula, pro cultu sacrarum Imaginum diuersis locis & temporibus diuinitus edita: quæ omnia tu maiori otio perlegas aduersus hodiernos Iconomachos, veterum illorum affectas. Ad postremum S. Synodus in hærere se antiquis traditionibus & Patrum sententiis professa anathematismos cõtra Iconomachos promulgauit.

ACT. IV. PROBATA ORTHOD. FIDES DE CVLTV SACRAR. IMAG.

V. ACT. V. ET VI. CONVVTATI HÆRETICI.

Quinta Actione, collecta quarto Nonas Octobris, cum prælocutus Tarasius ostendisset eosdem hæreticos Iconoclastas sectatos esse Iudæos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, & Manichæos; insuper ad veritatis sacrarum Imaginum comprobationem, alia testimonia, rerumque gestarum historiæ iussæ sunt recitari; redargutis hæreticorum argumentis, quibus suam ipsorum hæresim confirmare niterentur. Postea quæ patefactæ sunt fraudes eorundem hæreticorum, quas tempore vrgentis persecutionis admisissent in corrumpendis, abolendis, & incendendis sacris codicibus, in quibus de venerando cultu sacrarum Imaginum mentio aliqua esset inuenta; ac denique iterati aduersus eos anathematismi. Rursumque die sequenti (nempe tertio Nonas Octobris, vt ex versione Anastasij liquet) in Sexta Actione recitata est definitio ab iisdem facta in pseudosynodo Constantinopolitana; eidemque per singula capita ficta ex Patribus apposita responsio: atque in ipso principio ostensum, nullum Episcoporum Conuentum mereri nomen Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex vel per se, vel per Legatos, aut Literas Synodales. Sed & confutatum inter alia, quod Iconoclastæ sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ Imaginem vocassent, cum alioqui veritatem corporis & sanguinis Christi in sacramento confiterentur: ostensumque ab vniuersa Synodo, variis Scripturæ auctoritatibus, Panem & Vinum post consecrationem nequaquam Imaginem dici debere, sed vere ac proprie esse Carnem & Sanguinem Christi; licet congruo sensu nonnulli ex Patribus, eadem ante consecrationem *Typos* & *Antitypa* vocauerint.

EVCHARISTIA VERE CORPVS CHRISTI, ET NON IMAGO.

VI. ACT. VII. FACTA CATHOL. FIDEI DEFINITIO.

Denique tertio Idus Octobris conuenientibus Patribus in Septima Sessione, sancita est Catholicæ Fidei definitio: in qua primum confirmatio facta est reliquarum Sex Synodorum Vniuersalium: deinde Catholicum Symbolum recitatum, cum hac de Spiritu S. professione, QVI EX PATRE FILIOQVE PROCEDIT. Ac demum definitionem Fidei de cultu sacrarum Imaginum his verbis conscripserunt: *Sequentes diuinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ (Nam Spiritus Sanctus hanc esse nouimus, qui nimirum in ipsa habetur.) Definimus in omni certitudine & diligentia, sicut figuram pretiosæ & viuificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas Imagines proponendas, tam de coloribus, & taxellis, quam ex alia materia, congruentes in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, ac vestibus, & in parietibus, ac in tabulis, domibus & viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *quam intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis eius, honorabilium quæ Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per Imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitiuorum earum memoriam, & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: Non tamen ad veram Latriam, quæ secundum fidem est, quæque solum diuinam naturam decet, impertiendam: Ita & istis, sicuti figuræ viuificæ Crucis & sanctis Euangeliis, & reliquis sacratis monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitiuum transit: & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam* (personam videlicet) *Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines terræ suscepit Euangelium. Sic Paulum qui in Christo locutus est, & omnem diuinum Apostolicum cœtum, & pristinam sanctitatem sequimur tenentes traditiones quas accepimus. Hinc triumphalis Ecclesiæ prophetice canimus hymnos* a. Gaude satis filia Sion, &c. *Eos ergo qui audent aliter sapere & docere secundum sceleratos hæreticos Ecclesiasticos*

TRADITIO IN TEMPORE SERVANDA.

a Zephan. 3.

tradi-

traditiones spernere, & nouitate qualibet excogitare, vel proiicere aliquid ex his quæ sunt Ecclesiæ deputata siue Euangelium, siue figuram Crucis, siue & Imaginalem picturam, siue sanctas Reliquias Martyrum; aut excogitare praue & astute subuertendi quamcumque ex legitimis traditionibus, siue Ecclesiæ Catholicæ, vel etiam quasi communibus vti sacris vasis, aut venerabilibus ministerijs: si quidem Episcopi vel clerici fuerint, deponi præcipimus; Monachos autem & Laicos à communione priuari. Hactenus definitio Fidei ex versione Anastasij. Postquam addita est cunctorum Episcoporum subscriptio: & subsecutæ sunt fanstæ Patrum acclamationes pro stabilita fide Orthodoxa, & in laudem illius defensorum, ac præcipue Imperatorum Constantini & Irenes, quos *nouum Constantinum & nouam Helenam* appellarunt: additique in hostes sacrarum Imaginum, tam viuos quam defunctos, Anathematismi.

VII. DE CVLTV IMAGINVM EADEM SCHOLASTICORVM CVM NIC. CONCIL. SENTENTIA.

Sed quod ad id spectat, quod Patres definierunt, Imagines ita venerandas esse & adorandas, vt tamen nullo modo coli debeant cultu Latriæ, qui soli diuinitati competit: illud etiam suis scriptis sæpius professus est S. Ioannes Damascenus, inter hæreticos numerans eos qui Imagini cuipiam dicerent tribuendum esse cultum Latriæ; quos & nominat *Christianocatagoros*, hoc est, accusatores Christianorum, eo quod ipsorum causa Christiani ab aduersariis dicerentur idolorum cultores, quasi vt Deos Imagines colerent: sicut & eandem hodie calumniam à Nouatoribus Catholici patiuntur. Haud tamen in eorum classem coniecerimus Scholasticos illos, qui Christi Imagini, atque sanctissimæ Cruci, Latriæ cultum tribuendum esse dixere. Nam cum & ipsorum constantissima sit assertio, nulli creaturæ diuinum cultum esse impertiendum; vtique non proprium per se existentem Latriæ cultum Imaginibus tribuisse noscuntur; (id enim esset re vera idololatria:) sed illum tantum qui fit ob aliud, & per accidens, relatiue ad primum exemplar *b*. Adeo vt à definitione Concilij non re ipsa, sed verbis tantum & modo loquendi discrepent. Verborum autem discrepantiam non aliunde accidisse putamus, nisi quod cum vera huius Synodi sententia iisdem doctis viris minime innotuisset; calumniarenturque aduersarij (prout dicetur inferius) definitum in ea esse, cultum Latriæ Christi imaginibus deberi: hoc ipsi verum esse putantes, pro ea causam se agere putarunt, si quomodocunque, improprietate licet verborum, quam existimarent eius esse sententiam tuerentur.

b De hac quæst. vid. Bellar. Cōtrouers. de Imag. c. 20. & seqq. & alios qui de iis scripserunt.

VIII. DE CANONIB. SYNODI.

Sed vt ad Synodum redeamus; præter fidei decretum, ab eadem canones sanciti sunt viginti duo, ad reparandam ab Iconoclastis labefactatam disciplinam Ecclesiasticam: quos in posteriori editione Conciliorum positos habes ex translatione Heruetiana, eosdemque Gratianus in Decretorum volumen sub diuersis titulis retulit. Quorum quidem primo decretum est, non assumendos esse Episcopos, qui non eruditione & scientia sacrarum literarum atque Canonum essent instructi. Sed & tertius non minori est notatione dignus, quo decreuit Synodus, vt omnis electio Episcoporum aut sacerdotum à Principibus facta, irrita maneat. Habent tamen aliqui Principes id ex Sedis Apostolicæ priuilegio. Demum vero ex eodem Concilio scriptæ sunt literæ Synodales ad diuersos; in primisque ad ipsos Imperatores, atque alia Encyclica ad omnes Ecclesias; tertiaque ad Hadrianum Romanum Pontificem à Tarasio Episcopo Constantinopolitano scripta, quæ se habet tanquam recapitulatio omnium rerum gestarum in Synodo. Ipsa vero dies qua Synodus est feliciter absoluta, relata fuit à Patribus in Tabulas *c* Ecclesiasticas anniuersaria memoria celebranda; quo Deo iuges gratiæ agerentur de profligata hæresi, & seruata veteri Ecclesiæ Catholicæ in cultu sanctarum Imaginum obseruantia. Sed & eandem ab Imperatoribus Constantino & Irene postea subscriptione propria roboratam esse, cum Tarasius aliique Patres Constantinopolim aduenerunt, Ignatius *d* & Theophanes testantur: tuncque factum est, vt vbique erigerentur sacræ Imagines, suoque honori restituerentur. Quæ vero contra ipsam Synodum fuerunt postea à nonnullis obiecta, dicentur, diluenturque inferius suis locis.

NE A PRINCIPIBVS ELIGANTVR EPISCOPI.

c Menolog. Grac. 12. Octob.

d Ignat. in Vit. Taras.

IX. CALVMNIA IN

Cum autem post illam celebratam, Tarasius totus esset (vt scribit Ignatius) in recipiendis lapsis, eisdemque in pristinum gradum restituendis; magna inde aduersus illum inuidia conflata, plerique discessionem ab eo fecerunt, causantes alij quod simoniace ordinatos reciperet, alij etiam quod ipse pecuniarias fecisset ordinationes. Has tamen meras fuisse calumnias, Theodorus etiam Studita e testatur. Quod tamen in suspicionem ea de re fuisset ab aduersariis adductus; ad eam abolendam, simulque eiusmodi crimen radicitus ab Orientali Ecclesia conuellendum, totis viribus insurrexisse, atque egregiam in eo operam nauasse, Ignatius scribit. Reperiturque *f* hactenus eiusdem Tarasij nomine epistola erudita satis atque prolixa ad Hadrianum Papam, de Simoniaca hæresi profliganda. Sed quod in ea & ipse Hadrianus eadem labe arguatur esse pollutus, nec tamen vsquam apud quemlibet alium scriptorē aliquid eiusmodi de ipso dictum inuenire quis valeat; inde fit vt qui primus illam epistolam edidit Theodorus Balsamon, Romanæ Ecclesiæ acerbissimus hostis, in suspicionem adduci facile possit impostura. Quod si velimus re vera à Tarasio scriptam; omnino dicendum erit, aut Hadrianum calumniam ea de re à maleuolis passum esse apud Orientales; aut Tarasium aduersus concitatam in se suspicionem stylum exerentem, quomodocumque & aduersus quemcunque pugnasse videri voluisse. Sed de rebus Orientalibus huius anni iam satis.

TARASIVM EPIC. CONST. DE SIMONIA.

e Theod. Stud. l. ep. 38. ad Arsen. & 53. ad Steph.

f Ap. Theodor. Balsam. in Append. ad Nomocan. Photii & ap. Ana. in fin. Sept. Syn.

FALSA ACCVSATIO IN HADR. PAP.

Quod ad Occidentales attinet; hoc eodem anno (vt habent Annales Francorum, & qui eos collegit Regino) Carolus Magnus Rex Francorū Christianissimus Romam venit, ibique paucos dies moratus, inde aduersus Arichisium Ducem Beneuentanum genere Longobardum perrexit; acceptisque ab eo obsidibus, & iuramento fidelitatis, Romam reuersus Pascha ibi celebrauit. Hæc Annales. Qui vero post Paulum Diaconum prosecutus est res Longobardorum, Nerempertus vir illustris (ita enim inscribitur) pluta his addit quæ interceserunt inter Carolum & Episcopos Beneuentanum & Salernitanum, atque alios ab Arichisio missos; quæ cum non in omnibus probentur nobis, quod & fabulosa multa commisceantur, libentius prætermimus. Non sic quod habet Leo *ff* Ostiensis, nempe eundem Regem Romam redeuntem orationis causa diuertisse Cassinum ad corpus S. Benedicti; eiusque loci Abbatem Theodomarium ab illo cepisse confirmationem eorum omnium quæ à quibuscunque eidem monasterio concessa fuissent, ipsumque Carolum nonnulla de suo addidisse. Sed & vetus Caroli Chronicon quod Pithœus edidit, habet Romæ tunc ortam esse contentionem per dies festos Paschæ inter cantores Romanorum & Gallorum, de cantus Ecclesiastici præcellentia; verum eam Carolum non solum Romanis adiudicasse, sed etiam omnibus Eccl siis Gallicanis Notam Romanam sequendam *g* iniunxisse, ac præcipuum eius magisterium in ciuitate Metensi constituisse; adductis ad hoc secum ex Vrbe Cantoribus, qui insuper Francos docuerunt artem organandi. Sed de egregia hac in re ab eodem Carolo nauata opera, dictum est etiam superius *h* alia occasione. Additur præterea in eodem Chronico, ipsum tunc Carolum artis quoque Grammaticæ & Computatoriæ magistros Roma in Galliam perduxisse, & vbique studium literarum expandere iussisse, cum ante ipsum nulli in Gallia studium fuisset liberalium artium.

X. CAROL. MAG. VENIT ROMAM.

ff Leo. Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 14.

ALTERCATIO INTER ROM. ET GAL. DE CANTV ECCLES.

g Extat et iam hac de re Constitutio Caroli, in Capitul. Franc. lib. 1. c. 80.

h An. 754. num. III.

Ac demum extat *i* Hadriani Papæ ad Bertericum Viennensem Archiepiscopum epistola, qua eum monet se cum eodem Rege Carolo egisse, vt iura Ecclesiarum Metropolitanarum, quæ ab annis ferme octoginta à Francis essent conculcatæ, sed & aliæ ciuitates quæ laicis traditæ essent, in pristinum statum dignitatemque restituerentur. Vnde & forte accidit, vt ab eodem Rege promulgatum fuerit post biennium Aquisgrani edictum *k*, de Bonis Ecclesiarum laicis minime dandis; cum (vt ibi traditur) consueuissent tunc laici homines diuidere sibi omnia Episcopia & Monasteria; nec remaneret vlli Episcopo, vel Abbati, aut Abbatissæ, nisi tantum vt velut canonici & monachi viuerent. Ad quæ etiam pertinet quod Agobardus *l* Archiepiscopus Lugdunensis eiusdem sæculi scriptor, lugens refert de miserrima eius temporis sacerdotū conditione in Galliis; ita vt pleriq; inuenirentur, qui (vt ait) aut ad mensas nobiliū ministrarēt; aut vina miscerent, aut canes ducerent, aut caballos quibus feminæ sedebant regerent, aut agellos prouiderent.

XI. *i Bibl. Floriac. par. 2.* LAICORVM IN GAL. INVASIONES BONOR. ECCLES.

k Capitul. Franc. li. 1. cap. 72. 73. Ap. Baron. an. 789. nu. VII.

l Agob. de priuil. & iur. sacerd. ap. Baron. an. 751. XIII.

IESV CHRISTI AN. 788.

HADRIANI AN. 17.

CONSTANT. & IRENES AN. 9.

I. a *Theoph. hoc an* DE S. PHILARETO MISERICORDE.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo octauo, Indictione vndecima, Constantinus *a* Imp. Irenes matris impulsu, inuitus nolensque despōsatæ sibi Caroli Magni filiæ, quam deperibat, nuntium remisit; vxoremque accepit *Mariam* Armenam, humili quidem loco natam, sed quam ei Irene procurauit ob vitæ sanctitudinem *S. Philareti* eiusdem Mariæ patrui cognomento *Misericordis*, natione Paphlagonis: de quo in Menologio *b* Basilij traditur, quod cum ex labore suo diues fuisset, diabolica inuidia factus sit pauper, nec tamen eleemosynarum oblitus sit: adeo vt cum defecisset aliquando vicini bos, isque veniens ad Philaretum inuenisset cum in agello cum tenui iugo serentem, videns Philaretus ipsum mœrentem, misericordia motus solutum è duobus bouem alterum ei tradiderit, ipse vero cum altero iugum subierit. cuius virtutem conspicatus Deus, fecit vt Irene Augusta neptem ipsius Mariam filio suo Constantino iungeret in matrimonium: ex quo ille factus diues, & copiosus in misericordia, senex migrauit ad Dominum. Hæc in Menologio.

b *Menolog. Græc. 2. Dec.*

II. DISSOLVTA PAX INTER IMP. ET CAROL. MAG.

Vt autem se à Francorum fœdere & affinitate seiunxerit, alia non est quæ asseri causa possit, nisi quod Carolus Ducatum Beneuentanum inuaserit, quem vna cum Duce in suum patrocinium Imperatores susceperant. Porro vna cum Beneuentano Ducatu, reliqua omnia à Carolo ablata esse, quæ interiacent vsque ad mare Adriaticum, Eginhardus testatur: qui & addit, fuisse semper Græcis Francorum suspectam potentiam, atque ideo ipsos prouerbialiter de iis dicere solitos, τὸν Φράγγον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς; hoc est, *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas.* Cæterum exæstuantem ira feminam, sicut malo consilio dissoluit fœdera nuptiarum, ita imprudenter aduersus eundem Carolum hoc ipso anno bellum mouisse in Italia, verum ipsius exercitum deuictum esse à Francis, iunctis vna cum Longobardis; Regino est auctor. Qui vero putarunt, non dimissam ab Imperatore, sed negatam fuisse à Carolo filiam Constantino; hac de causa huiusmodi bellum conflatum esse dixere *c*. Quantum autem ex Theophane colligi potest, Aldegisus filius Desiderij Regis Longobardorum, quem vidimus Constantinopoli m aufugisse, malorum horum extitit architectus. Sed spes eum fefellit: cum enim in Italiam vna cum Græcis veniisset, captus in prælio à Francis, interemptus est.

PROVERBIVM GRÆCOR. DE FRANCIS.

c *Annal. sub Ludov. Pio conscripti.*

III. TASSILO DVX BAIAR. DETRVSVS IN MONASTER.

BELLVM HVNNI CVM FELICITER CONFECTVM.

Quo pariter anno idem Carolus Magnus Tassilonem Bauariæ Ducem, qui suæ impulsu coniugis, filiæ pariter Desiderij Regis Longobardorum, sæpius rebellans veniam obtinuerat, nunc demum in auxilium suum Hunnos, quos alij dixerunt Auares, euocantem, maiestatis reum conuictum, damnatumque legibus, commiseratione motus eximit à gladio, concessitque ingredi monasterium vna cum filio Theodone. Et qui ab eo solicitati sunt Hunni, duobus comparatis exercitibus altero Marcam Foroiulienſem, altero Baioariam sunt aggressi; sed vtrobique victi, fugatique, ad sua se loca in Pannoniam recepere. Qui necdum quiescentes, sed posthac per octo continuos annos bellum renouantes, ingentibus affecti sunt cladibus, vsque ad internecionem fere totius gentis: quorum spoliis, ex ruina plurimarum aliarum gentium congestis, mirum in modum ditati sunt Franci, qui vsque ad id temporis pene pauperes visi fuerant. Hæc summatim ex Eginhardo *d*; quæ singulis annis describunt Annales Francorum: ex quibus etiam constat, incrementum pene Francis hoc bellum fuisse, & prosperrimum exitum habuisse, tametsi diutius sua magnitudine tractum fuerit. Addit vero Ado Viennensis, Carolum partem thesaurorum ab Hunnis ablatorum, Romam dono misisse ad Memoriam SS. Apostolorum, partemque Ecclesiis aliis distribuisse. Eginhardus autem, Carolum amplissimis reditibus locupletauit: prout constat ex diplomate *f* ipsius regio, quo & gratias agit Deo de consecuta sæpe victoria aduersus Saxones.

d *Ap. Baron. hoc an. & 795. ad fin.*

e *Annal. Franc. an. 795. Ado. Vsuu. & alii.*

IV. BREMEN. SEDIS ERECTIO.

f *Ap. Crantz. in Saxon. lib. 2. c. 14.*

IESV CHRISTI AN. 789.

HADRIANI AN. 18.

CONSTANT. & IRENES AN. 10.

I. DOMESTICVM BELLVM INTER MATREM ET FILIVM IMPP.

ANNO Christi septingentesimo octogesimo nono, Indictione duodecima, Orientale Imperium domestica dissensione matris & filij Imperatorum admodum exagitatum est. Siquidem Constantinus cum iam viginti annorum esset factus, ægre ferens omnem auctoritatem penes matrem esse, seque præter nudum Imperatoris nomen aliud nihil habere; consilio cum paucis familiaribus inito, decreuit matrem in Siciliam relegare. Sed prœueniens ipsa, comprehensos omnes filij conscios, præ ignominia tonsos in exilium expulit; filium vero verbis ac verberibus castigatum diu inclusum tenuit; militesque sacramento suo adegit. Quos quidem tumultus euidenti signo exprimere visa est natura, dum eodem anno sexto Idus Februarij adeo horribilis factus est terræmotus, vt non auderet quisquam domi dormire, sed omnes in hortis sub dio tabernaculis factis & tentoriis degerent. Hæc omnia ex Theophane.

II. THEOPHILI PRAEFECTI MARTYRIVM. a *Martyrolog. 11. Cal. Aug.*

Quo eodem anno (vt idem ait auctor) *Theophilus* præfectus Imperatoriæ classis, apud Cyprum à Saracenis in prælio tentus, atque perductus ad ipsorum Principem Aaron, cum nec donis nec minis flecti posset vt CHRISTVM negaret, martyrij coronam gladio consecutus est: cuius gloriosam memoriam conseruant Tabulæ *a* Ecclesiasticæ.

IESV CHRISTI AN. 790.

HADRIANI AN. 19.

CONSTANTINI SOL. AN. 1.

I. SOLVS CONSTANTINVS IMPERAT ABSQVE MATRE.

ANNO Domini septingentesimo nonagesimo. Indictione decimatertia, cum legiones Armenicæ Constantinum dumtaxat acclamassent Imperatorem, earum exemplo qui in aliis degebant prouinciis milites idem egerunt, licet antea Irenæ iurassent. Quare Irene sibi timens, Constantinum à se dimisit, quem bene carcere custoditum hactenus asseruarat. Sicque annus iste primus numeratus est eiuidem solius Constantini absque matre regnantis: qui quidem

grauiter vltus eſt in Præfectos à matre conſtitutos. Iſta Theophanes.

II. DE ALFONSO CASTO GALLÆC. REGE.

Eodem anno, quo Æra Hiſpanica numeratur octingenteſima vigeſima octaua, defuncto Maurogato Regni Gallæciæ vſurpatore, in locum eius ſucceſſit Veremundus diaconus: qui inde magnam comparauit ſibi laudem, quod optime conſulens rebus Chriſtianorum, & regno iam omni ex parte collapſo, Alfonſum cognomento Caſtum à Maurogato (vt diximus) è Regno electum reſtituit, eum ſibi collegam aſſumens. Iſta Tudenſis & alij; qui & agunt de inſigni pietate eiuſdem Alfonſi, deque mirabili CRVCE Angelorum miniſterio facta, quam ipſe Eccleſiæ Ouetenſi iam antequam reſtitueretur in regnum donauit. Cuius quidem reſtitutionem factam tradunt anno ſequenti, nimirum Æra octingenteſima vigeſima nona. Sed de aliis eius rebus geſtis dicetur ſuis locis.

III. FRANCORVM FORTITVDINE EVROPA A SARACEN. IGO SERVATA.

Hoc item anno, Albini reperitur ſcripta eſſe epiſtola de rebus Caroli Magni; cuius fragmentum de tempore quo Saraceni Africam & Aſiam inuaſerunt, recitatum habetur libro ſecundo continuationis Hiſtoriæ Anglicanæ. Cuius auctor, eiuſdem fragmenti occaſione teſtatur, niſi Dei clementia ingenitum robur Francorum Principum animaſſet, iampridem ipſam etiam Europam eoſdem Saracenos ſubiugaturos fuiſſe. Ex quibus videre licet, quantum Chriſtianus Orbis debeat Francorum genti; quæ ſola exundanti ex Oriente in Occidentem torrenti, ne vniuerſam obrueret Chriſtianitatem, obicem ſe oppoſuit validiſſimum.

IESV CHRISTI AN. 791.

HADRIANI AN. 20.

CONSTANT. SOL. AN. 2.

I. CONST. IMP. CRVDELITAS IN PATRVOS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo Indictione decimaquarta, Conſtantinus Imp. progreſſus aduerſus Bulgaros, dum ab aſtronomis pſeudoprophetis certam victoriam pollicentibus deceptus, minus caute bellum gereret, ab hoſtibus ſuperatus eſt, fugatuſque rediit Conſtantinopolim. Qua de cauſa cum milites decreuiſſent Imperatorem conſtituere Nicephorum filium Conſtantini Senioris, patruum iſtius; eundem Conſtantinus oculis, quatuor vero alios patruos ſuos eiuſdem Nicephori fratres linguis priuauit: ac cum iiſdem Alexium Patricium, quem legiones Armeniæ quæſierant prouehere in Imperium, æque luminibus priuauit. Veruntamen non in longum Dei iuſtitia hanc iniuſtam vltionem reliquit inultam: ſiquidem poſt quinquennium, eodem menſe Auguſto, & eodem die Sabbati, idem Conſtantinus orbatus eſt oculis à propria matre. Hæc omnia Theophanes.

II. CONCIL. FOROIVLIENSE IN QVÆST. DE SPIR. S. ET INCARNAT. VERBI.

Quo ipſo anno, qui & numeratur vigeſimus tertius Regis Caroli Magni, celebratū eſt in Italia CONCILIVM FOROIVLIENSE ſub Paulino Patriarcha Aquileienſi pietate & doctrina conſpicuo, ſub cuius Metropoli Foroiulium continebatur. In eo vero actum eſt de proceſſione Spiritus S. à Patre Filioque, & de ſanctiſſima Trinitate, atque Incarnatione Verbi: quarum quæſtionum prior in Oriente agitabatur, poſterior in Hiſpania, cum (vt vidimus) Elipandus Archiepiſcopus Toletanus Neſtorianiſmum reſtituere tentaſſet, aſſerens Filium Dei ſecundum humanitatem dicendum eſſe filium adoptiuum, & non proprium ac naturalem; ac proinde duos conſtituens Dei filios in Chriſto, naturalem alterum, alterum adoptiuum. Demum vero poſt confirmatam de his quæſtionibus Catholicam fidem, & confutatas hæreſes, ſanciti ſunt qua uordecim canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes: cuius quam accuratus fuerit reſtitutor & cuſtos Paulinus, vel ex eo quiſque poterit intelligere, dum nec cum permiſſis à Nicæno Concilio mulieribus, matre & ſorore, permiſerit ſuos clericos cohabitare.

III. Hoc eodem Redemptoris anno, migrauit ex hac vita ille Apoſtolicus ſanctitate illuſtris *Burchardus* Epiſcopus Herbipolenſis, diſcipulus S. Bonifacij martyris, cum ſediſſet annos quadraginta: cuius res geſtas *a* proſecutus eſt Egilardus eius monaſterij monachus. Relatus autem inter Sanctos, ab Eccleſia Catholica anniuerſaria commemoratione cœptus eſt celebrari.

S. BVRCHARDI OBITVS. *a Ex. ap. Sur. 14. Oct.*

IV. INGENS TIBERIS INVNDATIO.

In fine item huius anni, nempe menſe Decembri Indictionis decimæquintæ, mirum in modum exundans Tiberis, (adeo vt aliquibus locis muros tranſcenderit, & in Via lata amplius quam duas ſtaturas, vt ait Anaſtaſius, excreuerit) magna vrbi damna intulit: quo tempore Hadrianus Papa humillimis orationibus Deum placans, ciues quoque vndis obſeſſos per ſcaphas cibis aluit.

IESV CHRISTI AN. 792.

HADRIANI AN. 21.

CONST. SOL. AN. 3.

I. CONCIL. RATISPON. CONTRA FELIC. ET ELIPAND. NESTORIANOS.

ANNO Domini ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo, indictione decimaquinta, celebratum eſt CONCILIVM Reganesburgi, ſiue *Ratiſponæ* in Germania; vbi damnatus eſt Felix Vrgelitanus in Hiſpania Epiſcopus, qui Elipando Archiepiſcopo Toletano in reſtituendo Neſtorianiſmo dux aut ſocius factus, Galliam Germaniamque peragrabat ad ſeminandam ſuam hæreſim: cum ex alia parte Elipandus Aſturias & Gallæciam eodem modo inficere laboraret. Porro Felicem ſic damnatum Engelbertus, ſiue Angilbertus, Abbas S. Ricarij ſiue Centulenſis, (qui ex genero Caroli Magni, factus fuerat ex voto recuperatæ ſanitatis monachus, conſentiente coniuge Berta, quæ & ipſa ſacrum velamen accepit: de quo Nithardus *a* ipſius filius in Hiſtoria, & Albinus Flaccus in præfatione ad Vitam *b* eiuſdem S. Ricarij quam ſcripſit) perduxit Romam ad Hadrianum Pontificem: vbi confeſſione rectæ fidei facta, hæreſim damnauit, reſtitutuſque in integrum ad ſuam ſedem remiſſus eſt. Hæc breuiter apud Reginonem, & alios; expreſſius in Annalibus, qui ſub Ludouico Imp. ſcripti ſunt; fuſe vero apud Ionam Aurelianenſem Epiſcopum, qui ſub eodem Ludouico claruit, in ipſo exordio libri primi eorum quos ſcripſit aduerſus Claudium Epiſcopum Taurinenſem: vbi & ait, Felicem, cum hæreſim ſuam prædicaret, multos quidem in Septimania ſeduxiſſe, ſed in Gallia & Germania nullum locum inuenire quiuiſſe.

a Nithard. lib 4. hiſt. b Ex. ap. Sur. 26. April.

IESV CHRISTI AN. 793.

HADRIANI AN. 22.

CONSTANTINI SOL. AN. 4.

I. ALFONS. CASTVS VINCIT SARACENOS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione prima, Alfonſus Caſtus Gallæciæ Rex, anno tertio regni ſui, Æra nimirum octingenteſima trigeſima prima, indigno animo ferens proſtitui tributi nomine pudicitiam nobilium virginum Hiſpanicarum; vindex exurgēs, licet longe imparibus viribus aduerſus Mauros apud Aſturias pugnans, ad ſeptuaginta eorum millia occidit, vna cum Duce Mugait. Hæc Tudenſis: qui & alia multa ſubiicit prælia cum Saracenis habita, in quibus ſemper Alfonſus victor extitit. Vnde eius nomine reddito celebri, ipſum Carolus Magnus amicum habere voluit; quod eius æſtimationi plurimum contulit virtium. Qui quidem gratias acturus Deo pro tanta, quam diximus, obtenta victoria; in honorem Saluatoris nobilem erexit Eccleſiam Oveti, vbi fixerat regni ſedem, in qua duabus lapideis tabulis inciſum

ſuæ pietatis reliquit *a* egregium monumentum.

a Vid. Ambroſ. Morat. hiſt. lib 3. c. 32.

IESV CHRISTI AN. 794.

HADRIANI AN. 23.

CONSTANT. SOL. AN. 5.

I. CAVSA FELICIS VRGELIT. ET ELIPANDI TOLET. ITERVM TRACTATVR.

ANNO Christi septingentesimo nonagesimo quarto, Indictionis secundæ, Caroli Magni regni vigesimo sexto, cum Felix ille Vrgelitanus (quem biennio ante diximus in Synodo Ratisponensi damnatum hæresis Nestorianæ, & postea Romæ ea abiurata libertate dimissum) vt canis reuersus ad vomitum, eandem suam hæresim ardentiori animo disseminare cœpisset: sed & Elipandus Archiepiscopus Toletanus, tantæ blasphemiæ restitutor, ausus esset ea de re literas particulares scribere ad Carolum Magnum, petens eas Theologis examinandas & discutiendas communicari; aliasque generales ad omnes Galliarum Episcopos, quibus eos in suam perfidiam trahere conaretur, missa perfidię suę professione, testimoniis Patrum, nec non auctoritate Ildefonsi aliorumq; Toletanorum Episcoporum, mendacissime more hæreticorum prolatis, confirmata: cum, inquam, ista sic se haberent, quamuis sancta Dei Ecclesia nihil quod de his vel leuiter dubitaret haberet, vtpote quæ in Concilio Oecumenico Ephesino, quid de his sentiendum esset, plenissime definisset contra Nestorium, ac nuper id ipsum profitentem Felicem damnasset: tamen ne malum hoc renascens longius serperet, visum est eidem Carolo Regi Christianissimo, explorata primum per Legatos Romam missos Hadriani Papæ sententia, Vniuersalem cogere Synodum ex totius Occidentalis Orbis prouinciis.

II. CONCIL. FRANCOF. IN QVO IDEM HAERETICI DAMNANTVR.

Itaque collectis *Francofordiæ* ad Mœnum fluuium in Germania, ex vniuersa Italia, Gallia, Germania, atq; Britania, circiter trecentis Episcopis, (vnde ob numerositatem Antistitū, præsentiamq; Apostolicæ Sedis Legatorū, hoc CONCILIVM *Plenarium* reperitur nominatum) præsente in ipsa Synodo Carolo Magno, & de causa fidei optime differente; ibidemque visis Hadriani Papæ ea de re scriptis ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum literis, necnon commentariolo inscripto Libello *a* Sacrosyllabo, à Paulino Patriarcha Aquileiensi, tam suo quam Petri Mediolanensis Archiepiscopi, & aliorum ipsis subditorum Antistitum nomine, aduersus eandem resurgentem hæresim elaborato: post cuncta rite examinata, demum ipsa hæresis omnium consensu damnata est, vna cum eius restauratoribus Elipando atque Felice Vtumque est S. Synodo, vt quæcumque in ea gesta essent atque decreta, in Hispanias mitterentur ad euertendos spartos in illis prouinciis errores. Adiecitque Carolus, vt priuatas & ipse ad Elipandum aliosque Hispanos Episcopos scriberet literas, dignas plane tanto Principe qui pietate & doctrina præstaret; quibus suaderet omnibus, vt ab errore desisterent, & Patrum definitionibus inhærerent. Vt non immerito in eorum inscriptione, vna cum titulis *Regis Francorum & Longobardorum*, ac *Patricii Romanorum*, se quoque FILIVM ET DEFENSOREM SANCTÆ DEI ECCLESIAE nominauerit. Extant *a* adhuc ipsæ integræ, vna cum aliis superius citatis; ex quibus expressius discere possis, quæ pertinent ad hanc Synodum Francofordiensem, & hæresis Nestorianæ de adoptione Filii Dei in ea confutationem & condemnationem.

CAROL. MAGN. FILIVS ET DEFENSOR S. ECCL. a *Concil. T. m. 3.*

III. DE CAVSA SACRAR. IMAG. IN EO CONC.

Quod vero spectat ad damnationem Nicænæ Posterioris Synodi pro sanctis Imaginib. celebratæ, quæ in hoc Concilio Francofordiensi facta dicitur: concedimus quidem & nos, id factum esse in isto Concilio; sed negamus factum esse per Concilium: hoc est, propositum quidem fuit & pertractatum à male sentientibus, sed non accessit consensus eorum quorum fuit statuta firmare. Vt non mireris, si quæ sunt ibi de ea re tunc Acta conscripta, nusquam appareant; vtpote abolita, quod ea non probassent Legati Apostolicæ Sedis, nec qui eos miserat Hadrianus Papa confirmasset. Sane quidem aduersatos ibi esse Legatos iis, quę contra Nicænam Synodum gererentur, nec ipsi Nouatores *b* negant. Sed & ab Hadriano iisdem fuisse magnopere contradictum, ipsius quæ extat eorundem confutatio ad Carolum Magnum conscripta palam ostendit. Imo & cum Hadriano alios Episcopos paria sensisse, affirmat Hincmarus *c* Episcopus Rhemensis. Quare & ipsius Caroli factum esse præcepto existimandum est, vt reiectis iis, quæ contra Nicænam Synodum gesta essent, ipsa tantum Acta, quæ contra Nestorianos omnium consensus firmasset, integra remanerent; quod probe sciret piissimus & doctissimus Princeps, nulla Conciliorum decreta subsistere, quibus Romani Pontifices contradicerent. Id enim adeo indubitatum ab omnibus semper habitum est, vt & qui aduersus Nicænam Synodum commentarium scripsit, qui fertur nomine Caroli, non solum negare non audeat, sed contra id firmiter asserat ipsius etiam Francofordiensis Concilii auctoritate, agnoscentis iudicium vltimum controuersiarum esse solius Romani Pontificis; eiusdemque argumenti virtute, reiiciat ipse Septimam Synodum, quasi ea (quod mentitur) non fuerit à Romano Pontifice confirmata.

b *Magdeb. Cent. 3 c. 9. col. 639.*

c *Hincmar. Rhem. cont. Laudun. Episc. c. 20.*

IV. CAROLI NON ESSE LIBRVM CONTRA SEPT. SYN.

Quod autem eundem librum Caroli esse, qui illi præfatur incertus auctor affirmat, ac vulgo creditum est; erroris inde videtur occasio emanasse, quod eius confutatio ad Carolum sit ab Hadriano Papa conscripta; quandoquidem ad eum quis soleat rescribere literas, à quo scriptas acceperit. Nec tamen negandum, de his scripsisse Carolum ad Hadrianum: verum fascem illum contradictionum haud eius fuisse, sed aliorum, eorundemque plurium auctorum, ex ipsius Hadriani responsione apertissime quisque colligere poterit; nempe tam ex ipso contextu libri, variis ac diuersis diuersorum capitulis distincti, (vnde & ipsum, *Capitulare* Hadriani nominat) quam quod Hadrianus cum sæpe acerrime inuehatur in aduersarios, de ipso Carolo nec leuiter saltē queritur. Res autem ita accidit, vqui Nicænam Synodum conuellere laborarent, seorsim singuli quæ reprehendenda putarent Concilio Francofordiensi obtulerint; ab hoc vero eadem in vnum fasciculum congesta data Carolo fuerint, & ab ipso missa ad Hadrianum. Namque huius operis vltimū duntaxat capitulum ipsius Caroli fuisse, testatur idem Pontifex Hadrianus ad illud in fine respondens.

V. QVID PRO DAMNATIONE NIC. SYN. OBIECTVM FVERIT.

Cæterum ad damnandam Nicænam Synodum permoti sunt Francofordienses Episcopi, non quidem odio Imaginum, quas haud ipsi reprobabant; sed quod iidem contradictores, duo ei Synodo mendacia obtrusissent; vnum, Nicænos Patres statuisse, Imagines eodem honore & cultu, quo ipsum Deum, venerandas esse; alterum, decretis eiusdem Synodi Romanum Pontificem non præbuisse assensum. Hæc enim duo persuasa fuisse, constat ex verbis ipsius Capitularis voluminis. Vt non debeat videri mirum, si plerique Francofordienses Patres his duobus mendaciis seducti, Cōcilium Nicænum tanquam profanum repudiauerint; aliique *d* postea nonnulli absque vlla exactiori veritatis discussione, eidem damnationi adhæserint. Quod autem vere mendacia sint, Synodum Nicænam caruisse Papæ auctoritate, & decreuisse Imagines adorandas esse cultu latriæ; certissime apparet, tum ex iis, quæ dicta sunt superius in eadem Synodo, tum ex ipsius Synodi Actis; itemque ex responsione Hadriani ad eiusmodi Capitulare, qua idem Pontifex quæcumque fuerant ab aduersariis obiecta plenissime diluit. Ex qua pariter abunde refellitur calumnia, qua sub Ludouico Imperatore, cum hæc quæstio iterum retractaretur, iidem Nicænæ Synodi aduersarii, ipsi quoque Hadriano eundem diuinum Imaginum cultum falso obiecerunt. Videlicet homines isti per vocem *Adorationis*, qua Synodus Nicæna decreuerat sacras Imagines esse colendas, intellexerunt adorationem latriæ; cum alioqui ipsi quoque docerent, Imagines non solum non esse iniuria afficiendas, sed & venerandas esse: adeo, vt quæstio potius videatur fuisse de modo adorationis, quam de adoratione, siue veneratione. Sed iam de his hoc loco satis, quæ alibi fusius tractata habentur.

d *Chron. vit. Fran. Ienn. Annal. Walfr. Strab. Amalar. Hinm. Ado, Regino, & alii.*

[Tractat hæc pluribus Baron. ipse Tom. IX. hoc anno & Bellar. Controuers. de Imag. lib. 2. c. 14. & 15. Sunt vero alii multi, qui hanc illorum sententiam de Synodo Francoford. non comprobantes, omnino volunt eandem Synodum definiisse veritatem de adoratione Imaginum, & approbasse atque confirmasse Nic. Concilium: quod & validissimis rationibus, & antiquiorum auctorum testimoniis demonstrant. Inter quos vide (si lubet) Vasq. lib. 2. de ador. Imag. disp. 7. c. 5. & seqq. & Suar. Tom. 1. disp. 54. sect. 3.]

Cæterum

VI. HÆRETICVS ARGVITVR, QVI MONITVS NON RESTITVIT BONA ECCLES.

Cæterum in ea, quam diximus, ab Hadriano rescripta ad Carolum epistola, illud quoque notandum est, eundem Pontificem agentem de iis, quæ in Oriente suasione ipsius gesta essent, dum approbat restitutionem sacrarum Imaginum in Concilio Oecumenico factam, queri tamen quod iidem ab vno errore reuersi, in aliis duobus adhuc hærerent; dum scilicet vsurpatas detinerent multas sedes Episcopales & Archiepiscopales, quæ Romanæ Ecclesię diœcesis essent, atque eiusdem patrimonia quæ pro luminarium concinnatione & alimoniis pauperum sub eo Imperio haberet, tunc ablata quando sacras Imagines depositerunt, restituere detrectarent: de quibus vidimus, ipsum antehac literis egisse apud Constantinum & Irenem Impp. Iam vero ad Carolum scribit, se rursum de his commonituram Constantinum; & si noluerit ea restituere, hæreticum eum pro eiusmodi erroris perseuerantia declaraturum. Vbi iterum audis quod alias ex S. Gregorio Magno audisti; nimirum transire in hæresim, obstinatam occupationem iurium S. R. E. & vt hæreticum esse damnandum, qui eiusmodi errorem monitus non corrigit.

IESV CHRISTI AN. 795.

HADRIANI AN. 24.

CONSTANT. SOL. AN. 6.

I. CONST. IMP. RELICTA LEGITIMA VXORE, ALIAM SVBINTRODVCIT.

ANno Christi septingentesimo nonagesimo quinto, Indictionis tertiæ, Constantini Imp. sine matre regnantis sexto, idem Aug. ardore libidinis, abdicata mense Ianuario, & monasterio inclusa Maria legitima coniuge, eo falso prætextu quasi ea vitæ ipsius insidiata esset, mense Augusto *Theodotem* cubiculariam ducens Augustam coronauit. Ex quo scelere magnæ sunt in ea Ecclesia inter Catholicos conflatæ discordiæ; aliis turpi adulatione illud approbantibus, aliis vero magnopere detestantibus, qui eius rei causa persecutionem sunt passi. Fuerunt inter istos præcipui, magni illi Abbates Plato, & Theodorus Studita, Orientalis Ecclesiæ lumina: qui quod Imperatorem acerrime de eo scelere redarguissent, immo & Theodorus (licet sanguine coniunctus Theodotæ) eundem publice excommunicatum pronuntiasset; Plato quidem carcere inclusus, Theodorus vero cum pluribus aliis monachis, sæve admodum flagellatus, & in exilium pulsus est: qui & de his omnibus per literas & tabellarios certiorem reddidit Romanū Pontificem, à quo ob rem præclare gestam laudari meruit; & suo exemplo plurimos alios vicinarum prouinciarum monachos atque sacerdotes commouit ad anathematizandum eodem modo Imperatorem; cum iam vbique qui cum potestate aliqua præerant ciuitatibus, eius impuritatem sectantes, vxoribus electis alias inducerent, & omnia libidinibus implerent.

INDE A MVLTIS ANATHEMATIZATVR.

II. TARASIVS CONST. EPISC. QVID IN HOC CERTAMINE.

Restitit quoque Imperatoris conatui viriliter Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, etiam vsque ad comminationem excommunicationis; adeo, vt nulla arte adigi potuerit consentire expulsioni Mariæ, & nuptiis ac coronationi Theodotes. Verum cum hæc per alium presbyterum Iosephum nomine, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomum, peragi curasset Imperator; graui angustia pressus Tarasius, veritus ne nimis exasperando Imperatoris animum, (minantis iam, se maiorum exemplo sacras Imagines exturbaturum) faceret eum desertorem fidei Catholicæ, & persecutorem Ecclesiæ; sic illum erroris redarguit, vt tamen Ecclesiæ communione non priuauerit. Qua de causa, & quod non illum qui adulteram coronasset, ab Ecclesia abiecisset, idem S. Plato, aliique nonnulli monachi, ab eiusdem Tarasii communione abstinuerunt. Hæc summatim ex iis quæ abunde hac de re tradunt Theophanes in Annalibus Græcorum, prædictus Theodorus Abbas Studita in Rebus gestis S. Platonis, Michael monachus Studita in Actis eiusdem S. Theodori, atque Ignatius itidem monachus in Vita Tarasii.

III. Quod ad res Occidentales pertinet; hoc eodem anno, septimo Calendas Ianuarii, cœpta iam à mense Septembri Indictione quarta, *Hadrianus* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum sedisset annos viginti tres, menses decem, dies septemdecim, sepultusque est in basilica S. Petri. Cuius diuturnior sedes quam felix fuerit rerum temporalium prosperitate, atque etiam virtute Euangelicæ Crucis, (cum videlicet Rom. Ecclesia sub Principibus Christianiss. eidem obsequentibus, eandemq; defendentibus, locupletantibus, & in omnibus venerantibus, floruit, aucta noua sobole conuersorum ad fidē Infidelium populorū, vendicata à Longobardorum perfidia, & protecta à superba Græcorum & illis cohærentium violentia, docent quæ diximus suis locis. Dicenda quoque plura, si superessent quadraginta quatuor ipsius Hadriani Epistolæ ad Carolum Magnum scriptæ, aliæque item ad alios datæ, quarum breuissima tantummodo argumenta *a* continet ille Codex, cuius in Paulo meminimus. Quem etiam præter alia scripta de quibus dictum est superius, constat collegisse Conciliorum volumen, illudque misisse ad eundem qui petierat Carolum, præfixa præfatione, & epigrammate acrostichicis versibus. Estque præterea auctor Ioannes Diaconus, ab eodem Pontifice ex epistolis S. Gregorii Papæ duos conscriptos libros. De munificentia vero eius, tum in profundendis erga pauperes eleemosynis, tum in reparandis atque magnificentissime ornandis cunctis Vrbis Ecclesiis ac Cœmeteriis, necnon in restaurandis muris & aquæductibus eiusdem ciuitatis, prorsus mira habet Anastasius; è quibus non omittendum de *Candelabro* in modum Crucis formato, quod pensile posuit ante presbyterium Ecclesiæ S. Petri, in quo suis distinctis locis apponi poterant mille trecentæ septuaginta candelæ: constituitque, vt quater in anno accenderetur, videlicet in Natali Domini, in die Paschatis, in natali Apostolorum, & in natali (hoc est die electionis) Romani Pontificis.

HADRIANI PP. OBITVS.

EIVS FELICITAS.

a Raynal. ad Baron. Annal. To. IX. hoc an. quæ partim habentur ap. Magdeb. Cent. 8. Integras vero epistolas ipsas, item plures alias huius Pontificis, edidit post obitum Baron. Iac. Gretserus Soc. Iesv, vna cum cæteris de quibus supr. an. 757 ll. in marg.

MIRIFICŪ CANDELABRVM.

Obitum eius multis lacrymis defleuit Carolus *b* Magnus, qui eum, vt patrem coluerat, & vt amicum plurimum dilexerat. Cuius etiam sepulchrum in Vaticana basilica collocatum, regio ipsemet epitaphio decorauit, quod hodieque extat pro foribus eiusdem basilicæ, & habetur descriptum apud Platinam. Sed & præterea religiosis officiis atque suffragiis eius animam prosecutus, pro ipsa longe lateque per prouincias sibi subiectas, & alias externas, erogauit eleemosynas: quas etiam in Anglia exercuisse, comperitur in epistola *c* ad Offam Merciorum Regem scripta. Quam multus enim Carolus fuerit in eleemosynis toto orbe Christiano erogandis, Eginhardus testis est oculatus; qui scribit eas ipsum transmittere solitum etiam in Syriam, & Ægyptum, atque Africam; ob hoc maxime (vt ait) transmarinorum Regum amicitiam expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus subuenire posset. Extatque titulus in eius Capitularibus *d*. *De eleemosyna mittenda in Hierusalem propter Ecclesias Dei restaurandas.*

IV.

b Eginard. in Vit. Car. CAR. MAG SOLLICITVS DE SEPVLTVRA ET ANIMA HADRIANI.

c Ext. ap. Malmesb. lib. 2. Hist. Angl. c. 14. CAROLI ELEEMOSYNÆ TOTO ORBE DIFFVSÆ.

d Capitul. l. 4 in appen. c. 31. Ap. Baron. an. 799. in fi.

Cæterum post obitum Hadriani, neque die integra Sede vacante, eadem qua is obiit, creatus est eius successor LEO huius nominis Tertius, patria Romanus, Asuppii filius, antea presbyter, qui ab infantia fuerat in Vestiario Patriarchii enutritus & educatus: vir (vt ait Anastasius) diuinis Scripturis pollens, omnique Ecclesiastica disciplina instructus, castus, mitis, facundus, & constans eleemosynarum largus, & infirmorum assiduus visitator. cuius etiam sanctitatem probat ipsa omnium consensu electio eius quam celerrime facta. Reiicitur vero quæ nulla subsistit firmitate fabella de Leone, quod sui exordio Pontificatus passus carnis incendium ob formosam mulierem eius manum exosculantem, eam ipse sibi præciderit; statueritque ne deinceps manus, sed pedes quis deberet osculari Pontificis: cum econtra ante hæc tempora reperiatur moris fuisse osculari pedes, manus nunquam; multaque alia habeat eadem fabula, quæ prorsus, vt audiatur, indignam reddant. Tribuisse vero eam alios vidimus Leoni Magno; vt sic inconstans mendacium inueniatur vbique.

V. LEO III. CREATVR;

IESV CHRISTI AN. 796.

LEON. III. AN. 1.

CONSTANT. SOL. AN. 7.

I. LEGATIO ET MVNERA A LEONE PP. AD CAROL. MAGN.

ANno Christi septingentesimo nonagesimo sexto, Indictione quarta, in ipso sedis suæ & anni huius principio, Leo Romanus Pontifex legationem ad Carolum Magnum decreuit cum muneribus, nempe Clauibus aureis ex S. Petri sepulchro ex more acceptis, atque Vexillo Romanæ Vrbis. Quæ ex re Nouatores tradunt per Claues Carolum in possessionem imperij missum Romanæ Ecclesiæ; & per Vexillum, Romanæ Vrbis. Ignorantes, eiusmodi dona à Pontificibus mitti consuetisse Christianis Principibus: vt de Clauibus testes sunt quamplurimæ sancti Gregorii, aliorum quoque Pontificum epistolæ, de quibus etiam sæpe dictum est superius: De Vexillo autem inuenies pariter inferius *a*, à Patriarcha Hierosolymitano ad eundem Carolum loco benedictionis missum Vexillum, vna item cum Clauibus locorum sanctorum. Honorasse vero Leonem Pontificem, ipsum Carolum Magnum dono Vexilli, eo quod potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ Defensor, dicere quoque possumus. Rursum autem hoc eodem anno ab ipso Christianissimo Principe Engelbertum Abbatem monasterii S. Richarii, legatum missum esse ad Leonem, ad munera deferenda quæ ex thesauro Hunnorum erepto idem Rex fuerat consecutus, Annales Francorum affirmant, de quo bello dictum est superius.

a An. 800. V.

II. Quo item anno missa pariter est legatio ad eundem Leonem Pontificem ex Britannia à Rege Merciorum Kemulfo Offæ successore, tam suo, quam Episcoporum, atque magnatum, totiusque populi regni sui nomine, cum literis *b*: quibus respondens Pontifex, concessit quæ petierant circa diœceses illius Regni.

b Dicetis. anglo. antiquat. l. 2. c. 18.

IESV CHRISTI AN. 797.

LEON. III. AN. 2.

IREN. iter. AN. 1.

I CONST. IN PROCOPATIO. ET OBITVS.

ANno Domini septingentesimo nonagesimo septimo, Indictione quinta, mense Iulio Constantinus Imp. infidus matris Irenes tentus in palatio Porphyra, vbi & natus erat, orbatus est oculis; vnde mox subsecuta est mors: quod pluribus describit Theophanes. Eo vero defuncto, (in quo & genus Copronymi prorsus extinctum tradant; cum patruelis quem impie genuerat ex pellice, puer Leo nomine iam ante ipsum Calendis Maii huius anni mortuus esset) in matrem rursum imperium est deuolutum. Addit Theophanes, obtenebratum tunc esse Solem per dies decem & septem, ita vt errarent naues maris; omnesque dicerent propter obcœcationem Imperatoris Solem obcœcatum radios suos retraxisse. Verum nonnisi irato in eum numine, vindictam exstitisse de fuso ab eo innocentium sanguine, facta hæc esse idem auctor asserit. Plane *a* scelus esset omnino execrandum in matre, talia in filium committente; nisi (quod multi excusant) iustitiæ eam zelus impulisset, quo nomine eadem post hæc meruit à plerisque eius temporis Orientalibus viris sanctissimis commendari. Quomodo vero ita è medio sublato Constantino, qui ab eo fuerant aut carceribus inclusi aut in exilium deportati, & inter eos eminentes Plato & Theodorus Archimandritæ, gloriosissime restituti sint, ac Constantinopolim aduenientes, Tarasio eiusdem ciuitatis Patriarchæ (post quam Iosephum presbyterum Theodotes pellicis coronatorem depositisset) reconciliati fuerint, indeque ad sua se monasteria receperint; atque ita pax reddita fuerit vniuersæ Ecclesiæ: ista omnia pluribus narrant ipse Theodorus in Vita Platonis, & Michael æque monachus Studita in Rebus gestis eiusdem Theodori.

SOLIS OBTENEBRATIO.

PAX REDDITA ECCLESIÆ.

a Hunc pessimum habet Baron. sua. ut vidit vbi agit de parricidio a matre in filium.

In Occidente vero Barcinona Hispaniæ ciuitas, quæ à Francis defecerat, per Zatum Saracenorum Præfectum Carolo Magno reddita est. Cum & Habdalla Saracenorum Princeps in Africa à fratre pulsus ad eundem Carolum confugit, qui eum cum filio suo Ludouico in Hispaniam proficisci iussit. Quo anno pariter res bellicæ eidem Carolo prospere successere. Cum autem degeret Aquisgrani, suscepit legationem à Constantino Imp. antea missam; sed eius audita nece, omnia vana cessere.

II.

IESV CHRISTI AN. 798.

LEONIS III. AN. 3.

IREN. iter. AN. 2.

I.

ANno Domini septingentesimo nonagesimo octauo. Indictione sexta, in Oriente Arabes Saraceni sub Duce Habdimelech, cum petenti pacem Irenæ Imperatrici negassent, infesto agmine progressi Constantinopolim vsque, eius suburbia depredati sunt, onustique spoliis abierunt. Hæc Theophanes pluribus. Eorum vero occasione factum est, vt Theodorus Archimandrita, de quo sæpe dictum est superius, quo ab horum infestatione monachos sibi subditos saluos redderet eosdem Constantinopolim duxerit, atque amplissimum Studii monasterium, iam diu à monachis paratum frequentatum, habitare cœperit; vnde & *Studitæ* cognomen consecutus est. Rem gestam Michael his præsens, vnusque ex illis monachis narrat: qui & numerum monachorum ad decem peruenisse centenaria affirmat & occasione laboris operum manuum singulis præscriptorum, descriptionisque librorum ab ipsis fieri solitorum, agit de scriptis eiusdem Theodori, (præter libros quinque Epistolarum ad diuersos) quæ tam metro quam soluta oratione aduersus hæreticos Iconoclastas, & ad monasticas regulas, aliasque res Ecclesiasticas spectantia edidit: quæ quidem magna ex parte desiderari videntur.

THEOD. STVDITA CONSTANTINOPOLIM SE RECIPIT.

II. Misisse hoc item anno Irenem Augustam Legatos ad Carolum Magnum, veteres tradunt Annales Francorum; auditosque ab eo Aquisgrani ac redditum illis, quem peterent, Stilmmum fratrem Tarasii Patriarchæ olim in bello captum. Quo pariter anno (vt vetus habet Chronicon à Pithœo editum) Hadosuns, siue Adefontus, aut Alfonsus, cognomento Castus, Galliciæ & Asturiæ Rex, per Legatos Papilionem miræ pulchritudinis, & ex purpurea Vlyssippona insignia victoriæ suæ, loricas, mulos, captiuosque Mauros, eidem Carolo misit; quocum magna ei intercesserat necessitudo, vtroque Rege pietate insigni.

MVNERA ALFONSI CASTI AD CAROL. MAG.

IESV CHRISTI AN. 799.

LEONIS III. AN. 4.

IREN. iter. AN. 3.

I.

ANno Christi septingentesimo nonagesimo nono, Indictione septima, nepotes Hadriani Romani Pontificis, Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius Ecclesiæ Romanæ inuidia tabescentes ob Leonis electionem, cum septimo Calendas Maii idem Leo Papa solemni ritu Litanias Maiores cum vniuerso Clero ac Populo celebraret, in ipso itinere armati cum suis sequacibus occurrentes ante monasterium SS. Stephani & Siluestri, populum inermem exturbarunt. Leoni vero crudeliter cæso oculos eruerunt, & linguam præciderunt; eundemque intra Ecclesiam monasterii tractum, ante ipsum altare plagis diuersis prosciderunt, ac semiuiuum custodiæ tradiderunt. Sed cum rursum inde

QVAM EXECRANDA IN LEONEM PP. COMMISSA.

noctu

noctu in monasterium S. Gerasimi ad arctiorem custodiam ductus esset, accidit eadem nocte ingenti diuino miraculo, per intercessionem SS. Apostolorum, vt visum receperit, & lingua ei restituta fuerit. Quapropter inde suorum quorundam industria clam in Vaticanum abductus, mox cooperantibus Legatis Caroli Magni, ab Spoletano Duce Winigiso, qui repente cum exercitu aduenerat, ductus Spoletum, paucis post diebus ad eundem Regem Christianissimum properauit: à quo honorificentissime Paderburnæ in Saxonia susceptus, post aliquod tempus cum amplissimo Francorum Antistitum & Optimatum comitatu, Romam rediit in fine mensis Nouembris.

RECVRRIT AD CAR. MAGN.

II.

Rem autem gestam, præ sceleris immanitate declamato vbique facinore, tam Occidentales quam Orientales Historiarum scriptores sunt prosecuti; quam exactius describserunt veteres Francorum Annales, & Anastasius. Sed fuit eadem tunc carmine egregie scripta ab Alcuino, (vt stylus arguit) nuper vero edita *a*; in qua nonnulla habentur quæ prætermissa noscuntur ab aliis, quorum delecteris sicut veritate, ita & rerum tunc temporis varietate. Porro constat habitam Romæ à delegatis Caroli Magni quæstionem de iis qui tam enormia scelera perpetrassent; capitisque in eos sententia lata, ipsius Pontificis petitione exilio duntaxat mulctatos esse. Verum huius causæ cognitionem plerique in sequentem annum referunt, postquam Carolus Romam venit; quando & actum est de quibusdam criminibus, ab iisdem pestiferis viris Leoni obiectis.

a Ap. Canis. antiq. Lect. Tom. I.

IESV CHRISTI AN. 800.

LEONIS III. AN. 5.

IREN. iter. AN. 4.

I.

CAROLI MAGNI ADVENTVS IN VRBEM.

ANno Christi octingentesimo, Indictione octaua, Carolus Magnus, celebrato Paschali festo apud Cētulum, seu Centulam, in Abbatia S. Richarii, per litus Oceani veniens Rotomagum, inde per Sequanam & Ligerim profectus est Turonos ad sepulchrum S. Martini orationis causa: vbi & defunctam pridie Nonas Iunii Luitgardem coniugem, piam valde fœminam, sepeliuit. Post hæc habuit *Conuentum* generalem *Moguntiæ*: inde Italiam versus iter arripiēs, vt Romanam Ecclesiam impiorum factionibus perturbatam, in securitatem pristinam restitueret; cum Rauennam peruenisset, præmisso exercitu cum Pipino filio aduersus Beneuentanos in Romanam Ecclesiam tunc infestos, ipse Romam pergens, obuium habuit apud Numentum, ipsum Leonem Papam; & ab eodem mox in Vrbem reuerso honorificentissime summa omnium gratulatione exceptus est octauo Calendas Decembris. Post aliquot vero dies, inquisitione facta de criminibus quæ Leoni Pontifici ab aduersariis obiecta erant, cum nullus ea probaret, ipse Pontifex coram omni populo, in basilica S. Petri Euangelium ferens, ambonem conscendit, inuocatoque S. Trinitatis nomine, de illis se iureiurando purgauit. Hæc ex Annalibus sub Ludouico Caroli filio scriptis, & ex aliis à quibus vita eiusdem Caroli contexitur.

II.

LEO PP. IVRAMENTO SE PVRGAT A CRIMINIBVS OBIECTIS.

Quomodo autem Leonis Papæ causa tractata fuerit, accuratius narrans Anastasius, ait Carolum Magnum congregasse in Ecclesiam S. Petri Antistites omnes Italiæ & Franciæ, necnon Optimates Francorum & Romanorum, vt crimina eidem Pontifici obiecta examinarentur. Omnes vero Antistites vno ore dixisse; *Nos Apostolicam Sedem, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo iudicamur; ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed sicut ipse Summus Pontifex consuetuit, iubeat, canonice obediemus.* tuncque Leonem ambone ascenso, coram omnibus se iureiurando super sancta Euangelia ab obiectis purgasse; idque factum esse Idibus Decembris. Cuius quidem purgationis, totidem verbis concepta formula habetur in libro sacrorum Rituum Romanæ Ecclesiæ, quē vetustas Romanum ordinem appellauit, his verbis; *Ego Leo Pontifex S.R.E. à nemine iudicatus, neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me præsentibus vobis coram Deo & Angelis eius, qui conscientiam nouit, & B. Petro Principe Apostolorum in cuius conspectu consistimus, neque sceleratas res quas mihi obiiciunt perpetrasse, neque perpetrari iussisse; Deum testans, in cuius iudicium venturi sumus, & in cuius conspectu consistimus. Et hoc facio non legibus vllis obstrictus, neque hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis, & fratribus Coepiscopis imponere cupiens; sed vt certius iniquis vos suspicionibus liberem.*

III.

CAROL. MAGNVS CORONATVR IMPERATOR.

Cæterum qui annos Redemptoris à Natali die Domini auspicari sunt soliti, in sequentem Christi annum octingentesimum primum reiiciunt coronationem Caroli Magni in Imperatorem quæ ipso die Natali Domini facta est: qui autem a Calendis Ianuarii initium anni sumere consueuerunt, (vt & nos facimus) hoc anno Domini octingentesimo ipsam ponunt. Nam quod Theophanes factam scribit ipsis Calendis Ianuarii, Latinos omnes aduersantes habet. Porro de ipsa agens Anastasius, ait Natali die Domini in Ecclesiam B. Petri vniuerso Clero, & Populo, atque Optimatibus congregatis, dum ante Confessionem B. Petri ab oratione Carolus surgeret, Leonem Pontificem propriis manibus coronam Imperialem eius capiti imposuisse, & Imperatorem Romanorum pronuntiasse: tuncque vniuersos adstantes vna voce ter acclamasse, CAROLO PIISSIMO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO, IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA: & mox eundem Pontificem vnxisse eum oleo sancto. Nec omisit Imperator iuramento tunc se obligare Romanæ Ecclesiæ defensorem: quod iusiurandum iisdem verbis concipi à posteris etiam solitum, ita relatum habetur in eo quem diximus libro sacrorum Rituum *a*; *In nomine* CHRISTI *spondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore huius S.R.E. in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero poteroque.* Porro dum agit de eadem coronatione Einhardus *b*, seu Eginhardus, qui affuit, eam confectam affirmat non solum ipso Carolo nihil præsciente; sed etiam adeo aduersante, vt diceret se eo die, quamuis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si consilium Pontificis præscire potuisset.

IVRAMENTVM CAROLI MAGNI.

Haud vero ipse tantum Eginhardus, aut Anastasius, de collata per Leonem Romanum Pontificem Imperiali dignitate Carolo Magno sunt testes; sed & fatentur id ipsum (vt vno verbo dicā) Latini omnes & Græci auctores. Quod autem eiusmodi Translatio Imperii ab Oriente in Occidētem, vbi posthac semper steterit & hactenus perseuerat, diuino consilio facta fuerit magno Reip. Christianę emolumento, & Imperii Orientalis desolatio, & alia euenta satis superque demonstrarunt. Nec vero id potuisse conuenientius fieri quam per Romanum Pontificem, totius Christianæ religionis Antistitem, & summum Ecclesiæ Catholicæ visibile caput, pastoremque vniuersi gregis Christi: nec decentius quam in Carolum Magnum, Regem totius Occidentis potentissimum, eundemque Christianissimum, piissimum, iustissimum, fortissimum, doctissimum, de Religione Christiana, Ecclesia Catholica, Sede Apostolica, statu publico, semper in omnibus optime meritum: nec denique opportuniori tempore, quam cum iacerēt absque possessore iura Occidentalis Imperii, & periculum immineret ne ciderent in schismaticos Principes à fide Catholica extorres, aut in Christianæ religionis infensissimos hostes Saracenos: nemo prudens & rerum æquus æstimator, non affirmabit; nec inficias ire poterit, totum id Dei opus fuisse, eiusque mirabili consilio sapientissime dispositum. Quæ vero Carolus, post coronationem suam, ingentis pretii donaria obtulerit præcipuis Vrbis basilicis, addit Anastasius superiori narrationi.

IV.

[De huiusmodi Translationis Imperii conuenientia, deque Sedis Apostolicæ, Romanique Pontificis ea in re auctoritate, fuse agit Baronius hoc anno, refutans etiam quæ aduersis eam scripserunt Nouatores; ac nihilominus Lectorem remittens ad copiosiorem Tractatum, quem de his conscripsit Bellarminus aduersus Illyricum & alios Centuriatores. Qui quidem Tractatus cum ab aliis postmodum impugnatus fuerit, fuit rursum & ipse propugnatus a Iac. Gretf. Tom. II. Defens. Bellarm.]

a [Impugnauit hoc iuramentum, tanquam esset fictitium, Goldastus: sed refellit eius ineptias Gret. c. 4. Apologiæ Bar. de qua diximus ad ann. 774 post num. IV.

b Egin. in Vit. Carol. Mag.

V. CLAVES S. SEPVLCHRI ET CIVITATIS HIERVSALEM MISSÆ AD CAR. IMP.

Eodem autem die quo Leo Pontifex coram populo se purgauit, Zacharias presbyter, quem Carolus Magnus ad loca sancta Hierosolymam cum amplis eleemosynis miserat, Romam rediit cum duobus monachis, quos Ioannes tunc Patriarcha Hierosolymitanus ad eundem Carolum direxit: qui benedictionis causa Claues sepulchri Dominici ac loci Caluariæ claues etiam ciuitatis ac montis Oliueti cum Vexillo detulerunt. Hæc ex Annalibus Francorum in Vita Caroli Magni. De quibus monendus lector; cum sit de Carolo scriptum, eum recuperasse Terram Sanctam, quia eiusmodi claues recepit; errorem ex eo natum esse, vt id factum armis dixerint alii. Sed nonnisi donatione Regis Saracenorum Aaronis id euenisse, iam superius ex Eginhardo dictum est.

VI. c *Agob. con. opin. vulg. de grano & semin. in fi.* DE PVLVERE SPARSO AD INTERFICIENDA PECORA.

Sed & hoc eodem anno, quo expeditio Caroli Magni aduersus Beneuentanos viguit, contigit quod Agobardus c Archiepiscopus Lugdunensis narrat, disseminatam esse in Galliis quandam stultitiam, cum esset mortalitas boum, vt dicerent Grimoaldum Ducem Beneuentanorum transmisisse homines cum pulueribus, quos spargerent per campos & montes, prata & fontes, eo quod esset inimicus Carolo, & de ipso sparso puluere boues morerentur: ac propter eam causam multos comprehensos fuisse, & aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen proiectos; quos ita diabolus excæcasset; vt ipsi sibi essent testes fallaces ad mortem, asserentes se habere talem puluerem, & spargere. Hæc Agobardus; qui admiratur vulgi stoliditatem, credentis fieri potuisse tum, vt tantus puluis per tam dissitas regiones portaretur, tum vt eo soli boues morerentur, non etiam cætera animalia.

IESV CHRISTI AN. 801.

LEONIS III. AN. 6.

CAROLI MAG. AN. 1.

IREN. iter. AN. 5.

I. TERRÆMOTVS INGENS IN ITALIA.

ANno Domini octingentesimo primo, Indictione nona, (vt habent Annales Francorum in Vita Caroli Magni) pridie Calendas Maii, hora noctis secunda, terræmotus maximus factus est, quo & tota Italia grauiter concussa est, & nonnullæ vrbes atque montes corruerunt. Meminit quoque eiusdem terræmotus Anastasius, aitque eo concussam esse ecclesiam B. Pauli Apostoli: quam Leo Papa in meliorem statum redegit; tantisque eam, sicut & alias Vrbis Ecclesias ornamentis atque donariis ditauit, vt stuporem afferant legentibus quæ de iis in Vita ipsius narrat Anastasius.

II. a *Sigon. lib. 4. Reg. Ital. hoc an.* PROMVLGATIO LEGVM CAR. MAG.

Hoc eodem anno Incarnationis Domini octingentesimo primo, Indictione nona, regni Caroli in Francia trigesimo tertio, in Italia vigesimo octauo, Consulatus autem siue Imperii primo, editæ reperiuntur a eiusdem Imperatoris Caroli Leges, quæ Mutinæ adhuc legi dicuntur: quibus quidem (vt ait ipse in præfatione, quæ eisdem apposita legitur) ea quæ in legibus Longobardorum prætermissa essent, iuxta rerum ac temporum considerationem addere curauit. De quibus etiam agens Eginhardus, ait Carolum post susceptũ Imperiale nomen, cum aduerteret multa legibus populi sui deesse, cogitasse quæ deerant addere, & discrepantia vnire, atque praua corrigere: verum in his nihil aliud ab eo factum esse, quam quod pauca capitula legibus addiderit; omniumque nationum quæ sub eius ditione erant, iura quæ scripta non essent, literis mandari fecerit.

III. b *Dist. 19. c. 3. Extat etiam in Concil. Tribur. c. 30.* SENTENTIA CAROLI DE OBEDIENTIA EXHIBENDA SEDI ROM. *c. 11. q. 1. c. volumus 37. Extat integrum in Capitul. Fran. lib. 6. c. 281.* QUANTÜ DETVLERIT FORO ECCLES. *Qua de re vide Gretz. lib. 2. Defensionis Apol. Baron. cont. Gold. Repli. c. 24.*

Porro numerant viginti tria capita legum Caroli Magni, quorum duo reperiuntur recitata à Gratiano; nempe vnũ b de iis, qui vtuntur literis falsis Romani Pontificis; vbi auream illam sententiam inter alia posuit: *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiastica magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas; vt licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus, &c.* Quod ipsum capitulum recitatum etiam habetur in Concilio Triburiensi. Alterum vero caput est c de Episcoporum Iudiciali Foro; cui quantum Rex & Imperator pius, exemplo Theodosii Aug. detulerit, docet ipse legis contextus, qui omnibus patet. Hæc porro tanti Principis statuta audiant, & erubescant illi qui eis penitus aduersarias leges condunt; timeantque, nequando, si ista facere perseuerant, Deus vindex exurgens virga furoris ferrea tanquam vas figuli confringat eos: atque exemplo Caroli discant, ex obedientia erga Sedem Apostolicam, & obseruantia legum Ecclesiasticarum, Regna & Imperia propagare, ac firmiter stabilire. Cæterum quem parcissimum vidimus in nouis condendis legibus, idem in veteribus restituendis multus fuit; colligique iussit centum sexaginta octo capitula Legum Ecclesiasticarum ex sacrosanctis Conciliis atque decretis Summorum Pontificum, vt per ea in Ecclesia disciplina vigeret: vbi & imitanda animi summissione, *deuotum* se indigitat *sanctæ Ecclesiæ defensorem, humilemque adiutorem*; excusatque non se præscribere leges Episcopis, sed admonere vt ipsi paternas sanctiones custodiri facerent.

IV. S SALVII EPISCOPI ENGOLISMENSIS MARTYRIVM.

Hoc eodem anno ponit Sigebertus martyrium *S. Saluii* Engolismensis Episcopi, qui prædicationis Euangelicæ causa cum *Superio* socio Valentianas progressus, ibi martyrium cum eodem socio suo consecutus est. Quorum corpora in stabulo iumentorum defossa, (Beati quidem Saluii subtus, & comitis ex transuerso in formam Crucis) taurus à reliquis animalibus, & ab immunditia conseruauit: visaque sunt etiam à diuersis luminaria in stabulo. De quibus ter ab Angelo diuinitus admonitus Carolus Imp. vt eorũ corpora quæreret; idem illa ex manifestis indiciis inuenta, in Ecclesiam S. Martini transtulit, vbi vlque hodie signis & miraculis coruscant: interfectores autem eorum graui pœna mulctauit, quos & magis vltio diuina persecuta est. Hæc Sigebertus in Chronico, & Molanus in natalibus Sanctorum Belgii.

V. IRENE AVG. RELAXAT TRIBVTA.

De rebus autem Orientalibus anni huius, illud visum magni momenti, quod Theophanes ait Irenem piam Imperatricem Constantinopoli ciuilia remisisse tributa. quod quidem quanti momenti fuerit, cum antea omnis generis mercatores, opifices, agricolæ, aliique eiusmodi homines grauissimo premerentur onere; docet epistola d Theodori Studitæ gratulatoria, tuncad eandem Augustam scripta.

d *Theod. Stud. l. ep. 7.*

IESV CHRISTI AN. 802.

LEONIS III. AN. 7.

CAROLI MAG. 2.

NICEPHORI I.

I.

ANno Christi octingentesimo secundo, Indictione decima, missi sunt (inquit Theophanes) Constantinopolim legati à Carolo Magno Imp. & à Leone Romano Pontifice ad Irenem Augustam, pro pace & perpetua concordia ineunda. Fuisse autem missos Legatos, Iesse Episcopum Ambianensem, & Elinigaudium Comitem, Ado tradit anno sequenti, de eorum reditu agens. Auctorque est Zonaras, Carolum expetiisse coniugium Irenes, ipsamque minime abhorruisse. Porro quasi Legati aduenissent, non ad cõciliandas nuptias, sed ad spectandam tragœdiam; omnia sub eorum oculis continuo mutata sunt: nam Constantinopoli cum adhuc essent, pridie Calendas Nouembris (cœpta iam à mense Septembri Indictione vndecima) NICEPHORVS Patricius & Logotheta generalis, ingenti perfidia atque ingratitudine tyrannidem arripiens, ipsam Irenem in ordinem redegit, & in exilium in insulam Lesbum deportauit. quam rem gestam exacte descripsit Theophanes.

IRENE DEPONITVR, NICEPH. IMPERAT.

II.

Post quæ Legati Caroli, acceptis à Nicephoro nouo Augusto literis pacis, Constantinopoli recesserunt vna cum aliis Legatis ipsius Nicephori, nempe vno Episcopo ac tribus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Abbatibus : peruenerúntque omnes anno sequenti ad Carolum in Germaniam: vbi rursum firmata pace, iidem Legati Nicephori Constantinopolim reuersi iunt; vt narrant Ado, & alii anno sequenti. Quod vero ad fidem Nicephori spectat; Catholicus licet haberetur, tamen ter impius semper apparuit; quod scilicet (vt Theophanes est auctor) fateretur Iconoclastis probaret Manichæorum hæresim, derideret colentes diuina mandata, sacra vt profana haberet, Ecclesiasticam immunitatem pessumdaret, maximeque auersaretur Romani Pontificis communionem: præter impietatem de iis quæ pertinent ad politicum statum.

Nicephi. Imp. omni ex parte impius.

Interea in Occidente hoc pariter anno celebrata reperitur SYNODVS ALTINENSIS ab Episcopis eius prouinciæ, præsidente ipsi *Paulino* Patriarcha Forojulienſi, siue Aquileiensi, à quo scripta extat *a* Synodalis epistola ad Carolum Magnum Imperatorem. Causa autem celebrandæ Synodi, fuisse videtur immane scelus à Ioanne Duce Venetorũ perpetratum; cum in Gradensem furens Patriarcham nomine pariter Ioannem, oppido vi capto, eundem è turri præcipitem dedit, alioſque eiusdem Ecclesiæ sacerdotes interemit; quod videlicet idem Ioannes Patriarcha Christophorum quendam hominem Græcum rogatu Tribunorum Venetiarum excommunicasset, quem Ioannes Dux in gratiam Nicephori Imp. Episcopum constituisset Vliuolensem. Hæc quidem produnt Annales Veneti. Paulini vero studium Carolum Magnum implorantis, illud fuisse videtur, vt eum aduersus Venetos in vltionem tanti sceleris prouocaret. Quem quidem Paulinum paulo post hoc ipso anno defunctum esse, habent veteres Annales Franciæ à Pithœo editi: eundemque dum vixit, & post mortem miraculis claruisse, in monumentis Aquileiensis Ecclesiæ legitur.

III. CONCIL. ALTINENSE OB CÆSVM PATRIAR. GRADEN. *a Bar. Baron. Tom. IX. ann.*

DE PAVLINO PATRIAR. FORIVL.

Laudatissimus plane ac doctissimus vir; cui cum Albino Flacco huius sæculi face summã intercessisse familiaritatem, testantur plures quæ adhuc extant *b* eiusdem Albini ad eum scriptæ epistolæ. Fuisse vero ante Patriarchatum artis Grammaticæ professorem, eundemque Carolo Magno carum, declarat ipsius Caroli diploma quo ei nobilem villam Laberianum donauit, quod est in eius Vita descriptum. Docuisse namque Grammaticam hoc sæculo etiam homines Ecclesiasticos, constat ex Eginhardo *c* & Lupo *d* Abbate Ferrariensi, huius temporis auctoribus. Quo quidem nomine plurimum Carolo Magno debet hoc sæculum, quod bonas literas penitus collapsas restituit; vt inter alios testes sũt idem Lupus, ac Ionas *e* Aurelianensis Episcopus. Traditq; Angesisus *f* Abbas, & confirmat Concilium *g* Cabilonense, eundem Imp. constituisse in singulis monasteriis & Episcopiis, studia Grammaticæ, Musicæ, & Arithmeticæ. His addunt alii, Parisiis tunc Scholas publicas erigi cœptas, atque studio successorum Regum præ cæteris maiori claritate fulsisse. Sed & constitutas esse Scholas literarum Latinarum & Græcarum in Ecclesia Osnaburgensi in Saxonia, vt ad vsum legationum in Orientem mittendarum pueri erudirentur; constat ex priuilegio *h* ab ipso Carolo eidem Ecclesiæ concesso.

IV.

b Tom. I. antiq. Lect. Canis. ep. 59 & seqq.

c Egin. in Vit. Carol.

d Lup. ep. 1.

BONÆ LITERÆ A CAROL. MAG. RESTITVTÆ. *Aurel. præf. Comment. in Cland. Taurin.*

e Angel. lib. 1. Capitul.

f Concil. Cabil. c. 3.

g Ext. ap. Cranz. hist. Saxon. lib. 1. c. 2.

IESV CHRISTI AN. 803.

LEON. III. AN. 8.

CAROLI MAG. 3.

NICEPHORI 2.

I. DE REB. IMPERII ORIENTALIS.

ANno Christi octingentesimo tertio, Indictione vndecima, mense Augusto, mortua est in exilio Irene Augusta, ærumnis confecta, Nicephori tyranni sęuitia; qua etiam plurimi alii viri illustrissimi perempti sunt. Sed & mense Iulio *Bardanes*, cognomento *Turcus*, Præfectus Orientis, inuitus ab exercitu Imperator acclamatus, eo mox nomine deposito monasticum habitum susceptt: quem nihilominus paulo post contra fidem datam Nicephorus luminibus priuauit; qui vero ipsi adhæserant omnes principes puniuit, exercitumque ipsum exauctorauit. Præterea STAVRATIVM filium suum, Augustum coronari per Tarasium Patriarcham fecit; quamuis esset inutilis modis omnibus ad tantam dignitatem, tam aspectu, quam robore & sensu. Denique idem Nicephorus mense Augusti aduersus Arabes pugnans, posteriores tulit; vixque à discrimine vitæ per suos ereptus est. Ista omnia pluribus Theophanes hoc anno.

IESV CHRISTI AN. 804.

LEON. III. AN. 9.

CAOLI MAG. 4.

NICEPHORI 3.

I. DE SANGVINE CHRISTI REPERTO APVD MANTVAM.

ANno Domini octingentesimo quarto, Indictione duodecima cum esset Carolo Magno nuntiatum, CHRISTI Sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum, petiit ipse à Leone Papa, vt huius rei veritatem inquireret. Qui Mantuam hac religiosa occasione aduenions, inde quoque Imperatorem in Gallias conuenit: cum quo Natali Domini in villa Carisiaco celebrato, indeq; Aquisgranum cum eodem progressus, non multos post dies Romam rediit, honorificentissime ab Imperatore susceptus, atque dimissus. Hæc summatim Annales Francorum in Vita Caroli per singulos annos digesta. Sed quod ad Sanguinem Christi pertinet; re multum examinata, inuentus est & cõprobatus de illo fuisse, qui ex Christi corpore fluxit tempore Passionis eius; non autem de illo qui Beryti (vt vidimus) ex sacra Crucifixi Imagine fluxerat. De qua veritate extare dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontificum; vt de his non sit amplius dubitandum.

II. RES GESTÆ A LEONE PP. IN GERMANIA. *a Ext. ap. Sur. 1. Mar. in Append. ad Vit. verb.*

Quod vero spectat ad res gestas à Leone in Germania; prolixe de iis agens qui præsens adfuit, S. Ludgerus primus Monasterienſis Episcopus in epistola *a* ad Nixfridum Episcopum Traiectẽsem, tradit eum in Germaniam aduenisse cum magna solemnitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum, & Primatum, atque ab Imperatore Imperialiter cum suis susceptum, inter multa pietatis suæ opera, tum Aquisgrani in Palatio, tum in plerisque aliis Galliæ & Germaniæ locis, Ecclesias & altaria consecrasse, & vbique Indulgentias eis contulisse. Sed & Werdam cum Imperatore accedentem, eiusdem rogatu *B. Svuibertum*, post lectam ipsius sanctissimam Vitam, innumeraque miracula, postque actas preces ac celebrata ieiunia; de consensu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, solemni ritu inter sacratissimum Missæ officium, sanctorum Confessorum catalogo adscripsisse pridie Nonas Septembris; & instituisse illum diem ab incolis festiue celebrãdum, atque ad diuina confluentibus Indulgentias concessisse: denique multa ab ipso Carolo Imperante singulis adstantibus dona oblata esse ad conficiendam pretiosam capsulam, in qua Sancti Reliquiæ collocarentur. Habet insuper de puero nepote Archiepiscopi Colonienſis tunc aquis submerso, & virtute eiusdem S. Svviberti in vitam reuocato. Ex his autem omnibus corrigendi videntur Francorum Annales dum afferunt Leonem hac peregrinatione nonnisi octo dies apud Carolum mansisse: neque enim tot & tanta quæ Ludgerus recenset, intra adeo breue temporis spatium peragi potuisse putantur.

CANONIZATIO S. SVIBER.

Hoc item anno (vt scribit Odorannus monachus Senonensis in suis Annalibus) Alcuinus, qui & Albinus cognomento Flaccus, de quo plura superius, idemque Abbas S. Martini Turonensis ciuitatis à Carolo Magno constitutus, ex hac vita migrauit; idque decimoquarto Calendas Iunias, vt traditur in ipsius epitaphio *b*. De cuius scriptis meminit Sigebertus anno Domini septingentesimo nonagesimo, pariterque Honorius Augustodunensis, sed copiosius Helinandus; de quibus & nos iam supra diximus. Sed quod ad

III. ALCVINI OBITVS, ET ÆTAS. *b Ext. antiq. Lect. Canis. To. VI.*

ipsius

ipsius ætatem spectat; eundem adhuc longe post hæc tempora fuisse superstitem, quæ de eo inferius asserentur, affirmare nos cogunt contra Odorannum. Verum cum ex his rursum maximæ insurgant difficultates, (quandoquidem si idem ipse est, quem superius diximus fuisse æqualem Bedæ, plane asserendum esset, ipsum ferme centum quinquaginta annos vixisse) illud potius asseruerim, aut illum Albinum cuius meminit Beda, alium omnino fuisse diuersum ab eo qui vixit sub Carolo Magno; aut vero non omnia quæ tribuuntur Albino, eius esse.

IESV CHRISTI AN. 805.

LEON. III. AN. 10.

CAOLI MAG. 5.

NICEPHORI 4.

I. NICEPH. IMP. TRIBVTVM SPONDET PRINCIPI SARAC.

ANno Christi octingentesimo quinto, Indictione decima tertia, Aaron Princeps Saracenorum aduersus Nicephorum Imp. duxit exercitum trecentorum millium armatorum: cui non valens resistere Nicephorus, pactus est dare illi tributum annuum tricenorum millium numismatum, & tria millia numismata in tributum capitis Imperatoris, & tria filii eius. Hæc ex Theophane.

II. CAR. MAG REGEM HVNNOR. RESTITVIT.

Quo eodem anno (vt habent Annales Francorum) Caganus Rex Hunnorum, siue Auarum, Christianus existens dictusque Theodorus, (nam *Cagani*, siue *Chaiani* nomen commune fuit omnibus eius gentis Regibus) ad Carolum Imp. refugit, auxilium petiturus aduersus Sclauos populos, Behemannos dictus, à quibus tota Hunnorum regio deuastata erat. Cui annuens Imperator, misso exercitu per filium suum Carolum eosdem Sclauos deuicit, occiso eorum Duce nomine Lichone. Defuncto autem illo Cagano, successor eius confirmationem Regni ab eodem Imp. petiit, obtinuitque. Subiiciunt vero iidem Annales de venatione eiusdem Caroli apud villam Morsellam, vbi erat monasterium Sanctimonialium S. Gudilæ virginis, cuius Reliquiæ ibi quiescebant: qua venatione, mitæ magnitudinis vrsus post longam agitationem iamiam capiendus, propero cursu in ecclesiam prædicti monasterii irrupit; & ad sacras Reliquias secutus procumbens, aduenientibus Sanctimonialibus lasciuiẽtium more catulorum blandiri cœpit; ab Imperatore vero illæsus relictus, atque è siluestri factus domesticus, ab eo tempore non aliter vixit, quam ab iisdem Sanctimonialibus iussus est, quarum se perpetuis mancipauit obsequiis.

DE VRSO AD ECCLESIAM CONFVGIENTE.

IESV CHRISTI AN. 806.

LEON. III. AN. 11.

CAROLI MAG. 6.

NICEPHORI 5.

I. TARASII EPIS. CŌS. OBITVS, ET NICEPHORI SVBROGATIO.

ANno Christi octingentesimo sexto, Indictione decimaquarta, die vigesima quinta Februarii, Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha, cum sedisset annos viginti duos, morbo oppressus, post pauendam cum dæmonibus ipsi morienti insultantibus luctam, decessit sanctitate clarus, & miraculis illustris, quorum pleraque narrat, qui vidit Ignatius monachus in ipsius Rebus præclare gestis. Suffectus est autem in locum eius *Nicephorus* laicus adhuc homo, sed quem virtutes ornabant; nobilis ciuis, quique diu in curia apud Imperatores militauerat ministerio illo quod à Secretis vocatur. Cum vero iam ante Tarasii mortem nuntium remittens sæculo in solitudinem se contulisset, vt assuesceret vitæ monasticæ quam meditabatur; delectus ab Imperatore, perductus est Constantinopolim, ac reclamans licet consecratus Patriarcha. Testatur hæc ipsemet pluribus in epistola ad Leonem Pontificem, de qua suo loco inferius.

II. TVRBATVR AB IMP. PAX ECCLES. ORIENT.

Paulo vero post Nicephori consecrationem, hoc ipso anno celebrata est ab eo *Constantinopoli*, iussu, imò & coactu Imperatoris, *Synodus* paucorum Episcoporum qui tunc in eadem ciuitate reperti sunt: in qua Iosephus ille, quem olim Tarasius damnauerat, quod coronasset Theodoten pellicem superinductam Constantini Augusti, tanquam innocens, nulliusque transgressionis reus, in pristinum sacerdotii gradum restitutus est, eo prætextu, quod etsi factum à Iosepho perpetratum illicitum esset, tamen per dispensationem licite absque culpa fieri potuisset. qua de causa magnæ excitatæ sunt in Ecclesia Constantinopolitana turbæ. Verum ne quis errore labatur, dum apud Theophanem, imo & apud Theodorum Studitam in Vita Platonis, necnon apud Michaelem in Rebus gestis eiusdem Theodori, cum de his agunt, nonnisi vnius Synodi mentionem habitam esse inueniet, qua ipsis SS. Platoni & Theodoto Abbatibus exilium decretum est, quod acriter his impietatibus obsisterent: tamen constat eiusdem Theodori assertione in epistola *a* ad Leonem Papam, duplicem esse *Synodum* congregatam, quarum priore receptus est Iosephus, posteriore anathematizati sunt qui cum illo communicare recusarent, quam & secuta sunt exilia Sanctorum. Dicetur de ea suo loco. Quod vero ad hanc priorem attinet; nominat illam eadem epistola Theodorus *Synodum hæreticorum*, vel *Synodum adulterantium*, quod scilicet collecta fuisset ex Episcopis qui adulterium comprobassent Constantini. Destitisse pariter eosdem Sanctos ea de causa accedere ad sacra Nicephori Patriarchę, quibus interesse soleret Iosephus; (cum alioqui in publicis suorum monasteriorum precibus, tam eiusdem Patriarchæ, quam Imperatoris memoriam facerent, & cum iisdem priuatim communicare non cessarent:) liquet ex aliis diuersis eiusdem Theodori epistolis *b*. Sed quæ deinde secuta sunt, dicentur post sequentem annum.

a *Theod. Stud. l. ep. 33. Cod. Columnens.*

SYNODVS ADVLTERANTIVM.

b *Ibid. l. ep. 26. 28. 30.*

Quod ad res spectat Occidentalis Imperii; produnt Annales Francorum, hoc anno habitum esse *Conuentum* ab Imperatore Carolo in *Villa Theodonis*, atque ex testamento tribus filiis tripertitum esse ipsius Regnum, si contingeret eos post patris obitum esse superstites. Extat ipsum quidem eiusmodi *Testamentum*, siue diuisionis decretum, appositum parergon ad Vitam Caroli: quo quidem, *Ludouico* concessit Aquitaniam totam à ciuitate Turonensi exclusiue vsque ad Hispaniam, itemque Gallias Lugdunensem & Narbonensem; *Pipino* Italiam, Baioariam & Alemanniæ partem; *Carolo* vero maiori natu reliquam Galliarum atque Germaniarum partem: & siquis eorum absque liberis præmoreretur, quomodo pars eius inter superstites diuidenda esset, statuit: multasque addidit conditiones leges, atque præcepta, pro conseruanda vnione inter ipsos fratres Reges, eorumque subditos: *Super omnia autem* (inquit) *iubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab auo nostro Carolo (cognomento Martello) & Beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est, vt eum cum omni adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant. Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate præcipimus, vt iustitiam suam & honorem habeant, &c.* Porro ipsum diuisionis decretum, subscriptum ab Optimatibus Francorum, æque Romam missum est per Eginhardum à Secretis ad Leonem Papam, confirmandum ab eo, atque subscriptione muniendum. Hæc Annales: quibus suffragantur Aimoinus *c*, & Ado *d*. Sed quod ad Imperium pertinet; de eo decernendum Romano Pontifici reliquisse visus est Carolus, cum nullam eius in testamento suo mentionem habere voluerit, quippe quod non hæreditarium fieri, sed Papæ arbitrio electiuum relinqui satius esse existimauerit.

EOSDEM CONSTITVIT DEFENSORES RO. ECCL.

c *Aim. lib. 4. c. 94.*
d *Ado Vien. in Chron.*

IMPERIVM RELIQVIT DISPONENDVM ROM. PONT.*

[*Quod quidem arguere falsi præsumpsit Goldastus: sed eius conuicia atque mendacia, in os retorsit Gretserus c. 4. Apol. Baron. & lib. 2. cont. Replic c. 5. de quibus supra ad an. 774 post num. IV.]

III. CAROLI MAGNI TESTAMENTVM DE DIVISIONE REGNI INTER FILIOS.

In hoc quoque eodem istius anni Conuentu Villæ-Theodonis, statuti sunt quidam canones ad Officium Ecclesiasti-

IV.

cum

cum rite in Ecclesiis peragendum pertinentes, qui habentur in libro sexto Capitularium ipsius Caroli Imperat inter quos est, vt secundum ordinem & morem Romanæ Ecclesiæ cantus fieret. Sed & vrgentibus diuersorum sacerdotum accusationibus, factum est, vt ex Synodo per Carolum missa fuerit consultatio ad Leonem Papam, rogatum de ipsis sacerdotibus criminosis quid agendum, cum probatio certa deficeret. Est enim de ea mentio in iisdem Capitularibus *e*, vbi & quid de eo statutũ fuerit subditur. De alio vero Conuentu in eadem Villa-Theodonis celebrato occasione necis Ioannis Episcopi, dicetur inferius conuenientiori *f* loco.

e Capitul. Ls.c.33.34.

f Infr.ann. 819.

V. CORPVS S.CYPR. DELATVM IN GALLIAS.

Hoc eodem anno ossa *S.Cypriani* Carthagine Lugdunum Galliæ translata esse, cum Reliquiis Scillitanorum Martyrum, ac posita in Ecclesia S.Ioannis Baptistæ, Ado testatur sui sæculi res gestas scribens: qua de re est etiam carmen Agobardi Episcopi Lugdunensis. Sed & locupletatæ sunt tunc Venetiæ eodem thesauro Reliquiarum S. Cypriani, cum partem quandam earum à Carolo dono acceptam, Legati, quos hoc anno ad eum venisse testantur Francorum Annales, in patriam detulerunt; vbi nobilis erecta est in Murano S.Cypriani memoria, quæ hactenus perseuerat.

IESV CHRISTI AN. 807.

LEONIS III. AN. 12.

CAOLI MAG. 7.

NICEPHORI 6.

I. SARACENI SVO DAMNO IN S. NICOL. PRÆCANT.

ANno Christi octingentesimo septimo, Indictione decimaquinta, Aaron Saracenorum Princeps in Oriente, dum comparata classe Rhodum pessumdaret, & Myram Lyciæ ciuitatem aggrediens, arcam Reliquiarum S.Nicolai diuicere pararet, aliam loco eius suppositam contriuit: qui sic illusus, dedit nihilominus pœnas prauæ suæ voluntatis; siquidem turbinibus agitata classis, magna ex parte obruta est; vixque ipse euadens incolumis, pœnituit facti quod magno suo damno diuina temerario ausu tentasset.

II. NOVA SCELERA NICEPH. IMP.

Quo pariter anno Nicephorus Imp ad præteritas iniquitates alia scelera adiiciens, vxorem quæsiuit Stauratio filio suo, Theophaniam cognatam Irenes defunctæ Imperatricis, alii desponsatam viro: Ipse vero duas virgines pulcherrimas, inter alias ad delectum quæsitas, homo turpissimus factus ludibrium cuncto populo defloruit. Cruentauit quoque ciuitatem sanguine nobilium ciuium, procerumque, atque virorum Ecclesiasticorum, qui aduersus eum pro vindicanda Republica conspirassent. Hæc omnia ex Theophane hoc anno sexto eiusdem Nicephori.

III. MAVRI MALE MVLTATI OB CAPTOS MONACH.

In Occidente vero, hoc eodem anno Carolus Magnus classe immissa aduersus Mauros sub Duce Burchardo, eos in Sardinia & Corsica iterato prælio profligauit: quæ infortunia ea ex causa sibi contigisse ipsimet confessi sunt, quod anno superiori piraticam exercentes in Patelaria insula, sexaginta monachos captiuos duxissent in Hispaniam ac vendidissent; quorum aliquos postea Carolus redemit. Hæc auctor, sui temporis scribens Annales, à quibus Regino & alii.

IV. LVDOVICVS RESTITVIT DISCIPLINAM IN AQVITANIA.

Interea Ludouicus Caroli filius, cui à patre Aquitaniæ regnum fuerat traditum, illuc profectus collapsam Christianam disciplinam restituere laborauit; erectisque quamplurimis monasteriis, reddidit eam spiritualium aquarum irriguo tanquam alterum Dei paradisum: Sed & vndecumque adductis magistris, omnium diuinarum & humanarum scientiarum studium introduxit, cum antea totius Aquitaniæ qui videbatur Clerus (vtpote sub variis tyrannis agens) magis equitationi, bellicæ exercitationi, missilium librationi, quam diuino cultui operam dare nouisset. Adeo vero etiam coaluit antea collapsus monasticus ordo, vt etiam ipse Ludouicus Rex idem vitæ institutum amplecti deliberaret: sed huius desiderii ne compos fieret, obicem se præbuit refragatio patris, vel potius diuinæ nutus voluntatis, quæ tantæ pietatis virum noluit sub suæ cura solius salutis delitescere, sed potius per eum & sub eo multorum salutem adolescere. Hæc Aimoinus *a*: qui & alia subdit de optima eiusdem piissimi Principis regni sui administratione. Quemadmodum & Italiam sub Pipino Rege optime per S. Adelhardum Corbeiæ in Saxonia Abbatem, ipsius Caroli Magni consobrinum, dispositam esse, testatur Paschasius *b* Ratbertus huius & ipse temporis Scriptor.

a *Aim. lib. 5.c.8.*

b *Ap. Sur. 2. Ian.*

IESV CHRISTI AN. 808.

LEON. III. AN. 13.

CAROLI MAG. 8.

NICEPHORI 7.

ANno Christi octingentesimo octauo, Indictione prima, Ioseph Archiepiscopus Thessalonicensis, & Theodorus Studita eius frater, atque S.Plato cum suis monachis, detrectantes (ob causas superius enarratas) publice communicare cum Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, nisi electo Iosepho Oeconomo, Theodotes pellicis copulatore, & coronatore; schismatis sunt accusati ab eodem Nicephoro: factumque est, vt his Romæ diuulgatis, iidem à Romano Pontifice aliisque schismatici sint habiti. Hæc quidem constant ex plurib⁹ ea de re ab eodem Theodoro, tam suo quam Platonis nomine scriptis ad diuersos literis *a*. In quarum vna *b* ad suos monachos scripta, obserues solemnia verba in benedictione matrimonii tunc apud Græcos proferri solita; nempe, *Tu Domine mitte manum tuam ex sancto habitaculo tuo, & coniunge famulo tuo famulam tuam: connecte illos in mutuam cõcordiam: vni eos in carnem vnam, quos tibi placuit inter se copulari. Honorabiles nuptias redde: immaculatum eorum thorum custodi: sine macula ipsorum contubernium permanere concede in puro corde.* Quæ autem post hæc secuta sunt, dicentur anno sequenti.

I. THEOD. STVD. ET ALII SCHISMATIS ACCVSATI.

a *Theod. Stud. l. ep. 21. vsq; 31. Cod. Colũnẽsi Recitat vero illas Baron. hoc an. sicut & alias eiusdẽ Theod. suis quibusq; locis, vbi pro ratione rerũ gestarum fit de iis mentio.*

b *Ibid. ep. 31.* BENEDICTIONIS MATRIMONII FORMVLA GRÆCORVM.

Hoc eodem anno Crunnus Bulgarorum Dux Sardicam dolo cepit, pluribus militum ac ciuium interfectis millibus: aduersus quem procedens Imperator, re infecta Constantinopolim rediit; eamque vrbem cædibus & exiliis repleuit, quod pati nollet populus recens impositum vectigal ob Sardicæ restaurationem. Hæc ex Theophane. Quo etiam auctore constat, hoc itidem anno mortuo Rege Saracenorum Aaron, eius filios Mauhmat & Habdallam de Regno certantes, non inter se solum cuncta cæde miscuisse, sed etiam Christianos Syriæ cædibus, incendiis, rapinis adeo infectasse, vt multæ Ecclesiæ desertæ factæ fuerint, & plurima monasteria desolata relicta.

II RES BELLICÆ ORIENT.

In Occidente vero, hoc pariter anno Ardulf Rex Nordanhumbrorum in Britannia, à suis è regno pulsus, Carolum Magnum primo adiens, postea Leonem Papam; missis tam à Pontifice quam ab Imperatore legatis in Britanniam, ab iis in regnum est restitutus. Hæc Annales Francorum.

III. REX ANGLOR. RESTITVTVS PER LEON. PP. ET CAROL IMP.

IESV CHRISTI AN. 809.

LEON. III. AN. 14.

CAROLI MAG. 9.

NICEPHORI 8.

I.

ANno Domini octingentesimo nono, Indictione secunda, mense Ianuario, (vt auctor est Theophanes)

MOECHOSYNODVS CONST.

convocatum est ab Imperatore Nicephoro *Conciliabulum* in causa Iosephi Oeconomi; in quo vna cum Episcopis consederunt Magistratus, omnia in gratiam Imperatoris facientes. Vt non sit mirum, si adeo pernicioſi in eo canones sancti fuerint: videlicet, Anathemati subiiciendos esse omnes qui ipsorum erroribus non adhærerent: Coniugium Constantini cum Theodote, viuente adhuc legitima priori coniuge, ex dispensatione dici debere legitimum: Leges diuinas aduersus Reges nihil posse: Episcoporum vnumquemque in sacros canones, præterea, quæ in illis statuta sunt, dispensando potestatem habere. Post quæ SS. Plato, ac Theodorus, huiusque frater Ioseph Thessalonicensis Archiepiscopus, aliique quamplurimi, recusantes communicare Iosepho omnium malorum auctori, ac Nicephoro Patriarchæ ipsius fautori, in exilium ab Imperatore pulsi, dirissima passi sunt. Patent hæc omnia ex pluribus eiusdem Theodori epistolis *a* ab exilio ad diuersos scriptis, quibus & dictum Conciliabulum appellat *Mœchosynodum*, & qui eius decretis adhærerent, *Mœchianos*: quos & demonstrat vere esse hæreticos. Idemque agnoscens *Christum Petro, post claues regni cœlorum, pastoralis etiam principatus contulisse dignitatem, ideoque ad Petrum, vel eius successorem, quicquid in Ecclesia Catholica per eos innouatur qui aberrant à veritate, necesse esse referri,*: duplicibus ad Leonem Papam scriptis literis *b*, (quibus eum in inscriptionibus vocat, *Sanctissimum Summum Patrem Patrum, AEqualem Angelis, Beatissimum, & Apostolicum Papam*) post illa narrata quæ hactenus hac in causa gesta fuerant, enixius rogauit, vt qui *Archipastor* esset *Ecclesiæ quæ sub cœlo est*, manum Ecclesiæ Orientali porrigeret mersæ in hæresis profundo; atque intonaret contra eam hæresim. *Si enim isti* (inquit) *arrogata sibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non sunt, qui ne Orthodoxam quidem absque cognitione vestra (vt antiquitus mos obtinet cogere potuerunt; quanto æquius necessarium fuerit, à diuino tuo principatu legitimam Synodum conuocari, vt Orthodoxum Ecclesiæ dogma, excluderet hæreticum?* Hæc & alia Theodorus ad Leonem: quem & rursum eadem epistola vocat, *Diuinissimum omnium capitum Caput*: rogatque vt quemadmodum Christus ad Agbarum scripsit, & multi etiam de subditis digni habiti sunt, qui ab Apostolis, Sanctisque acciperent literas; ita & Leo ad ipsum rescribere dignaretur. Idemque ad Basilium *c* Archimandritam tam suo quam Platonis nomine scribens, declarat *vnum esse consilium ipsorum & desiderium, per supremum Apostolicum, sicut ab initio semper factum esset, Synodice damnari eos qui contra Euangelium Christi cœtum ierant.*

a *Theod. stud. l. ep. 33. 2. ep. 9. & ep. 48. 50 & segq.*

b *Ibid. ep. 33. 34.* SEDIS RO. SVMMA AVCTORITAS AGNITA A THEODORO.

c *Ibid. ep. 35.*

II. SCRIPTA THEOD. ADVERS. MOECHIANOS.

Quod vero iidem Mœchiani scuto illo Dispensationis diuina humanaque iura violarent, dum quod diuina lege esse prohibitum, id per dispensationem posse fieri asserebant; præter multiplices illas epistolas contra istum & alios aduersariorum errores conscriptas, edidit idem Theodorus volumen, *De Dispensatione vniuersali*, cuius meminit in suis literis *d*, quo plenius eorundem argumentationes confutauit. Ipse namque hoc tempore cæteris eminentior doctrina in Oriente fulgens, tanquam oraculum erat ad quod Orthodoxi omnes eius Ecclesiæ, cum quid dubitationis in facultatibus Theologicis emergeret, recurrere consueuerunt. Qui nisi quantocyus occurrisset nouæ eiusmodi hæresi, totus pene Orbis corruisset; cum malorum Episcoporum, & pessimorum Imperatorum conatu, vniuersum ferme Euangelium in maximum iam discrimen adductum esset.

d *ibid. ep. 50*

III.

Hoc item anno, Nicephori octauo, numerat Theophanes decem præcipuas afflictiones, quibus idem nouis atque antea inauditis exactionibus, impiisque supplicis, ciuitatem Constantinopolitanam, vniuersumque Imperium, atque ipsa etiam sacra loca ad nihilum fere redegit.

IV. CONCIL. AQVISGR. DE PROCESSIONE SPIR. S.

Quod ad res pertinet Occidentales; produnt Annales veteres Francorum, aliique omnes, celebratum fuisse hoc anno mense Nouembri CONCILIVM AQVISGRANENSE, occasione motæ quæstionis de processione Spiritus Sancti. Verum sciendum est, haud ibi tunc dubitatum aut tractatum esse, vtrum Spiritus Sanctus à Patre Filioque procederet: sed quod tum apud Hispanos (vt suo loco vidimus) tum apud Francos additæ fuissent Symbolo Constantinopolitano quatuor hæ syllabæ, FILIOQVE; quæsitum modo est, num ita auctum Symbolum legitime in Ecclesia cani posset; quod in Galliis vsurpari cœperat. Qua re ad Leonem Papam à Carolo Imperatore per Legatos delata, cultos ipse antiquitatis, (cum nec adhuc ipsum Symbolum Nicænum, siue dixeris Constantinopolitanum, in Ecclesia Romana cani mos esset) etsi permiserit Symbolum cani, prohibuit tamen ne cum eo additamento caneretur. Constant autem ista ex Zmaragdi ad Carolum epistola, in qua inseritur ipsa amica *e* Disputatio de ea re habita Romæ à Legatis Synodi Aquisgranensis cum Leone Papa. Cæterum Walfridus Strabo *f* temporis huius scriptor tradit, vsum hunc cantandi in Ecclesia Symbolum, à tempore damnatæ Felicianæ hæresis in Gallia atque Germania fuisse frequentatum: vt vero Constantinopolitanum potius quam Nicænum caneretur, ea ratione factum esse, quod Constantinopolitanum aptius videretur modulis musicis. Sed cur non potius, quod plenius sit quam Nicænum, vtpote quod de Spiritus Sancti diuinitate habeat magis expressam sententiam? Quod vero rursum ad Leonem spectat; non solum ipse verbis cum prædictis Legatis differendo, & præcipiendo, quid vellet fieri patefecit; verum etiam nobile monumentum erigendum putauit, quo posteris innotesceret, in sacro Symbolo nihil esse addendum: dum sicut narrat Anastasius in eius Vita, in basilica S. Petri duo scuta argentea, siue tabulas affigendas curauit, in quarum altera Symbolum Latine, in altera Græce scriptum legeretur, absque vllo quatuor illarum syllabarum additamento. Quando autem, & qua occasione, illæ itidem auctoritate Pontificia in Romana Ecclesia in Symbolum sint recepta, ac ipsum Symbolum cani cœperit, dicetur suis locis *g*.

DE CANTANDO SYMBOLO IN ECCL.

e *Rec. Bat. Annal. To. I. X. hoc an. ex cod. Ant. Aug.*

f *Walfr. de reb. Eccles. c. 22.*

g *An. 883. IV. & 1014 III.*

IESV CHRISTI AN. 810.

LEONIS III. AN. 15.

CAOLI MAG. 10.

NICEPHORI 9.

I. NICEPH. IMP. FAVET MANICHÆIS.

ANno Christi octingentesimo decimo, Indictione tertia, Nicephorus Imperator (inquit Theophanes) militares Principes more seruorum vti Episcopis & aliis clericis iussit: adituris Episcopia & monasteria tributum imposuit: eoque processit, vt aurea & argentea Ecclesiæ vasa improbaret, & Christianos derideret, qui proximos diligerent. Nec quidem mirum; cum (vt idem auctor ait, qui his tunc præsens Constantinopoli aderat) studiosissimus esset Manichæorum, eleemosynas improbantium; qui *Pauliciani* quoque, & *Atingani* vulgo dicebantur, hisque temporibus admodum vigebant in Oriente, ducem impietatis sequentes *Sergium* quendam; qui se Pauli Apostoli discipulum Tychicum iactans, immo & Paraclitum se, ac lucidam stellam mentiens, quamplurima perpetrauit nefanda scelera, intulitque Ecclesiæ Orientali damna; quæ pluribus narrat Petrus Siculus, quem iam superius diximus historiam scripsisse de renascente Manichæorum hæresi: vbi & tradit, ab hoc Sergio *Baanem* quendam, Epaphroditi se dicentem discipulum abscessisse, multosque in partem suam traxisse, qui ab eo dicti sunt *Baanitæ*: qui vero Sergio adhærebant, dictos esse *Sergiotas*: cum essent etiam alii *Astathi*, seu *Instabiles* appellati, pariter eiusdem Sergii discipuli. Quæ autem statuerit aduersus eiusmodi nebulones Michael Nicephori successor, dicetur inferius.

VARIÆ SECTÆ MANICH.

II.

Hoc pariter anno (vt tradunt veteres Annales Francorum à Pithœo editi) Carolus Magnus Nicephoro Imperatori Venetiam reddidit. Cum enim Carolus (vt in Vita ipsius *a* ab auctore eius temporis per annos singulos digesta traditur) subegisset suo Imperio Dalmatiam, & alias circum-

a *Vit. Carol. Magn. ann. 806. & seq.*

posit-

DE REBVS VENETIS SVB CAROLO MAGNO.

positas regiones, frustraque Nicephorus bis classe missa eas recuperare conatus esset; accidit, vt cum Præfectus classis secunda vice pacem cum Pipino Italiæ Rege tentaret, aduersantibus Venetorum ducibus res infecta remanserit: qua de re iratus Pipinus ipsam Venetiam bello cepit, quæ tum Imperatoris Orientis dominio subiacebat. Post hæc autem contigit quod dictum est; nempe vt legationibus intercurrentibus, firmata pace inter Nicephorum & Carolum, Venetiam Carolus Nicephoro reddiderit. Hæc ex scriptoribus eius temporis: ex quibus haurias, in quo de rebus Venetis recentiores historicos erroris arguas, & emendes. Nam & Eginhardus, qui fuit Carolo à secretis, asserit ipsum redegisse sub tributo Istriam, Liburniam, atque Dalmatiam; exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob iunctum cum Imperatore Constantinopolitano fœdus, eum habere permisit.

IESV CHRISTI AN. 811.

LEON. III. AN. 16.

CAROLI MAG. 11.

NICEPHORI 10.

L.

ANno Christi octingentesimo vndecimo, Indictione quarta, mense Februario, obuiam facti Saraceni Leoni Prætori Armeniacorum, deferenti militare donatiuũ, quod erat talentorum sexdecim, & librarum mille trecentarum; illud abstulerunt cum ingenti multitudine captiuorũ. Quare Nicephorus Imper. aduersus Bulgaros processurus, iussit Nicetæ Patricio & generali Logothetæ, publicos Ecclesiarum & monasteriorum census imponere, & octo annorum præteritorum redhibitiones à Principum domibus exigere. Qua de re cum omnes grauissime quererentur, relatumque id Nicephoro esset à Theodosio quodam Patricio, respondit ille: *Si Deus obdurans obdurauit cor meum, vt Pharaonis: quid boni erit his qui sub manu mea sunt à Nicephoro? Theodosi, noli expectare præter quæ à te conspiciuntur.* Ingressus autem Bulgariam inter spem metumque, quibusdam prosperis velitationibus insolentior factus, pacem petenti Crunno Bulgarorum Regi denegauit; ac multa crudelissima tam in hostes quam in suos perpetrauit. Cum subito Crunnus viis intercluſis eum adortus, captum interfecit vna cum plurimis Patriciis ac Ducibus, vniuersoque ferme exercitu: eius vero caput diebus multis in ostentationem suspensum post ea denudatum argento forinsecus induit, vt eo tanquam poculo Bulgarorum Principes vterentur. Narrat hæc pluribus Theophanes: qui & ait, huius Nicephori Principatu Christianos grauiorem nullo tempore consecutos esse; quippe qui omnes qui ante se imperassent, ambitione, luxuriis, atque barbaricis crudelitatibus superauerit. Porro qui à Rege Bulgarorum tunc capti sunt, ab eo cum fidem Christianam negare compellerentur, nec acquieſcerent, necari iussi sunt: quorum extat memoria in Menologio Græcorum die vigesima tertia mensis Iulii. Agitur etiam de iisdem in Latino Martyrologio; sed mendose fortasse per Nicephorum factum dicitur, quod sub Nicephoro Bulgari egerunt.

OBDVRATVM COR NIC. IMP.

OCCIDITVR A BVLGARIS.

II.

Cæterum Stauratius Nicephori filius, ipsiusque in Imperio collega, multis in prælio acceptis vulneribus, Constantinopolim ægre relatus, cum & ipse nouas ibi moliretur cædes, Imperiumque Theophaniæ coniugi firmare satageret: omnium Principum, ac Senatus, necnon Patriarchæ consensu, tertio Nonas Octobris, cœpta iam à mense Septembri Indictione quinta, MICHAEL Curopalates, cognomento *Rhangabenus*, eiusdem Nicephori gener, vir multis egregiis virtutibus præditus, coronatus est Imperator; præstito prius iuramento, dataque Patriarchæ fideiussione manu propria scripta, de recta fide seruanda, ac temperando à sanguine quorumcunque Christianorum, & maxime monachorum, aliarumque personarum Ecclesiasticarum. Postridie vero *Procopia* eius vxor coronata est pariter in Augustam: ipseque immensa vsus erga Patriarcham & Ecclesias, omnisque generis homines qui sub Nicephoro spoliati fuerant, liberalitate, omnium animos sibi deuinxit: ac denique octauo Calendas Ianuarias THEOPHYLACTVM filium suum ab eodem Patriarcha coronari fecit. Stauratius autem mox vt acclamationes pro Michaele audiuit, comam totondit, & monasticum induit habitum; cuius & vxor Theophania idem vitæ institutum arripuit. Hæc Theophanes, qui tunc Constantinopoli existens cuncta intuebatur.

MICHAEL CVROPALATES IMPERAT.

Addit quoque, Michaelem Imp. pacis Ecclesiasticæ studiosissimum, sanctos Confessores Platonem, Theodorum, Iosephum Thessalonicensem, alioſque ab exilio reuocasse, eosdemque Nicephoro Patriarchæ reconciliasse. Verum hanc reconciliationem ipse Theodorus *a* atque Michael *b* Studita tradunt initam esse, postquam Patriarcha Iosephum Oeconomum omnium discordiarum causam, iterum ab Ecclesia eiecisset, ac se ipse purgasset quod quæcumque antea accidissent, Nicephori tyranni violentia gesta fuissent. Addit præterea Michael, huiusmodi Ecclesiæ pacem confirmatam fuisse à Leone Romano Pontifice, quem Michael Imper. eius conciliatorem adhibuisset. Insuperque Michaelis Imperii exordio, Theophanes subiicit Nicephorum Patriarcham transmisisse Synodicas literas ad eundem Leonem, cum antea id ei non licuisset prohibente tyranno. Extantque ipsæ literæ *c*, quibus de sua rationem reddidit electione, simulque fidei Catholicæ professionem edidit; ac veniam petiit, quod tam sero scripserit, prohibitus ab impio Imperatore: sed & sacra munera adiecit, quæ vna cum literis misit per legatum suum Michaelem Metropolitam Sinnaculorum.

III. PAX ECCLESIÆ ORIENT. REDDITA.

a *Theod. Stud. in Vita Plato.*

b *Mich. in Vit. Theod.*

LEGATIO à NICEPHORO EPISCOP. CONST. AD LEON. PP.

c *Edidit Pelt. Act. Ephes. tom. 5. c. 22. Recitat vero ex antiqua translatione Bar. Annal. To. IX. hoc an. acta ptam ex Biblioth. Eccl. Verdun.*

Quod ad res pertinet Occidentales; memorabile est *Testamentum* Caroli Magni de rebus suis mobilibus, quod hoc Redemptoris anno octingentesimo vndecimo, ipsius vero Caroli Regni Franciæ quadragesimo tertio, Italiæ trigesimo sexto, Imperii vndecimo, Indictione quarta, fecisse auctor est Eginhardus in Vita ipsius, dum ipsum integrum testamentum recitat: quo quidem omnia mobilia sua in tres partes diuidens, illarum duas in viginti vnam alias partes subdiuisas legauit Metropolitanis vni & viginti ciuitatibus, quæ ditioni eius subiacebant; ex quibus rursum Metropolitani tertiam partem suis Ecclesiis reseruarent, duæ reliquæ inter suffraganeos diuiderentur. Nomina vero Metropolitanarum ciuitatum, hæc in eodem Testamento recensentur; Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulii, (siue Aquileia) Gradus, Colonia, Maguntiacum, Saltzburgum, Rotomagus, Treueri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges. Sed & reliquam tertiam partem principalem voluit subdiuidi post suam mortem, aut voluntariam rerum sæcularium abdicationem, in quatuor partes; quarum vna accresceret illis vni & viginti partibus Metropolitanorum, altera cederet liberis ac nepotibus suis, tertia in vsum pauperum erogaretur, quarta simili modo nomine eleemosynæ in seruorum & ancillarum palatio famulantium sustentationem distribueretur. Capellam vero, id est, Ecclesiasticum ministerium, nulla diuisione scindi voluit. Si qua autem inuenirentur aut vasa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem capellæ ab eo collocata non fuisse, hæc qui habere vellet, necnon & libros, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregauerat, dato iustæ æstimationis pretio, emeret & haberet, pretium in pauperes erogaretur. Hæc autem constituit in præsentia vndecim Episcoporum, quatuor Abbatum, & quindecim Comitum. quæ quidem Ludouicus ipsius filius post eius obitum quam celerrime adimplere curauit.

IV. TESTAM. CAROLI MAGNI DE REBVS SVIS MOBILIBVS.

Hoc item anno pridie Nonas Decembris, Carolum filium maiorem natu Caroli Imperator. ex hac vita migrasse, tradunt veteres Annales Francorum, & reliqui omnes auctores. Sed & præter duos filios, Carolum & Pipinum, ex testamento relictos hæredes, obiit etiam anno superiori primogenita filiarum, quam mirifice diligebat, Rotdrudis olim Constantino Imperatori desponsata. Pipino autem Bernarthum eius filium in regno Italiæ succedere iussisse,

V. DE LIBRIS CAR. MAG.

fisse, Eginhardus testatur. Qui & ait, tribus his annis vltimis Caroli Magni, cœlo terraque visa esse signa atque portenta, eius obitus indices ; nimirum crebra Lunæ Solisque deliquia, crebrum Aquensis palatii vbi degebat, tremorem, fulmina, ruinam Regiæ, incendia, & alia plura huiusmodi.

IESV CHRISTI AN. 812.

LEON. III. AN. 17.

CAROLI MAG. AN. 12.

MICH. CVROP. AN. 1.

I. MICHAEL IMP. CONTRA MANICHAOS GLADIO AGIT.

ANno Domini octingentesimo duodecimo, Indictione quinta, Michael Imperat. reddita Ecclesiæ pace, Manichæos (qui & Pauliciani, & Atingani dicebantur) varias regiones Orientis sua hæresi magnopere infestantes, hortatu Nicephori Patriarchæ lege aduersus eos sancita, gladio necari iussit; ipsamque vrbem Constantinopolitanam, non Manichæorum tantum, sed & Iconoclastarum, & aliorum hæreticorum colluuie fœtidam, morumque peruersitate laborantem, expurgare ac sanare conatus est. Scribit hæc Theophanes. De Manichæorum vero ex Michaelis edicto cæde, (qua inter alios memorandus Sergius, de quo superius, aliquando faciendis assertibus intentus, à quodam ascia ex eius manibus extorta peremptus est) agit pluribus idem, quem alias diximus, Petrus Siculus huius temporis scriptor, in libello quo eiusdem hæresis impietatem, & hæreticorum res gestas est prosecutus.

II. CONVENTVS CONSTANTIN. IN QVÆSTIONE DE REDDENDIS FVGITIVIS.

a Ioan. 6.

Eodem anno Calendis Nouembris, habitus est Constantinopoli *Conuentus* Episcoporum & Magistratuum, occasione soluendæ quæstionis, obortæ ex eo, quod cum pax inter Imperatorem & Crunnum Bulgarorum Regem tractaretur, inter alias conditiones à Rege barbaro illa esset apposita, vt fugitiui redderentur. Arbitrati sunt alii, eiusmodi conditionem bono pacis accipiendam, alii contra asseruerunt penitus reiiciendam, vtpote contrariam sententiæ Domini a, *Qui venit ad me, non eiiciam eum foras*. Qui autem has partes tuebantur principes consiliarii, ducem habebant Theodorum Studitam : aduersam vero defendebant cum Imperatore Nicephorus Patriarcha, aliique Episcopi ; quibus assentiebatur ipse Theophanes Abbas monasterii Agri, isemque Historiæ quam toties citamus auctor. Qui quidem rem gestam describens, multiplicique ratione aduersarius contradicens, illa vtitur potissima, quod pluris facienda sit multorum salus quam paucorum, cum raro accideret, vt ex Bulgaris aliqui ad Romanos confugerent. Cæterum obtinuit pars negantium ea conditione pacem esse accipiendam : ex quo, inquit idem Theophanes, maxima sunt parta Imperio mala ; quæ per prodigia è cœlo, & cometam inusitatum apparentem, hoc anno significata esse ait. Quo eodem tempore, cum non esset generalis Princeps Arabum, & in omnibus ipsorum prouinciis homicidia, rapinæ, aliaque nefanda perpetrarentur; Ecclesias quoque Hierosolymitanas profanatas esse, ac monasteria Palæstinæ destructa, Syriæque Christianos alios interemptos, alios in varias regiones fugatos, idem auctor tradit.

II. LEGATIO MICH. IMP. AD CAR. MAG. ET LEON. PP.

Hoc eodem anno peruenerunt ad Carolum Imp. Legati, quos initio sui Imperii Michael Aug. ad eum misisset. Cum enim Carolus ad Nicephorum Imperatorem confirmandæ pacis causa Legationem honorificam direxisset per Hattonem Episcopum Basileensem, Hugonem Comitem Turonensem, Aionem Longobardum Foroiuliensem, Leonem Spatharium & Wilharium Ducem Venetorum: iidem, occiso Nicephoro, cum Michaelem egerunt. Hic vero cum iis suos Legatos ad Carolum misit ; qui Aquisgranum peruenientes, Græca oratione laudem eius dixerunt, & AVGVSTI titulo celebrarunt: atque in reditu (vt habebant in mandatis) Romam venientes ad Leonem Papam, literas ab eo communicatorias acceperunt. Hæc Francorum veteres Annales ; sed Theophanes addit, Michaelem hac sua ad Carolum legatione egisse quoque de contractu nuptiarum in Theophylactum filium suum.

IV. DE ASSERTA FRANC. CLADE IN SALTIBVS PYREN.

Ad hæc pariter vltima Caroli tempora, rerum Hispanicarum tractatores referunt decantatam Francorum cladem in saltibus Pyrenæis ad Rocidam vallem, vulgo dictam *Roncisvalle* ; quam & factam volunt per Alfonsum Castum Gallæciæ Regem. Verum isti quam longe imprimis in his quæ sunt temporis aberrent, constat ex eo quod cladem illam contigisse anno Redemptoris septingentesimo septuagesimo octauo, (vbi & nos posuimus) Chronographi omnes qui per singulos annos res Caroli Magni digesserunt, iidemque eiusdem sæculi scriptores, absque dubitatione pari consensu testantur. Eandemque non ab Hispanis, sed à Vasconibus illatam affirmant, atque inter alios Eginhardus qui fuit Carolo à secretis. Dicunt nimirum, Vascones Caroli exercitui, ab expugnatione multarum Hispaniæ ciuitatum redeunti, prædæ cupiditate in ipsis montium angustiis insidiatos, interfeciisse eos qui nouissimo agmine incedentes præsidio præcedentibus erant ; atque extremam impedimentorum partem auferentes, noctis beneficio summa celeritate in diuersa dispersos, Caroli vindictam effugisse. Rursum vero quod hæc per Alfonsum Castum gesta esse, Hispani dicunt; quam procul absit à veritate, satis demõstrat quod inter alios idem Eginhardus auctor est, ipsum Alfonsum maxima fuisse Carolo amicitia iunctum, eundemque sæpius veneratum esse muneribus; non aliter se per literas & Legatos appellantem, quam (vt habent Eginhardi verba) proprium Caroli : nec quicquam discordiarum inter eos aliquando intercessisse, demonstrat.

V. FABVLÆ TVRPINI EXPLODVNTVR.

Porro Hispanicarum rerum tractatoribus inde tam grauis erroris prouenit origo, quod qui *Turpini* nomine (quisquis ille fuerit) somnia sua ac fabulas contexuit, post corporis S. Iacobi inuentionem (quam etiam per ipsum Carolum factam mentitur) ponit bellum illud contigisse, in quo Rutlandus, siue Rolandus, inter alios viros insignes occubuit. Quapropter nulla habita exactiori temporis ratione, iidem scriptores Hispani re vera tunc bellum illud contigisse sunt arbitrati, quo à fabuloso auctore positum est. Quo qui errore ducti sunt, antiquiores adnumerantur Tudensis, & Rodericus Toletanus Episcopus ; eidemque tanquam è cœlo allato oraculo recentiores omnes firmiter inhæserunt; vno duntaxat excepto emunctioris naris auctore Ambrosio b Morale, qui hæc odoratus haud imprudens est errantes sequutus, sed hærens substitit, vt rem accuratius considerare. Eos autem magis admirati sumus, qui difficultatem hanc sentientes, vt soluerent, duas clades exercitus Caroli Magni in Pyrenæis montibus sibi finxerunt, & istam posteriorem dixerunt. Sed eos oportet suis diuinationibus adiicere, vt pariter affirment Rolandum & cæteros eius socios bis occisos mortuosque esse ; cum hos ipsos in posteriori clade dicunt esse necatos, quos iam diu antea firmissima eius temporis Scriptorum auctoritate ostendimus fuisse peremptos. Sæpe suorum gentilium nimium ardens amor, plures fallere coegit historicos, vt absque delectu perciperent quæcumque scripta, quibus ipsi quolibet modo gloriam suis compararent.

b Ambr. Moral. Rer. Hisp. lib. 3. c. 48.

IESV CHRISTI AN. 813.

LEON. III. AN. 18.

CAROL. MAG. 13.

MICH. CVROP. 2.

I.

ANno Domini octingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, cum Michael Imp. mense Maio male aduersus

Bulgaros

DE LEONIS ACCEPTIONE IMPERII DIVERSÆ SENTENTIÆ.

Bulgaros haud procul ab Hadrianopoli vrbe Thraciæ pugnasset, Constantinopolim fugiens, consilium iniit de Imperio renuntiando Leoni Armeno; quem hoc diutius recusasse, quo vsque tandem à Nicephoro Patriarcha & omnibus Patriciis ad id adactus est, Theophanes tradit. At Cedrenus & alii diuerse admodum hæc enarrantes, asserunt fugam exercitus factam culpa ac proditione Leonis: qui tamen ex eiusmodi fuga occasionem accipiēs in Michaelem vt segnem & inertem publice declamandi, milites ad defectionem sollicitarit, suisque artibus adegerit, vt Imperator ipse ab omnibus acclamaretur, simulate aliquantum reluctatus. Habet quoque Theophanes; cum ob egressum Crunni Regis Bulgarorum mense Iunii, ingens pauor Constantinopolim occuparet, visum esse Nicephoro Patriarchæ more maiorum publicis litaniis implorare diuinam clementiam; & econtra hæreticos Iconoclastas sepulchrū adeuntes impiissimi Constantini Copronymi, ipsum inuocare cœpisse, vt auxiliaretur perditæ Reipublicæ; diffamasseque ipsum surrexisse super equum sedentem, & perrexisse ad debellandos Bulgaros. quibus quidem inuentionibus perfidi illi viam patefacere conati sunt eiusdem hæresis consorti Leoni: acciditque ex sententia, occasione quam diximus fugæ Michaelis.

II. LEO ARMEN. IMPERAT IN ORIENTE.

Addit vero Cedrenus, Michaelem intellecta LEONIS electione, vt erat pacis studiosus, temperantem à bello ciuili, diadema, purpuram, & calceos coccineos, (Imperii videlicet insignia) ad Leonem misisse, & vt sine vllo metu in vrbem accederet hortatum esse. Ipsumque vna cum vxore & liberis, detonsis capillis monastica induisse vestimēta, Theophanes quoque tradit: sequenti vero die, qui fuit quartus ante Idus Iulii, Leonem, post editam ex more rectæ fidei professionem, publice à Nicephoro Patriarcha coronatum esse. Sed habet Cedrenus, quo tempore Nicephorus diadema capiti Leonis imponeret, visum sibi fuisse spinis ac tribulis manum compungi; idque omen malorum quæ postea essent euentura, interpretatum esse. Eodem quoque tempore Hadrianopolim à Bulgaris captam esse, iidem auctores scribunt. Tuncque contigit, eius ciuitatis Episcopum *Manuelem* manibus amputatis per medium gladio dissecari, & feris ad deuorandum proiici; cuius est memoria in Menologio *a* Græcorum. Vbi & traditur, Crunnum Regem propter hoc peccatum excæcatum esse; propriique populi incurrentem odium, funibus ab eo suffocatum esse: sed Bulgarorum suscipientem Imperium Zocum, omnes captiuos cō gregasse Christianos, tam sæculares quam Ecclesiasticos, & quod Christi fidem negare noluissent, eosdem diuersis affectos tormentis crudeliter obtruncasse.

MARTYRES SVB BVLGARIS. *a Menol. 20. Ianuar.*

III. DE THEOPHANIS HISTORIA.

Porro ad diem vsque captæ Hadrianopolis Theophanes perducens Historiam, eidem finem imponit. Nec est, vt dici possit, eam interciſam esse, quod auctor perorationem nullam (vt moris est) apposuerit. Siquidem Anastasius Bibliothecarius, qui in Latinum transtulit, testatur eam vsque ad hunc Leonem qui successit Michaeli perductam esse. Si vero Cedreno credimus, & Ioanni Curopalatæ, asserentibus Theophanem vsque ad exitum tantum Nicephori Imper. suam Historiam produxisse; affirmare necesse est, cuncta quę ab eo tempore in hunc diem illic ponuntur, alterius auctoris esse additamentum: quod equidem existimo verum esse; factumque, vt aliquis Leonis Armeni studiosus, quæ de eius probitate ibi leguntur, commentus sit. Quod vero ad ipsum *Theophanem* spectat; asserit Anastasius, ipsum illū fuisse Theophanem magni nominis Abbatem monasterii Agri, sanctitate celebrem, & miraculis clarum, de cuius egregiis pro fide Christi confessionibus, dicetur inferius. Sic autem eius Historiam idem Latinitate donauit, vt tamen (sicut testatur) aliqua omiserit, perstrinxeritque aliqua breuitate, addiderit vero nihil. Vbi vero ipse desiit Theophanes, ab huius Michaelis Augusti. Imperio *Ioannes Curopalates* nobilis scriptor suam auspicatus est Historiam, quam perduxit vsque ad Alexium Comnenum. In quo tamen illud desideratur, quod quæ enarrat, singula singulis, more Theophanis, non reddiderit annis.

QVIS IPSE FVERIT.

IOAN. CVROPAL. HISTORIA. *De qua Baron. an 811. num. XI. & 830. IV.*

[De Theophanis Historia vide etiam quæ dixi ad ann. 408 post num. I. Ex ipsius porro Theophanis, atque etiam Curopalatæ præfationibus intelligitur, priorem Theophanis partem ab ortu Mundi adusque Diocletiani Imperium conscriptam fuisse à Georgio Monacho Syncello, cætera Theophanem Georgii mandato pertexuisse. Obseruarunt que etiam alii, eiusdem Historiam interpolatam sæpius fuisse, aut incertos auctores non sine plagii culpa multa ex eo compilasse; ac præcipue Cedrenum iisdem pene verbis omnia inde transtulisse, & Miscellæ auctorem posterioribus libris nihil aliud nisi eorum interpretem egisse. Cum prodierit illa in lucem publicam ex Bibliotheca Vaticana, seu ex Parisina Regis Christianissimi, vel aliqua alia, vbi integra absque vlla breuiatione asseruetur Græce; poterunt & alii singuli de iis iudicare. Sed & de Ioanne Curopalate, ex ipsiusmet præfatione addimus; ipsum, Historiarum Compendium (sic enim Opus suum vocat,) ex variis auctoribus, sicut & prædictos Georgium ac Theophanem, exscripsisse potius quam conscripsisse.]

IV.

Vt vero ad Leonem redeamus; nactus ipse Imperium, haud siuit Michaelem degere Constantinopoli, licet priuatim inter monachos profitentem; sed ipsum vna cum coniuge & liberis relegauit in Insulam Protam: adiiciens ad crudelitatem, vt filios eius Theophylactum natu maiorem, & Ignatium qui postea sedem Constantinopolitanam gubernauit, castrare iusserit.

V. LVDOVICI IMP. CORONATIO.

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc anno veris initio Carolus Magnus ad confirmandam rursus pacem cum Michaele Imp. ad ipsum legationem misit insignium doctrina virorum, Amalarii Episcopi Treuerensis, & Petri Abbatis Nonantulæ, qui à Leone auditi sunt, atque dimissi anno sequenti cum legatis eius ad Carolum. Hoc vero interim anno idem Carolus, cum iam sentiret appropinquare sibi diem extremum, habito generali *Conuentu Aquisgrani*, omnium consensu atque consilio LVDOVICVM filium suum, qui solus filiorum coniugis Hildegardis superarat, coronauit Imperatorem: vt habet Eginhardus ac veteres Francorum Annales: sed exactius rem gestam, & sanctas monitiones ac pia mandata Ludouico tunc à patre impertita, de seruandis præceptis Dei, Ecclesiis defendendis, sacerdotibus honorandis, populis diligendis, cœnobiis & pauperibus consolandis, malis castigandis, ac fidelibus ministris constituendis, prosecutus est Theganus scriptor eius tēporis Chorepiscopus Treuerensis, qui de gestis Ludouici commentarium edidit, cuius etiam meminit Walfridus Strabo. His vero addit, eundem Carolum totum post hæc eleemosynis & orationibus vacasse; itemque librorum correctioni: siquidem quatuor Christi Euangelia, cum Græcis & Syris collata emendauit.

PRÆCEPTA A CAROLO DATA.

VI. DE QVINQVE CONCILIIS IN GALLIA CELEBRATIS.

Addunt præterea Francorum Annales, fuisse consilium Caroli, vt qui eo pacto recte consuluissent rebus Imperii, statum pariter Ecclesiæ relinqueret bene dispositum; eiusque rei perficiendæ causa, hoc eodem anno mensibus Maio & Iunio quinque CONCILIA in diuersis Galliarum locis celebrari voluisse; vnum *Moguntiaci*, alterum *Rhemis*, tertium *Turonis*, quartum *Cabilone*, quintum *Arelate*: quorum quidem extant *b* singulorum magno numero canones editi; in quibus nihil pene prætermissum est, quod ad optimam Ecclesiæ institutionem spectare posse videatur. Illud vero interalia in Moguntino *c* decretum est, vt non amplius Episcopi, qui ob bellorum frequentiam iam armis assueuerant, ea gestarent; sed laicis qui apud ipsos essent, portare permitteretur, quia (vt aiunt) antiquus mos esset qui ad eos vsque peruenisset. Quod quidem obseruatione dignum est, aduersus eos qui ista de laicis impugnare consueuerunt. In Rhemensi *d* quoque notandum, quod Patres statuunt, Vt Episcopi & Abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet, ac sumant cibum cum benedictione & laude Domini. Quod idem & in Turonensi *e* decretum reperitur. In Cabilonensi *f* vero mentio habetur de præcepto Caroli Magni, quo voluit omnes Episcopos Scholas erigere, in quibus bonæ literæ, atque imprimis Theologicæ, legerentur. Illudque insuper aduersus auaritiam Ecclesiasticorum sancitum est, vt siquando sacerdotes, fruges vel quosdam reditus terræ congregant ac protelant, non ideo hoc faciant, vt carius vendant, & thesauros congregent, sed vt pauperibus tempore necessitatis subueniant. Actum & de Peregrinationibus suscipi solitis à Fidelibus ad loca sancta; quarum hoc tempore celebertimæ essent in Occidente, Romam ad Limina Apostolorum, atque Turonum ad S. Martinum: & quod iis complures diuersis modis abuti solerent, definitum est quando & à quibus fieri deberent.

b *Tom. III. Concil.*
c *Concil. Mogunt. c. 17.*
d *Concil. Rhem. c. 1.*
e *Conc. Turon. c. 6.*
f *Conc. Cabil. c. 3. & 8.*

PEREGRINATIONE TOLLENDO ABVSVS

g *Ibid. c. 44. 45.*

h *Concil. Arel. c. 13. Mogun. c. 8.*

Denique in Concilio Arelatensi, *h* sicut & in Moguntino, præceptum est, vt Episcopis obediant Comites & Magistratus ac iudices sæculares, & inuicem consentiant ad iustitias faciendas. Reliqua vero eadem pietate & prudentia à Patribus in iisdem Conciliis statuta, tu maiori otio consulas.

VII. ELECTIONES EPISC. REDDITÆ LIBERÆ. *Capitul. lib. 1. c. 84. & lib. 3. c. 34.*

Sed & in eo potissimum idem Carolus intentum animũ habuit, vt ipsam Dei Ecclesiam omni ex parte liberam relinqueret: cuius rei gratia Episcoporum electionem vsurpatam à prædecessoribus in pristinam libertatem restituit; sanxitque lege vna cum Ludouico Imperii consorte, vt *secundum statuta canonum per electionem Cleri & populi de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum, Episcopi eligerentur.* Fuisse tamen solitum, vt Visitator à Rege mitteretur, qui eiusmodi electionibus præesset; nec ante licuisse quicquam agi, eo quod magnæ rixæ in his accidere consueuissent ob diuersorum studia, constat ex epistola Hincmari Rhemensis ad Regem Carolum Caluum postea scripta. Extat vero apud Agobardum, cuiusdam *Flori* qui his temporibus floruit, (cuiusque est mentio apud Vsuardum in præfatione ad Martyrologium, & summa laus apud Walfridum Strabonem in carmine ad eundem Agobardum Archiepiscopum Lugdunensem) fragmentum de antiquis Episcoporum electionibus, quo docet haud debere Principes se iis immiscere. Sed & cum disertis verbis ait, in Romana Ecclesia vsque ad illam diem, absque interrogatione Principis, solo dispositionis diuinæ iudicio, & Fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari; eosque etiam omnium regionum & ciuitatum quæ illi Ecclesiæ subiectæ sunt, iuxta antiquum morem eadem libertate ordinare atque cõstituere sacerdotes: ex his, præter illa quæ superius dicta sunt de libera in Romana Ecclesia Papæ electione, redarguitur itidem mendacissimus Sigebertus.

ROMANI PONTIF. ELATIO LIBERA.

IESV CHRISTI AN. 814.

LEON. III. AN. 19.

LVDOVICI I.

LEON. ARM. I.

I. LEO IMP. HOSTIS SACRAR. IMAG. *a Cedr. & alii.*

ANno Christi octingentesimo decimoquarto, Indictione septima, Leo Imp. cum iam omnium sibi conciliasset animos, Imperiumque tyrannice susceptum stabiliisset, latentem animo hæresim prodens, siue (vt alii malunt) ex Orthodoxo, deceptus fraude hæreticorum, hæreticus factus; consilium cum suis iniit de abolendis sacris Imaginibus. Itaque tentato prius frustra Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, omnes monasteriorum Præfectos, interque alios magnum illum Confessorem Theodorum Studitam (nam maximus ille Plato, Theodori olim magister, & in passionibus socius, iam diem sanctissime obierat *b* anno ætatis suæ septuagesimo nono) omnesque Episcopos Constantinopoli tunc existentes, vna cum eodem Patriarcha ad se in Palatium accersens; vt omnia exæquitate agere videretur, iussit eosdem de veritate cultus sacrarum Imaginum coram ipso cum eas negantibus conferre. Id vero cum ipsi constanter in faciem ei denegarent, tum quod quæ semel in Generali Concilio fuissent definita, non essent amplius in dubium reuocanda, sed qui ea negarent execrandi; tum quod Sacerdotum esset & non Imperatoris, atque in Ecclesia non in palatio, de fide agere; ac denique quod ipsius Imperatoris esset animus obfirmatus in hæresi, adeo vt non haberet aures ad audiendam veritatem: his ipsorum responsis ira furens Imperator, eisdem domum remissis, domesticatim singulis edicto prohibuit, ne quis cum aliis conferre, aut docere, vel de fide prorsus loqui auderet.

b Egit de eius obitu Baron. an. 12.

ABNVVNT CATHOLICI CONFERRE CÜ HÆRET. DE REBVS SEMEL IVDICATIS.

II.

Cui cum obtemperarent plurimi, ipseque etiam Nicephorus Patriarcha, quinimo silentium scripto polliciti essent; fortissimus Theodorus intrepide ex aduerso in facti detestationem consurgens, non solum Imperatori renuntiauit, non debere in tanto veritatis discrimine silere; sed & alios qui se continerent, adeo continuis suis admonitionib. literis, clamoribus excitauit, vt & ipse Nicephorus palam egregius Confessor progrederetur. Cuius rei gratia, cœpta in eundem Patriarcham persecutione, idem à sede violenter extractus in exilium est amandatus Proconnesum. Quo tempore illud mirabile accidit, vt Theophanes Confessor Abbas monasterii Agri, idemque (vt vidimus ex Anastasio) Historiæ conscriptor, in quodam prædio existens, diuinoque instinctu sentiens Nicephorum nauigio præteruehi, sustitu & cereis eum prosecutus fuerit; sed & Nicephorus eodem momento eleuatis manibus, flexisque genibus, à nauigio eum salutauerit; cum neuter alterum oculis corporeis videret.

NICEPH. EPISCOP. CONST. PELLITVR IN EXILIÛ.

III.

Expulso porro Nicephoro, in locum eius suffectus est ab Imperatore, ipso Resurrectionis Dominicæ die, *Theodotus* quidam Melissenus, cuius fraude ipse Imp. fuerat in hæresim perductus, idemque *Cassitera* (hoc est, Stanneus) dictus, ex eorum numero qui Spatharii dicebantur; homo nihili, & totus carnis luxuriis ac voluptatibus deditus. Qui mox *Synodo* hæreticorum conuocata, (ad quam Orthodoxi inuiti, aut omnino interesse recusarunt, aut interfuerunt, vt ipsos hæreticos redarguerent) impiam illam sub Constantino Copronymo habitam confirmans, Orthodoxam Nicænam posteriorem anathemate damnauit. Iis vero aduersantes Episcopi & Abbates, in exilium pulsi sunt; interque Episcopos præcipui Theophylactus Nicomediensis, Ioseph Thessalonicensis, Theophilus Ephesinus, Petrus Nicænus; ex Abbatibus vero Theodorus Studita, Nicetas olim Patricius & Irenes Imperatricis consanguineus, Theophanes Agrensis, aliique plurimi sanctissimi viri, in vita & post mortem virtutibus atque miraculis clarissimi. Quæ quidem omnia hactenus recensita, habentur copiose pertractata apud Michaelem Studitam in Vita Theodori, Theosterictum *c* in Niceta, Cedrenum in Leone Imperatore, atque in pluribus eiusdem Theodori tunc ad diuersos exhortatoriis & consolatoriis, atque etiam dogmaticis scriptis epistolis *d*. Cuius quidem & illud fuit infracti animi facinus, vt cum vidisset demotum Catholicum Patriarcham, & in sacras Imagines vbique conculcari, iusserit monachos omnes sui monasterii Imagines manibus sublimes gestare, totumque circumeundo cœnobium laudes earum decantare: nihil territus minis Imperatoris, quin magis magisque earundem veneration em & dictis & factis declararet.

SYNODVS HÆRET. ADVERSVS IMAG.

ORTHODOXI EXVLANT.

c Ap. Sur. 3. April.

d Theod. Stud. lib. 2. epist.

IV.

Sed quod rursum ad Leonem spectat; qui res Venetorum sunt prosecuti, & inter alios Sabellicus, tradunt ab eo missas ad Ducem Venetorum, dictum Angelum Patriciacum, sacras Reliquias; nempe *S. Zachariæ* corpus cum parte sactissimæ *Crucis*, ac *Dominicæ Vestis*, & *alterius*, quæ Deiparæ fuit Virginis. Quod quidem mirum videri debet, vt quas Leo non coleret, aliis colendas mitteret: nisi dixerimus, hisce muneribus deuincire sibi conatum esse animum externorum, quæ ipse contemneret, & ab iis plurimi fieri sciret.

RELIQVIÆ SACRÆ MISSÆ VENETIAS.

V.

Quod vero ad res Occidentales pertinet; hoc eodem anno *Carolus Magnus* Imper. Aquisgrani pleuritide laborans, septimo infirmitatis die, qui fuit quintus ante Calendas Februarii, oleo sancto inũctus ab Episcopis, & viatico sumpto, commendans Domino spiritum suum, feliciter ad Deum migrauit, anno ætatis suæ septuagesimo secũdo, Regni Francorum post mortem Pipini patris quadragesimo septimo, Imperii vero decimoquarto inchoato: sepultusque est magnifice eadem die, vestibus indutus Imperialibus, in Ecclesia B. Virginis, quam ipse in ea vrbe construxerat. Hæc Eginhardus, Theganus, & alii. Sed si quæ de ipso scripta sunt inspectes, dignum virtutum exemplar intueberis, religionisque omnibus absolutum numeris simulacrum; cui nec, mea sententia, qui præcesserunt, vel postea successerunt Imperatores, æquari penitus valeant. Sed nec in moribus haberet æqualem, nisi coniugale castitatem concubinarũ introductione fœdasset. Verum posterior maculas istas pœnitentia abstersit, dũ senilem carnem suam cilicino super nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit. Cuius quidẽ egregiarum virtutum merito, Ecclesia Gallicana eiusdẽ natalem

CAROLI MAG. OBITVS.

DE VIRTVTIBVS EIVS.

diem

CVLTVS VT SANCTVS.

diem celebrat: eundemque sub Friderico Imp. Paschalis Papa dictus, in numerum Sanctorum adscripsit. Sed quod is haud legitimus fuit Pontifex, eiusmodi canonizatio non est recepta ab Ecclesia Romana. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnasse, res sic tacita permissione siue tolerantia perseuerauit, vt in propria Ecclesia vbi sepultus fuit coleretur. Ita enim canonum præcipui interpretes e declararunt. Propagatus autem postea noscitur eius cultus in alias Ecclesias Galliæ, Belgij, atque Germaniæ, in quibus idem Carolus sanctitatis titulo colitur; fauentque scripta plurimorum rerum Francicarum historicorum. Eius vero corporis formam (si & hoc cupis) habes apud Eginhardum descriptam, qui ei fuit a secretis.

e Card. Ost. & Io. And. in c. 1. de Relig. & vener. Sanct.

VI. LVDOVICVS PIVS IMPERAT IN OCCID.

Post obitum Caroli, LVDOVICVS filius eius, ob insignem pietatem dictus cognomento PIVS, Imperator iam ante creatus, ex Aquitania vbi tunc erat Aquigranum veniens, suscepit etiam amplissimi Regni administrationem: moxque apertis paterni testamenti tabulis, legata omnia dissoluit; & donationes a patre, fratribusque, diuersis Ecclesiis factas confirmauit. Ac susceptis legationibus e diuersis regnis & regionibus, atque etiam ab Imperatore Constantinopolitano, (nempe eam, quam Leo Imp. vna cum Amalario Treuerensi, misso Constantinopolim a Carolo, ad ipsum direxerat) alias ipse pariter ad diuersos Principes decreuit. Hæc ex Thegano, Rerum ipsius scriptore illius temporis: qui & de Carolo Magno habet, summum planctum per vniuersam terram pro eius morte factum fuisse; ipsosque Paganos eum planxisse quasi patrem Orbis.

IESV CHRISTI AN. 815.

LEON. III. AN. 20.

LVDOVICI 2.

LEON. ARM. 2.

I. IN LEONEM PAP. CONIVRATIO.

ANNO Domini octingentesimo decimoquinto, Indictione octaua, Ecclesia Romana sceleratorum hominum factione pressuram passa est. Siquidem Carolo Magno sublato de medio, qui eius peculiarem protectionem susceperat; quasi eius morte Leo Pontifex destitutus omni remansisset auxilio, rursum aduersus eum ex primoribus Romanorum facinorosi homines conspirarunt, vt eum neci traderent. Quod ipse intelligens, in eos lege agi præcepit. Vnde magnis obortis turbis, atque depræ dationibus, & incendiis, Ludouicus Imp. misit in Vrbem Bernhardum, qui loco Pipini eius patris successerat in regnum Italiæ; à quo eiusmodi seditio compressa est. Sed & missi à Leone Legati, ipsum Pontificem apud Imperatorem purgatum reddiderunt de omnibus obiectis criminibus. Hæc Annalium scriptor huius temporis, ipsius Ludouici domesticus; necnon qui eius Vitam conscripsit Adhemarus, & apud Aimonium apposuit appendicem; aliique qui res Ludouici sunt prosecuti.

II. VIS ET FRAVS LEONIS IMP. IN ORTHODOXOS.

Quod vero pertinet ad res Orientales; hoc item anno impius Leo Aug. maiori in Orthodoxos odio cœptam anno superiori persecutionem adaugens, cum videret nihil se profecisse exilio eorum quos relegauerat; vt facilius eosdem ad lapsum præsens ipse cogeret, plerosque ex Archimandritis Constantinopolim reuocatos, in diuersos eosque terrimos carceres coniecit. Sed cum nec tormentis, nec fame, ad suam sententiam pellicere posset fraudem adhibens, conditionem proposuit, nihil aliud ab eis se quærere, quam vt semel cum Theodoro Patriarcha communicarent, ac de cetero quam vellent fidem sequerentur: quo dispensationis velamento simpliciores decepti sua receperunt monasteria. Inter quos Niceta & ipse suasione aliorum in eandem prauam simulationem delatus, mox facti pœnitens veritatem coram ipso Imp. viriliter propugnauit: vnde in insulam Glyceriam relegatus, arctissimo carceri mancipatus est; in quo per sexennium vsque ad Leonis obitum constans in iugi martyrio perseuerauit. Hæc omnia pluribus Theosterictus in Rebus gestis eiusdem Nicetæ.

III. THEODORI STVD. CERTAMINA PRO FIDE CATHOL.

Theodorus autem Studita haud cum ceteris Constantinopolim reuocatus quod nulla spes esset Imperatori, ipsum in suam sententiam pertrahendi, immo contra timeret ne alios à suis fraudibus auocaret; cum audito Archimandritarum lapsu, reliquos omnes è carcere vbi detinebatur in exilio literis suis ad constantiam roboraret, eiusdem Imp. iussu longius amandatus est vbi nullam cum aliquo communicationem habere posset. Qui cum & virgis minutatim cædi iussus esset; qui ad id operis delectus est Niceras quidam Alexij filius, vt vidit Theodori corpus, alacriter ad accipienda verba se componentis, æstate & ieiuniis ad summam maciem redactum, compatiens ei, non solum non attingere ausus est, sed & pia fraude, quo Imperatoris iussa expleisse à sociis existimaretur. (solus enim ingressus est in carcerem, ob viri, vt aiebat, reuerentiam) ouis pellem recens detractam accipiens, super eã verba distrinxit; & immenia prorsus charitate, vt guttas etiam ex plagarum cruore profusas ostendere liceret, ipse sibi sanguinem ex brachio lanceolæ ictu elicuit, eoque flagrum imbuit. Narrat hæc Michael monachus in Rebus gestis Theodori. Porro ab eiusmodi Confessorum cædibus abstinebatur, quod Imperator inuideret eis martyrium, cuius sciret esse cupidissimos.

PIA FRAVS NICETÆ.

IV. HISPANI CONFVGIENTES AD FRANCOS BENE HABITI.

Eodem tempore in Occidente, cum Hispaniæ diro Saracenorum iugo premerentur, complures populi inde in Gallias cum suis Comitibus confugerunt. Quos Imperator maxime pius Ludouicus, non vt seruos suscipiens, sed Francis ipsis coæquans, immo & præponens; non solum liberos esse voluit, sed & agros in prouincia Septimania (sic dicta à Septimanorum colonia, quæ olim eam colendam accepit) tradidit, quos in proprium vsum colerent, & a tributis immunes possiderent. De quo extat a eiusdem Ludouici diploma, hoc anno Calendis Ianuarij datum. Cum vero paulo post iidem à suismet hominibus Hispanis qui inter eos potentiores erant, (quod plane mireris, cum & ipsi extorres essent, & precario à Francis suscepti) cultis priuarentur agris, & in seruitutem redigerentur, opus fuit, vt aliud rursum aduersus eiusmodi tyrannorum audaciam, idem Imperator anno sequenti quarto Idus Februarij promulgaret edictum; quod & ipsum adhuc extat.

a Ext. in Annal. franc. à P. Th. editis.

IESV CHRISTI AN. 816.

STEPH. V. AN. 1.

LVDOVICI 3.

LEON. ARM. 3.

I. CONFESSORES PLVRIMI OB DEFENSIONEM SACRAR. IMAG.

ANNO Christi octingentesimo decimosexto, Indictione nona, vrgente magis persecutione Leonis Imperatoris, Theophanes (qui & Isacius dictus) præfectus monasterij Sigriani, necnon Cosmas Chalcedonensis Episcopus, aliique plurimi tam monachi quam moniales, carceres, verbera, atque exilia passi sunt pro defensione sacrarum Imaginum, plurimique postremo in eiusmodi ærumnis ad Dominum migrarunt; inter quos prædictus Theophanes, post biennium carceris in insula Samothrace obdormiuit, indeque translatus Constantinopolim, innumeris fuit miraculis illustratus. De his vero Confessoribus agitur in Tabulis a Ecclesiasticis Græcorum & Latinorum, & in Epistolis b Theodori Studitæ. Qui & ipse Theodorus noua emergente causa, ob clericum Asiaticum ex hæretico Iconoclasta ab eo conuersum ad fidem Catholicam, iussu Imperatoris crudelissima passus verba, in longe tetriorem carcerem trusus est: vbi inter alia ingentia tormenta, dira fame cruciatus, sacra dumtaxat vixit Eucharistia, (cuius partes aliquas semper habere secum, more Orientalium consueuerat) quousque Deus alia ratione ipsius victui mira-

a Martyrol. Rom. 11. Mart. Men. Grec. 27. Mart. & 18. April.

b Theod. Stud. 2. ep. 193. & 59.

MA[illegible] AVOVE[illegible] CERTAMEN

biliter prouidit. Quo etiam tempore maxime enituit Imperatricis *Mariæ* certamen; illius quæ nupta Constantino Irenes filio, cum ipse præter ius fasque Theodoten mœcham sibi in vxorem coniunxisset, in monasterium detrusa fuerat: quæ quidem ea occasione bene vsa, adeo profecit, vt hoc persecutionis tempore exilium passa, victricem sibi texuerit coronam: prout docetur ipsius Theodori *c* epistola ad eam tum scripta, cum eius filia Augusta tunc regnans matrem Mariam ad se studeret vt secum degeret euocare: quod fieri non debere, ex Euangelica lege Theodorus eam monuit, ne cum hæreticis communicaret aliquo modo, vel cõmunicantibus cum hæreticis communicatione vllatenus iungeretur.

c Theod. l. *p.* 182.

II. QVI PRO IMAGINIBVS DECERTANT, PRO CHRISTO ET SANCTIS DECERTARE.

Sed & cum inter hæc assererent hæretici, frustra gloriari in confessione Fideles, longeque procul abesse vt pro Christo pati dicantur, qui pro Imaginibus subeant illata supplicia; sed sicut pro Imaginibus susceptum fuisset certamen; ita imaginaria spes esset de præmio consequendo: ista audiens Theodorus, mox occurrens, ad omnes Christi Confessores vbique degentes egregiam scripsit epistolam *d*, aliamque rursus ad Abbatem quemdam in carcere constitutum; quibus abunde ex sacra Scriptura & sanctis Patribus ostendit, Imaginem semper ad prototypum relationem habere; & ideo qui pro Imaginibus decertant, pro CHRISTO ipso & Sanctis decertare: ac vere Martyres esse, qui pro eis supplicia subeunt. Vixque credi potest, quot hoc tempore literas idem Theodorus scripserit, hortatorias ad martyrium, catecheticas ad institutionem, dogmaticas aduersus hæreticorum obiectiones, consolatorias ad concaptiuos, luctuosas ad lapsos, canonicas ad resipiscentes: Vt plane appareat constitutum ipsum à Deo in Ecclesia Orientali fuisse, his deploratissimis sub hæreticis Impp. temporibus, tamquam Patriarcham qui omnium curam gereret, & diuinum oraculum quod omnes consulerent. Quanti vero sint faciendæ ipsius Epistolæ, Deus insigni miraculo *e* comprobauit, quod refert Michael; dum ingens quoddam incendium, quod nec aqua nec vllis machinis extingui poterat, iniecta in illud à quadam pia femina, cuius facultates ea conflagratione absumebantur, epistola eiusdem Sancti nuper ad eam missa, subito restinctum est. Sed & si earundem ipsius epistolarum vim consideres, totidem esse fulmina cœlitus missa dices, quibus omnes Hagiomachi & Iconomachi Nouatores percussi valide, penitus conterantur.

d Id. 2. *ep.* 21. & 23.

DE THEODORI EPISTOLIS SCRIPTIS IN CARCERE.

e Ap. Bar. n. an. 825. in fin.

MIRACVLVM EX EPISTOLA THEODORI.

III. LEON. PP. OBITVS.

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc eodem anno pridie Idus Iunij, Leo Papa, cum (vt Anastasius habet) sedisset annos viginti, menses quinque, & dies septendecim, ex hac vita migrauit; sepultusque est in basilica S. Petri. Cuius cum recenseantur nonnullæ res gestæ absque nota temporis, hic de iis agendum est. Tradunt enim Scriptores omnes quotquot res Hispanicas sunt prosecuti, huius auctoritate Pontificis factum, vt sedes Episcopalis Hirienſis Ecclesiæ transferretur Compostellam, id exposcente per Carolum Magnum Alfonso Casto Rege Gallæciæ ab eodẽ Leone Papa Tertio. Idque quod reperto Compostellæ venerando corpore S. Iacobi Apostoli fratris Ioannis, (de cuius translatione dictum est alias *f*) atque miraculis insigniter illustrato, Apostolici culminis reuerentia dignum visum est, vt locus ille sedis Episcopalis insigniri deberet honore. Ex quo etiam tempore cœptus est totius Orbis concursu frequentari: adeo vt qui ipsum venerandum sepulchrum vniuerso patens orbi, miraculorum promptuarium nominarit, puto veritatis scopum attinget.

INVENTIO CORPORIS S. IACOBI APOST.

f Sup. an. 44. *nu.* IV.

IV. MISSÆ PLVRES VNO DIE.

Ad hunc quoque Romanum Pontificem spectare certum est, quod Walfridus Strabo huius temporis auctor *g* scribit, Leonem Papam qui non longe ante vixisset, vna die septies vel nouies Missarum solemnia sæpius celebrasse. Sed tractatio de pluralitate Missarum vna die agendarum, prolixiorem requirit disputationem. Leo vero cum esset grauissimis afflictionibus vexatus, frequentiorem adhibuit ad implorandum diuinum auxilium celebrationem Missarum: sicut & S. Vldaricum Augustanum, & alios sanctissimos viros id ipsum aliquando vsurpasse reperimus.

g Walfr. de Reb. Eccles. c. 21.

V. Sed & idem Leo, quod tot annis quibus in Pontificatu vixit, multiplicibus oblationibus Caroli Magni & aliorum Regum, cererorumque Fidelium ad sacra Limina ex remotissimis quibusque regionibus iugiter peregrinantium Romana locupletata Ecclesia admodum fuerit, quicquid superesset cleri atque pauperum alimoniis; accreici voluit restaurationi & ornamentis ecclesiarum: quæ quam multiplicia fuerint & quam pretiosa, fuse describit Anastasius. Quẽ si pariter legeris in aliorum Pontificum subsequentium ac præcedentium Rebus gestis, miraberis plane pretiosissima ornamenta, atque ingentia dona aurea, argentea, & gemmea, quæ ab iisdem collata esse ecclesiis Vrbis ipse scribit. Atque vtinam, vt in huiusmodi rebus recensendis se exhibuit in Vitis singulorum Pontificum solertissimum, ita in conscribendis rebus gestis eorum in moderanda Ecclesia Vniuersali diligentem se præstitisset.

DE PRETIOSISS. ORNAMENTIS ECCLES. VRBIS.

Ceterum post mortem Leonis, Sedem vacasse dies decem, idem auctor tradit, licet alij habeant viginti. Sicque ex eius sententia, decimo Calendas Iulij ex diacono creatus est in locum ipsius, STEPHANVS Papa eius nominis Quintus, dictus Quartus: qui autem sedem Leonis dies viginti vacasse ponunt, creationem Stephani ad quintum Nonas Iulij collocant. Fuit autem Stephanus (vt Anastasius habet) patria Romanus, ex patre Marino nobilissimo genere ortus. Qui (vt auctor est Theganus *g*) mox vt creatus est, populum Romanum sacramento Ludouici Imp. adegit. Ac paulo post in Gallias tendens, pro stabilienda (vt Anastasius ait) Ecclesiæ pace, honorificentissime ab ipso Imp. obuiam ei facto, & in ipso accessu terante pedes ipsius prostrato, excepti est Rhemis, omniaque obtinuit quæ petiit. Hæc pluribus Theganus: quorum etiam testis est auctor incertus *h*, sed qui & ipse sui temporis res gestas conscripsisse nosci tur, domesticus Ludouici, per singulos annos Vitam ipsius conscribens. Addit Theganus, eundem Pontificem in Ecclesia ante Missarum solemnia coram clero & omni populo vnxisse Ludouicum in Imperatorem, & Irmingardem eius vxorem coronasse, Augustamque nominasse. Apud Aimoinum autem traditur, Stephanum non duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quam maximis itineribus ad Imperatorem contendisse, ac tertio postquam rediit mense nondum exacto, circiter octauum Calendarum Februarij decessisse. Ex quibus patet, ipsum hoc eodem anno ex Galliis Romam redisse ad finem mensis Octobris. De obitu vero dicetur anno sequenti; sicut & de eo quod sub eius nomine fertur, decreto de Electione Rom. Pontificis.

VI. STEPH. V. CREATVR.

g Theg. de gest. Ludou. Imp. c. 16. 17. 18. PROFICISCITVR IN GALLIAS, ET CORONAT LVDOVICVM IMP.

h Vit. Ludou. c. 38. & 39.

IESV CHRISTI AN. 817.

PASCHAL. AN. 1.

LVDOVICI 4.

LEON. ARM. 4.

I. STEPH. PP. OBITVS.

ANNO Christi octingentesimo decimo septimo, Indictione decima, octauo Calendas Februarij mortuus est *Stephanus* Papa, cum sedisset menses septem & dies tres; sepultusque est in basilica S. Petri. Hæc ex Anastasio: apud quẽ error irrepsit, dum pro septem mensibus, septem positi habentur anni, vel etiam septẽ anni & septem menses. Etenim redarguitur apertissime error ex huius temporis Rerum Francorum Scriptoribus; qui omnes æque testantur, post reditum ex Gallia Stephanum tribus mensibus tantum fuisse superstitem. Quem & ante obitum illustratum fuisse miraculis, Theganus tradit. Cum autem vix biduo (vt habet Anastasius) sedes vacasset, PASCHALIS patria Romanus ex patre Bonoso, miro totius cleri & populi consensu, ex presbytero, ac monasterij S. Stephani præfecto, creatus est Summus Pontifex; vir sanctus, doctus & eloquens, magnanimus, & misericors, omnibus denique virtutibus præditus, atque Ecclesiasticæ disciplinæ, iustitiæque studiosissimus: quem & eo sanctitatis euectum vt miracula ediderit, ex eodem Anastasio constat. Idem vero mox in Gallias missa le-

PASCHALIS CREATIO.

gatione,

gatione, confirmationem pacti & amicitiæ (vt habetur in Vita Ludouici Imp. & apud alios eiusdem sæculi historicos) more prædecessorum suorum ab eodem Imp. expetiit.

II. CONVENTVS AQVISGRAN. PRO REFORMATIONE MONACHOR. ETC.

Hoc item anno, sexto Idus Iulij, idem Ludouicus generalem habuit *Aquisgrani* CONVENTVM Episcoporum atque Abbatum. In quo fecit componi ordinatique librum canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius monachalis ordinis perfectio contineretur; inserta etiam cibi, potusque, & aliarum rerum necessariarum quantitate. Itidemque constituit Benedictum Abbatem, vna cū aliis strenuæ vitæ monachis, qui cuncta monasteria tam virorum quam feminarum circumeuntes, vniformem traderent cunctis viuendi secundum regulam S. Benedicti incommutabilem morem. Tradit hæc idem Vitæ Ludouici auctor. Monastica porro instituta à prædicto Benedicto Abbate, & aliis cum eo delectis statuta habentur octoginta capitulis distincta, in Additione prima post septimum librum Capitularium Francorum: quæ & asserit Leo *a* Ostiensis, apud Cassinēses monachos perinde fere ac regulam S. Benedicti obseruata esse. Additque insuper idē auctor Vitæ Ludouici, tunc ad exemplū ipsius Imperatoris, qui in pomparū sublimitate cōstitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat, cœpisse deponi ab Episcopis & clericis cingula baltheis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, & calcaria talos onerantia relinqui. Leo vero etiam addit, eundem Imp. confirmasse quæcunque à Pipino auo, & Carolo patre, donata vel restituta fuissent Ecclesiæ Romanæ. Quæ quidem Constitutio tunc à Ludouico conscripta ex parte recitatur à Gratiano *b*, integra autem habetur *c* in codicibus Vaticanis; qua profitetur concedere se Romanis Pontificibus ipsam Romanam ciuitatem cum Ducatu suo, & omnibus locis quæ eius ditionis essent tam in Tuscia quam in Campania: itemque Exarchatum Rauennæ integrum; necnon Insulas Corsicam, Sardiniam, & Siciliam: insuperque Ducatum Beneuentanum & Spoletanum; Neapolim quoque, Calabriam, & alia plura loca quæ continentur eadem publica Constitutione: quam tum sua, tum filiorum, & aliquot Episcoporum, atque Comitum subscriptione firmatam, per Legatum Paschalis Papæ, ipsi transmisit.

a Leo Ost. Chron. Cas. sinib. l. 1. c. 18.

b Dist. 63. c. ego Ludouicus. c Rec. Baron. Annal. Tom. IX. hoc an. [Quod vero Goldastus cā suppositiam esse criminatus est, refellit insciam eius Gretserus ca. 8. Apolog. Baron & lib. 1 cōt. replic. c. 6. de quibus supra ad an. 774. post num. IV.]

III. ELECTIO ET CORONATIO ROMAN. PONTIF. RELICTA LIBERA. d Dist. 33. c. 28. quia Sancta. Ap. Baron. an. super. in fin.

Quod vero eadem pariter liberam omnino reliquit Clero ac Populo Romano electionem & coronationem Summi Pōtificis; nec ad aliud teneri voluit qui crearetur, nisi vbi esset consecratus, legationem mittere ad Imperatorem, qua eum de sua promotione faceret certiorem: ex his datur intelligi, decretum *d* quod recitatur nomine Stephani vltimi Pontificis, ne consecratio electi fieret nisi præsentibus Legatis Imperialibus, aut omnino nō sancitum fuisse, (sicut & aliæ eiusmodi confutatæ sunt superius schismaticorum impostura) vel ab ipso Ludouico non esse acceptatum, cum (vt dictum est) statim his contraria ab eo constituta noscantur. Porro in hoc quoque Conuentu, à Ludouico filium eius primogenitum LOTHARIVM coronatum esse Imperatorem, Pipino vero Aquitaniam datam, & Ludouico Baioariam; tradit idem auctor Vitæ Ludouici.

IV. CONIVRATIO BERN. REGIS ITALIÆ IN LVDOV. IMP. EIVSQVE SVPPLICIVM.

Post quæ, cum sub finem huius anni Bernhardus filius Pipini, fratris ipsius Ludouici Imperatoris, Italiæ Rex, consilio prauorum quorundam hominum in eundem Imp. rebellans coniurasset, moxque Imperator maximum aduersus eum collegisset exercitum; Bernhardus se viribus imparem cernens, ad Imperatorem accessit, ac pedibus eius prouolutus veniam petiit. Cuius ac cōplicum atrocis coniurationis exactiori habita disquisitione, eosdem iudicio magnatum Francorum capitali punitione dignos Imperator luminibus tantummodo priuari permisit: Episcopos autem eiusdem coniurationis reos, à SYNODO Episcoporum depositos, monasteriis mancipauit. Hæc idem qui supra auctor Vitæ Ludouici, aliique Francorum Annales. Addit vero Theganus, Bernhardo die tertio post amissionem luminum defuncto, Imperatorem maximo dolore affectum publicam scelleritatis in eum permissæ confessionem coram Episcopis egisse, & ab eis pœnitentiam suscepisse; de qua dicetur pluribus suo loco. Hæc enim præsenti anno cœpta, in alios sunt propagata: siquidem post sequentis festiuitatem Paschalem excæcatum fuisse Bernhardum, iidem auctores tradunt. Qui etiam detonsos, detrusosque in monasterium narrant filios Caroli Magni naturales, in eiusdem criminis suspicionem adductos, Drogonem, Theodoricum, & Hugonem. Sed & Adelhardus Corbeiæ in Saxonia Abbas, eiusdem Caroli Magni consobrinus, calumniis impetitus iussus est exulare; cū tamen vir esset sanctitate conspicuus, cuius extant Vitæ Acta *e* scriptis tradita à Paschasio Ratberto eius temporis auctore.

e Ap. Sur. 2. Ianuar.

V.

Hoc eodem anno legationem missam esse à Leone Imp. ad Ludouicum Aug. pro finibus Dalmatiarum, Romanorum, & Sclauorum; Theganus tradit.

VI.

Sed quod ad Religionis statum pertinet; vbi innotuisset in Oriente, Paschalem in Apostolicum esse thronum evectum, Theodorus Studita clarissimus Confessor ad eum, pariterque ad Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, literas *f* scripsit, quibus eos certiores reddidit de sæuissima persecutione ab Iconomachis excitata; hortatusque est ad opem ferendam periclitanti fidei Orthodoxæ. Quo eodem tempore cum ex veteri consuetudine ipse etiam impius Theodorus Constantinopolitanus Patriarcha ad eundē Paschalem misisset Apocrisiarios pro respōsis Ecclesiasticis, communionem hac via conatus subripere ab ipso Romano Pontifice; audiens Paschalis eos in Vrbem aduentare, prohibuit ne propius accederent. Contra vero missum nuncium à Theodoro & aliis Archimandritis quam benignissime excepit; & quibus potuit modis studuit periclitantibus præsto esse, reddens ad eos affectus paterni plenissimas Apostolicas literas, quibus ij magna sunt consolatione affecti, & fortitudine roborati. Licet enim careamus literis illis Paschalis; hæc tamen ita se habuisse, fidem faciunt aliæ quæ extant *g* ab iisdem Monasteriorum præpositis ad eundem Pontificem anno sequenti scriptæ. Quas cum citat Gennadius *h* Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus, vna cum aliis *i* ad eundem Pontificem, vel de eo scriptis, recitat quoque totidem verbis quæ in eis habentur in laudem Apostolicæ Romanę Sedis; quæ inter alia ibi vocatur *Supremus thronus, in quo Christus fidei claues posuit; aduersus quem non præualuerunt vmquam, nec præualebunt vsque ad consummationem, portæ inferi, ora scilicet hæreticorum: fons Orthodoxæ veritatis: aduersus omnem hæreticam procellam tranquillus portus Ecclesiæ vniuersæ; electa ciuitas refugii salutis:* ipse vero Pontifex vocatur *Princeps sacerdotum primus Vniuersalis, Supremum lumen, Apostolicum caput, à Deo præpositus pastor ouium Christi, Ianitor regni cœlorum, Petra fidei super quam ædificata est Catholica Ecclesia, &c.*

f Theod. Stud. 2. ep. 12. 14. 15. Meminit quoque earum Mich. in Vit. Theod. LEGATIONES ORIENT. ANTISTITVM AD PASCHAL. PAP.

g Ibid. 2. ep. 13.

h Gennad. Schol. expos. pro Concil. Florent. c. 5. sect. 16. & 17. Ap. Baron. an. seq. & 819.

i Ap. Theod. 2. ep. 12. 62. 63. 86. 129. PRÆCONIA ROM. SEDIS ET PONTIF.

VII.

Quid autem aliis suis literis ad Patriarchas datis Theodorus profecerit, nulla est ipsius affirmatio; immo querela, in epistola *k* postea tēpore Michaelis Imp. scripta ad Hierosolymitanum: in qua laudat tantummodo nauatam operam à Romano Pontifice, quem ait resistentium impietati mentes summopere confirmasse, impiorum vero insolentiam à spiritu profecta reprehensione profligasse. Quamquam querela ista Theodori de Patriarchis, quod Ecclesiæ succurrere destiterint, magis pertinet ad Alexandrinum & Antiochenum: siquidem Hierosolymitanum constat selegisse ex S. Sabæ Laura duos egregios monachos, sanctitate claros, doctrina conspicuos, Christiana constantia firmos, fratres germanos Theodorum & Theophanem; qui missi Constantinopolim vt Patriarchæ sui nomine hæresim oppugnarent, sub impiis Imp. Michaele & Theophilo quam strenuissime certauerunt: vt constat ex auctore eius temporis, qui amborum pugnas est prosecutus; de quibus plura inferius.

k Ibid. 2. ep. 121. QVOMODO PATRIARCHÆ IN HIS ECCLESIÆ NECESSITATIB. SE GESSERINT.

IESV CHRISTI AN. 818.

PASCHAL. AN. 2.

LVDOVICI 5.

LEON. ARM. 5.

I. LEGATIO

ANNO Domini octingētesimo decimooctauo, Indictione vndecima, aduenerūt Cōstantinopolim Legati missi à Pascha-

A PASCH/LE MISSA IN ORIENTEM ADVERSVS ICONOMACHOS.

a *Theod. Stud. 2. ep. 62. & 65.*

b *ibid. 2. ep. 71.*

Paschale Romano Pontifice, cum literis aduersus Iconomachos, quibus iidem erroris arguerentur, & nisi resipiscerent, ostenderentur separati esse ab Ecclesiæ Romanæ communione. Est enim mentio de hac legatione in epistola catechetica Theodori *a* Studitæ ad dispersos fratres contra Iconomachos, aliaque ad Naucratium discipulum suum data, qui Constantinopoli detinebatur in carcere. Qua quidem Legatione illud effectum est, vt *b* quamplurimi detestati errorem, sint veritatem professi, ex omni hominum genere vtriusque sexus: adeo vt & plures qui latebant, prodeuntes in lucem tormentis se obiicerent. Ea enim occasione persecutionem valde recruduisse, ex multis aliis eiusdem Theodori literis fit manifestum. Quod vero persecutores martyrium Orthodoxis inuiderent, haud mortem violentam palam intulerunt, sed fatigationibus eos frangi, carceribusque, & exiliis confici voluerunt: quorum plurimorum nomina in sacras Græcorum Tabulas martyrij titulo relata sunt.

II. MONACHI CONFVGIVNT ROMAM.

Quo etiam tempore, vt Græcis monachis Romam fugientibus Paschalis Papa digne prospiceret; cum non sufficerent magno ipsorum numero alia quæ in Vrbe erant Græcorum monasteria, nouum construxit apud S. Praxedem; quem presbyteralem Titulum nimia vetustate collabentem restituit, & multis Sanctorum corporibus è Cœmeteriis illuc translatis ditauit, donisque quamplurimis & reditibus auxit, in subsidium eorundem monachorum Orientalium: vt testatur Anastasius, & patet ex inscriptionibus quæ adhuc in eadem ecclesia visuntur.

IESV CHRISTI AN. 819.

PASCHAL. AN. 3.

LVDOVICI 6.

LEON. ARM. 6.

I. CONVENTVS AQVISGRA. PRO STATV ECCL.

ANno Christi octingentesimo decimonono, Indictione duodecima, Ludouicus Imp. (vt veteres Annales Francorum produnt) hieme *Conuentum* habuit *Aquisgrani*; in quo multa de statu Ecclesiarum atque monasteriorum decreta sunt: additaque capitula quædam antiquis Constitutionibus. Porro eundem Conuentum habitum fuisse ad audiendas relationes eorum, quos idem Imp. ad restaurandum vel confirmandum Ecclesiarum statum misisset; tradit auctor eius temporis in Vita ipsius Ludouici. Etenim Imperator maxime pius, quibus valuit modis consulere laborans Ecclesiis Gallicanis, per singulas prouincias legationes instituerat singulas; mittens Episcopum, & cum eo Comitem, vna cum legum Ecclesiasticarum capitulis, quæ singulis darent describenda & obseruanda Ecclesiis; quæ adhuc *a* extant. Sed & hoc eodem anno alium habitum esse ab eodem Ludouico *Conuentum* æstatis tempore in villa *Engelheim*, iidē Annales habent; in quo præter illa quæ ad res bellicas spectantia tractata sunt, actum est de his qui res siue personas Ecclesiasticas infestarent: cuiusmodi decreta recenset Benedictus Leuita in Collectione Capitulorum *b*.

a *Capitul. Franc. lib. 2 c. 24. & seqq.*

b *Ibid. lib. 6. c. 96.*

II. CONCIL. IN VILLA-THEODONIS

Adhæc quoque tempora pertinet CONCILIVM triginta duorum Episcoporum celebratum in *Villa-Theodonis c*, cuius certus nescitur annus, licet aliqui in duodecimum supra octingentesimum Saluatoris referant. Verum quod in eo interfuisse leguntur Aistulphus Moguntinus Episcopus & Ebbo Rhemensis, qui iidem nominati reperiuntur inter missos à Ludouico ad prouincias de quibus nuper dictum est: inde euidentissime constat, eandem Synodum Villæ-Theodonis haud posse in ea tempora referri: siquidem eo tempore non isti Episcopi eas regerent Ecclesias, sed Moguntinam Richolphus, & Wolpharius Rhemensem; vt patet ex Synodis Moguntina & Rhemensi celebratis paulo ante obitum Caroli Magni, anno Domini octingentesimo decimotertio. Ceterum istud Concilium Villæ-Theodonis *d*, celebratum est (quo tandem tempore id contigerit) occasione necis Ioannis Episcopi: atque in eo aduersus percutientes Ecclesiasticos omnes in sacro ordine constitutos, antiquæ sunt renouatæ censuræ, & aliæ superadditæ; præsertim vero aduersus insidiantes Episcopis, viguit Ecclesiasticæ censuræ seueritas. Quæ porro eidem Concilio subiicitur Constitutio facta à Carolo Magno & Ludouico filio, aduersus percussores sacrorum ministrorum; longe abest vt eorum esse possit, quandoquidem in ea mentio habetur Concilij Triburiensis, quod celebratum constat sub Arnulpho Rege anno Redemptoris octingentesimo nonagesimo quinto.

c De hoc Concil. egit Bar. an. 806. sed postea correxit. Quid vero fraudis in illud commiserit *Goldastus*, vide Gretser. A

d *Tom. 3. Concil.* DECRETA CONTRA PERCVSSORES CLERICOR.

Sed quod spectat ad eas quas diximus, aliasque Leges Ecclesiasticas, tam ab eodem Ludouico, quam à Carolo Magno ipsius patre, in frequentibus Synodis ab illis habitis editas; eas Romani Pontificis auctoritate sancitas esse, Episcoporum conspirante sententia, nec aduersus Romanorum Pontificum aliorumque Episcoporum decreta, aliquid ipsos præsumpsisse; multis in locis testatur idem qui ipsorū leges Capitulares collegit Benedictus *e* Leuita. Quod adnotasse voluimus ad confutandam Nouatorum perfidiam, qui exemplo Caroli, Ludouici, & aliorum Christianorum Principum, ius condendarum legum Ecclesiasticarum tribuunt Regibus & Imperatoribus. Tantum enim abfuit Ludouicus, de quo nunc agitur, (de ceteris enim dictum est, vel dicetur suis locis) à condendis legibus ad Ecclesiæ personas & res spectantibus; vt etiam nec putauerit licere sibi suisque Episcopis absque auctoritate Romani Pontificis, de his quæ spectant ad Ecclesiasticas controuersias, vel tantum pertractare atque differere; vt patet ex ipsius Episcoporumque literis ad Eugenium Papam Secundum postea *f* scriptis.

III. AVCTORITATE SEDIS APOSTOL. SANCITÆ CAROLI ET LVDOVICI LEGES.

e *Capitul. lib. 6. c. 96. & 267. lib. 7. c. 91. 104. 187. 205. 265. 267. Addit. 4 ad lib. 7. c. 12.*

Hoc eodem anno idem Ludouicus Imp. duxit vxorem *Iudith*, filiam Huelfi Comitis, quam creauit Augustam; cum iam anno superiori mortua esset Irmingardis Imperatrix. Hæc veteres Francorum Annales. Porro de nobilissima stirpe Bauarorum fuisse Iudith, Theganus affirmat: sed quanta ex hoc matrimonio mala emerserint, videbitur infra.

f *Inf. an. 824. in fin.*

IV.

Absoluitur item hoc anno diri carceris Theodori Studitæ annus tertius: quo, mense Februarij, iussu Leonis Imp. (in cuius manus inciderant literæ quædam eiusdem Sancti, quibus eius amentia atque impietas arguebatur) ad acriora reuocatus tormenta, à Magistro militum Orientis dirissime verberibus fere vsque ad mortem cæsus est, ac post tres menses Smyrnam perductus: vbi iterum atque iterum acerrima passus verbera, (quibus insuccum ac solis ossibus inhærens ipsius corpusculum, centenis per vices ictibus penitus dilacerari consueuerat) in obscurum sub terra carcerem retrusus est postea vero blandimentis tentatus, cum nec sic à fidei confessione dimoueri posset, arctiori custodiæ redditus est. Hæc pluribus Michael æque monachus Studita in ipsius Vita; quæ etiam constant ex eiusdem Theodori tunc ad diuersos furtim scriptis literis *g*, cum magna vigilantia caueretur, nequis ad eum accederet, vel cum eo loqueretur.

V. THEODORI STVDITÆ NOVA PASSIONES.

g *Theod. Stud. 2. ep. 38. 62. 63. 71.*

IESV CHRISTI AN. 820.

PASCHAL. AN. 4.

LVDOVICI 7.

LEON. ARM. 7.

I. LEO IMPERATOR OCCIDITVR IVXTA ALTARE.

ANno Domini octingentesimo vigesimo, Indictione decimatertia, multa præcesserunt de Leonis Imp. interitu præsagia, & prædictiones: qui tandem in ipsa nocte Natalis Domini, dum Officio Ecclesiastico interesset, in ecclesia Palatij gladiis coniuratorum appetitus, ad sacrum altare recurrens, Cruce ictus confodientium diu auertit, donec vndique vulneribus confossus succubuit; interfectus à

fauto-

fautoribus *Michaelis* Ducis cognomento *Balbi*; qui quod multa in ipsum Imp. atrocia effutire, licet sæpe monitus, non desisteret, damnatus igni fuerat, mox post festum Natalis Domini comburendus. Necatus est autem Leo, postquam regnasset septem annos & menses quinque; & immaniori quam vllus antecessorum crudelitate atque impietate vsus, diligentiam in Republica procuranda, inque rebus bellicis fortitudinem suam obscurasset. Eius cadauer percussores in Circum traxerunt. Aiuntque, vocem statim cœlitus editam, quæ lætum de eius morte nuntium multis patefecerit.

II. MICHAEL BALB. IMPARAT, HOMO IMPIISS.

Confestim autem post eius necem, idem MICHAEL catenis adhuc pedes constrictus (siquidem earum claues ipse Leo asseruabat) Imperatorio solio collocatus, Augustus est acclamatus: solutisque malleo compedibus, vt erat sordibus conspurcatus, impudenter ad magnum S. Sophiæ templum progrediens, manu Patriarchæ coronatus est, & ab vniuerso populo Imperator salutatus. Fuit is Amorij in superiori Phrygia natus: vbi cum ex consuetudine Iudæorum inualuisset quædam hæresis, quæ solum baptismum admittens, ac circumcisionem respuens, in reliquis omnibus Mosaicam legem amplectebatur; huiusmodi hæresi Michael imbutus, aliasque pariter superinducens nouitates, vere fuit omnis impietatis colluuies. Qui insuper occiso Leone, quatuor eius filios in insulam deportauit, castrarique præcepit; ob quam exectionem vnus eorum mutus est redditus, & alius vita functus: vxorem vero Leonis monasterio inclusit. Hæc omnia pluribus refert Cedrenus ab auctore eius temporis accepta.

III. DE TRANSLATIONE S. MARCI VENETIAS

Sub prædicto quoque Leone Armeno (nescitur quo ipsius Imperij anno) facta ponitur translatio Corporis S. Marci Alexandria Venetias per mercatores Veneros: qui dum Saraceni cunctas Ægypti ecclesias, aliaque loca, ad palatium sibi quoddam magnifice construendum, marmoribus spoliarent, indeque mœror omnes Christianos occupasset; consilio cum eiusdem sacratissimi Corporis custodibus inito, eorundem consensu illud furtim abstulerunt; cum iam antea eiusdem Euangelistæ Sedes, dono fuisset ab Heraclio Imp. data illi Reipublicæ, quæ S. Marci studiosissima esse sciretur, vt quæ gloriaretur ab eo sacrum Euangelium accepisse antequam Alexandriam mitteretur à Petro. Huius autem Corporis translationis cum plures sint testes, prolixe rei gestæ seriem codex Vaticanus *a* continet; vbi & plura narrantur miracula tunc edita. Cum autem ponatur accidisse sub eodem Leone Imperatore, atque Iustiniano tunc Venetiarũ Duce; inde corrigas eos, qui anno Redemptoris octingentesimo vigesimo octauo, vel trigesimo, id factum esse dixerunt, annos Ducum haud adeo exacta temporis ratione dinumerantes.

a Rec. Baron. Annal. Tom. IX. hoc an.

IV.

Ceterum cum ingentem adeo thesaurum Veneri essent adepti, vt caute eum custodirent, omnem adhibuerunt industriam. Sciebant enim Francos, penes quos erat in Occidente summa potestas & imperium, Sanctorum corporum cupidissimos, venari ea, frequenterque ex Italia complura in Gallias transferre. Nequid igitur eiusmodi pati cogerentur inuiti; ita in sumptuosa tunc erecta in S. Euangelistæ honorem basilica, eadem sacra pignora collocarunt, vt vbi locorum in ea posita essent, penitus ab aliis fuerit ignoratum: cum tamen certum ab omnibus ex maiorum assertione haberetur, ipsa eadem basilica contineri. de quorum ibidem inuentione dicetur postea suo loco *b*.

b Infra an. 1094. V.

IESV CHRISTI AN. 821.

PASCHAL. AN. 5.

LVDOVICI 8.

MICH. BAL. 1.

I. ANNO Christi octingentesimo vigesimo primo, Indictione decimaquarta, à Paschali Romano Pontifice *a* Corpus S. Cæciliæ virginis & martyris, ipsa eadem reuelante, repertum est in cœmeterio Prætextati, aureis velatum indumentis sanguine adhuc infusis: quod inuentum simul cum corporibus SS. Martyrum Valeriani eius sponsi, Tiburtij, Maximi, necnon Vrbani atque Lucij Romanorum Pontificum, transtulit intra Vrbem in Ecclesiam eiusdem S. Cæciliæ nomine nuncupatam, quam & plurimis donis auxit. Quomodo autem ista se habuerint, Anastasius describsit ex ipsius Paschalis ea de re editis literis *b* Apostolicis. Porro eadem sacra pignora, diuturnitate temporis fere in tenebris iacentia, nouissime Clementis Octaui Pontificatu, anno Redemptoris millesimo quingentesimo nonagesimo nono, à Paulo Sfondrato Gregorij Decimiquarti nepote, eiusdem Tituli S. Cæciliæ presbytero Cardinale, ita inuenta sunt in reædificatione eiusdem basilicæ, vt fuerant à Paschale recondita, cum madidis sanguine velis, & veste auro texta: quæ rursum ab eodem Clemente Papa solemni ritu reposita fuere.

a Sigeb. in Chron. hoc an.

DE INVENTIONE CORPORIS S. CÆCILIÆ.

b Rec. Bar. Tom. IX. hoc an. ex Bibl. Vatic. plut. 3 nu. 153. & alio exemplari.

In Oriente vero Michael cognomento Balbus, mox vbi est potitus Imperio, edictum promulgauit *c*, vt omnes Orthodoxi carcere vel exilio soluti libere ad propria redire possent. Postea vero cum plerique Constantinopolim aduenissent, iubente eodem vt Episcopi omnes tam Orthodoxi quam Iconomachi vna conuenientes, de dogmatibus inter se agerent; excusantes Orthodoxi, non decere in concilium vnum cum hæreticis conuenire, nec audire penitus nisi ad correptionem, id vetantibus Ecclesiasticis regulis; Imperatorem scripto monuerunt, vt si ipse de aliqua re ambigeret quod diffideret à Patriarcha dissolui posse, *iuberet ad communem vtilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio paterna traditione transmissus mos fuisset: hanc enim supremam esse Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit, Tu es Petrus, &c.* Extat enim eiusmodi ad Imperatorem epistola, ex persona omnium Episcoporum & Abbatum scripta, apud Theodorum *d* Studitam; qui & ipse edicto Imperatoris vinculis solutus redierat Constantinopolim, multis in via editis miraculis; quæ narrat Michael in eius Vita. Cuius etiam Theodori aliæ supersunt eodem argumento ad Leonem *e* Sacellarium scriptæ literæ, de modo conciliandæ in Ecclesia pacis; aliæque *f* rursum ad ipsum Imp. nomine omnium vbique existentium Orthodoxorum, quibus de fide Catholica quam profiterentur, redderent rationem cuique petenti. Addit vero in eius Vita Michael, Orthodoxos Antistites Imperatori preces obtulisse, vt sacræ Imagines vbique restituerentur; illumque eorum petitioni annuisse, nisi quod prohibuerit eas Constantinopoli erigere, eo quod ipse hactenus nullam coluisset vel adorasset: vt tamen extra vrbem erigerentur permisisse.

II. *c* Mich. in Vit. Theod. Stud. EXVLES RESTITVTI IN ORIENTE.

d Theod. Stud. 2. ep. 86.

e Id. 2. ep. 129.

f 2. ep. 203.

ROM. ECCLESIA IN DVBIIS CONSVLENDA.

IMAGINES RESTITVTÆ.

Hic idem pariter annus numeratur *g* primus Habdarraghman Regis Saracenorũ in Hispania: cuius primordiis Cordubæ, vbi sedem regni fixerat, coronari sunt martyrio *Adulphus* & *Ioannes*; vt testatur S. Eulogius *h* eiusdem temporis scriptor patria Cordubensis. Fueruntque isti primitiarum manipuli à nobili illa Ecclesia oblati Domino; quos ingens secuta est messis Martyrum falce Saracenorum obtruncatorum, de quibus suis locis dicturi sumus.

III. *g* Ambr. Moral. in Schol. ad Eulog. *h* Eulog. Memor. Sanct. li. 2. c. 8.

PRIMITIÆ MARTYRVM CORDVBENS.

Hocque eodem anno reddunt Annales Francorum in Rebus gestis Ludouici Imperatoris, Fortunatum Gradensem Patriarcham maiestatis apud eundem Imp. accusatum, quod nonnullos rebelles consilio & opere adiuuisset, Constantinopolim aufugisse: quem inde post biennium redeuntem vna cum Legatis Michaelis Augusti, Ludouicus Romam iudicandum misit *i* ad Papam.

IV. *i* Ap. Barõ. an. 824. nu. XVI.

IESV CHRISTI AN. 822.

PASCHAL. AN. 6.

LVDOVICI 9.

MICH. BAL. 2.

I. LVDOVICVS IMP. PVBLICAM AGIT POENITENTIAM.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo secundo, Indictione decimaquinta, Ludouicus Imp. qui semel inflictum ex morte Bernhardi Italiæ Regis nepotis sui & ex aliis quæ in fratres suos commisisset, conscientiæ vulnus, nunquam sanare potuisset; recens à S. Adelhardo Corbeiæ in Gallia Abbate, eodemque consobrino Caroli Magni (quem & ipsum olim exilio mulctatum, nuper restituerat) de eadem re monitus, CONVENTVM generalem in vico *Attiniaco* habuit Episcoporum, Abbatum, ac Procerum, in quo fratribus primo reconciliatus, posteaque se errasse palam confessus, exemplo Theodosij Imp. pœnitentiam spontaneam suscepit: cum & præstita omnibus qui læsi viderentur satisfactione, plurimas pauperibus eleemosynas largitus est, atque orationes pro se faciendas iniunxit: denique eodem modo Deum sibi placare studuit, ac si quę ex legum præscripto in delinquentes commissa fuerant, ipse crudelitate perpetrasset. Hæc Paschasius *a* Ratbertus in Vita eiusdem S. Adelhardi, & Veteres Annales, aliique ferme omnes qui res Francorum scriptis sunt prosecuti. Porro publicam pœnitentiam tunc temporis in diuturno cilicio, ieiuniis, orationibus, eleemosynis, frequentique manus sacerdotum impositione, fieri solitam; colligitur ex pluribus eiusdem Imp. Constitutionibus *b*: quibus & seipsum adeo contritum dolore cordis subiicere voluisse, quis dubitet? Meminit vero etiam de eodem Conuentu Attiniacensi Agobardus Archiepiscopus *c* Lugdunensis, qui eidem interfuit, & sermonem habuit aduersus laicos res Ecclesiasticas illicite tractantes, easque in vsus suos impie expendentes. Habet vero etiam Paschasius, quomodo Adelhardus fuerit etiam auctor Ludouico, vt in expiationem delictorum admissorum Corbeiam in Saxonia erigeret monasterium à Corbeia Galliæ cui inseruierat Abbas nomen accipiens, cui & idem ipse Adelhardus præficeretur. Hoc namque anno iacta esse fundamenta Corbeiæ Saxoniæ, æque Lambertus affirmat, sequenti vero Adamus; cum alij in alia tempora referant.

a *Ap. Sur. 2. Ianuar.* QVO MODO FIERET PVBLICA POENITEN.

b *Capitul. lib. 5. c. 58. 59 62. 63. 71.*

c *Agob. de dispensat.*

II. DE THOMA TYRANNO, ET OBSIDIONE CONSTANTINOP.

Hoc item anno, obsidione laborauit Constantinopolitana ciuitas, *Thoma* tyranno præstringente eam; qui ex obscurissimo homine, famuloque viri Senatorij Constantinopoli, pœnæ metu ob inuasum thorum eius, factus transfuga ad Saracanos ibi ad viginti quinti annos eiurata Christiana fide permansit. Postea vero rediens, se Constantinum finxit esse filium Irenes: eaque arte comparato sibi perditissimorum hominum cœtu, sub Leone Armeno occupauit Armeniam, & alias prouincias. Ac creato Michaele Balbo Imp. maioribus copiis simul collectis, terra marique Constantinopolim longa obsidione strinxit. Sed Michaeli Rex Bulgarorum sponte auxilium impendens, Thomam cum suo exercitu profligauit: quem postea Imperator ab Hadrianopolitanis ciuibus deditum, manibus & pedibus mutilauit, lentoque supplicio perire voluit vna cum filio eius adoptiuo Anastasio exmonacho. Hæc ex antiquioribus Scriptoribus Cedrenus; necnon ipse Michael Imp. in literis post bellum peractum conscriptis (vt dicetur) ad Ludouicum Augustum: ex quibus etiam constat, obsidionem Constantinopolitanam cœptam esse mense Decembri Indictionis decimæquintæ, eandemque modo propiorem, modo longiorem, vsque ad vnius anni spatium perseueraſſe; ipsum autem bellum penitus consummatum fuisse Indictione secunda.

III. CRETA INSVLA VNDE DICTA CANDIA.

Hoc eodem tempore Saracenos Hispaniæ obtinuisse Cretam insulam, Græcorum Annales testantur apud Cedrenum: eamque vt retinerent, monachi vsos consilio, in loco tuto Candace nominato vrbem munitam erexisse, ex qua vniuersæ insulæ dominarentur. Factumque ex hoc est, vt loco Cretæ insula *Candax* cœperit nominari, atque sic deinceps vulgo *Candia* dici.

IESV CHRISTI AN. 823.

PASCHAL. AN. 7.

LVDOVICI 10.

MICH. BAL. 3.

I. LOTHARIVS CORONATVR A PASCH. PAPA.

ANNO Domini octingētesimo vigesimo tertio, Indictione prima, *Lotharius* Ludouici Imp. filius, iā à patre Imperator designatus, Romam veniens, à Paschale Papa die Paschatis in Ecclesia S. Petri coronatus est; ac statim in Gallias rediit. Post quæ cum Theodorus S.R.E. Primicerius, & Leo Nomenclator, luminibus priuati, ac deinde decollati fuissent in Episcopio Lateranensi, ferreturque id consensu Paschalis factum ob eorum fidem erga Lotharium: missi à Ludouico Romam Legati qui ea de re cognoscerent, redeuntes cum eiusdem Pontificis Legatis, retulerunt Paschalem se de eo crimine sacramento purgasse. Hæc auctor Vitæ Ludouici: eadem que reliqui eiusdem temporis auctores. Inter quos qui ad Aimonium adiecit Appendicem, ait interfectos damnatos fuisse à Paschale reos maiestatis, interfectores vero extitisse ex familia S. Petri; quos quia Paschalis defenderet, ob id eum in suspicionem adductum esse: verum patuit, fuisse ipsum eius cædis innocentissimum.

II. PRODIGIA CREBRA.

Hoc eodem anno tam in Oriente quam Occidente (vt habent Cedrenus & Annales Francorum) crebra visa sunt atque audita prodigia, ex terræmotibus atque fulminibus inusitatis, ex igne de cœlo lapso, pluuia lapidum, pestilentiaque hominum & animalium: habitumque est præterea loco prodigij, quod puella quædam vnius ferme anni spatium sine cibo transegerit. Quibus addimus quod habetur apud Aimoinum & alios, de Imagine B. Mariæ Virginis in territorio Comensi; quæ per biduum mira claritudine (cum tamen præ nimia vetustate iam pene abolita esset) effulsit. Prodigia autem illa crebris ieiuniis, orationibus, eleemosynis, atque incruento sacrificio expiari iussa à Ludouico Imp. in *Conuentu Compendii* habito; testatur auctor Vitæ ipsius, & habetur in Capitularibus *a* Francorum. Sed & de eodem Compendiensi Conuentu agens Agobardus *b* Archiepiscopus Lugdunensis, ait in eo actum esse de rebus sacris illicite à laicis possessis: qua de re seriam valde ipse tractationem instituit, fortissimisque confirmauit auctoritatibus, laicos in bonis Ecclesiæ nullum sibi vendicare debere ius & rationem; eosdemque si secus faciant, apud Deum se sacrilegij reos constituere, puniendos perenni inferni pœna, igne inextinguibili.

a *Capitul. lib 5. c. 136.*

b *Agob. lib. de dispens.* ADVERSVS LAICOS BONA ECCLES. VSVRPANTES.

III. *c Theod. Stud. l. epi. 129.* QVIBVS MODIS PAX IN ECCLESIA CONSERVARI POSSIT.

Quod vero ad prædictas clades attinet; meminit quoque earundem Theodorus Studita in epistola *c* quam ad Leonē Sacellarium scripsit, cum Michael Imp. videretur maxime desiderare vt pax in Ecclesia conciliaretur: qua quidem epistola imprimis recenset iræ diuinæ signa, nempe terræmotus, fames, eluuiones maris, atque incendia, ad correptionem hominum à Deo immissa: postea vero docens quid opus sit facto ad pacem in Ecclesia sanciendam, primum omnium ait prorsus excludendum esse iudicium sæculare à rebus fidei; cum nihil aliud Imperatoribus & Præsidibus, de diuinis dogmatibus à Deo traditum sit, nisi vt opem ferant, & comprobent quæ decreta fuerint ab Episcopis, ac reconcilient qui carnaliter dissident ac discrepant: deinde ab vtraque parte litigantium de fide mittendam esse ad primæ Sedis Romanæ præsulem legationem, & inde fidei accipiendam certitudinem, quippe cui etiam summa potestas deferatur Synodorum Oecumenicarum. Sic enim se rem habere, vt si aberret vnus è Patriarchis, (quod Imperator de Nicephoro Constantinopolitano exule præsumebat) à ceteris eiusdem ordinis correctionem admittat, non ab Imperatoribus

toribus iudicetur; exurgant licet omnes quotquot vnquam fuerunt Imperatores Orthodoxi. Ita ipse.

IV. EBBO RHEM. PRÆDICAT EVANGELIVM DANIS.

Hoc item anno, concessione Paschalis Papæ *Ebbonem* Archiepiscopum Rhemensem ad Danorum conuersionem profectum esse, eique *Halitgarium* adiunctum, testatur Adam Bremensis Ecclesiæ canonicus.

V. BASILIO REDDITVR LOQVELA.

Accidit item in Oriente, vt filius Leonis Armeni Imp. nomine Basilius, qui exectione castrationis facta iussu Michaelis Balbi vocem amiserat, ad statuam S. Gregorij Nazianzeni eam receperit, & cum ea Catholicam pariter fidem in cultu sacrarum imaginum consecutus fuerit. Narrant hæc Curopalates, atque Cedrenus. Sed & matrem eiusdem Basilij Theodoram, siue Theodosiam, in monasterio relegatam, pariter se Orthodoxis adiunxisse; liquet ex epistola quam ea de re Theodorus *d* Studita ad eam iunctim & ad eundem Basilium scripsit: qua etiam constat, ipsum Theodorum rursum fuisse ab Imperatore relegatum in Insulam, aliosque plurimos ex Patribus fugatos, quod solicitius satagerent verbis & scriptis, de reducendis Iconomachis ad fidem Orthodoxam: sicut & eadem de re conquestus est alia epistola *e*, quam scripsit ad Thomam Patriarcham Hierosolymitanum.

d Id. l. ep. 104.

e l. ep. 121.

VI. MICH. IMP. OPPVGNAT ORTHODOXOS. *Hunc vero articulum habes ap. Bar. an. 819 in obitu Michaelis.* EIVSDEM IMPIA DOGMATA.

Nam quod ad ipsum Michaelem Imp. spectat; accidit vt qui initio sui Imperij visus est æquiori fuisse in Orthodoxos animo, haud multo post (inquit Zonaras) animo suo declarato, Orthodoxos oppugnauerit, multosque exilio mulctauerit, Copronymũ in omnibus imitatus. Iudaismum quoq; colebat; resurrectionẽ mortuorũ non credebat; Prophetas irridebat, dæmones esse negabat; scortationẽ peccatũ nõ iudicabat; iurandũ esse Deum vniuersi moderatorẽ monebat; Iudamque inter beatos adnumerabat; & Pascha alieno celebrari tempore asserebat. Ista Zonaras, & Curopalates; eademque Cedrenus in fine Vitæ ipsius: qui & in Theophilo eius successore adiicit, ipsius pariter Michaelis edicto sancitum esse, nequis alicui Sanctorum Imagini titulum adiiceret, vt Sanctus vocaretur, quasi hoc nomen vnius esset Dei: Sed & literaturam adeo auersatum esse, vt pueros non permiserit illa erudiri, ne ipsius arguerent ignorantiam, qui difficillime & legebat & scribebat. Exosculentur itaque hunc cum aliis Nouatores suum Apostolum, participes cum ipso futuri cruciatus æterni.

VII. THEOCTISTI HÆRESIARCHÆ ERRORES. *Di quibus Baron. alia occasione an. 825. ante fin.*

Sed quod rursum spectat ad nauatam à Theodoro operam in conuersione hæreticorum; non ipse aduersus Iconomachos tantum decertauit; sed & quotquot à recepta Ecclesiæ doctrina deuiare cognouit, eosdem ad rectum tramitem reducere laborauit. Inter quos fuit THEOCTISTVS quidam eremita, qui asserebat Beatissimam Virginem non ex viro & femina genitã fuisse, sed ante sæcula extitisse: CHRISTVM Dominum non fuisse crucifixum: Dæmones post Iudicium saluandos fore, ac futurum vnum ouile & vnum pastorem: Monachum vnum posse à pœnis inferni eripere centum quinquaginta damnatos: ac denique recipiendum esse librum quendam Antonij dictum, in quo essent multa impia & blasphema. Porro hunc à Theodoro sæpius admonitum, suos tandem pœnitentem abiurasse errores, liquet ex ipsius Theodori ad eundem reddita *f* epistola.

f l. 2. ep. 167.

IESV CHRISTI AN. 824.

EVGEN. II. AN. 1.

LVDOVICI II.

MICH. BAL. 4.

I. PASCHAL. PP. OBITVS.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo quarto, Indictione secunda, pridie Idus Maij mortuus est *Paschalis* Papa, cum sedisset annos septem, menses tres, dies sexdecim; sepultusque in basilica S. Petri. In cuius locum, post dierum quatuor sedis vacationem, suffectus est decimoquarto Cal. Iunij, EVGENIVS huius nominis Secundus, filius Boemundi, ex presbytero Tituli S. Sabinæ; doctrina, virtutibus, ac pietate clarissimus. Ista ex Anastasio. Porro alium quoque à magna parte populi electum fuisse, sed Eugenium vincente nobilium parte ordinatum, testatur auctor rerum gestarum Ludouici Imp. per annos singulos digestarum. Verum eiusmodi Schisma haud leuis fuisse momenti, idem auctor significat, cum addit, ad componendas Romanorum implacabiles ea de causa contractas dissensiones, opus fuisse Ludouico mittere Romam Lotharium filium suum & in Imperio collegam: qui omnia rite ex beneuola (vt ait) assensione Pontificis Eugenij disponens, Constitutionem *a* promulgauit, qua Pontificum electionibus eos tantum interesse iussit, *quibus antiqua fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum Patrum*, ipsumque etiam politicum Vrbis statum ex ipsius Pontificis & Imperatoris constitutione disponi. Vbi haud de nihilo est, quod primæ deferuntur partes Pontifici etiam in rebus politicis.

OBSCHISMA LOTHARIVS ROMAM VENIT. *a Ext. ap. Sigon. de Reb. Ital.* [Multa vero in eã blaterauit Golda stus: quem refellit Gretserus c. 11 Apol. Baron. & li. 2 cont. Replic c. 9. de quib. sup. an. 774 post nu. IV.]

Hoc item anno Michael Imperator Constantinopolitanus, vna cum filio Theophilo iam & ipso Imperatore antea creato, mense Aprilis legationem cum literis ac muneribus misit ad Ludouicum Imp. pacis cum eo stabiliendæ gratia. Cum autem Iconomachus esset, Catholicus tamen volens apparere, adiecit & alias literas ad Romanum Pontificem, vna cum oblationibus inferendis in ecclesiam S. Petri, vt huiusce modi pietatis velamento pios falleret. Patent ista tum ex auctore rerum gestarum ipsius Ludouici, tum maxime ex Michaelis & Theophili literis ad Ludouicum datis, quæ habentur insertæ Actis Conuentus Parisiensis, celebrati anno sequenti in eadem causa cultus sacrarum Imaginum: in quarum quidem inscriptione cum seipsos *Imperatores Romanorum* indigitent, Ludouicũ nõnisi *Regem Francorum & Longobardorũ, & vocatũ eorũ Imperatorẽ* appellant: in ipsa vero literatũ serie narrationẽ instituũt de rebus suis, ac religionis, sed multa immiscentes mẽdacia, quib. & se legitime regnare, & Catholice viuere demonstrarent. Auditos vero eosdem ipsorum Legatos à Ludouico Rotomagi mense Nouembri, ac postea Romam, vt in mandatis acceperant, proficisci dimissos, iidem Francorum Annales asserunt. Quo eodem tempore allatos in Gallias per Theodorum diaconum & œconomum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, vnum ex legatis nominatum in dictis Michaelis literis, libros authenticos S. Dionysij Areopagitæ Græce scriptos, testatur Hilduinus Abbas monasterij S. Dionysij apud Parisios constituti, in *b* epistola reddita ad ipsum Ludouicum Imp. postquam eius iussu eosdem in Latinum conuertisset, qua & asserit, eadem die qua iidem libri recepti sunt, decem & nouem nominatissimas virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum, Deum operatum esse intercessione eiusdem S. Martyris.

II. LEGATIO A MICH. IMP. AD LVDOV. AVG.

LIBRI DIONYSII AREOP. DELATI IN GAL. *b Hild. in Areop. ap. Sur. 9. Oct.*

Cum vero Michael eadem sua ad Ludouicum epistola multa calumniose atque fraudulenter blateraisset de sacris Imaginibus; simulque petiisset vt Ludouicus in Occidente operam daret, vt sublato superstitioso earum cultu, Ecclesia pacem & vnionem recuperaret: idem Ludouicus, vt de omnibus diligentissima haberi posset discussio, legationem quamprimum misit ad Romanum Pontificem, qua ab eo licentiam peteret colligendi sacerdotes, viros doctos, qui de libris sanctorum Patrum ea de re sententias quærerent, ac priuatim de iis agerent & disputarent. Constat hoc namque ex epistola ipsius Conuentus Parisiensis ad Ludouicum scripta, & ex alia eiusdem Imp. ad Eugenium Papam; quæ ambæ extant in Actis eiusdem Conuentus, de quo dicetur anno sequenti.

III. LVDOV. IMP. LICENTIAM A ROM. PONT. PETIT INQVIRENDI DE FIDE.

IESV CHRISTI AN. 825.

EVGEN. II. AN. 2.

LVDOVICI 12.

MICH. BAL. 5.

I. COLLATIO PA-

ANNVS Christi octingentesimus vigesimus quintus, Indictione tertia inchoatus est: quo ipsis Calendis No-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

RIS. DE CVLTV IMAGINVM.

uembris (cœpta iam Indictione quarta) prope Parisios cõplures qui ceteros doctrina excellere videbantur, iussu Ludouici Imp. in vnum collecti, secundum petitam & acceptam licentiam à Romano Pontifice de Imaginum veneratione disseruere. Sed imprimis eius actionis titulus redarguendus est erroris, dum *Synodus Parisiensis* inscribitur, quam ex ipsius Imperatoris literis quæ eidem insertæ habentur, expresse constat fuisse tantum ex selectis viris eruditis Collationem, singulis in eam suum symbolum conferentibus. Plurimum namque differre inter *Synodum* & *Collationem*, maiores nostri suis scriptis reliquere testatum. Porro erubuisse visa sunt posteriora sæcula, quæ in hac Collatione sunt gesta, eaque de causa ipsius Acta occultasse. Nullus enim vsquam reperitur (quod sciam) inter tot diuersorum scriptorum examina quibus Gallia abundauit, qui eiusmodi Collationis vel leuem mentionem habuerit; quæ anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto Francofurti cusa, in lucem prodit absque luce, hoc est absque auctoris nomine qui inuenit & edendam curauit, vel ex qua fuerit accepta Bibliotheca. Sed tantum abest vt quod voluit assecutus sit auctor qui edidit, vt potius contrarium sit operatus; cum ex literis quas recitat Ludouici Pij, ipsa pietas in tenebris eluceseat; nimirum quantum sit apud Romanos Pontifices in vniuersa Ecclesia iuris & potestatis, & quanta ipsi etiam Imperatores prosequi eos debeant reuerentia.

EIVS ACTA A MAIORIBVS OCCVLTATA, MALE PRODITA.

II. ERROR COLLATORVM EX IGNORANTIA ET MALITIA.

Quod vero spectat ad eos qui adfuerunt Collatores; ipsi quidem ex male percepto S. Gregorij Papæ sensu in epistola ad Serenum Massiliensem Episcopum, colligentes sacras Imagines in ecclesiis ad instructionem dumtaxat fidelium, non ad eas adorandas exponi debere; ex ea falsa susceptæ semel assumptione, in illud simul præcipitium sponte delati sunt, vt Septimam Oecumenicam Synodum Nicænam eo falso nomine condemnarint, quasi in ea latriæ adoratione iussæ essent Imagines adorari. Sicque occasione legationis Imperatoris Michaelis hæretici Iconomachi, cicatricem male obductam inscite, ne dicam nequiter, refricantes, vulnus periculosius induxerunt; quod antea inflictum in Francofordiensi Concilio, iam fuerat eius Actorum abolitione plene curatum. Sed satis ad hæc refellenda sufficiant, tum quæ superius dicta sunt cum de eodem Concilio Francofordiensi actum est, tum quæ de hac ipsa prætensa Parisiensi Synodo alij tractauerunt *a*.

a Vide ipsum Baron. fuse hac tractantem Annal. Tom. IX. hoc an. & Bellarm. in Append. ad Tract. de cultu Imag. vbi ex professo hanc prætensa Synodi Acta refellit.

III. LVDOV. IMP. IN DISCRIMEN ADDVCTVS A COLLATORIB.

Sed & iidem Collatores cuncta erronee agentes, dum Collationis suæ gesta ad Ludouicum miserunt, iisdem pariter inseruerunt formam literarum, quas vellent vt ipse scriberet, tum suo ipsius nomine ad Eugenium Romanum Pontificem, tum eiusdem Eugenij nomine ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, pro Ecclesia pacificanda. Verum quod eas absque consensu ipsius Romani Pontificis Constantinopolim mittere non liceret, easdem Ludouicus per Legatos suos Eugenio inspiciendas mittens, suasit pariter vt ipse legationem Constantinopolim dirigeret, eademque literatum forma ad sanciendam Ecclesiæ pacem veteretur. Atque ita boni isti Imperatorem maximo pium pro arbitrio traducentes, abusi zelo ipsius, indignissima præstare fecerunt: qui certe nisi tantæ pietatis fuisset, vt nec latum vnguem recedere ab Apostolicæ Ecclesiæ sanctionibus semper infixum in animo habuisset, immenso schismate fuisset vniuersa Ecclesia conscindenda. Siquidem literis illis quas scribi vellent, nihil aliud Collectores molirentur, quam vt sacratum Imaginum cultum aliquo modo sub bono pacis damnari per Rom. Pontificem procurarent, à quo scirent cuncta dependere. Siquidem & vi veritatis adacti, in iis literis quas voluerunt ab Imperatore scribi ad Eugenium, hæc verba posuerunt: *Sicut dignum, & vere dignum, & iustum est, vt præeunte Spiritus S. virtute, ille inter eos in nomine Domini talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in Sede Apostolica collocare, eorumque Vicarium eidem sanctæ suæ Ecclesiæ dare dignatus est, & ob hoc ei nomen speciale in toto orbe terrarum ab eadem sancta Dei Ecclesia, præ omnibus Pontificibus decretum est, vt solus, non sua abusione, sed SS. Apostolorum auctoritate, VNIVERSALIS PAPA, dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur.*

ROM. PONT. VNIVERSALIS.

IV.

Quod vero ad Eugenium spectat; etsi quæ transacta sint cum ipso à Legatis Ludouici, haud scriptis prodita reperiãtur: certum est tamen, eum nec minimum quidem deflexisse à maiorum suorum confirmata traditione. Neque enim si aliquid hac in re innouasset, non toto orbe terrarum illud protinus fuisset vulgatum. Immo & coniectura est, ipsum ea qua par erat seueritate redarguisse Legatos à Ludouico ad se missos; cum nunquam post hæc reperiantur, ipsi aut alij Occidentalis Ecclesiæ, ea ex causa vel verbum fecisse. Quodque directam legationem sequenti anno ab ipso Romano Pontifice ad Ludouicum, Francorum Annales testentur, nec quid detulerit dicant; verisimile valde videtur, ad hoc illam missam, quo ab assertis erroribus Imperator reuocaretur. An autem Legati Imperatoris profecti sint in Orientem ad Michaelem, vt statuerat ipse, & hoc ignoratur.

EVGENIVS PP. INNÆSIT VESTIGIIS PRÆDECESSORVM.

V.

IONAS AVREL. SCRIBIT CONT. CLAVD. TAVRIN. *b Walfr. de Rep. Eccl. c. 8.*

Sed nec ipsi eiusmodi Ludouici Consiliarij, more hæreticorum animo obstinato contenderunt: quinimo in communione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ firmiter perseuerantes, vni eidemque capiti iuncti, bellum aduersus Iconomachos conuerterunt. Etenim qui à Ludouico missus Romam, functus est dicta nuper legatione ad Eugenium, *Ionas* Aurelianensis Episcopus, contra impiissimum Hagiomachum, Hispanum hominem, *Claudium* Taurinensem Episcopum, stylum exacuit, egregiosque edidit commentarios, qui adhuc præ manibus habentur. Sed & eundem Claudium ab Imperatore Ludouico damnatum esse, testis est Walfridus *b* Strabo his eisdem temporibus viuens, & ipse eundem hæreticum condemnans. Scribit autem Ionas, eum discipulum fuisse Felicis illius pariter Hispani, damnati in Concilio Francofordiensi; insuperque Arij, Nestorij, Vigilantij, & Eustathij hæresibus infectum fuisse; sed talem dumtaxat detectum, postquam à Ludouico præfectus Ecclesiæ Taurinensi à Theodomiro Abbate correptus, Apologeticum pro eadem sua hæresi contra Theodomirum cõscripsisset. Verum licet hæc tandem bestia iaculis confossa Ionæ interierit; non tamen ideo ipse Ionas ab Ecclesia Catholica præmio dignus est iudicatus: quippe qui etsi pugnauit aduersos hæreticos Iconoclastas, non tamen è castris Ecclesiæ Orthodoxæ; à qua dissensit errore pristino, dum ita non confringendas esse prædicauit Imagines, vt tamen non eas esse colendas assereret *c*. Quo pertstringitur & *Agobardus* Archiepiscopus Lugdunensis: qui etsi hostis acerrimus fuerit Felicis, aduersus quem & commentarium scripsit, quem nuncupauit Ludouico Imperatori; tamen in eo quem de Picturis & Imaginibus scripsit, Iconomachis consensit in omnibus, præterquam in cultu sacratissimæ Crucis, & quod reliquas siue Christi siue Sanctorum Imagines, memoriæ causa (non etiam orationis ergo) haberi posse concedat. Vnde merito idem mox vt apparuit proscriptus sit liber, eo quod absque antidoto prodierit. Erat satis, si Dungali eiusdem temporis non ignobilis scriptoris, vna cum eo cusus fuisset commentarius, quem aduersus eundem impium Claudium edidit. Ne vero in nomine fallaris, fuit & alius his temporibus insignis nominis *Claudius d* natione Scotus, monachus Ordinis S. Benedicti, discipulus quondam Bedæ, & collega Alcuini; qui multa tam carmine quam soluta oratione scripsit de rebus sacris, & in Scripturas diuinas, quæ enumerat Trithemius dum agit de eo.

[*c* Sunt tamen, qui Ionam nihil aliud voluisse affirment, quam Imagines non esse colendas adoratione & cultu latriæ soli Deo debitis. In quo nullum Catholicum refragatorem habet.]

DE SCRIPTIS AGOBARDI EPISC. LVGDVN.

d De isto Claudio egit alia occasione Baron. an. 815. in fin.

IESV CHRISTI AN. 826.

EVGEN. II. AN. 3.

LVDOVICI 13.

MICH. BAL. 6.

I. CONVENTVS INGELHEIM.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, circa Calend. Iunij habitus est ex more à Ludouico Imp. *Conuentus* in loco dicto *Ingelheim*: vbi inter alia auditos esse Legatos ab Eugenio Papa ad Ludouicum missos, auctor Rerum gestarũ eiusdem Ludouici testatur. Quæ autem isti attulerint, altum vbique silentium. Est vero etiam

mentio

mentio eiusdem legationis apud Eginhardum in commentario de Translatione Reliquiarum SS. Martyrum Marcellini & Petri in Gallias. Quod autem eandem translationem alij *a* in sequentem annum referant, id intelligi potest de translatione partis earum facta postea ab vrbe Suessionensi Aquisgranum. Nam alioqui hoc ipso anno eas fuisse Roma deductas, illud est euidens argumentum, quod ipse auctor testatur id tunc factum esse, cum legatio Pontificis iam in itinere esset; quam quidem hoc præsenti anno missam fuisse, testantur omnes Francorum Historiæ.

a Ann. Vit. Ludou. Vet. Fran. Ann. Aimoin.

II. DE EGINHARDO A SECRETIS CAROLI MAG.

Qui autem rem gestam scripsit fuit *Einhardus* qui & Eginhardus dicitur, & floruit hoc tempore summa claritudine nominis inter primos eruditos: idem ipse quem Caroli Magni cui erat à secretis, Vitam conscripsisse sæpe superius dictum est; qui postea inter Ludouici Optimates magna gloria militauit. Quod vero fertur ex scripto quodam edito in apparatu Tomi prioris rerum Germanicarum, ipsum fuisse generum Caroli Magni, ducta eius filia nomine Imma olim Regi Græcorum desponsata; hæc fabula vel ex eo refellitur, quod nec Carolus Magnus eius nominis filiam habuisse reperitur; & quam Constantino Irenæ filio desponsauerat, Rotrudem dictam esse idem ipse Eginhardus testis est. Sed & quod ei figmento concinnando ansam præbuit, donationis diploma factum ipsi & eius coniugi Immæ à Ludouico ibidem cusum; ex eo potius illud mendacij redarguitur, dum in eo nusquam mentio fit eiusmodi Eginhardi, vel ipsius Immæ, cum Ludouico cognationis. Hic igitur Eginhardus inter alias tanto auctore dignas lucubrationes, reliquit quatuor libros conscriptos de Inuentione, ac pio furto, & in Gallias euectione prædictarum sacrarum Reliquiarum, facta ab iis quos ipsemet Romam miserat ad alias quasdam sibi promissas auferendas, easdemque reponendas in noua basilica ab ipso constructa in saltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Mœnum fluuium interiacet: itemque de ingentibus atque frequentissimis ad easdem editis miraculis. Cum quibus allatas quoque fuisse Reliquias SS. Martyrum *Marii, Marthæ, Audifacis, & Abachum*, ac rursum paulo post *SS. Hermetis, Proti, & Hyacinthi*; omnesq; miraculis coruscasse, idem auctor tradit. quam tu historiam lectu iucundissimam simul & valde proficuam ad defensionem fidei Catholicæ, & confusionem impietatis Hagiomachorum, maiori otio consulas *b* ac perlegas.

DE TRANSLATIONE RELIQ. SS. MARCEL. ET PETRI

b Ap. Sur. Tom. 7. die 2. Iun. & ap. Baron. hoc an. & segg.

Sed & hoc eodem anno factam pariter esse translationem Reliquiarum *S. Sebastiani* Roma Suessionem vrbem Galliæ, petente Hilduino Abbate S. Dionysij, veteres Francorum Annales docent: quod Sigebertus anno superiori ponit. Porro id de parte tantummodo corporis eiusdem Sancti intelligendum esse, significat Ado Viennensis. Ad eiusmodi vero Reliquias magna quoque & multa edita esse miracula, omnes æque testantur.

III. TRANSLATIO RELIQ. S. SEBAST.

Quo item anno, Ludouici Imp. decimotertio, mense Nouembri, ab Eugenio Papa celebrata est *Romæ* in basilica S. Petri SYNODVS sexaginta trium Episcoporum: in qua constituti sunt canones *c* triginta octo, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes.

IV. CONCIL. ROM. SVB EVGEN. *c Recitat eorum titulos Baron. Ann. Tom. IX. hoc an. ex cod. MS.*

Sed & hoc eodem anno Regem Northmannorum, siue Danorum, Arialdum siue Haroldum, vna cum coniuge, ceterisque suis ad fidem Christi conuersum, Moguntiæ baptizatum esse, atque à Ludouico Imp. Comitatu in Frisia donatum, quo se à Danis è regno expulsus reciperet; tradunt qui res eiusdem Ludouici prosecuti sunt, Vetereſque Francorum Annales: quod Sigebertus superiori anno collocat. Eiusmodi autem Danorum conuersionem factam esse EBBONIS Archiepiscopi Rhemensis prædicatione, qui illuc ex consilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis, ad prædicandum Euangelium accessisset, traditur apud Aimoinum *d*, & Adamum Bremensem. Sed quod ipse Ebbo in eo quem susceperat Apostolatu non perseuerauerit, quodque molitionibus aduersus Ludouicum infamatus postea fuerit, & priuatus Episcopatu; idem penitus priorem gloriam obscurauit: adeo vt nequaquam ipse *Danorum Apostolus* sit appellatus; sed S. ANSGARIVS Corbeiæ in Saxonia monachus, paulo post cum ipso Haroldo illuc missus: qui ob exantlatos immensos in Gentilium conuersione labores, à Gregorio Quarto (vt suo loco dicetur) consecratus est primus

V. REGIS DANOR CONVERSIO AD FIDEM.

d Aim. Lib. 4. c. 3.

ANSGAR. DANOR. ET OMNIVM AQVILONARIVM APOST

Archiepiscopus illarum regionum Aquilonarium, sede tamen in Hamburgensi ciuitate constituta. Cuius Res gestas scriptis mandatas esse à S. Remberto eius discipulo & in Ecclesia successore, testatur auctor *e* qui Res ipsius S. Remberti conscripsit; sed quod sciamus, non extant: pauca vero tantum de gestis in Apostolatu, reperiuntur in Vita eiusdem S. Remberti, necnon apud Albertum Krantzium in Historia Saxonum, & apud Adamum Canonicum Bremensem, qui egregio candore scripsit Historiam Ecclesiasticam prouinciarum Borealium.

e Ap. Sur. 4. Febr.

Quod ad res Orientales attinet; hoc ipso anno (iam inchoata à mense Septembri Indictione quinta) vndecima die Nouembris, ex hac vita migrauit magnus ille, de quo sæpissime actum est, Theodorus Studitarum præpositus, confessione crebrius iterata clarissimus, doctrina insignis, vita admirabilis, & miraculis celeberrimus: condito prius egregio Testamento *f*, quo fidem suam Catholicam, & odium in hæreticos, omnibus patefieri voluit. Subiicienſque ibidem professionem eorum, quæ ab eius temporis hæreticis impugnabatur, inter alia de monastico instituto ait; *Confiteor insuper monasticum statum sublimem esse & excelsum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget absolutæ vitæ perfectione, &c.* demumque sanctissima addidit monita ad suum successorem, & alios monachos. Cuius felicem ad Deum transitum (qui contigit anno eius ætatis sexagesimo septimo) pluribus descripsit ipsius discipulus Michael eiusdem cœnobij monachus in eius Rebus gestis: Ecclesia vero tam Orientalis quam Occidentalis, in Tabulas Sanctorum retulit. Corpus autem post annos decem & octo *g*. solemni pompa à Methodio Patriarcha & pia Augusta Theodora Constantinopolim translatum est, integrum ac miro fragrans odore repertum.

VI. THEODORI STVD. OBITVS.

f Ext. in lib. ipsius Epistolar.

MONASTICI STATVS SVBLIMITAS.

g Agit de eius translatione Baron. Tom. X. an. 844. in fin.

Hoc eodem tempore Michael Imp. scelera sceleribus addens, defuncta coniuge, desponsatam Christo virginem monialem, Constantini (vt ferebatur) Imperatoris filiam, nomine Euphrosynam, vxorem duxit, Augustamque nuncupauit. Sed tantum scelus secuta sunt ingentia mala: siquidem ipsius Michaelis exercitus in Cretam missus ad expellendos inde Saracenos, ab eis penitus excisus est: & Dalmatia ab Orientali Imperio defecit. Habet hæc pluribus Ioannes Curopalates.

VII. MICH. IMP. MONIALEM DVCIT IN VXOREM.

IESV CHRISTI AN. 827.

VALENTINI AN. 1.

LVDOVICI 14.

MICH. BAL. 7.

ANNO Domini octingentesimo vigesimo septimo, Indictione quinta, *Euphemius* Dux in Sicilia, cum & ipse Michaelem Imp. imitatus, virginem Deo dicatam inuitam rapuisset; ob querelas tamen fratrum virginis, eiusdem Imp. iussu quæsitus ad pœnas, rebellans fugit in Africam: vbi pactis cum Saracenis conuentis, consecutus est ab eis nomen Imperatoris, ipseque illos in Siciliam intulit: qua ipsi potiti, Calabriam insuper, ac pleraſq; Italiæ partes occupauerunt. Cum interea idem Euphemius Syracusas tentans, à duobus fratribus Syracusanis subdole appetitus, capite truncatus est. Hæc pluribus Ioannes Curopalates, & ex eo Cedrenus, & alij Græci. Ex quibus redarguas eos *a*, qui Siciliæ per Saracenos, siue dixeris Agarenos, occupationem ad annum Domini octingentesimum vigesimum referunt.

I EVPHEM. TYRANNVS SARACENOS IN SICILIAM INTRODVCIT

a Leo. Ost. & alios.

Hoc pariter anno, vndecima die Augusti, mortuus est *Eugenius* Papa, cum sedisset annos tres, menses duos, & dies viginti tres. Ita enim apud Anastasium: licet vitiato annorum numero, annos quatuor sedisse in aliquibus codicibus ponatur; quod ab omnibus qui hoc tempore vixerunt rerum Francorum *b* scriptoribus redarguitur, dum hoc anno

II. EVGENIVS PP. MORITVR.

b Ann. l. 4. c. 11. Annal. Pith. Vit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ludou. Imp &c. VALENTINVS PP. CREATVR, ET MORITVR.

ipsum defunctum esse testantur. Cum autem vna vix die sedes vacasset, totius Cleri, ac Senatus, Populique consensu, VALENTINVS natione Romanus, Petri Filius, vir multis virtutibus præditus, ex Archidiacono inuitissimus acclamatus est Pontifex. Qui cum dies tantummodo quadraginta sedisset, (vt quidem Anastasius habet, licet alij dicant vix vnum mensem explesse:) post sedis ipsius vacationem trium dierum, octauo Calendas Octobris, pari omnium consensu, GREGORIVS huius nominis Quartus, æque patria Romanus, genere clarus ex patre Ioanne, vir diuinis humanisque literis apprime eruditus, pietateque, misericordia, & aliis omnibus virtutibus insignis, ex presbytero Tituli S. Marci, pariter inuitus atque etiam latebras quærens, consecratus est solemnibus ritibus Summus Pontifex.

GREG. PP. IV.

IESV CHRISTI AN. 828.

GREG. IV. AN. 1.

LVDOVICI 15.

MICH. BAL. 8.

I. CLADES GALLIAR. OB PECCATA POPVLORVM.

ANNO Christi octingentesimo vigesimo octauo, Indictione sexta, cum Galliæ frugum penuria, peste hominum & animalium, incursionibus Bulgarorum ac Saracenorum, & defectionibus quorundam Principum, grauiter laborarent; ad ea auertenda mala, quæ in vltionem malitiæ ac scelerum illorum populorum à Deo immissa esse, etiam pessimus dæmon puellam obsidens, vrgente vi exorcismi, ac virtute Reliquiarum SS. Martyrum Marcellini & Petri inde expulsus, coactus est patefacere, (quod testatur Eginhardus *a* in commentario de miraculis ad easdem sacras Reliquias editis de quo superius dictum est) inuigilans pietas Imperatoris Ludouici; (quem & insuper de multis corrigendis, Angelica reuelatione admonitum esse, sed ipsum perpauca ex iis adimplere curasse, idem *b* auctor narrat:) Constitutione *c* ex consilio Episcoporum promulgata, post triduanum ieiunium populo indictum, quatuor anno sequenti celebrandas indixit Synodos, vnam *Moguntiæ*, alteram *Parisiis*, tertiam *Lugduni*, quartam *Tolosæ*; in quibus de disciplina Ecclesiastica, & morum emendatione tam præpositorum quam subditorum ageretur.

a *Egin. lib. 3.c.13.*

b *Ibid.c.12.*

c *Ext. ante Conc.Paris. seq. an. Tō. 3.Concil.* CONCILIA INDICTA AD CORRECTIONEM MORVM.

II. NICEPH. CONST. EPISCOPI OBITVS.

Hoc eodem anno Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha Confessor, cum ageret in exilio annum decimũquartum, ex hac vita ad Deum feliciter migrauit: cuius natalem diem Ecclesia Latina tertio Idus Martij, Græca quarto Nonas Iunij celebrat: eius autem corpus post annos vnde viginti *d*, sub Michaele Tertio & Theodora, Augg. integrum repertum, à Methodio eiusdem ciuitatis Patriarcha solemni translatione, cui etiam Imperator interfuit facem manu tenens, delatum est Constantinopolim, eodem die quo pulsus ipse in exilium fuerat. quæ omnia pluribus describit Theophanes presbyter in Oratione ad populum de eiusdem laudibus tunc habita.

d *Ap. Bar. Tom.X.an. 845. in pr.*

ET SCRIPTA.

[Huius Nicephori extat Breuiarium Historicum de Rebus gestis ab obitu Mauritii Imp. ad Constantinum vsque Copronymum: quod nuper edidit Græce & Latine ac Notis chronologicis illustrauit Dionys. Petauius Socin. IESV. Vbi etiam in præf. refellit opinionem eorum, qui putant huius quoque Nicephori esse Chronicon auctoris eiusdem nominis, Latine a multis, Græce etiam à Ios. Scaligero editum. Sane cum in eo Chronico hic S. Nicephorus ponatur inter Constantinopolitanos Antistites num. 77. omnino necesse est, aut alium esse eius Operis auctorem, aut opus ab alio additamentum accepisse. Quæ vero Opuscula contra Iconomachos huius nomine edidit Henr. Canisius Tom. IV. Antiq. Lect. haud abnuerim vere eius esse, cum constet eum pro defensione sacrarum Imaginum, grauissima ab Iconomachis pas-

sum esse.]

IESV CHRISTI AN. 829.

GREG. IV. AN. 2.

LVDOVICI 16.

MICH. BAL. 9.

I.

ANNO Domini octingentesimo vigesimonono, Indictione septima, Gregorius Papa vbi structura nobilitasset Titulum S. Marci, cuius presbyter fuerat, ornamentis quoque insigniter locupletauit, corpusque S. Hermetis Martyris in eum transtulit. Idemque quod Saraceni potiti Sicilia vniuersas Italiæ oras infestarent classe piratica, Ostiã ciuitatem refecit, nouisque mœnibus muniuit, ac Gregoriopolim appellauit; vt de his testis est Anastasius. Sed & eadem ex causa, vt basilicam S. Petri extra Vrbem positam tutam redderet, iecisse fundamenta alterius nouæ ciuitatis, quæ postea à Leone Quarto qui perfecit, Leonina est appellata; Sigebertus tradit anno sequenti.

II. MICH. IMP. MORITVR.

Hoc pariter anno, ipsis Calendis Octobris, impius Michael Balbus, cum imperasset annos octo, menses nouem, dies septem, dysenteriæ morbo ex hac vita migrauit, maledictionibus omnium propanegyricis infamatus. Corrigendi autem Curopalates, Cedrenus, & alij, (nisi potius sit vitium librariorum) dum apud eos inuerso ordine legitur, Michaelem imperasse annos nouem & menses octo: quod consistere nulla ratione potest ex eorundem ipsorum sententia, si ratio annorum decessoris, & successoris habeatur. Post eius vero mortem, THEOPHILVS ipsius filius, qui ad virilem iam peruenerat ætatem, patrium excepit Imperium. Qui ipso sui initio, iustitiæ cultor videri appetens, (quam & semper coluisse in iis quæ ad politicam disciplinam spectarent, historici tradunt) omnes qui cum patre in Leonis Armeni necem conspirauerant, parricidarum pœnis affici iussit, atque Euphrosynam nouercam, quam Michael à monasterio extractam vxorem duxerat, ex aula pulsam in idem monasterium redire coegit. Hæc pluribus Curopalates. Sed quomodo ex parente morbum Iconoclastiæ trahẽs, Catholicos sit persecutus, suis locis dicendum erit.

THEOPH. IMPERAT.

III.

Hoc eodem anno, tempore Quadragesimæ, intempesta nocte, terræmotus validissimus totum commouit Aquisgranense palatium Imperatoris, aliaque ciuitatis ædificia. Mense vero Augusti celebratus est à Ludouico Imp. *Conuentus* Wormatiæ; & conspiratio in eundẽ Imp. detecta est. Hæc in ipsius Rebus gestis eodem tempore scriptis, & in Veteribus Francorum Annalibus. Sed de conspiratione fusius anno sequenti.

IV. CONCIL. PARIS. PRO RECTA DISCIPLINA.

Interea vero hoc eodem anno, octauo Idus Iunias, celebrata est *Parisiis* SYNODVS, quam superiori anno vidimus indictam: in qua duo canonum libelli ab Episcopis *a* conscripti sunt, de his quæ spectarẽt ad officium Episcoporum, quæque à Regibus præstanda essent tum in aliis rebus, tum maxime pro conseruatione Iurium Ecclesiasticorum, quæ ab eis opprimi consueuissent; ac denique quæ ad mores Fidelium optime instituendos pertinere posse viderentur. Quod autem præter hoc Parisiense Concilium, tria alia fuissent in aliis Galliæ ciuitatibus eodem tempore celebrari iussa; ipsa non extant. Nam quod Moguntiæ constat, sub eodem Ludouico celebratum, illud longe postea habitum esse suo loco dicetur.

a *Ext. Acta Syn. Tom. III. Concil.*

V.

Ceterum in prædicto Parisiensi *b*, de iis quæ ad optimum Principem spectare viderentur, post multa diuinæ Scripturæ loca, ista ex Fulgentio imprimis haurientes proposuerunt Patres Imperatori seruanda: *Clementissimus quoque Imp. non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam quia apicem terreni Principatus accepit, sed si in Imperiali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis in timore seruire Deo, quã in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiã mitiget, ornet benignitas potestatẽ: si se magis diligendũ, quã timẽdũ cũctis exhibeat: si subiectis sa-*

b *Ibid. l.2. c.1 & 2.* QVÆ SINT REGVM ERGA REMPVBLAM ET ECCLESIAM.

lubriter

lubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non relinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ memimerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Et post alia multa, ex Isidoro: *Princ pes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualeat Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas sua imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit, vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesia exercere non præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere reddere rationem propter Ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Hæc Patres de his quæ sunt Regum ac Principum erga sanctam Ecclesiam debita iura: reliqua tu videas pro arbitrio.

IESV CHRISTI AN. 830.

GREG. IV. AN. 3.

LVDOVICI 17.

THEOPHILI 1.

I. THEOPH. IMP. PERSEQVITVR CVLTORES SS. IMAG.

ANno Christi octingentesimo trigesimo, Indictione octaua, Theophilus Imp. conciliatis sibi (vt dictum est) specie iustitiæ omnium animis, ad stabiliendam hæresim Iconoclastarum violentus insurrexit; dum non quemquam tantummodo obuium adortus, sed exquisita arte singulos suo subiectos Imperio indagans, dedit in mandatis Quæstoribus, vt cum tributum capitationis exigerent, pariter de cuiusque fide quęstionem haberent; & quem Orthodoxum inuenissent, is statim in carcerem coniiceretur, pœnas daturus acerbissimas, nisi cultum sacrarum Imaginum publice detestaretur. Est de eiusmodi edicto mentio in *Actis S. Ioannicii* Anachoretæ, insignis meritis & miraculis huius temporis Confessoris, & fortissimi sacrarum Imaginum cultus sub præcedentibus etiam impp. propugnatoris; qui & eo culminis euectus erat, vt metuerent ipsum iidem Impp. persecutores, vererenturque in eum manus iniicere.

II. CONSPIRATIO IN LVDOV. IMP.

Hoc eodem anno res Francorum maximo sunt in discrimine constitutæ. Ingentes enim in Ludouicum Imp. conspirationes detectæ sunt, exortæ illæ à filiis, atque à subiectis Imperatori Principibus, & sacerdotibus plurimis. Peperit siquidem inuidiam omnibus, præsertim aulicis, quod Bernhardum Hispanum hominem, Hispaniarumque limitum Comitem, tanquam sibi fidissimum, defensionis suæ causa Imperator vocasset in aulam, constituissetque Præfectum cubiculi. Exinde sparsus rumor, creditumque à pluribus, eundem Bernhardum admiscerì Iudith Imperatrici. Id quidem cum filiorum quoque animos haud leuiter sauciasset; commouisset vero amplius odium in nouercam, quod natos ex ea Carolum & Rodolphum Imperator maiori videretur amore prosequi: his fomitibus accensus Pipinus Ludouici filius, contra patrem parauit exercitum. Cuius timore percitus Imperator, & Bernhardum à se dimisit, & Iudith Lauduni in monasterio S. Medardi morari præcepit. Sed minime his contenti aduersarij, eductam è monasterio Imperatricem promittere coegere, persuasuram se Imperatori, vt deposito Imperio retruderet se sua sponte in monasterium, idque ipsum se quoque esse facturam. Itaque illa ad Ludouicum sub custodia missa, eundemque allocuta, monasticum sibi velum imposuit; quam Pipinus in monasterium S. Radegundis detrusit: Imperator vero tempus ad deliberandum accepit. Cum interea rediens ex Italia Lotharius Ludouici primogenitus, & Imperij collega, ea quidem quæ iam essent facta probauit, non tamen in patrem quid vlterius peragi passus est: neque rem armis geri, sed iure voluit. Sicque *Conuentum* publicum indici iussit ex ipsius Ludouici sententia *Neomagi*: ad quem & ipse veniret Ludouicus, non armata manu, sed simplici comitatu. Ibi vero cum essent, Lotharius à patre suasus est obedientem se præstare, & ipse Ludouicus pristinam auctoritatem recepit imperandi: qui tamẽ solita vsus benignitate, criminis reis leuibus dumtaxat mulctatis pœnis, omnino pepercit. Hicque finis rerum gestarum præsentis anni; quæ hic summatim perstrictę, in Vita ipsius Ludouici fusius enarrantur.

LIBERATVR A PERSECVTIONE.

IESV CHRISTI AN. 831.

GREG. IV. AN. 4.

LVDOVICI 18.

THEOPHILI 2.

I. AVGVSTA, CVM MATRE, IN DISCRIMEN ADDVCTA OB CVLTVM. IMAG.

ANno Christi octingentesimo trigesimo primo, Indictione nona, Theodora Augusta Theophili Imp. vxor, & mater eius Theoctiste, pientissimæ feminæ, ex Paphlagonum regione ortæ, cum occulto colerent sacras Imagines, delatæ apud eundem Theophilum acerrimum Orthodoxorum persecutorem, in discrimen adductæ sunt: verum nihil eis mali intulit Imperator, quod valde eas ob egregias ipsarum virtutes reuereretur. Hæc pluribus Ioannes Curopalates.

II. a *Amalar. de ord. Antiph. c. 38.* AMALARII LEGATIO AD GREG. PP. PRO OFF. ECCLES.

Quo item anno *a* Amalarius Fortunatus, insignis doctrina & pietate vir, Albini olim discipulus, missus est à Ludouico Imp. Romam ad Gregorium Papam, occasione librorum de Ecclesiasticis Officiis, quos idem Amalarius à se compositos misisset ad eundem Imperatorem: Imperator vero ipsum Romam misit, vt quod deesse ad opus videretur, illic addisceret, atque ex Romana Ecclesia Gallicanos Antiphonarios corrigeret, augeretque: quod & ille solertissime adimpleuit, confecto tunc commentario de ordine Antiphonarij. Sed & eodem tempore Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis in restituendo pariter vetere Antiphonario magnopere laborauit: verum ob nimiam suam scrupulositatem, cum præter diuinam Scripturam admittere in sacris Officiis nihil vellet, haud quam putauit consecutus est gloriam.

[Libros de Diuinis Officiis Amalarii Fortunati, de quibus actum præcedenti §. plerique Amalario Archiepiscopo Treuerensi tribuunt. Verum docuit nos eruditissimus Sirmondus, eos esse Amalarii Diaconi, paulo illo iunioris; id diserte testante Ademaro monacho cœnobii Engolismensis in Collectaneis Historiæ suæ, quæ nondum in lucem edita sunt. Ceterum de Cantu Ecclesiastico, & Antiphonario, eiusque antiquissima origine, iam satis dictum sup. an. 60. XII. quibus potes addere Ioan. Steph. Durantum De Ritib. Eccles. lib. 3. cap. 17.]

III. DE TRANSLAT. CORPORIS S. BARTHOL. APOST. *De qua Baron. an. 840. in fi ex Leone Ost. in Chron. Cassin. lib. 1. c. 26.*

Hoc eodem anno Sigebertus tradit, Saracenos Siciliam incursantes etiam Liparim insulam deuastasse, vbi corpus S. Bartholomæi Apostoli quiescebat; quod olim loculo plumbato iniectum, & in mare mersum à Paganis, non ferentibus illud propter nimiam signorum claritatem ab omnibus venerati, ab India in eam insulam vltro delatum fuerat. Cuius ossa modo à Saracenis huc illucque dispersa, à quodam monacho, ipso Apostolo reuelante, collecta Beneuentum translata sunt. Hæc Sigebertus: sed de translatione ex India in Liparim, diuersa diuersorum est narratio; sicuti & de tempore translationis Beneuentum.

IESV CHRISTI AN. 832.

GREG. IV. AN. 5.

LVDOVICI 19.

THEOPHILI 3.

I. PERSECVTIO THEOPHILI IMP MAGIS GRASSATVR.

ANNO Domini octingentesimo trigesimo secundo, Indictione decima, Theophilus Imp. semel aggressus mouere bellum aduersus sacrarũ Imaginum cultores, quotquot eiusmodi deprehendere potuit, Episcopos, monachos, omnisque generis atque sexus homines, gladio, aut exilio, vel diro carcere multauit: Imagines prorsus, nisi forte ferarũ & auium, pingi prohibuit: earumque pictores sæuissime puniuit: ipsas vero Imagines sacras in forum proiecit, hæreticorumque ludibrio exposuit. Quo tamen tempore reperti sunt plurimi, qui nihil tot malis deterriti, magno illum animo adeuntes, impietatem ac crudelitatem ipsi in faciem exprobrarunt. Sed in his minime omittendum certamen *Lazari* monachi, pingendi arte celebris: quem obsequiis deuincire tentans Imperator, cum omni adulatione superiorem videret, crudelissimis eum tormentis excruciauit, & in carcerem coniecit: cumque recuperata valetudine rursum sacras Imagines depingeret, laminas ferreas ignitas illius palmis iussit admoueri: sed precibus Imperatricis emissus è carcere, in templo Præcursoris occultatus est, atque vt sese habebat plagis male affectus, Præcursoris expressit Imaginem, quæ diu conseruata sanare consueuit ægrotos. Superfuitque Lazarus Imperatori, & sacras Imagines pingere non cessauit. Hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates; licet quo potissimum anno gesta fuerint haud notet. In eo namque historico illud desiderari iam superius monuimus, quod quæ enarrat singula singulis non reddiderit annis. Porro quod tam ipse, quam alij plerique auctores asserunt, Theophilum studuisse superare impietate decessores Imperatores; dixerint ista fortasse de his quæ spectant ad cultum sacrarum Imaginum. Verum etsi Iconoclasta fuit, Hagiomachus tamen nequaquam extitit; vtpote qui Sanctos coleret, atque Dei-genitricis ecclesias frequentaret, nouasque etiam erigeret; prout idem Curopalates scribit.

INSIGNIS CONFESSIO MONACHI PICTORIS.

II.

Fluctuabãtur inter hæc in Occidente res Ludouici Imperatoris; quando Pipinus eius filius rursum alios in patrem cõmouens, ab eo in carcerem est coniectus. Sed cum inde à suis noctu ereptus esset, ipsum pater Regno Aquitaniæ priuauit, quod Carolo puero ex Iudith nato datum est; quamuis res effectum non sit consecuta.

III. SEDES AMABVRGENSIS ERECTA IN METROPOLIM POPVLOS SEPTENTRION.

Hoc pariter anno idem Ludouicus Imp. habita SYNODO, Amaburgensem ciuitatem Nordanbilgorum, siue Transalbianorum, Metropolim statuit Danorum, Sueonum, Slauorum, & aliorum adiacentium populorum Septemtrionalium: eique præfecit *S. Ansgarium*, eorundem nationum (vt superius dictum est) Apostolum, qui in eadem Synodo primus illius sedis ordinatus est Archiepiscopus. Ea vero omnia postea confirmata sunt à Gregorio Papa: qui insuper Ansgario palliũ misit, insigne plenitudinis potestatis; eundemque, ac successores ipsius, Legatos ac Vicarios Apostolicæ Sedis constituit in omnibus illis gentibus. Hęc quidem vetus Chronographus, Adam *a* nominatus, Canonicus Bremensis, hoc Redemptoris anno gesta ponit: ex quo recentiorem corrigas Crantzium *b*, dum in annum sequentem ea refert. Ceterum cum ista Amaburgensi Ecclesia postea à Nicolao Papa Bremensem vnitam esse, ad sedandam dissensionem, quæ inter eas acciderat, ambo iidem auctores *c* tradunt.

a Adam. l. 1. c. 17.
b Crantz Hist. Sax. lib. 1. c. 20.
c Ad. lib. 1 cap. 27. Crantz. lib. 1. cap. 18. Ar. Bar. on Tom. X. an. 858. XLii.

IESV CHRISTI AN. 833.

GREG. IV. AN. 6.

LVDOVICI 20.

THEOPHILI 4.

I.

ANNO Domini octingentesimo trigesimo tertio, Indictione vndecima, graui rursum turbine quassum est Imperium Occidentale. Quod enim Pipinus à patre Ludouico Imp. priuatus esset Aquitania, quæ Carolo Iudith filio data fuit, magnam sibi Imperator cum odio concitauit inuidiam, non Pipini tantum, sed & aliorum filiorum, Lotharij ac Ludouici: quo factum est, vt ad bellandum pararentur vtrimque exercitus. Cum interea Gregorius Papa, vt pacem inter eos conciliaret, Roma profectus, ad ea quæ prius obuia habuit filiorum castra accessit: vbi diutius commoratus, ideoque in suspicionem apud Ludouicum ductus quod filiis faueret, cum ad ipsum postea accessisset, haud eo est susceptus honore, quo vel ipsemet vel prædecessores Francorum Reges excipere consueuerant Romanos Pontifices. Contestatus autem se non aliam ob causam esse Roma profectum, quam vt pacem conciliaret, ab eodem Ludouico dimissus est ad filios, rem tractaturus cum ipsis. Sed cum nihil ex sententia eueniret, idem re infecta mœrens reuersus est Romam. Hæc quidem ex Vita eiusdem Ludouici; quæ auctor qui Appendice auxit Historiam Aimoini, ex eo totidem verbis apposuit. Cæterum Gregorium Pontificem in huiusmodi dissidiis fauisse potius Ludouico, quam sceleratis filiorum conatibus, satis patebit ex iis quæ inferius suis locis dicentur.

GREG. PP. FRVSTRA LABORAT PRO COMPONENDA PACE INTER LVDOV. IMP. ET FILIOS EIVS.

Post hæc vero recessum, cum maxima pars exercitus Ludouici ad filios defecisset; & ipse quoque eorundem se potestati tradens, ductus est Compendium; ibique pessime habitus tam ab iis, quam ab Ebbone Archiepiscopo Rhemensi harum turbarum incentore, aliisque Episcopis, vel errore admittentibus, vel timore consentientibus. A quibus cum vehementius solicitaretur monasticum habitum induere; id ipse omnino renuens, coactus est tamen in pleno eorundem *Concilio a* ibidem *Compendii* habito, gladium deponere, & cilicio sumpto reum se in multis capitibus de male administrato regno confiteri, atque pœnitentiam publicam suscipere: Imperiumque ipsi adeptum, in Lotharium eius filium translatum est. Quod facinus non solum omnes rerum Gallicarum scriptores merito detestati sunt: sed & ipsum Gregorium Papam eiusmodi Ludouici abrogationis decretum rescidisse, testatur Paulus Æmilius, qui res Francorum est feliciter prosecutus. Omnes vero populos Imperio Francorum subiectos, valde pro Ludouico sollicitos fuisse, statimque de eius restitutione cogitare cœpisse, tradit auctor Vitæ eiusdem Imperatoris.

II. LVDOV. COGITVR SE IMPERIO ABDICARE.

a Extant huius Compend. Concilii Acta, & capita accusationum Ludouici, ac pœnitentia ipsi iniũcta, in Annal. Franc à Pith. editis: recitatque ea Baron. Tom. IX. hoc an. Sed & de his omnibus plura extant monumenta apud Agobardum Archiep. Lugd. qui vna cum aliis Episcopis sedit iudex aduersus Ludouicum, eumdemque vna deiectus est, necnon ipsius coniugẽ Iudith Augustam.

IESV CHRISTI AN. 834.

GREG. IV. AN. 7.

LVDOVICI 21.

THEOPHILI 5.

I. LVDOV. RESTITVITVR IN IMPERIVM

ANNO Domini octingentesimo trigesimo quarto, Indictione duodecima, cum vndique conflati esse scirentur ad liberandum Ludouicum Imp. exercitus, Lotharius se excusans cuncta esse peracta iudicio Episcoporum, relicto patre in monasterio S. Dionysij prope Parisios, Viennam se contulit: Ludouicus autem in Ecclesia S. Dionysij per manus Episcoporum (neque enim aliter pius Imperator,

tor, licet iniuste depositus, hoc peragi voluit) gladio accinctus est, & in Imperium restitutus, ingenti omnium populorum lætitia, necnon ipsorum elementorum gratulatione, quæ cum per multum tempus acerbissime sæuiissent, tunc pristinam tranquillitatem receperunt. Post hæc autem idem Ludouicus filios suos, aliosque rebelles in gratiam recepit. Sed & cum Lotharius in itinere ciuitatem Cabilonensem, quæ ei aduersabatur, expugnans, cuncta sacra profanaque ferro igneque absumpsisset, vna salua miraculo basilica S. Georgii; omnesque qui patri studuissent occidisset, ac sororem Bernhardi sanctimonialem dolio vinacio inclusam in Ararim fluuium proiecisset: hæc nefanda detestatus Imperator, cum reliquis filiis suis castra aduersus Lotharium mouentes, coegerunt eum supplicem ad patrem accedere; cui ipse, eiusque sectatoribus indulsit. Hæc omnia in Vita eiusdem Ludouici, & apud Theganum, leguntur fusius enarrata. Denique recepisse quoque vxorem suam Iudith, quæ à priuignis in Italiam relegata fuerat, iidem auctores tradunt: id vero auctoritate Pontificis factum, Marianus Scotus asserit.

NEFANDA LOTHARII SCELERA.

II.

His autem peractis, idem Ludouicus tempore Missæ Sancti Martini generalem habuit *Conuentum* in *Attiniaco* palatio, pro restituendo statu Ecclesiastico atque politico pene collapso; missis per singulas ciuitates viris prudentibus, qui id curarent. Quod vero in basilica S. Dionysii contigisset ipsum restitui in Imperium; vt aliquam gratiam tanto Martyri rependeret, eiusdem monasterii Abbati Hilduino mandauit, vt quæ tum ex Græcis tum ex Latinis fontibus de eodem Dionysio scripta reperire posset, in vnum congerens, stylo historico prosequeretur. Extat enim de his eiusdem Ludouici epistola, quæ ab ipso ad quem scripta est, Hilduino præfixa est Areopagiticis *a* suis, ita nominatis lucubrationibus, quas de rebus gestis S. Dionysii Areopagitæ quæ inueniri potuerunt conscripsit. Quo eodem tempore (opera haud dubium eiusdem Hilduini) Michael Syncellus Hierosolymitanus, egregius Confessor, composuit orationem encomiasticam de eodem Dionysio: & Methodius sanctissimus ac doctissimus tunc presbyter, postea Episcopus Constantinopolitanus, insignis item Confessor, multiplicibusque coronis sub Imperatoribus Iconomachis pro defensione sanctarum Imaginum auctus, & sub Leone Papa à Nicephoro Patriarcha Orthodoxo Romam legatus, ideoq; tam in Oriente quam Occidente spectatus, eiusdem Martyris res gestas historice conscripsit. Sed de rebus istis plura dicta sunt in obitu *b* eiusdem S. Martyris.

COLLECTA AB HILDVINO MONVMENTA DE S. DIONYS.

a *Ext. ap. Sur. 9. Oct.*

b *Sup. ann. 109.*

III.

Inter hæc in Oriente Theophilus Imp. aduersus Saracenos progressus, ab iis prælio victus est, parumque abfuit quin ab illis caperetur. Qua de re iratus Methodio presbytero Constantinopolitano, cuius modo meminimus, (quem ad bellum secum ducere consueuerat, siue propter eximiam ipsius doctrinam, vt pleraque obscura dissolueret, siue timens ne populum submoueret pro defensione sacrarum Imaginum) quod non eius adiutus precibus hostes vicisset; occasione capta ex offensa religione ob cultum idolorum, (sic solitus appellare sacras Imagines) post diram verberum inflictionem, eundem relegatum in quoddam sepulchrum cum duobus latronibus includi iussit; cui tantum cibi à quodam piscatore subministrari iussit, quantum sufficeret ad vitam in illis miseriis trahendam: sicque illic mansit quamdiu Theophilus vixit, vt tradit hæc narrans Ioannes Curopalates: licet Constantinus Manasses & Glycas æque Græci auctores, asserant ipsum viuente adhuc Theophilo ab eodem reuocatum fuisse Constantinopolim, ad quædam soluenda dubia, quæ ipsi inter legendum occurrissent.

S. METHODIVS VIVVS CLAVDITVR IN SEPVLCH.

IV.

Hoc item anno, qui Æra notatur octingentesima septuagesima secunda, in Hispania apud Caradignam ducenti monachi interfecti à Saracenis, consecuti sunt coronam martyrii octauo Idus Augusti, sepultique in claustro eiusdem monasterii; vbi Deus locum, Sanctosque suos iugiter annua die illustrat admirabili signo, vt qua die sunt trucidati, pauimentum claustri appareat sanguineo colore respersum. Porro quamuis ista ex Æræ numero in hunc annum referendi appareant: tamen quod in inscriptione eorundem Martyrum sepulchro apposita legatur, sextam Augusti diem, qua ipsi passi sunt, incidisse in quartam feriam; secundum istam supputationis rationem, nisi mendosa sit inscriptio, omnino dicendum est, id contigisse anno tantummodo Christi octingentesimo septuagesimo secundo, eodemque bissextili, quo literæ Dominicales fuere F.E. ita vt pro numero Æræ reponendus sit numerus annorum Christi. Quod nouissime obseruasse visus est Alfonsus Ciacconus, qui de iisdem Martyribus comment ariolum edidit.

DYCENTI MONACHI MARTYRES IN HISP.

IESV CHRISTI AN. 835.

GREG. IV. AN. 8.

LVDOVICI 22.

THEOPH. 6.

I. CONVENTVS VILL. THEOD. DE EPISCOPIS QVI ADVERSVS LVDOV. CŌIVRAVERANT.

ANno Domini octingentesimo trigesimo quinto, Indictione decimatertia, in *Theodonis Villa* magnus habitus est *Conuentus* Episcoporum, & aliorum: in quo Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, qui auctor fuerat depositionis Ludouici Imperatoris, suasione Coepiscoporum seipsum iudicans Episcopatu indignum, eo se abdicauit: reliqui vero qui ei consentientes fuissent, se excusauerunt ob necessitatem qua coacti fuerant; quibus venia data est. Condemnatus est autem Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, qui vocatus ad Synodum, vt eiusdem criminis rationem redderet, venire distulisset. De his vero qui in Italiam confugissent, nihil est actum, quod visi essent ad Sedis Apostolicæ iudicium conuolasse. Facta sunt ista ante Quadragesimæ tempus. Sequenti vero Dominica, quæ Quadragesimæ initium præcedebat, Imperator vna cum Episcopis, aliisque qui eidem conuentui intererant, in Metensem ciuitatem aduenit: vbi inter Missarum solemnia, ad plenariam ipsius restitutionem, septem Archiepiscopi septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt. Hæc auctor Vitæ Ludouici.

II. DE THEODVLPHI CARCERE, ET LIBERATIONE, AC SCRIPTIS.

Sed & his ipsis temporibus Theodulphus Abbas Floriacensis, ob eandem coniurationem aduersus Imperatorem Andegaui detentus in carcere, cum poeticæ facultatis literis præ cæteris eius temporis esset excultus, carmen scripsit Ecclesiasticum versibus elegiacis ad diem Palmarum in Ecclesia canendum accommodatum; obseruansque tempus cum Ludouicus illac transiret, è fenestra carceris illud cecinit in aures eius: quo mirifice delectatus Imperator, continuo ipsum iussit è carcere liberari; ac postea prærogatiua non solum ipsius scientiæ, sed & pietatis, eundem ad Episcopatum *a* Aurelianensem promouendum curauit. Scripsit idem Theodulphus plura alia carmina; quorum aliqua adhuc extant, nobilis ingenii monumenta. Legiturque præterea ipsius epistola *b* satis prolixa ad Clerum suæ diœcesis, cum factus fuit Episcopus; qua munus sacerdotale & animarum cura qualis esse debeat, quadraginta sex capitulis egregie insinuat, multa inferens notatu dignissima ad antiquam disciplinam Ecclesiasticam pertinentia. Inter quæ illud maxime notandum, quod quamuis canones matrem, & sororem, atque eiuscemodi fœminas in quibus nulla est suspicio, cum presbytero in vna domo habitare concedant; ipse tamen hoc modis omnibus prohibuit, quod (vt ait) in obsequio, siue occasione illarum, veniant aliæ fœminæ extraneæ, quæ eum ad peccandum illicere possint. Est vero & alia eiusdem auctoris epistola *c* carmine scripta è carcere ad Modoinum Episcopum: vbi inter alia de miseriis suis quas iniuste pateretur conquerens, ait, etiam si eas meruisset, tamen ipsius censuram & correctionem ad solum Romanum Pontificem pertinere.

a *Sigeb. in Chron. an. 843. Crant. Hist. Saxon. lib. 1. c. 27. in fi.*

b *Rac Baro. Ann. Tom. IX. hoc an. ex Bibl. Vatic.*

c *Ap. Caniſ. antiq. lect. Tom. V.*

III. IOANNIS SCELESTIS CONST. EPISC.

Hoc eodem anno mortuo Theodoro impiissimo Patriarcha Constantinopolitano, in locū eius substitutus est *Ioannes* Sextus huius nominis, Imperatoris Theophili pædagogus, prædecessore longe sceleſtior; (tales enim meruit Iconocla-

IV. THEODORI AC THEOPH. FRATRVM INSIGNE CERTAMEN PRO CVLTV IMAG.

ſtarum ſecta habere patronos Antiſtites) qui antea eiuſdem Eccleſiæ Syncellus exiſtens, ex magiæ peritia, & peluium diuinationibus ac necromantiis, magnam apud ipſos Imperatores, alioſque hæreticos concitarat ſui exiſtimationem: cuius primordia, ſtupra, aliaque ſcelera deſcribit Ioannes Curopalates, à quo recentiores hiſtorici eadem excerpſere.

Eodem vero tempore inſignes Confeſſores Theodorus ac Theophanes fratres, Palæſtini monachi, quorum ſuperius eſt facta mentio, cum multa iam pro fide paſſi eſſent, ab exilio in quod electi fuerant, Conſtantinopolim reducti Imperatoris iuſſu, qui magnopere cupiebat eos in partes ſuas allicere; denuo quod nec minis nec blanditiis adduci potuerint, vt Iconoclaſtis communicarent, poſt ſæpius iterata diriſſima verbera, in frontibus inſcriptione affecti ſunt duodecim iamborum, (mirum dictu, tot verſus potuiſſe in hominis exarari vultu!) quibus contineretur eos ob praua ſua facinora ità habitos eſſe: poſt hæc vero iterum in exilium pulſi ſunt Apameam Bithyniæ. Deſcribit hæc pluribus auctor huius temporis, qui glorioſa eorum certamina ſcriptis mandauit: memineruntque eorundem Ioannes Curopalates, Cedrenus, & alii hiſtorici; addentes inſuper de Michaele Syncello Hieroſolymitano, aliiſque quamplurimis, à Theophilo Imper. ob cultum ſacrarum Imaginum exilio aliiſque pœnis affectis. Quid vero in itinere, dum prædicti fratres in exilium deportarentur, illis acciderit, refert Cedrenus; nimirum incidiſſe illos in eum piſcatorem, cui datam vidimus curam præbẽdi S. Methodio in ſepulchrum incluſo cibum, & cum ab eo de ſtatu Methodii didiciſſent, per eundem in hanc ſententiam ſcripſiſſe ad ipſum:

Qui viuus inter viuos eſſe deſiit,
Vitamq; præbet mortuus, terram incolens,
Polumq; obit; vincto grauati vinculis,
Frontes ei ſcribuntq; inſcripti literis.

Ad eos vero eiuſdem piſcatoris opera hæc reſcripſiſſe Methodium:

Quorum libris inſcripta ſunt cœleſtibus
Nomina, piaq; frontes inſcriptæ notis:
Hos qui ſepultus ante funus eſt ſuum,
Vinctos ſalutat, & ipſe vinculis grauis.

V. DE FESTO OMNIVM SS. IN GALL. ET GERM. CELEBRANDO.

Hoc eodem anno Gregorius Romanus Pontifex (vt auctor eſt Sigebertus, & alii) monuit Ludouicum Imp. vt in Gallia atque Germania *Feſtiuitas omnium Sanctorum* Calendis Nouembris celebraretur, quam hactenus Romani ex Bonifacii Papæ inſtituto celebrare conſueuerant. Quod cum ab ipſo Imperatore, tum ab Epiſcopis omnibus Franciæ atque Germaniæ mira conſenſione & gratulatione acceptum fuit. Haud enim ante hæc tempora in iis regionibus eiuſmodi ſolemnitatem celebratam fuiſſe, docent diuerſorum Conciliorum Canones de feriis ſeruandis ſanciti, in quibus de ea nullum prorſus habetur verbum; ſicut nec apud eos qui de Officiis Eccleſiaſticis in hanc diem commentarios conſcripſere. Quapropter quod Albinus, ſiue Alcuinus, eius meminit in libro de diuinis Officiis; eum ad hæc tempora fuiſſe ſuperſtitem, inde videtur poſſe affirmari, quicquid de ipſius obitu antehac dictum fuerit.

IESV CHRISTI AN. 836.

GREG. IV. AN. 9.

LVDOVICI 23.

THEOPH. 7.

I. DEVS PVGNAT PRO LVDOV. DŨ IPSE TVETVR ROM. ECCL.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione decima quarta, Lotharius Italiæ Rex in Gregorium Papam infenſus, aduerſus Eccleſię Romanæ populum arma mouit; ſed à Ludouico patre per nuntios acerrime correptus, inuitus quieuit. Quo eodem tempore idem Ludouicus Imp. Northmannos in Friſiam irrumpentes, Britoneſque tumultuantes, nullo negotio fugauit, & compeſcuit. Lues vero ingruens, principes ſeditionis aduerſus eundem Imp. nuper commotæ extinxit. Hæc pluribus auctor eiuſdem temporis, domeſticus Ludouici. Ex quibus etiam videas Deum pugnaſſe pro Ludouico, dum ipſe Romanam Eccleſiam tueretur.

II. CONCIL. AQVISGR. AD ECCL. ET REGN. OPTIME DISPONEND.

Hac eadem Indictione decimaquarta, octauo Idus Februarii, eiuſdem Ludouici admonitione celebrata reperitur SYNODVS AQVISGRANENSIS multorum Epiſcoporum: in qua, inculcata cauſa ex qua tot tantaque mala proueniſſent in regnum Francorum, nempe ex eo quod Reges contra fas in cauſas Eccleſiaſticas proſilirent, & ſacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in ſæcularibus negotiis vltra quam deberent ſe occuparent; actũ eſt de his quæ ad vitam & doctrinam Epiſcoporum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum ſpectant; necnon de iis, quæ ad ipſum Imperatorem, eiuſque filios, atque miniſtros recte diſponẽdos, videri poſſent congrua eſſe. Quæ quidem petita magna ex parte noſcuntur ex Concilio Pariſienſi ante annos ſeptem celebrato; eademque in Capitularibus Regum Francorum inueniuntur eſſe deſcripta. Porro cum hæc Synodus celebrata reperiatur Indictione decimaquarta; inde corrigendi ſunt alii numeri ibidem appoſiti annorum Chriſti, & Imperii Ludouici: nã & auctor domeſticus ipſius Ludouici hoc potiſſimum anno habitam docet. Qua etiam actum tradit de rebus, quas Pipinus Ludouici filius Aquitaniæ Rex multis Eccleſiis abſtuliſſet, eundemque à patre ac Synodo commonitum, cuncta reſtituiſſe.

III. CONVENTVS LVGD. IN CAVSA EPISCOP. VIEN. ET LVGDVN.

Sed & eodem anno apud *Lugdunum* alius *Conuentus* habitus eſt Epiſcoporum, cui & idem Ludouicus vna cum filiis interfuit; excepto Lothario, qui eſt impeditus ea qua hoc anno laborauit infirmitate, ita flagellis à Deo correptus, cum inconcuſſa tentaſſet. In hoc porro Conuentu agitata eſt cauſa Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, paſtoribus tunc carentium, quod Agobardus Lugdunenſis & Bernardus Viennenſis, conſpirationis contra Imperatorem conſcii, facti eſſent extorres. Cæterum Agobardus vocatus reddere rationem, non venit: qui autem affuit Bernardus, diffidens cauſæ fugam iniit. Subſtiterunt tamen Epiſcopi, detrectantes adhuc in abſentes ferre ſententiam.

IV. a *Ap. Sur. 15. Iunii.* CVM S. VITI RELIQVIIS TRANSLATA FELICITAS REGNI FRANCOR.

Hoc item anno, quo prima Northmannorum in Gallias irruptio ponitur, facta etiam recenſetur *a* Translatio Reliquiarum *S. Viti* Martyris, Pariſiis (quo fuerant ſub Pipino Rege Roma translatæ) in monaſterium nouæ Corbeiæ, quod haud pridem vidimus in Saxonia ab Imperatore Ludouico, ſuaſione Adelhardi propinqui ſui, erectum ad exemplar Corbeiæ Galliæ. Cum tantum Martyrem Saxones omnes ſuſcipientes in patronum, mira à Deo per eum conſecuti ſunt beneficia; e contra vero poſtquam è Gallia translatus eſt, eadem à ciuilibus vel externis bellis nunquam quieuit: ſicut teſtatus eſt Legatus Caroli Simplicis apud Witichindum. Quanta vero abundantia benedictionis, in miraculorum etiam editione, idem martyr in Saxoniam venerit, atque permanſerit, liber de eius translatione conſcriptus ſignificat. Eiuſdem autem Reliquias rurſum poſt centum annos petente S. Wenceslao Bohemiæ Duce, translatas eſſe Pragam, in Rebus *b* geſtis eiuſdem Wenceslai prolixior habetur oratio. Denique & hoc ipſo anno translatum pariter eſſe ſacrum corpus *S. Liborii* Epiſcopi Cenomanenſis Paderburnam in eadem Saxonia, atque item ingentibus claruiſſe miraculis, traditur in libello *c* ipſius translationis.

b *Ap. Sur. 28. Sept.*

c *Ap. Sur. 23. Crãz. hiſt. Sax. lib. 1. c. 28.*

IESV CHRISTI AN. 837.838.

GREG. IV. AN. 10.11.

LVDOVICI 24.25.

THEOPH. 8.9.

I. COMETÆ APPARITIO.

ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, tẽpore Paſchali Ludouicus Imp.

ingentis apparitione cometæ admonitus, tanquam proxime moriturus, orationibus se totum atque eleemosynis dedit: habitoque generali *Conuentu* mense Septembri *Carisiaci*, filium suum Carolum ex Iudith natum Regem Neustriæ coronauit; quam prouinciam anteà possederat alius eiusdem Imp. filius iam defunctus, cui pariter nomen fuerat Carolo. Hæc pluribus Astronomus ipse, qui de illo cometa cum Ludouico sermonem habuit, ac res ab eodem Imp. gestas quamfidelissime conscripsit.

II. PARTITIO REGNI FRANCOR. INTER FILIOS LVDOVICI.

Anno vero sequenti, Indictione prima, defuncto Pipino filio Aquitaniæ Rege, eidem Carolo eam tribuit prouinciam; partitoque inter Lotharium & Carolum vniuerso Imperio, tradidit Ludouico Baioariam. Ex qua diuisione rursus obortæ discordiæ, Ludouico indignante, & pro Pipino puero Pipini Regis filio nonnullis insurgentibus nobilibus, eo quod à patris regno videretur esse exclusus. Porro reperitur quoque alias sæpius diuersis occasionibus facta esse ab eodem Imp. regnorum diuisio: vt inter alias ea, quam ex veteribus monimentis Pithœus edidit, facta inter tres filios, Pipinum, Ludouicum, & Carolum; in qua inter cætera diligenter adscriptũ est caput de cura & defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cæterarumque Ecclesiarum, maiorum suorum exemplo habenda: quod in omnibus aliis suis diuisionibus æque inculcatum fuisse, dubitari non debet. Cuius quidem hæc sunt verba, iis ferme similia, quæ in eadem causa à Carolo Magno ipsius Ludouici patre, æque regnum suũ tribus filiis diuidente præscripta vidimus *a*: *Super omnia autem* (inquit Ludouicus) *iubemus atque præcipimus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ S. Petri simul suscipiant, sicut quondam à proauo nostro Carolo, & auo nostro Pipino, & beatæ memoriæ genitore nostro Carolo Imperatore, & à nobis postea suscepta est, vt etiam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulauerit, habere faciant. Similiter de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, vt iustitiam suam & honorem habeant, &c.*

DIVISIO Ro. ECCL. REGIBVS FRANC. DEBITA.

a Ann. 806. III.

Quod vero eodem anno Christi octingentesimo trigesimo octauo, *Fridericus* Traiectensis Episcopus consummasse traditur *b* martyrium insidiis Iudith Imperatricis, ob reprehensum illicitum ex consanguinitate ipsius cum Imperatore coniugium; cum in ea narratione valde proscindatur Imperator, laudentur vero qui eius exauctorationis auctores fuerunt Episcopi, multaque etiam haud temporibus cõuenientia coaceruentur: putamus hæc conficta fuisse ab aliquo Ludouici aduersario, aliamque potius cædis sanctissimi Episcopi præcessisse causam: quem quidem scribunt multum laborasse in Walachia contra illicita connubia, & in Frisia contra Arianam perfidiam.

III. *b Ap. Sur. 18 Iul. Molan. de SS. Belg.* DE MARTYRIO FRIDER. EPIS. TRAIECT.

Eadem Indictione prima *Lupus* monachus S. Benedicti, Rabani discipulus, vir doctrina & moribus præstans, vocatus in aulam à Iudith Imperatrice, paulo post à Ludouico delectus est in Abbatem cœnobii Bethleem, siue Ferrariensis dicti, sitique in diœcese Senonensi: quod ipse *c* testatur in suis Epistolis. Eodem vero anno quo ipse præfectura monachorum est auctus, eius præceptor *Rabanus* Fuldensis Abbas, abdicans se quietis amore, in Hattonem refudit onus: vt ex eiusdem Lupi ad eundem Rabanum data *d* epistola constat; idque ipsum testantur Francorum Annales veteres. Hac autem requie frui Rabanus permissus est vsque ad annum Domini octingentesimum quadragesimum septimum, quo creatus est Episcopus Moguntinus.

IV. LVPVS ABB. FERRAR. *c Lup. Ferr. ep. 6. 40. 71.* RABANVS SE ABDICAT. *d Ep. 40.*

IESV CHRISTI AN. 839.

GREG. IV. AN. 12.

LVDOVICI 26.

THEOPH. 10.

I. ANno Christi octingentesimo trigesimo nono Indictione secunda, Ludouicus Imp. *Cabilonensem Conuentum* habuit; in quo actum est de rebus Ecclesiasticis atque politicis componendis. Fuit vero hic annus bellicis tumultibus turbulentior, cum ipse Imperator aduersus Ludouicum filium rebellantem exercitum mouit, eumque ad spontaneam reconciliationem adegit: sed & Aquitaniam, ob neporem Pipinum inofficiose præteritum commotam, compescuit.

II. DE APPELLATIONIB. AD ROM. PONT. *a Ree Baro. Tom. IX. hoc ann. ex cod. Vatic. b 25. q. 1. c. 2. 2. q. 6. c. decreto. 2. q. 7. c. 42. cap. 2. dist. 12. 2. q. 6. c. 14. c. 4. dist. 45. c. 5. dist. 19.*

Quod autem & inter Episcopos æmulatione exorta, alter in alterius vindictam intenderet, & inter alios Aldricus Cenomanensis grauem à comprouincialibus Episcopis pateretur persecutionem; Gregorius Papa his cupiens occurrere, aliisque consulere, epistolam scripsit ad Episcopos Galliæ, aliosque vniuersos; qua plura tractans de Romani Pontificis auctoritate & appellationibus ad Sedem Apostolicam, iussit eidem Aldrico licentiam dari eam appellandi, & quousque ab ea iudicatus fuerit, Episcopum permanere. Ex qua quidem epistola (quæ adhuc extat *a* integra) reperitur Gratianus complura retulisse in volumen Decretorum *b*.

IESV CHRISTI AN. 840.

GREG. IV. AN. 13.

LVDOVICI 27.

THEOPH. 11.

I. ANno Christi octingentesimo quadragesimo, Indictione tertia, Ludouicus Imper. postquam in ciuitate Pictauiensi Natale Domini celebrasset, adueniente tempore Quadragesimæ, quod totum solitus erat psalmorum decantatione, orationum instantia, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa deuotione transigere; ad pacem restituendam coactus est in Germaniam properare, quam filius eius Ludouicus iterum rebellans inuaserat, eo quod in diuisione regnorum Carolus natu minimus fuisset ei præpositus. Quare ex incommodis intempestiui itineris morbum contrahens, festis Paschalibus Aquisgrani peractis, cum nihilominus perturbatorem Ecclesiarum eundem Ludouicum filium fugientem persequeretur, in vrbe Vangionum, eademque *Wormatia* dicta, *Conuentum* celebrandum indixit; ad quem & filium Lotharium ab Italia accedere præcepit.

LVDOV. IMP. IN MORBVM INCIDIT.

II. DE EIVS PIISS. OBITV.

Quo tempore tantum Solis deliquium contigit, vt nihil à nocte differre dies videretur. Tuncque vi morbi crescente, secedens in insulam quandam ciuitati Moguntinæ contiguam, peccata sua confessus, per dies quadraginta cibum tantummodo sumpsit Dominicum Corpus; laudans iustitiam Dei ac dicens: *Iustus es Domine. At quia tempus Quadragesimæ non ieiunans exegi, saltem coactus idem ieiunium tibi exoluam.* Postea distributis thesauris suis, Ecclesiis, pauperibus, filiisque, sed & venia delictorum Ludouico filio absenti concessa; ligno S. Crucis pectus suum muniens, in ipso mortis articulo apparentes sibi dæmones fugauit, atque elatis ad cœlũ oculis, lætus ad Deum migrauit duodecimo Calendas Iulii, anno ætatis sexagesimo quarto, Imperii vigesimo septimo: cuius corpus à fratre ipsius Drogone Metensi Episcopo, & sacri Palatii Archicapellano, Caroli Magni filio naturali, quem Ludouicus carissimum habuerat, maxima pompa, & totius Cleri ac Procerum comitatu, in eandem ciuitatem Metensem translatum est, atque in Ecclesia monasterii S. Arnulphi sepultum. Hæc pluribus eius domesticus, qui ipsius res gestas tunc scribebat. Qui autem eidem auctori perperam partiendo singulos annos, Ludouici obitum ponit post biennium, non solum ab ipsius Imperatoris annis vitæ & Imperii redarguitur; sed & ab Adone, aliisque antiquioribus omnibus & recentioribus, qui eum hoc ipso anno defunctum affirmant. Porro successit ei LOTHARIVS filius in Imperium: qui quidem Monarchiæ cupidus, mox aduersus fratres bella mouit; vt dicetur anno sequenti.

LOTHAR. IMPERAT.

IESV

IESV CHRISTI AN. 841.

GREG. IV. AN. 14.

LOTHAR. 1.

THEOPH. 12.

I.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo primo, Indictione quarta, ingraueſcente in dies magis Theophili Imp. aduersus Orthodoxos persecutione in Oriente, admirandus ille S. Ioannicius anachoreta de reddenda quam cito Ecclesiæ pace per mortem Theophili diuinum responsum accepit, quo afflictos, iamque omni pene spe destitutos cõsolatus est Fideles. Hæc in Rebus ipsius gestis, ab auctore illius temporis fidelissime conscriptis.

II. PER FATIDICAM THEOPH. IMP. FVTVRA INQVIRIT.

Quo eodem tempore, ipse Theophilus Aug. futura curiosius inuestigans, ab anu fatidica ex Agarenis superioribus bellis capta, inter alia accepit, post ipsum successurum in Imperium ipsius filium, qui sacras Imagines restitueret; post illum vero diutius regnaturum Martinatiorum genus. Quare Theophilus Martinatium quendam virum sibi dilectum monachum fieri curauit, suosque horrendis iureiurandis obstrinxit, ne Imagines restitui paterentur. Cum vero post hæc aduersus Saracenos processisset, Persarum proditione ab illis victus, & in vitæ discrimen adductus, vix saluus fuga lapsus est, relictis captiuis multis proceribus, qui martyrium à Saracenis consecuti sunt: quibus cladibus mœrore confectus, in dysenteriæ morbum incidit, eoque sequentis anni principio vitam finiuit. Quæ pluribus narrat Ioannes Curopalates, & alii post eum.

III. BELLVM CIVILE INTER FRANCOS.

Eodem anno ciuili bello flagrante Gallia, atque Lothario Imp. Monarchię Francorum cupidine aduersus Ludouicum & Carolum fratres agente, septimo Calendas Iulii inito inter eos acri prælio, cessit victoria fratribus: qui cum antea sæpius crebris legationibus redimere pacem frustra laborassent, ac tandem in ipsum rem dolis agentem armis conserere inuiti compulsi fuissent; hac quoque victoria modestissime sunt vsi. Eo vero vnico prælio idem Carolus, Caluus dictus, relictum sibi à patre Regnum firmiter stabiliuit, qui post hæc Suessionem aduenies, rogatus à monachis cœnobii S. Medardi, nonnulla Sanctorum corpora propriis humeris summa veneratione in nobiliorem Ecclesiam trãstulit. Sed quomodo hæc omnia gesta fuerint, qui interfuit cunctis Nithardus nobilissimus Francus, Caroli Magni nepos ex Berta filia, fidelissime scripsit: quem *a* otiosus lector consulat.

a Nithard. lib. 2. & 3.

IESV CHRISTI AN. 842.

GREG. IV. AN. 15.

LOTHAR. 2.

MICH. III. 1.

I. CONVENTVS AQVISGRAN. PRO REGNI LOTHARII DISPOSITIONE.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo secundo, Indictione quinta, Lotharius Imp. bellum aduersus fratres renouans, ab illis extra Regnum pulsus est. Ipsi vero Ludouicus & Carolus petentes Aquisgranum (quæ tunc prima sedes erat Regni Francorum) vt deliberarent quid agendum esset de Lotharii Regno; imprimis rem ad Episcopos, quorum aderat pars maxima, conferre statuerunt, vt illorum consultu, veluti numine diuino, harum rerum auctoritas proderetur. Episcopi autem post multam ea de re deliberationem, eundem Lotharium cum ob multa crimina aduersus Ecclesiam, patrem, fratresque commissa, tum ob alia quamplurima impia facinora, iusto Dei iudicio regno eiectum esse declararunt. Quod cum iisdẽ ipsius fratribus Ludouico & Carolo adiudicare vellẽt, exacto prius ab eis promisso de recta illius administratione, tunc demum, *Et nos*, inquiunt, *auctoritate diuina, vt illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Quæ mox sententia executioni mandata fuit, diuiso inter duos fratres Regno arbitrio virorum ad hoc opus ab illis electorum, quorum vnus fuit ipse Nithardus, iisdem Regibus sanguine propinquus, qui hæc iisdem quæ retulimus verbis narrat.

II. THEOPHILI IMP. OBITVS.

Quod ad res pertinet Orientales; cum ob acceptas ab hostibus clades Theophilus Imp. in lethiferum (vt diximus) morbum incidisset, cumque audita morte legati, quem pro auxilio petendo ad Francos miserat, omni spe deiectus grauius opprimeretur; vxore Theodora & filio Michaele Senatui ac Proceribus commendatis, tertio Calendas Februarii diem extremum obiit. Quæ narrans Ioannes Curopalates (à quo alii exceperunt) tradit eundem proxime moriturum, Theophobi de affectatione Imperii calumniis impetiti caput truncari iussisse; ipsumque sibi delatum per capillos tenentem, supremum hoc verbum dixisse, *Neque post hæc ego ero Theophilus, neque tu Theophobus.* Cæterum in ipso fine os eius adeo diductum esse, vt viscera conspicerentur; sed & erroris sui pœnitentem Imaginem sacram adorasse, ac post mortem in Iudicium raptum, precibus vxoris Theodoræ pientissimæ fœminæ, ac sanctissimi Methodii Patriarchæ, aliorumque piorum hominum, misericordiam à Deo consecutum esse; ex antiquioribus monimentis prodidit Gennadius eiusdem longe postea ciuitatis Patriarcha, in expositione pro Concilio Florentino Sessione quinta.

PŒNITENTIA THEOPH. ET VISIO DE EIVS ANIMA.

III. MICHAEL III. IMPERAT, ET IMAGINES RESTITVIT.

Post obitum Theophili, filius eius MICHAEL huius nominis Tertius, à natiuitatis loco dictus *Porphyrogenitus*, adhuc admodum adolescens, omnium consensu Imperii sceptra suscepit cum matre *Theodora* Augusta; tutores ac curatores habens ex testamento patris, Manuelem Magistrum militum, & Theoctistum Logothetam Dromi. Quorum consilio, atque opera diuinitus promota, paucos post dies factum est, vt publica disputatione habita de sacrarum Imaginum cultu, rectaque parte superiore existente, edictum statim promulgatum fuerit de earundem restitutione: quo etiam omnes Fideles ab exiliis & carceribus reuocati sunt: qui vero hæresim abiurare noluere, in exilium pulsi. Quorum vno existente impio Ioanne pseudo patriarcha Constantinopolitano; in eius cum ignominia deiecti locum, continuo subrogatus est ingenti Orthodoxorum gaudio sanctissimus Confessor *Methodius* presbyter, doctrina & moribus insignis, de quo superius actum est. Hæc pluribus Ioannes Curopalates, & post eum alii. Sed ista de habita pro restitutione Imaginum disputatione, necnon de hæresis condemnatione, eiectioneque Ioannis, ac subrogatione Methodii, nequaquam perfunctorie facta esse; sed secundũ canones congregatum fuisse *Constantinopoli* CONCILIVM plurimorum vtriusque partis Episcoporum, atque in eo mutante sententiam maxima hæreticorum parte, Nicænam Oecumenicam posteriorem Synodum approbatam esse; tradit Theophanes presbyter temporis huius scriptor, in oratione de S. Nicephoro Patriarcha. Tuncque etiam inter cæteros Orthodoxos Cõfessores ad sedes Episcopales promotos, alium illum Theophanem Theodori fratrem, vultu literis exaratum, de quo superius, eiusdem ciuitatis Nicænæ Bithyniæ factum esse Archiepiscopum, testatur qui eius, fratrisque certamina scripsit, atque alii Græcorum historici.

S. METHODIVS RESTITVITVR EPIS. CONST.

IV. HÆRESIS ICONOCL. PENITVS EXTINCTA.

Sic igitur hæresis illa, quæ Constantinopoli ante centum viginti annos, è portis inferni magno fastu, auctore Imperatore, potens ac furens in Ecclesiæ damnum eruperat, & repressa sæpius rursum audacius fuerat debacchata; hoc tandem anno penitus extincta est, totoque Orientali Imperio desolatæ Ecclesiæ in pristinum decorem & cultum restitutæ sunt. In ipsa vero vrbe Constantinopolitana, erectio atque restitutio sacrarum Imaginum, solemni ritu, celebrique facta est pompa, conuenientibus Imperatoribus in magnam Ecclesiam vna cum Senatu & sacro Clero, atque venerandorum Ordinibus monachorum, populoque vniuerso, & processionem cum sanctis Imaginibus, & sacris Crucibus, ac diuino Euangelio, facientibus. Statutumque fuit, vt in

ANNVA FESTA DIES PRO RESTITVTIONE SS. IMAGINŪ.

perpetuum prima Dominica Quadragesimæ (qua eiusmodi solemnitatem celebrari contigit) iugi memoria tanti à Deo accepti beneficii coleretur: quod & hactenus apud eos feliciter perseuerat. In qua celebritate inter alias diuinas laudes, sacta victoriæ egregia cantica duo, in laudem sacrarum Imaginum, & detestationem Iconomachorum, in Ecclesia publice occinuntur; Theophanis Stigmatici Confessoris alterum, quod tunc ipse Constantinopoli existens composuit; alterum vero Theodori Studitæ titulo prænotatum, sed ab aliquo eius discipulo, ipsius iam olim defuncti nomine eo tempore compositum. Præter quæ recitatur pariter Sermo ab eodem tempore haberi solitus, qui summatim continet cunctam de Iconoclastia historiam. Quæ quidem omnia descripta habentur *a* in Græcorum sacro libro Triodio nuncupato, quo vtuntur pro diuinis officiis celebrandis à Septuagesima vsque ad Octauam Pentecostes: in cuius liminari pagina legitur, librum illum exaratum esse à S. Cosma, auctum vero à Theodoro atque Iosepho Studitis, & aliis Patribus; inter quos nominatur Nicephorus Callistus cognomento Xanthopulus.

a Rec. etiam Baro. Tom. IX. hoc an. Græce & Latine vna cum alio eiusdem argumenti sermone, eadem pariter ab alio Theophane Archiepiscopo Tauromenii in Sicilia ad populum dicto.

V. CANONES PŒNITENTIALES METHODII.

Qui autem post tot Ecclesiæ Constantinopolitanæ naufragia, eius clauum è manibus hæreticorum euulsum, moderandum suscepit Patriarcha Methodius; idem ad reuocandos in Ecclesiam lapsos, mirifice laborauit. Sed quod hi variæ reperirentur ætatis, diuersæque conditionis; ne vilesceret Ecclesiastica disciplina, eosdem omnes diuerso modo censuræ Ecclesiasticæ voluit esse subiectos, promulgato pro salute omnium edicto, quod hactenus extat *b*. De quo quidem Methodio nec illud prætermittendum, quod tradit Glycas; nempe, quia eius malæ, ob sacrarum Imaginum propugnationem, Theophili Imperat. iussu contusæ solutæque fuissent, necesse habuisse, vt eas tenui quadam fascia linea obligaret. Vnde putat idem auctor morem inoleuisse, vt Pōtifices ab anteriori parte lineas fascias alligatas haberent.

b In Bibl. Patrum, & in Addit. ad Theod. Balsam.

IESV CHRISTI AN. 843.

GREG. IV. AN. 16.

LOTHAR. 3.

MICH. III. 2.

I. [HIC INCIPIT TOM. X. ANNALIVM BARONII.] METHODIVS À CALVMNIA STVPRI MIRABILITER SE PVRGAT.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, Methodius Patriarcha Constantinopolitanus per inuidiam nefarii Ioannis nuper ab illa sede eiecti, & aliorum hæreticorum, à muliere quadam ad hoc præmiis illecta stupri accusatus; vt tantam calumniam dilueret, coram omnibus pudenda nudans, arida illa & prorsus tabida ostendit: quod aduersus carnis incentiua remedium S. Petrus Apostolus ipsi petenti per visionem impertierat, cum is Romam à Nicephoro Patriarcha missus aduenisset. Cum vero calumniatoribus suis impunitatem impetrasset, Ioannes ille in monasterium detrusus ad pœnitentiam, cernens in eo sacras quasdam Imagines, per diaconum suum eis oculos effodit. Quod resciens Imperatrix Theodora, ipsum quoque luminibus priuari iussit; sed quorundam intercessione piorum virorum sententia mitigata, ducenta eidem verbera inflicta sunt. Hæc pluribus Ioannes Curopalates, & post eum alii Græcorum historici.

II.

Hocitem anno, Ludouicus & Carolus Francorum Reges, à fratre Lothario Imp. rogati de pace, ac Regni ipsi adempti restitutione; quietis publicæ studiosi, consultis primum Episcopis, rursum eum in partem Regni admiserunt: quod inter illos diuisum fuisse in tres partes, narrat Nithardus *a* qui aderat in exercitu Caroli inter primos. Hic vero Lotharius nomen fecisse dicitur *Lotharingiæ*; vbi hæsit, Ludouicum filium Italiæ Regem designans.

a Nithard. lib 4.

III. GREG. PP. OBITVS.

Hoc pariter anno *Gregorius* Papa, cum sedisset annos sexdecim, diem clausit extremum; sepultusque est in basilica S. Petri: quod testatur Anastasius, & veteres Francorum Annales; quamuis sint qui eius obitum in annum sequentem absque veterum assertione reiiciant. De eius ædificiis, ac donis collatis Ecclesiis Vrbis, multa habet idem Anastasius; qui tam in eius Vita, quam aliorum Pontificum, summa diligentia hæc exscripsit ex libro rationum expensarum. Porro inter eiusdem Pontificis adnumerandū est monumenta, quod fulgens temporibus istis Germaniæ sidus, *Rabanus Maurus*, Albini Flacci auditor, vir doctrina valde insignis, scribere aggressus S. Crucis mysteria atque præconia metrico stylo canenda, egregium opus dedicauit Gregorio: ad quem tum ipsius tum Albini leguntur in liminari pagina scripta epigrammata; etiamsi illud opus ad Sergium tantum Gregorii successorem anno sequenti missum esse, tradant veteres Francorum Annales à Pithœo editi. Vnde coniectura ducimur, his vltimis diebus Gregorii scriptum esse; sed & Albinum ad hæc tempora superstitem fuisse: de cuius ætatis diuersis diuersorum sententiis iam dictum est superius.

RABANVS SCRIBIT DE S. CRVCE AD GREG.

Hic item annus Italiæ fuit lugubris, ex ingenti clade à Saracenis illata vniuersæ Campaniæ atque Samnitibus, qua illi Beneuentum ceperunt, Capuam incenderunt, atque alia mala innumera perpetrarunt. quæ isto anno cœpta (vt Nithardus, & veteres Annales Francorum à Pithœo editi fidem faciunt) ad annos ferme triginta imposterum propagata esse, Ostiensis *b* tradit; cum, vt ait, Ducibus Beneuentanis inter se bellis ciuilibus decertantibus, alterutrimque Saraceni ex Sicilia atque Hispania in auxilium vocati sunt. Quæ vero tunc damna passum sit nobile monasterium Cassinense, idem auctor mox subdit *c*, dum ait, Siconulphum (siue Sigenulphum) alterum Beneventi Ducem, mutui specie diuersis vicibus sacrilege abstuliſſe vniuersos fere thesauros, quos Francorum Reges, aliique Principes illi monasterio contulissent; videlicet in vasis aureis, centum triginta libras auri purissimi; in vasis argenteis, circiter nongentas argenti libras; in auro signato, triginta & duo millia solidorum aureorum; in gemmis, tredecim millia eorundem solidorum. Ex quibus tamen (vt addit) nihil vel sibi vel patriæ emolumentum quæsiuit; neque ex eo tempore vlla vnquam victoria potitus est.

IV. MALA ILLATA ITALIÆ PER SARACENOS.

b Ost. Chron. Casin. lib. 1. c. 27.

c Ibid. c. 28. MONAST. CASSIN. EXPOLIATVM.

IESV CHRISTI AN. 844.

SERGII II. AN. 1.

LOTHAR. 4.

MICH. III. 3.

I. SERGIVS PP. II. CREATVR.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo quarto, Indictione septima, post Gregorium Quartum subrogatus est in locum eius SERGIVS eius nominis Secundus, S. R. E. Archypresbyter, natione Romanus, illustri familia ex patre Sergio natus; pietate, eruditione, & moribus insignis; electo *Ioanne* Diacono, qui Sedem violenter occupare tentauit. Quæ quomodo se habuerint, pluribus narrat Anastasius. Sed quos delectat fabulas veris intexere, hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutauerit, eo quod *Os-porci* dictus, nomen indecens tanto sacerdotio visus esset habere. Verum id scias ad Sergium Quartum pertinere; neque ipsum id præstitisse ob turpitudinem nominis, sed reuerentiæ causa, cum Petrus antea vocaretur: vt suo loco dicturi sumus. Quamquam & id factum primum ab Octauiano, qui vocatus est Ioannes Duodecimus, alii tradunt; vt & suo loco dicetur. Sergium autem istum Secundum, ex paterno nomine à principio Sergium esse appellatum, Anastasius eius temporis auctor est testis.

QVIS PRIMVS PONTIFEX MVTAVERIT SIBI NOMEN.

II. LVDOVICVS MITTITVR IN VRBEM

Qui addit, Lotharium Imp. certiorem factum de consecratione Sergii, Romam misisse Ludouicum filium suum, vna cum patruo suo Drogone Metensi Archiepiscopo, (Ita enim elatiori titulo vocat eum Anastasius, ob vsum pallii, &

Legationem

Legationem Apostolicam in illis partibus ei concessam: cū alioqui nonnisi Episcopatus vnquam fuerit Sedes Metensis:) aliisque plurimis Præsulibus ac Comitibus. Cur autem missus fuerit, Ado *a* Viennensis huius pariter ævi scriptor, aut fuisse, vt qui iam à patre Rex Italiæ factus fuerat, Imperatoris nomen à Summo Pontifice susciperet: quod & factum esse affirmat. Ex quo redarguas schismaticum Sigebertum, dum longe post hæc tempora, in gratiam schismatici Imperatoris scripsit, missum à Lothario Romam Ludouicum ad confirmandam electionem Sergii Papæ.

a *Ado in Chron. ann. 841.*

III. HOSTILITER ADVENIENS, PACIFICE RECIPITVR.

Porro Ludouicus adhuc iuuenis, stimulis exagitatus prauorum consiliariorum, eorumque Episcoporum qui cum ipso erant, concipiens animo sibi Romam subiicere tyrannide, secum duxit exercitum, quo omnia à Bononia Romam vsque loca deuastauit. Cum autem Romam Dominica post Pentecosten aduenisset, honorificentissime quidem illum Sergius excepit, missis obuiā proceribus Romanis, ac Crucibus, id est, signis, sicut moris erat imperatorem aut Regem suscipere; ipseque Pontifex cum Clero eum in atrio Ecclesiæ S. Petri operiens, post mutuos amplexus, ad Ecclesiam pergentes, tenuit Ludouicus dexteram *b* Pontificis; sed cum ad portas argenteas atrii interioris eiusdem basilicæ peruenissent, claudi eas Pontifex præcipiens, negauit iusiurum se eas aperiri, nisi prius Ludouicus assereret se beneuolo in Ecclesiam & Rempublicam animo aduenisse: quod cum ipse præstitisset, tunc demum apertis portis ingressi sunt. Habet hæc omnia Anastasius. Qui & amplius notat, cum ad easdem portas argenteas peruentum esset, antequam eas Pontifex claudi iussisset, vnum ex comitatu Ludouici à dæmonio arreptum in conspectu omnium valde fuisse vexatum. Quod quidem magna Dei prouidentia accidisse innotuit, vt qui hostili venerant animo, timore correpti ferociam deponerent, videntes ipsos etiam dæmones, Deo disponente, insurgere vindices pro Ecclesiæ defensione. Sed cum nihilominus exercitus Ludouici deprædatis suburbiis Vrbem etiam ingredi vellet, obstitit Pontifex clausis munitisque portis. Ne vero occasionem præberet eam inuadendi & incendendi; quod à Ludouico exigebatur, vnxit eum ac coronauit Regem Longobardorum. Sed quod etiam Romanos idem Rex sibi sacramento vellet adigere, prohibuit eos Pontifex nisi in verba Lotharii tantummodo Imperatoris iurare. Hęc idem Anastasius: cum tamen aliorum plurium testificationibus asseratur, tunc Ludouicum coronatum etiam esse Imperatorem. Cæterum quod Acta Rom. Concilii, & ipsa quidem legitima, celebrati anno septimo Leonis Papæ Quarti, ac Redemptoris octingentesimo quinquagesimo tertio, bis ponant eum annum Ludouici esse Quintum; plane declarant nonnisi anno secundo ipsius Leonis, nempe Domini octingentesimo quadragesimo octauo, eundem Ludouicum coronatum esse Imperatorem: vt hac ex parte verum esse possit, quod Anastasius scriptor candidissimus asserit, qui & ipse eis interesse potuit.

b *De hoc more vide quæ dixi sup. ann. 774. post num. 1.*

CORONATVR REX LONGOB.

IV.

Subiungit postea de Ebbone olim Archiepiscopo Rhemensi, necnon Bartholomæo pariter Archiepiscopo, ob cōiurationem contra Ludouicum Pium depositis; cum modo venissent Romam vna cum Ludouico Lotharii filio, petiissentque à Pontifice restitutionem; eos Sergium laica tantummodo communione dignos cēsuisse. Quo eodem tempore (vt idem auctor scribit) aduenit Romam Siconulphus Princeps Beneuentanus: vbi ad quod venerat, cum Francis de rebus suis egit; ac Summi Pontificis terræ prostratus pedes osculatus, suscepta ab eo benedictione, ad sua se recepit: sed & Ludouicus Papiam regressus est; atque Vrbs summo periculo erepta fuit prudentia Papæ Sergii.

V. DE ADMIRANDA VICTORIA ADVERSVS SARAC. DEI VIRTVTE IN HISP. OBTENTA.

Hoc eodem anno, qui & secundus numeratur Ranimiri, siue Ramiri, Regis Gallæciæ, Oueti regnantis post Alfonsum Castum, (iuxta exactam temporis rationem ab Ambrosio *c* Morale allatam, qua errores plurium corriguntur) contigit admiranda illa, omni Scriptorum genere celebrata, victoria aduersus Saracenos obtenta diuinitus: cum idem Ramirus Rex maxime pius aduersus eos, ob denegatum infame illud tributum puellarum, quod olim Maurogatus tyrannus eis constituerat, immenso numero arma mouentes, ipse pariter cum exercitu procedens, per visionem à S. Iacobo Apostolo præcipuo Hispaniarum patrono confirmatus, iussusque cum suis peccatorum confessionem agere, atque sacratissima se Eucharistia munire, septuaginta hostium millia vno prælio cæcidit eiusdem Sancti auxilio, qui perspicuus omnibus visus est ante aciem equo albo insidens, deferensque maximum album vexillum, aduersus barbaros fortiter dimicare. Testantur ista (vt omittam longissimam Scriptorum seriem texere) vetustissima monumenta; nimirum Pontificum Romanorum literæ quas citant ista firmantes; necnon eiusdem Regis diploma, cum pro gratiarum actione statuit vna cum Episcopis & Abbatibus, vt in vniuersa Hispania deinceps annuatim ac perpetuo, de vnoquoque iugo boum singulæ mensuræ frugis ad modum primitiarum, & de vino similiter, Ecclesiæ B. Iacobi soluerentur: ipsique etiam milites in singulis expeditionibus de eo, quod à Saracenis acquisissent, ad mensuram portionis militis, B. Iacobo conferrent. Ita Tudensis, & alii omnes.

c *Ambr. Mor. Chro. Hisp. lib. 13. c. 52. & in Schol. ad Euleg.*

HISPANIA VECTIGALIS FACTA S. IACOBO.

Hoc pariter anno Carolus Francorum Rex Bernhardum Barcinonensem, à patre Ludouico Imp. donatum Septimaniæ Ducatu (cuius causa, vt vidimus, aduersus eundem Imp. proprii filii insurrexerant) incautum, nihilque eiusmodi cogitantem, occidit. Hoc veteres Annales Francorum à Pithœo editi. Fuit autem Bernhardo Willelmus filius, magni animi iuuenis; qui patris necem vlturus cum Saracenorum auxilio, omnia quæ potuit cædibus miscuit: de quo est mentio apud Nithardum *d*. Suntque hæc illa infelicia tempora, quæ S. Eulogius Cordubensis martyr deplorat in epistola ad Wiliesindum Pampilonensem Episcopum: sed male Scholiastes ad annum Domini octingentesimum vigesimū septimum refert. Nam præter quod certa auctoritate dictorum veterum Annalium redarguitur, Carolus de quo est sermo, tunc temporis nonnisi septem annorum existens (natus nimirum anno octingentesimo vigesimo) plane ad eiusmodi cædem patrandam minus erat idoneus.

VI.

d *Nithard. Hist. Franc. lib. 3.*

IESV CHRISTI AN. 845.

SERGII II. AN. 2.

LOTHAR. 5.

MICH. III. 4.

I. BVLGARI AD FIDEM CONVERSI.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo quinto, Indictione octaua, *Bogaris* Bulgarorum Princeps, cum iam Christianis mysteriis à quodam *Theodoro*, cognomento *Cuphara*, viro insigni captiuo apud eum detento imbutus, rursumque à sorore sua Christiana Constantinopoli facta, cum illic diutius captiua permansisset, impulsus fidem profiteri, adhuc infidelitatem retineret; demum ingenti fame ipsius regionem occupante, per inuocationem Dei Christianorum ab ea liberatus; sed & terribili pictura excitatus vltimi Iudicii, à quodam monacho in ipsius domo effigiata, qua iustos coronatos vidit, & impios igne punitos: tandem baptismum vna cum maxima sibi subditorum parte suscepit; & *Michael* dici voluit à nomine Imperatoris, cum quo nuper fœdus renouauerat. Hæc pluribus Curopalates; è quo eadem exscripsit Cedrenus, & alii Græcorum. Fueruntque istæ *Bulgarorum* ad fidem Christi venientium veluti primitiæ quædam: integra vero messis reseruata fuit Nicolao Romano Pontifici, vt suo loco dicetur.

II. MANICHÆI AB IMP. EXAGITATI, IVNGVNTVR SARACENIS.

His autem addunt iidem auctores Græci, Theodoræ Imperatricis optimum consilium de Manichæis hæreticis, iisdemque Paulicianis dictis, extirpandis; qui sæpius à decessoribus Impp. exagitati, nihilominus adeo iam in immensum creuissent, vt nonnisi comparato exercitu tentanda res esset. Missis itaque aduersus eos aliquot Ducibus, illi acriter rem agentes, variis pœnarum ac mortium generibus circiter centum eorundem hæreticorum millia interfecere, publicatis illorum bonis: reliqui vero Saracenis se iungentes, multa Imperio mala intulere.

III.

Quod spectat ad res Occidentalis Ecclesiæ; hoc anno

CONCIL. BELLOVACEN. IN QVO CREATVS HINCMARVS ARCHIEP. RHEM.

Veris initio celebratum est in Gallia CONCILIVM BELLOVACENSE; in quo inter alia, Ecclesiæ Rhemensi consultum est, iam annis pluribus legitimo destitutæ pastore post depositionem Ebbonis, qui aduersus Imperatorem Ludouicum coniurauerat. Cui communi consensu Episcoporum datus est Archiepiscopus *Hincmarus*, monachus olim cœnobii S. Dionysii prope Parisios, ac postea præfectus monasterii S. Mariæ & S. Germani, doctrina & moribus insignis, Carolo Caluo Regi gratissimus. Hæc pluribus Frodoardus huius temporis scriptor, in Historia eiusdem Ecclesiæ Rhemensis. Quomodo vero de Hincmari electione ingens sit postea mota quæstio, dicetur suis locis.

IV. NORTHMAN. IRRVPTIO IN GALLIAS.

Post hęc autem maxima perturbatione contigit Regnum Caroli exagitari; cum videlicet Dani, vulgo dicti Northmanni, id est, Septemtrionales homines, Ethnici viri, Gallias duce Horich ipsorum Rege cum valido nauium apparatu inuadentes, omnia tam profana quam sacra, cæde, rapina, incendio miscuere. Qui primum Rotomago potiti, inde per fluuium Sequanæ sub Duce Ragenario Parisios peruenerunt ipso Sabbato Paschalis festiuitatis: quam ciuitatem cum vacuam ferme reperissent, (quod incolæ subitaneo ipsorum aduentu perterriti, in diuersa loca aufugissent, secum auferentes omnia Sanctorum corpora, ne à barbaris comburerentur; exceptis Reliquiis S. Dionysii ac sociorum Martyrum, ad quas Rex ipse Carolus consistens, statuit eiusdem Sancti monasterium defendere, eo quod ipsum, dum esset paruulus, pater eius eidem Sancto specialiter commendasset;) inter alia sancta loca, monasterium S. Germani depopulati sunt. In quo cum Deus mirabilis in sanctis suis, multis prodigiis iram suam in eiusmodi sacrilegos ostendisset, sed & dysenteria atque languore eosdem percussisset; ipsi accepta à Carolo Rege pecunia, præstitoque iura mento nunquam se Regnum ipsius, nisi forte auxiliatores, intraturos, ad suum Regem redierunt. Apud quem cum Ragenarius se iactaret de capta ciuitate Parisiorum, & expilato monasterio S. Germani; adderetque, maiorem illic mortuos quam viuos virtutem habere, nullumque sibi restitisse præter Germanum senem mortuum: idem tremens illico concidit in terram, horribili voce clamans Germanum coram consistere, seque baculo quem manu gestabat grauiter flagellare; sicque turgidus immensum factus, post triduum diffusis visceribus medius crepuit; licet intolerabilibus tormentis affectus, pœnitens videri volens, præcepisset auream suæ similitudinis statuam fieri, eandemque S. Germano deferri, spondens, si euaderet se Christianum deinceps futurum. Sed & reliqui raptores, viscerum pariter inflatione, vel dysenteria, ad vnum omnes miserrime vitam finierunt; nisi quos Horich Rex, timens etiam sibi aliisque qui secum remanserant, occidi iussit, ne ipsi eorum contagio inficerentur: qui & insuper omnes captiuos Christianos liberos ad propria redire permisit. Hæc breuiter Veteres Francorum Annales, & Aimoinus *a* in Historia; fuse idem, siue alius Aimonius, siue Aimonus dictus, earum rerum inspector, in duobus libris *b* quos iussu Caroli Regis de translatione ac multiplicibus tunc editis miraculis S. Germani conscripsit. Qui tamen cum in annum sequentem ea referat, aduersantes habet prædictos Veteres Annales, & ipsos ab auctore eiusdem temporis scriptos.

a *Aim. lib. 3. c. 20.*
b *Exc. ap. Bar. mens. Iul. in fi.*

DIVINA VLTIO IN BLASPHEMOS ET SACRILEGOS.

V.

Tradunt præterea iidem, Northmannos in Frisia tribus præliis conflixisse, atque in primo victos, in reliquis duobus victores extitisse. Pariterque Lupus *c* Ferrariensis Abbas in epistola ad Guenilonem, siue Wenilonem Archiepiscopum Senonensem, meminit de eruptione eorundem in Aquitaniam, ac de prælio cum Christianis inito inter Burdegalam & Santones, quo plurimi Christiani ceciderunt. Denique Odo Abbas Cluniacensis in libello de translatione S. Martini, recenset incendia, quibus iidem Duce Hastingo Ambasium, aliaque cuncta oppida inter fluuios Ligerim & Karum in cineres redegerunt: sed ait ciuitatem Turonensem, quam obsederant, liberatam esse virtute S. Martini; cuius corpus à ciuibus ad muros dum quaterentur delatum, eosdem barbaros in fugam conuertit; quos persequentes Turonici, omnes ferme internecioni dederunt. Quæ autem post hæc gesta fuerint, dicentur inferius suis locis.

c *Lup. Ferrar. ep. 31.*

TVRON. CIVITAS LIBERATA A NORTHMAN. OPE S. MARTINI.

VI.

Porro in tot ac tantis angustiis Galliarum Episcopi constituti, commiserantes populi afflictissimi, Wenilo Archiepiscopus Senonensis, Hincmarus Rhemensis, ac Rodolphus Bituricensis, cum suis ipsorum suffraganeis, aliique Episcopi, ad prouocandam Dei misericordiam, correcturi prauos fidelium mores quibus diuina vindicta concitabatur: in vnum *Meldis* conuenerunt hoc ipso anno Domini octingentesimo quadragesimo quinto, Caroli Regis sexto, decimoquinto Calendas Iulii. Vbi consuetudine illapsa peccata emendare conantes, illam potissimum iræ Dei causam manifestarunt, quod res Ecclesiasticæ per Reges traderentur laicis hominibus possidendæ. Quæ perperam facta, aliaque plura, iidem Antistites quamplurimis canonibus conditis libertate sacerdotali Regi ingesserunt corrigenda: cum & qui præ cæteris scientia eminebat Hincmarus, cæteros in suam trahens sententiam, dixit in emendatione peccatorum Ecclesiæ filiorum, ab ipsis Regibus inchoandam esse correctionem; quæ si negligatur, vanus cedat omnis labor de Ecclesia reformanda susceptus. Ac denique monuerunt inter alia Regem, vt Capitula Ecclesiastica à Carolo Magno & Ludouico Pio Impp. promulgata, exacte obseruari præciperentur. Quæ quidem Capitula, cum iam antehac ab Ansegiso Abbate Lobiensi collecta, quatuorque distincta libellis, in lucem edita fuissent; (de cuius collectione dictum est superius *d*) rursum hoc tempore, id exigente Concilio, Benedictus Leuita collegit, quæ deerant, tribusque aliis libris digessit, & Ludouici Imp. regnantibus filiis obtulit, Lothario, Ludouico, atque Carolo: quę tamen nonnisi post annos octo, videlicet anno Domini octingentesimo quinquagesimo quarto, à Carolo fuisse promulgata, docet eorum inscriptio. Sed & eadem Romanorum Pontificum auctoritate confirmata fuisse, ne putarentur Reges Ecclesiasticas suo iure sancire leges; affirmat idem Benedictus Collector, & nos superius demonstrauimus. Quid vero post prædictum Concilium Meldense gestum fuerit ab Episcopis, dicetur anno sequenti.

CONCIL. MELDEN. PRO REFORMATIONE ECCL. ET REGNI.

d *Ann. 775. num. VI.*

CAPITVLA EDITA PRO ECCL. IVRIB. CONSERVANDIS.

Hoc eodem anno inuentum in monasterio Fossatensi venerandum corpus *S. Mauri* Abbatis, discipuli S. Benedicti, translatum esse ab Australi plaga altaris S. Martini retro (vt nostro sæculo mos est) ad Orientalem partem eiusdem altaris; tradit Odo *e* huius sæculi scriptor. Nec vero sine magna prouidentia his temporibus monasteriorum fundatorem Deus voluit apparere, cum monastica disciplina soluta, ipsa iam monasteria laicorum manibus traderentur; vt quasi vindex videretur exurgere: siquidem & eiusdem virtute, bonorum ipsius vsurpatores tunc acerrimam diuinam vltionem expertos esse, idem auctor narrat.

VII. TRANSLATIO S. MAVRI.

e *Ext. in Bibl. Vatic.*

IESV CHRISTI AN. 846.

SERGII II. AN. 3.

LOTHAR. 6.

MICH. III. 5.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, Saraceni ex Africa instructa classe Romam ex improuiso appellentes, ab Vrbis ingressu repulsi, sacrosanctas basilicas Principũ Apostolorum Petri & Pauli, quæ extra muros extabant, (à quibus olim Wandali, vt suo loco dictum est, ex Africa pariter venientes, præ reuerentia abstinuerant) auro, argento, gemmisque locupletissimas, penitus spoliarunt. Attigit ista potius quam descripsit Anastasius in Leone Quarto, Sergii (sub quo ea contigerunt) successore: quę vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, breuiter & ipsum eadem recensens, hoc anno contigisse narrat. Sed Leo *a* Ostiensis diligentius ea tractans, præter expilationem earundem Ecclesiarum, ponit insuper alias eorundem Saracenorum deprædationes per Italiam tunc factas; necnon Cassinensis monasterii ab eorum manibus diuinitus,

I. SARACENI DEPRÆDANTVR BASILICAS SS. PETRI ET PAVLI EXTRA VRBEM.

a *Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 19.*

NAVFRAGIVM PATIVNT.

uinitus factam S. Benedicti interceſſione liberationem ; ac denique horribile naufragium nauium, prædæ, hominum, quod iidem in Africam redeuntes paſſi ſunt virtute SS. Petri Apoſtoli,& præfati Benedicti, ipſis in medio mari apparentium. De quo etiam naufragio meminit Anaſtaſius eodem loco.

II.

Hoc item anno Calendis Martii, Francorum Epiſcopi, qui anno ſuperiori Meldis conuenerant,& complura ſtatuerant tam Regi quam vniuerſo populo proficua ; cum variis ſuperuenientibus caſibus haud fuiſſent ea promulgata, vel executioni mandata; rurſum iidem vna cum Guntbaldo Rotomagenſi Archiepiſcopo, atque ipſius coepiſcopis, *Pariſiis* SYNODVM habuere, vt ad perfectionem debitam cœptum negotium perducerent, ac non obedientibus iram, indignationem,& tribulationem cum Apoſtolo denuntiarent. Ad hoc n. ipſos conueniſſe, declarant Acta Synodi intexta Meldenſi Concilio. Verum tantum abeſt, vt his correcti fuerint regni Proceres, qui Abbatias & alias res Eccleſiaſticas à Rege Carolo in beneficium accepiſſent ; (aduerſus cuiuſmodi illicitas vſurpationes, extant etiam plurimæ Lupi *b* Ferrarienſis querelæ, tunc ad ipſos Reges, alioſque miſſæ:) vt cõtra iidem apud ipſum Regem magna importunitate egerint; ne cunctos canones in Concilio Meldenſi ſancitos reciperet. Atque ita factum eſt, vt reiectis aliis, vndeviginti tantummodo obſeruanda promulgauerit ; quæ habentur ad finem Capitulariũ librorum Regum Francorũ poſt quartam Additionẽ, vbi pariter narrantur, quæ diximus de Procerum aduerſus eoſdem canones conatibus; Quare hinc accidit, quod pronuntiauerunt Patres, vt ira, indignatio, ac tribulatio, ſuper Regem & Principes effunderentur; cum nouis (vt videbitur) Northmannorum incurſionibus Regnum Deus affligi permiſit ; ipſeque Rex iniquiſſimas ab eis ſubire leges coactus eſt, qui ab Epiſcopis ſancte pieque ſtatutas recuſauit accipere. Sicut & tam vere quam libere idem Lupus *c* Abbas ſcribens ad Hincmarum, quem Rex Carolus plurimum diligebat, teſtatus eſt nihil proſperum vſpiam ceſſiſſe eidem Regi, ex quo in bona Eccleſiæ manus immiſit. Pariterque ad Ludouicum *d* Abbatem, eiſdem Regis & ipſum intimum, ſcribens rogat admonere eum ſui periculi: ſiquidem generalis religioſorum aſſertio eſſet, præter vindictam vltimam, quæ ei impendebat, nunquam eum felicitatis optatæ proſperitatem adepturum, donec reintegraret Eccleſiam, quam diuiſiſſet, & grauibus timentium Deum conſiliis acquieſceret.

CONCIL. PARIS. ADVERSVS DETENTORES BONOR. ECCL.

b *Lup. Ferr. ep.* 11.42.45. 60.63.64. &c.

COGITVR PARERE REX HOSTIBVS, QVI NOLVIT EPISCOPIS OBEDIRE.

c *d. ep.* 42.

d *d. ep.* 64.

III.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno quinto Michaelis Imperatoris, quarta die Nouembris, magnus ille & ſanctitate celebris, ſermone & opere clariſſimus, quẽ ſuis ſcriptis adeo laudauit Theodorus Studita, *S. Ioannicius* anachoreta, cuius ſuperius facta eſt mentio, ex hac vita migrauit ad Dominum anno ætatis centeſimo decimoſexto expleto ; quippe quem eius Vitæ Acta ſinceriſſime ſcripta, tradant natum eſſe anno decimoquarto Imperii Leonis Iſauri, qui incidit in ſeptingenteſimum trigeſimum Domini. Cuius tranſitum prænoſcens Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, conuenit eum, vt ſe eius precibus commendaret; à quo & ipſe admonitus eſt de proximo ſui deceſſu, qui contigit octauo poſt illius obitum menſe. Sed & eiuſdem Sancti tranſitum per columnam ignis ſignificatum eſſe iis, qui erant in monte Olympo, ac multa in eiuſdem obitu, & poſt obitum, edita eſſe ſanationum miracula, teſtatur idem ipſius Vitæ ſcriptor.

DE CAVSA EBBONIS DEPOSITI ARCHIEP. RHEM.

a *Frodoard. Hiſt. Rhem. lib.* 3. *c.* 2.

II. SERGII PP. OBITVS.

III. LEONIS IV. INVESTIGATIO.

b *Diſt.* 63. *c.* 31. QVID PONTIFEX ET IMP. INVICEM SIBI PROMISERINT.

c *Diſt.* 10. *c.* 9. *Ivo p.* 4. *c.* 176. & *Pan. lib.* 6. *c.* 149.

d *Diſt.* 10. *c.* 8. *Ivo p.* 4. *c.* 188.

e *Diſt.* 10. *c.* 13.

f *Leg. Long. lib.* 11. *tit.* 37 ff *Vid. ſup. ann.* 824. *num.* 1.

IV. INGENTIA ORNAMENTA A LEONE PP. COLLATA ECCLESIIS VRBIS.

IESV CHRISTI AN. 847.

LEONIS IV. AN. 1.

LOTHAR. 7.

MICH. III. 6.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decima, Sergius Papa interpellatus literis Lotharii Imp. qui in fauorem Ebbonis olim depoſiti, commotus admodum erat aduerſus electionem Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi ; literas ſcripſit ad Carolum Regem, vt Epiſcopos ſui Regni ad Synodum Treuerenſem ire ſineret, vbi coram Legatis Apoſtolicæ Sedis eo mittendis cauſa Ebbonis iterum cognoſceretur. Sed obice mortis eiuſdem Sergii Papæ Legatis non venientibus, conſenſu eiuſdem Caroli SYNODVS *Pariſiis* eſt celebrata; ad quã vocatus Ebbo, cum nec per ſe, nec per Legatos, nec per literas comparuiſſet, iterum condemnatus eſt: eaq; re ad Leonem Sergii ſucceſſorem delata, is Hincmari ordinationem approbans, eũdem pallio donauit. Iſta ex Frodoardi *a* Hiſtoria Rhemenſi.

Sergius igitur Papa, vbi ſediſſet annos tres, & menſem vnũ, obiit pridie Idus Aprilis, ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri, vt ſcribit Anaſtaſius: qui etiam plures commemorat Eccleſias ab eo in Vrbe reſtauratas, ornatas, atque dotatas; & inter cæteras, Titulum SS. Silueſtri & Martini, in quem plurimas tranſtulit Sanctorum Reliquias; extatque hactenus in eo tabula marmorea, vbi ſtatuta eſt ab eodem Pontifice *Indulgentia trium annorum & trium Quadragenarum*, omnibus ad eas in eorundem Sanctorum feſtiuitatibus deuote accedentibus.

Eodem vero die quo defunctus eſt Sergius, in locum eius ſubrogatus eſt LEO eius nominis Quartus, patria Romanus, filius Rodoaldi presbyter Tituli SS. Quatuor Coronatorũ, magnæ virtutis & ſanctitatis vir. Quem licet vno omnium Romanorum conſenſu electum eſſe, eidemque omnes antiquo more pedes oſculatos eſſe, Anaſtaſius dicat; addit tamen eoſdem Romanos valde timuiſſe, ne in aliquod hoſtiũ diſcrimen Vrbs incurreret dum expectaretur eius conſecratio, quæ non poterat fieri abſq; auctoritate Imperiali. Porro Leonem obſtitiſſe Lothario & Ludouico Impp. vendicantibus ſibi ius in electione vel conſecratione Pontificis, euiciſſeque, vt iidem conſenſerint, ne ea niſi iuſte & canonice (hoc eſt, ex canonum præſcripto) fieri deberet, conſtat ex decreto *b* eiuſdem Pontificis de his promulgato. Adeo, vt ſiquid fuerit, ſiue per populum Romanum metus cauſa iiſdem Imperatoribus male promiſſum, vel ab ipſis peſſime vſurpatum ; Leonis Papæ conſtantia irritatum fuerit atque ſublatum. Sicut & vice verſa pollicitus eſt ipſe iiſdem Imperatoribus *c*, conſeruaturum ſe præcepta Imperialia. Quod quidem intelligendum eſſe, vt Põtifices in cauſa rerum temporalium Imperialibus vterentur legibus; declaratum inuenies *d* in epiſtola ad Michaelem Imper. Denique conſtat eundem Leonem ab iiſdem Impp. Lothario atque Ludouico petiiſſe *e*, vt ſinerentur Romani ſuis antiquis legibus vti: ipſoſque annuiſſe, docet Lotharii reſcriptum, quod extat inter Leges *f* Longobardorum, vbi concedit Romanũ populum tali lege viuere quali voluerit; cæterum ſi aduerſus eam deliquerit, puniri debere ſecundũ diſpenſationem Pontificis & Imperatoris. In quibus etiam obſerues ff. primo loco ab eo poni legum politicarum vindicem Romanum Pontificem, inde vero Imperatorem. quod & ſeruatum hactenus vidimus, nimirum, vt tunc à Pontificibus aduerſus Romanos delinquentes vocaretur Imperator, cum Romani contemp ſiſſent ipſis Pontificibus obedire, vel quid moliti eſſent aduerſus eos.

Cum autem idem Leo Pontifex lugubre ſpectaculum ob oculos poſitum intueretur, baſilicas Principum Apoſtolorum manibus ſacrilegis Saracenorum omni ornatu atque decore ſpoliatas; in hoc adiecit animum, vt quæ ad ſplendorem & cultum earundem ſpectarent procuraret : quod & ſumma diligentia & immenſo ſumptu præſtitiſſe, Anaſtaſius narrat : qui præter alia multiplicia argentea, aurea, gemmataque ingentis pretii ac miri operis dona, aliaque pretioſiſſima ornamenta, cum iiſdem tum aliis Vrbis Eccleſiis, hoc & ſequentibus annis, ab eodem Pontifice collata; meminit Ciborii ſuper altare S. Petri poſiti, ponderis mille ſexcentarum & ſex librarum argenti puriſſimi, cui ſuperpoſitæ eſſent coronæ aureæ quatuor, & calices item aurei ſexdecim, delphinique quatuor ponderis librarum quadraginta duarum : itemque alterius Ciborii argentei ſuper altare Beati Pauli poſiti, ponderis librarum nongentarum quadraginta ſex : ſed & noui pariter conſtructi Ciborii ex argento puriſſimo, ac deaurati & gemmis ornati, ponderis trecentarum ac tredecim librarum & ſemis, quod poſuit ſuper

altare

altare Ecclesiæ SS. Quatuor Coronatorum, cuius fuerat presbyter.

V. SERPENS LETHIFER PER EVM FVGATVS.

Tradit insuper, eundem Leonem hoc Pontificatus sui initio, canonica auctoritate decreuisse, secundum antiquam consuetudinem, vt dum sacra Missarum solemnia celebrarentur, nullus ex laicis in presbyterium ingredi præsumeret, sed tantum clerus. Qua de re vidimus etiam olim ipsum Theodosium Seniorem Imp. redargutum fuisse à S. Ambrosio. Habet item Anastasius, Leonem precibus suis populum liberasse à serpente lethifero, basiliſco dicto, qui flatu suo & aspectu interimeret omnes, qui ad cauernas, vbi in ipsa Vrbe latitaret, appropinquarent: ac præterea incendium, quod partem quandam Vrbis depasceretur, signo Crucis extinxisse. Sed quod de *Basiliſco* ait; etsi huiusmodi genus serpentis in Cyrenaica tantum regione nasci solitum testatur Plinius *g*, locis arentibus & non humidis: tamen cum Deus punire vult peccata hominum, vniuersæ vbique obediunt ei creaturæ, vt generent, quod gignere non consueuerunt.

g Plin. lib. 8. c. 21. in fi.

VI. CONCIL. MOGVNT. SVB RABANO, PRO IVRIB. ECCLES. VINDICANDIS A MANV LAICORŪ. h Tom. 3. Concil.

Hoc item anno, Calendis Octobris, *Moguntiæ* SYNODVS celebrata est, eademque Prima dicta sub Rabano, qui hoc anno eiusdem Ecclesiæ, defuncto Orthgario, Episcopus creatus est quinto Calendas Iulii; vt habent veteres Francorum Annales à Pithœo editi. Ex quibus redarguas Collectorem Conciliorum *h*, dum Synodum istam collocat anno Domini octingentesimo trigesimo quarto, cum nonnisi hoc anno Rabanus (sub quo eam habitam omnium est consensio) sedere cœperit. Porro occasio huius congregandi Concilii, eadem quę Meldensis fuisse cognoscitur; nimirum quod cum à laicis bona Ecclesiarum, itemque iura atque personæ assidue inuaderentur, ac de iis frequentes apud Regem Ludouicum querelæ essent; vt his liberarentur malis Ecclesiæ, iussit ipse eiusmodi prouinciale Concilium celebrari. Hoc enim colligitur cum ex multiplicibus in eodem Concilio de ea re canonibus constitutis, tum ex Synodali epistola ad eundem Ludouicum Regem missa, quæ habetur ante eosdem canones; cuius est inscriptio: *Domino serenissimo & Christianissimo Regi Ludouico, strenuissimo Rectori ac Defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ, &c.* Qua & illud notatione dignum continetur, quod testantur Patres se decreuisse, vt pro salute Regis, eiusque coniugis, ac filiorum, per singulas diœceses ab Episcopis & Clericis, ab Abbatibus & Monachis, Missæ tria millia & quingentæ celebrarentur, & Psalteria mille septingenta recitarentur.

PLVRIMÆ MISSÆ PRO REGE INDICTÆ.

VII. PSEVDOPROPHETISSA PVNITVR.

Pertinet item ad hoc Concilium, quod in iisdem antiquis Annalibus habetur de quadam pseudoprophetissa, quæ inter alia deliria, certum consummationis sæculi diem, ipsumque eodem anno futurum, tanquam ex diuina reuelatione prædicabat. Vnde permulti plebeii, nonnullique etiam clerici, timore perculsi, munera ei deferentes, se illius orationibus commendabant, ac magistram sequebantur. Diligenti vero de ea examine in Synodo habito, eadem professa est se lucri causa, auctore quodam presbytero, ea sparsisse: quæ Synodali iudicio publicis cæsa flagellis, cum dedecore suis vaticiniis finem imposuit.

VIII. ETHELWLPHVS REX ANGLIÆ, DITIONEM ROMAM VECTIGALEM FECIT ECCLE. ROM. i Matth. Westmon. an. 854.

Eodem anno Rex Occidentalium Saxonum in Britannia Ethelwlphus, siue Athwlphus, liberatus Danorum Ethnicorum incursionibus, Romam ad Limina Apostolorum voti causa peregrinatus est; vbi à Leone Papa benigne exceptus, fecit Romanæ Ecclesiæ eam quoque Insulæ partem, quam Egbertus pater ad Regnum adiunxerat, vectigalem: Inam & Offam eiusdem Insulæ Reges imitatus, de quibus dictum est superius ex Polydoro Virgilio; qui hæc ipsa de Ethelwlpho pariter ex antiquis rerum Angliæ monumentis refert. Sunt *i* tamen qui eiusdem Regis peregrinationem Romam collocent anno Domini octingentesimo quinquagesimo quarto: à quibus & recitatur donatio ab eo facta Ecclesiæ Anglicanæ, consilio Episcoporum ac Principum, decimæ partis terræ suæ liberæ ab omnibus oneribus: fitque mentio testamenti, quod in obitu condidit, in quo inter alia pia legata, certam pecuniæ summam quotannis Romam deferri iussit, in vsum luminarium Ecclesiarum SS Apostolorum Petri & Pauli, & in eleemosynas à Summis Pontificibus in pauperes erogandas. Porro illum olim sacris fuisse ordinibus initiatum, nempe subdiaconatu; sed patre fine alio hærede moriente, Romanum Pontificem cum eo dispensasse, vt vxorem duceret, traditur in Vita *k S. Swithuni* Wintonienſis Episcopi; quem vna cum *S. Adelstano* siue Helinstano, Polydorus ait auctorem eidem Regi extitisse, vt optime vitam institueret.

ALIA EIVS PIA LEGATA. De quibus Rom. ann. 855. XXVII. Ø 8, 7. VI.

k Ext ap. Sur. 2. Iul.

In Oriente vero hoc ipso anno S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus ex hac vita migrauit die decimaquarta Iunii, vt habent Acta superius citata S. Ioannicii Anachoretæ; qua pariter tam apud Græcos quam Latinos relatus habetur in Tabulas Ecclesiasticas inter Sanctos. Eum Curopalates ait sedisse annos quatuor; sed ex iis, quæ de eo dicta sunt, reperies sedisse annos quinque & menses quatuor. Porro cum certum sit, ipsum virum fuisse doctissimum; scriptorum tamen eius nulla vidimus monumenta, nisi qui recitatur apud Theodorum Balsamonem canon de non appetendo Ecclesiasticam præfecturam; & quod de eo testantur Anastasius Bibliothecarius & Hincmarus Rhemensis in epistolis *l* suis ad Carolum Caluum Imperatorem, ab eo scriptam fuisse Vitam S. Dionysii Areopagitæ, quam idem Anastasius Latinitati donauit.

IX. S. METHODII OBITVS.

l Ext. in Areop. in fi. ap. Sur. 9. Oct.

Ipso autem vita functo, suffectus est in eius locum (ait Curopalates) *Ignatius* Nicephori Aug. ex filia nepos, filius autem Michaelis Curopalatæ Imp. qui post depositionem patris à Leone Armeno factam (vt suo loco dictum est) genitalibus priuatus in monasterium detrusus fuerat; vnde modo in sedem Constantinopolitanam euectus est. Extantque Res gestæ ipsius, fidelissime scriptæ à Niceta cognomento Dauid huius temporis auctore. De eiusdem vero legitima promotione, ac virtutibus quibus tanto throno dignus visus est, scripsisse Michaelem Imp. literas ad Leonem Papam, testatur Nicolaus Pontifex in epistola ad eundem Imp. post annos ferme duodecim data, cum idem Ignatius à Patriarchatu fuit electus.

X. IGNATIVS FILIVS IMP. CREATVR EPISC. CONST.

IESV CHRISTI AN. 848.

LEONIS IV. AN. 2.

LOTHAR. 8.

MICH. III. 7.

I.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo octauo, Indictione vndecima inchoato, Leo Papa agens in Pontificatu annum secundum, opus ingens à Leone Tertio tentatum aggressus est, nimirum, vt nouam constituens ciuitatem, mœnibus ambiret basilicam S. Petri, ne Saracenorum amplius pateret incursibus: ad quod opus Imperator Lotharius, ac fratres Reges Francorum, non modicam ministrarunt pecuniam; vt tradit de his agens Anastasius, qui huius operis inchoationem refert ad principium Indictionis duodecimæ, quæ incipit hoc anno mense Septembri.

II. CONCIL. MOGVNT. II SVB RABANO.

Eodem anno circa Calendas Octobris (vt tradunt antiqui Francorum Annales à Pithœo editi) iussu Regis Ludouici celebrata est Secunda SYNODVS MOGVNTINA sub Rabano Archiepiscopo; in qua inter alia damnatus est, & Regno Ludouici excedere iussus, *Gotheſcalcus* quidam presbyter, de prædestinatione Dei praua sentiens. Agit pariter de his Trithemius in Chronico Hirsaugiensi; sed in eo errat, quod ait iussu Lotharii Imp. conuenisse Episcopos; cum id factum per Ludouicū Regem iidem Annales tradant: quem & aiunt in eodem conuentu Legatos fratrum suorum, & Northmannorum, Sclauorumque, susceptisse, audiuisse, & absoluisse. Certum est enim, nullam Lotharium facultatem habuisse disponendi aliquid in Regno Germaniæ spectante ad Ludouicum.

III. DE GOTHESCALCI MORTE VS, ET EX RORIBVS. a Frod. lib. 3. c 3.

Cæterum de GOTHESCALCO (cuius damnationem Sigebertus ponit anno sequenti) exactiorem contexens historiam Hincmarus Rhemensis Episcopus in epistola ad Nicolaum Papam, quæ extat apud Frodoardum *a*, ait eum ortum ex diœcesi Sueſſionensi, monachū fuisse monasterii Ecclesiæ Metropolitanæ Rhemensis, dicti Orbei, hominem animo elatum

elatum, quietis impatientem, nouorum verborum cupidum, insatiabili honoris ambitione incensum, proteruum, & tumultuosum; qui ordini sacerdotali à Decano Rhemensi contra canones Ecclesiasticos initiatus, regulisque monasticis violatis è monasterio egressus, multas terras peragrauit, vt impietates suas latius disseminaret. Quibus quidem inter alia, errores renouans antiquorum Prædestinatianorum, asserebat, sicut Deus quosdam ad vitam æternam prædestinauit, sic etiam alios ad mortem æternam prædestinasse: Non eum velle omnes homines saluos fieri, sed duntaxat eos qui saluantur: Christumque pro horum tantummodo salute passum esse, non autem pro redemptione omnium hominum: nec enim posse diabolum aliquem eorum; pro cuius redemptione Christus mortem subiit, ad se rapere. His vero illam addebat impietatem, vt assereret Deitatem Sanctæ Trinitatis triplicem esse. Iste igitur cum libellum suorum errorum in Synodo Moguntiaca Rabano obtulisset, ab vniuerso Concilio damnatus, ad suum Metropolitanum Rhemensem remissus est. A quo in alia SYNODO Episcoporum Galliæ Belgicæ, aliarumque prouinciarum, declaratus pariter hæreticus; quia resipiscere nullo modo voluit, eorundem decreto, ne amplius sua praua conuersatione alios inficeret, in quoddam monasterium diœcesis Rhemensis detrusus est; ibique captiuus detentus vsque ad Nicolai Papæ tempora, quando ad eum hanc epistolam, ista omnia fusius continentem, Hincmarus scripsit; qui & eiusdem hæresiarchæ longe lateque per Gallias disseminatos errores, tam carmine quam soluta oratione conscriptis libris (quos enumerat Frodoardus *b*) validissime oppugnauit.

GOTHESC. VBIQVE DAMNATVS.

b Id. lib. 3. c. 14.

literis apud Leonem Pontificem, inter alia ab eo impetrasse pallium pro Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, singulari illa prærogatiua, vt quotidie illo vteretur, cum iam antea aliud accepisset, quo diebus solemnibus ex more celebraret. At vero Nicolaus Papa de his Hincmarum, vt mendaci rescripto vtentem, redarguit, sicut videbitur suo loco:

Hoc eodem anno idem Leo audiens in Britannia Minori Nomenoium dirum insurrexisse tyrannum, qui à Carolo Francorum Rege eam prouinciam curare fuerat missus; vastareque simul humana atque diuina, & ab Ecclesiis expellere Episcopos: literas ad eum commonitorias scripsit. Sed cum eas homo arrogantissimus nec quidem accipere dignatus esset, Apostolicæ Sedis dignitatis vindices exurgentes Francorum Episcopi, frequenti SYNODO *Turonis* habita, ad eundem tyrannum alias scripserunt excommunicationis comminatorias, quæ extant apud Lupum *b* Ferrariensem Abbatem; in quibus præcipue inculcarunt, quam graue scelus fuerit, Deoque & Sanctis inuisum, Literas Romani Pontificis contempsisse: addideruntque, nec fidem, aut quamcumque pietatem, vel bona opera prodesse, sine obedientia Sedis Apostolicæ, atque Synodi. Cæterum causam citius dirimente Deo, idem Nomenoius anno sequenti, iubente Domino, ab Angelo percussus interiit; vt totidem verbis traditur breuiter in Chronico Engolismensi.

III. CONCIL. TVRON. † ADVERSVS NOMENOIVM DVC. BRITON. *b Ap. Lup. Ferrar. ep. 84.* DE OBEDIENTIA SEDI A. POST.

Hoc item anno in Anglia occisus asseritur *c S. VVlstranus*, nepos duorum Regum Merciorum: & de loco vbi innocenter occisus est, columna lucis vsque ad cœlum porrecta omnibus incolis per dies triginta in signum ipsius sanctitatis stetit conspicua.

IV. S. WLSRANI OBITVS. *c Matth. Westmon.*

IESV CHRISTI AN. 849.

LEONIS IV. AN. 3.

LOTHAR. 9.

MICH. III. 8.

I. LEO PP. PRÆMVNIT VRBEM AB INCVRSIONE SARACENORVM.

ANno Christi octingentesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, cum Romæ innotuisset, Saracenos ex Africa ingenti comparata classe iterum in Italiam ad Vrbis excidium properare; Leo Papa quæcumque posset ad eius defensionem conferens, muros dirutos refecit; multa corpora Sanctorum, quibus securissime ciuitas custoditetur, è Cœmeteriis eruta intra illam inuexit; ecclesiasque variis decorauit ornamentis, quo cultus diuinus decentius celebraretur. Sicque Deo placato, & Sanctis conciliatis, factum est mirabiliter, vt appropinquantibus Saracenis ad Romanum Portum, Neapolitani, aliique ipsis vicini populi sponte accurrerint cum classe optime instructa ad subueniendum Ecclesiæ Romanæ, & maiori adhuc miraculo, vt naues Saracenorum cum illis pugnantes, vehementissimis obortis ventis omnino dissipatæ & confractæ fuerint, ipsique barbari naufragio, ferro, fame, suspendio consumpti; ac qui residui fuerunt, cum ad diripiendas Ecclesias venissent, iisdem muniendis inseruierint: siquidem qui hæc omnia exacte narrat Anastasius, testatur captiuos qui magno numero Romam deducti sunt, vinculis ferreis onustos adscriptos esse ædificationi mœnium, quibus Leo ambiendam susceperat basilicam Vaticanam. Quod & ipsum rursus nostris diebus contigisse vidimus, cum post obtentam ingentem illam ac famosissimam aduersus Turcas apud Lepantum (olim Naupactum dictum) naualem victoriam, captiui Turcæ quos accepit in partem sanctæ memoriæ Pius Papa Quintus auctor sacri illius Fœderis, ad perficiendum opus munitionis; quod in circuitu eiusdem basilicæ Vaticanæ inchoauerat eius decessor Pius Quartus in catena cœmentariis seruire coacti sunt. Sed iam reliqua huius temporis prosequamur.

SARACENI DIVERSIS MODIS PERIERE.

II. *a Ap. Fred. Hist. Rhem. lib. 3. c. 9.*

Inter hæc fertur *a*, Lotharium Imperatorem agentem

IESV CHRISTI AN. 850.

LEON. IV. AN. 4.

LOTHAR. 10.

MICH. III. 9.

I. CORDVB. ECCLESIA NOBILITATA MARTYRIBVS.

ANno Domini octingentesimo quinquagesimo, Indictione decimatertia, Æra octingentesima octogesima octaua, cœpta est sæuissima illa Persecutio, quam Habdarrahgman Saracenorum in Hispania Princeps, regni sui anno vigesimo nono, mouit aduersus Ecclesiam Cordubensem; quamque abunde descripsit qui affuit, & pars magna fuit, *S. Eulogius* eiusdem Ecclesiæ presbyter & martyr, in suo Sanctorum memoriali. Qui autem cæteris viam ad martyrium aperuit, fuit *a Perfectus* presbyter ac monachus, qui post egregiam publicam confessionem, diuturnumque carcerem, obtruncatione capitis nobile certamen expleuit decimoquarto Calendas Maii: cuius persecutor proconsul Nazar paulo post ignita febre intrinsecus adustus, effusis in secessu visceribus turpiter expirauit. Perfectum autem secutus est ad certamen *Ioannes* laicus, venalia exposita habens; qui publice verberibus per ciuitatem flagellatus, in arctum detrusus est carcerem. de reliquis dicetur inferius suis locis.

a Eulog. Mem. Sanct. lib. 1. & 2.

II. RANIMIR REG. OBITVS. *b Ambr. Moral. in Schol. ad Eulog. in 13. Hist. 2.*

Hoc item ipso anno, Æra nimirum octingentesima octogesima octaua, Calendis Februarii, Ranimirus Rex Gallæciæ maxime pius ex hac vita decessit; vt constat ex epitaphio inscripto eius sepulchro, quod refert Ambrosius *b* Morales: ex quo erroris arguuntur reliqui omnes Rerum Hispanicarum tractatores, qui eiusdem Regis ingressum ponunt anno Domini octingentesimo vigesimo tertio, & annos sex & menses nouem regnasse tradunt. Porro Ranimiro successit eodem die Ordonius filius, regnauitque annis duodecim.

III. NORTHMANNI RECEPTI CAROLO IN PARTEM REGNI.

Hoc pariter anno (vt tradunt veteres Annales Pithœi) luctus & clamor ingens repetitus est in Galliis ex Northmanorum noua incursione; qui duce Godefrido per Sequanam ascendentes, Regnum Caroli Calui deprædati sunt. Ad quorum expulsionem Lotharius in auxilium vocatus, dum sibi

cum hoste pugnandum esse putaret, Carolus clam mutato consilio, Godefridum in societatem regni suscepit, & terram Northmannis ad habitandum delegauit; quæ ab eorum nomine dicitur Northmannia, vulgo *Normandia*. Hæc ex Annalibus: quæ quidem pati meruit Carolus, quod à maiorum pietate, per quam ipsi facti sunt aduersus barbaros omnes inuicti, ipse degener inuentus est. Iustoque Dei iudicio accidit, vt qui Ecclesiarum bona laicis traderet, coactus sit sua largiri Northmannis piratis. Ad quem, præter querelas Patrum Synodorum Meldensis & Parisiensis, de quibus supra, extant Lupi *c* Ferratiensis Abbatis plurimæ epistolæ, quibus eum ad meliorem frugem perducere conatus est: qui & alibi *d* docet, ex quo tempore auferri Ecclesiis bona cœperunt, & laicis tradi, omnia pessum data esse in Francia hostibus prævalentibus. Sicut e contra videmus Ranimirum in Hispania Regem, de quo nuper actum est, cum Regnum suum vectigale fecit Ecclesiæ S. Iacobi, eosdem Northmannos, inuictum hactenus genus hominum, ad litus Legionis ciuitatis aduenientes ingenti prælio nauali superasse, combustis septuaginta eorundem nauibus, & multis acquisitis diuitiis; vt tradunt Tudensis, Rodericus, & alii Rerum Hispanicarum Scriptores. Sic enim certis experimentis comprobatum est sæpissime, populorum tunc enituisse fortitudinem, cum in Regibus cultus pietatis excelleret: elanguisse vero, cum defecit, & Ecclesiæ prostitutæ sunt; quarum reditibus non sunt illi roborati vel erecti, sed eneruati, penitusque depressi.

[Quod tamen alii certius referunt ad tempora Regis Caroli Simplicis, & annum Domini circiter 912.]

c Lup. ep. 64.95.96.

d Id. ep. 42. & 63.

VNDE VRBIS ET AVGMENTA REGNOR.

IV. BOHEMI IN FRANCOS OPERA DIABOLI PRÆVALENT.

Qua pariter ratione & in Germania Rex Ludouicus, hoc ipso anno à Bohemis magna clade affectus est: cui prælio (vt ait Sigebertus) se præfuisse spiritus malignus per os arreptitii publice professus est, egisseque, vt Franci terga verterent. Quo etiam anno grauissimam famem Germaniæ populos oppressisse, & Rabani Archiepiscopi Moguntini in subleuandis pauperibus munificentiam enituisse; tradunt iidem superius citati Francorum Annales, & Sigebertus.

V. CONCIL. TICIN.

Denique hoc eodem Redemptoris anno, in antiquo codice notatur, celebratam esse SYNODVM in regia ciuitate *Ticinensi* sub Angiberto Mediolanensi Archiepiscopo: sed titulus tam in Indictione quam in annis Imperatoris deprauatus est. Extant *e* vero eiusdem Canones viginti quinque, & Lotharii atque Ludouici Augg. capita quinque, pro restituenda collapsa Ecclesiastica disciplina; quæ pro arbitrio consulere poteris.

e Ap. Canis. antiq. lect. Tom. V.

IESV CHRISTI AN. 851.

LEON. IV. AN. 5.

LOTHAR. 11.

MICH. III. AN. 10.

I. *a Leo Ost. lib. 1. c. 31.*

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo primo, indictione decimaquarta, Ludouicus imp. Lotharii filius, rogatus Beneuentum venire, prouinciam illam à iugo Saracenorum liberauit, eos omnes internecioni subdens. Hæc Ado Viennensis, ac Leo *a* Ostiensis in suis Chronicis.

II. DE PERSECVT. IN ECCL. CORDVB. *b Eulog. Memor. Sanct. lib. 2.*

Quo eodem tempore, persecutione à Saracenis in Hispania degentibus aduersus Ecclesiam Cordubensem excitata, magis recrudescente, & quod grauius est, Reccafredo quodam Episcopo aduersus Fideles pro iisdem Saracenis insurgente; multi omnis sexus & conditionis homines, generosa fortitudine seipsos prodentes, vel alias proditi, martyrium consecuti sunt; plurimis aliis in carceres retrusis. Inter quos fuit *Eulogius* ipse, qui aliorum passiones exactissime descripsit *b*; quique bene vsus otio carceris, (inquit Aluarus eius familiaris in Vita ipsius) metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissime docuit. Cæterum sub finem huius ipsius anni reddita est ex insperato pax Ecclesiæ, redditusque cõsuetus cultus Ecclesiarum; redemptus ipse (vt creditum est) sanguine duarum sanctarum virginum, *Mariæ, & Floræ*; quæ cum pollicitæ essent reliquis Fidelibus, liberationem ipsorum impetrare à Domino vbi ad eum peruenissent, quinto post martyrium consummatum die id præstiterunt.

Hoc eodem anno (vt auctor est Frodoardus *c*) mortuus est Ebbo Rhemensis olim Archiepiscopus, cuius causam sæpius ventilatam vidimus. Additque idem auctor, cuidam eius tunc ciuitatis viro per visum reuelatum fuisse, ipsum Ebbonem cum aliis nonnullis Episcopis torqueri pœnis Purgatorii; eosdemque expetiisse suffragia viuentium, orationes & eleemosynas, præcipue vero sacratissimum Missæ sacrificium; quibus exhibitis, iidem pœnis alleuiati fuerint.

III. *c Frod. hist. Rhem. lib. 3. in fi.* MORTVI EXPETVNT SVFFRAGIA VIVENTIVM.

IESV CHRISTI AN. 852.

LEONIS IV. AN. 6.

LOTHAR. 12.

MICH. III. 11.

I. DEDICATIO NOVÆ CIVITATIS LEONINÆ

ANno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, Indictionis decimæquintæ, Leonis Papæ sexto, idẽ Pontifex absoluta quam cœperat noua ciuitate, qua includeret basilicam S. Petri cum adiacentibus diuersarum gentium Romam peregrinantium ibi erectis hospitalibus habitaculis; eandem aqua benedicta, multisque orationibus sanctificatam, solemni ritu Deo dicauit, & à suo nomine *Leoninam* dixit, die vigesima septima mensis Iunii. Quæ quomodo se habuerint, pluribus narrat in eius Vita Anastasius Bibliothecarius, qui aderat. Qui & subiicit de instauratis ab eodem Pontifice aliarum ciuitatum mœnibus, deductaque in vrbem Portuensem colonia ex habitatoribus insulæ Corsicæ, qui ob frequentes Saracenorum incursiones coacti fuerant patriam deserere. Ac denique inferius addit de ciuitate *a* Centumcellensi, diu antea ab iisdem Saracenis diruta, & ab eodem Pontifice loco munitiori diuinitus ei per visum ostenso restituta; quam & suo nomine *Leopolim* appellauit, ac solemnibus cæremoniis sanctissimæ Trinitati consecrauit.

a De ea Baronius ann. 854. in fr.

II. ALII MARTYRES CORDVBENSES. *a Eulog. Memor. Sanct. lib. 2. c. 9. & seqq.*

Hoc eodem anno persecutio Saracenorum in Hispania, quæ ad modicum temporis spatium quieuerat, in Ecclesiam Cordubensem acrius renouata, multos martyrii corona donauit, quos S. Eulogius *a* singulos recenset. Cum autem alii complures deficientes à fide, Mahometismo adhærerent; sed & nonnulli Episcopi eiusmodi martyrii gloriam minuere quærerent, atque Fideles ab eo reuocare: horum consilio Habdarahgman *pseudosynodum* omnium regni sui Antistitum conuocauit; qua in eius gratiam decretum est, eos qui non quæsiti sese morti offerrent pro fidei confessione, non esse adscribendos catalogo Sanctorum; quippe qui viderentur per superbiam fieri parricidæ animarum suarum. Eratque insuper eorundem, siue horum similium, illa sparsa fallacia, non esse qui paterentur inter Martyres computandos; quod miracula, vti olim Martyres, non ederent, neque eorum corpora incorrupta manerent. Quare ad hæc omnia diluenda Eulogius egregium commentarium scribens, cuius est titulus *Memoriale Sanctorum*, eius primo libro in iisdem valide confutandis versatus est. Idemque postea alia occasione *Apologeticum* addidit; de quo suo loco. Porro cum nonnisi vnus Episcopus Cordubensis apud eum reperiatur detrusus in carcerem, quod refragatus fuerit Regi; ex his lugeas statum reliquarum Hispaniæ Ecclesiarum sub Saracenis constitutarum, quarum Rectores eidem tyranno adhæsisse putantur.

EVLOGIVS INSVRGIT PRO SS. MARTYRIB.

III. TERRIBILIS INTERITVS REGIS PERSECVTORIS.

Verum accidit inter hæc, vt cum idem Rex quadam die intuitus pendentia quædam stipitibus Sanctorum, qui ea persecutione passi fuerant, corpora, præcepisset illa cremari; terribili Dei vindicta repente ore eius obstructo, lingua Angelo percutiente repressa ita hæserit palato, vt vltra fari non potuerit: sicque in lectum deportatus, priusquam rogus sanctorum cadauerum extingueretur, ipse vita defunctus ad æternum inferorum ignem descendit: relinquens successo-

rem regni Mahomad filium, æque hostem Ecclesiæ: cuius persecutionem ad plures annos prorogatam, & Christianorum vtriusque sexus, & maxime Ecclesiasticorum virorum, virginumque Deo dicatarum, alacritatem in spontaneo subeundo martyrio prosequitur etiam pluribus idem Eulogius *b* in suo Memoriali, quem tu de his consulas.

b *Ibid. lib. 3.*

IV. CONCIL. MOGVNT. III. SVB RABANO.

Eodem anno habitam esse SYNODVM *Moguntiæ* (quæ dicenda est Tertia sub Rabano earum quarum mentio inueniatur) & in ea tractatum esse de absoluendis quæstionibus, tradunt veteres Annales à Pithœo editi. Sed quænam fuerint illæ quæstiones, nusquam mentio. Quo item anno Carolum Caluum Francorum Regem filio fratris sui Pipini, Pipinum & Carolum, Regnum inquietantes cepisse, & attonsos detrusisse in monasterium, Sigebertus tradit.

IESV CHRISTI AN. 853.

LEON. IV. AN. 7.

LOTHAR. 13.

MICH. III. 12.

I. CONCIL. SVESSION. IN CAVSA ORDINATORVM AB EBBONE RHEM.

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo tertio, indictione prima, mense Aprilis, *Suessione* in Gallia habitum est CONCILIVM viginti Episcoporum, nonnullorumque Abbatum, (inter quos fuit etiam *Lupus* Ferrariensis, diœcesis Senonensis, insignis vir nominis) aliorumque cleticorum; cui & Carolus Rex interesse voluit. Actum est in eo de causa illorum, qui ordinati fuerant ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo; qui primum sub Ludouico Imp. sede priuatus, deinde opera Lotharii ad modicum temporis spatium restitutus, complures in eadem Ecclesia clericos ordinauerat. Sed eo per Carolum Regem abire coacto, eodemque anno superiori defuncto; qui in locum eius iam antea fuerat substitutus Hincmarus, ordinatos ab eo recipere nolens, hanc Synodum celebrandam curauit, eaque ipsos deponi. Qui vero cum Ebbone post depositionem communicauerant Episcopi, veniam erroris deprecantes, plenissime restituti sunt: penitusque confirmata Ebbonis deiectione, Hincmari ostensa est legitima electio & consecratio. Hæc pluribus habentur enarrata à Frodoardo *a* in Historia Rhemensis Ecclesiæ. Extantque *b* eiusdem Synodi Acta integra; sed male inter probatas Synodos allecta, cum ea iudicio Apostolicæ Sedis sub Nicolao Papa cassata prorsus & abolita fuerint; vt dicetur suo loco, & vt ipse Frodoardus est testis.

a *Frod. lib. 3. c. 11.*
b *Tom. 3. Concil.* ACTA EIVS CASSATA.

II. CONATVS HINCMARI PRO SVORVM CONFIRMATIONE. c *Rte. Baro. Ann. Tom. X. hoc ann. ex cod. Ant. Aug.*

Quamuis igitur hæc sic ibi gesta esse secundum traditionem & auctoritatem Apostolicæ Sedis, Acta testentur: tamen cum ea sciret Hincmarus vix posse subsistere, conatus est à Leone Papa iteratis legationibus eorum obtinere confirmationem. Quam cum ille denegasset, ab eius successore Benedicto subripuit. Sed quod & hæc non in omnibus placeret; eandem ipse interpolando, quædam (nefas!) addidit, quædam vero sustulit; vt perhibent literæ Nicolai, de quibus suo loco dicendum. Cæterum præter illa quæ de hac Synodo Suessionensi cusa habentur, reperiuntur *c* insuper Capitula quædam, ad corrigenda nonnulla praue gesta, & bona Ecclesiis ac monasteriis restituenda, eademque rite administranda; quæ ex petitione Synodi, Rex Carolus per vniuersum Regnum suum missis legatis statuit nota fieri, & executioni mandari.

III. NORTHMANNI GALLIAS INFESTAT.

Hoc item anno Northmanni per Ligerim fluuium venientes, Nannetensem, Andegauensem, & Turonensem, aliasque in circuitu ciuitates inuaserunt, omnia tam sacra quã profana, incendiis, cædibus, ac rapinis depopulantes: interque alia, basilicam S. Martini toto Orbe nominatissimam incenderunt; euersoque maiore monasterio, centum illic & sexdecim monachos peremerunt. Tradunt hæc paucis Annales à Pithœo editi, necnon Regino, Sigebertus, & Otto Frisingensis. Sed cladem Nannetensem, qua intra Ecclesiam SS. Petri & Pauli perempti sunt vna cum Episcopo Guihardo quamplurimi clerici, monachi, laici, fusius describit Bertrandus Argentræus *d* Gallicus scriptor; (licet contra prædictorum auctorum sententiam, eam referat ad annum Domini octingentesimum quadragesimum tertium:) Turonensem vero Odo Cluniacensis Abbas, in libello de translatione S. Martini. Dei enim prouidentia factum est, vt antequam ciuitas à barbaris inuaderetur, S. Martini corpus inde sublatum, ab eiusdem Ecclesiæ clericis transferretur primo Aurelianum, deinde Antisiodorum, vbi quamplurimis coruscauit miraculis. Quando vero rursum Turonos relatum fuerit, dicetur suo loco.

d *Argentr. lib. 2 hist. Britan. c. 12* RELIQVIÆ S. MARTINI LIBERATÆ À FVRORE NORTHMAN.

Hoc item anno mense Decembri, inchoata iam à Septẽbri Indictione secunda, anno Lotharii ex quo cum patre imperare cœpit trigesimo septimo. Ludouici vero ipsius filii quinto, (vt habet Anastasius Bibliothecarius) celebrata est *Romæ* in basilica S. Petri SYNODVS sexaginta septem Episcoporum; cui præfuit ipse Leo Pontifex, interfueruntque quatuor Episcopi Legati eorundem Impp. Lotharii atque Ludouici. In qua post recitatos quadraginta duos canones, qui pertinerent ad disciplinam Ecclesiasticam & mores Fidelium, eosdemque obseruari iussos; Anastasius presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli vno omnium consensu excommunicatus ac depositus est, eo quod parochiam suam per annos quinque contra antiquorum canonum definitiones deseruisset, & adhuc in alienis moraretur; necad duo ipsius causa congregata Concilia literis Apostolicis accitus, & per tres legatos Episcopos inuitatus, accedere voluisset. Hæc ita gesta Anastasius Bibliothecarius summatim perstringit: sed reperiuntur in pluribus antiquis codicibus, tum Anastasii Cardinalis damnatio e memoratu digna, tum iidem quadraginta duo canones; quorum triginta septem recitati sunt ex Synodo item Romæ habita sub Eugenio Papa, additis tamen ab ipso Leone nonnullis; trigesimus autem octauus ex Synodo Romæ habita sub Zacharia; reliqui ipsius Leonis integri, quorum nonnullos in corpus Canonum Gratianus & alii Collectores redegerunt.

IV. CONCIL. ROM. PRO DISCIPL. ECCL. ANAST. CARDIN. DEPOSITVS OB DESERTAM PAROCHIAM. e *Recitat eam Baron. Tom. X. hoc an. ex cod. Ant. Aug.*

Hoc ipso anno à Mariano Scoto falsissime ponitur obitus Leonis Papæ, & ineptissime subrogata asseritur mulier IOANNA nomine. Quoniam autem nullus penitus ante eum inuentus est auctor qui de eiusmodi portento meminerit, illudque ab eo omnes alii postea exceperint; primo sciendum est, ipsum post ducentos & amplius annos vixisse & scripsisse: qui videlicet natus sit (vt ipse testatur) anno Christi millesimo vigesimo octauo, sæculum reliquerit millesimo quinquagesimo tertio, & millesimo quinquagesimo sexto ex Scotia in Germaniam veniens Coloniæ factus fuerit monachus, & millesimo quinquagesimo nono Fuldæ se incluserit; vbi ad decennium demoratus, postea Moguntiæ eodem vitæ genere perseuerans vsque ad obitum inclusus permanserit: quem peruenisse ad annum millesimum octogesimum sextum, affirmat Dodechinus Abbas, qui ad eius Chronicon Appendicem addidit. Erant ea ipsa tempora, quibus Henricus Tertius Imper. (vt ipse Marianus narrat) schismate cum suis ab Ecclesia Catholica defciuerat; cum & promulgato à Gregorio Papa Septimo aduersus clericos cõcubinarios decreto, complures ex illis (vt ait) delegerunt expelli potius ab Ecclesia, quam concubinas expellere.

V. FABVLA DE PAPISSA IOANNA CONFVTATVR.

His adiungimus, quod eodem tempore quo scribebat Marianus, iam de fœmina ordinata in sede Constantinopolitana Patriarcha, fama ferretur, vt aperte constat ex epistola Leonis *f* Noni Romani Pontificis ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum & Leonẽ Acridanum scripta (vt testatur) annos post mille & ferè viginti à Passione Christi, à Natiuitate vero millesimo quinquagesimo tertio. Porro ea quæ ita erant fama vulgata de Ecclesia Constantinopolitana, conuersa esse in Romanam Ecclesiam à schismaticis eam odio prosequentibus & calumniis proscindentibus, atque ita vt accepit ipse eam fabulam Marianum eodem tempore scripsisse, quis non intelligat? Sed nec ipsum eam pro certo habuisse, testantur verba quibus retulit. Licet enim in codice impresso Heroldi opera, qui mala fide locum hunc cum aliis multis corrupit, absolute legatur, *Leoni successit Ioanna mulier annis duobus, &c.* tamen in scripto codice ex quo prodiit prima editio, ita legitur, *Ioannes, qui, vt asseritur, fuit*

f *Lee IX. ep. 1. c. 23.*

VI. QVOD DE ECCLES. CONST. DICTVM, DE ROM. CREDITV.

mulier.

mulier. Sicut & qui post Marianum elapsis triginta ferme annis, Sigebertus & ipse schismaticus, in sua Chronographia eandem descripsit fabulam, nulla aliqua vtitur firma testificatione, sed incerta tantum fama ferri quod scribit asserit. Ceterum posthęc factum est vt plures alij eadem scripserint, aliique alia addiderint, vt mendacia vires sumerent: adeo vt etiam pii viri res maiorum prosecuti, quæ de his inuenerint, absque delectu descripserint.

VII. MVLTIMODA EIVS FALSITAS.

Sed vt rem propius agamus: Quomodo Marianus hoc anno ingressum ponit feminæ post Leonis obitum, cum constet ipsum Leonem vitam adhuc ad duos annos propagasse, id testante Anastasio Bibliothecario, qui tunc Romæ præsens erat? Quo item modo Ioanna successit, cum idem Anastasius asserat Leoni statim post sex dies substitutum fuisse Benedictum? & quicunque hoc tempore quacumque occasione de successione Romanorum Pontificum scripserunt, Benedictum immediate Leoni succesisse ponant; puta Lupus *g* Ferrariensis Abbas, Nicolaus *h* Papa, & Acta Tullensis Synodi paulo post habitæ? Rursum vero altum vbique silentium tanti temporis de re tanta, tot emergentibus in tantum nefas declamandi occasionibus, plusquam mille dixeris iuratos testes ad certam fidem faciendam de fabulæ falsitate. Certe quidem tam amici facinus horrendum detestando, querendo, dolendo, quam inimici improperando, detrahendo, subsannando, centies proclamassent. Sed & quomodo Leo Nonus in Ecclesiæ Romanæ hostes ea de femina erecta in Patriarcham Constantinopolitanum obiicere ausus esset, si maiori infamia id fuisset in Ecclesia Romana perpetratum.

g Lup. Fer. ep. 103. *h* Nicol. ep. 1. § 9.

VIII. ASSERTORES FABVLÆ EX SEIPSIS CONFVTATI.

Quam autem absurde fabulæ assertores inter se varia diuersaque scribentes, alter alterum destruit? dum alij ipsam confictam feminam Ioannam, nominatam antea *Agnetem* dixere, alij *Gilbertam*, *Isabellam* alii seu *Margaritam*, vel etiam *Tuttam*, aut *Dorotheam*: præterquam quod alii natione Germanam, alii dixere Anglicanam. Rursum quanta diuersitas in nomine quod confixerunt, vel leuiter crediderunt Papissæ Ioannæ, dum alii eam vocant Ioannem Septimum, alii Octauum, alii vero Nonum; cum tamen certissime constet eosdem legitimos fuisse Romanæ Ecclesiæ Pontifices Ioannem Septimum Octauum, & Nonum? Sed & in tempore valde sibi contrariantur, dum alii hoc anno octingentesimo quinquagesimo tertio collocant, alii sequenti, alii octingentesimo quinquagesimo septimo, octauo alii, quidam nongentesimo quarto; præter eos qui eam ponunt post Martinum Primum anno Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, vel post Ioannem Quintum anno sexcentesimo octogesimo sexto. In Sedis vero tempore quanta inter eos repugnantia, dum alii eam sedisse tradunt anno vno, & mense vno, & diebus quatuor; alii annis duobus, totidem mensibus, & diebus quatuor; alii duobus annis cum dimidio; duobus tantum annis alii, alii vero tantum quatuor mensibus? Denique quanta diuersitas in eiusdem fabulæ narratione; dum nec vnus quidem reperitur qui consentiat alteri, immo omnes inter se dissentiant, contradicantque sibi inuicem? Vt nulla penitus historia sit de nomine, loco, tempore, & rebus quæ narrantur, adeo mendax, variaque, & omni penitus verisimilitudine carens. Sed qui curiosius hæc scire desiderat; præter alios qui hoc inanissimum commentum egregie antehac refellerunt, legat locupletem illum commentarium pietate & doctrina insignis viri *Florimundi Ræmundi* Aginnensis Aquitani Regii Cõsiliarii in supremo Senatu Burdegalensi, cuius est inscriptio *Error popularis de Ioanna Papissa*: quo sic confecit monstrum illud, scriptorum leuitate formatum, & Nouatorum industria phaleratum, vt eos pudeat quæ scripserint vel somniasse.

FLORIM. RÆMVNDI LIBER DE PAPIS. IOAN.

IX.

Hoc eodem anno mortuus ponitur *Aymo* Episcopus Halberstatensis scientia clarus; cuius extant complura scriptorum monumenta ab aliis dinumerata.

IESV CHRISTI AN. 854.

LEONIS IV. AN. 8.

LOTHAR. 14.

MICH. III. 13.

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo quarto, Indictione secunda, (vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum) orto ciuili bello inter Horich Regem Danorum siue Northmannorum, & filium fratris Guduym, qui regno pulsus piraticam exercebat; iidem miserabili modo conciderunt, de regia stirpe nonnisi puerulo remanente. Ita Dominus sanctorum virorum suorum iniurias vltus est, & aduersariis digna factis retribuit.

I. BELLO CIVILI DANI CONSVMVNTVR.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno *Constantinopoli* ab Ignatio Patriarcha celebratum est CONCILIVM, in quo depositus est Gregorius Episcopus Syracusanus; ita tamen vt assensus Romani Pontificis requireretur: quo per Legatos à Leone Papa petito, distulit ille donec pars altera audiretur: ipsoque interea decedente, res ad successorem delata est. Habet ista Nicolaus *a* Papa in epistola ad Michaelem Imp. Quanta vero ex hac Gregorii depositione mala exorta fuerint, videbitur inferius suis locis. Ceterum quod Sicilia insula sub iuribus adhuc esset Orientis Imperatoris, quamuis occupata esset à Saracenis, primas causas vendicauerat sibi Patriarcha Constantinopolitanus; ita tamen, vt sua Acta confirmatione indigere Apostolicæ Sedis non ignoraret.

II. CONCIL. CONST. PRO DAMNATIONE EPISCOPI SYRACVS. *a* Nicol. ep. 9.

Hoc item ipsum est plane tempus, quo idem Michael Imp. postquam excessit ex ephebis, quos habuerat tutores partim à se amouens partim occidens, matrem vero Theodoram Imperii curatricem piissimam feminam contemnens; inuentis duobus ad omne malum illectoribus, scelestissimo pædagogo, & Barda fratre eiusdem Theodoræ, redditus est nouus Nero, illo antiquo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar; persimilis vero prodigalitate, atque sæuitia proximus; denique impietate superior, cum cinædos in honore habens, & sactas eos vestes induens, cogebat res diuinas peragere, omniaque Pontificia munera etiam publice exercere: quorum principem *Gryllum* nomine, Patriarcham vocitabat, & reliquos vndecim Metropolitas; se quoque vnum è sacerdotibus faciens, qui Præsul Coloniæ appellabatur: habebantque vasa inaurata, & pretiosis lapidibus ornata, quæ acero & sinapi implentes aliis porrigebant, ad hunc modum sacrosancta mysteria irridentes. Qui & aliquando cum in via occurrissent S. Ignatio Patriarchæ, cum sacro Clero & supplicationibus procedendi, non solum non cesserunt, sed vehementioribus citharatũ quibus vti consueuerant plausibus eos excipientes, maledictis etiam & turpibus probris lacessierunt. Immo & idem impudentissimus Imperator quadam die matrem suam pientissimam fœminam accersiuit, vt à Patriarcha benedictionem acciperet: quæ cum summa religione se in terram prostrasset ad pedes Grylli, quem putabat esse Ignatium; nefarius ille surgẽs oppedit, verbaque turpia protulit: quod iniquo ferens animo Augusta, execrationibus filium infectata est, ipsumque propediem diuina prouidentia destitutum iri, quasi prophetis, vaticinata est.

III. MICH. IMP. CORRVPTISS. MORES.

MYSTERIORVM CHRIST. DERISVS.

Hæc modo Curopolates: cetera postea.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 855.

BENED. III. AN. 1.

LOTHAR. 15.

MICH. III. 14.

I. CONCIL. VALENT. CONTRA HÆRET. a *Tom. 3. Concil.*

ANNO Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia, mense Ianuarij, celebrata est in Gallia SYNODVS VALENTINA *a* quatuordecim Episcoporum, Leone Papa adhuc viuente; quamuis in eius titulo apponatur Benedictus, qui nonnisi mense Iulio subrogatus est in locum Leonis. Ceterum occasio Synodi congregandæ præcipua illa fuit, quod Scoti quidam vagi homines (quorum magister Gothescalcus ille erat, quem damnatum vidimus in aliis Synodis) de prædestinatione & præscientia Dei, deque gratia & libero arbitrio, prauas opiniones in vulgus spargere laborarent. Quibus occurentes Episcopi, nihil præterea in Ecclesiam inducendum censuere, quam quod sanctissimi Patres docuissent olim in Africa Concilio Carthaginensi, in Galliis Arausicano; nempe bonos nonnisi per gratiam Dei saluari, malos per suam damnari iniquitatem: nec ipsos malos (quod dicebant illi) ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia esse noluerunt. Post hæc autem ad corrigenda mala, quæ per laicos Ecclesiis inferrentur, conuersi Patres; imprimis statuerunt, ne qui nominarentur à Regibus Episcopi, ita indiscussi reciperentur, sed de eorum doctrina atque moribus diligentissimum haberetur examen. Vetuerunt insuper, ne vtraque pars litigantium iurare simul compelleretur, cum esset necesse alteram periurare. Sed & qui creuerat graui animarum damno in populo Francorum abusus, vt causæ sæpius duello dirimerentur, ne inolitum scelus vlterius patraretur, canonica censura cohibuere; statuentes vt qui alterum occideret, seu vulneribus debilem redderet, velut homicida nequissimus, & latro cruentus, ab Ecclesia & omnium Fidelium cœtu separatus, ad agendam pœnitentiam modis omnibus compelleretur: ille vero qui occisus esset, tamquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cadauer eius, iuxta sanctorum canonum decretum, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam deduceretur. Alia quoque ad curam Episcoporum spectantia statuerunt, editis in vniuersum canonibus viginti tribus, quos tu consulas; ac præsentia ex iis deplores tempora, quibus Ecclesia nimia Principum licentia grauissime afflictabatur.

D. DELLA PROHIBITA.

II. b *Tom. 3. Concil.* CONCIL. TICIN. PRO LIBERTATE ECCLES.

Eodem item anno, mense Februario, *Ticini* aliud Episcoporum CONCILIVM *b* celebratum est Ludouici Imp. monitu: in quo inter alia, ab eodem Imp. restituta est (saltem nomine tenus) Episcopis licentia, omnia secundum canones disponendi; cum istis calamitosis temporibus vsu venisset, vt quæ Episcopi vellent in Ecclesia ordinari, non vt olim ab ipsis sacerdotali auctoritate constituerentur, sed ea per capita digesta mitterentur in Palatium probanda à Principibus.

III. LYDOV. IMP. ROMAM VENIT OB DISSENSIONEM MAGISTROR. MILIT.

Post hæc vero, cum apud eundem Ludouicum Daniel quidam Magister militum Romæ, inuidia ductus aduersus Gratianum eminentissimum Magistrum militum, & Romani Palatij egregium Superinstam & Consiliarium (vt eum indigitat Anastasius) ipsum calumniose accusasset, quod vellet excusso Francorum iugo Græcos Romam euocare; his Imperator commotus, Romam se concito gradu contulit. Vbi in Conuentu Romanorum simul & Francorum, præsente quoq; Leone Papa, habita exactissima de eadem causa quæstione, Gratianus innocens repertus est criminis iniuncti; & Daniel propria confessione impostor detectus, Gratiano ex libito puniendus est traditus, & ab eodem mox Imperatori precario petenti concessus. Hæc ex Anastasio, qui interfuit.

IV. LEON. PP. OBITVS.

Cum autem Imperator Ticinum recessisset, *Leo* Pontifex non post multos dies, decimosexto Calendas Augusti ex hac vita migrauit, sepultusque est in Ecclesia S. Petri cum sedisset annos octo, menses tres, & dies quinque, vt habet Anastasius: qui præter ea quæ ex ipso de eodem Pontifice summatim retulimus, aliaque quæ addit de ipsius cultu SS. Martyrum, ædificatione ac reparatione ecclesiarum atque monasteriorum, donisque eisdem collatis, necnon de munere prædicationis quo multos ad cognitionem veritatis perduxit; meminit quoque *Crucis*, quam ex more antiquo Subdiaconi ante equum Romani Pontificis ferre solerent; quam (vt ait) Leo renouatam, auro & gemmis ornauit. Additque, ipsum Octauam assumptionis sanctissimæ Dei-Genitricis diem, quam minime Roma antea colebat, vigiliis sacris, matutinisque celebrari præcepisse. Porro idem Pontifex relatus est inter Sanctos in Tabulas Ecclesiasticas. Cuius extat *c* Epistola ad Episcopos Britanniæ, qua respondet consultationi ab iis ex Synodo factæ de quibusdam rebus Ecclesiasticis; ex qua etiam aliqua apud diuersos Canonum collectores reperiuntur, ac præcipue decretum illud *d*, quo Leo declarauit quorum Conciliorum canonibus, quorumque Pontificum decretalibus epistolis, vti in iudiciis moris hactenus fuisset. Extant vero insuper aliarum eiusdem Leonis epistolarum fragmenta apud Gratianum, seu alios Canonum Collectores: itemque Sermo, siue Homilia *e*, quam per prouincias ad Episcopos misit, vt ab ipsis in Synodis diœcesanis recitaretur sibi subditis presbyteris animarum curam gerentibus, quo cunctis innotesceret quæ essent sui muneris. Estque in epistola *f* Lupi Ferrarienſis ad Benedictum Leonis successorem, mentio legationis ab eodem Lupo ad Leonem susceptæ; quamuis quæ illius causa fuerit, præter visitationem Liminum Apostolorum, nihil reperiatur scriptis proditum. Denique recitat Ioannes *g* Diaconus temporis huius scriptor, quædam miranda quæ sub hoc eodem Leone Papa contigerunt in monasterio S. Gregorij ad Cliuum Scauri, aduersus eiusdem monasterij Præpositum, qui chartulas quasdam monasterij distrahens, extraneis vendidisset: itemque aduersus alium Præfectum, qui eleemosynas à S. Gregorio fieri constitutas, licet monachorum vtilitati consulere arbitraretur, diminuisset.

DE CRVCE FERRI SOLITA ANTE PONTIF.

c *Tom. 2. Epist. Rom. Pont.*

d *Dist. 20. cap. 1.*

e *Rec. Bar. An. Tom. X. hoc an. ex cod. Vat.*

f *Lup. ep. 103*

g *Io. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 4. c. 86.*

V. BENED. III. PAPA CREATVR.

Leone defuncto, totius Cleri, Senatus, Populique consensu, BENEDICTVS huius nominis Tertius, patria Romanus, Petri filius, vir sanctissimus, omnibusque virtutibus præditus, ex presbytero tituli Calisti diu reluctatus inuite Summus creatus est Pontifex. Verum mox factione Legatorum, qui delecti fuerant ad ferendum ex more Imperatoribus decretum electionis Benedicti, aliorumque prauorum omnis generis hominum conatu, sed & consensu Legatorum à Ludouico Imp. Romam missorum; *Anastasius* ille presbyter tituli S. Marcelli, quem à Leone excommunicatum in Synodo atque depositum superius vidimus, Romam deductus, primo basilicam S. Petri sacrilege inuadens, Imagines sacras exturbauit, confregit, combussitque; deinde ad Lateranense Patriarchium properans, sese in solium Pontificium intrusit, eiecto Benedicto, ac post multa conuicia & verbera custodiæ mancipato. Sed resistentibus magna constantia Episcopis, vna cum Clero Populoque Romano; iidem Imperatoris Legati post triduum coacti sunt Anastasium expellere, & post indictum pro Ecclesiæ vnitate triduanum ieiunium, Benedicto se reconciliare: qui quidem factiosis ad pedes eius prostratis in gratiam receptis, in basilica S. Petri consecratus est magna omnium exultatione. Narrantur hæc fusius ab Anastasio Bibliothecario, qui aderat. Fuit vero iste pessimus conatus Ludouici Imperatoris; qui cernens in electione Romani Pontificis nullam haberi rationem ipsius studuit, in odium Romani Cleri, liberis suffragiis eligentis Pontificem, prouehere in sedem Apostolicam hominem illum perditissimum, qui diu multumque ista molitus fuerat.

ANASTASII PSEVDOPAPÆ SCELERA, ET EXPVLSIO.

VI. LOTHARIVS IMP. FACTVS MONACHVS MORITVR.

Eodem anno (vt Regino, & alij tradunt) Lotharius Aug. relicto Imperio, atque Regno filiis diuiso, Ludouico Imperatori Italiam, Lothario regnum quod in Francia possidebat (præter Prouinciam Carolo traditam) dedit: ceteris que rebus cunctis bene dispositis, abdicans se ab omnibus humanis curis, Pruniacense ingressus monasterium, coma deposita factus est monachus. Demum eodem anno, quarto, siue (vt alij tradunt) sexto Calendas Octobris spiritum Deo reddi-

VII. THEODORA AVG. DETRVSA IN MONASTERIVM.

reddidit. Laudatus inuenitur à Rabano in libro de Anima, & Angelomo in præfatione in Cantica.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno Michael Imp. vt liberas in omnibus malis agendis habenas Imperij posslideret, matrem suam Theodoram Augustam, sanctissimam feminam, (quod ea cum ipsum, tum fratrem suum Bardam omnium Imperatoris scelerum architectum, seuere sæpius reprehenderet) detonsam vna cum filiabus detrusit in monasterium, postquam annos quatuordecim cum ea imperasset: omnisque rerum administratio ad vnum Bardam delata est. Hæc Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 856.

BENED. III. AN. 2.

LVDOVICI II. 1.

MICH. III. 15.

I. PESTILENTIA FAVCIVM.

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo sexto, Indictione quarta, die quinta mensis Ianuarii, Tiberim fluuium immensum excrescentem, Vrbem dire vexasse traditur ab Anastasio. Secuta est pestis; quæ quod fluxione guttur obstrueret, *Pestilentia Faucium* dicta est: cuius etiam meminit Ioannes Diaconus temporis huius scriptor, ad finem Rerum gestarum S. Gregorij Papæ, agens de quibusdam mirandis, quæ tunc in exitu nonnullorum monachorum ibi contigerunt.

II. MICH. IMP. LEGATIO, ET REGIS LAZOR. PEREGRINATIO ROMAM.

Sed & eodem anno Michaelem Imp. Legationem Romam ad nouum Pontificem misisse cum muneribus, pariterque Regem Lazorum pietatis ergo ad Limina Apostolorum venientem, præcara dona S. Petro obtulisse, aurumque Episcopis ac reliquis ex clero, necnon & optimatibus, populo vero argentum minutum distribuisse; Anastasius tradit. Quo etiam tempore Patriarcha Constantinopolitanus Ignatius ad eundem Pontificem misit Acta Synodalia, quibus probaretur legitime facta Gregorii Syracusani Episcopi depositio, de qua superius, quam Benedictus, causa diligentius cognita, præsente ipso Gregorio confirmauit: vt patet ex literis Nicolai Papæ ad Photium postea scriptis.

III. CONVENT. CARISSIACO PRO REFORM.

Interea vero cum in Gallia vndique ebullirent factiones, subditorumque rebelliones aduersus Carolum Caluum Regem; increbrescerentque vbique latrocinia, deprædationes, cædes: ad hæc omnia euellenda, idem Carolus hoc anno mense Februarii *Conuentum* Episcoporum ac Procerum habuit in villa *Carisiaco*; ex quo eiusdem Regis scripta est exhortatio *a* ad omnes Episcopos & Comites sui Regni, vt quique in suis parochiis & iurisdictionibus hæc mala emendari, atque hominum mores in melius reformari curarent: missaque sunt Capitula nonnulla ad conciliandos sibi populos defectionem parantes, quæ adhuc extant. Reperitur apud Lupum *b* Ferrarienssem Abbatem vna ex illis admonitionibus, quas idem Rex per Episcopos singulos ad populum sibi subditum scribi præcepit, vt abstineat à peccatis, præcipue vero à factionibus atq; deprædationibus. Fuitque etiam in his laborandum benedicto Papæ; cuius extat *c* epistola ad Episcopos Regni Caroli aduersus Hubertum subdiaconum, homicidam, adulterum, ac monasteriorum deprædatorem.

a Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an. ex codd. Ant. Aug.

b Lup. ep. 100.

c Rec. Bar. vbi sup. ex eod. cod.

IV. RABANI OBITVS, ET SCRIPTA.

Hoc eodem anno, die quarta Februarij defunctus est *Rabanus* Archiepiscopus Moguntinus, cum sedisset annos nouem, mensem vnum, & dies quatuor. Ita vetus Chronicon à Pithœo editum: ex quo erroris arguitur Trithemius, dum eum defunctum dicit anno superiori, Indictione tertia. Emicuit hoc tempore Rabanus vt fulgentissimum sidus; cuius quæ extant scripta, tamquam lucis radii excellentiam demonstrant auctoris. Quem quidem Trithemius asserit, præter opuscula tam carmine quam soluta oratione conscripta, vniuersam Scripturam Sanctam à principio vsque ad finem feliciter explanasse: virum plane omni literarum genere egregie excultum, triumque linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimum. Vt merito Germania gloriari possit, suum haud adeo imparem magnis habuisse Doctorem.

IESV CHRISTI AN. 857.

BENED. III. AN. 3.

LVDOVICI II. 2.

MICH. III. 16.

I. APOLOGETICVS EVLOGII PRO SS. MARTYRIBVS.

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo septimo, Indictione quinta, sæuiente adhuc persecutione Saracenorum in Ecclesiam Cordubensem, cum S. Eulogius iam absoluisset tres libros Memorialis Sanctorum, haberetque in animo recentium Martyrum certamen pariter describere: nonnullorum calumniantium strepitu motus, coactus est (vt ipse testatur) Historiam in Apologeticum commutare. Tota namque in illud vis diaboli se conuertit, vt qui annis singulis illustrari sanguine Martyrum CHRISTI Ecclesiam ægre ferret, ore ministrorum suorum illud in vulgus spargeret, hos omnes gladio cæsos nequaquam dignos esse qui in numerum Martyrum referrentur, quod non sicut antiqui martyres à cultoribus idolorum occiderentur, neque dum paterentur miraculis coruscarent, nec denique diuersis tormentorum generibus cruciarentur, sed ictu gladii certamen cito absoluerent. Quæ omnia ab Eulogio potentissime sunt confutata, ne horum occasione tepesceret in cordibus credentium ardor fidei, & fortitudo langueseeret Confessorum.

II. CONCIL. MOGVNT. DE IVRIB. ECCLES.

Hoc eodem anno circa Calendas Octobris celebratum est CONCILIVM apud *Moguntiam*, præsidente Carolo Rabani successore: in quo actum est de iuribus Ecclesiasticis. Sed & præsentata est epistola Guntharii Colonienssis Episcopi ad Altfridum Episcopum scripta, vbi agebatur de prodigioso fulmine, igneo draconis instar, quod in ecclesiam cadens vbi conferta esset immensa populi multitudo, ex omnibus illis tres homines ad tria diuersa altaria existentes vno ictu necauit, atque sex alios eodem impetu prostrauit. Habent hæc veteres Francorum Annales; Acta vero Concilii exciderunt. Ceterum hoc pariter anno habitus est *Conuentus* apud *S. Quintinum*, in quo Carolus Caluus sicut cum fratre Ludouico pacem & concordiam tenuit inoffensam, ita cum nepotibus fratruelibus Lotharii filiis custodire velle professus est, statutis ea de re quibusdam capitibus, quæ continet scriptus codex Antonii Augustini in Vaticanam Bibliothecam illatus.

CONVENTVS S. QVINTINI.

IESV CHRISTI AN. 858.

NICOLAI AN. 1.

LVDOVICI II. 3.

MICH. III. 17.

I. BENED. PP. OBITVS. NICOLAI SVBROGATIO.

ANno Christi octingentesimo quinquagesimo octauo, Indictione sexta, *Benedictus* Papa mortuus est die decimasexta Februarii, postquam sedisset annos duos, menses sex, dies decem; delatusque est ad sepulturam in ecclesiam S. Petri diaconorum humeris; inter quos fuit NICOLAVS, qui omnium consensu ei successit in Pontificatu, natus Romæ ex patre Theodoro nobilissimo viro, præditusque omnibus virtutibus, atque doctrina & sanctitate insignis: qui in basilica S. Dionysii electus, aufugiens ne consecraretur, è latebris extractus, apud S. Petrum consecratus est præsente Ludouico Imperatore, & cum hymnis & canticis in Patriarchium Lateranense deductus. Habet

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IMP. PEDES EQVVM PONTIF. FRENO DVCIT.

ista Anastasius Bibliothecarius, miris Nicolaum laudibus extollens. Additque præterea de Imperatoris humillimis erga illum obiequis; nempe quod cum Imperator Vrbe discessisset, & ad eum Pontifex visitationis causa aduenisset, ipsi occurrens Imperator, equum quo is vehebatur pedes ipse freno duxerit quantum lagitiæ iactus extenditur; idemque rursum in reditu Pontificis in Vrbem præstiterit.

II. LEGATIO GALLOR. AD LVDO. REG. ADVERSVS CAROL.

Hoc eodem anno, perseuerante infelicissimo statu Galliarum, cum omnia prædonibus factiosisque hominibus plena essent; nullusque locus legibus Ecclesiasticis vel ciuilibus esset, scelerata licentia omnia sibi vendicante, Edelhartus Abbas & Otho Comes venerunt in Germaniam ad Ludouicum Regem, postulantes vt populo periclitanti & in angustia posito subueniret: quod nisi celeriter faceret, à Paganis cum periculo Christianitatis auxilium quæsituri essent, quod tyrannidem Caroli, horum omnium malorum causam, diutius ferre non possent. Hæc vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, sed ab auctore huius temporis conscriptum. Vbi pariter insinuatur Ludouicum diu ancipitem, tandem suorum consilio venisse in Regnum Caroli fratris, vt tot malis mederetur. Cum autem primum omnium *Concilium* Episcoporum indixisset *Rhemis*; qui sub Carolo erant Episcopi prouinciarum Rhemensis & Rotomagensis, suspectum habentes illius aduentum, seorsum *conuenerunt* mense Nouembri in *Villa Carisiaco*: vnde ad eum scripserunt epistolam, qua se excusantes cur non potuerint ad illum accedere, insigni sacerdotali libertate egregiam plane ac varia doctrina refertam addiderunt prolixam admonitionem [a], quibus modis, qui ad restaurationem Ecclesiæ & salutem populi aduenisse iactaret, eam operari deberet, resque ipse suas suique regni curare, quæ non minus emendatione indigerent: multaque subiunxerunt de libertate Ecclesiarum, rerumque, atque ministrorum illarum, diuinitus instituta, quam boni Reges intemeratam custodire debeant, non tyrannice minuere vel contemnere.

a *Rec. Bar. Ann. Tom. X. hoc an. ex cod. ant. Augusf.* ADMONITIO EPISCOP. CAROLI AD LVDOV.

III. CAROLVS AD PONT. ET IMP. QVERITVR ADVERSVS FRATREM.

Verum minime his acquiescens Ludouicus, sed potius factiosis hominibus obaudiens, se ad arma conuertit, & aduersus Carolum potentem duxit exercitum: cui se Carolus imparem sentiens, cum paucis clam se à suis copiis subduxit, quæ mox ad Ludouicum defecerunt. Sed inter hæc nuntiata rebellione Sorabica, idem Ludouicus coactus est ad propria reuerti, postquam eius aduentus multa mala Regno Caroli, ipsisque Ecclesiis attulisset. Ceterum Carolus rebus suis consulturus, Legatos misit in Italiam ad Ludouicum nepotem Imperatorem, & ad Nicolaum Romanum Pontificem, expostulans de Ludouico fratre, qui non læsus Regnum suum aggressus esset: qui ambo literis Ludouicum Regem monuerunt, nequid in regnum alienum præsumeret: ipse vero iis receptis, legauit pariter ad eosdem in Italiam Othonem Fuldensem Abbatem, qui suam rectam in omnibus intentionem insinuaret. Hæc idem vetus Francorum Chronicon; quæ in annum sequentem propagata sunt.

IV. IGNAT. CONST. INIVSTE RELEGATVR.

Quod ad res pertinet Orientalis Ecclesiæ; hoc ipso anno, cum Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha duodecimum inchoasset sedis suæ, quod Bardam Patricium, penes quem summa erat administrationis Imperij, post sæpe frustra iteratas monitiones, à sacratissimi Corporis Domini communione repulisset, ob vxoris insontis repudium, & cum cognata sibi sponsa consuetudinem; eiusdem Bardæ factione calumniose accusatus de conspiratione aduersus Imperatorem, è throno impie depositus est, atque in insulam Terebinthum relegatus. Vbi cum persuaderi nunquam potuisset, vt libellum daret renuntiationis sedis Patriarchalis: post multas vexationes, & varios crutiatus, ad extremum in Copronymi sepulchro inclusus est sub custodia crudelissimorum hominum: sed inde furtim à pio quodam viro sublatus, iterumque captus, post multiplices passus est locorum mutationes: complureque alij Episcopi similia perrulere, eo quod nollent alium recipere Patriarcham. Attamen postmodum cedentes plurimi minis, multi pollicitationibus illecti, obsecuti sunt Bardæ, in locum Ignatij Patriarcham sufficienti *Photium* eunuchum, qui erat Imperatori à Secretis, magnaque apud illud gratia pollebat, quod ipsius Imperatoris soror Irene nupta esset Sergio Patricio Photij germano. Hæc Ioannes Curopalates, à quo Cedrenus, & alij recentiores exceperunt: ipsi quidem omnia in vnum colligentes, quæ magna ex parte noscuntur gesta sequenti anno.

V. PHOTIVS INTRVDITVR.

De quibus distinctius agēs Nicetas in Vita eiusdem Ignatij, primum de Photio ait, illum nobilitate fuisse insignem, Protospatharium dignitate, munere à secretis Imperatori, diuitiis pollentem, scientiis secularibus disertissimum, atque etiam antiquis hac ex parte comparandum, sacrarum vero literarum expertem; hominem gloriæ appetentissimum, sexque diebus ex laico transformatum in Patriarcham, nimirum prima die monachum effectum, secunda anagnosten, tertia subdiaconum, quarta diaconum, quinta presbyterum, sexta denique Patriarcham; consecratumque esse à Gregorio illo Syracusano excommunicato, de quo superius actum est, ipso die Natalis Domini. Ista Nicetas: reliqua sequenti anno. Cæterum hic initium magnæ tragœdiæ, quæ plurimis actibus ad multorum annorum curricula propagata, cuncta gemitibus repleuit atque doloribus.

IESV CHRISTI AN. 859.

NICOLAI AN. 2.

LVDOVICI II. 4.

MICH. III. 18.

I. SS. EVLOGII ET LEOCRITIÆ MARTYRIVM.

ANno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, Indictione septima, die vndecima Martij, magnus ille promotor martyrum, debellator Mahometanæ impietatis, *S. Eulogius* designatus olim Toletanus Antistes, presbyter vero existens Ecclesiæ Cordubensis, cuius sæpe facta est mentio, martyrio coronatus migrauit in cœlum: addita ad palmā *Leocritia* virgine, Mahometanæ gentis sobole, sed in CHRISTO renata, & prædicatione Eulogij ad martyrium roborata. Quæ quomodo se habuerint, pluribus narrat Aluarus eius temporis scriptor in Vita eiusdem S. Eulogii: meminitque de ipsius cadauere in flumen proiecto, (cuiusmodi supplicium commune ferme fuit omnibus qui hac persecutione passi sunt) & columba candidissima super ipsum quiescente; deque solemniis in funeribus Christianorum exhiberi solitis, diuinitus eidem impertitis. Cuius corpus, necnon prædictæ S. Leocritiæ, postea sub Adefonso Magno Rege Gallæciæ translata fuere Ouetum, & miraculis coruscauere. Ceterum cum toto ferme terrarum orbe dominarentur impii Mahometani, nullo alio loco (quod sciatur) nisi Cordubæ ita enituit frequens in perferendo martyrio Christiana constantia; reliquis alibi non audentibus aduersus Saracenorum obloqui impietatem, satis habentibus si ab illis permitterentur Christiani viuere.

II. LEGATIO EPISCOP. GAL. AD LVDOV. REGEM PRO PACE INTER FRATRES.

Quod ad res Francorum spectat; hoc eodem anno Ludouicus Rex Germaniæ perterritus literis Episcoporum regni Caroli Calui, quibus eum acriter redarguerant de ipsius in Gallias grassatione; expetiit ab illis vt Legatos mitterent, cum quibus quæ pacis essent in commune tractare posset, & absolutionem eorum quæ peccasset percipere. Quamobrem iidem episcopi, vna cum illis qui sub Lothario Imperatoris Lotharii filio erant, in Mediomatricum ciuitatem mense Maio conuenientes, nobilissimam ad eum Wormatiam ornauerunt legationem trium Archiepiscoporum, Hincmari Rhemensis, Guntharii Agrippinēsis, & Wenilonis Rotomagensis, aliorumque sex Episcoporum, quibus Commonitorium [a] dederunt (ita vocabant, quæ legatis dabantur scripta) quo modo Ludouicum pœnitentem, ac promittentem cum fratre & nepote pacem seruare, factiososque homines à se expellere, atque vnitatem Ecclesiæ procurare, absoluere deberent. Id autem ex parte factum esse, docet eorundem Legatorum relatio. Sed & annuisse apparet in eo Ludouicum Episcopis, vt ad mutuum colloquium conueniret cum Carolo & Lothario. Siquidem

a *Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an. ex cod. Ant. Aug. & M. Ant. Mart.*

REGES CONVENIVNT IN INSVLA.

dem vetus Pithœi Chronicon testatur, eosdem præsenti anno in insula quadam Rheni cum æquo numero Principum suorum, ex aduersa parte nominatim expressorum, nauigio vectos conuenisse, reliquo singulorum comitatu super litus ex vtraque parte fluminis consistente: ibique post multam vtrimque disputationem, indicto conuentu, in commune habendo, singulos ad sua remeasse.

III. TVLENSE CONCIL. IN CAVSA WENILONIS PRODITORIS, ETC.

Fuit autem interea curæ iisdem Carolo & Lothario Regibus, vt ex duodecim sibi subiectis prouinciis Galliarum, hoc eodem anno mense Iunio apud *Tullum* in villa *Saponaria* dicta celebraretur CONCILIVM, quod ab ipsis vocatum est Generale. Cuius cogẽdi cum multæ causæ præcessissent, potissima fuit proditio Wenilonis Archiepiscopi Senonensis, qui deficiens à Carolo ad Ludouicum, hunc aduersus illum acrius impulerat. Actũ tamen antea est ex more de fide Catholica, & rursum condemnati errores Gotheschalci Prædestinatiani, quem in aliis iam antea Conciliis damnatum vidimus. Ait enim Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in epistola nuncupatoria ad commentarium ab ipso editum contra eundem Gotheschalcum, in hac Tullensi Synodo oblata fuisse à Remigio Lugdunensi Archiepiscopo capita quædam de erroribus Gotheschalci Carolo Regi; Carolum autem dedisse illa Hincmaro, vt responderet: quod egregie ipse præstitit tribus libris eo argumento conscriptis, habenturque præterea apud Flodoardum *b* duæ eiusdem epistolæ valde prolixæ, ad eundem Regem scriptæ de iisdem erroribus. Sed & tractatum esse in hac Synodo de restauratione pacis inter Ludouicum & Carolum Reges, necnon de vnione ac reformatione Ecclesiarum; constat ex ipsius Actis *c*, quæ extant.

b Flod. Hist. Rhem. lib. 3. cap. 15. & 16.

c Rec. Bar. Tom. X. hoc nondum ex cod. ant. Ang.

IV. ALIA GESTA IN SYNODO.

Quod vero ad Wenilonem spectat; aduersus eũ Carolus ipse Rex libellum Synodo propria manu obtulit: electique sunt Iudices in ea causa quatuor Archiepiscopi, Lugdunensis, Rotomagensis, Turonens. & Bituricensis; qui ad Wenilonem literas ex Synodo dantes, diem ei dixerunt. Scripsitque præterea Synodus epistolam ad Britanniæ Episcopos, qui schismate se diuiserant à suo Metropolitano Turonensi: itemque aliam ad seditiosos, factiosorumque principes, quorum effreni licentia omnes prouinciæ turbabantur: nihil prætermittentes Patres, quo omnes ad debitam obedientiam & pœnitentiam reducerent. Ac denique statuti sunt canones sexdecim, ex quibus septem priores mutuati noscuntur ex Concilio Valentino, reliqui superadditi: inter quos salubertime institutos, ille laude dignissimus, qui de Scholis sanctarum Scripturarum, & humanæ literaturæ instituendis est conditus; cum necdum impletum esset, quod haud pridem in prædicto Concilio *d* Valentino de eadem re fuerat institutum. Sed cum decessorum commendetur eo canone hac in re studium Imperatorum; Lotharium Aug. post Carolum Magnum & Ludouicum pium, bene meritum fuisse de viris doctis, testatur Angelomus in præfatione in commentarium tunc à se editum in Cantica Canticorum.

DE SCHOLIS INSTITVENDIS.

d Concil. Valent. c. 11.

V. GANELONIS NOMEN INFAME REDDITVM.

Porro tanta prædictus Wenilo, ob insignem aduersus Carolum Regem proditionem (à quo & Episcopatum, & alia omnia quæ haberet, acceperat) infamia aspersus est, cum præcipue ipse solus ex omnibus Regni Caroli Episcopis (quod & suo libello testatus est Carolus) ad Ludouicum transfugisset; vt cum idem publice vbique locorum proditor acclamaretur exinde nomine *VVenilonis* proditores insignes nominari consueuerint. In quo illud aduertendum, quod quem in his Actis Conciliorum Wenilonem appellatum legimus, apud Lupum Ferrarienscn (cuius multæ extant ad eum epistolæ) Guenilo semper scriptus reperitur, vulgo *Ganelo*; quod nomen vsurpatum inuenitur in Turpini fabulis. Vnde scias auctorem illum post ista tempora vixisse, vbi iam *Ganelonis* nomen ex auctore Guenilone mutatum, insignibus proditoribus commune redditum erat.

VI. DE CONTENTIONE INTER ANTISTITES TVRON. ET

Quod item pertinet ad res Britannicas in eadem Synodo tractatas; illæ haud modici fuere momenti, vtpote ventilatæ iudicio etiam Apostolicæ Sedis per plura annorum centenaria. De quibus hæc breuiter habeto: Doli ciuitatis in Britannia Minori primum Episcopum sedisse B. Samsonem, omnes consentiunt: quem narrãt Britonicarum rerum scriptores, cum ex Anglia profugus in eam oram venisset, munusque Pontificium in Dolensi Ecclesia exercere cœpisset, pallium ac reliqua Archiepiscoporum insignia, quæ Eboraci habuerat, (vbi Archiepiscopum antea fuisse volunt) retinuisse: Inde porro factum, vt eius quoque successores pro Archiepiscopis se gerentes iisdem vsi sint; quorum etiam ex numero Bestoualdum à Seuerino, Innemenum ab Hadriano Primo Romanis Pontificibus, pallium obtinuisse contendunt. sed hoc vt suspectæ fidei refellitur in epistola Innocentij Tertii, de qua mox dicendum. Quare verisimilius alii Archiepiscopi nomen à Dolensibus Antistitibus vsurpatum negant ante Nomenoium Principem Britonum. Hunc enim sub annum Christi octingentesimum quinquagesimum, cum proprium sibi, excusso Francorum iugo, Regnũ constituisset, Episcopis suæ ditionis Dolensem Metropolitani iure præposuisse; cum ante id temporis omnes Britanniæ Episcopi Archiepiscopo Turonensi, tanquam Lugdunensis Tertiæ Metropolitano paruissent. Vt vt sit, constat certe post hæc primum tempora natam, agitatamque de Pallio, & Archiepiscopatus iure, controuersiam inter Turonensem & Dolensem Antistites. Quæ cum post plurimas multorum Pontificum ac Conciliorum decisiones, in fauorem Turonensis Archiepiscopi pronuntiatas, ad huc tamen esset sub iudice temporibus Innocentii Tertii; ipse tandem omnibus quæ ab vtraque parte à prima origine producta fuerant examinatis, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo nono auctoritate Apostolica sanxit, vt Dolensis Ecclesia cum reliquis Britanniæ, Turonensi perpetuo suffragarentur. Qua de re extat ipsius epistola *e* valde prolixa, quæ superiora ferme omnia Pontificum ac Conciliorum rescripta atque decreta, aliaque multa ad hanc quæstionem spectantia commemorat; omnem imposterum de ea re disceptationem interdicens: adeoque hic finis videtur fuisse ancipitis, diuturnæque inter illos Episcopos controuersiæ.

DOLEN. PRO PRIMATV MINORIS BRITAN.

e Innoc. III. Regist. li. 2. ep. 79. Add. ep. 168. lib. 1.

Denique quod spectat ad Scholas, de quibus erigendis actum est in Synodo Tullensi; eodem ferme tempore contigit, bonarum literarum scholas aperiri Constantinopoli opera Bardæ tunc Cæsaris, Imperium ex libito moderantis, ac vehementi nisu affectantis; cum interea Michael Aug. theatra tantummodo & certamina equorum curaret, ipseque etiam publice aurigaret. Hæc Curopalates: qui ait ex eo tempore scientias in Oriente reflorescere cœpisse, quæ iam pridem Imperatorum incuria vbique prorsus aruissent. Additque de Leone magni tunc nominis philosopho Constantinopoli docente, quem testatur discipulum fuisse in Insula Andro Michaelis Psselli viri doctissimi. Ex quibus habes, quo tempore vixerit *Psellus*: ex eoque pariter addisces, quo sæculo scripserit *Metaphrastes*; in cuius laudem Psellus ipse orationem habuit, qua asserit de eius obitu audisse eos qui viderant felicem ipsius ad Deum transitum. Quare quod inter Vitas Sanctorum positas in Tomis ab eodem Metaphraste collectis, reperiantur aliqui Sancti qui post illa vixerunt tempora; id factum aliena dicendum est opera, qui suis diebus & mensibus allegerunt Sanctos singulos qui postea vixerunt, ne viderentur extra classem vagari. Sicut & quando in iisdem Sanctorum Vitis, earum scriptores iisdem ipsis vixisse temporibus declarantur; omnino necesse est errore labi, siquis eiusmodi scriptionis auctorem esse putauerit Metaphrastem, & eum illo vixisse tempore dixerit: cum scire debeat Vitas Sanctorum non fuisse vt plurimum à Metaphraste conscriptas, sed collectas dumtaxat, multis *f* etiam passim additis ex proprio ingenio, quorum nulla est mentio apud alios auctores, & aliquando fidem excedunt. Ex tempore igitur Psselli, melius intelliges tempora Metaphrastis. Quod & si plures Psellos fuisse dixeris, isto nullum celebriorem, nec antiquiorem inuenimus.

VII. SCHOLÆ IN ORIENTE RESTITVTÆ PER BARDAM CÆS.

DE PSELLO, ET METAPHRASTE.

f Vide Bellarm. lib. de Script. Eccl. in Sim. Met.

Hoc item anno, post duos menses ab intrusione Photii in sedem Constantinopolitanam, quam accidisse vidimus ipso die Natalis Domini anni superioris; dira persecutio ab eodem excitata est aduersus Episcopos omnes, qui perstantes in Ignatii deiecti communione, chirographum obedientiæ ipsi petenti Photio non obtulissent. Cumque idem insuper apud Imperatorem infimulasset Ignatium, quod exul

VIII. IGNATIVS QVANTA PASSVS A PHOTIO.

in Im-

in Imperium res nouas moliretur; eius rei causa missi Iudices, sæuissimam quæstionem de Ignatij familiaribus habuerunt: sed cum nihil reperissent, tunc vinctum ipsum ex Terebinthi insula ad Sacram transferentes, ibi eundem in caprarum stabulo concluserunt. Inde vero alio atque alio deductus, tandem post varios carceres, vincula, cruciatus, atque locorum mutationes, in insulam Mitylenem deportatus est: cuncta hæc passus, quod libellum renuntiationis sedis tradere recusaret. Cuius item amici, affecti pariter verberibus, aliisque cruciatibus, proscripti in diuersa loca exules missi sunt. Hæc omnia Nicetas pluribus in Vita eiusdem Ignatij: præter quæ, libellus Episcoporum qui postea oblatus est Oecumenicæ Octauæ Synodo in Actione secunda recitatus, multa continet dira supplicia, quæ tum ipse Ignatius passus est à Photio, tum ei cohærentes Episcopi; quæ etiam attigimus superius ex Curopalate.

IX.

LEGATIO A PHOTIO ET IMP. AD NICOL. PP.

Posthæc vero idem Photius (vt scribit Anastasius Bibliothecarius in præfatione historica ad Octauam Synodum) videns quamplurimos adhuc stare pro Ignatio, persuasit Imperatori ministerio Bardæ, vt congregaret *Concilium* sibi communicantium Episcoporum, quo Ignatium damnaret; vt hac arte Episcopos atque populum ab eius affectione diuelleret. Verum cum & hoc peracto, permulti nihilominus adhærerent Ignatio; consilium (ait Nicetas) iniit legationem mittendi ad Nicolaum Romanum Pontificem, petendique vt Constantinopolim Legatos mitteret, specie quidem ad extirpandam hæresim Iconomachorum, quæ iterum reuiuiscere videretur, reuera autem vt ab iisdem Legatis extorqueret confirmationem depositionis Ignatii; cum & mendacia suis ad Nicolaum literis miscens, scripsit Ignatiũ ob senium & infirmitatem Ecclesiæ suæ renuntiasse, & in cuiusdam Insulæ monasterium se recepisse, vbi cum omni honore & obsequio viueret. Ceterum cum extent *g* adhuc quædam Photij ad Nicolaum literæ, dolis quidem illæ plenæ, mendaciisque refertæ, quibus & rectæ fidei professionem inseruit, & communicationem Apostolicæ Sedis expetiuit: eæ tamen diuersæ esse noscuntur ab illis, quarum argumentum ex Niceta retulimus, cum nihil de Legatis mittendis, vel de Ignatii monasterio in ipsis agatur. Porro ipsum quoque Imp. Michaelem, Photii suasione ad eundem Pontificem legationem misisse, vna cum accusationibus quibusdam aduersus Ignatium, petiisseque Legatos mitti Constantinopolim ad sedandum conflatum schisma; idem ipse Nicolaus testatur in literis Encyclicis ad vniuersos Fideles & Episcopos Orientis postea (vt dicetur) scriptis. Sed & aliam prætexisse Imperatorem legationis mittendæ occasionem, nempe causam sacratum Imaginum, vt sua auctoritate Pontifex pullulantem rursum errorem euelleret, eundemque multa pretiosissima sacra munera ad S. Petrum misisse, scribit Anastasius Bibliothecarius, qui cuncta oculis spectabat.

g *Rec. Baron. Ann. Tom. X. hoc an. ex Bibl. Column.*

IESV CHRISTI AN. 860.

NICOLAI AN. 3.

LVDOVICI II. 5.

MICH. III. 19.

I.

LEGATIO MISSA A NICOLAO PAPA IN ORIENTEM.

ANNO Christi octingentesimo sexagesimo, Indictione octaua, Nicolaus Papa auditis Legatis Michaelis Imp. & Photij Patriarchæ intrusi, de quibus superiori anno dictum est; rebus cunctis quam diligentissime examinatis in *Conuentu* Patrum ad hoc ex more conuocatorum, de omniũ sententia petita legatio decreta est Constantinopolim, qua functi sunt *Rodoaldus* Portuensis Episcopus & *Zacharias* Anagninus: iisque datum est in mandatis, vt quæstionem quidem de sactis Imaginibus sæpius iudicatam iterum definirent; de causa vero inter Photium & Ignatium inquirerent tantum modo, eius autem definitionem integram referrent ad ipsum Nicolaum Pontificem: quibus etiam omnino prohibitum est, ne vllo pacto cum Photio, nisi quasi cum laico, non autem vt Episcopo communicarent, antequam id idem Pontifex decreuisset. Hæc quidem testatur ipse Nicolaus in literis *a* Encyclicis ad omnes Christi Fideles & Episcopos Orientis postea scriptis. Et in Actione quarta Octauæ Synodi traditur, Nicolaum licet Legatos Photij ad audientiam recepisset per satisfactionem libelli & iuramenti, haud tamen ad communicationem cum reliquis Episcopis admisisse.

a *Nicol. ep. 1. & 4.*

II.

b *Id. ep. 2. & 3.* DE LITERIS NIC. AD IMP. ET PHOT.

Mittens autem Nicolaus Legatos suos, dedit eis literas septimo Calendas Octobris, incipiente Indictione nona *b*, ad Photium quidem perbreues, prolixiores vero ad Michaelem Imp. quibus plurimum questus est de Ignatij depositione, & Photij laici subrogatione, factis contra traditionem Patrum, absque consensu Romani Pontificis. Ad quæ omnia inquirenda, simulque quæstionem de Imaginibus definiendam, eosdem Legatos mittere testatur. Addens insuper querelam de Iuribus Romanæ Ecclesiæ ab Orientalibus occupatis; non solum quod prouinciis illis, quas vt peculiares suas Romani Pontifices (alioqui totius Orbis Vniuersales Episcopi) per Vicarios regere consueuissent, (puta quas recensет, vtramque Epirum, veterem scilicet & nouam; Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam; vtramque Daciam, Ripensem & Mediterraneam; Mysiam, Dardaniam, & Prævalim: quibus, vt ait, præfici mos erat Archiepiscopum Thessalonicensem:) suasione schismaticorum Patriarcharum, Imperatores Constantinopolitani Romanam Ecclesiam spoliassent; sed etiam quod patrimonia quæ in Sicilia & Calabria haberet, sustulissent. Peruenientes autem Legati Constantinopolim, cum innotuisset Nicolaum Papam haud approbasse Ignatii eiectionem, & Photij subrogationem; minus digne susceptі sunt, nec per centum dies cum vllis aliis loqui permissi: vt est de his querela ipsius Nicolai in literis *c* ad Photium postea datis. Sed eiusmodi inhumanitatem, non tam Imperatori adscribendam esse, quam perfido Bardæ Cæsari, & schismatico Photio; Græci consentiunt omnes. Imperatore enim ludis Circensibus & ebrietatibus prorsus intento, duo isti omnia gerebant, potentissimi ex propinquitate quam diximus affinitatis cum Imperatore.

LEGATI QVOMODO SVSCEPTI CONSTANTINOP.

c *Id. ep. 6.*

III.

CONVENT. CONST. DE CONCORDIA INTER REGES FRANCORVM.

Hoc eodem anno, Nonis Iunii, Francorum Reges Carolus & Ludouicus fratres, neposque ipsorum Lotharius, *Confluentiam* conuenientes vna cum multis Episcopis atque Comitibus, tandem mutuam inierunt concordiam, capitulaque pacis ediderunt, quæ extant *d* vna cum actis eiusdem *Conuentus*: in quo multa statuta sunt pro optima Regni administratione, & Ecclesiasticarum rerum ac personarum defensione. Ceterum Carolum non firmiter stetisse pactis conuentis, sed de inuasione cogitasse alienorum; docent querelæ Ludouici & Lotharii, ad Nicolaum Papam missæ per Legatos, literasque e summa animi submissione, & ingenti erga Sedem Apostolicam reuerentia scriptas; quibus eum *Dominum sanctissimum, totiusque sanctæ Dei Ecclesiæ roseo Christi sanguine acquisitæ Pontificem, & Vniuersalem Papam* nominantes, *Christianissimorum Principum more* (vt loquuntur) *ad sacra ipsius vestigia prouoluti*, obtestantur vt *nihil sinistri de ipsis credat*: eundemque hortantur, *exemplo prædecessorum* accedere in Galliam, vt Apostolica auctoritate his malis mederetur; *& quos nulla pacis fœdera, nulla mouerent fraternæ charitatis viscera, Apostolica inuectio ad censuram Ecclesiasticam venire compelleret.* Denique testantur, *se proprijs limitibus ac terminis contentos, sanctæ Sedi Apostolorum Principis, ipsiusque Nicolai ab omnibus reuerendæ auctoritati, humilem subiectionem vnanimes modis omnibus obseruare decreuisse, eique diuinitus collatam immunitatem salubriter tueri.*

d *Rec. Bar. An. Tom. X. hoc an. ex cod. An. Aug.*

VIVVM EXEMPLAR REVERENTIÆ ERGA SED. APOST.

IV.

Hoc item anno Romæ Tiberim fluuium bis alueum egressum, (nempe tertio Calendas Nouembris, & sexto Calendas Ianuarij) maximam partem Vrbis inundasse, ingentiaque intulisse damna, Anastasius narrat in Nicolao.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 861.

NICOLAI AN. 4.

LVDOV. II. 6.

MICH. III. 20.

I. CONCILIABVLVM ADVERS. IGNATIŪ.

ANno Christi octingentesimo sexagesimo primo, Indictione nona, celebratū est *Constantinopoli* in ecclesia SS. Apostolorum, à Photio illius sedis inuasore *Conciliabulum* numerosissimum Episcoporum ei fauentium; cui etiam cōpulsi sunt interesse iidem qui supra Legati Apostolicæ Sedis, Rodoaldus, & Zacharias: ad quam vocatus Ignatius legitimus Patriarcha exul, (qui post varias deportationes, iniurias, damna & verbera, in insulam Terebinthum Constantinopoli adiacentem reductus fuerat) ibi rursum falso accusatus, quod contra canones fauore Principum eam Ecclesiam obtinuisset, rursum damnatus est, ac solemni ritu indumentis Pontificiis exutus atque exauctoratus; Photiusque in sede confirmatus. Quæ quomodo se habuerint, pluribus narrat Nicetas in ipsius Ignatij Rebus gestis. Addit vero Anastasius Bibliothecarius in præfatione historica ad Octauam Synodum, insimulatum quoque fuisse Ignatium, quod in S. Methodium decessorem suum contumeliosus exitisset. quod etiam quam falsum fuerit, ipse ostendit.

II.

Ceterum hanc Synodum apud Theodorum Balsamonem, dum illam interpretatur, appellatam inuenies Oecumenicam, tum ob præsentiam Legatorum Romani Pontificis, tum ob numerositatem eius: siquidem gloriabantur implesse numerum Patrum qui interfuerant Magno Nicæno Concilio, nempe trecentorum decem & octo; vt testatur Nicolaus *a* Papa in epistola hoc anno reddita ad Michaelem Imperatorem. At vero ipse Nicolaus in aliis ad eumdem Imper. datis postea literis *b*, *Latrocinalem Synodum* appellauit: idque multiplici nomine. Primo quidem, quod (vt ait) qui ad eam conuenerunt, aut suspecti & inimici Ignatij erant, aut subiecti ipsius Photii; quorum nullus personam legitimi iudicis habere potuit. Deinde ob illa, quæ ab iisdem schismaticis ac nefariis iniustissime gesta sunt aduersus Ignatium, alios que Episcopos qui iustitiæ studiosi ipsi fauissent; quos vna cum ipso Ignatio crudelissime habitos, & absque interrogatione damnatos esse, idem Nicolaus suis epistolis *c* queritur. Item quod omnia in eodem conuentu facta sunt ad nutum Imperatoris, qui eidem contra canones tamquam iudex interfuit. Sed & ob ea, quæ Legati Apostolicæ Sedis perpessi sunt: qui postquam centum dies custoditi fuissent nequis ad eos accederet, neque ipsi ad alios; horrendis insuper terroribus impulsi sunt Photio consentire, cum inter alia minarentur aduersarij fore vt ipsi in exilium longe longius ablegarentur, vbi fame pressi suos cogerentur manducare pediculos. Hoc enim testatur idem Nicolaus *d* in aliis ad Imperatorem, Photiumque scriptis literis. Denique quod prolatæ ab iisdem Legatis literæ Romani Pontificis, in multis falsatæ fuerint, Photii suorumque additionibus, subtractionibus, mutationibus; quas omnes eadem *e* epistola, cum multis aliis querelis, recensет Nicolaus.

a Nicol. ep. 5.

b Id. ep. 8. LATROCINALE IVRE DICTVM.

c Ep 7. & 8

QVÆ LEGATI APOST. SE DIS PASSI.

d Ep. 7. & 6

c Ep. 9.

III.

Quæ vero in hac Latrocinali Synodo modo statuta sunt, postea (vt suo loco apparebit) repetita fuerunt in alio Photii Conciliabulo, quod Octauum Concilium Oecumenicum appellauit. Istius autem hoc anno celebrati cum duæ fuerint Actiones, quarum prior habita est in causa Ignatii, altera pro cultu sacrarum Imaginum; eadem Synodus duplex, hoc est Prima & Secunda, noue dicta reperitur apud Theodorum Balsamonem; cum tamen eodem loco, eodem tempore, ab iisdem personis celebratæ fuerint. Meditatus quoque Photius opus, quod *Nomocanonem* vocari voluit, continens collectionem sacrorum Canonum, & sanctorum Patrum Responsiones; post Septimæ Synodi canones, attexuit ex ista pseudosynodo alios numero septemdecim diuersorum argumentorum, quibus suum labantem & corruentem firmaret Episcopatum.

Sed non contentus Photius Ignatij exauctoratione, ditissimis adhuc eū per impiissimos homines suppliciis vexari curauit, quo propria subscriptione cogeret suam ipsius depositionem confirmare. Itaque post carcerem, famem, vincula, tormenta, ac verbera, eumdem super marmora ad modum Crucis extensum in faciem per totam noctem ligatum detinentes, ac postea lancearum punctionibus conterentes, demum post multum effusum sanguinem vix spirantis tenta vi manu, signum Crucis in charta subscriptionis vice signarunt. Qua ad Photium delata, scripsit hæc ipse in ea; *Ignatius indignus Constantinopolitanus, confiteor me ingressum esse sine calculis, non canonice videlicet electum; & his annis non sancte me gessisse, sed tyrannice.* Post quæ domum redire ab Imperatore permissum, cum rursum Photius cogere vellet vt id ipsum voce in ecclesia publice in festo Pentecostes profiteretur; sed & eidem oculos eruere, & manum abscindere cogitaret, iamque ad ipsum vi trahendum milites in domum vbi detinebatur irrumperent: tunc idem Ignatius sumpto serui habitu duas sportas ex vno pendentes ligno humeris sustollens, clam custodibus aufugit, variasque circuiuit insulas ac solitudines, mutauitque latebras & speluncas, victum mendicando. Cum interim vniuersa vrbe Constantinopolitana grauissimo terræmotu quassa, eiusque cladis causa vno omnium ore in iniustam Ignatij persecutionem reiecta; qui post initam fugam ad necem vbique curiosissime quærebatur, Michaelis Imperatoris & Bardæ Cæsaris iureiurando securus redditus, ad suum rediit monasterium; & ita terræmotus quieuit. Habet hæc omnia pluribus Nicetas in Rebus ab eodem Ignatio præclare gestis.

IV. ET POST CONCILIABVL. IGNAT.

REDIT AD SVVM MONAST.

Extat *f* quoque libellus, Ignatij, & aliorum Episcoporum & Archimandritarum ei adhærentium nomine, ante fugam eius scriptus à Theognosto olim Exarcho, postea monacho, tunc que ob fidem extorre, delatusque ab eodem Romam & oblatus Nicolao Papæ; quo iidem deplorantes mala quæ passi essent à Photio, appellabant eiusdem Romani Pontificis iudicium, tamquam *Præsidis* (vt vocant) *& Patriarchæ omnium sedium, ac Principis Apostolorum successoris, & Vniuersalis Papæ.* Sed quod Theognostus serius Romam venerit, quam Legati Nicolai redeuntes in Vrbem; non potuit Nicolaus nisi sero de veritate rerum gestarum certior reddi, quod Legati cuncta mendaciis obuoluerent. Missum vero etiam esse Legatum ab Imperatore Leonem à secretis, vna cum literis quibus ab eodem Pontifice peteretur confirmatio depositionis Ignatij, & promotionis Photij; testatur ipse Nicolaus in epistola *g* ad Orientales Episcopos postea scripta. Extantque *h* insuper aliæ satis prolixæ literæ, quas per eiusdem Nicolai Legatos Romam re leuntes Photius scripsit; & quidem eiusmodi, vt miretur qui eas legerit, præter dicendi facundiam, seruatosque omnes oratoris numeros, ingentem hominis vafriciem, quod persecutor Catholicorum, inuasor alienæ sedis, spirans vndique furorem, tam copiose atque ornate loquatur de mutua charitate, excusetque suam ex laico promotionem. Quid vero his responderit Nicolaus, dicetur anno sequenti.

V.

f Rec. Bar. Tom. X. hoc an. ex eod. Column. LIBELLVS APPELLATIONIS AD SED. APOST.

DE LITERIS IMP. ET PHOT. AD PAPĀ.

g Nic. ep. 10. in Rec. Bar. vbi sup. ex eod. Colon.

Interea hoc eodem *i* anno Romæ celebrata habetur SYNODVS LATERANENSIS in causa Ioannis Episcopi Rauennatis, omnium hominum arrogantissimi; cuius extant apud Burchardum in libris Decretorum, tribus Actionibus Acta distincta: meminitque eiusdem Petrus diaconus Cassinensis huius temporis scriptor in rebus gestis S. Athanasij Neapolitani Episcopi, qui eidem interfuit, parsque magna fuit. Totius vero rei gestæ narrationem Anastasius in Nicolao Papa altius repetens, ait eumdem Ioannem, quod plurima intulisset Rauennatibus & vniuersis Æmilien sibus damna, quosdamque eorum temere excommunicasset, sed & multa aduersus Apostolicæ Sedis auctoritatem nefanda perpetrasset, ac denique Romam frequentius à Summo Pontifice vocatus, venire detrectasset; ab eodem in Synodo communione priuatum esse: Cum vero auxilium Ludouici Impet. proposuisset, Imperatorem ei per internuntium dixisse; *Vadat, & fastu elationis depositо, tanto humiliet se Pontifici, cui & nos & omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ & subiectioni colla submittat; quia*

VI.

i Hieron. Rub. Hist. Rauen. poster. edit. CONCIL. LATERANENS. IN CAVSA Io. EPISC. RAVEN.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qui cupit aliter, minime consequi poterit. Sed cum obtentis nihilominus, importunis precibus, ab eodem Imper. Legatis, vna cum ipsis arroganti spiritu Romam processisset, nec tamen causam suam peragere valuisset; tamdem quod excommunicatus esset, ab omnibus derelictum, coactum esse Romano se Pontifici submittere, à quo in prædicta Synodo hoc anno habita, veniam, restitutionemque, certis conditionibus obtinuerit. Hæc pluribus Anastasius.

VII. ALFONS. MAG. REGNAT IN HISP.

Hoc item anno (vt ex veteribus monumentis constat) vita functo Ordonio Gallæciæ in Hispania Rege, successit in regnum filius eius *Alfonsus*, siue Adefonsus, cognomento *Magnus*: qui sui exordio inter cetera pietatis opera, thesauros *k* à patre sibi relictos pauperibus & Ecclesiis erogauit; ecclesiamque S. Iacobi quæ terrea erat, quadratis lapidibus construxit, atque alias erexit: idemque multis postea aduersus Arabes victoriis est illustratus, quas qui res Hispanas sunt prosecuti describunt. Sed de eo rursum inferius.

k Roder. To. lat. l. 4. c. 16.

IESV CHRISTI AN. 862.

NICOLAI AN. 5.

LVDOVICI II. 7.

MICH. III. 21.

I. INCENDIVM, ET TERRÆMOTVS CONST.

ANno Domini octingentesimo sexagesimo secundo, Indictione decima, incendio conflagrauit Constantinopoli basilica S. Sophiæ, maximoque omnium terræmotu ipsa ciuitas est concussa; & vox atque sonus inarticulatus è terra ac mari emissus, ingentem cordibus hominum metum horroremque iniecit: hæc omnia in vltionem scelerum in eadem vrbe ad summum culmen excrescentium; cum inter alia cœptus olim à Michale Imper. iuuenili impietate adhuc vigeret derisus sacrorum, quo mimos & scurras in sacerdotes & Pontifices transformans, iubebat res diuinas imitari: eorumque Patriarcham constituens Theophilum quemdam Protospatharium, hominem ridiculum & histrionem, atque omnium impurissimum, non puduit publice dicere Theophilum sibi esse Patriarcham, Photium Bardæ, Ignatium Christianis. Quas impietates cum aussus esset Basilius Thessalonicensis Episcopus summa charitate apud eum arguere; grauiter inde offensus Imperator, optimum senem pugnis contundens, dentes excussit, adeoque flagris lacerauit vt fere animam exhalauerit. Cum interim Photius non solum ad eiusmodi mimicas impietates obmutescret, sed etiam eas per summam adulationem comprobaret; totus intentus in confingendis aduersus Ignatium criminibus, vt eo vita priuato sedem sibi firmius stabiliret. Narrat ista omnia pluribus Nicetas in Vita Ignatij: & quod spectat ad rem mimicam, in Actis etiam Octauæ Oecumenicæ Synodi, Photius sæpe clamatur mimorum res sacras eludentium Patriarcha.

SACRORVM DERISVS PER IMP.

II. NICOLAI PP. LITTERÆ ADVERSVS PHOTIVM.

Hoc eodem anno Nicolaus Papa dimittens Leonem Michaelis Imper. Legatum, de quo superiori anno dictum est, dedit ei literas *a* ad ipsum Imper. necnon ad Photium, die decimaoctaua mensis Martij huius Indictionis decimæ scriptas, quibus aperte improbaret Ignatii electionem, eiusdemque Photij promotionem; quem & ideo in inscriptione epistolæ non Episcopum, sed tantum prudentem virum appellauit, vtpote hominem laicum, nulloque sacro initiatum legitime ordine. Extantque & aliæ eiusdem Pontificis literæ *b*, die decimanona eiusdem mensis datæ ad vniuersos Christi Fideles, quibus præcipue Patriarchas, omnesque alios Orientis Antistites admonet, vt abstinentes à Photii communione adhæreant Ignatio.

a Nicol. ep. 5. & 6.

b Id. ep. 4.

III. CONCIL.

Hoc item anno ab eodem Nicolao SYNODVS *Romæ* est habita: in qua, occasione quorumdam Orientalium, damnata est Theopaschitarum hæresis iterum pullulans; aduersus quam duo capitula seu canones statuti sunt, quos ipse Nicolaus *c* in epistola ad Orientales recitat: meminitque alio loco *d* de duobus *Conciliis*, collectis paulo post acceptas literas Orientalium per Leonem.

ROM. CONTRA THEOPASCH. *c Epist. 7. d Ep. 70. ad Mich. & Basil. tmpp.*

Sed & eodem anno nouæ tragœdiæ paratum est argumentum à Lothario Francorum Rege, dum iuuenili ardore concupiscentiæ frena laxauit in amorem Waldradæ, quam ab ipsa infantia consuetudine pueri i amans, vxorem accipere decreuit. Quod vero iam legitimo Theutpergæ Reginæ matrimonio iunctus esset, egit cum Episcopis Regni sui, vt conuocata *Aquisgrani* SYNODO *e*, octo ex ipsis hac eadem Indictione decima, tertio Calendas Maij, Theutpergę causa cognita, (quę falso accusata incestus cum proprio fratre, referebatur etiam id scelus publice confessa) matrimonium illud dissoluerint, ipsique Lothario se incontinentem profitenti permiserint aliam vxorem ducere. Sed & ad corroborandam eiusdem Regis causam, nouum est excogitatum commentum ad Aduentio Metensium seu Mediomatricum Episcopo, quo probare conatus est Waldradam iam à tenera ætate Lothario coniunctam fuisse matrimonio ab eiusdem Regis patre Lothario Imperatore, sed post mortem Imperatoris Theutpergam ipsi inuito Regi adhuc adolescentulo coniunctam fuisse à Theutpergæ fratre Huberto magnæ auctoritatis viro; ac proinde non ipsam, sed Waldradam legitimam esse dicendam eiusdem Regis coniugem.

IV. LOTHAR. REX DIMISSA CONIVGE, PELLICEM SVBINTRODVCIT.

e Rec. ejus Alta Bav. Annal. To X. hucus. ex cod. Trev.

Præter hæc vero cum idem Lotharius Rex, nulla habita ratione diuini vel humani iuris, contemptis etiam sancitis nuper inter ipsos Francorum Reges de seruanda concordia legibus, in suo Regno nefarios homines multorum criminum reos reciperet, foueretque; atque inter alios, Engeltrudem nobilissimam natalibus feminam, Matfridi Comitis inter Francos primarij filiam, sed moribus ignominiosissimam; quæ furore agitata libidinis, relicto Bosone marito huc illuc per Gallias diuagans, iam per septem annos alienis viris inhæserat, & ad proprium maritum redire recusans, à Nicolao Papa excommunicata fuerat: necnon Balduinum quemdam nobilem virum, itidem ab Episcopis Gallis excommunicatum, quod Caroli Calui, cuius vasallus erat, filiam Iudith nomine, viduam Regis Anglorum rapuisset vt vxorem haberet: Cumque de his omnibus perlatæ essent ad Nicolaum Papam querelæ; idem Pontifex ad Carolum Lotharij patruum literas dedit commonitorias, vt nepotem ad saniorem mentem reduceret. Quapropter Carolus paratus in eum vlcisci, retentus est tamen à Rege Ludouico fratre; cuius & suasu magnus habitus est *Conuentus* Antistitum ac Comitum in villa *Sablonariæ* dicta, tertio Nonas Nouembris huius anni: ad quem conuenientibus iisdem tribus Regibus, promittenteque Lothario se iuxta diuinas leges est Caroli sententia cuncta esse impleturum; pax est feliciter consecuta.

CONCIL. AD SABLONAR.

V. FOVET SCELERATOS.

Sed mox Lotharius vt eluderet Carolum, Romanum Pontificem appellans, rogauit vt Synodum Metis celebrandam indiceret, ad quam Legatos mitteret, qui vna cum Episcopis causam matrimonij sui, aliaque cognoscerent ac iudicarent: nempe fiduciam ipse habens in Treuerensi & Colonienſi Archiepiscopis, quos iam in suas partes pertraxisset. Annuit Nicolaus, & Legatos ad prædictas res tractandas in Gallias misit, Rodoaldum Episcopum Portuensem, & Ioannem Ficodensem, cum plurimis literis ad Reges & Episcopos, ac libellis commonitoriis de iis quæ ipsi agere Legati deberent. Quænam autem gesta per illos fuerint, dicetur anno sequenti. Ista vero hactenus summatim relata, fusius pertractata habentur in Actis & literis ea de re scriptis, quæ extant *f*; memineruntque eorumdem Anastasius *g*, Regino, & alii.

VI. LOTHARIVS APPELLAT ROM. PONT.

f Rec. Bar. Ann. Tom X. hucus. ex cod. ant. tug. adde Nic. n. 17. & seqq. usque ad n. 82.

g Anast. in Vital.

* * *

IESV CHRISTI AN. 863.

NICOLAI AN. 6.

LVDOVICI II. 8.

MICH. III. 22.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LEGATORVM PRÆVARICATORÛ.

ANno Christi octingentesimo sexagesimo tertio, Indictione vndecima, cum tandem certis nuntiis Romam perlatis, & ipsius Ignatii scriptis, per Theognostum Nicolao Papæ directis, explorata in omnibus haberetur præuaricatio Legatorum Apostolicæ Sedis Rodoaldi atque Zachariæ Constantinopolim missorum: idem Nicolaus summa hieme conuocato *Romæ* multarum prouinciarum CONCILIO, cœpto ipso quidem in basilica Vaticana, sed propter frigidiorem locum in Constantinianam translato; primo eumdem Zachariam Anagninum Episcopum præsentem, sceluspue confitentem, (Rodoaldus enim Legatus in Gallias missus nuper fuerat) deposuit & excommunicauit, quod contra mandatum Apostolicæ Sedis, Ignatii Patriarchæ depositioni consensisset, ac Photio intruso communicasset: deinde ipsum Photium alienæ sedis inuasorem, & legitimorum Antistitum persecutorem, necnon Gregorium Syracusanum malorum omnium auctorem, alios; ipsis adhærentes Episcopos pariter deposuit: Ignatium autem legitimum Patriarcham, alios que à Photio expulsos, pristinis sedibus restituit; & siquæ præter regulam forte egisse perhiberentur, Apostolicæ Sedis iudicio reseruauit: ac denique hæresim Iconolastarum damnans, eius quoque fautores omnes excommunicauit. Hæc quidem omnia in ista Synodo peracta, recensetpluribus ipse Nicolaus *a* in suis literis ad Orientales scriptis.

PHOTIVS DAMNATVS.

a Nicol. ep. 7

II. DIRE PERSEQVITVR CATHOLICOS.

Quæ autem perpetrata sunt à Photio, vbi audiuit se damnatum à Romano Pontifice, Anastasius Bibliothecarius in Præfatione historica ad Octauam Synodum narrat: nimirũ cum eam ob causam ab eius se communione omnes cæteruatim separarent, ipsum cœstro furoris percitum, alios bonis, honoribus alios priuasse, hos in longinqua exilia relegasse, illos carceribus ac tormentis diuersis affecisse; adeo vt nullus sexus, nulla ætas, nulla hominum conditio, eius crudelitatem euadere potuerit; adnitentibus cum eo in omnibus Michaele Imperatore, ac Barda Cæsare: denique eo insaniæ progressum esse, vt Conciliabulum, præsidente ipso Imperatore, falsisque hominibus quasi Vicariis Orientalium sedium formatis, collegerit; in quo falsa quædam crimina aduersus Romanum Pontificem producens, anathematis sententiam in eum protulerit; compositoque ea de re libello, mille circiter ei falsarius sycophanta subscriptiones Antistitum inseruerit, cum tamen nullum prorsus consentientem sibi reperisset, præter vnum & viginti, eosque fautores acerrimos ipsius impietatis; reclamantibus ceteris omnibus, non posse Summum Pontificem ab inferiori iudicari: Quo vero omnes quocumque modo ad se attraheret, persuasisse Imperatori præcipere, ne eleemosynæ quæ à morientibus erogandæ testamento relinquerentur, nisi per ipsum Photium distribui possent, tum vt eas erogando putaretur proprias distribuere facultates, sicque munificus ab omnibus haberetur; tum vt saltem per hoc omnes ei cogerentur communicare, quandoquidem cernerent haud se posse animarum suarum remedia nisi per manus eius operari: sed & quicumque ad ipsum occasione externarum disciplinarum, quibus apprime eruditus erat, confluerent, eos proprio chirographo adstrinxisse suæ ipsius fidei adhærere; qui tamẽ impium olim errorem promulgasset, quod singulis hominibus duæ ineffent animæ; licet non eum serio docuisse assereret, sed tantum vt probaret, quomodo Ignatius tunc Patriarcha, eiusmodi è philosophia humana petitam hæresim, philosophicis argumentis quæ parum calleret, destruere valeret. Hæc ex Anastasio. Verum Photii audax facinus de inflicto in Nicolaum anathemate, Nicetas in Vita Ignatij referre videtur ad tempus promotionis Basilij in Imperium.

INSANIT IN ROM. PONTIF.

PHOTII DE DVAR. ANIMAR. ERROR.

Hoc eodem anno, quæ fuit indicta superiori, habita est in Gallia mense Iunio METENSIS SYNODVS: in qua corruptis pecunia Sedis Apostolicæ Legatis, confirmata est expulsio Theutpergæ Reginæ legitimæ vxoris Lotharij Regis, & Waldradæ pellicis subintroductio, dissolutaque sententia à Sede Apostolica lata in Engeltrudem libidinosam Bosonis Comitis vxorem: hæc omnia præcipue agentibus Gunthario Agrippinensi siue Colonien si, & Theutgaudo Treuerensi Archiepiscopis. Sed iidem ad Sedem Apostolicam missi, vt ea Nicolao Papæ probanda persuaderent; cum & superbe nimis publice iactarent se eorum omnium prauorum gestorum auctores extitisse: tantum abest vt quod vellent obtinuerint, vt contra ab eodem Pontifice in SYNODO ea de re in *Laterano* collecta, ipsi depositi fuerint ac communione priuati; Actaque Synodi Metensis penitus rescissa; & qui ei interfuerunt Antistites, eadem cum illis duobus pœna mulctati, nisi citius erroris veniam per legatos peterent, ipsum vero illorum conuentum, Nicolaus non Synodum, sed tamquam adulteris fauentem, *Prostibulum* appellari decreuit: ac denique Engeltrudem iterata sententia damnauit. Narrat hæc Anastasius Nicolao: quæ quidem hoc anno gesta esse, traditur in antiquo Francorum Chronico à Pithœo edito, vbi ipsa Acta Synodi Romanæ recitantur; cum de iisdem agens Regino confundat tempora. Addit vero ipse, Guntharium & Theutgaudum, vbi damnationis sententiam accepissent, vehementi agitatos furore, ad Ludouicum Imp. Beneuentum vbi tunc erat perrexisse; multaque in Nicolaum blasphemantes, magnopere aduersus eum commouisse Imperatorem. Quem insuper Herempertus *b* in Historia Longobardorum ait, cum Nicolao per literas persuadere non potuisset vt illos absolutos redderet suis Ecclesiis, ipsummet se in vrbem contulisse, sed Nicolai constantia victum, re infecta Beneuentum rediisse.

CONCIL. METEN. DICTVM PRO STIBVLVM.

CONCIL. ROM. PRO RESCISSIONE METENS.

b Vid. infr. an. 872. 11.

Quare perditissimi duo illi Episcopi, cum desperatam restitutionem viderent, schismaticis adhærentes, quos scirent infensissimo esse odio in Nicolaum, nempe Photio, eiusque sectariis qui in his partibus erant sub dominio Imperatoris Orientis; miserunt ad eum epistolam, quam se ad Nicolaum de sua ipsorum condemnatione ab eo illegitime facta scripsisse confinxerunt, calumniis, mendaciis, atque blasphemiis refertissimam, cuiusmodi nulli vmquam Gentiles, Iudæi, hæretici, vel schismatici, aduersus Apostolicæ Sedis Pontificem scribere vel cogitassent; denique spiritu plane satanico elaboratam, quæ ab eodem veteris Chronici auctore à Pithœo editi recitatur *c*; meminitque eiusdem Anastasius Bibliothecarius, qui eius auctores non solum prædictos Archiepiscopos fuisse tradit, sed & Haganonem Bergomensem Episcopum, æque aliorum scelerum ab eis commissorum complicem; fauentibus quoque Ioanne Rauennate Archiepiscopo, & Gregorio ipsius fratre, multarum præuaricationum reis. Hac autem, quam multo pretio redemisset, arrepta Photius occasione, circularem scripsit ad omnes Patriarchas Orientis epistolam *cc*, de cogenda Synodo Oecumenica aduersus Nicolaum Papam, & Latinam Ecclesiam, quam permultis infamauit calumniosis criminibus. Constat tamen eam nonnisi post triennium scriptam esse.

IV. SATANICÆ CALVMNIÆ IN NICOL. PP.

c Rec. quoque illum Bar. Annal. Tom. X. hoc an.

cc Rec. Bar. inid. ex cod. MS. Bibl. Vallicell.

Sed quia ipso ferme eius exordio mentio habetur de Armeniis, ex erroribus hæreticorum ad pietatem redditis; hic opportune ex S. Nicone *d* eorumdem ARMENIORVM errores breuiter adducendi sunt in medium. Dicebant namque diuinam naturam esse patibilem, & Trinitatem passam esse; Spiritumque sanctum Patre & Filio esse minorem: In duarum Christi naturarum vnione confusionem decernebant: Eucharistiam ex pane azymo (Iudaizantes videlicet, non autem more Ecclesiæ Latinæ) conficiebant; & in sanctum calicem aquam non immittebant. Carnem Domini in Marię Virginis vtero aliter formatam existimabant, quam Christiani credunt: siquidem cum quinto mensis Ianuarii vespere festum Euangelismi celebrarent, mane autem Christi natalem, & in diuino sacrificio sancta Theophania; inde existimati sunt credidisse, aut infantem vno die conceptum natumque, aut duodecim menses in vtero mansisse. Circumcisionem autem octo diebus post Theophaniam celebrabant; nescientes prius circumcisum fuisse Christum quã

V. ARMENIORVM ERRORES.

d Bibl Pat.

baptizatum: & alia quædam absurda in his obseruabant. Vniuersalem suum Episcopum contra canones ordinabant. A sacris Euangeliis auferebant verba de sudore Christi sanguineo; & historiam de muliere adultera ad eum adducta, nec cõdemnata, negabant, quasi hæc minus decerent Christi diuinitatem atque iustitiam. Sabbatis & Dominicis Quadragesimæ, oua, caseum, & butyrum comedebant, & in aliis ieiuniorum obseruationibus ac temporibus multa peccabant. Sacrum celebrantes, non solum capiti tegmen non detrahebant, sed etiam capiti cucullam adiiciebant. Sacras Imagines non adorabant; nec Crucem ipsam, nisi prius clauum in eam immisissent, eamdemque baptizassent. Omnia insuper fere legalia olim abolita obseruabant; agnum etiam magno Dominico sacrificantes, & pro mortuis ouium & boum sacrificia peragentes; aliaque impia in his miscentes, quæ idem S. Nicon recenset. Ceterum quod Photius eosdem Armenios ad Catholicam fidem conuersos esse tradit; id vane asseriisse putãtur, cum hoc longe postea ipsius S. Niconis opera factum scribatur: de quo dicetur suo loco.

VI. DE LAPSIS EPISC. IN METENSI CONCIL.

Vt vero iam ad excommunicatos Archiepiscopos redeamus; cum haud leue bellum in Nicolaum Pontificem concitassent, alter eorum, nempe Theutgaudus, ad se reuersus, magna instantia pulsauit diu fores Romanæ Ecclesiæ vt ab ea reciperetur. Sed quod sicut nemini vere pœnitenti obseruantur eædem ad veniam peccatorum consequendam, ita ad restitutionem honoris pristini, in atrocioribus facinoribus referari semper minime consueuerunt: hoc ipse petens, reiectus mœrens mansit extorris dum idem Nicolaus vixit à sacris abstinens. Guntharius autem maiori in dies auersione obstinatior perseuerauit, consueta munia sacerdotalia iniens. At reliqui Conciliabuli Metensis Episcopi, quorum non esset tanta culpa, libellos supplices eidem Pontifici offerentes, quibusdam ab eo acceptis conditionibus veniam sunt consecuti. Quod quidem præstitisse imprimis Aduentium Metensem, literæ *e* tunc ab ipso ad eumdem Pontificem datæ significant: cui respondens Pontifex, inter alia inseruit, quatenus Episcopi subesse & opponere se Regibus, secundum Apostolum debeant. Cum autem in prouinciis quæ Carolo Regi subiacerent, innotuissent quæ gesta essent in Metensi Concilio, existimantes Episcopi ex eo quod Legati Apostolicæ Sedis omnia confirmassent, eadem Nicolai voluntate confecta esse, scripserunt ad eum literas amarissimas ex *Synodo Siluanectensi*, quam mense Iunio collegerant, quibus eum rogarunt mutare sententiam. Sed eis ille rescribens *f*, fraudem Legatorum, & quid in ea causa ipse egisset significauit; admonuitque vt illud per ipsos vniuerso populo innotesceret, ne simpliciores inde scandalum paterentur.

e Rec. Bar. vbi supra, ex eod. Treuer.

f Nicol. ep. 32.

Hoc eodem anno, mense Aprilis, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus surripuit ab eodem Nicolao *g* Papa, dolum nesciente, Concilij Suessionensis ante decennium celebrati, priuilegiorumque Rhemensis Ecclesiæ confirmationem; *Saluo tamen in omnibus Apostolicæ Romanæ Sedis iure, ac iussu, & iudicio, veluti ab ipso* CHRISTO *& sacris est cautum canonibus: Atque ita si in nullo negotio Apostolicæ Sedis Romanæ iussionibus inuentus fuisset* Hincmarus *inobediens. Quod si à sanctæ Rom. Ecclesiæ constitutis, vel ab eius Præsulum iussionibus quolibet tempore inueniretur segregatus, eorumque siue per epistolam siue per verba mandatis obedire negligeret, huius priuilegii tenor nullius penitus momenti iudicaretur, &c.* His igitur acceptis Hincmarus, iam opere perficere aggressus est, quod mente conceperat aduersus Rhotaldum Episcopum Suessionensem, cuius causa Siluanectense nuper dictum Concilium præparauerat; in quo idem Rhotaldus, ob depositum ab ipso quemdam presbyterum, aliaque obiecta crimina, depositus est; & quantumlibet Sedem Apostolicam appellans, in monasterium detrusus, alio in eius locum Episcopo subrogato.

VII. *g Id. ep. 38.* HINCMARVS SVRRIPIT À NICOL. PP. CONFIRMATIONEM GEST. SVOR.

Additum vero est, vt ab eadẽ Siluanectensi Synodo mitteretur Legatus Odo Bellouacorum Episcopus ad Apostolicam Sedem, ad obtinendam confirmationem eorum quæ in ea gesta essent. Quo eodem tempore missus est pariter libellus supplex querelarum Rhotaldi, de iis quæ iniuste passus esset; aliæque insuper à vicinis compluribus tyrannicum factum detestantibus, pro eodem additæ sunt querimoniæ. Itaq; Nicolaus collecta *Romæ* SYNODO, habitaq; diligẽti totius causæ consultatione, quod consentiens esse sacris Ecclesiæ regulis nouit, ad eumdem Conuentum Siluanectensem prolixam rescripsit epistolã *i*, qua prorsus irrita reddens quę ipsi gessissent, redarguit imprimis quod appellantẽ Rhotaldum Apostolicam Sedem, suam appellationem prosequi nõ permiserint, sed eum in monasterium retruserint: excusationem vero, qua prætexuissent Rhotaldi appellationi non fuisse deferendum eo quod aduersarentur ei leges Imperiales, reiecit omnino ex sacris regulis, Põtificiisq; decretis, quibus caueretur non vtendum esse legibus sæcularibus & Imperatoriis sanctionibus, cũ illis leges Ecclesiasticæ contradicunt: deniq; iussit sub pœna suspensionis à sacris, vt Rhotaldum gradui pristino restitueret, vel quidam eorum Romam cum ipso venirent iudicium experturi, eademq; de re alias dedit literas *k* seorsum ad ipsum Hincmarum, eiq; fauentem Regem Carolum, à quibus ipse antea acceperat. Ceterũ Hincmarus magnam sibi ex iniquo eiusmodi iudicio notam infamiæ irrogauit, maiorem vero, cum ad triennium vsque refractarius obstitit Romano Pontifici; sed & maximam, dum in in eumdem secum traxit errorem Carolum Regem, & alios quosdam Episcopos; de quibus extant plures eiusdem Pontificis in Gallias datæ epistolæ: cum alioque Rhotaldus valde bonus esset senex, in officio suo magna semper cum laude versatus, vt idem Nicolaus *l* testatur.

GESTA ADVERSVS RHOTAL. SVESSION. *h Ext. int. epist. Nicol. post. ep. 37.*

i Ibid. ep. 32.

k Id. ep. 28. 29. 31. HINCMARVS MVLTIPLICIB. SS MACVLIS ASPERSIT.

l Ep. 29.

Post hæc autem accepit Nicolaus ab eodem Rege Carolo literas, quibus inter alia indigno se animo tulisse significauit, quod Balduinum filiæ suæ Iudith raptorem profugum Romæ recepisset, atq; pro illo preces ad ipsum Carolum adhibuisset. Cui similis querela fuit Synodi iam memoratæ Siluanectensis. *m* Sed rescripsit Nicolaus, se quidẽ facinus Balduini detestatum esse, postulantem vero subsidium Apostolorum abiicere non licuisse. Nulli autem Regum graue videri debere, conseruo debitum censum denariorum dimittere, qui fortasse à summo Rege Regum & Domino dominorum decem millia talentorum sibi relaxari desiderat. Ceterum Balduinum tandem à Carolo receptum fuisse in gratiam, & eidem Iudith matrimonio coniunctum, honoribusq; maximis affectum, & ampla ditione in Belgio donatum; docent Francorum Historiæ, ipsęque eiusdem Potificis literæ *n* quibus eo nomine gratias egit Regi. Ad quarum etiam finem, eidem gratulatus est de victoria aduersus Northmannos consecuta. Præliabatur enim contra illos per Comitem Ruodbertum; quem præ excellentia, & multiplicitate rerum in bellis fortiter gestarum, veteres Annales Francorum à Pithœo editi Iudæ comparant Machabæo.

IX.

m Nicol. ep. 30. & 32.

n Id. ep. 32.

IESV CHRISTI AN. 864.

NICOLAI AN. 7.

LVDOVICI II. 9.

MICH. III. 23.

VIII. NICOL. IRRITAT

ANno Christi octingentesimo sexagesimo quarto, Indictione duodecima, Nicolaus Papa collecta *Romæ* SYNODO in basilica Constantiniana aduersus Rodoaldũ Portuensem Episcopum, qui in Oriente primum, inde in Galliis legatione functus, vbiq; præuaricatorem se præbuerat; &

I. CONCIL. ROM. PRO RODOALDI LEGATI DAMNATIONE.

vocatis sæpe, refugerat semper, maleq; sibi conscius latebras quæritauerat: eumdem licet adhuc absentem, ab Episcopatu deposuit, & excommunicatione mulctauit. Quomodo vero ista se habuerint, ipse Nicolaus *a* suis epistolis declarat.

a *Nicol. ep. 7. & 10.*

II. LAVS ROTLANDI ARCHIEP. ARELAT.

Inter tot autem naufragia Episcoporum Galliarum, & dissensiones eorum, de quibus dictum est superius, dicetur-que inferius, maxime commendanda est fides erga Apostolicam Sedem Archiepiscopi Arelatēsis. Reperitur enim hoc eodem anno Rotlandus illius Ecclesiæ Antistes, memor antiquorum tēporum, quibus ante omnes Galliarum Episcopos, ipsius decessores speciali prærogatiua à Romanis Pontificibus decorati essent, scribens ad Nicolaum Papam, laudasse imprimis quæ ab ipso decreta essent aduersus sacrorū canonum contemptores, pollicens se inhæsurum semper S. Apostolicæ Sedis decretis: ad quem Nicolaus rescripsit *b* hoc ipso anno die duodecima Maii. Quo & insuper multū laborasse reperitur in causa adulterij Regis Lotharii, variis tergiuersationibus iudicium Apostolicæ Sedis effugere conantis; necnon pro Rhotaldo Suessionensi Episcopo, quē tandem Hincmarus Romam ire permisit. Sed quem exitum vtraque hæc causa diu ventilata habuerit, dicetur anno sequenti.

b *Rer. Bar. Tom. X. hoc an. ex ed. Ant. Aug.*

III. CONSVLTATIONES FREQVENTES AD Nic. PP.

Auctor vero est Anastasius, his quoque temporibus frequentissimas ex toto Orbe ad eumdem Nicolaum, cognita ipsius eximia doctrina, consultationes directas esse, eisque omnibus ipsum satisfacere consueuisse: Sardos quoque censuris Ecclesiasticis ab incestis & illicitis nuptiis quas frequētarent cohibuisse: atq; in Vrbe cunctos pauperes ac debiles ingenti solicitudine pauisse: multamq; curam in restituēdis, erigendis, ornandisque ecclesiis adhibuisse; aliaque plurima egregia peregisse.

IESV CHRISTI AN. 865.

NICOLAI AN. 8.

LVDOV. II. 10.

MICH. III. 24.

I. CONCIL. ROM. DE REB. GALLICIS.

ANno Christi octingentesimo sexagesimo quinto, Indictione decimatertia, duodecimo Calēdas Februarij celebrata *Romæ* in Vaticano SYNODO, Nicolaus Papa inter alia Rhotaldum Suessionensem Episcopum, (qui iam anno superiori, post iteratas eiusdem Pontificis *a* iussiones, Romam missus fuerat) cum per octo menses expectati nulli accederent eius accusatores, in suam Ecclesiam restituit, promulgato ea de re decreto *b* publico. Cum eo vero, tum pro ipsius restitutione, tū pro abdicanda Lotharij Regis pellice Waldrada, aliisq; peragendis, Arsenium Hortensem Episcopum Legatum in Gallias misit. Hæc pluribus Anastasius in Vita eiusdem Pontificis.

a *Id. ep. 39.*

II.

Inter alias autem, quas tunc pro Rhotaldo ad Ecclesiam suam remisso Nicolaus literas scripsit, famosissima est illa epistola *c*, quam dedit ad Episcopos Galliarum, qui questi fuerant quod causæ Episcoporum iudicandæ in Synodis per Coepiscopos, aduocarentur ad Apostolicam Sedem; suisq; literis in dubium reuocarant, num Epistolæ illæ Romanorum antiquiorum Pontificū, quæ non essent insertæ in corpore Canonum, sed ab Isidoro Mercatore in Collectione sua descriptæ, essent in auctoritatem sicut cæteræ accipiēdæ. Quæ vt planiora fiant, sciendum est, quæ antiquior est facta Collectio Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum, atq; Canonum diuersorum Conciliorum, eam id sibi nomen vendicasse, vt diceretur *Liber* siue *Codex Canonum*, aut *Corpus Canonum*; cui postea facta est accessio Epistolarum atque Canonum subsequentium Pontificum & Cōciliorum. Quæ vero vberior apparuit eiusmodi Collectio, fuit *Crescōnij*, de qua sæpe facta est mentio. Et quæ *Isidori* fuit cognomento *Mercatoris*, continens Epistolas antiquorum Pontificum Romanorum incipiens à Clemente; testatur Hincmarus *d* Rhemensis, eam non ante Carolum Magnum ab Hispania in Gallias delatū fuisse per Riculphum Archiepiscopum Moguntinum. Qui autem ex dictis Epistolis ab Isidoro primum editis collegit Capitula, eaq; intulit in libros Capitulares Regum Francorum; fuit *Benedictus Leuita*, qui id de se ipso testatur in præfatione libri quinti eorumdem Capitularium, scripta ad filios Ludouici Pij, Lotharium, Ludouicum, & Carolum Reges.

c *Ep. 42.*

DE VTRIVSQVE COLLECTIONIBVS CANONŪ, ET EPIST. DECRETAL. De quibus vide etiam Spond. an. 527. n. IX.

d *Hincmar. Rhem. ep. ad Hincm. Laudun.*

Post hunc id ipsum præstitit *Hincmarus* Iunior Episcopus Laudunensis; quem Hincmarus Rhemensis, qui emunctas magis nares habuit, in multis redarguit, sugillans eam qua Laudunensis vsus fuerat Isidori Collectione. Quemadmodum & ipse Benedictus Leuita, quamuis ex eadem Isidori acceperit, multa tamen bene conscius auctoritatē Epistolarum, sub antiquiorum illorum Pontificum nomine promulgatarum, haud adeo constantem esse, sed in multis nutare; nusquam aliquē illarum citauit auctorem, vt fecit in reliquis de quibus numquam fuisset dubitatū, puta Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi, atq; Gregorij. Qui autem primus excerpta ex eis decreta, cum titulo edidit Romanorum Pontificum, quorum nomine censerētur; fuit prædictus Hincmarus Laudunēsis, vt apparet ex epistola, seu libro cōtra ipsum scripto ab Hincmaro Rhemensi, qui eam Laudunensis lucubrationem (vt diximus) in pluribus arguit. Laudunensem vero secuti postea sunt alii, vt qui sequenti sęculo scripsit *Burchardus*, & post ipsum alii, qui nomina ipsorum Romanorum Pontificum singulis capitibus præfixerunt; quod & omniū nouissimus æque præstitit *Gratianus*. At vero ex multis pleraſque earumdem Epistolarum reddi suspectas, satis ostendunt quæ de illis ferme singulis, superius suis locis dicta sunt: nec illis indiget S.R. Ecclesia, vt si eæ falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur iuribus & priuilegiis, cum ex aliis legitimis germanisque satis superque corroborata consistat.

III. COLLECTIO ISIDORI AB ANTIQVIS NON ADEO PROBATA.

IV.

Ceterum quod excerpta ex illis capita Benedictus Leuita primum, vt Canonibus consentientia probari curasset (vt ipse testatur) auctoritate Apostolica; idemq; à posterioribus factum esset Collectoribus: eadem excerpta vsu potius recipi contigit, quam constanti ipsarum Epistolarum fitmitate. Sed quod his temporibus (cum recens haberetur earum editio, nec perfecte in omnibus cognitæ essent) ea ex parte tantum eas recipiēdas esse negaretur, quod extra corpus canonum suo seorsum volumine positæ haberentur: hanc Frācorum Antistitum obiectionem magni posse esse momenti Nicolaus considerans, quod cadē pariter sententia reliquæ omnes Romanorum Pontificum extra positæ Decretales abolerentur; idem rescribens *e* ad singula capita eius quam superius diximus eorumdem epistolæ, primo multis rationibus & auctoritatibus confirmat, maiora omnia negotia (inter quæ etiam numerandæ sint causæ Episcoporum) ad Sedem Apostolicam deferri debere, ex priuilegio à CHRISTO Domino ei Sedi tributo: deinde docet Decretales Romanorum Pontificum Epistolas æque omnes suscipiendas esse, etiamsi non sint insertæ Canonū codici: ac deniq; iubet Rhotaldum à se restitutum ab omnibus suscipi, pœna excommunicationis refractariis intentata. Sicut & scribens *f* ad Carolum Regem, rogat vt faueat Rhotaldo ad suam Ecclesiam reuertenti; ac nisi faciat, æque ipsi excommunicationē comminatur: aliisq; rursum literis *g* Hincmarum Rhemensem Rhotaldi persecutorem, acerrimis obiurgationibus reprehenhit: ac deniq; scripsit ad *h* Suessionensem Ecclesiam, cui legitimum suum restituit absolutum Episcopum. Porro acquieuisse protinus iudicio Nicolai Hincmarum, ipsemet testatur in epistola ad alterum Hincmarum Laudunensem apud Frodoardum *i*. Qui & apud Nicolaum prolixiori excusauit se epistola apologetica, quam idem habet Frodoardus *ii* propensior erga suum Hincmarum, qua plurima cōtinentur obseruatione dignissima, ac præcipue de cultu exhibendo erga Sedem Apostolicam. Deniq; & ceteros Episcopos, qui interfuerant Concilio Siluanectensi, veniam pro delicto à Nicolao exorasse, cōstat ex literis *k* ab ipso hoc eodem anno redditis ad vnum illorum, Franconem dictum, magni eius temporis nominis virum.

QVID AD OBIECTIONES EPISC. GALL. NICOLAVS.

e *Ep. 42.*

DECRETALES EPIST. ÆQVE OMNES SVSCIPIENDÆ.

f *Ep. 40.*

g *Ep. 41.*

h *Ep. 43.*

i *Frod. 3. hist Rhem. 21.*

ii *Ib. ca. 13.*

k *Ep. 45.*

Qui igitur in Gallias peruenit Arsenius Episcopus Legatus Apostolicæ Sedis, ab ipsis Regibus atq; Episcopis honorificentissime vbique susceptus, non solum in restitutione

V. RES BENE GESTA LEGATO

APOST. IN CAVSA LOTHARII REG. LEGATOR. l *Vid. Nicol. ep.27.*

Rhotaldi egregiam nauauit operam: sed etiam propositā rursum excommunicationis pœna aduersus Lotharium Regem, qui variis tergiuersationibus *l* iudicium Apostolicæ Sedis hactenus eluserat, adeo apud ipsum profecit, vt persuaserit Teutpergam vxorem recipere, dimissa pellice Waldrada; quam & Romam ire iussit reddere rationem Apostolicæ Sedi. Laudatur is magnopere hoc nomine à Reginone, & ab auctore huius temporis qui Francorum scripsit Annales à Pithœo editos. Additq; Regino, eumdem induxisse pariter Engeltrudem illam impudicam, vt iuraret se Romam accessuram ad pœnitentiam suscipiendam: sed ipsam à cœpto itinere in Gallias recessisse: Arsenium vero, acerrimis in eam ad omnes Episcopos scriptis literis, prohibuisse ne ab aliquo ad communionem susciperetur. Præterea pacem inter Francorum Reges composuisse, iidem Annales testantur: pro qua pariter extant Nicolai Papæ ad eosdem Reges, ipsorumque Episcopos, scriptæ *m* literæ.

m *Ep.* 25. 26 27.

VI. MICHAELIS IMP. IN DIGNÆ LITERÆ AD NICOL. PAP.

Hoc pariter anno Michael Imp. Michaelē Protospatharium Romam misit Legatum ad Nicolaum Pontificem, literas scribens refertas iniuriis, obtrectationibus, atq; blasphemiis, auctore haud dubium Photio ipsi Nicolao infensissimo. Non extant illæ quidem, (nam Synodali decreto fuisse traditas igni, quæ sumus dicturi significant:) sed hoc anno, nempe Indictione decimatertia, fuisse scriptas, testantur aliæ eiusdem Pontificis *n* ad Imperatorem & Episcopos Orientis anno sequenti datæ: extatq; rursum alia *o* hoc præsenti anno, iam stante hieme, ab ipso ægrotante Nicolao ad Imperatorem per eumdem Protospatharium scripta epistola valde prolixa, dignaq; plane tanto Pontifice; qua quidem ea quæ in sui iniuriam scripta essent, Christiana sapientia contemnens, & ad ea sola respondens quæ contra Romanam Ecclesiam, linguam Latinam, & sanctos Patres, fuissent ab eo procaciter iactata, omnes eiusmodi calumnias atq; blasphemias luculenter refellit, Romanæq; Ecclesiæ auctoritatem ab ipso Deo stabilitam defendit, & nihil in eam posse Imperatores demonstrat: ad finem tamen indulget, vt iudicata iā semel ab Apostolica Sede causa Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani, iterum iudicetur Romæ, quo accedere debeāt ipsimet Ignatius expulsus, atque inuasor Photius, aut saltem legatos pro se mittere. Sed & haud sufficere existimans contrariis literis confutasse blasphemas Imperatoris literas, quin insuper iudicans eas omnino dignas incēdio; id omnino ipsi Imperatori publice faciendum aliis *p* literis præcepit; quod si negligeret, solemni se ritu facturum Romæ denuntiauit: minatus etiam excommunicationem, si in pertinacia persisteret. Scribensq; id ipsum de literis concremandis ad Clerum *q* Constantinopolitanum & Episcopos eidem Ecclesiæ subiectos, detrectantibus id agere similiter excommunicationem intentat.

n *Ep.* 9. & 10.
o *Ep.* 8.

DIGNA RESPONSIO NICOLAI AD IMP.

p *Ep.* 9. *Ap. Bar. ann. q.* IVBET COMBVRI LITERAS IMP. ET MINATVR EXCOMMVN.
q *Ep.* 10.

Eodem anno corpora *SS. Eusebii & Pontiani* in Gallias fuisse translata Nicolao annuente, tradit Sigebertus. Sed & ærea instrumenta, quæ *Campanas* dicimus, vsui esse cœpisse Græcis, missis ipsis ad Michaelem Imp. à Duce Venetiarum Vrso Patriciaco, asserunt scriptores prosecuti res Venetas.

VII. CAMPANÆ INCIDVNT VSVI ESSE GRÆCIS.

IESV CHRISTI AN. 866.

NICOLAI AN. 9.

LVDOVICI II.

MICH. III. 25.

I. BVLGAROR. LEGATIO ROMAM.

ANNO Domini octingentesimo sexagesimo sexto, Indictione decima quarta, nouo populo & nouo Rege Romana augetur Ecclesia. Quo enim tempore in eam armabatur perfidus Michael Imperator, alter *Michael Rex Bulgarorum* magna Dei prouidentia, dato nomine CHRISTO, honorificentissimam legationem mense Augusto misit cum donis ad Nicolaum Papam; à quo & nonnullos mitti in Bulgariam petiit, qui populum illum plenius fidem, ritusq; Christianos docerent. Elegit ad hoc opus Pontifex *Paulum* Populoniensem, & *Formosum* Portuensem, magnæ sanctitatis Episcopos. Sed & quod per Bulgariam facile terrestre iter esset Constantinopolim, idem Pontifex alios cum iisdem misit Legatos, videlicet Donatum Episcopum Ostiensem, Lebnem presbyterum tituli S. Laurentij in Damaso, & Marinum diaconum S.R.E. per quos Imperatorem ad meliorem frugem reduceret, & omnibus Orientalibus denuntiaret, quæ fuissent in causa Ignatij & Photij à Sede Apostolica decreta. Hæc ex Anastatio; quorum etiam meminit ipse Nicolaus *a* scribens ad Hincmarum Rhemensem Episcopum. Extantq; multiplices *b* literæ, quas de iis rebus per eosdem Legatos scripsit ad Michaelem Imp. eiusque coniugem Eudoxiam, Bardam Cæsarem, atque Senatum; itemque ad omnes Episcopos Constantinopolitanæ Ecclesiæ subiectos, eiusdemq; Clerum; necnon ad ipsos, quorum præcipue causa vertebatur, Ignatium, & Photium; ac deniq; ad decus illud & ornamentum sanctarum feminarum, matrem Imperatoris adhuc superstitem, sed ab eo (vt vidimus) detrusam in monasteriū, Theodoram Augustam; quam de fide Catholica optime culta egregie laudauit, & de tribulationibus ipsius consolatus est. quæquidem paulo post ex hac vita decedens, relata est inter Sanctos in Tabulas Ecclesiasticas *c* Græcorum. Porro cum omnes eiusmodi Nicolai epistolæ scriptæ reperiantur mense Nouembris, Indictionis decimæquintæ; inde possumus intelligere, vltimo huius anni tempore contigisse profectionem Legatorum. Quid vero egerint, dicetur anno sequenti.

NICOL. PP. LEGATOS MITTIT CONSTANTINOP.
a *Ep.* 70.
b *Ep.* 9. & *seqq.*

THEODORA AVG. INTER SANCTOS RELATA.
c *Menolog.* 11. *Febr.*

II. DE CHRISTIANITATE BVLGAROR.

Quod autem pertinet ad Christianitatem Bulgarorum; cum ex iis quæ alibi superius dicta sunt, liqueat iamprudem nonnullos ex ipsis, consuetudine Christianorum, abdicato idolorum cultu, fidem suscepisse; ex literis pariter Nicolai Papæ ad ipsorum consultationes respondentis certum redditur, accidisse vt iidem ob diuersitatem religionis, non ciuili tantum, sed domestico bello inter se altercati sint; ac proxime cum Rex coegisset baptizari omnes Gentiles, hi aduersus eum arma mouerint. Sed & subdolos quosdam operarios, ex Græcis siue Armenis aduenientes, eosdem nonnulla superstitiosa docuisse; ostendunt eædem Nicolai literæ. Porro id Bulgari licet adhuc rudes subodorati, optantes de fontibus Saluatoris aquam haurire puram, ad Ecclesiam Romanam omnium magistram legationem quam diximus instituerunt, certumq; & sex consultationes ad ipsam retulerunt: quibus quidem Nicolaus totidem responsionibus satisfaciens, vnà quoq; ad eosdem plures libros transmisit, qui necessarij esse viderentur ad imbuēdam illam Ecclesiam sacris dogmatibus: atq; præterea iisdem primus auctor extitit, vt qui hactenus in bello pro insigni essent vsi equina cauda, deinceps S. CRVCIS vexillo, vt olim Constantinus, vterentur.

III. LVDOVIC. IMP. SARACENOS DEBELLAT.
d *Leo Ost. lib.* 1. *c.* 37. 38.

Hoc eodem anno Ludouicus Imp. aduersus Saracenos, Campaniam & Samnium infestantes, ingenti comparato exercitu, eos variis cladibus affecit; vt testantur Regino, & Leo Ostiensis: qui quidem diligentius hæc prosequutus, meminit *d* etiam de donis ab eodem Imper. collatis monasterio Casinensi, deque aliis operibus pietatis, quibus aditum sibi patefecit vincendi (licet non leui labore, nec pauco tempore) perfidos hostes: inter quos & Seodam ipsorum principem qui deprædatis ecclesiis & monasteriis, in calicibus sacris dari sibi potum, & thuribulis ad diuinum vsum paratis adoleri præcipiebat.

IV. WALDRADA PELLEX EXCOMMVNICATVR a NICOL. PP.

Eodem anno, cum Waldrada Lotharij Regis concubina visa esset elusisse Apostolicam Sedem, vtpote quæ pollicita Romam se conferre expiationis causa delicti, ingressa in Italiam retro in Gallias remeasset, rursumque coacta Italiā repetere, nulla signa pœnitentiæ ostendisset; sed & cum ipsa Lotharius traducere videri posset Romanam Ecclesiam: Nicolaus Papa conuocata Ecclesia, eamdem Waldradam publice excommunicauit quarto Nonas Februarij, eaque de re certiores reddidit omnes Episcopos per literas *e* scriptas Idibus Iunij istius anni. Quæ vt Lotharius accepit, ad placandum Pontificem curauit vt Aduentius

e *Ext. ap. Regin. in Chron.*

Meten-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Metensis Episcopus, in excusationem ipsius & Episcoporum eius Regni, de his quæ in eos obiiciebantur à Nicolao, ad eum literas *f* scriberet efficacissimas, quibus asseruit eumdem Lotharium renuntiasse penitus amori Waldradæ, ac Theutpergam Reginam magna dilectione & honore prosequi. Sed & quod minaces valde ad ipsum Lotharium Nicolaus literas scripsisset, quibus & Regni iacturam fuerat interminatus; ipse ad eum summissas admodum & officij plenas reddidit *g* apologeticas, quibus cum se imprimis excuset, & subiectum se Deo, & S. Petro, ceterisque Sanctis; ac ipsi Nicolao Pontifici profiteatur, Cancellarium Regni ad ipsum direxit, qui præsens ei de omnibus satisfaceret. Sed hæc omnia ad eludendum Pontificem: siquidem adhuc reperitur anno sequenti idem Nicolaus *h* varias scripsisse ad Reges & Episcopos literas, aduersus conatus Lotharij, Theutpergam pessime habentis, & omnibus modis Waldradam subintroducere pertentantis.

(Rer. Bare. Ann. Tom. X hoc an. ex cod. Trev. EXCVSATIONES LOTHARII REG.

g Rer. Bar. ubi sup.

h Ep. 48. & seq. ap. Bar. an. seq.

V.

Hoc item anno idem Nicolaus scribens ad Herardum *i* Episcopum Turonensem, indixit CONCILIVM *Suessione* ab omnibus Galliarum Episcopis celebrandum decimoquinto Calendas Septembris, in causa Wlfadi, aliorumque quorumdam clericorum, ab Ebbone olim Rhemensi Archiepiscopo cum esset in eam Ecclesiam restitutus ordinatorum, ab Hincmaro vero postea depositorum. Cum autem Suessionem conuenissent magno numero ex vniuersa ferme Gallia Episcopi; atque inter alia ibi tractata, communi omnium consensu iidem clerici digni graduum suorum receptione pronuntiati essent: ea de re scriptam Synodicam epistolam ipsi Antistites per Egilonem Archiepiscopum Senonensem ad Nicolaum miserunt octauo Calendas Septembris: ad quos Pontifex aliam rescripsit *k* octauo Idus Decembris, qua & eorumdem clericorum restitutionem confirmauit, & cuncta quæ per Hincmarum, cum aduersus eosdem clericos, tum in condemnationem ipsius Ebbonis, gesta essent in priori Concilio Suessionensi, de quo superius dictum est, confutans, & multiplicis iniquitatis atque falsitatis conuincens; dissoluit; licet eorum confirmationem idem Hincmarus (quod suis locis vidimus) à Benedicto Tertio primum, deinde ab ipso Nicolao subripuisset: quem grauiter idem Pontifex tum iisdem literis, tum aliis ad ipsum *l* scriptis, incusat de falsatis Benedicti literis: multaque pariter in detestationem eiusmodi falsitatis, posuit in epistola eodem tempore ad *m* Carolum Caluum Regem data. Quod tamen relatio Episcoporum prædictæ Synodi ad Nicolaum missa, multum deficeret in deducenda serie rerum in causa Ebbonis ac clericorum ab initio transactarum; iussit denuo idem Pontifex, ea cuncta ad Sedem Apostolicam quamprimum transmitti.

i Rer. Bar. ubi sup. ex Bibl. Nic. Fabri. CONCIL. SVESSION. IN CAVSA CLERIC. RHEM.

k Ep. 46.

ACTA PRIORIS CONCIL. SVESSION. RESCISSA.

l Ep. 47.

m Ep. 52.

VI.

Inter Nicolai quoque epistolas, reperta sunt vetera *n* monumenta, de facta hoc anno electione Episcopi Redonensis in Armoricis, à clero & plebe illius Ecclesiæ, deque eius ordinationis à prædicto Herardo Turonensi Metropolitano, ac comprouincialibus Episcopis, Caroli Regis permissu, factæ decreto, ac fidei Orthodoxæ professione ab ordinato edita: quibus modus in electionibus seruatus hoc tempore innotescit.

n Rer. Bar. ex Bibl. Nic. Fabr. Tom. X hoc. an.

IESV CHRISTI AN. 867.

NICOLAI AN. 10.

LVDOV. II. 12.

BASIL. MACED. 1.

I. LEGATI AD BVLGAROS DIGNE EXCEPTI.

ANNO Christi octingentesimo sexagesimo septimo, Indictione decimaquinta, Legati Sedis Apostolicæ in Bulgariam anno superiori missi, illic honorifice susceepti, populum omnem baptizarunt, ac Christianam religionem docuerunt: quo etiam, ex petitione Regis, missi sunt alii Episcopi & sacerdotes à Nicolao Papa. Alii vero Legati eodem itinere Constantinopolim directi, cum ad vltimos Bulgariæ fines peruenissent, à Præfecto confiniũ Imperii Orientalis, iussu Michaelis Aug. prohibiti vlterius progredi, sed & iniuriis affecti, cum illic per dies quadraginta resedissent, tandem coacti sunt Romam regredi. Hæc plutibus Anastasius. Verum de non admissis iisdem Legatis, atque insuper male habitis, prolixior est narratio ipsius Nicolai Papæ *a* in epistola ad Hincmarum Rhemensem & alios Episcopos Regni Caroli scripta, cum ex Trecensi Synodo alias ab eis prius ipse accepisset.

AD IMP. MISSI IN-DIGNE HABITI.

a Nicol. ep. 70.

II.

Celebrata est enim hoc anno, nono Calendas Nouembris, *Trecis* in Gallia SYNODVS auctoritate eiusdem Nicolai, occasione restitutionis Wlfadi, aliorumque Rhemensium clericorum, factæ anno superiori in Concilio Suessionensi. Cuius extat *b* Synodalis epistola à Patribus ad eumdem Pontificem data quarto Nonas Nouembris, qua ab origine (vt ipse iuserat) Ebbonis causam repetierunt. Ea tamen, Nicolao iam defuncto, reddita est Hadriano ipsius successori. Porro scribit etiam Frodoardus, hac eadem Synodo Trecensi Hincmarum exagitatum fuisse à quibusdam Episcopis, in gratiam Caroli Regis (cuius iam ipse odium in se concitauerat) Wlfado fauentibus: ipsumque etiam Carolum aduersus eum ad Nicolaum scripsisse: sed Hincmarum apologeticam *c* epistolam ad eumdem Pontificem misisse; huncque eius excusationem accepisse.

CONCIL. TRECEN. IN CAVSA CLERIC. RHEM.

b Rer. Bar. Ann. Tom. X hoc an. ex Bibl. Nic. Fabri.

c Rer. Bar. ibid.

Noua enim ab Orientalibus in Latinos excitata prælia, ab aliis leuioribus desistere Nicolaum suaserunt. Qui ad Francos Episcopos, præcipue vero ad Hincmarum ceteris doctrina præstantem, eam quam nuper diximus scribens epistolam, (quæ data reperitur *d* decimo Calendas Nouembris, Indictione prima) cuncta hactenus transacta cum Orientalibus in causa Photii inuasoris, ordine temporis narrauit, ac demum quæ tunc ab iisdem in Latinos omnes criminationum decem capita essent illata recensuit; quæ eadem Frodoardus enumerat: nempe, 1. Quod ieiunarent Sabbatis: 2. Quod Spiritum Sanctum non ex Patre procedere assererent: sine, vt Frodoardus legit, Quod Spiritum S. à Patre & Filio procedere dicerent: 3. Quod abominarentur nuptias, quia presbyteros ducere vxores prohibent: 4. Quod presbyteros linire baptizatorum frontes prohiberent: 5. Quod Chrisma ex aqua fluminis conficerent: 6. Quod septem hebdomadibus ante Pascha à casei & ouorum esu non abstinerent: 7. Quod agnum in Pascha more Iudæorum super altare cum Dominico corpore offerrent: 8. Quod Clerici barbas raderent: 9. Quod diaconi, non suscepto presbyteratu, Episcopi ordinarentur: 10. Quod Apostolicæ Sedis Legati Patriarchæ Constantinopolitano offerre detrectarent libellum fidei in quo ista capitula damnarent; atque epistolas canonicas siue decretales ab eodem ad vniuersam Ecclesiam scribi nollent.

III.

d [Ita quidem in exemplari, quod Baron. habuit à Nicol. Fabro, ex quo hanc integram epistolam edidit Annal. T6 X. hoc an. cum inter Epist. Nicolai PP. hactenus editas, ea nec quidem dimidiata legeretur.]

CRIMINATIONES GRÆCORVM IN LAT. ECCLESIAM.

Quæ quidem capita ne penitus relinquamus intacta: 1. quod attinet ad Ieiunium Sabbati, vetus fuit ista inter Latinos & Græcos controuersia ab ipso Apostolorum obitus tempore, de qua dictum est fusius suo loco. 2. Quod autem Spiritum S. à Patre procedere Ecclesia Latina negarit, apertissima est calumnia: quod vero dixerit à Patre Filioque procedere, sincerissima est doctrina, de qua pariter sæpe dictum est superius: quam primus infelix Photius, auctor tanti schismatis probro vertere ausus est Apostolicæ Sedi, Latinæque Ecclesiæ vniuersæ; adeo vt eius prætextu se ab ea seiungi professus sit, à qua se non recipi sciret ob alienæ sedis inuasionem, & alia innumera perpetrata scelera. 3. Quod custodiens in sacris Ordinibus cælibatum Occidentalis Ecclesia damnet nuptias, manifestissimam calumniam esse, constat ex iis quæ de cælibatu clericorum ab ipso Ecclesiæ exordio tam in Oriente quam Occidente vniuersaliter obseruato, dicta sunt suo loco. 4. Quod alicubi cum presbyteris, vt baptizatorum frontes liniant Chrismate, ex magna causa sit dispensatum; plane ostenditur, vsum esse in contrarium. 5. Quod vtatur Ecclesia Occidentis aqua pro Chrismate, omniũ testificatione aperta est calumnia. 6. Quod in Quadragesima caleo vel ovis omnes Occidentales vtantur, æque calumnia est,

IV.

FÆDE REFELLVNTVR BREVITER.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum in Italia numquam in vſu fuerit: trans montes tamen id ex magna cauſa alicubi apparet eſſe conceſſum. Sed in his diuerſarum Eccleſiarum tam in Oriente quam in Occidente, abſque ſcrupulo læſæ Catholicæ fidei, diuerſas fuiſſe cõſuetudines, ex antiquis Theologis ſuperius eſt demonſtratum. 7. Quod ſuper altare vna cum corpore Chriſti offeratur agnus tempore Paſchatis, mera eſt calumnia. 8. Quod clerici barbas radant, ridenda potius quam confutanda ſchiſmaticorum obiectio; de quo priſtino vſu æque dictum eſt ſuperius. 9. Quod diaconi non ſuſcepto presbyteratu Epiſcopi fiant, impudentem eſſe calumniam, canones Occidentalis Eccleſiæ manifeſtant. 10. Denique quod à Græcis libellus fidei exigeretur à Legatis Apoſtolicæ Sedis, cum numquã antea vſurpatum fuiſſet, pro monſtro haberi debuit ſicut vt ab eorum Patriarcha ad Chriſti Fideles Decretales ſcriberentur Epiſtolæ. Ceterum vt contra eiuſmodi Græcorum obiectiones inſurgerent Epiſcopi Gallicani, multum hortatus eſt ſuis literis Nicolaus Papa: conſtatque ex Frodoardo, tum Hincmarum Rhemenſem, tum Odonem Epiſcopum Bellouacenſem, aduerſus eas plurimum laboraſſe; quæ tamen eorum lucubrationes periiſſe videntur.

V. PETRVM APOST. VLTOREM EXPERIVNTVR PRINCIPES SCHISMAT.

Verum recordatus tandem Deus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, hoc ipſo anno in primum malorum omnium autorem Bardam Cæſ. prima vibrauit iacula vindictæ, alios pariter paulo poſt percuſſurus. Et vt appareret, ob illatas in Apoſtolicam Sedem iniurias præcipue hæc fieri, voluit ea per viſionem ab ipſo B. Petro Apoſtolo minaciter prænuntiari. Siquidem inter alia ſigna interitus Bardæ prænuntia, illud fuit quod nocte quadam in ſomnio vidit S. Petrum in ſolio ſedentem, Ignatium vero ad eius pedes procumbentem, & vltionem iniuriarum ſibi illatarum petentem; ipſumq; S. Petrum lacrymis illius flexum, cuidam aſtanti gladium dediſſe, quo primum Bardam, poſtea Michaelem Imp. fruſtatim cõcideret. Hæc quidem Curopalates, & poſt eum Cedrenus atque Glycas auctores Græci tradunt: quæ fuſius, qui his omnibus præferendus eſt auctoritate & antiquitate, Nicetas rerum quas ſcripſit inſpector, proſequutus eſt in Rebus geſtis ipſius Ignatij. Addit vero, his valde turbatum Bardam, haud tamen meliorem redditum, ipſo Quadrageſimæ initio milites ad inſulã in qua degebat Ignatius miſiſſe, qui ipſum cuſtodientes, omnino prohiberent vel ſacrum facere, vel cũ vllis colloqui: ac paulo poſt ſecutam eſſe inſomnij executionem, nempe Bardæ obtruncationem, quæ quidem ſic ſe habuit:

VI. BARDÆ CÆS. MISERANDVS INTERITVS.

Cum aduerſus Cretenſes expeditionem Bardas cum Imperatore paraſſet, quadamq; die ſiue conſulto, ſiue inſcitia, Imperatoris tentoria in loco plano collocata fuiſſent, Bardę vero in ſupereminente colle; indignatus Imperator (qui eũ iam aliis ex cauſis ſuſpectum haberet) necem eius machinatus eſt; cuius ſignum ipſemet Bardæ gener, Sabbatius Logotheta Dromi, ab Imperatore deceptus, imprudens dedit, Cruce in ore ſuo impreſſa. Cum vero nihilominus differrent coniurati ob Bardæ potentiam, cuius filio Antigono Demeſtici Scholarum Præfecto omnes exercitus duces parerent; demum animante ceteros Baſilio Cubiculi Imperatoris præfecto, g'adiis ſtrictis impetu in Bardam facto, ipſum ſubitaneo caſu perterritum ad pedes Imperatoris ſe proſternentẽ, foras extrahentes fruſtatim conciderunt, eiuſque genitalia haſtæ appenſa per exercitum traduxerunt. Narrat hæc pluribus Curopalates: quæ quidem accidiſſe prima die menſis Aprilis tradit. Sed error apud eumdem irrepſit, dum id factum aſſerit Indictione decimaquarta: quod non ante hanc decimamquintam accidere potuiſſe, ſatis conſtat ex epiſtola Nicolai Papæ ad ipſum Bardam data in fine anni ſuperioris, & ex iis quæ de illo Nicetas in Ignatio ſcribit. Addunt autem iidem auctores, reuerſum Conſtantinopolim Imperatorem, cum ſolus Reipublicam adminiſtrare non valeret, legitimaq; prole careret; ſibi in filium adoptaſſe eumdem qui ſupra BASILIVM Cubiculi Præfectum, atque Imperatorem creaſſe die vigeſima ſexta Maij.

BASILIVS EX CVBIC. PRÆFEC. CREATVR IMP.

[Memoria dignum, quod de Bardæ nece Hamartolus (de quo ſup. ad an. 775. poſt num. II.) habet: nempe, cum Baſilius Bardæ inſidiaretur, & eius occidendi in vrbe occaſionem non haberet, perſuaſiſſe Michaeli Imp. vt expeditionem in Cretam contra Agarenos ſuſciperet: Leonem autem philoſophum id ſentientem, Bardam patronum ſuum admoniuiſſe ne pedem ex vrbe efferret, alioqui futurum vt numquam redderetur. Sed cum in ſolemni pompa ad Chalcopratia in ædem B. Virginis proceſſiſſent, abſoluto Euangelio Photium Patriarcham vna cum Michaele Imp. Barda Cæſ. & Baſilio Præf. Cubic. aſcendiſſe ad Catechumena; ibiq; Imperatorem & Baſilium tinctis ſanguine Chriſti, quem Patriarcha manibus geſtabat, calamis, cruces efformaſſe, ac iureiurando affirmaſſe, Bardam tuto cum exercitu ſecum exiturum. Hiſque inductum Bardam exiiſſe; ſed in itinere necatum a Baſilio fuiſſe, ſpectante Imperatore.]

VII. PHOTIVS ANATHEMA INFERT IN SVM. PONT.

Quo tempore (vt addit Nicetas) Photius cũ ſcriptis ſuis aduerſus Nicolaum Papam promulgatis nihil ſe profeciſſe cerneret, perſuaſit impius eidem impio Michaeli Imp. *Synodum* congregare, qua vicem rependens Nicolao, ipſum damnaret à quo fuerat antea damnatus. Itaque collectis vndiq; ſuæ factionis Epiſcopis, ſuppoſitiſque nonnullis qui locum tenerent aliorum Patriarcharum Orientalium; in Nicolaum homo inſanus anathematis ſententiam protulit: quin etiam Legatos miſit in Italiam, per quos eam omnibus notam faceret, ſimulque Ludouicum Imp. magnis muneribus induceret vt ipſum è ſede deturbaret; promittens etiam ſe proclamaturum eum Conſtantinopoli Imperatorem. (Quippe Imperatores Orientis non reciperent Occidentales vocati Imperatores.) Hæc quidem geſta narrat Nicetas: Sed audi præſentaneam Dei vindictam.

VIII. MICHAEL IMP. OCCIDITVR.

Cum enim huiuſmodi impietatibus reſiſteret Baſilius nuper creatus Imperator, ipſumque Michaelem à prauis ſuis & execrandis facinoribus, necnon à crudelitate, prodigalitate, & ebrietate, abducere conaretur: non ferens Michael eiuſmodi obiurgationes, deq; Baſilio è medio tollendo cogitare incipiens, primo *Baſilicinum* quemdam regij dromonis remigem, Imperatorem creauit; deinde perſuaſit aulico cuidam, vt in venatione tamquam feram imperiturus, Baſilium haſta transfigeret. Sed cum is aberraſſet, cautior Baſilius factus, videnſq; alia Michaelem in ſe moliri; conſilio cum quibuſdam communicato, eumdem Michaelem vino ſomnoque ſepultum, in cubiculo, manibus amputatis, aliis poſtea vulneribus confoderunt in palatio B. Mamantis martyris. Hæc Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alii. Meminit & Nicetas, qui ait Michaelis necem accidiſſe initio primæ Indictionis vigeſima quarta die menſis Septembris, poſtquam imperaſſet vna cum matre quindecim annis & menſibus octo, ſolus vero nouem expletis atque decimo inchoato.

IX. PHOTIVS ELICITVR, IGNAT. RESTITVITVR.

Addit inſuper, Baſilium ad palatium deductum, Imperatoremque denuo proclamatum, quamprimum miſiſſe qui Legatos à Photio in Occidentem miſſos à cœpto itinere reuocarent: deinde eumdem Photiũ à ſede deiectum in quoddam monaſterium detruſiſſe; Ignatiumque honorificentiſſime Conſtantinopolim accerſitum, ac laudibus cumulatũ, poſt nouem integros annos exilij atque certaminis, eadem die qua eiectus fuerat, videlicet vigeſima tertia Nouembris, ſedi Patriarchali ingenti omnium gaudio reſtituiſſe: ipſum vero Ignatium, mox Photium, & ab illo ordinatos, eoſq; omnes qui ipſi communicauerant, à ſacris ſuſpendiſſe. Hæc Nicetas. Ceterum Zonaras nouam & inauditam finxit Photii eiectionis cauſam; nempe quod is Baſilium homicidii redargutum communione priuaſſet. At vero id factum eſſe, quod à Nicolao Papa ſæpius damnatus fuiſſet, teſtantur ſcriptæ Pontificiæ epiſtolæ, Acta Synodi Octauæ, Nicetas, ac denique ceteri omnes veteres Græcorum hiſtorici. Zonaras enim longe poſt hæc tẽpora vixit; idemq; ſchiſmaticus Photio fauit auctori ſchiſmatis, laudans eum, & occultans crimina toto cœlo patentia.

X. RVSSI AD FIDEM CONVERSI.

Quod deniq; ad Michaelis Imperium pertinet; eius quoque tempore accidit, vt *Ruſſi* ſiue Roſſolani populi Scythici ad Arctoum Taurum habitantes, efferri & agreſtes, cum totam Euxini Ponti maritimam regionem deprædati iram diuinam experti eſſent, domum reuerſi legationem Conſtantinopolim miſerint, qua petierunt ſacerdotes mitti qui ipſos baptizarent, fideq; Chriſtiana inſtruerent: quod & factum eſſe, Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alii teſtantur.

XI. BASILII GENVS, ET PRIMORDIA IMPERII. c Luithpr. l. 1. cap. 1.

Extincto itaq; Michaele, BASILIVS ab eo antea in collegam aſſumptus, ſolus imperauit. Qui quidem natione fuit Macedo, & genere ignobili, licet ex Arſacidarum antiqua ſtirpe progenitum adulantes alii prodiderint: cui Michael concubinam ſuam Eudociam in matrimonium collocauerat. Scribit autem Luithprandus è Ticinenſis, eidem Baſilio paulo poſt necem Michaelis CHRISTVM Dominum in ſom

nis

nis apparuisse, & interrogasse vt quid interfecisset dominum suum Imperatorem? eaque re compunctum Basilium, multis lacrymis peccatum suum gementem, totum se bonis operibus dedisse, atque inter alia insignem ecclesiam in honorem S. Michaelis Archangeli construxisse. At vero Basiliũ rerum potitum, non se fuisse conscium necis Michaelis, omnibus satisfecisse, Anastasius tradit in Hadriano Secundo. Idemq; vbi Photium deiecit, Ignatiumq; restituit, de his statim literas dedit ad Nicolaum Romanum Pontificem, cuius auctoritate ea gesta esse sciret, ac professus est; petiitque vt quid agendum esset de sacerdotibus qui Photio adhæserant insinuaret, suosque Apocrisiarios Constantinopolim mitteret, qui cuncta rite disponerent. Eiusmodi enim ipsius Imperatoris literæ, vna cum illis quas eodem tempore eodemq; argumento Ignatius scripsit, insertæ reperiuntur in laudem tanti Pontificis Actioni Tertiæ Octauæ Synodi. Sed & missos tunc fuisse Legatos non solum ab Imperatore, verum etiam ab Ignatio, ipsoque Photio, vt coram Romano Pontifice causam agerent, (quippe qui *vnus & singularis præcellens*, vt loquitur suis literis Ignatius, *atque Catholicissimus medicus morborum quæ in membris sunt Christi, ab ipso Domino constitutus esset:*) testantur eædem Imperatoris literæ, necnon Anastasius in Hadriano Secundo. Ad hunc enim Pontificem perueneruntistæ Legationes, cum inter hæc Nicolaus diem obiisset. Functique legatione sunt, nomine Basilii Imp. Basilius Spatharius, pro Ignatio Ioannes Metropolita Sylei, pro Photio Petrus Metropolita Sardis: de quibus agetur anno sequenti.

LEGATIONES AD IMP. IGNAT. ET PHOT. AD NICOL. PP.

XII. GRAVIORVM DELICTORVM ABSOLVTIO PONTIFICI RESERVATA. *inspar. 10 cap. 33.*

Interea vero non est prætermittendum, hoc quoq; tempore ex antiquo vsu perseuerasse, vt etiam pro grauioribus delictis expiandis Fideles ad Romanum Pontificem se conferrent; quod sub Nicolao dum frequentaretur, inter alios infelix pater trium filiorum necator illuc accurrisse reperitur; cui ab eodem Pontifice pœnitentia grauis iniuncta est, quam retulit Iuo *f* in suum librum Decretorum.

XIII. TRANSLATIO RELIQVIAR. S. CLEM. PP. *g Baron. Not. ad Rō. Martyrol. 9. Mart. f.*

Hoc item anno, qui vltimus Nicolai numeratur, contigit per Cyrillum atque Methodium Orientales monachos, deferri Chersona Romam corpus S. Clementis Papæ. Qui quidem monachi cum mansissent Romæ vsque ad creationem Hadriani successoris Nicolai, ambo ab illo missi sunt ad prædicandum Euangelium Slauis, quorum linguam didicerant. Testantur hæc monumenta Ecclesiastica, nempe Romanum Martyrologium; vbi in Notis *g* plures alios id asserentes citauimus auctores.

XIV. NICOLAI PP. OBITVS. *h Frod. hist. Rhem. lib. 3. cap. 15.* VIRTVTES, ET PRÆCONIA. *i Ioan. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 4. in fin. k Ap. Anast. in Hadr. II. & Baron. an. seq.*

Ceterum *Nicolaus* Papa, post immensos pro Ecclesia Catholica labores exantlatos, ex hac vita ad cælestem migrauit Idibus Nouembris, cœpta iam Indictione prima; cum sedisset (vt ait Anastasius) annos nouem, menses sex, dies viginti vnum; sepultusque est ante fores basilicæ S. Petri. Sed quod ad diem obitus spectat, apud Frodoardum *h* (nisi sit error in codice) obiisse ponitur Idibus Decembris. Laudatissimus, siquis aliorum Romanorum Pontificum: quem egregiis præconiis extollens Regino, ait nullum ei æquiparandum post Gregorium Magnum sedisse; quippe qui Regibus & tyrannis imperauerit, eisq; ac si dominus orbis terrarum auctoritate præfuerit; Episcopis & sacerdotibus religiosis mansuetus, irreligiosis terribilis fuerit; vt merito alter Elias crederetur. Auctorq; est Ioannes *i* Diaconus huius temporis scriptor, ex visione quadam certo constitisse, ipsum in cœlum receptum fuisse in gloria Sanctorum. Quem & successore ius Hadrianus summis est laudibus prosecutus; eumdemq, nouum Eliam, nouum Phineë, Orientales *k* alloquẽs nuncupauit, & quibus aliis laudibus potuit exornauit. Denique habet Anastasius non solum eius exitum diuersas hominum nationes, verum etiam quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleuisse.

XV. HADRIANVS II. PAPA CREATVR AN. ÆTAT. LXXV.

Post eius obitum vsque ad successoris consecrationem, mensis interuenisse reperitur auctoritate eiusdem Anastasii, qui HADRIANVM consecratum asserit decimonono Cal. Ianuarii. Ait vero, fuisse illum patria Romanum, filium Talari postea Episcopi, ex cognatione Stephani Quarti & Sergij Iunioris Romanorum Pontificum, presbyterum tituli S. Marci; virumq; summis virtutibus præditum, & in pauperes adeo misericordem, vt & miraculis in ea actione claruerit; multiplicatis aliquando ad eleemosynam nummis: natum dum consecratus est annos septuaginta quinque; cum iam bis antehac, post obitum Leonis Quarti, & Benedicti Tertii, ab omnibus expetitus in Pontificem, exquisitis excusationibus verecunde subterfugisset. Ceterum cum variæ præcessissent de futuro ipsius Pontificatu prædictiones, esset q; vnus omnium consensus in eius assumptione; tradit tamen Anastasius, indignatos esse Legatos Ludouici Imp. Romæ commorantes, quod ad eius electionem ipsi minime vocati fuissent; sed hoc responso eis satisfactum esse, quod non in contemptum Imperatoris id omissum esset, sed ne inde imposterum Legatis Principum in electione Romanorum Præsulum expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret, quapropter & ipsum Imperatorem valde gauisum de eiusdẽ electione, scripta ad Romanos epistola eos de illa collaudasse. Denique cum eius consecrationis tempore, Lampertus Dux Spoletanus Romam aduenies, vrbem, ecclesias, monasteria deprædatus esset, ac puellas nobiles satellitibus suis diripiendas concessisset; ob eam causam à Ludouico Ducatu priuatum esse, tamquam Sedis Apostolicæ hostem adiudicatum. Hæc Anastasius, siue alius auctor in Rebus gestis Hadriani. Sunt enim qui putent *l*, Anastasium cum Vita Nicolai finem scribendi fecisse; reliqua autem quæ in eius codice reperiuntur, siue de Hadriano Secundo, siue de Stephano Sexto scripta, esse Petri Guilelmi, itidem Bibliothecarii. At vero cum constet superstitem diu post Nicolaum fuisse Anastasium, & adhuc vixisse tempore Ioannis Octaui, vt videbitur inferius; haud repugnat, vt ipse quoque ea quæ post Nicolaum acciderunt scripserit.

PRINCIPES NVLLVM IVS HABERE IN ELEC. ROM. PONT.

l Pontan. annot. in Platin. post Nicol. I. Quem refellit Baron. an. 885. nn. VII. QVO TEMPORE SCRIPSERIT ANAST. BIBLIOTHECAR.

IESV CHRISTI AN. 868.

HADRIANI II. AN. I.

LVDOVICI II. 13.

BASIL. MACED. 2.

ANNO Christi octingentesimo sexagesimo octauo, Indictione prima, Basilius Imp. filium suum CONSTANTINVM in Imperio collegam assumpsit. Ex hoc enim tempore pater & filius simul inscribuntur Imperatores; sed patris, quod præcedat annum, Imperium. I.

Quo pariter anno Hadrianus Papa bene cœpta à decessore suo Nicolao, prosequenda curauit; atq; primum designatam ab eo legationem Dominici & Grimoaldi Episcoporum ad Bulgaros, sed morte eius dilatam, institutum iter aggredi iussit: adeoque in omnibus eiusdem decessoris sui vestigiis inhæsit, vt tradatur apud Anastasium, ipsum ab ossoribus Nicolai vocari solitum Nicolaitanum. Verum (vt additur) inconstans vulgus his mox contraria iactans, eumdem infamare cœpit, quasi omnia quæ Nicolaus zelo religionis sanxisset, ipse infringere gauderet. Cuius quidem spargẽdi rumoris ea occasio visa est præcessisse, quod statim post suam consecrationem, Theutgaudum Treuerensem Episcopum & Zachariam Anagninũ, à Nicolao (vt vidimus) excommunicatos non recipiendos ad communionem vsq; ad horam mortis, ipse Hadrianus manu sua (vt docet Anastasius *a*) communionis sacræ participes effecisset: quodque Lothario Regi aduentum in Vrbem, quem Nicolaus *b* denegauerat quod sciret ipsum ab eo non prætensum nisi vt Sedem Apostolicam in causa Waldradæ ludificaret, idẽ Hadrianus literis suis (vt Regino est auctor) aperuisset. Hisq; accessit, quod intercedente Ludouico Imp. idem Pontifex Weldradam pellicem à Nicolao pariter excommunicatam, cum *c* rursum pœnitentiam simularet, absoluendam curauit. Quod autem ista contra Nicolai instituta facta viderentur, inde apud eumdem Anastasium accidisse traditur, vt omnes Occidentales Episcopi pro conseruanda integra Nicolai memoria ad ipsum Hadrianũ scripserint; nõnulliq; præclari viri Orientales, legatione Patriarcharum vel aliorũ Principum apud Sedem Apostolicam fungentes, ab eiusdem communione se tacite subtraxerint, donec coram illis de eius-

II.

DIVERSA IVDICIA DE AFFECTV HADRIANI IN NICOL.

a Anast. in Hadr. II. ap. Baron. an. super. *b Nicol. ep. 55. ap. Bar. an. super.* *c Recitat ea de relitera, Baro. Ann. Tom. X. hoc an. ex Bibl. Nicolai Fabri; vna cum aliis plurib. tunc de his, aliisq; eiusmodi rebus ad diuersos conscriptor.*

VNIVERSAE CCL. SOLICITA DE MEMORIA NICOLAI.

de eiusmodi calumnia se purgauerit: cum videlicet sexta feria Septuagesimæ, eos secundum consuetudinem ad conuiuium solito plures conuocans, omnium q; manibus per semet humiliter aquam fundens, cibos apponens, pocula ministrans, ac deniq; quod nullum Pontificum ante se fecisse nouerat, cum illis discumbens, dum surrexerit ab epulis in faciem suam coram omnibus procidit: roganſque vt pro Ecclesia Catholica, pro Imperatore Christianissimo, ac pro ipso preces Deo offerrent, demum in laudes Nicolai decessoris sui prorupit, mirantibus, ac præ gaudio cunctis Deo gratias, & fausta ipsi Pontifici acclamantibus: vt hæc pluribus narrat Anastasius. Idemq; insuper Pontifex accepta legatione Synodi Trecensis ad finem superioris anni habitæ, quæ ad Nicolaum directa fuerat, literas *d* ad eam rescripsit quarto Nonas Februarij, quibus hortatus est in sactis Diptychis celebrare Nicolai memoriam; simulq; Wlfado, quem vidimus à Nicolao gradui pristino restitutum, iam à Carolo Rege nominato Bituricensi Archiepiscopo, pallium concessit. Ac denique ad Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham (qui & ipse eadem occasione substiterat) hoc eodem anno scribens *e*, profitetur se in omnibus approbare quæ ab eodem Nicolao decreta essent.

d Rec. Bar. ibid.

e Ext. in act. 7. Oct. Syn.

III.

Vbi autem innotuit Constantinopoli, Hadrianum sedere in Cathedra Petri, Basilius Imp. Legatum ad eum misit Euthimium Spatharium, præter illam insigniorem legationem, quam anno superiori tam ab ipso quam ab Ignatio & Photio decretam vidimus. De qua quidem Anastasius *f* agens, ait diuino iudicio factum esse, vt quod Photius nauem Ecclesiæ scidisset, similiter nauis qua eius Legati separatim veherentur fluctibus maris absorpta fuerit; ita vt nullus omnino naufragium euaserit, præter Methodium quemdam monachulum, qui postmodū neque Photium à quo, neq; Ignatium contra quē, neq; Vniuersalis Ecclesiæ ad quam missus fuerat, iura suscipiens, tertio conuentus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit. Hæc Anastasius. Qui de Legatis Basilij & Ignatij pergens agere, ait eos incolumes Romam aduenientes, Hadriano Papæ eorum à quibus mittebantur epistolas ac munera obtulisse; & post innumera laudum præconia, quibus immaculatam S. Sedem Apostolicam celebrarunt, gratiarumque actionem de restitutione Ignatij, & Photij damnatione, ipsius interuentione facta; exhibuisse cum maxima detestatione, ac pedum etiam conculcatione, immo & gladii percussione, Acta Conciliabuli Photii aduersus Nicolaum summum Ecclesiæ Pontificem, tamquam ab ipso diabolo per os Photii eructata; in quibus & multa Photius confinxisset, falsatis subscriptionibus Basilij Imp. & Episcoporum qui ibi nominati haberentur. Eadem vero Acta, ex ipsius Hadriani in SYNODO hac de causa apud *S. Petrum* habita decreto, (repetito prius anathemate in Photium) igni cremata fuere; approbante etiam cœlo, cum videlicet superueniente pluuiæ inundatione non solum ignis non est extinctus, sed contra vehementius accensus; exeunte insuper ex eorumdem voluminum combustione magno fœtore piceo. Hæc apud Anastasium in Hadriano. Addit autem idem in præfatione historica ad Octauam Synodum, pariter in hoc Romano Concilio iussum esse, vt quod factum est Romæ de inflammatione scriptorum Photii, eodem modo Constantinopoli fieri deberet, siquę ibi eorum exemplaria reperirentur. Quæ autem postea acciderunt, dicentur sequentibus annis.

f Anast. in Hadr. & in præf. Oct. Syn.

DE LEGATIS AB IMP. IGN ET PHOT. ROMAM MISSIS.

ACTA CONTRA SED. APOST. COMBVSTA.

IV.

Contigit hoc anno mense Iulii, Lotharii Francorum Regis aduentus in Vrbem, ab Hadriano Pontifice impetratus. A quo honorifice susceptus, cum asseruisset se omnia quæ Nicolaus iniunxerat, sic implesse ac si diuinitus imperata fuissent, idemque omnes qui cum ipso aduenerant proceres affirmassent, nec vlla opposita persona inueniretur, quæ aduersus regiam auctoritatem legitimum auderet inire iudicii certamen: tunc Hadrianus ad Confessionem S. Petri, post Missarum solemnia, sanctam ei communionem porrigens, in hæc verba illum allocutus est: *Si innoxium te recognoscis à prohibito & interdicto tibi à Nicolao adulterij scelere, & hoc fixa mente statutum habes, vt numquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ misearis nefario concubitu; fiducialiter accede, & Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe: Si autem tua conscientia te accusat, teque lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis in mœchiæ voluptabrum, nequaquam sumere præsumas, ne forte ad iudicium & condemnationem tibi adueniat, quod Fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia.* Aliorum vero vnicuique qui ipsum Romam comitati essent, hæc dixit, *Si domino & Regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fauorem non præstitisti, neq; consensum tribuisti, & Waldradæ aliisue ab hac Sede Apostolica excõmunicatis non communicasti; Corpus & Sanguis Domini nostri* IESV CHRISTI *prosit tibi in vitam æternam.* Cum autem nihilominus & ipse Rex, & alii ferme omnes (nonnulli enim eiusmodi contestatione perterriti, timuerunt accedere ad sacram mensam) ausu temerario communionem sumpsissent; diuina se mox vindicta exerente, ipse Lotharius Romā lætus recedens, morbo in itinere correptus est, & Placentiam ægre perductus mense Augusti infeliciter spiritum reddidit: ac ceteri pariter quicumq; indigne communicassent, omnes eodem anno miserabiliter interierunt; perpaucis qui se à communione subtraxerant, vix mortis periculum euadentibus: tantaque facta est strages comitatus Lotharij, vt non peste periisse, sed hostili gladio corruisse nobilitas totius Regni videretur. Narrat hęc Regino; sed male anno sequenti, quod errore ponat obitum Nicolai anno prędicti. Meminit eorumdem Aimoinus *g*; additque, Lotharium à paucis suorum qui à clade remanserunt, in quodam monasteriolo secus ciuitatem Placentiam terræ mandatum esse. Porro eo mortuo, Regni eius proceres, excluso Ludouico Imp. ipsius fratre, piissimo Principe, legitimoque successore, adhæserūt Carolo Caluo eiusdem patruo: cuius rei causa plurimum fuit Hadriano Pontifici declamandum, vt dicetur anno sequenti.

VLTIO DIVINA IN PERIVROS

g Aim. lib. 5. cap. 21.

Subdit vero Regino, eodem quoque tempore contigisse in Italia obitum Theutgaudi Archiepiscopi Treuerensis, & Guntharii Colonensis, à Nicolao anathemate damnatorum. Sed de Theutgaudo, quomodo paulo ante obitum è monasterio Romano S. Gregorii ad Cliuum Scauri, vbi liberalitate Hadriani Papæ mansionem susceperat, ab eodem ipso Gregorio terribiliter expulsus, & intra annum vna cum suis mortuus fuerit, memorabilem narrat historiam Ioannes *h* Diaconus qui præsens cuncta perspexit. Etsi enim Hadrianus Theutgaudo ignouit, Deus non ita; quem diuturnæ cõtumaciæ voluit hic pœnam luisse. Quod vero ad Gunthatium pertinet; eum diutius superuixisse constat ex literis *i* Hadriani ad Ludouicum Germaniæ Regem Indictione tertia.

V. DE THEVTGAVDI OBITV.

h Ioan. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 4. c. 94.

i Rec. Bar. Annal. Tō. X. an. 870. ex Bib. Nic. Fabri.

IESV CHRISTI AN. 869.

HADRIANI II. AN. 2.

LVDOV. II. 14.

BASIL. MACED. 3.

ANNO Christi octingentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda, Hadrianus Papa remittens Constantinopolim Legatos Basilii Imperatoris & Ignatii Patriarchæ, vna cum ipsis misit quoque suos à Latere, eos ipsos quos ante illuc mittendos destinauerat Nicolaus, nempe *Donatum* Ostiensem Episcopum, & *Marinum* S.R.E. Diaconum, quibus insuper sociauit *Stephanum* Nepesinum Episcopum: eisq; epistolas *a* dedit quarto Idus Iunii scriptas ad eosdem Imperatorem & Patriarcham, quibus primum confirmauit quæcumque gesta fuerant in expultione Potii, & restitutione Ignatii; deinde hortatus est ad cogendam Synodum Oecumenicam, in qua præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis prospiceretur lapsis qui Photio communicassent, & plenissime consuleretur statui Ecclesiæ Orientalis. Profecti igitur Legati, ingenti vbique honore recepti ab iis quos obuiam eis Imperator in diuersa loca miserat; in ipsa præcipue vrbe Constantinopolitana solemni ritu ab vniuerso Clero, Patriciis aliisque omnibus Palatinorum ordinibus, & cuncto po-

I. LEGATIO AB HADR. PP. MISSA CONSTANTINOP.

a Ext. Act. 1. & 3. Oct. Synod.

pulo

pulo cum cereis & lampadibus procedente, susceptí sunt decimoseptimo Calēdas Octobris, ac demum ab ipso Imperatore ad osculum amabiliter admissi, tanquam à sancta omnium Ecclesiarum Dei matre Ecclesia Romana, & à sanctissimo domino & Vniuersali Papa (vt ipse indigitauit) delegati ad tollenda pestiferi Photiani schismatis scandala: vt hæc omnia fusius describuntur apud Anastasium.

II. OCTAVA SYNODVS OECVM. CELEBRATVR.

Continuo vero iidem Legati cum Imperatore & Patriarcha agentes de cogenda SYNODO, eam tertio Nonas Octobris, cœpta iam à mense Septembri Indictione tertia, inchoarunt in ecclesia S. Sophiæ; vt docent eius Acta, quæ extant diligenter excepta. Iis autem præfixa imprimis legitur præfatio, qua infelix Photius iure perstringitur, dum nominatur arbor infructuosa falce Apostolica succidenda, simulator, hypocrita, raptor, lupus grassator: commendatur vero zelus Nicolai Pontificis aduersus eum, cuius causa alter Elias est appellatus. In ipsa vero Synodi Actione Prima, præter nominatos Apostolicæ Sedis Legatos, & *Ignatium* Patriarcham Constantinopolitanum, recensentur interfuisse qui tenerent locum Patriarcharum Antiochiæ & Hierosolymorum, nempe pro Patriarchatu Antiocheno (quod sedes illa vacaret) *Thomas* Tyri Metropolita, & pro Theodosio Patriarcha Hierosolymitano *Elias* illius Ecclesiæ Syncellus: itemque ipse *Basilius* Augustus vna cum pluribus Patriciis; inter quos fuit *Bahanes* vir primarius apud Imperatorem, qui gessit in Synodo munus Iudicis Cognitoris, videlicet definienda proponendi, & rogandi Patrum sententias. Iis igitur omnibus confidentibus, ingredi iussi sunt Episcopi qui numquam desciuerant ab Ignatio, glorioſi Confessores eius causa multa perpessi, omnes numero duodecim, & non amplius: vnde plane considerare liceat miserandum Orientalis Ecclesiæ naufragium. Ceterum annumeratis iis qui recantantes palinodiam Synodo subscripserunt, in fine recensentur interfuisse huic Synodo centum & duo Episcopi. Ita Nicetas.

QVINAM ET INTERFVERINT.

III. RES GESTÆ IN PRIMA ACT.

Quod autem attinet ad ceteras res hac Prima Actione gestas; post lectam Imperatoris exhortationem ad Synodum, rogati Apostolicæ Sedis Legati literas suæ delegationis ostendere, responderunt hoc numquam in aliqua Vniuersali Synodo factum esse, vt Legati Romanæ Ecclesiæ ab aliquo perpenderentur, vtrum talem existimationem haberent. Bahanes autem Patricius dixit, haud istud peti in dedecus Apostolici throni, sed quod nuperi Legati Rodoaldus & Zacharias eos decepissent, alia in mandatis habentes, & alia facientes. Quibus persuasi Legati obtulerunt legendas literas Hadriani Papæ, quibus eius mandata continerentur: quæ quidem Latine primum lectæ vti scriptæ erant, deinde à regio interprete Græce auditæ sunt legi, & ab omnibus pro tanto beneficio gratiæ Deo redditæ. Deinde lectis quoque literis delegationis Patriarcharum Orientis, iussus est pariter recitari libellus à Nicolao olim compositus, ab Hadriano vero iisdem suis Legatis datus, cui subscribere tenerentur quicunque ex schismaticis Photii fauoribus recipi in Ecclesiæ Catholicæ communionem vellent; quo imprimis continebatur approbatio immaculatæ fidei Apostolicæ Romanæ Sedis, ac deinde anathematizatio omnium hæresium, & maxime Iconomachorum, atque etiam Photii alienæ sedis inuasoris. Lecto libello, eodemque omnium vna voce laudato atque probato, lecta est pariter & approbata definitio Legatorum sedium Patriarchalium iam antea facta, cum ipsi annum integrum illic morati essent expectantes Legatos Apostolicæ Sedis: quæ quidem non aliud continebat, nisi vt in omnibus obediretur Romani Pontificis decretis. Post hæc Legati Apostolici recensuerunt, quomodo rite & auctoritate legitima Nicolaus Papa Photium absentem damnasset: Legati vero Patriarcharum probauerunt, numquam ab vlla Patriarchalium sedium Orientalium Photium receptum esse. Ex quorum responsione redargutum est falsitatis Conciliabulum Photii aduersus Nicolaum, cui mentius fuerat interfuisse & subscripsisse Legatos sedium Patriarchalium Orientis. His denique absolutis, secutæ sunt acclamationes in Synodis fieri consuetæ; quæ & in fine reliquarum Actionum singularum repetitæ sunt.

LEGITIME DAMNATVS PHOTIVS A SENS A NIC. PP.

IV. ACTIO II.

Secunda Actione habita Nonis Octobris, plurimi Episcopi, qui à S. Methodio vel Ignatio olim ordinati, lapsi desciuissent in partes Photii, interrogati an libellos oblatos ab Ecclesia Romana vellent offerri Synodo, libenter consenserunt; impositique sunt illi super lignum S. Crucis, & super sancta Dei Euangelia: & inde sumentes illos prædicti Episcopi, & Patriarchę suo Ignatio offerentes, ritu solemni redditis eis insignibus Episcopatus, (aliqua tamen iniuncta ieiuniorum & orationum pœnitentia) recepti sunt vna cum aliis permultis clericis simili modo restitutis: qui omnes (vt continet eorum libellus) rogarunt admitti per intercessionem sanctissimæ Dei-Genitricis MARIÆ, & SS. Apostolorum, & sanctissimi Papæ Nicolai. Ita enim plane mox post obitum, Orientales coluerunt eum vt Sanctum. Tertia vero Actione celebrata quinto Idus Octobris, cum alii lapsi Antistites noluissent libellum à Romano Pontifice missum ad satisfactionem suscipere, à Synodo non sunt recepti. Quarta autem habita tertio Idus eiusdem mensis, quibusdam Episcopis à Photio ad Synodum missis, iactantibus cum ipsos tum Photium à Nicolao Papa receptos fuisse; ostensum est à Legatis Apostolicis, id mendaciter ab eis asseri, ideoque cum ignominia expulsi sunt. Sed quo prætextu id ipsi iactarent, in fine Actionis, redditur manifestum; nimirum quod Romanæ esse Ecclesiæ consuetudinis dicerent, nullū peregrinum Episcopum permitti in S. Petri basilicam introire, nisi fidei libello prius oblato: quare cum hoc ipsi olim missi Romam à Photio fecissent, satis factum putarunt vt dici possent communicasse cum Nicolao. Verum rursus ostensum est, cum & aliū dedissent libellum, quo declararent atq; iurarent secuturos se Apostolicæ Sedis iudicium, nec sic tamen eos admissos fuisse cum aliis Episcopis ad communionem, eo quod ab eo missi essent qui thronum inuasisset alienum: quod & superius dictum est suo loco.

ET III. DE LAPSIS EPISCOPIS.

ACT. IV. DE PHOTIO NVNQVAM RECEPTO A SED. APOSTOL.

Quinta autem Actione celebrata decimoquarto Calendas Nouembris, Photius ipse præcepto Imperatoris iussus est inuitus ad Synodum duci: quem vt laicum, per laicos vocari voluerunt Apostolici Legati. Qui cum vim tantummodo contestaretur, nihilque ad interrogata responderet, affirmans impudenter se Christi exemplo tacere cum iudicaretur; eidem vndiq, licet conuicto & condemnato, tempus ad resipiscendum à Synodo benigne impertitum est; quod tamen ipse recusauit accipere. Quinetiam octauo Calendas Nouembris habita Actione Sexta, cui interesse voluit Imperator, conati sunt aliqui Episcopi schismatici eumdem Photium defendere: qui ab Orthodoxis confutati licet, & ab ipso Imper. præclara admodum atque humillima exhortatione admoniti, nec sic tamen impelli potuerunt oblatum ab Ecclesia Romana suscipere libellum. Quibus nihilominus Imperator, haud vinci eorum pertinacia passus, adhuc decem dies ad resipiscendum dari voluit. Sed cum rursum conuenientibus Patribus quarto Calendas Nouembris, introductus cum suis Photius, (qui cum baculo innixus ingrederetur, iussus est à Marino Apostolico Legato illum deponere, quod signum esset dignitatis pastoralis) maiorem demonstraret peruicaciam; recitatæ sunt damnationes sæpius aduersus eum promulgatæ à Romanis Pontificibus; eisdemque additi anathematismi, in eumdem ipsum præsentem atque stantem conclamati. Hos vero secutæ sunt acclamationes plenissimæ dictæ Imperatori atque Imperatrici, Romanisq; Pontificibus Nicolao & Hadriano, Ignatio item Patriarchæ, & Legatis Apostolicis, aliarumq, sedium Patriarchalium. Nec prætermittendum quod habet Nicetas in Vita Ignatii, Episcopos subscribentes damnationi Photij, in maiorem hominis detestationem, (quod etiam factum legimus *b* in damnatione Pyrrhi pseudopatriarchæ Monothelitæ) intinxisse calamum in sacrum Sanguinem CHRISTI: verum de his nihil in Actis Synodi, quæ integra extant.

b Supra an. 648. II. & vide etiam an. 867. post num. VI.

V. ACT. V. VI. VII. INTRODVCTVS PHOTIVS IN SYNODVM, CVM NON RESIPISCERET, DAMNATVS EST.

Octaua sessione celebrata Nonis Nouembris, præsente atque rogante Imperatore, combusta sunt chirographa cuncta, quæ ab omni hominum genere Photius extorsisset, vna cum omnibus eiusdem scriptis contra Nicolaum Papam & Ignatium Patriarcham: ac detectæ falsitates in his ab eodem impostore commissæ: & aduersus falsarios, per quos ipse impostura confinxisset, à Legatis Apostolicis iussus est legi canon Concilij Romani sub Martino, vt non recipiantur ad pœnitentiam nisi in fine vitæ. Postea vero occasione quo-

VI. ACT. VIII. COMBVSTA SCRIPTA PHOTII.

tumdam Iconomachorum in Synodum introductorum, prolati sunt in Iconomachos anathematismi. Reliquæ autem duæ Synodi Actiones sequenti anno sunt celebratę: sed ne discrimine temporis ab aliis diuisæ remanerent, hic eas superioribus iungere conueniens magis visum est.

VII. ACT. IX DE FALSIS TESTIB. QVI PHOTIO ADHÆSISSENT.

Sequenti igitur anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo, eadem Indictione tertia, pridie Idus Februarij, in Nona Actione receptus est in Synodum Legatus à Michaele Patriarcha Alexandrino missus, nomine *Ioseph* Archidiaconus eius Ecclesiæ: qui præcedentium Actionum Acta probauit. Post hæc introducti permulti viri illustres, qui suasione Photij, & compulsione Michaelis Imperatoris, contra Ignatium protulerant falsum testimonium, confessi errorem, pœnitentiam à Synodo perceperunt, agendam in ieiuniis, orationibus, & eleemosynis, aliisque pietatis & pœnitentiæ operibus quæ ibi recensentur: data tamen Ignatio facultate dispensandi cum ouibus suis de diuturnitate temporis, moderandi scilicet pro causa. Idq; ipsum actum est cum illis sacerdotij illusoribus laicis, quos in vrbe Constantinopolitana sub eodem Michaele saeris indumentis progredi consueuisse & sacra facere, suo loco vidimus. Datumque inter alia crimini Photio, quod ista sciens nõ abstulerit; ob idque Compatriarcha mimi appellatus est, aliisque ignominiæ titulis à Patribus infamatus. Introducti pariter Vicarij seu Legati, quos idem in Conciliabulo contra Nicolaum supposuerat, palam falsitatem confessi sunt; detestante Synodo ipsius Photij multiplicem iniquitatem.

VIII. LEGATI LVDOV. IMP. INTERSVNT SYNODO.

Inter hæc autẽ peruenit Constantinopolim Legatio missa à Ludouico Imperatore Occidentalis Orbis, pro coniugio ineundo inter ipsius filiam atque Basilij primogenitum; qua functi sunt *Anastasius* S. R. E. Bibliothecarius, vir disertissimus, (ille ipse, quem in his Annalibus passim citari contigit de Rebus gestis Summorum Pontificum, alii que) Suppo Comes consobrinus Augustæ, & Euerardus præpositus mensæ regiæ. Habet enim istorum nomina ipse Anastasius notata in exordio Decimæ Actionis; qui huius legationis etiam meminit in historica præfatione ad hanc Octauam Synodum: vt & Aimonius *c* in Gestis Francorum; aitque Basilium Imper. classem ante hæc direxisse in Adriaticum mare, opem laturam Ludouico in Apulia bellum aduersus Saracenos gerenti. Quo eodem tempore ex Vrbe reuerso Petro Michaelis Bulgarorum Regis legato absque petitionis effectu, decreuit idem Rex Legatos Constantinopolim, qui (vt habet Anastasius eadem præfatione) admissi sunt in Synodo considere vna cum Legatis Ludouici.

c Aim lib. 5 cap. 21.

ITEMQVE LEGATI BVLGAR.

IX. ACT X. ET VLT. LECTI CANONES SANCITI A SYNODO.

His igitur omnibus præsentibus, celebrata est Actio Decima & vltima Synodi, die vltima Februarij: in qua primum omnium iussi sunt legi Canones à Patribus constituti, omnes numero viginti septem, quibus imprimis Constantinopolitanæ Ecclesiæ opportunitatibus consultum est: Videlicet de confirmatione eorũ, quæ pro Ignatio & contra Photium acta essent: deque abrogatione cunctorum gestorum Photij, & collatorum ipsi, & ab ipso aliis sacrorum ministeriorum; & vt qui hactenus obstinato animo ei adhæsissent Episcopi, licet consecrati fuissent à Methodio vel Ignatio, vel etiam post hac resipiscerent, nullam penitus spem restitutionis Episcopatus haberent: Item de confirmatione cultus sacrarum Imaginum; & ne sacras Imagines anathematizati pingere auderent: Ne laici, nisi prius per decẽ annos in aliis Ecclesiasticis ordinibus permansissent, proueherentur ad Episcopatus: De condemnatione eorũ, qui cum Photio crederent duas in vno corpore esse animas: Ne à Principibus, vel eorum fauore eligerentur Episcopi, nec Episcopi indecentia obsequia exhiberent Magistratibus, nimirum ne obuiam prodeant procul ab Ecclesiis suis; non se demittant ab equis, vel adorent eos; nec intrent ad Principes hora prandii, vbi indebita persoluant obsequia: sed veneratione digni habeãtur, & qui libere errantes Principes valeant redarguere. Ne Principes Conciliis interfint, nisi forte Oecumenicis: De exhibẽdo honore & reuerẽtia omnibus Patriarchis; præcipue vero Romanæ Ecclesiæ Summis Pontificibus, contra quos minime fas esset, nec quidẽ in Synodis Oecumenicis, audacter sententiam dicere. His atq; aliis permultis, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, statutis & comprobatis; adhibitaque cõfirmatione septem præcedentium Oecumenicarum Synodorum, & damnatis omnibus hæresibus, iteratoque aduersus Photium & socios anathemate; finis Synodo felicissimus est impositus, Basilio Imp. nouissime consensum omnium explorante: qui & insuper tam ad Episcopos quam laicos egregias habuit admonitiones, dignas Augusto maxime pio; ad illos quidem, vt gregem Dei diligenter curarent, & inter alia vt saltem diebus Dominicis ministrarent illi verbum Dei: ad laicos vero, vt Ecclesiasticis rebus non se immiscerent: *De vobis*, inquit, *Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conuersamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hoc enim inuestigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantacunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interius polleat; donec laicus est, ouis vocari non desinet: rursumque quantacumque Episcopus sit irreuerentia & irreligiositate plenus, & nudus omni virtute; donec Antistes est, & veritatis verbum recte prædicauerit, pastoris mentionis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium constitutis, pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ super nos sunt quærendi & ambiendi? Oportet nos cum timore, & fide sincera hos adire, & à facie eorum vereri, cum sint ministri Domini omnipotentis, & huiusmodi formam possideant, & nihil amplius quam ea quæ sunt nostri ordinis requirere, &c.*

LAICI NON CVRENT ECCLESIASTICA.

Post hæc cum subscribenda Synodus esset, hortantibus Apostolicæ Sedis Legatis vt primo loco subscriberent Basilius & filij Imperatores; non acquieuit ille, nisi post subscriptionem omnium legatorum cunctarum sedium Patriarchalium, suam apponere: cui & addidit signum sanctissimæ Crucis; sicut id ipsum Episcopos omnes ex more præstitisse, ostendẽt quæ suo loco inferius dicturi sumus. Porro subscripserunt Imperatores literis (vt moris erat) phœniceis ex cinnabrio. Erat quidem Magistratus in Imperio, cui cura erat Caniculi, cuius mentio fit in Synodi Actis dum nominatur Christophorus præpositus Caniculi, qui dictus protoa secretis. Vocem autem *Caniculi*, exponit Anastasius in scholiis ad eamdem Synodum, Atramentum, siue potius Rubramentum, ex quo Imperatores literas phœniceas exararent scribendo. Qui vero post Imperatores subscripti numerantur Episcopi, nonnisi centum & duo sunt: quod videlicet (vt notat in margine Anastasius, qui aderat) nullus in Synodum receptus fuerit Episcopus, qui à Photio aut suis consecratus esset, sed tantum qui à piis Patriarchis SS. Methodio & Ignatio consecrati superstites reperirẽtur. Denique post Synodum, quasi appendix, positæ sunt epistolæ ex Synodo, vel ob Synodum ab aliis tunc datæ: quarum omnium prima est Encyclica ad omnes Christi Fideles, qua cunctæ in Synodo res gestæ narrantur: alia item scripta ad Hadrianum Papam, qua rogatus est à Patribus eamdem Synodum confirmare: eædemque missæ sunt ad alios Patriarchas. Quæ vero sequuntur, post discessionem Legatorum datæ reperiuntur; de quibus inferius.

X. IMP. SVBSCRIBIT POST LEGATOS SEDIVM PATRIARCHAL.

DE PAVCITATE EPISCOPORVM.

Ceterum hanc SYNODVM nuncupandam esse sine vlla cõtradictione VNIVERSALEM OCTAVAM, asserit Anastasius in præfatione ad ipsam: quæ etiam inter alias Oecumenicas annumerata reperitur in Fidei professionibus fieri solitis; in tantum vt & ipsi Romani Pontifices, æque ac septem superiores, illam quoque Octauam Oecumenicam Constantinopolitanam, se recipere profiterẽtur in solemni Fidei professione ab eis recitari *d* solita, cum in Pontifices electi essent iam consecrandi. Vnde valde miramur, cur Cõcilium Florentinum, Octaua Synodus Oecumenica dicta & inscripta in ipsius Actis hactenus typis excusis habeatur Pace dictum sit Iuliani Cardinalis, qui in disputatione habita cum Marco Ephesino Sessione sexta Ferrariæ, (puto ignoratione rerum gestarum) ei nimis visus est indulgere, hanc Octauam Constantinopolitanam neganti, ac mendaciter asserenti eam abrogatam fuisse à Ioanne Romano Pontifice, comprobatam vero Photianam postea habitam qua damnata est Octaua hęc sub Hadriano celebrata. At in sequenti Actione eiusdẽ Synodi Florentinæ, Andreas

XI. SYNODVS DICTA VNIVERSALIS OCTAVA. *d Rat. Bar. annal. 18. X. ho an. excud. Aur. August.* REDARGVITVR APPOSITVS TITVLVS CONCIL. FLOR. [Qui quidem in postrema quibusdam Conciliorũ editionibus emẽdatus est; quib. Florentina Synodus Decimasexta, vel Decimaseptima Oecumenica numeratur.]

Colos-

Colossensis Episcopus vir doctissimus æque ac maxime pius, id omnino negauit; quod & inferius cum de Ioanne Pontifice agetur, falsissimum esse demonstrabitur. Quoniam autem quæ Marcus aduersus hanc Octauam legitimã dixisset, in Florentinæ Actis remansissent; magna interpres temeritate, æque ac imperitia (fuit is Abrahamus Cretensis) nulla habita ratione responsionis Andreæ Colossensis, eidem Concilio Florentino indidit nomen, vt Octaua Synodus nominaretur: cum tamen nec in eius decretis vel Actis, nec in Eugenii Papæ diplomatibus de ipsa datis, aliquid eiusmodi reperiatur: cumque alioqui, etsi hæc de qua agimus Octaua Synodus fuisset abolita, (quod dicere sacrilegium est) adhuc tamen nec Florentina Octaua dici possit, quod extent plures aliæ ante ipsam celebratæ Synodi Oecumenicæ, quibus magis eiusmodi appellatio competat. Quod autem hanc eandem Octauam legitimam Aimoinus reprehendit, quia in ea confirmatus est cultus sacrarum Imaginum; ex eo plane qualis ipse fuerit, cuiusve dogmatis, manifestatur; nempe ex Gallis illis vnus, quos negasse vidimus cultum sacrarum Imaginum; de quibus etiam Anastasius meminit in sæpius memorata præfatione sua.

c Aim. li. 5. c. 28. AIMOINI ERROR.

XII. LAVDES OCCIDENTALIS IMP. ORIENTALES NON ADMITTVNT.

Ex veteri autem æmulatione Orientalium Imperatorum in Occidentales, qua istis nuncupationem *Imperatoris* inuidebant, ante factam Synodi subscriptionem turbatio aliqua accidit; quæ quidem Actis Synodalibus inserta non est, sed narratur apud Anastasium in Vita Hadriani: Nimirum quod cum petitum esset, vt oblata ab eodem ipso Anastasio Legato epistola Hadriani in fauorem Ludouici Imperatoris scripta, in Synodo legeretur; inuenti sunt in ea esse corrasi versus illi, in quibus Ludouici nomen *Imperatoris*, ipsiusque laudes prædicabantur. Qua de re querelam mouentibus Legatis Apostolicis, & subscribere Synodalibus Actis recusantibus, nisi epistola integre iisdem Actis inseretur, contra vero contendentibus Græcis, non esse in Synodo de laudibus Imperatoris, sed de solius Dei tractandum; tandem paci publicæ sapienter consulentes Legati, ad finem Actionis decimæ ita subscripserunt, vt tamen expectandam esse specialem voluntatem Romani Pontificis apposuerint. Ex qua pariter illiberali Græcorum actione, creduntur omnino turbata cœpta fœdera nuptiarum. Et hæc quidem antequam Synodus absolueretur.

XIII. CONTENTIO DE DIOECESI BVLGAR.

Post tertium autem diem quo penitus absoluta est, congregatis in vnum Basilio Imp. Apostolicæ Sedis & aliarum Patriarchalium Legatis, vna cum Ignatio Constantinopolitano, ad audiendos Michaelis Regis Bulgarorum Legatos; magna quoque ibi altercatio habita est, vtri Ecclesiæ, Romanæ, an Constantinopolitanæ, iidem Bulgari recens ad fidem conuersi subiici deberent: asserentibus Græcis ad Cõstantinopolitanam eos pertinere, quod eorum regio, antequam ipsi eam occupassent, Græcorum pareret Imperio, ac Græcos sacerdotes haberet: contra vero contestantibus Apostolicis Legatis, iura sedium non sequi Regnorum diuisiones; sed & vtramque Epirum, totamque Thessaliam, Dardaniam, Daciam, & ceteras in Illyrico prouincias in quibus nunc Bulgari habitabant, antiquitus solitas fuisse à Romana Ecclesia immediate administrari; ipsosque Bulgaros, qui nihil ad Imperium Græcorum pertinerent, cum fidem Christianam susceperunt, sponte se eidem Romanæ Ecclesiæ subiecisse, sacros ab ea ministros quærentes, quibus in omnibus obedirent; ac denique neque vnquam Græcos eas prouincias iure dominationis possediisse, nisi inquantum sceptro Romano potirentur. Sed cum nihilominus Legati Orientalium sedium Patriarchalium in fauorem Imperatoris sententiam præcipitassent, qua Bulgarorum Ecclesiam Cõstantinopolitanæ subdi debere asseruissent; Apostolici reclamantes, eorum sententiam, tanquam ab inferioribus, ideoque haud legitimis iudicibus latam respuerunt; totamque causam supremæ Apostolicæ Sedi reseruantes, interim Ignatium grauiter contestati sunt, ne Ecclesiæ Romanæ iura minueret, à qua ipse propriæ Ecclesiæ restitutus esset. Narrantur hæc pluribus in Hadriano.

XIV. ARTES GRÆCOR. SVBDOLÆ ADVERSVS ATINOS.

Accesserunt ad ista, quod Græca calliditate ex improuiso ita conuenti sint Apostolici Legati, vt ipsi carentes proprio interprete, coacti fuerint vti eo qui tunc solus aderat interprete Imperatoris, qui nihil retulit eorum quæ ab vtraque parte dicerentur, nisi quæ videret Imperatori suo grata esse, & in honorem sedis Constantinopolitanæ vertere. Est enim de his iusta querela ipsius Anastasij Bibliothecarii; qui hanc eandem contentionem recensens in præfatione historica ad Octauam Synodum, multa addit de fraudibus quibus Græci vti consueuissent cum in aliis rebus, tum præcipue in singulis ferme Synodis Oecumenicis. Et quod ad istam Octauam attinet, asserit quicquid in Latinis eius Actis reperitur (quæ ipse, vt testatur, è Græco in Latinum vertit, & annotationibus marginalibus illustrauit, dum esset Constantinopoli) ab omni esse falsitate extraneum: quicquid autem amplius, siue de diœcesi Bulgarica, siue de aliis quibuscumque rebus in Græco codice forte inueniatur, torum esse mendacii venenis infectum. Extat *f* vero adhuc Romæ in Columnensi Bibliotheca, ipsius Anastasii membraneus codex autographus eiusdem versionis cum scholiis in margine affixis, quæ non sine magno labore legi possunt ob nimiam codicis vetustatem; habitus ipse ex monasterio Auellanæ, cui præfuit magnus Petrus Damiani cum eremum coluit.

f Excusus etiã postea fuit in editione Rom. Conciliorũ Gener.

XV. SVMMA GRÆCOR. INVIDIA IN ROM. ECCL.

Sed non hic finis Græcorum fraudis. Siquidem querentibus quibusdam apud Imperatorem Basilium, quod Ecclesiam Constantinopolitanam nimis abiecte subiecisset Romanæ, cum permisit vt nullus lapsorum ad Ecclesiam rediret nisi dato libello Sedis Apostolicæ Legatis; eiusdem Basilii iussu quædam eorum libellorum pars è domo Legatorum furto sublata est qui tamen, magnas inde querelas cientibus Legatis, paulo post restituti sunt. Ex quibus Legati prudentiores facti, omnia eadem scripta secreto per Anastasium Bibliothecarium, aliosque Legatos Ludouici Imperatoris, Romam transmiserunt: cum quibus idem Anastasius detulit pariter Acta Synodi. Quod quidem non sine magna Dei prouidentia factum est; quandoquidem Legati Apostolicæ Sedis Constantinopoli Romam nauigantes, in manus piratarum Slauorum inciderunt; à quibus spoliati omnibus bonis, ipsum quoque authenticum Actorum Synodi codicem amiserunt: quibus plane caruisset Apostolica Sedes, nisi eorundem exemplar Anastasius secum detulisset. Hæc idem pluribus in scholiis ad Synodum: quorum etiam fit mentio in Rebus gestis Hadriani Papæ. Sed quod ad Legatos spectat, ipsos aliquandiu captiuos detentos à piratis, tandem Apostolicarum & Imperialium literarum auctoritate liberatos esse, ac Romam reuertisse vndecimo Calendas Ianuarii Indictione quarta, traditur in eadem Vita Hadriani siue ab ipso Anastasio, siua ab alio scriptum. Verum in eiusdem Pontificis epistola ad Basilium Imp. postea *g* scripta, nequaquam ex literis Imperatoris, sed diuino tantum auxilio eos liberatos esse, immo non sine magna Imperatoris culpa in tantum discrimen incurrisse significatur. Sicque huiusmodi eorum periclitatio, quartum numeratur scelus ab eodem ingratissimo Imperatore illiberali nimis animo patratum in Sedem Apostolicam, post redditam ab ea tanto labore pacem Ecclesiæ Orientali. Atque hactenus de rebus ad Octauam Synodum spectantibus; quæ (vt diximus) hoc anno cœpta, in sequentem propagata est.

LEGATI SED. AP. POST. INCVRRVNT IN PIRATAS.

g Ap. Bar. an. 871.

INGRATITVDO BASILII IMP.

Quod ad res Francorum pertinet; hoc eodem anno, quod Carolus Caluus occupasset Lotharii nepotis nuper defuncti Regnum; expostulante Ludouico Imperatore, ab Hadriano Pontifice decreta est ad eundem Carolum Legatio duorum Episcoporum; qua cum ipsum, tum Regni eius Episcopos atque proceres, excommunicationis commination admonuit abstinere ab eiusmodi Lotharii Regno, quod pertineret ad Ludouicum Lotharii fratrem & legitimum successorem. Scribit hæc Aimoinus *h*: extantque *i* adhuc quædam Hadriani epistolæ ad eos missæ (vt notantur) Nonis Septembris. Sed antequam hi Legati peruenissent ad Carolum, collecto *Metis Concilio* pridie Idus eiusdem mensis Septembris, decernentibus Episcopis Regni Lotharii, præsente etiam, & ad id ceteros impellente Hincmaro Rhemensi, idem Rex Carolus ibi præsens coronam eiusdem Regni accepit: vt patet ex ipsis Synodi Actis, quæ supersunt *k*. Quin etiam postmodum eundem Carolum, ad placandum Romanum Pontificem, Legatos in Vrbem direxisse cum oblationibus ad basilicam S. Petri, inter quas erant duæ coronæ aureæ gemmis ornatæ, pro duobus quæ possidebat Regnis, auctor est Aimoinus. Verum has obla-

XVI. HADRIANI PP. COMMINATIO AD CAROL. CALV. OB VSVRPATIONEM REGNI LOTHAR.

h Aim. li. 5. c. 24.

i Rec. Bar. Annal. Tõ. X. hoc an. ex Bibl. Nic. Fabri. CONCILIA VL. METEN. PRO CAROLO.

k Rec. Bar. ex cod. Ant. Ang.

tiones haud putamus ab Hadriano esse susceptas, cum de his in literis postea ad Carolum ab ipso datis nulla sit mentio, quæ alias præteriri minime consueuissent. Quid autem post hæc gestum fuerit, dicturi sumus anno sequenti.

XVII. LITERÆ SALOM. REGIS BRITAN. AD HADR. PP. PRO PALLIO ANTIST. DOLEN.

Hoc eodem anno Salomon *l* Rex Minoris Britanniæ literas scripsit ad Hadrianum Papam, hac præfixa inscriptione, *Domino ac beatissimo Apostolicæ Sedis Rom. Hadriano, Salomon Britonum Rex flexis genibus, inclinatoque capite, in Christo fideliter pacis diuturnitatem*: quibus pallium petiit Festiniano Antistiti Dolensi; quod à Nicolao Pontifice denegatum fuisse tradit, quia ipse Salomon ea de re ad eum scribens, suum nomen ipsius Nicolai nomini præposuerat, & literas absque sigilli impressione minus etiam idoneo legato deferendas tradiderat. Petiit quoque iisdem literis sactas Reliquias pro monasterio quod ædificabat: muneraque misit, auream statuam magnitudinis ipsius Hadriani tam in altitudine quam in latitudine, cum lapillis diuersi generis; aliaque plurima, cum trecentis solidis denariorum quotannis deinceps persoluendis. Ad quem rescribens Hadrianus, misit Brachium S. Leonis Papæ Tertii, diuinitus præmissis precibus ac ieiuniis impetratum. Quod vero ad Pallium pertinet; traditur quoque in eadem epistola, Hadrianum illud concessisse: verum eum locum falsatum fuisse à Petro quodam Dolensis Episcopi clerico, deprehensum est Gregorij Septimi temporibus in Synodo Santonensi; vt traditur in epistola *m* Innocentii Papæ Tertii scripta in controuersia de Pallio, & Archiepiscopatus iure, inter Turonensem & Dolensem Antistites, de qua superius dictum *n* est.

l *Argentr. Hist. Britan. lib. 2. c. 17.*

m *Innoc. III. 2. ep. 79.*

n *An. 859. VI.*

IESV CHRISTI AN. 870.

HADRIANI II. AN. 3.

LVDOVICI II. 15.

BASIL. MACED. 4.

I. ANno Domini octingentesimo septuagesimo, Indictione tertia, intentatis à Ludouico Germaniæ Rege minis aduersus Carolum Caluum fratrem Francorum Regem, pro Regno Lotharii nepotis ab eo occupato, idem Carolus timore perculsus eumdem Ludouicum accepit in partem eiusdem Regni Lotharij; cuius extant *a* Acta diuisionis, inter vtrumque confecta Aquisgrani hoc anno pridie Idus Martij. Ea vero cum audisset Hadrianus Papa, nouam in Gallias misit Legationem (qua functi sunt tres Episcopi, & vnus S. R. E. Cardinalis presbyter) cum diuersis literis *b* ad vtrumque Regem, eorumque Episcopos, atque proceres, scriptis quinto Calendas Iulij, pro restituendo prædicto Lotharij regno, Ludouico Imperatori ipsius fratri, ad quem multis titulis pertinebat: interminans, nisi obedirent, penetraturum se in Gallias, & in contemptores dignam daturum vltionem. Sed & præter istas, alias rursus dedisse repetitur ad Episcopos in Regno Caroli constitutos; quibus eos graui comminatione exagitans, illud maxime inculcauit, vt si Carolus Sedi Apostolicæ obtemperare recusaret, ipsi se ab eius communione seiungerent, si vellent cum Apostolica Sede communicare; alioqui fore vt indignos respuendos. Hæc & alia Pontifex; vt quidem reperiuntur in redditis ad eum Hincmari literis *c*, quas amaro nimis & furenti animo conscripsit, quasi eo pacto se Hadrianus pacis perturbatorem ostenderet: cum tamen nihil aliud idem sanctissimus Pontifex, tot fatigationibus quæreret, quam vt ius cuique suum tribueretur, & omnes Deo conciliarentur: præsertim cum iura ipsa legitima Regum Francorum antiquitus inuiolabiliter conseruata, clamarent Regnum Francorum non ex electione aut vsurpatione, sed ex successione deberi. Ceterum ipsum quoque Regem Carolum ægro animo tulisse reprehensionem Pontificis, atque re infecta Legatos dimisisse, testis est Aimoinus *d*.

a *Ext. in cod. Ant. Aug. in Bibl. Vatic.* RVRSVM HADRIAN. LABORAT PRO REG. LOTHAR. ADVERSVS CAR.

b *Rer. Bar. hoc an. ex Bibl. Nic. Fabri.*

c *De his literis vide late Baron. Tom. X. hoc an.* DE HINCMARI AD HADR. VIOLENTA EPIST.

d *Aim. lib. 5. cap. 26. & 27.*

Sed quod rursum spectat ad eosdem Episcopos Legatos ab Hadriano in Gallias missos; tradit idem huius temporis scriptor Aimoinus, per eos factum esse vt Carolus Rex filium suum Carolomannum, quem detinebat in vinculis, liberaret: qui quod noua moliretur, à patre coactus attonderi, clericalemque vitam profiteri, paulo post resilierat, atque ideo Episcoporum sententia damnatus fuerat: sed Apostolicam Sedē appellans, literis *e* ea de re ab Hadriano ad Carolum eiusque Regni Episcopos ac Comites scriptis, per Legatos liberatus est. Quod quidem ita, quamdiu vixit Hadrianus, permansit; postea vero Carolum acrius in filium sęuiisse, eumdemque Gallias prædationibus infestantem luminibus exæcasse, Flodoardus, Aimoinus, aliique omnes scriptores affirmant. Reperitur porro hoc eodem anno ipse Carolus (quod Politicorum est in decretis, vt quo magis Princeps iniuste agit, eo magis religionis culturam affectet) scribi sibi fecisse aureis literis libellum Precum selectarum, quas quotidiano vsu recitaret: quæ quidem magnam redolentes pietatem, nuper editæ sunt Ingolstadii anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio.

II. HADR. AGIT PRO LIBERATIONE CAROLOMANNI.

e *Rec. Bar. vbi sup. ex cod. Treuer.*

Hoc item anno *Coloniæ Agrippinæ* SYNODVS habita est Ludouico Rege agente, sexto Calendas Octobris; in qua complura ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia pertractata sunt, & dedicata ibidem ecclesia S. Petri. Hæc pluribus in veteri Francorum Chronico à Pithœo edito.

LIBELLVS PRECVM CAROLI CALVI.

III. CONCIL. AGRIPPIN.

Quo item anno Danis Ethnicis ingenti multitudine in Scotiam appellentibus, & Angliæ fines miserabiliter deuastantibus, nulli parcentibus loco, vel ætati, aut sexui, & maxime monasteria deprædantibus, sacrasque virgines polluentibus; *Ebba* Collinghammensis cœnobii Abbatissa instinctu diuino admirabile plane fortitudinis Christianæ facinus ausa, conuocatis omnibus monasterii sanctimonialibus, sibi ipsi nouacula nasum cum labro superiori ad dentes vsque præcidens, persuasit vt & ipsæ idem agerent ne à Danis ludibrio traderentur. Itaque aduenientes postridie Dani, horrendo eiusmodi spectaculo perterriti, à virginum quidem pollutione abstinuerunt, sed igne monasterio admoto easdem omnes cremauerunt; quæ ab Ecclesia Catholica cultu martyrum celebrantur. Eadem vero persecutione *Eadmundus* Angliæ Rex ab iisdem Danis Paganis tentus, ligatusque ad arborem, diutissime flagellatus est: deinde sagittis confossus, tandem capitis amputatione martyrium consummauit hoc eodem anno, duodecimo Calendas Decembris, & ipse inter Sanctos relatus multis miraculis clarus. Cum quo etiam passus est *Humbertus* Helmhamensis Episcopus, qui eum in Regni fastigium sublimauerat, & constantia inuicti Regis ad martyrium animatus est. Narrat hæc omnia pluribus, ex antiquioribus monumentis descripta, Matthæus Westmonasterienſis in sua Angliæ Historia.

IV. ADMIRANDVM SACRAR. VIRGG. FACTVM.

EADMVNDI REG. ET HVMBERTI EPISC. MARTYRIVM.

Quod ad res pertinet Orientalis Ecclesiæ; præter illa quæ ad Octauam Synodum spectare visa sunt, quæ hoc anno gesta, superiori sunt recitata; hoc item anno *Metrophanes* Metropolitanus Smyrnæ, insigni Orthodoxia spectatus, cuius summa est laus in singulis eiusdem Synodi Actionibus, quique ceteris Orientis Episcopis præstare videretur doctrina atque virtutibus; rogatus à Manuele Patricio & Tabellariorum præfecto, vt totius causæ Photii res gestas historia breui conscriberet; præstitit illud diligenter *f* epistola vna ad ipsum Manuelem scripta, qua nonnulla etiam expressit ab aliis historicis prætermissa.

V. METROPHANES SCRIBIT DE REBVS PHOTII.

f *Rer. Bar. ibid. ex eod. Colum.*

Ad huius etiam anni res gestas pertinet, quod Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in Bulgariam, tamquam ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ diœcesim pertinentem, creatum à se Episcopum vna cum aliis clericis misit, quem nominatum fuisse Theophylactum affirmant: à quo & expulsos illos esse, qui à Romano Pontifice illuc missi fuerant ad prædicandum Euangelium, ex Anastasio *g* in Hadriano intelligi potest. Ceterum iste *Theophylactus* longe alius est ab illo item Archiepiscopo Bulgarorum, cuius extant in sacrum Euangelium lucubrationes, & alia scriptorum monumenta, qui post ducentos annos vixit; de quo dicetur suo loco.

VI. BVLGARI DATVR EPISCOP. A GRÆCIS.

g *Ap. Bar. an. seq.*

Quod

VII. PHOTIVS MITTITVR IN EXILIVM.

Quod vero ad damnatum in Octaua Synodo Photium spectat; consilium illud fuit, & quidem rectum Imperatoris, obstinatissimum hominem ab aliorum consortio longe ablegare, quod videret eum pollentem eloquio plurimum posse obesse tranquillo Reipublicæ statui. Quamobrem totus ad partes Photij minuendas incumbens, & ipsum in exilium damnauit, & eius affines atq; amicos vexauit: adeoque ab eo facta rescissa sunt, vt etiam consecratæ ab ipso ecclesiæ profanatæ fuerint & dirutæ, seruique eius & sectarii ad quæstionem vocati, atque alia id genus aduersus eos commissa, quæ idem ipse querulus enumerat in variis suis hoc tempore ad diuersos scriptis epistolis *b*. Qui & eo vesaniæ deuenit, vt Ecclesiam Dei dira persecutione vexatam diceret, dum ipse cum collegis improbis ab Ecclesia arceretur: & cum aliquando graui terræmotu ciuitas Constantinopolitana concussa esset, iactaret ob id Deum permisisse ipsum exulare, vt à ruina subduceretur periclitantis ciuitatis.

b *Rec. Bar. ibid.*

VIII. DE LIBERIS BASILII IMP.

Hoc item anno in Theophaniæ celebritate, per Ignatium Patriarcham Basilius Aug. alium filium suum natu minorem, LEONEM nomine, Imperatorem coronari voluit: vt testatur qui præsens aderat Anastasius Bibliothecarius in suis Notis ad Octauam Synodum. Quibus consentientia scribens Curopalates in Basilio, addit insuper tertium Basilii filium nomine *Alexandrum*, à patre creatum fuisse Cæsarem; quartum vero natu minimum, dictum *Stephanum*, mancipatum esse diuinis officiis; & quatuor filias in monasterio consecratas Deo virgines, claruisse pietate.

IX. DE IMAGINE SANCTISS. VIRGINIS INCARNATA SVPER LIGNVM.

Hoc pariter anno facta est translatio Hierosolymis Damascum, cuiusdam Imaginis Dei-Genitricis olim Constantinopoli depictæ in tabula lignea: sed postea pictura (mirabile dictu) super lignum est incarnata, & oleum maxime odoriferum iugiter emittere cœpit, quo languores quicumque quorumcunque hominum, Christianorum, Iudæorum, Saracenorum, pellerentur; ita vt nunquam imminueretur, quantumcunque inde acciperetur: quapropter Imago summæ fuit veneration non solum Christianis, sed etiam Saracenis, qui & ipsi orationis gratia ad eam confluerent in Assumptione & Natiuitate sanctissimæ Virginis. Testatur hæc Arnoldus Abbas Lubecensis, qui vidit cum peregrinatus est in Palæstinam.

IESV CHRISTI AN. 871.

HADRIANI II. AN. 4.

LVDOVICI II. 16.

BASIL. MACED. 5.

I. *a Ext. in fi. Cō. Syn.* LEGATIO AB IMP. ET IGNAT. AD ROM. PONT. PRO DISPENSATIONE SVPER DECRETA OCTAVÆ SYNODI.

ANno Christi octingentesimo septuagesimo primo, Indictione quarta, Ignatius Patriarcha & Basilius Imp. miserunt Romam ad Hadrianum Papam, Theognostum Abbatem cum literis *a* ac muneribus, petentes vt quæ in Synodo Octaua remanserant indefinita definiret, atque dispensaret in his quæ ibidem statuta essent de non recipiendis promotis à Photio, vel qui subscripsissent illius pseudosynodo aduersus Nicolaum Papam. Ad quæ rescribens Hadrianus, primo de Legatis Apostolicæ Sedis sugillauit Imperatorem, quod absque vllo præsidio ita eos remiserit, vt apud regiones sub eiusdem Imperio constitutas à piratis capti fuerint: deinde questus est de Ignatio, quod Bulgaris Antistitem à se ordinatum mittere præsumpserit: ac denique negauit se dispensaturum cum Photianis; nisi noua emergente causa, quod non sit moris Romanorum Pontificum, pro libitu proprio decessorum sanctionibus, vel Synodorum Oecumenicarum decretis. Ad quam epistolam (quæ cum aliis extat in Anastasii codice Octauæ Synodi) in margine tunc adnotauit idem Anastasius ordinatos a Photio sine spe restitutionis depositos fuisse à Sede Apostolica, quod ipse Photius cum ab excommunicatis atque depositis Episcopis fuisset ordinatus, nunquam approbatus esset Episcopus, ideoque nec potuisset alios ordinare. Sed prolixiorem requirerent ista tractationem; at nos alio pergimus.

II. *b Has & seqq. Photii epistolas, rec. Bar. Annal. Tō. X. hoc an. ab Episcopo Bellun. acceptas.* PHOTII AD DIVERSOS EPISTOLÆ AB EXILIO.

Inter hæc autem Photius in exilio constitutus, literas *b* scribens ad Imperatorem, suas deplorauit miserias; ac præcipue questus est de fame quam pateretur, & priuatione librorum quos non permitteretur habere. Cum autem frustra pulsare se nosset animum Imperatoris, ad Bahanem Patricium se conuertens Proconsulem atque Præpositum, virum primarium apud Imperatorem, & occulte sibi amicum; binas ad eum dedit literas, quibus eum in sui patrocinium excitaret: quod & iste postea magno Ecclesiæ malo ei præstitit. Rursum autem versutissimus homo, ne in tanto rerum suarum naufragio aliquis ex iis quos sibi tanto labore acquisierat, ab ipso descisceret, encyclicam ad omnes Episcopos suos scripsit epistolam satis prolixam, qua miro artificio dum vnum nutantem confirmandum proposuit, omnibus ne vacillent opportuna documenta apposuit. Atque ita plane sua incredibili effecit arte vt eosdem omnes sedibus spoliatos, innumeraque alia incommoda perpetientes, continuerit in sua amicitia, ipse licet exul, & in custodia constitutus, plurimisque miseriis pressus. Sed sunt & aliæ plures ad hæc spectantes ipsius epistolæ, quas prætermittimus.

III. *c Aim. l. 5. c 28.*

Quod pertinet ad res Occidentales; hoc eodem anno (vt auctor est Aimoinus *c*) Ludouicus Imperator Romam veniens ipso die Pentecostes ab Hadriano Papa coronatus est; videlicet in Regem Francorum, vtpote legitimus successor Lotharii fratris. Postea vero Beneuentum rediens, cum tandem cepisset possessam à Saracenis Barim ciuitatem, quam (vt ait Leo Ostiensis) annis quatuor obsidione constrinxerat, aliasque clades Saracenis intulisset; Basilius Augustus ad eum misit Ioannem Patricium Legatum, cum literis increatoriis quod nomen vsurparet *Basilii* siue *Imperatoris*, (id enim & ab eius literis abrasisse in Synodo Octaua, superius dictum est:) significans debere ei sufficere vt diceretur *Riga*. Cuius literis acceptis Ludouicus, & ipse misso ad eum Autprando Legato, acrem satis dedit epistolam *d* apologeticam; qua inter alia multa, fuse ostendit eiusmodi appellationem *Basilei*, non esse peculiarem Constantinopolitanorum, sed etiam legitime competere aliis Principibus, maxime vero Francis, qui eam dignitatem accepissent à Sede Apostolica ob egregiam ipsorum fidem in Deum & Ecclesiam Romanam; vereque ipsi iam Romanis imperarent, qui ob hæresim Græcorum se ab eorum Imperio subduxissent: denique & nomen Riga, idem esse quod Regem, Regem autem idē quod Basileum. Sed & plura inferens de Francorum fortitudine, & Græcorum ignauia. Postremo hortatur, vt classem valentem mittat ad debellandos Saracenos, Siciliamque ab eorum manibus recuperandam; cui expeditioni se quoque affuturum pollicetur. Quæ autem hæc secuta sunt, dicentur inferius suis locis.

DE CONTROVERSIA INTER BASIL. ET LVDOV. OB NOMEN IMPERAT.

d Rec. Baron. ex Bibl. Column.

Hoc eodem anno mense Augusti celebrata est *Synodus*, immo grassatio apud *Duziacum* villam in prouincia Rhemensi: in qua, agente Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, damnatus est alius Hincmarus Iunior Laudunensis Episcopus illius nepos. Exæstuabat enim odium patrui in nepotem, eo quod iste aduersus illum iura Sedis Apostolicæ attenuare conantem, scripta collegisset quibus eiusdem Sedis iura corroboraret: itemque quod idem nepos pro literis Apostolicis agens, nullo modo consentire voluisset excommunicationi à patruo contra Carolomannum Caroli Regis filium illatæ in præiudicium Sedis Apostolicæ, quam Carolomannus appellauerat. Traxit & aliis occasionibus in hanc causam patruus Carolum, tum quod nepos quendam Northmannū excommunicasset, qui bona Ecclesiastica accepisset à Carolo in beneficium; tum etiā quod assereretur scripsisse ad Romanum Pontificem aduersus eundem Regem, contra fidelitatis iuramentum quod Regi iam antea præstitisset. Itaque cum idem Hincmarus nepos aduersus istas accusationes, aliaque sibi obiecta crimina, iam in duabus aliis antehac celebratis *d* Synodis apud *Attiniacum* villam, & in palatio *VVermeriæ*, Sedem Apostolicam appellasset, rursum vt eosdem Carolum Regem, & Hincmarum Rhemensem Metropolitam suum placaret, (vt ait Aimoinus *e*) professionem emisit fidelitatis Regi, & obedientiæ

IV. DE CAVSA HINCMARI LAVDVN. DIRE VEXATI AB HINCMAR. RHEM.

d [De duabus istis Synodis egit Baronius anno superiori: sed cum tribuisset Attiniacēsi, quod in ista Duziacensi factum esse constet ex libell.

Hincmari Laudunensis, oblato Trecis Ioanni Papæ de quo agetur an. 878. id ipsemet postea correxit Baronius] e *Ann. t. 5. c 24. in fin.*

suo Metropolitano præstandæ: in hæc videlicet verba: *Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus amodo & deinceps Domino seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo Seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet: ac priuilegio Hincmari Metropolitani Rhemorum Ecclesiæ, secundum sacros canones & decreta Sedis Apostolicæ ex sacris canonibus promulgata, pro scire & posse me obiturum profiteor.* Quia tamen non ista satis fuere eorundem furori, non solum non est permissus Romam adire, quamuis à Summo Pontifice vocatus; sed etiam ad præsentem Synodum Duziacensem denuo appellatus, cum eo pergeret, in itinere spoliatus est violentia hostili; & ad eandem Synodum perductus, tyrannice ibi depositus est ab Hincmaro patruo auctoritate Regis, frustra rursum appellans Sedem Apostolicam, frustraque ipsis Synodi Patribus protestantibus aditum ei ad eam Sedem non esse denegandum. Depositus vero, eiectus est in exilium; vbi ferreis diu detentus vinculis, demum post biennium excæcatus est. Quæ omnia postea coram plena Synodo Trecensi (de qua suo loco) præsente Ioanne Papa Octauo, ex eiusdem Hincmari Laudunensis libello sunt recitata.

V.

Cum autem Hadrianus Papa scripsisset vt idem Laudunensis Romam mitteretur, nec auditus fuisset; iam ex prædicta Synodo Duziacensi missum ad ipsum esse Actardum Nannetensem Episcopum, intelligitur ex eiusdem Hadriani redditis ad Synodum literis. Rescripsit *f* vero & ad Carolum Regem, excusans primo siquæ acrius in aliis ad ipsum datis literis apposuisset; subiicienisque de Actardo Legato, creato certis conditionibus Archiepiscopo Turonense, vt Rex Synodusque, necnon Clerus plebsque Turonensis petierant; quem ait se *constituisse Cardinalem Metropolitanum & Archiepiscopum Turonicæ prouinciæ, per ferulam, pitacium, & anulum, necnon per Apostolicæ auctoritatis literale decretum*: deinde secretam addens promissionem Imperii ipsi Carolo conferendi, si superuixerit Ludouico Imperatori: ac demum agens de causa Hincmari Laudunensis iuste prosequenda Romæ, quo ille venire debeat. Sed cum denuo cerneret Hincmarum detineri artibus aduersariorum, rursum acriores literas ad Regem scribens, auctoritate Apostolica iussit vt eundem Episcopum Romam mitteret. Quæ Pontificis verba Carolus in deteriorem partem interpretatus, amarissimas ad eum literas *g* reddidit, quasi ea contra morem decessorum Romanorum Pontificum scribentium ad Reges Francorum Hadrianus scripsisset: cum Reges Francorum (vt ait) non Episcoporum vicedomini, sed terræ domini hactenus fuerint computati: rogauitque vt posthac talia non mandaret, ne cogeretur ipse Rex mandata Pontificis & epistolas contemnere, & Legatos dedecorare. Cuiusmodi Caroli responsionem, ab iracundia percito Principe profectam, Politici nostri temporis vt serio dictam arripientes, promulgare solent tanquam diuinum cælitus acceptum oraculum; reliquas omnes posthabentes, & nullius pretii existimantes, epistolas Regum & Imperatorum Francorum innumeras, quibus studium, pietas, reuerentia, obsequium, omneque demum genus officii erga Apostolicam Sedem ac Romanos Pontifices amplissimis notis expressa, hactenus integra remanserũt: adeo vt & Carolus ille Magnus, sapientia, scientia, fortitudine, pietate, virtutibus denique omnibus, Carolum Caluum longissime antecellens, olim dixerit, *In h memoriam B. Petri Apostoli honorandam esse sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiastica magistra rationis: ideoque seruandam esse cum mansuetudine humilitatem, ac licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen ferendum esse, ac pia deuotione tolerandum.* Ceterum Hadrianus secundum illud symbolum Pythagoricum *Ne fodias ignem gladio*, & iuxta Sapientem *i*, *Responsio mollis frangit iram*; ad eundem Carolum mansuetius rescribens, paterne illum monuit suis correptionibus præbere potius obsequium, quam murmurationis verba rependere. Sed de his modo satis.

f Recitat plurimas ad hanc causam pertinentes scriptas vtrimque epistolas Baron. ex Bibl. Nic. Fabri. LITERÆ HADR. PP. ET CAROLI REG. IN CAVSA HINCM. LAVDVN.

g Rec. Baron. vbi sup. De quibus vide etiam Gest. in Apol. Baron. cap. 14. aduersus calumnias Goldasti, & li. 2. cont. Replic. c. 10. de quibus an. 774. post num. IV. QVAM DISSIMILIS CAROL. DECESSORIBVS.

VI.

Res autem Ecclesiæ Anglicanæ dignum exemplum Regis maxime pii hoc anno exhibent. Siquidem dum exercitus Danorum vniuersa Orientali Anglia deuastata, ad Occidentalem conuersus esset; Æthelredus Rex aduersus eos progressus, aliquando in tentorio Missam audiens, cum ipsis appropinquantibus sæpe à suis inuitaretur ad certamen, constanter affirmauit se non recessurum priusquam presbyter Missam complesset. Quæ fides multum ei profuit, victis facillime potentissimis hostibus. Post quæ, eodem Rege hoc ipso anno defuncto, successit in eius locum Ælfredus ipsius frater, cuius præclaras res gestas ex antiquis Annalibus prosecutus est Matthæus Westmonasteriensis.

EXEMPLVM CONSTANTIS FIDEI.

IESV CHRISTI AN. 872.

HADRIANI II. AN. 5.

LVDOVICI II. 17.

BASIL. MACED. 6.

I. LEGATIO BASILII IMP. AD LVDOV. REG.

ANno Christi octingentesimo septuagesimo secundo, Indictione quinta, mense Ianuario, missa est Legatio honorifica cum muneribus, & parte non modica salutiferæ CRVCIS in crystallo miræ magnitudinis auro gemmisque ordinato, à Basilio Imperatore Constantinopolitano ad Ludouicum Germaniæ Regem: vt traditur in antiquo Chronico à Pithœo edito. Cuius legationis is forte fuit finis, vt Ludouicum Regem Basilius in Ludouicum Imperatorem ipsius nepotem commoueret: inter quos iam sciret esse dissensionem ob regnum Lotharij fratris Imperatoris.

II. LVDOV. IMP. PRODITORIE CAPTVS.

Hoc enim ipso anno, quo (vt dicetur) Hadrianus Papa defunctus est, idé Basilius offensus ipsius Ludouici Aug. literis anno superiori ad eum missis, Adelgisum Ducem Beneuentanum ad defectionem sollicitasse reperitur. Cuius turpissima proditione ipse Ludouicus Beneuenti in palatio suo captiuus factus, detrusus est in carcerem; nec inde valuit eximi, donec fortissimis iuramentis pollicitus esset seruare quæ ipsi pacta firmanda obtulerunt proditores. Hæc pluribus Regino, (qui tamen perperam in annum superiorem refert, quo ponit Hadriani Papæ obitum) Leo Ostiensis, & alii; diffusius vero Herempertus antiquus auctor, (quem & alii Rencpertum, Erchempertum alii nominant) qui Res Longobardorum Principum Beneuentanorum est prosecutus. Vbi addit, hæc Deum fieri permisisse, primo quod cum aliquando Ludouicus *a* Romam venisset pro restitutione Guntharii atque Theurgaudi Episcoporum depositorum, quam recusaret concedere Nicolaus tunc Papa, idemque Pontifex ex more ei obuiam factus esset cum Clero; Imperator fustibus Clerum cædi, Cruces autem, omniaque sancta ministeria pedibus calcari iussisset, Romamque magna ex parte deprædatus esset, atque ipsum Pontificem sede priuare cogitasset: secundo, quod capta Bari ciuitate, Seodam Ducem Saracenorum flagitiosissimum *b* seruasset; à quo ipso, iuncto cum Adelgiso, meruit proditorie captiuus fieri. Quid vero posthæc Ludouicus egerit, dicetur anno sequenti.

DIVINA IN EVM VINDICTA.

a Vid. sup. an. 865. III.

b Vid. sup. an. 866. III.

III. S. ATHANASII EPISC. NEAPOL. OBITVS.

Hoc item anno quo mortuus est Hadrianus, pariter ex hac vita migrauit, (sed ante ipsum, nimirum Idibus Iulij) *S. Athanasius* Episcopus Neapolitanus, post mortem miraculis clarus; cum à Sergio nepote suo Magistro militum, ac Duce Neapolitano, homine nequissimo, commonitorem patruum non ferente, post multa alia mala tolerata, in exilium pulsus esset, ac dirissimam rursus persecutionem passus vsque ad obitum: vnde & ipsa Neapolitana ciuitas à Summo Pontifice anathemate innodata est, cuius florentissima fuerat sub Athanasio Ecclesia. Prosequitur hæc pluribus, eaque occasione de præstantia & amœnitate ciuitatis Neapolitanæ, eiusque Ecclesiæ antiquissima ab ipso Petro Apostolo origine, ac eximia in Deum pietate, & in pauperes misericordia, agit Petrus Diaconus Cassinensis huius temporis auctor in Rebus præclare gestis eiusdem S. Athanasij.

IV. HADRIANI PP.

Hoc denique anno, Calendis Nouembris, cœpta iam à mense Septembri Indictione sexta, *Hadrianus* Papa ex hac vita

OBITVS, ET IOANNIS VIII. SVBROGATIO.

vita migrauit, cum sedisset annos quatuor, menses decem, & dies septendecim: cuius res gestæ descriptæ apud Anastasium, fine carent. Vacauit autem sedes eius vsque ad decimumnonum Calendas Ianuarii: qua die in eius locum suffectum fuisse IOANNEM Archidiaconum, huius nominis Octauum, Aimoinus *c* & ipse huius temporis scriptor affirmat.

c Aim. li.5. c.29. in fin.

IESV CHRISTI AN. 873.

IOAN. VIII. AN. I.

LVDOVICI II. 18.

BASIL. MACED. 7.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LVDOV. IMP.

ANNO Christi octingentesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, Ludouicus Imp. Romam venit; ibique *Conuentum* celebrans coram Summo Pontifice, multa super Adelgisi proditione conquestus est: aduersus quem hostem Reipublicæ declaratum, bellum à Senatu Romano decretum est. Ipsum vero Imperatorem Ioannes Papa absoluit iuramento, quod coactus præstiterat ad mortis periculum euadendum. His auditis Adelgisus metu perterritus secessit in Corsicam. Hæc ex Reginone. Addit vero Aimoinus *a*, Ioannem Pontificem compatrem Adelgisi, ipsum Ludouico id optanti reconciliasse; idque factum hoc anno esse.

a Aim. li.5. c.30. in fin.

II. CAROLVS FIL. LVDOV. REG. A DÆMONE INVADITVR, OB CONSPIRAT. IN PATREM.

Quo item, septimo Calendas Februarii *b*, in *Conuentu* Episcoporum ac Comitum habito *Francofurdiæ* à Ludouico Germaniæ Rege, Carolus eius filius natu minimus in conspectu omnium à malo dæmone inuasus est, iusto Dei iudicio quod in patrem conspirasset: sicut & ipse post liberationem fassus est, se toties aduersæ potestati traditum, quoties eiusmodi deliberationi inhæsisset. Narrant hæc Annales Francorum à Pithœo editi, & Aimoinus. Apud quos fit etiam mentio alterius *Conuentus*, habiti hoc ipso Christi anno, Idibus Septembris, apud *Gandulphi Villam* in ditione eiusdem Ludouici Regis, præsentibus Legatis Apostolicæ Sedis, Formoso Portuensi, & Iadetico Velitrensi Episcopis, necnon Engilberga Augusta Ludouici Imp. coniuge: in quo dissolutis auctoritate Apostolica pactis iuramento firmatis de Regni Lotharii diuisione facta ab eodem Ludouico Rege cum Carolo Caluo; idem Ludouicus Rex cessit Imperatori partem eiusdem Regni quam ipse occupauerat.

b Annal. Fuld. Ann. lib.5.c.30.

IESV CHRISTI AN. 874.

IOAN. VIII. AN. 2.

LVDOVICI II. 19.

BASIL. MACED. 8.

I. VISIO DE ANIMA LVDOV. PII IMP. ADHVC POENIS PVRGAT. DETENTA.

ANNO Christi octingentesimo septuagesimo quarto Indictione septima, Ioannem Papam, & Ludouicum Imperatorem, & alium Ludouicum Germaniæ Regem, simul Veronæ conuenisse, tradunt veteres Francorum Annales à Pithœo editi: quæ autem ab eis tractata sint, vbique silentium. Sed narratur ibidem visio facta diuinitus eidem Ludouico Regi, qua ipsius pater Ludouicus Imp. cognomento Pius, cum iam ante triginta tres annos defunctus esset, eidem in somnis apparens, adiurauit vt se à tormentis Purgatorii quibus detinebatur eripiendum curaret: qua de causa Rex per vniuersa Regni sui monasteria, preces pro patre fieri mandauit. Vnde (inquit auctor) datur intelligi, quod quamuis memoratus Imperator multa laudabilia fecisset, plurima tamen legi Dei contraria in Regno suo fieri permisisset.

II. Eodem anno cum Abdila Sarracenorum Princeps ex Africa cum magno exercitu in Italiam veniens, Salernum obsidione cinxisset, ecclesiamque SS. Martyrum Fortunati, Caij, & Anthes; sibi in habitaculum deligens, super ipsum altare stratum parasset; dum illic reluctantem virginem cõprimere conaretur, trabs è tecto delapsa, licet procul ab altaris perpendiculo distans, impurissimum Arabem extinxit, illæsa penitus virgine. Salernitani vero ab obsidione liberati sunt ope exercitus Ludouici Imp. à quo idem Saraceni iterum profligati fuere. Hæc in Rebus gestis Longobardorum Principum Beneuentanorum apud Herempertum.

REX SARACEN. DAT PORNAS SACRILEGII.

Quo item anno Danis, siue Northmannis, rursum Angliam inuadentibus, Beorredus Rex Merciorum maxime pius, post multa prælia, tandem coactus cedere Regno, Romam venit; vbi mortuus est, ac sepultus in Schola Anglorum: Regina vero eum secuta, mortua est Ticini. Hæc, & alia de crudelitatibus Danorum, & martyriis monachorum cœnobii Chroyland, pluribus Ingulphus, & alii veteres res Anglorum prosecuti.

III.

IESV CHRISTI AN. 875.

IOAN. VIII. AN. 3.

LVDOV. II. 20.

BASIL. MACED. 9.

I. LVDOV. IMP. OBITVS.

ANNO Christi octingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octaua, mense Augusti, Ludouicus Imp. mortuus est; eiusque corpus Mediolanum translatum, & sepultum in basilica S. Ambrosii: qui quidem ab eius temporis auctoribus ob pietatem, iustitiam, aliasque virtutes, insigniter laudatur. Sub eo, an sub Ludouico Germaniæ Rege ipsius patruo, certe sub Ludouico Secundo, accidisse tradit Helmoldus *a*, vt egressi è cœnobio Corbeiæ in Saxonia quidam monachi sanctitate insignes ad Slauorum conuersionem, eos qui *Rani*, siue *Rugiani* dicerentur, fidem docuerint, ibique Oratorium in honorem Dei & S. Viti martyris patroni Corbeiæ erexerint: qui iidem Rani paulo post in superstitionem mutati, ipsum S. Vitum vt Deum colere cœperunt, primatum deitatis ei specialiter tribuentes, Flamineq; in eius cultum destinantes.

a Helmold. lib.1 c.6. & lib.2. c. 12.

DE CONVERSIONE RVGIANORVM.

II. CAROL. CALVVS CORONATVR IMP.

Defuncto Ludouico, statim Ioannes Papa honorificam misit legationem ad Carolum Caluum Regem Francorum per Iadericum Velitrensem, Formosum Portuensem, Ioannem Alatrinum, & Ansegisum Senonensem Episcopos, qui Regem inuitarent ad Limina Apostolorum, quo fieret Imperator. Quæ quidem Legatio cum longe diuersa sit ab ea, quæ anno sequenti ad Concilium Pontigonense delata est; eas tamen simul confudit vetus historicus Odorannus monachus Senonensis in suis Annalibus. Ceterum CAROLVS Romam se conferens, ipso die Natalis Domini coronatus est; vt testatur Aimoinus *b*, qui annos Christi numerans à die Natali ipsius, id factum dicit anno octingentesimo septuagesimo sexto. Porro auctor anonymus in antiquis Francorum Annalibus, tradit nunc Caroli in Italiam aduentum tyrannice factum esse, & Romanos pecunia corruptos ei assensisse, Ioannemque Papam coacte ei coronam Imperatoriam tradidisse: Sed & Ludouicum Germaniæ Regem ipsius fratrem, audita eius ad inuadendum Regnum Italiæ profectione, Carolomannum filium suum aduersus eum misisse; ipsum vero cum altero filio suo æque Ludouico dicto Regnum eiusdem Caroli inuasisse, vt eum de Italia exire compelleret. Verum Carolum in Italiam à Summo Pontifice vocatum esse ad sumendum Imperium, nec fraudem vllam aut prauam machinationem adhibuisse, sed pacifice & ex totius Cleri, S.P.Q. R. vnanimi consensu coronatum esse, testantur Acta Synodi Romanæ, de qua dicetur anno post sequentem, necnon Aimoinus, & Odorannus. Ludouicum autem Regem Gallias absente fratre deuastasse, asserit pariter idem Aimoinus *c*. Quo tempore Hincmarus Rhe-

b Aim. li.5. c.31.

c Ibid. c.32.

HINCMARI MONITIO DE REDARGVENDIS REGIB.

mensis Archiepiscopus epistolam valde prolixam scripsit ad Episcopos suæ prouinciæ, qua eos hortatus est in hoc discrimine confugere ad arma spiritualia, orationum, ieiuniorum, ac ceterorum bonorum operum, & in fide proprii Regis Caroli licet absentis fortiter persistere; Regesque libere de suis erratis monere, & si parere nollent, eosdem excommunicare; quod Episcopos facere posse, multis SS. Patrum exemplis probat. Haud vero inanes fuisse preces, declaratunt euenta. Nam Ludouicum vbi natalem Domini celebrauit Attiniaci, in Germaniam rediisse, idem Aimoinus testatur.

III. ENGILBERGA AVG FIT MONIALIS. *d Io. VIII. ep. 43. 86. 91. c Id. ep. 42.*

Interea Engilberga Augusta viro destituta, CHRISTO nupsit ingressa monasterium monialium Brixię professiuũ, vbi religionis habitum sumpsit: ad quam extant aliquot Ioannis *d* Papæ epistolæ; aliaque *e* eius causa ab eodem Pontifice ad Carolum filium Ludouici Germaniæ Regis scripta, qua eum, quod thesaurum, quem Augusta sustentationis suæ causa in eodem monasterio conseruauerat, diripuisset, excommunicatum denuntiauit, nisi intra sexaginta dies illum restitueret.

IESV CHRISTI AN. 876.

IOAN. VIII. AN. 4.

CAROLI II. 1.

BASIL. MACED. 10.

I. CONFIRMATVM CAROLI IMPERIVM.

ANNO Christi octingentesimo septuagesimo sexto, Indictione nona, cum Nonis Ianuarii (vt ait Aimoinus) Carolus Imp. Roma exiens *Ticinum* petiisset; in eadem ciuitate *Conuentus* Episcoporum ac Comitum celebratus est in quo Imperium eidem Carolo Romæ collatum, omnium consensu à Ioanne Pontifice ibi præsente iterum confirmatum est.

[Obiectionibus Goldasti Caluinistæ aduersus Baronium, de Synodis & Conuentibus, in causa Imperii Caroli diuersis locis & temporibus celebratis, accurate respondit Gretserus c. 5. Apologiæ Baronianæ, & lib. 2. cont. Replicat. cap. 11. de quibus dictum est ad an. 774. post num. IV.]

II. CONCILII PONTIGON. ACTA. *b Aimoin. li. 5. c. 32. 33.*

Post hæc autem vt etiam ab Episcopis Gallicanis eadem omnia firmarentur, *Pontigonense* in Galliis celebratum est Generale CONCILIVM; cui præfuerunt Apostolicæ Sedis Legati, Ioannes Episcopus Tuscanensis, Ioannes Aretinus, & Ansegisus Senonensis, interfuitq; ipse Carolus Imperator. Habentur eius Acta apud Aimoinum *b*, distincta octo Sessionibus, siue Actionibus; quarum prima celebrata est vndecimo Calendas Iulii, vltima decimoseptimo Calendas Augusti huius Indictionis nonæ. Et Prima quidem Actione, lectis epistolis Ioannis Papæ, quibus eidem Ansegiso Senonensi Archiepiscopo vices suas ita demandaret, vt is primatum teneret per vniuersas Gallias & Germanias, tam in conuocandis Synodis, quam definiendis quibuscunque emergentibus dubiis; reclamarunt alii Galliarum Archiepiscopi, ac præcipue Hincmarus Rhemensis, hæc fieri contra antiquos canones, & sedium suarum priuilegia, Veruntamẽ Carolus Ansegiso fauens, eum supra alios omnes ordinatione antiquiores sedere fecit iuxta Legatos Apostolicos. In Secunda Actione confirmata est electio Caroli Imperatoris, & Acta Synodi seu Conuentus Ticinensis. Tertia, auditæ querelæ quorumdam presbyterorum, reclamantium ad Legatos Apostolicæ Sedis. Quarta, auditi Legati Ludouici Regis Germaniæ, petentis à Carolo fratre partem Regni Ludouici Imp. ipsorum nepotis.

III.

Quinta Actione susceptí sunt alii Legati Ioannis Papæ, videlicet Leo Episcopus eiusdem Pontificis nepos, & Petrus Episcopus Forosempronienſis, deferentes epistolas Imperatori & Synodo. Huius autem nouæ Legationis mittendæ quæ fuerit causa cum ab auctore taceatur, ex eiusdem Pontificis epistolis inspicitur; nimirum vt concessa à prędecessoribus Francorum Principibus Romanæ Ecclesiæ dona & priuilegia, ab ipso nouo Imperatore confirmarentur: quod se obtinuisse, testatur in epistola *c* ad Gandulphum Episcopum Capuanum. Missos etiam eosdem pro necessitate Romanæ Ecclesiæ, quam pateretur ab ingruentibus Saracenis, & rebellibus Christianis; idem tradit *d* in epistola ad Bosonem Comitem, & alia ad eosdem Legatos postea data. Extantque rursum aliæ *e* ab eo ad ipsum Carolum hoc item anno, sed post Synodum scriptæ literæ, quibus non solum de Saracenorum, sed etiam de Marchionum Christianorum infestationibus queritur. Actione Sexta lecta est epistola eiusdem Ioannis Papæ de damnatione Formosi Episcopi Portuensis, Gregorii Nomenclatoris, & consentientium iis. Cur vero damnatus sit Formosus, nescimus: persecutionem enim ipsum esse passum, quæ inferius dicentur ostendent. Constat autem ex ipso Aimoino, huic Sessioni interesse noluisse Episcopos Galliarum. Septima iterum interpellati Archiepiscopi de obedientiia præstanda Ansegiso Senonensi, responderunt ita se ei obedituros, quemadmodum sui antecessores eius prædecessoribus regulariter obedissent, & non alio modo. Octaua demum, (cui interfuerũt solemni habitu Imperator & Augusta Rachildis) post renouatam frustra quæstionem de primatu Ansegisi, & alia quædam peracta, finis impositus est Synodo cum solitis acclamationibus.

d Id. ep. 6. & 7. e Ep. 21.

FORMOSI EPISC. PORT. DAMNATIO.

IV. CAROL. IMP. INVADIT REGNVM LVDOVICI.

Cum vero post hæc gesta, Ludouicus Rex Germaniæ quinto Calendas Septembris diem obiisset Francofurdi, Carolus Imp. ipsius frater ad inuadendum relictum filiis ab eo Regnum, ingentem comparauit exercitum. Qua re perterritus Ludouicus filius prædicti Ludouici, postquã multis missis legationibus pacem impetrare non valuit, cœpit cum Comitibus suis ieiuniis ac litaniis misericordiam Dei implorare, irridentibus eos illis qui erant cum Imperatore. Deinde fide pollens magis quam copiis militaribus, inconcessa tentans, præsumpsit conscientia sincera miracula. Siquidem vt Imperatorem iniuste plane agere palam ostenderet, decem homines cum aqua calida; & decem cum ferro calido, & decem cum aqua frigida, ad iudicium misit coram eis qui cum illo erant; petentibus omnibus, vt Deus in illo iudicio declararet, vtrum iure ipse Ludouicus habere deberet portionem Regni quam ipsi pater dimisisset: qui omnes illæsi remanserunt. Demum vero cum nec iis flecteretur Carolus, coactus Ludouicus armis decernere, longe viribus impar vicit eundem, iam solum turpi fuga suæ consulentem saluti. Coacta quoque fugere vxor Caroli, in fuga ita est timore concussa, vt proiecisse ex vtero fœtum, potius quam peperisse dici possit, infantem haud diu superstitem futurum. Narrat hæc omnia pluribus Aimoinus *f*. Addunt vero citari consueti Francorum Annales, in eo certamine contra Carolum cælitus dimicatum esse: siquidem apparentibus Ludouici militibus, tantus timor exercitum Caroli inuasit, vt prius se victos putarent quam ad pugnam venirent; quorum & equi quamuis calcaribus cruentarentur, immobiles permanserunt, & armorum acies quasi retusæ essent neminem penitus læserunt.

MIRACVLIS PATEFACTA IVSTITIA LVDOVICI. *De huiusmodi vero purgationibus, vide infra 890. I.*

f Aim. li. 5. c. 34. CAROL. DIVINITVS SVBLATVS.

V. ANAST. BIBLIOTH. MITTIT AD CAROLI VITAM S. DION. *g Ap. Sur. 9 Oct. in Areopag.*

Hoc eodem anno *Anastasius* Bibliothecarius Vitam S. Dionysii Areopagitæ, à S. Methodio Græce scriptam, à se autem in Latinum translatam, misit ad eundem Carolum Caluum Imp. Non extat Vita ipsa, sed tantum nuncupatoria *g* ad Carolum epistola, in cuius fine ait Anastasius, eam scriptam esse mense Iunio Indictione nona, anno Pontificatus Ioannis quarto, Imperii Caroli primo: quibus videas nostram Chronologiam ad amussim conuenire. Sed & *Ericus* monachus Antisiodorensis, scriptos à se libros sex metrico stylo de Vita S. Germani Antisiodorẽsis Episcopi, ad eundẽ Carolum iam Imperatorẽ creatum mittens, in epistola nuncupatoria eum laudat de diligenti studio in reparandis collapsis studiis bonarum literarum; adeo vt vndique viri docti in Gallias ad eum confluerent. Meminit de iisdem Erici lucubrationibus, Sigebertus in libro de Illustribus Scriptoribus Ecclesiasticis: subnectitque de *Milone* monacho S. Amandi scientia literarum claro, qui pariter metrico stylo ad eundem Carolum scripsit librum de Sobrietate necnon de *Hubaldo* eiusdem cœnobii monacho, quem inter alias lucubrationes, scripsisse testatur ad eundem Imp. librum trecentorum versuum in laudem Caluorum. Ex quibus videas, omnes huius temporis scriptores Carolũ istum habuisse pro Mœcenate, ipsumq; de bonis literis optime fuisse meritum.

VNDIQ. VIRI DOCTI AD CAROL. CONFLVVNT.

c Io. ep. 9.

IEIV

IESV CHRISTI AN. 877.

IOAN. VIII. AN. 5.

CAROLI II. 2.

BASIL. MACED. II.

ANno Christi octingentesimo septuagesimo septimo, Indictione decima, Saracenis vrgentibus in dies magis, rursum Ioannes Papa suis literis *a* mense Februarii scriptis, Carolum Imp. monuit auxilium ferre Vrbi periclitanti. Cui & Palmas virides benedictas misit *b*; cum tamen Dominica Palmarum, qua in Ecclesia ex antiquo instituto benedici consueuernnt, non esset: sed earum mittendarum [illegible] ista ab ipso describitur, nimirũ, vt esset ei tanquam triumphus aduersus visibiles & inuisibiles hostes; optans illum de cunctis aduersariis triumphare. Interea vero ipse Pontifex, vt Neapolitanorum, Beneuentanorum, aliorumque finitimorum populorum cum iisdem Saracenis inita fœdera dissolueret, post *c* missos ea de re Legatos Episcopos Ostiensem & Portuensem, demum ipsemet Traiectum oppidum haud longe à Caieta positum perrexit *d*: ex quo facto (vt testatur) nonnihil quietis est partum regionibus illis.

Quo eodem tempore, Sergius Dux Neapolitanus omniũ pessimus, & quod minus in his Saracenorum rebus obaudiret Pontifici, ab eo excommunicatus; à proprio fratre Athanasiõ Neapolitano Episcopo (quem idem Sergius, expulso altero Athanasio patruo suo, sanctitate & miraculis insigni, de quo superius, in locum eius substituerat) tentus, atque cœcatus, Romam missus est. Cuiusmodi facinus (quod etiam Leo *e* Ostiensis memorat) Ioannes Papa epistola *f* ad ipsum Athanasium scripta mirifice laudauit; Moysis *g* exemplo, qui Leuitas à cæde fratrum & filiorum suorum reuertentes laudibus extulit. Quantumlibet enim debeat esse Christi sacerdotium incruentum, cuius est & sacrificium incruentum: tamen qui spiritu oris sui interfecit *h* Ananiam & Sapphiram Petrus, ista tunc scribere docuit successorem. Zelus enim purgat facinus; quo exesus Dominus Redemptor noster, percussor est factus; & Petrus eodem exæstuans, occisor euasit; eodemque ardens Paulus, excæcator.

Eodem quoque mense Februarii, quo datas diximus Ioannis Papæ ad Carolum Imp. literas, *Romæ* ab eodem Pontifice habita est SYNODVS, pro qua petenda missus fuerat ab eodem Carolo Adalgarius Episcopus. Quod enim Carolus multos haberet aduersarios, qui ne auctoritate quidem præcedentium Conuentuum atque Synodorum, induci poterant, vt eum pro legitimo Imperatore agnoscerẽt; ideo rursum à Papa coactus est postulare, vt coronatio & promotio sua denuo confirmaretur. Quod quidem adeo hac Romana Synodo præstitum est à Pontifice, vt eius perturbatores aut violatores, cuiuscunque essent ordinis, dignitatis, aut professionis, anathemate damnauerit: prout narrat Aimoinus *i*, & constat ex eiusdem Synodi Actis, quæ extant *k*. In quibus etiam expressam habes quam tantopere impugnare conati sunt Nouatores, Romani Pontificis auctoritatem & potestatem in creandis Imperatoribus; vt non nudum exhibeant ministerium vnctionis & coronationis, sicut facere solerent Patriarchæ Constantinopolitani in coronatione Orientalium Imperatorum; sed vere Imperium ipsum conferant. Nam totidem verbis illic dicitur, ab ipso Romano Pontifice, de consensu & annisu Episcoporum, atque aliorum S.R.E. ministrorum, amplique Senatus, totiusque populi Romani, *electum* fuisse Carolum *& approbatum*, & secundum priscam consuetudinem, solemniter *prouectum ad Imperii Romani sceptra, & Augustali nomine decoratum*, ac demum vnctum, & coronatum. Quod si res iure successionis agenda fuisset, non Carolus, sed Ludouicus Rex Germaniæ frater maior natu præferendus fuerat.

Cæterum haud sui decessoris in hoc videtur Ioannes secutus esse iudicium. Siquidem Hadrianus Carolum inuadentem Regnum Lotharii nepotis defuncti, iteratis monitionibus & comminationibus exagitauit: Ioannes autem eundem pœna dignum, auxit Imperio. Ita plane hæc omnia malesuada prudentia carnis operata esse videtur: dum nimirum fauit Ioannes Carolo, potius quam Ludouico fratri longe præstantiori Principi; à Carolo magis expectans aduersus ingruentes Saracenos auxilium, siue aliis de causis quæ nos latent. Quo extempore male cœptum est, vt cum præter antiquorum morem, non insisterent ita firmo animo successores (exceptis iis quæ spectant ad fidem) decessorum vestigiis, innumera ex his parta sint mala quæ videbis.

Cum autem expectatum ab eo auxilium non adesset, ad eundẽ rursum literas *l* scripsit, quibus enixius subueniri quãtocitius rogauit. Cuius quidem susceptis *Compendii* Legatis, Carolus generalem *Conuentum* habuit Calendis Iunii, in quo disposuit de Regni administratione per filium Ludouicum cum procerum consilio gerenda, vsque dum ipse Romam rediret: tributumque imposuit non solum laicis, sed & clericis omnib & Ecclesiis; Legatis Apostolicæ Sedis haud dubium consentientibus, immo & procurantibus (vt par est credere) quo perichtanti omnium Matri S. R. E. ab omnibus, præcipue vero ab Ecclesiasticis personis subueniretur. Proficiscens post hæc in Italiam, Ioannem Papam obuium habuit apud Vercellas; & recepto eo cum honore maximo, Papiam simul perrexerunt. Vbi cum accepissent, Carolomannum filium Ludouici Regis Germaniæ infesto agmine aduersus eos venire; Tordonam petentes, Carolus proditorie à suis destitutus, inde aufugit; Ioannes vero Romam se recepit: cum etiam Carolomannus, accepto falso nuntio Imperatorem ac Pontificem cum ingenti exercitu appropinquare, metu diuinitus perterritus, & ipse fugam confestim in Regnum suum arripuit. Vbi autem Pontifex Romam venit, non modicam pressuram accepit à Lambetto Comite Spoletano; qui nomine Imperatoris veniens opem ferre Romanæ Ecclesiæ, obsides Romanorum procerum filios petiit: sed eos Romani penitus denegarunt, asserentes nec id vnquam moris fuisse, & semper se fideles absque huiusmodi vinculis Imperatoribus extitisse. Est enim de his epistola eiusdem Ioannis Papæ *m* ad eundem Lambertum, qua etiam asserit id non fuisse ex mente Imperatoris.

Sed inter hæc inexpectatum accidit, vt eodem anno pridie Nonas Octobris, idem Carolus Imp. veneno potatus à Sedechia medico Hebræo, anno Imperii secundo, Regni vero post mortem patris trigesimo octauo, mortuus fuerit in loco Barios dicto, sepultusque Vercellis in Ecclesia S. Eusebii; vnde post septennium translatus Parisios, conditus est apud S. Dionysium. Hæc pluribus Aimoinus *n*. Successit in Imperiũ eius filius LVDOVICVS, cognomento *Balbus*, quod impeditus lingua esset. Ad quem patri succedentem Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, qui eum in Regem vnxerat, de Regno suo bene disponendo, ab eodem rogatus epistolam scripsit, cuius meminit Flodoardus *o*; extatque ipsa integra ordine prima inter nouẽ illas ipsius selectas, quæ habentur ex Spirensi codice. Quo etiam tempore ab eodem prolixa illa scripta videtur ad Episcopos Franciæ, pro noui Regis institutione: In qua primo docet, mũdum duplici potestate regi, Pontificia & Regali: Episcoporum, & Regum, & omnium qui aliis præsunt, officium esse, Canones & Leges non ignorare, & iustitiam colere: deinde ex B. Adelhardi Abbatis Corbeiensis, Caroli Magni propinqui & Consiliarii, libello copiose exponit, quis ordo & modus in Palatio Regio, & toto Regno administrando, olim fuerit vsurpatus: tũ omnia officia Palatii describit: ac demum declarat, quibus rebus pax Regnorum conseruata fuerit, nempe binis annuis Comitiis, & eorum Consiliariorum delectu, qui nihil Deo, suæ saluti, Regis & Regni incolumitati anteponerent.

Sed & eodem tempore acta est *in Neustria* SYNODVS; vbi inter alia, eiusdem Ludouici Imp. Legati querelas exposuerunt aduersus Hugonem Lotharii defuncti Regis filium nothum. Hic enim audita morte Caroli, qui Lotharii Regnum inuaserat, collecta factiosorũ manu, prædicti Ludouici Regnum magnopere infestabat: eum vero Ludouicus primum detulit ad Episcopos, quibus in ea Synodo Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus præsidebat: hic autem Synodi mandato ad Hugonem literas *p* scripsit, quibus post multa egregia monita, excommunicationem comminatus est nisi resi-

I. IOAN. PP. AGIT PRO LIBERAT. ITALIÆ AB INFEST. SARACEN.
a *Ioã. VIII. ep. 30. & 399.*
b *Ep. 32.*
c *Ep. 36.*
d *Ep. 59.*

II. ATHAN. EPIS. NEAPOL. FRATREM SVŨ EXCOMM. EXCÆCAT.
e *Leo Ost. lib. 3.*
f *Ep. 66.*
g *Exod. 32.*
h *Act. 5.*

III. CONCIL. ROM. PRO CONFIRM. IMPERII CAROLI.
i *Aim. lib. 5. c. 35.*
k [Post Ann. Fran. aPith. edit. & ap. Bar. ann. super. loco non suo, vt etiam notauit Gretf. in Apol. c. 15]

RO. PONT. ELIGIT ET COMPROBAT IMPP.

IV.

IOAN. CAPITVR OB ELECT. ONEM CAROLI.

V. *Ioan. ep. 5.* CONCIL. CÕPEND.

CAROLVS IN ITALIAM VENIT AD PONTIF.

m *Ep. 61.*

VI. CAROLI OBITVS.
n *Aim. lib. 5. c. 35. in fi.* LVDOV. BALBVS IMPERAT.
o *Flod. hist. Rhem. lib. 3. c. 19.* HINCMARVS SCRIBIT DE OPTIMA REGNI GVBERNATIONE.

VII. CONCIL. IN NEVSTRIA.
p *Agit de re Flod. l. c. 18. &*

VIII. RO. ECCL. COGITVR SOLVERE TRIBVTVM SARACENIS.

piſceret. Quid autem aduerſus eum poſtea actum fuerit, dicetur ſuo loco.

Cæterum Ioannes Papa vbi ſe deſtitutum vidit, in quo tantopere ſperauerat, auxilio Caroli Imperatoris; reliquos vero Principes pateretur infenſos, ob id quod adeo Carolo ſtuduiſſet: quo ſe liberaret ab ingruentibus Saracenis iamiam Vrbem inualuris, nullam aliam viam inuenit, niſi vt ſummo Chriſtianorum Principũ dedecore, annui viginti quinque millium mancuſorum argenti (erant genus nummorum huius temporis) penſitatione tributi eos quieſcere faceret. Id enim teſtatur Ioannes ipſe in epiſtola ad *q* Carolomannum Regem; dum queritur, poſt Saracenos ſedatos, à Chriſtianis Principibus Romanam Eccleſiam pati preſſuram. Adeo namque eſt fatigatus ciuilibus bellis, quæ Lambertus *r* Comes Spoletanus Romæ enutriret, ſuſcepto Formoſi Epiſcopi Portuenſis, aliorumque à Pontifice depoſitorum patrocinio; vt in Galliam proficiſci *ſ* cogitarit: quod & impleuit anno ſequenti.

q *Io. ep. 89.*

r *Id. ep. 72. & 73.*

ſ *Id. ep. 68. ad Carolom.*

IX. BAS. IMP. AGIT APVD IOAN. PP. PRO PACE ECCLES. CONST.

Inter hæc vero Baſilius Orientis Imperator, iteratis literis ab eodem Pontifice petiit mitti Legatos Conſtantinopolim, qui Eccleſiam illam ſchiſmate ſciſſam componerent. Qui enim ex parte Photii erant, nullatenus communicare volẽtes cum Ignatio Patriarcha, quod eſſent numero plurimi, turbas vndique concitabant; Ignatio aduerſus eos obnitente, Senatuque ac populo (vt accidere ſolet) in diuerſas factiones diuiſo. De legatione autem miſſa dicetur anno ſequenti.

IESV CHRISTI AN. 878.

IOAN. VIII. AN. 6.

LVDOV. III. 1.

BASIL. MACED. 12.

I. LEGATI MISSI AD VISITAN. ECCL. CONST. ET PRO REB. BVLGAR.

ANno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione vndecima, Ioannes Papa petitam à Baſilio Imp. legationem ad viſitandam Eccleſiam Conſtantinopolitanam, commiſit Paulo Epiſcopo Anconitano, & Eugenio Oſtienſi; vt eiuſdem Pontificis datæ ad eundem Auguſt. hac Indictione vndecima, die decimaſexta Aprilis, literæ *a* indicant; quibus & manifeſtum redditur, iniunctam iiſdem fuiſſe Legatis viſitationem Bulgariæ Regis, vbi Conſtantinopolitanam Eccleſiam compoſuiſſent. Sed & ſcripſit *b* acres nimis literas ad Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ob occupatam ab eo diœceſim Bulgariæ, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiectam: eidemque, niſi intra triginta dierum ſpatium inde reuocaret omnes Epiſcopos & ſacerdotes quos eo miſiſſet, & ab omnimoda eiuſdem prouinciæ Eccleſiaſtica adminiſtratione deſiſteret, ac per duos menſes in pertinacia permaneret, excommunicationem, & depoſitionem à Patriarchatu denuntiauit. Scripſit inſuper *c* ad Michaelem Regem Bulgarorum, hortans, vt ad Romanam Eccleſiam, quæ eos in Chriſto genuiſſet, reuerteretur: itemque ad Petrum Comitem, vt hoc eidem Regi perſuaderet: ac denique *d* ad Epiſcopos omnes & clericos Græcorum in Bulgaria exiſtentes, vt niſi intra triginta dies inde recederent, caterent miniſterii ſacri vſu quo fuiſſent initiati.

a *Ep. 80. & 81.*

b *Ep. 78.*

c *75. 76. 77.*

d *Patet ex 4. ep. 78.*

II. INVASA ROMA A TYRANNIS.

Interea cum Lambertus Comes Spoletanus, & Adelbertus Marchio Tuſciæ, Romam cum valida manu ingreſſi eſſent; Ioanneque Pontifice in arctiſſima cuſtodia tento, aliiſque Epiſcopis, & clericis, atque monachis, peſſime habitis, atque etiam dum Litanias agerent fuſtibus cæſis, Romanos proceres in verba Carolomanni iurare coegiſſent: omnibus rebus in Vrbe confuſis, (in tantum, vt per multos dies clauſis portis Eccleſiæ S. Petri, ipſoque altari cilicio obducto, nullum illic officium diuinum celebratum fuerit) idem Pontifex conſilium iniit proficiſcendi in Gallias. Tradunt hæc breuiter veteres Francorum Annales ſæpiſſime citati, fuſius vero ipſe Ioannes *e* in epiſtola data quarto Calendas Maii ad Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem, aliaque ad Berengarium Comitem ex regia ſtirpe oriundum; vbi præcipue queritur, quod ab Vrbe Roma, quam S. Petro Imperatores tradiſſet, eſſet excluſus; rogatque, vt ea cuncta Carolomanno nota faciat, cuius voluntate ſe illi impii cuncta perpetraſſe iactarent. Scripſit *f* pariter ad ſingulos Francorum & Germaniæ Reges; ac præcipue ad Ludouicum Balbum, cum iam (vt ait) infulas Imperii ſuſcepiſſet ab Eccleſia Romana; quem & augere ſe tradit dignitate *Conſiliarii à ſecretis* ipſius Pontificis, ſicut & eius pater Carolus Caluus Aug. eadem fuerat antea honeſtatus.

e *Ep. 84. & 85.*

IOAN. PP. ABSCEDIT IN GALLIAS.

f *Ep. 86. & ſeqq.*

Porro recedentem ab Vrbe Pontificem, pretioſiſſimas ſecum tuliſſe Reliquias, & cum Formoſo Epiſcopo Portuenſi captiuo ducto nauem conſcendiſſe, Arelatemque perueniſſe die Pentecoſtes, tradit Aimoinus *g*. At vero ipſe Ioannes, die Aſcenſionis Arelate ſe Miſſam celebraſſe, teſtatur *h* in epiſtola ad Branimirum Principem. Ibidem autem conceſſit pallium Roſtagno *i* eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo; quem & Legatum ſuum in Galliis eſſe voluit, ac per ipſum hæreſim Simoniacam, quæ vigeret in Galliis, extirpari mandauit. Sed & redarguit errorem quem reperit, quod ante Palli ſuſceptionem, Archiepiſcopi Galliarum conſecrationem facerent Epiſcoporum. Dum autem vlterius intra Galliam progrederetur, in via ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ literas dedit, quibus ad generalem Synodum Trecis celebrandam omnes iuſſit adeſſe.

III.

g *Aim. lib. 5. c. 37.*

h *Ep. 184.*

i *Ep. 93. 94. 95.*

Conuenerunt igitur Epiſcopi *Trecis* conſtituta die menſis Auguſti: In qua *Synodo* auctor eſt Aimoinus *k*, ab omnibus approbatam eſſe excommunicationem, quam idem Pontifex Romæ promulgaſſet aduerſus Lambertum & Adelbertum graſſatores, necnon in Formoſum, Gregorium, & complices. Septimo vero die ante Idus Septembris, Ludouicum Francorum Regem coronatum fuiſſe ab eodem Pontifice, idem auctor ſcribit. Extantque præterea inter Pontificis epiſtolas *l*, nonnulla ex hac Synodo petita, quibus ille tam ab ipſo Ludouico Imp. quam ab Epiſcopis omnibus auxilium petiit contra inimicos Eccleſiæ Romanæ. Quid vero ii reſponderint, non inuenitur. Certum tamen eſt, annuiſſe votis Pontificis. Nam cum ipſemet Ludouicus, ob corporis imbecillitatem (vt ex Aimoino conſtat) ex recenti morbo contractam, Pontificem in Vrbem reducere non valeret, Boſonem Comitem *m* cum eo voluit proficiſci: quem quidem Boſonem ab eodem Ioanne Papa adoptatum eſſe in filium, Aimoinus tradit; nimirum, vt dum Boſo mundana adminiſtraret, Ioannes liberius vacare poſſet rebus diuinis. Hanc enim ſuæ adoptionis rationem reddidit ipſe in epiſtola tunc ſcripta ad *n* Regem Carolum cognomento Craſſum Carolomanni fratrem; qua etiam illum redarguit, quod ad Synodum vocatus non acceſſerit. Sed & in eadem Synodo excommunicatum fuiſſe Hugonem Lotharii Regis filiũ nothum (de quo ſuperius dictum eſt) ac complices, ob vexatos quoſdam Epiſcopos teſtis eſt idem Aimoinus. Denique ibidem auditam eſſe conſtat *o* lugubrem querelam Hincmari Epiſcopi Laudunenſis, qui cœcus licet, in Synodum ductus, libellum eidem Pontifici obtulit, continentem ea omnia quæ paſſus eſſet à patruo ſuo Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi, quæ nos ſuperius retulimus: eundemque reſtitutum eſſe in ſuam ſedem, & permiſſum Miſſam celebrare, ac partem redituum Epiſcopatus habere, reliqua relicta Hadenulpho, qui poſt Hincmari expulſionem ordinatus fuerat eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, iuſſuſque adhuc eſt Epiſcopale miniſterium ibidem agere.

IV. CONCIL. TRECEN. CORAM IOAN. PP.

k *Aim. lib. 5. c. 37.*

l *Poſſ. ep. 114.*

m *Ep. 115.* BOSO COMES ADOPTATVS IN FILIVM A SVMM. PONT.

n *Ep. 119.*

o *Aim. lib. 5. c. 37. Ado in fi. Chron.*

EPIS. CORCVS PERMISSVS MISSAM CELEBRARE.

Poſt hæc remeans Romam Ioannes, Papiæ cum eſſet, ingens valde illi Eccleſiæ cõtulit priuilegium; nempe, vt quotieſcunque eius Epiſcopus vocaret ad Synodum Archiepiſcopos Mediolanenſem & Rauennatem cum ſuffraganeis, venire omnino deberent: qua de re extat *p* ipſius ad dictos Archiepiſcopos epiſtola. Scribenſque tunc etiam ad *q* Epiſcopos ſub Regis Ludouici ditione conſtitutos. Indulgentiam conceſſit omnibus, quos pro defenſione Sanctæ Dei Eccleſiæ in bello occidi iam contigiſſet, aut poſtea contingeret.

V. INSIGNE PRIVILEGIVM ECCL. TICIN.

p *Ioan. ep. 139.*

q *Ep. 144.* INDVLG. PRO VIVIS ET DEFVNCTIS.

Ad hunc vſque annum, quo celebratũ eſt Trecenſe Concilium, *S. Ado* Archiepiſcopus Viennenſis perduxit, quod ſcripſit Chronicon; vir cũ primis ſcientia & ſanctitate clarus.

VI. DE ADONE ARCHIEP. VIEN.

Extat

Extat præterea ex eius lucubrationibus insigne monumentum illud, quo Res gestas SS. Martyrum nouo Martyrologio cæteris fusius est prosecutus.

VII. INSIGNIS IMPOSTVRA PHOTII.

Quod pertinet ad res Orientales; eodem anno audiens veterator Photius Ioannem Papam occasione diœcesis Bulgarorum Ignatio infensum redditum: miro artificio ex malis artibus parauit sibi apud Basilium Imp. beneuolentiam, & reditum ab exilio. Historiam enim fingens, qua genealogiam Basilii deduceret à Tiridate magno illo Armeniorum Rege; cum suppositis quæ voluit nominibus peruenit ad patrem Basilii, eius filium scripsit natiuitate talem, qualis Basilius fuit: atque ex primis literis nominum Basilii, eiusque coniugis Eudociæ, filiorumque Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani, composita voce nomen ei futurum finxit *Beclas*; eundemque felicitate & annositate antecessores omnes Reges superaturum, auguratus est. Multis etiam mēdaciis additis, quibus delectandos nosset lectores, hanc fabulam in vetustissimis membranis characteribus Alexandrinis scripsit, eandemque antiquissimis papyris ex vetustissimo libro detractis obuoluens, per ministerium Theophanis cuiusdam regii clerici in Bibliotheca palatii deposuit. Hic vero Theophanes tempus opportunum nactus, eum librum ostendens Imperatori tanquam omnium secretissimum, finxit nec se nec alium intelligere posse, præter vnum Photium. Quamprimum itaque missus est ad Photium, sed negauit ille arcanum detegere, nisi ei quem liber scriptus designaret videlicet Imperatorem: cuius curiositate his artibus magis aucta, continuo illum post decennium exilii Constantinopolim reuocauit; & facile credita commenti ficta interpretatione, charissimū exinde habuit. Hæc ex Niceta in Vita Ignatii: quæ etiāhabet Constantinus Manasses Græcus historicus. Addit vero Nicetas, Photium varie tentasse Ignatium è sede pellere, aut saltem ab eo in communionem recipi; sed neutrum consequi valuisse.

REVOCATVR CONSTANTINOPOLIM.

VIII. S. IGNATII PATRIAR. OBITVS.

Sed dum hæc agerentur, contigit luctuosus bonis omnibus eiusdem Ignatii Patriarchæ obitus; quem procuratum fuisse à Photio, testati sunt suis literis Orientales Episcopi Stylianus & collegæ in epistola scripta ad Stephanum Papam, de qua suo *r* loco. Ignatium autem auctore Niceta liquet, hoc anno (qui decimus numeratur eius sedis, à tempore quo ab Oecumenica Synodo Octaua est restitutus) annos natum septuaginta ex hac vita migrasse, ipso die quo etiam commemoratio agitur in Orientali Ecclesia S. Iacobi Apostoli Fratris Domini nuncupati, qui est vigesimus tertius mensis Octobris: quo pariter die cum ipso Iacobo Græci eiusdem celebrant commemorationem: sed & eundem tam ante obitum, (ac præcipue in sacrosanctæ Missæ celebratione) quam etiam post mortem, multis & insignibus miraculis claruisse, testatur Nicetas, eorum aliqua recensens. Quod vero dictum est superius de excommunicatione ipsi à Ioanne Papa denuntiata, nisi intra dies triginta reuocaret à se ordinatos Episcopos Bulgariæ; quamuis ista ab Ignatio impleta minime inueniantur, eundem tamen semper vsque ad obitum, atque etiam post obitum, in Catholica Romanæ Ecclesiæ communione fuisse retentum, demonstrant eiusdem Ioannis plures epistolæ ad diuersos datæ post illius decessum. Neque est quod ob litem hanc, Ignatium animo fuisse in Apostolicam Sedem infenso quis existimet, cum quæ iuris esse putaret suæ Ecclesiæ defendere, iuramento teneretur obstrictus, etiam dispendio æternæ vitæ. Denique ad plenissimam ipsius excusationem illud satis, quod prædictus Stylianus Metropolita Neocæsarienſis in epistola ad Stephanum, qua rerum gestarum aduersus Photium historiam texuit, euidenter affirmat aduentum Legatorum Apostolicæ Sedis, Pauli & Eugenii, Constantinopolim, cōtigisse post obitum eiusdem Ignatii: sicque necessario oportuit ipsum, antequam recepisset ab eis literas peremptorias excommunicationis, iam ex hac vita migrasse.

EXCVSATVR DE OCCVPATIONE DIOECES. BVLGAR.

IX. PHOTIVS ITERVM SEDEM CONST. INVADIT, ET ADVERSARIOS DIRA VEXAT.

Tertio die post obitum Ignatii, *Photium* Patriarchalem occupasse sedem, Nicetas ait; additque eum rabiem aduersus Ignatium innouantem, non solum eius sepulchrum, prætextu quærendi thesauri, violasse, (quod tamen magno malo factum est eius, cuius ministerio ea in re vsus est Photius:) sed & cunctos eiusdem familiares, cæterosque omnes qui secum recusarent communicare, tam per se, quam per Leonem cognatum suum excubiarum vigiliæ Drungarium, hominem crudelissimum, carceribus, exiliis, plagis, aliisque calamitatibus afflixisse, plurimosque interemisse: secum vero communicantes, honoribus ac dignitatibus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus auxisse: vniuersam denique Ecclesiam Orientalem varie pessum dedisse, hos deponendo, illos transferendo, omnes turbando: Cumq; persuadere non potuisset Imperatori, vt ab Ignatio ordinati deponerentur; illud excogitasse, vt eos denuo consecraret, aut saltem super eorum pallia, & oraria, aliaque eiusmodi sacerdotum insignia, secreto domi blasphemas orationes diceret: Propter hæc vero nefanda facinora à Basilio Imp. permissa, ira Dei super ipsum descendente, Constantinum eius filium primogenitum, eundemque charissimum, extinctum esse, atque Syracusanam ciuitatem amplissimam à Saracenis captam deletamque, & omnes insulas deuastatas. Hæc omnia Nicetas: post quæ finem commentario suo apposuit. Sed Syracusarum excidiū pluribus refert Cedrenus ex Curopalate; quod etiam per dæmones in Peloponneso mox nuntiatum esse tradit. His enim primus omnium affligi pœnis debuit Photii restitutor Basilius, qui in Magna Octaua Synodo dixerat in Sexta eius Actione, nonnisi opera eius qui cuncta violat, nempe diaboli, fieri posse, vt Photius iterum Constantinopolitanam sedem esset consecuturus. Quæ vero hæc secuta fuerint, dicetur postea.

DEI VINDICTA IN BASIL. IMP. FAVTOREM PHOTII.

X. *f Anon. Moral. Chron. lib. 15. c. 9.* ALFONS. MAG. SOLICITVS DE CONSERV. SS. RELIQVIAR.

Hoc eodem anno *f* Adefonsus Magnus in Gallæcia regnans, ad cuitandos improuisos Northmannorum incursus, Oueti munitionem construxit; vbi in Ecclesia S. Saluatoris, translatas Toleto, & ex aliis Hispaniarum Ecclesiis, venerandas Sanctorum Reliquias, loco tutissimo asseruari voluit: aureamque *Crucem* gemmis ornatam, miræ magnitudinis & pulchritudinis obtulit, anno (vt in eadem Cruce notatum fuit) Regni ipsius Adefonsi decimoseptimo, Æra nongentesima decimasexta, qui est hic annus Domini octingentesimus septuagesimus octauus.

XI. *t Matth. Westmon. Flor. hist.* ÆLFREDVS MAG. RESTITVIT ANGLIAM. *u Wil. Malmesbur. lib. 2. cap. 4. Ingulph. Hist. Anglic.* IO. SCOTVS MALE AVDIT IN GAL. *x Roger. Annal. part. 1. an. 880.*

Quo pariter anno *t* Gitro Rex Danorum, qui Angliam fere vniuersam sibi subiecerat, superatus ab Ælfredo Rege, qui profugus latuerat in insula quadam, & diuina fretus visione bellum renouauerat; ab eodem coactus est Christianam fidem amplecti, qui & mutato nomine Æthelstanus est dictus. Ipse vero Ælfredus Magnus merito nuncupatus, Angliam ab Infidelibus liberauit *u*; Ecclesiamque Anglicanam restaurauit viris doctis è Galliis accersitis, & libris compluribus ex Romana Bibliotheca descriptis. Inter alios autem viros doctos, quos è Galliis tunc euocauit, fuit *Ioannes* natione *Scotus*, quem magnopere Galli agitauerant, præsertim vero Florus, ob errores quosdam assertos in libro quem scripsit de Naturæ diuisione. Quem etiam apud Nicolaum Papam male audisse, ex eius epistola *x* ad Carolum Caluum demonstratur. Hæc omnia testantur Anglicanarum rerum auctores, qui hoc articulo citantur in margine.

IESV CHRISTI AN. 879.

IOANN. VIII. AN. 7.

BASIL. MACED. AN. 13.

I. LVDOV. BALBI IMP. OBITVS.

ANno Christi octingentesimo septuagesimo nono, Indictione duodecima, quarto Idus Aprilis, mortuus est Ludouicus Balbus Francorum Rex atque Imperator Occidentis: qui reliquit post se filios duos ex Ansgarde priori coniuge, id est, Ludouicum & Carolomannum; ex posteriori vero Adelaide genuit Carolum posthumum, cognomento Simplicem. Cum autem Ludouici obitum accepisset Ioannes Papa, SYNODVM indixit *a Romæ* celebrandum mense Maii pro electione *b* noui Imperatoris. Quod vero propensiori esset animo erga Carolum cognomento Crassum, filium Ludouici Germaniæ Regis & fratris Caroli Calui; eum, vt Romam Legatos mitteret, atque demum ipse veniret, hortatus est *c*: cum tamen adhuc nutans, de assumendo eius germano Ludouico agere cœpit, scripsitque de his

a Aim. lib. 5. c. 39.
b Ioan. ep. 155. ad Anspert. Mediolan. Episc.
c Ep. 160. 172.

ad

d Ep.197.

ad eum d literas. Attamen in Carolo deliberatio firmata est, vi cogente, quando ipse armatus irrupit in Italiam, vt suo loco dicendum erit: fuit enim vsque ad eius coronationem, biennii interregnum, & amplius. Quo tempore quam miserabilis esset Italiæ status, satis apparet ex aliis eiusdem Pontificis ad diuersos datis hoc anno literis: quippe cui multum fuit in iis laborandum, nec solum literis, sed & itineribus, & censuratum armis; cum scilicet Saracenorum deprædationibus, aut Christianorum Principum factionibus, atque etiam Episcoporum quorundam dissolutionibus, omnia turbata essent atque confusa.

II. LEGATIO ORIENTE AD ROM. PONT. PRO CONFIRM. PHOTII.

Huius quoque anni initio ad eundem Ioannem decreta est legatio à Basilio Constantinopolitano Imperatore, quæ mense Aprili Romam aduenit; per quam petiit, vt Ioannes Photium in communionem reciperet, eiusque ad Patriarchatum reditum sua auctoritate firmaret. Declarant hæc literæ ipsius Ioannis e, redditæ hoc anno ad eundem Imp. mense Augusti. Aduenit etiam legatio Patriarchæ Hierosolymitani tribus monachis credita, id ipsum expetentis. Itemq; alia ipsius Photii per Theodorum olim monachum, postea Episcopum, cognomento Santabarenum, hominem pessimum, ac magicæ arti deditum, eundemque versipellem ad fallendum aptissimum, atque ideo Photio carissimum: quem & ei multos simul concessisse ab eodem concupitos Episcopatus, expulsis Episcopis, Nicetas tradit ad finem Vitæ Ignatii: atque, Photium per eum scripsisse ad Ioannem Papam, se inuitum & magna vi ab Ecclesia & à Republica coactum, sedem Patriarchalem iterum suscepisse: vtq; mendacium hoc magis confirmaret, per Petrum quendam Arcanorum scriptorem, qui deinde pro suarum fraudum mercede Sardensium Ecclesiam accepit, omnium Metropolitarum sigilla suffuratum esse, necnon ipsos inscientes adduxisse, vt libello subscriberent, hac specie illos decipientem, quasi ea fierent pro scripta cuiusdam agri emptione. Hæc ille.

e Ep.170.

III. CAVSÆ QVIBVS PERMOTVS IOAN. PP. FAVERE PHOTIO.

Quod autem non (vt par erat) pro Photio causam agentes Legati, reiecti fuerint à Ioanne Papa, sed benigne recepti, præter omnium spem quæ peterent impetrauerint, causæ plures intercedere potuerunt: nimirum potentia Græcorum in Italia, cum iam Beneuentani atque Capuani à Francis (vt Europalates testatur) defecissent ad Basilium: deinde eiusdem promissiones de liberanda Italia, ac præcipue ipsa Romana Ecclesia ab incursionibus Saracenorum, & infestationibus Comitum vicinorum Romanæ Vrbi; deque reuocanda sub Romanam diœcesim Bulgarorum Ecclesia: præterea, quod prætexebatur bonum pacis, & vnio Ecclesiarum, quæ ob reiectum Photium maximo schismate diuidere tur: denique quod mendaci relatione Basilius Ioannem deceperit, dum suis literis testatus est, restitutionem Photii desiderari etiam ab iis, qui à SS. Methodio & Ignatio ordinati olim fuissent. Hæc quidem sunt quæ permouere Pontificem potuerunt, vt quod nullus fecerat prædecessorum, ipse maxima omnium admiratione perficere ausus fuerit; suadente istud prudentia carnis, inimica Deo, & Ecclesiæ semper aduersa. Hinc que accidere potuit, vt ob nimiam animi facilitatem & mollitudinem, abiecta penitus omni virilitate, idem Ioannes non Papa, vt Nicolaus & Hadrianus, qui constantissime Photio restiterant, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus; vtpote, quod qui nec resistere sciret eunucho Photio, quique vinceretur à semiuiro, non vir, sed esset fœmina potius nuncupandus: sicque nomen contumeliæ transierit posteris rerum insciis in veritatis opinionem; fueritque à pluribus decantatum, Ioannem Octauum Papam fuisse feminam. Quanta autem mala eiusmodi factum Ioannis secuta sint, nemo puto numerare facile poterit; siquidem quę tunc cœpta sunt, in hunc vsque diem infeliciter adhuc perseuerant: cum tamen haud ipse Ioannes illorum reus sit criminum, quibus ab eodem Photio aspersus est in Synodo Constantinopoli vna cum Legatis Apostolicis habita; de qua nunc dicendum.

VNDE IO. OCTAVVS POTVIT DICI FEMINA.

IV. PHOTII FALSATIONES LITERAR. IOANNIS.

Cum enim Ioannes Petrum presbyterum Cardinalem Constantinopolim mittens, vt vna cum aliis missis antea Legatis, Paulo Anconitano & Eugenio Ostiensi Episcopis, rebus illius Ecclesiæ prouideret; dedisset ei literas ad Basilium Imp. & ad ipsum Photium. Clerumque Constantinopolitanum, & Patriarchas Orientis, atque ad eos qui Photio communicare recusarent; quibus Photium quidem in communionem reciperet, & Patriarchatui restitueret, sed iis conditionibus, vt satisfaciens coram Synodo misericordiam secundum consuetudinem postularet, & ab omnimoda Ecclesiæ Bulgaricæ administratione abstineret: Photius illis omnibus epistolis acceptis, qui similes fraudes concinnare solitus erat, (vt vidimus de literis Nicolai Papæ;) ab iisdem non solum eas quas diximus conditiones abstulit, sed & totum earundem contextum mutauit, detrahendo quæ in Ecclesiæ Romanæ aut Ignatii laudem, vel in reprehensionem ipsius Photii dicta essent; addendo vero multa in laudem propriam ipsius, & damnationem omnium Synodorum contra ipsum celebratarum; ac denique omnia pro arbitrio confundendo: adeo, vt qui ipsas Ioannis epistolas (quæ magna Dei prouidentia integræ conseruatæ sunt in ipsius Regesto f, ad conuincendas Photii impostu ras) cum illarum Græca versione à Photio concinnata, vt habetur in Actione secunda pseudosynodi ab eo celebratæ, conferre voluerit; vix cognoscat eam Photii versionem pertinere ad Ioannis epistolas. Voluit enim scelestus, quasi ex Ioannis Papæ literis, non solum suam restitutionem firmam roboratamque monstrare; sed & probare, eiusdem Pontificis auctoritate Octauam Synodum Oecumenicam sub Hadriano Papa celebratam, esse damnatam, probatam vero recentem quam ipse Potius aduersus illam hoc ipso anno Constantinopoli habuit, parique Octauam nuncupauit. In quo etiam adeo faciles reperit Apostolicæ Sedis Legatos, vt nunquam tam sordida tamque indigna ab eadem Sede Legatio missa fuerit; si vera esse dixerimus, & non conficta à falsario Photio, quæ in eadem ipsius pseudosynodo leguntur. Cuius quod extent Romæ integra Acta Græce scripta, tam in Vaticana Bibliotheca, quam in Columnensi, ex iis hæc præcipua summatim prodimus.

f Ep.199 & seqq. Recte at vero etiam illas Baron. hoc ann. ex versione Photii vna cum notis correctarum esse.

LEGATI APOSTOLICI SEDVCTI A PHOTIO.

V. PSEVDOSYNODVS PHOTIANA.

In Prima igitur Actione celebrata mense Nouembri, recitatus est numerus Episcoporum trecentorum octoginta trium: Photius iactauit se, quod Ioannes Papa sæpius ipsum per Legatos inuiserit: & Ioannes quidam Heracleæ Thraciæ Episcopus multa effutiit contra Romanam Ecclesiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem esse dixit; ad quæ curanda, illa esset Synodus congregata: multaque contra Nicolaum & Hadrianum Romanos Pontifices oblatrans, ipsum econtra Ioannem valde laudauit. Inducitq; insuper Actio illa Legatos Apostolicæ Sedis munera Photio deferentes. Secunda habita decimosexto Nouembris, lectæ sunt literæ Ioannis Papæ ad Basilium & Photium, ex versione ipsius Photii, de qua supra: auditæque palinodiæ tam scriptis quam viua voce factæ nomine aliarum sedium Patriarchaliū, de ministerio exhibito Octauæ Synodo Oecumenicę sub Hadriano Papa & Ignatio habitæ; cōtra quam acriter conclamatū est. Tertia celebrata die decimaoctaua eiusdem mensis, lectæ sunt reliquæ Ioannis epistolæ; & causa de diœcesi Bulgariæ reiecta ad Imperatorem, quod ageretur (vt aiebant) de Imperii terminis. Quarta habita mense Decembris, in Vigilia Natiuitatis Domini auditæ aliæ legationes Patriarcharum Orientalium in laudem Photii, & de communicatione mutua cum ipso semper conseruata, atque denegatione eorum quæ ipsorum nomine facta fuissent in Octaua Synodo à falsis atque suppositis Legatis: ac demum recepta sunt quædam capitula, tanquam à Romanis Legatis proposita; inter quæ fuere de abrogatione Synodi habitæ contra Photium, & excommunicatione eorum qui cum ipso communicare recusarent.

VI. SANCITI IN EA CANONES.

Quinta celebrata anno sequenti, die vigesima sexta Ianuarii, confirmata est Septima Synodus Oecumenica: factaque suggestio Legatorum Apostolicæ Sedis, vt ex sententia Ioannis Papæ canon constitueretur, ne excommunicati vel depositi à Romano Pontifice à Photio susciperentur, nec contra. Sicque confectus est de iis primus canon: quo quis non videat, summa Photii calliditate interceptas esse Appellationes ad Apostolicam Sedem, & recursum ad eam? Statutus est præterea secundus canon, Nequis Episcopus transiens ad statum monasticum, Episcopatum retinendi, aut repetendi haberet amplius facultatem. Additus & tertius aduersus sæculares Magistratus, carceri mancipantes,

vel

vel verberantes Episcopos. Postea vero secutæ sunt subscriptiones omnium, & imprimis Legatorum Apostolicæ Sedis, cum detestatione cunctarum Synodorum sub Hadriano contra Photium collectarum.

VII. Sexta Actione habita die decima Martii, non in Ecclesia (vt antea) sed in palatio præsente Imperatore, consensu omnium exhibita est definitio Fidei comprobata in septem Synodis Oecumenicis; contestationibus additis, nequid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino: recitatumque est Symbolum Nicænum, siue Constantinopolitanum dictum. Ita quidem sugillantes Latinos, quod ei apposuissent verba illa, FILIOQVE. Sicut & eadem de re inuenitur epistola Ioannis Papæ nomine ab aliquo nebulone conficta, qua eandem cum Græcis sententiam de professione Spiritus S. profiteri asseritur. Cæterum iis approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius Imperator, expressam addens improbationem eorum omnium quæ contra Photium acta essent in Octaua legitima Synodo, cui ipse subscripserat vna cũ filiis; quos & huic pseudosynodo pariter subscribere voluit. Septima denique, eademque vltima Actione, celebrata decimotertio Martii, iussa est legi Fidei definitio in præcedenti Actione probata; additis, & multiplicatis anathematismis, siquis quid ei adderet vel minueret.

VIII. Habita a multis pro Octaua Oecum.

Sicque absoluta est *Photiana Synodus*; cui non ex more præsederunt Legati Apostolicæ Sedis, sed Photius semper primo loco legitur præfuisse assistentibus iisdem Legatis. Eam autem OCTAVAM Photius nominauit & GENERALEM, in abolitionem legitimæ Octauæ Oecumenicæ sub Hadriano Pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud euenit, vt pro germana Octaua, à Græcis maxime schismaticis accepta sit Synodus Photiana; qui eam venerantur, & vt diuinum quoddam oraculum obseruant. Quin & Gratianus male consultus, secundum eiusdem canonẽ, tanquam ex legitima Synodo descripsit in libro Decretorũ *g*, qui plane odio Photii impostoris fuerat exsufflandus. Quomodo vero eadẽ paulo post fuerit cum suo auctore legitime condemnata, & quæ aduersus eam tam in Oriente, quam Occidente, & tã à Summis Pontificibus quam Imperatoribus, aliisq; sint declamata, pro ratione temporis dicetur suis locis. De qua & illud plane admiratione dignũ est, neminẽ ex Græcorũ historicis res Basilii Imp. prosecutis eius meminisse; cũ econtra ferme omnes de Octaua legitima Oecumenica, in qua Photius est depositus, mentionem faciant. Certe non Curopalates, non Cedrenus, non Zonaras, non Glycas, nõ Constantinus Manasses de ea vel verbum vnum: cum tamen si talis fuisset, tamque numerosa, & quæ Oecumenicam damnasset, haud videri posset silentio prætermissa. Vnde de ea suspicio augetur, vt tota fuerit Photii stylo conficta; sicut ab eo in aliis factum esse, superius est demonstratum.

g 7. q. 1. c. 45. *hoc neg.*

EA ANTIQVIS HISTORICIS INCOGNITA.

IX. LEO FILIVS BASILII IMP. PERIGITATVR A SANTABARENO.

Interea vero Basilius Imp. dum de Constantini filii obitu inconsolabili dolore afficeretur, vt ei blandiretur Theodorus Santabarenus, de quo superius, homo perditissimus, quem tamen, vt virum sanctum, ac miraculorum effectorem, Imperator colebat; præstigiis suis & necromantia effecit, vt idem Constantinus defunctus equo insidens Basilio patri occurrere videretur; quem cum amplexus & deosculatus esset Imperator, eum non amplius vidit. Cum autem Leo, alius Basilii filius, à patre Imperator nominatus, eundem Santabarenum ob eius malitiam & deceptiones odio haberet; idem Santabarenus eidem Leoni adhuc adolescenti, simulata beneuolentia, fraudulenter persuasit, vt cum ad venationem cum patre exiret, pugionem occultum ferret, quo vel feras, vel forte patri insidiantes confoderet. Obtemperauit adolescens dolo non animaduerso; Santabarenus autem Basilio denunciauit, Leonem filium ei insidias struere, & ad eum interimendum pugionem in venatu ferre. Quem cum Basilius inuenisset, ardens iracundia, nullamque filii admittens defensionem, ei oculos eruisset instigante Santabareno, nisi assiduis Senatus precibus sententiam mutasset. Hæc Zonaras, & ante eum Curopalates, & alii. Quomodo vero vix post longum tempus, Leo è carcere, cui fuit mancipatus, liberatus fuerit, suo loco dicturi sumus.

IESV CHRISTI AN. 880.

IOAN. VIII. AN. 8.

BASIL. MACED. 14.

I. ANno Christi octingentesimo octogesimo, Indictione decimatertia, absoluta (vt dictum est) pseudosynodo Photiana, Legati Apostolicæ Sedis in Vrbem reuersi sunt, literas ad Ioannem Pontificem ab Imperatore & à Photio deferentes, quibus de restitutione eiusdem Photii (cuius causa tantummodo missi erant) ipse Pontifex certior redderetur; tacerentur vero reliqua quæ de Synodo Oecumenica abroganda fuissent constituta. His autem respondens Pontifex *a* mense Augusti, post congratulationem de pace illi Ecclesiæ reddita, ad finem caute admodum sic se probare dixit, quæ in Synodo acta essent de misericordi restitutione Photii Legatis in mandatis data, vt tamen siquid ipsi præter voluntatem Apostolicæ Sedis plus his operati essent, nullius esset penitus auctoritatis. Cæterum rescisse postea ipsum quæcumque in eadem pseudo-synodo gesta essent, ideoque Marinum qui ei in sede successit, Constantinopolim misisse, vt vir animo constantissimus, quæ perperam tres Legati gessissent irrita redderet; idque Marinum egregie præstitisse, atque ideo multa Constantinopoli passum esse; constat ex literis Stephani Papæ eiusdem Marini successoris ad Basilium Imp. datis, de quibus suo loco. Sed & post hæc ab ipso Ioanne publice damnatum esse Photium, Formosi & Ioannis Noni Romanorum Pontificum epistolæ *b* ad Stylianum Neocæsareæ Episcopum scriptæ docent.

a *Ioan. ep.* 250 & 251. IOAN. PP. DAMNAT SYN. PHOTIANAM, IPSVMQVE PHOTIVM.

b *In cod. Columnens. notat. num.* 41. *vbi cuncta quæ ad causam Photi in pertinent collecta habentur.*

II. Hoc item anno ingenti victoria potitus est Basilius aduersus Saracenos Orientis oras infestantes, expugnata eorum classe; de qua est celebris mentio apud Curopalatem, & alios Græcos historicos, sed absque nota temporis: porro hoc anno contigisse, compertum habetur ex Ioannis Papæ epistola *c* ad Carolum Regem data tertio Calendas Nouembris.

c *Ioan. ep.* 255.

III. Eodem anno *S. Methodius* Morauorum Apostolus, idemque constitutus olim ab Hadriano Papa eiusdem gentis Archiepiscopus, Romam venit, eo quidem vocatus *d*, quod apud Ioannem calumniam passus esset, quasi aliter doceret quam coram Apostolica Sede professus fuisset. Romæ vero palam exponens quam profiteretur & prædicaret fidem, ab eodem Pontifice verus probatus Apostolus, ad opus ministerii redire iussus est: cui reuertenti mense Iunio Ioannes literas *e* dedit ad eius prouinciæ Principem, nomine Sfentopulchrum; quibus nouæ coalescentis illius Ecclesiæ cunabula recensens, lacteque adhuc eandem nutriens parunlorum, permisit eosdem Morauos lingua Sclauonica in Ecclesiis vti, adeo vt etiam Missas si vellent eadem lingua cantarent; hortans tamen, vt potius Latina vterentur.

III. S. METHODIVS MORAVOR. APOST.

d *Id. ep.* 194 195.

e *Ep.* 247.

MORAVIS CONCESSVM LINGVA SCLAVON. IN ECCL. VTI.

IESV CHRISTI AN. 881.

JOANNIS VIII. AN. 9.

CAROL. III. 1.

BASIL. MACED. 15.

I. ANno Christi octingentesimo octogesimo primo, Indictione decimaquarta, mense Aprilis, Athanasius Neapolitanus Episcopus, de quo superius, olim vir laudatissim⁹, sed postea in transuersum actus, (qui etiam post Sergium fratrem expulsum, sæculari dominio eidem ciuitati præerat) ob

I. ATHAN. EPIS. NEAPOL. EXCŌMVN. OB FŒDVS CŪ SARAC.

fœdus

a *Ioan. ep.* 251. 265 270 294

fœdus cum Saracenis initum, à quo nec literis scriptis, nec datis pecuniis, nec denique præsentia Ioannis Pontificis ea de causa Neapolim se conferentis, dimoueri potuisset; ab eodem Pontifice ex *Synodi* ad hoc *Romæ* conuocatæ sententia, damnatus est *b*, & anathemati subditus. Cui quidem postea petenti scelerum absolutionem, ita daturum se promisit Ioannes *c*, si prius Saracenis ab ipso necatis vel captis, sic pœnitentiæ suæ certa signa edidisset.

b *Ep.*270.

c *Ep.*294.

II. CAROL. CRAS CORONATVR IMP.

Hoc pariter anno (vt tradit Regino) Rex Francorum CAROLVS cognomento *Crassus* Italiam vi occupans, Romæ à Ioanne Papa coronatus est Imperator: quod in die Natalis Domini factum esse, testatur Aimoinus *d*. Quamobrem primus annus eius Imperii præsens cœptus est numerari in commentariis illorum temporum; vt euidenter constat ex diplomate *e* ipsius, quo annus Redemptoris octingentesimus octogesimus quartus, anno quarto ipsius Imperii consignatur. Nempe maiorum exemplo, quo non ab obitu prædecessoris Imperatoris, anni successoris numerarentur, sed à creatione ac coronatione per Romanum Pontificem facta. Ad Carolum porro, vbi in Imperium ascendit, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus paræneticam scripsit epistolam *f*, qua ei Gallicanam commendauit Ecclesiam, vt eam pene collapsam restitueret. Regni dissidia tolleret, Ludouici Balbi nuperi Imperatoris & Francorum Regis filiis idoneos è Regni primoribus consiliarios tribueret, qui eos docerent priuilegia Ecclesiastica tueri, sacerdotes venerari, diuinum auxilium implorare, orphanorum & pupillorum patrocinium suscipere, iustitiam in omnibus colere, &c.

d *Aim.lib.*5.*c.*60.

e *Habet Baron. tom.X. hoc an.*

f *Ext. inter illas, quæ edita sunt ex cod. Spir.*

IESV CHRISTI AN. 882.

IOANNIS VIII. AN. 10.

CAROL. III. 2.

BASIL. MACED. 16.

I. Anno Christi octingentesimo octogesimo secundo, Indictione decimaquinta, Joannes Papa, cum tam Italiæ Principum, quam etiam Saracenorum grassationibus admodum premeretur, pluribus literis *a* interpellauit Carolum Imp. vt valida manu succurreret; misitque ad eum per Legatos pro munere benedictam ex more Palmam. Sed & scribens eodem argumento ad *b* Richardem Imperatricem, valde deplorat miserandum statum Romanæ Ecclesiæ; modestas etiam querelas ingeminans de tarditate Imperatoris in suscipienda ipsius defensione. In quo non possumus non admirari vehementer consilium Dei. Quod enim ob auxilium hominum consequendum, nonnihil visus est deflexisse Joannes à præscripta à decessoribus inuiolabili obseruantia Ecclesiasticæ censuræ in gratiam Principum, sperans ab eis auxilium; (vt superius est demonstratum) plane contrarium accidit, cum non solum ab Orientis, sed nec ab Occidentis Imperatore aliquid præsidii obtinere potuerit, imo multiplicati fuerint hostes.

a *Ioan. ep.* 269. 277. 279. 295.

b *Ep.*298. PRVDENTIA CARNIS DAMNOSA ECCLESIÆ.

II. HISPANI AD IOAN. PP. In his igitur constitutus angustiis, occasione legationis ab Hispania ad se missæ à Rege Aldefonso Magno, & ab Episcopis sub eius regno constitutis, redditis ad Regem literis, ab eodem mitti petiit aliquantos (vt ait) vtiles & optimos Mauriscos cum armis, quos Hispani cauallos Alpharaces vocarent. Ea vero legatione petitum ab ipso fuit, vt consecrandi Ecclesiam Compostellanam, ab eodem Rege augustissime constructam, licentia daretur: itemque, vt Ouetensis Ecclesia dignitate Archiepiscopatus donaretur: denique, vt congregandi prouinciale Concilium facultas concederetur. Quæ omnia Joannes illis permisit, misso etiam ad ipsos Arnaldo Legato suo: sed occasione ingruentium in Hispania bellorum tam ciuilium quam externorum, hæc dilata *c* aliquamdiu sunt.

c *Infr. ann.* 900. *nn. V.* & 901. *V.*

De Joanne vero Papa illud tantum post hæc ex eius epistolis *d* proditur, ipsum rursus in Gallias iter arripere statuisse, vt dissidentes inter se Francorum Principes conciliaret, atque ita eos promptos haberet ad ferendum auxilium Ecclesiæ Romanæ periclitanti. Verum ne id faceret, mors intercessit. Siquidem in fine huius anni, inter tot tantasque ærumnas mœrore consumptus, mortuus est decimooctauo Calendas Januarii, cum sedisset annos decem & diem vnum: sepultusque est ante basilicam S. Petri. Cuius res gestæ desiderantur apud Anastasium; fortasse prætermissæ ob odiosam restitutionem Photii. Cæterum reperitur in Vaticanæ Bibliothecæ monumentis, eiusdem de iure ac titulis Cardinalium Constitutio; qua inter alia ait, Romanum Pontificem Moysi, ipsos vero S. R. E. Cardinales Septuaginta Seniorum vices gerere, qui sub eo causarum iudicia diiudicarent. Itaque propter solicitudinem Ecclesiarum, & Clericorum disciplinam, siue laicorum querimonias deliniendas, bis in hebdomada ad sacrosanctum Palatium iuxta decreta Leonis Quarti eos conuenire iubet, &c. At de illo hactenus.

III. d *Ep.*307. *ad Supp. Com.* IOAN. OBITVS.

CONSTIT. DE CARDINALIB. *Quam vid. Bar. ex cod. Vatic.*

Cum autem post ipsius obitum sedes vacasset tredecim diebus, quinto Calendas eiusdem mensis Ianuarii, in eius locum Romanus Clerus *Marinum* Gallesio oppido oriundum elegit; qui maxima laude ter legatione functus fuerat Apostolicæ Sedis Constantinopolim; vt constat ex iis quæ superius suis locis de eo dicta sunt. Quod vero ipso suo ingressu Pontificatus Photium, cunctasque res ab eo gestas ad munus Episcopale pertinentes damnasset; Basilius Imp. furore incensus Romam scribens, obiecit Marinum non esse Pontificem, eo quod alterius Ecclesiæ iam fuisset Episcopus ordinatus; multaque alia ignominiosa aduersus eum effutiens, ipsum solio deponere fategit: sed confutauit ea postea locupletissime Stephanus Papa Sextus, epistola ad Imperatorem rescripta.

IV. MARINVS CREATVR PA A.

BASILII IMP. CONATVS ADVERSVS EVM.

Eodem quoque anno Flodoardus *e* testatur, Hincmarum Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopum, postquam sedisset annos triginta septem & amplius, obiisse in villa Sparnaci trans Matronam fluuium, quo ad siluestria loca aufugerat metu Northmannorum, totam circum regionem rapina, gladio, igne, misere deuastantium, cum ciuitas Rhemensis tunc nondum muris circumdata esset: relatum autem corpus Rhemos sepultum fuisse in monasterio S. Remigii: ei vero successisse *Fulconem* virum nobilem, & Palatinis officiis assuetum, sacerdotalique vigore & libertate præstantem, de quo sæpe inferius dicendum: cuius pariter Vitam idem Flodoardus scripsit. Cæterum agit quoque de obitu Hincmari Aimoinus *f*; additque de ciuitate Rhemensi, cum eam nec murus nec humana manus defenderet, Dei potentia, Sanctorumque meritis, defensam fuisse ab incursu Gentilium Northmannorum: cum multas alias vrbes, plurimaque monasteria ea incursione excisa esse, ex aliis etiam constet. Quo tempore Carolus Imp. ab Italia in Gallias properans, opem laturus periclitanti iam populo vniuerso, Northmannos mense Iulii obsidens, ab eorum expugnatione reuocatus est ingenti inusitatæ magnitudinis grandinis tempestate, & hac secuta dira suorum ex ægritudine strage: quibus etiam malis afflictis Northmannis, pax inter ipsos contracta est, data in matrimonium regia puella (Gisla ea dicta, Lotharii Regis filia) Godefrido Northmannorum Duci, Christiano facto, & ab ipso Carolo è baptismo suscepto: cui & Frisia concessa est, & multa pecunia data. Hæc Aimoinus *g*, atque Regino *h*: quæ præsenti anno cœpta, sequenti sunt consummata.

V. e *Flod. hist. Rhem. lib.*3. *c.*17. HINCMARI RHEM. OBITVS.

f *Aim. lib.*5. *c.*61.

PAX INTER FRAN. ET NORTHMAN.

g *Aim. ibid.*

h *Reg. an.* 882.

Hoc eodem anno incensum à Saracenis fuisse insigne monasterium Sancti Vincentii ad Fontes Vulturni, atque nongentos monachos ab eisdem decollatos; pluribus narrat Ioannes monachus eiusdem monasteni, qui vixit temporibus Paschalis Papæ Secundi.

VI. NONGENTOR. MONACHOR. MARTYRIVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 883.

MARINI AN. I.

CAROL. III. 3.

BASIL. MACED. 17.

I. FORMOSVS EPIS. PORTVEN. RESTITVITVR.

ANno Christi octingentesimo octogesimo tertio, Indictione prima, Marinus Papa perperam facta Ioannis decessoris sui rescindens; inter alia Formosum Episcopũ Portuensem, Apostolatu Bulgarorum, & magnis legationibus insignem, virum laudatissimum, de quo sæpe superius actum est, restituit Episcopatui: quem damnans (nescitur causa) Ioannes, iurare coegerat se in perpetuum laica communione contentum permansurum.

II. a Malmesb. de gest. Reg. Angl. lib. 2. c. 4. PEREGRINATIO IN INDIAM AD CORPVS S. TH. APOST.

Hoc itẽ anno idẽ Marinus Scholam Anglorum Romæ existentem, Ælfredo Rege deprecante, a tributo liberam fecit: qui etiam eidem Regi dona mittens plurima, dedit ei inter cætera portionem non modicam Crucis salutiferæ. Hæc Matthæus Westmonasterienſis. Tradit vero VVillelmus *a* Malmesburiensis, eundem Regem duplicem legationem ornasse ad eleemosynas deferendas, vnam ad Limina Apostolorum Romam, ad Indos alteram ad corpus S. Thomæ Apostoli. Hæc autem omnia à pio Rege ex nuncupato voto impleta fuisse, testatur Henricus Huntindonensis. Sed & plurima alia iidem auctores referunt, quæ ipse in religione Christiana colenda & propaganda operatus est.

III. AQVIL. PATRIAR. CÕSPIRATIO CVM PHOTIO ADVERSVS ECCL. LATIN.

Quo eodem tempore legatio missa reperitur ab Aquileiensi pseudopatriarcha ad Photium pseudopatriarcham Constantinopolitanum, à schismatico ad schismaticum. Ite enim Aquileiensis (nomen à nobis ignoratur) non solum ab Ecclesia Romana auersus, sed Latinis omnibus contrarius, schismaticisque Græcis inhærens, audacissime impugnabat stabilitam per sæcula multa sententiam de processione Spiritus Sancti: quam non ita pridem sub Carolo Magno, eiusdem ipsius Aquileiensis Ecclesiæ doctrina & sanctitate præstans Antistes Paulinus, in Concilio Forojulensi (vt suo loco vidimus) egregie confirmauerat, habita prolixioti de ea re disputatione. Quod vero iste schismaticus solus hæc modo conatus inter Latinos inueniretur, per legationem & literas apud Photium egit, vt ab eo epistola redderetur contra Latinos, quæ adhuc extat *b* satis prolixa ad eundem Aquileiensem inscripta: qua homo versutus, probare contendens blasphemiam esse asserere Spiritum sanctum tam à Filio quam à Patre procedere; quotquot inuenire potuit suis asseruisse scriptis Spiritum sanctum à Patre procedere, (quod nemo Catholicus profiteri non potuit) siue id fuerit frequenter repetitum in Symbolis Fidei, siue alio quouis modo vel à Romanis Pontificibus, vel ab aliis Patriarchis Orientis assertum; mox eos omnes contra Spiritus sancti à Filio processionem sentire inclamauit. Probare vero nunquam potuit, vel à Conciliis, vel qualibet alia scriptione, quauis occasione à Patribus vel semel dictum, Spiritum sanctum à Filio non procedere. Cum econtra permulti ante hæc tempora eiusdem sancti Spiritus a Filio æque ac Patre processionis assertores sese expressis verbis exhibuerint: ipseque imprimis, quem Photius præcipuum pro se adduxit, Leo Magnus Romanus Pontifex in epistola ad Turibium Episcopum Asturicensem; itemque vniuersæ Hispaniarum & Galliarum Ecclesiæ *c*, vt de aliis modo taceam non solum Latinis, sed & Græcis quamplurimis, qui eandem doctrinam professi sunt: adeo, vt etiam in Nicæna *d* Secunda Oecumenica Synodo, communi consensu recepta fuerit: licet Ecclesia Romana antiquitatis tenacissima, diutius recusauerit additamentum illud, FILIOQVE, Symbolo Nicæno, siue dixeris Constantinopolitano, quod in Ecclesia cani soleret, apponere; cum alioqui eandem doctrinam aperte profiteretur ac prædicaret.

b Ret. Baron. Annal. tom. X. hoc an. ex Bibl. Vatic.

PHOTII EPIST. DE PROCESS. SPIR. S.

c De his vide sup. an. n. 447. III. 809. IV. & alibi.

d Conc. Nic. II. Act. 7.

IV.

Verum vbi schismaticorum procacitas eo deuenit, vt Catholicum dogma non impugnarent tantum, sed & explodere nt velut hæreticum: (quod ab eodem Photio in sua quoque Synodo magna præsumptione factum vidisti:) tunc Romani Pontifices, non tam inferendas in Symbolum illas quatuor syllabas, FILIOQVE, quam diu ante ab Ecclesiis præcipue Hispanicis & Gallicanis illatas recipere, sapientissime decreuerunt; quo significaretur, non communicare Catholicæ Ecclesiæ, qui à Symbolo ab Ecclesia Romana recepto dissentire inuenirentur. Quisnam autem Romanorum Pontificum primus id in Ecclesiam Romanam induxerit, viri docti disquirentes, ad tempora Nicolai vel circa retulerunt. Verum si id fuisset, haud dubium Photius duabus epistolis, quibus in Romam Ecclesiam acerrime inuectus est, altius in ipsam declamasset, cum tamen ne meminerit quidem. Auctor anonymus, qui inter alia Græcorum monumenta positus habetur in Vallicellana bibliotheca, id primum factum à Christophoro Papa tradit. Sed Græcorum ista est calumnia, id reiicere conantium in Pontificem, quem nossent infami ingressu turpissimum, Apostolicam Sedem perbreui tempore tumultuose tenuisse. Cæterum rem tantam summa tranquillitate, conuocato Romæ Occidentalium Episcoporum Concilio, & à Pontifice legitime electo, imminente ob eam rem in Gallia & Hispania schismate, esse peractam, absque controuersia affirmatur tum in Concilio Florentino, tum in decreto confirmationis eiusdem Synodi ab Eugenio Papa promulgato. Quinimo Hugo *f* Ætherianus pluribus id ipsum narrans recitat etiam partem eiusmodi Pontificii decreti. Sed quisnam fuerit iste Pontifex, silentio reliquit obscurum; qui illis temporibus notus omnibus, etiam absque aliqua nominis expressione satis intelligebatur. Photii vero aliorumque Græcorum in redargutionem Catholici dogmatis argumentationes, egregie confutarunt tam idem Ætherianus *g*, quam Gennadius, & alii plures, qui in eo scribendi argumento versati sunt.

QVA OCCAS. ROM. PONT. ADMISERINT IN SYMBOLVM, VOCEM FILIOQVE.

c Concil. Flor. sess. 7.

f Hug. Æther. lib. 3. de process. Spir. S. cap. 19. Ext. in Bibl. Patr.

g Ibid. lib. 2. c. 15. & seqq.

Moritur hoc anno (vt ponit Matthæus VVestmonasterienſis) magni vir nominis huius temporis *Ioannes Scotus*: quem VVillelmus monachus Malmesburiensis *h* scribit, à pueris quos in eo monasterio docebat, graphiis perforatum, etiam martyrem æstimatum esse, eoque titulo epitaphium ei in sepulchro appositum. At vero causam cur ea passus sit, vt martyr possit haberi, nullus prodit. Eius autem scripta erroris fuisse redarguta, superius vidimus; ac fuisse post hæc in Plenario Concilio combusta, inferius *i* vidimus.

V. IO. SCOTI OBITVS.

h Malmesb. lib. 2. c. 4.

i An. 1059. III.

IESV CHRISTI AN. 884.

HADRIAN. III. AN. I.

CAROL. III. 4.

BASIL. MACED. 18.

I. MARINI PP. OBITVS. HADRIANI III. CREATIO.

ANno Christi octingentesimo octogesimo quarto, Indictione secunda, decimoquinto Calendas Februarii, mortuus est *Marinus* Papa, vbi sedisset annum vnum ac dies viginti; laudabiliter Apostolico munere perfunctus. Post duos vero dies, nempe decimotertio Calendas eiusdem mensis, creatus est HADRIANVS Romanus, eius nominis Tertius. Qui inhærens sancti decessoris sui vestigiis, execratus est & ipse Photium, tanquam laicum agentem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham; quamuis à Basilio Imp. magnopere rogaretur communionem eidem impertire. Cernens autem Imperator frustra se agere, magna indignatione commotus, hostiles plane ad eundem Hadrianum literas scripsit, contumeliis plenas: quas tamen Romam fero perlatas, post obitum Hadriani accepit Stephanus ipsius successor, vt dicetur postea.

II. CASSIN. MONAST. À SARACENIS INCENSŨ a Leone Ost. hist. Cassin. lib. 1. c. 45.

Hoc item anno Saracenos in Italia Campaniæ partes sibi finitimas deuastantes, cædeque & igne miscentes omnia, peruenisse ad nobile monasterium Cassinense, illudque totum combussisse, (excepta sola Ecclesia Saluatoris, quæ diuinitus incendium euasit) & Bertharium Abbatem iuxta altare S. Martini trucidasse, narrat Leo *a* Ostiensis: quando (vt ait)

ait) monachi, quicquid supellectilis, vel thesauri, seu monumentorum eius Ecclesiæ surripere potuerunt, sumentes, Theanum habituri profecti sunt.

IESV CHRISTI AN. 885.

STEPHAN. VI. AN. I.

CAROL. III. 5.

BASIL. MACED. 19.

I. HADR. PP. OBITVS.

ANno Christi octingentesimo octogesimo quinto, Indictione tertia, die septima Iduum Maii, *Hadrianus* Papa vbi sedisset annum vnum, menses tres, dies v. deviginti, mortuus est super fluuium Scultinum in villa dicta Wilczachara: ac post aliquot dies, Romæ admodum inuitus suffectus est in locum eius STEPHANVS, nobilis Romani ciuis Hadriani filius, ex presbytero S. Quatuor Coronatorum, eius nominis Sextus ordine, sed dictus *Quintus*; cuius mira pietas, aliæq; insignes virtutes enumerantur apud Anastasium. Adduntur vero & miracula: cum scilicet Romani, qui multam antea passi fuerant famem, aliaque incommoda, ex locustarum deuastatione, & pluuiæ defectu; ipso die electionis Stephani maxima inundatione pluuiam optatam acceperunt, ac postea aspersione aquæ ab eodem Pontifice benedictæ, locustas ab agris suis penitus expulerunt. Scribit insuper idem auctor, ipsum consentiente patre, qui adhuc viuebat, bona parentum suorum egentibus dispersisse, quod Patriarchium Lateranense non solum sacrariis & vestiariis, aliisque sacris opibus, sed & cunctis cibariis spoliatum prorsus reperisset. Iam enim inoleuisse pessimam illam consuetudinem, vt mortuo Pontifice, inuaderent homines ac deprædarentur Palatium, constat ex iis quæ habentur in Synodo sub Ioanne Nono, de qua inferius.

STEPH. VI. SVBROGATIO.

LOCVSTÆ AQVA BENEDICTA EXTINCTÆ.

II. STEPH. PP. SCRIBIT AD BASIL. IMP. PRO DEFENSIONE SVOR. PRÆDECESSORVM. a *Rec. Baron. Annal. tom. X. hoc ann. ex cod. Column.*

Idem quoque Stephanus Papa, cum accepisset literas, quas (vt diximus) Basilius Imp. blasphemiis atque conuiciis plenas scripserat ad Hadrianum Pontificem, tam aduersus eum, quam contra Marinum eius decessorem: perstans ipse cum iisdem suis antecessoribus in Photii execratione atque detestatione, egregiam rescripsit ad Imperatorem epistolam *a*; qua obiecta diluens, insuper eum redarguit, quod pro eodem Photio excommunicato tantopere laborans, Romanam Ecclesiam adeo afficeret contumeliis, cui cum omni veneratione subditus esse deberet: & quod Pontificum se iudicem constitueret, quorum sacris doctrinis dirigendus esset. Deinde gratulatur ei, quod ex filiis suis vnum sacerdotio dedicasset; (nempe Stephanum, de quo inferius:) ista ingerens, quo Imperatorem induceret, electo Photio, ipsum instituere Patriarcham. (quod postea Leo præstitit, ipsius Basilii filius & Imperii successor.) Et ad postremum rogat Imperatorem, vt opituletur Romanæ Vrbi aduersus Saracenorum incursiones.

III. FVLCO RHEM. SCRIBIT AD STEPH. PP.

Eodem quoque exordio Pontificatus Stephani, Fulco insignis Archiepiscopus Rhemensis literas ad illum pro cõfirmandis priuilegiis Ecclesiæ suæ scripsit: sicuti & se antea ad Marinum & Hadrianum scripsisse, idque ab iis impetrasse, testatur iisdem literis, describitque Flodoardus in ipsius Rebus gestis. Sed in literis ad Stephanum idem Fulco meminit etiam de Widone Duce affine suo, quem idem Pontifex in filium adoptauerat; quique postea creatus est Imperator. Scripsit & deinceps sæpius ad eundem de controuersiis quorundam Episcoporum Galliæ, aliisque rebus: ad quas singulas Pontifex respondit, vt pluribus narrat Flodoardus *b*.

b *Flod. 4. hist. Rhe. 1.*

IV. LVD. REX, IGNAVVS CVR DICTVS. c *Aim. li. 5. 45.*

Hoc item anno mortuus est Carolomannus Rex; cui successit eius filius Ludouicus, *Ignauus* cognomento dictus, siue quod Regno potitus nihil strenue gessit, siue quod sanctimonialem quandam Kale monasterio abstractam coniugio sibi copulans, peccatum quo nullum maius esse nescitur perpetrauit. Ita Aimoinus. Reliquus vero erat ex Ludouici Balbi filiis Carolus cognomento Simplex, adhuc puerulus: cuius patrocinium suscipiens prædictus Fulco Rhemensis, literis *d* hortatus est Carolum Crassum Imp. vt eius regni defensionem susciperet, aduersus Northmannos multipliciter illud opprimentes.

d Flod. in Vit. Fulcon.

IESV CHRISTI AN. 886.

STEPHAN. VI. AN. 2.

CAROL. III. 6.

LEON. VI. I.

I. LEO FIL. BASILII IMP. LIBERATVR E CARCERE.

ANno Domini octingentesimo octogesimo sexto, Indictione quarta, Leo Basilii Imp. filius è carcere, cui ante septennium ob calumniam Theodori Santabareni mancipatum fuisse vidimus à patre, tandem liberatus est hac occasione. Erat in Regia pistacus, (auis quæ humanam vocem imitari facile discit) quæ siue edocta, siue casu, sæpe pronuntiabat, αἰ, αἰ κύριε Λέων; hoc est *Heu heu! Domine Leo.* Cum autem aliquando accersiti Principes Senatus cum Imperatore conuiuarentur, eademque auis illa verba sæpius proferret; mœsti ipsi à cibis abstinuerunt; causamque percontanti Imperatori responderunt, *Quem cibum, O Domine, comedemus, quibus ab ista rationis experte auetale quid dicitur conuicium? Nam ea suum Dominum requirit: nos autem genio indulgentes, Dominum qui nihil peccauit obliti sumus.* Mollitus itaque his verbis Imperator, tunc quidem ipsis sedere iussis, seque rem diligentius exploraturum spondens, paulo post Leonem è carcere eductum Imperii honori restituit. Ipseque non multo post diarrhœæ morbo tabescens, eundem Leonem hæredem suum & successorem instituit, è vita decedens, post quam regnasset cum Michaele annum vnum, solus vndeviginti. Hæc omnia Curopalates, & alii post eum. Quo autem mense Basilius obierit, antiquorum nemo (quod sciam) prodit.

BASIL. MORITVR.

II. PLVRIMA LAVDE DIGNA AB EO GESTA.

Commendatur ipsius pietas in exædificandis & restituendis Ecclesiis, iisdemque exornandis, ac redditibus locupletandis: testaturque Curopalates, eundem multos Iudæos donis ac largitionibus ad fidem attraxisse; Bulgaros, missis ad eos religiosis monachis, & præstantibus sacerdotibus, in fide non ita pridem suscepta confirmasse; *Russis*, inito cum illis fœdere, auctorem fuisse baptismi suscipiendi, misso ad eos quodam Archiepiscopo, qui miraculo libri Euangeliorum in ardentem fornacem coniecti, & post aliquot horas illæsi reperti, ad fidei professionem eosdem pertraxit. Pro quibus benefactis operibus, multiplicia quoque Basilius à Deo retulit præmia: siquidem tam terra quam mari sæpe deuicit hostes; & Scytharum barbaras nationes, *Chrouatas* dictos, & *Seruios*, in spontaneam deditionem accepit: quibus ad eum accedentibus, datæ sunt ad habitandum prouinciæ illæ, quæ ab ipsis nomen accepere, vt Croatia, & Seruia dicerentur. Inter alias vero victorias Dei beneficio acceptas, illa magis proficua & memorabilis, qua, magna potentia elatos hæreticos Manichæos, sub Theophrices eorum ciuitatis Principe Chrysochire militantes, sic prostrauit, vt innumera tunc multitudo collecta tanquam fumus euanuerit. Sed & valde insignis fuit illa, quam per Andream piissimum Ducem obtinuit aduersus Saracenos Tarsi regnantes: quorum Princeps cum literas misisset superbiæ & conuiciorum plenas aduersus CHRISTVM & sanctissimam ipsius Matrem; Andreas illas appendens Imagini Dei-Genitricis, *Vide* (inquit) *O Mater-Dei, tuque ipsius Filius & Deus, qualia exprobrauit & superbe dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans:* moxque progressus aduersus hostes, ingenti eos prælio deuicit. Quæ omnia, aliaque eiusmodi pluribus Curopalates, & alii post eum Græcorum historici.

INSIGNIS FIDES ANDREÆ DVCIS.

III. EGREGIA BASIL. IMP. SCRIPTA.

Præter hæc vero idem Basilius scribendum curauit librũ *De Iure*; ex quo iam deperdito pauca fragmenta remanserunt

in

in libro Iuris Græcorũ, de Officio & definitione Patriarchæ. Vbi inter alia hæc præclare: *Cum Respub. ex partibus & membris ad similitudinem corporis humani constet, amplissimæ huius maximeque necessariæ partes sunt Imperator & Patriarcha. Ideoque subditorum pax & felicitas tam animi ratione quam corporis est Imperii atque Pontificatus in omni vnanimitate consensus.* Ipsum etiam Græcorum *Menologium* scribendum pariter curauit, & augendum; atque etiam Imaginibus exornauit, quibus singulorum exprimerentur certamina: cuius ipsum autographum vidimus & legimus, concessum nobis à Paulo Sfondrato Sanctæ Cæciliæ Cardinale, nepote Gregorii Papæ Decimiquarti. Idemque insuper Imperat. vna cum hæreditate, filio suo Leoni egregia plane & aurea monita scriptis reliquit, sexaginta sex capitibus comprehensa, quorum principes literæ hanc efficiunt sententiam; *Basilius in Christo Romanorum Imperator Leoni charo filio & Imperii collegæ*: quibus imprimis fidei Catholicæ obseruantiam, & Ecclesiæ ac sacerdotum venerationem, diligenter commendauit, tanquam fundamentum & basim quandam, super quam vniuersa moles Imperii collocata, firma consistat. Denique fuisset plane Basilius inter summos Christianos Principes numerandus, cum ob pietatem, tum etiam ob res bellicas præclare gestas; nisi seductus à Photio, præuaricator factus esset Octauæ Oecumenicæ Synodi, cui subiicipse rat; & tam ipsius, quam Santabareni præstigiis dementatus, in Romanam Ecclesiam pro eodem Photio insurrexisset. Ita enim si quos habuit infelix Græcia præstantes Imperatores barbaris metuendos, vt Iustinianum, Heraclium, atque Basilium; eosdem mox vel hæresis vel schisma inglorios reddiderunt atque funestos, opera nefandorum hominum sanctitudinem vitæ extrinsecus præseferentium.

QVÆ IN SO DAMNANDA.

IV. LEO VI. IMPERAT.

Defuncto itaque Basilio, eadem die LEO eius filius, cognomento *Sapiens*, siue *Philosophus*, Imperium moderandum suscepit. Qui mox occasione captata, quod Photius cum Santabareno consilium iniisset de eligendo in Imperatorem cognato ipsius Photii; eum è throno deposuit, relegauitque in monasterium Armenorum: & in eius locum subrogandum curauit germanum suum *Stephanum*, filium natu minimum Basilii; quem pater, aliis ad Imperium euectis, Ecclesiasticis functionibus mancipauerat. Impostorem vero Santabarenum flagris cæsum, oculisque excæcatum, Athenas misit in exilium; hominem secta Manichæum, professione magum, (vt Constantinus Manasses affirmat) simulatione vero Christianum, & impostoris quibus miracula affectabat, à Basilio Imp. creditum sanctum.

PHOTIVS DEPONITVR, SANTABAR. EX CÆCATVR.

V. LEGATIO AB ORIEN. AD STEPH. PP. PRO DISPENSATIONE.

Sed quod Stephanus ordinatus fuisset à Photio Diaconus, esseque lex Ecclesiastica, vt ordinati à Photio cessarent omnino, nec maiori gradu eleuarentur: idcirco, vt cum ipso dispensaretur à Romano Pontifice, missa est a Leone Imperat. legatio Romam, cum literis, quas tum ipse, tum Stylianus Neocæsareæ Metropolita cognomento Mapa, nomine tam suo quam omnium sacerdotum Orientis Catholicæ communionis, ad Stephanum Papam scripserunt. Habentur enim ista asserta in Græco codice *a* Columnensi, in appendice addita contra pseudo-synodum Photianam: vbi cum desit ipsa Leonis epistola, cuius auctor eiusdem appendicis meminit, inest tamen illa Styliani; qua *b* breuiter repetens ab initio omnia Photii scelera, declarat quomodo eum Leo eiecerit, rogatque, vt damnans eum, benigne dispenset cum aliis Episcopis qui ab eo decepti fuissent; vt ita pax omnimoda restituatur Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Cuius quidem epistolæ notanda sunt maxime verba, quibus hoc petitur à Stephano Papa: *Quoniam vero scimus* (inquiunt) *quod à vestra Apostolica Sede corrigi, & iuxta canones corripi debemus: hac de causa humilibus hus nostris literis tuam oramus venerabilitatem, vt misericorditer nobiscum agas*; & alia plura eiusmodi. Subiicitur deinde in eodem codice responsio Stephani Papæ; qua suspendit iudicium de Photio, quod eum Leo scripsisset sponte se abdicantem, quietam vitam elegisse. Itaque mandat vtriusque partis Episcopos mitti, quibus auditis possit sententia pronuntiari. Nam si acquieuisset iis, quæ scripta erant ab Imperatore de Photio sponte se abdicante, eius sessionem illegitimam quodammodo probare videri potuisset. Nullus enim poterat esse locus renuntiationi, ei qui nusquam legitime sedisset. Et ita quidem actum cum Episcopis: sed cum Stephano germano Imperatoris, qui diaconatum suscepisset à Photio, absque mora dispensatum fuisse inde existimare licet, quod cum ipso idem Stephanus Papa communicasse inuenitur.

a Num. 45.

b Rec. Bar. Annal. tom. X. hoc an. ex cod. Column.

Cæterum eiectus hoc anno penitus Photius, nec amplius restitutus, quando obierit, quomodove, in obscuro est: dolo haud dubium schismaticorum, auctorem ductoremque suum mire colentium. Qui insuper quod scirent ipsum valde perstringi ex Synodalibus scriptis sub Pontificibus Nicolao, & Hadriano, aliisque monumentis rerum gestarum S. Ignatii vel aliorum; iidem ea omnia abolenda esse sub anathemate statuerunt, sicut testatus est Marcus Ephesius in Concilio *c* Florentino. Sed noluit Deus obliuione ea deleri, quibus adeo egregie tanti schismatis auctor suis coloribus depingitur.

VI. SCHISMATICI FRVSTRA LABORANT PROFAMA PHOTII.

c Concil. Florent. Sess. 6. Ferrar.

[Quod ad Photii obitum attinet; Georgius Hamartolus (de quo sup. ad ann. 775. post num. 11.) ait ipsum mortuum esse in exilio, & in cœnobio Ieremiæ Merdosagari (vbi Ecclesiam prius Catholicam Photius in sacrum Virginum domicilium conuerterat) conditum.]

Hoc eodem anno, decimosexto Calendas Februarii, facta est à Stephano Papa solemnis Translatio corporum SS. *Diodori, Mariani, ac sociorum Martyrum*, qui passi fuerant sub Stephano Primo, ex cœmeterio Viæ Salariæ in Vrbem, ipsomet Pontifice humeros feretro subiiciente; cum ea diu quæsita hactenus abscondita permansissent, iam vero diuinitus reuelata essent eidem Pontifici. Cuius rei gestæ historia eodem tempore scripta, adhuc extat *d* integra, continens etiam miracula quædam ad easdem Reliquias edita, & grauissimas pœnas inflictas cuidam qui partem earundem furto abstulerat: quam quidem historiam ab Anastasio Bibliothecario conscriptam autumo.

VII. TRANSLATIO SS. RELIQ.

d Ap. Sur. 17. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 887.

STEPH. VI. AN. 3.

CAROL. III. 7.

LEON. VI. 2.

ANno Christi octingentesimo octogesimo septimo, Indictione quinta, Northmannorum obsidione laborans ciuitas Parisiorum, Dei misericordia implorata, precibus Dei-Genitricis (in cuius honorem ciuitas dedicata est) & Sancti Germani Episcopi, atque Sanctæ Genouefæ Virginis, & aliorum Sanctorum eius Ecclesiæ patronorum, liberata est: quo tempore maxime nituit eiusdem Sancti Germani virtus in edendis miraculis. Cecinit eiusmodi obsidionem duobus carminum libris Abbo, qui Aimoini historici fuit discipulus, vt ipse testatur in eorundem librorum præfatione. Fuit & idem Abbas, ad quem Aimoinus inscripsit præfationem suarum Historiarum de Rebus Francorum, quas ad hæc tempora produxit.

I. PARIS. CIVITAS OPE SS. LIBERATVR.

Hoc item anno habita legitur SYNODVS COLONIENSIS; in qua actum est aduersus raptores rerum Ecclesiasticarum, oppressores pauperum, & incestas nuptias contrahentes. Quo etiam anno laborauit Ecclesia Anglicana tyrannide Hastingi Dani; qui simulate baptisma suscipiens, eo ad inferendam populo cladem vsus est: cuius etiam sæuitia ingemuere Galliæ.

II. CONCIL. COLON.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 888.

STEPH. VI. AN. 4.

LEONIS VI. 3.

I. CAROL. CRASS. IMP. MORITVR.

ANno Christi octingentesimo octogesimo octauo, Indictione sexta, pridie Idus Ianuarii, mortuus est Carolus Crassus Imperator, iam antea repudiatus à suis. Magno siquidem Dei iudicio factum est, vt cum ex leuibus quibusdam suspicionibus Richardam Augustam coniugem suam, testantem publice se licet iunctam Carolo adhuc intactam virginem permanere, contra ius fasque repudiasset; idem ipse mense Nouembris in *Conuentu Triburiensi* fuerit à suis repudiatus, tradito eius Regno Arnulpho Carolomanni filio: adeoque Dei voluntate Carolus ad ima depressus est, vt victum quotidianum ab Arnulpho supplex exposceret. Hæc pluribus Regino, qui ipsum laudat ex multis. Ferturque *a* libellus eiusdem Caroli, de visione ipsi ante triennium ostensa de locis inferis & purgatoriis, quibus complures torqueri vidit Principum & Episcoporum, qui bellorum ciuilium fomitem succendissent.

a *Ext. in Auctar. ad Bed. & ap. Wil. Malmesbur. lib. 2. c. 2.*

II. TYRANNI PLVRIMI IN ITAL. ET GAL.

Cæterum post hæc, scissio Imperii, malaque plurima ex tyrannorum plurium simul exurgentium factionibus orta sunt. Nam in Italia Berengarius Dux Foroiuliensis in Regem electus est: atque *Wido*, seu Guido, Lamberti Ducis Spoleti filius, Imperatoris nomen assumpsit, vel potius iamdiu ante assumptum (vt ex nonnullis antiquis monumentis constat) retinuit. In Galliis Comes Parisiensis Odo pariter Regnum vsurpauit, cum viueret Carolus Simplex legitimus hæres adhuc puer, qui solus de regia stirpe remanserat. Sed & Rodulphus Conradi filius, sibi Regis nomen imposuit. Sicque Italia & Galliæ hoc potissimum anno sunt ex iis tyrannis emergentibus magnopere afflictatæ. Et quod deterius videri potuit, ac plane monstruosum, illud fuit, quod tam Episcopi, quam Abbates armati ad bella procederent, hostes cæderent, & cæderentur ab ipsis. Quod execrandum facinus cum diu inoleuisset in Galliis, eius merito accidisse putamus, vt externis atque ciuilibus bellis eædem prouinciæ afflictarentur. Sed eo deterius, quod iidem ab eius temporis auctoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis; cum tanquã sacrorum canonum violatores, & muneris pastoralis desertores, detestandi fuerint.

EPISCOPI ARMATI.

III. CONCIL. MOGVNT. PRO AVERTENDIS MALIS GERM. ARNVLPH. REGNO, NÕ IMPERIO SVCCESSIT.

Eodem anno, occasione noui Regis Arnulphi, celebrata est SYNODVS MOGVNTINA; in qua Patres mala quæ patretur Germania ab incursionibus Northmannorum, & deprædationibus quorundam Christianorum publice grassantium, corrigenda, quoquo modo proposuerunt. Sed & statuerunt canones viginti sex; quorum tres primi ad Arnulphum Regem spectant, quomodo se gerere deberet in Regni dispositione. De quo quidem illud considerandum est, ipsum ab antiquis Scriptoribus non Imperatorem esse nominatum, sed tantummodo Regem; eo quod nefas esset Imperatoris nomen tribuere, nisi prius esset ab Apostolica Sede collatum: quod nonnisi post plures annos, nec quidem adeo legitime (vt videbitur) Arnulpho contigit. Quamobrem perperam agere conuincuntur, qui statim post obitum Caroli Arnulphum nominant Imperatorem, tanquam hæredem Imperii. Iidem vero antiqui scriptores Widonem vnctum à Romano Pontifice tradunt *b*, ac proinde legitimum Imperatorem: Verum nec id nisi sub Formoso Papa contigisse, declarant eiusdem Pontificis ad Fulconem Rhemensem Archiepiscopum literæ, de quibus suo loco.

b *Luitpr. & alii.*

IV. c *Adam. l. b. c. 35. & 39.*

Hoc pariter anno *c S. Rembertus* Magnus ille Danorum Apostolus, successor S. Ansgarii in ea functione & imitator egregius miraculisque clarus, ex hac vita discessit: in cuius locum subrogatus est Adelgarius, qui & ipse pallium accepit à Romano Pontifice.

V. S. STEPH. PATRIARC. CONST. OBITVS.

Eodemque anno, qui tertius numeratur Leonis Imp. Stephanus Patriarcha Cõstantinopolitanus ipsius frater ex hac vita migrauit: inque eius locum suffectus est *Antonius* cognomento *Cauleas*. Hæc Curopalates. Relatus Stephanus legitur in Menologio Græcorum inter Sanctos die decimaseptima Maii. Ob cuius admirandam innocentiam, Nicephorus Philosophus in oratione funebri *d* quam habuit in funere Antonii eius successoris, testatur eum à fasciis sanctum fuisse. Porro ad eundem extant complures Leonis Imp. Nouellę Constitutiones diuersorum argumentorum, ad statum tamen Ecclesiasticum pertinentes.

d *Ext. ap. Metaphr. 12. Febr.*

VI. e *Glab. lib. 2. c. 5.* MIRACVLVM DE IMAG CRVCIF.

Hoc item anno (vt refert Glaber Rodulphus horum tempo rũ probatus scriptor) Aurelianis in Gallia in monasterio S. Petri virginum sanctimonialium, Imago Crucifixi per aliquot dierum spatium riuum emisit lacrymarum. Ac paulo post in eadem ciuitate, cum custodes maioris Ecclesiæ noctu portas ex more aperuissent ad laudes matutinas, lupus Ecclesiam ingressus funẽ tintinnabuli ore arripiens, illud insonuit. Quæ signa cladem portenderunt, qua anno sequenti tota illa ciuitas vna cum ipsis ecclesiis igne cremata est. Quo tempore Arnulphus Episcopus, genere, doctrina, & pietate præstans, cum eandem maiorem Ecclesiam, in honorem sanctissimæ Crucis Christi iam olim dicatam, à fundamentis restituere intenderet; cæmentarii in ipsis fundamentis ingentem reperere thesaurum, qui magnificentissimæ Ecclesiæ extructioni sufficeret.

IESV CHRISTI AN. 889.

STEPHAN. VI. AN. 5.

LEON. VI. 4.

I. HVNNOR. GRASSATIONES.

ANno Christi octingentesimo octogesimo nono, Indictione septima, Germaniæ & Galliæ ab Hunnorum in eas regiones immissionibus per Regem Arnulphum, misere deuastatæ sunt: atque Italia, rursumque eadem Gallia, digladiantibus inter se Principibus, varie vexatæ. quæ omnia fusius prosequitur, deploratque Luitprandus historicus.

II. LEGATIONES AB ORIENTE AD STEPH PP.

Quo eodem anno, qui tertius numeratur à tempore quo à Stephano Papa scriptæ sunt literæ Constantinopolim ad Imperatorem Leonem, & Episcopos Catholicæ communionis; ab iisdem Augusto & Antistitibus missæ sunt legationes ad eundem Pontificem, quas ipse mittendas iusserat. Testantur hæc literę, Episcoporum omnium nomine ab eodem qui supra Styliano Neocæsareę Episcopo ad ipsum Stephanum scriptæ, quæ recitantur *a* in dicto Græco codice Columnensi in appendice addita contra pseudosynodum Photianam: quibus iidem Episcopi rursum petierunt, vt dispensaretur cum iis, qui vi aut fraude à Photio seducti fuissent. Addit vero auctor eiusdem appendicis, his Episcoporum literis responsum esse à Formoso Papa, cum Stephanus morte præuentus id præstare minime potuisset: quamobrem eas literas sero Romam oportuit esse perlatas.

a *Rec. Baron. Annal. tom. X. ann. ex ed. Colum.*

IESV CHRISTI AN. 890.

STEPHAN. VI. AN. 6.

LEON. VI. 5.

I. STEPH. I OBITVS.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo, Indictione octaua, *Stephanus* PP. cum ad sextum Põtificatus annum peruenisset, (vt ex eius sepulchri apud S. Petrum positi epitaphio constat) defunctus est: sed quo mense vel die, incertum. Nam apud Anastasium Bibliothecarium Vita eius mutilata habetur. Reperitur vero in eius scripto codice, sermo *a* quidam eiusdem Stephani inter Missarum solemnia ad populum habitus, aduersus eos qui vaniloquiis & otiosis sermonibus vacarent in Ecclesia, & alios quosdam qui maleficiis & incantationibus vterentur. Extatque *b* eiusdem rescriptum ad Romanum Episcopum Rauennatem, de electione

a *Rec. Ba tom. X. ann.*

b *d. ſ. 6*

Episcopi

Episcopi Imolensis: necnon aliud *c* ad Heribertum Archiepiscopum Moguntinum, quo asseritur non probari purgationem per verbum candens, & Aquam feruentem.

c C. Confutasti. 2. q. 4.

[Rescripti Stephani de purgatione Ferri & Aquæ verba recitat sæpe suis epistolis Iuo Carnot. eodem fine, vt eiusmodi probationes improbet, ep 74. 205. 252. 280. Additque ep. 74. & aliud Alexandri II. quod refertur c. super can. 2. q. 4. Quibus & addas Innocentium III. cap. ex literis de excess. præl & Honorium III. c. dilecti. de purg. vulg. Quam vero frequens olim esset harum ee Probationum vsus, satis intelligi datur vel ex legibus Wisigothorum lib. 6 tit. 1. c. 3. Frisionum tit 3 c. 4. 5. & 6. & tit. 14. c. 3. Longobardorum lib 1. tit. 9. cap 29. 35. 39. Francorum lib. 4. c. 13. & append. 2. c. 33. & ex aliis eorum temporum Scriptoribus, à quibus eæ comprobantur tanquam *Iudicia Dei*. Cum nihilominus nec tum defuerint, qui aduersus eas declamarint: inter quos Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, de quo sæpe superius, Tractatum edidit *contra damnabilem opinionem putantium diuini iudicii veritatem, igne, vel Aquis, vel conflictu Armorum patefieri.* Quibus autem ritibus, formulisque, fieri consuescerent, tu vide, si cupis, quæ ad prædictam ep. 74 Iuonis notauit Fr. Iuretus; & formulas exorcismorum, quæ habentur post Capit. Regum Franc. ac fusissime apud Mart. Del. Rio Disq. Magic. lib. 4. c. 4.]

II. VOTVM DVCIS BRITAN. AD VICTORIAM CONSEQVENDAM.

Hoc eodem anno Dux Britanniæ Alanus pugnaturus aduersus Northmannos, vouit si victoriam ab iisdē reportaret, decimam partem omnium suorum bonorum Deo & S. Petro Romam destinaturum. Omnibusque Britonibus idem votum spondentibus, tanta strage hostes fudit, vt vix quadringenti ex quindecim millibus residui fuerint.

III.

Quo patiter anno mortuus est Antonius Patriarcha Cōstantinopolitanus, vbi tantum annos duos sedisset; vt habetur in serie Patriarcharum Constantinopolitanorum corpori Iuris Orientis intexta. Claruit egregia sanctitate; quem pro vnitate Ecclesiæ laborasse, eamque feliciter consecutum esse, testatur Nicephorus philosophus ea oratione *d* quam in eius funere habuit, qua contexuit eius vitam, atque post obitum edita miracula. Porro successit ei *Nicolaus* cognomento *Mysticus*; quod erat nomen dignitatis primæ post magnum Chartularium, cuius insignia fuisse tiaram & prætextam vittatam loris, tradit Curopalates in libello de Officiis Constantinopolitanæ vrbis.

d Ap. Metaph. 12. Febr.

IV. S. SAMSONIS ABB. OBITVS.

Ac demum hoc eodem anno mortuus est insignis vir sanctitate atque doctrina *Samson* Abbas S. Zoili Cordubæ ciuitatis; qui tempore persecutionis ab Eulogio descriptæ claruit, vitamque in hunc vsque annum propagauit in iugi confessione nominis CHRISTI, vexantibus Ecclesiam Regibus Saracenis. Cui tamen haud fuit solum aduersus eos certandum, sed etiam in malos Christianos Martyrum delatores, inter quos eminebant Hostigesius Malaoitanus Episcopus, & Seruandus Comes, Saracenorum Principum, licet ipsi professione Christiani, ob egregiam impietatem amicissimi: prout de his apparet ex scripto tunc ab eodem Samsone Apologetico, cuius meminit Ambrosius Morales in Scholiis ad librum primum Memorialis Sanctorum prædicti Eulogii.

IESV CHRISTI AN. 891.

FORMOSI AN. 1.

LEON. VI. AN. 6.

I. FORMOSVS PP. CREATVR.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo primo Indictione nona, (quo vero die, aut mense, incertum est) FORMOSVS ex Episcopo Portuensi creatus est Romanus Pontifex, subrogatus in locum Stephani Sexti nuper (vt diximus) defuncti. Cuius tamen tumultuariam fuisse electionem, oppositoipsi à quadam populi parte *Sergio* diacono, testis est Luitprandus *a* huius temporis scriptor. De hoc autem Formoso dicturi, ante omnia opus est, vt corrigantur errores Mariani Scoti, qui post Marinum Papam, *Agapetum* eius successorem somniat; & post Hadrianum, *Basilium* nunquam visum vel auditum Pontificem Romanum; ac demum post Basilium ponit Stephanum. Quo eodem errore de Agapeto atque Basilio imaginariis Pontificibus, abducitur Sigebertus, & siqui alii eos secuti; qui ex antiquis omnibus Romanorum Pontificum scriptoribus, aliisque auctoribus tam Latinis quam etiam Græcis, erroris arguuntur.

a Luitpr. l. 6. c. 7.

Quod vero ad ipsum Formosum attinet; laudatissimum eum extitisse, tum religione, tum morum integritate, atque doctrina, Luitprandus asserit: quem etiam Anastasius Bibliothecarius in Nicolao, magnæ sanctitatis Episcopum nominat: estque eiusdem sanctitudinis & doctrinæ, egregium ex epistolis Hincmari Rhemensis Archiepiscopi quas Frodoardus *b* recensuit testimonium: ac denique eiusdem insignia merita superius suis locis enarrata vidimus. Vt non adeo sit mirum, si bono totius Ecclesiæ Catholicæ, ex Episcopatu Portuensi translatus fuerit (quod minime fieri consueuerat; & vt in exemplum non assumeretur, prohibitum est in Synodo Romana sub Ioanne Nono celebrata) ad moderandas habenas totius Catholici orbis; hoc potissimum tempore, quo ipsa Romana Ecclesia adeo afflictaretur pessimorum tyrannorum inuasione.

II. FVIT VIR LAVDATIS.

b Frod. hist. Rhem. lib. 3. c. 20.

Hic igitur vbi Apostolicum thronum conscendit, literas ab Oriente Romam (vt vidimus) ad Stephanum decessorem conscriptas, ipso defuncto accepit: atque, vt in re magni momenti; adhibito fratrum consilio, ad Stylianum rescripsit *c*, dispensare se cum laicis qui Photio adhæsissent; Episcopos autem & sacerdotes ab eodem ordinatos ita in communionem admitti velle, si prius oblatis libellis se deliquisse faterentur, & pœnitentia veniam deprecarentur. Ad quæ omnia rite peragenda, & in perpetuum confirmandam Photii damnationem, Constantinopolim misit (vt iisdem literis indicat). Legatos à Latere Landenulphum Episcopum Capuanum, & alium Episcopum nomine Romanum.

III. QVOMODO DISPENSAVERIT CVM PHOTIANIS.

c Rec. Baron. Annal. tom. IX. hoc an. ex cod. Column.

IESV CHRISTI AN. 892.

FORMOSI AN. 2.

WIDONIS 1.

LEONIS VI. 7.

I. WIDO CORONATVR IMP.

ANno Domini octingentesimo nonagesimo secundo; Indictione decima, WIDO coronatus est Romæ Imperator à Formoso Pontifice; vt testantur literæ eiusdem Formosi, quarum scriptor huius temporis meminit Frodoardus in Vita Fulconis Rhemensis Archiepiscopi eiusdem Widonis affinis. Quo quidem facto concitauit contra seipsum Formosus inuidiam eorum, qui eiusdem Imperii coronam cuperent, nempe Arnulphi, & Berengarii; imo & Romanorum ciuium, vt Luitprandus *a* docet.

a Luitpr. lib. 1. c. 8.

II. CONCIL. VIEN.

Eodem anno per Legatos Apostolicæ Sedis *Viennæ* in Gallia SYNODVS congregata est; cuius nonnulla extant *b* decreta aduersus sæculares inuasores rerum Ecclesiasticarum, & percussores clericorum, atque exactores munerum à presbyteris ad introitum Ecclesiarum: insuperque statutum est, vt nemo sæcularium Ecclesiis dare vel offerre, absque consensu Episcoporum ad quos ipsæ Ecclesiæ pertinerent, præsumeret.

b In cod. Papir. Masson.

III. DE REGINONE ABBATE.

Hoc item anno Germaniam Northmanni deuastantes, nobile monasterium Prunience depopulati sunt: post quam cladem, *Regino* tunc ibi monachus, electus est Abbas à monachis, sed post modicum temporis spatiū inuidorum persecutione deiectus. Scribebat tunc ipse Historias huius temporis, perduxitque (vt in præfatione testatur) vsque ad annum Redemptoris nongentesimum octauum.

IV. CONCIL. RHEM. PRO CONFIRMATIONE REGNI CAROL. SIMP.

Eodem anno Carolus Simplex, filius Ludouici Balbi, Francorumque Regni legitimus successor, quo tuord cim tantum annorum puer, in *Conuentu* Episcoporum & Procerū, *Rhemis* in Regem prouectus, à Fulcone eius ciuitatis Archiepiscopo vnctus est; reiecto Odone Comite Parisiensi, qui Regis titulum tyrannice sibi surpauerat. Aduersus quem grauiter hæc ferentem, idem Fulco literas *c* dedit ad Arnulphum Germaniæ Regem, Widonem Imperatorem, & Formosum

c Frod. hist. Rhem. lib. 4. c. 1. & 5. Regin. hoc an.

d *Frod. c.2.*

Papam, vt eidem Carolo fauerent. Porro Arnulphum primo præsto fuisse Carolo, inde vero Odoni contra Carolum fauisse: Regino tradit, & alii assentiuntur. Constat *d* vero etiam ex eadem Synodo Rhemēsi scriptum fuisse ad Balduinum Flandrensem Comitem, inuadentem res Ecclesiasticas, & insurgentem contra Regem: in quem decreta iis de causis excommunicatio, suspensa est, quod Ecclesiæ & publicis vtilitatibus Regni videretur accommodus. Ita Frodoardus.

V. ARNVS MARTYR.

Hoc item anno *Arnum* Episcopum Wirzeburgensem, dum sacratissimum Missæ sacrificium celebraret, ab hostibus interfectum, martyrium cum suis consecutum esse, eoque loco postea sæpe accensa visa esse luminaria, Ditmarus *e* est auctor.

e *Ditmar. lib. 1.*

IESV CHRISTI AN. 893.

FORMOSI AN. 3.

WIDONIS 2.

LEONIS VI. 8.

I.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo tertio, Indictione vndecima, Formosus Papa ob graues perturbationes quibus vexaretur Dei Ecclesia, Generalem SYNODVM indixit celebrandam Calendis Martii; ad quam vocauit etiam Transalpinos Episcopos, & inter alios Fulconem Rhemensem Archiepiscopum. Testatur id Flodoardus *a*. Ex quo etiam constat, hoc eodem anno, qui secundus est ex quo Wido eiusdem Fulconis affinis Imperator coronatus est, eius quoque filium LAMBERTVM ab eodem Formoso vnctum esse Imperatorem.

a *Flod. lib. 4. c. 2.*

LAMBERTVS VNGITVR IMP.

II. BVLGARI SE SVBIICIVNT ECCLESIÆ ROM.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno bello acerrimo excitato inter Symeonem Bulgarorum Regem & Leonem Imperatorem, eodemque per plures annos propagato, Turcæ & Hunni aduersus Bulgaros ab ipso sunt Imperatore vocati. Ex quo factum est, vt dissoluto inter Bulgaros & Imperatorem pacis vinculo, æque spiritualis præfectura, quam Græci sibi vendicauerant, è medio tolleretur, iidemque Bulgari Romanæ Ecclesiæ se rursum sponte subiicerent. De bello autem isto pluta apud Curopalatem inuenies.

IESV CHRISTI AN. 894.

FORMOSI AN. 4.

WIDONIS 3.

LEON. VI. 9.

I. FORMOS. PP. LABORAT PRO CAROLO SIMPL.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo quarto, Indictione duodecima, Formosus Papa rogatus à Fulcone Archiepiscopo Rhemensi, scripsit ad Odonem occupantem Regnum Caroli Simplicis, vt ab illicitis desisteret, vel saltem inducias belli daret vsque dum Fulco Romam peteret: monuitque Episcopos Galliarum, vt in his laborarent. Idemque ad Carolum scribens, qualiter ei in regno esset agendum insinuauit, & quem perierat ei benedictum panem pro pignore misit. Quæ quidem omnia ex eiusdem Pontificis & Fulconis inuicem datis literis narrat Flodoardus *a*, dum agit de variis ac multiplicibus rebus inter eos transactis. Sed & scripsisse eundem Fulconem ad Albradum quendam Regem transmarinum, aduersus Nicolaitarum repullulantem in illis partibus hæresim, idem auctor tradit.

a *Id. d. c. 2.*

II.

Quo patiter anno Formosus Papa pro Ecclesia Anglicana solicitus, quæ Danorū incursionibus ac bellis diuturribus pene destituta remanserat Episcopis, & in Gentilitatem reciderat; literas ad Regem Eduardum scripsit, quibus ei, omnibusque subditis eius, excommunicationem denuntiauit, ob nimiam incuriam rerum Ecclesiasticarum. Quibus Rex acceptis, *Synodum* conuocauit, cui præfuit Pleimundus Archiepiscopus Cantuarensis; in qua multi electi Episcopi missi sunt in sedes vacantes: ipseque postea Pleimundus Romam veniens, Regi veniam, & omnium in Synodo gestorum confirmationem à Summo Pontifice obtinuit. Hæc ex Willelmo *b* Malmesburiensi antiquo historico: sed puto vitio scriptoris, quod factum est hoc anno octingentesimo nonagesimo quarto, apud eum scriptum legi anno nongentesimo quarto; ad quod tempus certum est non potuisse venire Formosum.

CONCIL. ANGLIC.

b *Malmesb. de gest. Reg. Angl. lib. 2.*

IESV CHRISTI AN. 895.

FORMOSI AN. 5.

WIDONIS 4.

LEON. VI. 10.

I. CONCIL. TRIBVR.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo quinto, Indictione decimatertia, mense Maio, opera Attonis Archiepiscopi Moguntini, præsente Arnulpho Rege, celebrata est SYNODVS TRIBVRIENSIS in Germania viginti duorum Episcoporum: qui ad restituendam collapsam Ecclesiasticam disciplinam, quinquaginta octo canones statuerunt; quibus ante omnia actum est de Ecclesiastica immunitate inuiolata conseruanda, & de obedientia præstanda Episcopis, atq; de humili cultu erga Romanam Ecclesiam. Actum quoque de causa Bremensis Ecclesiæ, inter Adelgarium eius Episcopum, & Herimannum Archiepiscopum Coloniensem satagentem subdere sibi eam. Causa autem diutius ventilata, adiudicata est tandem, assentiente Formoso Pontifice, Archiepiscopo Coloniensi. Rem vero gestam narrat Adam *a* Canonicus Bremensis in sua Historia Ecclesiastica.

a *Adam lib. 1. c. 41.*

[De quo quid commentus fuerit *Goldastus Caluinista*, vide cap. 10. Apol. Baron. a *Gretsero Soc.* Iesv concinnatæ; de qua sup. ad ann. 774. post num. IV.]

IESV CHRISTI AN. 896.

FORMOSI AN. 6.

WIDONIS 5.

LEON. VI. 11.

I. ARNVLPHVS ROMAM CAPIT, ET CORONATVR IMP.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo sexto, Indictione decimaquarta, Arnulphus Rex Germaniæ iterum Italiam ingressus, Romam ex consensu Formosi Papæ armis cepit; vltusque est in Romanos iniurias ab iis in ipsum Pontificem illatas; ac demum ab eodem Imperator coronatus est. Hæc Regino, & Luitprandus *a*. Sed quod Regino addit, matrem Lamberti Imp. illicà filio in præsidium relictam, cum suis latenter aufugisse; putauit ante annum vita functum Widonem Lamberti patrem: quem tamen cum ex eius diplomate quodam, tum ex Luitprando, adhuc plures vixisse annos apparet. Cæterum, quod quæ Lamberto legitime collata est (vt superius vidimus) vnctio Imperialis, etiam probata fuit in Synodo Romana sub Joanne Papa Nono; eapropter nonnisi ex præscripto sacrorum canonum, & auctoritate Apostolicæ Sedis, omisso Arnulpho violento inuasore, in serie Imperatorum Occidentalium Lambertum posuimus vna cum patre Widone regnantem: licet Chronographi post Carolum Crassum posuerint ARNVLPHVM, nulla penitus de Widone & Lāberto habita ratione:

a *Luitpr. lib. 1. c. 8.*

quod

quod priuata Scriptorum Germanorum affectio, non veritas persuasit.

II. Ex prædictis autem habes, hoc anno quo Arnulphus Romam venit, Formosum Papam fuisse superstitem: quibus redarguas omnes, qui ponunt eum defunctum anno octingentesimo nonagesimo quinto, sedisseque tantum annos quatuor & semis. Nam & Adam *b* monachus antiquus Chronographus, testis est eum superuixisse anno secundo à Concilio Triburiensi. Mortuus est autem hoc ipso anno, decimo nono Calendas Ianuarii.

b Adam. l. 1. FORMOSI PP. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 897.

STEPH. VII. AN. 1.

VVIDONIS 6.

LEONIS VI. 12.

I. BONIF. INVASOR SED. APOSTOL. PELLITVR. STEPH. VII. SEDEM OCCVPAT.

ANno Christi octingentesimo nonagesimo septimo, Indictione decimaquinta, *Bonifacius* inuadens Sedem tenuit dies quindecim; non numerandus inter Pontifices, vtpote qui damnatus fuit in Romana Synodo sub Ioanne Nono; homo nefarius, iam antea bis gradu depositus, à diaconatu primum, inde, à presbyteratu. Aduersus quem STEPHANVS Septimus, dictus Sextus, insurgens, eo pulso Sedem occupauit. Quæ omnia per vim & metum extorta, maximâ irrogarunt ignominiam S.R. Ecclesiæ. Porro quod intrusorum Pontificum alii vt Pontifices postea recepti inueniantur, alii vero penitus abrogati, id inde euenit, quod illi quantumlibet tyrannice Sedem adepti, tamen accedente consensu Cleri (satius esse existimantis, eos qualescumque tolerãdos, quam Ecclesiam schismate conscindendã) vt legitimi Pontifices consuetis ritibus sint electi. Hæc enim vt dicamus, illud plane necessario cogit, quod vniuersa Ecclesia Catholica eos vt legitimos Pontifices coluit: quod nequaquam contigisset, nisi de facta postea legitima creatione constitisset.

II. *a Luitpr. li. 1.c.8.* IMMANE SACRILEGIVM IN FORMOSI PP. CADAVER.

Hoc anno contigerit illa nefanda, quæ Luitprandus *a* & alii recensent, sed male tribuunt Sergio, quæ Stephano huic Septimo Synodalia sub Ioanne Nono adscribunt Acta, quibus fides maior iure sit adhibenda. Ille igitur Formosi cadauer è sepulchro extrahens, atque in sedem Romani Pontificatus sacerdotalibus vestibus indutum collocans; cum tanquam viuenti exprobrasset, quod nimia ambitione ex Portuensi Episcopo Sedem Apostolicam occupasset; illud ipsum cadauer sic damnatum, sacrisque mox exutum vestimentis, ac tribus digitis mutilatum quibus benedicere moris est in Tiberim iactauit: cunctosque quos idem Formosus ordinauerat, gradu depositos iterum ordinauit. Ita furore percitus homo; non quod iure liceret, sed quod exæstuãs rabies suaderet, implens. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto. Quod facinus reclamantibus (vt Sigebertus ait) qui aderant perpetratum detestatus est pluribus Luitprandus; Sergio factum sacrilegium adscribens, quod ipse tunc presbyter, fuerit ad illud perpetrandum antesignanus & auctor. Ceterum grauiorem culpam Stephani Papæ fuisse liquet, quod & nefarium scelus Synodo suorum collecta probarit; quæ postea legitime rescissa, ignique tradita fuit à Ioanne Nono. Ex quibus tot ac tantis eius sceleris testimoniis, aliisque inferius recensendis, erroris arguendi sunt qui illud confictum putauerunt.

III. ECCL. ROM. PERSECVTIO OMNIVM MOLESTISS.

Hæc sunt infelicissima illa Romanæ Ecclesiæ tempora, atque omnium luctuosissima, quibus ipsam contigit domestico bello agitari; quæ nunc cœpta, multo tempore maximo damno eandem affecerunt: illata ipsa per Adelbertos Marchiones potentissimos Tusciæ. Ita enim nominat eos Luitprandus; non autem Comites, vt alii, Tusculanos: hi enim postea, licet ex eadem radice, prouenerunt. Et quidem istum qui Stephanum intrusit, Luitprandus *b* ait tantæ fuisse potẽtiæ, vt inter omnes Italiæ Principes solus esse cognomento diceretur Diues. Iidem vero munitione S. Angeli, olim mole Hadriani dicta, potiti, quæ non sunt ausi in Romanam Ecclesiam? Vt absque vlla controuersia dici possit, nullam vnquam siue à Gentilibus, siue ab hæreticis, siue à schismaticis, aliisque perduellibus, duriorem ac diuturniorem passam esse persecutionem, quam pertulit ab istiusmodi Marchionibus. Verum etsi sæpius deforme valde, turpeque contigerit apponi ab ipsis Ecclesiæ caput; tolerandum tamen fuit, quod non penitus amens sit inuentum; sed fide Catholica semper sibi constiterit, virtute promissionis diuinæ, qua nunquam portæ inferi præualere valeant contra Sedem Petri firmissimis fundamentis stabilitam. Quod & mystice tunc designatum videri potuit, cum eodem tempore quo execrandum illud scelus aduersus Formosi cadauer Stephanus commisit, sacrosancta Basilica Lateranensis, primaria Pontificis sedes, ab altari vsque ad portas solo penitus prostrata corruit, sanctuario tantummodo relicto integro, in quo ipsa sedes Pontificis existebat. Sicut & quantæ pietatis fuisset Formosus, inde demonstratum est, quod (vt refert Luitprandus) dum eius corpus à piscatoribus postmodum inuentum ad S. Petri Basilicam deportatum esset, Sanctorum Imagines illud in loculo positum venerabiliter saluarauerint.

RVINA MYSTICA ECCLES. LATERANENS.

IV. CVLTVS ERGA SEDEM APOST.

Et si porro tot tantaque nefaria crimina Stephanum Papam infamarent; nullus tamen fuit principalium sedium Episcoporum, qui ob id se subtraheret ab obedientia, quæ impertiri soleret Romanæ Ecclesiæ Pontificibus; probe scientes omnes, primæ Sedis Pontificem minorum sedium non subiacere iudicio. Narratque de Fulcone magni nominis & auctoritatis Rhemensi Archiepiscopo Flodoardus *c*, magnam intercurrisse literarum consuetudinẽ inter ipsum & eundem Stephanum Papam: à quo etiam Fulconem ait vocatum ad Synodum *Rauennæ* celebrandam; sed ipsum se excusasse, quod ob bellorum fragores præsens ipse per se adesse minime posset, sed id per legatos expleturum. de qua quidem *Synodo* mentio nusquam alibi.

c Flod. lib. 4. c. 4. & 6.

IESV CHRISTI AN. 898.

STEPH. VII. AN. 2.

VVIDONIS 7.

LEONIS VI. AN. 13.

I. ANno Christi octingentesimo nonagesimo octauo, Indictione prima, in Galliis pace facta, quæ paulo ante, studio Fulconis Archiepiscopi Rhemensis, composita inter Odonem & Carolum fuerat; idem Carolus diffidens suis viribus, cum Northmannis Ethnicis inire fœdus, eorumq; auxiliis bellum gerere in consilio habuit. Sed resistens sacerdotali constantia Fulco, grauissima scripta epistola (quam recitat Flodoardus *a*) eum à prauo illo consilio reuocauit, multis docens quam detestabile sit cum Infidelibus societatem inire; ac demum addens, si hoc faceret, non solum *se nunquam ei fidelem extiturum, sed & quoscunque posset ab ipsius fidelitate reuocaturum, & cum omnibus coepiscopis suis ipsum Regem eiusque sequaces excommunicaturum, atque aterno anathemate damnaturum.* Hæc & alia ille libero ab humano affectu pectore. Procul longe abest, vt eidem Regi suasissent ista Politici hæretici nostri temporis, qui regnandi iure prosternunt omnia, fidem, iustitiam, ipsamque etiam religionem; ita pessime Regnis & Regibus consulentes. Quam enim præstet, quamq; proficuum sit, in regnãdi iure, religionis inprimis rationem habere, eamq; ceteris humanis & quas suadet prudentia carnis rationibus præferre, præter innumera antehac recensita, satis docet præsens exemplum. Siquidem cum Carolus salutaribus monitis sanctissimi sacerdotis acquieuisset, protinus auxiliator adstans Deus, ipsum Odonem ab hac vita exemit: quẽ testis est Regino (eundẽ vocans Othonem) anni ꝑsentis exordio, nempe tertia Ianuarii, diem clausisse extremum;

a Id. lib. 4. c. 5. CVM INFIDELIB. NON ESSE INEVNDAM SOCIETATEM.

mum; eoque defuncto, omnes Principes in vnum congregatos, communi consensu Carolum in Regem suscepisse.

IESV CHRISTI AN. 899.

STEPH. VII. AN. 3.

VVIDONIS 8.

LEONIS VI. 14.

I. ARNVLPHVS MISERE PERIT. a *Luitpr. lib. 1. c. 9.*

ANNVS Christi octingentesimus nonagesimus nonus, Indictione secunda cœptus est: quo (vt Regino tradit) Arnulphus dictus Imperator diem obiit tertio Calendas Decembris, cœpta iam Indictione tertia à mense Septembri: idque morbo pediculari, vt habet Luitprandus *a*; qui eundem Arnulphum reum fuisse grauissimorum criminum, ac præcipue violationis iurium, rerum ac personarum Ecclesiasticarum tradit, cum agit de mentis deliquio quod est passus ex soporifera potione, quam vxor Widonis Imp. eidem propinandam curasset.

II. b *Id. c. 10.*

Porro ipsum quoque Widonem hoc eodem anno defunctum esse dum insequeretur Arnulphum, idem Luitprãdus *b* affirmat. Ex quo redarguas Reginonem, dum hoc anno ponens Arnulphi obitum, Widonis refert ante annos quinque.

IESV CHRISTI AN. 900.

STEPH. VII. AN. 4.

LVDOV. IV. 1.

LEONIS VI. 15.

I. QVAM INFELIX FVERIT SEQVENS SÆCVLVM

ANNO Christi nongẽtesimo Nonũ clauditur Sæculum; & Decimum aperitur; quod sui asperitate, ac boni sterilitate *Ferreum*, malique exundantis deformitate *Plumbeum*, atque inopia Scriptorum appellari consueuit *Obscurum*: quo tantis Apostolica Sedes iactata est procellis, vt cuncta quæ olim passa fuit sub Gentilibus Imperatoribus, aliisve quibuscumque persecutoribus, horum comparatione sint æstimanda lusus quodammodo puerorum: idque ea occasione, quod Principes sæculi huius, quantumlibet Christiani, hac tamen ex parte dicendi tyranni sæuissimi, tyrannice sibi Romanorum Pontificum electionem arrogantes, quamplurima horrenda in eam monstra intruserunt; factionibus ita inter se decertantibus, vt modo Romani Proceres, modo Etruriæ Principes intruderent sæculari potentia quem vellent, & deiicerent quem possent Romanum Pontificem à contraria factione promotum. Quæ toto ferme hoc sæculo sunt actitata; quousque Germaniæ Imperatores Ottones medij interceßere vtrique parti contrarii, sibi licet & ipsi arrogantes Papæ electionem, atque electi deiectionem.

II. STEPH. PP INFAMIS INTERITVS.

Et vt de eiusmodi grassationibus agere incipiamus; ad finem huius anni *Stephanus* Apostolicæ Sedis inuasor, & ipse pulsus detrusus est in carcerem, atque ibi strangulatus. Hoc enim quod temporis obscuritate à nullo scriptore inuenimus enarratum, ex eius sepulchri apud S. Petrum positi epitaphio fit notum; quod Petrus Manlius qui sub Alexandro Tertio vixit, vna cum aliis Vaticanæ Basilicæ veteribus monumentis collegit, ediditque; positum, vt apparet, à Sergio Christophori successore. Porro Stephanum vsque ad postrema huius anni tempora peruenisse, possumus intelligere ex diplomate priuilegii ab ipso concessi monasterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni, quod datum habetur mense Septembri iam inchoata Indictione quarta.

III. ROMAN. INTRVSVS IN SED. APOST. CITO PERIT.

Inter hæc autem præualente in Vrbe Romanorum factione aduersus Adelbertum Tusciæ Marchionem, post necatum Stephanum creauerunt quemdam nomine ROMANVM, patria Gallesianum, patre Constantino, quem tradunt vixisse tantum menses quatuor & dies viginti; sed quonam mense vel die creatus, aut mortuus fuerit, ex antiquis haud facile potest accipi monumentis.

IV. FVLCO RHEM. EPISCOP. OCCIDITVR.

Eodem anno, mense Iunii, laudatissimus ille, de quo sæpe superius, Fulco Archiepiscopus Rhemensis, columen Francorum Ecclesiæ ac Regni, iussu impii Balduini Flandriæ Comitis (illius, quem Caroli Calui Regis filiam Iudith sibi rapuisse in vxorem vidimus) proditorie interfectus est, quod ipsum inuadentem res Ecclesiarum, tum priuatis, tum etiam Synodalibus literis arguisset; recensque Abbatiam S. Vedasti, quam ille inuaserat, per Regem ab ipso vendicandam curasset. Porro Fulconis interemptor Winsmarus, ab Episcopis Franciæ excommunicatus, mox insanabili à Deo percussus vlcere, putrescentibus carnibus, & exundante sanie, viuus deuoratus est à vermibus. Hæc omnia pluribus Flodoardus *a*; qui eidem Fulconi tradit subrogatum fuisse hoc eodem anno Heriueum, siue Herueum dictum, virum pariter ab eodem satis laudatum; de quo inferius suis locis dicendum.

a *Flod. lib. 4. c. 9.*

V. ENCÆNIA COMPOSTELLANA. a *Ambr. Moral. Chron. Hisp. lib. 15. c. 20.*

Hoc item anno Ecclesiæ Compostellanæ ab Adefonso Magno erectæ, Encænia sunt celebrata: quæ licet in aliud tempus facta referant alij, hoc tamen anno contigisse, videlicet Æra nongentesima trigesima octaua mense Maii, ex diplomate exploratum reddit Ambrosius *b* Morales. Ipsam vero rem gestam descripsit Sampyrus antiquus Chronographus.

VI.

Eodem anno, de Imperio acerrime in Italia decertatum est. Defunctis enim anno superiori Arnulpho atque Widone sibi inuicem aduersantibus, rursum eadem ex causa in arma ruere Berengarius Dux Foroiulienſis & Ludouicus Bosonis filius. Ac primum (vt ait Luitprandus) Berengarius Papiam accedens, Regnum obtinuit: sed nouissime LVDOVICVS Berengarium fugans, Romam venit, ibique à Summo Pontifice coronatus, Imperator est appellatus.

IESV CHRISTI AN. 901.

THEODOR. II.

IOANNIS IX. 1.

LVDOVICI. IV. 2.

LEONIS VI. 16.

I. THEODORVS PP. CREATVR, ET MORITVR. IOAN. IX. PAPA.

ANNO Christi nongẽtesimo primo, Indictione quarta, in locum defuncti *Romani* Papæ, subrogatus est THEODORVS eius nominis Secundus, patria Romanus ex patre Photio; qui sedit tantum diebus viginti: quonam autẽ die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum vero fides ex diuinatione comparata vacillat. Sed Theodoro subrogatus est IOANNES Nonus patria Tiburtinus, patre Rampoaldo, professione monachus, ordine diaconus, qui vltra triennium sedem prorogauit.

II. LEO IMP. EXCOMMVNICAT QVARTVM INITVM MATRIM. a *Conc. Nicen. c. 3. & 7. Basil. ad Amphil. c. 4. 31. q. 1. de his qui.* b *Leon. Imp. const. 90.*

Eodem anno Nicolaus cognomento Mysticus Patriarcha Constantinopolitanus, throno depositus est iussu Leonis Imp. cum sedisset annos vndecim. Ita habet Græce scripta series Constantinopolitanorum Episcoporum. Quænam autem causa præcesserit eius deiectionis, narrat Curopalates in ipso Leone; nimirum quod cum Imperator tertia vxore defuncta, quartam nomine Zoën superinduceret, quamuis id faceret liberorum quærendorum causa, cum nullos ex tribus prioribus sustulisset, tamen quod frequens eiusmodi nuptiarum repetitio contra canones *a* esset, imo & contra ipsius Leonis *b* promulgatam olim constitutionem, vt qui etiam ad tertium matrimonium conuolarent, pœnis canonum subiacerent; has quartas eiusdem nuptias Patriarcha non solum benedicere recusasset, sed & presbyterum qui benedixit deposuisset, atq; ipsum Imperatorẽ ab

ingressu

ingressu Ecclesiæ prohibuisset. Cumque insuper nollet, quamuis diu rogatus, Imperatorem in Ecclesiam recipere; ipse exulare iussus, relegatus est in monasterium ab ipso conditum: inque eius locum suffragio Cleri subrogatus *Euthymius* genere Isauricus, professione monachus, dignitate Syncellus Patriarchæ, paterque spiritualis Imperatoris; vir pius, & summa virtute præditus, atque etiam prophetiæ dono decoratus; quem & aiunt summum sacerdotium renuentem, diuino fuisse oraculo impulsum vt illud susciperet: mox vero vt ordinatus est, Imperatorem in communionem recepit. Ista ex Curopalate, (qui ait Nicolaum depositum esse mense Ianuarij) & ex Areta Cæsariensi Archiepiscopo in oratione *c* funebri in translatione Euthymii habita, necnon ex præambulis Constantini Porphyrogeniti ad edictum vnionis: vbi additur, ex hac occasione scissam esse Ecclesiam Constantinopolitanam, cum alii Nicolao, alii Euthymio inhærerent.

EVTHYMIVS EPISCOP. CONST.

c *Ap. Lipō. Tom. 3.*

III.

Ceterum in epistola *d* eiusdem Nicolai ad Romanum Pontificem scripta, cum ab exilio reuocatus est in suam sedem, multa narrantur quæ in superius citatis monumentis desiderantur; nimirum antea à Zoë genitum filium, quam de matrimonio cũ ea contrahendo ea fuerint actitata postea vero Imperatorem cogitasse illam in vxorem ducere, vt sic prolem susceptam legitimam redderet, cum nulli alii ei essent liberi. Cum autem mirum in modum iis nuptiis Nicolaus refragaretur, ab Imperatore missam esse legationem ad Romanum Pontificem, qui super eiusmodi matrimonio dispensaret: Pontificẽ autem missis in eam rem Legatis Constantinopolim, ipsum quartum contractum matrimonium rarum haberi voluisse: Nicolaum vero nihilominus reluctãtem, tunc demum agentibus Apostolicæ Sedis Legatis in exilium pulsum esse. Sed quod ad Leonis vxores attinet; prima *Theophania* dicta, magnæ sanctitatis femina habita est, adeo vt edidisse quoque miracula feratur; quorum gratia post obitum inter Sanctos à Græcis annumerata est die decima sexta Decembris: cuius etiam miraculorum Glycas meminit; traditque Curopalates, eundem Imp. in honorem ipsius defunctæ erexisse templum pulcherrimum. Quem vero ex quarta vxore Zoë filium suscepit, fuit is *Constantinus Porphyrogenitus*, qui post eum imperauit.

d *Nic. Bar. in Tom. X. an. 911. ex Bibl. Belsi.*

ROM PONT. DISPENSAT CVM IMP.

THEOPH. AVG. SANCTA.

IV.

Post hęc autem in magnũ vitæ discrimẽ adductus est hoc eodem anno idem Leo Augustus, dum ex antiqua Imperatorum consuetudine procedens solemni pompa ad ecclesiam S. Mocii martyris, ab homine insano percussus est veCte in capite: quo tempore ei prædictum fuit à quodam Marco Abbate, fore vt non moreretur, sed ad decennium vitam propagaret. Verum solemnis illa processio ab ipso sublata est. Hæc Curopalates, & alii pluribus.

LEO IMP. CAPITE PERCVTITVR.

V.

Eodem anno mense Martii, vndecim elapsis mensib. post Encænia Compostellana, celebratum est in Gallæcia OVETENSE CONCILIVM, quod iam à tempore Ioannis Papæ Octaui fuerat ordinatum, sed propter ingruentia bella dilatum. In eo vero, inter alia tam ad res Ecclesiasticas, quam politicum Regni statum pertinentia constituta; ex eiusdem Pontificis concessione, ipsa Ouetensis ciuitas; quam Rex Adefonsus Regni sedem constituerat, Metropolitana aucta est dignitate, quæ antea inhærebat Ecclesiæ Lucensi illi proximæ: primusque omnium Erminigildus eius Antistes, Archiepiscopus est appellatus. Interfuit inter ceteros huic Concilio Theodulphus Episcopus, Legatus missus à Rege Francorum: reliqui vero qui ex propinquis Ecclesiis conuenere, numerati sunt septendecim Episcopi. Ipsa autem integra eiusdem Acta à Sampyro antiquo Chronographo exacte descripta leguntur; sed ad maiorem veritatis elucidationem, tu legas quæ ab Ambrosio Morale sunt declarata.

CONCIL. OVETEN.

VI.

Eodem anno Edwardus Rex Angliæ Ælfredi piissimi Regis pius filius, ob sanctimonialis virginis raptum, parauit exercitum aduersus raptorem Æthelwaldum Clitonem propinquum suum; adegitque eum licet potentem in fugam, sanctimonialemque in suum monasterium reuocauit.

EDWARDVS REX VINDICAM AGIT SACRÆ VIRGINITATIS.

Narrat hæc pluribus ex antiquioribus monumentis Matthæus monachus Westmonasterienſis hoc anno.

IESV CHRISTI AN. 902. 903.

IOAN. IX. AN. 2.3.

LVDOVICI IV. 3.4.

LEONIS VI. 17.18.

ANNO Christi nongentesimo secundo, Indictione quinta, (vt colligitur ex Curopalate, & Cedreno) contigit expeditio Himerii à secretis Leonis Imp. primarii, reique militaris peritissimi, aduersus Saracenos: quando à sanctissimo Symeone anachoreta reuelari contigerunt res admiranda *S. Theoctistes* Lesbiæ; quæ in eremo Paros insulæ triginta quinque & amplius annorum spatio sola, ac pene nuda vitam duxit, nihil aliud comedens præter paucos lupinos: cuius Vitam descriptam habes apud Metaphrastem *a* & Surium.

I. S. THEOCTISTE LESBIA.

a *Metaphr. & Sur. 10. Nouembr.*

Hoc eodem anno Hunni, vulgo Vngari dicti, è Pannonia in Italiam progressi, ingenti affecerunt clade transpadanas nobilissimas ciuitates, cuncta sacra ac profana populationibus atque incendiis pessumdantes. Berengarium quoque obuium cum immenso exercitu, præter spem aggressi vicerunt; nec recesserunt, quousque ingenti pecunia exacta, anno sequenti ad propria sunt reuersi. Post quæ accidit vt idem Berengarius commiseratus clades nobilium ciuitatũ, eis multa suppeditando præsto fuerit, Ecclesiisque bona cõtulerit: siquidem eius in diuersas Ecclesias munificentiam diplomata *b* adhuc integra testantur.

II. HVNNI GALLIAM CISALPINAM PESSVMDANT.

b *Ap. Sigon. lib. 6. de Reg. Ital.*

Annus vero sequens, nempe Christi nongentesimus tertius, Indictione sexta inchoatus, prorsus obscurus, nulla alia rerum gestarum ad institutum spectante memoria illustratus est.

III.

IESV CHRISTI AN. 904.

IOAN. IX. AN. 4.

LAMBERTI 1.

LEONIS VI. 19.

ANNO Christi nongentesimo quarto, Indictione septima (vt auctor est Regino) Ludouicus Imp. captus à Berengario tyranno, oculis simul & Imperio priuatus est; perseuerante in Italia LAMBERTO Augusto, qui à Formoso (vt dictum est) coronatus fuerat anno octingentesimo nonagesimo tertio. Cuius hic sit annus Imperij ab eo tempore iam vndecimus inchoatus, ab obitu vero Widonis ipsius patris quintus; primus autem ex quo Italiæ Principes eum Italiæ Regem nominarũt, deficientes à Berengario, vt Luitprandus *a* tradit. Sed antequam ista fierent, contigerat Berengarium Romam cum exercitu aduenientem, coronam Imperii à Ioanne Papa violenter extorsisse: eo vero recedẽte, vocatum esse Lambertum ab eodem Pontifice: habitaque Romæ Episcoporum SYNODO, vtriusque Regis iuribus examinatis, ex omnium Patrum sententia Ioannem Berengarii coronationem tanquam vi extortam abrogasse, Lamberti vero legitimam iudicasse. Facta sunt ista Romæ hoc anno, eademque paulo post recitata in Synodo Rauennate ab eodem Romano Pontifice congregata.

I. LVDOV. IMP. CAPTVS A BERENG. OCVLIS ET IMPERIO PRIVATVR.

a *Luitpr. lib. 1. c. 10.*

Quod enim haud liberum ei esset Romæ degere, studentibus nonnullis Berengario, consultius visum est Episcopos Rauennam conuocare, vbi complura grauioris momenti tractanda forent coram Lamberto qui interfuit. Meminit huiusmodi CONCILII RAVENNATIS Sigebertus anno superiori: ad quod ait conuenisse Episcopos se-

CONCIL. ROM. IN CAVSA IMPERII.

II.

CONCIL. RAVEN.

pruagin-

DE RAB. AD ECCL. ET IMP. SPECTANTIBVS.

ptuaginta quatuor, & ex iis aliquos Francos. Extant vero etiam eius Acta *b* in codice Antonii Augustini. In quibus primum quæ gesta sunt in Romana prædicta Synodo recitata habentur; videlicet damnatio Synodi Stephani Papæ aduersus Formosum Pontificem, eiusque Actorum combustio: Improbatio electionis Bonifacii: Restitutio ordinatorum à Formoso; & anathematizatio Sergii, aliorumque qui venerandum eiusdem Formosi sepulchrum temerare ausi fuissent. Item constitutio de legitima electione Romani Pontificis: Confirmatio Imperij Lamberti, & reprobatio Berengarij: Prohibitio ne decedente Papa (quæ mala consuetudo irrepserat) Patriarchium expilaretur; aut alibi pariter obeuntibus Episcopis, Episcopia iacturam paterentur: decretum, vt Episcopi liberam haberent potestatem inquirendi & iudicandi de adulteriis & sceleribus populi; atque etiam cum opus foret, ad comprimendos rebelles & refractarios, publicum placitum conuocare. Hæc, inquam, & alia quædam ad disciplinam Ecclesiasticam & mores informandos in Romana Synodo gesta, in Rauennate sunt lecta, probataque. Actumque præterea inter alia est, de conseruatione Legum Ecclesiasticarum à sanctis Patribus sancitarum, & à Carolo Magno aliisque ipsius successoribus Impp promulgatarum: de confirmatione priuilegiorum S. R. Ecclesiæ: de approbatione eiusdem nuperæ Romanæ Synodi aduersus Formosi violatores: ac denique de restauratione ecclesiarum Vrbis quæ aut diruta, aut in maximam egestatem erant redactæ. Sed & præter hæc, interposita habentur in eodem codice duodecim alia capita *c* alterius cuiuspiam Concilii, æque de rebus Ecclesiasticis ac politicis.

b *Rec. Bar. Ann. Tom. X. hoc an.*

c *Rec. Bar. vbi supr.*

IESV CHRISTI AN. 905.

BENED. IV. AN. 1.

LAMBERTI 2.

LEON. VI. 20.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANNO Christi nongentesimo quinto, Indictione octaua, *Ioannes* Papa, vbi sedisset annos tres & dies quindecim, obiit; sepultusque est apud S. Petrum pro foribus. Recitat eius epitaphium Manlius; ex quo apparet, non duo tantum, sed tria ab eodem fuisse Concilia celebrata: vnde summam sibi laudem comparauit, vtpote qui missus à Deo visus sit ad destruenda quæ à decessore Stephano male ædificata fuissent.

II. DE NORTHMAN. IN GAL. AD FIDEM CONVERSIS.

Reperitur etiam epistola eiusdem Pontificis ad Herueum Archiepiscopum Rhemensem; qua respondens ipsius consultationi de Northmānis in Gallia nuper ad fidem conuersis, quorum nonnulli post baptismum Gentiliter vixissent; ait mitius eum iis agendum esse, quod tyrones adhuc essent in fide, nec contra eos seueritatem canonum esse extendendam, ne forte insueta onera portare recusantes, ad pristinam impietatem penitus relaberentur. Commendat pariter Flodoardus *a* eiusdem Heruei studium exhibitum in conuersione Northmannorum; donec tandem (vt ait) post bellum quod Robertus Comes Carnotensis contra eos egit, iidem CHRISTI fidem suscipere cœperunt apud vrbem Rotomagum: meminitque eiusdem consultationis ad Romanum Pontificem missæ super eorum conuersione. Rursum vero reperitur eiusdem Ioannis Noni epistola *b* ad Stylianum Neocæsareæ Metropolitam, in codice Columnensi sæpe citato post Octauam Synodum; vbi illius temporis auctor occasionem eius scribendæ fuisse ait, quod cum Stylianus diutius ab amicis & propinquis solicitatus, tandem communicasset ordinatis à Photio, Romam scripsisset vt à Summo Pontifice id sibi concederetur. Verum id denegans Ioannes, literis ei significauit, se in rebus Orientis stare decretis suorum decessorum.

Flod. lib. 4. c. 12.

b *Rec. Bar. Tom. X. hoc an.*

III. BENED. IV. PP.

Post obitum Ioannis cum non vacasset Sedes nisi diem vnum, successit BENEDICTVS eius nominis Quartus, patria Romanus, filius Mammoli; qui magnam sibi laudem in primis ex amore pauperum conciliauit.

IV. c *Ambr. Moral. Chron. Hisp. lib. 15. c. 28.*

Eodem anno *c* Rex Gallæciæ Adefonsus cognomento Magnus, bene dispositis rebus Ecclesiasticis, aduersus Arabes bellum gerens, ingentem de ipsis est victoriam consecutus; cadente in prælio illorum Duce primario Alcaman, à suis vti propheta culto.

IESV CHRISTI AN. 906.907.

BENED. IV. 2.

LEO V. CHRISTOPH.

LAMBERTI 3.4.

LEON. VI. 21. 22.

ANNO Christi nongentesimo sexto, Indictione nona, nihil gestum reperitur quod ad res Ecclesiasticas pertineat: nisi quod extat antiqua Inscriptio *a* de translatione corporis *S Primi* martyris facta ab Vrbe Roma per Erembertum illustrem virum, concessione Sergii Papæ Iunioris (vt ponitur) anno Incarnationis Domini nongentesimo sexto, Indictione nona, Calendis Augusti: ex qua inter tantam offusam temporum caliginem, quæ irrepsit ex antiquorum scriptorum inopia, manifestari videtur iam Sergium Tertium hoc anno sedisse Pontificem.

I. TRANSLATIO CORP. S. PRIMI. a *Antiq. Inscript. in Append. pag. 1162. num. 2.*

Cetera vero monumenta, Anno proximo, (videlicet Christi nongentesimo septimo, Indictione decima) defunctum tradunt Benedictum, sepultumque apud S. Petrum: subrogatum autem in locum eius LEONEM huius nominis Quintum, patria Ardeatinum; eundemque post dies quadraginta, pulsum atque detrusum in carcerem à CHRISTOPHORO, quem post eum sedisse affirmant: ipsumque demum Christophorum, post septem menses, deturbatum à Sergio inuasore anno sequenti.

II. LEO V. PP. ET CHRISTOPH.

IESV CHRISTI AN. 908.

SERGII III. AN. 1.

LAMBERTI 5.

LEON. VI. 23.

ANNO Christi nongentesimo octauo, Indictione vndecima, rursum prauorum turbis & factionibus Romana vehementer perturbata traditur Ecclesia, Christophoro violenter è sede pulso, & in carcerem truso, atque vitam monasticam amplecti coacto: qui mortuus sepultus est in basilica S. Petri. Exurrexit autem (siue ab aliquo nuper nominatorum Pontificum iectum, iterum restitutum dixeris) factione Marchionis Tusciæ Adelberti, SERGIVS ille nefandus, quem audisti in Formosum Papam ita sæuisse: qui quidem sedem inuasit, non Formosi, vt memoria lapsus asseruit Luitprandus; sed Christophori, vt testatur quoque Sigebertus *a*: in eo tamen & ipse corrigendus, dum ordinatum à Formoso Episcopum Sergium dicit, quem Acta Synodalia sub Ioanne Nono nō nisi presbyterū nominant; eundemque excommunicatum cum aliis complicibus fuisse docent: Luitprandus autem, eum ex diacono arripuisse sibi nomen Pontificis tradit.

I. CHRISTOPH. EIECTO, SERGIVS SEDEM INVADIT.

a *Sigebin Chron. an. super.*

Idem vero adhuc odio furens in Formosi memoriam, ordinationes eius (vt ait Sigebertus) irritas habuit. Et quæ eiusdem auctoritate statuta essent in Concilio Triburiensi, nimirum vt Bremensis Ecclesia suffraganea censeretur Coloniensis; ea Sergium penitus rescidisse, scribit Adamus *b* monachus. Hæcque plane sunt infelicissima illa tem-

II. SERG. IRRITAT ACTA FORMOSI.

b *Adam. lib. 1. c. 42.*

pora,

pora, cũ alterius res gestas intrusus quisq; Pontifex aboleret; q̃ deplorans huius temporis auctor *Auxilius* nomine, egregiũ scripsit (vt ait Sigebertus in Scriptoribus Ecclesiasticis) Dialogum sub persona *Infensoris & Defensoris, de ordinationibus exordinationibus, & superordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus & superordinationibus.* Cuius quidem prolixioris Auxilii disputationis, extat *c* synopsis ad Leonem Episcopum Nolanum sub titulo, *De ordinationibus à Formoso factis, quare non sint irritæ*; triginta continens obiectiones, totidemque defensiones.

I. De ordinationibus Pontt. invasorum. *c Ap. Pap. Masson.*

Sed & istius Sergii, præter vim tyrannicam, turpitudo quoque vitæ ab auctoribus eius sæculi scriptis est prodita. Luitprandus *d* enim testatur, ipsum ex Marozia nobili scorto filium genuisse Ioannem dictum; qui & ipse Pontificatũ postea eius nominis Vndecimus adeptus est. Erat vero ista *Marozia*, (eademq; *Maria*, tali indignissima nomine, dicta) filia *Theodoræ* nobilis Romanæ feminæ, Senatoriaq; ortæ propagine; quæ cum excellens esset pulchritudine, ingenioque versutissima, consuetudine potentissimorum Tusciæ Marchionum adeo & ipsa potens est reddita, vt cum Romana munitio S. Angeli possideretur ab iisdem Marchionibus, hæc pessima femina eam inhabitans, dominium Vrbis sit consecuta, illudque in posteros propagare curauerit. Accessit vero ad potentiam eius, quod eadem ipsius filia Marozia ex Adelberto Marchione filium susceperit nomine Albericum, qui patris potentia Vrbi dominatus est: ac demum Adelberto mortuo, loco ipsius regnans in Tuscia filius eius ex Berta coniuge, Wido nomine, eandem Marotiam in vxorem acceperit. Constant ista ex Luitprando eius temporis auctore. Hincque tantum inualuit meretricum imperium, vt pro arbitrio legitime creatos Pontifices dimouerent, & violentos ac nefarios homines intruderent. Quæ considerans, quis non putarit Deum oblitum Ecclesiæ suæ? Et tamen magno ipsius miraculo, & peculiari erga Sedem Petri prouidentiæ cura, cum tanta ista vrgerent toto hoc sæculo mala, non est inuentus qui ea de causa se ab ipsa Ecclesia Romana abscinderet schismate, vel hæresi eam impugnaret; sed omnes vbique gentium eidem, fidei vinculo, & obedientiæ nexu, iuncti perstiterunt. Et quod ad onium facinorosissimum istum Sergium attinet; ab eo Colonien sis Archiepiscopus reperitur *e* petiisse & accepisse pallium; ac pariter S. Hogerus *f* successor Adalgarij in Ecclesia Hamburgensi, tam ipse quam præcessor viri sanctissimi, cui coadiutorem dederat & priuilegia renouauerat.

III. Sergius vitatur posse. *d Luitpr. lib.2 c.13.* De Theodora, et Marozia, nobilibus scortis. De quibus agit Baron. tam hoc, quam alios annos: agiturque rursum de isdem infra.

Providentia Dei erga Rom. Eccl.

IV. Adefonsi magni maxima virtus.

Eodem anno, tædio longæ præfecturæ Regis Galliæ Adefonsi, eius filius primogenitus Garsias nomine, adiuuante matre & fratribus conspirauit in patrem. sed qui Magni nomen digne est consecutus ob debellatos sæpissime Arabes, in hoc ipso plane vt diceretur Maximus dignus fuit, cum nolens ciuili & domestico bello exhaurire Regni vires in vtilitatem hostium, se ipsum superans sponte filio cessit. Res tunc gestas, ex Sampyro, atque Tudensi, & aliis antiquis monumentis, prodidit, inter alios, Ambrosius *g* Morales.

e Cantz. Hist. Sax. lib.3.c.1. & lib.2.c.24. f Adam. l.2.

g Moral. lib. 3.c.30.

IESV CHRISTI An. 909.

SERGII. III. An. 2.

LAMBERTI 6.

LEON. VI. 24.

ANno Christi nongentesimo nono, Indictione duodecima, Suessione in Gallia in loco *Trosleio* dicto, celebratum fest sexto Calendas Iulii ab Herueo Archiepiscopo Rhemensi Concilivm vndecim Episcoporum, inter quos fuit Archiepiscopus Rotomagensis. Extant eius Acta *a*, quæ præter deplorationem miserrimi status Ecclesiarum, monasteriorum, totiusque Regni Francorum, quod bello, fame, aliisque cladibus destructum erat; quindecim continent capita, multiplicibus canonibus & sententiis Patrum contexta: vt quot capita, tot dixeris esse catecheses ad restituendam collapsam Ecclesiasticam disciplinam, & euellendos, qui irrepserant in omnes hominum ordines, prauos mores: inter quæ & ipsi Regi præscribitur recta secundum pietatem viuendi norma. Quod vero etiam, sicut in Vrbe, ita in Galliis sacrilegii illud genus inualuisset, vt defunctis Episcopis eorum bona publice ab omnibus diriperentur; ne id fieret amplius, conati sunt Patres reprimere canonicarum obice sanctionum.

I. Concil. Suession. ad restituendam disciplinam. *a Ann. Bar. tom. 10. ann. 909. n.1. ann.*

August. & Bibl. Rhem.

Cumque pariter accepissent ab Apostolica Sede admonitionem de peruersa Orientalium doctrina, auctore Photio, circa processionem Spiritus S. à solo Patre; egerunt etiam de eiusmodi errore, eiusque auctore Photio profligandis. Quibus quidem imprimis declaratur, perseuerasse illos qui quomodocunque præsidebant Romanæ Ecclesiæ, in Photii detestatione & anathemate: deinde vero commendatur reuerentia Gallicanorum Episcoporum erga Romanam Ecclesiam, dum haud merita Sergii attendentes, sed ea tantum quæ ab eo dicerentur, ipsius obedierunt iussionibus; quod videlicet sederet in Cathedra Petri, à qua (vt etiam ibidem fatentur) Catholicam fidem accepissent & hactenus illibatam conseruassent. Quod vero ad Herueum Rhemensem attinet; non semel ab eo Synodum celebratam, sed plane multoties pro pace & religione Ecclesiæ, statuque Regni Francorum, testatur Flodoardus *b* in eius Rebus gestis.

II. Reverentia Episcoporum Gall. erga Rom. Eccl.

b Flod. lib. 4. c.13.

IESV CHRISTI An. 910.

ANAST. III. An. 1.

LAMBERTI 7.

LEONIS VI. 25.

ANno Christi nongentesimo decimo, Indictione decimatertia, defunctus est *Sergius* Papa: quem haud diutius superuixisse, quæ dicenda erunt in Ioanne Decimo, manifeste demonstrant. Sicque ipsum non septennio, (vt produnt nonnulli) sed triennio dumtaxat inuasam sedem occupasse apparet. In eius vero locũ subrogatus est Anastasivs eius nominis Tertius, Patria Romanus, Luciani filius; qui sedisse ponitur annos duos & totidem menses. De quo asseritur *a*, eum exoscente Berengario Ticinensem Ecclesiam plurimis alijsque magnificis decorasse ornamentis; concedendo nimirum vmbellæ vsum, equoque vehi albo, Crucem præferri in itinere habere, & in Conciliis à læua Pontificis assidere.

I. Sergius PP. moritur. Anast. III. creatur. *a Sigon. de Regn. Ital. lib.6.*

Ad hæc etiam tempora propagatum esse Lamberti Imperium ex Luitprando *b* possumus intelligere, dum ait quinquennio illi aduersatum esse Reginfredum Mediolanensem Comitem, cumantea aliquantisper pulso Berengario imperasset. Vnde corrigas errorem asserentium eum longe ante defunctum. Ab Hugone vero comite Mediolanensi in venatione occulte necatum in ipso iuuentutis flore, idem Luitprandus *c* magnopere deplorauit; Principem probatum moribus, spectataque virtute clarum; quem & plus Reipublicæ, quam Rempublicam ipsi decoris contulisse asserit.

II. *b Luitpr. lib.1.c.10.* Lamberti Imp. obitvs, et lavdes. *c Id. lib.1. in fin.*

IESV CHRISTI An. 911.

ANAST. III. An. 2.

ALEXAND. & CONSTANT. I.

ANno Christi nongentesimo vndecimo, Indictione decima quarta, die tertia ante Idus Iunij, (vt auctor

I.

est

LEON. IMP. OBITVS.

est Curopalates) Leo Imp. ventris profluuio ex hac vita decessit; quem ad vigesimum quintum annum Imperij peruenisse, & per menses tres vigesimum sextum inchoasse, testantur Zonaras, Constantinus Manasses, & Glycas.

II. ETVS SCRIPTA.

Extant eiusdem Leonis centum tredecim Nouellæ constitutiones diuersorum argumentorum, ad res vel personas etiam Ecclesiasticas pertinentes. Voluit enim imitari Iustinianum, vt pro arbitrio sicut de profanis, ita de sacris æque decerneret, præsumens quod summorum Pontificum est. Extat præterea eiusdem epistola ad Omarum Regem Saracenorum, de Christianæ fidei veritate & mysteriis; ac Saracenorum variis hæresibus & blasphemiis. In qua inter alia de sanctissima Trinitate doctrinam ingerens, Spiritum S. à Patre simul Filioque procedere aperte absque vlla hæsitatione profitetur. Vnde intelligas eam Orthodoxam doctrinam ab huius temporis viris disertis etiam Græcis receptam esse; exclamasse tamen eos, quod sine Oecumenici Concilii auctoritate in Symbolo posita esset. Sed & præter edita ista, alia insuper extant in variis codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, licet valde deprauata eiusdem Leonis scriptorum monumenta: videlicet Variæ Orationes numero ducentæ & quatuor, aliæque triginta tres in diuersas Domini ac Sanctorum festiuitates: itemque Præcepta moralia; De instruendis aciebus; Constitutiones Leonis & Basilii; atque Ænigmata. Inter Orationes autem, maximam eiusdem Imp. pietatem denotat illa *a*, seu Epistolam circulatem dixeris, qua tanquam præsens vbique omnes sibi subditos ad vitam bene instituendam hortatus est: imitatus in his Episcopos, qui huiuscemodi Encyclicis literis Pastoralibus populũ sibi subditum admonere consueuerunt. Sed & in commentario quo res bellicas pertractauit, inter alia docet, Ducem curare debere, vt pridie eius diei quo certamen sit ineundum per sacerdotem vniuersus exercitus expietur aqua benedicta; & vt quotidie mane & vesperi dicat hymnum Trisagium. Nequid demum de eo prætermittamus, scribit Curopalates, eum in templum à se ædificatum intulisse corpora SS. Lazari & Matiæ Magdalenæ. Sed ea Galli prouinciæ Narbonensis se possidere, constantius profitentur.

a Rec. Bar. Tom. X. hoc an. ex cod. Vatic.

III. ALEX. IMPERAT. CVM CONSTANTINO.

Leone vita functo, ALEXANDER frater eius habenas Imperij suscepit simul regnante CONSTANTINO *Porphyrogenito*, Leonis filio adhuc puero. Hæc Curopalates: qui tamen in eo corrigendus est, (ac post eum Cedrenus) quod ait Alexandrum hoc tempore natum tantummodo fuisse annos viginti; cum idem ipse in Basilio Leonis & Alexandri patente dixerit, tertio anno eius Imperii tertium filium nomine Alexandrum, Cæsarem ab eo creatum esse: qua ratione dicendus est hoc tempore excessisse annum quadragesimu exquo à patre Cæsar creatus est. Qui quidem simul atque peruenit in Imperium, (inquit Curopalates) accersitum Nicolaum Patriarcham à Leone expulsum, Constantinopolitanæ sedi restituit, eiecto in exilium Euthymio; quem addicti Nicolao clerici valde inhumaniter tractantes, pugnis percusserunt, colaphis cæciderunt, barbam euulserunt aliaque prorsus feralia in sanctissimum senem perpetrarunt, (sed non absque vindicta diuina) quæ narrat Curopalates. ac deplorat Aretas Archiepiscopus Cæsariensis in oratione funebri *b* habita in eius translatione. Vbi & causam odii clericorum in eum fuisse ait, quod illos palam simoniæ intentos coercuisset.

EVTHYM. PATRIARCH EIICITVR.

b Ext. ap. Lipom. Tom. 3.

IESV CHRISTI AN. 912.

LANDO.

IOANNIS X. 1.

CONSTANT. VIII. Solius 1.

I. ANAST. PP. MORITVR.

ANNO Christi nongentesimo duodecimo, indictione decimaquinta, mortuus est *Anastasius* Papa, sepultusque in basilica S. Petri: atque in eius locum subrogatus LANDO patria Sabinus, Trani filius. Qui (vt ait Luitprandus *a*) in gratiam Theodoræ potentissimi scorti, Romanæ Vrbi imperitantis, Ioannem quem illa turpissime deperibat, ex Rauennate presbytero iam antea creatum Episcopum Bononiensem, defuncto tunc Petro Antistite Rauennate, in eius Ecclesiæ Archiepiscopatum transtulit. Cum vero modico postea interlapso tempore, ipse Lando mortuus esset; eadem Theodora quo facilius amasio suo Ioanne potiretur, ipsum ex Archiepiscopo Rauennate in cathedram Petri violenter intrusit. Hæc pluribus Luitprandus: ex quibus videas fœdissimam huius temporis Ecclesiæ Romanæ faciem. Porro ad finem huius anni IOANNEM sedere cœpisse, ex Leone *b* Ostiensi certum colligitur argumentum, dum ingentem victoriam à Christianis aduersus Saracenos obtentam ponit mense Augusti anni Domini nongentesimi decimiquinti, Indictionis tertiæ, inuasionis vero Ioannis anni tertii.

LANDO CREATVR.

a Luitpr. lib. 2. c. 13.

MORITVR, ET IOAN. X. INTRVDITVR.

b Leo Ost. Chron. Casin. lib. 1. c. 55.

Eodem anno, sexta die Iunij (vt tradit Curopalates) Alexander Orientis Imperator, lotus & pransus, vinoque ebrius, post meridiem pila ludere volens, exorto dolore in intestinis præ cibis quibus se ingurgitauerat, reuersus in palatium, multo è naribus ac pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. Sed ipsum ita confectum ira Dei ob contemptum diuinitatis, tradit Aretas *c*, dum ait ipsum cooperto capite in loca sancta ingredi assuescentem, cum & quodam die amictum sacræ mensæ dimouere ausus esset, mox insania correptum, nunquam postea compotem mentis extitisse: denique cum & statuis in Hippodromo positis solitum Baccho sacrificium fieri iussisset, eo nondum peracto sacrilegio, ipsum diuinitus percussum, in cubiculum suum asportatum esse, eodemque quo Herodes *d* casu periisse. Hæc ex Areta; qui eiusdem Alexandri infaustum pariter funus pluribus prosequitur. Sed & apud Erempertum in Rebus gestis Longobardorum narratur, eundem Alexandrum intuitum statuas illas deorum olim Roma Constantinopolim delatas, blasphemam eam emisisse vocem, *Heu! quando istas colebant Romani, potentissimi & inuicti perseuerarunt!* iussisseque eas serico operiri: sed nocte sequenti per quietem virum aspectu lucidum ei apparentem, seuereque admodum arguentem, atque etiam ipsum percutientem dixisse, *Ego sum Romanorum Princeps Petrus*; statimque euigilantem Imperatorem timore vehementi correptum, sanguinis vomitu extinctum esse.

II. ALEX. IMPIISS. IMP. OBITVS.

c Ap. Lipom. Tom. 3.

d Act. 12.

VOX IMPIA, POENA VEL.

Defuncto illo, solus imperare cœpit, sed sub tutoribus, CONSTANTINVS puer septennis *e*, Prophyrogenitus dictus. Leonis Sapientis filius: inter cuius tutores annumeratus est etiam Nicolaus Patriarcha. Sed quod Constantinum tunc tantum septennem dicunt, omnino dicendum est erratum esse in numero; cum ex iis quæ superius dicta sunt, constet eum natum esse antequam Nicolaus deponeretur è sede; quod contigisse vidimus anno Redemptoris nongentesimo primo. Porro Nicolaus vbi sedem recuperauit, memor iniuriarum sub Leone susceptarum, cum suadentibus Apostolicæ Sedis Legatis in exilium pulsus fuerat; querelis plenam ad Romanum Pontificem scripsit epistolam *f*, qua cum exacte rei tunc gestæ historiam narret, pluribus differit aduersus quadrigamiam.

III. CONST. VIII. SOLVS IM. *Curopa. & alii.*

f Rec. Bar. Tom. X. an. ex Bib. Epist. Bal. Lun.

Hoc eodem anno *Confluentiæ* sub Herimannno Agrippiensi Archiepiscopo habita est SYNODVS Episcoporum octo, cum Abbatibus, aliisque quamplurimis sacri ordinis virisin qua inter alia optime statuta, prohibitas esse nuptias vsque ad septimam generationem, scribit Ivo. *g*.

IV. CONCI CONFL

g Ivo p. 66.

In hunc vsque annum superstitem fuisse Galliæ Regem Adefonsum Magnum, cum regnasset annis quadraginta sex, (vltra quatuor illos quibus cessit Garsiæ filio) ex veteribus monumentis tradit Ambrosius Morales. Qui quidem Adefonsus paulo ante obitum, non vt Rex, sed vt dux exercitus militans sub Rege filio, ingensque animi summissionis specimen edens, præclara de Mauris victoria potitus est, atque dignus à Deo habitus qui triumphare deberet in cælo. Sed nec diu post patris obitum vixit Garsias filius; à Deo vltore post triennium ex hac vita subtractus, qui non expectata morte patris, Regnum inuaserat.

V. ADEFC REG. S MA VI TVS.

Hoc eodem anno *Berno* Abbas Gigniacensis ordinis

VI.

CLVNIACENSIS ORDINIS INSTITVTIO.

S. Benedicti, *Cluniacensis* cœnobii, & instituti fundator, ex hac vita decessit: in cuius locum Odonem hoc pariter anno fuisse substitutum, Sigebertus ponit in Chronicis. Inter Sanctos autem Abbates Cluniacenses, Odonem primo loco, eiusque successores, Maiolum, Odilonem, Hugonem, numerat S. Bernardus *h*. Ceterum nec primus Odo, nec tantummodo recensiti egregia sanctitate floruisse narrantur: sed ante Odonem, primus numeratur atque laudatur Berno Abbas; cui successit Odo, & huius successor qui ponitur Ademarus; plurimumque commendatur Hildebrandus, qui bis incitatus vt fieret Abbas, recusauit, semper magis appetens obedire quam præesse, vt de illo scribit Odilo in S. Maioli *i* decessoris Rebus gestis. Vbi originem Cluniacensem repetens, ait, cum monasticum institutum in Gallia admodum remissum esset, fauente Wilelmo Aquitanorum Principe, *Bernonem* in Burgundiæ regione, Marisconensi cespite, pago *Cluniaco*, monasterium extruxisse, multosque monachos collegisse: ipsi vero successisse Odonem, qui antea Turonensis fuerat canonicus. Sic igitur non Odo, (vt putauit Sigebertus *k*) sed Berno fuit primus institutor & fundator Cluniacensis monasterij: qui cum esset Abbas Gigniacensis cœnobij, in cella eiusdem cœnobii fundauit monasterium Cluniacense ex bonis auiæ suæ Comitissæ, & ipse ex Comite monachus, vt idem alibi testatur Sigebertus *l*. Alio namque claruit tempore alius *Berno* Augiæ Abbas, vir doctrina insignis, numeratus inter claros Scriptores *m* Ecclesiasticos. Sed quod rursum spectat ad cœnobium Cluniacense æque in Fragmentis Floriacensis Chronici traditur, illud fundatum esse ab Wilelmo Comite Aruernorum, & Duce Aquitaniæ: idque ipsum asserit Glaber *n* Rudolphus eiusdem cœnobii monachus his temporibus proximus; qui post Bernonem, successorem ponit Odonem, post hunc Heimardum, inde Maiolum, quem secutus est Odilo, omnesque egregia sanctitate conspicuos extitisse; adeo vt fuerit eorum opera Cluniacense cœnobium veluti alueare, è quo in diuersa loca ad monasteriorum regimen progrederentur coloniæ monachorum, non tantum in Gallias, sed etiam in Italiam & Hispanias.

h Bernard. ad Guil. Abbat. Cluniacens.

i Sp. Sur. 11. Maii.

k Sigeb. c. 115. de Script. Eccl.

BERNO FVNDATOR MONAST. CLVN.

l Id. in Chro. an. 895.

m Id. c. 157.

n Glab. lib. 3. c. 4.

VII. CONRAD. REX GERMAN. PRIMVS POST CAROLINAS.

Hoc eodem anno defuncto Ludouico Rege Germaniæ, Conradus Dux in Regem eleuatus est, regnauitque annos septem. In Ludouico autem finem accepit progenies Caroli Magni in Regibus Germanorū; vt asserunt veteres Chronographi, Adam. & alii. Ipsi enim Ludouico, Arnulphi filio Caroli in Gallia regnantis fratrueli, nullus fuit filius; adeo' vt opus esset ex alia familia Regem quærere. Et licet in Othonem Henrici patrem Ducem Saxoniæ vota omnium conuenirent, ipse tamen ætate grauior recusauit accipere, & Conradum præposuit quem elegerunt.

VIII.

Hoc pariter anno Rollonem Ducem Northmannorum Galliarum inuasorem, Christianam religionem amplexatum esse, docent annales veteres quos collegit Matthæus Westmonasterienſis.

IESV CHRISTI AN. 913.

IOAN. X. AN. 2.

CONSTANT. VIII. AN. 2.

I. DEPOENI. TENTIA RAGNERI DVCIS LOTHARINGIÆ. *a* Reg. Bar. [illegible] Tiber.

ANNO Christi nongentesimo decimotertio, Indictione prima, nona die mensis Maij, habetur consignatum diploma Ragneri Ducis Lotharingiæ pœnitentis. Hic enim cum prius Ecclesiastica bona sæpius deprædatus esset, tandem donatione amplissimi latifundii satisfaciens in fauorem monasterii S. Matthiæ Treuerensis; eius diploma *a* confecit, quo seipsum persecutorem sæpe ac prædonem nominans, vere pœnitentis posteris reliquit exemplum.

IESV CHRISTI AN. 914.

IOAN. X. AN. 3.

CONSTANT. VIII AN 3.

I. BVLGAR. BELLVM IN THRACIA.

ANNO Christi nongentesimo decimoquarto, Indictione secunda, aduersus Constantinū Imp. Bulgaricum exortum est bellum, obsidente Symeone ipsorum Rege Constantinopolim; cum repulsus ille, & in Hebdomum reuersus à Nicolao Patriarcha tutore Imperatoris conuentus est, & ad pacem componendam suasus, qua stabilita, idem benedictionem à Patriarcha accepit, imposito capitio pro corona. Hæc pluribus Curopalates, & alii ex eo. Ceterū haud diu pax constans fuit, Bulgaris Thraciam rursum infestantibus, & Hadrianopolim inuadentibus. Post hæc autem idem Patriarcha per Zoën Augustam matrem Imperatoris e palatio eiectus est; qui tamen adhuc per multos annos sedem Constantinopolitanam tenuit.

IESV CHRISTI AN. 915.

IOAN. X. AN. 4.

BERENGARII 1.

CONSTANT. VIII. 4.

I. *a* Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 1. c. 55. FOEDVS PRINCIPVM ADVERSVS SARAC. *b* Luitpr. lib. 2. c. 14. *c* Leo Ost. lib. 1. c. 57.

ANNO Christi nongentesimo decimo quinto, Indictione tertia, mense Augusto *a*, Saraceni, qui apud Garilianum in Campania per quadraginta ferme annos sedem tenuerant maximo Christianorum damno, à Græcis simul & Latinis in iisdem castris pugnantibus, sed & accedentibus copiis Ioannis Papæ, diuino auxilio Apostolorum Petri & Pauli debellati sunt penitus; ita vt nullus remanserit, qui nō trucidatus aut captus fuerit. Rem gestam pluribus narrant Luitprandus *b*, ac Leo *c* Ostiensis.

II. BERENG. IMP.

Quo eodem anno BERENGARIVS à Ioanne Papa Imperator inunctus est mense Septembri, sicut eius plura diplomata *d* attestantur. Idque factum ab eodem Pontifice putatur, ad referendam gratiam ob auxilium collatum in bello aduersus Saracenos.

d Sp. Sigon. de Regn. Ital. lib. 6. hoc an.

III. ORDON. REX LEGION.

Hoc item anno Ordonius filius Adefonsi Magni, defuncto fratre Garsia, regnare cœpit; qui & primus transtulit Regni sedem Oueto Legionem, & appellatus est Rex Legionensis non amplius Asturicensis. Idemque conuocata *Synodo* duodecim Episcoporum, ibidem solemni ritu sacram vnctionem qua vti consueuere Reges accepit; pietate insignis, dum Regiam in Basilicam cathedralem conuertit: quod quidem secundo vel tertio Regni sui anno factum esse, Ambrosius Morales existimat.

IESV CHRISTI AN. 916.

IOANNIS X. AN. 5.

BERENGARII 2.

CONSTANT. VIII. 5.

I. PRODIGIA IN SACRILEGOS.

ANNO Christi nongentesimo decimosexto, Indictione quarta, Vngaris, siue Hunnis Saxonum ecclesias deuastantibus, interque alias Bremensem comburentibus; diuina sunt ostensa aduersus incensores prodigia, cum subito orta tempestas à semicremis ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in facies Paganorum rotans, eosdem aut in flu-

in fluuium præcipitari compulit, aut in manus ciuium concludi. Hæc Adam *a* in Chronico.

a Adam. lib.1.c.46.

II. Quod ad res pertinet Orentis; hoc anno, qui numeratur decimusquintus ab exilio Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, idem vna cum Imperatore legatos misit ad Ioannem Papam cum literis *b*, pro ineunda perfecta concordia cum Romana Ecclesia. Quid vero inde secutum fuerit, dicetur anno sequenti.

b Rec. Bar. Ann. Tom. X hoc anno ex Bibl. Episc. Bellun.

IESV CHRISTI AN. 917.

IOANNIS X. AN. 6.

BERENGARII 3.

CONSTANT. VIII. 6.

L ANno Christi nongentesimo decimoseptimo, Indictione quinta, Vnni virum in Saxonia egregia sanctitate clarentem, Archiepiscopum Hamburgensem creatum, pallium petiisse & accepisse à Ioanne Pontifice Decimo, testatur, Adam *a* Antiquus Chronographus. Vnde colligas, eundem Ioannem, licet inuasisset Apostolicam Sedem, tamen accedente *b* Cleri consensu habitum esse legimum Papam: cuius quidem rei argumento sunt aliæ pariter legationes ex diuersis Orbis partibus ad eum missæ, de quibus agetur suis locis. Porro huius quoque Vnni Archiepiscopi tempore, Vngaros non solum Saxoniam, sed & Lotharingiam & Franciam deuastasse; pariterque Danorum Ecclesiam, maximam persecutionem passam esse à crudelissimo ipsorum Rege Gorm; scribit idem Adam.

a Adam. lib.1.c.47.

b Ap. Baron. An. 915. III.

II. Eiusdem anni Indictione quinta, die octaua Idus Augusti, in Oriente prælio inito inter Romanos & Bulgaros, victoria potiti Romani, mox versa alea, improuisa fuga eosdem Bulgaros, fecere victores: quorum Rex Symeon Cõstantinopolim obsessurus, à ciuibus rursum in fugam versus est. Rem gestam pluribus describit Curopalates, à quo alij accepere. At quæ ista præcesserunt, vtique magna consideratione digna sunt: quippe apparet eundem Symeonem Regem, quod Legatos à Ioanne Romano Pontifice in Orientem missos pacis firmiter ineundæ causa, (quod vidimus ab Imperatore & Patriarcha expetitum) & ipsum Regem Bulgarorum postea adire iussos, non audierit, sed contempserit potius; cum semper vincere solitus esset, victum cum ignominia fugisse. Est enim de ea tunc missa à Ioanne Legatione epistola *c* Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani ad eundem Symeonem; qua egregiis elogiis prædicans Romanæ Sedis auctoritatem, quantũ sit nefas in eam peccare inculcat, asseritque perfectam iam concordiam initam fuisse inter Ecclesiam Romanam & Constantinopolitanam.

REX BVLGAR. DAT POENAS DE CONTEMPTIS LEGG. APOST. SED.

c Rec. Bar. hoc an. cum aliis seqq. ex Bibl. Epist. Bellun.

III. Est vero etiam alia epistola eiusdem Nicolai Patriarchæ scripta ad Principem Armeniæ, de Armeniis ex hæresibus, quibus innumeris à perfidis Seuerianis & Manichæis infecti fuerant ad fidem Catholicam reuocatis per quendam virum Orthodoxum qui ad eos diuerterat. Itemque alia ad Principem Saracenorum, de crudelitate ipsorum, qua miserrimos exagitarent Christianos; cum tamen ipsi Saraceni qui degerent Constantinopoli, etiam libero perfrui Oratorio finerentur benignitate Imperatoris.

SARACENI HABVERVNT ORATORIVM CONSTANTINOPOLI.

IESV CHRISTI AN. 918.

IOAN. X. AN. 7.

BERENGARII 4.

CONSTANT. VIII. 7.

I ANno Christi nongentesimo decimooctauo, Indictione sexta, legatio *a* missa est à S. Sisenando Episcopo Compostellano, & ab Ordonio Rege Legionensi, cum literis ac muneribus ad Ioannem Pontificem, per Ioannem siue Ioannellum presbyterum. Cuius hanc præcessisse occasionem, vetus Historia Compostellanorum Episcoporum docet; nimirum quod ipse Ioannes Papa Legatum antea misisset Compostellam ad venerandum corpus Iacobi Apostoli, cum literis ad Sisenandum, vt iuges preces pro se funderet apud eundem sanctum Apostolum.

a Ambr. Moral. lib. 15.c.47.

IOAN. PP. LEGATIO AD S. IACOB.

Porro legatus Ioannellus digne exceptus ab eodem Pontifice, retentus est anno integro Romæ; sed non otiose: siquidem oborta controuersia occasione Missalis Mozarabi, quod tunc erat vsui in pluribus Hispaniarum Ecclesiis, ipse illud corrigendi ad formam sacrorum Romanæ Ecclesiæ rituum, ab eodem Pontifice facultatem accepit, eiusque explendi muneris causa factus est Apostolicæ Sedis Legatus. Itaque multis ab Vrbe receptis libris rediens in Hispaniam, & omnibus simul collatis; quamuis multa ritu diuerso, in nullo tamen ea discrepare inuenisset à Catholica veritate, Romam iterum reuersus est; visaque & cognita retulit in *Synodo* tunc coram eodem Pontifice congregata. Cui visum est, omissis reliquis tanquam leuioris momenti, vt Romano ritu sacratiora illa potissimum verba proferrentur, quibus sacrificium incruentum perficitur, quæ aliquibus additis vel mutatis in Missali Mozarabi scripta essent, hoc videlicet modo: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &, *Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sicque tunc ea controuersia definita est; quam tamen multos post annos (vt suo loco dicetur) repeti contigit.

II. ORTA CONTROVERSIA DE MISSALI MOZARABI SEDATVR.

IESV CHRISTI AN. 919.

IOAN. X. AN. 8.

BERENGARII 5.

CONSTANT. VIII. cum ROM. 8.

I. ROMANVS COLLEGA CONST. IMP.

ANnvs Christi nongentesimus decimus nonus Indictione septima inchoatus est: quo bello ciuili flagrante Constantinopoli, insurgentibusque tyrannis aduersus adolescentem Constantinum Imp. ad eos euitandos, ROMANVS Patricius classis præfectus assumptus est ab eodem collega Imperij: Zoë vero Augusta Constantini mater in monasterium detrusa, ac Romani filia Helena in matrimonium data Constantino. Hæc pluribus Curopalates.

II. HENRICVS REX GERMANIÆ.

Eodem anno antiqui Chronographi obiisse ponunt Cõradum Germaniæ Regem, eumque transtulisse Regnum in *Henricum* filium illius Othonis Ducis Saxoniæ, à quo vidimus ipsum Conradum fuisse ad regnum eleuatum. Id tamen alij in aliud tempus referunt. Sed cum omnes consentiant, Henricum annis septendecim regnasse, constet vero ex Flodoardo huius temporis scriptore, (cui præterea adstipulantur Lambertus, Sigebertus, Marianus Scotus, & alij) eum obiisse anno nongentesimo trigesimo sexto; vtique hoc eum anno regnare cœpisse dicendum est. Quem quidem ita electum, cum vellet Archiepiscopus Moguntinus Herigerus vngere; minime ipse acquieuit, respondens se vnctione indignum esse. Verum ipsam non sine damno ab eo prætermissam, diuinitus in visione significatum est S. Vdalrico Augustano Episcopo; quando ei ab Apostolo Petro ostensi sunt duo gladii, alter cum capulo, sine capulo alter; dictumque ipsi vt renuntiaret Henrico, ensem qui sine capulo esset, significare Regem qui sine benedictione Pontificali Regnũ teneret; capulatum autẽ, qui cum benedictione possideret. Hæc in Vita eiusdem S. Vldarici. Sed & citãs eandem visionem Ditmarus *a* Episcopus Mersepurgius, habet insuper de eodem Henrico ipsum viduã velatã duxisse vxorem; sed vocatũ ad Synodum à Sigismundo Halberstatensi Episcopo, intercedente Imperatore, p Henrico, tẽ non esse

VISIO DE VNCTIONE REGVM.

a Dithm. lib.1. HENRIC POENITENTIA

DE DVCTA VIDVA VELATA.

esse vltra progressam ; ipsumque Henricum illam feminam deseruisse, ac pœnitentem pedibus Romam petiisse ; demumque aliam duxisse vxorem Mathildem nomine, ex qua tres suscepit filios.

IESV CHRISTI AN. 920.

IOAN. X. AN. 9.

BERENGARII 6.

CONST. cum ROM. 9.

I. VNIO IN ECCLES. CONST.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo, Indictione octaua, mense Iulio, Ecclesia Constantinopolitana diuisa schismate ab iis qui sectabantur partes Euthymii, & aliis qui Nicolao fauebant, inita inter eos concordia simul vnita est; quod tradit Curopalates. Restabat tamen adhuc disquirenda quæstio illa de polygamia occasione Leonis Imp. exorta; verum & ipsa anno sequenti terminata est. Ceterum facta pace, ipsius Euthymij in exilio defuncti corpus maxima pompa Constantinopolim translatum est: quam rem gestam pluribus descripsit Aretas Cæsariensis Archiepiscopus, in oratione *a* de eiusdem Euthymii translatione, cui interfuit.

a Ap. Lipō. Tom. 3.

II.

Eodem anno rebellantibus Principibus Francorum à Carolo Rege cognomento Simplice, eo quod ipsis contemptis propensior esset erga Haganonem Laudunensem virum ignobilem; eosdem Hetueus Archiepiscopus Rhemensis non sine magno labore Carolo conciliauit. Hæc Regino, & Flodoardus.

III. VNA CVM RELIQVIIS MART. TRANSLATA A FRANC. AD SAXON. MAIESTAS REGNI.

Sed & Witichindus Saxo æque huius sæculi scriptor tradit, hoc eodem anno cum Henricus Germaniæ Rex Rhenum transiisset ad dilatandum super Lotharios Imperium suum; eundem Carolum Regem legationem ad eum pro pace misisse, vna cum S. Dionysij sacris pignoribus, nempe Manu auro gemmisque inclusa: tanto munere (vt ait) libere professum, vna cum SS. Martyrum venerandis Reliquiis transferti è Francis in Saxones Regni maiestatem pariter atque reliqua bona omnia: idque haud vane iactari, sed experimento iam perspicue esse demonstratum, cum vna cum corpore S. Viti martyris, quod ex Gallia in Saxoniam sub Ludouico Pio translatum est, simul etiam ad Saxones veluti fato quodam (si ita dicere Christiano liceret) Francorum gloria cōmigrasset. His vero subdit Witichindus narrationem propagationis Regni, per eundem Henricum factæ in vicinas atque exteras nationes.

IESV CHRISTI AN. 921.

IOANNIS X. 10.

BERENGARII 7.

CONSTANT. cum ROM. 10.

I. *a* Balsam. in Nomocan. Phot. tit. 3. de laic. & imp. Basil. ad Amphil. lib. c. 4. EDICTVM DE POLYGAMIA.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo primo, Indictione nona, mense Iulio, (vt scribit Theodorus *a* Balsamō) promulgatum est, quod sublato in Ecclesia Constantinopolitana schismate de Polygamia, anno superiori compositum & datum fuerat, Vnionis edictum, quo Quadrigamia penitus prohibita est sub pœna excommunicationis; Trigamia vero nonnullis etiam omnino vetita, aliis vero certis occasionibus permissa: quæ videre est in ipso Edicto, in volumine Iuris Græcorum. Et hæc quidem ita gesta sunt ex Orientalium vsu. Diuersam autem de his consuetudinem ab antiquo tempore esse seruatam in Ecclesia Occidentali, suo loco demonstratum est; in qua ad euitandam fornicationem, nullus positus est terminus ducendi vxorem. Hæc autem de inita concordia in Ecclesia Constantinopolitana, gesta fuerunt ibidem in *Synodo* ea de causa conuocata. Quam etiam consultam fuisse à monachis extra illam vrbem commorantibus, de nonnullis dubitationibus, docent responsiones ex eadem Synodo ad eos redditæ, quæ extant. Ceterum licet eiusmodi dissidia composita per edictum visa sint; tamen in maiorem rursus discordiam eruperunt, adeo vt vix post annos abhinc sexaginta fuerint ad vnitatem reuocata.

II. ROMANI IMP. FASTVS.

Hoc eodem tempore Romanus Imp. secundo loco nominari (vt par erat) solitus in edictis vel aliis publicis monumentis, primo vero Constantinus; fastu tumens primum vendicans sibi locum, vt secundo Constantinus nominaretur effecit: ex quo tandem sibi exitium comparauit, vt suo loco dicetur. plura vero de his Curopalates.

IESV. CHRISTI AN. 922.

IOAN. X. AN. 11.

BERENGARII. 8.

CONST. cum ROM. 11.

I. IOAN. PP. IVDICAT CAVSAM ECCLES. TVNGR.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo secundo, Indictione decima, Ioannes Papa reiecto Hilduino à Clero electo Tungrensi Episcopo, Richarium antea Abbatem ordinauit à Rege Francorum Carolo propositum; cum ante annos duos ista orta contentione, Romam perducta esset causa ad eundem Pontificem. Narrat hæc Flodoardus: ex quibus, aliisque multis apparet, Orbem Christianum agnouisse Summum Pontificem, Ioannem inuasorem, nemine sibi arrogante de Apostolica Sede iudicium. Tantopere coluere maiores vel ipsum nomen Romani Pontificis.

II. ROBERTVS VNGITVR REX ER. CONTRA CAROL. SIMPL.

Accidit vero item in Galliis, vt rursum proceres Francorum Carolo Rege relicto, eadem ex causa quod spretis ceteris erga vnum Haganonem omnia ipsius studia conuerterentur; elegerint Robertum Comitem Regem, solemnique ritu eundem vnxerit Hetueus Archiepiscopus Rhemensis. Narrat hæc Flodoardus; qui Hetueum tertia post peractam consecrationem die obiisse testatur. Additque de ingentibus ac multiplicibus sanationum miraculis, quæ his temporibus fieri contingeret in territorio Parisiensi, in ecclesia quadam S. Petri in vico Gesedis, virtute *Barbæ* eiusdem Apostoli illuc translatæ.

IESV CHRISTI AN. 923.

IOAN. X. AN. 12.

BERENGARII 9.

CONST. cum ROM. 12.

I. S. EVGENIÆ MARTYRIVM.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo tertio, Indictione vndecima, sæuiente in Hispania Saracenorum persecutione in Christianos, sub Rege eorum Habdarraghmam huius nominis Quarto, (qui quidē in odiū Christianorum, *Auanzer Abemden Ala*, vt est apud Rodericum Toletanum, se vocari præcepit, hoc est, Legis diuinæ defensorem; itemq; *Amomiramolim*, id est Regem credentium) passa reperitur Cordubæ *S. Eugenia*; Æra videlicet nongentesima sexagesima prima, decimo septimo Calendas Aprilis, vt ex antiquo eius epitaphio acrostichicis exarato Ambrosius Morales detexit.

II. BELLA CIVILIA GALLOR.

Hoc pariter anno Rex Francorum Carolus Simplex, cōtra pactas inducias, ingentem conflaturus exercitum vt Robertum anno superiori electum Regem profligaret, etiam Northmannos solicitauit; ipsumque Robertum impara-

tum aggressus, in prælio occidit: sed paulò post ipse à Roberti filio Hugone victus, fuga sibi consuluit; doloque demum Heriberti Aquitaniæ Comitis captus, in carcerem detrusus est. Interea vero proceres Rodulphum Richardi filium (quem Flodoardus Galliæ Cisalpinæ Regem, Luitprandus Burgundiæ Principem vocat) in Regem elegerunt Suessione; Roberti autem filia, Emma dicta, Rhemis consecrata est Regina à Seulpho Archiepiscopo, qui nuper Herueo defuncto successerat, & Pallium à Ioanne Papa acceperat. Hæc omnia pluribus Flodoardus. In iis autem Dei iudicium in Carolum consideres; quo factum est, vt qui obediens Fulconis Rhemensis olim Archiepiscopi monitis, Northmannos Paganos in auxilium vocare *a* desiisset, Deũ habuerit adiutorem; econtra modo eosdem vocans, Regnum penitus cum libertate perdiderit.

FOEDERA CVM INFIDELIB. DAMNOSA.

a Vid. sup. an. 898.

[Sub hoc etiam Carolo Simplici, Feudorum primordia in Francia ponuntur exorta: & qui antea dicebantur à Regibus Duces prouinciarum regia voluntate, cœperunt sensim ex possessione dominium captare, dicique Duces hæreditarii ac Principes]

III. Eodem anno defunctus reperitur *Galtherus* Archiepiscopus Senonensis, cuius extant *b* salubres canonicæ Constitutiones.

b Tom. 6. Bibl. Patr.

IESV CHRISTI AN. 924.

IOAN. X. AN. 13.

CONST. cum ROM. AN. 13.

I. ANno Domini nongentesimo vigesimo quarto, Indictione duodecima, Berengarius Imp. à suis occisus est: quam rem gestam pluribus narrat Luitprandus; de tempore vero testem habemus Flodoardum accuratum Chronographum. Dignas quidem suscepit Berengarius pœnas, quod fœdere cum Hunnis siue Vngaris inito, eosdem iterum maiori agmine in Italiam intulisset in odium Rodulphi electi Francorum Regis, à quo ante annum fuerat bello superatus. Quo tempore præter alias depopulationes Italiæ, testatur Flodoardus Papiam Vrbem opulentissimam ab iisdem Vngaris igne succensam esse, ecclesiasque quadraginta tres combustas, Episcopum vna cum Vercellensi qui ibi erat, igne fumoque necatum; atque ex innumerabili pene ciuium multitudine, ducentos tantum superfuisse, qui ex reliquiis vrbis incensæ quas inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Vngaris, vitam murosque ciuitatis vacuæ redimentes. Deflet eiusdem vrbis ruinam Luitprandus eius ciuis, qui eam accidisse ait hoc ipso anno, quarto Idus Martij, Indictione duodecima, subdens pariter de eiusdem restitutione natrationem. Ipsos autem Vngaros in Gallias irrumpentes, à Rodulpho Rege & Hugone Viennense fugatos esse, Flodoardus tradit. Ex quo etiam constat, ægrotantem hoc anno eundem Rodulphum, cum pene desperatus esset, Rhemos se ad S. Remigium deportari fecisse; ibique dona plura largitum, quicquid deinde sibi, præter vxoris partem, thesaurorum supereresset, per monasteria Franciæ & Burgundiæ distribuisse; tandemque penitus conualuisse. Sed & subiicit de *Synodo* Episcoporum prouinciæ Rhemensis apud *Trosleium* mense Octobri habita sub Seulpho Archiepiscopo; in qua Isaac Comes satisfecit pro iis quæ prauè aduersus Ecclesiam Cameracensem perpetrauerat. Hæc ipse in Chronico, & in Historia Rhemensi: quibus addit quædam miracula hoc annò edita.

PAPIÆ PER HVNNOS DESOLATIO.

RODVLPHVS REX ELEEMOSYN. LARGITIONE SANATVR.

II. Hoc item anno *S Vdalricus* Augustanus, nobili genere ortus (nempe ex Hucbaldo Comite Kyburgensi, & Ditperga filia Burchardi Ducis Sueuiæ) in quo ab ipsis incunabulis mirifica sanctitatis indicia diuinitus fuere patefacta; eiusdem ciuitatis Augustæ Vindelicorum electus est Episcopus. Res ab eo præclare gestas, rudi stylo *a* illius æqualis est prosecutus; quas postea politiores redditas ediderunt Gebehardus eiusdem ciuitatis Episcopus, & Berno Augiæ Abbas. In quibus traditur, Vdalrici electionem in Episcopum eidem ipsi cum Romam ante quindecim annos venisset, prædictã fuisse à Marino qui postea fuit Papa. Vnde emendandus est Sigebertus, dum eundem ipsius aduentum in Vrbem, recenset sub Pontificatu Marini anno Redemptoris nongentesimo quadragesimo secundo; quod procul abhorret à veritate.

S. VDALRICVS EPISCOP. AVGVST.

a Edidit eas Marcus Velserus Augustanus, & Notis illustrauit.

III. Hoc pariter anno Ordonius Rex Legionensis, post debellatum ingentem qui ex Africa euocatus fuerat Saracenorum exercitum, mortuus est, cum regnasset nouem annis & mensibus sex, vt Sampyrus & Tudensis affirmant. Successit illi frater Froila nominis huius Secundus, nullo iure, sed inuasione tyrannica, qui ex nece insontium, cognomen adeptus est Crudelis. Quo factum est, vt eodem post menses quatuordecim sublato de medio, rebus ad interregnum deductis, duo fuerint creati Iudices, quibus bellandi aduersus hostes, & iudicandi populum, libera est concessa potestas. Post annum autẽ creatus est Alfonsus huius nominis Quartus, cognomento Monachus, filius Garsiæ vt Tudensis affirmat, siue Ordonij, vt plures consentiunt: cum ex aduerso in Asturia iam quartus filius Alfonsi Magni Regnum sibi vendicasset Ramirus.

III. STATVS RERVM HISP.

Hoc pariter anno defuncto Edwardo seniori Anglorum Rege; qui in locum eius successit Æthelstanus, detecta Elfredi cuiusdam coniuratione, eundem Romam remisit, vt se apud Ioannem Pontificem iureiurando purgaret. Qui cum ad altare S. Petri innocentem se falso asseruisset, mox in terram corruens, post tres dies misere vitam finiuit. Itaque eiusmodi aduersario liberatus Æthelstanus, donationem fecit S. Petro, cui istam rem gestam inseruit; descripsit vero postea, vna cum rebus ceteris ad eundem Regem spectantibus, Wilelmus *b* Malmesburiensis, qui Historiam suam scribebat anno millesimo centesimo quadragesimo, inter auctores rerum Anglicanarum post Bedam præcipuus.

IV. DIVINA VLTIO IN PERIVRVM.

b Malmesbur. l. 2. c. 6.

IESV CHRISTI AN. 925.

IOAN. X. AN. 14.

CONST. VIII. cum ROM. 14.

I. ANno Christi nongentesimo vigesimo quinto, Indictione decimatertia, Æra nongentesima sexagesima tertia, sexto Calendas Iulij, contigit Cordubæ in Hispania martyrium *S. Pelagii*; qui in Gallicia natus, cum ab Ermoigio Episcopo à Saracenis capto, cuius sobrinus erat, obses datus esset, ac Cordubam ductus, puer elegantissimæ formæ, atque spectatæ virtutis; ab Habdarrahman Rege de turpitudine & fidei abnegatione frustra tentatus, post multos cruciatus tandem in frusta sectus, glorioſum consummauit martyrium annos dumtaxat tredecim natus. Quam rem gestam cum plures alij, tum antiquior ceteris qui tunc vixit Raguel conscripsit; cuius scriptionem, appendicem positam ad Eulogium, Ambrosius Morales scholiis illustrauit, reliqua addens quæ spectant ad factam postea translationem & cultum Martyris celeberrimi. Cecinitque præterea eiusdem Pelagij laudes virgo Saxona, quæ his temporibus claruit, poëtria præclarissima *Rhosvvita* nomine.

S. PELAG. PVERI INSIGNE MARTYRIVM.

II. In Galliis vero, qui hoc tempore post Regem emineret Heribertus Comes Aquitaniæ Rhemensi inhians Ecclesiæ, quæ ceteris præstare videbatur, quod apud eam sacra Regum vnctio seruaretur; opportuna oblata occasione, pro ea liberanda ab infestatione eam inuadentium dominorum, pactum iniisse traditur cum eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Seulpho, vt ipsius Heriberti filius post eundem Seulphum illi præficeretur Ecclesiæ: sed Heriberti ministri morę impatientes, propinato veneno Seulpho, è medio illum sustulere hoc ipso anno, qui tertius numeratur eius sedis. Post cuius obitum illud plane tunc primum contigit in Ecclesia Dei videri monstrum, nunquam hactenus visum vel auditum, immo nec puro mente conceptum; vt

PVER NONDVM QVINQVENNIS ELECTVS ARCHIEPISC. RHEM.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

filius Heriberti, *Hugo* nominatus, puer nondum quinquennis, nondum alicuius inferioris ordinis capax, vixque loqui sciens, curante patre, ab Abbone Episcopo Suessionensi, & Bonone Catalaunico, necnon clero populoque Rhemensi, eiusdem ciuitatis electus fuerit Archiepiscopus. Quod factum comprobans Rodulphus Rex, præfatorum Episcoporum consilio eundem Episcopatum ipsi Heriberto regendum commisit. Quin etiam re ad Ioannem Papam delata per eundem Abbonem aliosque eiusdem Ecclesiæ Legatos, idem Pontifex eiusmodi electionem confirmans, quæ sunt Episcopalis ministerii ipsi Abboni interim curanda delegauit. Hæc cuncta pluribus Flodoardus *a*, eiusdem Rhemensis Ecclesiæ filius; qui & hac causa ab Heriberto cum aliis multis expulsum se queritur, quod noluissent interesse ipsius filii electioni. Notandum autem, qualis auctoritate Pontificis ingens istud malum primum fuerit introductum in Ecclesiam Dei, in qua postea varie est propagatum; videlicet Ioannis Decimi, quo turpior nullus; cuius sicut ingressus in Cathedram Petri infamissimus, ita & exitus nefandissimus extitit.

a Frod. Hist. Rhem. lib. 4. cap. 17. & 18.

IESV CHRISTI AN. 926.

IOAN. X. AN. 15.

CONST. VIII. cum ROM. 15.

I. HVGO REX ITALIÆ.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo sexto, Indictione decimaquarta, Hugo filius Bertæ Rex Romæ super Italiam constituitur, expulso Rodulpho Cisalpinæ Galliæ Rege, qui Regnum illud peruaserat, & alteri feminæ, viuente vxore sua, se copulauerat. Hæc Flodoardus in Chronico. De quibus pariter agens Luitprandus, hunc Hugonem tradit fuisse Comitem Prouinciæ, siue Arelatensium; quem (vt ait) ipse Ioannes Papa, omnesque Italiæ Principes Regem sibi poposcerunt: ideoque cum Papiam venisset, cunctis ad eum conuenientibus, Regnum suscepit: paulo vero post Mantuam accedenti Ioannes Papa occurrens, fœdus cum eo percussit.

IESV CHRISTI AN. 927.

IOAN. X. AN. 16.

CONST. VIII. cum ROM. 16.

II. CONCIL. TROSLEIENSE.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo septimo, Indictione decima quinta, in Gallia apud *Trosleium* rursum est SYNODVS congregata; in qua Herluinus Comes publicam egit pœnitentiam, eo quod duxisset vxorem alia superuiuente. Quo pariter anno, ob simultatem exortam inter Heribertum Aquitaniæ Comitem atque Rodulphum Regem Francorum, ab eodem Comite eductus est è carcere Carolus Simplex Rex; quod vt faceret Ioannes Papa literis comminatoriis iusserat. Verum pace rursum composita cum Rodulpho, Carolus anno sequenti reductus est in carcerem, cum iam antea Ioannes Papa depositus esset atque defunctus. Hæc ex Flodoardi Chronico.

II. CONCIL. DVISBVRG. a inaddit ad Chron. Regin.

Alia item SYNODVS hoc eodem anno celebrata ponitur *a* apud *Duisburgenses*, occasione Bennonis; qui ante biennium, dum vitam eremiticam in Alpibus duceret, electus Metensis Episcopus, hoc anno ab ipsis Metensibus excæcatus fuerat: cuius sceleris auctores omnes in hac Synodo excommunicati sunt. Porro *Benno* patienter omnia tolerans, cognominatus est *Benedictus*; cuius meminit anno sequenti Flodoardus.

III. ADEFONS. REX MONACHVS.

Hoc etiam anno Adefonsus Rex Legionensis sponte se abdicans, vitam monasticam amplexus est, Ramiro relinquens Regnum: sed cum rursum operam recuperationi daret relicti Regni, ab eodem Ramiro captus est, atque oculis orbatus: qua pariter pœna mulctati sunt postea tres filii defuncti Regis Froilæ, quod aduersus eundem Ramirum insurrexissent. Post quæ Ramirus patratæ sæuitiæ pœnitens, delictum bonis operibus expiare curauit, monasteria erigens, multaque donans Ecclesiis. Hæc pluribus qui sunt prosecuti *b* res Hispaniarum.

b Vid. Ambro. Moral. lib. 16. c. 7. 9. 10.

IESV CHRISTI AN. 928.

LEONIS VI. AN. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 17.

I. IOAN PP. IN CARCEREM DETRVDITVR.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo octauo, Indictione prima, contigit *Ioannem* Papam è sede deponi, & in carcerem detrudi, opera Maroziæ scorti Romæ imperitantis, & Widonis ipsius mariti Tusciæ dominantis, fratris vero Hugonis Regis Italiæ: idque propter inuidiam in Petrum fratrem Papæ, quem etiam ante oculos ipsius Pontificis interfecerunt. Rem gestam narrant Luitprandus *a*, atque Flodoardus *b*: eamque cum iste aperte testetur accidisse hoc anno, errare eos certum est qui quatuordecim dumtaxat annos numerant sedis Ioannis. Sic igitur dignum suis sceleribus finem accepit inuasor Sedis Apostolicæ; vt qui per Theodoram impudicam feminam eam arripuit, per Maroziam æque impudicam eiusdem Theodoræ filiam, ea simul cum vita caruerit. Porro in locum eius subrogatus est LEO huius nominis Sextus, Christophori Primicerii filius.

a Luitpr. lib. 3. c. 12. b Flod. in Coron.

LEO VI. PAPA.

Quo item anno, mense Septembri, inchoata Indictione secunda, iterum Symeon Rex Bulgarorum Macedoniæ ac Thraciæ grauissima intulit damna. Sed & Constantinopolim accedens, multa sacra profanaque loca incendit: donec Romanus Imp. cum eo ad colloquium congressus, piis admonitionibus delinitum ad pacem impulit, multis ei muneribus impertitis. Rem gestam narrat diligenter Curopalates: additque, ipso Christi Natali huius anni eundem Romanum duobus filiis suis coronam imposuisse, *Stephano & Constantino*; tertium vero Theophylactum in clericum à Patriarcha esse tonsum, ac dignitate Syncelli auctum, factum esse subdiaconum.

II. PAX CVM BVLGARIS.

IESV CHRISTI AN. 929.

STEPH. VIII. AN. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 18.

I.

ANNO Christi nongentesimo vigesimo nono. Indictione secunda, Carolus Rex Francorum cognomento Simplex in carcere mortuus est, relicto filio *Ludouico*, qui dum Rodulphus Regnum occupabat, educabatur in Anglia apud Æthelstanum Regem auunculum suum. Hæc Flodoardus *a*. Quo etiam auctore constat, ad hunc annum peruenisse *Ioannem* Papam detentum in carcere; obiisseque miserе miserum diem: quem quidem ceruicali suffocatum fuisse, Luitprandus ait. Eodemque anno, qui in locum eius fuerat subrogatus *Leo*, & ipse detrusus in carcerem, ibi defunctus est, postquam sedisset sex menses & dies quindecim. Cui successit STEPHANVS eius nominis Octauus, dictus Septimus, natione Romanus, Theudemundo patre genitus. Ita vetus Codex Vaticanus de Romanis Pontificibus

a Flod. in Chron. hoc an.

LEO PP. MORITVR, SVBROGATVR STEPH. VIII.

II. DE SACRA LANCEA, QVAM REX HENR. EST ADEPTVS.

Eodem anno *Lanceam* ex CHRISTI clauis confectam, quæ dicebatur fuisse Constantini Magni, à Samsone Comite donatam Rodulpho Burgundionum & Italiæ Regi, Henricus Rex Germaniæ ab eodem Rodulpho, partim minis, partim muneribus, tradita etiam magna parte prouinciæ Sueuiæ tandem extorsit; eamque ad insigne & tutamen

Regni posteris reliquit. Hæc breuiter Sigebertus: quod paulo tuius refertur in Rebus *b* gestis S. Gerardi Abbatis Bromiensis; qui hoc tempore egregia claruit sanctitate, prosapia nobilis ex Australiarum Ducibus ortus: qui solitariam primo vitam eligens, postea ad restituendam collapsam monasticam disciplinam à Deo vocatus, vtiliter hoc est functus munere, miraculorum etiam patrator insignis. In iisdem vero eius Rebus gestis traditur, illa præeunte Lancea, tam ipsum Henricum, quam eius successorem Othonem sæpius hostes fugasse. Eademque habet Luitprandus *c*, dum recenset ingentem eiusdem Othonis victoriã prædictæ Lanceæ virtute partam. Verum quod ea dicitur ex Clauis Domini confecta, verius puto esse dicendum, ex aliqua parte clau alio ferro coniuncta illam elaboratam: nam de Clauis Domini aliis locis positis, & ad aliũ vsum adhibitis, suo loco superius dictum est. Ceterum in Historia de gestis *d* Anglorum, est pariter assertio de alia *Lancea*, quæ Caroli Magni fuisset, ferreturque esse eadem quam Centurio lateri CHRISTI Domini impegisset: deque *Ense* Constantini Magni, in cuius capulo affixum esset vnum ex Clauis Christi: ac denique de *Vexillo* S. Mauritii Ducis Thebææ legionis, aliisque pretiosis muneribus, eidem Henrico ab Hugone in Gallia regnante missis. In quibus est quod admodum laudes Henrici pietatem, in cultu sacrarum Reliquiarum exhibitam.

b Ap. Sur. 3 Oct. Agit vero de eo Bar. hoc et aliis annis Tom. X.

c Luitpr. li. 4 c. 12.

d Pest. Bad. lib. 2. c. 8. SACRA MVNERA MISSA AD HENR.

IESV CHRISTI AN. 930.

STEPHANI VIII. AN. 2.

CONSTANT. VIII. cum ROM. 19.

I. DANOR. ECCLESIA REFLORESCIT.

ANNO Christi nongentesimo trigesimo, Indictione tertia (vt scribit Sigebertus) Henricus Germaniæ Rex Northmannorum & Abroditarum Reges à se deuictos & tributarios redditos, Christianos fieri coegit. Tuncque factum esse Adam ait, vt cum idem Rex Principes Daniæ sibi fecisset obsequentes, ibi prædicatione sanctissimi viri *Vnni* Arichiepiscopi Hamburgensis, Christianitatẽ quam consecuti olim fuerant à S. Ansgario Dani, sed rigore persecutionum deseruerant, iterum receperint: idemque etiam Sueones & Gothi præstiterint.

II. Hoc eodem anno Constantinopoli defuncto Nicolao Patriarcha, in locum eius subrogatus est *Stephanus* Archiepiscopus Amaseæ: vt auctor est Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 931.

IOANNIS. XI. AN. 1.

CONSTANT. VIII. cum ROM. 20.

I. STEPH. PP. OBITVS, IOA. XI. INTRVSIO.

ANNO Christi nongentesimo trigesimo primo, Indictione quarta, *Stephanus* Papa cum sedisset annos duos, mensem vnum, & dies quindecim ex hac vita migrauit. In cuius locum, potentia Widonis Tusciæ Marchionis, & Maroziæ eius coniugis, intrusus est IOANNES eius nominis Vndecimus, Sergii infamissimi Papæ ex dicto scorto Marozia filius, quem adhuc ætate fuisse iuniorem oportuit, cum matrem adhuc haberet amoribus aptam, & pulchritudine florentem.

a *Luitpr. lib. 3. c. 12.*

IESV CHRISTI AN. 932.

IOAN. XI. AN. 2.

CONSTANT. VIII. cum ROM. 21.

I. CONCIL. ERFORD. a *Rec. Bar. Annal. Tō. X. hoc an. ex ms.*

ANNO Christi nongentesimo trigesimo secundo, Indictione quinta, Calendis Iunii celebratum est apud *Erpesfurd*, alias Erfordiam, CONCILIVM Episcoporum: cuius extant *a* Acta, & quinque canones de recta obseruatione Festorum atque Ieiuniorum; & vt nullus ecclesiam petens orationis causa, aut inde rediens, alicuius publicæ potestatis banno capi posset.

II. Eodem anno (vt habet Sigebertus) Arnoldus Baioariæ Dux aduersus Hugonem Italiæ Regem progressus Veronam vsque ab eo repulsus est. quando & *Ratherius b* Veronensis Episcopus, qui Arnoldum vocauerat, ab Hugone (qui eum ex monacho Lobiensi, liberalibus disciplinis insigniter exculto, Episcopum creauerat) Papiam relegatus est, vbi de sui exilii ærumnis faceta satis vrbanitate librum conscripsit. Porro hunc Arnoldum, quem alii Arnolphum nominant, S. Vdalricus Augustanus Episcopus perquierem vidit in Concilio Sanctorum accusari & iudicari vti sacrilegum, destructorem monasteriorum, & eorum bona laicis diuidentem. qua de re est quoque Othonis *c* Frisingensis, similis in eum accusatio. Idem vero vbi eius completa est nequitia, post deprædatam ciuitatem Augustanam occisus est.

b *Luitpr. lib. 3. in fin.*

ARNOLDI BAIOAR. DVC. SACRILEGIA ET INTERITVS.

c *Frising. lib. 6. c. 8.*

IESV CHRISTI AN. 933.

IOAN. XI. AN. 3.

CONSTANT. VIII. cum ROM. 22.

I. IOAN. PP. DETRVDITVR IN CARCEREM.

ANNO Christi nongentesimo trigesimo tertio, Indictione sexta, infaustus Ioannes Papa, sicut violenter Romanam ingressus est Sedem; ita violenter deiectus est, & in carcerem detrusus vna cum matre Marozia, ab Alberico ipsius Maroziæ filio, quem ex Adelberto Marchione susceperat. Hæc Flodoardus, occasione Artaldi Rhemensis Archiepiscopi, de quo mox dicetur. Porro horum Vrbis motuum causam Luitprandus *a* istam refert: Mortuo Widone Maroziæ marito, eiusdemque Adelberti ex Berta coniuge filio, eadem impudentissima Marozia Hugonem Italiæ Regem, ipsius Widonis ex Berta fratrem, Romam accersiuit spe potiundæ Vrbis: qui cum aduenisset, & ab ea receptus esset in munitionem S. Angeli quam ipsa occupabat, incestuosum quoqueũ cea coniugium consummauit. Vbi vero iussu Maroziæ Albericus filius aquam manibus Hugoni fundens ab eodem Hugone in faciem cæsus esset quod immoderate aquam fudisset, Albericus in eius iniuriæ vindictam Romanos aduersus Hugonem concitans, eundem Roma expulit, ipseque Vrbis principatum sibi vendicauit. Hæc ex Luitprando: apud quem reliqua de sequuto post hæc carcere Ioannis Pontificis & Maroziæ desiderantur; quæ Flodoardus excepit ex relatione Legatorum Rhemensis Ecclesiæ, quos ad eundem Ioannem, pallium suo nomine petituros miserat Artaldus, ante biennium ex monacho ob insignem animi virtutem factus Rhemensis Archiepiscopus, electo Hugone puero.

a *Luitpr. lib. 3. c. 12.*

INFELIX STATVS VRBIS.

III. HANR. REX PIETATE SVPERAT VNNOS.

Eodem anno iteratos motus Vngarorum in Germaniam Flodoardus recenset; quos (vt ait) Henricus Rex ad internecionem deleuit, triginta sex millibus occisis, ceteris captis, aut flumine absorptis. Sed hæc pluribus Witichindus *b* Saxo; qui & piissimam recitat orationem, ab eodem Hen-

b *Witich. lib. 1. de reb. Saxon.*

rico

rico ad suos milites ante pugnam habitam, qua sibi propitium numen reddidit. De eadem vero insigni victoria agens quoque Luitprandus c, tradit voluisse Henricum, si Hunnos vinceret, de suo Regno Simoniacam hæresim euulsurum, quæ altas in eo radices fixerat decessorum consuetudo.

c Luitpr. li. 2. c. 8. 9. in fi.

III. TEMPORANEVS PATRIARCHA CÕSTAN.

Quod ad res Græcorum spectat; eodem hoc anno defunctus est Stephanus Constantinopolitanus Patriarcha, cum præfuisset illi Ecclesiæ annos duos & menses vndecim; vt Curopalates & alii testantur, & in Græco Catalogo Episcoporum Constantinopolitanorum habetur expressum. Quo tempore res accidit, quæ nunquam in ea Ecclesia fuerat audita; nimirum, vt post Stephanum, non alius nisi temporaneus substitueretur Antistes: nempe *Tryphon* monachus, qui sedit vsque dum Theophylactus filius Romani Imp. adolescens tunc sexdecim annorum, legitimæ esset ætatis, vt posset fieri Patriarcha. Quem tamen hoc anno re vera creatum fuisse Patriarcham, ex Curopalate constat, dum numerat annos sedis eius viginti tres; sed loco ipsius Tryphonem constitutum esse administratorem eius Ecclesiæ: alioqui dicendum esset, duos vno tempore Patriarchas vnius eiusdemque Ecclesiæ esse creatos.

IESV CHRISTI AN. 934.935.

IOAN. XI. AN. 4.5.

CONST. VIII. cum ROM. 23.24.

I. IOAN. PP. CÕCEDIT IN PERPETVVM, PALLIVM EPIS COPIS CÕST.

ANno Christi nongentesimo trigesimo quarto, Indictione septima, opera Alberici Romæ tyrannidem exercentis, graue Ecclesiæ Romanæ inflictum est vulnus; cum (vt refert Luitprandus in relatione suæ Legationis) idem à Romano Constantinopolitano Imperatore muneribus corruptus, coegit Joannem Papam, quem ineluctum tenebat, Theophylacto eiusdem Imperatoris filio eunucho, constituto (vt vidimus) Patriarchæ Constantinopolitano, omnibusque eius successoribus Patriarchis concedere, vt absque Romanorum Pontificum permissu vterentur Palliis. Ex quo turpi commercio (addit idem auctor) vituperandus mos inoleuit, vt non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ Palliis vtantur.

II. QVÆ MIRANDA ACCIDERINT RHEMIS.

Eodem anno recenset Flodoardus quædam sanationum miracula, Rhemis in Ecclesiis sanctissimæ Dei-Genitricis & S. Hilarii edita: itemque hominem mortuum ope eiusdem Beatissimæ Virginis & S. Martini, Virduni reuocatum ad vitam, postquam diuersa suppliciorum vel refrigerii loca videre permissus esset.

III. CONCIL. AD S. MACRAM.

Idemque Flodoardus, anno sequenti, nempe Christi nongentesimo trigesimo quinto, Indictione octaua, itidem *Rhemis* apud S. Macram *Synodum* celebratam esse ponit, præsente Artaldo Archiepiscopo: in qua prædones, & Ecclesiasticarum rerum inuasores, ad correctionem vocati sunt.

IESV CHRISTI AN. 936.

LEON. VII. AN. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 25.

I. HENRICI REG OBITVS.

ANno Christi nongentesimo trigesimo sexto, Indictione nona, mortuus est Henricus Rex Germaniæ, Christianæ religionis decus, relicto Regno filio suo Ottoni, patri pietate atque fortitudine militari non impari. Quod quidem hoc anno contigisse, testis est Flodoardus; firmatque Ditmarus, addens & diem, nimirum sextum Nonas Julii, anno ipsius ætatis sexagesimo, regni decimosexto: cui superuixit Mathildis eius coniux, & ipsa pietate insignis.

II. LVDOVICVS REX FR.

Quo pariter anno, mortuo in Gallia Rodulpho Rege, coactus est *Lauduni Conuentus* Episcoporum & Procerum; in quo receptus, & ab Attaldo Archiepiscopo Rhemensi Rex Francorum inunctus est *Ludouicus* filius Caroli Simplicis, cognomento dictus *Transmarinus*, quod fuerit ex Anglia accersitus, vbi hactenus apud Regem Æthelstanum eius auunculum conseruatus fuerat ob inuasores Regni tyrannos. Hæc Flodoardus hoc anno.

Sed & eodem anno mortuus est *Ioannes* Papa intrusus, postquam sedisset annos quatuor & decem menses; & in eius locum subrogatus LEO quidam Dei seruus, huius nominis Septimus. Hugo quoque Rex Italiæ Romam obsidione nisus capere, exercitu suo fame afflicto, pacem iniit cum Alberico, cui filiam suam Aldam in matrimonium dedit. Hæc item Flodoardus hoc anno. At de Hugonis Romam aduentu, & pace cum Alberico contracta, Luitprandus a pluribus agit. Fuisse autem sequestrem huius componendæ pacis, Odonem Abbatem Cluniacensem, à Leone Papa vocatum, vt collapsam in Vrbe monasticam disciplinam restitueret: testis est in ipsius Vita b Ioannes eius discipulus, & insigni monasterio S. Pauli Romæ ab ipso præfectus: qui & amplius recenset complures sancti viri cum in via tum in Vrbe præclare res gestas, cum ingentibus etiam miraculis coniunctas. Hinc vero factum est, vt Cluniacense nomen per eius monasterii alumnos in diuersas prouincias dispertitos, fuerit breui tempore mirifice propagatum.

III. IOAN. PP. MORITVR, SVBROGATVR LEO VII.

a Luitpr. li. 4. c. 1. 2. 3.

b Ap. Sur. 18. Nouēb. & Baron. hoc an. & 938.

Per idem tempus (vt Luitprandus subiicit) in Ianuensi vrbe fons sanguinis largissime fluxit, subsecutam ruinam insinuans; cum eodem anno Pœni eam vrbem inuadentes, cūctos pueris exceptis ac mulieribus trucidarunt, omnesque ciuitatis & Ecclesiarum thesauros abstulerunt.

IV.

Sed & quod nouū immensum malum Dei Ecclesiam deturpare tunc cœperit, præter alia multa quibus hoc deplorato sæculo est mirum in modum afflictata, idem Luitprandus narrare pergit; cum videlicet Manasses Arelatensis Episcopus, Hugonis Regis Italiæ affinis, contra ius fasque ab eo Veronensem, Tridentinum, & Mantuanum Episcopatus accepit; sperante Hugone securius se regnaturum, si affinitate coniunctis beneficia & dignitates largiretur. Qui tamen nec his contentus Manasses, Ecclesiam postea Mediolanensem inuasit. Et vt aliquo velamento nefarius homo peccatum obtegeret, admodum inepte id se agere tradebat exemplo Principis Apostolorum, qui Antiochenam, Romanam, & Alexandrinam possedisset Ecclesias. Denique & Matchiam Tridentinam ab eodem Rege obtinuit; & armis indutus in eiusdem Regis exercitu militauit. Quem impiissimum hominem, Dei legumque contemptorem, pluribus redarguit idem auctor.

V. MANASSES PLVRES SIBI VENDICAT EPISCOPATVS.

Hoc eodem anno, (vt Adam c ait) ex hac vita migrauit magnus ille ac sanctissimus *Vnni* Hamburgensis Archiepiscopus, Borealium illarum partium Euangelista, potens opere & sermone, de quo superius: cui successit d genere, forma, moribus, doctrina, & pietate illustris Adaldagus, qui Pallium sumpsit à Papa Leone Septimo, seditque annos quinquaginta tres.

VI.

c Adam. li. 1. cap. vlt. VNNI ARCHIEP. HAMBVR. OBITVS.

d Id lib. 2. c. 1.

IESV CHRISTI AN. 937.

LEON. VII. AN. 2.

CONST. VIII. cum ROM. 26.

I.

ANno Christi nongentesimo trigesimo septimo, Indictione decima, Vngari Italiam ingressi Campaniam deuastarunt; sed à Marsis & Pelignis insidiis circumducti, ferme omnes perempti sunt, paucis ad sua reuertentibus. Hæc pluribus Leo a Ostiensis. Eodemque anno alia pars ipsorum inuadens Gallias, ingentem cladem intulit: quo tempore plura facta esse miracula pro conseruatione rerum ac personarum Ecclesiasticarum, Flodoardus est auctor.

a Leo Ost. lib. 1. c. 58.

II. OTTO REX GERMAN VNGITVR

Eodem anno *Aquisgrani Conuentus* Generalis habitus est Procerum & Episcoporum Germaniæ: in quo *Otto* (qui postea ob res præclare gestas, *Magni* cognomentum obtinuit) à patre Henrico relictus Regni hæres, nouis comitiis confirmatus, ab Hildeberto Archiepiscopo Moguntino vnctus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

est ac coronatus sacris solemnibusque ritibus, quos exacte Witichindus *b* Saxo eius temporis auctor descripsit. Ab hoc autem anno, cœptum esse numerari tempus Regni eius, testatur Rotgerus *c* monachus in Vita S. Brunonis eiusdem Ottonis germani.

b *Witich. lib. 2.*
c *Ap. Sur. 11. Oct.*

IESV CHRISTI AN. 938.

LEON. VII. AN. 3.

CONST. VIII. cum ROM. 27.

I. INGENS VICTORIA DE ARAB. IN HISP. PIETATE PRÆVIA.

ANno Christi nongentesimo trigesimo octauo, Indictione vndecima, die sexta Augusti, ipso natali SS. Martyrum Justi atque Pastoris Hispanis imprimis solemni, Ramirus Rex Legionensis de Arabibus Hispaniam & Africam incolentibus, qui iunctis armis exercitum centum quinquaginta millium peditum, equitum quinquaginta millium, aduersus Christianos eduxerat; votis nuncupatis conciliato numine, præuiis Angelis sub forma equitum, victoriam plane ingentem est consecutus, cæsis octoginta hostium millibus, ducto captiuo Rege Mauro nomine Abenain Cæsaraugustæ regnante, cæteris fuga dispersis, ipsoque Rege Habdarrahgman Cordubæ regnante vix elapso. Scripserunt hæc Sampyrus atque Tudensis; quæ & ipsi Arabes suis Annalibus intexuere. Ea vero, exacta temporis multipliciter ratione deducta, hoc anno contigisse Ambrosius Morales *a* testatum reliquit. Addunt nonnulli, ipsum Habdarrahgman vbi Cordubam reuersus est, magnam aduersus Christianos sibi subditos persecutionem excitasse, tuncque passos *SS Victorem & Euphrosynam*.

a *Ambr. Moral. Chro. Hisp. lib. 14.*

II. WENCESLAVS PRINCEPS BOHEM. MARTYR.

Hoc ipso anno Princeps Bohemiæ *S. VVenceslaus* à fratre suo Boleslao occisus est, ambitione potiundi Principatus: qui inter Martyres ab Ecclesia relatus habetur. In cuius vltionem, à Rege Ottone bello ipsi Boleslao indicto, longa inter eos concertatio per annos quatuordecim perducta est. Hocq; eodem anno rebellantibus aduersus Ottonem Henrico fratre, Euerardo Duce Francorum, atque Gisleberto Duce Lotharingiæ; Otto precibus ad Deum fusis, potius quam armis, incruenta obtenta victoria, potentissimum eorum exercitum debellauit. Vt autem ista se habuerint, Witichindus *b* Saxo, Luitprandus *c* Ticinensis, & alii *d* describunt.

b *Witich. lib. 2.*
c *Luitpr. li. 4. c. 11.*
d *Sigeb. hoc an.*

IESV CHRISTI AN. 939.

LEON. VII. AN. 4.

CONST. VIII. cum ROM. 28.

I. OTTONIS VICTORIA PIETATE PARTA.

ANno Domini nongentesimo trigesimo nono, Indictione duodecima, rursum Otto Rex in Alsatia noua potitus est Deo ministrante victoria; qua Euerardus occisus est, Gislebertus Rheni vndis submersus, Henricus vero eiusdem Ottonis frater, rebellionis princeps, supplicibus votis veniam obtinuit. Describunt hæc pluribus Luitprandus *a*, & Witichindus. Sed quibus egregie factis idem Otto ad tantam victoriam consequendam absque labore, in summo discrimine positus, aperuerit sibi viam, dices ab eodem Luitprando, dum ait, quod cum à multis ex suis desereretur, Comes quidam qui ei aderat cum selecta militum manu, captans occasionem extorquendi ab eo in tanta necessitate, quod alio tempore sciret minime posse adipisci, petiit sibi dari quandam Abbatiam prædiis ditissimam, vt quod sibi deerat militibus suis ministrare valeret. Cui Rex populo circumstante, inter alia: *Non est* (inquit) *dandum sanctum canibus. Tibique tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi testificor, nec hoc nec aliud vnquam te à me accepturum esse. Si cordi tibi est cum cæteris infidelibus auolare, quanto citius, tanto melius.* Quibus auditis Comes rubore suffusus, ad eius se pedes proiiciens, se grauiter deliquisse confessus est. Hæc Luitprandus: qui & subiicit ingentes gratiarum actiones ab Ottone Deo actas, vbi de victoria per suos accepta nuntium accepit, cum ad Ecclesiam tunc temporis causam suam commendaturus accederet.

EGREGIVM FACTVM OTTONIS.

a *Luitp. lib. 4. c. 15. 16.*

Eodem anno defuncto *Leoni* Papæ, (cum sedisset annis tribus, & sex mensibus) subrogatus est STEPHANVS Nonus, dictus Octauus, patria Germanus.

II. STEPH. PP. IX.

IESV CHRISTI AN. 940.

STEPHAN. IX. AN. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 29.

I. STEPH. PP. VVLTV DEFORMATVS.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo, Indictione decimatertia, Stephanus Papa natione Germanus, cum a Romanis, posthabitis Cardinalibus, esset electus opera Ottonis Regis; tyrannorum odium in se concitauit, adeo, vt à quibusdam sacrilegis fuerit crebris ictibus facie deformatus; qui idcirco à publico abstinuit congressu hominum. Hæc vetus liber de Romanis Pontificibus; ex quo reliqui accepisse creduntur.

II. EADMVNDVS REX PERICLITATVR ORE ELECTVM S. DVNST.

Hoc etiam anno defuncto Æthelstano Anglorum Rege, successit Eadmundus eius frater: qui cum mox *S. Dunstanum* virum prudentissimum suum consiliarium elegisset, sed paulo post suasione æmulorum eiecisset, die post tertia venatum exiens in maximum incidit vitæ periculum; à quo, voto nuncupato de reparanda facta Dunstano iniuria, liberatus, statim eundem Dunstanum in Curiam reuocauit; actaque coram eo ac Principibus pœnitentia, veniam cum humilitate postulauit. Rem gestam exacte narrat Osbertus *a* monachus in Vita Dunstani.

a *Ap. Sur. 19 Maii.*

III. CONCIL. AD FONT. COOPER.

Hoc pariter anno apud Narbonam in oppido cui nomen *Fons coopertus*, CONCILIVM celebratum est; in quo agitata controuersia de finibus diœcesum, decretum est, vt Pallaria vbs peteret sacra ab Vrgelitano Episcopo. Quæ præterea acta fuerint, ignoratur.

IESV CHRISTI AN. 941.

STEPHAN. IX. AN. 2.

CONST. VIII. cum ROM. 30.

I. CONCIL. SVESSION. IN CAVSA ARCHIEP. RHEM.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo primo, Indictione decimaquarta, SYNODVS *Suessione* habita est in caus. duorum qui de Archiepiscopatu Rhemensi contenderent; Hugonis videlicet, qui puer (vt dictum est) in gratiam patris eius Aquitaniæ Comitis electus fuerat, & Artaldi qui eo pulso in illam sedem ex monacho fuerat coopiatus. In qua Synodo idem iussus est cessare Artaldus, eo quod olim iurasset nunquam se in eum Archiepiscopatum intromissurum: Hugoque receptus, eo quod Clero populoque petente vocatus esset. Itaque Rhemos profecti Episcopi, in Ecclesia S. Remigii eundem Hugonem consecrarunt; cui anno sequenti à Stephano Romano Pontifice missum est Pallium, à Rhemensibus publica legatione petitum. Hæc omnia Flodoardus *a*: qui cum fuisset ab Heriberto Comite Hugonis patre pulsus, ab eodem Hugone statim ac sedem recepit, ab exilio est reuocatus.

a *Flod in Chron hoc ann. & 4. Hist. Rhem. 27.*

II. PERSECVTIO IN MONACH.

Quo item anno (vt scribit Regino) Fridericus Archiepiscopus Moguntinus, iterum postulatus iudicio defectionis & coniurationis initæ cum Henrico Ottonis fratre, & aliis Principibus, in quos Otto animaduertit: purgauit se publica testificatione per Corporis & Sanguinis Christi perceptionem. Addit autem his Witichindus *b*, grauem persecutionem iisdé temporibus in monachos ortam esse à quibusdam

b *Witi. h. li. 2. prope fin.*

PERSECVTIO IN MONAC.

busdam Episcopis, affirmantibus satius esse paucos vita claros, quam plures negligentes inesse monasteriis: indeque factum esse, vt plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu & relictis monasteriis, graue onus sacerdotum deuitarent: sed cum hæc prædictus Fridericus odio Abbatis Fuldensis, potius quam zelo disciplinæ intentasset, ea haud vlterius processisse.

III. RVSSOR. CLASSIS SVPERATA à GRÆCIS.

Quod ad res pertinet Orientales; hac decimaquarta Indictione, Iunio mense, tradit Curopalates Russorum classem ab Imperatore superatam esse, ac penitus profligatam; ita vlciscente numine aduersus eos qui Christianis immensa intulissent mala, dum plurimos in crucem egissent, alios clauis in terram affixissent; alios que rursum quasi scopos propositos sagittis petiissent, sacerdotalibus autem viris capita acutis clauis traiecissent, ac sacra templa non pauca combussissent. Meminit quoque Luitprandus *c* eiusdem gloriosæ victoriæ; sed quos Græci *Russos* vocant, ipse *Northmannos* appellat: verum ea ratione omnes populi Boreales essent appellandi Northmanni, quod ea vox significet virum Aquilonarem.

c Luitpr. lib. 5. c. 6.

IESV CHRISTI AN. 942.

STEPHAN. IX. AN. 3.

CONST. VIII. cum ROM. 31.

I. STEPH. PP. AGIT PRO LVDOV. REGE FR.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo secundo, Indictione decimaquinta, Francorum proceribus aduersus Ludouicum Regem rebellantibus, Stephanus Papa per Legatos & literas sub excommunicationis interminatione præcepit, vt eidem Regi suo obedientes essent; qui mox Pontificis iussionibus paruerunt. Hæc pluribus Flodoardus hoc anno.

II. *a Luitpr. lib. 5. c. 1.* S. ODON. CLVN. OBITVS.

Cum autem inter hæc iugi bello Hugo Rex Italiæ Albericum Romanum Principem, fracta sæpius pace hostiliter impeteret *a*, omniaque ferro & flamma deuastaret; hoc anno S. Odo Abbas Cluniacensis pro pace rursum inter eos concilianda, (cuius & sequester antea fuerat) ab Stephano Papa Romam iterum reuocatus est. quod tradit Flodoardus. Porro ipsum & Romam venisse, & illic ad vltimum fere spiritum ægrotasse; sed B. Martini ope sanitati diuinitus restitutum, & in Gallias reuersum, Turonis diem extremum obiisse decimoquarto Calendas Decembris, testaturqui fideliter eius res præclare gestas conscripsit *b*, Ioannes eius discipulus, monasterii S. Pauli in Vrbe Abbas, comesq; peregrinationis. Cuius quidem transitum hoc eodem anno contigisse, asserit idem Flodoardus huius temporis auctor: ex quo redarguas Sigebertum, qui eum decessisse ponit anno Redemptoris nongentesimo trigesimo septimo. Successit autem ipsi in monastica Cluniacensi præfectura Adamarus, quem beatæ simplicitatis & innocentiæ filium nominat Odilo in Vita *c* S. Maioli, quem in monasterio successorem aluit in Christo. Maiolo vero successit postea idem ipse Odilo. Cæterum non Odo tantum in restitutione monasticæ disciplinæ hoc tempore laborauit, sed & valide incubuit in opus Adelbero Metensis Episcopus, frater Frederici Ducis, collaborante Agenoldo Abbate Gorziensi: vt testatur Sigebertus *d* Gemblacensis in Vita quam edidit *S. Guiberti*; qui ex nobili militia ad illud monasterium fugiens, monasticam regulam amplexus est, atque inter alia egregia sanctitatis monumenta, erexit in Gallia nobile monasterium Gemblacense.

b Ap. Sur. 13. Nouem.

c Ap. Sur. 11. Maii.

ADELBERO METEN. EPISC. RESTITVTOR MONAST. DISCIPL.

d Ap. Sur. 23. Maii.

III. PRIVIL. MONAST. S. VINC. AD FONT. VVLTVRNI.

Hoc eodem anno mense Aprilis datum habetur priuilegium à Constantinopolitanis Imperatoribus Romano, Constantino, & aliis Romani filiis, monasterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni fluminis in territorio Beneuentano; quod vna cum aliis plurimis diuersorum Pontificum ac Principum monumentis ad idem spectantibus, Ioannes eiusdem cœnobii monachus intexuit in suo Chronico, quod ab exordio mundi vsque ad tempora Paschalis Papæ Secundi perduxit. Flagrantia enim in Italia bella ciuilia effecerant, vt Constantinopolitani Imperatores potirentur Calabria, Apulia, atque ea Campaniæ parte quam Vulturnus aluit, posita antea sub ditione Longobardorum Ducum Beneuenti & Capuæ.

IESV CHRISTI AN. 943.

MARINI II. AN. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 32.

I. STEPH. PP. OBITVS, ET SVBROGATIO MARINI II.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo tertio, Indictione prima, *Stephanus* Papa, vbi sedisset annos tres, menses quatuor, dies quinque, ex hac vita migrauit. In cuius locum subrogatus est MARINVS (quem alii Martinum nominant) eius nominis Secundus, patria Romanus. Habet hæc vetus Codex Vaticanus de Romanis Pontificibus: quoto autem mense vel die acciderint, non dicit. Sed Marinum ad principium huius anni sedere cœpisse, aperte intelligitur ex ipsius priuilegio concesso monasterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni, à Ioanne monacho recensito, quod datum habetur mense Martio Indictione secunda, eiusdem Pontificatus anno pariter secundo. Porro idem omissis insanabilibus bellicis tumultibus, totum se tradidit ad componendam Ecclesiam, tam in Cleri quam in monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & cura pauperum: literisque egit, vt inter Christianos Principes mutuo decertantes pax cõponeretur. Quem quidem iam olim fuisse dono prophetiæ imbutum, dictum est superius *a* ex Rebus gestis S. Vdalrici Augustani Episcopi.

a An. 924. 11.

IESV CHRISTI AN. 944.

MARINI II. AN. 2.

CONST. VIII. cum ROM. 33.

I. THEOPH. PATRIAR. CONST.

ANno Christi nongentemsio quadragemsio quarto, Indictione secunda, post celebratam Constantinopoli *Synodum*, in qua Tryphon Patriarcha Constantinopolitanus, qui exacto definito tempore quo pollicitus fuerat cedere Theophylacto Romani Imp. filio, recusaret id præstare, dolose circumuentus depositus est, ac *Theophylactus* cum iam ad annum ætatis vigesimum quintum peruenisset, mense Februario Patriarcha est consecratus. Rem gestam pluribus narrat Curopalates.

II. FILIA HVGONIS REG. IVNCTA FILIO. *a Luitpr. lib. 5. c. 6.*

Eadem quoque Indictione secunda, missam fuisse legationem à Constantino Imp. ad Hugonem Italiæ Regem, vt filio suo Romano filiam eius Bertam iungeret matrimonio; idque factum esse, intercurrente pariter ab ipso Hugone ad eundem Imp. legatione pro mittenda classe aduersus Saracenos; Curopalates, & Luitprandus *a* testantur. Addit vero iste, eandem Bertam ex concubina fuisse genitam, missamque Constantinopolim per Sigefredum Parmensem Episcopum, à Græcis mutato nomine Eudoxiam esse dictam: sed & Constantinum classem misisse, quæ omnes Saracenorum naues exussit; Hugonemque eosdem Saracenos Fraxineto expulisse: verum mox timentem Berengarium Marchionem Eporregiæ ciuitatis, tyrannum Italiæ; cum iisdem Saracenis fœdus iniisse, atque ex eodem tempore omnia ipsi infelicissime ad obitum vsque cessisse.

III. IMAGO CHRISTI NON-MANVFACTA CONSTANTINOPOLIM TRASLATA.

Sub eadem pariter Indictione secũda, Curopalates tradit Edessenos obsidione grauiter oppressos, eius solutionem ab Imperatore petiisse, pollicitos in pretium, sanctam Christi EFFIGIEM; (illam videlicet famosissimam miraculo expressam ipso CHRISTO viuente, & ad Agbarum missam de qua sæpe dictum est:) solutaque obsidione, traditam esse Imaginẽ, & Constantinopolim maxima pompa perductam. Cuius quidem translationis prolixam narrationem Constantinus

ipse

ipse Porphyrogenitus Imperator (non pater, sed filius eiusdem cum patre nominis, atque etiam cognominis: omnes enim qui nati purpura induebantur, vel in Porphyrio palatio nascebantur, *Porphyrogeniti* dicebantur) contexuit in oratione *b* quam postea habuit de eadem sacra Imagine: cum qua etiam translatam ait *Epistolam* ipsam, quam vna cum Imagine CHRISTVS Dominus propria manu scriptam ad eundem Agbarum misisset: sed & miraculo Dei voluntatem de eiusmodi Constantinopolim translatione declaratam esse, ingentiaque alia miracula ad easdem sacratissimas Reliquias edita tam in itinere quam in vrbe Constantinopolitana, quo delatæ sunt decimoseptimo Calendas Septembris: quæ dies ex eo tempore fuit apud Græcos perpetua solemnitate consecrata. Denique contigit sub eodem Constantino Porphyrogenito, vt cum S. Paulus in Latro (à monte cuius in vertice habitabat, ita nominatus summæ sanctitatis, & apud omnes vbique venerationis anachoreta, quem & Imperator & Pontifex Romanus literis & legationibus visitarunt) a Photio Patricio ad ipsum ab Imperatore misso, petisset, vt eidem S. Imagini æquale velum lineum applicaret, & ad se mitteret; eo tactu Christi effigies in eo linteo adamussim expressa fuerit: quod tradit fidelissimus auctor Vitæ ipsius S. Pauli. Cæterum postea bellis ingruentibus, ipsaque ciuitate Constantinopolitana sæpe capta & ab hostibus direpta, ac primum à Catholica communione discissa; Dei prouidentia factum est, vt eadem veneranda Imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in Titulo S. Siluestri.

b Ext. ap. Metaph. 16. Aug.

EADEM ROMAM TRANSLATA.

IV. ROM. ET FILII EIVS IMPERIO PRIVATI.

Hoc eodem anno decimasexta Decembris, inchoata iam tertia Indictione, Romanus Imp. qui ex collega in quem à Constantino Porphyrogenito assumptus fuerat, iam prope in Dominum mutatus erat; à Stephano proprio filio, Imperatore ab ipso pariter declarato, captus & attonsus in monachum, relegatus est in insulam. Sed & post triginta quinque dies elapsos, nempe vigesima prima Januarii, idem ipse Stephanus, & Constantinus eius frater, inter se mutuo de Imperii primatu certantes, ambo in mensa tenti, in insulas deportati sunt. Sicque, vt prius, vni Constantino Porphyrogenito, Leonis Philosophi filio relictum est Imperium. Præstitit hoc ipsi in suæ *Imaginis* aduentu IESVS CHRISTVS, qui consueuit exaltare humiles, & superbos è sede deponere. Hæc autem pluribus descripsit Curopalates, & ex eo alii Græcorum historici; ex Latinis vero Luitprandus *c* profusius.

c Luitpr. lib. 5. c. 9. 10. 11.

V. ABSCISSA MANVS RESTITVITVR.

De rebus Germanicis valde mirandum, quod hoc contigisse anno in Transrhenensibus regionibus Flodoardus narrat de quodam homine; cui cum manus ferro abscissa esset, post aliquod tempus eadem restituta est ipsi dormienti. Witichindus *d* & ipse temporis sui scriptor, eandem historiam recensens, addit, pro signo miraculi sanguineam lineam loco coniunctionis relictam esse. Subdit autem Flodoardus de igneis globis in iisdem partibus per aerem volitantibus, qui crucibus oppositis cum benedictione Episcopali & aqua benedicta repellebantur.

d Witich. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 945.

MARINI II. AN. 3.

CONST. VIII. Solius, AN. 34.

I. REX à DEO REIECTVS OB FŒDVS CVM INFIDELIB.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, Hugone Rege Italiæ à suis pulso, eius filius Lotharius in Regnum susceptus est. Hæc pauca Flodoardus satis ad temporis notam consignandam; atque significandum à Deo fuisse reiectum Regem, simul ac fœdus iniit cum Saracenis. Sed & qui Manassi affini suo plures (vt vidimus) dederat Episcopatus, vt eo modo (quod putabat) Regnum sibi stabiliret; idem iusto Dei iudicio eum primum rebellem sensit, cupiditate illectum potiundi Archiepiscopatu Mediolanensi, à Berengario Marchione sibi promisso: ficque eidem Berengario Italiam repetenti aperuit ostium, & vt alii Principes Italiæ ab Hugone deficerent procurauit. Itaque Hugo Regno pulsus, in Prouinciam vnde venerat Arelatensis Comes, reuersus est, nec diu post vixit. Quæ omnia pluribus prosecutus est Luitprandus *a*. Habet vero amplius Leo *b* Ostiensis de eodem Hugone, ipsum in Burgundia monasterium perquam magnificum construxisse sub titulo S. Petri; ibique omni thesauro suo tradito, monachum effectum esse.

a Luitpr. lib. 5. c. 13.

b Leo Ost. lib. 4. c. 64. in fi.

HVGO REX MONACHVS.

Eodem anno rursum recrudescentibus bellis in Galliis inter Ludouicum Regem atque Hugonem Francorum Ducem, idem Ludouicus dolo Hugonis comprehensus est à Northmannis, quos putabat sibi fideles; & per annum integrum detentus in custodia; nec solutus, nisi dato Hugoni, quod petierat castro Laudunensi. Hæc Flodoardus anno præsenti atque sequenti. Qui & hoc anno habet de plaga Ignis in homines Parisiensis territorii cælitus immissa; ex qua sanari eos contigit, qui ad Sanctorum loca, ac præcipue ad Ecclesiam B. Mariæ Parisiis se reciperent.

II. PLAGA IGNIS CŒLITVS IMMISSA.

IESV CHRISTI AN. 946.

AGAP. II. AN. 1.

CONST. VIII. AN. 35.

I. MARINO PP. MORTVO, SVBROGATVR AGAPETVS II.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo sexto, Indictione quarta, *Marinus* Papa decessit; successitque ei AGAPETVS huius nominis Secundus. Hæc breuiter Flodoardus. Quoto autem mense vel die id acciderit, apud veteres vbique silentium: sedisse autem Marinum annos tres, menses sex, dies tredecim, habet vetus codex Vaticanus de Romanis Pontificibus. De cuius gestis, præter ea quæ diximus, nota tantum habentur, quæ cum magna eiusdem Pontificis laude refert Leo *a* Ostiensis, aliique nonnulli, de rebus quorundam monasteriorum ab ipso probe dispositis, priuilegiisque eis collatis.

a Leo Ost. lib. 1. c. 60. 61. 62.

Eodem tempore (vt ait Luitprandus *b*) Constantinus Imperat. literas dedit in Italiam ad Berengarium Principem, quibus ei commendauit Lotharium Regem fratrem nurus suæ. Ab ipso vero Berengario ad eundem Constantinum missus est idem Luitprandus historicus: qui suam ipsius Legationem describens *c* multa admiratione digna narrat, quæ vt curiosa, ad institutū nostrum minus spectantia, prætermittimus.

II. *b* Luitp. lib. 6. c. 1. LVITPRANDI LEGATIO CONSTANT. *c* lib. c. 1. 2. 3.

IESV CHRISTI AN. 947.

AGAP. II. AN. 2.

CONST. VIII. AN. 36.

I. CONCIL. VIRDVN. IN CAVSA EPISC. RHEM.

ANnus Christi nongentesimus quadragesimus septimus, inchoatus est Indictione quinta. Quo habita est SYNODVS *Virduni*, veteri in causa Hugonis & Artaldi contendentium pro Archiepiscopatu Rhemensi, cum Artaldus olim pulsus, anno superiori à Ludouico Rege in sedem illam fuisset restitutus. Ad illam autem Synodum cum vocatus Hugo venire recusasset, ipsa Synodus Artaldo Archiepiscopatum adiudicauit. Hæc Flodoardus; quæ gesta ait hoc anno mense Nouembri, præsidente in Synodo Roberto Treuerensi Archiepiscopo. At quoniam negotium perarduum haud videbatur posse per prouinciales Episcopos terminari, placuit anno sequenti plenum Concilium conuocari ex Episcopis Galliæ atque Germaniæ. Interea vero Hugo nuntium ad Agapetum Papam misit, cum falsis literis nomine Episcoporum prouinciæ Rhemensis conscriptis, quibus petebatur, vt Episcopatus eiusdem Ecclesiæ ipsi Hugoni ab Apostolica Sede confirmaretur. Quarum fide, ab eodem Pontifice surreptæ sunt literæ ea de re ad Episcopos Galliæ atque Germaniæ. Sed quid postea secutum fuerit, dicetur anno sequenti.

Celebrata

II. a *Ambr. Moral.* 16. *Chron. Hisp.* 18. CONCIL. ASTVR.

Celebrata hoc pariter anno *a* *Asturiæ* in Hispania traditur sub Salomone eius ciuitatis Episcopo SYNODVS; in qua nonnulla de rebus ad Christianam disciplinam bene disponendam & conseruandam tractata fuerunt: sed desiderantur Acta.

III. 5. ÆDITHA REGINA. b *Dutm. lib.* 2.

Eodemque anno, qui vndecimus Ottonis Germaniæ Regis numeratur, septimo Calendas Februarii, mortua est eius coniux *AEditha* Regina sanctitate præclara; quam post obitum claruisse miraculis, Ditmarus *b* eius temporis scriptor affirmat.

IESV CHRISTI AN. 948.

AGAP. II. AN. 3.

CONST. VIII. AN. 37.

I.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo octauo, Indictione sexta, Agapetus Papa Legatum à Latere *Marinum* Episcopum misit in Galliam, tum ad stabiliendum Ludouici Regnum, quod factione Hugonis Ducis variis nutabat tumultibus; tum etiam ad cognoscēdam causam Rhemensis Ecclesiæ, quisnam eius legitimus esset Episcopus, Artaldus, vel Hugo.

II. CONC. IN CAVSA EPIS. RHEM.

Et primo quidem ante Marini aduentum, alia celebrata fuit Idibus Ianuarii SYNODVS ad castrum *Mosomi* à Roberto Archiepiscopo Treuerensi, cæteris que eius diœceseos Episcopis, & aliquibus Rhemensis: ad quam rursum vocatus Hugo cum venire contempsisset, Artaldo iterum adiudicatus est Rhemensis Archiepiscopatus. Cum vero nec huic Synodi definitioni Hugo acquieisceret, fretus literis surreptitiis Apostolicæ Sedis, de quibus diximus: tandem aduenientе Marino Legato, SYNODVS Generalis Episcoporum Germaniæ & quorundam Gallorū (fuerunt omnes numero vnus & triginta) habita est in palatio *Engelenheim* septimo Idus Iunii coram eodem Legato, præsentibusque Regibus Ottone & Ludouico. In qua primum Ludouicus questus est de iniuriis sibi ab Hugone Duce illatis, contestatusque est, si quis obiiceret eas sibi illatas esse suorum facinorum causa, paratum se esse purgare se iuxta Synodale iudicium, & Regis Ottonis præceptionem, vel certamine singulari defendere. Deinde vero Artaldus litem exposuit, quæ versabatur inter ipsum & Hugonem æmulum; prolatæque sunt à diacono Hugonis literæ Agapeti Papæ in fauorem eiusdem Hugonis conscriptæ. Sed cum illæ ostensæ essent subreptitiæ, ac proinde nullius vigoris; tunc Artaldo, quod nunquam Synodale iudicium refugisset, communi omnium decreto confirmata est possessio Archiepiscopatus Rhemensis: Hugo vero eiusdem Ecclesiæ inuasor excommunicatus, donec pœnitentiam ageret. Præter quæ actum est etiam in eadem Synodo de incestis coniugiis, & simoniacis Ecclesiarum venditionibus, aliisque illicitis laicalibus vsurpationibus tollendis; deque aliis rebus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus.

III. CONCIL. TREVER. IN CAVSA REG. FR.

Causa vero Ludouici Regis & Hugonis Ducis, delata est ad Synodum Treueris hoc eodem anno celebrandam; ad quam interim idem Hugo vocari deberet literis Marini Apostolicæ Sedis Legati Collecta autem eadem TREVERENSI SYNODO, cum Hugo diu expectarus, nec per Legatos adesse curasset; tandem Synodi sententia, ob mala tam Ecclesiis & Episcopis; quam Regno Regique illata, excommunicatus est donec de cunctis satisfaceret. Pariterque excommunicati duo pseudoepiscopi ab Hugone inuasore Rhemensi post ipsius expulsionem atque damnationem ordinati; aliique nonnulli ob alia facinora damnati. Quæ quidem omnia de prædictis Synodis hoc anno celebratis recensita, pluribus narrat Flodoardus.

IESV CHRISTI AN. 949.

AGAP. II. AN. 4.

CONST. VIII. AN. 38.

I. CONC. RO.

ANno Christi nongentesimo quadragesimo nono, Indictione septima, celebrata est *Romæ* SYNODVS apud S. Petrum ab Agapeto Papa; in qua damnationem duorum Hugonum, tam Ducis quam Episcopi, in Conciliis superiori anno habitis decretam, confirmauit. Hæc Flodoardus.

Eodem anno debellatis ab Ottone Germaniæ Rege magna victoria Danis & Slauis, iisdemque in Christianam religionem à qua desciuerant reductis, & Ecclesiis in eorum regionibus ordinatis; Agapetus Papa eorum Metropoli Hamburgensi gratulatus, eidem priuilegia à prædecessoribus data innouauit: quæ facta esse hoc anno, quo numeratur duodecimus sedis Adaldagi Archiepiscopi, testatur Adam *a* vetus Chronographus. Cæterum Haraldum Danorum Regem, miraculo ferri candentis à clerico Christiano absque læsione diu tenti, ad fidem Christianam capessendam inductum esse, Witichindus *b* tradit: cui etiam adstipulatur Ditmarus *c*; qui & amplius asserit, accidisse his temporibus plurimas animarum sensibiles apparitiones, ad indicandam earum immortalitatem, quam Slaui negabant. Habent vero iidem omnes auctores, de multis aliis populis, ab Ottone Imperio suo subiugaris; adeo vt omnia ferme regna quę post mortem Caroli Magni defecissent, iterum recuperauerit.

PRO CONFIRMAT. SYNOD. GALLIC. II.

a *Adam. lib.* 2. c. 2. & 3. REX DANOR. EX MIRACVLO CŌVERSVS AD FIDEM. b *Witich. lib.* 2. c *Ditmar. Chron. li.* 2.

Hoc item anno Vngaris rursus Italiam inuadentibus, Berengarius decem modios nummorum, non ex propria pecunia, sed ex Ecclesiarum ac pauperum collectione dedit; eademque occasione multam aliam pecuniam ab omnis ætatis sexusque hominibus collegit, sibique retinuit: vt hæc damnans Luitprandus *d* narrat.

III. BERENGARII EXPILATIO ECCLES. d *Luitpr. lib.* 5. c. 15.

IESV CHRISTI AN. 950.

AGAP. II. AN. 5.

CONST. VIII. AN. 39.

I.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo, Indictione octaua, Lothario Rege Italiæ veneno sublato è medio, Berengarius vendicauit sibi Regnum. Hæc Flodoardus. Leo *a* autem Ostiensis ait, ipsum Lotharii in subitam phrenesim incidisse, atq; in ipso finem accepisse Imperium Francorum in Italia: eoq; defuncto vxorem eius Adelaidem, filiā Rodulphi Regis, sese in Canusinam munitissimam arcem recepisse, atque inde literis Ottonem Regem propinquum suum in Italiam ad sui liberationem vocasse. Sed & Agapeti Romani Pontificis epistola vocatum eundem Ottonem, vt liberaret Italiam à Berengarii tyrannide, testatur Anonymus qui olim scripsit Vitas Romanorum Pontificum. Equidem cum sanctissimus Pontifex vidisset tyrannum manus misisse in res Ecclesiasticas, (quod superius vidimus) auxilium à Rege maxime pio expetendum putauit: quod & feliciter consecutus est, vt dicetur anno sequenti.

a *Leo Ost. lib.* 1. c. 64. FINIS IMPERII FRĀCOR. IN ITALIA.

II. b *Ambr. Moral. lib.* 16. c. 19. & *alii.* FELIX EXITVS RAMIRI REG.

Quo pariter anno *b* Ramirus Rex Legionensis in Hispania, religione & bellica fortitudine insignis, piissime ex hac vita migrauit, cum regnasset annos viginti duos expletos. Qui quidem morituris, facta confessione Episcopis & Abbatibus qui aderant, deuote suscepit Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini IESV CHRISTI; eoque facto se à regno abdicauit, proclamans cum lacrymis; *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Successit ei Ordonius ipsius filius, huius nominis Tertius: quē toto quinquēnio quo regnauit, ciuili bello magis quā externo contigit fatigari, rebellantib. aduersus eum Sancio fratre cum Castellæ Comite: quæ pluribus prosequuntur rerum Hispanicarum scriptores.

IESV CHRISTI AN. 951.

AGAP. II. AN. 6.

CONST. VIII. AN. 40.

I.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona, Otto Rex Germaniæ in Italiam veniens

fugatis

fugatis Berengario Rege magente, & eius filio Adelberto, Adelaidem Reginam Lotharii anno superiori extincti coniugem, accepit vxorem. Hæc Leo *a* Ostiensis, & Flodoardus *b*. Iste vero addit, Saracenos meatum Alpium obsidentes, viatoribus Romam peregrinantibus tributum imposuisse, vt libere permitterentur transire.

a *Leo Ost. lib. 1. c. vlt.* b *Flod. in Chron. hoc an.*

II. VLTIO DIVINA IN TYRANN. SACRILEGVM.

Eodem anno Amalaphus tyrannus in Anglia, cum adeo inualuisset, vt illius Regni partem dimidiam possideret, vbi aggressus est incendio tradere Ecclesiam S. Balteri, mox numine vindice repentina morte percussus est: sicque factum absque armis est, vt vniuersa Angliæ monarchia *c*, pius Rex potiretur Eadredus, qui iam antehac subrogatus fuerat in locum defuncti fratris sui Eadmundi.

c *Flor. hist. Matth. Westmon. hoc ann.*

IESV CHRISTI AN. 952.

AGAP. II. AN. 7.

CONST. VIII. AN. 41.

I. CONVENTVS AVG.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo secundo, Indictione decima, mense Augusti, *Augustæ* Rhætiæ prouinciæ publicus habitus est *Conuentus* Episcoporum, necnon Principum Francorum, Germanorum, & Longobardorum; cui & Otto Rex interfuit, rogatus ab Episcopis: conditique in eo sunt canones vndecim, qui extant *a*. Sed & Berengarius cum filio Adalberto sese subiiciens eidem Ottoni, ab eo vt subditus recepit regendam Italiam. Qui tamen vbi illuc rediit, ad prauos suos actus reuersus, Episcopos & Principes male habere cœpit, eorumque omnium inimicitiam in se conuertit: vt testatum habetur apud Reginonem hoc anno. Otto autem pro acceptis à Deo beneficiis gratias ipsi rependens, inter alia hoc ipso anno *b* multa donauit Ecclesiis.

a *Antiq. lect. Canis. tom. V.*

b *Cranz. Metrop. Sax. lib. 3. c. 25.*

IESV CHRISTI AN. 953.

AGAP. II. AN. 8.

CONST. VIII. AN. 42.

I. OTTO INCONCESSA SVO DAMNO TENTAT.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo tertio, Indictione vndecima, Otto Rex in gratiam Adelaidis coniugis, eius matri Bertæ contra ius fasque Abbatiam dedit Merenstein appellatam; sed suo graui damno: tunc enim in eum conspirationes ipsius filii Luitholphi, & Chunradi Ducis sunt cœptæ, omniaque turbata. De his plura apud Reginonis Appendicem, & Witichindum, atque alios res gestas Ottonis prosecutos.

II. BRVNO EPISC. COLON.

Inter hæc vero Romam pro Pallio accipiendo legatio missa est à *Brunone* Archiepiscopo Colonienſi, ipsius Ottonis fratre, viro doctrina & pietate insigni; qui hoc eodem anno (vt auctor est Flodoardus, & alii) defuncto Wicfredo legitima electione subrogatus est. Missus itaque Romam Abbas Fuldensis, Pallium ab Agapeto impetrauit; quo Bruno vti permissus est, non solum (ex more) diebus solemnibus, sed quoties vellet: vt testis est Rotgerus monachus in Rebus *a* præclare gestis eiusdem Brunonis.

a *Ap. Sur. 11. Oct.*

IESV CHRISTI AN. 954.

AGAP. II. AN. 9.

CONST. VIII. AN. 43.

I. ANno Christi nongentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecima, Alberico Patricio Romanorum defuncto, filius eius Octauianus, cum esset clericus, Principatum adeptus est: qui defuncto pariter Agapeto Papa, Pontificatum postea occupauit. Hæc Flodoardus, ista intuitus scriptor huius temporis: ex quo mendacii arguas omnes qui dixerunt, per patrem Albericum, Octauianum esse promotum ad Pontificatum.

II. CORPVS S. MATTHÆI TRANSLATVM SALERNVM.

Eodem anno corpus S. MATTHÆI Apostoli, quod primo in Æthiopia vbi passus est, postmodum in Bithynia per multa tempora quieuerat; eiusdem ipsius S. Apostoli reuelatione repertum est, atque Salernum translatum. Hæc Leo *a* Ostiensis.

a *Leo Ost. lib. 2. c. 5.*

III.

Accidit hoc item anno, vt Sanctus Vdalricus Augustanus Episcopus ad Ottonem Regem, ac filium eius Luitholphum, habentes in conspectu aduersarios exercitus ad pugnam vtrimque paratos, sequester pacis accedens, eosdem inter se mutuo conciliauerit. quam rem gestam describit auctor ipsius Vitæ, & ex eo Berno Abbas: eandemque accidisse, hoc anno decimosexto Calendas Ianuarii, Marianus affirmat. Rotgerus *b* vero scribit, opera insuper Brunonis Colonienſis Archiepiscopi Ottonis fratris factum esse, vt pater filio reconciliatus, eidem Italiæ Regnum delegauerit.

b *Rotger. in vit. Brunon. c. 35. ap. Sur. 11. Oct.*

IV.

Quo pariter anno mortuus est Ludouicus Francorum Rex: cuius Filius *Lotharius* puer, apud S. Remigium Rex consecratus est ab Artaldo Rhemensi Archiepiscopo, fauente Hugone Principe, & Brunone Archiepiscopo Coloniæ, cæteris que Præsulibus & Proceribus Franciæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ. Hæc Flodoardus.

V. WILLELMVS ARCHIEP. MOGVNT.

Defuncto quoque Friderico Archiepiscopo Moguntino, electus est in locum eius *Willelmus* filius Ottonis Regis ex priori coniuge, eodem ipso die quo pax inter ipsum Ottonem & filiũ eius Luitholphum sancita est; nimirum (vt est apud Marianum Scotum) decimosexto Calendas Ianuarii: ordinationem vero accepit nono Calendas eiusdem mensis, cuius magna est laus apud Petrum Damiani, aliosque antiquos scriptores.

VI. CONCIL. NOVIOMAGI PRO FERIANDO DIE S. HVNEGVNDIS VIRG.

Eodem anno celebrata est à Rodulpho Nouiomensi Episcopo *Synodus*, & stabilitum de feriando die *S. Hunegundis* virginis, quæ egregia claruerat sanctitate sub S. Eligio eiusdem ciuitatis Antistite; eius vero corpus nuper inuentum fuerat, & innumeris coruscauerat miraculis. In non seruantes autem hoc S. Synodi decretum, rursus diuina sunt ostensa prodigia, cum inter alia ex spicis à messoribus eo die collectis copiosus sanguis profluxit. Recitatur hæc, aliaque de eadem S. Virgine, in Rebus *c* eius gestis ab auctore illius temporis scriptis.

c *Ap. Sur. 25. Aug. & Append. ad eund. Vit.*

VII. DE RATHERIO EPISC. VERON.

Hoc eodem anno *Ratherius* vir magni nominis inter Scriptores huius temporis, idemque Episcopus Veronensis iam antea ex leui suspicione pulsus ab ea Ecclesia, & à Brunone Archiepiscopo Colonienſi susceptus, præfectus est Leodienſi. Cum vero & à Leodienſibus eiectus esset, fauentibus ordinationi cuiusdã Baldrici ex magnatibus illius regionis, egit Bruno cum Ottone Rege, vt idem Ratherius restitueretur in sedem pristinam Veronensem: è qua tamen rursum ob falsas in eum illatas calumnias pulsus est. Agit de his Rotgerus in Brunone *d*. Sed de triplici sua eiectione Ratherius lusit hoc versu:

d *Rotger. c. 38.*

Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul.

Reuersum autem ipsum post tertium exilium in suum monasterium Lobiense vnde progressus erat, obiisseque ibi diem extremum anno primo Ottonis Secundi, qui numeratur nongentesimus septuagesimus tertius, Sigebertus affirmat. Henricus autem scribit, humilitatis ergo hæc ipsum scribi in suo tumulo voluisse, *Conculcate pedes hominum fatuum insatuatum*. quem & multas reliquisse præclari ingenii sui lucubrationes *e* constat.

e *Rec. illor. catalogum Bar. tom. X. hoc ann.*

VIII.

Eodem anno (ait Ditmarus *f*) cruces in vestibus apparuerunt; quod signum digne accipientibus profuit, irridentibus obfuit.

f *Ditm. lib. 2. Chron.*

IESV CHRISTI AN. 955.

AGAP. II. AN. 10.

CONST. VIII. AN. 44.

I. AGAP. PP. OBITVS.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decimatertia, ingens perturbatio Ecclesiam Romanam inuasit; cum defuncto *Agapeto* sanctissimo Pontifice, postquam sedisset annos nouem, menses septem, dies decem, ipse quem diximus anno superiori, *Octauianus* Alberici filius, iam antea ex clerico factus Vrbis Princeps, Apostolicam Sedem inuasit, suggerentibus (vt ait Flodoardus) Romanis. At licet omnia quæ conueniunt ad legitimam electionem suppetiissent, ex ætate tamen longe dispari vt legitime ordinari potuisset Episcopus, redarguitur illegitime electus. An enim ipse hoc tempore plenam pubertatem expleuerit, ex his quæ apud Luitprandum *a*, qui cuncta habebat præ oculis, scripta reperiuntur, possumus dubitare; dum recitantur Ottonis Imp. verba, de ipso cum iam octauum ageret in Pontificatu annum dicentis; *Puer est, facile bonorum mutabitur exemplo virorum*; excusantis videlicet in adolescentulo audita scelera. Sed & cum ex eodem Luitprando & aliis constet, patrem eiusdem Octauiani Albericum duxisse vxorem Aldam Hugonis Regis filiam anno nongentesimo trigesimo sexto circa finem eius; etiamsi Octauianus primogenitus fuerit, tamen non potuit nasci ante annum nongentesimum trigesimum septimum: qua ratione dicendum esset, ipsum ad summum nonnisi annos decem & octo habere potuisse cum inuasit Pontificatū. Abortiuum istum tūc parturiit Romæ tyrannis Pontificem, qui nec ætate diaconus esse potuit. Attamen accedente consensu, hunc tolerandum vtcumque perditissima illa tempora suaserunt magis, quam Ecclesiam schismate scindere; cuius vitandi causa, vtpote mali omnium pessimi, vniuersa Ecclesia Catholica cum est venerata Pontificem, vt ex sequentibus apparebit. Hic autem reuera primus inuentus est, qui mutauit sibi nomen; vt qui ex *Octauiano* voluerit nominari IOANNES; vel quod eo nomine eius patruus Ioannes Papa Vndecimus sit appellatus, vel vt in nomine saltem bene posset audire in adulatoriis acclamationibus, quibus male vsurpatum proferri soleret factum illud elogium, *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*

a Luitpr. lib. 6. cap. 6. ÆTAS OCTAVIANI EIDEM INVADENTIS.

IOAN. XII. PRIMVS MVTAT NOMEN.

II. VNGARI INGENTI PRÆLIO AB OTTONE DEBELLATI.

Hoc eodem anno cum Hunni, siue Vngari, in Germaniam numerosissimo exercitu irrupissent. & post alia multa illata damna Augustam ciuitatem obsedissent, cerneretque Rex Otto non posse illos humanis viribus superari; ad preces, ieiunia, ac votorum nuncupationes conuersus, sicque virtute Dei roboratus, prælium fortissime cum eis commisit; tantamq; stragem edidit, vt ex infinito ferme eorum numero, sex aut septem fugientes euaserint, Regibus captis, & in ignominiam laqueo suspensis. Quam quidem victoriam longe ante fuisse à S. Vdalrico diuina reuelatione præcognitam, egregiamque ab eodem in suæ ciuitatis obsidione nauatam operam, qui res ab eo gestas fideliter est prosecutus affirmat. Celebrata vero eadem reperitur omnium *b* ore, quam obtentam tradunt die S. Laurentij. Deniq; numquam apud nostrates talem esse auditam, tradit apud Reginonem scriptor qui Auctarium ad eius Historiam apposuit. Pro qua ingentes gratiarum actiones ab Ottone repensas Deo, Deique Genitrici, & omnibus Sanctis, qui res Saxonum prosecutus est Crantzius *c* scribit.

b Flod. Dit. Luitpr. Vit. Vdal. Rotg. in Brun. Crantz. & alii veriam omnes tam boris Scriptores.

c Crantz. in Hist. Sax. l. 7.

Hoc pariter anno, defuncto in Anglia optimo Rege Eadredo, postquam regnasset annos nouem; inque eius locum subrogato Eduino filio Eadmundi decessoris ipsius Eadredi, voluptuoso homine, sacrarumque legum contemptore: Ecclesia Anglicana nonnihil perturbata est, S. Dunstano optimo Regni administratore in exilium relegato, eo quod cum Eduinus ipso die coronationis suæ à loco cōuiuij, in quo vna cum Episcopis ac Principibus sederet, relictis illis secessisset ad duas feminas impudentissimas quas deperibat, eum Dūstanus ab aliis Episcopis ac Principibus ad hoc delegatus, è medio illarum nolentem violenter abstraxisset. Quam rem gestam pluribus narrat Osbertus *d* monachus eius temporis auctor in Vita eiusdem S. Dunstani, necnon alii rerum Anglicanarum Scriptores. Quomodo autem vindice Deo Rex ob scelus in virum sanctum commissum pellendo eum à Regno, & ipse è Regno sit expulsus; quæque causa Dunstani exilij fuerat scelestissima femina, ab iisdem Regis persecutoribus necata sit, idem auctor inferius narrat.

III. S. DVNST. REGEM È MEDIO IMPVDIC. FEMIN. AB TYRANNIT.

d Osbert. in Dunst. cap. 22 ap. Sur. 19. Maii. Eler. Hist. Matthæi Westm. hoc an.

Eodem anno defuncto Ordonio Rege Legionensi, relicto filio Veremundo adhuc impubere, Regni habenas moderandas suscepit Sancius Crassus ipsius Ordonij frater. Quod vero fertur de ingenti victoria, monitu Pelagij eremitæ hoc tempore obtenta per Ferdinandum Gundisaluum; an veritate subsistat, consule Ambrosium Moralem, ceteris Historicis rerum Hispanicarum præferendum.

IV.

IESV CHRISTI AN. 956.

IOAN. XII. AN. 1.

CONST. VIII. AN. 45.

I. THEOPHYL. PATRIARCH. CONST. INSANVS AMOR EQVORVM.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo sexto, Indictione decimaquarta, tertio Calēdas Martij, mortuus est Theophylactus Constantinopolitanus Patriarcha, cum sedisset annis viginti tribus, diebus viginti quinque; homo omni ex parte turpissimus, qui & venales proponebat Ecclesiasticos ordines, & creationes Episcoporum; tantoque insaniebat equorum amore, vt ad duo millia sibi comparasse dicatur, eosque aluisse pinorum fructibus, amygdalis, pistaciis, & dactylis; itemque croco, cinnamomo, & balsamo, aliisque fructuum & aromatum generibus, odoratissimoque vino. Feruntque illum, cum aliquando magna quinta Dominicæ Cœnæ die, sacra in magna ecclesia celebraret, accepto nuntio de euiusdam insignis equæ suę partu, diuina officia deserentem ad stabulum cucurrisse, vt pullum videret, rursumq; ad sacra perficienda in ecclesiam rediisse. Primus quoque induxit morem, Dei & Sanctorum festiuitates cantibus impuris & ridiculis celebrare. Cum igitur sic viueret, temere quadam die equitans ad murum illisus, sanguinē ex ore expuit; eoque morbo biennium laborans, cum in hydropisim incidisset, mortuus est die qua diximus. Tertio vero Nonas Aprilis; in locum eius Patriarcha electus est ab Imperatore, *Polyeuctus* monachus sapiētia & simplicitate morum insignis, qui tamen quod non ex more ab Heracleæ Episcopo, (erat enim hic Imperatori quadam ex causa inuisus) sed à Cæsariensi consecratus fuerit, magnam sibi infamiam acquisiuit: licet non destiterit prauas etiam facta ipsorum Imperatorum sacerdotali libertate redarguere; vnde & cœpit Constantinus occasionem quærere ipsum è sede deturbandi, nec antē obitum ab eius odio destitit. Hæc omnia Curopalates, & alii ex eo.

POLYEVCTVS PATRIARCH CONST.

II. TRANSLATIO MANVS S. IO. BAPST.

Quo eodem anno (vt idem subdit auctor) translata est Antiochia Constātinopolim *Manus S. Ioannis Baptistæ*, à quodam diacono furto rapta; ac solemni pompa ab Imperatore & Patriarcha collocata est in Regia.

III. a Ap. Regin b Witich. l. 3. de Reb. Saxon.

Eodem item anno *a* grauissima pestilentia vexauit Boreales prouincias, prodigiosis antea in vestibus Crucibus apparentibus. Qua tactus *b* & ipse Rex Otto, S. Viti Martyris intercessione liberatus est.

IESV CHRISTI AN. 957.

IOAN. XII. AN. 2.

CONST. VIII. AN. 46.

I. S DVNSTANVS ORDINATVR EPISCOPVS.

ANno Christi nongentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decimaquinta, Anglia depressa ob regimen Eduini Regis, eo pulso, & substituto in Regni partem Edgaro, respirare cœpit. Hic enim statim reuocauit ab exilio S. Dunstanum, inuitumque præfecit Episcopum Ecclesiæ Wigor-

Wigornensi : in cuius consecratione illud accidit mirandum, vt S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus Angliæ Primas, omisso Ecclesiæ Wigornensis titulo, consecraueritcū in Cantuariensem Archiepiscopum, prophetice quod esset futurum præsignans; sicque Apostolico more secundū præcedentes prophetias, ad summum illum eius Insulæ thronū suo tempore ascendit. Hæc ex Osberto in Dunstano. *a*.

a *Ap. Sur. 19. Mai.*

II. PRESB. APOSTATA IVNCTVS SARACENIS.

Accidit quoque his diebus in Oriente, vt cum Saraceni in Herculis vicum irrupissent, quidam presbyter Themel dictus sacrificium incruentum peragens, ita vt erat indutus manibus gestans Ecclesiæ mysterium, sic eos qui inuaserant propulsauerit, vt & multos vulnerauerit, atque etiam interfecerit, reliquis in fugam versis: quamobrem interdictus ab Episcopo, cum non posset impetrare veniam, ad Saracenos se conferens, Christianam fidem abiurauit, multaq; postea detrimenta Ecclesiæ Imperioq; intulit. Hęc ex Curopalate.

IESV CHRISTI AN. 958.

IOAN. XII. AN. 3.

CONST. VIII. AN. 47.

I.

ANNO Christi nongentesimo quinquagesimo octauo, Indictione prima, defuncto anno superiori Luitholpho Ottonis Regis filio, à patre in Italiam misso ad coercendam tyrannidem Berengarij; tyrannus solutus timore, absque delectu profana sacraq; impune vastare cœpit, instigante præcipue Willa eius vxore, impudicitiæ, sæuitiæ, cunctorumq; vitiorum infamia laborante; quam iure omnium feminarum nequissimam Luitprandus *a* appellat.

a *Luitpr. lib. 4. cap. 5.*

II. PROPAGATIO FIDEI IN TVRCIS.

Quo pariter anno (vt auctor est Sigebertus) idem Otto in Slauos ducens exercitum, eos debellauit, occiso eorum Regulo. Sed & scribit Curopalates, eumdem Ottonem hoc tempore, Turcarum Regem siue Ducem nomine Bolesodē, Constātinopoli baptizatum, atq; muneribus & Patriciatus dignitate auctum, sed postea fidei Christianæ desertorem factum, cum non solum in Græcos, sed & in Francos irrueret, cepisse, ac patibulo suspendisse. Verum de ea re apud Latinos nusquam mentio. Addit autem Curopalates, alium quoq; Turcarum Ducem, nomine Gylam, Constantinopolim accessisse vt baptizaretur; paribusque & ipsum muneribus & honoribus affectum discessisse, ac secum duxisse Hierotheum quemdam pium monachum, delectum à Patriarcha Constantinopolitano Turciæ Episcopum, qui multos barbaros ad fidem conuertit.

III. ARCH. EP. CANTVAR. POENA DE SACRILEGIO

Eodem anno defuncto S. Odone Cantuariensi in Anglia Archiepiscopo, nequissimus homo Ealsinus, siue Edelsinus, datis muneribus, ex Wentano Episcopo factus est illius Sedis inuasor: qui cum primo introitus die eiusdem S. Odonis tumulum pedibus conculcans, verba contumeliosa in eum effutiisset; sequenti nocte vidit eum in somno iniuriam sibi improperantem, & velox exitium comminantem; ac paulo post Romam ad petendum Pallium contendens, frigore miserrime vitam finiuit. Hæc Matthæus Westmonasterienſis monachus.

IESV CHRISTI AN. 959.

IOAN. XII. AN. 4.

CONST. VIII. AN. 48.

I. FICTA CHRISTIANITAS RVSSORVM.

ANNO Christi nongentesimo quinquagesimo nono, Indictione secunda, Legati Helenę Reginæ Rugorum, siue Russorum, quæ Constantinopoli baptizata fuerat, ficte (vt post claruit) ad Regem Ottonem venientes, Episcopum eidem genti petierunt. Hæc apud Reginonem hoc anno: sequenti vero ait, Sibutium monachum ab Adaldago Hamburgensi Episcopo eorumdem Russorum Episcopum ordinatum esse; huic vero anno sequenti defuncto succesisse Adalbertum pariter monachum; qui male ab illis populis acceptus, vix fuga lapsus euasit, occisis nonnullis ex suis.

II. a *Osbert. in Dunst. ap. Sur. 19. Maii.*

Hoc eodem anno perfectam pacē obtinuit Ecclesia Anglicana, defuncto Eduino Rege, & succedente in monarchiā totius Regni Edgaro. Hæc Osbertus *a*, & alij qui prosecuti sunt res Anglorum. Porro precibus S. Dunstani, quem Eduinus afflixerat, ne penitus ad inferos damnaretur, animam eius ereptam, idem narrat Osbertus.

IESV CHRISTI AN. 960.

IOAN. XII. AN. 5.

CONST. VIII. AN. 49.

I.

ANNO Christi nongentesimo sexagesimo, Indictione tertia, Ioannes Papa tyrannidem Berengarii haud amplius ferens, aduersus eum Legatos misit ad Ottonem Regem: de quibus, aliisque tam Episcopis quam Principibus sæcularibus ex Italia pari occasione ad eumdem Regem cōcurrentibus, apud Reginonem agitur: eosdemq; recēset auctor Luitprandus *a* assertus, licet diuersus ab eo, quisquis ille fuerit qui capita illa à sexto vsq; ad vndecimum libri sexti, Appendicem ad Luitprandum apposuit: quem quidem Ottoni addictissimum fuisse constat, & priuato studio ea scripsisse in ipsius gratiam, odium vero Ioannis Papæ. Porro sic vocauit Ioannes Ottonem in Vrbem, vt tamen ille antea Legatis Apostolicæ Sedis sese iuramento obligaret de conseruandis integris ipsius Pontificis, Romanæq; Ecclesiæ iuribus, ac restituendis bonis à tyrannis sublatis: cuius iuramenti forma recitata extat *b* apud Gratianum; habeturq; etiam in Vaticana Bibliotheca in codice Cencii Camerarii, quo Rom. Ecclesiæ factæ donationes, & multiplices iuramentorum formæ inter alia expressæ leguntur. Ceterū & vice versa ipse Ioannes per eosdem Legatos suos promisit Ottoni Imperij titulum ex more exhibendum; simulque ea omnia tam suo quam successorum nomine præstaturum, quæ Eugenius & Leo Pontifices sponte promisissent Imperatoribus. Quęnam vero ea fuerint, intexta habentur in ipsius Ottonis diplomate donationis factæ eidem Ioanni Papæ, de quo agetur inferius suo loco.

a *Ap. Luitp. lib. 6. cap. 6. Quæ vero hic de Luitprandi appendice dicuntur, habet præsertim Bar. an. 963 ad pr.*

OTTONIS REG. PROMISSIO IVRATA IOANNI PP.

b *Dist. 63. c. 33. Tibi dem.*

Eodem quoque anno S. Dunstanus ab Ecclesia Wigornensi ad Cantuariensem totius Angliæ metropolim translatus, Romam venit ad Ioannem Pontificem vt ab eo Pallium acciperet: antiquo videlicet more, quo Archiepiscopi Cantuarienses non per alium, sed per seipsos Romam adire, & Pallium petere consueuerant; vt Matthæus Wostmonasterienſis monachus, aliiq; antiquiores rerum Anglicanarum scriptores testantur. Qui quidem Dunstanus honorifice à Ioanne exceptus, Pallio quoq; donatus est, ac Legatione Apostolica ex antecessorum consuetudine; sicuti B. Augustinum Anglorum Apostolum à Gregorio Magno missum, eiusque successores illius Ecclesię Pontifices habuisse dignoscerētur. Hęc pluribus Osbertus *c* monachus in Dunstani Vita: vbi & addit, quomodo is reuersus in Angliā, egregie functus fuerit officio suo in Verbi Dei prędicatione, & Ecclesiæ regimine.

II. S. DVNST. IN VRBEM PRO PALLIO VENIT.

c *Ap. Sur. 19. Mai.*

Hoc eodem anno in Oriente die nona Nouembris Constantinus Imp. veneno sublatus est, quod illi propinauit Romanus filius tædio diuturnioris ipsius Imperij. Regnauit enim ab Alexādri obitu annos quadraginta nouē inchoatos: vixit *d* aūt quinquaginta quatuor & mēses duos. Hęc plurib⁹ Curopalates: qui eius reprehēdit vinolentiā, & in rebus publicis administrandis oscitantiam, sæuitiam in puniendo, & in deligendis Magistratibus neglectum maximum: econtra vero laudat eiusdem liberalium artium scientiam, & excellentem philosophiæ cognitionem, curamq; artium mechanicarum, quas ad magnum incrementum perduxit; necnon pietatem erga Deum, & liberalitatem, quippe qui numquā sine donis ad ecclesias accessisset. Sed & supereſt *e* adhuc eiusdem Imp. admonitio prędicata ad Romanum filium suum, de non ineundo connubio cum externis gentibus: quod fragmentum esse videtur, excerptum ex prolixiori eiusdem

III. CONST. IMP. A FILIO VENENO POTATVS.

d *Vid. sup. an. 912. III.*

e *Rer. Bar. Annal. T. X hoc an. ex Bibl. Reg. Gal.*

scriptio-

FRANCOR. ANTIQVA NOBILITAS.

scriptionne. Cuius quidem admonitionis suæ fundamentum præcipuum sumit ex antiqua Constantini Magni Constitutione, quam in sacra mensa ecclesiæ S. Sophiæ descriptã asserit; qua idem Constantinus Magnus seuerissime sanciuisset, ne vmquam Romanorum Imperatores affinitatem cum nationibus contraherent diuersis moribus vtentibus, maxime vero quæ alterius fidei essent; præterquam cum solis *Francis*, propter antiquam gentis claritudinem atq; nobilitatem. Ceterum defuncto Constantino, ROMANVS eius filius suscepit Imperii habenas; qui & eodem anno *Basilium* filium suum per Polyeuctum Patriarcham voluit in Imperatorem coronari.

ROMANVS IMP.

IESV CHRISTI AN. 961.

IOAN. XII. AN. 6.

ROMANI AN. 1.

I.

ANno Christi nongentesimo sexagesimo primo, Indictione quarta, Otto Rex Germaniæ vocatus (vt vidimus) in Italiam legationibus Ioannis Papæ, & aliorum; antequam recederet è Germania, Wormatię Comitia habuit, in quibus filium suum Ottonem ex Adelaide genitum, creauit Regem, eumdemque Willelmo Moguntino Archiepiscopo, suo pariter, sed ex priori vxore filio, nutriẽdum commisit. His vero peractis, nullo obice in Italiam venit, atque Papiæ constitit. Habentur ista apud Reginonem hoc anno: de quibus etiam agens auctor Luitprandus *a* assertus, ait Ottonem eo facilius expulisse Berengarium tyrannum, eiusque filium Adelbertum, quo omnibus innotuit eum commilitones habuisse SS. Apostolos Petrum & Paulum.

OTTO ITALIÆ REGNVM CONSEQVITVR.

a Ap. Luitp. lib. 6. cap. 6.

II.

Hoc eodem anno ab eodem Ottone Rege trãslatum fuisse Magdeburgum corpus *S. Mauritii* Ducis Thebæorum legionis, & aliorum quorumdam ipsius sociorum, ibique decenti honore eosdem Martyres cultos esse, testatur Dithmarus *b* huius temporis scriptor.

b Dithm. lib. 2. Chron.

III.

Hoc itẽ anno, Indiction quarta, tradit Curopalates Cretam insulam, postquam annis ferme quadraginta à Saracenis fuisset occupata, à Nicephoro Phoca, eiusq. germano Leone armis recuperatam esse. Cũ autem longa possessione Saracenorum, propemodum iam in ea Christianitas defecisset ad Mahometismum; consilium Dei fuit, vt ad tantam desolationem instaurandam, *S. Niconem* mitteret, monachum genere Armenium, *Pœnitentiam agite* vulgo dictum, quod illud Ioannis vbiq; iugiter inclamaret μετανοεῖτε. Qui quidem vbi primum Oriẽtis peragrasset regiones, Apostolatus sui primitias in conuersione Armeniorum ab innumeris quibus detinebãtur erroribus, Deo consecrauit; postea vero diuino monitu missus in Cretam, eam insuiã bene instituit in fide Christi; indeq; vniuersam Græciam pœnitentiã prædicando peragrauit, plura vbiq; miracula operans, & vberes fructus ex sua prædicatione colligens. Cuius extant *c* res in Græcia præclare gestæ, Græce conscriptæ ab Abbate monasterii eiusdem S. Niconis, nuper etiam in Latinum conuersæ.

S. NICONIS APOSTOLATVS.

c Romæ in Bibliothe. Sfort.

IESV CHRISTI AN. 962.

IOAN. XII. AN. 7.

OTTONIS 1.

ROMANI 2.

I.

ANno Christi nongentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta, OTTO Rex, ob res tam bello quam in pace præclare gestas *Magnus* dictus, Romam veniens, ibique pethonorifice exceptus, acclamatione Cleri Populiq; Romani à Ioanne Papa Imperator vnctus est; vt de tempore testantur Flodoardus & Regino. Sed his additur apud Luitprandum, præter alia ingentia largita tunc munera gemmarum, auri, & argenti, ab eodẽ Ottone restituta esse Ecclesiæ Romanæ omnia quæcunq; antea propria eius fuissent; nempe quæ Pipinus & Carolus Magnus olim ei contulissent, sed postea tyranni per vim abstulissent: quibus & alia Otto recens addidit pro remedio animæ suæ, suorumq; parentum ac liberorũ; vt cõstat ex ipso autographo diplomate *a*, quod asseruatur adhuc Romæ in Castello S. Angeli aureis exaratũ literis, & tam ipsius Ottonis, quam eius Episcoporum & Comitum subscriptionibus firmatum; datumq; hoc ipso anno Domini nongẽtesimo sexagesimo secũdo, Indictione quinta, die decimatertia Februarij, Ottonis Imperii (hoc est, Regni) anno vigesimo septimo. Cui quidẽ hanc inter alias inseruit Otto conditionem, vt secundum quod in pacto Eugenij Pontificis, successorumque illius contineretur, omnis clerus, & vniuersa populi Romani nobilitas, ad Pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas, sacramento se obligarent, quatenus futura Pontificũ electio canonice fieret, & vt qui electus esset non ante consecraretur, quam talem in præsentia Legatorum Imperatoris, vel Regis ipsius filij, & totius populi, faceret promissionem pro omnium satisfactione atq; futura conseruatione, qualem Leo Papa sponte fecisse dignosceretur: Itemque vt Legati Pontificis, seu Imperatoris, annuatim eidẽ Imperatori renunciarent, qualiter singuli Duces ac Iudices à Põtifice constituti populo iustitiã facerent. Quæ quidem vt decernerentur, vis præcedentium tyrannorum effecit; aduersus quos Imperatoris opus fuit auxilium implorare.

a [Rec. Bar. Annal. T. 5. X. hoc an. Ex quo quidem videas, progressu temporum plura Ecclesiæ Rom. detracta, quam addita. Quæ vero aduersus illud blaterat *Goldastus*, refellit *Gretserus* c. 20. Apol. Baron. & lib. 2 cont. Replicat. c. 15. de quib. sup. ad an. 774. post num IV.] DE PONTIF. ROM. ELECTIONE.

Eodem anno celebrata est in Gallia SYNODVS MELDENSIS tredecim Episcoporum ex Rhemensi ac Senonensi diœcesi, occasione vacantis sedis Rhemensis, defuncto anno superiori Artaldo. In qua cum à nonnullis Episcopis ageretur de restitutione Hugonis olim intrusi, sed per alias Synodos, ipsumq; Agapetum Papam electi & excommunicati; re denuo ad Papam remissa, rescripto Ioannis ab eiusdem Hugonis restitutione cessatum est: fauenteq; Lothario Francorum Rege, electus est Archiepiscopus Odalricus illustris clericus, Hugonis cuiusdã Comitis filius. Hęc Flodoardus hoc anno.

II. CONCIL. MELDEN. IN CAVSA EPISC. RHEM.

IESV CHRISTI AN. 963.

IOAN. XII. AN. 8.

OTTONIS 2.

NICEPH. PHOC. I.

I.

ANno Christi nongentesimo sexagesimo tertio, Indictione sexta, Ottone Imper. Papiæ existente, Ioannes Papa motus quod ille duos Cardinales rebelles suscepisse, & Papæ subditos sibi sacramento ad stringere diceretur, quodq; ea quæ Ecclesiæ essent restituere cunctaretur; ab eo deficiens, contra iusiurandum ipsi Romæ præstitum, adhæsit Adelberto Berengarii filio, qui huc illucq; discurrens, quoscumq; poterat sibi aduersus Ottonem attrahere satagebat. Ponit ista hoc anno Regino; quæ fusius descripsit auctor Luitprandus *a* assertus, de quo superius dictum est, ea mirum in modum aduersus Ioannem in fauorem Imperatoris exaggerans. Ait autem, Ottonem missis ad Pontificem Legatis, se de obiectis interposito iureiurando excusasse; mãdasseq; vt si Papa non crederet iuramento, id Legati duello verum esse probarent: Papa vero neutram satisfactionẽ admittente, ipsummet Imperatorem cum exercitu Romam aduenientem, Papa fuga elapso, à ciuibus susceptum esse, atque ab eisdem fidelitatem ei promissam; iuratumque numquam se Papã electuros aut ordinaturos, præter consensum aut electionem ipsius Ottonis, eiusque filij. At cuius ponderis esse potuit ista promissio siue à Romanis laicis, siue à Cardinalibus (nam & eorum aliquos iurasse, idem auctor significat) facta absque consensu tum existentis Romani Pontificis;

I. DISSENSIO INTER IOAN. PP. ET OTTON. IMP.

a Ap. Luitp. lib. 6. cap 6.

ficis; cum præsertim nondum damnatus, atque cessare iussus esset Ioannes?

II. CONCILIAB. ADVERSVS IOAN.

Post hanc vero promissionem addit auctor, Imperatorem rogantibus Episcopis ac plebe, ibidem *Romæ* apud S. Petrum CONCILIVM mense Nouembri celebrasse Episcoporum Italiæ, nonnullorumque Germanorum, & totius Cleri procerumque Vrbis: atque in eo variis atrocibusque obiectis in Ioannem criminibus, homicidij, periurii, sacrilegii, incestus, aliorumque nefandorum scelerum; cum ipse citatus à Synodo vt de iis se purgaturus accederet, nihil aliud rescripsisset, nisi excommunicare se omnes Episcopos si vllum alium Papam eligere præsumerent: nihilominus eosdem, annuente ipsorum petitioni Imperatore, in locum eius subrogasse, & consuetis ritibus consecrasse, *Leonem* eiusdem Ecclesiæ Protoscrinarium. Hæc ille pluribus: qui & recitat *b* ipsa Acta huius pseudosynodi. In quibus quam multipliciter peccatum *c* fuerit, vix dici potest. Primo enim, cum iidē omnes qui ei interfuerunt, Ioannem agnoscerent vt verum Vniuersalem Papam, sicut suis ad eum scriptis literis sunt professi; vnde ipsis cogendi Concilii facultas contra Romanum Pontificem absque eius consensu? Rursus in quanam Synodo, licet contra aliquem hæresiarcham conuocata, non præcessit damnationem citatio trina? At Ioannes bis dumtaxat vocatus est, nec nisi semel repertus. Sed & cui reorum, quamuis vili homuncioni, non ante sententiam aliqua data à iure perendina dilatio? Ioannes tamen eadem qua secundo citatus est die, damnatus est. Deinde in quanam alia vmquam Synodo petierunt Episcopi, vt Imperator homo laicus virum Ecclesiasticum condemnaret, & nō potius ab Imperatore postulatum est vt à Synodo id ageretur? Et tamen illud in hoc Concilio factum est. Præterea quis aliquando accusatus hæresiarcha, vel infamissima quæque persona conuicta in Synodo, absque sententia lata, omniumque subscriptione firmata, legitur è throno depositus? At hic nulla prorsus in Ioannem scripta vel dicta sentētia, sed simplici rogatione Imperatoris successor est ei datus. Et rursum qualis successor? quem videlicet Sigebertus ait, laicū adhuc fuisse cū electus est Pontifex, cōtra omnia antiqua *d* decreta.

LEO PSEVDOPAPA INTRVDITVR.

b *Ibid. ca. 6. & 7.*

c [*Goldast.* contra Baron. contendit, hoc fuisse legitimum Cōcilium: sed refellit eius nænias Gretser. c. 17. Apol. & lib. 2. cont. Replic. ca. 12. de quibus dictū est ad an. 774. post num. IV.]

d *Ap. Grat. dist. 79. cap. 3. 4.*

Quinimmo etsi cuncta rite peracta fuissent; nonne sua sponte statim corruunt, cum ab excommunicatis ab eo quē ipsimet verum Pontificem agnoscerēt, constet esse peracta? Et vbi vmquam auditum, vt ab Orthodoxis Episcopis Prima Sedes, ipseque Romanus Pontifex, iudicaretur? quod quidem nec in accusationibus aduersus Marcellinum, Symmachum, aliosque præsumptum est: immo & in Conciliis tam prouincialibus quam Oecumenicis declaratum esse, Sedem Apostolicam à nemine posse iudicari, & in his quæ ad mores spectant totam causam Deo reseruandam esse, in Damasi Papę iudicio comprobatum fuisse superius demonstratum est. Denique quis dubitet, hæreticum esse dogma, asserere propter peccata auferri à Pontificibus clauium potestatem ligandi atq; soluendi à Deo traditam facultatem? Et tamen ipsi expressis verbis id professi sunt in literis ad Ioannē post eius in ipsos latam excommunicationem rescriptis. Ex his ergo probe intelligitur, nulla ex parte subsistere potuisse de cōdemnatione Ioannis eiusmodi spurium & sacrilegum iudicium Synodale; sicut nec subrogationem Leonis: licet iste & inter Romanos Pontifices numeratus reperiatur sub nomine Leonis VIII. & à plerisque legitimus asseratur. Scriptorum enim error nullum afferre potest veritati præiudicium; nec numerata Leonum ita nominatorum Pontificum series, esse faciet quod non est. Ceterum quæ post hanc pseudosynodum gesta fuerint, dicetur anno sequenti.

III. PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.

IV.

Hoc eodem anno decimaquinta Martij mortuus est Romanus Imperator Constantinopolitanus, anno ætatis vigesimoquarto, siue exhausto corpore turpissimis & voluptuariis rebus, siue veneno peremptus. Cui licet filii successissent, *Basilius* & *Constantinus* pueri; tamen affectantibus aliis Imperium, NICEPHORVS PHOCAS clarus victoriis ab exercitu Imperator acclamatus est, & Constantinopolim veniens decimasexta Augusti à Polyeucto Patriarcha coronatus. Qui nihilominus paulo post ab eodem Polyeucto Ecclesia pulsus est duplici causa; primo quod cum olim aliam vxorē habuisset, iam secundas nuptias iniisset cū Theophane Augusta relicta Romani, absque vlla peracta pœnitentia; deinde quod assereretur in baptismo suscepisse filium eiusdē Theophanes. Ceterum cum magnæ hinc orirentur contentiones, habito *Constantinopoli* Episcoporum & Senatorum *Conuentu*, iureiurando Imperator affirmauit se eum non suscepisse puerum; sicque à Patriarcha, inuito licet, in communionem receptus est, condonata ei pariter secundarum nuptiarum pœna à canonibus ac legibus imposita. Hæc omnia Curopalates pluribus.

NICEPHORVS PHOCAS IMP. AB ECCLESIA PELLITVR PER PATRIARCHAM.

Qui addit, eumdem Nicephorum misisse Patricium Manuelem cum exercitu aduersus Saracenos Siciliæ, vt Orientale Imperium eximeret à pensitatione tributi, quod soluebat Saracenis à tempore Basilii Macedonis. Verum ob imperitiam Ducis male pugnatum est, ipseque cum exercitu peremptus; erectis eo maxime Saracenorum animis aduersus Græcos, quod legissent in vaticiniis Hyppoliti Episcopi in Sicilia, Saracenos non vincendos & conterendos à Græcis, sed à Francis. Hæc Luitprandus in Relatione suæ Legationis, de qua inferius dicendum.

V. VATICINIVM DE SARACENIS VINCENDIS À FRANCIS.

IESV CHRISTI AN. 964.

IOAN. XII. AN. 9.

OTTONIS 3.

NICEPH. PHOC. 2.

ANno Domini nongentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, mense Ianuarij, Romanis in Ottonem imp. & in Leonem ab eo iussum creari Pontificem, arma parantibus; idem Otto ingētem de illis stragem edidit. Cumq; post hæc Spoletum petiisset aduersus Adalbertum, iidē Romani Leonem expellentes, Ioannem Papam in Vrbem reuocarunt; à quo male habiti quidam Episcopi & Cardinales, ad Ottonem refugerunt; qui reparato exercitu, Romam redire disposuit. Hæc pluribus Regino hoc anno, & auctor qui asseritur Luitprandus *a*.

I. ROMANI CONTRA OTTON. IMP.

Sed prætermittit vterque alias res gestas à Ioanne cum est regressus in Vrbem, quę a Sigeberto narrantur in Chronico: nempe, eumdem Pontificem SYNODO collecta, Leonem intrusum deposuisse, & eius ac pro eo gesta cuncta cassasse. Extantq; ipsa huius Synodi Acta integra, quæ etiam Nouatores *b* descripsere; quibus constat eam habitam esse *Romæ* in basilica S. Petri, anno Domini nongentesimo sexagesimo quarto, Ottonis tertio, Indictione septima, die vigesima sexta Februarii, positis in medio sacrosanctis Christi Euangeliis, præsidente vero ipso Summo Pontifice Ioanne XII. præsentibusq; plurimis Episcopis, ac Cardinalibus tā presbyteris quam diaconis. Eius autem Actione Prima, omnium vna voce damnatum est pseudoconcilium ab Ottone habitum pro electione Leonis; ipseque Leo curialis, ac neophytus, & periurus, schismaticus intrusus, perpetuo anathemati cum sociis suis atq; fautoribus subiectus. Actione Secunda actum est de eiusdem Leonis ordinatoribus, sed eorum causæ definitio remissa in Sessionem Tertiam. Damnati quoq; qui pecunias pro impositione manuū eidem Leoni dedissent; decretumq; vt minor maiori suo gradum tollere nō præsumat. Tertia demum Actione, Sico Episcopus Ostiensis ordinator Leonis excommunicatus est, & à Leone ordinati depositi atque in pristinos gradus reiecti. Quæ omnia subsecutæ sunt subscriptiones Patrum.

a *Ap. Luitp. lib. 6. ca. 11.*

II. CONCIL. ROM. PRO DAMNATIONE GESTORVM CONTRA IOAN. PP.

b *Centur. 10. col. 444.*

De ipso autem Ioanne Papa idē auctor qui asseritur Luitprandus *c*, (quisquis ille fuerit, aduersarium fuisse liquet, ac schismaticorum complicem:) scribit eum quadam nocte extra Romam dum cuiusdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeo à diabolo esse percussum, vt intra octo dierū spatium eo vulnere sit mortuus. Quæ si vera sint; non quia iuste damnatus, & iniuste receptus, (vt idem auctor nugatur) sed quia tot tantisq; vexationibus à Deo admonitus, minime à peccatis consuetis abstinuit, iuste meruit à Deo tandem puniri. Contigisse autē eius obitum pridie Idus Maii, apud Reginonem asseritur: vbi & dicitur, in eiusdem Ioannis locum à Romanis suffectum esse BENEDICTVM quemdam R. E.

III. IOAN. OBITVS.

c *Ap. Luitp. ibid.*

BENED. V. ELIGITVR, ET PAVLO POST EIICITVR.

diaconum: (fuit is eius nominis Papa Quintus:) Sed eo audito, Ottonem cum exercitu Romam aduentasse, ac post aliquot hebdomadarum obsidionem, eam fame laborantem in deditionem accepisse nono Calendas Iulii in vigilia Ioannis Baptistæ. Assertus vero Luitprandus ait, confestim à Leone pseudopontifice per Imperatorem restituto, celebratam esse in ecclesia Lateranensi *Synodum*, in qua Benedictus est depositus & exauctoratus: eumdemq; veniam petentem, precibus Ottonis diaconum quidem vt prius remanere permissum, sed tamen in exilium pulsum esse. Hucusq; auctor male inscriptus Luitprandus, finem suæ imponens Historiæ, nisi mutilata remanserit. Porro sicut in Ioannem, ita & multo magis in Benedictum se ostendit iniquum, fauens plus satis Ottoni; quem Germaniæ scriptores integerrimi, hoc nomine (vt dicetur inferius) reprehendunt. Quomodo vero scelus statim vendicauerit Deus, apud Reginonem subiicitur; dum dicitur, Imperatore post festum Apostolorum Roma recedente, sæuissimam exercitum eius pestem & mortalitatẽ inuasisse, qua innumera multitudo tam nobilium quã gregariorum militum, itemq; Antistitum, ac denique omnis generis hominum, extincta fuerit. Eam vero cladem passum esse Imperatorem ob iniurias illatas Bededicto Papæ, testatur etiam Ditmarus Episcopus Merseburgius, huius temporis scriptor nobilissimus, in Chronico *d*, quod incipiens ab Ottone perduxit ad annum vsque millesimum decimumoctauum; quo tempore se vixisse tradit.

PESTIS IN EXERCITV IMP. OB EX PVLSVM BENED.

d Ditm. lib. 2.

IV.

Fertur autem apud Gratianum *e*, inconsiderate nimis ista tractantem, huius pseudosynodi sub Leone pseudopontifice celebratæ, canon de facultate ab ipso data Ottoni Imperatori, eiusque successoribus Italiæ Regibus, eligendi atque ordinandi Pontifices Romanos, aliisq; Atchiepiscopis atq; Episcopis inuestituras tribuendi. Quam quidem Constitutionem, etiamsi vere fieri contigerit, nullius tamen esse roboris constat, quod à non legitimo Papa sit promulgata, quiduis agente in gratiam eius qui ipsum intruserat. Ceterũ & ipsam ascititiam esse atque confictam, satis demonstratũ est superius *f*, vbi egimus de simili concessione à Sigeberto prolata nomine Hadriani Papę Primi in gratiam Caroli Magni. Ista vero Leonis, vel ex eo manifestioris impostura arguitur, quod in fine sancitum habet, vt vltimo afficiatur supplicio siquis eius inueniatur esse transgressor: quod quam abhorreat à Romanorum Pontificum Constitutionibus liquet omnibus.

e Dist. 63. c. 23. in Synod. LEONIS NOMINE CONSTITVTIONES FALSI REDARGVVNTVR.

His quoque adde euidentem falsitatem alterius, eiusdem Leonis Octaui nomine confictę Synodalis Cõstitutionis *g*, (sic enim fraus fraudem aperit) qua ipse profitetur restituere se Ottoni Imperatori, eiusque successoribus Italiæ Regibus, quæcumq; de rebus Italiæ tam Pipinus & Carolus Francorum Reges, quam Iustinianus Imp. & Aritpertus Rex donassent Ecclesiæ Romanæ. Inuentum haud dubium eorumdem illorum, qui tempore schismaticorum Imperatorum fauebant ipsis: sed ita insulsum ineptumque, vt omnibus deridendum pateat. Ac primum de his quę ad rationem temporis spectant, data habetur eiusmodi Constitutio tertio Calendas Maii in Lateranensi Palatio. At ex auctore huius temporis constat, Ottonem vna cum Leone non esse Vrbem ingressum hoc anno ante nonum Calendas Iulii in ipsa vigilia Natiuitatis Ioannis Baptistæ. Ita enim disertis verbis apud Reginonem notatum inuenies; quod & superius diximus: qui annus non secundus Ottonis & Leonis (vt commentitia Constitutione dicitur) sed tertius Ottonis, Leonis vero primus fuit. In subscriptione autem Episcoporum, quanta falsitas? nam prorsus omnes diuersi sunt nomine ab illis qui anno superiori itidem Romano Concilio interfuerunt in exauctoratione Ioannis Papæ earumdem Ecclesiarum Episcopi. Sed nec hoc fingi potest: quippe (vt de vno tantum dicamus) Ioannes Narniensis qui interfuit Concilio anni superioris, non potuit diem obiisse, & suffectus esse Martinus qui huius anni Cõcilio interfuisse fingitur: siquidem ille ipse Ioannes Narniẽsis creatus postea reperitur Romanus Pontifex, & dictus Ioannes XIII. Hisq; adde, quod eamdem diuersitatem inuenies in nominibus Cardinalium, insuper & procerum Romanorum, vt ne vnus quidem sit inuenire qui cum illis concordet; cum tamen iidem esse debuissent qui in vtraque Synodo federunt eiusdem Leonis fautores. Sed quid est quod dicitur restitui à Leone, quæ Iustinianus Romanæ donauit Ecclesiæ, qui ne glebam quidem terræ ei cõtulisse reperitur? Præterea quomodo inter Titulares Cardinales nominati reperiuntur presbyteri tituli Lateranensis, & S. Petri, & S. Mariæ ad præsepe? quando enim vmquam eiusmodi primariæ Patriarchales Ecclesię reperiri potuerunt vel antea vel post in Titulos annumeratæ? Sed prætermittimus & alias plures verrere quisquilias & sordes, quas per se lector quisque deprehendet.

g Ext. ep. Greg. V. ad Imp. Sax. lib. 4 ep. 10.

V. IMPOS VRA DETEGITVR IMPOSTVRAM.

Inter hæc autem (quod ab res bellicas pertinet) idem Otto Imp. victo Berengario, expugnatoq; castello S. Leonis (est locus in Vmbria munitissimus, in vertice montis altissimi vndequaq; prærupti positus, in quem Berengarius cum Willa vxore sua se receperat:) ipsum vna cum coniuge exulatum in Baioariam misit, vbi vsque ad obitum permansertũt: Willa vero quæ Berengario superuixit, post eius mortem velum sanctimoniale assumpsit, vt tradit auctor qui apud Reginonem Auctarium iunxit. Adelbertus interim eorum filius fuga lapsus, manus euasit Imperatoris.

VI. FINIS BERENGARII.

Quod spectat ad res Orientalis Imperij; hoc & sequenti anno Nicephorus Imp. è manibus Saracenorum vendicauit insulam Cyprum; alibiq; variis locis amplius quam centum vrbes armis ab eis sustulit, interque alias Antiochiam Syriæ. Hæc pluribus Curopalates: qui & rationem reddens, cur Nicephorus adeo de Republica bene meritus, omnibus tamen esset inuisus; id accidisse ait, quod militibus nimium indulgens, eosdem populum vexantes non coerceret; ipseque expensarum in bellis agendarum prætextu, eumdem populum nouis tributis grauaret; sed & donaria Ecclesiarum auferret; ac præter ius fasque in res & personas Ecclesiasticas auctoritatem vsurpans, Synodo adulantium Antistitum habita, electionem Episcoporum sibi vendicasset, & mortuorum spolia raperet, atq; Ecclesiis tributa imponeret. Quod autem omnia ad militum vtilitatem, libertatem, gloriamq; referret, illud præterea in Synodo decernendum *h* proposuit, vt milites qui in bello occubuissent, pro Martyribus haberentur. Verum Patriarcha aliique resistentes, eum ab incœpto coercuere. Nummum insuper imminuit, & alios inæquales cudit, quorum grauiores in tributorum solutionibus exigeret, ac leuiores in erogationibus expenderet. Palatium deniq; in munitionem tyrannicam conuertit, quod ei prædictum esset intra illud ei moriendum esse: aliaque eiusmodi egit, quibus animos omnium à se alienauit: quę omnia recensentur à Curopalate, & post eum à Cedreno, Zonara, Glyca, & aliis recentioribus Græcis auctoribus. Addit vero Cedrenus, quo tempore murus Palatii condebatur, nocte quadam per mare subuectum aliquem ita vociferatum esse; *O Imperator, erigis muros! & tamen si vel ad cœlos eos educas, intus cum sit malum, vrbs captu facilis est:* & qui hæc dixit, diu multumque quæsitum, non tamen inuentum esse. Quomodo vero occisus fuerit, dicetur sub loco.

VII. QVIB. FACINORIBVS NICEPH. IMP. GLORIAM SVAM DEMIGRARIT.

h Vid. supra an. 610. num. 11.

IESV CHRISTI AN. 965.

BENED. V. AN. I.

OTTONIS 4.

NICEPH. PHOC. 3.

I.

ANNO Domini nongentesimo sexagesimo quinto, Indictione octaua, in Saxoniam rediens Otto Imp. multa corpora Sanctorum secum detulit, collocauitque in ecclesia Magdeburgensi recens à se erecta. Sed & Benedictum depositum Papam secum deductum, Adaldago Archiepiscopo Hamburgensi custodiendum commisit. Scribit hæc Ditmarus: qui & eumdem Imperatorem reprehendit, quod Benedictum (*quem*, inquit, *nullus absque Deo iudicare potuit*) iniuste accusatum deponi consensisset: additque, ob eiusdem exilium pestẽ cœlitus immissam esse. Sicut & Adam *a* canonicus Bremensis vetus Chronographus, testatur Benedictũ virum fuisse sanctum, & dignum Sede Apostolica; atque ab

DE SANCTO FINE BENEDICTI PP. XVI. 18.

a Adam. lib. 2. cap. 6.

Hamburgensi Episcopo magno honore detentum: cumque iam Romanis poscentibus ab Imperatore restitui deberet, ibi de Hamburgi in pace quieuisse quarto Nonas Iulii. quo to autem anno, non scribit. Porro ipsum ante obitum multa prophetice prædixisse, quæ postea contigerunt; sed & eiusdē ossa sub Ottone Tertio huius Ottonis nepote, eiusq; iussu, per Episcopum Bremensem Romam translata esse, auctor est Ditmarus *b*. Vt plane, licet sero, cognitus fuerit legitimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex. Nam schismatico digne punito, & in exilio mortuo, qui tātus post mortem honor, vt eius venerandæ reliquiæ ab extremis Germaniæ finibus transferrentur in Vrbem Imperatoris auctoritate per Episcopale ministerium? Quod si fuit is legitimus; Leo sane qui Apostolicam tunc Sedem occupabat, inter spurios & schismaticos est numerandus. Ceterum exploditur iure fabula *c* de Benedicto isto, quod à Ludouico Imp. ad prædicandum Euangeliū ductus sit in Germaniam, inde vero Wandalorum incursu fuerit trucidatus vna cum sexaginta presbyteris. Alia enim ratione dicendus est Martyr; nempe quod à Leone pseudopontifice tam dira sit passus, & exul ipse legitimus Ecclesiæ Pontifex sit defunctus; vt sancti Martyres iidemque Summi Pontifices, Pontianus atque Martinus in exilio vita functi. Quod autem vt martyr coleretur Benedictus; ne ob id Ottonis nomini nota inureretur, fingendi aliam causam martyrii occasionem datam esse existimamus.

b *Ditmar. Chron. lib. 3 Ap. Baron. an. 999. ad fin.*

c *Cranz. in Metrop. Sax. lib. 3. cap. 20. & seqq.*

II. IOAN. PP. XIII.

Hoc item anno *Leonem* pseudopapam diem obiisse, affirmat auctor Appendicis ad Reginonem: subditq; Romanos ad Imperatorem legatos misisse, pro instituendo quem vellet in locum eius; ipsum autem ea de causa in Vrbem direxisse Otgerum Spirensem Episcopū, & Luitprandum Cremonensem; electumq; esse à Populo Romano IOANNEM Narniensem Antistitem, qui in Summum Pontificem creatus, dictus est eius nominis XIII. sed cū statim male tractare cœpisset quosdam Romanorum proceres, eumdem à Rotfredo Vrbis Præfecto expulsum esse, & in Campaniam amandatum. Hæc auctor Appendicis. Meminit vero etiam de eiusdē Ioannis exilio Leo d Ostiensis: quem ait honorifice susceptū digneque habitum fuisse à Pandulpho Principe Capuano. Ceterum quamdiu vixit Benedictus, (nescitur autem certus eius obitus annus) nullus alius potuit dici legitimus Romanus Pontifex, cum eius damnatio nullius fuerit momenti.

d *Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 2. cap. 9.*

III. POLONI AD FIDEM CONVERSI.

Hic ipse notatur annus, quo accolæ antiquæ Sarmatiæ, Slauorum propago, recentiori nomine *Poloni* nuncupati, Christiano sunt nomine insigniti: cum alioqui ad Sarmatas antiquitus Christi Euangelium penetrasse, Tertullianus *e* sit testis. Quonam autem Euangelium prædicāte isti hoc tempore crediderint, haud satis exploratum haberi potest. Illud tantum indubitatum, commercio propinquorum Christianorum Boemorum, Meiscone siue Meiscam, quem alii Miezislaum nominant, Polonorum Ducem ad meliorem frugē conuersum esse, abdicatis à se concubinis septem, è quibus nullam prolem consequi potuisset: duxisse autem legitimam vxorem Boleslai primi Boemorum Ducis filiam, eamdemq; Christianam, nomine Dambronwchā, siue (vt alii *f* vocant) Dabrauam, vel Dobberam; sed ea lege vt ipse fieret Christianus: quod & magno animo perfecit, & alios sibi subditos id ipsum præstare curauit, idola confringēs, & reliqua ad ipsorum cultum spectantia comburens. Qua de re cum certiorē reddidisset Romanum Pontificem, petiisset q; ab eo aliquem mitti qui eam prouinciam Christianis ritibus imbueret; Ioannes Papa continuo ad ipsos misit *Ægidium* Tusculanum Episcopum Legatum à Latere, qui credentem Regem cum populo stabiliuit in fide, & Episcopatus diuersos erexit, atque in iis sacerdotes & reliquos ministros ad omnes erudiēdos constituit. Descripsit vero hæc pluribus Chromerus *g*, aliiq; rerum Polonicarum auctores. Sicque Polonorum nomen hactenus obscurum, nec nominatū, diuinæ lucis radiis illustratum, Christiana religione susceptā mox cœpit esse toti Orbi Christiano conspicuum; de quo sæpe dicendum inferius. Verum prædictū Ducem Miezislaum, post obitum Dabrauæ vxoris pientissimæ feminæ, iunxisse sibi monialem, Odam nomine, atque ex ea tres filios generasse, habet Ditmarus *h*.

e *Tertul. cont. Iud.*

f *Ditmar. lib. 4.*

g *Chrom. lib. 3.*

h *Dimar. lib. 4.*

IV. IOAN. PP.

De alia quoq; Legatione per eumdem Ioannem Papam XIII. in Wandaliam (quæ & ipsa pars est ampliſſimæ Slauoniæ regionis) missa ad petitionem Meisconis monarchę, meminit Stanislaus *i* Orichouius Roxolanus; qua functos ait quamplures insignes viros, qui illius regionis populos fidem Christi docuerunt, Ecclesiasque erexerunt.

MITTIT PRÆDICATORES IN WANDAL.

i *Ap. Sander. de Visib. Monarch. num. 695.*

Eodem *k* anno quinto Idus Octobris, Bruno Archiepiscopus Colonienſis germanus Ottonis Imp. obiit: cuius extat *l* Vita conscripta à Rotgero monacho. Laudatur magnopere à Ditmaro *m*; qui eum intercessione S. Pauli Apostoli receptum tradit in cælum. Addens vero de eius successore, fratre ipsius, nomine Gerone, affirmat in eius consecratione visos esse S. Petrum Apostolū & S. Ambrosium fundentes oleum; Regem autem detrectantem adhibere consensum, ab Angelo minis exterritū esse. Cuius & mater Hidda peregrinata Hierusalem, illic clara virtutibus sancto fine quieuit.

V.

k *Auctar. ad Regin. 1 Ap. Sur. 11. Oct.*

m *Ditmar. lib. 1.*

IESV CHRISTI AN. 966.

IOAN. XIII. AN. 1.

OTTON. 5.

NICEPH. PHOC. 4.

I.

ANNVS Christi nongentesimus sexagesimus sextus, Indictione nona inchoatus est: cuius autumnali tempore Otto Imp in Italiam rediit, non propter Adelbertum solū adhuc Regium nomen gerentem, & omnia perturbantem; sed propter Ioannem Pontificem, quem à Romanis eiectum acceperat. Tuncq; Romani (vt ait auctor qui apud Reginonem Auctarium iunxit) Imperatoris metuentes aduentum, eumdem Pontificem Romam reuocarunt, & Sedi suæ restituerunt. De his vero quæ spectant ad Ottonis vindictam aduersus hostes Pontificis, in alio Auctario ad Anastasium traditur, præter pulsos Consules ex Italia, & Tribunos necatos suspendio, Præfectum Vrbis qui successerat Rotfredo Ioannis expulsori, nudatum & asino impositum, vtreq; redimitum ad ludibrium circumductum fuisse, atque virgis cæsum: cadauer autem Rotfredi è sepulchro extractum, & in diuersa loca dissipatum.

IOAN. PP. REVOCATVR ROMAM.

IESV CHRISTI AN. 967.

IOAN. XIII. AN. 2.

OTTON. 6.

NICEPH. PHOC. 5.

I.

ANNO Christi nongentesimo sexagesimo septimo, Indictione decima, Otto Imp. (vt in Appendice ad Reginonem legitur) vbi Natalem Domini Romæ celebrasset, Rauēnam profectus est vna cum Ioanne Papa. Vbi celebrato Paschate, SYNODVS Episcoporum est habita; in qua multa ad vtilitatem Ecclesiæ sunt constituta. Ipseq; Otto Ioanni vrbem & terram Rauennatium, aliaq; complura multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata restituit: eumdemq; inde Romam cum magna lætitia remisit, ipse vero in partes Tusciæ secessit. Hæc apud Reginonem. Verum illa de restitutione ablatorum, facta iam fuisse vidimus, vbi Otto à Ioanne XII. coronatus est Romæ. Quamobrem quæ modo in Concilio Rauennate facta dicuntur, fuit tantum confirmatio prætetitæ concessionis, cum aliquo forte additamēto.

CONCIL. RAVEN.

II. OTTO IVNIOR CORONATVR IMP.

Quo item anno eumdem Ottonem Aug. misisse ad Willelmum Archiepiscopum Moguntinum, & alios Germaniæ Principes, vt filium suum Ottonem in Italiam mitterent ad Imperiales insulas suscipiendas, auctor est Lambertus: eumdemq; anno sequenti Romæ coronatum esse, Sigebertus affirmat. Sed in fine anni huius, ipso die Natalis Domini, id accidisse, docere videntur literæ *a* ipsius Ottonis Magni ad

x *Ap. Wirich. lib. 3. in fin.*

suos

suos Duces Germanos anno sequenti decimoquinto Cal. Februarii scriptæ; necnon diploma antiquum monasterii S. Felicitatis Florentiæ sub Sichelmo eius ciuitatis Episcopo, quod ponitur datum mense Septembri inchoante Indictione prima, anno que Magni Ottonis vndecimo, Ottonis vero filii quinto.

III. Quod pertinet ad rerum Hispanicarum statum; mortuus est hoc anno *b* Sancius cognomento Crassus Rex Legionensis, postquam regnasset annos tredecim: qui quidem vrgentibus bellis ciuilibus, (Ordonio cognomento Malo aduersus eum erecto) ad Arabum opem implorandam confugit. Sicq; discordia Christianorum, potentia Saracenorum sub decessoribus Regibus inclinata, magis ac magis inualuit. Successit autem Sancio eius filius Ramirus huius nominis Tertius, quinque annorum puer sub tutela matris Teresiæ.

b Ambr. Moral. 16. Chron. 30.

IESV CHRISTI AN. 968.

IOAN. XIII. AN. 3.

OTTONIS 7.

NICEPH. PHOC. 6.

I. ANno Christi nongentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, Otto Imp. coronato filio in Campaniam proficiscens, apud Capuam Legatos Nicephori Imperatoris Constantinopolitani audiuit: quos pro pace quærenda aduenisse, declarant eiusdē Ottonis literæ *a* inde ad suos duces Germanos decimoquinto Calendas Februarii scriptę. De rebus autē ab eo gestis hoc tempore aduersus Græcos Apuliam & Calabriam occupantes, quarum ipse in dictis suis literis meminit, pluribus agit antiquus auctor qui res Longobardorum Principum Beneuentanorum est prosecutus, Rencpertus nomine, quem Erchempertum Leo *b* Ostiensis appellat. Quod enim Principes Beneuentanum & Capuanum deficientes à Nicephoro recepisset Otto in tutelam suā, eius rei causa Nicephorum valde commotum esse in Ottonem, affirmat Luitprandus Cremonensis Episcopus in Relatione suæ Legationis; cum videlicet ab eodē Ottone missus est Constantinopolim causa nuptiarum inter ipsius Ottonis filium & Annam priuignam Nicephori. Eam autem Legationē præsenti anno contigisse, inde constat quod cum Curopalates asserat ingentē hoc anno exortam esse in Oriente penuriam; (quam & ait Nicephorum in suum lucrum conuertisse, dum frumentum regiū sordide carius æquo vē didit, ideoq; auctum esse ciuium in eum immēsum odium:) similiter Luitprandus in sua relatione narret ingentem reperisse Constantinopoli penuriam. Sed & cum Solis deliquium hoc anno accidisse Curopalates scribat; id ipsum etiam Luitprandus affirmat. Deniq; cum ipse testetur, eo anno quo ea functus est legatione incidisse diem sanctum Pentecostes septimo Iunii; ex reuolutione Astronomicarum tabularum, & Ecclesiastico computo, nonnisi hoc anno eam oportuit contigisse, quo cucurrit Aureus numerus 19. & litera Dominicalis E. D. Ex eadem autem Relatione & illud constat, hoc pariter anno à Ioanne Papa missos esse Legatos ad eumdem Nicephorum, pro iisdem quas diximus nuptiis contrahendis.

a Ap. Vi. tel. lib. 3. insfr. De reb. gest. Ottonis Imp. ad versus Græcos. Leo Ost. 3 Chron. 62.

LEGATIO LVITPRANDI CONSTANTINOPOLIM.

II. Sed causa cur tam illos, quam Luitprandum ab Ottone missum, Nicephorus spreuerit, immo & pessime habuerit, ex ipsa Relatione hæc fuisse cognoscitur; nimirum quod & ipse Otto se *Imperatorem* nominaret, & Ioannes Papa in suis literis ipsum Nicephorum vocasset *Imperatorem Græcorum*, Ottonem vero *Romanorum*. Magis autem fuit in Ottonē commotus, quod (vt diximus) Principes Beneuentanum & Capuanum, necnon Salernitanum, ab ipso Nicephoro diuulsos, in suam tutelam recepisset. Porro hæc omnia fusius ipsa Relatio continet, quæ hactenus conseruata *c* est, paucis quæ desunt exceptis: dignissimum egregij viri monumentum, ac lectu incundissimum; quo varios huius temporis Græcorum mores, ritusque, atque tam ipsorum quam Nicephori cum fastum tum insolentiam plusquam barbaricam; fraudesque, sordes, & ignauiam, intelligere valeas. Quæ autem hæc secuta sunt, dicentur anno sequenti.

c Rat. Bapt. ann. X. hoc tempore script. Hist. Cassin.

Hoc eodem anno, cum Otto Capuæ moraretur, & vna cum eo esset Ioannes Papa; idem Pontifex memor beneficiorum olim in eadem ciuitate acceptorum, cum illic exul degeret, gratitudinis ergo ipsam Capuanam Ecclesiam Archiepiscopatus dignitate insigniuit, eiq; primum Archiepiscopum præfecit Ioannē Pandolphi Capuani Principis fratrem. Atque ita prima omnium (quod inuenerim) Ecclesia Capuana Archiepiscopatu in Regno Neapolitano fuit illustrata. Quod vero ad tempus spectat; id hoc anno contigisse, ex Leone *d* Ostiensi satis redditur exploratum, dum ait factum esse anno decimonono Aligerni Casinensis Abbatis; quē ex eodem *e* auctore liquet, anno Redemptoris nongentesimo quadragesimo nono Abbatem fuisse creatum.

III. CAPVANA CIVITAS AVCTA ARCHIEPISCOPATV.

d Leo Ost. Chron. Cassin. lib. 2. c. 9.

e Id. lib. 2. cap. 1. & 5

Cum vero post hæc Ioannes in Vrbem rediisset, contigit primariam Lateranensis ecclesiæ campanam miræ magnitudinis recēs ære fusam super campanile eleuari: quam prius idem Pontifex sacris ritibus Deo consecrauit, atque *Ioannis* nomine (cuius ecclesiæ esset vsui) nuncupauit. Qui sacer ritus in Ecclesia perseuerauit, vt eo modo cāpanæ in ecclesiis collocandæ, Deo primum, impositio eis nomine, dicarentur; quod testantur veteres codices Rituales: licet errore vulgi, pro arbitrio vtentis vocibus, dicantur *baptizari campanæ*, cum eiusmodi benedictionem & nomen (sicut in baptismo nomen infantibus imponitur) ab Episcopis accipiunt.

IV. CAMPANARVM BENEDICTIO.

Hoc eodem anno, qui secundus numeratur Ordonii Tertii Regis Legionensis in Hispania, (vt veteres omnes atque recentiores Chronographi *f* testantur) Northmanni sub Gunderedo duce classe centum nauium comparata, inuasere Gallæciam, & cuncta ferro igneque miscentes, biennali prælio eam prouinciam valde afflixere, atque inter alias Compostellanam ciuitatem destruxere, occiso in prima acie Sisenando Episcopo eius sedis inuasore, arma potius quam sacra tractare assueto. Sed vicinarum prouinciarum exeuntes armati Fideles sub duce Gundisaluo Sancio Castellæ Comite, præuio S. Iacobo Apostolo, eosdem Northmannos præda onustos inuadentes improuise, omnes vel peremere cum ipsorum duce, vel duxere captiuos, aut profugos cum paucis ab incendio relictis nauibus ad propria remeare coegere.

f Sampyr. Fundens. Rudir. Monal. lib. 16. c. 12. & alii.

V. NORTHMANNI INVADVNT GALLÆCIAM.

IESV CHRISTI AN. 969.

IOAN. XIII. AN. 4.

OTTONIS 8.

NICEPH. PHOC. 7.

I. ANno Domini nongentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, Niphorus Imp. legationem ad Ottonem Aug. Græca fraude misit, sub falso prætextu nuptiarum, quarum occasione anno superiori Legati missi fuerant Constantinopolim; re vera tamen vt eum nuptiis occupatum bello appeteret, imparatumque superaret. Quod & accidit, neci tradita exercitus parte, quam Otto tamquam ad excipiendam nurum ad condictum locum misisset. Sed non diu vindicta dilata, iidem fidifragi Græci paulo post ab aliis Ottonis Ducibus ad internecionem cæsi sunt, & Calabria atque Apulia eis sublata: qui vero capti fuere, obtruncatis natibus Constantinopolim remissi sunt. Itaque Constantinopolitani à suis audientes male pugnatum, aduersus Nicephorum insurgentes, eumdem adiuuante ipsius coniuge, ac ministerio Ioannis Zemiscis occiderunt, moxque in eius locum, ipsum eius interfectorem IOANNEM subrogarunt. Qui continuo ad Ottonem in Italiam misit puellam regiam, quam ipse filio suo Ottoni petierat. Hæc omnia Witichindus *a* Saxo. Hanc vero puellā, Theophanem, siue Theophaniam dictam, à Ioanne Papa coronatā esse Imperatricem, Sigebertus testatur, ab eodemque Pontifice sacris

I. GRÆCI DOLO APPETVNT LATINOS.

NICEPH. IMP. OCCIDITVR, ET IOAN. ZIMISCES IMPERAT.

a Witich. lib. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ritibus Ottoni Iuniori coniunctam. Curopalates autem pluribus prosecutus Nicephori necem, eam accidisse ait hoc anno, vndecima mensis Decembris; qua ratione non ante sequentem annum dictæ nuptiæ contigisse potuerunt.

II. DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS.

Hic finis Nicephori, rerum Ecclesiasticarum inuasoris, qui antequam eiusmodi se sacrilegiis inquinaret, credi vix potest, quot & quantas paucis dieb⁹ fuerit de Saracenis victorias consecutus: sed vbi in bona Ecclesiæ manus iniecit, omnibus se malis obuoluit, atq; Deum seuerum expertus est vindicem. Siquidem & Græci omnes historici tradunt, ipsum ob eiusmodi sacrilegia male periisse: qui suo exemplo reliquit sancitam Principibus disciplinam. Quod autem exempla Regum perfacile propagentur in Magistratus; post Nicephori quoq; obitum, aduersus sacra loca, Deoque dicatos viros, insiliisse sæpe regiorum ministrorum tyrannidem; sed sicut ille vlciscente numine pœnas dedit, ita in hos diuinam inuigilasse vindictam, docent pluribus pauendis exemplis Acta Vitę *S. Niconis* monachi Armeni, qui sub eodē Nicephoro Phoca claruit in Græcia, ingentibusque miraculis coruscauit; de quo iam superius actum. Quod vero ad nouū imperatorem Ioannem attinet; tradit Curopalates, eum ab ingressu ecclesiæ à Polyeucto Patriarcha repulsum fuisse ob necatum Nicephorum: Cum autem excusaret, quod non propriis manibus eum interfecisset, Patriarcham iussisse interfectores in exilium mitti; ipsamque Theophanam Augustam, cuius iussu id perpetrassent, è palatio eiici, & in insulam relegari: hisq; peractis, sed & conscisso impio Nicephori decreto, quod ad confundendas res Ecclesiæ proposuerat, insuperq; pollicente eodem Ioanne, se ob admissum facinus ad placandum Deum pauperibus facultates quas priuatus possidebat distributurum; tunc demum ei Polyeuctum ingressum ecclesiæ concessisse, & in Natali Domini coronam imposuisse.

PATRIARCHA RESISTIT IMPERATORI.

III. DVORVM PATRIARCH. NECES.

Hoc itē anno (vt idem Curopalates scribit) Saraceni post expugnatas in Syria & Cilicia vrbes, Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum viuum combusserunt, quod eius monitis putarent fore vt ipsos Nicephorus inuaderet: qui & pulcherrimum Dominicæ sepulturæ templum incenderunt. Idemque fecerunt Antiochenses, interfecto suo Patriarcha Christophoro.

IV. MIRACVLVM DE CATENA S. PETRI.

Grande quoque miraculum hoc anno Romæ contigisse de quodam Ottonis Imp. Comite dæmoniaco, sanato virtute Catenæ S. Petri; ac Theodoricum Metensium Episcopū Imperatori sanguine coniunctum, anulum eiusdem sacratissimæ catenæ, multasq; alias diuersorum Sanctorum Reliquias Roma secum in Gallias transtulisse, & in ecclesia S. Vincentii à se constructa collocasse; auctor est Sigebertus.

IESV CHRISTI AN. 970.

IOAN. XIII. AN. 5.

OTTONIS 9.

IOAN. ZEMIS. 1.

I. BARBARI SVPERATI A IOAN. IMP.

ANNO Christi nongentesimo septuagesimo, Indictione decimatertia, Polyeuctus Constantinopolitanus Episcopus, cum sedisset annos quatuordecim, ex hac vita migrauit, post triginta quinque dies ex quo Ioannem Imp. coronasset: In cuius locum *Basilius* monachus Scamandrenus, boni nominis vir subrogatus est. Ita Curopalates, & alij. Cedrenus addit, eumdem Ioannem Imp. Antiochenæ pariter Ecclesiæ præficiendum curasse *Theodorum* quemdam monachum, virum insignem, qui ei prædixisset Imperium. Ac deniq; eorumdem testificatione auctorum constat, Saracenos suis omnibus vndiq; comparatis viribus obsidentes Antiochiam, ab eodem Imp. profligatos esse: & Roxolanos, seu Russos, aliorum barbarorum copiis annitentes, exercituque militum trecentorum & octo millium pollentes, pariter superatos esse.

II. Celebratū vero in Occidente hoc item anno est à S. Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo, auctoritate Ioannis Romani Pontificis, generale CONCILIVM omnium *Angliæ* Episcoporum, aduersus incontinentiam clericorum: quo statutum est, moxq; executioni mandatum, (approbante eodem Summo Pontifice, & adiuuante Edgaro Rege, qui non ita pridem de vi cuidam virgini illata seuere à Dunstano reprehensus, humillime ad pedes eius prostratus, septennē ab eo pœnitentiam acceperat:) vt aut iidem clerici vitam mutantes caste viuerent, aut ab Ecclesia pellerentur, substitutis in eorum locum monachis. Quam rem gestam pluribus describunt Osbertus *a* in Vita S. Dunstani, & Auctor Rerum *b* gestarum S. Oswaldi Episcopi Wigornienſis, vitæ ac mortis admirandæ viri; qui & ipse vna cum Ethelwdo Wintonēsi, tam in prædicto Concilio, quam in eius decretorum executione, egregiam nauauit operam. Qui quidem in monasterio Rameſciæ *Abbonem* Floriacensem monachum, morum sanctitate præclarum, & literis egregie eruditum, constituit qui monachos doceret, scholis præesset, & tum monasticam disciplinam, tum literaturam scientiam promoueret, qui demum Floriacum reuersus, ibi Abbas effectus est: de quo rursum inferius.

CONCIL. ANGLIC. QVO MONACHI IN LOCVM CLERICOR. INTRODVCTI SVNT.

a *Ap. Sur. 19 Maii.*
b *Ap. Sur. 15 Oct. & Baron. hoc an. & 992. in fine.*

IESV CHRISTI AN. 971.

IOAN. XIII. AN. 6.

OTTONIS 10.

IOAN. ZEMIS. 2.

I. CONCIL. ROM.

ANNO Christi nongentesimo septuagesimo primo, Indictione decimaquarta, habita est *Romæ* à Ioanne Papa SYNODVS Generalis; ad quam inter alia missa est Legatio ab Edgaro Anglorum Rege, & à S. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, siue Dorouernēsi, vt à Pontifice confirmarentur priuilegia concessa ab eodem Rege monasterio S. MARIÆ *Glastingebiri*: quod & factum esse, pluribus docet Wilelmus Malmesburiensis.

Eodem anno Otto Imp. firmato fœdere cū Ioanne Græcorum Imperatore, & Pandulpho *a* Beneuentano Principe restituto, qui antea captiuus à Nicephoro detinebatur; recessurus ab Italia, vna cum Adelaide coniuge Rauennā peruenit. Vbi à S. Vdalrico Augustano Episcopo, post visitata Limina Apostolorum ab Vrbe redeunte conuentus, eidem expetenti concessit vt administratio negotiorum sęcularium Ecclesiæ ipsius, simulq; promissio futuræ post eius mortem successionis in ea, daretur Adalberoni eiusdem Vdalrici sororis filio. Quod tamen factum, & ipsemet Vdalricus iam proxime moriturus valde detestatus est, cum ad supremum Iudicium raptus per visum, accepit ea se de causa, nimirum quod affectu carnali indulsisset nepoti suo, id obnixius expostulanti; (cum alioqui idem Adalbero dignus haud dubium censeretur ob doctrinam ac virtutes suas tanto munere:) pœnis mancipandum purgatoriis; & idem eius nepos infeliciter luit, vt dicetur anno sequenti. Ceterum hæc de S. Vdalrico summatim dicta, simulque eiusdem Augustam reditum, pluribus descripsit auctor *b* qui primus res ab eo gestas prosecutus est.

II. a *Chron. Benedict. Princip. Long.*

S. VDALRICI ACTIO DE SVBROGANDO SIBI NEPOTE IMPROBATA.

b *Vit. S. Adalb. c. 21. & seqq.*

Hoc eodem anno Otto Imp. Magdeburgensem ciuitatē à se conditam, Metropolim constituens Slauoniæ, eidē primum Archiepiscopum præficiendum curauit Adelbertum summæ sanctitatis virum; vt tradit Adam Bremensis Chronographus *c*, describens amplissimę Slauorum regionis populos, quos omnes ait virtute Ottonis ad Christianitatem conuersos esse. Porro istum Adelbertum diuersum esse scias ab alio eiusdem nominis paulo iuniori Pragensi Episcopo & Martyre; de quo inferius; quos nonnulli conflant in vnum.

II. CIVITAS ET ECCLES. MAGDEBVRG. ERIGITVR.

c *Adam. lib. 2. c. 7. & seqq.*

Quod ad res pertinet Orientales, teste Ioanne Curopalate, & aliis qui ex eo quæ narrant descripsere, Ioannes Imp. diuina sanctissimæ Dei-Genitricis, sanctorumq; Martyrum Georgij & Theodori ope, quibus tutoribus ac propugnatoribus contra hostes vti consueuerat, ingenti gloria Russos, & Bulgaros, Scythas, Turcas, & alios barbaros aduersus Romanos simul fœdere iunctos numero trecentorum triginta millium militum, iteratis summo labore atque periculo

IV. IOAN. IMP. OTTOS SS. SVPERAT HOSTES.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

TRIVMPHVS RELIGIOSVS IMP. Cui alium similem vid. inf. an. 1123 num. III.

sæpe prælijs superauit: quando & capto Rege Bulgarorum Borise vna cum vxore & liberis, Bulgarorum Regnum extinctum est, eiusq; prouinciæ primaria ciuitas Parasthlaba dicta, mutato nomine ab Imperatore *Ioannopolis* nuncupata. Rediens vero Constantinopolim, eadē qua vicerat religione triumphauit; dum ipse equo albo vectus, venerandā sanctissimæ Virginis Imaginem, vt ciuitatis patronæ, in curru triumphali super Bulgarorum vestibus impositam deferri iussit. Coronam inde regiam Bulgaricam in magno templo Deo dicauit; nouum templum in honorem Theodori Martyris construxit, donisq; ditauit; partem tributorum populo remisit; primusq; omnium Imperatorum solidos aureos, obolosq;, Saluatoris Imagine signari voluit, & in eorum altera parte hæc verba inscribi, CHRISTVS REX REGVM: quod & subsequentes obseruarunt Imperatores. Hæc omnia Curopalates; qui eiusmodi Bellum ab Imperatore confectum accurate descripsit, à quo & alii receperunt.

IESV CHRISTI AN. 972.

DONVS.

OTTON. II.

IOAN. ZEMIS. 3.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANNO Domini nongentesimo septuagesimo secundo, Indictione decimaquinta, octauo Idus Septembris, *Ioannes* Papa diem obiit; sepultusq; est in ecclesia S. Pauli; cum sedisset annos sex, menses vndecim, dies quinque; vt colligitur ex epitaphio ipsius sepulchri, quod adhuc visitur in eadē basilica. In eius vero locum suffectus est duodecimo Calendas Octobris, DONVS, siue Domnus, aliter Domnio, (apud diuersos enim diuerse scriptus reperitur) patria Romanus; qui sedit tantum menses tres, obiitq; decimoquarto Calendas Ianuarij. Sequenti autem die in locum eius subrogatus est BENEDICTVS huius nominis Sextus, patria Romanus, filius Hildebrandi.

DONVS CREATVR, ET MORITVR. BENED. PP. VI.

II. CONCIL. INGELHEIM.

Eodem anno Otto Aug. vna cum filio item Imperatore reuersus in Germaniam, ad componendas res Ecclesiarum, SYNODVM per Episcopos congregauit in *Ingelheim*. In qua inter alia gesta, cum S. Vdalricus renuntiare vellet Episcopatui Augustano in fauorem nepotis sui Adalberonis, ipseque monasticam regulam & habitum S. Benedicti suscipere; non est permissus ab Episcopis, in eumdem Adalberonem commotis, quod ausus esset baculum pastoralem, tamquam verus esset Episcopus, alio viuente gestare. Flexi tamen eiusdē Vdalrici precibus, polliciti sunt eumdem Adalberonem post ipsius obitum ei successorem ordinare. Et quidem ita iudicauit Synodus ex consensu Imperatorum qui aderant; sed præiudicauit Deus ne Adalbero succederet Vdalrico in Episcopatu, quem tanta animi anxietate petierat; effecitque vt antea nepos quam auunculus moreretur, idque morte subitanea, priusquam volueretur anni illius curriculum. Quæ omnia fusius narrata habentur in Vita eiusdem S. Vdalrici.

S. VDALRICI CONATVS PRO SVBROG. NEPOTE IRRITVS.

IESV CHRISTI AN. 973.

BENED. VI. AN. 1.

OTTONIS 12.

IOAN. ZEMIS. 4.

I. OTTONIS IMP. OBITVS.

ANNO Domini nongentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, Nonis Maij, Otto Magnus Imp. subitaneo morbo in Saxonia interceptus, post sumptam sacratissimam Eucharistiam, feliciter ad Deum migrauit; cum paulo ante diem obiisset Wilelmus Archiepiscopus Moguntinus ipsius filius vir satis laudatus, necnon Mathildis eiusdem Imperatoris mater pientissima femina, quæ & inter Sanctos *a* est relata. Porro de piis istorū funeribus, pluribus agit Witichindus *b*: cui concordat Ditmarus de die obitus Imperatoris, de quo & illud laude dignum affert, ipsum nimirum in prosperis occinere cōsueuisse Dauidicum illud; *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Additque ad laudem, nullum post Carolum Magnum esse inuentum dignum Imperatorem, nisi ipsum Ottonem Magnum. Quod vero longe post hæc tempora Petrus Damiani ad Desiderium Abbatem scribens, ait eumdem Ottonem paulo ante mortem excommunicatum esse à prædicto Wilelmo Archiepiscopo ipsius ex priori coniuge filio, quod postea Adelaidem commatrem suam vxorem duxisset; & ipse hæc dubitans scripsit ex aliorum relatione, nec ab vllo eius temporis auctore prodita sunt. Deniq; nemo, quod sciam, tradit Adelaidem fuisse commatrem Ottonis: sed etsi fuisset, debuissent ista ipso initio obiici cum eam Otto duxit vxorem, & non post annos viginti duos, cum iam quatuor suscepisset ex ea filios, interq; alios Ottonem Iuniorem, quē idem ipse Wilelmus Archiepiscopus educauit, fouit, & ad Imperium custodiuit; tantum abest vt ex incestuoso ortum coniugio ipsum putarit. Ceterum defuncto Ottone Magno, idē eius filius OTTO Iunior solus imperare cœpit, qui iam cum patre inchoauerat annum sextum. Adelais autem ipsius mater pervenit ætate vsque ad annum Salutis millesimum, quo defuncta asseritur: cuius quidem extat *c* Vita, scripta (vt puto) ab Odilone Abbate Cluniacensi, vbi eadem titulo Sanctitatis insignitur; apponunturque publicæ preces dicendæ in Missa ipsius & Horis canonicis; vnde colligas eam post obitum ritu solemni à Summo Pontifice fuisse inter Sanctos collocatam.

ASSERITVR EXCOMMVN. A FILIO OB INCESTVM.

OTTO II. IMPERAT.

Hoc item anno, quarto Nonas Iulii, S. Vdalricus Episcopus Augustanus mortuus est anno ætatis suæ octogesimo tertio, iam viuens & post mortem clarens miraculis. Quem post viginti annos, videlicet Redemptoris nongentesimo nonagesimo tertio, Indictione sexta, mense Februarij, Ioannes Papa XV. anno Pontificatus sui octauo retulit in Sanctorum numerum, publicoq; diplomate decretum Pontificium in *Synodo* Romæ habita factum, bene testatum posteris tradidit; quod Marcus Velserus nobilis Augustanus nuper edidit *d*, vna cum Vita ac miraculis eiusdem S. Vdalrici scriptis antiquitus ab auctore eius temporis. Extatq; perbreuis epistola Gregorii Papæ *e* Septimi, qua petenti Patriarchæ Aquileiensi concessit, vt in die natalis S. Vdalrici Pallio vti posset: vnde innotescit quam celebris esset cultus eiusdem Sancti; quem qui despexit quidam rusticus laborans in ipsius festo die, mox diuinam vindictam expertus est.

II. S. VDALRICI OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 974.

BENED. VI. AN. 2.

OTTON. II. 1.

IOAN. ZEMIS. 5.

I. BENED. PP STRANGVLATVR A BONIF. INVASORE.

ANNO Christi nongentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, *Benedictus* Papa Sextus, vbi sedisset annum vnum, menses tres, & dies aliquot, à Bonifacio cognomento Francone, sed patria Romano, Ferrutij filio, diacono Cardinale, sceleratissimo viro, violenta manu captus, & in carcerem detrusus, ibi strangulatus est. Ipse vero Bonifacius Sedem Apostolicam inuasit, quam tenuit annum vnum ac mensem; dictusque est *Bonifacius* Septimus: verum vti tyrannus ab antiquioribus non numeratur inter Romanos Pontifices. Nam Leo *a* Ostiensis Benedicto Sexto immediate successisse tradit Benedictum Septimum, de quo agetur anno sequenti.

Hoc item anno, quo quartus *b* inchoatus est Honesti Rauennatis Episcopi, olim Abbatis Classensis famosissimi monasterii S. Apollinaris prope illam ciuitatē; vir sanctissimus ROMVALDVS Rauennas, nobilissima Ducum oriundus stirpe, nuntium remittens sæculo, in eodē Classensi cœnobio ab eodē Honesto monasticum suscepit habitum. Ex quo

S. ROMVALDVS EREMITARVM INSTITVT.

a *Martyrol. Rom. prid. Id. Mart.*
b *Witich. lib. 3. in fin.*
c *Ap. Cani. Tom. V. Antiq. Lect. Agit vero de ea Baron. an. 1000.*
d *Rec. Baro. Tom. X. an. 993.*
e *Greg. VII. ep. 38. lib. 6.*
a *Leo Ost. lib. 2. cap. 4.*
b *Rub. in Hist. Rauenn. hoc an.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

factum est, vt admirandis progressibus sanctitatis ex cœnobio ad vitam transiens anachoreticam, ita fœcundus in prole Sanctorum fuerit, vt Occidentalem Ecclesiam sanctis repleuerit Anachoretis; quorum aliqui Apostolatum ad Gentes meruere, & insigni corona martyrii decorari. Agetur sæpius de illo inferius. Res autem ab eo præclare gestæ scriptæ *c* sunt à Petro Damiani æque patria Rauennate, & sanctitate atque doctrina notissimo, qui his temporibus proximus vixit.

c Ap. Sur. 19 Iunii.

quod omnes clericos, eorumq; fautores confusos reddidit & elingues. Recitat hanc historiã breuiter Matthæus Westmonasteriẽsis; sed expressius ea narratur ab Osberto in Dunstano, qui tamen potius sub dicto Rege Edgaro eam referre videtur. Verum hoc præsenti anno celebratum esse Concilium, etiam vetustiora de rebus gestis Anglorum monumẽta ad Bedam addita fidem faciunt; in quibus pariter recitatur eadem de sacra Christi Imagine historia.

IESV CHRISTI AN. 975.

BENED. VII. AN. 1.

OTTON. II. 2.

IOAN. ZEMIS. 6.

I. ANno Christi nongentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, Benedictus Romanus ex Albericis *a* proueniens, exagitans vrgensq; Bonifacium tyrannum inuasorem Sedis Apostolicæ, eum abire coegit. Qui nefandissimus homo, antequam ab Vrbe recederet, Basilicam Vaticanam omnibus ornamẽtis spoliauit, & sacrilega onustus præda nauigauit Constantinopolim. In cuius locum, omnium suffragio, idem BENEDICTVS ex Sutrino Episcopo creatus est Romanus Pontifex. Quod quidem hoc anno contigisse, ex ipsius sepulchri *b* inscriptione redditur manifestum; vbi dicitur defunctus esse die decima Iulii Indictionis duodecimæ, postquam sedisset annos nouem. Vnde redarguas eos, qui aliam rationem in eius numerandis annis inierunt.

a Leo Ost. lib. 2. cap. 4.

BENED. PP. VII.

b Ext in Basil. S. Cruc in Hierusal.

II. MARTYRES IN HISPANIA.

Hoc eodem tempore, Christiani qui capta & diruta à Saracenis Hispaniam occupantibus ciuitate Septimacensi, immani ciuium cædi superfuere, ducti captiui Cordubam, post biennalem carcerem cum non adduci potuissent fidem abnegare, gladio necati martyrium consecuti sunt. Quos pene obliuione sepultos, ex Archiuo Compostellano Ambrosius *c* Morales in lucem edidit, ex autographo descripto diplomate Regis Veremundi, quod confecit Æra millesima decimatertia, (qui est præsens annus Domini nongentesimus septuagesimus quintus) de donatione facta Ecclesiæ S. Iacobi Apostoli, bonorum vnius ex illis Martyribus per Ranimirum Regem occupatorum.

c Ambr. Moral. in Append. ad Eulog.

III. IOAN. ZEMISCES VENENO SVBLATO, BASIL. ET CONST. FRATRES IMPERANT.

Hoc pariter anno, ingenti damno Reipublicę Orientalis, Ioannes Zemisces Imp. cum in Syriaca esset occupatus expeditione, iamq; victor peruenisset Damascum, veneno potatus, mortuus est Constantinopoli quarta die mensis Decembris. Eademq; die succedere filij Romani Iunioris, BASILIVS & CONSTANTINVS, quorum ille vigesimum, hic decimũseptimum agebat ætatis annum; reuocata pariter eorum matre Theophane in solium, è quo fuerat exturbata & in Proconnesum relegata. Hæc omnia Curopalates, & ex eo alii recentiores. Quibus etiam auctoribus constat, hac eadem Indictione tertia Constantinopoli *Synodum* celebratam esse; in qua Basilius Patriarcha criminis accusatus, depositus est, & in locum eius substitutus *Antonius* Studites.

IV. *d Matth. Westmon. in Flor. Hist.*

Hoc item anno *d* defuncto Angliæ Rege Edgaro, cum regnasset à tempore monarchiæ adeptæ annos sexdecim, ac de nouo Rege eligendo magna inter Principes orta dissensione, petentibus aliis Edwardum defuncti Edgari primogenitum, aliis vero Ethelredum eiusdem ex secunda vxore filiũ; generali habito *Conuentu* Prælulum ac Procerum, Edwardus (vt pater eius moriens iusserat) electus est, ac in Regem vnctus. Eodemque tempore Ecclesia Anglicana nonnihil perturbata est factione clericorum, insurgentium in monachos, qui in eorum incontinẽtium locum (vt superius dictum est) suffecti fuerant. Qua de re cum à S. Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo SYNODVS *Wintoniæ* congregata esset; in medio conflictu disputationis, deprecante ipso Rege, ac plerisque Episcopis, vt iidem clerici restituerentur, suspensisque omnibus ad responsum Dunstani, mirandum illud contigit, vt imago Crucifixi in edito ecclesiæ affixa audientibus cunctis dixerit; *Non fiet, non fiet; Iudicastis bene, mutaretis non bene:*

CONCIL. WINTON. IN CAVSA CLERIC. ET MONACHOR. IMAGO CRVCIFIXI LOCVTA.

IESV CHRISTI AN. 976.

BENED. VII. AN. 2.

OTTONIS II. 3.

BASIL. & CONST. 1.

I. ANno Domini nongentesimo septuagesimo sexto, Indictione quarta, sub Imperatoribus iunioribus moderante habenas Imperii Orientalis Basilio Præfecto Vigilum, qui è medio Ioannẽ Imp. sustulerat; eodemq; Bardam Sclerum cognomento Phocam Ducem Orientis, quem suspectũ haberet, in ordinem reducere conante; ipse *Bardas* suorum consilio militum, vaticinioq; fretus cuiusdam monachi, Imperatoris nomen & insignia assumpsit, magnaq; diu affecit calamitate Imperiũ. Cuius rebellionis timore percitus Antonius Studites Patriarcha Constantinopolitanus, sponte se abdicauit: sicque ea sedes vacauit annis quatuor. Non enim datus est ei successor, quousque vixit. Hæc omnia Curopalates, & alii ex eo.

BARDAS TYRAN. IN ORIENTE.

II. Porro iidem Basilius & Constantinus Impp. ad regendas oras Occidentales, Calabriæ videlicet regionem, inter alios misere Eupraxium Præfectum, de quo est mentio in Vita sanctissimi Patris Nili, cuius ope idem morbo incurabili sanatus, ex fastuosissimo factus est humillimus, & habitũ monasticum suscepit. Fuit autẽ *Nilus* iste ab origine Græca Rossani in Calabria natus, doctrina eximius & pietate insignis, ab infantia Dei cultor egregius: qui post matrimonium vitam monasticam sectatus, breui omnes eius instituti professores facile antecelluit; notus vbique tam in Oriente quam Occidente dono prophetię, & virtute miraculorũ, & à Principibus, atq; etiam Imperatoribus, ipsisq; Summis Pontificibus, honore cultus. Cuius res gestæ Græce conscriptæ ab eius discipulo, nuper etiam Latinitati sunt traditæ. Meminit vero eiusdem Leo *a* Ostiensis, dum narrat quomodo post quatuor abhinc annos præuidens ille venturos in Calabriã Saracenos, à Græcis aduersus Latinos vocatos, eosdemque eam prouinciã misere vastaturos; vna cum suis recesserit ad Cassinates, & ab eis quasi alter Benedictus honorificentissime susceptus, incolendum acceperit monasteriũ S. Michaelis Archangeli, Vallis lucis nuncupatum: quam etiam rem gestam ille eius discipulus fusius est prosecutus. Ita enim plane hic vir sanctus se suosq; ad monasticam vitam composuit, vt nusquam firmas fixerit sedes, sed peregrinantium more, vbi quodam loco aliquandiu mansisset, aliqua occasione captata vna cum suis alio transmigraret: ita expedire iudicans ad omnes numeros perfectissimæ monasticæ obseruantiæ exoluendos, vt affectus liberos ab omnibus terrenarum rerum compedibus conseruaret.

DE S. NILO ABB. *De quo plura Baron. hoc an. & 980. 996. 1000.*

a Leo Ost. Chron. Cas. 17.

IESV CHRISTI AN. 977.

BENED. VII. AN. 3.

OTTON. II. 4.

BASIL. & CONST. 2.

I. ANno Christi nongentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta, S. Romualdus vbi trienium exegisset in Classensi cœnobio, vitam æmulatus anachoreticam,

adeo

DVX VENET. PETIT PACEM CVM ROMVAL. ET ALIIS.

adeo sub Marino viro sanctissimo profecit, vt exemplo suo ad eandem sectandam attraxerit inter alios Petrum Vrseolum Ducem Venetiarum. Hic enim cum ad eius fastigium dignitatis inde peruenisset, quod de cessoris sui Vitalis Candiani tyrannidem affectantis peremptoribus, ea lege fautor extitisset, vt ipse post illius necem Ducatum adipisceretur; idē eius facinoris compunctione diuinitus tactus, consilio cum Marino & Romualdo inito se sponte abdicans, vna cum ipsis, ac Ioanne Gradenico æque nobili Veneto instituti sui conscio, in Gallias secreto secessit; ducem secutus Guarinum quemdam Abbatem Gallum Aquitanum virum sanctissimum, qui orationis gratia per diuersas mundi regiones peregrinari solitus erat. A cuius haud longe monasterio iidem in Gallia vitam agentes anachoreticam, victumq; sibi labore manuum comparantes, magna austeritate carnem domuerunt per plura annorum curricula.

II.

Postquam autem vita iam bene perfuncta Petrus Vrseolus migrasset in cœlum, iidem Guarinus, Ioannes, Marinus, & Romualdus, eodem à quo impulsi fuerant in desertum mouente Spiritu, reuersi sunt in Italiam: quos & secutus est Olibanus quidam Comes ex eadem Aquitaniæ prouincia; qui enarrata quasi per confessionem S. Romualdo vita sua, cum ab eo audisset se aliter saluari non posse, nisi monasticū susciperet institutum, relicto sæculo ad cœnobium se Cassinense cum multis diuitiis S. Benedicto offerendis contulit. Habet hæc omnia fusius Petrus *a* Damiani in Vita eiusdem S. Romualdi. Meminitq; de Petri Vrseoli abdicatione, & in Gallias secreta secessione, etiam Sabellicus in Rebus gestis Venetorum: qui tamen in eo differt à Petro Damiani, quod non Vitalem Candianum, sed Petrum eius patrem à ciuibus opera Petri Vrseoli necatum tradit. Eadem vero de Olibano Comite, habentur pariter in Chronico Cassinate à Leone *b* Ostiensi Episcopo conscripto.

OLIBANI COMITIS CONVERSIO.

a Ap. Sur. 19 Ianuar.

b Leo Ost. lib. 2. ca. 19

IESV CHRISTI AN. 978.

BENED. VII. AN. 4.

OTTON. II. 5.

BASIL. & CONST. 3.

I.

ANno Christi nongentesimo septuagesimo octauo, Indictione sexta, Otto Imp. offensionem passus à Lothario Francorum Rege, eum persecutus est vsq; Parisios *a*. In reditu autem, cùm insequentes eius exercitum Franci, in fluminis cuiusdam transitu eum nullo negotio deleturi essent; adfuit precibus ad Deū fusis S. Wolfgangus Episcopus Ratisponensis, qui Ottonis exercitum præiens trans flumen incolumem mirabiliter perduxit, quam rem gestam narrat auctor qui tunc viuebat, & eiusdem Sancti intimus erat. Quin etiam eam partem exercitus quæ acrius insequeretur Ottonem, male periisse ad flumen, Aimoinus *b* habet.

a Lambert. & Sigeb. hoc an.

S. WOLFGAN. RATISPON. CLARET.

b Aim. lib. 5 cap. 44.

II.

Eodem anno, vt antiqua Ecclesiæ Anglicanæ monumenta *c* docent, *Eduuardus* Rex cum in venatione siti afficeretur, solus diuertens ad nouercam suam, eiusdem insidiis, dum ab ea potum acciperet, sica confossus interiit; id agente scelerata femina, vt eius filius Ethelredus puer decem annorū Regnum consequi posset. Porro ita innocentissimus Rex necatus, miraculis coruscans cultus est ab Anglis vt martyr. Extant *d* Acta necis & miraculorū eius, ab incerto auctore conscripta; in quibus tamen diuersa ab aliis asserūtur de eius necis tempore, cum eam accidisse ponant anno Redemptoris nongentesimo octogesimo primo. Sed & visis ingentibus diuinis miraculis quæ ad corpus eius fierent, eamdem eius nouercam nomine Elfdritham mire pœnituisse, ac per multa tempora magna austeritate vixisse, ibidem traditur. Fuit vero etiam eiusdem S. Edwardi soror nomine *Edita*, alumna S. Ethelwoldi Wintonensis Episcopi; quam & ipsam insignibus post obitum claruisse miraculis, constat ex Actis e Vitæ ipsius.

c Append. ad Bed. de gest. Angl. lib. 2. ca. 12. Flor. hist. Matt. Westmon. hoc an.

S. EDVA. REX INSIDIIS NOVERCÆ NECATVR.

d Ap. Sur. 18 Mart.

e Ap. Sur. 16 Sept. & Bar. an. 984 n. 6.

III.

Eodem tempore Carolus Dux Lotharingiæ frater Lotharij Francorum Regis, pugnans aduersus Hermenfredum occupatorem rerum Ecclesiasticarum, accepit ab eo corpus S. Gudilæ virginis, & Bruxellas intulit: inuasores autem possessionum illius, & descendentes heredes diuina vindicta est iugiter prosecuta, vt omnes miserando vitam finirent interitu. Hæc ex appendice *f* ad Res gestas eiusdem Sanctæ.

VLTIO IN INVASORES RER. ECCLES.

f Ap. Sur. 8. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 979.

BENED. VII. AN. 5.

OTTONIS II. 6.

BASIL. & CONST. 4.

I.

ANno Christi nongentesimo septuagesimo nono, Indictione septima, Calēdis Maii, à SS. Archiepiscopis Dunstano Cantuariensi & Oswaldo Eboracensi, aliisq; Ecclesiæ Anglicanæ Antistitibus, Ethelredus puer decennis Rex Angliæ coronatus est: in qua coronatione idem S. Dunstanus prophetiæ afflatus spiritu eidem Regi prædixit, ob iniustam necem S. Edwardi ab ipsius Ethelredi matre procuratam, non defecturum gladium de domo eius, quousq; Regnum transferretur in Regem alienum, cuius ritum & linguam gēs Anglorum non nosceret. Post quam prophetiam, nubes per totam Angliam, nunc sanguinea, nunc ignea visa est. Narrat hæc Matthæus Westmonasteriensis hoc anno; eademque ferme Osbertus in Dunstano, & auctor qui martyrium Edwardi Regis descripsit.

S. DVNST. VATICINIVM DE REGNO ANGL.

II.

Porro cum adhuc idem Rex Ethelredus puer esset, collectum est CONCILIVM *Calnæ*, quod Clerici aduersus S. Dunstanum reclamarent ob pulsos ipsos ab ecclesiis, & substitutos Monachos. In qua Synodo illud mirandum accidit, vt considentibus Episcopis, aliisq; Regni Senatoribus, in media ipsa disceptatione solariū subito totum dissolutum fuerit; eoq; casu omnibus qui aderant elisit; ipsisq; etiam cunctis aduersariis vel extinctis vel penitus contritis, solus Dunstanus qui Synodo præsidebat illæsus euaserit, stans super vnam quæ superstes erat trabem. Hęc Matthæus Westmonasterienſis anno nongentesimo septuagesimo quinto, multa in vnum iungens: eademq; auctor Appendicis *a* ad Bedam. Sed Osbertus tradit, non solum Dunstanum incolumen euasisse, verum etiam omnes illos qui eius adhærentes sententiæ à monachis starent.

CONCIL. CALNEN. IN CAVSA CLERICOR. ET MONACHOR.

a De gest. Angl lib. 2. cap. 11.

IESV CHRISTI AN. 980.

BENED. VII. AN. 6.

OTTON. II. 7.

BASIL. & CONST. 5.

I.

ANno Christi nongentesimo octogesimo, Indictione octaua, Otto *a* Imp. in Italiam venit; & cum Veronæ esset, *S. Adalberto* viro nobilitate, diuitiis, sciētia, & probis moribus insigni, electo Pragensi in Boemia Episcopo, per virgā pastoralē tradidit eius Ecclesiæ possessionem, quā vocabant Inuestituram. Nominatum hunc primo Voicechum, inunctū vero sacro chrismate à S. Adalberto primo Archiepiscopo Magdeburgensi, ab ipso suo nomine vocatum Adalbertū, tradit *b* qui res ab eo præclare gestas conscripsit auctor eiusdem temporis. Extant tamen & alia eiusdem Vitæ Acta manuscripta, in quibus non Voicechus, sed Wentius in baptismate vocatus asseritur. Quem quidem tradunt, cū præsens audisset Pragensem Episcopum moriendo clamare se à nigris spiritibus deportari; inde immenso horrore correptū, magnum emendationis vitæ studium concepisse: cum vero postmodum haberentur Comitia ad eligendum nouum Episcopum, omnes conuenisse in ipsum Adalbertum; quem se valde timere, dæmon ab energumeno eadem die expulsus fassus est. Sed de tanto Vngarorum &

a Lamb. & Sigeb. hoc an. & alii:

S. ADALBERTVS CREATVR EPISC. PRAGEN.

b Ap. Sur. 23 April.

Prussio-

Prussiorum Apostolo martyrio insiguito, huius perditissimi sæculi decore maximo, dicetur rursum inferius.

II. HARALDI REG. DAN. MARTYRIVM.

Eodem anno *S. Haraldus* Rex Danorum, qui primus Danis Christianitatem indixerat, totumque Septemtrionem prædicatoribus & Ecclesiis repleuerat, postquam regnasset annos quinquaginta, à proprio filio Suen dicto, acerrimo Christianorum hoste, bello appetitus, atque in prælio victus & sauciatus, post dies aliquot in festiuitate Omnium Sanctorum ex eodem vulnere deficiens, gloriam martyrii acquisiuit; quo nomine ab illa Ecclesia perpetuo cultus est. Cum autem post eius obitum, Suen aduersus Christianos persecutionem concitasset; diuina illum insequente vltione, ipse bis in prælio à Slauis captus, totiensque à Danis ingenti auro redemptus, rursumque ab Herico Sueonum Rege Christiano superatus, regno pulsus est: vnde factus profugus super terram, ad Northmannos primum, deinde ad Anglos confugiens, & ab vtrisque repulsus, demum apud Regem Scotiæ locum delitescendi inuenit: vbi quatuordecim annis commoratus, ac post obitum Herici in regnum regressus, iterum eodem pulsus est ab Olaph Herici filio. Quo tempore de peccatis suis tandem pœnitens, cum Deo in gratiam rediit; moxque ab eodem Olaph restitutus, Christianitatem propagans, à Northmannis bello appetitus, victis ipsis eorum Regno potitus est, ac Christi fidem in Norwegia suscipi edicto iussit: sed & in Angliam transfretans, Regem Ethelredum iuxta vaticinium S. Dunstani expulit; & Angliæ Regno auctus, post tres menses occubuit. Hæc omnia pluribus Adam *c* Bremensis vetus Chronographus, illis temporibus proximus: quæ multis annis confecta hic summatim in vnum congessimus, quo exemplo vnius hominis, quam Deus sit iustus & misericors atque longanimis, intelligatur.

VLTIO DIVINA INSEQVITVR REGEM PERSECVTOREM.

c Adam. lib. 2. Chron. c. 18.21.25. 28.29.36.

IESV CHRISTI AN. 981.982.

BENED. VII. AN. 7.8.

OTTON. II. 8.9.

BASIL. & CONST. 6.7.

I. NICOL. CHRYSOBERGES PATRIAR. CONST.

ANnus Christi nongentesimus octogesimus primus, Indictione nona cœptus est: quo diem obiit Antonius Studites Patriarcha Constantinopolitanus; & in eius locum suffectus est *Nicolaus* cognomento *Chrysoberges*. Ita Curopalates. Recenset idem post hæc Bulgarorum eruptionem in Græciam (cum Imperatorum exercitus occupati essent aduersus *Sclerum* tyrannum) sub Samuele ipsorum Rege bellicosissimo: qui Christianus existens, & Sanctorum egregius cultor, (quorum etiam nonnullorum sacras Reliquias in patriam suam transtulit) eorundem patrociniis noscitur pluribus potitus victoriis. Cæterum meminit & huius Bulgarorum inuasionis Auctor Rerum gestarum S. Niconis Μετανοεῖτε cognominati, de quo iam superius dictum est; eiusque precibus eandem à Peloponneso propulsatam esse tradit. Illic enim apud Lacedæmonem habitabat tunc idem Sanctus, Deo charissimus, & miraculorum patrator egregius, ac ferme vnica hoc tenebroso tempore fax Orientis: qui & circa hoc ipsum tempus eandem vrbem Lacedæmonem, rogatus à ciuibus, grauissima peste liberauit, ea lege, vt omnes Iudæi (quos adeo auersabatur, vt nec lingua nec auribus vsurpare nomen illorum vellet) vrbe pellerentur: quod & factum est.

S. NICON SPARTAM TVETVR.

II. Annus porro Christi nongentesimus octogesimus secundum, Indictione decima, nulla præterea rerum gestarum ad institutum pertinentium memoria perspicuus reperitur.

IESV CHRISTI AN. 983.

BENED. VII. AN. 9.

OTTON. II. 10.

BASIL. & CONST. 8.

I. ANno Christi nongentesimo octogesimo tertio, Indictione vndecima, Otto *a* Imp. expeditione parata aduersus Græcos, & quos hi in auxilium aduersus Latinos vocauerant Saracenos, in Calabriam venit: quem quidem præcesserunt vaticinia satis infausta, cum ostensum est, offenso numine in Sanctis suis, ingentem eius exercitui parari cladem. Deplorarunt Scriptores huius temporis, eiusdem Ottonis mores, vtpote nonnihil degeneres à parentis vita cui successerat Ottonis Magni. Inter alios vero, Auctor qui Res gestas S. Adalberti Pragensis Episcopi conscripsit *b*, dum narrat absessionem eiusdem Romam, ob refractarios sui populi animos, vt etiam inde peregrinaretur Hierosolymam; valde quoque conqueritur, quod defuncto hocipso anno *c* altero S. Adalberto Magdeburgensi Archiepiscopo, & qui in locum eius suffectus fuerat Othrico viro insigni; idem Otto *Giselerum* Mersburgensem Antistitem, virum (vt testatur Adam *d* Bremensis) æque sanctum, qui nouellos *Winulorum* populos doctrina & virtutibus illustrauit, Magdeburgensi Ecclesiæ præfecerit, extincto prorsus Episcopatu Mersburgensi, & transfuso in Archiepiscopatum Magdeburgensem. Ita enim rem se habuisse, idem auctor tradit; cui consentiunt Lambertus *e*, & Ditmarus *f* eiusdem Mersburgensis Ecclesiæ postea Episcopus: qui tamen valde diuersa ab Adamo de Giseleti moribus, eiusque causa Romæ in *Synodo* tractata, habet. Ex eo tamen, aliisque prædictis auctoribus, eundem ipsum redarguas Adamum, quod qui vidisset aduersus huiusmodi Ottonis factum eonclamatum fuisse, putauit in eo esse peccatum, quod qui translatus est ad Magdeburgensem Ecclesiam, idem retineret etiam priorem Episcopatum. Cæterum inde factum esse, vt Otto ab hostibus fuerit debellatus, scribit idem auctor Vitæ S. Adalberti: vlciscente videlicet S. Laurentio martyre (in cuius honorem Ecclesia Mersburgensis dicata erat) illatam Ecclesiæ suæ ignominiam: quod & in visione cuidam viro sancto declaratum esse ait.

II. ETVS EXERCITVS CÆDITVR.

Cum igitur (vt diximus) Otto in Calabriam venisset pugnaturus aduersus Græcos & Saracenos vna iunctos, ab eis ipse deuictus est ingenti prælio nauali: quo quidem, vniuerso eius exercitu cæso, atque omnibus pene proceribus, nonnullisque Germanis Episcopis & Abbatibus (qui & ipsi præter ius fasque in eodem prælio militarunt) interfectis; ipse quoque Imperator natando nitens euadere, à nautis captus est, sed ab iis haud cognitus, mox ab Augusta coniuge redemptus est. Agunt de hac clade hoc ipso anno accepta, Marianus Scotus, Sigebertus, Lambertus, Leo *g* Ostiensis, atque auctor Rerum gestarum Sanct. Vdalrici; sed prolixius Ditmarus *h*, cuius auunculus Vdo (vt ipse testatur) in eodem bello peremptus est. Addit vero, post cladem acceptam Ottonem mœrore confectum, de eligendo Rege filio suo Ottone Tertio Comitia habuisse Veronæ; inde vero Romam venisse, ibique mortuum esse septimo Idus Decembris: sepultumque ad introitum Paradisi Ecclesiæ S. Petri, hoc est (vt interpretatur Leo Ostiensis) in atrio eiusdem Ecclesiæ, in labro porphyretico. Subiicit denique Ditmarus, Ottonem Tertium, qui electus Rex fuerat Veronæ, coronatum fuisse Aquisgrani die Natalis Domini huius ipsius anni: eoque officio adimpleto, venisse nuntium de obitu patris. Cæterum ex iis quæ dicentur inferius suis locis, constat Ottonem hunc Tertium Imperii sui annos numerare cœpisse, non à tempore quo parenti successit Imperatori, sed ab eo potius quo coronatus est à Romano Pontifice; antea vero non Imperatorem, sed Regem duntaxat more maiorum nominari voluisse.

Eodem anno perturbans Ethelredus Anglorum Rex Ec-

a Leo Ost. lib. 2. c. 9. OTTONIS IMP. BELLVM INFAVSTVM ADVERSVS GRÆCOS.

b Ap. Sur. 23. April.

c Adam. l. 2. Chron. c. 7.

d Ibid. c. 14.

e Crantz. in Metrop. Saxon. lib. 2. c. 28.

f Ditm. lib. 3. Chron. PECCANS IN S. LAVRENT. PVNITVR.

II. ETVS EXERCITVS CÆDITVR.

g Leo Ost. lib. 2. c. 9.

h Ditm. l. 3.

MORITVR.

[*i* Ita Bar. ad fin. ann. 959. De hac vero inolita consuetudine diximus variis locis: sed tu vide, si cupis, plurima eiusdem exempla in vnum collecta apud Gretser. in Apolog. Baron. aduers. Goldast. c. 40 & 26. & lib. 2. cont. Replicat. c. 15 de quib. sup. ad an. 774. post num. IV]

III. clesiam

Damno suo Reges Ecclesiæ bona capiunt.

Ecclesiam Roffensem, p redemptione pacis ab eius Episcopo argenti centum libras accepit; nihil veritus comminationem, atque prædictionem S. Dunstani de venturis inde ei malis. Expertus est tamen ea post aliquot annos, cum ab infestantibus Angliam Danis decem millibus librarum pacem redimere coactus est. Hæc ex antiquioribus monumentis Matthæus k Westmonasterienſis. Sed de incursione Danorum dicetur pluribus suo loco.

k *Matthæ. Westmon. Flor. hist. hoc ann.*

IESV CHRISTI AN. 984.

IOAN. XIV. AN. 1.

BASIL. & CONST. AN. 9.

I. Bened. PP. obitus.

ANno Christi nongentesimo octogesimo quarto, Indictione duodecima, die decima mensis Iulii, mortuus est *Benedictus* Papa, vbi sedisset annos nouem; vt ex sepulchrali eius inscriptione manifestum redditur, quæ hactenus extat Romæ in basilica S. Crucis in Hierusalem dicta. In cuius locum subrogatus Petrus Episcopus Papiensis, nominatus est IOANNES eius nominis Decimusquartus; quem fuisse Archicancellarium Ottonis Secundi, cōstat ex diplomate quodam eiusdem Imp. dato anno superiori in gratiam monasterii S. Vincentii ad Fontes Vulturni. In quo etiam illud obseruandum, quod cum datum dicatur anno eius Imperii decimosexto, Christi nongentesimo octogesimo tertio, non numerentur anni ab obitu patris, sed à tempore quo à Pontifice coronatus est Imperator anno Domini nongentesimo sexagesimo septimo.

Ioan. XIV creatio.

II. Sodalitium Romæ institutū pro animab. defunct.

Hoc eodem anno Romæ contractum est Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos & Episcopi nonnulli sunt adscripti, ad hoc, vt post obitum singuli consodalium superstitum sacrificiis iuuarentur, ita vt singuli pro singulis quadraginta Missas celebrarent. Cuius instituti adhuc extat in diaconia SS. Martyrum Cosmæ & Damiani monumentum in tabula marmorea, incisum (vt ponitur) tempore Ioannis Papæ XIV. die vigesima secunda Februarii, Indictione duodecima, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo quarto.

III. c Ditmar. Chron. li. 4. Theophanis Aug. pietas.

Eodem anno Rex Otto, suasu piæ matris, corrigendum curauit delictum, quod patri exitium intulerat, de sublato ab Ecclesia Mersburgensi Episcopatu. Qua de causa valde commendatur à Ditmaro *a* eadem Ottonis mater Augusta Theophanes Græca mulier; necnon quod tres filias pie admodum educatas, contemptrices carnalium nuptiarum, cœlestiumque cupidas effecerit; quarum duæ, Adelais altera, altera Sophia dicta, in duobus monasteriis vitam monasticam sunt professæ. Sicut & eiusdem Augustæ, in Rebus gestis S. Adalberti Pragensis Episcopi laudatur solicita cura, & iuges ad Deum preces, continuæque eleemosynæ, pro redemptione animæ defuncti mariti sui erogatæ. Obiisse vero traditur anno Redemptoris nongentesimo nonagesimo primo, regni filii sui septimo.

IESV CHRISTI AN. 985.

IOAN. XIV. AN. 2.

BASIL. & CONST. AN. 10.

I. Bonif. invasor Io. Papam vinc. nec.

ANno Christi nongentesimo octogesimo quinto, Indictione decimatertia, nefandus Bonifacius Apostolicæ Sedis olim inuasor, qui necato Pontifice Benedicto Sexto, & expilata basilica Vaticana, fugerat Constantinopolim; vbi res innouatas accepisset, decessisse nimirum Benedictum Septimum qui eum sede expulerat, & Ottonem Imperatorem, cuius patrocinio Ecclesia Romana fouebatur, Romā rediit: vbi suorum factione potens, Ioannem Papam vinculis alligatum detrusit in S. Angeli munitionem, quæ tenebatur à suis; ibique quatuor detentum mensibus fame perire coegit, ac mortuum exposuit spectādum omnibus pro foribus munitionis. Quæ quidem accepimus ex veteri Vaticano codice Romanorum Pontificum: quibus consentiunt Scriptores omnes. Ioannem autem extinctum esse die vigesima Augusti, sepultumque apud S. Petrum, declarat inscriptio eius sepulchri.

II. Dat pœnas.

Qui vero post illum sacrilegus prædo Sedem iterum Apostolicam inuasit *Bonifacius*, Deo vltore post quatuor ab eius nece menses repentina morte percussus est: quem sui ipsius fautores, post tetræ animæ exhalationem cæsum & lanceis confossum, nudum per pedes tractum insepultum abiecerunt; licet eum quidam clerici postea sepelierint. Hæc ex eodem Vaticano codice, aliisque auctoribus. Quibus videas, parum consulere veritati, & S. Romanæ Ecclesiæ dignitati, qui hunc nefandum parricidam inter Romanos Pontifices referunt; annumerandum potius inter famosos latrones.

III. Ioan. PP. XV.

Quo sublato legitimus creatus est Pontifex IOANNES eius nominis Decimusquintus, natione Romanus, filius Leonis presbyteri post matrimonium facti: quem quidem nonnisi ad finem huius anni creatum oportuit. Sed cum eo tempore nouus in Vrbe tyrannus Crescentius Numentanus, munitionem S. Angeli titulo Consulatus possidere aggressus, inde nonnihil infestare cœpisset eundem Pontificem; ille timore perterritus, secedens in Tusciam, Legationes ad Ottonem Regem mittere frequentauit: cum memores Romani quæ ob iniurias illatas Pontificibus, passi essent tum ab Ottone Primo, tum etiam à Secundo; cuestigio honorifica legatione eundem Ioannem reuocarunt in Vrbem, & piis obsequiis se illi subiecerunt.

IV. a *Ambr. Morales lib. 16. c. 46.*

Hoc pariter anno Ramirum Regem Legionensem esse defunctum, Ambrosius *a* Morales scribit. Cuius ea ex parte memoria damnatur, quod iniens fœdus cum Arabum Rege, totius belli vis conuersa est aduersus Castellæ Comites, & Veremundum in Gallia regnantem; sicque plura loca munita ab Infidelibus capta sunt, cæsique Christiani, atque eorum Ecclesiæ desolatæ. Cum vero & ciuitatem Compostellam vocati à Ruderico Comite Arabes diruissent, mœnibusque nudassent; abstinuerunt tamen magno miraculo ab Apostoli Iacobi sepulchro: quod non solum ab Apostolo seruatum esse illæsum, sed & ipsos hostes graui immisso morbo omnes interiisse, tradit Sampyrus Episcopus sui temporis res gestas prosecutus, & alii post eum. Porro Ramiro defuncto, Veremundus in Legionense Regnum successit, huius nominis Secundus, filius Ordonii Tertii: cuius primordia fuerunt laude dignissima, cum non solum leges ciuiles pene vsu contrario abolitas, sed & Ecclesiasticas, atque Romanorum Pontificum decreta, in obseruantiam reuocauit, & Ecclesias priuilegiis muniuit: postea vero ob iniustam persecutionem illatam Athaulpho Compostellano Episcopo infamatus, inter malos Principes à maioribus numeratur: quippe qui accusationi seruorum contra Dominum fidem adhibens, in Episcopum dolo accitum immisit taurum; qui tamen mox redditus mansuetus in Episcopi manibus arma deposuit à natura concessa, cornua scilicet. Sed quomodo tam falsi accusatores, quam Rex persecutor, diram inde vindictam à Deo perpessi fuerint, pluribus narrant Hispanicarum rerum scriptores.

Ecclesia S. Iacobi diuinitus seruata.

IESV CHRISTI AN. 986.

IOAN. XV. AN. 1.

BASIL. & CONST. AN. 11.

I.

ANno Christi nongentesimo octogesimo sexto, Indictione decimaquarta, sexto Nonas Martii, Lotharius Rex Francorum obiit, cum regnasset annos triginta vnum; relinquens Regni hęredem Ludouicum filium, quem com-

mendauit Hugoni Duci. Hæc Odorannus, qui hoc tempore vixit.

II. TERRÆMOTVS IN ORIENTE.

Quo eodem anno, menſe Octobris, inchoata Indictione decimaquinta, ingentem terræmotum concuſſiſſe ciuitatem Conſtantinopolitanam, & ex eo plura templa corruiſſe, Curopalates ſcribit. Verum non eam tantummodo ciuitatem, ſed & Græciæ prouincias eodem terræmotu mirum in modum quaſſatas eſſe, teſtatur auctor Rerum geſtarum S. Niconis, obiter de illo mentionem habens, dum agit de eiuſdem ſanctiſſimi viri imagine ſaxo diuinitus impreſſa, cum oraret pro auertenda illa clade à Lacedæmoniis, apud quos morabatur.

IESV CHRISTI AN. 987.

IOAN. XV. AN. 2.

BASIL. & CONST. AN. 12.

I. LVDOVIC. FRANC. REX VLTIMVS CAROLINOR. MORITVR.

ANnus Chriſti nongenteſimus octogeſimus ſeptimus, Indictione decimaquinta cœptus eſt: quo Ludouicus Francorum Rex nouiſſimus Carolinorum diem obiit, annovix vno regno potitus. Cumque ſine liberis deceſſiſſet, Regnum Francorum non collatum eſt Carolo ipſius patruo, Lotharii Regis fratri; ſed magis eo contempto ad remotiores, vel omnino extraneos, eſt delatum, nempe ad Hugonem Ducem Pariſienſem. De tempore fidem faciunt Odorannus monachus Senonenſis, & Glaber Cluniacenſis, eius temporis Scriptores. Cur autem à Francorum proceribus repudiatus Carolus fuerit, ea potiſſimum ratio affertur, quod ipſe nimis eſſet Germanorum Principibus addictus, Franci vero haud facile paterentur exteris eſſe ſubiecti.

III. HVGO CAPETVS EX GENERE CAROLI MAG.

Porro quod ad genus ſpectat HVGONIS, cognomento *Capeti*, ſiue *Caputii*, (quod ſoleret puer puerorum capita pileis nudare;) ex iiſdem Odoranno & Glabro, aliiſque recentioribus patet, ipſum quidem patre natum fuiſſe Hugone Magno, auo Roberto Principibus; materno vero ſtemmate, ex ſorore Ottonis Senioris Imp. genitum: adeo, vt vanitati poeticæ nullus ſit locus fingendi eum viliſſimis parentibus ortum. Sed nec progeniem Carolinam defeciſſe in Ludouico, vel in Caroli fratris Lotharii filio; quin & hunc ipſum Hugonem Magni Hugonis filium ex eadem fuiſſe progenie, demonſtrat Chronicon Willelmi Nangii monachi Sancti Dionyſii, quod in lucem Pithœus edidit: idque ipſum affirmat auctor eodem volumine contentus, qui texuit genealogiam Sancti Arnulphi, ex quo Carolinum manauit genus. Et Innocentius Papa ſcribens ad Ludouicum Regem eius nominis Sextum, aſſerit genus ipſius, quod deriuabatur ab Hugone Capeto, proceſſiſſe ex progenie Caroli Magni. Denique Abbo *a* Floriacenſis Abbas, vir doctrina & ſanctitate inſignis, huius ipſius temporis auctor, in libro Apologetico quem ad Robertum Regem Hugonis filium & ſucceſſorem ſcripſit, eum atauis Regibus ortum prædicat. Addit inſuper Nangius, eundem Hugonem ex repromiſſione SS. Ricarii & Valerici accepiſſe Francorum Regnum; dum quo tempore Hugo Magnus Comes Pariſienſis ipſius Capeti pater, eorundem Sanctorum corpora metu Northmannorum Gallias deuaſtantium à ſuis Eccleſiis in Flandriam apud S. Audomarum tranſtuliſſet, iidem Sancti in viſione ei apparentes, prædixerunt fore, vt propter huiuſmodi exhibitam ipſis pietatem, genus eius potiretur in perpetuum Regno Francorum. Cæterum vbi Hugo eſt vnctus in Regem; ad euertenda bella ciuilia, Carolum Lotharii fratrem coniecit in carcerem Aurelianis; ſed id poſt annum tertium belli initi. Ipſum vero filium Caroli Ludouicum patri ſucceſſiſſe in Ducatum Lotharingiæ, idem auctor tradit: cum alii affirment eundem Ducatum Ottoni eiuſdem Caroli filio eſſe traditum.

a *Ap. Baro. tom. X I. 1001. impr.*

EX PROMISSIONE SS. REGNVM IN HVGONEM TRASLATVM.

IESV CHRISTI AN. 988.

IOAN. XV. AN. 3.

BASIL. & CONST. AN. 13.

I. *a Adam lib. 2. c. 19. 20.*

ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo octauo, Indictione prima, Ioannes Papa dedit Pallium Libentio Archiepiſcopo Hamburgenſi, viro laudatiſſimo, ſucceſſori Adaldagi; qui vbi ſediſſet annos quinquaginta tres, hoc anno quarto Calendas Maii mortuus eſt, ab omnibus collaudatus. Agit vero de his fuſius Adam *a* Bremenſis.

II. S. DVNSTANI OBITVS.

Eodem pariter anno migrauit in cœlum mirificus ille S. Dunſtanus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, de quo ſæpe ſuperius: poſt cuius mortem plane accidit, quod & vaticinatus fuerat, vt multa mala Angliam occuparent.

IESV CHRISTI AN. 989.

IOAN. XV. AN. 4.

BASIL. & CONST. AN. 14.

I. DE S. ADALBERTO PRAGENSI EPISC. ET VNGAROR. APOST.

ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo nono, Indictione ſecunda, *S. Adalbertus* Pragenſis in Bohemia Epiſcopus, cum iam quinquennium Romæ tranſegiſſet nobiliſſimo in monaſterio SS. Bonifacii & Alexii ad montem Auentinum, quod ſanctiſſimis tunc monachis florebat, & frequentibus nobilitabatur inſignibus miraculis, cui idem Adalbertus permiſſione Pontificis ſe incluſerat, cum (vt vidimus) Bohemos nimis refractarios & in vitiis ſuis obſtinatos expertus, eos deſeruiſſet; iterum à Pragenſibus requiſitus, ex decreto *Synodalis Conuentus* Romæ ea de cauſa habiti, derelictam coactus eſt inuitus licet Eccleſiam repetere. Sed cum rurſum Pragenſes ad ſua ſcelera, maxime vero ad luxuriam reuerſi, eius monitis obaudire tam laici quam clerici detrectarent; eoſdem ipſe rurſum deſerens, ad Vngarorum à Paganiſmo ad fidem Chriſti conuerſionem ſe tranſtulit. Habent hæc fuſius Acta *a* Adalberti. Eius vero ad Vngaros Apoſtolatum prolixe pertractauit Cartuitius Epiſcopus in Vita *b* S. Stephani Regis Vngarorum ſcripta ad Colonanum Regem; qua ſtylo fideliſſimo proſecutus eſt cunabula Vngaricæ Eccleſiæ ſub *Geiſa* eorũ Principe; qui factus Chriſtianus ab ipſo initio meruit ex repromiſſione diuina habere filium, cui pariter ex reuelatione S. Stephani protomartyris matri facta, inditum eſt nomen Stephani: de quo pluribus dicendum inferius. Porro S. Adalbertus his recte cœptis, Romam denuo ſequenti anno ad dilectum ſibi S. Bonifacii monaſterium reuerſus eſt; vbi cum aliud quinquennium tranſegiſſet, accepto à Romano Pontifice ad Gentes Apoſtolatu, rurſum iuſſus eſt ad ſuum Epiſcopatum reuerti, vt dicetur ſuo loco.

a *Ap. Sur. 23. April.*
b *Ap. Sur. 25. Aug.*
GEISA PRIMVS PRINCEPS VNGAR. TACTVS CHRIST.

II. GEBEHARDVS EPISC. CONST.

Hoc item anno, quo quartus abſoluitur & quintus inchoatur Ioannis Papæ, Indictione ſecunda, contigit S. Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum veniſſe Romam, vt reliquias S. Gregorii Papæ acciperet à Summo Pontifice, collocandas in monaſterio quod ædificaſſet in honorem eiuſdem Gregorii. Cuius cum ſacrum caput à Pontifice obtinuiſſet, in reditu perſequentibus eum Romanis pro ſublato capite, miraculo liberatus eſt ab eorum manibus. Proſequitur hæc pluribus Auctor *c* qui eiuſdem S. Gebehardi res geſtas deſcripſit. Sciendum autem, hunc Gebehardum dici debere Seniorem, reſpectu alterius Gebehardi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſub Gregorio Papa Septimo eius partes contra Henricum Regem ſumma cum laude ſecutus eſt; de quo dicetur ſuo loco.

c *Ap. Canis. antiq. lect. tom. V.*

IESV CHRISTI AN. 990.

IOAN. XV. AN. 5.

BASIL. & CONST. AN. 15.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo, Indictione tertia, à Ioanne Romano Pontifice ad Ethelredum Angliæ Regem, atque Richardum Ducem Northmannorum in Gallia degentium, missus *a* est Legatus Leo Vice-Episcopus Treuerensis, vt eos inter se inuicem dissidentes in concordiam reuocaret: quod & præstitit.

Eodem anno celebrata est in Gallia SYNODVS SILVANECTENSIS hac occasione. Cum Arnulphus Rhemensis Archiepiscopus fauore Hugonis Francorum Regis promotus fuisset ad eam dignitatem, (ita visum Hugoni nouello Regi, vt hunc licet non legitimum, regio tamen stemmate ortum, vtpote Lotharii Regis ex concubina filium, & Caroli adhuc regnantis nepotem, ætate iuniorem, his beneficiis in suis partibus contineret:) accidit, vt cum vix sex menses ea sede potitus esset, proditione cuiusdam Adalgeri Rhemensis presbyteri ea ciuitate Carolus potiretur, ipseque Arnulphus captiuus abduceretur. Quod vero suspicio non leuis esset, eius iussu ciuitatem Carolo patruo esse proditam; ipse aduersus omnes qui illam inuasissent atque spoliassent, & sacra profanassent, seuerissimam anathematis sententiam intorsit, & vt idem facerent alii Galliarum Episcopi hortatus est: quod & ipsi præstiterunt, collecti in vnum in prædicta Synodo Siluanectensi. Recitantur autem ista pluribus in alia Rhemensi, post annum sequentem (vt dicetur) celebrata, atque inde in suum commentarium à Gerberto *b* translata. Plane vero factum est, quod diro anathemate imprecati sunt Patres. Siquidem paulo post captus est ab Hugone Carolus; tuncque penitus ex stemmatis eius ramo excisum est Regnum Francorum, cum (vt ibidem questi sunt Patres) hæresis pullulare cœpisset, qua dicerent Caroli studiosi, omnia licere Carolo etiam in Ecclesiis. Quare videant quam male consulant Principibus nostri temporis Politici, eadem quæ hoc tempore sunt cœpta doceri profitentes.

I. a *Matth. Westmon. Flor. hist. hoc ann. Wil. Malmesbur. de gest. Ang. lib. 2. c. 10.*

II. CONCIL. SILVANECTENS. IN CAVSA INVASIONIS CIVIT. RHEM.

b *Gerb. in Con. Rhem. c. 12. & 14. & in ep. ad Wilderod. Epic. Arrent.* CVRA CAROLINIS DEFECIT REGNVM FR.

IESV CHRISTI AN. 991.

IOAN. XV. AN. 6.

BASIL. & CONST. AN. 16.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo primo, Indictione quarta, increbrescente aduersus Arnulphū Rhemensem Archiepiscopū sparso rumore de proditione Rhemensis ciuitatis, Hugo Rex eum in Concilio Synodali iudicio cogitans, cum id sciret inconsultis Sedis Apostolicæ fieri non posse, ad quam essent iudicia Episcoporum deferenda; tum ipse aduersus eum literas scripsit ad Ioannem Papam, tum etiam curauit, vt aliæ scriberentur ab Episcopis Rhemensis Prouinciæ, quibus petitum est, vt idem Pontifex in Arnulphum, ob eius proditionem, aliaq; obiecta crimina, damnationis sententiam proferret. Ad quem econtra pro Arnulpho missi sunt pariter Legati ab Heriberto Comite socero *a* Caroli Regis. Quæ quidem huius anni exordio gesta esse docet Gerbertus *b* qui interfuit, dum octodecim menses tradit intercessisse ab eo tempore vsque ad Synodum Rhemensem habitam anno sequenti mense Iunii.

Si vero eidem Gerberto *c* in causa propria credendum est, præuenerunt Legati Heriberti, iidemque muneribus præoccuparunt Pontificem: Legati vero Regis & Episcoporum per triduum ante palatii ianuas defatigati, nec admissi, infecto negotio in Galliam redierunt. Ita enim Gerbertus, dum eiusdem Pontificis auctoritate iussus ab occupata postea sede Rhemensi ignominiose deponi, nihil in eundem atque ipsam Sedem Apostolicam remisit iniuriarum; elaboratis eius argumenti diuersis scriptorum generibus, quæ idcirco, tanquam ingens thesaurus inuentus, à Nouatoribus in odium Romanæ Ecclesiæ duplici *d* editione vulgata fuere. Sic enim qui monachus quondam Benedictinus Autiliacēsis cœnobii, liberalibus artib. potius quam Theologicis literis excultus, sub specie instituendi filium Hugonis Regis Robertum, cum monasterio monasticam quoque verecundiam missam fecit; idem curialibus artibus homo ignobilis (vt Glaber *e* testatur) ad Rhemensem primo Archiepiscopatum, inde ad Rauennatem, ac demum ad Summum Ecclesiæ Romanæ Pontificatum sibi aditum præparauit: de quibus singulis agetur pro ratione temporum.

I. a *Aim. li. 5. c. 44. in fi.* b *Gerb. vbi sup.*

II. c *Ibid. c. 27.*

d *Centur. X. c. 9. & seorsum an. 1600. Francof.* GERBERTI PRIMORDIA.

e *Glab. lib. 1. c. 4.*

IESV CHRISTI AN. 992.

IOAN. XV. AN. 7.

BASIL. & CONST. AN. 17.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta, mense Iunii, celebrata est apud *Rhemos* in Galliis *Pseudosynodus* aduersus Arnulphum illius ciuitatis Archiepiscopum: cuius cum habeantur duæ editiones, eædemque in aliquibus de tempore inter se dissentientes; dum tamen in priori id factum ponitur anno Ottonis nono, in posteriori anno Hugonis quinto, præsentem quidem annum demōstrant: quod ex iis quæ superiori anno dicta sunt, firmius adstruitur. Quod autem (vt diximus) ipsius Acta non alia extent, quam quæ à Gerberto in sui defensionem contra Romanum Pontificem scripta fuere ad eiusdem conciliabuli roborandam auctoritatem, ex quo ipse, exauctorato Arnulpho, consecutus est Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopatum; vel quæ sunt in lucem prodita à fidei Catholicæ perduellibus ad infamandum Romanum Pontificem, in quem multa falsissima congesserunt: iis quanta sit fides adhibenda, quisque consideret. Sed esto vera omnia essent, nihil est tamen quod de iis lucrum capiant Nouatores; quippe quæ à posteriori Synodo Rhemensi, cui cum Gallicanis Episcopis Legatio interfuit Apostolica, abrogata fuerint, cōsentientibus etiam ipsis Francorum Regibus Hugone atque Roberto; vt videbitur suo loco.

Vbi igitur reuersi sunt missi superiori anno Legati ad Romanum Pontificem, atque se ab eo non fuisse auditos retulerunt; quasi ex eo silentio intelligi deberet, iudicandi facultatem in Francorum Episcopos deuolutam, tam Rex quam Episcopi celebrandæ Rhemis aduersus Arnulphum *Synodi* consilium inierunt. Ad quam sæpe vocatus Arnulphus, cum excusaret quod à Carolo Rege Lauduni detineretur in vinculis; factum est inter hæc, vt proditione Laudunensis Episcopi ab Hugone Rege eadem ciuitas, & qui in ea erat Arnulphus caperetur, quem Rex iudicandum deduci iussit ad collectam Rhemis Synodum. Cum ergo decimo quinto Calendas Iulii conuenissent diœcesani Episcopi sex, præter plurimos aliarum Galliæ prouinciarum Antistites; decem ex illis delecti sunt ad iudicandum; tres vero Abbates admissi pro defendenda Arnulphi causa (inter quos nominatus reperitur *Abbo* Floriacensis) summæ sanctitatis atque scientiæ viri: qui tamen non pro Arnulpho duntaxat astitisse noscuntur, sed potissimum pro Apostolica Sede, sine cuius auctoritate contestati sunt eiusmodi iudicium peragi non posse; quippe quod Episcoporum, & aliæ maiores Ecclesiasticorum negotiorum causæ, ad eam deferendæ essent. Verum multa aduersus ista alius Arnulphus Aurelianensis Episcopus deblaterans *a*, demonstrare conatus est, Romanos Pontifices ob prauos mores & ignorantiam excidisse ab omni Pontificia auctoritate, quam alioqui agnoscit residere in eadem Apostolica Sede: ac denique ex eo quod ab ipsis Gallicanis Episcopis Romam missi Legati non fuissent auditi, subintulit licere eisdem Arnulphi causam tractare, atque prolata sententia definire. Itaque his pro arbitrio com-

I. PSEVDOSYNODVS RHEM.

II.

a *Recitat, & confuta Bar. Annal. tom. X. hoc ann.* ARNVLPH AVREL. AGIT CONTRA SED APOST.

probatis, idem Arnulphus reus inductus, & de proditione quam negaret ciuitatis Rhemensis redargutus testimonio Adalgeri presbyteri, iam confessi se ipsius mandato portas aperuisse hostibus; cum & idem ipse post hæc quatuor Episcopis secreto multa alia crimina confessus esset; damnationis sententiam à Synodo accepit. Hæc omnia fusissime tractat stylo suo Gerbertus *b*.

b *Gerb. in act. Syn. Rhem. & in ep. ad Wilderod. & Helin ad Reg. Otton. scripta, quam recitat hic Baronius.*

Tacet vero mala fide tam sui factam in Arnulphi locum subrogationem, quam præcipue reclamationem interpositam à primario iudice Seguino Archiepiscopo Senonensi, quam ex legitimis publiceque conseruatis huius Synodi Actis recenset Eginaldus, cuius est adiectum ad Aimoinum *c* Auctarium; dum videlicet ait, reliquos quidem Episcopos, licet inuitos, ob metum Regis Hugonis consensisse Arnulphi degradationi, & Gerberti subrogationi; at Seguinum non solum non consensisse, sed etiam acriter ipsum Regem ea de causa redarguisse, indeque eius odium in se concitasse: Arnulphum autem post hæc alligatum detrusum esse in carcerem in ciuitate Aurelianensi, vbi & Carolus Rex detinebatur, nuper & ipse ab Hugone captus: ea vero omnia cum Ioannes Papa intellexisset, valde indignatum, sacris interdixisse omnibus Episcopis qui Arnulphum deiecissent, & Gerbertum ordinassent. Hæc Eginaldus. Porro Apostolicis hisce literis exacerbatus admodum Gerbertus, in ipsum Romanum Pontificem ad eundem Seguinum Archiepiscopum literas *d* dedit, equidem virulentas & Catholico homine prorsus indignas; quibus totus in eo versatus est, vt excommunicationem Romani Pontificis contemnendam esse demonstraret. Quo etiam argumento aliam prolixam satis epistolam scripsit ad Wilderodum Argentinæ ciuitatis Episcopum; in qua præter illa quæ de Arnulphi causa disputat, multus est in eo vt Decretalium Epistolarum Romanorum Pontificum auctoritatem minuat; vsus etiam ad hoc auctoritate & argumentis *e* Hincmari olim Rhemensis Archiepiscopi. Arguendus plane ex his omnibus schismaticus, vel etiam hæreticus, nisi tandem in sequenti Rhemensi Concilio, longa disputatione conuictus à Leone Abbate Sedis Apostolicæ Legato, acquieuisset. Sed & aduersus Arnulphum Aurelianensem, cuius titulo tot blasphemias Gerbertus eructauit, tunc quoque scriptus est liber ab Abbone Abbate Floriacensi, quem diximus pro Apostolica Sede in eo iudicio stetisse; cuius lucubrationis meminit Trithemius.

III. GERBERTVS INTRVDITVR RHEMO. c *Aim. lib. 5. c. 45.* RECLAMAT SEGVINVS SENON. PRO APOS. SED

d *Recitat, & confutat, Baron. vbi sup. sicut & sequentes ad Wilder.* GERBERTI EPISTOLA CONTRA RO PONT. e *Confutat ea Baron. ibid.*

IESV CHRISTI AN. 993.

IOAN. XV. AN. 8.

BASIL. & CONST. AN. 18.

I. INCENDIA PRODIGIOSA.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo tertio, Indictione sexta, admirandæ flammarum eruptiones è monte Vesuuio, crebraque per Gallias & Italiam prodigiosa ciuitatum incendia contigerunt. Cumque Vrbs ipsa Roma iam maxima ex parte conflagrasset, basilica Vaticana incendi pariter cœpta, à S. Petro Apostolo diuinitus est liberata; vt de his omnibus testis est Glaber Rodulphus monachus Cluniacensis his temporibus proximus.

II. MAIOLI ABB. CLVNIAC. OBITVS.

Quo etiam anno (vt mox subiicit) *Sanctus Maiolus* Abbas Cluniacensis, admirandæ vir sanctitatis, vocatus ab Hugone Francorum Rege, vt Sancti Dionysii monasterium in melius restauraret, Parisios petens, mortuus est apud Siluiniacum quinto Idus Maii, ac plurimis post obitum claruit miraculis; quæ pluribus narrat Sanct. Odilo eius discipulus & successor, in eiusdem Rebus *a* gestis. Testatur id ipsum Sigebertus in Chronico, & alii plerique.

a *Extant ap. Sur. 2. Maii.*

IESV CHRISTI AN. 994.995.

IOAN. XV. AN. 9.10.

BASIL. & CONST. AN. 19.20.

I. LEGATIO HVGON. REG. FR. AD IOAN. PAP.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo quarto, Indictione septima, Hugo Rex Francorum legationem iterum misit ad Ioannem Papam, qua eum inuitauit in Gallias ad componendas discordias Rhemensis Ecclesiæ: literisque *a* suis consuetam Francorum Regum erga Sedem Apostolicam propensionem significás, eius se huiusque iudicio subiecit. Quid autem ad hæc Ioannes rescripserit, ignoratur: certum tamen est, ipsum in Gallias non esse profectum; sed tantum misisse Legatum Leonem virum sanctissimum Abbatem celeberrimi monasterii S. Bonifacii in Vrbe.

a *Ric. Bar. tom. X. hoc an. ex Mason.*

II. CONCIL. MOSOM. IN CAVSA RHEM. EPISC.

Qui quidem anno sequenti, nempe Christi nongentesimo nonagesimo quinto, Indictione octaua, primo habuit *Mosomi* (est oppidum in Belgio diœcesis Rhemensis) SYNODVM quarto Nonas Iunii; in qua Gerbertus Rhemensis Ecclesiæ pseudoepiscopus, patientissime (vt tradit Masonus, ex ipsius Gerberti scriptis historiam huius Synodi texens *b*) auditus, orationem habuit coram Patribus pro sua ipsius defensione aduersus Arnulphum, eamque scriptam Leoni Legato porrexit: à quo plenior fuit Synodus Rhemis indicta in Calendas Iulias, vt vbi Arnulphus fuisset depositus, ibi eius causa cognosceretur; interim vero Gerberto interdixit diuino officio.

b *Pap. Mas. Annal. Fr. lib. 3.*

III. CONCIL. RHEM. IN EAD. CAVSA. c *Aim. lib. 5. c. 45.*

Sic igitur hoc eodem anno cum summa diligentia vocati Episcopi *Rhemos* se contulissent, ibidem Calendis Iulii habita est SYNODVS. De qua agens Eginaldus qui Auctarium apposuit ad Aimonium *c*, ait eidem vna cum *Leone* præfuisse quoque ex mandato Sedis Apostolicæ *Seguinum* Archiepiscopum Senonensem: ac post multam ac valde vtilem disputationem habitam inter Leonem & Gerbertum, tandem hunc illi cessisse, ac pœnitentiam ostentantem confessum esse iniuste se Pontificalem suscepisse dignitatem: ideoque ipso deposito, ex iussione Apostolica reuocatum esse Arnulphum de custodia in qua detinebatur apud Aurelias, & cum magno honore sedi suæ restitutum. Hæc Eginaldus, quæ ex legitimis Actis quæ citat sumpsisse videtur; atque ideo maiori iunt habenda fide, quam quæ ex epistolis Gerberti suam ipsius causam agentis produntur. Cæterum Arnulphi restitutionē ipse Aimoinus Floriacensis monachus tunc viuens, nonnisi sub Gregorio Papa & Roberto Rege, Ioannis & Hugonis successoribus, collocat in Vita *d* quam scripsit Abbonis Floriacensis Abbatis; quem ait à Roberto missum ad Gregorium, eo quod idem Pontifex ob iniustum carcerem Arnulphi, vniuerso Francorum Regno anathema se inuecturum comminatus esset; eundemque Abbonem post reditum ex Italia, Arnulphum custodia exemptum Pontificatui restituisse, Palliumque illi à Papa directum reddidisse; licet id nonnihil ægre ferret Robertus, quod in Gerbertum præceptorem suum propensior esset. Extatque *e* insuper eiusdem Gerberti epistola ad Adelaidem Imperatricem Roberti socrum, quæ hoc ipso tempore esse scripta cognoscitur, nempe post adiudicatam à Leone sedem Arnulpho; ex qua colligitur, ipsum à Leone ad maiorem Synodum prouocasse, cuius adhuc iudicium sibi expectandum esset. Qui quidem dolosis artibus insinuans se Ottoni Germaniæ Regi, relicto Francorum Rege se totum ei addixit; eundemque comitatus est in Italiam, vt dicetur anno sequenti. Quod autem ad Ioannem Papam attinet; cum ex ipsis Synodalibus Actis, & scriptis epistolis ab huius temporis auctoribus, liquido constet eum hoc anno adhuc fuisse superstitem; ex iis redarguas eos qui eum ante biennium decessisse tradunt.

GERB. DEPONITVR, ET ARNVL. RESTITVITVR.

d *Ext. in Bibl. Flor. Hoc autem habet Baro. an. 998.*

e *Rec. Bar. Anna. tom. X. hoc ann. ex Bibl. Nic. Fabri.* GERB. SE CONFERT AD OTTON. IN GERM.

IV. DIVINA VINDICTA

Eodem anno Domini nongentesimo nonagesimo quinto, mense Nouembri, scelerum vltor Deus memorandum exercuit iudiciū aduersus quendam voluptuosum Abbatem

Cassi-

IN MANSONEM ABB. CASSIN. ET ALBER. MARSOR. EPISC.

Cassinensem, necnon aduersus Marsorum Episcopum eiusdem Abbatis excæcatorē. Cum enim Abbas nomine Manso, laudatissimi Aligerni indignissimus successor, vigesimus octauus ordine Abbatum Cassinēsium post S. Benedictum, luxuriosè admodum & sæculariter nimis viuens, arcem quocare velle videretur; accidit, vt Albericus Marsorum Episcopus homo nequam, cū filio ex meretrice procreato Episcopatum tradidisset, Cassinensis ipse monasterii dominatus adipiscendi desiderio teneretur. Itaque cum quibusdam nequissimis monachis certa pecuniæ summa pactus, vt eundem Abbatem excæcarent, ac monasterium ipsi Alberico traderent; eis promissæ pecuniæ partem dimidiam præ manu tradidit, reliquam daturus cum Abbatis oculos teneret in manibus. Iidem vero perfidi monachi, deducto fraudulenter Capuam Abbate Mansone, prætextu reconciliationis cum Capuanis ineundæ, quorum ille odium in se concitauerat; mox vt illum in monasterium Capuanum introduxere, eidem oculos eruerunt, quos inuolutos linteo ad Albericum Episcopum transmiserunt. Sed nuntij cum Marsiam aduenissent, repererunt eadem hora mortuum esse Episcopum, qua prædictus Abbas luminibus fuerat orbatus. Recitat hanc historiam Leo *f* Ostiensis.

f *Leo Ost. lib. 2. cap. 16. Chron. Cassin.*

Quod spectat ad res Orientalis Ecclesiæ; eodem anno, Indictione octaua, (vt affirmat Curopalates) mortuus est Nicolaus Chrysoberges Patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos duodecim & menses octo. In cuius locū suffectus est *Sisinnius*. Sed quod idem auctor huic Sisinnio tribuit concordiam dissensionis ob quartum matrimoniū, quæ ante annos fermè centum tempore Leonis Philosophi Imp. orta in Ecclesia Constantinopolitana, postea composita iterum recruduerat, vt superius suis locis dictum est: ista, inquam, concordia non Sisinnio, sed eius decessori Nicolao tribuitur in Actis Synodalibus hac de re tunc confectis, quæ extant in codice Iuris *g* Orientalis. Hic autem plane videre est versutum Satanæ consilium, in his cōtroversiis detinentis Orientales, ne quod longe maioris momenti erat attenderent, nempe se manere discissos à communione Catholicæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis; quod tanti fecere maiores ipsorum, & vniuersi qui Catholici dici voluerunt filii Dei & S. Matris Ecclesiæ.

V. SISINNIVS PATRIAR. CONST.

g *Iur. Orient. lib. 2.*

IESV CHRISTI AN. 996.

GREGORII. V. AN. I.

OTTONIS. III. I.

BASIL. & CONST. 21.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo sexto, Indictione nona, Nonis Maij, defunctus est *Ioannes* Papa, vbi sedisset annos decem, menses quatuor, & dies duodecim; sepultusque est in basilica Vaticana S. Petri. A cuius obitu post mensem vnū & dies sex, in locum ipsius pridie Idus Iunii subrogatus vir Germanus appellatus *Bruno*, Ottonis Imp. consanguineus, commendatus satis à Ruperto *a* Abbate Tuitiensi, aliisque auctoribus, mutato priori nomine, dictus est Gregorius eius nominis Quintus. Quomodo autem ista se habuerint vt intelligamus, quæ præcesserunt sunt in medium adducenda. Cum enim Romæ tyrannus Crescentij, de qua superius est facta mentio, magis invalesceret; ad tantam propulsandam calamitatem, Otto Rex Germaniæ Romam venire rogatus, descendens in Italiam cum exercitu, Rauennæ aliquantisper constitit. Vbi cum inuenisset eius ciuitatis Archiepiscopum ex hac vita migrasse, in locum eius subrogandum curauit Gerbertum, quem vidimus anno superiori depositum ab Ecclesia Rhemensi. Vt autem qui hactenus de Sede Apostolica fuerat pessime meritus, iam ad tantam Ecclesiam prouheretur, dicere opus est eumdem ad meliorem frugem conuersum talem extitisse, qui non ab Ottone solum, sed à populo in Rauennatis Ecclesiæ Episcopum

a *Rupert. in Hirsb. cap. 5 ap. Sur. 16. Mart.*

GREG. V. PAPA.

GERBER. CREATVR EPISCOP. RAVEN.

petereretur, (quod huius temporis auctor apud Aimoinum *b* tradit) & sic ab ipso Gregorio Romano Pontifice ordinaretur.

b *Aim. lib. 5 cap. 45.*

II.

Cum autem post hæc Romam se contulisset Otto, eiusque audito aduentu Crescentius se cum suis in S. Angeli munitione clausisset; contigit mori Ioannem Papam XV. (vt dictum est) & post triginta sex dies in locum eius ope Regis suffici Gregorium Quintum. Ita quidem apud Ditmarum *c*; sed d. prauata lectione. Plurium enim assertione constat, antequam Romam se Otto conferret, iam creatum fuisse Gregorium, & post hæc contra eum fuisse eleuatum in Sedem per Crescentium, alium Ioannem Episcopum Placentinum, natione Calabrum, patria Rossanensem, appellatum *Ioannem XVI.*; sicque duobus simul creatis Pontificibus esse Schisma in Ecclesia conflatum. Hæc enim inter alios narrat Glaber *d* Rodulphus monachus Cluniacensis his temporibus proximus, vtpote qui sub Henrico Primo Francorum Rege claruit, & ab hoc tempore vsque ad millesimum quadragesimum quintum Redemptoris annum Historiam scripsit ad S. Odilonem Abbatem suum. Additque, Ottonem comperta expulsione Gregorij propinqui sui, & introductione Ioannis, ira accensum cum permaximo exercitu Romam properasse, ac Ioannem comprehensum manibus auribusque truncasse, & oculis priuasse. De Crescentio vero ait, eum arctissima obsidione circumdatum in turri munitissima S. Angeli, cum nullam euadendi viam cerneret, quadam die conscius nonnullis Ottonis militibus ab eadem munitione latenter exeuntem ad pedes Ottonis improuiso corruisse, ac veniam petiisse; sed Ottonis iussu reductum in turrim vi expugnandum, tandem post acrem pugnam captum è summitate turris deiectum esse, & tergoribus boum alligatum, hincque & inde raptatum, esse denique in excelsa trabe suspensum. Hæc quidem de fine Crescentii Glaber. Verumtamen iis vehementer repugnant quæ scripta sunt in Vita S. Romualdi *e* à Petro Damiani (sic vocato, vt Eusebius Pamphili) temporis huius & ipso scriptore; nempe Crescentium in munitione inexpugnabili se continentem, inde nonnisi iuramento firmata promissione deduci potuisse ab Ottone; sed de ita decepto sumptum fuisse capitis truncatione supplicium: quod etiam testatur Leo *f* Ostiensis. Additque Petrus Damiani, Ottonem de eo crimine confessum S. Romualdo, (quem ipse nuper Classensi S. Apollinaris monasterio apud Rauennam præfecerat) pœnitentiam iniunctam suscepisse, vt nudis pedibus ad Garganum montem Apuliæ ad Memoriam S. Michaelis Archangeli peregrinaretur. Quem & tradit per totam Quadragesimam in eodem Classensi monasterio, paucis sibi adhærentibus mansisse; ibique ieiunio & psalmodiæ intentum, cilicio ad carnem vsum esse, & in storea dormiuisse, ac denique Romualdo promisisse relicto Imperio monasticum suscipere habitum.

c *Dith. li. 4*

IOAN. PP. SCHISMATICVS.

d *Glab. lib. 1. cap. 4.*

e *Ap. Sur. 19. Iunii.*

f *Leo Ost. li. 2. c. 18.*

OTTON. IMP. POENITEN. AD SEPVLCHRVM S. MICHAELIS.

III.

Quod vero ad Schisma inter Gregorium & Ioannem pertinet; idem Petrus Damiani de eo agens epistola secunda ad Cadaloum pseudopapam, ait Ioannem, cum ingentis collatione pecuniæ Pontificatum inuasisset eiecto Gregorio, à resipiscentibus paulo post Romanis præcisum esse manibus, auribus, naribusque, & oculis priuatum; moxque asello impositum vultu in caudam verso, tenere eamdem asini caudam compulsum, ac per publicas Vrbis vias perductum clamare; *Tale supplicium patitur, qui Romanum Papam de sua Sede pellere nititur.* Mentio quoque de iisdem Ioannis suppliciis in Actis S. Nili; qui miseratione ductus conciuis sui, (erat enim, vt dictum est, & ipse patria Rossanensis) vt eum ab illis eximeret, Romam venit, nec tamen (à Pontifice licet & Rege ingenti honore medius inter ipsos susceptus) valuit impetrare. In quib. etiam Actis traditur, eumdem Ioannem proprio nomine ante vsurpatum Pontificatum nominatum fuisse Philagathum.

QVAM MALE HABITVS PAPA SCHISMATICVS.

IV.

Ad hunc ipsum Ioannem Pseudopontificem, dum Romæ adversus Gregorium sederet, spectat quod Glaber *g* scribit de legatione in Gallias ab ipso missa. Cum enim Fulco Comes Andegauensis egregiam erexisset ecclesiam, nec inducere potuisset Henricum Archiepiscopum Turonensem, in cuius diœcesi erat erecta, vt eam consecraret, nisi prius Fulco restitueret bona Ecclesiæ quæ rapuisset; Romam

g *Glab. l. 2. cap. 4.*

se Fulco conferens, à Joanne multis munerib. impetrauit, vt aliquem mitteret qui eam ipsius Pontificis nomine consecraret: missusque ad hoc est Petrus S.R.E. Cardinalis, qui solemni ritu illud confecit: verum eodem ipso die superueniens vehementissimus turbo, eam Ecclesiam funditus diruit. Hæc sincere Glaber: sed in definienda causa eiusmodi repentinæ ruinę valde hallucinatus errauit, dum eam fuisse ait, quod Romanus Pontifex præsumpsisset in aliena diœcesi Ecclesiam consecrare: etenim non solum hæc ipsum posse, sed & omnimodam in omnibus diœcesibus auctoritatem habere, Ecclesiasticæ leges, vsusque ipse, & antiqua traditio docet, estque superius infinitis exemplis demonstratum. Verior igitur illa ruinæ templi causa extitit, quod ostenderit eo signo Deus, oblationes sacrilegi & impœnitentis Comitis sibi non esse gratas, nec placere, quæ per schismaticum Pontificem mandata essent.

ERROR GLABRI HISTORICI.

OBLATIONES SACRILEGORUM DEO INVISÆ.

V. OTTO III. CORONATVR IMP.

Sed vt ad legitimũ Pontificem redeamus; conciliata Ecclesiæ pace, antequam OTTO Roma recederet, Gregorius eum coronauit Imperatorem. Hoc enim anno eius coronationẽ referunt Lambertus, Odorannus, & alii veteres Chronographi: nec temporis ratio patitur, vt ante facta fuerat, cũ omnes eam Gregorio Quinto tribuant: sicut etiam ex omnibus eiusdem Ottonis publicis monumentis apparet, annos Imperii ab eo cœptos esse numerari ab hoc tantummodo tempore quo est coronatus à Romano Pontifice; antea vero non Imperatorem, sed Regem duntaxat nominari voluisse. De reliquis autem rebus ab eo Romæ gestis, tradit Glaber, cum idem suggerentibus quibusdam piis viris cogitaret expellere è basilica S. Pauli Apostoli monachos praue viuentes, & in eorum locum introducere Canonicos; apparuisse ei noctu per visum S. Paulum, monuisseque ne monachos expelleret: non enim expedire, cuiusque Ecclesiastici ordinis, quamuis ex parte deprauati, propositum vnquam abiici, seu immutari: in eo namque ordine vnumquemque iudicandum esse, in quo se primitus vouit Deo seruire; ac tantum reemendari licere corrupto cuique in eadem propriæ vocationis sorte. His igitur repressus Imperator, destitit à proposito monachos expellendi, atque ad ipsorum tantummodo emendationem animum applicauit.

IN QVA VOCATIONE QVIS VOCATVS EST, IN EA AMBVLET.

VI. CONCIL. ROM.

Post hæc vero Gregorius Papa, eiusdem Imp. consilio, ad stabiliendum Ecclesiæ statum adiiciens animum, CONCILIVM Episcoporum *Romæ* collegit: cuius licet Acta perierint, extant tamen eorum fragmenta quædam, atque inter alia in Vita *h* S. Adalberti Pragensis Episcopi ab auctore huius temporis conscripta. Vbi significatur, in ea Synodo agitatam esse causam eiusdem Adalberti, iudicio postulati ab Archiepiscopo Moguntino de residendo in sua Ecclesia, quam relinquens ad monasterium S. Bonifacii Romam se receperat: additurque, ex Concilii sententia ipsum iussum esse Pragam redire; ita tamen, vt à Gregorio Papa facultatem impetrauerit, si Pragenses in sua cordis duritie persisterent, eundi ad incultas & barbaras gentes prædicare fidem Christi. Sicque ipse hoc eodem anno vna cum Ottone decessit ab Vrbe: sed antequam rediret in Bohemiam, diuertit in Gallias ad visitandum corpus S. Martini, inde vero Floriacum veniens, S. Benedicti venerandas Reliquias coluit; vt testatur auctor qui tunc præsens adesse poterat, in eiusdem Adalberti Vita.

h *Ap. Sur. 26. April.*

VII. DE ELECTORIBVS IMPERII.

Quod autem maioris est momenti; ad hoc ipsum Concilium à Gregorio Quinto celebratum referri debere videtur, quod de Imperatoris ELECTORIBVS ab eodem Pontifice multorum assertione traditur constitutum. Siquidem res magni ponderis, nonnisi consultis Patribus, collectis Episcopis in Synodo, fieri consueuerunt. At quod sciamus rem istam magna esse controuersia agitatam, negantibus Nouatoribus ius illud accepisse Electores à Romano Pontifice, sed ab isto de quo agimus Ottone Imperatore Tertio; aliis vero asserentibus id non eos accepisse à Gregorio Quinto, sed Decimo: de his est nobis ex more accuratius agendum.

VIII. *i Gent X. c 10. col. 546 & c. 16. co. 720.*

Quod pertinet ad Nouatores; cum iidem ipsi in Centuriis suis *i* veritatẽ libere professi, iterato asseruissent, Gregorium Papam suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturum, sanxisse, vt penes solos Germanos esset ius eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Augustus appellaretur: postea tamen illorum antesignanus Matthias Illyricus, primus ab asserta & professa multoties veritate recedens, *De Translatione Imperii* seorsum edidit commentarium, in quo inter alia impugnauit impudenter eandem quam vna cum cæteris collegis defenderat prius veritatem. Sed cum id nonnisi affectatis, pudendisque mendaciis peregerit; ea foris spectanda aperta luce exposuit, ac potenter valdeque confutauit, veritate firmius stabilita, fortis antagonista doctissimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus *k*, eodem titulo scripto contradictorio commentario.

k *Vide supra an. 800. post num. IV.*

IX. ELECTORES IMPERII à ROM. PONTT. IVS ILLVD HABVISSE.

Cæterum cum firma sit & in omnibus constans assertio, sicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem translatum est; ita ius eligendi Imperatorem Germanis concessum, vel dixerimus Regem in Imperatorem promouendum, æque à Romanorum Pontificum auctoritate & concessione manasse: nos omissis innumeris testibus historiarum scriptoribus, quorum aliquibus & ipsi Nouatores in eadem veritate astruenda sunt vsi; idipsum abunde satis probamus ex publicis eorum quorum maxime interest testimoniis, Romanorum Pontificum, Electorum ipsorum, atque etiam Imperatorum. Id namque diserte professus est Innocentius Tertius Papa *l* scribens ad Ducem Caringiæ siue Thuringiæ, necnon Clemens *m* Quintus in Concilio Viennensi. Id quoque Electores ipsi testati sunt, non vnus aut alter, sed omnes literis suis ad Romanum Pontificem scriptis: quæ licet diuersis locis, sicut & diebus, datæ reperiantur, tamen non solum vnum idemque earum argumentum est, sed eadem quoque sunt verba; vt appareat certam quandam præscriptam fuisse ab eis formam, qua id vniuerso Christiano Orbi voluerint innotescere. Extant *n*, inquam, literæ Marchionis Brandeburgensis vnius ex Electoribus, datæ anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono pridie Idus Septembris, anno sexto Rodulphi Imperatoris: itemque aliæ Ioannis & Adalberti Ducum Saxoniæ, eodem anno, die vero decimaquarta Calend. Aprilis: ac denique aliæ Ludouici Comitis Palatini Rheni, eadem die datæ & anno: iuxta quam præscriptam ab ipsis formam & reliqui Electores scripsere. Quibus omnes pariter confirmantes donationes factas vel innouatas Romanæ Ecclesiæ à Rodulpho Romanorum Rege, & aliis decessoribus Imperatoribus, æque testantur se ius Electoratus sui percepisse ab Ecclesia Romana. Habentur ipsę in scripto codice eodem tempore, vna cum aliis monumentis de donationibus & priuilegiis Ecclesiæ Romanæ collatis, quæ asseruantur seorsum à Vaticana Bibliotheca, Romæ in castello S. Angeli loco tutiori, vbi selecta maioris momenti monumenta recondita sunt ne pereant. Denique id ipsum cognouisse Imperatores ipsos, constat ex literis valde prolixis quæ in eodem scripto codice reperiuntur, ab Alberto Imp. eiusdem Rodulphi filio scriptæ ad Bonifacium Octauum Romanum Pontificem anno Domini millesimo trecentesimo tertio, decimosexto Calendas Augusti: quibus imprimis (quod ad rem præsentem spectat) agnoscit Romanum Imperium per Sedem Apostolicam è Græcis in Germanos translatum; deinde ab eadem ius eligendi Romanum Regem, in Imperatorem postmodum promouendum, Electoribus esse concessum: ac postea subiicit iuramentum fidelitatis ab ipso exhibitum eidem Bonifacio Papæ, & confirmationem priuilegiorum omnium per alios decessores Imperatores Ecclesiæ Romanæ concessorum.

l *Innoc. III. ext. de elect. c. Venerabilem. 34.*

m *Clem. de iureiur. c. 1.*

n *Rec. Bar. tom. X. hoc ann.*

[Porro aduersus eũ hic oggannit *Goldastus*: sed vide Apologiam *Gretseri* c. 18. & lib. 2. cont. Replic. c. 22. de quibus dictũ est sup. ad ann. 774. post num. IV.]

X. GREGORIVM V. ELECTORES INSTITVISSE.

Porro his de re ipsa generaliter dictis, agendum modo est de Gregorio Quinto, à quo id Electoribus concessum diximus. Sane dum Otto Romæ fuit, tractasse inter alia, quæ ad Regni iura pertinent, Sigebertus *o* affirmat. Quod si Romani Concilii de quo agimus extarent monumenta, nobis haud laborandum esset in perquirendo, qualis fuerit ista à Pontifice electoribus tributa concessio; num scilicet fuerit omnibus Germaniæ Principibus generatim collata, an tantum sex vel septem certis nominatisque (vt nunc sunt) Ecclesiasticis atque laicis. Equidem generalem saltem concessam omnibus Germaniæ Principibus eiusmodi facultatem, etiamsi alia quæque deessent testimonia, facta ipsa asserere cogunt. Vt autem non ab alio quam ab isto

o *Sigeb. in Chron. ann 1002.*

Gregorio Quinto concessa fuerit, docet imprimis ipse rei vsus; cum post eundem Gregorium Ottone Imp. defuncto, per Electores constet fuisse successores electos: prout scriptores omnes affirmant, & quæuis vetera monumenta testantur, ipsique etiam refractarii Nouatores profitentur. Cuius rei decernendæ Gregorio ipse Otto fuisse auctor videri potest quod absque liberis esset, & spes omnis dempta, vt in filium (quod fecerant ex indulgentia Romanorum Pontificum ipsius auus ac pater) transferret Imperium. Ita tamen id ipsis Electoribus concessum est, vt non protinus quem iidem in Regem elegissent, Romanus Pontifex compelleretur probare atque vngere Imperatorem; sed liberam haberet facultatem ipsum Electum reiiciendi, si aliqua causa intercederet, quæ illum redderet indignum tanto honore: vt disertis verbis Innocentius *p* Tertius ex ipsorum Electorum confessione declarat. Quo etiam casu Romanum Pontificem reseruasse sibi facultatē, in locum indigni alium subrogandi, prout opportunitas postularet, insinuat quem superius diximus, Glaber *q* Rodulphus Cluniacensis monachus huius sæculi probatus auctor.

ROMAN. PONT. NON ADSTRINGI ELECTORVM IVDICIO.

p Ext. de Elect. cap. venerabilē.

q Glab. lib. 1. c. 5.

XI. DE NVMERO ELECTORVM.

Ista igitur de Electoribus auctoritate Pontificia constitutis cum sint certissima, illud reperitur magnopere controuersum, num Septem tantum Electorum selectio, fuerit eiusdem Gregorii Quinti, vel alterius Romani Pōtificis. Scimus Panuinium elaborasse commentarium de Comitiis Imperatoris, vt probaret, septem Electores non à Gregorio Quinto institutos fuisse, sed à Gregorio Decimo. Verum cum nullum alium habeat suæ sententiæ quem sequatur auctorem, nisi infectam hæresis scabie bestiam videlicet Auentinum *r*, quem indigne nimis ipse homo Catholicus pectine scalpit eburneo; vtrumque turpiter errantem egregie correxit, quem iure laudauimus collega noster Bellarminus *s*; ostendens (quod ipsos latuit) complures fide integros auctores ante Gregorium Decimum scripsisse de Septem Electoribus iam antea constitutis.

r Auent. lib 5. Annal. Boior.

s Bellarm. de Transl. Imp. lib 3.

Sane tamen nemo inficias ire poterit, post Tertii Ottonis obitum ducentis & amplius annis, quotquot electi fuerunt Romanorum Reges, Imperatores designati, eosdem non Septem duntaxat Electorum, sed omnium Principum Imperii feudatariorum, tam Ecclesiasticorum quam sæcularium qui ad Comitia conuenissent, suffragiis fuisse ad regium culmen electos. Id enim præter singulorum promotiones, perspicue satis edocent quæ adhuc extant de ipsis promouendis, litteræ diuersorum Romanorum Pontificum ad Germaniæ Principes datæ; & inter alias, quas Gregorius *t* Septimus scripsit ad omnes Episcopos, Duces, atque Comites Teutonicos, de noui Regis electione facienda, si Henricus in Synodo excommunicatus non resipisceret; ostendens par eorum omnium fuisse ius in eligendo Rege in Imperium promouendo. Atque ita etiam perseueraſſe tempore Innocentii Papæ Tertii anno Redemptoris millesimo ducentesimo, cum post obitum Henrici dicti Sexti Imperatoris, Principes sciissi sunt inter se, eligentibus aliis Ottonem Quartum, aliis vero Philippum; literæ ambabarum partium ad Innocentium datæ significant: quibus manifeste appatet, non penes septem tantum fuisse ius eligendi, sed penes omnes tam Ecclesiasticos quam laicos feudatarios Imperatoris in vtraque Germania Principes; cum in iisdem recenseantur diuersi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces, Marchiones, Comites, & Barones, qui ad Comitia conuenerant electionis faciendæ causa; immo & aliorum absentium meminerint, qui per literas consensum præstitissent. Ex quibus redarguas Ostiensem, dum interpretatus decretalem illam *u* Innocentii, qua respondet literis alterius partis; eos quos idem Papa redarguit, existimauit fuisse illos Septem vulgatos ore omnium Electores. Quinimo neque id muratum esse, cum anno millesimo ducentesimo decimooctauo post Ottonem Fridericus Secundus creatus est Cæsar, apparet ex Comitiis tunc ea de causa habitis.

XII. OMNES PRINCIPES FEVDATARII IMPERII, IIDEM ELECTORES.

t Greg. Sept. 4. epist. 3.

u Cap. Venerabilem ext. de Elect.

[Quæ hic recensentur literæ ad Innocentium, & ab ipso scriptæ, asseruantur in Archiuo Sedis Apostolicæ: vnde Baronius ea excerpsit, quæ ad rem facere putauit. Verum de his, deque aliis rebus ad Electores pertinentibus, puta, quo tempore, à quo Pontifice, quo numero, & quinam constituti fuerint; tu vide quæ post eiusdem Baronii obitum sunt scripta primum à Iac. Gretsero Soc. Iesv in Defensione libri tertii Bellarmini de Translatione Imperii, & lib. 2. contra Replicat. cap. 22. deinde vero locupletius à Io. Paulo Windekio S. Theol. Profess. in Academ Friburg. proprio Tractatu de Electoribus: Vbi & peculiariter expenduntur ipsius Baronii assertiones de iure electionis cunctis Imperii Principibus primitus competente, deque numero Septenario in Concilio Lugdun. stabilito; & plurimi aliorum tam Catholicorum quam hæreticorum corriguntur de iisdem rebus, aliisque Electores concernentibus, errores.]

Verum licet hæc ita se habeant; nihilominus haud vsque ad Gregorium Decimum fuisse Septem Electorum dilatam creationem, sed & à quonam Romano Pontifice fuerit ea primitus decreta, & vbi locorum, & qui electi fuerint; certo certius ex Synodalibus Actis in promptu est demonstrare. Vixit temporibus illis Matthæus Paris monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam Historiam aggressus est scribere ab anno Redemptoris millesimo sexagesimo sexto, perduxitque vsque ad millesimum ducentesimum quinquagesimum, vt ipsemet in fine testatur. Editus est eius liber Londini in Anglia anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, cum antea latuisset in angulo. A quo siquis demat calumnias, inuectiuas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem eiusque Pontifices, (nisi probra illa, fuerint additamenta potius eius qui primus edidit, hæretici hominis, cum peculiare sit illis, libros quos potuerint depraua[illegible]) aureum tane dixerit Commentarium, vrpote quod ex Epistolis Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum aliorumque Principum, necnon ex Conciliorum Actis, aliisque publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregie contextum & coagmentatum inueniatur. In eo autem inter alia nobilia monumenta, habentur Acta Concilii Lugdunensis Oecumenici, cui interfuerunt imprimis ipse qui indixit Innocentius Papa Quartus anno Redemptoris millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, simulque duo Patriarchæ Orientales Constantinopolitanus, & Antiochenus, necnon Imperator Constantinopolitanus, præter alios Principes, Regumque Legatos, post Præsides diuersarum Ecclesiarum. In quo quidem post alia complura optime constituta, titulus est additus de Electionibus ob litium decisionem; in eoque simul Septem definiti ab eodem Pontifice Electores Imperatorum, videlicet Ecclesiastici tres, Archiepiscopi Colonienſis, Moguntinus, & Salsburgensis, laici quatuor, Duces Austriæ, Bauariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ.

XIII. CERTA FIDES DE TEMPORE QVO CONSTITVTVS EST NVMERVS VII ELECT.

Stetit numerus conscriptus, perseuerauitque in futurum; personæ autem quatuor mutatæ, nempe vt pro Salsburgensi positus fuerit Archiepiscopus Treuetensis; proque tribus illis Ducibus Austriæ, Bauariæ, atque Brabantiæ, fuerint subrogati Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgensis, atque Rex Boëmiæ; qui potius locum teneret definitoris si discrepent Electores, quam vnius ex Electoribus. A quonam autem, retento Electorum septenario numero, facta fuerit ista mutatio, num ab eodem Innocentio, vel alio ex successoribus eius; hæc fatemur nos latere. Ex consensu autem Germaniæ Principum id esse sancitum, qui sui temporis Chronicon scripsit Albertus Abbas Stadensis asserit. Qui cum perduxerit Chronicon suum vsque ad annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum sextum, inde colligi potest, vel ab ipso Innocentio Quarto post Lugdunense Concilium factum esse, vel sub eius successore Alexandro Quarto, cuius annus secundus incidit in eundem annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum sextum. Non autem ab ipsis Principibus factum sua sponte dici potest: nam cuius fuit de Septem Electoribus legem condere, nō alterius quam ipsius esse potuit eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari. Quod vero qui ab Innocentio electi Principes Electores Duces Austriæ, Bauariæ, & Brabantiæ cesserint aliis, inde prouenisse videri potest, quod magis ipsi cuperent eligi quam eligere Imperatores. Ceterum ante hæc tempora nullum Historicorum inuenire est, qui vel nomine tenus Septem Electorum meminerit. Qui autem primus eorum meminisse reperitur, Martinus Polonus (qui & ipse claruit sub eodem Innocentio Papa Quarto) in Ottone Tertio de istis agit his verbis; *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnauerint; tamen postea fuit in-*

XIV. QVINAM SEPTEM ILLI.

stitutum, vt per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarii, Moguntinus Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Colonienſis Italiæ; Marchio Brandeburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ Ensem portat, Rex Boemus Pincernam agit. Hæc Martinus, in Ottone Tertio referens, quæ postea suo tempore facta essent: vnde irrepsit error, vt sub eodem Ottone Tertio, sub quo id ab eo scriptum inuenerunt, multi putauerint *x* septem fuisse creatos Electores à Gregorio Papa Quinto; cum tamen illud *Postea*, non ad tempora Ottonis Tertii, sed ipsius Martini sit referendum. At de his modo satis.

x S. Th. de reg. Princip. lib. 3. c. 19. aliique postea.

IESV CHRISTI AN. 997.

GREG. V. AN. 2.

OTTONIS III. 2.

BASIL. & CONST. 22.

I. S. ADALBERTI MARTYRIVM.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo septimo, Indictione decima, *S. Adalbertus* Pragensis Episcopus prohibitus à Boleslao Boemiæ Rege ad suam redire Ecclesiam; accepti à Romano Pontifice Apostolatus numeros expleturus, ad Prussios perrexit. Vbi derisione & verberibus exceptus, & abire iussus, cum ad vicinos Luiticos populos profectionem arriperet, reuersurus rursum opportunius ad Prussios; ab iisdem ligatus est vinculis, & ad supercilium montis ductus, ibi septem confossus lanceis præuisum iam antea martyrium feliciter consecutus est die vigesima tertia Aprilis; quod eodem tempore per visum reuelatum fuit Romæ in monasterio S. Bonifacii, necnon S. Nilo Abbati, & cuidam presbytero sacrificanti, aliisque. Describit hæc pluribus, qui res ab eo præclare gestas est prosecutus *a* eius temporis auctor. Quæ quidem hoc anno contigisse, testatur Cartuitius in Vita *b* S. Stephani Regis Vngariæ, necnon Lambertus in Chronico, & alii recentiores. Qui vero prosecuti sunt res Polonorum, tradunt *c* corpus eiusdem Sancti redemptum fuisse æquali auri pondere à Prussis, illudque translatum in Gnesnensem Ecclesiam immensis ibi claruisse miraculis. Sed & post mortem illud fecit in Gentium conuersione, quod viuens facere concupiuit: siquidem testatur Petrus *d* Damiani, barbaros postmodũ peperciſſe S. Bonifacio prædicanti in Russia, quod timerent ne si fieret martyr sicut Adalbertus, miraculis cælitus illustratus ad fidem Christianam populos illos conuerteret.

a Ap. Sur. 23. April.
b Ap. Sur. 20. Aug.
c Petr. Damian. in Romuald. cap. 38.
d ibid. c. 39.

II. APOSTOLATVS IN RVSSIAM.

Accidit enim eodem tempore, vt cum paulo ante *Bonifacius* consanguineus Ottonis Imp. eidemque ita charus vt Imperator illum non alio vocaret nomine, nisi *Anima mea*, vir liberalibus artibus apprime instructus, Romæ in Ecclesia S. Bonifacij Martyris, exemplo sui æquinoci ad martyrij desiderium prouocatus, relicto sæculo Romualdum sequẽs vitam monasticam esset amplexus, quã bene inst tutus valeret ad martyrij coronam pertingere: idem audiens Adalbertum iam coronatum, impatiens moræ licentiam acceperit à Sede Apostolica prædicandi Gentibus Euangelij, consecratusque Archiepiscopus in Russiam venerit. Tradit hæc Petrus Damiani in Romualdo. Porro iam diu ante Euangelium in Russia fuisse prædicatum, dictum, est suo loco: sed cum ingruentibus iugiter bellis vix aliqua Christianitatis memoria residua esset cœpit rursum ea prouincia Bonifacii prædicatione atque miraculis bene culta florescere; aucta vero est magno frugum prouentu, cum meruit ipsius Bonifacii Martyris sanguine irrigari; de quo dicturi sumus suo tempore.

III. *e Cartuit. in Vit. S. Stephan. Reg. Vngar. c. 4. ap. Sur. 20. Aug.*

Hoc eodem anno (vt auctor est Cartuitius *e* Episcopus) Geisa primus Dux Christianus Vngariæ, ex hac vita migrauit in cœlum: cui succesſit S. Stephanus eius filius. Qui ætate licet adolescens, sapientia canus, atque imprimis religione præstans, quod simulac pater decessit ciuile bellum Christianæ causa fidei exortum est, sub auspiciis SS. Martini Põtificis & Georgij Martyris pugnans extinxit; atque ex spoliis hostium, in honorem eiusdem S. Martini in monte Sacro (vbi idem sanctissimus Pontifex, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat) monasterium construxit, quod amplissimis redditibus dotauit, eidemque omnium rerum decimas consecrauit; quas adeo exactè persolui voluit, vt siquis decem haberet proles, seu liberos, decimam prolem ei daret.

S. STEPH. DVX VNGAR.

IESV CHRISTI AN. 998.

GREG. V. AN. 3.

OTTONIS III. 3.

BASIL. & CONST. 23.

I. ROBERTVS REX FRANCORVM EXCOMMVN. OB ILLICITVM CONIVGIVM.

ANno Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Indictione vndecima, mortuo Hugone Francorum Rege, Robertus eius filius, quem aliquot iam ante annis pater in regni consortium adsciuerat, solus summa rerum potitus est. Hic cum ex permissione adulantium sibi Episcoporum, illicitum contraxisset coniugium cum Berta commatre atque affine sua; reclamante Gregorio Papa illud est dissolutum, & delinquentes Episcopi pœnitentia castigati. Est de his epistola Leonis Papæ Noni ad Henricum Roberti filium, quam recitat Auctor Panormiæ. Petrus autem Damiani in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem, de eiusdem Roberti Regis agens coniugio, ostendit Episcopos Galliarum ita coercitos à Summo Pontifice, postea Regem excommunicasse: indeque factum, vt ab eius societate vniuersi recederent, nec præter duos seruulos ad necessarij victus obsequium remanerent; qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus Rex edebat & bibebat, abominabilia iudicantes, mox igni traderent: hisque Regem coarctatum angustiis, diuortium cum Berta feciſſe, legitimamque vxorem duxisse Constantiam filiam Wilelmi Comitis Arelatensis. Ceterum ex priori eiusmodi illicito coniugio monstrum natum esse, anserinum collum & caput habens; non idem tantummodo Petrus asserit, sed etiam habetur in Aquitanicæ Historiæ Fragmentis ex Pithœi collectione editis. Denique suasione Abbonis Floriacẽsis Abbatis magnæ sanctitatis viri, Robertum dimisisse prædictam commatrem & affinem suam, ac post hæc pie ac sancte vitam duxisse; testatur Helgaldus eiusdem cœnobii monachus, texens res ab eodem Rege præclare gestas.

MONSTRVM EX ILLICITO CONIVGIO.

II. ARABES PROPLIGATI AB HISPANIS.

Quod ad statum pertinet rerum Hispanicarum; ex in hunc vsque diem sub Veremundo Rege magis ac magis labefactatæ, miserando interitu ita sunt attritæ, vt amisso Legionensi Regno, & Gallæciæ ciuitate Compostella exisa, ecclesiisque dirutis, vix sepulchro S. Apostoli virtute Dei illæso seruato, in vltimum discrimen essent adductæ: cum exiguæ vires Christianorum Principum in vnum collectæ, Almanzorem Regem Arabum numerosissimo pollentem exercitu superauere quam felicissime, desideratis expeditibus eius septuaginta millibus, equitum vero quadraginta millibus; cuius & ipse exercitus dux ex desperatione abstinens cibo, noluit tantæ cladi superesse. Porro nullam hac victoria glorioſiorem vel cessisse vtiliorem, vel opportuniori tempore à Deo concessam esse, cum veteres tum recentiores affirmant. Ipse autem Rex Veremundus anno sequenti decessit, Æra millesima trigesima septima, multis bonis operibus pro suis expiandis delictis ante præmissis. Cui succesſit eius filius Aldefonsus huius nominis Quintus, puer annorum quinque. Iisdem vero temporibus, sub Garsia Fernando Castellæ Comite aduersus item Arabes pugnante, accidit, vt cum in ipso dimicandi procinctu, pietate ac fide nobilis vir Ferdinandus Autolinus in Ecclesiam se recepisset, vt precibus victoriam suis impetraret, idque ei æmuli ignauiæ ac timori tribuerent; manifestis voluerit Deus signis ostendere, pietate potius quam armis parati victoriam.

PIETAS VINCIT HOSTES.

ctoriam. Siquidem eiusdem Ferdinandi specie visus est Angelus ante alios adeo fortiter præliari, vt à cunctis ipsi victoria tributa fuerit; cuius etiam equus & arma inuenta sunt diuino miraculo sanguine conspersa. Tradunt hæc veteres rerum Hispanicarum Scriptores.

III. a Hanc obturationem habet Bar. an. 996. in fin.

Inter hæc autem Imperator Otto rursum in Italiam venit. Falluntur *a* enim qui vnum tantum eius in Italiam aduentum ponunt; quem sæpius eo venisse, ex iis quæ dicta sunt, dicenturque inferius constat. Hoc autem secundo eius aduentu accidisse traditur *b*, vt cum Mutinam peruenisset, & iuxta illam ciuitatem in villa Amula dicta hospitio susceptus esset; ibi coactus fuerit Augustam vxorem suam, Mariam nomine, filiam Regis Aragonum, publice cremandam iudicare. Nempe coniecerat femina procax oculos in Comitem quemdam forma pulcherrimum, sed vita castissimum: ideoque passa ab eo repulsam, eundem præ rabie de pertentata pudicitia calumnioſe accusauit apud Imperatorem; hic vero facile nimis vxori fidem adhibens, Comitem morte damnauit. Quem cum capite amputatum audisset ipsius vxor, doloris impatiens Ottonem conuenit pro tribunali sedentem; proiectoque capite viri in medium, magno eiulatu ipsum Imp. reum sanguinis innocentissimi, apud eundem ipsum iura reddentem accusauit. Probationem per contrectationem Ferri candentis obtulit; eoque consentiente, ferrum ipsa candens contrectauit inusta atque prorsus illæsa. Tunc q; magna audacia victrix femina vindictam in ipsummet Imperatorem è gladio exegit imperantis. Fassus ille culpam spopondit iugulum, sed poposcit inducias. Interim accurrentes Proceres, pro vita feminam exoratunt Imperatoris: sed cum frustra diu laboratum esset, tandem ea est conditione transactũ, vt auctrix sceleris Augusta flammis comburenda daretur. Quo facto suam redemit vitam iustissimus Imperator; qui viduam insuper Comitis tribus castris donauit. Hoc tantæ tragœdiæ est argumentum, quod Gotefridus *c* Viterbiensis carmine cecinit, alii vero soluta oratione descripsere.

c Gotefr. Viterb. Chron. p. 11. in Otto. III.

IV.

Posthæc vero cum Imperator ad Samnites se contulisset, vt Principes Longobardos in officio contineret; religionis quoque ergo ad Cassinense monasterium accessit, cui tunc præerat Ioannes vir egregiæ sanctitatis, nuper diuinitus ad illam præfecturam vocatus: & priuilegia monasterii confirmauit, duasque argenteas coronas B. Benedicto obtulit; vt Leo *d* Ostiensis est auctor.

d Leo Ost. lib. 2.

V.

Quod ad res spectat Orientis; sub hoc anno Curopalates ponit Ioannem Malacenum illustrem virum Lacedæmonium accusatum fuisse apud Basilium Imp. quod Bulgarorum partibus fauisset, eaque de causa vocatum esse Constãtinopolim: quæ autem secuta fuerint, silentio obuoluta reliquit. Sed in Rebus gestis S. Niconis (de quo superius) traditur, non solum ipsum ab eiusmodi inuidorum calumniis absolutum esse, sed etiam adeo honoribus auctum, vt principem in Senatu locum obtineret; virum equidem prudentem & eloquentia insignem: cui hæc omnia ex prædictione S. Niconis accidisse narrantur. Ceterum cum idem Sanctus Malaceno Constantinopolim abeunti promisisset fore vt is vultum suum denuo videret, & tamen eo adhuc Constantinopoli degente Nicon ad cœlestem vitam migrasset; dolore æstuans Malacenus, sed fide confirmatus, vt veram aliquo modo redderet Sancti prophetiam, pictori vultum eius & corporis lineamenta omnia designans, depingere iussit. Sed cum non valeret pictor, arte licet manuque insignis, eum ad veram similitudinem exprimere; accidit vt ei in his angustiis existenti, in ipso quo depingere eum conabatur cubiculo apparuerit Nicon solito habitu vestitus: à quo pictor iussus in eum respicere, idemque eo circumspecto ad tabulam reflexus vt eius formam imitaretur; sacram eiusdem Imaginem in tabula suis lineamentis suapte expressam sponte vidit: qui miraculo obstupefactus, ad Sanctum iterum conuersus vt eum veneraretur, reperit illum iam abscessisse. Porro delata Malaceno Imago, eadẽ postea suspensa est in sacro eiusdem Sancti templo. Narrantur hæc fusius in iisdem S. Niconis Actis. Ex quibus etiam constat, solitum ex Sancti loculo vnguentum sacrum colligi, quod sanctificationi, malisque & morbis omnibus depellendis proficuum esset.

IMAGO S. NICONIS MIRABILITER EFFIGIATA.

Subiicit autem his quæ de Malaceno narrauit mox Curopalates, Basilium Imp. quo sibi Venetos conciliaret, eorum Duci in matrimonium iunxisse Argyri filiam, Romani postea Imperatoris sororem: quam illam putamus, de cuius ambitiosa mollitie, ac delicato victu plura narrat Petrus Damiani in epistola ad Blancam Comitissam; vnde & factũ esse diuino iudicio tradit, vt eius corpus totum computrescens tantum fœtorem ediderit, vt nec ipsius serui illum ferre possent; eoque languore diutius misere cruciatam, amicis quoque lætantibus, diem clausisse extremum. Ceterum hunc Basilium Imp. idem qui supra Auctor Rerum gestarum S. Niconis scribit omnium fuisse fortunatissimum, quippe cuius & vita illustris, & Imperii spatium longissimum & victoriæ de hostibus quam plurimæ fuerint; per quẽ & Bulgaricæ gentis Princeps Samuel, viribus & robore inexpugnabilis, in Creta cum innumerabili multitudine Bulgarorum fractus & subactus sit. De quo & illud memoria dignum in Aquitanica Historia à Pithœo in lucẽ edita traditur; quo tempore Hugo Rex Francorum mortuus est, & regnauit pro eo Robertus filius eius (quod quidem hoc ipso anno contigisse vidimus) rebellantes Bulgaros Græciam nimis exasperasse, & Basilium Imp. super eos nimis irritatũ, voto se obligasse Domino monachum fieri, si Græcis eos subderet, & per annos quindecim super eos laborantem, ad vltimum Regibus eorum prostratis Samuele & Aarone, omnem terram eorum obtinuisse, populumque Bulgarorum maxima ex parte in Græciam captiuasse; & sicut voto promiserat, habitum monasticum Græca figura subindutũ, deinceps omni vitæ suæ tempore à concubitu & carnibus abstinuisse, Imperiali extrinsecus schemate circumdatum: ac deinde Hiberiam repugnantem per annos septem ita edomuisse, vt omnia ad imperium illius exerceret. Hæc ibi, consentientia iis quæ de eius victoriis habet Auctor Rerum gestarum S. Niconis.

VI. DUCI VENET. IVNCTA IMP. SOROR.

BASIL. IMP. EX VOTO FIT MONACH. [Quod quidem Baron. an. 886. de Basilio Macedone istius abauo dictum existimauit: etiamsi haud ei conuenire recte monuerit.]

Hoc item anno, cœpta Indictione duodecima, defuncto Sisinnio Patriarcha Constantinopolitano cum sedisset annos tres, subrogatus est in locũ eius *Sergius e* Abbas ex progenie Photij schismatis auctoris; cuius & ipse secutus vestigia, eo amplius obfuit quo diutius præfuit, propagato sedis tempore vltra vigesimum annum. Huius nomine contra Occidentales inuenitur alicubi scripta epistola, quæ vere ipsius Photii esse noscitur.

VII.

e Vid. infra an. 1019. II.

IESV CHRISTI AN. 999.

SILVEST. II. AN. 1.

OTTONIS III. 4.

BASIL. & CONST. 24.

ANno Dominicæ nongentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecima, *Gregorius* Papa diem obiit pridie Nonas Februarii, vt Ditmarus ait; sed verius duodecimo Calendas Martij, vt apparet ex sepulchrali eius inscriptione, quæ extat apud S. Petrum vbi conditus est idq; cum sedisset annos duos, menses octo, dies sex. In cuius locũ statim subrogatus est Gerbertus Archiepiscopus Rauennas, antea Rhemensis, de quo plura superius dicta sunt; qui mutato nomine dictus est SILVESTER Secundus. Testantur hæc Ditmarus, Hermanus, Lambertus, Marianus, eiusdem sæculi scriptores, ac ceteri omnes. Ne enim Pontificatus, quo perfunctus fuerat Germanus homo Gregorius, in Romanũ aliquem relaberetur, (suspectam enim, & nusquam tutam fidem Imperator Otto expertus fuerat Romanorũ) ipsum Gerbertum mox Summum Pontificem eligendum curauit; hominem alioqui astutum, & in gratiam se Principum insinuandi maximum artificem; tanta fede (vt libere fatear) indignissimũ, vtpote cuius hostis extitisset infensissimus, eãdemq; suis scriptis dire pscidisset. Ista adeo indigna pati coacta est Rom. Eccles. cũ p Principes sęculi factę sunt electiones

I. GREG. PP. V. OBITVS

GERBERT. ELECTIO, DICTI SILVEST. II.

nes ipsius Pontificum Et tamẽ illũ,adulatus Ottoni Romanus populus, dicitur *a* postulatsse. De quo Helgaldus in Vita Roberti Regis tradit, eum de se ita in R. litera lusisse;

Scandit ab R.Gerbertus in R.post Papa viget R.

quod videlicet rexisset Ecclesias Rhemensem, &Rauennatem,ac demum Romanam adeptus esset.

a *Ap. Aim. lib. 5.c.45.*

II. QVÆ DE EO CONFICTA.

Porro eius tam cita tamque inopinata promotio, & continuata prosperitas, viri præsertim qui (vt vidimus) in conuentu Episcoporum iudicio Apostolicæ Sedis redactus fuerat in ordinem,occasionem præbuit de ipso opinandi atque scribendi, eum magicis incantationibus ad Apostolicæ Sedis culmen prouectum esse,pacta pro mercede diabolo anima, quam stato loco Hierosolymis (sic nuncupata in Vrbe S. Crucis ecclesia) exactor violentus extorserit. Ad quæ simplicium auribus ingerenda, additum est argumentum non leue, quod in tam rudi sæculo Mathematicæ scientiæ, præcipue vero Astrologiæ hic scientissimus esset. Fuerunt enim isti colores, quibus ad tam absurda ac mõstruosa de illo fingenda,impudens homo *Benno* est vsus; qui e Cardinalem Archipresbyterum nominauit, cum ex schismate nomen sibi tantæ dignitatis abripuisset, quando post annos octoginta aduersus Gregorium Septimum Henricus Imperator schismaticus bellum gessit, Iste,inquam,primus extitit fingendæ fabulæ architectus;vt etiam tradit ex eius scriptis quæ vidisse testatur, eaque improbat, Papirius *b* Masonus. Certe quidem nullus ante eum de Siluestro ea scripsisse reperitur; qui etiam eadem malitia & alios Gregorii Septimi decessores magiæ accusauit, & vt maleficos damnauit. At contra qui Siluestri tempore vixerunt, honorificam de eo mentionem habuere; vt Ditmarus *c* scriptor grauissimus Episcopus Merseburgius in Saxonia,& quem diximus Helgaldus monachus Floriacensis, qui summa fide Vitam scripsit Roberti Francorum Regis, cuius hic Gerbertus magister extitit. Et quod prorsus fabulam illam falsitatis arguit, epitaphium est *d* eius sepulchro insculptum Romæ in basilica Lateranensi, auctore Sergio eius successore,plane dignum quouis magni nominis Romano Pontifice: vt omnino impossibile videatur, tam probroso exitu qualem Benno posuit, palam extinctum Pontificem potuisse tali elogio commendari, eo præsertim loco vbi talia fieri contigissent.

b *Mas. de Epist. urb. in Siluest. & in Greg. Sept.*

c *Ditm.lib. 6.*

d *Rec. Bar. Ann.Tom. XI. an. 1003.*

III. RECENTIOR AVCTORVM ERROR DE GERBERTO.

Rerum tamen ignarus Sigebertus, aliique recentiores Scriptores, adeo Bennonis perculsi sunt testimonio, vt reuocarint in dubitationem, num esset inter Romanos Pontifices Siluester annumerandus, quem crederent à diabolo fuisse promotum; an vero quem alii (inquit idem Sigebertus, sed nescimus quos) numerant *Agapetum*; de quo nusquam alibi mentio quod his temporibus sederit. At non ita antiquiores illi qui præsenti sæculo claruere Ditmarus Glaber, Helgaldus, Lambertus, Hermannus,& Marianus Scotus, rerum suæ ætatis quas cominus sunt intuiti scriptores; qui absque vlla vel leui dubitatione, post Gregorium Quintum, Siluestrum recensent legitimum Papam. Sed etsi tot manifestæ probationes deessent, nonne satis ex seipsa fabula conuincitur vanitatis, dum de thesauro abdito in Campo Martio narratio adiicitur, qualem vetula rotans fusum simplicibus solet ne dormiant narrare puellis ad lucernæ lumẽ? Prudens igitur Lector vno fasce constringat hoc commentum cum illo de Ioanna Papissa; nisi quod illud leuitas excogitauit, istud nequitia.

IV. PIÆ ATERRÆ IMP. ET FRANCONIS EPISCOPI WORMATIENSIS.

Eodem tempore Otto Imp.inter multa alia pia opera, quorum extat apud Scriptores memoria,cum adhuc Romæ esset pœnitentiam agens de peccatis suis; ali quãdo vna cum Francone Episcopo Wormatiensi viro sanctissimo sibique charissimo speluncam quandam iuxta S. Clementis ecclesiam clam cunctis intrauit:vbi ambo induti ciliciis,pedibus nudis,in orationibus,ac ieiuniis, vigiliisque,quatuordecim dies latuerunt, & vt fama fuit visionibus & allocutionibus diuinis honorati fuerunt. Hæc auctor eius temporis in Vita Burchardi. Qui post hæc narrare pergit, quomodo cum idem Franco Episcopus paulo post ibidem Romæ diem, quem antea ex reuelatione diuina prædixerat, clausisset extremum; Imperator vbi reuersus est in Germaniam, certo diuinæ voluntatis iudicio, *Burchardum* eiusdem Franconis germanum,lucidum eius temporis Germaniæ solem,eidem Wormatiensi Ecclesiæ,sicut & Franco expetierat,præfecerit. Quod autem fit ibidem mentio de *Concilio* tunc *Romæ* habito, in quo recitari voluit Imperator concessum Ecclesiæ Wormatiensi priuilegium; meminit quoque eiusdem Ditmarus: aitque in eo accusatum Giselerum Archiepiscopum Magdeburgensem, quod duas parochias teneret, percussum paralysi venire non potuisse, remque repositam fuisse ad Concilium prouinciale Germaniæ. Subdit mox, Imperatorem auditis miraculis quæ ad sepulchrum S. Adalberti martyris olim Pragensis Episcopi fierent, orationis gratia eo peregrinatũ esse, & quamprimum à longe vidisset Gnesnam Poloniæ vrbem, in qua eiusdem Sancti corpus reconditum erat, nudis pedibus suppliciter aduenisse;digne exceptum à Boleslao Poloniæ Duce, & magnis muneribus donatum. Sed quod ait, factum ibi ab eo esse Archiepiscopatum; id potius factum oportuit auctoritate Legati à latere cum eo missi Archidiaconi Cardinalis S. R. E. Quamquam an istud Romano Pontifici probatum fuerit,reuocari possit in dubium,quod assertione Gregorij *e* Papæ Septimi appareat vsque ad sua tempora nondum fuisse institutam sedem Archiepiscopalem in Polonia.

OTT. IMP. PEREGRINATIO AD SEPVLCHRVM S. ADALB.

c *Greg.VII. 2.ep.73.*

IESV CHRISTI AN. 1000.

SILVESTRI II. AN. 2.

OTTONIS III. 5.

BASIL. & CONST. 25.

I.

ANno Christi millesimo, Indictione decimatertia, Otto Imp.ex Polonia Romam rediens,sacras Reliquias Adalberti Martyris secum detulit, videlicet *Manus*; quibus vbi collocarentur erigendam curauit ecclesiam in Insula Tiberina, loco Vrbis famosissimo. Agitur vero de ea translatione, in Appendice ad Vitam eiusdem Martyris: asseriturque alia quoque Martyrum corpora ex variis Italiæ partibus summo religionis affectu esse ab eodem Imp.in eandẽ ecclesiam translata. Sed & cum pœnitentiæ gratia, quam illi (vt dictum est)Romualdus Abbas indixerat,in montem Garganum in Apulia situm pedes pe[illegible]natus (quo etiam itinere pium admodum habuit cum sanctissimo Nilo congressum)Beneuentum adiisset, inde quoque corpus *S.Bartholomæi* Apostoli, necnon celeberrimi Confessoris *Paulini* Nolani Episcopi,Romam transtulit. Id enim hoc ipso anno Christi millesimo factum esse, Leo *a* Ostiensis ex antiquis Cassinatis monasterij monumentis affirmat: quamuis in eo quod ait à Beneuẽtanis Paulini corpus loco S. Bartholomæi tunc fuisse suppositum, plures habeat contradictores, asserentes omnino ipsummet Apostoli corpus in ecclesia in honorem S. Adalberti extructa certo certius asseruari. In cuius testimonium veritatis, adducuntur etiam Romanorum Pontificum sacra diplomata,& Friderici Imp. constitutio data anno millesimo centesimo sexagesimo septimo: quibus accedunt Acta Synodalia sub Alexandro Tertio; necnon ipsa inscriptio, quam in eiusdem ecclesiæ restauratione in superliminari portæ maioris, Paschalis Secundus apposuit anno millesimo centesimo decimotertio, quæ & hodie legitur. In qua cum pariter asseratur,eam translationem factam esse ab Ottone Tertio; manifesti erroris redarguuntur, qui sub Ottone Secundo eandem posuere. Denique anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo, post maximam Tiberis inundationem aperto sarcophago, inuentæ sunt intus tabulæ æreæ scriptæ literis Græcis & Latinis, quæ significarent ipsum esse corpus S. Bartholomæi ab Ottone translatum: repertumque pariter est in eadem ecclesia corpus S. Paulini. quam rem gestam narrat Robertus qui ad Sigebertum adiecit appendicem; asserens tamen pellem Apostoli remansisse Beneuenti. Porro factum est, vt illatione corporis S. Bartholomæi in ecclesiam sub titulo S. Adalberti martyris inchoatam, transierit

CORPVS S. BARTHOLOM. APOST. TRANSLATVM ROMAM.

a *Leo. Ost. lib.2.c.24.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fierit ipsa in nomen & cultum eiusdem Apostoli; memoriaque Adalberti hoc modo fuerit paulatim oblitione deleta.

II. Hoc item anno, qui numeratur quartus S. Stephani Pannoniæ, siue Vngariæ Ducis, idem Stephanus Astricum Colocensem Episcopum, eundemque Anastasium dictum, Legatum misit ad Romanum Pontificem, petitum vt recens conuersæ Pannoniæ benedictionem impertiret, Strigoniēsem Ecclesiam Metropolim constitueret, reliquos Episcopatus firmaret, atque ipsum Ducem Regio diademate cohonestaret, vt eo fultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio cœpisset, ea magis magisque promouere ac stabilire posset. Cumque per idem tempus Polonorum Dux Legatos pariter suos Romam misisset, vt Pontificis benedictionem ac Regium titulum adipisceretur, iamque assentiens Pontifex coronam egregio opere confici curasset quam ei mitteret, nocte eius diei quo eam Legatis daturus erat, apparens ei Angelus Domini iussit vt coronam quam Duci Polonorum parauerat, daret iis qui postera die ab ignota gente ad eum venirent. Itaque cum hora ab Angelo prædicta aduenissent Legati Vngari, ipse eisdem coronam cum nomine Regio tradidit; insuperque concessit vt Crux ante Regem, ceu Apostolatus insigne deferretur, quod eius opera multi Infideles populi ad Christum conuersi essent; necnon vt idem Rex vice Romani Pontificis Ecclesias sui Regni disponeret. Hæc omnia plurimis habet Cartuitius *b* Episcopus in Vita eiusdem S. Regis.

CORONA REGIA PARATA POLON. DVCI, DEI MONITV DATA VNGAR.

b Ap. Sur. 20. Aug.

III. Sed indigne ferentes rerum Polonarum Scriptores *c*, coronam paratam Duci Poloniæ, Dei monitu datam Duci Vngarorum; tradunt regium nomen ac diadema Duci Poloniæ datum esse ab Ottone Imperatore, cum in Poloniam (vt dictum est) ad S. Adalberti martyris visendum corpus profectus esset. Verum in his minime ipsis assentiri possumus. Si enim accepissent ab Ottone, cur opus fuit postea quærere à Romano Pontifice post Ottonis obitum regnante Henrico Imperatore? quod diserte testatur sæculi huius scriptor Petrus *d* Damiani Episcopus Ostiensis, S.R.E. Cardinalis laudatissimus, ac veritatis in omnibus amantissimus, occasione martyrii duorum discipulorum S. Romualdi, qui cum à Duce Polonorum rogati fuissent ea de causa Romam proficisci, ipsique sæcularia eiusmodi tractare renuissent; nihilominus à furibus existimantibus magnam vim auri ipsis ad hoc à Duce datam fuisse, in sua cella necati sunt, & post mortē suis interfectoribus liberatione m à pœnis quibus à Duce addicti erant impertierunt. A quo etiam cum hæc gesta dicantur sub Boleslao Poloniæ Duce, (qui tamen apud eum corrupte legitur Buselauus) ex eo corrigas Cartuitium, qui ea facta ponit sub Meisca Boleslai patre. Nam & eidem repugnat, quod Ditmarus *e* huius temporis auctor grauissimus Meiscæ obitum accidisse ponit anno octauo Regni Ottonis, qui incidit in annum Domini nongentesimum nonagesimum primum. Cur vero Stephanus Rex Vngarorum tantam diuinitus reuelatam gratiam promeruerit, vt alteri paratam coronam acceperit, ex epistolis Gregorii Papæ *f* Septimi causam possumus intelligere eam fuisse, quod ipse Regnum Vngaricum Romanæ Ecclesiæ donarit.

c Chron. lib. 3. in Bolesl. Polon.

QVOQVE DVCI DATA CORONA A ROM. PONT. *d Petr. Damian. Vit. Romuald. c. 32. 34.*

c Dit. lib. 4. Chron.

f Greg. Sept. ep. 13 63. 72. & 2. ep. 21.

REGNVM VNGARIÆ OBLATVM APOST. SEDI.

IV. Porro qui his rebus gestis diuina luce coruscus illuxit præsens Millenarius annus, ad vesperam arte diaboli obscurari nubeculis visus est; sed quæ statim euanuerunt. Etenim circa finem eius, homo plebeius in Gallia apud Vicum Virtutis in pago Catalonico, *Leutardus* nomine, cum in agro solus aliquando labore depressus obdormiuisset, apum visione illum dire exagitantium à dæmone illusus; fatigatus exurgens, quasi ex præcepto Euangelico dimisit vxorem, ecclesiamque velut oraturus ingressus, Crucem & Saluatoris Imaginem contriuit. Persuadens vero rusticis, hæc se ex Dei reuelatione patrare, docensque insuper decimas dare inane esse, & Scriptura homo inanissimus ad libitum abutens, maximam traxit ad se vulgi partem. Sed cum illum accersitum vir eruditissimus Lebuinus Episcopus, in cuius diœcesi erat, disputatione confudisset, populumque deceptum sinæ fidei restituisset; miser ille pseudoapostolus desperatione adductus in puteum se præcipitauit.

DE LIV. TARDO HÆRET.

V. Quo etiam tempore apud Rauennam Italiæ ciuitatem quidam *Vilgardus* Grammaticus, deceptus præstigiis dæmonum ipsi apparentium sub specie poetarum Virgilij, Horatij, & Iuuenalis; cœpit multa turgide contra fidem effutire, asserereque dictis poetarum per omnia esse credendum. Sed eo per Petrum eius ciuitatis Archiepiscopum damnato, plures quoque eius discipuli cum gladio tum incendio puniti sunt. Denique ex Sardinia Insula eodem tempore aliqui egressi qui populum in Hispania corrumperent, & ipsi à viris Catholicis mox exterminati sunt. Hæc autem omnia de eiusmodi diaboli conatibus per insanos homines hæreses disseminare satagentis, describit pluribus Glaber *g* Rodulphus Cluniacensis monachus, temporis huius auctor testisque fidelis.

DE VILGARDO ALIO HÆRET.

g Glab. 2. hist. 11. 12.

IESV CHRISTI AN. 1001.

SILVESTRI II. AN. 3.

OTTONIS III. 6.

BASIL. & CONST. 26.

I. ANNVS Christi millesimus primus, Indictione decimaquarta notatus, quo nouum Sæculum inchoatum est, nonnullorum vana assertione prænuntiatus fuerat mundi postremus, vel ipsi propinquus: de quo videlicet Abbo Floriacensis Abbas, vir doctrina & sanctitate insignis, in libro Apologetico quem ad Robertum Francorum Regem scripsit, testatus est, se cum adolescentulus esset, sermonem coram populo in ecclesia Patisiorum audiuisse, quod statim finito mille annorum numero Antichristus aduenitet, & non longo post tempore vniuersale Iudicium succederet. Nam fama (inquit) per totum mundum impleuerat, quod quando Annuntiatio Dominica in Parasceve contigisset, absque vllo scrupulo finis sæculi esset. Cui errori tradit se ex Euangelio, & Apocalypsi, & libro Danielis restitisse. At quod ad eiusmodi prænuntiationem pertinet; quæ proxime accidissent anno superiori, tantæ cladis videri poterant esse prænuntia. Nam (inquit Sigebertus) multa prodigia visa sunt: terræmotus factus est permaximus; cometes apparuit; Calendis Ianuarii circa horam nonam aperto cœlo, quasi facula ardens cum longo tractu, fulguris instar illapsa est terris tanto splendore, vt non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur: qua cœli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite crescere cum cæruleis pedibus. Hæc Sigebertus.

[*HIC INCIPIT TOM. XI. ANNALIVM BARONII.*] VANA ASSERTIO DE ADVENTV ANTICHRISTI.

II. Sed & ad ista credenda de aduentu Antichristi & fine mundi, satis esse videbantur Romanæ Ecclesiæ tot sæpe iterata naufragia; necnon corruptio morum, quam magnam valde hoc tempore fuisse in hominibus, præsertim Ecclesiasticis, Glaber *a* ea videns deplorat: insuper & quod Ferreum hoc sæculum ob malorum excrescentiam, auctore Ditmaro, & diceretur, & re vera esset; quo videlicet (vt ait Glaber) deficeret religiositas Pontificum, & marcesceret districtio regularis Abbatum, simulque monasterialis disciplinæ vigor tepesceret, ac per illorum exempla cetera plebs mandatorum Dei præuaricatrix existeret. Qualis vero interea esset ipsius Vrbis Romæ status, intelligi potest ex huius temporis scriptore fidelissimo Arnulpho *b* Comite; qui agens de Ottonis Imp. nouissimo in Vrbem aduentu, qui contigit hoc anno, ea oblata occasione de eadem Vrbe plura egregia referens, inter alia ait, quod pro ruinis murorum & veterum fanorum surgerent quotidie innumera ædificia ecclesiarum siue monasteriorum, è quorum numero tunc viginti possiderentur à sanctimonialibus, quadraginta à monachis, sexaginta à canonicis, exceptis iis quæ extra ciuitatem essent, & in aliis ecclesiis siue capellis quæ in eadem Vrbe abundarent. Ex quibus videas, quod de ea quæ typum tenebat Ecclesiæ, arca Noë scriptum in diuinis *c* literis reperitur, *Multiplicatæ sunt*

a Glab. lib. 2. c. 6. CORRVPTISSIMI HOMINVM MORES.

b Arnulph. ap. Canis. Antiq. Lect. Tom. 2. STATVS VRBIS QVALIS.

c Gen. 7.

aquæ,

aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime; in Romana Ecclesia reipla apparere expressum, vt in diuino cultu existeret eminentior, cum existimari potuisset excrescentium malorum obruta fluctibus. Sed ad res gestas huius anni transeamus.

III. DE TEMPORE OBITVS OTTON. IMP.

Scimus quamplurimos non mediocris æstimationis auctores hoc anno ponere obitum Ottonis Tertii Imperatoris, & subrogationem Henrici Bauari; atque imprimis Germaniæ Scriptores, Ottonem Frisingensem, Abbatem Vrspergensem, & Hermannum Contractum, quos secuti sunt recentiores nonnulli. At veriorem esse eorum assertionem, qui dixerunt anno sequenti illum obiisse, puta Mariani Scoti, Lamberti, Sigeberti, atque Ruperti Abbatis Tuitiensis in Heriberto; tum alia plurima demonstrant, tum omnem dubitationem tollit eiusdem Imperatoris priuilegium *d* concessum Ecclesiæ Nouariensi, quod datum ponitur Papiæ decimo Calendas Iulij anno Dominicæ Incarnationis millesimo primo, Indictione decimaquarta, anno Tertij Ottonis Regni decimoseptimo, & Imperij quinto nondum perfecto. Nam cum omnes consentiant, Ottonem defunctum esse mense Ianuarij, vtique in annum sequentem eius obitus referendus est: quod ipsum & alia vetera monimenta indicant, de quibus in successoris electione dicendum.

d Rec. Bar. Ann. Tom. XI. hoc an. ex Archiuo Eccl. Nouar.

IV. OBITVS HVGONIS MARCH. ETRVR. *Quem licet Baron. an. seq. habeat, præsentis tamen contigisse fatetur.*

Obiisse quidem hoc anno mense Decembri, antequam Otto moreretur, insignem virum Hugonem Marchionem Etruriæ, & Ducem Vrbis, (præcipuus hic erat Magistratus) docet inscriptio eius sepulchro incisa Florentiæ in monasterio S. Mariæ, ab eodem præter multa alia constructo, necnon Petrus Damiani in epistola ad Godefredum Tusciæ Marchionem, eiusdem Hugonis postea successorem: ex quibus corrigas quæ de eius obitu dicuntur apud Sigebertum anno sequenti. Sed & quod idem Petrus illius temporis sinceriſſimus auctor, asserit eundem Hugonem filium fuisse Vberti, siue Alberti, filij naturalis Hugonis olim Regis Italiæ; ex eo pariter redarguas auctorem qui postea eiusdem Hugonis Vitam scripsit, dum inter alia plurima mendacia tradit ipsum fuisse Principem Magdeburgensem, Etruriæ vero ab Ottone Tertio præfectum: quibus præter Petrum aduersantur Luitprandus, Glaber, & alii eius temporis Scriptores, dum ostendunt hunc non Germanum, sed Italum, auitaque hereditate possedisse Principatum Etruriæ. Laudat autem mire eundem Petrus de pietate in Deū, religione ac liberalitate in Sanctos & loca sacra, mansuetudine in subditos, aliisque eiusmodi virtutibus. Dignumque plane memoria est, quod de eius ortu narrat: nimirū quod cum Vberrus pater eius indignationem Primi Ottonis incurrisset, ac subinde relicta nesciens coniuge grauida, (erat illa, vt ait, Willa Bonifacij Marchionis filia) in Pannoniam profugus exulasset, post multum vero tempus resumptus in gratiam rediisset; coniugem cum grandiuscula prole reperiens, negauerit se eius esse parentem; quousque re diutius ventilata, sic inter eos conuentum est, vt puer in medio magnæ religiosarum personarum multitudinis constitueretur, inter quas & pater, quem nunquam ipse viderat, nulla à ceteris varietate distinctus sederet; tuncque si patrem puer blandiens adiret, ab omni suspicione matrem purgaret: quod etiam ex optato contigit. Sed de Hugone satis: quem Glaber *e* cum agit de eius obitu, vocat Marchionum optimum: extatque *f* insuper nobile eius epitaphium (vt ea ferebat conditio sæculi) acrostichicis noui generis versibus egregia concinnatione descriptum.

HVGO MATREM A CRIMINIS SVSPICIONE PVER LIBERAT.

e Glab. lib. 2. c. 7.

f Rer. Bar. Tom XI. an. 1001.

V. *g Petr. Dam. in Romuald.* IMP. PROMITTIT MONASTICAM VITAM AMPLECTI.

Recedens Papia Otto, Rauennam se contulit; vbi eum (inquit alibi Petrus *g* Damiani) Romualdus protinus adiit, & acceptæ promissionis exactor, (qua illum vidimus in expiationem patratæ necis Crescentianæ, eidem Romualdo se obstrinxisse) vt monachus fieret insistere vehementius cœpit. At Imperator facturum se quidem quod exigebatur asseruit, si tamen prius Romam quæ sibi rebellabat impeteret, & ea deuicta Rauennam cum victoria remearet. Verum Romualdus apertissime illi mortem propinquam denuntians, quia eum reuocare non potuit, ab eo recessit. Hæc Petrus: de obitu vero Ottonis dicetur anno sequenti. Interim autem considera, quomodo homines versutus assidue decipiat cacodæmon, vt quos à bono non potest auertere ne facere meditentur, saltem vt differant prætextus ingerit varios necessitatis colore fucatos; & sic distineat miseros, donec improuisa mors irrepat, quàm ipsi mox sequantur sæuissimi peccatorum vltores.

Quænam autem fuerint turbæ illæ Romæ aduersus Imperatorem concitatæ, licet nobis exploratæ non sint; ex his tamen quæ postea acciderunt, intelligere possumus, Romanorum potentiores infenso tulisse animo imperium Germanorum, obidque tumultuatos esse in eos qui tutarentur partes Imperatoris. Quid enim facere in eos prætermitterent longe remoto Imperatore, qui in eum præsentem insurgere non essent veriti? siquidem scribit Ditmarus *h*, ipsum à factiosis Romanis, duce quodam Gregorio (non Papa eius nominis Quinto, vt falso Scholiastes notauit, cum hæc sub Siluestro, post Gregorij obitum contigisse, ex eodem Ditmaro luce perspicua appareat:) reliquis tunc Romæ potentiore, ipsique etiam Imperatori valde charo, insidiis appetitum esse, Vrbeque aufugere coactum, Ditmarus est auctor: verum addit, eundem mox collectis vndique copiis Romam redeuntem, de proditoribus seueriſſimam sumpsisse vindictam. Sed & in illis tumultibus præsto ei fuisse Hugonem Marchionem, tunc adhuc viuentem, ac liberasse eum à coniuratione factiosorum Romanorum, testatur Sigebertus: potens quippe erat, & summæ in Vrbe auctoritatis Ducatum gerens.

VI. TVMVLTVS IN VRBE ADVERSVS IMP.

h Ditm. lib. 4.

Habebat vna secum Otto S. Heribertum Archiepiscopum Colonienſem, monitorem & consultorem in rebus agendis; cuius res præclare gestas scripsit Rupertus *i* Abbas Tuitiensis ex antiquiore scriptore collectas. Profecit autem tantum eius conuersatione Imperator, vt tradat Ditmarus ipsum, quamuis exterius vultu se semper hilari simularet, tamen conscientiæ secreto plura ingemiscentem facinora, noctis silentio, vigiliis & orationibus intentis, lacrymarum quoque riuis abluisse. At felix quidem Otto, si in omnibus eiusdem sancti viri monitis paruisset: contra ipsius enim consilia iunxit sibi nobilem coniugem Romanam feminam ac formosissimam, quæ fuerat Crescentij vxor, Ioannam dictam. De qua quidem diuersorum est assertio diuersa: dum Glaber *k* ait, eam cum leuiter in vxorem accepisset, paulo post dimisisse diuortio: Leo *l* vero Ostiensis non in vxorem, sed in concubinam accepisse significat: cui & Rupertus consentire videtur, cum de his agens, nullam penitus habet de coniugio mentionem; & in eandem sententiam iure pedibus abiisse recentiores visi sunt plures.

VII. *i Ap. Sur. 16. Mart.* S. HERIB. FIDELIS MONITOR OTTON. IMP.

k Glab. lib. 1. c. 4.

l Leo Ost. lib. 2. c. 14.

IESV CHRISTI AN. 1002.

SILVESTRI II. AN. 4.

BASIL. & CONST. 27.

ANno Christi millesimo secundo, Indictione decimaquinta, ipso mense Ianuarii, Otto Imp. ex hac vita decessit. Id enim hoc tantummodo anno contigisse, præter ea quæ dicta sunt superiori, probatur etiam ex priuilegio quodam Henrici Regis successoris Ottonis, dato monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni; quo cum annus Domini millesimus decimusquartus notetur eiusdem Henrici regni duodecimo, Imperii vero primo; vtique asserere necesse est, ipsum hoc anno regnare cœpisse. Sed ex iisdem pariter intelligis, annos Imperii eius non ab hoc anno, vt ponunt multi, sed more maiorum ab eo quo à Romano Pontifice coronatus est, numerari cœptos. Quod pariter constat ex alio item priuilegio Ecclesiæ Nouariensi concesso, quo idem annus Domini millesimus decimusquartus notatur, eiusdem Henrici Regni decimotertio vtique inchoato, Imperii vero primo. Ceterum Ottonem mortuum esse Romæ, Rupertus *a* tradit: at Petrus *b* Damiani, ab Vrbe digressum, in itinere apud Paternum defunctum scribit: item & Ditmarus *c*. Quod autem ad diem obitus spectat; eum Marianus Scotus quinto Calendas Februarii contigisse tradit; Hermannus vero decimo, plures duodecimo, Ditmarus nono. Cum quo discessisse

I. OTTON. III. OBITVS.

a Rupert. in Herib. 16. Mart.

b Pet. Dam. in Rom. ap. Sur. 19. Iunii.

c Ditm. lib. 4.

ſiſſe ab Vrbe Siluestrum Pontificem, auctor est Sigebertus.

II. De CAVSA OBITVS SVI.

Necis autem illatæ veneno eam afferunt cauſam, quod eius receſſu ſpe fruſtrata Creſcentii quondam vxor, quæ ex amatoriis pollicitationibus Imperatoris nuptias animo cõceperat, vltionis ſtimulis agitata, veneno chirothecis infuſo, eas ei quaſi pignus amoris dederit, quibus ille vſus morbo lethali confectus interiit. At vero Rupertus nihil de chirothecis agens, ait tantummodo eum intra cubiculum dormientem ab eadem relicta Creſcentij veneno infectum eſſe. Ditmarus autem qui his diebus vixit, & per dies ferme ſingulos quæ tunc acciderunt fideliſſime ſcripſit, nihil prorſus de commixtione Ottonis cum relicta Creſcentij habet, nec veneno eſſe defunctum; ſed tantum tradit, cum paulo ante eiuſdem obitum, Duces & Comites Germaniæ, conſciis etiam Epiſcopis, multa contra eum conſpirare cœpiſſent, ipſum Roma recedentem vt huic malo mederetur, in Paterna vrbe puſtellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpẽtibus, infirmatum eſſe, ac paulo poſt diem obiiſſe.

III. OTTONEM TERTIVM DEO VINDICE EXTINCTVM.

In eo porrò extinctum eſt penitus ſtemma regnantium Ottonum nonniſi in nepotem Magni Ottonis propagatum: ita diuinitate vlciſcente delicta quæ in Sedem Apoſtolicam perpetrarunt, pro arbitrio amouendo atque ſubrogando Pontifices, quamuis noniſi pietatis intuitu id agere præſeferrent. Magno ſiquidem damno, quouis prætextu pietatis, à laicis quibuſcumque ſacra tentari, & ipſæ ſacræ Scripturæ *d* de Saule, Oza, Ozia, aliiſque demonſtrant; & nos ſæpe de multis Regibus ſuperius oſtendimus. illos ea de cauſa male periiſſe, & ad extraneos translata eſſe ipſorum Regna. Porro corpus Ottonis, ex ipſius vltima voluntate Aquiſgranum ſepeliendum eſſe delatum tradunt; inteſtina vero Auguſtæ Vindelicorum relicta eſſe, ne ipſis corruptis reliqua pars corporis tabo inficeretur. Sed de his, ceteris omnibus locupletius atque ſincerius Ditmarus agit: pariterque de Henrici Ducis Bauariæ in regnum Germaniæ erectione, factaque Moguntiæ inauguratione ab Archiepiſcopo Willigiſo tertio Idus Iunii: necnon de eiuſdem vita optime inſtituta ſub educatione S. Wolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi; ac de iis quos poſt electionẽ paſſus eſt aduerſarios: cui quidẽ ex prædictione eiuſdẽ Wolfgangi regnum delatum eſſe, teſtatur eius temporis auctor, qui res ab eodem Sancto præclarè geſtas conſcripſit; dum ait, cum ille ad eum adductus puer fuiſſet ad ſuſcipiendam benedictionem, Wolfgangum eum Regem appellaſſe, fratrem vero eius Antiſtitem, ſororem natu maiorem Reginam, minorem Abbatiſſam: quæ quidem omnia ſic poſtea euenere. Quomodo vero & poſt obitum ſuum idem Sanctus Imperium eidem Henrico Regi prædixerit, dicetur inferius ſuo loco.

d 1. *Reg.* 13. 2. *Reg.* 6. 2. *Paral.* 26.

HENRICVS REX.

IV. HVNGAR. ECCL. SVB S. STEPH. REGE FLORET. *e Ap. Sur. 20. Aug. c. 3. & ſeqq.*

Hoc tempore Hungarica Eccleſia ſub Rege Stephano, & Giſela ſiue Gilſa Regina, quam filiã Henrici Regis in vxorem accepit, mirifice culta floruit, variis Epiſcopatibus & Abbatiis inſtitutis, & ampliſſimis redditibus locupletatis, necnon eccleſiis inſigniter ædificatis atque ornatis: vt hæc omnia pluribus deſcribit Cartuitius Epiſcopus in Rebus *e* geſtis eiuſdem ſanctiſſimi Regis. De cuius etiam eximio cultu e ga Dei-Genitricem agens, ſeipſum, regnumq; ſuum, per votum & oblationem in eius tutelam contuliſſe tradit: tamque celebrem fuiſſe teſtatur apud Hungaros eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis honorem & gloriam, vt feſtum Aſſumptionis eius, tacito proprio nomine, ſua lingua *Diem Dominæ* appellarent. Subdit & de monachorum cœnobio ab eodem Rege Hieroſolymis conſtructo, & de mirifica eccleſia Conſtantinopoli erecta: deque collegio canonicorum ſub protomatyris Stephani titulo Romæ condito, ac domibus & hoſpitiis Hungarorum, qui orationis cauſa Romam ad Beati Petri Limina peregrinarentur, exædificatis. Quibus, & aliis eiuſmodi egregiis operibus (quod idem auctor ſcribit) meruit vt iure ſuæ ditionis ſit Apoſtolus appellatus. Et ſi enim (inquit) ille ſibi euangelizandi munus non ſumpſit; attamen ceu quidam concionatorum dux & magiſter, defenſionis & ſuſtentationis ſolatia eis ſuppeditauit. Qui quidem adeo pietate inſignis, haud inferior militari fortitudine, hoc eodem anno laceſſitus à Giula Tranſiluaniæ Principe auunculo ſuo, ob diſparem cultum religionis; comparato exercitu Tranſiluaniam petiit, profligatoque hoſte, atque vna cum ſuis captiuo ducto, eam ſibi prouinciam ſubiugauit, quam & Chriſtianam reddidit. Simulque ipſe Giula Princeps, cum vxore & filiis exemptus vinculis, CHRISTI fidem (licet inuite, vt aſſeritur) amplexatus, ab Stephano fuit Regio more tractatus. iſta pluribus Annales *f* Hungarici. Poſt hæc autem eidem Regi certandum fuit cum Bulgaris Hungariam inuadentibus; quos non ſine magno labore, Deo impendente auxilium, ſuperauit.

TRANSILVANI AD FIDEM CONVERSI.

f Bonf. dec. 2. lib. 1. hoc an.

V. *g Leo Oſt. lib. 2. c. 38.*

Hoc eodem anno (vt ex Leone *g* Oſtienſe hæc narrante cõligimus) Northmanni quadraginta numero, peregrino habitu Hieroſolymis, quo orationis cauſa pertexerant, redeuntes, Salernum applicuerunt, viri & ſtatura proceri, & ſpecie venuſti, & armis præcipui. Qui cum eam ciuitatem à Saracenis obſeſſam reperiſſent accenſis virtute diuina animis à Guaimario Principe equos armaque poſcentes, ſubito in illos irruerunt; plurimiſque peremptis, & reliquis in fugam verſis mirabili victoria potiti ſunt Cum vero magnis muneribus à Principe inuitarentur vt cum eo manerent; illi amore tantum Dei, & Chriſtianæ fidei aſſertione hoc ſe feciſſe dicentes, & dona reſpuerunt. & manere ſe poſſe denegarunt. Quare prædictus Princeps cum eis Legatos ſuos in Northmanniam direxit, & ex fructibus terræ, aliaque militaria munera mittens, eos ad ſe inuitauit. Hæc Leo de prima Northmannorum in Italia facta notitia, & miſſa ad eos legatione; quæ penitus effectu non caruit, cum iiſdem alia occaſione aditus patuit in Italiam veniendi, vincendique tandem ac dominandi. Quod autem ad peregrinationem Hieroſolymitanam ſpectat; his quidem temporibus fuiſſe eam frequentiſſimam conſtat ex iis qui res tunc geſtas ſcripſere. Inter quos Glaber *h* Rodulphus agens de Northmannis, qui in ea Galliæ parte quæ ab ipſis nomen accepit degebant, ait Principes eorum hoc tempore magna religione viuentes, egenorumque ac peregrinorum aſſiduam curam gerentes, dona quoque ampliſſima ſacris Eccleſiis per vniuerſum fere Orbem miſiſſe; ita vt etiam è monte Sina per ſingulos annos monachi Rotomagum venientes, plurima auri & argenti munera ab eis acciperent ſuis deferenda: ſed & Hieroſolymam ad ſepulchrum Saluatoris ingentia dona mittere conſueuiſſe; ac quoſque cupientes illuc deuote peregrinari, donis iuuiſſe immenſis.

NORTHMANNI PRIMVM ITALIÆ NOTI MAGNA VIRTVTE.

h Glab. li. 1. cap. 5. Ap. Bar. Tom. X. an. 998.

IESV CHRISTI AN. 1003.

IOAN. XVIII. AN. 1.

BASIL. & CONST. 28.

I. SILVEST. PP. OBITVS.

ANNO Chriſti milleſimo tertio, Indictione prima, *Silueſter* Papa vbi ſedis ſuæ annum iam quintum inchoaſſet, obiit die duodecima menſis Maii, vt ex epitaphio eius ſepulchro à Sergio Pontifice appoſito apparet, quod hactenus in baſilica Lateranenſi ſeruatur integrum. Porro nugas illas de eo vulgatas, ab homine mendaciſſimo Bennone ſchiſmatico primum excogitatas, in ipſius ingreſſu confutauimus. Quod vero ad ipſius Scripta attinet, præter epiſtolas centum ſexaginta perbreues (dicendi enim Laconice arripuit inſtitutum) ante Rhemenſem adeptum Archiepiſcopatum ab eo ſcriptas, nuperque editas, & alias quarum ſuperius facta eſt mentio, vel ſeorſum datas de rebus Eccleſiæ Rhemenſis; & Vitam S. Adalberti Martyris Pragenſis Epiſcopi; nihil præterea vidimus: cum alioqui ex iiſdem ipſius epiſtolis conſtet, plures reliquiſſe ingenij ſui indices lucubrationes, partas illas prioribus vitæ temporibus, de Rhetorica, Geometria, Aſtronomia, Mathematica, & aliis eiuſmodi artibus atque ſcientiis: ſcripſitq; & librum de Numeris, & ſiquæ alia eiuſmodi curioſa: quorũ cauſa ingentem ſibi vndiq; cõparare bibliothecã indefeſſo ſtudio laborauit. Quod vero etiam eius laudi cedit; ex eiuſdem epiſtolis conſequi licet, cultorem fuiſſe ſanctorum virorum tunc viuentium, cupidumque monaſticæ obſeruantiæ, atque

SCRIPTA, ET PRIORA STVDIA.

BELLVM SACRVM CONCLAMAT.

malorum acerrimum correctorem, necnon egregium defensorem Iurium Ecclesiæ. Denique ipsum plane primum extitisse, qui Sacræ Militiæ classicum occinuerit, testatur eius quæ extat Hierosolymitorum Ecclesiæ nomine *ad Vniuersalem Ecclesiam sceptris regnorum imperantem* (vt habet inscriptio) Epistola patrænetica pro ferendo eidem sub iugo barbarorum laboranti subsidio. At de Siluestro hactenus.

II. Eius vero tempore, traditur in monasterij Sublacensis Chronico, *Petrum* vigesimum secundum eius loci Abbatem, per vincula, excæcationem, aliasque passas ærumnas, quod noluisset tradere castrum quoddam eiusdem monasterii sæcularibus dominis illorum locorum, demum martyrem transiisse ad Dominum, & post mortem miraculis claruisse.

III. IOAN. PP. XVIII. ET XIX. Ceterum defuncto Siluestro, subrogatum in locum eius fuisse IOANNEM cognomento Siccũ, patria Romanũ, eius nominis Pontificem Decimumsextum, dictum Decimumoctauum, sedisseque tantum menses quinque & dies aliquot; habent Indices veteres Vaticani: in eiusque locum subrogatum esse IOANNEM Decimumseptimum eius nominis dictum Decimumnonum. At Marianus Scotus huius sæculi scriptor, priorem Ioannem appellat Decimumseptimum hunc vero Decimumoctauum: tamen frequentior vsus obtinuit, vt hic posterior numeretur Decimusnonus; sed præter omnem rationem, dum hoc numero schismatici indigni Pontificis nomine includuntur. Rectius quidem Hermannus illum Decimumsextum, hunc vero Decimumseptimum (prætermisso Placentino illo qui sedit in schismate contra Gregorium Quintum) Papam appellat. Ad euitandam tamen in numero eiusdem nominis Pontificum confusionem atque perplexitatem, quæ Lectoribus molestiam posset afferre; non pro meritis singulorum, sed communi assertione, nullum interim præiudicium inferentes veritati, numerabimus & nos duos Ioannes hoc anno Pontifices; priorem Decimumoctauum, posteriorem Decimumnonum; quem tradunt cognomento fuisse dictum *Fasanum*, creatumque duodecimo Calendas Decembris. Quod autem ex memorato Siluestri epitaphio liqueat, post obitum eius turbatam fuisse Ecclesiæ pacem; harum discordiarum eam intelligimus extitisse causam, quod defuncto Ottone Imp. qui duos iam promouisset ad Pontificatum Vltramontanos homines, res iam relapsa esset ad Comites Tusculanos præcipuos in Vrbe proceres; quorum factio cum præualuisset, duos hos Ioannes in Sedem Apostolicam collocandos elaborauit.

IV. Ad hæc eadem tempora spectant quæ Glaber *a* narrat, infra millesimum (vt ait) tertio iam fere imminente anno contigisse in vniuerso pene terrarum orbe, præcipue tamen in Italia & in Galliis, innouari Ecclesiarum Basilicas, licet pleræque decenter locatæ minime indiguissent: æmulatamque vnamquamque gentem Christicolarum, aduersus alteram decentiore frui. Erat enim (inquit) instar ac si mundus ipse excutiendo semet, reiecta vetustate passim candidam Ecclesiarum vestem indueret. Tunc denique Episcopalium sedium ecclesias pene vniuersas, ac cetera quæque diuersorum Sanctorum monasteria, seu minora villarum Oratoria, in meliora quique permutauere Fideles. Hæc Glaber. Quæ quidem non aliunde accidisse puto, quam ex eo quod videntes Fideles iam lapso tempore euanuisse quæ de mundi interitu fuerant constanti assertione prædicta *b*, & passim credita; quasi tanto discrimine liberati, mundoque iam stabilito, alacres ad ecclesias permansuras erigendas, vel innouandas, ac dilatandas consurrexerunt.

a *Glab. lib. 3. c. 4.*

RENOVANTVR VBIQVE ECCL.

b *Sup. an. 1001. I.*

V. Hoc eodem anno (vt auctor est Sigebertus) insignis sanctitate atque doctrina *Abbo* Floriacensis Abbas, de quo sæpe dictum est superius, martyrio coronatus ad Deum migrauit: cum videlicet gratia propagandæ religionis monasticæ, (vt ait Glaber *b*) ad prouinciam progressus Meridianorum Wasconum; orto die quadam in atrio cœnobij in quo ipse morabatur, inter aliquos litigiosos acri tumultu, accurrens ipse ad eum sedandum, ab vno è vulgo lancea transfossus est: cuius percussor paulo post arreptus à dæmone, miserabiliter vitam finiuit: corpus vero Abbonis honorifice sepultum, multis postmodum claruit miraculis. Porro quod in eius Vita, quam edidit Aimoinus monachus ipsius discipulus, scriptione rerum Francorum notissimus, dicitur, Abbonem consummasse martyrium anno Redemptoris millesimo quarto, Indictione secunda; haud tamen contrarius est supra assertis: siquidem numerando ab incarnatione Domini, dici debet hic quartus annus, & Indictio secunda, inchoata hoc anno mense Septembris, sub qua idem Sanctus est interfectus. Extat porro ad eundem Fulberti *c* tunc monachi, postea etiam Episcopi Carnotensis, epistola pro monachis Carnotensibus, quos tyrannice Theobaldus Comes cognomento Fallax habebat; qua idem valde deplorat miserandum statum Ecclesiæ Gallicanæ, cui dominarentur Principes sæculares: ingerit autem dignum plane Christianæ fortitudinis exemplum, cum iidem sancti monachi elegerunt potius extorres fieri, quam pati intrusum à Principe præesse sibi Abbatem.

b *Vide sup. an. 656. III.*

c *Fulb. ep. 2.*

CHRIST. FORTITVDINIS EXEMPLVM IN MONACHIS.

IESV CHRISTI AN. 1004.

IOAN. XIX. AN. 1.

BASIL. & CONST. AN. 29.

I. ANNO Christi millesimo quarto, Indictione secunda (vt ex Glabro *a* colligitur) frequentes *Synodi* in *Italia* atque in *Galliis* sunt celebratæ de variis quæstionibus tunc controuersis: veluti de Ieiuniis quæ à plerisque inter Ascensionem Saluatoris & Pentecosten obseruabantur; quæ prohibita sunt, præterquam in vigilia Pentecostes. Item de eo quod in Aduentu & Quadragesima diebus Dominicis monachi hymnum *Te Deum laudamus* decantarent, contra morem Romanæ Ecclesiæ: sed id quia ex traditione S. Benedicti, confirmata per Sedem Apostolicam, se habere ostenderunt, permissi sunt etiam agere imposterum. De die quoque *Annuntiationis Dominicæ*, quæ celebratur octauo Calendas Aprilis, sentientibus quibusdam eam congruentius extra Quadragesimam, more Hispanorum *b* nempe decimoquinto Calendas Ianuarij, celebrari posse; nihilominus antiqua consuetudo præualuit, vt vigesimaquinta die Martij perageretur. Docet hæc pluribus Glaber. Porro in Hispaniis etiam exoleuit vsus ille, quo ex præscripto Decimi Toletani Concilij, Annuntiatio celebrabatur decimaoctaua Decembris.

I. a *Glab. l. 1. c. 5.* SYNODI IN ITAL. ET GAL. DE VARIIS QVÆST. ECCLES.

II. Quod vero pertinet ad *Concilia Gallicana*, his temporibus celebrata sub Rege vere Christianissimo Roberto; admiratione dignum est, quanta animi demissione consueuerit idem Rex cum Episcopis interesse publicis hisce conuentibus: adeo vt (quod scribit Helgaldus in eius Vita) cum aliquando vidisset Lamberti Lingonensis Episcopi, mole carnis grauati, dum sederet pedes dependere ab alto; pietate ductus, à longe quærens suppedaneum, reperit vnum, quod manibus propriis sub pedibus Episcopi posuit. At qui humili obsequio eis inseruire paratus erat, eosdem tamen cum exigeret zelus Catholicæ fidei quo iugiter æstuabat, redarguere minime prætermisit. Qua de re præclarum est exemplum, quod idem auctor refert, quo (vt ait) Leuthericum Senonensem Archiepiscopum, de Christo non bene sentientem, & aduersus nonnullos quos odio habebat probationem quærentem in Corpore Domini; idem Rex grauiter redarguit, quod cum à dante communionem sacerdote dici soleret, *Corpus Domini nostri Iesu Christi sit tibi salus animæ & corporis*, ipse Leuthericus temerario & polluto ore diceret, *Si dignus es, accipe*; cum tamen sit nullus qui habeatur dignus. Ista Helgaldus: qui addit, Leuthericum à Pio Rege correptum quieuisse, & siluisse à dogmate peruerso quod iam crescere cœperat.

II. QVALIS ROBERTVS FRAN. REX IN SYNODIS.

CVLTVS DIVINVS ERGA S. EVCHARIST.

Veruntamen haud serpens rumor ille est omnino repressus; sed paulatim in dies crescēs, in manifestam tandem erupit hæresim sub patrocinio infelicissimi *Berengarii*; qui hoc tempore adolescens auditor extitit Fulberti Carnotensis viri sanctissimi atque doctissimi; à quo, ne disputationis obtentu extra limites Catholicæ veritatis pedē auderet efferre, sæpe ipsum monitum fuisse & redargutum, reuocauit ei in

III. PRIMORDIA NEFANDÆ HÆRESIS

memo-

memoriam ipsius sub eodem doctore in Academia Carnotensi condiscipulus, Adelmannus Episcopus Brixiensis, cum postea aduersus eum disertam valde scripsit epistolam *c*, qua eius confutauit errores, hortatusque est ad resipiscentiam. Quod autem multum confert gloriæ Christianissimi Regis Roberti, illud est, quod ipse primus omnium nefandam eiusdem Berengarii hæresim in Leutherico condemnauit. Quamuis ipsum Leurhericum, non *d* tam ex ingenii acumine, quam ex vana præsumptione aliquando de Catholica fide male sensisse, satis intelligatur ex pluribus eiusdem Fulberti ad ipsum rescriptis literis, quibus ad eius consultationes respondit.

c Ext. Tom. 3. Bibl. Patr. ROBER. REX PRIMVS CONSTAVIT HÆRESIM BERENG. *d Hanc obseruationē habet Baron. an. 1005. n. III.*

IESV CHRISTI AN. 1005.

IOAN. XIX. AN. 2.

BASIL. & CONST. 30.

I. HENR. GERMAN. REX VENIT IN ITALIAM.

ANNO Christi millesimo quinto, Indictione tertia, Henricus Germaniæ Rex aduersus Harduinum, qui Longobardiam Regis titulo occuparat, in Italiam descendens, Clusas ope Carentanorum, fusis hostibus expugnauit; Papiamque victor accedens, communi electione sublimatus, (inquit hæc narrans Ditmarus *a*) in solium regale collocatus est. Pergit autem dicere, quomodo eadem die oborta contentione inter ciues & milites, ciues aduersus Regem rebellantes, palatium sunt aggressi: sed defenso illo à domesticis Regis, cum nec precibus S. Heriberti Colonienſis Archiepiscopi qui aderat cum Henrico, ciues coerceri possent; qui foris erant Regis milites expugnātes ciuitatem, eā ipso inuito cæde incendioque vastarunt. Inde vero Rex Mediolanum amore S. Ambrosij (vt idem auctor ait) accessit; cum interea aduersus tumultuantes in Germania hostes, ab Italia post celebratam Pentecosten reuocatus, Deo propitio hostem debellauit Boleslaum Poloniæ Ducem; & egregia concione persuasus Godescalci insignis Frisingensis Episcopi, perduellem Henricum Marchionem, quem vinctum tenebat, liberum dimisit.

a Ditm. lib. 6.

II. *b Id. ibid.* CONCIL. TREMON. PRO ECCL. REFORMAT.

Quo eodem anno *b* Nonis Iulij celebrata est in Germania magna SYNODVS TREMONIENSIS; in qua idem Rex Henricus instanter egit apud Episcopos pro Ecclesiæ reformatione. quod ab eisdem pro viribus præstitum est diligenter. statutis communi consensu sacris canonibus, quibus in pristinum vsum reuocarentur sanctissimæ Ecclesiasticæ leges exularent quæ irrepsissent in Clerum ac populum praui mores. His vero præclaris rebus gestis, conciliauit sibi Rex Deum propitium, aperuitque viam ad victoriam de hostibus consequendam, & Romanum Imperium obtinendum.

IESV CHRISTI AN. 1006.

IOAN. XIX. AN. 3.

BASIL. & CONST. 31.

I. CONCIL. FRANCOF.

ANNO Christi millesimo sexto, Indictione quarta, celebrata est in Germania SYNODVS FRANCOFORDIENSIS; in qua inter alia, ad instantiam Henrici Regis, in dilectissima ipsius vrbe Bamberga erecta est cathedra Episcopalis. Describit hæc pluribus Ditmarus *a*, qui aderat qui & illud de eodem Rege commendatione dignum refert, quod cum allocuturus esset Episcopos, humi se prosterneret nec surgeret, nisi qui Synodo præesset Willegisus Archiepiscopus Moguntinus eum suis manibus eleuaret. Subiicit his Ditmarus de sua ipsius electione in Episcopum Merseburgensem; deque fame valida, quæ tunc Germaniam affligebat. Porro de nouo Episcopatu Bambergæ erecto, Sigebertus agit anno millesimo quarto, Hermannus millesimo septimo, Marianus Scotus hoc ipso; quod & verius esse, quæ scribuntur à Ditmaro tunc præsente manifestant.

a Ibid. TERRÆ PROSTERNITVR CORAM EPIS. REX HENR.

De fame quoq; agit hoc eodem anno Sigebertus, quam vna cum peste tam grauiter per totum orbem inualuisse tradit, vt sepelientium tædio viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Quo etiam tempore accidisse videntur, quæ de S. Odilone Cluniacensi Abbate Petrus Damiani in ipsius Vita *b* narrat, de immensa eiusdem largitate in erogandis eleemosynis pauperibus acerbissima fame pressis; adeo vt exhaustis ærariis & horreis, etiam plurima sacra vasa confregerit, insignia Ecclesiæ ornamenta distraxerit & coronæ, quam sibi Henricus Imp. ob sui memoriam destinauerat, non pepercerit.

II. FAMES INGENS, ET PESTIS.

b Ap. Sur. 1. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 1007.

IOAN. XIX. AN. 4.

BASIL. & CONST. 32.

ANNO Christi Christi millesimo septimo, Indictione quinta, anno septimo antequam Henricus Rex Germaniæ Imperator vngeretur, (vt scribit auctor *a* Vitæ S. Wolfgangi Ratisponensis Episcopi) idem de futuro Imperio prædictionē accepit sub obscuram dum ei in somnis Wolfgangus iam defunctus iubens characteres in muro exaratos aspicere, ipse Henricus nihil aliud vidit, quam *Post sex*. Itaque expergefactus, primum suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus: at sex euolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiæ, ad sex menses attinere arbitrabatur: his autem absque periculo elapsis, ad sex annos verborum significationem retulit. Porro sex annis iam expletis, septimo anno à Pontifice Maximo Imperator vnctus est; atque tum demum animaduertit, quid sibi ea verba vellent. Hæc ibi. Fuit autem Henrici tanta in res & personas sacras deuotio, vt etiam cum hoc ipso anno, qui numeratur quintus ab obitu Ottonis, Ratisponæ mortuus esset S. Romuoldus Abbas S. Emmeranni, eius feretro idem Rex supposuerit humerum ad portandum: quod tradit Arnolphus *b* Comes libro posteriori miraculorum S. Emmeramni.

I. *a Ap. Sur. 31. Oct.* PRÆDICTIO DE FVTVRO HENR. IMPERIO.

b Ext. Tom. II. Antiq. Lect. Canis.

Est hic item annus, quo in Galliis super candelabrum extulit Deus lucernam ardentem atque lucentem, cum virum sanctitate atque doctrina insignem *Fulbertum*, ex monacho cœnobii S. Petri apud Carnutum, assumpsit in Episcopum eiusdem ciuitatis. Licet autem Democharis id factum affirmet anno salutis millesimo decimoseptimo; tamen epistola eiusdem Fulberti *c*, quam scripsit ad Leuthericum Archiepiscopum Senonensem de inuentione sacrarum Reliquiarum, iam proxime ipsum fuisse ab eo consecratum Episcopum docet. Porro eas Reliquias inuentas esse apud Senones in Ecclesia S. Stephani protomartyris anno Christi millesimo octauo, nempe sequenti, Glaber *d* eius temporis auctor affirmat; inter quas fuisse tradit virgæ Moysi partem; & ad eius rei famam conueniſse quosque Fideles, non solum ex Gallicanis prouinciis, verum etiam ex vniuersa pene Italia, ac de transmarinis regionibus: simulque ægrotantes non paucos Sanctorum interuentu rediisse incolumes.

II. FVLBERTVS CREATVR EPIS. CARNOT.

c Fulb. ep. 3.

d Glab. lib. 3. 6. Ap. Baron. an. 1003.

Quod vero ad ipsum Fulbertum rursus attinet; prædicat eum idem Glaber *e* virum sapientissimum, Præsulem incomparabilem. Fuisse quidem vita sanctissimum, atque prophetiæ spiritu imbutum, testatus est Guillerinus, ex quo Vincentius *f* Bellouacensis descripsit. Quodque omnium sui temporis doctorum prædicaretur doctissimus, ad illum confluere consueuerunt omnes, qui eum de rebus dubiis interrogarent Episcopi, atque etiam ipse Robertus Francorum Rex: ficut redditæ ab eo ad diuersos præclaræ epistolæ docent. Inter grandia vero mala quæ Dei Ecclesiam infestare reperit, illud plane molestius vir sanctus accepit, quod passim sibi laici occupassent Ecclesiastica beneficia. Ad quē extirpādum alta radice iam fixum prauum vsum, plurimum labo-

III. *c Id. lib. 4. c. 4.* LABORAT NE LAICIS BENEFICIA ECCLESIASTICA BENEFICIA ECCLESIASTICA DENTVR.

f Vincent. 25. Hist. 15.

laborasse, ostendunt ipsius ea de re scriptæ epistolæ; quibus inter alios Franconem *g* Parisiensem Episcopum, altaria (vt ait) laicis in beneficium dantem, & Fulconem *h* Comitem Andegauensem rerum Ecclesiasticarum inuasorem, acriter reprehendit: aliumque Comitem nomine Rudolphum, qui pariter res Ecclesiæ Carnotensis inuaserat, & vnum è clericis occiderat, excommunicauit; cumque audiuisset eum pro absolutione Romam profecturum, per literas *i* Ioannem P. pam suppliciter hortatus est, vt eundem pro meritis argueret & castigaret. Sed quod ad Fulconem attinet, quem etiam vidimus superius ab Archiepiscopo Turonensi ob idem crimen exagitatum; haud inutilis fuit Fulberti obiurgatio: siquidem ex Glabro *k* colligitur, ipsum post scelera pœnitentem, diem obiisse, postquam ter Hierosolymam peregrinatus esset: sicque videas Fulberto muralem iure deberi coronam, qui hoc sæculo primus reperitur superasse muros Babylonicæ ciuitatis, cuius Principes tyrannica violentia occupassent iura Ecclesiastica.

g *Fulb. ep. 21.38.*
h *Id. ep. 83.*
i *Id. ep. 2.*
k *Glab. lib. 2 cap. 4. & lib. 4. 9.*

IESV CHRISTI AN. 1008.

IOAN. XIX. AN. 5.

BASIL. & CONST. 33.

I. S. BRVN. ET SOCIOR. MARTYRIVM.

ANNO Christi millesimo octauo, Indictione sexta, decimosexto Calendas Martii, *S. Bruno* Episcopus & *Apostolus Prussorum*, insignis nobilitate & pietate vir, martyrium est consecutus; cum Apostolicæ Sedis permissu apud eos Euangelium prædicans, à nonnullis Infidelibus decollatus est vna cum suis decem & octo: quorum corpora insepulta iacuerunt, quoad Dux Poloniæ Boleslaus id comperiens, eadem mercatus est, ac domui suæ futurum acquisiuit solatium. Rem gestam descripsit Ditmarus *a*, eiusdem Brunonis consanguineus, & condiscipulus: additque de patre Brunonis, Brunone itidem dicto, eum longe post martyrium filij infirmatum, præcepto eiusdem filii sui monachicũ suscepisse habitum, & tandem in pace quieuisse. Ceterum Marianus Scotus, qui hoc sæculo vixit, æque affirmat hoc anno Brunonem esse martyrio coronatum, passum nihilum abscissionem manuum ac pedum, postremo capite plexum. Sigebertus vero ponit anno sequenti id contigisse: sed Vrspergensis Mariano consentit. Agitur autem de eodem in Romano Martyrologio decimaquinta Octobris; (puto, tempore quo facta est translatio:) vbi & vocatur Episcopus Ruthenorum: vsurpatam enim vocem Prussiam pro Russia, frequenter inuenimus.

a *Ditm. lib. 6.*

II. S. BONIF. APOST. RVSSIÆ MARTYRIVM.

Non longe ab hoc tempore, & forsitan eodem anno, contigisse apparet martyrium *S. Bonifacii* propinqui Ottonis Imperatoris, qui & ipse Russis Euangelium prædicauit, accepto, sicut Bruno, Apostolatu à Romano Pontifice; cuius primordia superius recensuimus ex Petro Damiani. Cũ vero postea ad Regem Russorum veniens, prædicationi insisteret, propositaque ipsi à Rege probatione Ignis, idem sacerdotalibus ornamentis tamquam Missam celebraturus ornatus, primum aqua sanctificata & incenso thure vndique perlustrato igne, dein stridentes ingressus flammarum globos penitus exisset illæsus; tum ipsum Regem, tum ingentem aliorum multitudinem, tanti miraculi virtute ad fidem CHRISTI conuersam baptizauit: qua de causa à quodam Regis fratre paulo post interfectus est. Ad quod vlciscendum scelus Rex accurrens, cum fratrem, aliosque adstantes, rigidos & immobiles permanere reperisset, adeo vt nec loqui, nec audire, nec incedere valerent; idem cum aliis Christianis ad preces conuersus, pristinum fratri aliisque statum impetrauit: vnde mox & ipsi baptismum susceperunt, & super corpus beatissimi Martyris ecclesiam construxerunt. Describit hæc pluribus idem qui supra Petrus Damiani in Vita S. Romualdi *b*. Dies vero natalis Bonifacii celebratur à Romana Ecclesia decimotertio Calendas Iulij.

b *Vit. Romuald. cap. 29.30.*

III. S. ROMVALDVS

Post hæc autem Romualdus, percepto nuntio de S. Bonifacii martyrio, æmulatus excellentissimum Dei donum, obtenta & ipse licentia à Romano Pontifice, cum duobus è suis discipulis in Archiepiscopos consecratis & aliis viginti quatuor Fratribus eodem martyrij desiderio succensis, in Hungariam properauit. Sed cum iam eius prouinciæ finibus interesset, repente languore correptus, vlterius ire non potuit: cumque diutius pateretur, si quando redire disponeret, protinus ex ægritudine conualescebat; sin autem ire vltra tentaret, tota eius facies confestim intumescebat, & cibos stomacho retinere non poterat. Itaque in Italiam reuerti coactus est, electione suis data vlterius progredi, vel secum reuerti: quorum cum septem dumtaxat redire delegissent, ceterorum postea nonnulli flagellati sunt, plures venditi, nullus tamen martyrium consummauit. Narrat hæc idem Petrus *c* Damiani: ex quibus satis videas, neque volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei, Martyrij donum.

MARTYRII CVPIDISS.

c *Ibid. c. 45.*

Sed quod rursum ad Ecclesiam Russorum spectat; adhuc alia ipsius exordia ponens Ditmarus *d*, ait Vludomirum Russorum Regem, cum à Græcia duxisset vxorem Helenam nomine, Tertio Ottoni desponsatam, sed ei fraudulenta calliditate subtractam, Christianam fidem eius hortatu suscepisse; verum illam turpibus operibus dedecorasse, quod esset fornicator immensus, atque crudelis. Qui cum tres haberet filios, vnique eorum Boleslai Poloniæ Ducis filiam in matrimonium collocasset; cum ea missum esse à Polonis *Reinbernum* Salsæ Cholbergiensis Antistitem, doctrina & sanctitate conspicuum: hunc vero curæ sibi commissæ egregie incumbentem, fana idolorum incendisse, & mare dæmonibus cultum, immissis quatuor lapidibus sacro chrismate perunctis, & aqua purgantem benedicta, nouam in populo nimis insulso sanctæ prædicationis plantationem eduxisse: sed postea à Rege aliis prætextibus carceri mancipatum, feliciter è carcere corporis ad libertatem perennis gloriæ transisse.

IV. d *Ditm. lib. 7.* ALIA ECCLESIÆ RVSSOR. PRIMORDIA.

IESV CHRISTI AN. 1009.

SERG. IV. AN. 1.

BASIL. & CONST. AN. 34.

I. IOAN. PP. XIX. OBITVS.

ANNO Christi millesimo nono, Indictione septima, *Ioannes* Papa defunctus est decimoquinto Calendas Augusti: cuius tempore Constantinopolitanam Ecclesiam cum Romana fuisse Catholica communione coniunctam, & à Sergio Patriarcha ipsius Ioannis Papæ nomen in sacra Diptycha relatum; testatur Petrus Antiochenus Episcopus in epistola ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum, scripta (vt ait) post quadraginta quinque annos, nempe Christi millesimo quinquagesimo quarto, vt suo loco dicetur. Quod idem constat etiam ex eiusdem Pontificis epitaphio recitato à Vegio ex collectis antiquis monumentis Basilicæ Vaticanæ. Qua vero de causa hæc concordia denuo scissa sit, dicetur suo loco in Ioanne Vigesimo.

II. SERGIVS PP. IV.

Cum autem vacasset post Ioannis Deciminoni obitum Romana Sedes mensem vnum & dies tredecim; pridie Calendas Septembris in eius locum subrogatus est Episcopus Albanensis, tunc *Petrus* nomine nuncupatus, sed cui ob reuerentiam Apostolici culminis nomen mutare placuit, & SERGIVM dici eius nominis Quartum: vt ex eiusdem sepulchrali inscriptione constat quæ habetur in Lateranensi basilica. Factum vero ab eo, quod *Buccaporci* diceretur, fuit inter alios assertio Ditmari *a*.

a *Ditm. lib. 6. in fin.*

III. b *Glab. lib. 3. c. 7.* DEMOLITIO TEMPLI HIEROSOL. CVRATA A IVDÆIS.

Hoc eodem anno (vt Glaber *b* testatur) contigit sacrosanctum Hierosolymorum templum Sepulchri Dominici, per Babylonis Principem sterni. Cum enim (vt ait) de toto terrarum orbe ob Domini memoriam plurima Fidelium multitudo Hierosolymam visitaturi pergerent, rursus cœpit inuidus diabolus per assuetam sibi Iudæorum gentem eiusmodi Christianorum deuotiones perturbare. Siquidem Iudæi apud Aurelianensem Galliarum ciuitatem degentes, ceteris omnibus nequiores & audaciores, consilio inito, fugitiuum quemdem seruum cœnobij S. Mariæ Meleretis pecunia

cunia corruptum, sub peregrini habitu clam miserunt ad Principem Babylonis cum literis Hebraicis characteribus scriptis, iisdemque pictaciolis ferri baculo insertis ne quo casu possent ab eo diuelli; quibus ei significarent, nisi celerius ecclesiam Christianorum subuerteret, breui Christianos regno illum priuaturos. Itaque Princeps furore arreptus, mox Hierosolymam misit qui templum funditus subuerterunt; sed ipsum concauum sepulchri tumulum nullo conatu quassare valuerunt. Quare rursum rabiem suam in ecclesiam S. Gregorij martyris conuertentes, eam pariter subuerterunt, eo quod eiusdem martyris virtus gentem Saracenorum nimium terruisset, cum qui ex eis in illam ingredi tentarent, cœcitate punirentur. Ceterum cum Paulo post manifestatum esset, Iudæorum perfidia templum Domini subuersum esse; communi omnium Christianorum consensu decretum est, vt cuncti Iudæi per vniuersum Orbem ab eorum terris vel ciuitatibus pellerentur: sicque omnes vndique expulsi, magna ex parte diuersis mortium generibus interempti sunt, nonnullique sibi ipsis in tanta calamitate necem intulerunt; ita vt vix pauci residui fierent in orbe Romano. Tunc quoque decretum est ab Episcopis, atque interdictum, vt nullus Christianorum illis se in quocunque sociaret negotio, nisi eis qui baptismum susciperent, & omnem Iudaicam respuerent consuetudinem: quod & plurimi metu mortis fecerunt, qui nihilominus postea ad vomitum redierunt. Ipse vero literarum gerulus Aurelianū reuersus, atque detectus, à ministris Regis in conspectu totius populi igni est traditus atque consumptus. Quo eodem anno, diuina propitiante clemētia, mater Ammirati, siue Principis Babylonis, femina Christianissima, nomine Maria, cuius & vir occulte Christianus fuerat, cœpit maiori decore templum Hierosolymis reædificare: & de vniuerso terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hierosolymam pergentes, domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera. Hæc omnia Glaber.

DIRA VINDICTA IN IVDÆOS.

RVRSVM TEMPLVM INSTAVRATVR.

IV.

Meminerunt & Græci Curopalates atque Cedrenus, sub octaua Indictione, de eiusmodi templi euersione; dum aiunt Ægypti Principem Azizium, ob leuē causam fœdere quod ei erat cum Romanis rupto, & templum euertisse, & religiosa perdidisse monasteria, & qui in iis piæ vitæ exercitationbus erant dediti, eos per omnem terram extorres egisse. At Gulielmus Tyrius agens de Bello Sacro, recensēt destructionem templi, & Christianis in Oriente illatam ab Homar Principe Saracenorum persecutionem, anno salutis millesimo decimooctauo, postque annos triginta septem factam eiusdem templi reædificationem à Christianis sub Constantino Monomacho Imperatore: sedisse autem tunc Hierosolymis *Oreſtem* Episcopum. Sed antiquioribus, suorum præsertim temporum Scriptoribus, tutior inest fides.

IESV CHRISTI AN. 1010.

SERG. IV. AN. 2.

BASIL. & CONST. 35.

ANNO Christi millesimo decimo, Indictione octaua, Romæ magno prodigio in vna ecclesiarum, in dextera parte altaris, ab vno pauimēti foramine per integrum diem oleum scaturiit; ex quo vas impletum missum est ad Henricum Germaniæ Regem. Rem gestam describit sæpe nominatus Ditmarus *a* Episcopus, eaque clementiam Henrici Regis, & lasciuiam Ioannis Crescentii Vrbi imperitantis, significari putauit; quod oleum in diuinis Literis, nunc pro misericordia, alias pro adulatione ponatur.

I. PRODIGIVM DE OLEO SCATVRIENTE IN ECCL. a *Ditm. lib. 7.*

Quod ad res Hispanicarum Ecclesiarum pertinet; cum in eas quoque ille prauus vsus illapsus esset *b*, vt Episcopi armati certarent in acie, & quod nefas est amplius, pro Arabibus contra Arabes, ita secum bello ciuili pugnantibus Cordubæ Principibus Zeluma & Almahadio: accidit Deo vindice vt qui stabant pro Zeluma Episcopi, in prælio hoc anno gesto occisi fuerint; victorque existens Almahadius, Cordubæ hoc item anno regnare cœperit. Erat autem id temporis in Hispania regnum Arabum in Toparchias plures conscissum; adeo vt si Christiani Principes vnanimes in eos conspirassent, paruo negotio eosdem delere potuissent: sed mutuæ eorum dissensiones hostes roborarunt. Tradunt hæc omnes, qui res Hispaniarum sunt prosecuti.

II. *Mariam. lib. 8. Rer. Hisp. hoc an.* EPISCOPI ARMATI

PVGNANT PRO ARABIBVS.

Quibus etiam auctoribus constat, cum eo insuper detestando amicitiæ vsu Christiani Saracenis coniuncti essent, vt & fœdera nuptiarum inirent; nihilominus Toleti Principe Habdalla, filio eiusdem Almahadij, in vxorem accipiente ab Adelfonso Legionis Rege, ipsius sororem nomine Theresiam, virginem maxime piam, hanc non alia conditione duci consensisse, nisi coniux Christianus efficeretur: cumq; delusa diuinam viro comminata esset vltionem, si quid præter fas in inuitam tentare præsumeret, ipseque nihilominus ei vim intulisset; mox eundem offensi numinis expertum vindictam, affectum morbo grauissimo ipsam Theresiam cum amplis muneribus ad fratrem Regem spōte remisisse; eam vero veste mutata, monasticam vitam professam, in ecclesia S. Pelagii Oueti reliquum vitæ tempus summa cum laude transegisse, ac tandem sancto fine quieuisse.

III. DE THERESIA NVPTA REGI ARABVM.

IESV CHRISTI AN. 1011.

SERG. IV. AN. 3.

BASIL. & CONST. 36.

ANNO Christi millesimo vndecimo, Indictione nona, ab Henrico Rege ad dedicationem Ecclesiæ Bambergensis à se constructæ, conuocatus est cœtus plusquam triginta Episcoporum, inter quos astitit Ioannes Patriarcha Aquileiensis, qui & sacra obiit. Cuius occasione conuentus, fuit ab iisdem tunc SYNODVS celebrata; in qua sedatæ sunt controuersiæ quædam inter nonnullos Episcopos, aliaque multa consilio prudenti finita: vt tradit Ditmarus *a* Episcopus Merseburgensis qui adfuit. Addit etiam, hoc anno *Tagmonem* Archiepiscopum Magdeburgensem, magni Wolfgangi Ratisponensis Episcopi olim charissimum discipulum, cuius & morientis spiritum *b*, per ipsius insufflationem, ore ad os admoto susceperat, & paulo post Magdeburgensis Ecclesiæ Antistes secundum præcedentem prophetiam Apostolico more electus fuerat, præstanti vita & sanctitate vitum, quinto Idus Iunii ex hac vita ad CHRISTVM migrasse.

I. CONCIL. BAMBERG. IN ENCÆN.

a *Ditm. lib. 6.*

b *Vid. eund. d. lib. 5. prope fi. & Baron. an. 1003.*

Sed & inter alia, quæ hoc anno euenisse idem auctor tradit præsens ipse cum pluribus, hæc admiranda de quodam sacrilego milite subiicit; quod cum bona S. Clementis vi sustuliisset, & inde tectum facere voluisset, quadam die à muribus ineffabilibus intra cubiculum impugnatus fuerit. Qui primo fuste arrepto eos prohibere tentans, posteaque euaginato eos aggressus gladio, & sic nihil proficiens, arca quadam (vt ipse rogauit) includitur, ac in medium fune suspenditur: & cum exterius hæc plaga cessaret, ab aliis vsque ad mortem corrosus inuenitur. Tunc cunctis præsentibus, & postea venientibus manifestum fit, quod hunc ira Domini, vindex prædicti facinoris, sola consumpsit. Hæc totidem verbis Ditmarus.

II. SACRILEGVS DEVORATVS A MVRIBVS.

Adsunt vero iam tempora illa infestissima Ecclesiæ Anglicanæ, quæ prædicta vidimus à S. Dunstano. Etenim hoc ipso Christi anno millesimo vndecimo Dani, cum anno superiori inuasissent Angliam, proditione Archidiaconi Cantuariam post viginti obsidionis dies mense Septembri ingressi, alios ferro iugularunt, alios flammis consumpserunt, plures de muris præcipites dederunt, nonnullos per verenda suspenderunt; matronas crinibus per plateas distraxerunt, ac demum flammis iniecerunt; paruulos à matrum vberibus auulsos, aut lanceis exceperunt, aut superactis carris minutatim contriuerunt; vrbem, ecclesias, monasteria incenderunt eosque demum qui primum furorem

III. ANGLIC. ECCL. LABORAT PERSECVTIONE DANOR.

MARTYRIVM ELPHEGI ARCHIEP. CANTVAR.

euasissent Præsules, clericos, monachos, ciues omnes, mulieres & infantes, ita decimarunt, vt nouem trucidatis decimus vitæ reseruaretur. Ipse vero Archiepiscopus, *Elphegus* nomine; vir sanctissimus, post septem mensium luctuosissimum carcerem, cum nec aliquid pro sua redemptione dare voluisset, nec permittere vt alii darent; ab iisdem Danis, lapidibus, ossibus, bouinis capitibus obrutus, denique à quodam quem pridie confirmarat, impia moto pietate, securi percussus in capite, glorioſum martyrium consummauit decimotertio Calendas Maij anni sequentis. Hæc Rogerius, fidelissimus antiquorum historicorum, in priori Annalium parte. Quæ vero ad S. Elphegum pertinent, & Danorum in ipsum ingratitudinem, cũ ab iis necatus est, quos paulo ante torminibus viscerum laborantes, dato eis pane à se benedicto, sanauerat; itemque ad alia miracula ab ipso in vita & post mortem edita; necnon diram vltionem diuinam in ipsius interemptores, quorum aliqui manus sibimet ipsi violentas intulerunt, alii aliis modis miserrime perierunt, ac demum ingenti Dani cuncti à Martyre formidine perculsi, naues conscendentes, maxima ex parte naufragio interierunt; hæc, inquam, omnia pluribus describit Osbertus monachus Cantuariensis in Vita *c* eiusdem S. Elphegi.

c Ap. Sur. 19. April.

IV. DANI IN ANGLIA VNA DIE CÆSI OMNES.

Agit pariter de his Matthæus Westmonasterienſis: vltionem vero de Danis ita sequenti anno sumptam esse ait, vt cum iidem iam post fœdus cum Anglis initum, adeo superbirent vt vxores virorum nobilium & filias vi opprimerent, & vbique ludibrio traderent; Rex Angliæ Ethelredus, consilio Hunæ ipsius militiæ principis, viri strenui & bellicosi, secreto literas ad omnes Regni fines scripserit, vt sub vna die, in festo scilicet S. Bricij Episcopi, omnes Dani per vniuersam Angliam constituti furtiuo impetu morti traderentur, & simul ac semel de oppressione Danica omne genus liberaretur Anglorum: & quod vbique factum esse ait, ipsis etiam qui ad ecclesias confugissent ad ipsa altaria peremptis. Subiicit vero de aliis, qui fugientes ad naues, & in Daniam redeuntes, prouocarunt alios qui postea in Angliam venerunt sub Suano tyranno.

V. TERRÆM. INGENS CONSTANTINOPOLI.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno, Indictione nona, mense Ianuario (inquit Curopalates) Constantinopoli fuit maxime horribilis Terræmotus, & concussa est terra vsque ad diem nonam mensis Martij, qua circiter decimam diei horam fuit concussio adeo horribilis & in vrbe & in agris, vt ceciderint sphæræ quorũdam templorum. Addit vero, hæc significasse mox in Italia futuram seditionem. Siquidem (inquit) Princeps quidam Bari, nomine Meles, concitato in Longobardia exercitu, aduersus Romanos arma sumpsit. Porro hic est ille, quem Leo *d* Ostiensis pariter Melum appellat; cuius rebellionem aduersus Græcos, & progressus eius cum auxiliaribus Northmannorum copiis narrat; asseritque ea occasione eosdem Northmannos sibi Apuliam vendicasse. De reliquis autem rebus gestis Græcorum Imperatorum contra Bulgaros, & alios barbaros, consulat eundem Curopalatem, vel Cedrenum, qui hæc cupit.

d Leo Ost. lib. 2. c. 38. 40. 42.

IESV CHRISTI AN. 1012.

BENED. VIII. AN. 1.

BASIL. & CONST. 37.

I. SERGII PP. OBITVS, ET SVFROGATIO BENED VIII.

ANno Christi millesimo duodecimo, Indictione decima, die decimatertia mensis Maij *Sergius* Papa diem obiit, & BENEDICTVS Episcopus Portuensis in locum eius subrogatus est; vt quidem volunt Marianus Scotus, Hermannus, & Sigebertus. Verum ex tempore quotundam diplomatum eorundem Sergij & Benedicti, quæ extant *a* inter vetera monimenta Bibliothecæ Vaticanæ, apertissime constat, illius obitum, & huius subrogationem in sequentem potius annum referri debere: quibus videtur concordare ipsius Sergii sepulchri inscriptio, quæ habetur Romæ in Lateranensi basilica, vbi dicitur obiisse anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimotertio. Attamẽ quod in eadem inscriptione sedisse tantum dicatur annos duos, menses octo, & dies tredecim; hic cum ceteris ponimus eius egressum, & Benedicti huius nominis Octaui ingressum; sed absque aliquo præiudicio veritatis. Fuit autem Schisma in Ecclesia Romana in Benedicti creatione, cum aduersus eum contra sacros canones creatus est *Gregorius*, qui pollens potentia Romanorum ipsum ab Vrbe expulit. Eundem vero ad Henricum Germaniæ Regem in Saxoniam confugisse, tradit Ditmarus *b* tunc apud Regem præsens. Quomodo autem ad ipsum restituendum Henricus Romam se contulerit, dicetur anno sequenti.

a Rec. Bar. Tom. XI. hoc an.

SCHISMA INTER BENED. ET GREGOR.

b Ditm. lib.

II. ECCL. SLAVOR. DEFICIT A FIDE.

Hoc eodem anno, qui & decimus numeratur regni Henrici, defuncto Bennone Saxoniæ Duce religiosissimo, contigit Ecclesiam Saxoniæ fluctibus agitari, cum Bernardus ipsius filius cõtra Regem rebellare ausus, Winulorum quoque & Slauorum gentem à Christiana fide ad Paganismum, quem longe antea deseruerant, redire coegit: per quos magna tunc facta est Clericorum, aliorumque Fidelium strages. Habent hæc pluribus eius temporis auctores, Helmoldus *c* scriptor rerum Slauorum, & Adam *d* insignis Chronographus Bremensis Ecclesiæ Canonicus; qui in iisdem Slauis reducendis, ipsoque Bernardo in obedientiam Henrici restituendo, Vnuanum Archiepiscopum Hamburgensem illarum omnium regionum Borealium Metropolitanum, insignem plane virum, feliciter laborasse testatur: quem & prudentiæ laudat, quod immensum thesaurum Ecclesiæ suæ, diu sollicite collectum, quasi minus necessarium si intra parietes clauderetur, ipse non solum in pauperes erogarit, sed etiam in ferocissimos Reges Aquilonis expenderit, vt hilaritate suorum munerum ad omnia quæ vellet benignos obedientesque haberet.

c Chron. Slauor. lib. 1. c. 16.

d Adam li. 2. c. 32. & segq. Ap. Baron. hoc an. & seq.

III. *e Ext. ap. Sur. 10. April.* S. MACARII PATRIAR. ANTIOCH. OBITVS.

Hoc item anno, quarto Idus Aprilis, mortuus est *S. Macarius* Patriarcha Antiochenus, cuius res *e* gestas eiusdem sæculi auctor conscripsit paulo post eius obitum. Fuit is genere Armenus, educatus à seniori Macario eiusdem sedis Antistite, cui electione totius Cleri & populi in sede successit: idemque post multa in cura pastorali egregie præstita, atque miracula edita peregrinaturus Hierosolymam, abdicans se, *Eleutherio* viro probitate insigni reliquit Ecclesiam. Veniens autem ipse Hierosolymam cum eius Ecclesiæ Ioannes Patriarcha esset, ibi multa passus legitur ab Infidelibus; à quibus detrusus in carcerem, sed diuinitus liberatus, ex iis nonnullos ad fidem cõuertit. Inde vero fama celebris, ignotus latere cupiens, migrans in Occidentem, Borealesque lustrans Ecclesias, redditus iam virtute miraculorũ vbiq; conspicuus, substitit in monasterio S. Bauonis in Flandria, quam Comes Balduinus administrabat; ibique in hunc vsque annum perseuerans, in editione signorum & operatione virtutum sancto fine in pace quieuit.

IV. CONCIL. LEGION.

Eodem anno, nempe Æra millesima quinquagesima, octauo Calendas Augusti, sub Adelfonso Quinto Rege Legionensi, celebratum est in ea ciuitate CONCILIVM omnium Episcoporum, Abbatum, & Optimatum Regni Hispaniæ, cui etiam Rex interfuit cum vxore Geloira: in quo multa *f* statuta sunt, tum ad res & iura ecclesiarum conseruanda, tum ad ciuilem gubernationem pertinentia. Meminit eiusdem Concilij Rodericus *g* Toletanus: additque Adelfonsum reædificasse Legionẽ, quam Almanzor & Habdelmalich filius eius destruxerant; & Leges Gothicas reparasse, atque alias addidisse.

f Rec. Bar. Annal. Tõ. XI. hoc an. ex cod. Ant. Aug.

g Roder. lt. 5. c. 19.

[prædictum Legionense Concilium ad anteriora tempora referendum esse, sunt qui asserant, eo quod Alfonsus Rex, sub quo habitum est, iam antehac obiisse velint ex Roderico. Verum est in contrarium non solum expressa in Actis Concilii Æra 1050. *a*, vna cum nominibus Adefonsi & Geloiræ ipsius coniugis; sed etiam inscriptio sepulchri eiusdem Adefonsi, quam refert Baron ann. 1027. vbi diserte ponitur obiisse Æra 1065. eidemque eius vitæ Chronologiæ consentit & Ioannes Mariana diligentissimus rerum Hispanicarum pertractator lib. 8. & alii.]

V. § COLOMANNI MARTYRIVM. *h Cuspin. in Austr.* *i Ditm. lib. 7. in fin.*

Hoc eodem anno *S. Colomannus* ex progenie Regum Scotiæ ortus, postquam iterum atque iterum peregrinatus esset Hierosolymam pietatis ergo; vbi demum in Austriam *h* peruenisset, ab impiis in arbore suspẽsus occisus est; cultusq; vt martyr, quãplurimis miraculis illustratus. Sed de eo Ditmar[9] *i* in fine anni post millesimũ decimũ septimũ:

vbi

vbi & habet, ipsam arborem diu aridam, in qua suspensus fuerat, floruisse, eumque Christi martyrem esse monstrasse.

IESV CHRISTI AN. 1013.

BENED. VIII. AN. 2.

BASIL. & CONST. 38.

I. HENR. REX GERM. ROMAM VENIT.

ANnus Christi millesimus decimus tertius cœptus est Indictione vndecima: quo Henricus Germaniæ Rex in Italiam descendens, Romam cum exercitu venit circa finem eius: nam ad vndecimum Calendas Octobris ex Germania superiori recessisse venturum in Vrbem, testatur qui tunc aderat Ditmarus a. Cum autem præter alios Principes, idem Rex infestiores semper passus esset Ducem Poloniæ Boleslaum, & Harduicum in Italia Regem Longobardorum, aduersus ipsum Henricum fœdere iunctos; adeo, vt cum sæpius Romam cogitans se ad iter accinxisset, per Boleslaum infestantem ipsius Regnum, coactus fuisset à cœpto desistere, & in Germaniam redire: hac pariter expeditione idem Boleslaus speculatores misit, qui quoscumque possent ab Henrici amicitia diuellerent; cum & antea Benedicto Papæ per Legatos questus esset, non licere sibi propter latentes Regis insidias promissum Principi Apostolorum Petro persoluere censum. Harduicus autem alias expertus Henrici vires, non ausus est ei obsistere; sed magis ipse sibi timens, in castelli munitionem se recepit, & Legatos ad eum misit, qui Comitatum quendam sibi dari peterent, & Regnum Longobardorum ei redditurum promitterent; cui tamen Rex tunc acquiescere recusauit. Narrat hæc omnia idem qui supra Ditmarus. Quod autem audisti, se Boleslaum excusasse, quod non misisset censum promissum Apostolicæ Sedi: erat census iste ab exordio (vt apparet) conuersionis Polonorum gentis, pietatis ergo persolui promissus annis singulis Principi Apostolorum, (sicut de multis aliis accidisse vidimus, videbimusque,) & eius loco ipsius successori Romano Pontifici.

a Ditmar. lib. 6.

DVX POLON. CONSVETVS SOLVERE CENSVM RO. ECCL.

II.

Cæterum cum Henrici Romam aduentus hanc præcipuam causam esse constet, vt Benedictum Pontificem in suam sedem restitueret, à quo esset ad Imperium promouendus: ex his tamen quæ Glaber b, & ipse huius temporis scriptor narrat, haud Henricum secum duxisse Benedictum, sed præmisisse possumus intelligere, cum ait, venienti Henrico in Vrbem Benedictũ obuiam processisse: imo & huiusmodi tradit præcessisse decretum; *Ne quisquam audaciter Imperii Romani sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale.* Cuius decreti hanc idem Glaber affert rationem; quod olim vbique terrarum quilibet tyranni sese procaciter impellentes, sæpissime essent Imperatores creati, atque eo minus apti Reipublicæ, quo constat eos, tyrannide potius, quam pietatis auctoritate processisse. Addit vero post hæc, Benedictum Papam insigne præcepisse fabricari aureum Pomum rotundum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis gemmis, ac desuper auream Crucem inseri: vt dum illud respiceret Princeps, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam si egregiis virtutibus exornatus esset, & dignus haberetur viuificæ Crucis protegi vexillo. Subdit demum, cum Benedictus Henrico cum maxima virorum & sacrorum ordinum multitudine obuiam processisset ex more, eique eiusmodi insigne Imperii tradidisset; Henricum contestatum nullis melius illud donum congruere, quam qui pompis mundi calcatis Crucem expeditius sequerentur Saluatoris, protinus illud ad Cluniacense monasterium in Galliam misisse, quod tunc temporis habebatur omnium religiosissimum; cui & plurima iam alia contulerat ornamenta. Hæc Glaber: apud quem tamen error fœdissimus irrepsit, dum ea gesta ponuntur anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo: quod quantum à recta Chronologia abhorreat, nemo non videt. Sed quod ad cultum ab Henrico exhibitum monasterio Cluniacensi, ad quod sæpe pietatis ergo peregrinatus est; testatur etiam Petrus Damiani in Vita c S. Odilonis illius Abbatis, huius temporis fulgentis in Ecclesia sideris, eundem Regem adeo ipsum coluisse, omnique officio prosecutum esse, vt & coronam suam illi dono miserit; quam ipse famis tempore pro alendis pauperibus, vna cum aliis Ecclesiæ ornamentis distraxit. De coronatione vero Henrici dicetur anno sequenti, quo eam contigisse omnes consentiunt.

b Glab. lib. 1. in fin.

DECRETVM DE IMP. ELECTIONE.

GLOBVS AVREVS CVM CRVCE, INSIGNE IMPERII. De cuius antiquitate, & vsu, vide Greff. de Cruc. Tom. 1. lib. 2. c. 54. & Tom. 3. lib. 1. c. 20. De alia veteris omnis generis insignibus, plura conferunt Baleus. in Imp. Rom. lib. 2.

c Ap. Sur. 1. Ianuar. & Baron. ann. seq.

IESV CHRISTI AN. 1014.

BENED. VIII. AN. 3.

HENRICI I.

BASIL. & CONST. 39.

I. HENR. À BENED. PP CORONATVR IMP.

ANno Christi millesimo decimoquarto, Indictione duodecima, sexto Calendas Martii HENRICVS piissimus Rex Germaniæ Romæ coronatus est Imperator à Benedicto Romano Pontifice; simulque eius coniux mulier sanctissima *Chunegundis*, corona insignita, Augustæ nomine decorata. Hæc absque controuersia Scriptores omnes eius temporis. Quæ quidem hoc ipso pariter Benedicti Papæ anno secundo nondum absoluto contigisse, aperte declaratur ex veteri Instrumento a monasterii S. Gregorii ad Cliuum Scauri, quod conscriptum ponitur Pontificatus Benedicti Papæ Octaui anno octauo, Henrici Imperatoris anno sexto, Indictione tertia, mense Nouembri; nempe anno Domini millesimo decimonono: quibus videas nostram Chronologiam in omnibus temporum veritati concordare. Porro hunc Henricum plerique Secundum eius nominis Imperatorem appellant, respectu videlicet Henrici alterius, qui anno Domini nongentesimo decimo nono successit Conrado Germaniæ Regi; de quo dictum est suo loco. Sed illum præ humilitate dici noluisse Imperatorem, Witichindus b, Crantzius c, & alii tradunt: Cũ & alioqui nemo his temporibus vocaretur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex coronasset; vt apertissime constat d ex Scriptoribus qui tunc vixerunt, & diplomatibus Pontificum & Imperatorum Regumque Germaniæ, de quibus sæpe dictum est superius. Ex quibus omnibus apparet, Henricum hunc de quo agimus, Primum eius nominis fuisse Imperatorem.

a Rec. Baro. Annal. tom. XI. ann. 1019.

Ipsam vero eius coronationem Romæ factam, Ditmarus e ab eis qui interfuissent acceptam narrans, Decursis, inquit, à Dominica Incarnatione post millenarii plenitudinem numeri annis tredecim, & in subsequentis anni mense secundo ac hebdomada tertia, anno autem regni eius decimotertio, & die Dominica, ac sexto Calendas Martii, Henricus Dei gratia Rex inclytus à Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasi barba, alii prolixa mystice incedebant cum baculis, cum dilecta coniuge Chunegunde ad Ecclesiam Sancti Petri, Papa expectante, venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis veller Romanæ patronus esse & defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis; deuota professione respondit. Et tunc ab eodem inunctionem, & coronam, cum coniuge sua suscepit. Priorem autem coronam super altare Principis Apostolorum suspendi præcepit: eodemque die Papa eis cœnam ad Lateranum fecit copiosam. Hæc Ditmarus: qui addit, octauo post die inter Romanos & Germanos magnum ortum esse dissidium in ponte Tiberino, eorumque multos corruisse, tribus Germanis seditionis auctoribus existentibus: post hæc vero Imperatorem, fratrem suum Arnulphum, quem Rauennati præfecerat Ecclesiæ, denuo inthronizatum à Romano Pontifice, ibidem consecrari curasse, eiecto Etheberto eiusdem Ecclesiæ inuasore: ac Roma recedentem, diem Paschatis Papiæ celebrasse; dehinc sedatis cunctis tumultibus, in Germaniam reuersum esse.

b Witich. Annal. Sax. lib. 1.

c Crantz. Metrop. Sax. lib. 3. & hist. Sax. lib. 3. c. 14.

d Vide de hu Panuin. lib. de Comit. Impp.

II.

e Ditm. lib. 7. in pr. DE CORONAT. HENRICI RELATIO DITMARI.

Sed quod ad reliquas eius res gestas dum Romæ stetit; Berno Augiensis Abbas libro de Rebus ad Missam spectan-

III.

SYMBOLŪ CANTARI ROMÆ COEPTVM.

tibus tradit, cum Romani presbyteri ab eo interrogarentur, cur post Euangelium (vt in aliis Ecclesiis fiebat) Symbolum non canerent, eos causam illam reddidisse, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fæce infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideo magis necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari. Hæc Berno, qui se tunc eiusmodi Imperatoris ac presbyterorum Romanorum collocutioni interfuisse testatur: additque, nihilominus Imperatorem Benedicto Papę persuasisse, vt ad publicam Missam Symbolum decantarent. Quam equidem susceptam consuetudinem haud improbamus; sed nobis gratius foret, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam nouitati.

IV. HENR. IMP. CONFIRMAT DONAT ET PRIVIL. RO ECCL. f *Rec. Baro. Annal. tom. XI. hoc an. ex archiuis Eccl. Rom.*

Quod autem consueuerint Imperatores statim à Coronatione, Roman. Ecclesiæ vetera priuilegia confirmare, vel noua concedere; ad principium Imperii Henrici referemus (neque enim quo potissimum anno factum fuerit, liquido constat) illud ipsius diploma f, quo* patrimonia ac priuilegia Romanæ Ecclesiæ ab antecessoribus piis Regibus Galliarum, atque Imperatoribus, nempe Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, & Otronibus, quondam collata, Benedicto Papæ gratitudinis ergo, & pietatis in Principem Apostolorum amore, singillatim omnia recensendo confirmauit: ac liberam pariter Romani Pontificis electionem, Clero Populoque Romano reliquit; aliaque plurima dona, iuraque eidem concessit: quod quidem tam sua, quam omnium Episcoporum, Abbatum, Ducum, ac Comitum, qui cum ipso erant, subscriptione, atque Imperatorii sigilli impressione roborari voluit: reseruatis tamen sibi iuribus, ab Eugenio & Leone Pontificibus, aliis Imperatoribus concessis, de quibus dictum est suis locis.

[*Quæ vero contra illud protulit *Goldastus*, luculenter repulit *Gretserus* cap. 22. Apol. Baron. & lib. 2. contr. Replicat. c. 17. de quibus dictum est ad an. 774. post num IV.]

V. SACRVM LINTEVM DOMINI IGNE PROBATVM.

Inter alia quoque quæ diuersis Ecclesiis concessisse reperitur, asserit Leo Ostiensis, ipsum post suam coronationem confirmasse priuilegia ac patrimonia monasterii Cassinensis. Subiicitque, iisdem diebus quosdam monachos Hierosolymis venientes, particulam *Linteι* cum quo pedes discipulorum Saluator extersrat, secum detulisse, eidemque monasterio obtulisse: cumque plurimi fidem derogarent, illam particulam probationis causa ardentibus impositam prunis, mox in colorem ignis versam esse, amotis vero carbonibus ad pristinam speciem rediisse: & in pretiosissimo scrinio collocatam, magnæ postea venerationi omnibus extitisse.

VI.

Hoc eodem anno Swanus, vel Swenus Rex Danorum, cum anno superiori ingenti classe inuasisset Angliam, & immensis eam malis afflixisset; insuperq; ciuitati in qua S Eadmundi Regis ac Martyris corpus quiescret, quæ eiusdem Sancti Ecclesiæ data fuerat, grande tributum imposuisset, ac nisi solueretur, minatus esset incendium vrbis, & Ecclesiæ euersionem: ac denique ipsi sancto Martyri detrahere non cessaret: idem, inquam, Swanus hæc iactans, cum aliquando magna Danorum multitudine vallatus esset, ipsum S. Eadmundum armatum ex aduerso venientem solus vidit: ad cuius conspectum tremens, & militum auxilium magno clamore implorans, acriter à Sancto confossus culpide, & de equo deiectus, paulo post magno cruciatus tormento miserabiliter vitam finiuit. Narrat ista Rogerius in priori Annalium parte: eademque Westmonasterienſis hoc anno ex libello miraculorum eiusdem Sancti.

S EADMVNDVS VLTOR IN TYRAN. INSVRGIT.

IESV CHRISTI AN. 1015.

BENED. VIII. AN. 4.

HENRICI 2.

BASIL. & CONST. 40.

I. a *Ditmar. lib. 7.*

ANno Christi millesimo decimo quino, Indictione decimatertia, ponit Ditmarus *a* obitum Ernesti Alemanniæ Ducis: qui casu in venatione sagitta vulneratus, memoratu dignum contriti cordis specimen exhibuit; dum mortē sibi imminere perspiciens, cum presbyterum non haberet cui sua secreto confiteretur peccata, eadem cunctis eum comitantibus publice propalauit, & mox ex hac vita migrauit. Porro eiusmodi publicę confessionis erubescentiam sponte pati hominem velle ob delictorum suorum pœnitentiam, gratum esse Deo sacrificium, per quod ipse perpetrata delicta dimittat, in commentario illo qui inscribitur *Vitæ Patrum*, & alibi, sunt exempla; cum tamen ne id fieri debeat, decreto S. Leonis *b* fuerit vetitum.

ERNESTI DVCIS PVBLICA PECCATORVM CONFESSIO.

b *Leo ep. 80. ad Episc. Camp. c. 2.*

IESV CHRISTI AN. 1016.

BENED. VIII. AN. 5.

HENRICI 3.

BASIL. & CONST. 41.

I. BENED. PP. DEBELLAT SARACENOS.

ANno Christi millesimo decimo sexto, Indictione decimaquarta, Saracenos Ecclesiæ littora inuadentes Benedictus Papa comparata valida classe ad internecionem deleuit, ipsorum Rege fuga lapso, Regina vero capta, & ob audaciam capite truncata. Rex autem morte coniugis & sociorū admodum turbatus, Summo Pontifici saccum castaneis plenum misit, tot se in proxima æstate milites esse ducturum minitans: Pontifex vero marsupium eidem milio plenum remittens, tot ipsum loricatos, vel plures in Italia inuenturum respondit. Hæc pluribus Ditmarus *a*.

a *Ditmar. lib. 7.*

II. CANVTVS REX DANOR. REGNAT IN ANGLIA.

Hic pariter est annus, quo Ethelredo Anglorum Rege defuncto, mala innumera experto quæ ei obuentura prædixerat S. Dunstanus ob necem illatam fratri; communi Anglorum consilio externus Rex electus est Canutus, siue Knutus Danus, Christianus & valde pius; qui post Swanum patrem insulam illam armis occupatam possederat, iam debellatis iis qui post Ethelredum regnare tentassent. Hæc & alia de eo, qui prosecuti sunt res Anglorum, Rogerius, Matthæus Westmonasterienſis, & alii recentiores; necnon qui *b* scripsere res Danorum: ex quibus etiam constat, vtrobique regnasse Canutum, in Anglia atque Dania, & Magnum ob id nuncupatum esse; curamque diligentem Ecclesiarum habuisse. Ad quem etiam apparet ex Willelmo *c* Malmesburienſi, scriptam esse à Fulberto Episcopo Carnotensi epistolam (quæ adhuc extat *d*) cum accepit ab eo missum munus.

b *Adam lib. 2. c. 38. & alii.*

c *Malmsb. de Reg. Ang. lib. 2. c. 11. in fin.*

d *Fulb. ep. 81*

III. S. SYMEONIS ARMENI OBITVS.

Hoc eodem anno mortuus est vir sanctitate insignis, genere Armenus, nomine *Symeon*, qui vitæ anachoreticæ cunabula exercuit in Palæstina, inde diuino monitu in Occidentem migrans, Italiam, Gallias, & Hispanias, visitans loca sancta peragrauit, vbique miraculis coruscans, & cum Romæ à Benedicto Papa, (vbi & præsentissimū euasit diuinitus vitæ periculum, in quod ob suspectam Armenorum hæresim inciderat) tum alibi ab omnibus honorifice exceptus: qui tandem Mantuæ in Domino quieuit: extantque Res ab eo præclare gestæ, ab auctore eiusdem temporis conscriptæ. Longe vero diuersus est Symeon iste, ab illo qui in Galliis post annos viginti diem obiit; de quo dicendum suo loco.

IESV CHRISTI AN. 1017.

BENED. VIII. AN. 6.

HENRICI 4.

BASIL. & CONST. 42.

I.

ANno Christi millesimo decimo septimo, Indictione decimaquinta, Aureliis in Gallia detecta est hęresis Manichæa,

NOVI HÆRETICI APPARENT IN GALLIA.

chæa, eo delata à muliere quadam ex Italia veniente, quæ cum multos alios, tum præcipuos ex Clero eiusdem ciuitatis seduxit, asserens, fabulas esse quicquid in Veteri ac Nouo Testamento de Deo Trino & Vno dicitur: cœlum & terram ab æterno esse absque principio: voluptatum flagitiis non repositam esse vindictam; omneque Christianorum opus pietatis & iustitiæ, laborem esse superfluum: aliaque eiusmodi deliramenta. Ad quæ euertenda sedulo inuigilans Christianissimus Rex Francorum Robertus, *Aurelias* properans, *conuocatis* plurimis Episcopis & Abbatibus, detectos eiusdem hæresis fautores, cum eandem abiurare renuerent, viuos igni tradidit; cæteroſque eiusdem peruersitatis sectatores, simili pœna vbique extinxit. Quomodo autem ista se habuerint, Glaber *a* qui aderat accurate descripsit: quorum pariter mentio habetur in Fragmentis Historiæ Francorum Roberti, necnon in *b* Fragmentis Historiæ Aquitanicæ: vbi etiam traditur, exortos per diuersas Occidentis partes eiusdem hæresis homines, per latibula sese occultare cœpisse, decipientes quoscumque possent; suadendo negare baptismum, signum S. Crucis, Ecclesiam, & ipsum Redemptorem, honorem Sanctorum, coniugia legitima, & esum carnium: repertosque apud Toletum in Hispania, eodem ignis supplicio punitos esse.

IIDEM IGNI TRADVNTVR.

a *Glab.lib. 3.c.8.*

b *Ext.post. Roberti Vitam, appen. ad Glabr.*

II. IVDÆOR. SCELVS DE IMAGINE CHRISTI DELVSA.

Paulo vero superius in iisdem Aquitanicis Fragmentis traditur, his diebus in Parasceue post Crucem adoratam vsque Sabbatum Sanctum circa vesperam, concussam esse Romam à ventorum, & pene omnes Romanos mortuos esse tam Christianos quam Iudæos: Cum vero quidam Iudæus Christianis intimasset, quod in Parasceue in synagoga Imaginem CHRISTI delusissent, sicut fecerât Domino parentes eorum; hoc comperto, Benedictum Papam Iudæos qui hoc egerant iussisse decollari, mox que cessasse ventos.

III. PLVVIA SANGVINIS IN AQVITANIA.

Sed & in Fragmentis Francorum Historiæ, post recensitos Manichæorum errores & supplicia, subiicitur, circa id tempus in regione Aquitaniæ secus maritima, ante solemnitatem S. Ioannis Baptistæ, tribus diebus de cœlo pluisse sanguinem; qui cadens super carnem hominis, aut super lapidem, non poterat lauari; si vero super lignum caderet, lauabatur. Porro de hoc prodigio consultus à Roberto Rege Fulbertus Episcopus Carnotensis, inter Episcopos Gallicanos doctrina facile princeps, illud de variis peccantium hominum generibus eorundemque punitione interpretatus *b* est. Consecuta vero esse bella grauissima in ea prouincia inter Gulielmum Aquitaniæ Ducem & Gaufredum Comitem Andegauensem, iisdem Fragmentis traditur.

b Fulb.ep. 79.

IESV CHRISTI AN. 1018.

BENED. VIII. AN. 7.

HENRICI 5.

BASILII & CONSTANT. 43.

ANnus Christi millesimus decimus octauus, Indictione prima inceptus, ob frequentia mala quæ peperit Borealibus Christianis, à Ditmaro *a* noua nuncupatione Termotio appellandus existimatus est, siue Cõtritio magna. Recensens autem ipse plura infausta quæ in Germaniæ prouinciis contigere, & damna Ecclesiis illata tam à Principibus quibusdam, quam à populis Abotritis & Waris à fide refugis; atque inter alias, Kiouiæ ciuitati primariæ: mirum est, quod de eiusdem vrbis religione narrat, nimirum erectas extitisse in ea plusquam quadringentas Ecclesias; fuisseque lege statutum, vt qui post Septuagesimam carnem manducasse inueniretur, confestim dentium auulsione puniretur. Recenset pariter dirissimam adulterii pœnam, aliaque eiusmodi quę admiranda potius quam laudanda ipse putauit: sed

I. a *Ditm.lib. 7.* CLADES BOREAL. ECCL.

plane ardens zelus animi commendandus, cum putauerit legislator atrocissimis pœnis muniendam diuinorum præceptorum obseruantiam, nequis ea transgredi quouis modo præsumeret pœnarum immensitate cohibitus. Porro his enarratis Ditmarus finem scribendi fecit pariterque viuendi, anno ætatis quadragesimo primo; multiplici quidem nomine commendandus, sed imprimis quod in omnibus optimi Pastoris specimen edidit; & cum omnibus aliis virtutibus, tum præcipue humilitate enituit, in cunctis semper sui accusator existens, aliorum vero commendator eximius. Ceditque insuper ipsi magnæ laudi, quod iam argumentis mille, & exemplis innumeris egregie fidem Catholicam testatam reliquit, aduersus suos gentiles apostatas Nouatores, qui nostro hoc sæculo emersere.

DITMARI OBITVS.

Idem hic annus est, quo Northmanni Duce Rudolpho quodam viro fortissimo, (qui Richardi Northmanniæ in Gallia Comitis, quem offenderat, iram metuens Romam se contulerat) hortatu Benedicti Pontificis aduersus Græcos in Apulia pugnantes, tribus ingentibus præliis cum eis decertarunt. Hoc enim ex Leone *b* Ostiensi exploratum habemus, dum ait id factum anno septimo Atenulphi Abbatis Cassinensis, quem ipsius assertione *c* constat creatum esse anno Domini millesimo vndecimo. Rem vero gestam ante ipsum descripsit Glaber *d* huius temporis auctor; qui addit, cum multæ auxiliares copiæ Constantinopoli ad Græcos missæ essent, nec par Rudolphus esset iis penitus debellandis, perrexisse ipsum cum paucis in Germaniam, petiturum ab Henrico Imp. auxilium.

II. NORTHMANNI IN ITALIA PVGNANT CONTRA GRÆCOS.

b *Leo Ost. lib.2.c.38.*

c *Id.lib.2.c. 31.*

d *Glab.lib. 3.c.1.*

IESV CHRISTI AN. 1019.

BENED. VIII. AN. 8.

HENRICI 6.

BASILII & CONSTANT. 44.

ANno Christi millesimo decimo nono, Indictione secunda, *Benedictus* Papa rogatus ab Henrico Imp. in Germaniam venit, Bambergæ Ecclesiam dedicauit: quod hoc anno factum, Hermannus, Lambertus, Marianus Scotus, Abbas Vrspergensis, & alii tradunt; Sigebertus autem anno sequenti. Cæterum non occasio Schismatis Pontificem illuc abire compulit, vt aliquis existimauit (Schisma enim exordio Pontificatus accidisse, tuncque Benedictum in Germaniam primum abiisse, superius demonstratum est:) sed nec vt eam duntaxat basilicam dedicaret; verum vt solemniter confirmaret sua præsentia Bambergensem Episcopatum quem erexerat, prout legitur in Actis *a* S. Chunegundis Augustæ Henrici vxoris. Nec fuit leuis hæc causa itineris Pontificis: siquidem ciuitatem istam Bambergensem cum iuribus suis plene subiecit pius Imperator Romanæ Ecclesiæ, cui vt dominæ annuum censum persolueret, nempe equum vnum album cum ornamentis omnibus & phaleris suis, centumque marchas argenti: quam vt liberaret Henricus Iunior, vice Bambergæ tradidit Ecclesiæ Romanæ ciuitatem Beneuentanam, tempore Leonis Noni Romani Pontificis. Hæc enim ita omnino se habuisse, ex veteribus Cassinatis monasterii monimentis prodidit Leo *b* Ostiensis. De donatione vero Bambergensis fundi, cum omnibus pertinentiis suis, facta Apostolicæ Sedi, est etiam assertio auctoris Vitæ *c* antiquitus scriptæ ipsius Henrici Imperatoris. Denique in Fragmentis Historiæ Aquitaniæ, non Ecclesiam, sed ciuitatem ipsam Bambergam recens ab Henrico ædificatam, à Benedicto in honorem Dei-genitricis fuisse consecratam asseritur. Sed & præter hanc causam Pontificis aduentus Bambergam, illud etiam, & forte præcipuum fuit consilium

I.

a *Ap. Sur. 3. Mart.* BAMBERGA CIVITAS OBLATA S. PETRO.

b *Leo Ost. lib.2.c.47.*

c *Ap Canis. antiq.lect. tom.VI.*

eius,

eius, vt prouocaret Imperatorem ad ferendas suppetias Ecclesiæ Romanæ aduersus Græcos, qui pedetentim iam sibi cuncta vsque ad Romanos fines vendicauerant. Quando vero expeditionem Henricus parauerit, dicetur inferius suo loco.

II. De successione Episc. Const.

Quod pertinet ad res Orientalis Ecclesiæ; hoc anno Indictione secunda, mense Iulii mortuus est Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, & in eius locum suffectus *Eustathius* primus presbyterorum qui erant in templo Regiæ. Hæc Curopalates. Sed quod dicit, Sergium sedisse viginti annos integros, subrogatum in locum Sisinii defuncti; videtur prætermisisse *Ioannem d*, quem Petrus Antiochenus in epistola ad Michaelem Cerularium ponit sedisse ante Sergium, tenuisseq; sedem illam viuente Ioanne itidem nominato Romano Pontifice eius nominis Decimo nono.

d [Fuerit forte hic Ioannes, ille patruus Ioannis Xiphilini epitomatoris Dionis, cuius ipse meminit in Augusto: tempus enim conuenit.]

IESV CHRISTI AN. 1020.1021.

BENED. VIII. AN. 9.10.

HENRICI 7.8.

BASIL. & CONST. AN. 45.46.

I. Polon. Eccl. locvpletata, et stabilita.

ANno Christi millesimo vigesimo, Indictione tertia, Poloniæ Ecclesias munificentia Boleslai Primi Polonorum Regis, pretiosis ornamentis decoratas, magnisque redditibus locupletatas, præter inuiolabilem stabilitam decimarum totius Regni solutionem; narrat Ioannes Longinus Canonicus Cracouiensis, qui per annos singulos res Polonorum est prosecutus; quem Chromerus Diugoscum, barbaro cognomento ita dictum, nominare consueuit.

II. a *Ap. Sur. 16. Mart.* S. Heriberti Archiep. Colon. obitvs.

Ad hoc quoque tempus pertinet quod Rupertus Abbas Tuitiensis in Vita *a* S. Heriberti Colonensis Archiepiscopi narrat de Henrico Imperatore; nempe cum inuidorum opera multorum annorum spatio Heriberto infensus extitisset, iamque ad eum exturbandum Coloniam properasset, eundem diuinitus admonitum ne Sancto molestus esset, ei non solum reconciliatum esse, verum etiam multis submissionum generibus eius gratiam promereri studuisse. Post quæ idem Heribertus, præuiso prænuntiatoque tam sui, quã Imperatoris obitus tempore, feliciter ad Deum migrauit hoc ipso, vel potius sequenti anno Domini millesimo vigesimo primo, Indictione quarta, decimo septimo Calendas Aprilis, cum sedisset annos viginti tres, menses duos, & dies viginti duos. Quæ autem præclaræ visiones præesserint eius obitum, & quæ postea sint subsecuta miracula, quosve honores eius memoriæ detulerit Imperator; pluribus describit idem Rupertus ex antiquiori eius Vitæ scriptore.

IESV CHRISTI AN. 1022.

BENED. VIII. AN. 11.

HENRICI 9.

BASIL. & CONST. 47.

I. Henrici Imp. ex-

ANno Christi millesimo vigesimo secundo, Indictione quinta, Henricus Imperator legationibus (vt vidimus) Northmannorum, & ab ipso Romano Pontifice rogatus, in Italiam se contulit aduersus Græcos. Id enim hoc anno contigisse, Leo Ostiensis, Marianus Scotus, Vrspergensis Abbas, & alii testantur. Quæ porro ipsi pia in itinere fuerit cum Sancto Romualdo collocutio, narrat Petrus Damiani in Vita Romualdi. Quique in omnibus specimen dedit Christianissimi Principis, sanctissimi plane Ducis in militibus ad bellum parandis omnes numeros pietatis absoluit: quippe qui sacratissima Eucharistia *a* ante prælium communire soleret exercitum, adhiberetque patronos Sanctos Martyres Laurentium, Georgium, & Hadrianum, quos præuio Angelo præcedere consueuisse aliquando vidisset exercitum. Rem vero contra Græcos hac expeditione ab eo gestam, quos ex Italia expulit, capta quam nuper in Apulia ædificarant, Troia ciuitate, fugatisque aut in deditionem acceptis eorundem fautoribus; Leo *b*, & Glaber *c* describunt. Post quæ idem Imperator in monasterio Cassinensi ilii dolore (quem ipsemet ei Sanctus Benedictus olim in somnis ictu virgæ intulerat, quod hospitante ipso in quodam eius monasterio, stabularii equorum partem in Fratrum capitulo locassent) acrius vexatus, ab eodem ipso Sancto Benedicto ei noctu apparente sanatus est; & in gratiarum actionem, multa ac pretiosa dona eidem monasterio contulit, quod & certior ab eodem Sancto redditus esset (de quo prius dubitabat) in eodem monasterio quiescere ipsius corpus: tantæque postea ad illud monasterium deuotionis fuit, vt si diutius vixisset, relicto Imperiali culmine, Deo se in sanctæ conuersationis habitu seruiturum eo in loco promitteret. Hæc & alia plurima eo spectantia, Leo; quem consulat qui ea curiosius cupit.

PEREGRINATIO ADVERSVS GRÆCOS.

a *Bonf. de Reb. Hungar. dec. 2. lib. 1.*

b *Leo Ost. lib. 2. c. 40. & segq.*

c *Glab. lib. 3. c. 1.*

CVRATVR A S. BENEDICTO.

Eodem anno, Indictione quinta, celebratum inuenitur sub Aribone Archiepiscopo Moguntino CONCILIVM SALEGVNSTADIENSE; quod Burchardus Episcopus Wormatiensis doctrina & sanctitate clarus, qui interfuit, posuit ad suos Decretorum libros appendicem: in quo sanciti sunt canones viginti ad Ecclesiasticam Oeconomiam spectantes. Atque primum omnium sacrorum Ieiuniorum sunt spatia dilatata; nempe vt omnes *d* Christiani sub illorum Episcoporum cura existentes, dies quatuordecim ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ abstinerent à carnibus: & in Natiuitate Domini similiter cohibita *e* & restricta numerosior cuiuslibet sacerdotis vna die Missarum celebratio; ne scilicet quisquam eorum in die amplius quam tres Missas celebrare præsumeret. At vero non sunt recepta, quæ in eo statuta sunt de tempore præfiniro Ieiuniorum Quatuor anni Temporum: aduersus enim ea latius disputat eiusdem sæculi scriptor, qui auctor est Micrologi *f*, à quo præsens Concilium, *Moguntinum* nominatur, quod in diœcesi Moguntina loco Salegunstad fuerit celebratum.

II. Concil. Salegvnstad.

d *Conc. Salegunst. c. 1.*

e *Ibid. c. 3.*

f *Microl. c. 25.*

His quoque postremis temporibus sedis Benedicti Octaui Papæ, *Guido* Aretinus professione monachus, musicus insignis innotuit: qui maxima omnium admiratione, nouam addiscendi musicam rationem inuenit; ita vt puer paucis mensibus disceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pollens ingenio ante capere potuisset: qua etiam de causa Romam vocatus est ab eodem Benedicto; postea vero sub Ioanne Vigesimo Benedicti successore, anno ætatis trigesimo quarto edidit de Musica librum, quem *Micrologum* nuncupatum, dedicauit Theobaldo Episcopo Aretino: vt de his omnibus constat ex ipsius ea dere scriptis epistolis *g*.

III. Gvido Aretinvs innotescit.

f *Rec. Bara. Annal. tom. XI. hoc an. ex antiq. MS.*

IESV

IESV CHRISTI AN. 1023.

BENED. VIII. AN. 12.

HENRICI 10.

BASILII & CONSTANT. } 48.

I. CONGRESSVS IMP. CVM REGE FRANC.

ANno Christi millesimo vigesimo tertio, Indictione sexta, rediens in Germaniam ex Italia Henricus Imperator, cum Roberto Francorum Rege Christianissimo habuit cõgressum: cum ambo (vt inquit Sigebertus) super Carum fluuium apud Euasium conuenerunt, de statu Ecclesiæ Regni, & Imperii tractaturi; condicto, vt super his confirmandis etiam Papam Romanum simul ambo Papiæ oportune cõuenirent. Hæc Sigebertus. Glaber [a] autem eius temporis scriptor, de eorundem Principum super Mosam fluuium, qui (vt inquit) limes erat vtriusque Regni, congressu agens, egregium insinuat amborum humilitatis exemplum, ex quo discant Principes, multoque magis alii inferioris status homines, quam vane superbeque disceptent inter se vsque ad internecionem de præcedentia, dum alter alterum supergredi omni conatu laborat. Ait enim, cum plures ex ambabus partibus insinuarent, indecens esse, vt quis illorum, tantorum scilicet Regum; semet humilians, quasi in alterius transiret auxilium; satiusque fore, vt in fluminis medium nauibus portarentur simul locuturi: vtrumque Principem illud in mente habentem [b], *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, eiusmodi suorum consilium reiecisse; primumque Henricum Imperatorem summo mane transiisse cum paucis ad Robertum Regem, mutuoque amplexu semet deosculantes, post Missarum solemnia ambos vna prandisse; post prandium vero obtulisse Henrico Robertum immensa munera auri atque argenti & pretiosarum gemmarum, centumque equos magnifice phaleratos, & super vnumquemque loricam & galeam: sed Henricum ex illis omnibus suscepisse tantum librum Euangelii, auro & lapidibus pretiosis insertum, ac phylacterium eiusdem operis, continens dentem Sancti Vincentii Martyris: vxorem autem ipsius, pares auri tantum naues [c] accepisse. Sequenti autem die cum Rex Robertus ad Imperatoris tentoria transiisset, eidem sublimiter suscepto, post prandium centum libras auri puri ab Henrico oblatas esse, Regem vero pares tantum naues auri ex illo sumpsisse: firmatoque pacto amicitiæ, vtrumque rediisse ad propria. Hæc iisdem ferme verbis Glaber, dicendus potius stylo Scaber.

a Glab. lib. 3. c. 2.

b Eccles. 3.

DONA INVICEM OBLATA.

c Forte, inaures. Vide notationē.

[Pro *naues*, potius legendum videtur *inaures*. Sic enim & in Breuiario Historico Sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani legitur, Heraclium Imperator. Principi Turcarum, quo cum fœdus inibat, eiusque magnatibus, post splendidum exhibitum conuiuium, singulis largitum esse inaures. Antiquissimum ornamenti genus, tam viris, quam fœminis commune: quod & Patriarcha Abraham misit ad futuram sponsam filii sui, Genes. 24. & propinqui Iob detulerunt ei in gratulationem restitutæ pristinæ sanitatis & gloriæ, Iob. 42. eiusque alias sæpe fit mentio in sacra Scriptura; (Genes. 35. Exod. 32. Iudic. 8. Iudith. 10. Isai. 3. Ose. 2. &c.) vt iam omittam Indis (Arrian. de gest. Alexand.) quoque olim, sicut & hodie, itemque Athenienfibus, (Apulius de dogmat. Platon.) Persis, (Procopius libr. 1. de Bell. Pers.) ac Parthis, (Tert. de cult. fœmin. cap. 10.) Inaures ferre familiare fuisse, atque etiam nobilitatem designasse: vt etiam Tiraquellus adnotauit, de nobilitat. ad fin. Nisi tamen & *Naues* hic forte intelligas, vascula ad bibendum; qualia sunt quæ hodie pluribus populis *Gondolæ* dicuntur, quod facta sint ad formam nauicularum, quas Veneti eo nomine vocant.]

II. CONCIL. MOGVNT.

Hoc pariter anno circa tempus Pentecostes, celebratum est Generale CONCILIVM MOGVNTINVM ex Germaniæ Episcopis, cui præfuit Aribo eiusdem ciuitatis Archiepiscopus, interfuitque Henricus Imperator. Exciderunt quidem Acta, sed mentio eius reperitur in Rebus [d] gestis Sancti Gothardi Hildesemensis Episcopi (qui plane his temporibus egregia enituit sanctitate, plurium charismatum donis diuinitus illustratus) occasione miraculi tunc ab eo editi, cum ad Synodum accedens in via dæmoniacam curauit. Quod cum accidisse ponatur primo ipsius Episcopatus anno, vtique in hunc ipsum referendum est: siquidem eius præcessor S. Berwardus ibidem defunctus ponitur duodecimo Calendas Decembris, anno à Christo nato millesimo vigesimo secundo, regni Henrici vigesimo primo, Imperii autem nono, qui est præcedens annus. Ex quibus redarguas eos, qui illud Concilium anno superiori celebratum ponunt: qui etiam magis refelluntur ex certa Indictione posita in Actis eius, nempe sexta.

d Ap. Sur. 4. Maii DE S. GOTHARDO HILDES. EPISC.

IESV CHRISTI AN. 1024.

IOAN. XX. AN. 1.

HENRICI 11.

BASILII & CONSTANT. } 49.

I. BENED. PP OBITVS.

ANno Christi millesimo vigesimo quarto, Indictione septima, tertio Calendas Martii *Benedictus* Papa ex hac vita migrauit, cum sedisset, non vt Hermannus ait, annos vndecim & dies duodecim, sed vt habet Marianus, annos duodecim: quem à purgatoriis pœnis voluisse Deum liberari precibus Sancti Odilonis Abbatis aliorumque monachorum cœnobii Cluniacensis, quem viuens Benedictus plurimum coluerat, scribit Petrus Damiani in Rebus [e] gestis eiusdem Odilonis. Idemque in epistola ad Nicolaum Secundum Pontificem, recensens numerum illorum qui se ab Episcopali munere abdicarunt, aliam narrat visionem ab eodem Papa Benedicto (quem appellat Maiorem, respectu nepotis eius, qui Iunior est dictus) factam Episcopo Capreæ, qua illum monuit, vt Ioanni Papæ, fratri Benedicti, denuntiaret certam quandam pecuniam in pauperes pro ipsius à pœnis Purgatorii liberatione impendere; quod quæ iam essent pro eo indigentibus tradita, nihil ei penitus profuissent, quia de rapinis & iniustitiis acquisita erant. Additque Petrus, eundem Episcopum mox, vt hæc denuntiauit, Episcopalis sarcinæ pondus abiecisse, & monastici sumptione habitus salutem sibi ex aliena calamitate prouidisse.

e Ap. Sur. 1 Ianuar. VISIO DE BONO DEFUNCTO IN PURGAT.

II.

Quod autem ad IOANNEM Benedicti fratrem & successorem

ceſſorem attinet; fuiſſe ambos fratres germanos, filios Gregorii Comitis Tuſculani, Leo *b* Oſtienſis affirmat. Rurſum enim monſtra nobis peperit potentia ſæcularis, (erant namque, vt diximus, Comites Tuſculani, præcipui in Vrbe proceres) procul facienda ſemper ab electione Romanorum Pontificum, vt ne vel auditu percipi omnino valeat. Huncque Ioannem, cognomento fuiſſe *Romanum*, & largitione pecuniæ repente ex laico conſtitutum eſſe Pontificem, Glaber *c* tradit. Ex quibus conſpice, quam errent *d* qui dicunt hunc ex Epiſcopo Portuenſi creatum Papam: qui ſi non aliter, certe ex Petro Damiani qui tunc viuebat manifeſte redarguuntur, dum in Odilone longe diuerſum ponit Ioannem Epiſcopum Portuenſem à Ioanne Papa Benedicti germano.

b *Leo Oſt. lib. 2. c. 27. & 58.*

IOAN. XX. MALIS ARTIB. SEDEM ASCENDIT.

c *Glab. lib. 4. c. 1.*

d *Panuin. & alii eum ſecuti.*

III. GRÆCI TENTANT OBTINERE À ROM. PONT. NOMEN VNIVERSALIS.

Interea vero, quoniam peculiare illud eſt, vt qui pecunia emunt ſacra, pecunia pariter diſtrahant; hoc ipſo eius ordinationis exordio, eodemque anno Domini milleſimo vigeſimo quarto, prædictus Glaber eius temporis auctor ſcribit, tentatum fuiſſe à Conſtantinopolitano Patriarcha cum ſuo Imperatore Baſilio aliiſque Græcis, miſſis legatis cum multis ac diuerſis muneribus, à Romano Pontifice impetrare, vt liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in vniuerſo, *Vniuerſalem* dici & haberi: ipſumque Ioannem Papam munerum cupiditate excæcatum pertentaſſe clanculo concedere quod petebatur. Verum cum eius rei fama vbique diuulgata eſſet, ingenti ab omnibus tumultu excitato, inter alios Willermum Abbatem monaſterii Sancti Benigni in Gallia, virum prudentia & doctrina inſignem, ideoque ſummæ apud quoſcumque Principes auctoritatis, grauiſſimas aduerſus hæc præſumpta ad eundem Pontificem dediſſe litteras, quas ipſe Glaber recitat, ſed mendoſas ac truncatas: quæ quidem tanti ponderis fuerunt, vt leuem hominem ne faceret, quod moliebatur, omnino cohibuerint. Nihil enim penitus Legatos Græcorum ab Apoſtolica Sede impetraſſe, docent epiſtolæ Leonis *e* Papæ Noni, poſt annos ferme viginti conſcriptæ ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham; quibus expoſtulat de titulo Oecumenici, quem eius Sedis Epiſcopi præter ius faſque, reclamante ſemper Apoſtolica Sede, nimia arrogantia vſurpaſſent.

e *Tom. 3. ep. Rom. Pont.*

IV. HENRICI IMP. OBITVS.

Hoc eodem anno, tertio Idus Iulii mortuus eſt Henricus Imperator, & ſepultus Bambergæ, quam ciuitatem Epiſcopali ſede, pluribus Eccleſiis, monaſteriis, redditibus, & ampliſſimis donis illuſtrauerat. Qui ad mortem veniens, (inquit Leo *f* Oſtienſis) Epiſcopis, Abbatibuſque præſentibus, Chunegundem coniugem ſuam propinquis tradidiſſe dicitur, ac dixiſſe: *Recipite quam mihi tradidiſtis virginem veſtram*, vt qui mutuo conſenſu caſtitatem ſeruare Chriſti amore ſtatuiſſent. Eadem & alii plerique teſtantur. Sicque renouata ſunt in Chriſtianis Imperatoribus magno miraculo, quæ in primitiua illa Eccleſia apud Fideles reperiri aliquando contigiſſe, ex Tertulliano *g* ſuo loco narrauimus. Sed ſicut Imperatoris caſtitas nulla vnquam potuit ſuſpicione pullari; ita & ſanctiſſimæ Auguſtæ illibata pudicitia aliquando calumniam paſſa, quaſi aurum examinata per ignem, illæſa permanens, maiori fulgore orbi refulſit: dum (vt auctor illius temporis in eiuſdem Auguſtæ Vita *h*, & alii narrant) ipſa apud virum delata de ſuſpecta conſuetudine militis, eadem expetens (ſecuritatem ſibi pariente innocentia) probari per Ignem, ignitos vomeres, non ſecus ac flores, illæſis manibus contrectauit. Vidit ergo infauſtum ſæculum, nunquam hactenus viſum in continentia tantorum Imperatorum miraculum: gloriaturque iure Germania vno ſe edidiſſe partu Auguſtum & Auguſtam ſanctos Imperatores, inter Sanctos relatos ambos, & in Tabulis Eccleſiæ perpetua memoria illuſtres. At de Chunegunde rurſum anno ſequenti: qui vero Henrici Vitam ſcripſit, Adalbero Epiſcopus Vltraiectenſis, (vt aſſerit Sigebertus *i*) ipſe pariter edita ab eo miracula ſcriptorum memoria conſignauit: quæ ab Eccleſia fuiſſe recepta, teſtatur auctor in Chunegunde. Inter quæ illud non minimum, quod qui *k* ipſius canonizationi ab Eugenio Papa celebratæ, aduerſatus eſt Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, eundem Sanctum eſt paſſus vltorem.

f *Leo Oſt. lib. 2. c. 47.*

g *Tertull. lib. 1. ad vxor. c. 6.*

h *Ap. Sur. 3. Mart.*

HENR. IMP. ET EIVS VXOR, VIRGINES ET SANCTI.

i *Sigeb. de Vir. Illuſtr. c. 139.*

k *Vit. Henr. ap. Caniſ. antiq. lect. tom. VI. quam poſtea plenioremedidit Iac. Greſſerus, vna cũ vita S. Kunegundis.*

V. I *Leo Oſt. lib. 2. c. 59.* CONRADVS REX GERMANIÆ.

Cæterum ipſum Henricum ſucceſſorem ſibi in Regnum deſignaſſe Conradum, nonnulli affirmant; vt Leo *l* Oſtienſis: at alii, poſt eius obitum ab Archiepiſcopis & aliis Germaniæ Principibus fuiſſe electum tradunt, non abſque contradictione potentum. Longe autem errat, qui hunc filium fuiſſe ipſius Henrici ſcripſere. Eum enim ex Wormatiæ Ducibus originem duxiſſe, Scriptores rerum Germanarum pariter affirmant; fuiſſeque filium alterius Henrici filii Ottonis, ex quo genitus Gregorius Quintus Summus Pontifex. Qui quidem in primordiis ætatis, à conſanguineis ſuis contemptui habitus quod humilem & quietam vitam elegiſſet, à Burchardo magni nominis Epiſcopo Wormatienſe quaſi adoptiuus ſuſceptus, optimeque inſtitutus, in Regem Germaniæ primo, ac demum in Imperatorem euaſit. In iuuentutis autem lubrico, eo tantum facto infamatus legitur, quod relictam affinis ſui Erneſti Sueuorum Ducis, ex qua duos ſuſceperat filios, nomine Giſelam, ex progenie Caroli Magni oriundam, ipſiuſque pariter Conradi affinem, filiam vero Rudolphi Burgundiæ Regis, duxit vxorem: cuius rei cauſa eius electionem atque vnctionem ab Epiſcopis eſſe retardatam, quo vſque eam ipſe dimittere promiſiſſet, Glaber *m* affirmat: ſubditque ab iiſdem Præſulibus Proceribuſque Germanis petitam eſſe à Romano Pontifice eius electionis confirmationem; huncque non ſolum ei conſenſiſſe, ſed & mandaſſe, vt quantocius ſuſcepto Germaniæ ſceptro, Romam pergeret ſuſcepturus Italiæ coronam. Sed de eius in Italiam aduentu, ſuo loco dicturi ſumus. Eiuſdem autem inaugurationem non hoc anno factam, quo eiuſmodi contentiones viguerunt, ſed ſequenti, eſt nonnullorum aſſertio: verum ex ipſius diplomatibus, quæ recitantur in præambulis ad Burchardi Decretum, liquet hunc annum primum eius regni numeratum. De cuius rebus per ſingulos annos geſtis, tu conſule, quæ ab auctore Vitæ *n* Sancti Gothardi Epiſcopi Hildeſemenſis narrantur.

INCESTVOSVM CONNVBIVM RETARDAT EIVS ELECTIONEM.

m *Glab. lib. 4. in pr.*

n *Ap. Sur. 4. Maii, c. 24.*

IESV CHRISTI AN. 1025.

IOAN. XX. AN. 2.

BASILII & CONSTANT. } AN. 50.

I. S. CHVNEGVNDIS AVG. FIT MONIALIS.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua, tertio Idus Iulii, ipſa anniuerſaria die obitus Sancti Henrici Imperatoris, eius coniux ſanctiſſima virgo Chunegundis Auguſta, in monaſterio Confugienſi à ſe erecto, in dedicatione eius baſilicæ, inter Miſſarum ſolemnia, dimiſſis ornamentis Imperialibus, crineque depoſito, ab Epiſcopo monaſticum ſuſcepit habitum, quem ſibi ipſa ſuis manibus operata fuerat; atque in eodem monaſterio ad obitum vſque annis quindecim perſeuerauit, cæteris monialibus ſumma humilitate deſeruiens: ac demum ſanctiſſimo fine quieuit, eiuſque corpus iuxta tumulum ipſius viri Sancti Henrici in proprio locello collocatum fuit. quæ pluribus deſcripta habentur ab eius Vitæ *a* auctore, qui & miracula ab eadem edita recenſet.

a Ap. Sur. 3 Mart.

II.

Hoc tẽpore, vacante adhuc Imperio Romano in Occidente, ipſo autẽ Rege Conrado rebus Germaniæ intento,

& mul-

GVILLEL. DVX AQVITAN. TENTAT. RES ITALIÆ.

& multiplicitate hostium fatigato; Guilelmus Dux Aquitaniæ, laudatissimus Princeps ac potentissimus, peregrinationem in Italiam instituit, tentaturus animos Principum, an vellent filium quem secum duceret, Regem Italiæ creare, eidemque Imperium conciliare. Est enim de his perbreuis ad Fulbertum *b* Episcopum Carnotensem epistola Hugonis. Sed cum vidisset repugnantes Longobardos, & eos qui studebant Conrado aduersarios se fore passurum, remque haud perfici posse absq; ingenti strage Fidelium; vt prudens, maluit re infecta ad propria remeare. Quem, postquam reuersus est, Deus voluit consolari inopinata inuentione Capitis S. Ioannis Baptistæ, facta in ipsius basilica in tugurio saxeo cœnobii Angeliacensis, in Santonibus: ad quod visitãdum vniuersæ Galliæ, Hispanię, Britannia, Italia, aliæq; gentes vndiq; concurrunt, ipseque Rex Francorum Robertus eodem aduenies multa dona obtulit: vt hæc pluribus narrantur in Fragmentis *c* Historiæ Aquitanicæ.

INVENTIO CAPITIS S. IOAN. BAPT.

[De aliis inuentionibus, & Translationibus Capitis sanctissimi Præcursoris, dictum est iam superius an. 391. num. II. & 760. I. Quod vero tum iisdem locis, tum præcipue in Not. ad Rom. Martyrol. 29. Aug. Baronius negasse visus est antiquiores illas a multis assertas, eius translationes in Gallias; haud impedit quo minus eæ subsequentibus temporibus contingere potuerint: sicuti videmus & ipsummet hanc partis eius factam inuentionem approbare. Deniq; quod diuersæ Ecclesiæ gloriantur de possessione eiusdem Capitis; ita rem definitam voluit *Rob. le Veneur* Theologus Parisiensis & Canonicus Ambianensis, qui peculiarem ea de re tractatum habuit; vt Angeliaci fuerit pars cranii, missa à Cõstantino Copronymo Imp. Iconomacho & Hagiomacho, ad Pipinum Regem Francorum Christianissimum, eiusdem Angeliacensis cœnobii conditorem: Romæ in ecclesia S. Siluestri pars altera cranii; Augustæ Prætoriæ in finibus Subalpinorum, maxilla altera; altera Lugduni: Ambiani vero facies, excepto mento, a labro superiori vsque ad partem frontis. At vero quicquid sit de aliis quas non vidi, certe pars illa quæ Romæ visitur in prædicta ecclesia S. Siluestri, integrum caput refert, excepto dumtaxat mento. Quare cum de his nihil vsquequaque certum asseri posse videatur, interim de iisdem dicere liceat, (vna cum Baronio in literis ad eumdem Robertum rescriptis) quod olim Prætores edicto proposito iis qui se rem aliquam possidere affirmarent, *Possidete vti possidetis*: Laudanda vero pietas eorum qui his sacrosanctis pignoribus cupiunt sibi peculiare tanti Præcursoris patrocinium adsciscere.]

III. BASIL. IMP. MORITVR.

Hoc eodem anno, iam inchoata Indictione nona mense Decembri, Basilius Imperator Orientis, cum vixisset annos septuaginta, imperasset quinquaginta, repentino morbo correptus exiuit è vita, relinquens Imperium integrum fratri suo *Constantino*. Paulo vero ante obierat Eustathius Patriarcha Constantinopolitanus; in cuius locum idẽ Basilius collocandum curauerat *Alexium* monasterii Præfectum, quo adiutore in Republica administranda vtebatur. Hęc Curopalates: qui & mores Constantini damnatos recensẽt, eiusque tyrannidem in opprimendo populo tributorum violenta exactione.

IV. BOLESLAI REG. POLON. OBITVS.

Quo pariter anno, die tertia Aprilis, Boleslaus Poloniæ Rex cognomento Chobri, hoc est vir altæ & heroicę virtutis, Princeps religione præstans, armisq; potens, propagator Christianæ fidei, & regni dilatator eximius; post iteratam peccatorum confessionem, & sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem, ex hac vita feliciter migrauit anno ætatis quinquagesimo octauo, regni vigesimo sexto. Quẽ prophetice prædixisse venturam Regni cladem, eiusdemq; restitutionem in meliorem statum, narrant qui prosecuti sunt res Polonorũ, præsertim vero Longinus Canonicus Cracouiensis, qui res ab eo præclare gestas enumerat. Successit autem in locum eius Mieczslaus filius, sed parentis virtuti longe impar.

c Ext. post Roberti Vit. append. ad Glabr.

IESV CHRISTI AN. 1026.

IOAN. XX. AN. 3.

CONST. SOLIVS 1.

I. S. BVRCHARDI OBITVS.

ANNO Christi millesimo vigesimo sexto, indictione nona, Rex Germanię Conradus profecturus in Italiã, Wormatiam primum se contulit ad S. Burchardum Episcopum ipsius nutritorem. Qui cum diu ante paralysi laborans lecto decumberet, à Deo precibus obtinuit vt valeret dum Regem digne susciperet. Cum vero eumdem comitatus aliquantisper esset, reuersus ad obitum præuisum se cõponens, spiritum Deo feliciter reddidit. Rem gestam accurate narrat eiusdem domesticus, qui Vitam *a* ipsius conscripsit: qui addit, post eius obitum in quodam ipsius secretissimo scrinio, cuius clauem moriens sorori suæ Abbatissæ dederat, repertum esse cilicium hirsutissimum, & catenam ferream ex vna parte contritam, quibus idem Sanctus carnis affectus domare consueuerat. Reliquit item egregia suæ pietatis & ingenij monimenta; nempe libros viginti Decretorum, ex sacris Cõciliis, Summis Põtificibus, Sanctisq; Patribus collectorum; quorum nouissimo libros pœnitentiales, nempe Romanũ, Bedæ, & Theodori, simul iungens, in viridem obseruantiam reuocauit pristinam Ecclesiæ disciplinam. Insuper ad Clerũ suum scriptam reliquit admonitionem, à diacono in ecclesia post lectionem sancti Euangelij recitandam, de his quæ pręstãda essent ab ipsis, sexaginta sex breuibus capitibus distinctam; vt sic perseueraret apud eos in compendium redacta doctrina canonum.

a Ext. in præamb. ad libr. Decret. Burchar.

EIVS SCRIPTA.

Interim Rex Conradus, vbi eum visitauit, Italiam versus iter accelerauit, adeo vt Vercellis hoc anno sactum Pascha celebrarit; quod testantur *b* Acta S. Gothardi Hildesemensis Episcopi, vbi anni singuli rerum gestarum Conradi distinguuntur. Eius vero in Italiam aduentui restitisse ex more Lõgobardos, adeoq; armis fuisse ipsi viam aperiendam, testatur Glaber *c*: aitq; ipsi in descensu Alpium occurrisse cum summo apparatu Pontificẽ Romanum, sicut ante spoponderat.

II. CONRAD. REX VENIT IN ITALIAM.

b Ap. Sur. 4 Maii. c. 24. c Glab. lib. 4. in pr.

IESV CHRISTI AN. 1027.

IOAN. XX. AN. 4.

CONRADI I.

CONST. SOLIVS 2.

I. CONRADVS CORONATVR IMP.

ANNO Christi millesimo vigesimo septimo, Indictione decima, Rex CONRADVS Romam se contulit, atq; ipso Paschatis die à Ioanne Papa Imperator solemnibus ritibus inunctus est & coronatus: proxima vero Dominica inde digressus, rediit in Germaniã, & S. Ioannis Baptistæ natiuitatẽ celebrauit Herbipoli. Tradit hæc auctor Vitæ S. Gothardi. De quibus agens pariter Otto *a* Frisingensis, ait Conradũ inter duos Reges, Cnutum Anglorum, & Rudolphũ Burgundionum, honorifice procedentẽ, à Summo Pontifice coronatum, & ab omni Populo Romano Imperatoris & Augusti nomen sortitũ esse: sequentibus autẽ diebus tumultu orto inter ipsius milites & ciues, graui pugna commissa Imperatorem victoria potitum: factaq; cum ciuibus pace, ab Vrbe regressum esse. Quod vero tam cito recesserit, eiusmodi militum cum Romanis rixæ, fuisse causa putantur. Ceterũ Glaber & ipse de Cõradi coronatione mentionẽ faciens, addit, cũ ei Episcopi suggererẽt, vt auctoritate Romani Pontificis, sicut eis promiserat, repudiũ faceret illiciti coniugii cũ Gisela affine sua contracti; eumdẽ hæc grauiter accipientẽ id agere detrectasse. Porro dispensasse cum eo Summum Pontificẽ, par est credere; cum appareat ex ea progenitos filios habitos esse legitimos, atq; regni substitutum fuisse heredem eorum primogenitum Henricum postea Imperatorem; cui & tunc nuptui traditam filiam Cnuti Regis Daniæ & Angliæ nomine Chunigundem, Vrspergensis affirmat.

a Ott. Frising. lib. 6. cap. 29.

II. CNVTI MAG. REG. ANGL. ET DAN. EPIST. AD SVOS.

Quantum autẽ ipse Cnutus Rex, cognomento Magnus, ex hac in Vrbem ad Limina Apostolorum pietatis ergo peregrinatione susceptа profecerit, ex eius litteris tunc ad Angliæ Episcopos & Præfectos pro optime disponẽdo regno præmissis inspicere licet, quæ recitantur tum ab Willelmo *b* Malmesburiensi, tum etiã ex parte ab Ingulpho; qui sicut ceteris antiquitate, ita & veritate cũ auctoritate præstantes, res Anglorum sunt prosecuti. Quibus quidẽ literis, inter alia multa apparet, Papam cum Metropolitanis Angliæ dispensasse, ne posthac pro Pallio accipiendo ipsimet Romam accedere cogerẽtur, sicut moris hactenus fuerat. Verum paulo post contrariis decretis reuocatam esse pristinam consuetu-

b Malmesbur. de gest. Reg. Angl. lib. 2 c. 11.

dinem, & Archiepiſcopos rurſum coactos eſſe ad Limina Apoſtolorũ pro accipiendo Pallio ſe conferre; ſatis conſtat ex iis quæ dicentur ſuis locis inferius. Ex iiſdem vero Cnuti literis redarguuntur plane erroris, qui eius Romam aduentum ponunt anno Domini milleſimo trigeſimo ſecundo: Cum enim etiam ex ipſis conſtet tunc eum contigiſſe, cum illic eſſent Conradus Imperator & Rudolphus Burgundiæ Rex, vtique hoc anno (ſicut vidiſti) id oportuit factum eſſe. Addit vero Willelmus, eumdem Cnutum domum redeuntem, apud Papiam Brachium S. Auguſtini Doctoris centum talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Couentriam miſiſſe.

III. IMPOSTOR NVNDINATOR RELIQVIARVM c *Glab. lib. 4 cap. 2.*

Cum autem Reliquias Sãctorum tam caro pretio diſtrahi quidam nebulo intelligeret, ex nonnullis ementitis nefariam procurauit exercere mercaturã. De quo Glaber *c* agens, ait fuiſſe eo tempore hominem plebeium, mangonum callidiſſimum, ignoti tamen nominis & patriæ, quoniam pro diuerſitate temporum & locorum, ne agnoſceretur, varia fraudulenter mentiebatur nomina aut patriam, ſolitum autem è tumulis clanculo oſſa euellere; & tamquam ſibi ab Angelis reuelata (à quibus ſe ſingulis ferme noctibus viſitari, & familiaribus colloquiis & oſculis frequentari impudẽtiſſime aſſerebat) venditare pro Sanctorum Martyrum ſeu Confeſſorum Reliquiis: cumque poſt innumeras eiuſmodi deceptiones in Galliis patratas, perfuga veniſſet ad loca quædam Alpium; opera etiam diaboli ad cadauer quoddam hominis mortui, quem martyrem fuiſſe mentiebatur, multos infirmos variis morbis liberaſſe, atq; ingentem ſibi inde apud vulgus auctoritatem conciliaſſe; etſi à nonnullis Antiſtitibus impoſtor detectus reiiciendus cenſeretur, idq; reuelatione diuina confirmatum eſſet. Hæc pluribus Glaber Cluniacenſis monachus, qui eiuſdem impoſtoris examini aliquando ſe interfuiſſe ſcribit. Sane quidem & temporibus Apoſtolorum erant in eccleſia falſi fratres (vt teſtatur *d* Apoſtolus) & illi plures numero, qui *e* quæſtum pietatẽ putarent. Eſtq; pariter querela S. Auguſtini *f*, in Africa quoſdam pſeudomonachos impoſtores circuiſſe, diſtrahentes lucri cauſa reliquias, quas dicerent eſſe oſſa martyrum. Sed non defuit Deus, cũ opus fuit, ſeruis ſuis, monendo reuelans ſiquis fraude circuitorum in reliquias quas Fideles colerent error irrepſiſſet; vt legimus factum apud Seuerũ in Vita S. Martini, ſiue alias, vel vt modo in iſtis accidiſſe Glaber oſtendit. Qui ante horum narrationẽ, aliam ingerit de incolis caſtri Montisfortis diœceſis Aſtenſis in Longobardia, infectis peſſima hæreſi, qua idola more Paganorum colerent, & cum Iudæis ſacrificia litare niterentur; quorum plurimi à circunſtantibus Marchionibus ac Præſulibus capti, obſtinatiſſima inſania eligerent igne comburi, quam rectam fidem profiteri.

d 2. *Cor* 11. e 1. *Tim* 6. f *Aug. de oper. monach.*

DEVS MONERE SOLITVS FIDELES CAVERE ERRORES.

IV. S. ROMVALDI OBITVS.

Hoc eodem anno ponitur obitus *S. Romualdi* Abbatis, de quo ſæpe ſuperius; cuius vitam egregiam Petrus Damiani conſcripſit anno decimoquinto poſt eius mortem. Verum cum dicit eum vixiſſe annos centum viginti, fateor me numerum eiuſmodi non inuenire. Cum enim Honeſtũ Archiepiſcopum Rauennenſem (ſub quo Romualdum, annum agentem ætatis vigeſimum, monaſticum habitum induiſſe, conſtans eſt ipſius Petri aſſertio) ſedere tantummodo cœpiſſe anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo primo, qui proſecutus eſt locupletius res Rauennates Rubeus oſtendat: ſane quidem, etiamſi velimus Romualdum anno primo Honeſti initiatum monaſtico ordine, oportuit eum peruenire vſq; ad annum milleſimum ſeptuageſimum primum, vt aſſeri poſſit centum viginti annos vixiſſe. Verum nec Petrus ipſe qui eius Vitam ſcripſit, ad illud tempus ætatem propagauit. Quamobrem ad certiores calculos reuocandi ſunt anni Romualdi. Conſtat autem ex eodem Petro, ipſum in Sanctorũ numerum adſcriptum eſſe quinquennio poſt obitum, eo tãtum antiquiori ritu qui tunc etiam frequentius erat in vſu; nempe vt petentibus concederet Apoſtolica Sedes ſuper corpus defuncti altare conſtruere: ſicut & idem Petrus in epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem, refert de aliis Sanctis miraculis coruſcantibus, qui hoc eodem tẽpore vixere; ſupra quorum corpora ex Concilij auctoritate altaria ſunt erecta, atque deſuper ſacroſancta Chriſtiani ſacrificij myſteria celebrata.

CANONIZANDI RITVS HVIVS TEMPORIS.

V.

Hoc item anno, nempe Æra milleſima ſexageſima quinta, Nonis Maii, (vt habet *g* ſepulchri inſcriptio) Alfonſus Quintus eius nominis Rex Legionenſis in Hiſpania, dum aduerſus Saracenos in Luſitania apud Viſæum præliaretur, ſagitta percuſſus interiit, ſummo omnium mœrore, ob inſignem eius pietatem erga Dei Eccleſiam, & in eius hoſtes impios Saracenos immotum animi propoſitum: cui ſucceſſit Veremundus eius filius.

g *Refert Baron. hoc an.*

Hocque pariter tempore (ſed neſcitur certus annus) Garſias Rex Vaſconum ad Limina Apoſtolorum aduenit, expiandi cauſa delicti in matrem commiſſi, cum falſo illam apud patrem adulterii accuſaſſet: quod pluribus narrant recentiores, res Hiſpaniarum proſecuti.

VI. GARS. REX VASCON. POENITENTIÆ CAVSA ROMAM VENIT.

IESV CHRISTI AN. 1028.

IOAN. XX. AN. 5.

CONRADI 2.

CONST. SOLIVS 3.

I. DISSENSIO IN GAL. OCCASIONE SVCCESSIONIS REGNI.

ANNO Chriſti milleſimo vigeſimo octauo, Indictione vndecima, mortuo Hugone Roberti Francorum Regis filio, quem pater regni conſortem elegerat; magnæ diſſenſiones obortæ ſunt inter ipſum Regem & Reginam Conſtãtiam, decernente Roberto regnum deberi ſecundogenito Henrico, Regina vero muliebri affectione adnitente vt tertiogenito traderetur Roberto. Cuius controuerſiæ occaſione magnum excitatum eſt domeſticum bellum etiam inter Principes atq; Epiſcopos, aliis Regi, Reginæ aliis ſtudentibus: cum interim Rex collecto Rhemis ſuorum Conuentu, Henricum coronauit. Quæ omnia hoc anno contigiſſe, ex Glabro *a* qui tunc viuens cuncta ob oculos habuit, intelligimus; dum in Iambicis flebilibus illis, quos rogatus à Fratribus Cluniacenſibus cecinit de obitu Hugonis, qui ingens omnibus ſui reliquit deſiderium, ait eumdẽ Hugonem terdenis, minus duobus annis vixiſſe. Cum enim conſtet, non ante milleſimum naſci potuiſſe Domini annum, eodem auctore Conſtantiæ nuptias anno milleſimo referente; vtiq; non ante hunc defunctum annum, neceſſe eſt affirmare. Sed neq; vt dicamus poſt annum præſentem id accidiſſe, patitur ratio temporis Fulberti Carnotenſis; quem cum appareat *b* vnũ ex illis fuiſſe Epiſcopis, qui electioni Henrici fauebant, & ad eiuſdem conſecrationem Rhemos vocati fuerant; ipſum tamen hoc anno eſſe defunctum, eo irrefragabili argumento probatur, quod dedicationi ſolemni Aurelianenſis Eccleſiæ, cui vna cum pluribus Epiſcopis Rex interfuit anno ſequenti, non ipſe Fulbertus, ſed eius ſucceſſor Theodoricus interfuiſſe ponitur ab Helgaldo eiuſdem temporis ſcriptore in Vita Roberti.

a *Glab. lib. 3 cap. 9.*

b *Fulb. ep. 45. & 91.*

II. FVLBERTI OBITVS, ET LAVDES.

Porro Fulberti ſanctitatem atq; doctrinam demõſtrant, ſi non aliud, ſcriptæ ab eo Epiſtolæ: quæ cum nuper Pariſiis editæ fuerint, ſunt tamen in multis emendandæ ex codice Vaticano, in quo habentur iunctæ cum Epiſtolis Sidonij Apollinaris. Sunt vero etiam præclara de eo Scriptorum huius temporis elogia, vt Glabri, & auctoris Hiſtoriæ Aquitanicæ, atq; aliorum. In quo, præter ſcientiam & vitæ integritatem, maxime commendatur quod erga ſanctiſſimam Virginem Dei-Genitricem addictiſſimus ſeruus, & promptiſſimus eius amator fuerit; in cuius laudẽ librum conſcripſit, baſilicam conſtruxit, gloriamq; cecinit: ab ea vero ſingulari remuneratus eſt dono, dum ipſi ægrotanti per viſum apparens, fugenda aperuit ſacra vbera; ſicut teſtatur Guillerinus, & ex eo Vincẽtius: qui etiam tradunt, ipſum prophetiæ imbutum fuiſſe ſpiritu: ſed & in extremis poſitum, haud dubium reliquiſſe teſtimonium de Berengario olim ſuo diſcipulo, cum à plurimis viſitatus, inter alios oculis rimatus Berengarium, niſu quo potuit expellendum cenſuit, eo teſtatus immanem dæmonem prope illum conſiſtere, multoſque ad eum ſequẽdum blandiente manu & illicite corrumpere. Teſtatur eadem Wilelmus Malmesburienſis, dum de Berengario funeſtam texit hiſtoriam. Aduerſus cuius etiam

MORITVRVS SVGILLAT BERENGARIVM.

errorem

errorem idem Fulbertus antidotum voluit reliquisse bene compositum, dum in epistolis *c* ad Adeodatum & Finardum de veritate Corporis & Sanguinis Christi in sacramento Eucharistiæ, dogma statuit, ac diserte confirmauit.

c Ext. in Bibl. Patr.

III. S. OLAVI REGIS NORVEG. MARTYRIVM.

Hoc item anno contigisse martyrium *S. Olaph*, siue Olaui Regis Noruegiæ, siue Northmanniæ, ex Adam *d* Canonico Bremensi, Chronicisque Noruegianis accipitur. Cui cum iuge fuisset bellū pro defensione regni sui aduersus Cnuth Daniæ & Angliæ Regē, illud occupare omnibus modis conantem; idem non minus zelo Dei, & iustitia ciuili, quam fortitudine bellica præstans, maleficos, augures, magos, & incantatores, (quo genere hominum tum ceteræ prouinciæ boreales, tum maxime Noruegia infecta esset) penitus delere studens, rebellione Principum, quorum ipse mulieres propter maleficia sustulerat, è regno pulsus est à Cnutho. Sed cum illud paulo post Ruzlorum & Sueonum auxilio recuperasset, nemini amplius parcens, qui vel magus permanere vellet, aut Christianus fieri nollet; demum à nonnullis magis in sociorum vltionem obtruncatus est, siue in gratiam Cnuth hostis infensissimi latenter occisus: cuius corpus pluribus postea signis & miraculis claruit. Narrat hęc pluribus Adam: haberque insuper de altero Olaph Suediæ Rege, qui plurimum laborauit vt suos subditos ad fidem Christi converteret, necnon de *Vlfrido* Episcopo Anglo, qui diuino instinctu in eandem Suediam prædicaturus veniens, post multorum conuersionem, à reliquis dilaniatus, quod idolum gentis confregisset, coronam martyrij adeptus est.

d Adam Hist. Eccl. lib. 2. ca. 40. & segq.

IV. CONSTANTINI IMP. OBITVS, ET ROMANI SVBROGATIO.

Hoc eodem anno, nona die Nouembris, Indictione duodecima, mortuus est Constantinus Imperator Orientis. In cuius locum ROMANVS, repudiata coniuge vt acciperet Zoen filiam Constantini, subrogatus est eidem sanguine coniunctus. Hæc Curopalates, qui eumdem Romanum tradit optimis exordiis, & laudabilibus progressibus, tum loca & personas Ecclesiasticas, tum alios quoscumque sibi subiectos tractasse.

IESV CHRISTI AN. 1029.

IOAN. XX. AN. 6.

CONRADI 3.

ROMANI 1.

I. DEDICATIO BASIL. S. ANIANI AVREL.

ANNO Christi millesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, Robertus Rex Francorum Christianissimus, conuocato plurimorum Episcoporum cœtu, basilicam à se constructam Aurelianis in memoriam S. Aniani eius ciuitatis quondam Episcopi, (quem magna semper coluit veneratione, quod ipse iuuenis grauissimo correptus corporis languore, nuncupatis Christo votis, per intercessionem eiusdem Sancti fuisset sanitati restitutus:) solemni ritu voluit consecrari, eandemque pretiosissimis donis & oblationibus locupletauit: quæ omnia pluribus describit in Vita ipsius Helgaldus monachus, sincerus eius temporis historicus: qui & permulta alia refert de summa pietate eiusdem sanctissimi Regis, & ipsius maiorum, erectisq; ab eis quamplurimis ecclesiis & monasteriis, iisdemque ingentibus donis ornatis atq; dotatis; & de aliis infinitis pietatis in Deum, reuerentiæ in Sanctos, & charitatis in proximos operibus: quibus iactis nouæ huius successionis firmissimis fundamētis, stetit ea hactenus contra diuersos impetus procellarum, ventorum, & fluminum; permansura semper si bene collocata fundamenta persistant, casura vero proculdubio si impie reuellantur.

ROBERT. REGIS ET DECESS. EIVS PIETAS.

II. CONCIL. LEMOVIC. IN CAVSA APOSTOLATVS S. MARTIALIS.

Hoc item anno celebrata est pariter in Gallia SYNODVS LEMOVICENSIS, sub Gauzelino Archiepiscopo Bituricensi magni nominis viro, & Iordano Episcopo Lemouicensi, in causa hoc hoc tēpore in Aquitania controuersa de Apostolatu S. Martialis CHRISTI Discipuli, qui primo in ea prouincia Euangelium prædicauit: nimirum esse ne in sacris precibus nominandus *Apostolus*, sicut in Ecclesia Lemouicensi ab eo erecta hactenus factum esse constaret: contradicentibus aliis nonnullis, atque contendentibus non Apostolum, sed *Confessorem* tantummodo nominandum. Porro istam Synodum hoc anno habitam esse, satis constat ex eo quod in Actis alterius Concilii celebrati itidem in ciuitate Lemouicensi post obitum Roberti Regis, hoc gestum ponitur ipso primo anno dedicationis basilicæ Saluatoris eiusdem ciuitatis; quam quidem ab vndecim Episcopis consecratam esse decimoquinto Calendas Decembris anni Christi millesimi vigesimi octaui, expressum habetur in scripto Chronico Gaufredi monachi S. Martialis Lemouicensis cœnobij.

III. EXACTISS. FACTA INQVISITIO DE EA RE.

Sed quod ad ipsum huius anni Concilium pertinet; leuis fortasse causa videri posset, vt ob titulum dumtaxat S. Martialis deberent conuocari Episcopi, plurimæque (vt in eius Actis narratur) Litaniæ fieri ad explorandam diuinam sententiam, ea præsertim in re, quæ amica sententia definiri citius potuisset, nempe non tantum illos Duodecim, sed & reliquos Discipulos dictos reperiri Apostolos; insuper & eo nomine in Ecclesia decoratos omnes, qui legitime missi ab Apostolica Sede populos ad fidem Christianam conuertissent; quibus duabus rationibus competeret S. Martiali, vt Apostolus dici iure posset. Verum quod cum semel quid deducitur in controuersiam, crescentibus studiis quamuis minimum in immensum augeri soleat; plane factum est, vt nec istud Concilium sufficerit ad quæstionem omnino sedandam, licet in eo permultæ tam ex Oriente quam Occidente petitæ, ac summa cura conquisitæ probationes prolatæ fuerint; sed opus fuerit alias etiam congregare Synodos *a*, Bituricensem, posteriorem Lemouicensem, atque Pictauiensem, prout eadem Acta posterioris Lemouicensis significant. Quin & insuper de his consultam *b* fuisse Apostolicam Sedem, & à Ioanne Pontifice hoc tempore sedente decretum atque rescriptum esse, Martialem Apostolum dici ac vocari debere; testati sunt in eadem posteriori Synodo Lemouicensi Iordanus illius ciuitatis Episcopus, & Æmo Bituricensis Metropolitanus successor Gauzelini: cui Sedis Apostolicæ decreto & reliqui omnes assensum præbuerunt.

a Vid. infr. an 1034. num. III.

b Ap. Baro. an. 1032.

S. MARTIALIS DICENDVS APOSTOLVS.

[Prædictum Ioannis Papæ rescriptum non extare putauit Baronius an. 1032. Vidimus nos exscriptum ex Archiuo Ecclesiæ S. Martialis ciuitatis Lemouicensis; missum illud ad Iordanum Lemouicensem, & cunctos alios Episcopos Galliarum: quo post breuem S. Martialis prærogatiuarum, conuersionum populorum, & miraculorum enarrationem, ait eos qui illi detrahere præsumerent quasi nihil ei esset commune cum Apostolis, sed Confessoribus, *non loqui, sed insanire videri.* Subindeque auctoritate sacræ Scripturæ ostendens alios etiam præter illos Duodecim dici posse & debere *Apostolos*, demum sic concludit: *Nos vero in firma pietate educati, Martialem Apostolum nominari posse definimus, & aque Officia Apostolica in diuinis misteriis exhiberi sibi censemus; nec de illius beatitudine gustare quemquam posse confidimus, qui sibi respondenti nominis sacris operibus Apostolicam dignitatem subtrahere inuidiose conantur.*]

IESV CHRISTI AN. 1030.

IOAN. XX. AN. 7.

CONRADI 4.

ROMANI 2.

I. EXPEDITIO CONRADI IMP. ADVERSVS HVNGAROS, DIVINITVS REDDITA IRRITA.

ANNO Christi millesimo trigesimo, Indictione decimatertia, cum Imperator Conradus rupta pace expeditionem aduersus S. Stephanum Hungariæ Regem parasset; idē Stephanus exercitum pro sua defensione comparans, sed perpendens se nihil posse sine cœlesti auxilio, sanctissimæ Virgini Dei-Genitrici suas iniurias his verbis commendauit: *Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hereditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationem dissipari; ne quæso sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Siquid commeruit culpa pastoris, ipse luat, oues, quæso, insontes ne patiaris affligi.* hisque dictis, tamquam accepta

consolatione ab ea, fidenter mouit in hostes. Altera vero die nuntius venit ad singulos quosque duces exercitus Germanorum, ab Imperatore litteras afferens, vt pedem retro referrent. Quod audiens Imperator, qui nihil tale iusserat, haudque dubitans rem diuinitus gestam esse, se deinceps à Stephani inuadendo Regno timore Iudicis æterni cohibuit. Hæc pluribus Cartuitius *a*: quę quidem hoc anno gesta esse, tradunt Scriptores *b* rerum Germanarum; licet non desint qui *c* in annum sequentem ea reiiciant.

a Vit. Steph. c. 16. ap. Sur. 20. Aug.
b Vsperg. Herm. Lab.
c Marian. & Sigib.

II.
d Vit. Steph. cap. 19.
S. EMERICVS FILIVS S. STEPH. REG HVNG.

Eodem vero anno Domini millesimo trigesimo, tradit idem Cartuitius *d*, eiusdem Stephani filium Emericum, & ipsum pietate ac moribus sanctissimum, vita defunctum esse: qui quidem meruit mortuus semper viuens inter Sanctos referri, anniuersariaque memoria in Ecclesia *e* publice prædicari. Post cuius obitum, ipsius parens Stephanus coniurationem à suis passus est, à qua Deus eum custodiuit illæsum, vnde experimentum caperet, se ad probationem, non autē ad perditionem tentari permitti; nimirum vt faceret maximum (quod euenit) cum tentatione prouentum.

e Mart. Rom. 4. Nouemb.

III.

Hoc item Redemptoris anno, in Sorano agro, illo ipso loco vbi Fibrenus influit in Lirim, illustrato olim cunabulis Ciceronis, vt ipse testatur libro de Legibus, erectum est nobile monasteriū Dei-Genitricis nomine, quod postea à primo eius Abbate, dicto Dominico, vitæ sanctitate celebri, & gratia miraculorum illustri, cœpit vocari nomine S. Dominici; quod perseuerat vsque in hanc diem. Erectum est autem à Petro Rainerij filio, Soræ & Arpini Castaldæo, siue Seniori; eiusdemque bonis locupletatum. De cuius fundatione & dotatione extat tunc confectum instrumentum in codice scripto Abbatiæ Casæmarij in agro Verulano, septimo milliario Sora distantis. Insuperque sunt in eodem codice, venerandæ antiquitatis & aliæ plures donationes à diuersis factæ eisdem & aliis monasteriis: & inter alias reperimus donationem factam à *Gregorio de Barono* monasterio Casæmarii anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo, sub Cęlestino Papa Tertio; aliamque insuper à *Leonardo de Barono* eidem monasterio factam tempore Bonifacij PP. VIII. anno Domini 1296. Vidimus, & gauisi sumus, antecessores nostros his pietatis insignibus repertisse nobilitatos. Porro eamdem ipsam nostram familiam, ita vsque ad nostrā ætatem DE BARONO dictam, nos primi mutauimus, illud *de Barono* cognomentum deriuantes in BARONIVM, more Romano. Sed absit vt præterquam in Domino *f* gloriemur; in ipsa vera nobilitate, quam, per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptati, sumus feliciter consecuti. Nam si filii *g*, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

ANTIQVA MONVMENTA FAMILIÆ BARONIANÆ.

f Ephes. 2.

g Rom. 8.

[Præcedens articulus licet non tanti videri possit, vt habita instituti nostri ratione, huic Epitomæ inserendus fuerit: illum tamen prætermittere nefas omnino putauimus, quod egregia contineat familiæ BARONIANÆ antiquæ monumenta pietatis; quam ipse Illustriss. Cardinalis Annalium conditor cumulatissime confirmauit, plurimis erectis, restitutis, dotatis, ornatis, ædificiis sacris, aliisque exhibitis piis donis atque legatis: sicut testis est vniuersa Italia, ac præcipue ipsa vrbium Regina, pietatis domicilium, æterna ROMA: vt pluribus ostendimus in ipsius Vita.]

IESV CHRISTI AN. 1031.

IOAN. XX. AN. 8.

CONRADI 5.

ROMANI 3.

I. BELLVM CIVILE SEDATVR IN GALLIA.

ANNO Christi millesimo trigesimo primo, Indictione decimaquarta, flagrarunt Galliæ bello ciuili, cum Henricus & Robertus filij Roberti Regis, sedatis quas diximus de regni successione discordiis, firmatoque inter se amicitiæ fœdere, aduersus patrem, instigante præcipue matre, arma verterunt: quos pater armis persecutus, eosdem paulo post consilio Willelmi Abbatis S. Benigni, magni nominis hu.us temporis viri, & virtutibus ac miraculis clarissimi, ad pacem redeuntes suscepit. Narrat hæc Glaber *a*; qui cum hæc gesta tradat anno qui mortem Roberti Regis præcedit, vtique hoc anno collocanda esse opus est affirmare.

a Glab. lib. 3. cap. 9.

Quod pertinet ad res Orientales; hoc anno Romanus Imper. totus in erigendis & exornandis ecclesiis, antiquam Dei-Genitricis Imaginem quę erat in Blachernis prope Constantinopolim, occultatam tempore Constantini Copronymi Iconomachi, reperit, & ad cultum pristinum reuocauit. Templum quoque Hierosolymitanum, à Saracenorum Principe Azizio Ægyptio olim demolitum, permissu eius filii è Romana quadam captiua nati, reædificare cœpit; quod successor eius Michael postea consummauit. Hæc Curopalates, & ex eo Cedrenus.

II. ROMANI IMP. RES PIE GESTÆ.

IESV CHRISTI AN. 1032.

IOAN. XX. AN. 9.

CONRADI 6.

ROMANI 4.

I.

ANNO Christi millesimo trigesimo secundo, Indictione decimaquinta, Ioannes Romanus Pontifex ad preces Sancij Maioris, Regis Nauarræ atq; Castellæ, concessit monachus monasterii Leirensis creare Episcopum Pampilonēsem. Nam antiquis *a* temporibus Pampilonenses Episcopi ob barbarorum incursiones sedem transtulerant in Leirense monasterium, quod situm est in iugis Pyrenæis. Cuius cōcessionis occasione *Pampilonæ* CONCILIVM Episcoporū habitum est, in quo imprimis actum, vt antiqua sedes Pampilonensi Episcopo redderetur. Ceterum Regis Sancij commendata est religio erga cultum monasticum; qui ad pristinā sanctitudinis formam in Leirensi monasterio restituendam, vsus est monachis Cluniacensibus è Gallia petitis, & magno honore acceptis. Idemq; ab omnibus ferme rerum Hispanicarum scriptoribus fertur, iacentem suis ruinis sepultam Palentinam ciuitatem restituisse hac oblata diuinitus occasione, quod cum in venatione aprum insectaretur, illeq; fatigatus intra obuios parietes qui supererant Memoriæ S. Antonini Martyris se recepisset, apud relictam ibi sacram aram consistens; Rex venabulo illum appetens, eleuatum brachiū ad feriendum mox torpedine redditum senserit inutile; sed reatum agnoscens, Martyrem deprecatus pristinum eiusdem vsum diuinitus receperit: qui quidem suo damno didicit quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, vt nec bestiam illuc confugientem lædere liceret. Quapropter huius euentus occasione Regem non solum eam restituisse tradunt ecclesiam, sed etiam nobilem ciuitatem iterum incolendi restitutis mœnibus auctorem fuisse. Porro ipsum pietate insignem ex hac vita post triennium, nempe Æra millesima septuagesima tertia, (qui est Christi annus millesimus trigesimus quintus) excessisse, eius sepulchralis inscriptio docet, vbi vocatur Rex Pyrenæorum montium & Tolosæ; vir per omnia Catholicus: reliquitque heredem filium suum Ferdinandum cognomento Magnum, de quo inferius.

a Marian. lib. 8. c. vlt.

CONCIL. PAMPIL.

QVANTA DEBEATVR LOCIS SANCTIS REVERENTIA.

IESV CHRISTI AN. 1033.

IOAN. XX. AN. 10.

CONRADI 7.

ROMANI 5.

I.

ANNO Christi millesimo trigesimo tertio, Indictione prima, accidisse testantur tabulæ astronomicæ Solis eclipsim tertio Calendas Iulii, ipsa die natali SS. Apostolorum

Petri

Petri & Pauli; quod & paulo post pluribus demonstrabitur. Illam autem inter alios Glaber *a* describens, tradit eam ab hora eiusdem diei sexta vsque ad octauam perdurasse, Solemq; factum esse saphiri coloris, gerentem in superiori parte speciem Lunæ à sua reilluminatione quartæ: intuitum autem hominum in alterutrum, velut mortuorum pallorem apparuisse, & res quascumq; sub aere croci coloris visas esse; ingentemq; horrorem omnes occupasse. Sed & eadem die, in Basilica S. Petri quosdam ex Principibus Romanorū conspirasse in Ioannem Pontificem, cupientes illum interimere; sed minime valentes, à sede tamen expulisse. Et tam pro hac re, quam pro aliis insolenter patratis, Conradum Imp. Romam proficiscētem, propriæ Sedi Pontificem restituisse. Hæc Glaber. Ceterum eumdē Ioannem Papam liquet hoc ipso anno, sexto Idus Nouembris diem obiisse, cum sedisset annos nouem, menses octo, & dies aliquot: (certus enim numerus ignoratur, licet diuinent alii:) sepultusq; est in Basilica S. Petri inter portam argenteam & Romanam. In eius vero locum hoc eodem anno subrogatum fuisse BENEDICTVM, qui antea dictus fuit Theophylactus, habent Hermannus, Sigebertus, & alii.

a *Glab. lib. 4. c. 8 & 9.* INGENS SOLIS ECLIPSIS ET QVID PORTENDERIT.

IOAN. PP. OBITVS.

II. BENEDICTVS IX. ADOLESCENTVLVS INTRVDITVR.

Cum (proh nefas!) tyrannide Alberici Comitis Tusculani, ægre ferentis Pontificatum, duorum germanorum, Benedicti atq; Ioannis successione stabilitum, è domo sua egredi; proprius ipsius filius puer in sacrosanctam Petri Sedem, ipsis etiam Angelis reuerendam, intrusus est. Ex quibus vides quę sint à Principibus toleranda, cum immiscent se quacunque via electioni Romanorum Pontificum: quamque tyrannis hæc procul ab Ecclesia Dei pellenda sit. Vt autem tantum nefas Albericus attentare præsumpserit, præcessisse vidimus detestandum exemplum in puerulo electo Archiepiscopo Rhemensi, cui ad functiones Episcopales obeundas coadiutor fuerat datus Episcopus. Sicque, quod in primaria Galliarum fuerat sede male præsumptum, in Apostolica vsurpari posse cathedra, execranda sibi persuasit ambitio. Ingemuisse vero ad eiusmodi aspectum Catholicum Orbem, haud mediocre passum in ea intrusione scandalum, ex Glabro *b* ista vidente, & sæpius deplorante intelligitur: qui ait hunc Benedictum, alterius Benedicti & Ioannis, vltimorum Pōtificum nepotem, puerum ferme decennem, intercedente pecunia electum fuisse à Romanis; sed ab eis postea frequēter eiectum, ac inhoneste receptum, nulla potestate viguisse. Verum dum ait ab iis fuisse electum, à quibus pariter asserit esse eiectū; sæculares eos homines fuisse liquet, de quibus suo loco, simulque de eiusdem Benedicti abdicatione. Interim vero ipsum in Christiano orbe cognitum fuisse, & habitum absque controuersia Romanum Pontificē, liquet tum ex iis quæ suis locis dicentur inferius, tum quod ab eodem petiisse Pallium & obtinuisse Archiepiscopum Hamburgensem Hermannum, eiusque successorem Bezelinum cognomento Alebrandum virum sanctissimum, necnon qui huic successit Adalbertum, Adam *c* testetur. Tanta videlicet vigebat tunc obseruantia erga Romanam Ecclesiam; vt quēcumque audirent throno inlidere Petri, colere eum & venerari non detrectarent. Sed quod pertinet ad istius ætatem; cū asserat Petrus *d* Damiani illum ab exordio suæ creationis vsque ad finem semper luxuriis inquinatū extitisse; plane possumus intelligere, haud adeo puerum impuberem fuisse. Sane quidem Hermannus Contractus, qui hoc ipso scribebat tempore, dum agit de eius in locum Ioannis subrogatione, de ætate nihil; quod non tacuisset, si adeo impar tanto oneri subeundo fuisset; ac dum taxat tradit, eum indignum tanto ordine moribus & factis fuisse.

b *Ibid. cap. 1. & in fin. Hist.*

AGNOSCITVR AB OMNIBVS.

c *Adam. l. 2. cap. 49. 50. 51. 63.* DE IIVS ÆTATE. d *Pet. Dam. ep. ad Dom. mag.*

III. ROBERTI REG. CHRISTIANISS. OBITVS.

Hoc eodem anno Rex Francorum Robertus vere Christianissimus, ex hac vita migrauit decimotertio Calendas Augusti. Scimus quidem alios id referre in annum superiorem; interque illos ipsum Helgaldum Floriacensem monachum, qui eiusdem Regis Vitam scripsit; necnon Fragmenta Historiæ Francorum, posita in Appendice ad Helgaldum & Glabrum. Verum cum idē Helgaldus inferius vbi agit de morte ipsius Regis, affirmet illū eo anno esse defunctū quo cōtigit Solis eclipsis tertio Cal. Iulii hora sexta diei, vigesimo primo die ab eadē eclipsi decimotertio Cal. Augusti: dubitādi nullus remanet locus, hoc anno & non superiori ex hac vita migrasse: siquidem omnium constans assertio est, eam eclipsim hoc & non superiori anno contigisse, ex certa demonstratione astronomicarum tabularum. Etenim hoc anno millesimo trigesimo tertio factum est nouilunium tertio Calendas Iulij, anno vero superiori millesimo trigesimo secundo, quarto Idus Iunii. Quibus consideratis, iure etiam reprehēditur Sigebertus, qui eamdem eclipsim posuit anno superiori; prudentius vero Hermannus hoc anno: sicut & Glaber, numerans annos salutis à Christi Passione, eius ætatis trigesimotertio, bene ponit eam accidisse anno millesimo, quo & alias præsentem annum pariter consignauit.

c *Glab. l. 4. cap. 1.*

IV. EIVS RES PIE GESTÆ.

Ceterum tanti Regis res præclare gestas quæ ad pietatem spectant, idem Helgaldus (vt diximus) conscripsit; apud quē videre liceat, quam deuotus erga Deum & Sanctos is fuerit, quam magnificus erga Ecclesias & seruos Dei, quā assiduus in orationibus, quam largus in eleemosynis, quanta fundatus humilitate, quantisque aliis virtutibus excellens. Tradit insuper, eum mederi pauperibus & infirmis solitum, dum manu tangens eorum vulnera, signansque signo Crucis, omnem ab eis auferret dolorem infirmitatis: narratque præterea, ab eodem Rege illuminatum fuisse cæcum, cum quasi per iocum manus abluens aquam aspersit in faciē eius. Habet & de piissima eius ad Deum transitione: quam tradit accidisse in Mileduno castro, cum sexagenarius esset; eumdēq; Parisios deportatum apud S. Dionysium, iuxta patrem suum sepultum esse. Ei porro defuncto successit Henricus iam antea Rex (vt vidimus) consecratus, peritia militari atq; prudentia pollens, pietateq; præstans: qui fratri Roberto Burgundiæ Ducatum dedit; matrem vero Constantiam, quam aliquando expertus est contrariam, constantia superauit, quæ anno ab hinc defuncta est: vt hæc pluribus narrantur in prædictis Fragmentis Historiæ Francorum.

IESV CHRISTI AN. 1034.

BENED. IX. AN. 1.

CONRADI 8.

MICH. PAPHLAG. 1.

ANNO Christi millesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, post ingentem famem abundantia apparente, tradit Glaber *a* cœptos primum in *Aquitania* celebrari CONCILIORVM conuentus, inde per vniuersas reliquas *Galliarum* prouincias ingenti populorum lætitia morum reformationem desiderantium, celebratos esse pro pace Ecclesiæ conseruanda. Quibus inter alia plurima, ab omnibus æque sancitum asserit, vt singulis sextis feriis abstineretur à vino & carnibus, necnon & septima, nisi forte grauis infirmitas compelleret, aut celebertima solemnitas interueniret: si vero quis aliqua necessitate hoc non obseruaret, tres pauperes victu sustentare cogeretur. Hæc Glaber. Ad quæ plane spectare videntur, quæ Sigebertus habet in Chronographia sua; nempe vnius Episcopi inani assertione de litteris ad se diuinitus delatis, tum alia quamplurima importabilia data esse mandata populis, cum illa de Ieiuniis statuta esse quasi in sufficientem remissionem omnium peccatorū; transgredientibus vero decretam esse huiusmodi excommunicationem, vt etiam exeuntes de sæculo à nullis visitarentur, aut sepulturæ traderentur.

a *Id. l. 4. c. 5.* CONCILIA FREQVENTIA IN GALLIA PRO PACE ECCLESIÆ.

I.

II. QVID DE IEIVNIIS TVNC INDICTIS SENTIENDVM.

Addit vero idem Sigebertus, Gerardum Cameracensem Episcopum numquam adduci potuisse ad ea suscipiēda, sed singula capitula refellisse: cuius quidem, iudicio omnium eruditorum, fuisse potiora iura videntur. Vt mirandum potius sit, potuisse tot Episcopos vnius asserta vana reuelatione moueri magis, quam diuinæ Scripturæ, sanctorumq; Patrum decretis, atque Ecclesiæ traditionibus assentiri; & præscribere vniuersæ Ecclesiæ leges, easque munire pœnis, quæ numquam à maioribus pro grauioribus quoque delictis essent impositæ. Cum alioqui iam ab Apostolorum temporibus viguisse in Ecclesia Catholica Occidentali Ieiunium hebdomadarium sextæ Feriæ, atque Sabbati, iam satis suo loco superius demonstratum fuerit: quod quidem repugnisse

non dubium est, cum remanserit ex eo dumtaxat abstinentia ab esu carnium. Reuocare vero ipsum ad vsum pristinum, non solum non reprehendendum, sed magnopere laudandum fuisset: sed auteriorem, pœnis illis appositis, sancire disciplinam, ac præcipue Sede Apostolica inconsulta, cuius est confirmare alios; haud tutum. Quod pariter dicendum de feriis quatuor hebdomadæ dierum, pari imprudentia ab iisdem Gallicanis Episcopis post decennium indictis *b*; nimirum vt à vespera feriæ quartæ vsque ad feriam secundam incipiente luce, cessaretur omnino à strepitu fori, aliisque Iudiciorum executionibus, priuatisque dissensionibus: licet hæc Glaber vtcumque coronatus sit iudicio diuino mortiferi cuiusdam superuenientis in huiusmodi decreti contemptores ardore confirmare.

b Id. l. b 5. cap. 1. ad fin.

III. CONCIL. BITVRIC. BELLOV. ET LEMOVIC.

Quod autem idem auctor ait, multa Concilia pacis causa hoc anno esse in *Gallis* congregata, atque primo in Aquitaniæ partibus esse cœpta; plane allusisse visus est ad CONCILIA, quæ breui temporis spatio intercedente, pacis causa sunt celebrata, *Bituricis* die tertia mensis Nouembris, & *Bellouaci* post dies quindecim ab iisdem Episcopis: qui & rursum conuenerunt *Lemouicas* ad diem anniuersarium consecrationis basilicæ Saluatoris: fueruntque eadem Concilia Prouincialia, atque eadem ex causa collecta; nempe ad seditiosos & prædones, pacem Ecclesiarum turbantes, compescendos: (qui solemniter excommunicati fuere, & post mortem sepultura diuino etiam calculo priuati; atq; in eosdem interdictum constitutum est:) necnon ad controuersiam de Apostolatu S. Martialis denuo decidendum: aliaque ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia peragenda, pro qua plures editi sunt canones, qui eiusdem Lemouicensis Concilij Actis *c* continentur. Proposita item querela est de Romano Pontifice, absoluente excommunicatos ab Episcopis: sed rebus de quibus agebatur diligentius examinatis, apparuit Papam extra culpam esse; declaratumque est, Iudicium totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede consistere.

c Rec. Baro. Annal. Tō X. hoc an. ex cod. Ant. Aug.

IV. *d Herm. Cōtract. edit. Cuns. hoc an. & 1036.*

Eodem anno Conradus Imp. Burgundiam, à Rudolpho Rege socero suo sibi relictam, armis subegit; quando & Burchardum Lugdunensem Archiepiscopum (vt ait *d* Hermannus Contractus sui temporis scriptor) genere nobilem & strenuum, sed per omnia scelestum & sacrilegum, cum multis aliis Principibus in deditionem accepit. Ceterum Glaber *e* de Lugdunensis Ecclesiæ dissidiis agens, ait post mortem Burchardi Senioris, cum plures eam sedem appeterent, prædicti Præsulis nepotem, Burchardum pariter nominatum, hominem supra modum superbissimum, relicta sede propria Augustanæ ciuitatis, procaciter Lugdunensem arripuisse; sed eumdem post multas perpetratas nequitias, captum à militibus Imperatoris, perpetuo esse condemnatum exilio: itemque cum post ipsum, quidam Comes Gerardum filium suum paruulum arroganter substituisset, & hunc post modicum in fugam versum delituisse: hisq; omnibus perlatis Romam, Summum Pontificem S. Odiloni Abbati Cluniacensi illius Ecclesiæ regimen detulisse; sed eo accipere recusante, demum consensu omnium electum esse ab Henrico Rege Archiepiscopum, Odelricum Lingonensis Ecclesiæ Archidiaconum.

e Glab. lib. 5. cap. 4. LVGDVN. SEDIS FLVCTVATIO.

V. ROMANI IMP. MORS AB VXORE.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno, Indictione secunda, die vndecima mensis Aprilis, (vt auctor est Curopalates) Romanus Imp. cum regnasset annos quinq; & menses sex, ab adultera coniuge Zoe Augusta veneno consumptus paulatim, sed necdum defunctus, operæ eiusdem coniugis, & eius qui in locum illius Michael adulter est subrogatus, (fuerat iste arte argentarius, sed forma pulcherrimus, quem impudica femina deperibat) misere strangulatus interiit ipsa quinta feria Hebdomadæ Pœnosæ. Qua eadem nocte accersitus in Palatium Alexius Patriarcha, partim coactus, partim auro corruptus, eumdem MICHAELEM eius nominis Quartum Imperatorem consecrauit, dictum à patria *Paphlagonem*. Sed cum illum Zoe, thori dumtaxat, non administrationis Imperii participem esse cuperet; eiusdem Michaelis frater Ioannes vir strenuus & rerum peritus, Regiam ingressus, ipsam Augustam adeo coercuit, vt nihil penitus ageret, nec balneum quidem attingeret, nisi eo permittente.

MICH. PAPHLAG. IMPERAT.

VI.

Porro non placuisse Deo eiusmodi in Romanum patrata scelera, statim demonstratum est. Siquidem subdit Curopalates, ipsa magna Dominica tam copiosam & violentam decidisse grandinem, vt non solum confringerentur arbores, vitesq; ac segetes, (vnde & magna orta est omnium frugum & fructuum inopia) sed etiam domus corruerent, & templa vsque ad solum. Acciditque & illud valde prodigiosum, vt quem omnium pulcherrimum Zoe sibi delegerat in maritum, idem fieret deformissimus. Etenim arreptus à diabolo, dæmoniacus euasit, *f* à quo horrendis modis distorqueretur: nec valuit vllo remedio, siue sacro per viros Ecclesiasticos adhibito, siue naturali à medicis procurato, aliquo modo sanari; sed ad obitum vsque ostentui factus omnibus, mansit in exemplum diuinæ vindictæ. Qui quidem relicta fratri Ioanni Imperii cura, iugiter moratus est Thessalonicæ apud S. Demetrium martyrem, eidem supplicans vt ab obsidente dæmone liberaretur. Sed etsi leuamen aliquod sensit aliquando, numquam tamen potuit liberari. Sic enim infelix Orientalis Ecclesia, vbi schismate se diuisit à capite, omnibus charismatibus priuata fuisse cognoscitur: vt non fuerit facile reperire, qui his temporibus vel vnum sanaret energumenum: aliudve aliquod miraculum ederet: nec esset qui iram Dei placare posset, ingruentibus licet grauioribus vbique malis. Etenim & hoc ipso anno exorta Locustarum agmina per triennium sunt omnia vsquequaque depasta: accesseruntque frequentes terræ motus & hiatus, quibus plures absorptæ sunt vrbes; necnon barbarorum incursiones, ficcitates, grandines, lues, & alia id genus ingentia mala, quibus ob violata Dei mandata, & necem Romano illatam, (vt etiam per visionem dignatus est Deus cuidam sacro ministro ostendere) per plures annos dire vexatum est Imperium.

IRA DIVINA DE NECATO ROMANO.

f Ap. Baron. hoc an. & 1039.

MICH. IMP. ARREPTVS A DÆMONE.

VII. RVSSIORVM ECCLESIA ILLVSTRATA, POLONORVM VERO LABEFACTATA.

Hoc eodem anno cultum Ecclesiæ Russicæ propagatum esse ab eorum Duce Boraſdixlao, Longinus in Annalibus Polonorum testatur, dum ait plura monasteria tam virorum quam feminarum, pluresque ecclesias ab eo erectas esse, ac multis redditibus dotatas, pretiosisque ornamentis decoratas. Polonorum vero status admodum est labefactatus, cum defuncto hoc anno Mieczslao Rege, sub quo Boemi, Moraui, Ruteni, & Cisalbini populi, insuperque Lubecenses & Magnopolitani, aliique à parente sub iugum redacti, à Polonorum dominio defecere; ad postremum in eiusdem Polonorum Principatus exterminium, magnum inter Principes ortum est dissidium expulsa Regina Riksca, eiusque filio Casimiro legitimo Regni successore: perseuerauitq; dissidium septem annorum spatio, ingenti prouinciæ damno, & incredibili Ecclesiarum iactura, ob continuas vicinorum populorum incursiones, atque deprædationes; & maxime Boemorum, quorum Dux Brzetislaus, non solum acceptæ in excœcatione aui sui Boleslai per Boleslaum Poloniæ Regem iniuriæ memoria, sed & liuore & odio, simulque occupandi alieni regni, aut saltem exterminandi ambitione, Poloniam ingressus, cuncta deuastauit ac deprædatus est; non parcens sacris quæ adhuc intacta reperit, quibus tam in auro quam gemmis ex priorum Regum munificentia illæ Ecclesiæ abundabant: haudque deterritus triduana cęcitate & lethargia, quibus tam ipse quam omnes milites in aditu ecclesiæ S. Mariæ Metropolitanæ Gnesnensis percussi fuerant; eamdem nihilominus (impulsore Seuero Pragensi Episcopo, asserente illam plagam non propter committendū per eos illius Ecclesiæ spolium, sed ob veteres Boemorum præuaricationes & scelera accidisse) penitus diruperunt, auferentes inde corpora Sanctorum, cum Imagine Crucifixi ex auro puro trecentarum librarum, & Christi Imagine pendentis in Cruce triplicis ponderis; itemque tribus tabulis primarii altaris ex auro purissimo variis pretiosisque gemmis ornatis; aliisque quamplurimis sacris omnis generis vasis & ornamentis; quæ omnia ingenti gaudio, sed & magna veneratione, in Ecclesiam Pragensem transtulerunt: præter alia spolia, captiuosque, quos pariter secum in Boemiam deduxerunt. Narrat hæc pluribus Longinus. Interea vero Casimirus regno pulsus, sapientiori consilio nuntium remittens sæculo, Cluniacensium monachorum arripuit institutum disciplina tūc florentissimum; & Cluniaci in Gallia sub S. Odilone Abbate, mutato Casimiri in Carolum nomine, vitam monasticam solemni ritu professus est. Quomodo ve-

CLADES INGENS ECCLESIÆ GNESNENSIS. *De qua Baron. an. 1036.*

CASIMIR. REGNI POLON. HERES FIT MONACH. CLVNIA.

10 ad Regnum postea fuerit reuocatus, ipsumque in pristinam dignitatem restituerit, dicetur inferius suis locis.

IESV CHRISTI AN. 1035.

BENED. IX. AN. 2.

CONRADI 9.

MICH. PAPHLAG. 2.

I.

ANNO Christi millesimo trigesimo quinto, Indictione tertia, magnam *Synodum Triburiensem* collectã esse, Hermannus testatur in Chronico edito ex codice Augustano: sed Acta eius latent, vel periere.

II. BERENGARIVS HÆRESIAR. EMERGIT.

Quo etiam tempore BERENGARIVS Turonensis, Archidiaconus Andegauensis, cuius hæresis de veritate corporis CHRISTI in sacramento Eucharistiæ negata, fuerat (vt vidimus) à Roberto Rege damnata, eodem iam defuncto, liberius illam promulgare atq; firmare ausus est, annitente Brunone Andegauensi Episcopo, quem in eandem vesaniam perduxerat. Cum vero nefandæ blasphemiæ rumor iam Gallias vniuersas implesset, atque etiam Germanias peruasisset; Henricus Francorum Rex Christianissimus, paternis pietatis heres, quamuis suorum ciuili bello teneretur occupatus, ad profligandam tamen hæresim quamprimum exurgens, totius Regni Episcopos ad Concilium vocauit. Quando id audiens Durandus, disertissimus atque sanctissimus Leodiensis Episcopus, aurea plane ad eumdem Henricum Regem scripta epistola *a*, monuit vt quod de Episcopi damnatione ageretur, haud vlterius progrederetur absq; Apostolica Romanæ Sedis auctoritate. Eademque occasione, prædictorum Brunonis & Berengarij errores refellens, ostendit eos docuisse, in sacratissima Eucharistia nihil aliud esse quam vmbram & figuram corporis Domini; pariterque legitima coniugia destruxisse; & quantum in ipsis esset, baptismum paruulorum euertisse. qua etiam de causa, quod veteres iam ab Ecclesia damnatos errores (sicut pluribus veterum Patrum auctoritatibus probat) iterum in controuersiam deducere conarentur; eos minime audiendos, nec tam Concilium pro illis cogendum, quam de illorum supplicio deliberandum esse monuit.

a Ext. in Bibl. Patr. SOLIVS ROM. SED. DEPONERE EPISCOPOS.

III.

Porro his acceptis à tanto Pontifice Henricus Rex litteris, à cœptis creditur destitisse. Non enim dum ipse vixit, aliquod fuisse contra Berengarium & impietatis socium collectum Concilium, memoria reperitur, sicut aliorum Conciliorum longe minoris momenti. Sed & quod dum idem Rex superstes fuit, numquam auditus fuit Berengarius, vel ex suis aliquis quid impium mussitasse; æque coercitos funestos homines regia iussione fuisse, par est credere. Quando autem, & à quibus iidem damnati fuerint, dicetur inferius suis locis. Ex his autem quæ hactenus dicta sunt, aperte demonstratur, prima spicula in virulentum draconem vibrata fuisse a *Durando* Leodiensi Episcopo; necnon ab eiusdem Ecclesiæ Scholastico, inde vero Brixiensi Episcopo Adelmanno, ipsius Berengarii olim sub magno Fulberto in Academia Carnotensi condiscipulo; de cuius ad ipsum scripta egregia epistola dictum est superius alia occasione: reliqui autem aduersus Berengarium longe postea scripsere. Sed quod ad prædictum Durandum spectat; falli constat Sigebertum, qui eius ingressum ponens anno Domini millesimo vigesimo primo, rursum anno post millesimum vigesimum quintum, alium in locum eius subrogatum habet Reginardum; cum tamen illum ad hæc saltem primordia Henrici Regis, ad quem scripsit, peruenisse nulla dubitatio esse possit. Non sic Hermannus; cum eiusdem Durandi meminit; qui nequaquam eo termino claudit eius Episcopatum.

DVRANDVS LEODIEN. PRIMVS SCRIPSIT CONTRA BERENG.

* * *

IESV CHRISTI AN. 1036.

BENED. IX. AN. 3.

CONRADI 10.

MICH. PAPHLAG. 3.

I. CONTRA ALEXIVM PATRIAR. CONST. INSIDIÆ, AB EO REPVLSÆ.

ANNO Christi millesimo trigesimo sexto, Indictione quarta, aduersus Alexium Patriarcham Constantinopolitanum *Synodus* celebrata est seorsum, à Demetrio Episcopo Cyzici, aliisque Metropolitanis eidem Ecclesiæ Constantinopolitanæ subiectis; vt ingratiam Ioannis fratris Imperatoris illum thronum ambientis, Alexium abdicarent, tamquam non suffragio Archiepiscoporum, sed iussu Imperatoris sedem occupasset. Ad quos Alexius argute rescribens; Si (inquit) ego contra canones sedem ascendi, abdicentur etiã illi, quos ego Metropolitanos elegi, dum vndecim annis cũ dimidio Ecclesiam gubernaui: atq; insuper anathemate percutiantur tres Imperatores, quos ipse coronaui; & ita cuilibet volenti sede cedam. Itaque hac responsione accepta, qui cum Demetrio erant & pudore & metu perfusi (maior enim illorum pars ab Alexio ordinati fuerant) penitus quieuerunt, ipseq; Ioannes continuit sedis obtinendæ appetitum. Hæc Curopalates, & alii ex eo.

IESV CHRISTI AN. 1037.

BENED. IX. AN. 4.

CONRADI 11.

MICH. PAPHLAG. 4.

I.

ANNO Christi millesimo trigesimo septimo, Indictione quinta, Conradus Imp. qui sub finẽ anni superioris Italiam petierat aduersus Heribertum Mediolanẽsem Archiepiscopum, aliosq; imperij perduelles; post Paschale festum Rauennæ celebratum, Mediolanum obsedit, & omnia circum ad rebelles pertinentia vastauit. Ad quem Benedictus Papa Cremonã se contulit. Episcopi vero Placentinus, Cremonensis, & Vercellensis, accusati pariter ab Imperatore, in exilium missi sunt. Narrat hæc Hermannus *a* eius temporis scriptor. Porro ista aduersus Episcopos decreta, etsi non inconsulto Romano Pontifice, qui aderat; fecisse existimandũ sit; tamen haud Deo placuisse, ex sequenti immissa cœlitus vltione per pestilentiam, quæ & Imperatoris pertigit domũ, de qua suo loco dicturi sumus, facile intelligi potest. Sed & Sigebertus tradit, cum die Pentecostes Imperator apud Mediolanum, in patua ecclesia secus vrbem regni coronam ad Missam acciperet, tam grauia adueniisse tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent: Brunonem vero Episcopum qui Missam canebat, & Secretarium Imperatoris, cum aliis tribus dixisse, se inter Missarum solemnia vidisse S. Ambrosium Imperatori comminantem. Hæc Sigebertus; sed anno non suo, nempe trigesimo nono post millesimum.

a Herm. Contr. in Chron. edit. Canis. hoc an. RELEGATIO EPISCOPORVM AB IMP. FACTA, HAVD PLACITA DEO.

Hoc eodẽ anno (vt habet Trithemius in Chronico Hirsaugiensi) Benedictus Papa, agente Poppone Archiepiscopo Treuerensi, in Sanctorum numerum retulit *Symeonem* anachoretam inclusum apud Treueros, qui hoc eodem anno ex hac vita migrauit: cuius extant *b* Res præclare gestæ, eodem tempore scriptæ ab Euernino Abbate.

II. CANONIZATIO S. SYMEONIS.

b Ap. Sur. 1. Iunii.

Hoc itẽ anno, nempe æra millesima septuagesima quinta, bello ciuili inter se pugnantibus Hispaniæ Regibus, occisoque Veremundo Rege Legionensi à Magno Fernando, siue Ferdinando dicto, Castellę Rege ipsius cognato, iuncta sunt postea simul in vnum duo illa Regna: eoque tempore idem Fernandus magnopere propagans principatum suum, Conimbricam *c* aliasq; ciuitates, Mauris ademit; adiutus potissimum ope S. Iacobi Apostoli pro ipso decertantis; ad cuius etiam sepulchrum pro agendis gratiis sæpe Compostellam peregrinatus est.

III.

c Ap. Baron. an. 1040.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 1038.

BENED. IX. AN. 5.

CONRADI 12.

MICH. PAPHLAG. 5.

I. EXPEDITIO CONRADI IMP IN ITAL PRO CASSINAT.

ANNO Christi milleſimo trigeſimo octauo, Indictione ſexta, Conradus Imp. cum Benedicto Pontifice Romã ſe contulit, inde in Campaniam profecturus ad comprimẽdam tyrannidem Pandulphi Principis Capuani; duplici legatione Caſſinenſium monachorum, qui multa dira ab eodem tyranno per duodecim annos paſſi erant, ad eam expeditionem ſuſcipiendam permotus: quod teſtatur Leo *a* Oſtienſis, qui eam deſcribit, & quomodo idem Imp. cuncta in illis partibus optime compoſuerit, pluribus narrat. Porro ipſius exercitum in reditu ingenti peſtilentia afflictum eſſe, plurimoſque paſſim extinctos, interque illos Chunehildem vxorem Henrici filii ipſius Conradi, atq; Hermannum Ducem Alemanniæ, Hermannus Contractus in Chronico affirmat. De irritis autem conatibus Pandulphi tam apud Imperatorem Conſtantinopolitanum, quam Northmannos, pro recuperando Principatu, quo priuatus à Conrado eſt; deque eius tandem reſtitutione per Henricum Conradi filium ingenti pretio facta; ac denique de ipſius Pandulphi infelici morte, & tum ob alia ſcelera, tum maxime ob rerũ Eccleſiaſticarum rapinam, ad inferos damnatione, quam Deus per viſionem innoteſcere voluit; de his, inquam, omnibus qui plura cupit, eumdem qui ſupra Leonem conſulat.

a *Leo Oſt. Chron. Caſſi. lib. 2. cap. 66.*

II. b *Pet. Dam. ep. ad Dom. c. 13.14.* VISIO DE DAMNATIONE PRINCIPIS SACRILEGI. [Quam quidem prius Baronius ex ſententia Petri Damiani retulerat ad Imperium Ottonis II. an Domini 983. ſed poſtea Leonem Oſt. ſecutus, hoc anno collocandam ſenſuit.]

Verum quod ad eius damnationem attinet; narrat etiam Petrus *b* Damiani, (acceptum, vt teſtatur, à Deſiderio Caſſinenſi Abbate, qui fuit poſtea Romanus Pontifex Victor Tertius) aliam ſimiliter viſionem oſtenſam ſeruo cuidam Dei, ſolitariam vitam apud Neapolim agenti, de dæmonibus pabula ferentibus ab comburendos proxime tunc morituros, eumdem Pandulphum Prineipẽ Capuanum, & Ioannem Magiſtrum militum, damnatos ad inferos ob reprobam peractam vitam: quibus mortuis mons Veſuuius inflammas erupit. Siquidem (vt ait Petrus) quandocumque in illis partibus præcipuus aliquis reprobus diues, vel alius inſignis peccator ſine pœnitentia moreretur, ignis erumpere de prædicto monte videbatur, tamquamque ſulphureæ reſinæ congeries fluere, vt torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare deſcenderet. Licet autem poetice magis quam Theologice, credita ſint eiuſmodi terræ ora euomentia iugiter flammarum globos, eſſe inferni portas, & quod idem ignis ſit ille inferni peccantibus præparatus; atq; id ſcripſiſſe reperiantur antiqui Theologi non vulgares, vt alias meminiſſe recolimus: tamen certum eſt iſta potius ſimilitudinem gerere gehennalis illius ignis, qui ſine luce ardens animas ſimul comburit & corpora, cui non paleæ aut ligna, ſed tantũ peccata fomẽta miniſtrent. Ceterũ externis his ſignis ob oculos poſitis, Deum per viſum quã ſæpiſſime damnationem peccantium & impœnitentium oſtendere conſueuiſſe, non iſta tantum, ſed & alia innumera exempla declarant.

b *Pet. Dam. ep. ad Dom. c. 13.14.*

III. S. STEPH. REG. VNGAR. OBITVS.

Hoc eodem anno defunctum eſſe S. Stephanum Hungariæ Regẽ, qui his temporibus vixere nobiliores Chronographi ſcriptis tradidere, Hermannus & Marianus Scotus; qui & mala poſt eius obitum ex bellis ciuilibus & externis ſubſecuta, ſingulis certiſque annis conſignarunt, quæ vt fieri contigerunt recens audita ſcripſerunt: vt plane ſolidior eorum fides haberi debeat, quam Cartuitij, vel Bonfinij recentiorum auctorum, ante annos quatuor eiuſdem ad Deũ tranſitum referentium. Sed & Leo *c* Oſtienſis ad hæc poſteriora tempora potius q̃ anteriora reducens eius obitum, de oblatione aureæ Crucis ab eo paulo ante miſſa ad monaſterium Caſſinenſe meminit. Quod autem Salomonem eius ſucceſſorem ponit, eſt omnino corrigendum: non enim Salomonem, ſed Petrum habuit ſucceſſorem, vt Hermannus ait, ſororis ſuę filium. Ipſum vero Cartuitius ait diem obiiſſe, ſicut cupierat, in Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionis feſtiuitate, & ſepulturæ mandatum eſſe Albæregali in eccleſia eidẽ ſanctiſſimæ Virgini dicata, quam ipſe ædificauerat, & nuper dedicandam curauerat: qui & eiuſdem Reginæ cœli patrocinio moriens Eccleſiam ſui Regni cum Clero & Epiſcopis, Regnumque cum Primatibus & populo commendauit. At inuidia diaboli factum eſt, vt diu multumq; Regnum Hungaricum bellis ciuilibus & externis fuerit exagitatum, non ſine magno Chriſtianæ tum coaleſcentis religionis detrimento. Porro ipſius Stephani Regis corpus, poſt quadraginta quinque annos iuſſu Romani Pontificis eleuatum eſſe, teſtantur eius Vitæ *d* Acta.

c *Leo Oſt. l. 2. cap. 68.*

d *Ap. Sur. 20. Aug. & Baron. an. 1079. in fin.*

Hac pariter ſexta Indictione Gregorius cognomẽto Maniacus, militia clariſſimus, ad debellandos Saracenos Siciliam occupantes à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano miſſus, vniuerſam ſibi Inſulam feliciter ſubegit. Tradit hæc Curopalates. De quibus agens pariter Leo *e* Oſtienſis, tradit Maniacum à Guaimario Principe Salernitano petiiſſe auxilium Northmannorum, & accepiſſe: cumque Syracuſis potitus eſſet, corpus S. Luciæ inde ſublatum, & argenteæ thecæ incluſum, Conſtantinopolim cum omni honore tranſmiſiſſe.

IV. S. LVCIÆ CORPVS CONST. TRANSLATVM.

IESV CHRISTI AN. 1039.

BENED. IX. AN. 6.

CONRADI 13.

MICH. PAPHLAG. 6.

I. CONRADI IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti milleſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptima, Nonis Iunii, ipſa Pentecoſtes die tertia, Conradus Imp. apud Traiectum Friſiæ inopinata morte ſubito deceſſit: quod tradit Hermannus, & alii eiuſdem temporis ſcriptores. Poſt eius vero mortem vacauit Imperium per aliquot annos; in Regnum autem Germaniæ ſucceſſit ipſius filius Henricus, ab eo Rex antea inſtitutus. Quod vero Glaber *a* anno quadrageſimo primo poſt milleſimum contigiſſe tradat Conradi obitum; error putatur in codicem irrepſiſſe, vt loco vndequadrageſimi anni, vitio librariorum poſitum ſit XLI. Leo *b* autem Oſtienſis hunc annum terminum certum ponit vitæ Conradi.

a *Glab. lib. 5. cap. 1.*

b *Leo Oſt. lib. 2. c. 60.*

II. LEGATIO ECCLESIÆ POLON. AD BENED. PP.

Quo pariter (vt Longinus eſt auctor) miſſa eſt legatio ab Eccleſia Polonorum ad Benedictum Papam aduerſus Brzetislaum Boemiæ Ducem, quem vidimus Poloniam deuaſtaſſe, & impulſore Seuero Pragenſi Epiſcopo, corporibus Sanctorum, aliiſque ſacris ornamentis ſpoliaſſe. Cum vero ſuper hæc contra eoſdem Brzetislaum & Seuerum Summus Pontifex perſonalem citationem promulgaſſet, ipſiq; Legatis Romam miſſis ex deuotione in Sanctorum Reliquias & res ſacras, & ex belli iure, facta ſua excuſarent; tum Papa eos grauiter increpans, oſtendit non licere quantumcumque iuſto bello Eccleſias Reliquiis ſacris aut rebus Deo dicatis ſpoliare, eaſque alio transferre ſine Sedis Apoſtolicæ ſpeciali auctoritate & conſenſu; cum bella hominibus, non cœleſtibus, aut ſacris indicantur: proinde niſi ſingula reſtituerẽtur, excommunicationem minatus eſt. Verum hæc omnia irrita permanſere, quod plerique Cardinalium ab iiſdem Legatis pretiis & precibus corrupti, Benedicto Papæ nonnullis rationibus perſuaſerunt, vt eiuſmodi cenſura ſuſpenderetur. Hæc omnia pluribus Longinus: ex quibus videas quales eſſent illi à Benedicto creati ſui ſimiles Cardinales, qui recta iudicia ſubuerterent: quamquam & quod iſta ad aliquot annos protelata fuerint, eadem ob Schiſma quod in Eccleſia Romana inter tres conflatũ eſt, à Benedicto haud adeo legitime expediri potuiſſe, idem auctor tradit.

Sed de Schiſmate dicetur poſtea.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 1040.

BENED. IX. AN. 7.

MICH. PAPHLAG. 7.

I. SARACENI IN SICILIA DIVINITVS EXPARATI.

ANno Christi millesimo quadragesimo, Indictione octaua, (vt habet Curopalates) reuocato ex Sicilia Maniaco maiestatis reo constituto, Saraceni ex Africa venientes eam insulam iterum occuparunt, sola relicta Messana, quam Catacalus cognomento Combustus, præfectus imperatoris tenebat. Cum vero & hanc obsedissent, eosdem ob victorias negligentiores redditos, Catacalus suis prius sacrosancto Eucharistiæ mysterio communitis, somno vinoq; sepultos inuadens, omnes vel trucidauit vna cum Apocaphar eorum Principe, vel ab Insula penitus aufugere coegit; ingentem adeptus cum victoria prædam, adeo vt præter maximã auri & argenti copiam, margaritas pretiosos; lapillos medimnis milites diuisisse dicantur. Tradit hæc Curopalates; ex quo & Cedrenus.

II. CONCIL. VENET.

Hoc eodem anno, assistente & fauente Dominico Flabanico Duce Venetiarum, celebratum est *Venetiis* CONCILIVM prouinciale in ecclesia S. Marci sub Vrso Patriarcha; in quo pleraque spectantia ad Ecclesiasticam disciplinam statuta fuerunt: quorum mentionem agit in suo Chronico Andreas Dandulus.

IESV CHRISTI AN. 1041.

BENED. IX. AN. 8.

MICH. PAPHLAG. 8.

I. a Leo lib. 2. cap. 68.

ANno Christi millesimo quadragesimo primo, Indictione nona, (vt ex Leone a Ostiensi constat) Northmanni Arduino Longobardo Duce potiti sunt Apulia, superatoque Ducliano Græcorum exercitus Principe, eamdem prouinciam pacifice possederunt, atque inter se diuiserunt. Agit quoque de his Curopalates anno sequenti; sed eosdem Northmannos, quod è Francia illuc venissent, Francorum nomine appellans.

II. MICH. IV. MORITVR.

Eodem anno mense Decembris, cœpta iam Indictione decima, Michael Imp. cum regnasset annos septem & menses octo, mortuus est, confessus pœnitere se commissi facinoris in Romanum Imperatorem, ac fusis lacrymis veri pœnitentis specimen edens: creditumq; est, scelus potius fuisse fratris ipsius Ioannis machinatione commissum, quam eius voluntate, viri alioqui pij. Porro eadem hora qua ipse mortuus est, Zoe Augusta coronari iussit MICHAELEM eius nominis Quintum, cognomento *Calephatem*, filium Stephani patruelis Imperatoris, quem & adoptauit in filium: sed cum paulo post eam ingratus è throno depositam, atque in monacham attonsam, in exilium misisset; idem totius populi voce repudiatus, lapidibusq; appetitus, in sacrum templum confugere coactus est, ac Zoen reuocare; cum iam à populo ad Imperium vocata esset Zoes soror THEODORA, quam longe antea sub Romano Imp. eadem Zoe in monasterium detruserat ne Imperij particeps fieret. Denique instans adhuc populus in Michaelem Calephatem, eiusque fratrem, ambos è templo detractos, perque vias raptatos priuauit oculis: quod factum est mense Aprilis anni sequentis. Hæc omnia Curopalates, & ex eo Cedrenus, Zonaras, & alij.

MICH. V. CORONATVR; ET MOX ABIICITVR.

THEODORA AVG.

III. LEGATIO POLON. PRO RECIPIENDO CASIMIRO MONACHO IN REGEM.

Hoc item anno Redemptoris millesimo quadragesimo primo, sub Benedicto Papa Nono, (ita enim hoc tempus consignat Longinus canonicus Cracouiensis, Rerum Polonarum scriptor sincerissimus, cuius autographum asseruatur Romæ in Bibliotheca Vallicellana: ex quo iam plane euanescit aliorum scriptorum dubitatio, num hæc referenda potius fuerint ad Clementis Pontificatum, quem nonnisi post sex annos accidisse constat:) cum res Polonorum internis & externis bellis in extremam ferme ruinam & desperationem redactæ essent; consilio tandem optimo à primoribus inito, missi sunt Legati ad Casimirum regni heredem, quem post mortem patris expulerant, quærendum, & in patriam reducendum ad propulsandas innumeras clades quibus ea afflictabatur. Qui cum ab eius matre, & ipsa in exilium cum filio in Germaniam pulsa, edocti locũ in quo is degeret, Cluniacum in Galliam aduenientes, legationem exposuissent: excipiente illo de professione Regulę S. Benedicti, & diaconatus ordine susceptо; ac pariter Abbate S. Odilone respondẽte, se nequaquam de his posse cum ipso dispensare, sed recurrendum esse ad supremum in terris tribunal, Sedem videlicet Apostolicam Romanam: iidem Romam ad Summum Pontificem contendentes; post longam in re tam noua, neq; hactenus ad Sedem Apostolicam delata, cum Cardinalibus, aliisque viris peritissimis deliberationem ab eodem Pontifice habitam; demum ob instantissimas Regni Poloniæ necessitates, ingentiaq; quæ ibi patrarentur mala, obtinuerunt Casimirum sibi Regem concedi, qui solus eis remedium afferre posse videretur; eidemque habitu ac regula monastica & gradu diaconatus soluto, vxorẽ ducere permitti, & regni successores generare: sed tamen iis conditionibus, quas Legati nomine totius Regni susceperunt; nempe (inquit totidem verbis Longinus) vt Polonorum regiones ac regnum, in signum præstiti per Apostolicam Sedem, acceptiq; in magno necessitatis suæ articulo beneficij, Beato Petro, & successoribus Romanis Pontificibus, de quolibet capite nobilium (capitibus circumscriptis) vsualem nummum annis singulis soluere, cæsariem capitis & comam barbaro more non nutrire, sed auribus patentibus, instar Religiosorum Latinarum nationum tonsuratum caput gestare, & in præcipuis Christi & Virginis matris eius festiuitatibus panno lineo albo, in stolæ modum dependẽte, ceruicem exornare perpetuo sit astrictum. vt his tribus insignibus ex monacho & ex diacono Apostolica concessione & benignitate, cum aliter concretum periculum dispelli non posset, Polonus Regem sibi creatum & redditum recognoscens, tam in Deum quam in religionem Christi esset gratior atq; deuotior. Hæc Longinus. Sicque plane veluti aucto fœnore, pro vno sibi oppignerato votis solemnibus monacho, eum cum reddidit Ecclesia, Polonos omnes quodammodo tonsura monachos (quoad fieri licuit) habitus schemate solemnibus diebus religiosos præseferentes, & annui pensitatione tributi perpetuo obligauit. Quo cum nobiles omnes pariter astrictos tradat antiquissimus Longinus, miramur, quomodo postea Chromerus ea tributi pensitatione minime deuinctos fuisse dicat nobiles, neq; clericos sacris addictos. Ritum autem illum, vt cum sanctum Euangelium in sacris Missarum solemnibus inchoaretur, Poloni gladium stringerẽt, ac medio tenus euaginarent in signum prompti animi in defensionem Euangelij; iam à tempore Miezcislai Polonorum Regis inoleuisse, idem Chromerus b tradit. Ceterum quomodo his acceptis à Sede Apostolica perpetuo conseruandis decretis, Cluniacum reuersi Legati Principem suũ reduxerint in Poloniam, & ab eo Regnum fuerit in statum optimum reuocatum, exhibito ei ad debellandos hostes Angelico ministerio; ac deniq; quomodo in gratiarum actionem monasteria extruxerit, ad quæ habitanda suos ex Galliis vocauerit Cluniacenses; idem auctor pluribus narrat. Sed hæc nobis satis ad institutum.

QVIBVS CONDITIONIBVS DISPENSATVM FVERIT CVM CASIMIRO.

b Chrom. lib. 3.

IESV CHRISTI AN. 1042.

BENED. IX. AN. 9.

MICH. CALEPH. AN. 1.

I. VVO TYRÁN. PERTVRBAT HVNGAR.

ANno Christi millesimo quadragesimo secũdo, Indictione decima, Ouo, siue Vuo tyrannus aduersus Petrum Regem Hungariæ consurgens, totius ferme Cleri populique consensu Rex coronatus est; vnico obnitente S. Gerardo Episcopo Chanodiensi, nobili Veneto, qui ab ineunte ætate monasticum amplexus institutum, cum Hierosolymam peregrinatus esset, in reditu à S. Stephano Rege in Hungaria consistere coactus fuerat cultor illius Ecclesiæ: qui quidem ad coronationem Vuonis cum aliis vocatus;

S. GERARDI LIBERTAS ADVERS. TYRAN.

vocatus, non solum non consensit, sed & suggestum conscendens, publice eumdem præsentem coram omnibus redarguit, prædicens eum anno tertio vsurpationis regni vltore gladio perituru. Porro triennij tempus vsq; ad necem tyranni, non exactum, sed inchoatum dumtaxat intellexisse, declararunt euenta. Nam anno millesimo quadragesimo quarto liquet auctoritate Hermanni & aliorum, eum ab Henrico Germaniæ Rege debellatum, & Petrum restitutũ: eumdemque deprehensum Rex meritum supplicium subire iussit, capite amputato.

II. CONST. MONOMACHVS IMP.

Quod autem ad res Orientales pertinet; hoc eodem anno electo ab Imperio Michaele Calephate, oculisque priuato, CONSTANTINVS cognomento *Monomachus*, qui in exilium missus fuerat à Ioanne fratre Michaelis Paphlagonis, reuocatus, iunctusque Zoæ in matrimonium, Imperator coronatus est vndecima mensis Iunij. Qui *a* cum postea pellicem subintroduxisset, Romani Scleri sororem, populo id exprobrante, & vlciscẽdum clamante, pene periclitatus est. Hæc pluribus Curopalates, & alij ex eo; à quibus etiam res gestas Monomachi, quæ ad bella pertinent, petant qui eas cupiunt.

a *Ap. Bare. an.* 1044. *in fin.*

IESV CHRISTI AN. 1043.

BENED. IX. AN. 10.

CONST. MONOM. AN. 1.

I. S. EDVARDVS CORONATVR REX ANG. a *Ingulpf. hoc an. Roger. & alii.*

ANNO Christi millesimo quadragesimo tertio, Indictione vndecima, defunctis iam duobus filiis Cnuti Anglorum Regis, eius in Regnum successoribus; ex insperato, ita Deo disponente, omnium consensu electus est, qui diutius in Nortmannia exulauerat, S. Eduardus *a* Emmæ Reginæ ex Ethelredo olim legitimo, Anglorum Rege filius: idque opera Godwini Comitis potentissimi, data ei in matrimonium filia Egitha, viri sanctitati haud adeo impare; quam virginem, intactamque ab Eduardo seruatam esse, constans est assertio Scriptorum omnium. Porro ista de immensa Dei misericordia erga Ecclesiam Anglicanam, diuinitus longe ante ostensa fuisse in visione S. Brithwoldo Wintonensi Episcopo, & ab eodem aliis annuntiata, tradit Willelmus Malmesburiensis *b*. At de S. Eduardo plura dicenda inferius ordine temporum.

b *Malmesb. lib. 2. ca. 13.*

II. c *Herman. in Camis. edit.* HENRICI REG. GERMAN. RES GESTÆ.

Eodem anno *c* Henricus Germaniæ Rex Pannonias petẽs, ab Ouone tyranno obsides, munera, regniq; partẽ accepit: inde in Alemanniã rediens, in *Synodo Constantiensi* cunctis qui contra se deliquerant debitũ omne dimisit, pacemq; multis sæculis inauditam edicto confirmauit: exin Agnetem Willelmi Pictauiensis filiam sponsam suam accipiens, Moguntiaci Reginam inungi fecit; regalesque apud Ingelheim nuptias celebrans, histriones tamquam nulli bono idoneos, vtili cunctis exemplo, vacuos dimisit.

III. MICH CERVLAR. PATRIAR. CONST.

Quod ad res pertines Orientis; hac eadem Indictione vndecima, die vigesima Februarij defunctus est Alexius Patriarcha Constantinopolitanus; inq; locum eius subrogatus *Michael* cognomento *Cerularius*, qui à Ioanne Michaelis Paphlagonis fratre fuerat in exilium pulsus ob tyrannidem affectatam. Hæc Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 1044.

GREG. VI. AN. 1.

CONST. MONOM. AN. 2.

I. SCHISMA IN ECCL. ROM.

ANNO Christi millesimo quadragesimo quarto, Indictione duodecima, Romani (inquit Hermannus huius temporis auctor) Benedictum Papam multis criminatum sede sua pellunt, & Siluestrum Tertium quemdam in eius locum statuunt: quem tamen postea Benedictus quibusdam sibi fauentibus excommunicatum depulit; Sediq; suæ redditus, seipsum postea priuauit, & alium pro se ob auaritiam contra canones ordinauit. Ista Hermannus.

Quæ vt exactius cognoscantur, sciendum est, quod cum duæ potentissimæ tunc temporis in Vrbe vigerẽt factiones, altera Tusculanorum Comitum, à quibus intrusum vidimus Benedictum; altera Ptolemæi Romani ciuis, qui magna iactantia vane gloriabatur familiam suam Octauię esse gentis: quod tradit Petrus *a* Diaconus, dum huius filium Ptolemeum itidem nominatum, in vxorem duxisse filiam Henrici Quarti Imperatoris narrat:) Romani haud diutius ferre valentes Benedicti turpitudinem vbique decantatam, & à bonis omnibus deploratam; contra potentiam Comitum Tusculanorum adiuti fauore Consulis Ptolemæi, eumdem Benedictum reiecerunt, & alium quem nominauere SILVESTRVM subrogarunt: qui Ioannes antea dictus, (sicut docet Leo *b* Ostiensis) & æque ipse malis artibus, nempe collata pecunia, è Sabinensi Ecclesia ad sedem Pontificalem euectus, cum vix tribus mensibus eam tenuisset, à Benedicto, annitentibus Tusculanis proceribus, expulsus est. Nec multo post ipse Benedictus, inuisum se cunctis cernens, *Ioanni* Romanæ Ecclesiæ Archipresbytero Pontificatu tradito, ipse cupiditates suas liberius executurus in paternam se recepit domum. Scribit hæc Leo. At vero Benedictum à praua sua vita resipiscentem, persuasione viri sanctissimi Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, discipuli S. Nili, sponte Põtificatui cessisse, eius acta significant. Certum est tamen, eumdem Benedictum dimissam repetiisse Cathedram. Traditq; Otto Frisingensis, simul tres illos Antipontifices, diuisis inter se redditibus, Romæ sedere visos esse, vnum ad S. Petrum, alterum ad S. Mariam Maiorem, tertium, nẽpe Benedictum, in palatio Lateranensi; omnesq; flagitiosam ac turpem vitam duxisse; vt se ab ipsis Romanis in Vrbe audiuisse testatur.

II.

a *Pet. Diac. Chron. Cass. lib. 4. cap. 63.*

SILVESTER III. ANTIP.

b *Leo Ost. Chron. Cass. lib. 2. cap. 80.*

TRES SIMVL ANTIPAPÆ.

III.

Hunc autem miserrimum statum Ecclesiæ (subdit Otto) religiosus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloque pietatis matri suæ compatiens, præfatos viros adiit, eisque à Sede sancta cedere, pecunia persuasit; Benedicto, quia maioris videbatur esse auctoritatis, redditibus Angliæ relictis. Ob quæ ciues eumdem ipsum Gratianum presbyterum, tamquam Ecclesiæ Dei liberatorẽ, in Summum Pontificem elegerunt, ac mutata nomine GREGORIVM Sextum vocauerunt. Hæc Otto: eaq; sunt quæ loco simoniæ Gregorio postea obiecta fuere: sed an emptio Sedis, vel redemptio potius vexationis, transactio ista adeo necessaria ad pellendos intrusos Pontifices fuerit, periti canonum omnes facile iudicabunt. Vnum hoc liquet, eumdem Gregorium Sextum vere germanum atq; legitimum Ponrificem à viris sanctissimis atque doctissimis eius temporis habitum esse, nempe ab Hildebrando postea Gregorio Septimo, & à Petro Damiani, aliisq; viris imprimis simoniacorum hostibus implacabilibus. Id enim de Gregorio Septimo testatur Otto Frisingensis; ac constat ex Actis Concilij Romani celebrati anno Redemptoris millesimo octogesimo, eiusdẽ Gregorii Septimi Pontificatus anno septimo. De Petro autẽ Damiani fidem facit eius epistola ad eumdem Gregorium Sextum scripta, qua ipsi congratulatus est, quod Ecclesia Dei per eius canonicam electionem, simoniæ & turpitudinum sordibus expurgatis, pristinum decorẽ esset consecuta. Ac deniq; Glaber *c* eius pariter temporis scriptor, eumdẽ Gregorium summopere laudans; post Benedictum (inquit) consensu totius Populi Romani electum, loco eius subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus Gregorius natione Romanus, cuius bona fama, quicquid prior fœdauerat, in melius reformauit. Ex quibus omnibus redarguas errores aliorum, qui inter spurios atq; schismate notatos Pontifices reiecerunt Gregorium Sextum. Sed & qui eumdẽ cum Ioanne Archipresbytero confiant in vnum, atq; inter tres illos improbatos numerant, redarguuntur imprimis ex Ottone, qui extra illos recenset Gratianum creatum post eosdẽ abdicatos: itemq; ex Petro Damiani, qui eque illum Gratianũ, & non Ioannẽ antea nominatum fuisse, iterum tradit: idq; ipsum asserit Hermannus, & alii omnes; excepto Bennone schismaticorum signifero, qui vt eum inter illos tres collocet, non Gratianum tantum, sed Ioannem Gratianum appellat, eumdemque empti Pontificatus accusat. Sed à Bennone omnium mendacissimo & perditissimo improbari, hoc ipsum est ab improbis separari, & in omnibus probari.

GREG. VI. LEGITIMVS PONT.

c *Glab. lib. 5. in fin.*

ERRORES DE EO.

Quod

IV. *Malmesb. lib. 2. cap. 13.* QVANTA DOMA PER VM REVOCATA.

Quod vero ad eiusdem Gregorii Sexti res gestas attinet; describens illas ex parte Willelmus *d* Malmesburiensis sequentis sæculi scriptor, eumq; magnæ religionis & seueritatis virum appellans, narrat quomodo ipse Romani Apostolatus statum per incuriam antecessorum suorum diminutũ, in antiquum ius reformauerit; & quos non potuisset lenibus verbis, aut etiam cẽsuris Ecclesiasticis, comprimere viarum grassatores, alioſq; prædones qui intra ipsas etiam Vrbis ecclesias oblationes peregrinorum ad Limina Apostolorum accedẽtium rapere consueuerant, armis coercuerit, & multas ciuitates ac possessiones ad Ecclesiam Romanam pertinentes recuperauerit, pacem denique & securitatem tamquam ex postliminio reduxerit: vnde & ei ab improbis inuidiam conflatam esse ait. Quomodo vero hæc aduersus eum, in Italiam Henricum Germaniæ Regem prouocauerint, & vt sede cederet effecerint, dicetur suo loco. Cum autem tenuisse Sedem annos duos & menses octo, Leo Ostiensis dicat; plane opus est affirmare, hæc de eius electione contigisse in fine mensis Aprilis huius anni, cum constet eius abdicationem factam esse in fine anni Redemptoris millesimi quadragesimi sexti.

IESV CHRISTI AN. 1045.

GREG. VI. AN. 2.

CONST. MONOM. AN. 3.

I. LEGATI CASIMIR. REGIS POLON. AD SED. APOST.

ANNO Christi millesimo quadragesimo quinto, Indictione decimatertia, Casimirus Poloniæ Rex compositis regni sui rebus, promissi memor, Legatos Romam ad Sedem Apostolicam misit, qui impositum tributum Denarii S. Petri ferrent. Rem gestam pluribus narrat Longinus sæpe citatus, qui per annos singulos res Polonorum prosecutus est. Sed quod ait, ad Benedictum Papam Nonum eiusmodi missam esse legationem, quem vidimus iam anno superiori cessisse Gregorio: fieri potuit vt Benedictus exegerit, acceperit vero Gregorius. Ait igitur, cum Poloniæ Regnum Casimiro stabilitum Benedictus intellexisset, misso ad eum Nuntio, petiisse vt iuxta Legatorum Polonorum Romæ factam sponsionem, ipsiusq; Casimiri subsecutam confirmationem, mandaret capitis censum de vniuersis Regni Poloniæ prouinciis conquisitis & conquirendis, Collectoribus Apostolicis singulis annis exhiberi debitum: Volentem autem Casimirum parere pactis promissis, generalem omnium suarum prouinciarum indixisse Conuentum, atq; in eo concordi omnium consensu eiusmodi pollicitationem decretam & innouatam esse; & vniuersali mandato solutionem vnius vsualis oboli de capite, tam ciuitates, quam oppida, vicosq; & rura colentium in duabus prouinciis Gnesnensi & Cracouiensi, ac diœcesibus eisdem subiectis imperatam: sicque ab eo tempore Regnum Poloniæ factum esse Romanæ Ecclesiæ, & Vicario IESV CHRISTI Summo Pontifici feudale & tributarium; nec vmquam tributi prædicti (quod Denarius S. Petri dicebatur) solutionem quacumq; occasione aut pacto intermissam esse aut rescissam; quippe quod licet visum esset primo Polonis difficile & graue, postea tamen profectus varios & commoda regno Poloniæ præstitisse, ac continuo præstare cognitum esset: vt non ab homine, sed ab ipso Deo impositio illa visa fuerit profluxisse. Quænam autem hæc fuerint commoda, pergit declarare idem Longinus, & ipse nobilis Polonus, ac veritatis amantissimus. Hæc vero omnia cum Chromerus prætermiserit, quomodo non inofficiosus arguendus?

REGNVM POLON. TRIBVTARIVM SED. APOSTOL.

II. S. GVNTHERI EREMITÆ OBITVS.

Hoc eodem anno in Boemia vir sanctissimus *Guntherus*, S. Stephani Regis Hungariæ cognatus, post visitata Apostolorum Limina pro transactæ vitæ deuiis, & nouæ ingressu, factus monachus in monasterio Althahensi, demum eremita insilua Boemiæ, exactis ibi annis triginta septem, sanctitate celebris migrauit ad Deum, & multis post obitum illustratus est miraculis: cuius extant *a* Res præclare gestæ scriptæ ab eius familiaritate notissimo.

a Ad. Canis. antiq. Lect. T. m. II.

III. NORTHMANNI S. BENEDICTI OPE CÆSI.

Hoc item anno Northmanni, qui Apulia potiti terribiles redditi erant omnibus ob ingentem arrogantiam propter partas victorias, cum sub stipendio conducti ad tuendas res monasterii Cassinensis, id fidelissime sicut & fortissime præstitissent; sed postea eius occupantes vicos & oppida, ipsum etiam Abbatem captiuum ducere deliberassent: iidẽ à monachis, ope diuina, ipsoq; S. Benedicto pro suis pugnãte, retortis in eos suis ipsorum telis, debellati sunt, & ab omni monasterij iurisdictione expulsi, quam rem gestam memoria dignam, pluribus narrat Leo *b* Ostiensis.

b Leo Ost. lib. 2. ca. 71. & segq.

IESV CHRISTI AN. 1046.

GREG. VI. AN. 3.

CONST. MONOM. AN. 4.

I. GREG. PP. DEPONITVR, ET CLEMENS II. ERIGITVR.

ANNO Christi millesimo quadragesimo sexto, Indictione decimaquarta, Henricus Rex Germaniæ in Italiam cum exercitu veniens, *Papiæ* SYNODVM celebrauit; indeq; Placentiam accedens, Gratianum (nempe Gregorium Papam Sextum) ad se venientem honorifice suscepit: iuxta vero Natalẽ Domini, non longe ab Vrbe Roma apud *Sutriam* SYNODO item acta, causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, eumdem Gratianum Papam conuictum, baculo pastorali priuauit: ac deinde omnium, tam Romanorum, quam aliorum consensu, Sindigerum siue Suidgerum natione Saxonem, Episcopum Babenbergẽsem, multum reluctantem, Summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem; qui ipsa Natalis Domini die Romæ ex more consecratus, CLEMENS Secundus vocatus est: idemq; die eadem HENRICVM Regem, & coniugem eius Agnetem, Imperiali benedictione sublimauit. Hæc Hermannus temporis huius auctor; quorum etiam meminerunt Otto Frisingensis, Leo *a* Ostiensis, & alij.

HENR. II. IMP.

a Leo ib. cap. 80.

II. DE CAVSA GREG. VI.

Ceterum ex iis quæ tum hic tum superius dicta sunt, errare liquet eos qui dixerunt Henricum venisse Romam ad deponendos tres Pontifices, qui eodem tempore in Ecclesia Romana sederẽt. Hæc enim iam facta & absoluta esse ante biennium, cum Gregorius est electus, vidimus; neq; postea alium quam Gregorium sedisse liquet. Quod ergo iudicium in Sutrino Concilio, aduersus tres illos fuisse vẽtilatum, Hermannus ostendit; nullum aliud esse potuit, nisi vt redditibus priuarẽtur, quos cum illis transigens Gratianus, percipiendos eisdem reliquisset: quorum gratia idem est postulatus in eodẽ Concilio, iudicio simoniæ; sed quanta ratione, quæ suo loco dicta sunt docẽt. Hos autẽ quos potuit prætextus venatus est Henricus, vt deponeret eum, quẽ nullo petito Regis suffragio nosset à Romanis Pontificem esse creatum; ne eiusmodi licẽtiam sibi Romanus populus vsurparet. Quod vero sanctissimus Papa cerneret ea occasione durum schisma esse conflandum, imitatus ipse Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem Ecclesiæ conciliandam Episcopatu Constantinopolitano sponte se abdicauit; & ipse eodem animo eademq; virtute, Pontificia Sede libenter cessit. Et quod viueret adhuc Benedictus ille, inhians denuo (vt declararunt euẽta) sedi relictæ; expedire tunc visum est, vt ad comprimendam audaciam Tusculanorum Comitum, pro arbitrio Sedem Apostolicam inuadentium ac deturpantium, ipse Henricus quem optimum eligẽdum censeret, acciperet. Ex euentu porro, qui feliciter cessit cum eorumdem Comitum fuit audacia factiosa compressa, laudata reperitur à pluribus Henrici detestanda præsumptio, qua negotium facessere Gregorio legitimo Christi Vicario non est veritus; sic malo filio, pessimoq; nepoti relinquens exemplum peiora etiam attẽtandi. Qui quidem pervicax error transiit in hæresim dictam *Henricianam*, communem cum impiis nostri temporis *Politicis*, qui volunt Imperatoribus siue Regibus non temporalia tantum, sed spiritalia esse subiecta, ipsamq; adeo Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Matrem atque Magistram.

HENRIC. INCONCESSA TENTAVIT.

* * *

IESV

IESV CHRISTI AN. 1047.

CLEMENTIS II. AN. 1.

HENRICI II. 1.

CONST. MONOM. 5.

I. CONCIL. ROM. CONTRA SIMONIACOS.

ANNO Christi milleſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Clemens Papa ad reformandum Eccleſiæ ſtatum, *Romæ* CONCILIVM habuit; in quo illud potiſſimum conatus eſt cum epiſcopis, annitēte Imperatore, vt ſimoniacos vepres, qui adeo excreuiſſent vt patrisfamilias ſuffocarent ſementem, non modo ſuccideret, ſed penitus eradicaret, nonnullis ea de re canonibus ſancitis: vt teſtatur Petrus *a* Damiani in epiſtola ad Henricum Archiepiſcopū Rauennatem. Quem & ipſum *Petrum (Damiani* à maioris fratris nomine dictū, quod qui à parentibus ceteriſq; propinquis derelictus fuerat, ab eo fotus, & ſtudiis literarū traditus eſt) Auellanenſis eremi incolam celebris nominis tum ſanctitate tum etiam doctrina, iterum atq; iterum ab Imperatore iuſſum eſſe Romam ad Pontificem ſe conferre, conſtat ex ipſius epiſtola ad eumdem Clementē ſcripta. Quod enim magnopere ſatageret Imperator, quem creaſſet Pontificem communire, exiſtimamus ea occaſione cupiiſſe vt Petrus illum conueniret, quo tantum virum latētem in eremo ad Eccleſiaſtica ſubeunda negotia ſenſim perduceret. In eodem vero Concilio Romano altercationem eſſe obortam inter Mediolanenſem, Aquileienſem, & Rauennatem Antiſtites, quinam ipſorum proximus apud Romanum Pontificem ſedere deberet, cauſamq; Rauennati adiudicatam eſſe, narrat Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Rauennate.

a *Pet. Dam. ep. ad Henr. Rauen. cap. 27. & 30.* PETRVS DAMIANI ROMAM VOCATVS.

II.

His autem Romę confectis Imperator reditum cogitans, voluit primum inuiſiſſe monaſterium Caſſinenſe, & Campaniæ atque Samnitum oras, vt ea componeret quæ turbata atq; male diſpoſita reperiſſet: cuius iter, reſq; in eo geſtas, relegens breuiter Leo *b* Oſtienſis, addit ipſum poſt hæc in patrium rediiſſe ſolum, ac ſecum Clementem Papam adduxiſſe. Timebat videlicet ei, quod depoſito Gregorio Romano, & ſubrogato Germano homine, Romanos non mediocriter offendiſſet. Ideoq; ne præſente Gregorio Romæ aliquid innouaretur, illum etiam ſecum in Germaniam duxiſſe certum eſt: quem comitatus eſt tunc Hildebrandus eius diſcipulus, natione Tuſcus, patria Saonenſis, qui poſtea creatus, Romanus Pontifex dictus eſt Gregorius Septimus. Teſtatus eſt enim id ipſe in Concilio Romano celebrato anno milleſimo octogeſimo. Qui quidem tunc in Gallias profectus, apud Cluniacenſes, penes quos ſciebat monaſticam vigere obſeruantiam; habitauit monachus inter monachos.

b *Leo lib. 2. cap. 81.* IMP. DVCIT IN GERM. CLEM. ET GREGOR. PONT.

III.

Quid autem poſt hæc egerit Imperator, Glabri *c* teſtificatione liquet, cum ab Vrbe reuerſum collegiſſe CONCILIVM Epiſcoporum totius Imperij ſui, ad extirpandam, quæ tunc vbique vigebat, ſimoniacam prauitatem, in eoque gnauiter elaboraſſe. Sed & quid inſuper hoc eodem anno quo creatus eſt Imperator, eidem contigerit, Willelmus *d* Malmesburienſis, & alii poſt eum narrantes, tradunt, cum tempore Conradi patris ſui à quodam clerico fiſtulam tuliſſet argenteam qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Epiſcopatū cum foret Imperator; adulteſque repetēti pollicitum impigre dediſſet: haud multo poſt aſpera valetudine correptum, cum triduo abſque ſenſu & mutus iacuiſſet, ope indictarum ab Epiſcopis publicarum precum conualeſcentem, accitum Epiſcopum quem iniuſte fecerat, ſententia Concilij depoſuiſſe, profeſſum ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flagrantiſſimam in ſe flammam per fiſtulam iaculantes; ſed iuuenem inter hæc ſemiuſtulatum aduentaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius aſperſione extinctis ardoribus ſanitatem recuperaſſet. Porro iuuenis ille fuit S. Laurentius, cuius eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum idem Henricus compaginauerat, & præter alia dona calice aureo honorificauerat. Hæc quidem illi. Ceterum Glaber, præter alias virtutes, commendans quoque tanti Principis fortitudinem bellicam, vitium tamen quod ei intime inhærebat deplorat, nempe incontinentiam & carnis luxuriam.

c *Glab. lib. 5 cap. 5.* CONCIL. IN GERM. ADVERSVS SIMONIACOS.

d *Malmes. de geſt. Angl. lib. 2. cap. 12.* IMP. VEXATVR A DÆMON. OB EPISCOPATVM INIVSTE COLLATVM.

Hoc eodem anno, ſeptimo Idus Octobris, *Clemens* Papa poſt nouem menſes à promotione ſua, in Germania ex hac vita migrauit; ſepelienduſque delatus eſt in ſuum olim Epiſcopatum Bambergam. Tradit hæc Hermannus; ſimulque Leo hoc anno, & alii omnes poſt eum. Subrogationem autē ſucceſſoris, nonniſi anno ſequenti factam idem docet Hermannus. Siquidem audito Romæ obitu Clementis, *Benedictus* Nonus iam iterum pulſus, adhuc tertio inuaſit Sedem: quam octo menſes tenuiſſe, Leo *e* eſt auctor. Agemus igitur de Clementis ſucceſſore anno ſequenti.

IV. CLEM. PP. OBITVS.

Eodem anno Hungari concitati à Regni proceribus, rurſum à Rege ſuo Petro (quem Rex Henricus reſtituerat, necato Ouone) deficientes, eumdemque tentum excæcantes, Andream Ducem ab exilio reuocarunt, ac Regem conſtituerunt: à quo etiam diabolico furore perciti impetrarunt vt à Chriſtiana religione deficerent, dæmonibuſq; ſacrificia immolarent. Qui & in Chriſtianos graſſantes, atq; in eccleſias irrumpentes, iiſdem ſpoliatis & incenſis, clericos etiam ac monachos diris ſuppliciis affecere; pariq; impetu in Regios miniſtros, & alios quoſcumque ſiue gentiles ſuos, ſiue externos apud ſe inuentos, qui Chriſtiano nomine cenſerentur, irruperunt: fuitq; talis perſecutio, vt ſi diutius perduraſſet, omne prorſus Chriſtianitatis nomen in Hungaria aboleuiſſet. Quas diras clades recenſent complures, & inter alios qui res Polonorum proſecutus eſt Longinus: eaq; perſecutione cum aliis quam plurimis ſublatum eſſe martyrio *S. Gerardum* Chanodienſem Epiſcopum narrat; quod & alij pleriq; teſtantur: res vero geſta fuſius deſcribitur in eiuſdem Sancti Vita *f* ab eius temporis auctore: vbi & dicitur primus Pannoniæ ſiue Hungariæ Martyr: cuius poſtea corpus iuſſu Gregorii Papæ Septimi eleuatum, Rex Ladislaus ac Principes propriis humeris tranſtulerunt. Defuncto autem Petro, & Andrea in Regem recepto, coronatoq; ſolemnibus ritibus à tribus Regni Epiſcopis; vt res compoſuit, eaſdem etiam bene diſpoſuit, agens ſummo ſtudio vt ablegata penitus idololatria, ſacroſancta Chriſtiana religio poſtliminio reſtituta vireſceret: quod factum poſt annum ſequentem, idem Longinus affirmat.

V. HVNGAR. ECCLES. GRAVEM PERSECVT. PASSA.

f *Ap. Sur. 24. Sept.*

Contigit hoc item anno, Hermanno & Sigeberto teſtibus, (licet anno ſuperiori Lambertus ponat) incendium Virdunenſe, opera Godefredi Lotharingæ Ducis, deſperatione rebellantis ob ſublatum ſibi ab Imperatore Ducatum. Cum autē Dei-Genitricis templum ibidem exuſtum fuiſſet, ſpontaneæ pœnitentiæ ipſe poſteris dignum reliquit exemplum; dum (quod ait Lambertus) publice ſe verberari fecit, & capillos ſuos vt tonderētur multa pecunia redemit, ſumtuſq; ad reædificandam eccleſiam dedit, & in opere cœmētario per ſeipſum plerumq; vilis mancipii miniſterio functus deſeruiuit. Extatque hactenus in commentario Stemmatis Lotharingiæ Ducum, fragmentum diplomatis *g*, quo in pœnitentiam eiuſmodi reatus idem Godefredus illius eccleſiæ promittit reædificationem, eique donat in perpetuum quartam partem Comitatus ſui Virdunenſis. Ceterum qui tantum Chriſtiano Principe dignum veræ pœnitentiæ ſpecimen edidit, longe maiorem etiam in terrenis ſpatiis retributionem eſt conſecutus; dum paulo poſt ex coniugio Beatricis Tuſciæ & Liguriæ Marchioniſſæ, factus eſt dominus maioris partis Italiæ: de quo variis occaſionibus ſæpe inferius agendum erit.

VI. GODEFR. DVCIS LOTHAR. POENITENTIA.

g *In Exemp. diplom. an. 48. Ap. Bar. an. 1070. in fin.*

IESV CHRISTI AN. 1048.

DAMASI II. AN. 2.

HENRICI II. 2.

CONST. MONOM. 6.

ANNO Chriſti milleſimo quadrageſimo octauo, Indictione prima, afflictata Romana Eccleſia à Benedicto

I.

tertium eius inuasore, ab Imperatore missus est Romam Poppo Episcopus Brixiensis (quem alii Aquileiensem dicunt) Pontifex consecrandus, qui suffragiis omnium electus & comprobatus, nominatus est DAMASVS Secundus. Hæc ex Leone *a* Ostiensi, Hermanno, & aliis plerisque: qui & sedis eius tempus perbreue fuisse affirmant, nempe viginti trium dierum; defunctumque Præneste, (vt Leo habet) ac delatum in Vrbem, sepultum esse in Ecclesia S. Laurentii extra muros. Veneno sublatum Benno ait opera Benedicti. Sed cum huius historici plura sint mendacia quam verba, quid affirmari possit nihil est penitus; vt qui (ne decipiaris auctoritate eius) dicendus plane prudentium lectorum sententia non historicus, sed Satyricus, idemque calumniosus fabularum contextor; quippe qui mentiendi, detrahendi, monstruosaque de insignibus pietate viris fingendi, de nequissimis vero optima quæque componendi, sumpsit sibi licentiam. Cæterum è medio subducto Damaso, vacauit Sedes vsque in annum sequentem, discerpta interim vnguibus inuasoris Benedicti eiusdemque fœdata spurcitiis.

a *Leo lib. 2. c. 82.*

DAMAS. II. PP. CREATVR, ET MORITVR

QVALIS BENNO SCHISM.

II. S. ODILONIS ABB. CLVNIAC. OBITVS.

Hoc eodem anno, ipso eius exordio, Calendis Ianuariis, admirandus ille *Odilo* Cluniacensis Abbas, sæculi huius astrum lucidissimum, quem (vt vidimus) Reges, Imperatores, atque Romani Pontifices coluerunt, quemque præ egregia virtutum excellentia Fulbertus *b* nominat Archangelum; ex hoc mundo apud Siluiniacum migrauit in cœlum, ætatis anno octogesimo septimo, ordinationis quinquagesimo sexto; vt tradit Petrus Damiani in ipsius Rebus *c* gestis, quas tunc ex parte collegit cum Pontificia functus in Gallia legatione nobile Cluniacense cœnobium visitauit; Hugonisque eiusdem S. Odilonis successoris precibus exoratus, non tam scriptoris quam breuiatoris multiplicium rerum ab aliis collectarum functus est munere, vt ipse præfatur.

b Ext. Fulb. ep. quatuor ad Odil. nempe 51. 52. 53. 54.

c Ap. Sur. 1. Ianuar.

III. DE DIE ANNIVERS. OMNIVM DEFVNCT. *d Martyrol. Rom. die 1. Ianuar.*

Illud autem de eodem S. Odilone notatione dignissimum idem Petrus testatur; fuisse ipsius institutionem, vt die secunda Nouembris Omniũ in Domino quiescentium memoria ageretur, sicut pridie agi consueuit Omnium Sanctorum. Quod autem scribit Petrus, confitetur etiam absque inuidia Romana Ecclesia in Martyrologio *d*, dum ipsius natalem diem recolens, eum tradit primum extitisse, qui cõmemorationem omnium Fidelium defunctorum prima die post festum omnium Sanctorũ in suis monasteriis fieri præcepit: eumque ritũ postea vniuersalem Ecclesiam recipientem comprobasse. Meminitque pariter huius institutionis ab eodem factæ, Sigebertus anno Domini nongentesimo nonagesimo octauo. Et dilucidius Glaber *e* ait; cum ex pluribus diuersisque reuelationibus Dei famulis diuinitus ostensis, innotuisset complures animas orationibus potissimum Cluniacensium monachorum, in id præ cæteris incumbentium, à pœnis Purgatorii liberari; sanctissimum eorum Abbatem Odilonem propensiori sollicitudine cœptũ pietatis opus prosequi curantem, præter alia plura quotidiana suffragia, quibus animabus defunctorum iugiter consueuerant subuenire, anniuersariam statuisse diem qua pro omnibus Deo sacrificia per omnia sibi subdita monasteria offerrentur. Vt autem statuta ad id fuerit dies sequens à cõmemoratione Sanctorum omnium, ex ordine Officii Ecclesiastici ratio sumpta videtur. Nam qui ducentis circiter ante hæc tempora vixit annis, Amalarius Fortunatus in libris suis de Officiis *f* Ecclesiasticis ait, se post officiũ Sanctorum inseruisse officium pro Mortuis, quod multi transeant de præsenti sæculo, qui non illico Sanctis coniungantur; pro quibus solito more officium agi debeat.

d Glab. lib. 5. c. 1.

f Amalar. lib. de ord. antiph. c. 65 adj. Baron. in Not. ad Rom. Mart. 2. Nouemb.

IV. TVRCARÜ PROGRESSVS.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc ipso anno, Indictione prima, TVRCÆ, qui ad Boreales partes Cauensis montis sedes habebant, seque patriis finibus continere, nec inde nisi ad stipendia inuitati recedere consueuerant; eadem occasione à Persarum Rege Saraceno vocati, ab eodemque male habiti, in ipsum arma conuertentes, felici successu Perside sunt potiti; & ex his euentis audaciores redditi, aduersus Romanum Imperium arma mouentes, eo domito tandem potiti sunt. Quæ quidem hoc anno cœpta esse testatur Curopalates, resque tunc sub Constantino Monomacho gestas fusius scribit; ex quo Cedrenus, & alii descripserunt. Eaque ex Dei vindicta contigisse in Orientalium schismaticorum vltionem, declararunt euenta. Nec absque consideratione prætereundum est, eo tempore esse Turcas in damna illius Imperii eductos, cum Ecclesiæ Constantinopolitanæ male præesset schismaticorum signifer Michael Cerularius, Latinorum omnium infensissimus hostis.

IESV CHRISTI AN. 1049.

LEON. IX. AN. 1.

HENRICI II. 3.

CONST. MONOM. 7.

ANno Christi millesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, post menses quinque vacationis Romanæ Sedis ab obitu Damasi, Bruno ex Comite Dagspurgensi & Episcopo Tullensi in Leucis, maximo bono totius Ecclesiæ Catholicæ, creatus est Romanus Pontifex, dictusque LEO Nonus. Sed hæc quomodo se habuerint, ex eius sæculi Scriptoribus imprimis sunt perquirenda.

I. LEO PAPA IX.

Defuncto igitur (vt dictum est) Damaso, & Benedicto sedem rursum sibi vendicare nitente; ne tale monstrum iterũ subire sancta Ecclesia cogeretur, necessaria missa est à Romanis in Germaniam legatio ad Henricum Imperatorem, qua petierunt Pontificem ab eo dari. Ita Lambertus hoc anno. Porro legationem à Cardinalibus fuisse missam, non, vt ipse Imperator Papam eligeret, sed quem sibi vtilem fore putaret, Romam mitteret, vt ex more consilio Cardinalium in ipsa Vrbe Pontifex eligeretur, nec Benno quidem aduersarius negat. A Romanis quidem ipsum electum, testatur Leo *a* Ostiensis. Quare quod alii dicunt electum ab Imperatore, ab ipso delectum intelligas, sed postea electum à Cardinalibus. Otto vero Frisingensis rem gestam narrans, ait Brunonem Tullensium Episcopum, ex nobili Francorum prosapia oriundum, auctoritate regalis excellentiæ ad Sedem Beati Petri destinatum, cum assumpta purpura Pontificali per Gallias iter ageret, Cluniacum aduenientem, ab Hildebrando monacho (de quo iam superius dictum, qui postea & ipse Pontifex Gregorius Septimus nuncupatus est) constanter de incœpto redargutum esse, quod illicite per manum laicam ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introiret. Cumque idem Hildebrandus polliceretur, si suis Bruno acquiescere vellet consiliis, se vtrumque, & quod maiestas Imperialis in ipso non exacerbaretur, quodque libertas Ecclesiæ in electione canonica renouaretur, effecturum; tunc eidem obtemperantem Brunonem, purpuram deposuisse, peregrinique habitu Romam accedentem, Hildebrandi consilio quem secum duxerat, à Clero & populo in Summum Pontificem electum esse; sicque vtcumque Ecclesiam Romanam ad faciendam electionem informatam esse. Hæc quidem Otto. Idibus autem Februarii fuisse Romæ consecratum, habent veteres Indices Vaticani: quod Hermannus Quadragesimali tempore contigisse tradit: Acta vero Synodi Rhemensis, de qua paulo post agetur, in Hypapanti Domini, siue Occursu, nempe die secunda Februarii. Vnde errare omnino conuincuntur ii, qui ipsum in Germania ante aduentum in Vrbem Synodos celebrasse testantur, quando autem illas celebrari contigerit, postea dicturi sumus.

II.

a *Leo lib. 2. c. 82.* DE SIVS ELECTIONE.

Cæterum ipsum initio saltem Quadragesimæ consecratum esse, satis colligitur ex eo, quod Leo Ostiensis tradit, illum eodem quo ordinatus est anno orationis gratia Montem Garganum petiisse, (qui situs apud Sipontum in Apulia, Ecclesiam habebat S. Michaelis Archangeli, celebertimam eius temporis peregrinationem;) & redeuntem in ipsa festiuitate Palmarum ad monasterium Cassinense diuertisse. Pascha vero Romæ celebrasse, ex Hermanno constat. Quod autem absque vlla mora peregrinationem illam Angelicam susceperit, in causa fuisse putatur, quod (vt tradit Sigebertus) cum ex Gallis ad capessendam Sedem Apostolicam Romam tenderet, audiuisset voces Angelorum cantantium; *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non affli-*

III. PEREGRINATVR AD MONT. GARG.

VOLVIT ETIAM DICI EPISCOPVS TVLLEN

ctionis, quem & Apostolico more præcedentibus prophetiis per visionem ipsi diuinitus significatis, ad Apostolicũ thronum peruenisse, docetur in scripto codice Sublacensis monasterii Lectionario. Adeo vero fuit suæ Tullensis Ecclesiæ amator, vt licet Romanus Pontifex creatus esset, tamen titulum priorem non reliquerit, volueritque dum vixit dici etiam Tullensis Episcopus. Insuperque liquet *b*, patrimonium suum impendi voluisse in erectionem monasterii S. Crucis; quod & amplissimis redditibus locupletauit, & sub protectione Romanorum Pontificum reliquit.

b Testatur Greg. Sept. 2. ep. 14. ad Guarner. Epist. Arg.

Et quod ad cæteras huius anni res ab eo gestas pertinet; tradit Hermannus, eũ in hebdomada post Albas SYNODVM cum Episcopis Italiæ celebrasse *Romæ*: in hebdomada vero Pentecostes aliam *Synodum Papiæ* congregasse, indeque per montem Iouis cum pluribus Romanorum in Cisalpinas partes deuenisse. Porro in his Synodis multa ipsum aduersus simoniacam prauitatem, qua tunc vniuersa ferme Ecclesia fœdata erat, constituisse, testis est Petrus Damiani in epistola *c* ad Henricum Rauennatem Archiepiscopum. Qui & ipse Petrus, huius temporis magnum Ecclesiæ sidus, tunc adhuc eremita montis Auellani in Vmbria, quod præterea cerneret omnem carnem corrupisse viam suam; de his quoque nouum Pontificem Leonem monens, scripsit ad eum librum *Gomorrheum d* inscriptum, quo vitia quadripartita carnis quibus obrueretur Ecclesia, quam potuit in tantis recensendis obscœnitatibus honeste insinuauit, rogans vt Petri gladio, acutiore quam Phinees, conficiens turpissimos homines illos, & maxime clericos, Ecclesiam Dei non habentem maculam neque rugam, seruaret incontaminatam. Id vero Leonem egregie præstitisse, docet ipsius ad Petrum reddita epistola, quæ præfixa legitur eidem Gomorrhæo, habetque dignas pœnas appositas, pro criminum qualitate & quantitate.

c Ext. in Bibl. Patr.

d Ext. in Bibl. basil. S. Pet. Romæ. Editusque est post ea Tom. 3. Oper. Pet. Dam.

CARNIS VITIA EXCISA PER LEONEM.

Rursum vero post superiores Synodos, aliam quoque ab eodem Pontifice autumnali tempore *Rhemis* cum Galliarum Episcopis habitam esse; & aliam rursum quadraginta Episcoporum *Moguntiaci* coram Imperatore & aliis Germaniæ Principibus; eundemque post hæc Pontificem, rebus vbique optime compositis, tandem in Italiam redeuntem, Natalem Domini Veronæ peregisse; testis est Hermannus, his gestis primum Leonis annum claudens. Scimus quidem Trithemium in Chronico Hirsaugiensis monasterii, dum agit de eiusdem reædificatione ab eodem Pontifice procurata, aliosque nonnullos, peregrinationem istam trans Alpes atque Synodos celebratas in annum sequentem reiicere: sed magis placet Hermannum sequi, hæc tunc ante oculos habentem; quem etiam tutius sequitur Sigebertus, atque post eum alii: idque ipsum expresse qui tunc temporis scripsit Adam *e* profitetur; hoc scilicet anno Redemptoris millesimo quadragesimo nono eandem Moguntinam Synodum generalem celebratam esse: in qua inter alia tradit Spirensem Episcopum nomine Sibiconem, ab adulterii crimine examinatione sacrificii purgatum esse; multaque ibi sancita esse aduersus simoniacam hæresim, & nefanda sacerdotum coniugia.

e Adam lib. 3. c. 31.

Quod vero ad ea pertinet quæ in Galliis gessit; tradit Sigebertus *f* in libro de illustribus Scriptoribus Ecclesiasticis, Anselmum Rhemensem monachum scripsisse Itinerarium eiusdem Leonis Papæ Noni à Roma in Gallias; ob hoc maxime, vt notificaret quanta auctoritate Rhemis, vel in aliis vrbibus Synodum celebrauerit; qua subtilitate & iustitia examinauerit causas Ecclesiasticas; qua discretione peccantes correxerit; quomodo ei virtus Dei cooperata sit: quod satis (inquit) patuit in vna causa eiusdem Rhemensis Synodi, vbi dum Episcopus Frisingensis contumaciter ageret cõtra Apostolicam auctoritatem, repente in oculis omnium obmutuit. Hæc Sigebertus. Ac sane magno Dei beneficio post tot tenebras factum esse, vt tanti viri fulgore Romana Ecclesia illustraretur, euentus probarunt: quem & multis illuxisse signis ac virtutibus editis, narrat Desiderius Abbas Cassinensis & Cardinalis S. Cæciliæ (qui creatus postea Romanus Pontifex, Victor Tertius dictus est) in libris Dialogorum, quos exemplo S. Gregorii numero quatuor scripsit. Extantq; *g* hactenus ipsa Acta Rhemensia tam prædictæ Synodi, quam solemnis quæ præcessit dedicationis Ecclesiæ S. Remigii nuper restitutæ, in q̃ facta est quarta eiusdem Sancti corporis translatio, humeros supponente ipso Leone Papa vna cũ aliis Antistitibus: q̃ quidem scriptio eadem forte est, q̃ Sigebertus Anselmo tribuit. Certe ex ea abunde confirmatur, q̃ de ipsius Leonis rebus fortissime atq; sanctissime gestis idẽ auctor tradit; necnon quæ de miraculis ab eodẽ Pontifice editis, tam ipse q̃ Desiderius retulerunt. Quid vero in eadem Synodo actum fuerit, docent canones in ea sanciti de simoniaca hæresi; de ministeriis Ecclesiasticis & altaribus, q̃ à laicis tenebantur, deq; prauis consuetudinibus quæ ab eis in atriis Ecclesiarũ exigebantur; de incestis, aliisque illicitis cõiugiis; de monachis & clericis apostatis, & mundanã militiã exercentibus; de rapinis, & pauperum iniustis captionibus; de Sodomitico vitio; ac de quibusdam hæresibus quæ in iis partibus pullulauerant: quæ omnia anathemate damnata sunt; multique tam Episcopi, quam Comites, aliique iis vitiis infecti, pari damnationis sententia perculsi.

g Rec. Baro. ad. X. hoc an. ex arch. Rhem. Eccl.

Quod autem ad Leonis Pontificis præclara gesta, postquã Romam rediit; auctor est Leo *h* Ostiensis, ipsum inter innumera suæ bonitatis insignia, quãdiu ibi remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranensi Ecclesia vsq; ad S. Petrum priuato habitu, nudisq; pedibus, cum duobus aut tribus clericis noctu psallendo & orãdo pergere consueuisse. Qui & in eiusdem Principis Apostolorum basilicæ emolumentum concessit *i*, vt decima pars oblationũ ei cederet; cum illas in suum vsum prædecessores à multo tempore conuertere consueuissent.

h Leo Ost. lib. 2. c. 88.

i Rec. Baro. hoc ann. ex arch. basil. S. Petri.

Quod ad res spectat Orientales; hoc eodẽ anno Indictionis secundæ, Constantini Aug. octauo Imperii inchoato, Cegenes Dux trium exgentibus *Pazzinacarum*, (eo namq; nomine à Græcis appellantur tredecim gentes, quæ trans Istrũ loca incolunt à Borysthene fluuio vsq; ad Pannoniæ cãpos, in tẽtoriis iugiter habitantes) persecutionẽ passus à primario illarum gentiũ Principe, confugit ad Constantinum, & sacrũ suscepit baptisma cum omnibus qui cum ipso erant: cuius & postea exẽplum secutus est ipse Tyrach eorũ primarius Princeps. Hæc pluribus Curopalates; q̃ & quomodo hi nouis ex causis defecerint ab Imperatore, longiorem texit historiam.

PAZZINACÆ AD FIDEM CONVERSI.

IESV CHRISTI AN. 1050.

LEON. IX. AN. 2.

HENRICI II. 4.

CONST. MONOM. 8.

I.

ANno Christi millesimo quinquagesimo, Indictione tertia, à Leone PP. duæ celebratæ sunt SYNODI, altera *Romæ* post Pascha, *Vercellis* altera Autumni tempore; & Hunfridũ Archiepiscopum, pro quadam inter Rauennatem & Rom. E. contentione, ab officio suspendit; indeq; Gallias, & Episcopatum suum Leucorum reuisit; atque Imp. in Saxonia agentem conuenit. Hæc breuiter Hermannus hoc anno. Plenius vero de iisdem Synodis Lanfrancus, qui eis interfuit, agens in commentario aduersus Berengarium, ait eas magna Episcoporum, aliorumq; Antistitum frequentia celebratas esse cõtra eundem Berengarium; & in Romana quidem, recitatis literis ab eo ad ipsum Lanfrancum transmissis de corpore & sanguine Domini, iisdemq; contra vsitatissimam Ecclesiæ fidem conscriptis repertis, promulgatam esse in eum damnationis & excommunicationis sententiam: Lanfrancũ vero, qui ob eiusmodi literas ad ipsum scriptas, in suspicionẽ hæresis adductus fuerat; post eam publice damnatã & confutatam, absolutum esse & innocẽtem declaratum: In Synodo autem Vercellensi, celebrata mense Septembri eodem præsidente Pontifice, cum ad eam vocatus Berengarius non cõparuisset, iterum damnatũ esse vna cũ peruersa ipsius hæresi: itemque Ioannis Scoti librum de Eucharistia, quẽ plurimum Berengarius laudauerat, lectum esse, ac pariter damnatum. Hæc Lanfrancus de vtraque Synodo hoc anno celebrata.

CONCILIA à LEO. PP. CELEBRATA CÕTRA BERENG. HÆRESIAR.

II.

In eodem vero Concilio Romæ contra Berengarium coacto, tradit Andreas Dandulus in suo Chronico, Leonem Pontificem tribuisse Pallium Dominico Patriarchæ Gradensi, Venetias translato, eidemq; priuilegium concessisse,

STATVTA CONCILII RHEM. SVB LEONE PP.

VII. h *Leo Ost. lib. 2. c. 88.*

i *Rec. Baro. hoc ann. ex arch. basil. S. Petri.*

VIII. PAZZINACÆ AD FIDEM CONVERSI.

I. CONCILIA à LEO. PP. CELEBRATA CÕTRA BERENG. HÆRESIAR.

II.

VOLVIT ETIAM DICI EPISCOPVS TVLLEN

IV. CONCIL. ADVERSVS SIMONIACOS.

CARNIS VITIA EXCISA PER LEONEM.

V. ALIA CONCILIA IN GALL.

VI. f *Sigeb. de Script. Eccl. c. 153.*

LEO PAPA SIGNIS ET VIRTVTIB CLARVS.

PATRIARCHATVS GRADEN. *Vid. ann. 719. nu. II.*

vt Crucem ante se deferret; sedemque Patriarchalem approbasse, & Episcopis Venetiæ prouinciæ & Istriæ scripsisse, vt ei tanquam Primati suo obedirent; & Aquileiensis Antistes iis terminis contentus esset, qui erant in finibus Longobardorum. Verum extat *a* epistola eiusdem Leonis scripta post triennium, nempe Indictione sexta, qua docetur, in alia itidem Romæ celebrata Synodo ita definitam esse veterem controuersiam inter Foroiulienſem & Aquileiensem Antistites de limitibus diœceseos, vt Aquileia totius Venetiæ & Istriæ metropolis esset, Foroiulienſis Ecclesia finibus Longobardorum contenta esset. At de his controuersiis, harumque Ecclesiarum diuersis nuncupationibus, acceptionibusque, sæpe dictum est superius.

a Leo Non. ep. 2. to. III. conc. Rom. Pont. Ap. Baron. ann. 1053. n. III.

III. CONCIL. COYACEN. IN HISP.

Hoc eodem anno, nempe Æra millesima octogesima octaua, celebratum est in Hispania in castro *Coyaca* diœcesis Ouetensis, CONCILIVM omnium totius Regni Episcoporum, Abbatum, & Optimatum, cui etiam interfuit Ferdinandus cognomento Magnus cum vxore Sancia: quorum nomine promulgata sunt tredecim capitula *b* ad disciplinam Ecclesiasticam & politicam eius Regni pertinentia.

b Rec. Baro. Ann. tom. XI. ann. ex cod. Ant. Aug.

IV.

Ad hæc item tempora Leonis Pontificis spectat, quod Sueno Rex Danorum & Sueonum, cognomento Magnus, (qui & ingenti classe parata Eduardum Angliæ Regem, ipsumque Regnum sibi tributarium fecit) consobrinam ducens vxorem, coactus est à Romano Pontifice eam dimittere, cum diu frustra in eo laboraſſet Adalbertus Archiepiscopus Hamburgẽsis illarum omnium regionum Primas. Rem gestam eius temporis auctor Adam *c* Bremensis describit: qui de eodem Suenone Rege inferius *d* agens plane fuisse doctum satis prædicat, atque de Christiana religione optime quidem meritum; hoc tamen non catuisse, quod morbo luxuriæ laborans, alias, itemque alias vxores & concubinas assumeret; vnde & tradit suscitasse ei Dominum inimicos in circuitu multos, sicut Salomoni fecit proprios seruos. Idemque istis subicit, statum in Ecclesię Sueonum, siue Sueorum, his temporibus nonnihil perturbatum fuisse à pseudoepiscopo pessimo nomine Osmund Acephalo, Regi coniuncto: restauratum vero ab alio legitimo Episcopo, qui munus Apostolicum, quod acceperat, adeo digne exercuit, vt gentem integram *Virnilanorum* Christo lucratus, etiam miraculorum virtute claruerit.

c Adam lib. 3 c. 12.

d Id. lib. 4. c. 16.

REX SVENO PVNITVR À DEO OB LVXVRIAM.

V.

Hoc item anno Marianus Scotus, de Rege Scotiæ Machetad nominato narrat, ipsum Romam venisse ad Limina Apostolorum, & effusa liberalitate argentum disseminasse in pauperes.

IESV CHRISTI AN. 1051.

LEON. IX. AN. 3.

HENRICI II. 5.

CONST. MONOM. 9.

I.

ANno Christi millesimo quinquagesimo primo, Indictione quarta, Leo Papa & Imperator Henricus, cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam cõuenientes, Purificationem Dei-Genitricis celebrarunt; Rauennateque Archiepiscopo apud eundem Pontificem ibidem reconciliato, charitatiue à se inuicem discedentes, Papa Romam reuersus est: vbi post Pascha SYNODVM collegit, in qua inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum, propter adulterium cum vidua quadam auunculi sui sponsa admissum, & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit: quem tamen non multo post Romam venientem, satisfactionemque promittentem, officio priori restituit. Hæc omnia Hermannus hoc anno. Testis vero est Petrus *a* Damiani, in hac eadem Synodo ventilatam quoque fuisse quæstionem de ordinatis ab Episcopis simoniacis; sanctumque decretum, quod Constitutum vocabant, de continentia clericorum; quo & illud statutum est, vt quęcunque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adiudicarentur ancillæ. Idemque insuper Leo aduersus expilatores domorum Episcopalium post obitum Episcoporum, scripsisse reperitur ad Auximanos, aliaque in vtilitatem nonnullarum Ecclesiarum constituisse.

CONCIL. ROM.

a Pet. Dam. ep. ad Henr. Rauenn. & ep. ad Cunib. Taurin.

DECRETVM DE FŒMINIS PROSTITVTIS.

II.

Hoc eodem anno (vt auctor est Lambertus) quarto Idus Nouembris Henricus Imperator auctus est filio, cui pariter Henrici nomen imponi voluit. Sed plane magno Ecclesiæ damno hunc genitum, præuidit per visum quæ ipsum gestabat in vtero Agnes Augusta, nimirum se draconem parere virulentum; vt testatur Domnizo *b* presbyter in Vita Mathildis, quam eo tempore versibus scripsit: quod quam verum fuerit vaticinium, ipsa declararunt euenta. Porro eundem Henricum in baptismo susceptum esse de fonte à S. Hugone Abbate Cluniacensi, facto ei patre secundum spiritum, idem auctor *c* affirmat.

b Domniz. lib. 1. c. 18.

VATICINIVM DE HENR. III.

c Id. l. 2. c. 1.

IESV CHRISTI AN. 1052.

LEON. IX. AN. 4.

HENRICI II. 6.

CONST. MONOM. 10.

I.

ANno Domini millesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, Leo Papa ad componendas dissensiones inter Imperatorem & Andream Hungariæ Regem, ab eodem Rege in Germaniam venire rogatus, Imperatorem ab obsidione castri Brezisburgi reuocauit, eum sibi per omnia consentaneum inueniens: sed econtra Andream consiliis suis minus parentem experiens, eique excommunicationem, vtpote delusa Sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, ac Natalem Domini Wormatiæ cum eodem egit. Hæc præsenti anno gesta habet Hermannus. Leo *a* autem Ostiensis aliam asserit causam profectionis Pontificis, nempe vt ab Imperatore aduersus Northmannos auxilium peteret.

LEO PP. PROFICISCITVR IN GERM.

a Ost. lib. 2. c. 85.

II.

Habet idem Hermannus, hoc anno tempore Quadragesimæ ab eodem Imp. promotum esse Henricum ad Archiepiscopatum Rauennatis Ecclesiæ: ad quem eodem anno epistolam, seu librum potius, Petrus Damiani misit; quo agitatam quadriennio in pluribus Synodis controuersiam de ordinatis ab Episcopis simoniacis, contendentibus aliquibus eosdem iterum ordinandos, diffusius disputauit; ac pluribus argumentis demonstrauit, eiusmodi nequaquam iterum ordinari debere. Quæ quidem sententia optatissima cum esset ordinatis, eosque molestissimis scrupulis liberaret, effecit, vt idem Petrus eidem suo commentario titulum inscripserit, *Gratissimus b*; siue (vt notauit Scholiastes) ea de causa, quod de illis ageret qui gratis fuissent à simoniacis ordinati, quibus gratissimus liber existeret.

DE ORDINATIS SIMONIACIS.

b [Ad hunc librum vide censurã Bellarmini li de Script. Eccles. in Pet. Dam.]

III.

Sed quid est quod quadriennio laboratum ait in quæstione haud adeo difficili, & iam antea decretis Pontificum & Conciliorum canonibus definita, vt idem ipse Petrus in eadem tractatione perdocuit? Non id quidem factum inscitia Leonis Papæ, qui ipso sui Pontificatus exordio (vt Petrus testatur) firmiter statuit, vt ordinati à schismaticis, absque alia iterata ordinatione in acceptis ordinibus ministrarent, post expletam pœnitentiam quadraginta dierum: sed quoniam complures inuenti sunt ex Ecclesiæ filiis, qui zelum habentes, at non secundum scientiam, odio simoniacorum Episcoporum, ordinatos ab eis non recipiendos, sed iterum ordinandos esse dixerunt: (sicut olim à grauissimis Ecclesiæ Doctoribus odio hæreticorum, non recipiendum esse ipsorum baptismum assertum fuerat) sanctissimus Pontifex consultius esse duxit pacifice rem agere, & lento gradu morbo mederi, quam non absque periculo ferro præcidere quod e-

NOVA HÆRESIS DE REORDINANDIS ORDINATIS A SIMONIACIS.

ratinfirmum. Porro cum aduersus nouam eiusmodi de reordinandis ordinatis à simoniacis emergentem hæresim, triginta capitibus Petrus disputasset, demum in fine compellat Episcopos omnes, ipsumque etiam Summum Pontificem, vt iam matura zizania ad messem parata, & à tritico separata, tradant ad comburendum. Cuius quidem scriptionis tanta fuit auctoritas, vt nullus amplius sit repertus, qui eidē fuerit patrocinatus errori: cum & nihilominus ipsum Pontificem Leonem totum perpetuo fuisse in simoniæ scelere ab Ecclesia penitus eradicando, testetur etiam Gregorius c Septimus.

c Greg. Sep. 7. ep. 45.

IV. DE CORP. S. DIONYSII ASSERTO A GERMANIS.

Hoc eodem anno, cum idem Leo in Germanica sua peregrinatione Ratisponæ in Bauaria constitisset, declarationem quandam de sacratissimo corpore S. Dionysii Areopagitæ ibidem in Ecclesia S. Emmeramni Martyris consistente (tanquam videlicet olim eo translatum fuisset ab Arnulpho Imperat.) ad Regem, Clerumque ac populum Francorum scripsisse asseritur, quam in veteribus Pontificum Romanorum scriptis Antonii Augustini reperimus. At ista esse commentitia, exclamant Franci. Rigordus enim; qui sub Ludouico Philippi filio claruit, de his temporibus narrat; cum sub eodē Leone Nono, anno Domini millesimo quinquagesimo, Henricus Francorū Rex audisset Ratisponæ inuentum fuisse quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysii Areopagitæ; eundem Regem Henricum misisse Nuntios ad Henricum Imper. vt diem eleuationis illius corporis protelarent, quousque per certos Nuntios, vtrum verum corpus Dionysii in Francia esset, plenissime certificarentur; cumque in hanc rem Imperator misisset magnos viros & sapientes in Franciam, coram ipsis in magna Antistitum, Procerum, & populi frequentia, aperta capta argentea S. Dionysii diligentissime sigillata, totum corpus ipsius cum capite in ea inuentum fuisse, exceptis duobus ossibus de collo quæ erant in Ecclesia Vergiacensi, & osse quodam de brachio, quod Stephanus Papa Tertius secum Romam deferens collocauerat in Ecclesia Schola Græcorum nuncupata: hisque visis Nuntios Imperatoris in Germaniam redeuntes, de omnibus eū plenissime certificasse. Hæc Rigordus. Vt plane appareat, eandem controuersiam viguisse inter Francos & Bauaros de S. Dionysii corpore, quæ inter Cassinenses & Floriacenses de S. Benedicto per plurima sæcula est agitata. Commendanda alioqui eorundem populorum in cultu Sanctorum, sicut religiosissima, ita & tenacissima pietas & Catholica fides; Deo ista permittente ad maiorem gloriam Sanctorum suorum.

[Quæ vero hic ex Rigordo narrantur, certam confirmationem accipiunt ex annua festiuitate, & diuino Officio Breuiarii, ab eo tempore hactenus celebrari consuetis in monasterio S. Dionysii, die 9. Iunii, sub nuncupatione *Detectionis SS. Martyrum Dionysii & Sociorum.*]

V. MANICHÆI PATIBVLO DAMNATI.

Eodem anno Imperator Goslariæ existens, cum audisset ibi esse hæreticos Manichæos, zelo quo æstuabat fidei Orthodoxæ, eos omnes repertos patibuli suspendio necari iussit; ne videlicet, si parceret eis, Christianos Catholicos hæresis eiusdem veneno inficeret. Narrat ista Hermannus: additque de Reliquiis S. Zenonis Confessoris à Waltario Veronensi Episcopo in Alemanniam ad villam Vlmam allatis, quæ plurimis per hæc tempora claruere miraculis.

IESV CHRISTI AN. 1053.

LEON. IX. AN. 5.

HENRICI II. 7.

CONST. MONOM. 11.

I. PERMVTATIO INTER PONT. ET IMP.

ANno Christi millesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Leo Papa Wormatiæ cū Imperatore existens, cum Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata fuerant, ab eodem Imper. reposcens exegisset; Imperator ei pleraque in Vltramontanis partibus ad suum ius pertinentia, quasi per concambium (vt loquitur ista narrans Hermannus) tradidit. Hac vero ratione Leo *a* Ostiensis asserit peruenisse ad Sedem Apostolicam Beneuentum, per commutationem cum Bambergensi ciuitate. Obtinuit etiam Pontifex exercitum ab Imperatore ad profligandos Northmannos, qui res ad Ecclesiam Romanam pertinentes inuaserant, & multa alia facinora tyrannice nimis ac barbare perpetrauerant. Inter eos autem qui Leonem Papam in Italiam comitati sunt, ponit Lambertus Godefridum Ducem, & fratrem eius Fridericum, qui Gebehardo (hoc est, Victori Secundo) postmodū in Sede Apostolica successit. Leo vero Ostiensis, eiusdem Gebehardi tunc Episcopi Aistetensis fugillans proditionē, ait, cum ex iussione Imperatoris magnus valde traditus esset Pontifici exercitus, iamque itineris multum confecisset; eiusdem Gebehardi doloso consilio totum ferme reuocatum fuisse. Quod quidem, vt graue peccatum, idem Gebehardus diutius deplorauit, cum factus Pontifex (vt idem Leo *b* testatur) quotiescunque molestiæ aliquid patiebatur, dicere solebat, merito se illa pati, quia peccasset in dominum suū; &, dignum esse, vt quod fecisset Saulus, pateretur Paulus; quod egisset lupus, sustineret agnus.

g Leo Ost. lib. 2. c. 85.

b Id. c. 90.

II. EXPEDITIO PONT. ADVERSVS NORTHM.

Sed quod ad expeditionem Pontificis attinet; ipse Leo (inquit Hermannus) habita post Pascha SYNODO *Romæ*, cōtra Northmannos exercitum mouit. Cumque illi pacem petentes subiectionem ei promitterent, & quæ prius iniuste inuaserant, eius beneficio retinere offerrent; Papa vero id denegans, eos penitus loco cedere iuberet: illi, quia numero longe præstabant se potius bellum experturos, & vel armis acquisita defensuros, vel morte occubituros denuntiarunt: sicque decimoquarto Calend. Iulii valida pugna confligentes, prima acie à Teutonicis pene victi sunt; sed succenturiatis copiis ex insidiis hostes circumuenientes, Italis citius terga vertentibus, Teutonicisque maxima ex parte, sed non inulte occumbentibus; occulto Dei iudicio, siue quia tantum Sacerdotem spiritalis potius, quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat; siue quod nefarios homines quam multos, ad se ob impunitatem scelerum vel quæstum auarum confluentes, contra itidem scelestos impugnandos secum ducebat; siue diuina iustitia, alias quas ipsa nouit ob causas, milites Pontificios plectente; quamuis nimis cruentam, Northmanni adepti sunt victoriam. Ipseque Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata iam iamque munitione necessitate coactus communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis Beneuentum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus. Hæc iisdem ferme verbis Hermannus: quorum etiam Leo *c* Ostiensis meminit. Addit vero Sigebertus, Pontificem captum à Northmannis relaxari noluisse, nisi suis omnibus pariter relaxatis: idq; eidem obsequentes præstitisse Northmannos, Pontifici in omnibus proinde ac victori morem gerentes. Tanta videlicet fuit in ipsis reuerentia culminis Apostolici, vt (sicut ipse Pontifex suis literis testatus est, scribens anno sequenti ad Constantinum Monomachū Imp.) vicisse Pontificem ipsos pœnituisset. At de his non audiendus Benno schismaticus, qui rabie canina in Hildebrandum oblatrans, ipsum cum Benedicto Nono Sedis Apostolicæ inuasore insidiatum esse Leoni Pontifici in hoc bello Northmannico tradit.

c Ibid. c. 88. NORTHMANNI VICTORES VICTVM COLVNT PONT.

III. DVPLEX GLADIVS IN ECCLESIA.

Sed nec quæ de his agens Petrus Damiani, aduersus eundem Leonem militaribus copiis se immiscentem scripsit, in omnibus veritate subsistunt. Cum enim ipse esset mœrens animo ac lugens eremi incola, quod frequenter audiret Episcopos aliquos in Galliis atque Germaniis galeatos ac loricatos ad bella procedere; facinus exectatus, scripsit epistolam ad Firminum Episcopum, qua deplorans mundi huius mala præcipue vero discordias oboriri solitas inter Imperatores atque Pontifices, sic vult munera eorum esse distincta, vt nec Imperatores attingant, quæ sunt sacerdotum, nec sacerdotes, quæ sunt Imperatorum, vt bella tractare, & alia id genus. Verum ei Catholica dogmata aduersantur, quibus errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana, Cathedra Petri, è duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt; cum & materialem ei conuenire, clare

testentur

…nardus *d*, Gregorius *e* Nonus, & Bonifacius …, ac tota Doctorum & Theologorum Schola; ità …t spirituali ipse Pontifex per se vtatur, materiali ve… na manu. Sicut & ad propulsandos ab Italia hostes, …entibus legationibus Romanos Pontifices, eosdem… sanctissimos, (atque inter alios Gregorium *g* Magnū, …em adeo male in sententiam suam adducit Petrus) apud …hristianos Principes institisse, alienaque manu pugnantes atque vincentes, erexisse de barbaris victis sæpe triumphos, abunde suis locis superius demonstratum est. Nusquam vero reperti, qui in acie armati dimicarint. Nam & Leo ipse de quo agimus, licet sit comitatus exercitum, seorsum tamen exitum expectans certaminis, i… loco munito, in quo postea obsessus est, mansit. Vnus Ioannes Duodecimus adolescens, Sedis inuasor, est repertus qui armatus aliquando equitasse delatus *h* in Synodum fuit: quod & sæpe datum probro vidimus Episcopis siue Francis siue Germanis id factitantibus. Quapropter videtur Petrus Damiani aliqua saltem ex parte eo lapsus errore, cuius post Tertullianum Iulianus Apostata fuisse cognoscitur originarius sator. Sicut autem ille antiquitus in Ecclesia reperitur à sanctis Patribus cum suo auctore esse damnatus error, quo idem Iulianus huiusmodi à Christianis quibuslibet exigebat patientiam, vt nedum quempiam non offenderent, sed nec se defenderent, ex præscripto (vt aiebat) Euangelicæ legis: ita & longe ante, eiusdem quoque generis damnatus pariter Tertulliani & aliorum hæreticorum ille error, quo non licere alicui Christiano militare dicebant. Sed de his alias superius; nunc ad Leonem redeamus.

IV. PETRVS ANTIOCHENVS LEGAT. MITTIT AD ROM. PONT.

Dum ipse Beneuenti moraretur, legationem accepit à Petro Patriarcha Antiocheno; qui more maiorum sapiens quæ sunt Catholicæ fidei, simulac creatus est, expetens Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem, misit epistolam ad Leonem vna cum Orthodoxæ fidei professione: quam recipiens atque probans Pontifex, reddidit ad eundem literas, quibus eius electione mita probauit, si non eam sedem neophytus aut curialis, aut digamus, vel pretio, aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario obtinuisset: hortatusque est, vt sedis Antiochenæ, quæ tertium à Romana locum obtineret, dignitatem constanter defenderet aduersus eos qui eam minuere vellent. Porro non solum Ecclesiam Antiochenam, sed & Alexandrinam, atque Hierosolymitanam, retinuisse hoc tempore communionem Romanæ Ecclesiæ, nomenque Romani Pontificis ex Diptychis in Ecclesia recitasse; satis constat ex epistola *i* Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani ad eundem Petrum scripta, dum ea de causa de illarum Patriarchis conquestus est.

i Rat. Baro. Ann. tom. XI. anno. 1054. ex Bibl. Vatic.

V. PATRIARCHA CÖST. SCRIBIT CONTRA ECCL. LATIN.

Id enim ipse infenso ferens animo, qui immenso odio in Ecclesiam Romanam ferebatur; interim hoc ipso anno, vna cum Leone Archiepiscopo Acridiæ Bulgarorum Metropolitano, in sugillationem omnium Latinorum, aduersus eandem Romanam Sedem, imo contra omnem Occidentalem Ecclesiam scripsit Epistolam *k* ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum, promulgandam per ipsum (vt habet eius textus) *ad vniuersos principes sacerdotum, & sacerdotes Francorum, & monachos, & populos, & ad ipsum Reuerendissimum Papam*; damnans eos omnes, quod azyma & sabbata indecenter custodirent more Iudaico, suffocata more barbarorum comederent, ac in Quadragesima Alleluia non psallerent. Quam quidem epistolam, Humbertum Cardinalem Episcopum Siluæcandidæ, acceptam Trani cum esset, in Latinum transtulisse, & ad Leonem Papam detulisse, traditur in codice vbi ea descripta legitur. Ipse vero Pontifex eadem perlecta, respondendi sibi onus incumbere existimans, quod ea imprimis in sugillationem Romanæ Ecclesiæ verteretur; prolixam illam ad eosdem Michaelem, & Leonem Acridanum epistolam scripsit, quæ inter cusas ipsius Pontificis prima *l* ordine ponitur. Vbi & ex notis temporis, hoc esse anno conscripta cognoscitur, dum ait interuenisse mille & fere viginti annos à Christi Passione vsque ad illud tempus quo eam scribebat. Quod enim dicit, fere viginti, plane nondum fuisse viginti declarat: sicut exordio sequentis anni iam fuisse viginti, ait in alia epistola data ad eundem Michaelem mense Ianuario. A trigesimo autem quarto

k Rat. Baro. hoc ann. ex cod. cod.

LEO PP. RESPONDET MICHAELI. *l Leo IX. ep. 1. tom. III. op. Rom. Pont.*

Christi anno incipere consueuisse Romanam Ecclesiam numerare ab eius Passione annos, suo loco superius dictum est. Cæterum ea epistola Leo primum omnium vt pacis filius, pacem si accipere velint benignus offert, Ecclesiæ vnitatem commendat, Romanæ firmitatem & auctoritatem ostendit, & Constantinopolitanæ leuitatem, inaniaque præsumpta priuilegia diluit. Quod autem pertinet ad obiectorū solutionem, alias se id facturum pollicetur, quod & præstitit anno sequenti. Cum interea idem Michael videri & ipse volens eiusdem esse cupidus vnitatis, hoc eodem anno ad Leonem Papam conciliatrices pacis literas conscripsit, siue sponte permotus, siue persuasione Constantini Imp. erga Romanam Ecclesiam propensioris. Quid autem post hæc gestum fuerit, dicetur anno sequenti.

VI. *m Idem ep. 3.* DE MISERO STATV ECCL. AFRIC.

Hoc eodem anno, mense Decembri, inchoata iam mense Septembri Indictione septima, idem Leo Pontifex rescripsit *m* ad Thomam Episcopum Carthaginiensem, appellantem Romanæ Sedis auctoritatem aduersus Gummitanum Episcopum vsurpantem sibi ius Metropolitani. Qua quidem epistola miserrimus imprimis describitur Ecclesiæ Africanæ status, dum quæ tot olim centuriis Episcoporum abundaret, quinque vix hoc tempore haberet in vniuersa Africa. Gummitanum autem Carthaginiensi subiici debere, decreuit Leo. Sicut & aliis *n* eodem tempore datis ad Petrum & Ioannem æque Africanos Episcopos literis, declarauit velle esse integra priuilegia Ecclesiæ Carthaginiensi, siue (vt ait) Carthago deserta iaceret, siue resurgeret aliquando gloriosa; vtpote quæ sola ex Ecclesiis Africanis habere consueuisset Pallium ab Apostolica Sede. Sane enim quod Gummitanus Episcopus insurgeret aduersus Carthaginiensem, inde sibi vendicabat qualemcumque rationem, quod Carthago desolata iaceret; vt videretur cum mœnibus pariter corruisse eiusdem Ecclesiæ auctoritas: quod penitus Leo negauit.

n Idem ep. 4

VII. ARDERICVS NOVATOR ABICITVR.

Inter hæc autem in Hibernia *Ardericus*, qui magnam de se sanctitatis opinionem concitauerat, vbi repertus est à receptis in Ecclesia ritibus dissentire, ab Insula tenacissima Catholicæ fidei eiectus est. Cum enim viderent Fideles, eum pueros & puellas clericorum more tondere in modum coronæ, & contra Apostolum *o*, fœminas non debere velare caput, asserere; iudicarunt stultitiæ & leuitatis, vel (quod deterius est) magnæ esse superbiæ indicium, antiquis Ecclesiæ vsibus ac traditionibus non acquiescere.

o 1. Cor. 11.

IESV CHRISTI AN. 1054.

LEON. IX. AN. 6.

HENRICI II. 8.

CONST. MONOM. 12.

I. LEGATIO À LEONE PP. CONSTANTINOPOLIM.

ANno Christi millesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, Leo Papa vnionis Ecclesiarum cupidus, Legatos Constantinopolim misit *Humbertum & Fridericum* S. R. E. Cardinales, illum Episcopum Siluæcandidæ, istum Archidiaconum & Cancellarium; quibus additus est collega *Petrus* Archiepiscopus Amalphitanus: deditque eis literas *a* ad Constantinum Imper. & Michaelem Patriarcham, pro Ecclesiastica pace inter Latinos & Græcos concilianda. Hanc enim Legationem præsenti Christi anno ab iisdem Antistitibus initam esse, docet imprimis Leo *b* Ostiensis, dum breuiter summam rerum ab eis gestarum complexus est: necnon ipsæ Leonis Pontificis literæ ad Michaelem conscriptæ, quæ datæ habentur mense Ianuarii huius Indictionis septimæ. Quæ autem siue secreto, siue publice, cum Imperatore iidem Legati transegerint, scriptis mandauit vnus ex illis Humbertus, cum iis quæ idem ipse contra epistolam Michaelis in Apuliam aduersus Latinos missam, & contra alias Græcorum calumnias fusius disputans, per dialogismum *c* hoc anno conscripsit: vir quidem scientia di-

a Leo ep 7. & 8.

b Ost. lib. 2. c. 89.

c Habes hāc prolixiorem tractatum, magni momenti monumentum, ap. Baron. Ann. tom. XI. in Append. vna cum libello Nicetæ monachi aduersus Latinos, & Humberti validæ eius confutationis.

uinarum ac sæcularium literarum apprime eruditus, moribusque sanctissimus; quem mire prædicat Lanfrancus in commentario contra Berengarium; & olim è Lotharingia Romam deductum à Leone Papa, ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinatum esse, postea vero Romanæ Ecclesiæ Cardinalem constitutum, Apostolicæ Sedis Conciliis & consiliis semper adfuisse & præfuisse tradit. Eundem autem Sigebertus *d*, dum eius recenset lucubrationes, appellat monachum Tullensem.

d Sigeb. de Script. Eccl. circ. 151. Ap. Baron. ann. 1049.

II.

Sed quod rursum ad prædictam legationem attinet; extat præterea alia breuis rerum in ea gestarum descriptio *e*, ab eodem Humberto (vt putatur) confecta: qua quidem in summa constat, eosdem Legatos honorificentissime ab Imperatore susceptos, primo coegisse Nicetam quendam cœnobii Studii monachum, cognomento Pectoratum, anathematizare quoddam scriptum, ab ipso contra Sedem Apostolicam & vniuersam Ecclesiam Latinam, de azymo, de sabbato, & de nuptiis sacerdotum compositum; (quod & ipse Imperator iussit incendi) itemque pari anathematismo execrari omnes, qui Romanam Ecclesiam primam omnium esse negarent, vel qui eius fidem in aliquo præsumerent reprehendere: Cumque post hæc iidem Legati vidissent Michaelem Patriarcham præsentiam ipsorum & colloquium deuitare, quin etiam Ecclesiis ad sacra celebranda interdixisse; tandem in eundem sæpius monitum nec resipiscentem, multiplicium tam antiquorum iam sæpe damnatorum, quã recens adinuentorum errorum probe conuictum, simulque Leonem Actidanum eadem sentientem, & alios eorum sequaces, publice in ipsa magna Ecclesia S. Sophiæ, & coram vniuerso Clero & populo, excommunicationis sententiam protulisse: hisque gestis, sed & iisdem Legatis ab insidiis & fraudibus Michaelis, quibus eos à populo opprimendos cogitauerat, per Imperatorem liberatis; eosdem in Italiam remeasse.

e Rec. Baro. tom. XI. hoc ann. e cod. Vat. & Ant. Aug.

PATRIARCHA CONSTAN. EXCOMMVN. a LEGATIS SED. APOS.

III.

Errores autem, ob quos Patriarcha cum suis damnatus est, hi recensentur in eadem excommunicationis sententia aduersus eos lata: nimirum, quod sicut Simoniaci, donum Dei venderent: sicut Valesii, hospites suos castrarent, & non solum ad clericatum, sed insuper ad Episcopatum promouerent: sicut Ariani, rebaptizarent eos qui baptizati essent in nomine sanctissimæ Trinitatis, & maxime Latinos: sicut Donatistæ, affirmarent, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi, & verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse: sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concederent, & defenderent, sacri altaris ministris: sicut Seueriani, maledictã dicerent legem Moysi: sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, negarent Spiritus Sancti processionem à Filio: sicut Manichæi, inter alia, quodlibet fermentatum faterentur animatum esse: sicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo seruarent, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem, baptizari contradicerent, & mulieres in menstruo vel partu periclitantes communicare, vel si Paganæ essent, baptizari prohibierent; & capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tonderent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas raderent, in communionem non reciperent. His autem erroribus & alia plura æque impia facta adiungens Michael, inter alia Constantinopoli Latinorum Ecclesias clauserat, & eos *Azimitas* vocans, verbis & factis vbique persecutus fuerat; in tantum vt in filiis suis anathematizasset Sedem Apostolicam, & contra eam se Oecumenicum Patriarcham scriberet.

ERRORES MICHAELIS PATRIARCHÆ.

IV.

Porro ipsum post excommunicationem non solum in sua stultitia perseuerasse, sed & conatum esse Petrum Antiochenum, aliosque Orientales Patriarchas à communione Romanæ Ecclesiæ diuellere, multis in eam mendaciis calumniisque ingestis; testes sunt ipsius literæ *f* ad eundem Petrum conscriptæ: ad quem Petrus rescribens, redarguit quidem in multis eius obiectiones, vt leues & nullius ponderis; verum alias dissimulando, vel in nonnullis etiam Latinos carpendo, plane ostendit se haud liberioris affectus fuisse, sed temporibus inseruisse, fidemque pro personis cum quibus ageret mutasse. Sed quod ad ipsas obiectiones attinet; quam illæ sint imperitæ, vel calumniosæ & mendaces, aut denique prolatæ in defensionem hæresum, errorumq; tunc in Oriente vigentium; cum ea quæ sæpe superius aduersus eosdem Græcos dicta sunt, tum scripta Humberti, & epistolæ Leonis Papæ, de quibus nuper egimus, abunde demonstrant.

CONATVS CONTRA RO. ECCL. *f Rec. Bar. tom. cum Resp. Petri ex Bibl. Vallic.*

V.

Redeuntes autem post hæc Legati Romani in Italiam, cum muneribus Imperatoris Beato Petro, necnon S. Benedicto deferendis, (vt ait Leo *g* Ostiensis) inuenerunt iam *Leonem* Papam defunctum. Qui quidem (vt idem auctor scribit) cum mansisset Beneuenti vsque ad diem duodecimum mensis Martii, ibique infirmatus esset, Romam rediit, & post paucos dies sancto fine quieuit. Id vero decimotertio Calendas Maii contigisse, eundemque in basilica S. Petri sepultum esse, tradit Hermannus. Ambo autem iidem auctores, & Desiderius *h* Abbas postea Victor Tertius, aliique omnes qui res ab eodem Leone Pontifice gestas descripserunt absque vlla ambiguitate confirmant, ad eius tumulum plurima edita esse miracula, quorum nonnulla recensent; præter illa quę viuens edidit. Quo factum est, vt quem Deus miraculis illustrauit, Catholica Ecclesia inter Sanctos retulerit, annis singulis diem natalem eius sacris ritibus colens decimanona mensis Aprilis. Sedit autem annos quinque, menses duos, & dies septem. Vacauitque Sedes post eius obitum, mensibus vndecim & diebus viginti quatuor. Cuius quidem tam diuturni interregni hanc insinuat idem Leo *i* Ostiensis causam, quod deficiente in Ecclesia Romana persona ad tantum officium idonea, missus fuerit ad Imperatorem in Germaniam Hildebrandus Subdiaconus, qui illic aliquem, vice tamen Cleri populique Romani eligeret, ac Romam deduceret consecrandum. Præstitit autem rem impigre Hildebrandus; & quem magis idoneum iudicauit, petiit ab Imperatore, & tandem ægre obtinuit Gebehardum Aisterensem Episcopum, cuius superius facta est mentio, ipsi Imperatori charissimum, ideoque inuitum ab inuito distractum. Addit his Hermannus, voluisse Imperatorem electionem tantæ Sedis Pontificis fieri in Concilio Episcoporum; eaq; de re celebrata *Moguntiæ* SYNODO, in ea prædictum Gebehardum electum ab Episcopis, Romam missum esse. Reliqua vero de eius creatione, dicentur anno sequenti, quo ea contigit.

g Leo Ost. lib. 2. c. 89.

S. LEON. PP. IX. OBITVS.

h Desid. lib. 3. Dialog.

i Leo lib. 2. c. 90.

LEGATIO AD IMP. PRO PETENDO PONT.

VI.

Quod autem Bennonis sententia (qualiscumque æstimanda sit) asseratur Benedictus ille intrusus, sæpe reiectus, rursum perturbasse post Leonis obitum Romanam Ecclesiam; inde etiam accidere potuit, vt Romani coacti fuerint legationem ad Imperatorem mittere, ad tam grande malum eius potentia vitandum. Sed & quod de eodem Benedicto nulla vsquam sit amplius mentio; existimari potest, hominem nefarium hoc ipso tempore finem viuendi fecisse. De quo testatur Petrus Damiani in epistola quam scripsit ad Fratres Eremi, eum viatori cuidam aliquando apparentem effigie monstri, quod in aures & caudam asini desineret, cætera vrsus esset, eidem viatori narrasse, se quod bestialiter vixisset, post finem vitæ bestiæ præferre speciem meruisse, atque in impietatum & spurcitiarum retributionem, damnatum esse, vt vsque ad diem Iudicii per dumosa & squalentia, per sulphurea atque fœtorem exhalantia, incendiisque conflagrata loca raperetur, atque pertraheretur; post extremum vero Iudicium, corpore simul & anima in profundum inferni proiiceretur æternum torquendus.

VISIO DE BENEDICTI PSEVDOP. POST MORTEM STATV.

VII.

Hoc eodem anno, Indictione septima, ex hac vita migrauit Constantinus Monomachus Imperator Constantinopolitanus: habenas vero moderandas suscepit THEODORA Porphyrogenita, filia Constantini Decimi, soror Zoes Augustæ; quæ mox animaduertit in aliquos, Imperii culmen arripere satagentes. Tradit hæc Curopalates: qui eundem Monomachum defunctum esse in monasterio quod ædificauit, affirmat. De quo, cum quæ damnanda essent in homine, lasciuiam, & tributorum nouorum exactionem recensuit; eius quoque pia opera commemorans, inter alia tradit, cum in magna Ecclesia vsq; ad illud tempus insignibus tantum diebus festis, & sabbatis, ac diebus Dominicis, incruentum Deo sacrificium offerri solitum fuisset, reliquis vero diebus nequaquam ob reddituum inopiam; præstitisse ipsum omnium primum, vt in ea quotidie sacra celebrarentur, constitutis amplis redditibus, & multis aureis gemmatisque vasis, aliisque muneribus Ecclesiæ donatis.

CONST. IMP. MORITVR, THEODORA IMPERAT.

IESV

IESV CHRISTI AN. 1055.

VICTORIS II. AN. I.

HENRICI II. 9.

THEODORÆ I.

I.

VICTOR II. PP.

ANno Christi millesimo quinquagesimo quinto, Indictione octaua, Idibus Aprilis, ipsaque die Cœnæ Domini, (vt scribit Hermannus) Gebehardus ex Episcopo Aistetensi electus anno superiori Romanus Pontifex, consecrationem Romæ accepit, vocatusque est VICTOR eius nominis Secundus. Venisse autem Romam Henricum Imp. secumque duxisse Pontificem consecrandum, tradit Leo a Ostiensis. Hermannus vero illum missum ab eo scribit; Imperatoris autem aduentum in Italiam postea contigisse hoc anno, quo (vt ait) Pascha Mantuæ celebrauit, & Pentecosten Florentiæ: vbi corã eo à Victore Papa generali Synodo habita, multa correcta sunt. Ita Hermannus: sed quænam ista fuerint statuta in CONCILIO FLORENTINO, non refert. Constat autem testificatione Lanfranci, Victorẽ in omnib. Cõciliis q̃ celebrauit, vel celebranda curauit, cõfirmasse cuncta à prædecessore statuta, ac præcipue damnationẽ hæresis Berẽgarij. Insuperq; in hoc eodẽ Cõcilio Florentino vetitũ fuisse Episcopis sub anathematis grauissima pœna, ne prædia Ecclesiastica distraherent, (quod & sæpe alias prohibitum vidimus; hoc vero tempore à plerisque, ingenti Ecclesiæ damno, & animarum suarum ruina, perpetrari consueuerat:) testis est Petrus Damiani in epistola b ad V. Episcopum scripta, qua pluribus rationibus, & auctoritatibus, exemplisque ex diuina Scriptura petitis, quantum sit peccatum illa alienare, quantaque inde mala oriantur, docet. Cuius & c alibi relatione constat, voluisse Deum iisdem temporibus, ad auertendos à tanto periculo homines in quod præcipites ruerent, succedentesque suos secum traherent in gehennam, per visum ostendere certam horum ad inferos damnationem; cum (vt ait) quidam religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, vidit quod propter quandam prædij Metensis Ecclesiæ possessionem, quam quidam Comes abstulerat, tam ipse quam omnes eius successores, quorum iam decimus recens tunc obierat, licet alioqui bonæ inter homines æstimationis essent, inextinguibilis ignis supplicio torquerentur, omnesque alij venturi torquendi essent, quamdiu quæ scirent ab Ecclesia esse sublata per suos maiores bona, ipsi mala fide possiderent.

a Leo Ost. lib. 2. c. 90.

CONCIL. FLORENT. [In quo multos Episcopos depositos fuisse, ob peccata fornicationis & simoniæ, tradit Io. Villan lib. 4. Hist. Flor. c. 15.]

b Ex. Bar. Ann. Tom. XI. Boran. ex ind. Vat.

c Pet. Dam. lib. ad fratr. eccl. & ep. ad Nic. PP.

II.

DE NON ALIENANDIS PRÆDIIS ECCLES.

Sed quod in prædicta ad V. Episcopum epistola Petrus inter alia ait; cum à pœnitentibus sacerdotes terras acciperent, eosdem iuxta mensuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxare: vt hic Ecclesiæ ritus plenius innotescat, sciendum est, post tot naufragia Ecclesiarum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ dissolutionem, tandem exulem censuram antiquorum canonum pœnitentialium hoc sæculo postliminio reuocatam vigere cœpisse. Quoniam vero contingeret ob iterata frequenter peccata mortalia, quorum causa plurium annorum pœnitentia inferretur, desperare homines tot annorum curriculis, & aliquando sua ætate integra sub eodem pœnitentiæ pondere gemere; immo interdum nec hominis ætatem sufficere ad expianda per pœnitentiam canonibus præscriptam commissa peccata: aperta est in Ecclesia ianua *Pœnitentiæ Redemptionis*, nequis ex hac vita Ecclesiæ debitor præuẽtus morte decederet; ita vt (quod ad rem præsentem attinet) qui diuitiis affluerent, erogando eas in vsum pauperum, pro quantitate persoluti pretij, tot redimerent annos, quot Lex Ecclesiastica concessisset. Rursum vero ne diuitibus dumtaxat aperta misericordiæ ianua videretur, aliæ ab Ecclesia excogitatæ sunt corporeæ afflictiones, quibus pauperes, aliique omnes quicunque vellent, redimere breui tempore multiplices annos possent. De cuiusmodi remediis apud Burchardum Wormatiensem olim Episcopum prolixior tractatio est in libro quem scripsit Decretorum pœnitentiæ, quæ (vt profitetur) accepit ex Romano Pœnitentiali. Aliud vero genus erat verberum, quod per *Scopas* inferebatur; (ita instrumentum illud nominabant, quo pœnitens sibi ipsi verbera infligebat:) de quo redemptionis genere agens idem Petrus ad Alexandrum Papam, docet tria millia scoparum vnum pœnitentiæ annum explere cum modulatione psalmorum: decemque psalmorum modulationem mille scopas admittere: & cum Psalterium constet ex centum ac quinquaginta Psalmis, in vnoquoque psalterio quinque annorum pœnitentiam expleri: sicque viginti psalteria cum disciplina cantata, centum annorum pœnitentiam explere. Hæc Petrus, intelligens per *Disciplinam*, verberationem ipsam, cum videlicet quis psallendo scopis verbera sibi ipsi infligeret. Vnde & introductus est vsus voluntariæ flagellorum pœnitentiæ, de qua dicetur anno sequenti. Iam enim ad Victorem redeundum est.

REDEMPTIO POENITENTIÆ CANONICÆ INTRODVCTA.

III.

Qui igitur his optime disponendis quæ recensuimus, in Italia incumbebat, idem quoque ad eosdem abusus Ecclesiæ Gallicanæ corrigendos, Legatum à Latere misit illum ipsum *Hildebrandum* S. R. E. Subdiaconum, magni ingenij, & ingentis animi, atque insignium virtutum, & egregiæ sanctitatis virum; qui ipsum Victorem à se Pontificem electum è Germania in Vrbem perduxerat. De quo quidem in hac Legatione illud mirandum à multis refertur, quod cum in quadam Episcoporum Synodo ab ipso celebrata Episcopus aliquis literatus & eloquẽs accusatus de crimine Simoniæ, illud omnino confiteri detrectaret; repente iussus ab Hildebrando dicere, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, Patrem quidem & Filium diserte & expedite pronuntiauerit, Spiritum vero Sanctum nullo vnquam modo proferre valuerit: tuncque idem Episcopus iudicio se diuino conuictum cernens, crimen confessus fuerit, & depositio Episcopatu mox Spiritum quoque Sanctum libero ore pronuntiauerit. Narrantur ista ex relatione ipsiusmet Hilebrandi postea Romani Pontificis Gregorij Septimi dicti, tum à Petro Damian in epistola ad Dominicum & Fratres eremi, & alia ad Nicolaum Papam; tum à Desiderio Abbate S Benedicti, presbytero Cardinale S. Cæciliæ, in libris Dialogorum quos eodem ferme tempore scripsit: itemque ex relatione S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, qui rei gestæ interfuit, ab Willelmo d Malmesburiensi Bibliothecario: ac denique eadem habentur in antiquioribus Gestis Romanorum Pontificum, quæ collecta à Nicolao Aragonio Cardinale extant in Bibliotheca Vaticana; vbi traditur, hæc gesta esse in prouincia Lugdunensi: additurque, eo miraculo in tantum perterritos esse ceteros Simoniacos, vt præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi fuerint, & suis honoribus absque vlla alia accusatione renuntiauerint. Petrus vero Damiani tradit, ea Synodo ab Hildebrando Apostolica auctoritate, præter illum Episcopum, depositos esse alios quinque diuersis criminibus reos. Ceterum illud omnino male in Collectionibus Nicolai Aragonij, quod Hildebrãdus tunc Archidiaconus extitisse dicitur, resque gesta sub Stephano Papa ponitur; quam alij omnes sub Victore cõtigisse testantur, quo tempore nondum Hildebrandus creatus fuerat Archidiaconus, sed eam postea dignitatem à Nicolao Secundo accepit. Porro non hac duntaxat actione, sed & alias sæpe ipsum gratia Spiritus Sancti cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu cognouisse, aliaque futura prædixisse, sed & visionibus diuinis illustratum fuisse; sincerissimus est testis idem Willelmus Malmesburiensis huius sæculi historicus, ex certa relatione eiusdem sanctissimi Hugonis Cluniacensis, ipsi Hildebrando familiaritate coniunctissimi; constatque insuper ex ipsiusmet Hugonis Vitæ Actis ab alio Hugone conscriptis.

HILDEB. LEGATVS IN GALLIAS AD REFORMAN. ECCLES.

EPISCOP. MIRACVLO ARGVITVR SIMONIACVS.

d Malmesb. de gest. Reg. Ang. lib. 3.

HILDEB. SPIRITV PROPHETIÆ PRÆDITVS. Quadre Baron. hoc an. & 1061. XXXI.

IV.

Præcipue autem Hildebrandi in Galliis inuigilauit sedulitas, vt Berengarium suam hæresim diuersis iam antea Synodis damnatam, defendentem ac propalantem, vel in meliorem sensum reduceret, vel iterum Synodali sententia damnaret. Quamobrem ne subterfugiendi amplius locus esset, domi suæ eũ conueniendũ putans, *Turonis* CONCILIVM Apostolica indixit auctoritate: in quo Berẽgarius de-

CONCIL. TVRON.

CONTRA BERENG.

testatus errorem, fidei Catholicæ propria manu subscripsit, eamque iureiurando firmauit. Testantur id enim qui aduersus eundem Berengarium eo tempore scripserunt, Lanfrancus *e* postea Cantuariensis, & Guitmundus *f* Auerlanus Archiepiscopus. Sed simulans impius pœnitentiam, vbi discessit Hildebrandus, rursum cœpit infaustam hæresim propugnare: adeo vt opus fuerit eum denuo sub Victoris successore Nicolao Papa conuenire, sicut dicetur suo loco.

e Lanfr. aduers. Berēg. f Guitmūd. de Sacram. lib. 3.

V. SYNODVS TVRON. COGNOSCIT DE CAVSA IMP. ET REG. HISP.

Ad hoc item Concilium Turonense missi ab Henrico Imp. Legati, eius nomine questi sunt aduersus Ferdinandum Magnum Castellæ ac Legionis Regem, detrectantem parere Romano Imperatori, arrogãtemque sibi contra iura, moremque maiorum, nomen imperatoris; petentes, nisi desisteret, excommunicatione percelli, & Hispaniam ipsi subiectam interdicto subiici. Iusta visa est Henrici petitio tum Concilio, tum etiam ad quem est delata, Victori Pontifici. Eorumque nomine legatione decreta ad eundem Ferdinandum, atque celebrato ea de re in *Hispania* Procerum & Episcoporum *Conuentu*, obtinuit pars illa vt obediretur Romano Pontifici; sicque cessatum est ab Imperatorio nomine, & rebellione ab Imperatore Germaniæ. Hæc ex antiquioribus Rerum Hispanicarum Scriptoribus, pluribus prosecutus est Ioannes Mariana, qui postremam manum summo studio Historiæ Hispaniarum imposuit.

VI. SVBDIAC. PROPINANS VENENVM PONT. SACRIFICANTI ARRIPITVR A DÆMONE.

Passus interea asseritur Victor Papa hoc ipso anno primo sui Pontificatus, horrendam plane proditionem, cum subdiaconus qui ei sacrificanti ministrabat, venenum immisit in sacrum calicem: sed Deus duplici miraculo, & obstitit ne Pontifex biberet, & detexit tanti sacrilegii auctorem. Cum enim Pontifex calicem post consecrationem leuare vellet, nec posset; à Domino causam facti inquisiturus cum populo assistente ad orationem prostratus est; statimque subdiaconus à dæmone arripitur. Sic igitur causa manifestata, Papa calicem cum Sanguine Dominico cuidam altari iussit includi, & pro Reliquiis in perpetuum conseruari. Deinde iterum cum populo tam diu ad orationem prostratus est, quousque subdiaconus à dæmone liberaretur. Scribunt hæc Lambertus, & Vrspergensis, atque alii post eos. Scimus autem Bennonem schismaticum asserere, Gerardum quemdam Braxutum cognomine, sex Romanos Pontifices extinxisse veneno, primumque numerat Clementem Secundum, & post eum quinque eius successores. Sed quoniam tanta ista, & toties iterata, nullum omnino assertorem habeant huius temporis scriptorem, nullam penitus in homine mendacissimo conciliant sibi fidem: cum præsertim in sugillationem ista iactet Gregorii Septimi, quem somniorum iste confictor, & calumniarum compositor, tot scelerum complicem fuisse delirat.

NVLLA FIDES BENNONIS.

IESV CHRISTI AN. 1056.

VICTORIS II. AN. 2.

HENRICI II. 10.

THEODORÆ 2.

I. HENR. IMP. OBITVS.

ANNO Christi millesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Victor Papa ab Henrico Imp. in Germaniam inuitatus, interfuit eiusdem Imp. obitui; qui contigit tertio Nonas Octobris Indictione decima iam inchoata, anno ipsius ætatis trigesimo nono; cum paulo ante obitum, filium suum itidem Henricum nominatum, eiusdem Romani Pontificis ceterorumque Præsulem & Principum electione Regem constituisset. Testantur hæc temporis huius Scriptores, Hermannus, & Marianus. Ostensam vero fuisse Gunthero Imperatoris Cancellario diuinam visionem imminentis super Orbem Dei vindictæ, Lambertus narrat. Et in Chronico Cassinensis monasterij antiquitus scripto, recensetur prolixa narratio de malorum dæmonum accursu ad obitum eiusdem Imperatoris, eum sibi vt suum accusationibus vendicantium; sed ab eorum manibus traditur liberatus S. Laurentij Martyris intercessione, cuius cultor propensior extitisset. Quænam autem illum apud Deum reum constituere potuerint, supplicioque obnoxium reddere, cum multa alia fuere, quæ ex auctoribus qui de eo scripsere colligi possunt, tum maxime quod electionem Romanorum Pontificum, aliorumque Episcoporum iudicia sibi arrogasset. Ipsius vero filium tempore patris obitus nondum absoluisse quintum ætatis annum, certum redditur ex eo quod Lambertus affirmat eum natum esse anno Salutis millesimo quinquagesimo primo, quarto Idus Nouembris: vnde errare probantur, qui eum tunc septennem vel etiam octennem fuisse tradunt. Porro ipsum à patre moriente Romanæ Ecclesiæ cõmendatum esse per Victorem Papam ibi præsentem, testatur Gregorius *a* Septimus in epistola ad Rudolphum Sueuiæ Ducem. Eidemq; ipsum Victorem regnum stabilisse, & generali *Conuentu Coloniæ* habito, omnes aduersus illum bellorum motus sedasse auctor est Sigebertus. Sed & Agnes Augusta mater puerum religiose educare cœpit: verum cum excessit ex ephœbis, in transuersum actus, Romanæ imprimis redditus est hostis Ecclesiæ, cuius ope eidem regnum fuerat stabilitum.

a Greg. Sept. l. ep. 19.

EIVS ANIMA LIBERATVR A DÆMON. PER S. LAVRENTIVM.

II. DE OFFICIO B. VIRG. MARIÆ IN ECCLESIAM INTRODVCTO.

Antequam autem vlterius progrediamur, nonnulla hic recensenda videntur, quæ digna memoria iisdem Henrici Secundi temporibus accidisse noscuntur. Atque imprimis, cum auctore Petro Damiani monachos eremi instituente, iam ferme per triennium in monasterio Gamugense seruatum esset, vt cum solitis Horis canonicis quotidie Beatissimæ Virginis Officium diceretur; ac Gozo quidam, inter eos reprobæ vitæ monachos, de nouo isto præter regulas S. Benedicti superposito onere conquestus, reliquos omnes illud deponere persuasisset: mox aduersus præfatum monasterium tot vndique hostium deprædationes atque prædonum rapinæ, incendia, cædesque diuinitus excitatæ sunt, vt nec auctoritas Imperialis à monachis implorata his malis curandis suffecerit. Itaque causa tandem calamitatum suarum eodem Petro Damiani monente cognita, statim ac de culpa pœnitentiam peregerunt, & solitas Beatissimæ Virginis laudes celebrare cœperunt, iidem ab omnibus penitus eiusmodi malis liberi sunt redditi. Narrat hæc, qui ea ob oculos habuit, idem Petrus Damiani in epistola ad Fratres eremi. Sicut autem ipse auctor fuit, vt in monasterio suo OFFICIVM DEI-GENITRICIS dicendum assumeretur; ita ex eodem fonte manasse cognoscitur, vt illud ipsum toto Christiano Orbe Occidentalis Ecclesiæ, non à monachis tantum & clericis, sed etiam à laicis viris atq; mulieribus, quotidianis pensis persoluatur, monente Vrbano Papa, vt suo loco dicetur.

III. DE VSV ET NOMINE DISCIPLINÆ.

HENR. II. IMP. SE FLAGELLABAT.

Eodem quoque tempore, etsi non eodem auctore Petro, tamen certo propagatore, atque aduersus impugnantes propugnatore, introductus est in Ecclesia Dei ille laudabilis vsus, vt voluntariæ pœnitentiæ causa Fideles, non modo viri, sed & nobiles mulieres, verberibus se ipsas afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis. Hoc enim testatur idem Petrus in epistola *b* ad Blancam Comitissam; vbi & verberationem ipsam vocat *Disciplinam*, sicut & in epistola ad Alexandrum Papam, de qua dictum eadem occasione anno superiori: quod nomen cum actione ad posteros transiit, vt *Disciplinam agere* sit seipsum flagellis cædere. Hoc autem genus pœnitentiæ, etiam ab ipso Henrico Imp. qui hoc anno defunctus est, frequentatum esse, testis est Reginardus in Rebus *c* gestis S. Annonis tunc Archiepiscopi Coloniensis. Sicque ingenti Fidelium bono cõtigit, vt quæ in redemptionem diuturnarum pœnitentiarum à canonibus iniunctarum, in expiationem peccatorum mortalium, Flagellorum verberatio fuit primitus introducta; (quod vidimus anno superiori;) eadem hoc tempore, frequentiori vsu sit spõte recepta, inter omnes etiam Christianos nihil debentes eiusmodi canonum exactoribus pœnitentiariis presbyteris; imitatores Apostoli dicentis *d*, *Liuidam facio carnem meam, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quod quidem introductum esse his iisdem Petri Damiani temporibus, exemplo Beati Dominici cognomento Loricati, (à Lorica ferrea, qua corpus perpetuo constrinxit ac domuit) eidem subditi eremitæ, ac magnæ abstinentiæ & austeritatis viri, (cuius Res præclare gestas scripsit

b Pet. Dam. ep. 4. c. 14. In Bibl. Pat.

c Ap. Sur. 4. Dec. c. 6.

d 1. Cor. 9.

e idem

e Ext. ap. Lipom.

IV. ALII SANCTI RITVS AB ECCL. RECEPTI.

e idem Petrus ad Alexandrum Papam) testatur ipse eadem ad Blancam epistola.

Quod insuper ad alios ritus spectat; suorum monachorum & eremitarum institutione seruari cœptum ait, quod nos iam videmus vbique in Ecclesia Occidentali receptum; nempe vt Feria secunda animabus defunctorum liberandis à pœnis sacrosancto Missarum sacrificio, sit adscripta: feria sexta pro memoria Dominicæ Passionis, eodem sacrificio, insuperque ieiunio, & verberum afflictione colenda esset: Sabbato vero in honorem sanctissimæ Dei-Genitricis celebrandum esset idem incruentum sacrificium Missæ. De quibus omnibus ipse pluribus agit in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem. Nos vero iam reliqua huius anni prosequamur.

V. f Rec. Bar. Ann. Tom. XI. hoc an. ex cod. monast. Moisiac. CONCIL. TOLOSAN. CONCIL. COMPOST. Exted. Ant. Aug.

Hoc pariter anno Domini millesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris celebrata reperitur *f Tolosæ* in Gallia, iussu Victoris Papæ, SYNODVS decem & octo Episcoporum, ad extirpandas Simoniacas prauitates, ac restituendam Ecclesiasticam disciplinam: cui præfuerunt auctoritate eiusdem Pontificis, *Rambaldus* Arelatensis Archiepiscopus, & *Pontius* Aquensis. Insuperque eodem anno in Hispania celebratum est CONCILIVM COMPOSTELLANVM sub *Cresconio* eiusdem vrbis Archiepiscopo: in quo cum fuerint complura præclare constituta, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam conseruandam spectarent, illud inter alia sancitum reperitur, vt Episcopi omnes atque Presbyteri Missam quotidie celebrarent; & vt clerici tempore Ieiunij & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur.

VI. THEOD. AVG. MORITVR: MICH. STRATONICVS IMPERAT.

Quod ad res Orientales pertinet, hoc eodem anno, Indictione nona ad finem declinante, (inquit Curopalates) Theodora Augusta, postquam imperasset annum vnum & menses nouem, intestinorum morbo ex hac vita exempta est; cum iam paulo ante suasione eunuchorum creasset Imperatorem MICHAELEM cognomento *Stratonicum*, ætate senem, militiæ valde peritum hominem, regiminis autem magistratuum curialium inexpertum: qui primam exortam tyrannidem Theodosij filij Monomachi superauit, in secunda per Isacium Comnenum permota defecit, vt dicetur anno sequenti.

IESV CHRISTI AN. 1057.

VICTORIS II. AN. 3.

MICHAEL. VI. AN. 1.

I. VICTORIS PP. OBITVS. a Leo Ost. lib. 3. c. 8.

ANNO Christi millesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima, *Victor* Papa ex Germania Romam initio Quadragesimæ rediens, ac post Pascha in Tusciam profectus, defunctus est Florentiæ, atque sepultus vigesima octaua Iulij: vt testantur Leo *a* Ostiensis, atque Lambertus. Eoque nuntio Romam perlato, mox in eius locum suffectus est die secunda Augusti, Fridericus Cardinalis, frater Godofredi Ducis Tusciæ; ille ipse, quem Cancellarium Ecclesiæ Romanæ tunc agentem, vidimus ante triennium Legatum missum esse cum aliis Constantinopolim, à Leone Papa ad Constantinum Monomachum Imperatorem. Qui *b* cum post reditum suspectus Henrico Imperatori cœpisset esse, atque vt eius vitaret inuidiam, renuntiato sæculo factus esset monachus Cassinensis, nuperque electus eiusdem Abbas monasterij; postmodum defuncto Victore Pontifice, idem Romæ tunc existens, vno omnium consensu, ex presbytero Cardinale tituli S. Chrysogoni creatus est Romanus Pontifex; dictusque STEPHANVS huius nominis Decimus, quod ea die qua electus est, nempe secunda Augusti, S. Stephani Papæ celebritas ageretur. Qui quidem ita permisit in locum suum alium eligi Abbatem Cassinensem, nempe Desiderium, vt tamen dumtaxat post obitum suum succederet: siquidem voluit quamdiu vixit, sicut Pontifex, ita & Cassinensis Abbas esse; decessoris secutus exemplum, qui cum fuisset Episcopus Aistetensis, se viuente nullum alium passus est ordinari eius ecclesiæ Episcopum: non secus ac Leo Nonus, quem vidimus idem præstitisse de sua priori Ecclesia Tullensi.

b Hæc omnia plurib. Leo Ost. lib. c. 90. & lib. 3. c. 8. & x. 10 Baron. an. 1054. & præsens. STEPH. PP. X.

II. PETRVS DAMIANI CREATVR EPISCOP. OSTIENS. c Id. lib. 2. c. 102.

Hoc autem ipso anno idem Papa Stephanus Petrum Damiani ab eremo abstractum, creauit Episcopum Cardinalem Ostiensem; vt tum Leo *c* testatur in Chronico, tum ipse Petrus in epistola ad Nicolaum Papam de dimittendo Episcopatu, quem sibi non canonice, sed violenter iniectum queritur; & vim inferentem ipsum Stephanum Pontificem, suum appellat persecutorem. Siquidem Episcopus creatus, cum nihil remittens de rigore vitæ eremiticæ, quin etiam ad eamdem optans transformare collegas, vt ne vel otiosum verbum, risumve leuem ore proferrét, egregiam illam ad eos conscripsisset epistolam, cui titulum fecit, *Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus*; intelligens ista non ex sententia sibi succedere, mox cœpit eiuscemodi vitæ generis tædere, ac de reditu ad eremum serius cogitare: neque vnquam destitit, quousque tandem id ab Alexandro obtinuit, vt dicetur suo loco.

III. ECCL. ROM. FORMA HVIVS TEMPORIS.

Sed quod ad prædictæ epistolæ titulum hactenus inauditum spectat; ex scripto antiquo Vaticano codice sacrorum Rituum, constat hanc fuisse istorum temporum Romanæ Ecclesiæ formam, vt essent Romæ quinq; Patriarchales ecclesiæ, videlicet Lateranensis, (quæ & Constantiniana, & basilica Saluatoris aliis nominibus nuncuparetur) S. Mariæ Maioris, S. Petri, S. Pauli, & S. Laurentij extra muros; atque in Lateranensi septem essent Cardinales Episcopi, videlicet Ostiensis, Portuensis, Sanctæ Ruffinæ, (siue Siluæ candidæ) Albanensis, Sabinensis, Tusculanus, & Prænestinus; iidemque dicti *Collaterales*, atq; etiam *Hebdomadarii*, eo quod singulis hebdomadibus per vices explerent munus Pontificis: Aliæ quoque Patriarchales ecclesiæ, singulæ septem pariter habent Cardinales Presbyteros, quibus assignati essent totidem Tituli ecclesiarum intra Vrbem existentium; ita tamen vt Lateranensi ecclesiæ præfectus esset primus Episcopus Collateralis, S. Mariæ & S. Petro Archipresbyteri Cardinales, S. Paulo & S. Laurentio Abbates Cardinales: Insuperque essent Diaconi Cardinales dicti *Regionarii*, numero duodecim, ac diaconi *Palatini* sex; quibus commissæ similiter essent totidem Diaconales ecclesiæ; ita vt Diaconorum Regionariorum munus esset cantare Euangelium in Stationibus, Palatinorum vero, cantare Euangelium in ecclesia Lateranensi: Essent item Subdiaconi viginti vnus; septem Regionarij, qui Epistolas & Lectiones cantarent in stationibus; septem Palatini, qui idem munus præstarent in ecclesia Lateranensi; septemque alij, dicti *Schola Cantorum*, qui cantarent tantummodo quando Summus Pontifex celebraret: Præterea essent in Vrbe Abbatiæ viginti duæ: Ac denique præter Septem Collaterales Episcopos, essent in diuersis Italiæ prouinciis alii Episcopi numero sexaginta duo, qui dicerentur *Suffraganei Romani Pontificis*; & nulli alij Primati vel Archiepiscopo subiecti, frequenter ad Synodos vocarentur. Hæc de ecclesiæ Romanæ huius temporis statu, in prædicto Rituum libro; vbi & nomina recensentur *d* prædictorum omnium Titulorum, Abbatiarum, & Episcopatuum. Iam vero cetera huius anni prosequamur.

d Recenset etiam Baron. hoc an. ex cod. Vatic.

IV. MICH. IMP. CEDIT ISACIO COMNENO.

Hoc eodem anno Isacio Comneno inuadente Imperium Orientale, Michael Aug. ei cedere coactus, die vltima mensis Augusti priuatus ad proprias ædes se recepit: qui cum à Michaele Cerulario Patriarcha, rebellionis aduersus ipsum auctore & principe, per Legatos Metropolitas suaderetur Imperio cedere, interrogans Metropolitas quid pro Imperio traderet Patriarcha, illisque respondentibus Cœleste regnum, statim deposita purpura, veste priuata indutus cessit. ISACIVS vero inchoante mense Septembri, à Patriarcha solemni ritu coronatus est Imperator. Qui quidem illud laude dignum tunc præstitit, vt Ecclesiam Constantinopolitanam, quæ tum in sacris muneribus, tum in thesauri dispensatione, Præfectos ab Imperatoribus delectos pati cogebatur, in pristinam vendicauerit libertatem, Patriarchæ potestati ac curæ omnimodam eius relinquens administrationem. Idem tamen postmodum aliam impiam sanctionem edidit, qua plurium monasteriorum bona addixit Fisco, relicta tantummodo stipe Deo seruientibus

mona-

INEPTA CVROPALATIS PHILOSOPHIA.

monachis. Hæc omnia pluribus Curopalates; nonnulla tamen in eis inepte philosophatus, dum imprimis reuocat in dubium, an pro terreno Imperio Michael esset mercedem cœlestem accepturus, cum non statim ac in ipsum rebellari cœptum est, se abdicarit, sed vsque ad bellum permanserit, & gentis suæ cladem: deinde cum non solum probat factum Isacij de addictis fisco bonis monasteriorum, sed etiam optat vt idem executus esset in omnibus rebus ad Ecclesiam omnino spectantibus; videlicet vt sacros ministros & monachos à deliciis & anaritia reuocaret. Nam vt ista leui manu tangam, quod ad Michaelem attinet, si cuique inuadenti Imperium tyranno cedere æquum sit, quæ vlterius cuiuslibet Imperij firmitas esse poterit, ad cuius defensionem gladium ei Deus dederit in vindictam *e* malefactorum? Non ista docent sacræ leges, neque monent exempla: cum nullus fuerit hactenus Christianissimorum Imperatorum, qui præ cæteris in Ecclesia laudem meruerint, qui non aduersus insurgentes tyrannos totis viribus se obiecerint. Quapropter & meruit laudem primum Michael resistendo, vt decebat legitimum à Deo constitutum Imperatorem: meruit & lauden cedendo, à sacerdotibus promissione oblata regni cœlestis. Quod vero ad vsurpationem Isaacii Bonorum monasteriorum; satis ipsa euenta fatuum plane iudicium Curopalatis arguerunt, cum aduersus ea patrantem tyrannum, cælitus ictibus fulminum ab irato numine dimicatum est, vt idem ipse inferius testatur auctor; adeo vt vrgens metus adegerit eum exuere purpuram, & induere monasticum habitum, & inter monachos obire seruitia monachorum, qui monachos ita persequi aggressus est.

e 1. Pet. 2.

IESV CHRISTI AN. 1058.

STEPHANI X. AN. 1.

ISACII COMNENI AN. 1.

I.

ANno Christi millesimo quinquagesimo octauo, Indictione vndecima, Stephanus Papa quamuis infirmus corpore, assiduo tamen studio pro Ecclesiæ Catholicæ tranquillo statu laborans, decreuit legationem in Orientem, ad Ecclesiam Constantinopolitanam schismate scissam Apostolicæ communioni consociandam: sed quo minus ea suũ consequeretur effectum, eiusdem Pontificis obitus intercessit; qui contigit hoc ipso anno, quarto Calendas Aprilis, Florentiæ, cum illuc profectus esset ad Godefridum Tusciæ Ducem fratrem suum, cui habebat in animo coronam Imperij deferre: ad eius vero sacrum corpus ibidem sepultum, plurima signa Christus ostendit. Narrat hæc Leo *a* Ostiensis. In Actis *b* autem S. Hugonis Cluniacensis Abbatis traditur, ipsum Stephanum in manibus eius spiritum reddidisse, sancta confessione præmunitũ, & eiusdẽ sanctissimi viri præsentia ab insultib. praui dæmonis in trãsitu liberatũ.

STEPH. PP. OBITVS.

a Leo Ost. lib. 3. c. 8. & lib. 2. c. 101.
b Ap. Sur. 29 April.

Licet autẽ (quod Leo *c* addit) idem Pontifex Vrbe recedens, vniuersum Clerum populumque Romanum sub districti anathematis excommunicatione contestatus esset, vt si prius ipsum mori contingeret, quam Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ tunc adhuc subdiaconus, qui communi omnium consilio pro quibusdam Reipublicæ negotijs ad Imperatricem in Germaniam mittebatur, Romam rediret; nullum omnino Pontificem eligere auderent. sed vsque ad reditum illius Sedes Apostolica sineretur vacare, eius demum ordinanda Consilio: tamen mox vbi audita est mors ipsius Stephani, quæ metu Imperatoris repressæ factiones aliquãdiu conticuerant, eædem Imperio iam vacante, inhiantes rursum Apostolicæ Sedis inuasioni, siue essent ex Comitibus Tusculanis, siue Ptolemæorum, Gregoriorum, aut Crescentiorum familiis, aliisve armis diuitiisque potentibus; inito vna consilio, noctu per vim Ecclesiam inuadentes, Ioannem Velitrensem Episcopum, Mincium cognominatum, Papam constituerunt, *Benedicti* illi nomine impositio; eundemque per Ecclesiæ Ostiensis Archipresbyterum eadem violentia coactum, consecrari fecerunt: cum interim qui

c Leo. lib. 2. cap. 101. & 102.

II.

MINCIVS SCHISMATICVS PP. INTRVDITVR.

tunc Romæ erant Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, aliique ipsius collegæ Cardinales, hæc detestantes atque anathematizantes, per diuersa latibula fugere coacti essent. Habet ista pluribus Leo: eademque expressius idem Petrus Damiani in epistola eo tempore ad H. Archiepiscopum scripta de hoc ipso schismate; qua etiam testatur eundem intrusum, hominem fuisse prorsus stolidum, desidem, ac nullius ingenii, penitusque literarum expertem.

Rediens porro Hildebrandus ex Germania Florentiam, vbi cognouit quæ gesta essent, vt erat vir sanissimi ac purissimi consilii (sicut eum Petrus *d* Damiani vocat) suis litteris Romanorum Primates conueniens, ipsorum percepto assensu, annitente Godefrido Duce, ipse cum aliis Ecclesiasticis viris Gerardum eiusdem ciuitatis Florentinæ Episcopum in Romanum Pontificem elegit, quem suo tempore præsidio eiusdem Godefridi in Vrbem inducerent. Scribit hæc idem qui supra Leo *e*. Eidemque electioni etiam Imperatricem, seu filium eius paruulum Henricum, assensum præbuisse, testis est Lambertus. Comitia vero de ipsius electione, quod Romæ fieri non potuissent, habita esse Senis, tradunt eiusdem Pontificis Acta, collecta à Nicolao Aragonio Cardinale, quæ habentur in Vaticana Bibliotheca. De eius autem in Vrbem introductione, atque consecratione, agetur anno sequenti, quo ea fieri contigit: cum interim totum quod fuit anni huius vsque ad Ianuarii mensem, pseudopapa Benedictus manserit in Pontificatu. A quo nihil boni factum reperitur; sed malum illud, dignum homine qui pecuniæ vi aperuisset sibi viam ad tantam Sedem capessendam; quod Stigando cuidam pseudoepiscopo Cantuarienſi in Anglia, pecunia corruptus Pallium miserit, quod ei præcedentes Pontifices denegauerant, quia viuente adhuc legitimo Archiepiscopo Roberto (qui persecutionem passus Sedem Apostolicam appellauerat) eam Ecclesiam inuasisset. Narrat hæc Willelmus *f* in commentario de Rebus gestis Anglorum Regum.

d Pet. Dam. ep. ad Nicol. Pap. pro Anconit.

GERARD. EPISCOP. FLORENT. ELIGITVR PAPA LEGITIMVS.

e Leo. lib. 3. cap. 12.

f Malmesb. lib. 2. c. 13.

III.

Hoc eodem anno die vigesima octaua Nouembris mortuus est Casimirus, qui ex regni herede monachus, ex monacho Rex effectus fuerat Poloniæ; magnum suis desiderium relinquens, vt qui collapsum penitus Regnum restituisset, & Ecclesiam Polonicam mirum in modum illustrasset. In cuius locum subrogatus est Boleslaus ipsius filius. De his plura Longinus Canonicus Cracouiensis.

IV.

CASIMIRI REG. POLON. OBITVS.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, Isacio Imperatori ob frequentes & odiosas petitiones, & cum repulsam pateretur, absurdas increpationes, & comminationes de Imperij abdicatione, intolerabilis redditus; & quod insuper aggressus esset croco tincta Imperatorio more induere calceamenta, antiqui Sacerdotij consuetudinem hanc asserens, ab eodem Imperatore in exilium eiectus est, vbi sedisset annis quindecim: eoque paulo post defuncto, in locum eius subrogatus *Constantinus* Licudex Protoueſtiarius. Narrat hæc pluribus Curopalates.

V.

MICH. PATRIARCH. CONST. ABDICATVR.

IESV CHRISTI AN. 1059.

NICOLAI II. AN. 1.

ISACII COMNENI AN. 2.

I.

ANno Christi millesimo quinquagesimo nono, Indictione duodecima, ipso mense Ianuario, Gerardus Episcopus Florentinus, qui anno superiori electus fuerat in Romanum Pontificem, ab Hildebrando subdiacono & Godefrido Duce Romam perductus, totiusque Cleri ac populi Romani consensu in Sede Apostolica collocatus, dictus est NICOLAVS eius nominis Secundus. Qui Mincium, dictum Papam Benedictum, Romanæ Sedis inuasorem, cum suis fautoribus excommunicans, tandem interuentu quorundam eundem admissum ad communionem, apud Ecclesiam S. Mariæ Maioris omni sacerdotali officio priuatum manere iussit. Scribit hæc Leo *a* Ostiensis.

NICOL. PP. II.

a Leo lib. 2. c. 2.

In

CONCIL. SVTRIN. PRO DAMNAT. MINCII PSEVDOP.

In Gestis autem Romanorum Pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonensis Cardinalis, traditur præcessisse SVTRINVM CONCILIVM pro ipsius Mincii depositione, antequã Papa se inferret in Vrbem; eoque audito, Mincium sede deposita in domum propriam se recepisse; cum vero Nicolaus Romam venisset, Mincium quoque ad eum veniam petiturum accessisse, & omnis sacerdotalis officii depositionem incurrisse. Id ipsum traditur in codice Vaticano, qui inscribitur Liber Censuum. Vbi & additur, eodem tempore *Hugonem* Cardinalem cognomento *Candidum*, schisma fecisse ab Ecclesia Romana, & multorum extitisse auctorem malorum.

II. PETRVS DAM. CVPIT REPETERE EREMVM.

Simulac autem sublato schismate pax Ecclesiæ reddita est, Petrus Damiani, qui inuitus abstractus ab eremo creatus fuerat à Stephano Papa Cardinalis Episcopus Ostiensis, de abdicando se ab eo munere, Nicolao libellum dedit, qui hactenus extat, complura continens exempla sanctorum Præsulum qui se à regimine abdicarunt. Quid autem Nicolaus rescripserit, non constat: certum tamen est, missionem Petrum non accepisse, sed vel Romæ apud Pontificẽ in gestis Synodalibus laborasse, vel legationibus inserviisse: licet ipse, tanquam si re vera se abdicasset, nunquam se posthac in suis epistolis Episcopum, aut Cardinalem nominet, sed tantum peccatorem monachum. Quomodo vero missionem tandem ab Alexandro Nicolai successore extorserit, dicetur suo loco.

III. *b c. in nomine dist. 23.* CONCIL. ROM. GENERALE CONTRA BERING.

Interim vero hoc eodem anno, mense Aprilis, (vt habet eiusdem Nicolai Papæ Constitutio *b* de electione Summi Pontificis edita) *Romæ* in Laterano celebratum liquet ab eodem Pontifice CONCILIVM, cui & Petrus interfuit; ad quod dicturus causam reus vocatus est Berengarius ille Turonensis patria, Archidiaconus Andegauensis, sæpe damnatus hæresiarcha: quod quidem Concilium à Guitmundo huius temporis nobilissimo scriptore, *Generale* nominatur, quippe cui centum tredecim interfuisse Episcopos, tradunt Lanfrancus *c* & Algerus *d*. In Fragmentis autem Historiæ Francorum ad Glabrum & Helgaldum appositis traditur, ipsum in eodem Concilio suum anathematizantem errorem, Ioannem Scotum igni combusisse, cuius lectione ad eiusmodi nefariam deuolutus fuerat sectam. Sed quod ad *Ioanem Scotum* pertinet; male quidem eum audisse apud Nicolaum Primum Pontificem, suo loco dictum est superius: qui licet virulenta adeo aduersus fidem Catholicam scripserit, quia tamen non ita vulgauit vt omnibus comperta fierent, hinc accidit vt bonæ æstimationis fuerit apud multos, qui etiam martyrij titulum nimia facilitate ei tribuerint. De eius vero facta in hoc Concilio per Berengarium combustione librorum, meminit quoque Lanfrancus: qui & insuper recitat ipsum Berengarii iusiurandum, cum in pleno Concilio detestatus est errorem, fidemque Catholicam professus; quod (vt ait) expetente ipso Berengario, & iubente Nicolao Papa, ab Humberto Episcopo Cardinale cõscriptum, & ab vniuerso Concilio recognitum, Berengarius publice recitauit, confirmauit, & suo chirographo roborauit. Est ipsum etiam relatum in corpus Canonicum; incipitque *Ego Berengarius*.

c *Lanfran. cont. Berẽg.* d *Alger. de sacram. lib. 1. c. 19.* IOAN. SCOTI LIBRI COMBVSTI.

IV. BERENG. RELABITVR IN HÆRESIM, QVAM ABIVRAVERAT.

At perfidus hæresiarcha, vbi post Romanum Concilium quæ vellet scribendi liberam facultatem nactus esset, aduersus eandem fidei Catholicæ confessionem edidit inuectiuam, conuersus in Humbertum qui eam composuisset, & in Romanam Ecclesiam cuius auctoritate fecisset. Quod vbi nouit *Lanfrancus* doctissimus vir atque sanctissimus, mox sparso veneno parauit antidota, scribens ad eumdem Berẽgarium egregium commentarium, quo arrogantis hominis retudit audaciam, refellitque errores; nullumque asseruit hactenus extitisse procaciorem hæreticum, qui eas fuisset ausus in Romanam Ecclesiam iactare blasphemias, quas ipse periurus & fidifragus præsumpsisset. ac denique docuit, sanctos Doctores, si non iisdem verbis, iisdem tamen sententiis, multis in locis cõcorditer astruxisse, hæreticum esse hominem, qui à Romana & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat. Nec vero Lanfrancus solus contra eiusmodi virulentam Berengarii scriptionem laborauit; sed & alii qui vel eodem tempore vel paulo post in Ecclesia Catholica floruerunt, vt *Guitmundus* Auersanus Episcopus, & *Algerus* e monachus Cluniacensis; quorum summa cum laude meminit Petrus Cluniacensis scribens aduersus hæreticos Petrobrussianos. Extatque *ee* eodem argumento contra Berengarium scripta epistola à *S. VVolphelmo* Abbate Brunilarense apud Coloniam Agrippinam, qui hoc tempore claruit doctrina & sanctitate: vbi etiam redarguit aliam eiusdem Berengarii hæresim, qua negabat Christum ingressum ad Discipulos ianuis clausis, contemnens ob id Euangelicam veritatem. Sed & insuper scripsisse aduersus Berengarium, *Albericum* diaconum Cassinensem, testatur Leo *f* Ostiensis: qui tamen contra veritatem historicam, à Lanfranco & aliis superius recensitis auctoribus stabilitam, eidem Alberico plus quam par est tribuit, dum ait, cum in prædicto Concilio Romano nullus Berengario valeret obsistere, Albericum euocatum fuisse ad Synodum; cumque eo venisset, post multos verborum conflictus cum neuter cederet, Albericum vnius hebdomadæ acceptis induciis, librum aduersus Berengarium edidisse de Corpore Domini, in quo omnes eius assertiones destruxit, æternaque oblitione deleuit. Hæc quidem Leo, sed glorianter nimis. Nam vt prædicti Scriptores testantur, Berengarius absque vlla præuia habita in Synodo de hæresi altercatione, statim sponte damnauit errorem.

e [In Algeri scriptionem quædam obseruat Bellarm. lib. de Script. Eccl. in *Algero*, quæ aduertere debet lector.] ee *Ap. Sur. 22. April. in S. Wolphel.* f *Leo Ost. lib. 3. c. 33.*

Ceterum non homines tantum contra impiissimum Berengarium commentarios edidisse, sed & Deum ipsum digito suo scripsisse constat. (Siquidem miracula diuinitus edita, testantibus *g* etiam Ægyptiis magis, digitus Dei esse operando noscuntur.) Petrus namque Damiani in epistola ad Desiderium Cassinensem Abbatem, rescribens ad literas quas ab eo acceperat dum prædicta Synodus Romæ celebraretur, tradit; cum mulier quædam zelotypa, habens virum ex adulterij fraude suspectum, à vicina muliere consilium petiisset, qualiter eum sibi vendicare posset proprio thoro contentum, & ab eadem edocta esset, vt Corpus Dominicum quasi communicatura à sacerdote perceptum, ac palliolo reseruatum, viro suo postmodum, non sine quibusdam maleficiis, propinaret; accidisse vt illa particula Dominici Corporis inuenta sit vsque ad medietatem in carnem conuersa, altera vero medietas panis speciem non mutauerit. Hæc Petrus ad Desiderium, cum ab eo de hoc miraculo inquisitus, quid illud portenderet significauit. Additque in eius confirmationem, simile aliud exemplum de Amalphitano tunc existente Episcopo; qui cum aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accessisset, sed super sacramento Dominici corporis incredulus hæsitaret; in ipsa confractione salutaris hostiæ, rubra prorsus ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt digitos illius cruentaret. Sed quamplurima alia eiusmodi edita diuersis temporibus esse miracula in confirmationem huius veritatis Catholicæ, *ignorat nullus* (inquit Lanfrancus de his agens aduersus Berengarium) *quisquis in Historiis Ecclesiasticis, seu Sanctorum Patrum Gestis est aliquantulum versatus. Quæ Scripturæ* (vt addit egregie) *tametsi illam excellentissimam auctoritatis arcem non obtinent, quæ donatæ sunt quas Propheticas seu Apostolicas nuncupamus; hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes Fideles qui nos præcesserunt, à priscis temporibus habuerunt.*

g *Exod. 8.*

V. FIDES CATHOL. DE EVCHAR. MIRACVLIS CONFIRMATA.

Quod vero ad reliqua eiusdem Romani Concilii decreta pertinet; constat in eo editam esse Constitutionem, qua Henrico Germaniæ Regi ius eligendi Romani Pontificis concessum est. Quod enim eiusdem Regis ope, proxime præcedenti schismati finis impositus esset; gratitudinis ergo quod datum fuerat eadem ex causa patri priuilegium, hoc Nicolaus vna cum sancta Synodo propagandum putauit in filium, ac successores eius qui ab Apostolica Sede personaliter illud ius impetrarent: sed ita tamen, vt nequaquam eo priuari voluerit Romanum Clerum; immo ad S. R. E. Cardinales Episcopos statuerit illud potissimum pertinere, inde vero ad cereros, quos siue iura, siue consuetudo hactenus admisissent: vt videre est in ipsa eadem Constitutione, quæ extat *h* relata à Gratiano in suum Decretorum librum; quamuis haud integra, putaque, prout in Synodo est constituta; sed à schismaticis labefactata, & additione corrupta. Quod enim ea nullo pacto Imperatori faueret, vt intrudendi Pontifices ei tribueret facultatem; paulo post hæc nefandissimus Gui-

VI. DECRETVM NICOLAI PP. DE ELECTIO. ROM. PONT.

h *c. in nem. Dom. dist. 23. huc part. c. 80.*

bertus

bertus Antipapa, eam in fauorem Henrici deprauauit: vt testatur Deus dedit presbyter Cardinalis in libello quem contra inuasores, simoniacos, atque schismaticos, tunc edidit cum eiusdem Guiberti schisma vigeret. Quapropter illud tantum concessum Regi noscitur, quod eius patri datum fuerat à decessoribus Romanis Pontificibus; nimirum vt illum eligeret, seu verius confirmaret Imperator, in quem primo (si per pacem licuisset) suffragia Cleri populique Romani concurrerent: sin vero minus id ipsis facere licuisset, tunc iidem liberam refunderent in Imperatorem electionem, vt quem vellet eligeret, nomine tamen Romani Cleri: prout quæ sunt superius dicta in electionibus Romanorum Pontificum docent. Cum autem hoc priuilegio ad ædificationem Ecclesiæ Imperatoribus collato, iidem ad destructionem vti voluerunt, iure priuari ipso meruerunt; vt docet eodem loco Desiderius, & quæ dicentur suis locis significabunt.

QVID NICOL. CONCESSERIT HENRICO REGI.

VII. DECRETA CONTRA SIMON. ET CONCVBIN. SACERD.

Præterea contra Simoniacos ordinatores vel ordinatos, ab eodem Pontifice constat decretum esse editum, ex quo tria capita *i* Gratianus descripsit. Aliudque insuper (hortatu maxime Petri Damiani, cuius extant ea de re datæ literæ grauissimæ ad eundem Papam) aduersus sacerdotes Concubinarios: quod apud eundem Collectorem *k* citatur ab Alexandro Nicolai successore; recitaturque *l* ad omnes Episcopos inscripti decreti breue de hac re fragmentum. Sed & à Mediolanensibus monitus de iisdem ipsis impietatibus in ea ciuitate vigentibus sub Guidone Archiepiscopo Nicolaus, direxit illuc ipsum Petrum Damiani, vna cum Anselmo Episcopo Lucensi; qui eandem Ecclesiam pristino nitori restituerunt, abiuratis à Guidone & reliquis clericis Simoniacorum & Nicolaitarum hæresibus: sicut de his est plena relatio in epistola, quam tunc idem Petrus scripsit ad Hildebrandum, nuper ex subdiacono factum ab eodem Papa Archidiaconum: qua etiam continetur concio eiusdem Petri ad Mediolanenses habita de Primatu Romanæ Ecclesiæ, cum ipsi præsumerent Ecclesiam Ambrosianam minime debere subiacere Romanæ, quæ quidem concio male sub titulo epistolæ Nicolai ad Mediolanenses alibi *m* recitatur. Scimus autem decessori Nicolai Stephano tribui vnionem Ecclesiæ Mediolanensis cum Romana: verum quantum ex ista relatione Petri assequi licet, ex tumultuantibus Mediolanensibus, eos nondum conciliatos fuisse possumus existimare.

i Gratianus dist. 32. c. prat. hoc l. ead. dist. c. nullus. PETRVS DAM. RES ECCLES. MEDIOL. COMPONIT.

k dist. 32. c. 1. 2. q. 1. huc part. §. c. 79.

l Cap. omnes sine dist. 22.

m

VIII. NIC. PP. NORTHMANNIS CONCEDIT IN FEVDVM, CALABR. APVL. ET SICIL.

Post celebratum Romæ Concilium, Nicolaus à Northmannis rogatus in Apuliam venire, eo accedens, ipsos, terras omnes quas Ecclesiæ Romanæ abstulerant restituentes, à vinculo excommunicationis quo ea de causa innodati fuerant absoluit: quod tamen eorum opera vti vellet aduersus eos qui iura eiusdem Ecclesiæ in ipsa Vrbe Roma inuadere solerent, totam illis Calabriam, & Apuliam, (præter Beneuentum) quas tunc possidebant, itemque Siciliam quam obtinere sperabant, sub nomine Ducatus in feudum concessit, suscepto ab illorum Duce Roberto Guiscardo, iuramento fidelitatis sibi & successoribus Romanis Pontificibus præstandæ, & de soluendo quotannis censu denariorum duodecim per singula iuga boum. Meminit horum Leo *n* Ostiensis, quæ gesta fuisse ait in CONCILIO ea de re celebrato *Melphiæ* in Apulia; iisdemque conditionibus confirmatum esse ab eodem Pontifice Principatum Capuæ Richardo. Illud vero de Northmannis, narratur expressius in vetusta Historia Romanorum Pontificum, quam Nicolaus Aragonius Cardinalis in lucem prodidit. Extatque insuper ipsius Roberti Ducis iteratum iuramentum, tam de censu persoluendo, quam de fidelitate præstanda, descriptum in codice Vaticano qui inscribitur Liber Censuum.

n Leo Ost. lib. 3. c. 15.

IX. VINDICAT ROMAN. ECCLES. A TYRANNIS.

Cum autem adeo indigna passa esset Romana Ecclesia à Comitibus Tusculanis aliisque vicinorum oppidorum dominis Romæ degentibus, à quibus tot sæpe sunt intrusi Pontifices, idem Nicolaus Northmannos secum ex Apulia ducens eorundem factiosorum loca munita destruxit, ipsosque ad Apostolicæ Sedis subiectionem redire coegit, liberata Vrbe ab eorum tyrannide. Tradit hæc Cardinalis Aragonius: quæ quidem diuino plane consilio peracta sunt. Nam posthac aliquandiu non sunt auditæ adeo frequentes illæ tyrannicæ inuasiones.

Eodem anno, eademque Indictione duodecima, mense Maij celebratum est CONCILIVM PARISIENSE: vbi conuenientibus Galliarum Episcopis viginti duobus, simulque Principibus, Henricus Francorum Rex filium suum Philippum puerum adhuc septennem, Regem constituit, ac solemni ritu ab Willelmo Archiepiscopo Rhemensi consecrandum curauit: cuius Acta Papirius Massonus in suos Annales intulit. Sed quod ad tempus spectat; hoc potius anno, quam (vt ibi ponitur) sequenti, gesta esse, cum numerus Indictionis significat, tum etiam Hermannus huius temporis scriptor firmiter asseuerat, sequenti vero defunctum esse Henricum, & filium solum regnare cœpisse. quod & Sigebertus affirmat: asserente quoque auctore qui ad Aimoinum affixit appendicem, hoc anno Redemptoris millesimo quinquagesimo nono, vnctum esse Regem Philippum, sequenti vero, nempe millesimo sexagesimo, mortuum Henricum parentum eius. quinimo in Fragmento Historiæ Francorum ad Glabrum appositio, hoc præsenti anno esse defunctum Henricum traditur. Porro ipso defuncto, Philippus tutorem accepit à patre relictum, Balduinum Comitem Flandriæ, qui amitam eius habebat vxorem: qui quidem pie sancteque opus peragens, omni fide pupillo Regnum conseruauit, atque defendit. Ceterum recitat quoque idem Papirius epistolam Nicolai Papæ ad eundem Willelmum Archiepiscopum Rhemensem scriptam; qua illum monuit, vt Henricum Regem adhuc superstitem corriperet ob quædam perperam intentata contra sacros canones, & Apostolicam Sedem.

X. CONCIL. PARIS. PRO VNCTIONE PHILIPPI REGIS.

Quod ad res Orientis pertinet; ad finem huius anni Isacius Imp. ob iniuste inuasum Imperium, & vsurpata iura ac bona Ecclesiastica, Dei vindicta fulmine percussus, postquam à morbo inde contracto conualuit, sponte deposita purpura, sibique successore delecto (postpositis omnibus sibi consanguinitate coniunctis) CONSTANTINO *Duca* viro strenuo & prudente, pœnitentiæ causa monasticum sumpsit habitum, atque in cœnobio Studij monachis seruiens, illic vitæ tempus absoluit. Hæc pluribus Curopalates; qui ait eundem Isacium imperasse annos duos ac menses tres.

XI. ISAC. IMP. FVLMINE PERCVSSVS FIT MONACHVS: CONST. DVCAS IMPERAT.

IESV CHRISTI AN. 1060.

NICOLAI II. AN. 2.

CONST. DVC. AN. 1.

I. CONCIL. IACCEN.

ANNO Christi millesimo sexagesimo, Indictione decimatertia, celebratum est CONCILIVM *Iaccæ* in finibus Hispaniæ, cui præfuit Austindus Archiepiscopus Auxitanus: in quo imprimis sacri ritus, temporum iniuria deprauati, vel aboliti, sunt restituti, disciplina Ecclesiastica resarcita, moresque ad normam sacrorum canonũ reuocati: insuperque statutum, ne alio quam Romano more sacræ Preces in ecclesia persoluerentur: & vt qui Oscæ erat Episcoparus transferretur Iaccam, quousque eadem Osca ab hostium dominatu eriperetur.

II. LEGATIO REGIS ANGL. AD NICOL. PP. PRO ABSOLVTIONE A VOTO.

Eodemque tempore S. Edvvardus Anglorum Rex legationem misit ad Nicolaum Papam, tum ad deferendas ex more pecunias, quæ in Anglia nomine S. Petri exigi quotannis consueuerant; tum maxime vt quod Victor Papa Nicolai decessor ipsi Edvvardo, ob votum quo se obstrinxerat ire Romam, nomine pœnitentiæ, & in remissionem peccatorum iniunxisset constructionem monasterii in honorem S. Petri Apostoli; iam & ipse Nicolaus ratam faceret absolutionem ab eiusmodi voto petendi Romam, & confirmaret donationes ac priuilegia eidem monasterio à Rege concessa. quod Nicolaus libentissime præstitit. Hæc autem manifesta fiunt ex literis vltro citroque tunc datis, quas recitat Ealredus in Vita eiusdem sancti Regis.

IESV CHRISTI AN. 1061.

ALXAND. II. AN. 1.

CONST. DVC. AN. 2.

I. Nic. PP. OBITVS. a *Leo Ost. lib. 3. c. 20.*

ANno Christi millesimo sexagesimo primo, Indictione decimaquarta, in fine mensis Iunij mortuus est Florentiæ *Nicolaus* Papa, cum sedisset annos duos & menses sex; vt testatur Leo *a* Ostiensis. De quo præclarum illud habet Petrus Damiani in Epistola ad Mainardum Episcopum Vrbinatem, ipsum nunquam in toto anno prætermisisse diem, quin pedes duodecim pauperibus ablueret.

II. LEGATIO FACTIOSORVM ROM. AD HENR. REG. PRO NOVO ELIGENDO PONT.

Post eius autem obitum, ingens de ordinando successore cœpit oriri dissensio. Ac primo quidem Proceres illi Romani qui Comites dicebantur, vti Tusculani, Galeriani, & alij ob ea quæ agente Romano Pontifice à Northmannis passi fuerant, in S. R. Ecclesiæ Cardinales redditi infensissimi, legationem ad Henricum puerum Regem adornantes, miserunt etiam coronam auream, & cum ea insignem titulum Patriciatus, quo illius animum huiusmodi illecebris allicientes, quem ipsi vellent ab eo Pontificem reciperent. Mentio est de hac Romanorum legatione apud Hermannū: qui addit mox ea de re conuocatos esse à Rege omnes Italiæ Episcopos & generalem *Conuentum Basileæ* habitū esse. Quinam autem fuerint isti Italiæ Episcopi qui Basileam conuenerunt, satis declaratur in antiquis Gestis Romanorum Pōtificum à Nicolao Cardinale Aragonensi collectis; dum ibi traditur, defuncto Nicolao, Longobardorum Episcopos tam simoniacos & incontinentes, quam alios facinorosos, auctore Guiberto Parmensi, Cancellario Regis, homine nequissimo, conuenientes in vnum communiter statuisse, aliunde non esse creandum Pontificem quam ex Longobardia, & talem qui infirmitatibus eorum condescenderet: eoque stabilito, aliquos ex ipsis ad Imperatricem vltra montes missos esse, qui de Patriciatu filij ei suggesserunt, aliisque quibusdam figmentis eius animum sibi propitium reddiderunt. Isti igitur fuisse noscuntur Episcopi, qui Basileam ex Italia conuenisse dicuntur. Quæ autem probrosa in eadem pseudosynodo ab iis facta sint, narratur in Disputatione habita inter Regium Aduocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, de qua dicetur inferius; nempe Nicolaum Papam ibi condemnatum esse, & rescissa omnia quæ ab eo fuerant statuta. At cum ista de Catholico Rege, nomine ipsius edita vulgarentur, plane erubescentes qui sanioris mentis erant Germaniæ Episcopi, operati sunt postea, vt Cancellarius ille Parmensis, auctor malorum omnium, in ordinem redigeretur; ipseque Rex, qui femineo regi videretur imperio, seorsum educaretur. Sed de his suo loco.

GVIBERTI STVDIA CONTRA ROM. ECCL.

PSEVDOSYNODI BASIL. INFAME DECRETVM.

III. LEGATIO CATHOL. AD REG.

Interea vbi tanta ista in detrimentum Apostolicæ Sedis gesta Cardinalibus innotuissent, iidem (quod traditur in ptædicta Disputatione) ad ea diluenda, ad Regem Legationem decreuerunt, qua functus est Stephanus presbyter Cardinalis vir laudatissimus, qui ex Cluniacēsi cœnobio ad eam dignitatem virtutum merito fuerat sublimatus. Sed cū ipse, Regiis ministris obstantibus, contra ius gentium ad audientiam non admissus, re infecta Romam rediisset, immineretque grauiorum motuum atque turbinum pericula, si diutius Apostolica Sedes vacaret; tunc iidem Cardinales re mature deliberata, vt his malis occurrerent, nec tamen aliquid in contemptum Regis agere viderentur; totius Cleri populiq; Romani consensu crearunt Pontificem, quem putarent omnino ipsi Regi posse placere, *Anselmum* Lucensem Episcopum, virum probum, patria Mediolanensem, aulæ Regiæ alumnum, atque ipsius Regis familiarem; quem ALEXANDRVM eius nominis Secundum nuncuparunt. cuius electio contigit Calendis Octobris huius anni, tribus plus minus mensibus post obitum Nicolai. Narrantur hæc omnia in prædicta Disputatione.

ALEX. II. PAPA.

IV.

Iis vero auditis in aula Regia, conclamataque ab omnibus Regis iniuria, quod ipso nesciente Pontifex electus esset; Guibertus Cancellarius alium eligendum à Rege affirmans, suæ ciuitatis intimum familiarem proponit *Cadalum*, siue Cadaloum, vel Cadalaum, Parmensem Episcopum, virum perditissimum, & manifestum simoniacum: qui non ab aliqua Synodo, non à pluribus Episcopis, sed à duobus tantummodo, iisdemque publico concubinatu infamatis, nempe Vercellensi & Placentino Episcopis, electus est in Romanum Pontificem hoc ipso anno die vigesima octaua mēsis Octobris in festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ; dictusque *Honorius* eius nominis Secundus: procurante id pariter Gerardo Galeriæ Comite, qui ob multa publica latrocinia, aliaque scelera & sacrilegia tam Romæ quam aliis locis patrata, fuerat à Nicolao Pontifice solemniter excommunicatus, & extinctis luminibus perpetuo anathemate damnatus. Attingit ista breuiter Leo *b* Ostiensis: quæ plenius intelliguntur ex eadem Disputatione, atque ex priori ac peregregia, eademque vehementissima epistola Petri Damiani, quam ad ipsum Cadaloum, postquam electus est pseudopontifex, increpatoriam conscripsit, qua & ipsi ruinā ac perditionem prædixit. Ex cuius etiam aliis ad Cunipertū Taurinensem Episcopum datis literis constat, Cadaloum post electionem suam, adeo turpem cum sui similibus incontinentibus clericis vitam duxisse, vt (quod ait) qui hactenus dicti essent ab auctore *Nicolaitæ*, deinceps dicendi essent à propagatore *Cadaloitæ*. Ac denique ex aliis ab eodem ad Alexandrum Papam simul & Hildebrandum Archidiaconū scriptis intelligitur, eundem Cadaloum ad schisma roborādum, & vt Romanorum sibi conciliaret animos, ingentem pecuniarum vim in ipsos effudisse: atque ideo Alexandrum, post creationem suam, timentem Romanos illos potentiores qui Cadaloo fauerent, ab Vrbe fugam arripuisse.

CADALOVS ELECTVS PSEVDOP.

b *Leo vbi sup.*

CADALOITÆ HÆRET.

V. PET. DAMI. DEPONIT EPISCOPATVM, ET SECEDIT IN EREMVM.

Quo tempore conueniens cum extra Vrbem positum idem Petrus Damiani, ab eo impetrare studuit, quod ab eius decessore negatum fuerat, nempe vt se abdicaret ab onere Episcopatus Ostiensis, & à procuratione quæ à Papa Nicolao ipsi iniuncta fuerat Ecclesiæ Eugubinæ: & licet resistente Alexandro Pontifice, & magnopere contradicente Hildebrando Archidiacono, quod probe scirent quam esset Ecclesiæ Romanæ proficuum perditissimis hisce temporibus, Petrum assistere Summo Pontifici: tamen his omnibus firmo animi proposito superior factus Petrus, reuersus est in eremum; indeque epistolam scripsit apologeticam, vnam ad ipsos duos, Alexandrum videlicet, & Hildebrandum, qua fuse sui facti rationem reddidit. Fuit ea iam antehac cusa *c*, sed deprauato titulo, dum ad Hildebrandum solum inscripta habetur, quæ in antiquissimo Vaticano codice basilicæ S. Petri, huiusmodi habet inscriptionem; *Dilectissimis, Apostolicæ Sedis electo A. & virgæ Assur Hildebrando*; vt epistola non ad vnum, sed duos data sit; quod etiam ex ipsius contextu abunde liquet: sicut & sunt aliæ eiusmodi ab ipso ad eosdem ambos simul datæ. Quod vero violentum oppugnatorem sui propositi Hildebrandum patereturr, *Assur virgam* appellat: immo & in ipsa epistola, inter alia plura, quæ non sine stomacho videri possent scripta, *Satanā sanctum* nominat: Satanā, vtpote aduersariū, sanctū, quod nō inimico animo, sed bona intentione ad eum apud Pontificem retinēdum duceretur. Ita tamen se Petrus abdicauit Episcopatu, vt nihilominus recedens in solitudinem, certare non pretermiserit tum contra corruptos eius temporis mores, tum aduersus schismaticos & hæreticos pro Apostolica Sede; ac pro eadem; cum iussus est legationes subire, vel Synodis interesse; vt fidemfaciunt cum plurima ipsius scripta, tum quæ de eo dicentur inferius suis locis. Nam & quantumlibet Alexander ei de abdicatione Episcopatus acquieuisset; tamen tanti viri reuerentiæ causa, alium ipso viuente Ecclesiæ Ostiensi subrogare Episcopum penitus recusauit. Denique Petrus dum fuit in solitudine, ita in contemplatione rerum diuinarum assiduus, & vigilans in sacrarum studio literarum extitit; vt tamen opus manuale, more veterum sanctorum Patrum, minime prætermitteret: quem quidem cochlearia ex ligno elaborare solitum ad vsum mensæ, iisque interdum donare Summum Pontificem, constat ex duobus, quæ extant eius argumenti, ipsius epigrammatibus ad Pontificem missis.

c *In Bibl. Patr.*

EXERCET OPVS MANVVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 1062.

ALXAND. II. AN. 2.

CONST. DVC. AN. 3.

I. CADALOVS ANTIP. VICTVS PARMAM REDIT.

ANno Christi millesimo sexagesimo secundo, Indictione decimaquinta, nefandus Cadalous pseudopontifex, cum multa pecunia & conductitiis militibus ex improuiso Romæ apparens, multos sibi fauorabiles reddidit: quorum ope sperans intra ipsam Vrbem admitti, in Praro Neronis castra metari præsumpsit, & in prima congressione victor apparuit: sed post paululum aduenientе Duce Godefrido, adeo coactatus est, vt absque læsione proprij corporis abire retrorsum nullatenus potuerit, nisi humilibus precibus & effusis magnis muneribus. sicque rediit Parmam spoliatus & profugus. Habentur ista in Collectione Nicolai Cardinalis Aragonij: quæ his ipsis anno Domini & Indictione gesta esse mense Aprilis, traditur apud veterem Romanorum Pontificum collectorem in codice Vaticano. Cum vero nec sic quidem homo sacrilegus quiesceret, sed rursum pecunias colligere pararet, quarum ope inferretur in Vrbem; tunc ista audiens Petrus Damiani, posteriorem ad eum scripsit egregiam plane, suo more, epistolam, qua acerrime in eum inuectus est, vt à prauis conatibus deterreret. Quæ autem sequuta fuerint, dicetur paulo post.

II. HENR. REX ABSTRAHITVR A MATRE PER ANNON. EPISC. COLON.

Interea vero in aula Regia noua & inaudita prorsus contigisse leguntur; nimirum vt Anno Colonensis Archiepiscopus, vir sanctitate & prudentia insignis, Henricum Regem puerum iam annorum decem, à matre Agnete subductum, & in S. Suitberti insulam post Paschales dies naui sub alio prætextu perductum, inuitum & reclamantem, Coloniam vsque perduxerit; eumdemque blanditiis delinitum, ceterorumque Germaniæ Principum obsequio frequentatum & cultum, retinuerit educandum. Quæ quidem cum eius temporis Scriptores referant; de causa tamen cur ad ea facienda Anno permotus fuerit, est diuersa sententia. Lambertus affert suspicionem pudicitiæ Imperatricis, propter frequentiorem consuetudinem cum Henrico Episcopo Augustensi, regni negotia eiusdem iussu administrante. Sed non creditur; tum quod ipsa Agnes omnium pudicissima haberetur, tum etiam quod per eiusmodi factum non adhibitum esset remedium violatæ famæ Reginæ, quin potius vt magis augeretur effecisset, relicta ipsa absque filio auliciscque libera ad omnem libidinem: adeo vt hac ex parte potius fuisset ipsa abducenda, custodiaque munienda, quam eius filius. Quamobrem verior illa causa probatur, vt eo modo regni regimen auferretur à matre, eiusque præfectis, quorum arbitrio cuncta male miscerentur. Quod enim ista mox correcta fuerint vbi Rex à matris cura ablatus est, plane ea peragendi fuisse causam ostendunt. Siquidem eiusmodi praua rum ministrorm princeps, quem superius nominauimus,

GVIBERTVS CANCELLAR. PRIVATVR.

Guibertus Parmensis, Regni Cancellarius ab Imperatrice constitutus, (quod traditur in Collectione Cardinalis Aragonij) in ordinem statim redactus est in Comitiis paulo post habitis omnium Principum Germanorum; in quibus (inquiunt eadé Acta) Annoni Colonensi Archiepiscopo administratio Regni & Regis custodia fuit demandata.

III. CONCIL. OSBOR. IN CAVSA SCHISM. ECCL. ROM.

Qui quidem in opus strenue inuigilans, confestim ex Episcopis Germaniæ & Italiæ, quos tunc apud regem reperiri contigit, vt CONCILIVM cogeretur in Germaniæ loco, qui dicitur *Osborium*, operam dedit, cui & Rex ipse interesset. Acciditque peropportune vt ageret etiam tunc in Galliis Petrus Damiani *a*, illuc ab Alexandro Papa, expetente S. Hugone Abbate Cluniacensi, missus ad propulsanda mala quæ tyrannide quorundam principum Cluniacenses monachi patererentur. Qui cum audisset de futura Osboriensi Synodo, misit ad illam, scriptionem à se compositam, qua

a Debac Petri legatione certo constat ex ipsius litteris, à monachis Cluniacensibus postulatus.

texta haberetur longa *b Disceptatio* inter *Aduocatum Regium*, reprobantem Alexandri Papæ electionem Romæ absque Regis consensu factam, ac defendentem Cadaloi ordinationem; & *Romanæ Ecclesiæ Defensorem*, Alexandrum aduersus Cadaloum protegentem. Idque adeo feliciter processit, vt in ea Synodo omnium consensu electione Alexandri comprobata, damnatio Cadaloi conclamata fuerit, ipsis Vigiliis SS. Apostolorum Simonis & Iudæ, vigesima septima mensis Octobris, cum necdum Cadalous annum vnum promotionis suæ compleuisset, quam accidisse vidimus ipso die festo eorumdem Apostolorum. Ita namque de tempore testantur tum Leo *c* Ostiensis, tum idem Petrus Damiani in epistola ad Cunipertum Taurinensem Episcopum. Quomodo vero minime huic iudicio acquiescens infelix Cadalous, post hæc rursum in Romanam Ecclesiam, ipsumque Alexandrum Papam insanierit, dicetur suis locis.

in eremum scriptis.

b Recitat illam integram Bar. Annal. Tom. XI. hoc an. ex antiq. codd.

c Leo lib. 3. c. 20.

IV. AGNES AVG. ROMAM POENITENTIÆ CAVSA CONTENDIT.

Eodem anno ad finem dilabente, Agnes Augusta tædium passa (inquit Lambertus) ærumnarum sæculi, & domesticis erudita calamitatibus, quam cito exufflante spiritu Dei exiccetur fœnum temporalis gloriæ, cogitauit sæculo renuntiare. Ipsam porro ea de causa Romam se contulisse ad Limina Apostolorum, scribit Sigebertus. Ex quibus reda: qui videtur Abbas Vrspergensis, dum eiusdem aduentum Romam ponit anno Domini millesimo sexagesimo nono. Eum tamen, ex ratione computi Lamberti, dicendum est non ante Christi annum millesimum sexagesimum sextum contigisse: siquidem anno millesimo septuagesimo secundo, agens de illius eo anno reditu in Germaniam, ad liberandum Sueuiæ Ducem innocentem, accusationibus impetitum apud Regem, ait illum contigisse post annos sex ab eius in Vrbem aduentu. Ceterum in Rebus gestis S. Anselmi Lucensis Episcopi, illa ipsius peregrinationis asseritur certa causa, quod cum fauisset nefariæ Cadaloi promotioni, pœnitens facti, peccatum ingens ingenti voluerit satisfactione redemisse: eidemque tradit inunctum fuisse ab Alexandro Papa, vt Romæ moraretur, ibique S. Petro vigiliis, orationibus, & ieiuniis satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ consiliis & auxiliis prout valeret. Hæc autem ab ipsa abundantissime præstita esse, cum sæculo renuntians totam sese diuino obsequio mancipauit; tum alij testantur auctores (ex quibus Lambertus asserit, eam in ieiuniis & vigiliis, humanarum virium naturam excessisse:) tum Petrus Damiani, egregia epistola quam ad ipsam postea scripsit, vbi mira narrantur de eiusdem pietate ac deuotione cum vitæ austeritate coniuncta: cum & Romam veniens (vt ibidem traditur) nacta illic eundem Petrum, fecit ei cum lugubri gemitu, & amaris suspiriis, ad Confessionem S. Petri Apostoli, exactissimam confessionem suorum omnium peccatorum ab ipsa quinquenni tenera infantia. Quæ quidem de virtute in virtutem calle Christianæ vitæ perfectionis incedens, in dies sanctior Deo, Sponso cœlesti pulchrior reddita, Romæ vbi cœperat, sancto fine non dispari tanto principio quieuit in Domino, in fine anni Redemptoris millesimi septuagesimi septimi; vt docet inscriptio epitaphij *d* ad eius sepulchrum positi in basilica S. Petri; atque etiam testantur Bertholdus, & Abbas Vrspergensis eo anno: licet interim nonnumquam (vt diximus) in Germaniam, necessitatibus vrgentibus, redire contigerit. Sed de ea rursum inferius.

CONFITETVR PECCATA PETRO DAM.

d Ap. Vg. lib. 3.

V. ALEX. PP. CORRIPI HARAL. NORVEG. REGEM.

Hoc ipso etiam Alexandri Papæ tempore accidisse noscitur, vt cum Haraldus Norvegiæ Rex potentissimus, sed crudelissimus atque impiissimus, inter alia tyrannice gesta, raperet oblationes à Fidelibus deferri solitas ad tumulum S. Olai Regis, eiusdem Haraldi germani, quem ipse occiderat, easdemque militibus suis distribueret, sed & in contemptum Metropolitani sui Adalberti, Bremensis seu Hamburgensis Archiepiscopi, Episcopos sui regni in Gallia, vel in Anglia, contra ius fasque ordinari faceret; ac denique de his ab Adalberto monitus, ei obedire negaret; ipse vero Adalbertus de iisdem apud Alexandrum Pontificem conquestus esset: ad eundem Haraldum Alexander confestim missis literis, præceperit vt tam ipse quam eius Episcopi Bremensi Metropolitano, Vicario Sedis Apostolicæ à se constituto, omnem exhiberent subiectionem. Narrat hæc Adam *e* eius temporis scriptor: ipsas vero etiam Alexandri ad Haraldum literas ex parte recitat Albertus Stadensis Abbas in suo Chronico.

e Ad. lib. c. 10.

VI.

Regnabat tum quoque in Dania Sueno Rex, ad quē eius-

dem

ALEX. REGIT CENSVM A REGE DANIÆ. f lib. 4. ep. 20.

dem Alexandri Papæ extat epistola, seu potius fragmentum ex ea, in Vaticano codice qui inscribitur Liber Censuum, qua exegit censum, quem eius maiores Apostolicæ Sedi persoluere ex eo Regno consueuerant. De quo etiam Rege Adam *f* agens, ipsum ait aduersarium prædicto Archiepiscopo Hamburgēsi Adalberto, (erat enim sedes Hamburgensis, omnium illarum Borealium regionum Metropolis) reconciliatum tandem ei, magno adiumento fuisse illius regionis Ecclesiis: Vbi & multa subdit de Ecclesiæ Slauorum felici progressu, opera *Godescalci* religiosissimi Principis, ipsius Regis Danorum generi, ac Slauorum domitoris, qui magnam etiam eorundem partem ad fidem conuertit, ac frequenter eisdem prædicauit. Hoc vero anno etiam Alexander Papa reperitur Pallium misisse ad Petrum Archiepiscopum Dalmatiæ & Sclauoniæ, cum literis *ff* quæ extant. Itemq; ad Gebehardum Archiepiscopum Salsburgensem: qui ob zelum quo flagrauit erga Apostolicam Sedem, meruit fieri eius Legatus in Germania: cuius extant *g* Res præclare gestæ.

SLAVOR. ECCLESIÆ PROGRESSVS.

ff Ret. Bar. ex cod. Ant. Aug. g Tom. 2. Antiq. Leff. Canis.

Hoc item anno, septimo Calendas Iulij, in Hispania apud *S. Ioannem Rupensem*, CONCILIVM *h* est celebratum sub Ramiro Rege. Quid vero in eo statutum sit, nihil reperimus; nisi vt Aragonij Episcopi sumerentur ex monasterio S. Ioannis: quod antea per Regem Sancium fuerat institutum.

VII. CONCIL. ARAGON.

h De hoc Concil. vid. Hieron. Blanc. in comment. Rer. Aragō.

IESV CHRISTI AN. 1063.

ALEX. II. AN. 3.

CONST. DVC. AN. 4.

I. PETRVS DAM. CASSINVM VOCATVR.

ANno Christi millesimo sexagesimo tertio, Indictione prima, Petrus Damiani sæpius importuniusque rogatus à Desiderio magni nominis, maiorumque virtutum Abbate Cassinense, atque presbytero Cardinale Tituli S. Cæciliæ, (quem stirpe magnatum Beneuento ortum, olim vt monachus fieret, intactam sponsam, parentes, propinquos, patriam deseruisse ex ipsius epitaphio *a* constat:) Cassinum petiit: Vbi (inquit Leo *b* Ostiensis) cum verbo pariter & exemplo quoscunque posset feruenter accenderet, tandem eiusdem permissione Abbatis ab omni Congregatione obtinuit voluntaria oblatione, in remissionem peccatorum omnium, vt sexta feria per totum annum pane & aqua contenti, Disciplinam singuli facta confessione perciperent: insuper & triduanum ieiunium in capite Quadragesimæ per annos singulos agerent. Hæc Leo. Sed quod ad hoc triduanum ieiunium spectat; eos Petrus ad obseruantiam sui monasterij redegisse cognoscitur; qua ipse in epistola ad Fratres Gamungni eremi scribit, constitutum fuisse vt per illud triduum nonnisi modicum panis cum aqua omnes Fratres comederent; nulla nisi lectionum, siue orationum verba proferrent; nudis pedibus lugubres atque mœrentes incederent; expleto communi modulatione psalterio, mutua se scoparum, siue flagellorum castigatione purgarent. Porro tanta erat eiusdem Petri in Ecclesia Dei æstimatio, vt quæ ipse facienda moneret, tamquam oracula diuina pij quique perciperent.

a Ap. Leon. Ost. lib. 3. c. 73. b Ibid. c. 21.

IEIVNIVM INDICIT MONACHIS.

II. MITTITVR FLORENT. AD SEDANDVM SCHISMA ILLIVS ECCL.

Idem vero reuersus ab Alexādro Papa missus est Florentiam, ad sedandum magnum conflatum schisma inter Petrum Episcopum Florentinum simoniæ hæresis accusatum, & populum eiusdem ciuitatis; cuius partem aliquam in suum Episcopum monachi concitabant, (inter quos primum locum tenuisse S. Ioannem Gualbertum, in Vita ipsius asseritur) affirmantes cunctas illius benedictiones & sacramenta esse maledictiones & sacrilegia, ideoque nec ab illo sacramenta, nec ab ordinatis ab eo esse percipienda; ex quo fiebat vt baptizati minime chrismate vngerentur, & quamplurimi absque sacramento Eucharistiæ interirent. Studuit autem eos conciliare Petrus Damiani, nec tamen obtinuit, eo quod aduersus monachos steterit; ex eo præsertim redarguens illos, quod indemnatum adhuc Episcopum esse vitandum suaderent. Vnde passus & ipse calumniam, quasi vinctus eodem crimine teneretur, discessit re infecta; & mox in sui defensionem, & monachorum iustam reprehensionem, egregiam scripsit epistolam apologeticam, tam ad ciues Florentinos, quā ad monachos ipsos: qua prius à se repulsa calumnia de labe simoniæ, postea abunde ostendit, quomodo sit conuersandum cum sacerdotibus simoniacis; nec in re de qua agebatur, esse monachorum vitare Episcopum, quem Ecclesia non damnasset; minimeque debere illos assumere sibi iudicium, quod tantummodo esset Apostolicæ Sedis. Sed & quem putauit malorum omnium auctorem, Theuzonem monachum inclusum, magnæ quidem apud omnes opinionis, sed reipsa fastu tumentem, atque ipsum etiam Romanum Pontificem arguere, immo & quorundam Sanctorum cultum in dubitationem reuocare præsumentem; insigni ad eum ac prolixa satis scripta epistola, acerrimis reprehensionibus, & exemplis plurimorum in eremo degentium sanctorum virorum, ad legitimam monasticam disciplinam, humilitatemque, ac mansuetudinem reducere conatus est. Cuius admonitionibus in se reuersus Theuzo, adeo mutauit vitam, vt reliquis sit factus exemplum perfectissimi anachoretæ, sanctoq; tandem fine quieuerit. Profecerunt pariter & reliqui monachi, dum causam quam iustam putabant, iuste prosequi aggressi sunt apud Summum Pontificem in Synodo Lateranensi hoc tempore celebrata.

DE THEVZONE MONACHO.

Verum cum ipsis resisteretur à multis, eaque interim cōtrouersia magis ac magis Florentiæ augeretur; ingens facinus, expetente Clero & populo, ab iisdem tentatum est; cum ad probandam Petri Episcopi simoniam, vnus ex monachis nomine *Petrus*, Ioannis Gualberti discipulus, mira humilitate & obedientia præditus, post Missam solemniter celebratam, sacerdotalibus indutus vestimentis, & Crucem gestans, nudis pedibus per medias ingentis rogi flammas penitus illæsus transiuit. quæ res gesta exacte describitur in literis à Florentinis eade re datis ad Alexandrum Papam, recitatis à S. Attone Pistorienſi Episcopo in Vita *c* vberius scripta eiusdē S. Ioannis Gualberti. Meminere quoq; eiusdē historiæ Abbas Vrspergensis *d*, Bertholdus, & alij: quæ & maiorem adhuc sibi vendicat auctoritatem ex testificatione nuper recensiti Desiderij Abbatis Cassinensis & Cardinalis, qui & postea Papa creatus dictus est Victor eius nominis Tertius. Ipse enim in libro tertio Dialogorum totam hanc texēs historiam, addit illud amplius, quod cum Petrus monachus iam ex igne egressurus esset, atque mappulam è manu lapsam esse, & in medio ignis remansisse intellexisset; per easdem reuersus sit flammas, mappulam recepturus. Idem vero ex eiusmodi immenso facinore, cognomentum *Ignei* adeptus est: quem Bertholdus scribit tantæ fuisse sanctitatis, constantiæ, & fidei, vt vix aliquis sui temporis ei potuerit comparari. Qui quidem post custodiam vaccarum & asinorum (inquit Atto qui supra) quā in Vallumbrosa iussu B. Ioannis Gualberti humiliter tenuit, postq; gradum Præpositi penes Passinianum, & Abbatis officium in monasterio Ficodensi, inde Romam deductus extitit Cardinalis & Episcopus Albanensis. Fuisse autem nobili ortum genere ex stemmate *Aldobrandinorum*, asseritur in eius Vita nuper edita: Qui post adeptum Cardinalatum, pluribus (vt videbitur) pro Sede Apostolica legationibus functus, peruenit ætate vsque ad annum Redemptoris millesimum octogesimum octauum, quo sancto fine in Domino quieuit.

III. PER IGNIS EXAMEN EPISC. FLOR. PROBATVR SIMONIACVS.

c Ap. Sur. 12. Iul. d Vrsperg. an. 1088.

PETRVS IGNEVS.

Quod vero ad *S. Ioannem* e *Gualbertum* attinet, cuius fuit idem Petrus discipulus; extitit ipse hoc tempore magni vir nominis ob egregiam vitæ sanctitatem, & frequentia miracula: cœpitque iam ante vicennium innotescere orbi, dum parcens cuidam inimico suo veniam in nomine Christi Crucifixi petenti, sibi oranti Crucifixi Imaginem inclinare caput in signum gratæ sibi admodum actionis aspexit; cum tanta victus diuina clementia, monasticæ vitæ arripuit institutum. Sed postea Abbatem deserens simoniacum, noui Ordinis monachorum dictorum *Vallis-umbrosæ*, factus est institutor & auctor, signis atque virtutibus clarus, ideoque ipsis etiam Imperatoribus & Pontificibus charus: vt pluribus traditur in eius Rebus gestis. Fuitque insuper tantæ æstimationis, vt eum Episcopi consulerent, eius cupientes monitis roborati. Cuius legimus epistolam ad

IV. IOAN. GVALBERTVS INSTITVTOR ORD. VALLISVMBROSÆ.

e De quo cœpit agere Baron. an. 1051. impr.

V.

Volaterranum Episcopum, qua ipsum aduersus Simoniacos fortiter agere multis hortatur.

Denique quod spectat ad Petrum Episcopum Florentinum; ipse post eiusmodi probationem, ab Alexandro Papa Episcopali officio depositus asseritur in iisdem Actis S. Ioannis Gualberti: quem tamen Monachis reconciliatum esse, diplomata quædam monasterij Vallis-umbrosæ indicant. Displicuisse vero Alexandro Papæ, per monachos populum concitari, atque Ignis probationem tentari, non solum constat ex iisdem Actis Ioannis Gualberti; sed etiam ex canone *f* in prædicta Synodo Lateranensi condito, quo præcepit monachis intra claustra morari, & à populorum prædicatione omnino cessare. Fuit autem plane nobilis ista SYNODVS, cui amplius quam centum Patres interfuerunt: ex qua idem Pontifex Constitutionem *ff* edidit ad vniuersam Ecclesiam, continentem canones illic sancitos de Clericis simoniacis, & incontinentibus, aliisque rebus tam laicorum quam clericorum & monachorum, ad perfectam disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus; qui ferme omnes suis locis relati habentur à Gratiano in corpus Decreti.

f c. iuxta Chalced. 16. q. 4. CONCIL. LATERAN. SVB ALEX. II.

ff Rec. Bar. Ann. Tom. XI. hoc an. ex Bibl. Vat.

VI.

Inter eos vero notādus quartus *g*, quo decernitur vt Clerici simul manducent & dormiant, & quicquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant. Quod quidem statutum cognoscitur suggestione Petri Damiani; cuius extant *h* literæ ad Alexandrum Papam scriptæ hac inscriptione; *Vt Canonicis, à quibus in Congregatione viuitur, proprietatis habēdæ licentia denegetur*; in quibus prolixior est ea de re disputatio. Porro non de monachis, sed de clericis eiusmodi sancitus est canon; nec de omnibus clericis, sed his qui collegiatis seruirent ecclesiis, quos frequentiori vsu *Canonicos* appellare cōsueuimus; ob id scilicet quod hisce tenerentur canonibus obligati, ad quorum præscriptum vitam ducerent clericalem in omnibus regularem, nihil sibi proprium vendicantem.

g c. præter hoc § præcipientes. dist. 32. DECRETVM DE VITA COMMVNI CANONICORVM.

h Pet. Dam. l. ep. 16.

VII.

Hoc item anno (quod ad res pertinet Orientis) Christiani qui erant Hierosolymis, absoluerunt à Calypha Ægypti imperatum opus ædificandi quartam partem murorum Hierusalem, pecunia collectitia Christianorum, potissimum vero Imperatoris Constantinopoli Monomachi; & impetrarunt à Calypha, vt eam partem ipsi possiderent Christiani, necnon etiam vt nullum alium quam suum ipsorum Patriarcham haberent Iudicem. Ex quo factum, vt illa quarta pars ciuitatis cesserit dominio Patriarchæ; cuius rei causa graues lites postea obortæ sunt inter Reges Christianos Hierosolymorum & Patriarcham; de quibus agendum suo loco. Porro omnia ista vberius tractat Willelmus *i* Tyri Archiepiscopus.

QVARTA PARS CIVIT. HIEROSOL. CEDIT DOMINIO PATRIARCHÆ.

i Wil. Tyr. 9. de Bel. sac. 17. 18.

IESV CHRISTI AN. 1064.

ALEX. II. AN. 4.

CONST. DVC. AN. 5.

I.

ANNO Christi millesimo sexagesimo quarto, Indictione secunda, Henricus Rex Germaniæ literis *a* Petri Damiani sacerdotali dicendi libertate conscriptis, quinimmo & comminatoriis, admonitus collabenti Ecclesiæ aduersus Cadaloum schismaticum noua in dies molientem, multosque in partes suas allicientem, subuenire; Legatum misit Romam ad Alexandrum Papam, Annonem Archiepiscopum Coloniensem: cuius illud imprimis opera ageretur, vt iura Regis in eligendo Romano Pontifice integra seruarentur; sicque demum congregato ex Germaniæ atque Italiæ Episcopis generali Concilio, causa schismatis cognosci deberet, & qui esset ab omnibus colendus Romanæ Ecclesiæ Pontifex perspicue noscceretur. Hanc quidem Annonis legationem hoc anno contigisse, diserte affirmat Lambertus. In Gestis vero Romanorum Pontificum quæ Cardinalis Aragonius collegit traditur, Annoni modeste conquerenti de Alexandro, quod contra morem absque mandato & assensu Henrici Regis Pontificatum suscepisset, sufficienter satisfactum esse ab Hildebrando Archidiacono & Episcopis Cardinalibus, dum ei demonstratum est, iuxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones nihil penitus esse concessum siue permissum Regibus in electione Romanorum Pontificum: mox tamen Alexandrum eiusdem Annonis rogatu, apud *Mantuam* SYNODVM conuocasse, in qua electionis suæ rationem redderet; quamuis hoc inconsuetum esset, & à Romani Pontificis auctoritate videretur alienum. Porro illam Synodum hoc ipso anno celebratam esse, apud Hermannum expressum habetur. Opportunus enim existimatus est locus ille, ad quem non tantum Itali Episcopi, sed etiam trans Alpes positi facile conuenire possent.

ANNO COLON. MITTITVR A REGE LIGATVS AD PAP.

a Pet. Dam. 7. ep. 3.

CONCIL. MANTVAN. IN CAVSA SCHISM. ECCL. ROM.

Deperditis autem tanti Concilij Actis, id solum ex eadem Collectione Cardinalis Aragonij intelligitur, Cadaloum schismaticum ab Annone adesse Concilio iussum, remordente conscientia se absentasse; Alexandrum vero causam electionis suæ adeo manifestis rationibus comprobasse, atque omnia sibi obiecta diluisse, vt qui hactenus ei aduersati fuissent, deinceps ipsi obedientiam præstiterint. Additque Sigebertus, Alexandrum à crimine simoniæ, quo ab iisdem aduersariis suis postulatus fuerat, se purgasse adhibito iuramento. Cadaloum autem fuisse omnium sententia damnatum, omnes affirmant.

II. CADALOVS DAMNATVR, ALEX. CONFIRMATVR.

Ad hanc quoque Synodum aduenisse traduntur *b* Episcopi ab Hispania tres, pro reliquis legatione fungentes, secum deferentes Libros Gothicos Ritualis; qui fuerunt à Synodo cogniti Orthodoxi. Iidem vero reuersuri in Hispaniam, duxerunt secum ab Alexandro Papa decretum Legatum à Latere Hugonem Candidum Cardinalem; quem olim à partibus Cadaloi Antipapæ stantem, idem Alexander veniam suppliciter postulantem in communionem receperat. Eius autem auctoritate *Barcinone* CONCILIVM congregatum est; in quo Leges Gothicæ quibus Catalani vtebantur penitus abrogatæ sunt; nouæque sancitæ, quibus hactenus populus vtitur. Atque vna cum legatione Hugonis, is qui miserat eam Alexander Papa receptus est in Hispania germanus Ecclesiæ Romanæ Pontifex; Cadalaous vero communibus omnium votis anathemate damnatus. acita vbique terrarum.

III.

b Io. Mariā. de Rab. Hisp.

CONCIL. BARCINON.

Qui tamen nec ideo quieuit. Armasse enim rursum militem, aggressumque Vrbem, sed contumeliose pulsum, Lambertus asserit. Hæcque est posterior aggressio illa, quam describens Cardinalis Aragonius, ait Cadaloum corruptis pecunia nonnullis ducibus ac militibus Romanis, noctu Leoninam ciuitatem intrasse, & S. Petri ecclesiam in opprobrium & confusionem suam occupare præsumpsisse. Siquidem populo Romano ad eamdem ecclesiam concurrente, Cadaloi sectatores tantus derepēte timor inuasit, vt omnes eo derelicto in cryptis & abditis locis sese occultarēt. At vero Cencius Præfecti filius, homo nequam, in castellum S. Angeli ipsum Cadaloum suscipiens, iuramentum ei atque defensionem præstitit. Vbi per duos annos à militibus Alexandri Pontificis obsessus, & multis calamitatibus afflictus, exire haud potuit, donec se ab eodem Cencio trecentis libris argenti redimens, inops & egens clam inter oratores elapsus est: ac demum paucos post dies diuino iudicio pessimam mortem incurrit. Hæc apud Aragonium. Sed in codice Vaticano qui inscribitur Liber Censuum, de eodem Cadaloo traditur, ipsum tandem recedentem à schismate, ab Alexandro per nuntios petiisse absolutionem, ac promissa satisfactione impetrasse, sed post dies paucos malam mortem incurrisse. quomodo autem, non dicitur. Verumtamen scriptor huius temporis Lambertus affirmat, Cadaloum, dum vixit, se gerere pro Pontifice, & quæ sunt Pontificis exercere non destitisse. At de illo hactenus.

IV. CADALOVS RVRSVM PVRIT IN ECCL. ROM.

EIVS EXITVS.

Hoc eodem anno (vt tradit Marianus Scotus) celebris instituta est peregrinatio Hierosolymam septem millium virorum & amplius, quorum primores duces fuerunt Germanici Antistites, Sigefridus Moguntinus, Willelmus Traiectensis, Guntherus Bambergensis, & Otto Ratisponensis. Sed hoc eorum imprudentiæ vitio datum, quod circumspecte nimis ornati, & magnitudinem opum suarum inconsultius ostentantes, barbaros ad prædam allicerent, adeo vt antequam Hierosolymam peruenirent, confligen-

V. CELEBRIS PEREGRINATIO HIEROSOL.

dum

dum sæpe cum Arabibus latronibus in Palæstina fuerit: quę certamina eorundemque à maximis discriminibus diuinitus factam liberationem, antiquioribus admirandis Dei operibus haud imparem, accurate descripsit Lambertus eius temporis auctor; summatim vero retulit Ingulphus Anglus in commentario Historiæ monasterij Croylandensis, cui postea præfuit: qui cum esset tunc scriba Willelmi Comitis Northmannorum, postea Regis Anglorum, obtenta ab eo licentia, cum aliis profectus est. Ceterum ex tanto numero virorum, vix duo millia reuertisse ad propria, Marianus tradit.

VI. TERRÆMOTVS IN THRAC. ET BITHYN.

Quod idem ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno, Indictione secunda, maximo omnium terræmotu qui vnquam fuissent, vexatas Thraciam & Bithyniam, ac Constantinopoli & Niceæ prostrata templa, veterumque Bithyniæ Regum monumenta collapsa, tradit Curopalates, tantam cladem pluribus prosecutus; quam vigesima tertia die mensis Augusti cœptam, perseuerasse vsque ad annos duos affirmat.

IESV CHRISTI AN. 1065.

ALEX. II. AN. 5

CONST. DVC. AN. 6.

I. PETRI DAM. SOLICITVDO PRO NONNVLLIS CORRIGENDIS.

ANno Christi millesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, Petrus Damiani Episcopus Ostiēsis S.R.E. Cardinalis, è Synodo Mantuana, cui iussu Alexādri Papæ interfuerat anno superiori, ad eremū vnde venerat rediens; scribensque inde ad eundem Pontificem, duo inter alia ab eo in Ecclesia emendanda significauit; vnum, quod cunctis fere decretalibus paginis anathema subiungeretur, in maximum animarum periculum: alterum, quod cuiusliber ecclesiæ filius, siue clericus esset, siue laicus, proprij excessus Antistitis ad maiorem Ecclesiam deferre prohiberetur, vnde plerique Episcopi licentiam arriperent multa illicita impune perpetrandi.

II. ADVERSVS NICOLAITAS.

Cum vero videret incontinentiam Clericorum eo vsque processisse, vt etiam in hæresim Nicolaitarum pertransisset, dum ab eorum nonnullis coniugia tam quam licita obstinate defenderentur; qui iam ante sub Nicolao Papa scriptis suis eundem errorem, simulque errantes exagitauerat, rursum hoc anno (nimirum post Cadaloum in Synodo condemnatum) eodem argumento prolixiores ad Cunipertum Taurinensem Episcopum dedit literas, quibus eorundem obiectiones & argumenta refellit; ipsumque Cunipertum redarguit, quod cum castissimus esset, tamen non corriperet clericos sibi subditos fornicarios. Et [vt quod minus per Episcopos impleretur, per Principes sæculares sancta Ecclesia consequi posset; scripsit eadem de re ad Adelaidem Alpium Cottiarum Marchionissam, siue Ducissam, magnæ virtutis & virilis animi feminam, cuius (vt ait) ditio in duorum Regnorum Italiæ & Burgundiæ porrigeretur non breui confinio, pluresque in ea episcoparentur Antistites. Sed & aliis ad Petrum Lateranensem Archipresbyterum datis literis, illum aduersus eosdem clericos vxoratos strenue agere hortatus est: monens tamen vt sic eum zelus impelleret, vt iracundia non præcipitaret; atque vt ad hæc agenda ieiunio se muniret, & frequenti sacrosancti sacrificij oblatione corroboraret. Sicque idem Petrus, vt alter Ioannes Baptista, vox clamantis in deserto, ab eremo calami, vt tubæ Dei, vbique clangore personans, pios excitauit ad pugnam, reprobosque vel colla subiicere Ecclesiasticæ disciplinæ coegit, vel in fugam adegit, atque in abditissima quæque loca impudentiæ thoros fecit abscondere.

III. IN HÆRESIM INCESTVOSORVM.

Compescuit pariter eodem tempore hæresim *Incestuosorum* dictam, quam nonnulli Iureconsulti excitauerant & defendebant, dum auctoritate [Iustiniani Imp. eadem ratione qua in successionibus, numerandos esse dicerent gradus consanguinitatis. A quonam autem error originem duxerit, haud satis exploratum: sed Rauennæ maxime viguisse, ibidemque ab eodem Petro aduersus Iureconsultum Florentinum aerem illius defensorem disputatum esse; idem ipse testatur in commentario contra illam hæresim scripto ad Cæsenatem Episcopum, & Archidiaconum Rauennatem, cuius est titulus *De parentela gradibus*. Qui & insuper, quod eodem opere docuisset, in enumerandis gradibus vnam semper abundare debere personam; cum ei sententiæ contradiceretur à multis, de his rationem reddens, postmodum scripsit prolixam ad quemdam religiosum presbyterū epistolam. At vero in immensum erumpens flamma, etsi comprimi, haud tamen valuit Petri scriptis penitus tolli. Adeo enim quorundam Iureconsultorum inualuit defensione, vt Apostolica opus fuerit auctoritate; ipsiq; Alexandro Pontifici duo eodem anno ad eundem tollendum errorem celebranda *Romæ* CONCILIA: quorum priora a excommunicationem comminatus, eam posteriori promulgauit aduersus eiusmodi Incestuosos. Sed (quod doluit b Petrus) omnia sine fructu. Nam arte diaboli conglutinatis animis incestuosorum coniugum, nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt. In quorum vnum, in exemplum ceterorum, diram Deus vindictam exercuit; dum (vt idem Petrus testatur in epistola ad Alexandrum Papam electum, & ad Hildebrandum) cuidam nobili suam consanguineam contra prohibitionem ducenti, eidemque post excommunicationem adhærenti, hoc contigit, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora proiecti minime tangerentur; ipseque incestuosus in cubiculo dormiens, repente de cœlestibus irruente fulmine extinctus fuerit.

CONCILIA DVO ROM. ADVERSVS INCESTVOSOS.

a *Decretum eā de re tūc editum ab Alex. PP. vid 35. q.4. c.ad Sedem. Apost. &c. quod autem frat. Adde etiam Ivon. par.9.c.6.q. 10.37.*

b *Pet. Dam. de cōtempt. secul.c.29.*

Sed & fuit pugnandum eidem Petro eodem tempore aduersus aliam nouam emergentem hæresim quorundam, asserentium licite emi posse Episcopatus à Principibus laicis absque crimine simoniæ, dummodo consecratio gratis acciperetur. Sic enim non emi sacerdotium, sed possessionem prædiorum, quæ venalia sunt. Quam hæresim primus omnium ipse redarguens, & rationibus atque auctoritatibus Scripturæ & veterum Pontificum confutans, egregiam ea de re scripsit ad Alexandrum Papam epistolam, qua eiusmodi hæresis seminatores ait fuisse *Tudetchinum* quemdam natione barbarum, & *Ioannem* patria Venetum, Godefredi Ducis Tusciæ capellanos. His vero admonitus Alexander, abunde satis scelus prohibuit in Decretali epistola ad suos Lucenses data, qua vetuit c nequis omnino, non dico Episcopatus, siue Abbatias, sed beneficium quodlibet Ecclesiasticum emeret. At quis crederet, damnatam hæresim, rursum ante aliquot annos, quorundam prauorum susurro in aures Fidelium irrepere ausam, procaciter asserentium Cardinalatus Romanæ Ecclesiæ dignitatem licite vendi emiq; posse, dum scilicet non ipse sacer Ordo venderetur vel emeretur annexus, sed inhærens ipsi munus & commodum temporale? Sed occlusa semel & iterum, obstruantur in perpetuum offa à Daniele d parata ista asserentium ora; qui fauentes Simoni Mago, Simonem Petrum tanta afficere ignominia putauerunt.

IV. ALIA HÆRESIS DE EMPTIONE EPISCOPATVVM.

c *1.q.3.cap. ex multis.*

d *Dan.14.*

Hoc eodem anno, qui vigesimus secundus numeratur Adelberti Archiepiscopi Hamburgensis, Slauorum Ecclesia sub eius metropoli constituta, multis nobilitata est Martyribus: imprimis vero *Godescalco* Principe, Christianæ religionis studiosissimo propugnatore; qui cum magnam Slauoniæ partem è Paganismo ad fidem conuertisset, & in reliquis conuertendis indefesse laboraret, ab iisdem coniuratione facta interfectus est vna cum aliis quamplurimis tam clericis quam laicis. Inter quos *Ioannes* Episcopus senex seruatus in triumphum, fustibus cæsus, deinde per singulas Slauorum ciuitates ductus ad ludibrium, cum à CHRISTI nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus, in plateam corpus eius proiectum est; caput vero dissectum Pagani conto præfigentes, in titulum victoriæ Deo suo Redigast immolauerunt: Godescalci vero vxor, filia Regis Danorum, nuda diu cæsa est: ac demum cunctis occisis qui perstiterunt in fide, omnes Slaui ad paganismum relapsi sunt, auctore huius cladis Pluscone, qui sororem Godescalci habuerat; qui & ipse domum reuersus obtruncatus est. Narrat ista Adam e, qui aderat. Vt autem diœcesis Hamburgensis ista pati mereretur, peccata Archiepiscopi Adelberti fecerunt, quæ idem auctor f recenset; necnon & populi, quem inter

V. MARTYRES APVD SLAVOS.

e *Ad lib. 2.11. & seq.*

f *Ibid. c.21*

alia dicit diem sextæ feriæ carnis esu maculasse, & Vigilias, solemnitatesque Sanctorum ac venerabilem Quadragesimam gula, fornicationibusque polluisse.

VI. FERDIN. MAGNI PIVS OBITVS.

Hoc item anno, nempe æra millesima centesima tertia, ex hac vita migrauit Ferdinandus Magnus Rex Castellæ & Legionis, fine plane digno Catholico Rege diem extremũ claudens, quem ei adhuc incolumi S. Isidorus apparens reuelauit. Qua reuelatione accepta, cum totum se orationi dedisset; ipso Natali Domini in ecclesia infirmitate correptus, postridie ornatus cultu regio, & corona aurea imposita capiti, vna cum Episcopis & Abbatibus ad ecclesiam deferri voluit; ibique regalem chlamydem, & gemmatam coronam Deo ad altare remittens, cum lacrymis solo prostratus pro delictorum venia attentius orauit: & ab Episcopis accepta pœnitentia, & extrema Vnctione, indutus cilicio & aspersus cinere, die tertia spiritum Deo in eadem ecclesia reddidit, cum regnasset siue solus, siue cum patre, annis quadraginta, mense vno, diebus vndecim. Relicti sunt filii Sancius, Ildefonsus, Garsias, Vraca, & Geloyra: inter quos diuiso regno, septem annis certatum est; de quibus dicendum inferius. Narrat autem hæc omnia Lucas Tudensis diaconus; eademque Rudericus *g* Toletanus, qui eiusdem Ferdinandi Regis pietatem, & erga diuinum cultum ecclesiarum munificentiam, plurimum commendat, vitamque eius cum religiosis ducere consuetam enarrat: quem & virtute militari, & victoriis insignem fuisse constat.

g Ruder. l. 6. c. 14.

VII. VZI POPVLI DIVINITVS DEBELLATI.

Quod ad res pertinet Orientales; cum hoc anno, Indictione tertia, *Vzi* Scythiæ populi ad sexcenta millia armatorum transmisso Istro limitaneum Romanorum exercitũ debellassent, & circumquaque diuagantes omnia perderẽt; nec minor ab illis Orbi Christiano clades immineret, quã olim à Gothis, Hunnis, Wandalis, & Longobardis; iidemque nec legationibus, nec muneribus flecterentur: cum & illud ad malum accederet, quod in Oriente iam Turcæ fatigarent Imperium, ipseque Imperator Constantinus imbellis esset, quamuis pius; & coactus à ciuibus vrbe exire aduersus hostes, non amplius quam centum quinquaginta milites qui eum sequerentur inuenisset: rebus sic desperatis, idẽ Imperiejunium indixit, & sibi & populo frequentes supplicationes adhibuit, ipse pedes cum lacrymis incedens. Qua die visa est ab Vzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & tantam telorum copiam contra ipsos iacere, vt ex iis nullus illæsus remanserit. mox vero tota gente peste & fame consumpta, reliquiæ cum ducibus ad propria remearunt. quidam autem ex ipsis ad Imperatorem se conferẽtes acceptis ab eo agris publicis Macedoniæ, obedientes ei fuerunt. Tradunt hæc pluribus Curopalates, Zonaras, & Glycas, historici Græci: quibus videas quam aduersus hostes pietas armis præstet.

IESV CHRISTI AN. 1066.

ALEX. II. AN. 6

CONST. DVC. AN. 7.

ANNVS Christi millesimus sexagesimus sextus, Indictionis quartæ, comete insigni à Chronographis consignatus est Latinis pariter atque Græcis: sed corrigendum in Curopalate, dum pro quarta Indictione errore legitur decimaquarta.

Quo etiam anno, vt Leo *a* Ostiensis testatur, cum Richardus Northmannorum Princeps Aquinum vsque victor peruenisset, Vrbem Romam proxime inuasurus, vt à Pontifice Imperatoris insignia consequi posset; Godefredus Marchio Tusciæ se illi opponens, variis aduersus eum initis præliis, Ecclesiam Romanam ab eius incursione liberauit.

Eodem anno pridie Nonas Ianuarij, Eduardus Rex Angliæ ex hac vita migrauit, cum regnasset à tempore coronationis annos viginti duos, & menses nouem. Quod autem fere omnes numerent annos vigintiquatuor regni eius, à tempore forte electionis eos numerasse oportuit. Porro eum post centum ferme annos Alexander *b* Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit, egregie miraculis illustratum. Is autem, quod careret sobole, (virginem enim reliquisse virginem vxorem Editham affirmant omnes qui res ab eo præclare gestas prosecuti sunt:) præscius proxime venturi obitus sui, anno superiori successorem Anglorum Regni substituerat Guillelmum Comitem Northmanniæ cognatum suum, strenuum bellatorem, iustitiæ amantissimũ, & religione maxime pium. quod vt probe factum se conseruaturum iurauit Haroldus Comes filius Godnini Comitis, tunc Magister Regiæ domus, penes quem erat summa rerũ. At verò mortuo Eduardo, sequenti die idem Haroldus nomen regium sibi sumpsit. Quod vbi Guillelmus accepit, nec per Legatos quicquam in Anglia proficere valuit; omnia experiri potius quam armis decernere deliberans, Summum Pontificem consuluit: à quo non solum animatus, sed etiam vexillum legitimæ victoriæ accipiens, classe comparata in Angliam venit; & die pugnæ, sacratissimæ Eucharistiæ sumptione se cum omnibus suis militibus muniens, ambiguo satis prælio tyrannum debellauit. Narrat hæc omnia pluribus Ingulphus sincerus eius temporis scriptor, qui cunctis in Anglia præsens erat; & post eum Rogerus, Matthæus Westmonasteriensis, & alij.

ap. Sur. Tõ. 1. Ap. Bar. Tom. XII. an. 1161. in pp.

GVILLEL. COMES NORTHMAN. POTITVR REGNO ANG.

Contigit autem victoria Guillelmi (inde *Conquæstoris* dicti) pridie Idus Octobris, qua die S. Callisti Papæ & Martyris anniuersaria memoria agitur in Ecclesia: vt cunctis innotesceret, sicut Romani Pontificis auspicio tantum susceptũ est bellum, ita & Romani Pontificis in cœlo regnantis fauore tantam esse obtentam victoriam. Quod non ignorans ipse Guillelmus, in signum grati animi, vexillum Haroldi auro & gemmis sumptuose contextum (sicut testatur Willelmus Malmesburiensis) Romam misit ad Alexandrum Pontificem. Sequenti autem Natalis Domini solemnitate coronatum fuisse Regem, non à Stigando Cantuariensi, sed ab Eboracensi Archiepiscopo Aldredo, omnes affirmant; non quod id Stigandus facere recusasset, vt Neubrigensis inconsulte nimis affirmat; (quam enim magno pretio id vir gloriæ cupidissimus redemisset!) sed quod idem ob eius sedis inuasionem pessime apud omnes audiret, & iam fuisset ab Alexandro Papa sacris suspensus. Id enim testantur iidem Ingulphus, Malmesburiensis, & alii antiquiores omnes Rerum Angliæ Scriptores. Ab Aldredo igitur (inquit Rogerius) in Westmonasterio Guillelmus consecratus, prius, vt idem Archiepiscopus exigebat, ante altare S. Petri Apostoli, coram Clero & populo iureiurando promisit, se velle sanctas Dei Ecclesias ac Rectores earum defendere, & cunctum populum iuste regere, legemque rectam statuere, & rapinas iniustaque iudicia penitus interdicere. Quibus præuiis pietatis exercitiis, Northmanni Anglicanum consecuti sunt Regnum.

IV. MITTIT VEXILLVM HAROLDI TYRANNI AD ALEX. PP.

Hoc eodem anno *Cuno* Decanus Colonienſis, opera eiusdem vrbis Archiepiscopi electus in Episcopum Treuerensem absque consensu Cleri populive Treuerensis, ipso die quo ciuitatem ingressurus erat, ab eorum nonnullis tentus, præcipitatione & gladio crudeliter occisus est Calendis Iunij: cuius necis auctores diuinitus puniti sunt, ipse vero miraculis post mortem illustratus. Hæc pluribus Lambertus, Hermannus, & alii: quam tamen cædem Marianus Scotus ante annos duos ponit, alii anno superiori, sequenti Sigebertus: omnes autem vno consensu eundem Cunonem Martyrem nominant; verum nomenclaturam istam diuersis acceptam modis ab antiquioribus, iam alias dictum est à nobis.

V. CVNONIS ELECTI TREVER. MARTYRIVM.

Sed & apud Mediolanum hoc ipso anno *S. Arialdus* illius Ecclesiæ diaconus, vir quidem nobilitate, (vtpote germanus cuiusdam Marchionis) sed magis pietate insignis; cum aduersus hæreticos Nicolaitas & Simoniacos diu multumque laborasset, recensque contra Guidonem Mediolanensem Archiepiscopum, relapsum ad vitia illa, quæ sub Petro Damiani Apostolicæ Sedis Legato publice fuerat detestatus, constantissime staret: eiusdem Guidonis insidiis tentus, & ad inaccessas solitudines trans Lacum maiorem (ne populus commoueretur) ad necem ductus, ibi à duobus clericis missis ab Archiepiscopi nepte, altera Iezabele, amputatis auribus, naso, labro superiori, manu dextera, & mẽbris genitalibus, effossis itẽ oculis, & lingua sub gutture

VI. ARIALDVS DIAC. MEDIOL. MARTYR.

extra-

extracta, crudelissima dilaniatione martyrium consummauit quinto Calendas Iulias : cuius corpus occultatum, sed luminaribus cœlitus emissis sæpe patefactum, ac demum in profundiorem lacus voraginem demissum, post decem menses ad ripam eiectum est ; atque integrum inuentum Mediolanum deductum, multis aliis signis emicuit. Describit ista fusius Syrus presbyter qui prope erat, in eiusdem Vita scripta ad Rudolphum Abbatem Vallis-vmbrosæ. Sic igitur post sacras leges toties repetitas contra nefandos Nicolaitas & Simoniacos, postque tot & tantos labores ab Apostolicis viris aduersus eiusmodi hæreses exantlatos ; voluit etiam Deus sanguine tanti Martyris consignari traditam antiquam Ecclesiæ disciplinam : confirmatique alio æque egregio martyrio *Herlembaldi* Ducis, eiusdem Atialdi in istiusmodi hæreticis insectandis collegæ, de quo dicetur suo loco. At non hoc concessum *Landulpho* nobili Mediolanensi, Herlembaldi germano; licet & ipse multa passus, sæpeque percussus, cum immissus ad eum occidendum sicarius, gladio venenato orantis ante altare collum vulnere appetiisset: nam illæsus permansit, & cœpto operi ad obitum vsque institit constantissime.

VII. OBITVS MISERANDVS EPISCOPI AVARI.

Quod autem Deus iudex iustus pro cuiusque vitæ meritis stipendia digna persoluere consueuit, hoc ipso anno (vt Lambertus scribit) Reginherus Misnensis in Germania Episcopus, homo auaritissimus, dum post refectionem in cubiculum, vbi thesauros suos infoderat, quasi paululum quieturus recessisset, iamque die vergente in vesperam, pulsantibus ad moram insolitam cubiculariis minime responderet ; tandem effractis foribus inuentus est ruptis ceruicibus colore tetro exanimis, ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubans.

VIII. HVNGAR. ECCL. PERICLITATVR.

Quo item anno Hungarica Ecclesia Gentilitio furore grassante periclitata est ; cum videlicet anno superiore eiecto Andrea Rege & excæcato, infima plebs seditione excitata Belam eius successorem ad apostasiam solicitauit. Sed is post triduum responsione dilata, & bona spe esse suadens, discordiæ auctores interim captos, & dirissime cruciatos in reliquorum omnium conspectu necari iussit. Quo facto tumultus ille compressus est, ac Christiana religio pristinam obtinuit libertatem. Hæc pluribus Longinus, qui pergit narrare, quomodo post hæc Bela cum Salomone Andreæ filio Hungaricum partitus sit Regnum.

IX. HENR. REX COGITVR DIMITTERE ADALBERTVM BREM.

Quod vero ad politicum Germaniæ statum pertinet; cum Henricus Rex iuuenili leuitate æmulorum stimulis agitatus, spreto Annone Archiepiscopo Colonienſi, aliisque Principibus, totius regni regimen in Adalbertum Archiepiscopum Bremensem, siue Hamburgensem, (ambæ simul vnitæ erant Ecclesiæ) pessimi virum nominis transfudisset; rebellantes subditi, primum à tributorum solutione cessarunt, indeque aucta conspiratione, Regi eam conditionem proposuerunt, aut regno cedendum, aut Adalbertum ab administratione pellendum. Quem Rex tandem dimisit, vix ereptum de manibus aduersariorum ; sicque tumultus concitatus quieuit. Hæc Lambertus pluribus: qui & hoc ipso anno tradit eundem Regem duxisse vxorem Bertam Ottonis in Italia Marchionis filiam.

X. IOAN. XIPHIL. PATRIARCH. CONST.

Denique quod spectat ad res Orientalis Ecclesiæ ; hoc eodem anno, post Constantinum Patriarcham Constantinopolitanum defunctum, subrogatus est *Ioannes Xiphilinus*, de quo plura habet Curopalates, haud laude digna. Hic autem ille est, qui Dionem Cassium Romanarum rerum antiquum nobilissimum scriptorem in compendium decurtauit ; cuius magno damno excidit ipse integer commentarius, epitome duntaxat vsui relicta. Sedit porro annis tredecim, & mensibus sex, vt habet Index eorundem Patriarcharum in Codice Iuris Orientalis antiquitus collocatus.

IESV CHRISTI AN. 1067.

ALEX. II. AN. 7.

CONST. DVC. AN. 8.

I.

ANno Christi millesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, Alexander Papa, cum audisset Mediolanensis Ecclesiæ perturbationes ob simoniacos & fornicarios clericos, Legatos illic misit Mainardum Episcopum Siluæcandidæ, & Ioannem presbyterum Cardinalem : qui ea confirmantes, quæ antehac in eadem causa à Petro Damiani ibidem statuta essent ; alia insuper addiderunt *a*, quibus radices tantorum malorum euellere conati sunt. Verumnec his remediis adhibitis desiuit ea Ecclesia fluctuare. Nam adhuc Guidone Archiepiscopo superstite, Godefredum quendam & ipsum malis artibus vitio simoniæ in eandem se intrusisse, testis est Gregorius *b* Septimus in epistola ad Longobardos; à quo aduersus eum fuit diu multumque laborandum *c*.

a Rec. illorum Conſtit. Baron. Annal. to. XI. hoc ann.
b Greg. Sep. l. ep. 15.
c Id. l. ep. 11. 12, 25. 26. 27. 28.

II.

Quo eodem anno (quantum coniectura assequi licet ex his quæ præcesserunt & subsecuta sunt res Alexandri Papæ) pro celebranda Synodo in Dania idem Alexander literas dedit ad Hamburgensem, eundemque Septentrionalium illarum omnium nationum Archiepiscopum Adalbertum, ab ipso constitutum Sedis Apostolicæ Legatum. Sed res effectu caruit ob contumaciam nonnullorum Episcoporum, ad Synodum venire contemnentium. Id tamen impigre Adalbertus in sua legatione præstitit, quod vlterioribus Aquilonarium partium prouinciis, nempe Daniæ, Suediæ, Noruegiæ, ac circumiacentibus insulis, prædicatores direxit, & Episcopos ordinauit, quibus ea Ecclesia valde est propagata. Hæc autem omnia quomodo se habuerint, Adam *d* Canonicus Bremensis prosecutus est pluribus : qui hoc ipso anno se Bremam venisse testatur *e* matriculariam inter eius Ecclesiæ clericos ; qui fuit annus eiusdem Adalberti vigesimus quartus. Ipse vero *Adam* adeo certis firmisque testimoniis Historiam Ecclesiasticam illarum gentium conscripsit, vt neminem legerim cuius magis candor veritatis eluceat ; quippe qui magnum duxerit sacrilegium, in cuiuscumque rei tractatione vel leuissime mentiri. Stet in Ecclesia liber eius, speculum vel ut in quo Boreales Nouatores suas deformitates horrendas agnoscant, dum ex eo quæ vera sit Ecclesia Christi Catholica, qualesve extiterint fundatores atque propugnatores eiusdem Ecclesiæ Aquilonaris, quamque ipsis dissimiles, immo & omnino contrarii, perspicua luce cognoscant. Perduxit autem Historiam suam vsque ad obitum Adalberti Archiepiscopi, qui contigit anno Domini millesimo septuagesimo secundo, & subrogationem Liemari cui eandem dicauit.

ECCLESIA PROPAGATVR IN PARTIBVS SEPTENTRION.

d Adam lib. 4. c. 42. & ſeqq.
e Id. lib. 3. c. 5. inſi.

DE ADAM HISTORICO.

III. OBITVS CONST. DVCÆ IMP.

Quod ad res spectat Orientis ; hoc anno Constantinus Ducas Imperator ex hac vita migrauit, cum imperasset annos septem, & menses sex ; tribus relictis filiis, iisdemque creatis Imperatoribus, cum Eudocia coniuge Imperii curatrice : quæ sic cum filiis imperauit vsque ad sequentem Indictionem. Ea vero occasione arrepta Turcæ Cappadociam depopulantes, ipsam quoque Cæsaream eius prouinciæ metropolim diripuerunt, & celeberrimum Sancti Basilii templum spoliarunt ; ipsius vero Sancti Reliquiis nihil detrimenti inferre potuerunt, quod eius sepulchrum ita constructum esset atque munitum, vt ad illud demoliendum longo tempore indigerent ; aurum tamen & gemmas, quibus eius portæ ornatæ erant, sustulerunt. Hæc omnia Curopalates.

S. BASILII TEMPLVM EXPILATVM A TVRCIS, SALVO SEPVLCHRO.

IESV CHRISTI AN. 1068.

ALEX. II. AN. 8.

ROM. DIOG. AN. 1.

I.

ANno Domini milleſimo ſexageſimo octauo, Indictione ſexta, Alexander Papa ad Guillelmum Regem in Anglia pro exactione Denarii S. Petri literas ex more Apoſtolicas dedit, quarum fragmentum ex ipſis relatum extat in libro Cenſuum Romanæ Eccleſiæ, qui habetur in Bibliotheca Vaticana. Idemque ſuper vniuerſum gregem inuigilans, ad Regem Dalmatiarum *a* aduerſus incontinentes clericos reſcripſit: vnde apparet Dalmatas nequaquam vſu Græcorum, ſed Latinorum more vixiſſe. Conſultus patiter ab Hiſpanis Epiſcopis, num liceret, ſicut & Saracenis, ita & bellum inferre Iudæis; reſpondit *b*, diſparem eſſe cauſam, in perſecutores enim Chriſtianorum iuſte pugnari, Iudæos autem vbique ſeruire paratos eſſe. Extantque alia eiuſdem Pontificis ad diuerſos conſulentes reſponſa *c*, quæ quo ſint anno data non conſtat.

a c. ſi quis à modo. diſt. 18.
b c. diſpar. 23. q. 8. BELLVM IVDÆIS NON INFERENDVM.
c diſt 52. c. 1. c. in tum. 7. q. 2. c. notificaſti. 33. q. 5.

II. PRINCIPES SPONDENT DEFENSIONEM ECCL. ROM.

Contigit præterea inter hæc, Guillelmum Burgundiæ Comitem, & complures alios Francorum nobiles diuerſorum locorum Dominos, coram eodem Alexandro Papa, ac pleniſſima Synodo, Romæ ad altare S. Petri iuramento ſe obligare, ſemper cum opus eſſet aſſurgere defenſores S. Romanæ Eccleſiæ. Teſtatur enim hoc qui interfuit Hildebrandus Archidiaconus, poſtea Gregorius Papa Septimus, in epiſtola *d* ad eundem Guillelmum data, dum ab eo promiſſionem exegit. Quibus videas pietatem Chriſtianorũ Principum, cultumque propenſiorem erga Romanam Eccleſiam. Quo etiam tempore (eodem Gregorio *e* teſte) ſpopondit omne ſtudium eidem Eccleſiæ Wratislaus Dux Bohemiæ; qui & petiit, & obtinuit ab Alexandro, vſum mitræ laicis inconceſſum.

d Greg. Sept. 1. ep. 46.
e Id. 1. ep. 32.

III. ROMANVS DIOG. IMPERAT IN ORIENTE.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc anno ipſis Calendis Ianuarii, Indictione ſexta, ROMANVS DIOGENES Imperator declaratus eſt, cum eum Eudocia relicta Conſtantini Ducæ in maritum accepiſſet: qui antea perduellionis crimine reus capitis effectus, & in exilium miſſus, reuocatus fuerat in vrbem ad barbaros propulſandos. Quod vero Imperatrix teneretur proprio iuramento, à viro Imperatore defuncto exacto, alteri non nubere, ſed vidua permanere, & filiis Imperium conſeruare: vt ſyngraphum ea de re confectam, & apud Xiphilinum Patriarcham depoſitum, recipere poſſet, vſa eſt eunuchi vaferrimi opera; qui adiens Patriarcham, meritus eſt Imperatrici cordi eſſe ipſius Patriarchæ germanum Bardam in coniugem accipere, ſed prohiberi ſyngrapha. Quod vbi Patriarcha accepiſſet, egit apud Senatores de infirmando Eudociæ iuramento; iiſdemque tum muneribus tum pollicitationibus in ſententiam ſuam adductis, vbi recepta ſyngrapha ineundi ſecundas nuptias Imperatrix licentiam obtinuit, deluſo Patriarcha Romanum Diogenem, filiis conſentientibus, virum accepit. Hæc pluribus Curopalates, merito ſugillans Patriarchæ ignauiam, quod priuato commodo poſthabuiſſet religionem.

XIPHIL. DELVDITVR AB IMPERATRICE.

IESV CHRISTI AN. 1069.

ALEX. II. AN. 9.

ROM. DIOG. AN. 2.

I. LEGATIO PETRI DAM. AD IMPEDIENDVM DIVORTIVM REGIS.

ANno Chriſti milleſimo ſexageſimo nono, Indictione ſeptima, Petrus Damiani Legatus in Germaniam miſſus ad Henricum Regem, iuuenili furore (annuente Archiepiſcopo Moguntino, Regis promiſſionibus allecto) repudiare paratum Bertam coniugem, eo prætextu quaſi haud eum illa maritalis operis copiam habere valeret; id ab eo fieri, interminatione excommunicationis prohibuit. quod à Lamberto pluribus in Chronico deſcribitur. Quamuis autem Rex ita Reginam tunc reuocauerit, vt in regni tantummodo, non etiam conſuetudinis conſortium adhibuerit; conſtat tamen eam poſtea integre conciliatam Regi, & ex eo ſuſcepiſſe filium æque dictum Henricum, qui patri ſucceſſit.

IESV CHRISTI AN. 1070.

ALEX. II. AN. 10.

ROM. DIOG. AN. 3.

I. MOGVNT. ET BAMBERG. CAVSAM DICVNT CORAM ROM. PONT.

ANno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, rei conſtituti ſimoniacæ labis præcipui Germaniæ Epiſcopi, Moguntinus, & Babenbergenſis, Romam vocati ab Alexandro Papa, cauſam dicere aduenerunt: vbi acerbe obiurgati (inquit Lambertus) quod ſacros ordines venderent, & ementibus indifferenter communicarent, manuſque imponerent; tandem præſtito iuramento id nunquam vlterius perpetrandi, ad ſuas redire Eccleſias libere dimiſſi ſunt. Sed fuſius hæc idem Lambertus; qui tamen Alexandrum à damnatione præſertim Babenbergenſis, (quem ait ſimoniace Epiſcopatum inuaſiſſe) muneribus corruptum abſtinuiſſe ſignificat. Verum haud facile quis ſibi perſuadeat, tantum Pontificem eodem crimine quo reos tunc iudicabat, eodemque tempore, deliquiſſe: qui & iiſdem his diebus reperitur *a* Argentinenſem Epiſcopum Guarnerium ob idem ſimoniæ crimen priuaſſe Epiſcopatu. Vt autem cum iſtis mitius ageret, plura ſuaſerunt; ac primum, quod præcipuarum Eccleſiarum eſſent Antiſtites, moderarenturque Regnum cum Rege; deinde, quod obedientes Apoſtolicæ Sedi, ad iudicium ſubeundum ſeſe contuliſſent in Vrbem; ac denique, quod prompto animo exhibuerint ſe omnino paratos, quãcunque decerneret Pontifex ſuſcipere pœnitentiam. Cæterum apud eundem Lambertum anno ſequenti, Archiepiſcopus Moguntinus teſtatus eſt Henrico Regi, ſe terribiliter ab Alexandro obiurgatum, vix & ægre ſine damno gradus ſui euaſiſſe.

a Vid. Greg. Sept. 1. ep. 77. & Baro. an. ſuper. & 1074.

II. ANNO ARCHIEP. COLON. CONVERT. SE ROMAM PRO NECESSITATIB. ECCL. SVÆ.

Contulit ſe quoque (vt idem auctor tradit) cum iiſdem Antiſtitibus Romam Anno Colonienſis Archiepiſcopus; ſed non vt reus ſicut illi, qui tanto ab eorum vitiis longe aberat, quanto vitæ ſanctæ & irreprehenſibilis præclaris meritis hos & alios Germaniæ Epiſcopos præcellebat. Porro auctor eius temporis qui Vitam illius ſcripſit *b*, eum hoc anno Romam veniſſe teſtatur ob multas Eccleſiæ ſuæ cauſas; & inter eas illam fuiſſe præcipuam, vt Sanctorum Reliquias inde acciperet, & collocaret in monaſteriis à ſe conſtructis. Cui Alexander Pontifex Brachium S. Cæſarii Martyris dedit, cæteris Sanctorum Reliquiis ipſi tunc chariorem theſaurum, quod hoc eodem tempore Romæ grandi miraculo vir quidam diuitiis affluens, & voluptatibus deditus, è faucibus dæmonum ereptus fuiſſet precibus & meritis eiuſdem Sancti, cuius vir ille Eccleſiam cum cereis frequentare conſueuerat. quæ hiſtoria fuſius recitatur in eadem S. Annonis Vita. Vbi & traditur, ipſum in reditu ab Vrbe, accepiſſe in itinere ab Adelaide Alpium Cottiarum Marchioniſſa, Reliquias Sanctorum Martyrum Thebæorum, & collocaſſe in monaſterio Sigebergenſi, pro quo ſpeciale priuilegium ab eodem Alexandro conſecutus eſſet: Brachium vero S. Cæſarii poſuiſſe Coloniæ in Eccleſia S. Georgii.

b Vit. S. Annon. lib. 1. c. 33. ap. Sur. 4. Dec.

III. CONCIL. WINTON. ET WINDSOR. IN ANGLIA.

Hoc eodem anno idem Alexander Papa Legatos à latere miſit in Angliam, Hermenfredum Sedunenſem Epiſcopũ, & Ioannem ac Petrum presbyteros Cardinales: qui SYNODO in Octauis Paſchæ *VVintoniæ* congregata, cui & ipſe Rex Willelmus interfuit, inter alia depoſuerunt Stigandũ pſeudoarchiepiſcopum Dorouernenſem ſiue Cantuarienſem, quod viuente legitimo Archiepiſcopo Roberto, (qui perſecutionem paſſus, Sedem Apoſtolicam appellauerat) thronum eius inuaſiſſet, eiuſdemque Pallio aliquamdiu vſus eſſet, poſtea vero à Pſeudopapa Benedicto aliud Pallium acce-

piſſet;

pisset; & quod Episcopatum Wintonien sem cum Archiepiscopatu possideret. Qui iussu Regis in vincula coniectus, misere illic sordidissimam vitam finiuit. Depositi sunt etiam eodem Concilio, procurante Rege, alii Episcopi & Abbates; rursumque alii alia SYNODO apud *VVindeshoram* die post Pentecosten celebrata ab eodem Hermenfredo, cum iam Petrus & Ioannes Cardinales ab Anglia discessissent Romam reuersuri. Hæc quidem omnia pluribus Rogerus, & alii rerum Anglicarum scriptores. Cæterum etsi legitime per Legatos Apostolicos Rex visus sit cuncta peregisse; tamen quod depositis (vt aiunt) absque legitima causa plerisque Antistitibus Anglis, alios ex sua gente Northmannos in eorum locum subrogari curauerit, quamuis viros præstantissimos; minime effugit inuidiam, quin ea in deteriorem partem accepta fuerint, tanquam non zelo religionis, sed causa stabiliendi sibi regni nuper acquisiti ea fecerit.

IV. LANFRANCVS ORDINATVR ARCHIEP. CANTVAR.

In locum autem Stigandi, agente Rege, & iubente Papa, subrogatus est *Lanfrancus*, celebertimum huius sæculi in Ecclesia Catholica lumen supra tantum candelabrum erectum, vt qui scientia egregie polleret & sanctitate vitæ: qui quidem olim ex monacho Beccensi factus Abbas cœnobii Cadomensis in Northmannia, inuitus admodum Cantuariensem Archiepiscopum suscepit, & consecratus est hoc eodem anno quarto Calendas Septembris. Sed qui vitam quietiorem hactenus duxisset, mox vbi motu rerum agitari cœpit vt dimittere posset Archiepiscopatum literis rogauit Alexandrum Papam. Cum autem ea de re spes omnis frustraretur, ad subeundum onus humeros submittens, pro accipiendo Pallio Romam Legatos misit. Verum, quod esset antiquæ consuetudinis (quam suis locis testatam vidimus) vt ipsimet Archiepiscopi Anglicani ad illud sumendum conferrent se ad Limina Apostolorum; cum non obtinuisset, quod petierat, in eius rei excusationem literas accepit ab Hildebrando S.R.E. Archidiacono, quibus monitus est Romam ipse petere. quod & præstitit (vt videbimus) anno sequenti.

V. ALEX. PP. SANATVR POTIONE ABLVTIONIS MANVM Io. MONACHI.

Hoc eodem anno Alexander Papa, qui imitatus Leonem Nonum, licet Romanus Pontifex, nunquam titulum prioris Lucensis Ecclesiæ (vt ex illius antiquis monumentis cognoscitur) dimittere voluit; emenso decennio ex quo cœperat illic egregiam basilicam ædificare, ea iam absoluta Lucam petiit, eamque in honorem S. Martini Episcopi & Confessoris Deo dicauit pridie Nonas Octobris, & sacris Reliquiis illustrauit, imprimis vero corpore S. Alexandri Papæ & Martyris. Erat quoque tunc temporis in eadem Lucensi ciuitate Ioannes præpositus monasterii, sanctitate conspicuus: de quo cum fama vulgata esset, quod quicunque febre detentus hausisset ex aqua quæ de manibus illius defluxisset dum post Missarum solemnia ablueret; idem Alexander Papa febre correptus, iussa sibi eiusmodi aqua latenter deferri, ea epota repente sanitati pristinæ est restitutus. Rem gestam describit in Dialogis Desiderius Abbas Cassinensis, qui postea fuit Victor Papa Tertius.

VI. DE PLVRIBVS GODEFREDIS, BEATRICIBVS ET MATHILDIBVS TOLVNTVR DVBIA. c *Greg. Sept. lib. 5.*

Hoc item anno (vt habent Hermannus & Sigebertus) mortuus est Godefredus Dux Lotharingiæ & Tusciæ, conIunx Beatricis, cognomento Barbatus, eius nominis Tertius; de quo sæpe superius. Cui successit filius dictus Godefredus Gibber; sed in Ducatu Lotharingiæ tantum: Tusciæ enim Dominam & Liguriæ solam Beatricem remansisse, ipsa publica Florentina monimenta declarant. Fuit autem ista Beatrix Henrici Quarti Regis, Tertii Imperatoris, amita, vt traditur apud Gregorium *c* Septimum. Quamobrem oportuit filiam fuisse Conradi Imperatoris, sororem vero Henrici Tertii Regis. Nam & Domnizo presbyter in Vita Mathildis expresse iterum testatur, eandem Mathildem filiam Beatricis, consobrinam fuisse prædicti Henrici Quarti. Ex quibus satis refellitur, quod apud eundem Domnizonē videtur asseri, ipsam Beatricem matrem Mathildis, genitam fuisse ex Friderico Duce Lotharingiæ. De ipsa vero *Mathilde* filia eiusdē Beatricis ex primo coniuge Bonifacio Marchione Tusciæ, illud etiam exploratum habetur, nuptui fuisse traditam prædicto Godefredo, cognomento ex deformitate corporis Gibbero atque Strumoso, filio Godefredi Barbati mariti Beatricis ex alia vxore; quem Lambertus *d* Go-

d *Lamb. an. 1070. & 1077.*

zelonem appellat, quique (vt diximus) in Ducatum Lotharingiæ patri successit. Verum paulo post, cum necdum matrimonium consummatum esset, facto inter eos diuortio, Mathildis virgo permansit; vt ex eodem Domnizone, aliisque constat. Quod autem nonnulli tradunt eandem rursus nuptam Azoni Marchioni; id prorsus de alia Mathilde intelligendum esse certum est *e*. Sicut & quod aliæ Mathildes & Beatrices nuptæ fuere eiusdem nominis Ducibus Lotharingiæ Godefredis; id plerisque Scriptoribus errandi fuit occasio, in æquiuocis laborantibus. Illud tamen de hac Godefredi Gibberi olim sponsa Mathilde extra dubium est, ipsam iam prouectioris factam ætatis matrimonio iunctam esse Welphoni Iuniori; sed ita vt à viri amplexibus abstinuerit, prout inferius *f* videbitur suo loco.

e *Agit pluribus de hu Baron. Annal. to. XI. hoc an. in fi. & an. 1074.*

f *An. 1089. num. V.*

IESV CHRISTI AN. 1071.

ALEX. II. AN. II.

ROM. DIOG. AN. 4.

ANno Domini millesimo septuagesimo primo, Indictione nona, delata Romam causa Caroli delecti ab Imperatore Constantiensis Episcopi, accusantibus eum clericis simoniæ, & furti thesaurorum Ecclesiæ, ipso autem pro sua ordinatione Sedem Apostolicam appellante; eadem ab Alexandro Papa delegata est Sigefrido Archiepiscopo Moguntino: penes quem cum plus valeret iussio Pontificis, quam auctoritas Regis nitentis omnibus modis liberare Carolum sibi dilectum, idem Archiepiscopus eundem testibus conuictum in SYNODO ea de re mense Augusto *Moguntiæ* celebrata, cui Rex ipse interfuit, condemnauit: qui sic turpiter deiectus, paulo post mortem ex mœrore percepit. Scribit hæc pluribus Lambertus.

I. CONCIL. MOGVNT. IN CAVSA CONST. EPISC. *Cuius Acta edidit nuper Seb. Tengnagel inter veteres Monumenta pro Greg. VII.*

Hoc eodem anno idem Alexander Papa inuitatus à Desiderio Abbate Cassinense & Cardinale, Cassinum profectus, Calendis Octobris dedicauit nouam Basilicam S. Benedicti ab eodem Abbate erectam. Quæ quidem celeberrima omnium dedicatio fuisse reperitur, præsente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus qui Romę aderant, & Archiepiscopis decem, atque Episcopis quadraginta tribus, pluribusque insuper Principibus atque magnatibus, necnon populi innumera multitudine; concessa omnibus ab Alexandro Iudulgentia remissionis peccatorum. Hæc diffusius Leo Ostiensis *a*, atque alii qui eandem consecrationem tum carmine tum soluta oratione descripserunt: inter quos multa parum fideliter *b* longe post hæc tempora consarcinauit Petrus Diaconus in sermone de Octaua S. Benedicti, quæ reducenda sunt ad fidem eorum, quæ habet Leo, qui omnia vidit & quam exactissime descripsit.

II. CELEBERRIMA OMNIVM DEDICATIO ECCL. CASSIN.

a *Leo Ost. lib. 3. c. 28.*

b *Dehoc vid. Apologiam in Const. Bellotum, quo Baron. hic Lectorem remittit: de qua dictum est sup. an. 581. post num. V.*

Hoc item anno Lanfrancus, quem superiori consecratum vidimus Archiepiscopum Cantuariensem, & Thomas ex canonico Baiocensi consecratus ab eo Archiepiscopus Eboracensis, Romam venerunt ad Alexandrum Papam suscepturi ex more ab eo Pallium. Vbi cum ambo benigne habiti essent, Lanfranco præ excellentia meritorum idem Pontifex post datum Pallium consuetum, aliud superaddidit in signum amoris, nempe illud ipsum quo ipse Pontifex vti consueuisset in celebratione Missarum. Quin etiam eidem aduenienti assurrexit; professus tamen non se illius Archiepiscopatui hanc venerationem, sed doctrinæ deferre; atque ideo mox exigens, vt pro more omnium Archiepiscoporum, ad pedum oscula aduolueretur. Mota autem post hæc à Thoma Eboracensi quæstione de primatu Ecclesiæ Cantuariensis, dicente Eboracensem paris cum ea esse honoris, nec alteram debere alteri subiacere, excepto, quod alterutrius Archiepiscopum priorem & digniorem oporteat esse eo quem constiterit fuisse posterius ordinatum: cum pro sua Ecclesia Lanfrancus se opponeret, decreuit Alexander, vt ea causa in communi totius Angliæ Synodo tractaretur. Quod vero aliquorum delatione idem Thomas, quod filius esset presbyteri, necnon Remigius Episcopus Lincolnien-

III. LANFRANCVS ARCH. CANTVAR. DVPLEX PALLIVM ACCIPIT A SVM. PON.

sis,

sis, (qui vna cum Lanfranco Romam venerat) quod bellicis laboribus Episcoparum ab Willelmo Rege nundinatus esset, ab eodem Alexandro depositi essent; iidem precibus Lanfranci restituti sunt. Reperiturque decretum *c* Alexandri, vt electus filius presbyteri, si virtutibus polleat, non reiiciatur. Denique cum plures Anglorum Episcopi, simulque Rex ipse, tentassent vt pulsis ab Ecclesiis cathedralibus monachis, clerici subrogarentur; ne id fieret, & vt Alexander suis Apostolicis literis prohiberet, Lanfrancus effecit. Quæ quidem omnia ab illo Romæ tunc gesta, fusius enarrantur ab Willelmo Malmesburiensi in Rebus gestis Anglorum Pontificum. Sed & eidem Lanfranco decretam esse Legationem Apostolicam in Anglia, constat ex literis hortatoriis ab Alexandro Pontifice per eum datis ad Willelmum Regem.

c c. Apostolica. dist. 66.

IV. DIOGENES IMP. CAPTVRA TVRCIS.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc ipso anno Romanus Diogenes Imper. cum regnasset annos tres & menses octo, (vt testatur Curopalates) miserando exitu ex hac vita decessit. Cum enim pugnans aduersus Turcas, oblatam pacem ab Asam Sultano magna arrogantia reiecisset, ipsumque cum suis proficiscentem aggressus esset; diremptus noctis crepusculo cum rediret ad suos, postremæ acies existimantes illum fugere, in fugam seipsos irreuocabilem dederunt: qua bene vsi occasione inimici, adorti eos victoriam insperatam adepti sunt, qua & ipsum Imperatorem duxerunt captiuum. Habuit illum benigne Sultanus, sua quoque mensa dignatus. Cumque aliquando eum interrogasset: *Quid mihi fecisses, si me in tua potestate habuisses?* respondisseque Imperator simpliciter: *Multis plagis corpus tuum confecissem*: *At ego*, inquit Sultanus, *tuam crudelitatem non imitabor. Audio namque vestrum vobis præcipere Christum pacem & oblationem iniuriarum, superbusque resistentem humilibus gratiam dare.* Denique præstitit ex animo Dux barbarus, quod promisit. Nam inita cum Imperatore pace perpetua, & nunquam amplius Romanum Imperium à Turcis inuadendum fore pollicitus, reliquos etiam captiuos omnes vna cum eo relaxari præcepit.

V. EIVS MISERANDVS FINIS.

Cum interea perlato de clade nuntio Constantinopolim, mox alium constituerunt Imperatorem, Michaelem Constantini Ducæ filium; coactamque exulare Eudociam Augustam, in monasterium detruserunt. Missus vero Andronicus in occursum Diogenis, eundem captum, nigraque veste indutum, super mulum toto illo perlongo itinere perduxit: quem & iussit nouus Imperator effodi oculis; sed vulneribus nō curatis cum eius caput intumuisset, vermibusque scateret, graueolens, horribilisque visu, vt humanum ostentum expositus omnium oculis, finem viuendi fecit, luens hic pœnas ne æternas incurreret. In talibus enim & tot malis (inquit Curopalates, dum hanc tragœdiam pluribus recenset) nihil vnquam nefarii protulit, sed Deo gratias agere perseuerauit, casus æquo animo ferens. Quod vero idem auctor addat, eundem Diogenem Episcoparum Nazianzi ad iura metropolitana perduxisse; equidem puto ipsum studiosum S. Gregorii Nazianzeni, eius beneficio ita saluatum.

MICH. DVC. IMPERAT.

Qui autem subrogatus est Imperator MICHAL DVCAS, fuit iste Constantini Ducæ Augusti filius, idemque iam ante decennium vna cum Ioanne Duca patruo, & fratribus, Cæsar appellatus, dictus cognomento *Parapinaceus*, eiusque nominis Michael Septimus: qui coronatus est à Ioanne Xiphilino Patriarcha, vna cum vxore Maria Alana Augusta. Hæc ex Curopalate, Zonara, & aliis Græcis, necnon ex Latinis auctoribus.

VI. DE THEOPHYLACT. ARCHIEP. BVLGAR.

Huius Michaelis tempore claruisse constat THEOPHYLACTVM Archiepiscopum Bulgarorum, cuius extant inter alia nobiles commentarii in Nouum Testamentum. Quod autem ipsum sub Basilio Seniore Imper. anno Christi octingentesimo octogesimo tertio, claruisse posuerit Panuinius in Fastis; vel Sixtus Senensis in sua Bibliotheca, sub Michaele Porphyrogenito, qui cœpit imperare cum Theodora Augusta matre anno octingentesimo quadragesimo secundo; vel alii eodem sæculo: hi omnes à veritatis scopo longe longius aberrasse noscuntur. Ex eius enim epistolis, quæ numero quinquaginta nouem Græce scriptæ extant in Vaticana Bibliotheca, multiplici argumento monstratur hoc ipsum tempore claruisse; quippe quod eæ vel datæ habeantur ad eos qui his temporibus vixisse noscuntur, vel in eis eorum mentio habeatur; puta Mariæ *d* Imperatricis, Ioannis Ducæ *e* fororii Michaelis Imperatoris, & familiæ Ducarum, atque etiam Comnenorum *f*. Adde quod cum ex iisdem *g* epistolis constet, Bulgariam suis temporibus non sub Regibus Bulgaris, sed sub Magistratibus ab Imperatore Constantinopolitano missis administrari; nihil est, vt ad ea Basilii Imper. tempora referri possint, quibus constat Bulgaros suos habuisse proprios Reges. Denique, quod in vna earundem epistolarum *h* fiat mentio Borisis Bulgarorum Regis, qui vixit (vt Zonaras, & alii ostendunt) post centum annos à Basilio, nempe sub Nicephoro Phoca & Ioanne Zemisce Augustis; imo cum & ibidem meminerit de Ecclesiis ab eodem Borise Rege ædificatis, & post multum spatium temporis vnam ex illis dirutam filio Sebastocratoris commendet restituendam: ex his plane demonstratur, eum non solum non sub Basilio, sed longe post Borisem, nimirum his ipsis temporibus vixisse. Fuit autem ipse Theophylactus patria Constantinopolitanus, præfectus Archiepiscopus primariæ Acridanæ Ecclesiæ Bulgarorum. Quem tulisse quidem diu, sed ægro animo eiusmodi incolatum, ob plane barbaros ac peruersos mores tum omnium Bulgarorum, tum maxime ipsorum Actidanorum; eoque se liberari, ac patrio solo reddi vehementer orasse, haud vero exauditum perseuerasse in vigili functione curæ pastoralis; constat ex iisdem ipsius epistolis: estque vna earum, quam his ipsis diebus scripsit ad Mariam Augustam, iam ætate senex, cum rediret in Bulgariam, vnde venerat Constantinopolim. Quod vero ad eius Scripta pertinet; vbiuis eum legeris, senties S. Ioannis Chrysostomi semper eructare sententias.

d Theoph. ep. 1.
e Id. ep. 13.
f Ep. 8.
g Ep. 13. & alias.
h Ep. 17.

VII. S. PETRVS ANAGNIN. LEGATVS MISSVS CÆ STANTINOPOL.

Cæterum cum innotuisset in Occidentalibus oris, creatum Michaelem Imperatorem Orientis; placuit Alexandro Papæ mittere ad eum antiquo more Apocrisiarium: quo quidem officio significari videtur, eundem Imper. cum Romana Ecclesia fuisse communione coniunctum. Missus est autem *Petrus* olim monachus S. Benedicti apud Salernum, & postea ab eodem Alexandro creatus Episcopus Anagniæ ciuitatis; vir quidem cum scientia, tum sanctitate, quin etiam virtute miraculorum insignis; qui & hac ipsa legatione Imperatorem morbo grauissimo laborantem reddidit sanitati. Mansit porro ibi annum vnum, vsque dum vixit Alexander Papa; postea vero ad Ecclesiam suam rediens, cum postmodum ab ingratis subditis plurima indigna immeritissime pateretur, Hierosolymam peregrinatus *i*, ibi vsque ad obitum degere statuit; sed à S. Magno sub peregrini specie conuentus, & de Ecclesia relicta reprehensus, ad eam continuo rediit: quam in vniuersum summa laude rexit annis quadraginta tribus. Eius Vitam scriptis mandauit S. Brunus, Signiæ Episcopus ipsius contemporaneus. Eundemque virtutibus ac miraculis clarum, paulo post obitum Paschalis Papa Secundus in numerum Sanctorum retulit *k*.

i Ap. Baron. tom. XI. an. 1099.

k Recitat diplomα canonizationis Baron. tom. XII. an. 1105. in fin.

IESV CHRISTI AN. 1072.

ALEX. II. AN. 12.

MICH. VII. DVC. AN. 1.

I. CONCIL. ANGLIC. DE PRIMATV ECCL. CANTVAR.

ANno Christi millesimo septuagesimo secundo, Indictione decima, sexto Idus Aprilis celebratum est apud *Venetanam* ciuitatem in Anglia, ex iussione (vt vidimus anno superiori) Alexandri Papæ Generale CONCILIVM totius Insulæ Episcoporum & Abbatum, cui & Rex Willemus interfuit: in quo ventilata quæstione de primatu Ecclesiæ Cantuariensis super Eboracensem, aliisque vtriusque iuribus; post exactam rerum omnium examinationem, res adiudicata est Cantuariensi, cui hoc tempore præerat Lanfrancus. Describuntur autem ista pluribus ab Willelmo *a* Malmesburiensi de Gestis Pontificum Anglorum; necnon ab ipso Lanfranco in epistola tunc ea de re scripta ad Alexandrum Pontificem, quarerum in Synodo gestarum confirmationem petiit.

a Malmesb. lib. 1.

II.

Hoc item anno defuncto Henrico Archiepiscopo Ra-

uennate,

uennate, (quem obstinato animo fauisse Cadaloo schismatico, eaque de causa vna cum illo excommunicatum fuisse ab Alexandro Papa, eiusdem Papæ scripta significant) idem Alexander Legationem decreuit Petro Damiani ad conciliandam illam Ecclesiam Apostolicæ Sedi, & absoluendos omnes qui cum eodem Archiepiscopo communicassent. quo perfuncto egregie munere Petrus reuersurus ad suos Fauentiam perueniens, illic octo diebus morbo laborauit, ac tandem die Cathedræ S. Petri Antiochenæ reddidit Deo spiritum. Hæc de eius legatione & obitu, Ioannes monachus ipsius discipulus in fine eius Vitæ quam scripsit. Qui licet nihil de anno Christi, quo id contigerit, habeat: tamen præsenti anno accidisse, diserte tradit Bertholdus Constantiensis eiusdem temporis auctor in Auctario ad Hermannum Contractum; eique in Episcopatu Ostiensi suffectum esse Geraldum monachum, scientia Scripturarum insignem, & moribus suo decessori non imparem. Confirmanturque ista ex eo quod reperiuntur *b* literæ Gregorii Papæ Septimi datæ anno sequenti, Indictione vndecima, pridie Calendas Maii, ad eundem Geraldum Episcopum Ostiensem Petri successorem, aliæque sexto Calendas Maii ad Guibertum Archiepiscopum Rauennatem, Henrico subrogatum; quem item, ante Alexandri obitum ad eam Ecclesiam fuisse promotum, manifeste asserunt ipsa Acta eiusdem Alexandri.

PETRI DAM. OBITVS.

b Greg. Sept. lib. 3. & 6.

III. Ex his igitur omnibus fateri necesse est, Petrum Damiani hocipso anno ex hac luce ad paradisi gloriam transiisse; ideoque erasse qui eum peruenisse volunt ad annum Redemptoris millesimum octogesimum. Qui quidem ex eo decepti videntur, quod Ioannes scriptor Vitæ ipsius, post finem eius apponens appendicem, narrat miraculum, quod post decessum (inquit) Petri contigit anno Incarnationis Domini millesimo octogesimo, mense Augusto. Verum his verbis plane significatur, tempus annotatum haud pertinere ad tempus obitus Petri, quod iam certum Ioannes ex obitu Archiepiscopi Rauennatis, & die Cathedræ Sanct. Petri, reliquerat consignatum; sed ad illius miraculi certum tempus insinuandum. His præterea adde, quod nulla posthac de ipso Petro vsquam mentio, nullum penitus scriptorum monimentum eiusdem inueniatur elucubratum, nullæ ab ipso vel ad ipsum datæ literæ, eo præsertim tempore, quo sub Pontificatu Gregorii Septimi acerbissimam Ecclesia Romana passa est persecutionem; cum alioqui tanti viri ea tempestate vel nomen ipsum magni potuisset aduersus hostes esse adiumenti, sicuti fuisse vidimus superioribus temporibus. Quod enim in Bibliotheca Margarini, in editis epistolis quibusdam eiusdem Petri, vna legitur data ad Gregorium Septimum sub nomine Hildebrandi hac inscriptione; *Dilectissimo Sedis Apostolicæ electo, & Virgæ Assur Hildebrando*; iam superius *c* deteximus mendum, & germanam lectionem ex antiquis codicibus restituimus. Obiit autem Petrus anno ætatis suæ sexagesimo sexto: quippe qui in epistola ad Senatum, testetur natum se post annos quinque ab Ottonis Tertii Imp. obitu, qui accidit exordio anni millesimi secundi. Quem quidem Deus in hoc deploratissimo sęculo, cum excreuisset ad Ecclesiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo, qui austerissimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione, & scriptis, exsiccaret tantam putredinem; pariterque pugnaret aduersus Simoniacam hæresim, quæ vbique locorum grassabatur impune. Claruit vero post obitum miraculis, quæ Ioannes recenset. Cuius & Scripta propediem prælo *d* subiicientur, vna cum eius Vita vberius scripta.

c An. 1061. num. V.

d Edita post modū sunt magna ex parte, labore D. Constantini Caetani monachi Cassin.

IESV CHRISTI AN. 1073.

GREG. VII. AN. I.

MICH. VII. DVC. AN. 2.

I. ALEX. PP. VOCAT HENR.

ANno Christi millesimo septuagesimo tertio, Indictione vndecima, Alexander Pontifex per Annonem Colonienſem & Hermannum Bambergenſem Antistites, quos Rex Germaniæ Henricus Romam miserat pro iuribus Regni, literas scripsit ad eundem Regem, vt causam dicturus Romam se transferret, responsurus accusationibus de Simoniaca hæresi, aliisque grauissimis delictis, quæ anno superiori Saxones aduersus eum insurgentes pro Ottone Baioariæ Duce, quem sub specie læsæ maiestatis Rex Ducatu priuarat, ad Sedem Apostolicam detulissent. Habent ista Vrspergensis *a* Abbas, & Otto *b* Frisingensis. Verum quæ interceſſit hoc anno mors ipsius Alexandri Pontificis, causam iam cœptam aliquamdiu distulit: quem quidem hoc anno vndecimo Calendas Maii decessisse, Marianus Scotus affirmat.

REG AD DICENDAM CAVSAM.

Cum autem communis esset & publica nundinatio Abbatiarum & Episcopatuum, quibus Rex proficeret; idem qui supra S. Anno Archiepiscopus Colonienſis, qui hactenus, vt potuit, magno labore & non minori periculo, dum eiusmodi nefanda libere arguens Regis indignationem sæpius incurrit, habenas regni moderatus est; deploratis iam rebus, omnem eius administrationem deponens, discessit è curia. Rex vero (inquit hoc anno Lambertus) tanquam seueriſſimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frenis, præcipitem se dedit. Montes omnes, colliculosque Saxoniæ, & Thuringiæ, castellis munitissimis extruxit, præsidiumque imposuit: quibus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit ex proximis villis & agris hostili modo prædas agere. Ne vero manifestæ tyrannidis notaretur; vt impietatem suam quadam religionis specie palliaret, Archiepiscopum Moguntinum omnibus modis instigauit, vt decimationes Thuringiæ, sicuti ante plures annos instituerat, exigeret, pollicens se et assuturum; ea tamen pactione, vt ipsarum decimationum partem sibi tribueret. Ita Archiepiscopus vanissima spe animatus, *Synodum* indixit in *Erphisurâ* sexto Idus Martii: vbi cunctis terrore ac minis in Regis sententiam concedentibus, prohibitaque sub pœna capitis & bonorum amissionis, Thuringiorum quam parabant ad Sedem Apostolicam appellatione; sciens idem Rex haud ista placitura Romano Pontifici, denuo sub interminatione gratiæ suæ, Abbatibus Fuldensi & Herueldensi, quorum maxime iura in eiusmodi latrocinantium conuenticulo imminuta fuerunt, præcepit, vt nullo modo de rebus istis Sedem Apostolicam interpellarent. Narrat hæc omnia Lambertus hoc anno; quæ ante tempus Paschale gesta esse tradit. His vero facinoribus infelix inuenis idem Rex Henricus, annum duntaxat ætatis agens vigesimum secundum, in apostasiam à Sede Apostolica delapsus, in exemplum factus est schismaticis & hæreticis Regibus, qui appellationem ad eam Sedem Henricianæ hæresis labe conspersi vetuerunt. Sed de illo peiora inferius.

IMPERII ADMINISTRATIO AD SED. APOST.

Haud vero sic Wratislaus Dux Bohemiæ: sed cum iniuriam passus esset ab Ioramiro Episcopo Pragensi, in eo quod iste moleste ferens Episcopatum suum, ipso Wratislao promotore, in Olmucensem diuisum fuisse, Ioannem Episcopum Olmucensem plurimis contumeliis & plagis affecisset; eiusque ea de re missos Romam nuntios mutilari & cædi in itinere procurasset: querelam ad auditorium Summi Pontificis aduersus eundem Ioramirum detulit. Qua sceleris magnitudine Alexander Papa motus, transmisso ad illud corrigendum Rodulpho Cardinale, & ab isto remissis partibus ad ipsum Pontificem; Alexander Ioramirum gradu deposuit, sed rogatu Comitissæ Mathildis (de qua dictum est superius) iterum restituit, ita tamen, vt Olmucensis Ecclesiæ erectio firma permaneret. Narrat ista Longinus canonicus Cracouiensis in suis Annalibus Polonicis hoc anno: quæ denuo (vt paulo post videbitur) sub Alexandri successore Gregorio sunt ventilata.

III. CAVSA EPISCOPI PRAGEN. DELATA AD SED. APOST.

Mortuus est autem *Alexander* Romæ decimo Calendas Maii, cum sedisset annos vndecim, menses sex, dies viginti duos; & sepultus in Lateranensi Ecclesia. Cuius miracula duo edita ante obitum, recenset Leo *c* Ostiensis; alterum de liberato apud Cassinum dæmoniaco; alterum vero de sanata apud Aquinum fœmina clauda, cum ei bibendam dedisset aquam, qua post Missarum solemnia manus suas abluerat.

IV. ALEX. PP. OBITVS, ET MIRACVLA.

c Leo Ost. lib. 3. Chro. Cassin. c. 35.

Quod

V. GREG. VII. PP.

Quod vero ad eius successorem spectat, nempe *Hildebrandum* Archidiaconum, dictum GREGORIVM Septimum; accidit temporibus nostris, vigente hæresi Politicorum, Principibus omnia tribuentium, & sacra quæque eisdem nefarie subiicientium, aliisque Nouatoribus & peruersoribus, implacabili odio in Romanos Pontifices exurgentibus; vt in odium eiusdem Gregorii legitime electi, ac confirmati, approbatique Pontificis, schismatico Pseudopapæ fauentes, quæ ab huius sectatoribus schismaticis tunc facta, dicta, vel scripta potuerint reperiri, eadem in sui ipsorum opprobriũ denuo iactanter ediderint: nimirum Vitam Henrici Quarti Regis, Tertii vero Imperatoris, hostis infensissimi ipsius Gregorii; quam Rainerus damnatus auctor non historice, sed apologetice & encomiastice concinnauit: itemque ipsius Gregorii Res gestas, à Bennone Cardinale schismaticorum antesignano in odium illius affectu priuato ac deprauato satyrice & calumnioſe conscriptas. Cæterum habet Vaticana Bibliotheca Res gestas Gregorii seorsum scriptas ab auctore eius temporis, quas Nicolaus Aragonius intexuit commentario quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens à Leone Nono: extantque pariter aliæ, quæ sine titulo auctoris scriptæ, putantur esse Petri Guillelmi (ita dicti, qui & aliquando separatis nominibus, simpliciter Petrus, alias Guillelmus reperitur nominatus) Cardinalis Bibliothecarii qui post Anastasium vsque ad Paschalem Secundum scripsit Vitas Romanorum Pontificum: rursumq; aliæ ex iisdem concinnatę ab aliis, qui pariter scripserunt Res gestas eorundem Pontificum. Sed præter hæc, nos eadem ex diuersis, iisdemque probatis eiusdem temporis Scriptoribus fide dignissimis, in medium producemus.

DE SCRIPTIS IN VM, ET PRO EO COMPOSITIS.

[Post obitum Illustriss. Cardin. BARONII edidit *Iacobus Gretserus Soc.* IESV ann. 1609. in fine Tomi II. Defens. Bellarmin. Apologiam pro isto Greg. VII. ex L. antiquis auctoribus concinnatam; cum nonnullis Opusculis antiquorum Scriptorum, pro eodem sanctiss. Pontifice olim compositis. Rursumque ann. 1610. edidit Vitam eiusdem Pontificis, à *Paulo Bernriedensi Bauaro* antiquitus scriptam, vbi res eius gestæ diffuse describuntur. Itemque ann. 161[illegible] *Gerhohi Reicher spergensis* Syntagma de eodem Gregorio, cum Refutatione Alogiarum *Annæ Comnenæ* contra eundem Pontificem. Ac demum ann. 1612. *Seb. Tengnagel Cæsar. Bibliothec.* promulgauit alia vetera monumenta, contra Schismaticos iam olim pro eodem Gregorio, aliisque nonnullis Pontiff. Rom. conscripta. Ex quibus omnibus facilius refellas, quæ iidem veteres schismatici, ac noui hæretici, aduersus eosdem Pontiff. oggannierunt. Confirmant enim egregie quæ Baronius retulit; multaque alia cognitu digna referunt, quæ ipse silentio prætermisit.]

VI.

EIVS NATALES, PVERITIA, ET EDVCATIO.

Et quod imprimis ad eius natales & genus spectat; cum alii Soanensem, Senensem alii fuisse tradant, constantior est sententia fuisse patria Soanensem è Tusciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro: adduntque, cum aliquando puerulus luderet ad patris pedes ligna dolantis, ex reiectaneis segmentis, cum nesciret literas, casu elementa formasse, ex quibus simul coniunctis illud Dauidicum *d* exprimeretur oraculum: *Dominabitur à mari vsque ad mare*: quo significaretur, manum pueri ductante numine, eius fore amplissimam in mundo auctoritatem. Educatum vero fuisse ab infantia sub protectione, atque in domo, & quasi in gremio S. Petri Apostoli, idem ipse scribit *e* ad Guillelmum Regem Angliæ, & ad Præsules ac Principes Saxoniæ. Et qui tunc vixit auctor Micrologi de Ecclesiasticis obseruationibus, de eodem ait *f*, sub decem suis antecessoribus à puero Romæ nutritum & eruditum, omnes Apostolicas traditiones diligentissime inuestigasse, & inuestigatas in actum referre studiosissime curasse. Quod autem ipsemet in fine primi anni sui Pontificatus scribens *g* ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, numerat annos viginti suæ in Vrbe commorationis, oportuit eum numerasse ab eo tempore, quo nouissime Romam cum Leone Papa Nono rediit anno Domini millesimo quinquagesimo tertio, cum primo inde in Germaniam & Gallias abiisset vna cum Gregorio Papa Sexto.

d *Psal.* 72.

e *Greg. VII.* 7. *ep.* 23 & 1. *ep.* 39

f *Micrel. c.* 14.

g *Greg.* 2. *ep.* 49.

VII. ADOLESCENTIA.

Quod vero adolescentiam eius carpit Benno, quasi in ea magistrum magiæ habuerit Laurentium Archiepiscopum Amalphitanum, quem dicit principem maleficiorum fuisse, & magiam publice professum esse, in tantum, vt & quæ scripta sunt à Philostrato de Tyanæo, eadem totidem ferme verbis ei adscribat: summæ quidem cedit laudi Gregorio, quod magistrum adolescens nactus sit ipsum Laurentium; quem non principem maleficiorum, sed Sanctorum eius temporis extitisse, ipsiusque exequias Sanctorum paradisi interuentione honoratas fuisse, Petri Damiani, testis irrefragabilis & vndique integerrimi, in Vita Sanct. Odilonis *h*, assertione exploratissimum redditur: adeo vt ex tam enormi mendacio, non amplius in reliquis audienda, sed exsufflanda sit impudens nebulonis Bennonis ad calumniandum procacia. Siquidem Gregorium & in monachatu Cluniaci susceptо, & postea Romæ in Subdiaconatus, ac deinde Archidiaconatus administratione, dignam in omnibus Apostolico viro vitam duxisse, sinceriſſimis fidelissimorum tum viuentium Scriptorum testimoniis superius est suis locis demonstratum.

h *Ap. Sur. 1. Ianuar.*

VIII. ELECTIO IN PONTIFICEM.

Sed & quod ad eius spectat in Romanum Pontificem electionem, quam idem Benno illegitimam arguit, tum quod (vt ait) à solis laicis facta fuerit, Cardinalibus non subscribentibus; tum etiam quod eadem die id contigerit qua Alexander defunctus est, contra canones, quibus præceptum erat neminem eligi in Romanum Pontificem ante diem tertium post sepulturam decessoris: hæc pari facilitate refelluntur, tam ex citatis nuper Vitæ Gregorii Actis, quam ex ipso electionis decreto tunc ab electoribus scriptis mandato, quod in eiusdem Gregorii Regesto, Epistolarum exordio positum habetur; necnon ex ipsius *i* epistolis ad Desiderium Abbatem Cassinensem, Gilulphum Principem Salernitanum, ac Guibertum Archiepiscopum Rauennatem: quibus omnibus testimoniis constat, eadem ipsa die qua Alexander Papa in Ecclesia Lateranensi sepulturæ traditus est, statuente Hildebrando Archidiacono, vt triduanis ieiuniis, precibus, & eleemosynis, omnes ad faciendam successoris Pontificis electionem præpararentur; nihilominus eodem tempore, ne Sedes Apostolica diutius lugeret proprio destituta pastore, vnanimi consensu omnium Cardinalium, Episcoporum, cæterorumque clericorum ac monachorum, necnon totius populi, eundem Hildebrandum, ob vitæ integritatem, & egregias virtutes, atque doctrinam, electum fuisse & acclamatum in Summum Pontificem, atque Gregorium eius nominis Septimum nuncupatum; eundemque inuitum ac reluctantem in Beati Petri Cathedra collocatum. Quod autem de triduo expectando (quod & ipse Gregorius indixerat) Benno obiicit; cum promulgatum nuper *k* à Nicolao Papa Alexandri decessore, de norma in Romani Pontificis electione seruanda decretum, nihil penitus de eo cauisset; haud sufficiens esse potuit causa differendæ electionis eius, quem legitimi electores dignissimum alioqui agnoscerent illius administrationis munere.

i *Lib. 1. epist.*

k *c. in nomine dist. 23.*

IX. ELECTIONI GREG. ACCESSIT REGIS ASSENSVS.

Denique & rerum Germanicarum Scriptores eius temporis fidelissimi, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Otto Frisingensis, eiusdem Gregorii electionem laudant & prædicant. Ipseque Sigebertus, etsi certum sit Henricianas partes fouisse, Gregoriique nimiam seueritatem incuset; nunquam tamen ausus est dicere, illegitimum fuisse creatum Pontificem. Vnus Vrspergensis Abbas, idemque schismaticorum patronus, Bennoni inhærens, eius recitat scripti quorundam capita quædam; verum non ausus, vt ille, affirmare spuriam omnino fuisse electionem, eo tantum capite illam reprehendit, quod absque Regis consensu eum apicem Gregorius conscendisset: siquidem tam Henrico Imperatori, quam huic Henrico Regi eius filio, ex priuilegio Romanæ Ecclesiæ datum fuerat, vt adhibito eorum consensu electio facta fulciri deberet. At quam etiam istud de non adhibito Regis consensu sit falsum, docet eadem antiqua monumenta: quippe Acta Vitæ Gregorii narrant, die sequenti ab eius electione, eundem æstuantem nimio dolore suæ electionis, cum excusationem de relinquendo Papatu non inueniret, nuntios ad Regem Henricum celeriter destinasse, quibus eum deprecaretur ne assensum præberet; alioquin certum haberet, se graviores ipsius excessus nullatenus impunitos toleraturum: sed Regem, vt electionis veritatem cognouit, assensum præbuisse; ac Gregorium Vercellensem Episcopum Regni Italiæ Cancellarium in Vrbem misisse, quatenus auctoritate regia electionem eius confirmaret, & consecrationi interesset. Est & indubius Regis assensus testis

Lambertus, licet in modo paulo diuersus. Extatq; *l* insuper ipsius Henrici ad eumdem Gregorium epistola mox post eius electionem scripta, qua non solum eam probat, tamquã cælitus (vt ait) factam, sed & ipsi Gregorio omnimodum famulatum offert, & scelerum suorum veniam deprecatur: quam epistolam hocipso anno scriptam esse, vel ex eo certũ redditur, quod eiusdem meminit Gregorius in literis eodẽ anno quinto Calendas Octobris scriptis *m* ad Ducem Herlembaldum. Res porro gestas non aliunde fideliores atque certiores, quam ex epistolis, quis reperiet.

X.

Vt autem quæ fuere reliqua anni huius rerum gestarum eiusdem Gregorij, quæ ad Vniuersalis Ecclesiæ œconomiã spectant, vel siquid aliud his affine, percurramus; idem sequenti die à sua electione, nempe nono Calendas Maii, ad Desiderium Abbatem Cassinensem literas dedit, quibus post enarratas suas angustias, iussit Agnetem Augustam Cassini tunc existentem suo nomine salutari quam Leo Ostiensis ait sex ferme mẽses ibi remoratam, multa obtulisse S. Benedicto dona magnifica & regia, quæ ipse enumerat. Post hæc vero Hugonem Candidum Cardinalem misit Legatum in Hispanias, vt quoniam iam magna ex parte vendicatæ essent per Christianos Principes à Maurorum vsurpatione ciuitates atq; prouinciæ; quod in eis ius prætenderet Sedes Apostolica, siue census ratione, siue tributi antiquitus antequam Arabes eas prouincias occupassent, persolui eidem consueti, æque reciperet; necnon quæ in Hispaniarum Ecclesiis essent corrigenda emendaret. Hæc enim ei commissa fuisse, patet ex literis quas tunc Gregorius *n* ad Giraldum Cardinalem Episcopum Ostiensem, & Raimbaldum Subdiaconum, legatione Sedis Apostolicæ in Galliis fungentes, per eumdem Hugonem dedit pridie Calendas Maij. Idemque omnibus Principibus cupientibus vendicare ab Infidelibus loca in iisdem Hispaniis adhuc detenta, id aliis ad eos per eumdem Hugonem scriptis literis *o*, ea dumtaxat conditione concessit, vt quæ recuperassent à Saracenis, eadem vt obligata Romanæ Ecclesiæ sub eius auctoritate possiderent, & annuum pro illis canonem pensitarẽt: quippe quod (vt ait) regnum Hispaniæ ab antiquo proprij iuris S. Petri fuisset, & adhuc, licet diu à Paganis esset occupatum, lege tamẽ iustitiæ non euacuata, nulli mortalium, sed soli Apostolicæ Sedi ex æquo pertineret. Ceterũ his paruisse Hispaniæ Principes, cum satis ostendunt literæ eiusdem Pontificis ad Sancium & Alphonsum ibi regnãtes, quibus gratulatur de ipsorum erga Romanam Ecclesiam obedientia & obseruantia; tum aperte docet exẽplum Berengarii Comitis Barcinonensis, qui recuperatam sub Vrbano Papa Quarto Tarraconensem ciuitatem Romanæ Ecclesiæ obtulit, eamdemq; ab eo sub tributo possidendam accepit, sicut dicetur suo loco. Et quod ad hæc spectat; Gallos quoq; Principes, siue spõte, siue vocatos ab Hispanis, plures iterasse expeditiones contra Saracenos ibi existẽtes, Francorũ antiqua monumenta declarant; quæ prætermissa esse noscuntur ab his qui res Hispaniarum sunt prosecuti. Estq; apud Gregorium *p* insignis memoria Euuli, siue Eboli de Roceio Comitis Galli, qui pactionem cum Alexandro Papa, eiusq; successore Gregorio iniit de possidenda sub auctoritate S. Petri Hispaniæ parte, quam ab Arabibus vendicaret. Porro ista Hugonis legatio in Hispanias, secunda numeratur: nam prima cõtigit sub Alexandro, de qua dictum est suo loco: estque mentio de ea apud recentiores rerum Hispanicarum scriptores; de ista autem secunda ne verbum quidem: sicut nec quæ acta sint in ea, vsquam memoria. At de prædictis Giraldo & Raimbaldo cõstat *q*, eos transisse in Hispanias, & SYNODO habita aliquos deposuisse Episcopos, excommunicasse alios, & nonnullos suspendisse prætereà iusque, ideoque increpatos ab eodem Gregorio fuisse.

XI.

Eodem anno, cum idem Pontifex per quosdam monachos accepisset à Michaele Imperatore Constantinopolitano gratulatorias de sua electione literas, ea occasione Legatum ad eumdem misit Dominicum Patriarcham Venetum, cum literis *r* pro componendo schismate quod vigeret inter Latinos & Græcos. Quid vero ea legatione actum sit, nobis incompertum. Illud autem exploratum, eumdem Gregorium anno sequẽti pro Constantinopolitano Imperio laborasse *s*, vt suppetię ei ferrentur aduersus Saracenos. Quod vero rursum spectat ad Patriarcham Venetiæ, eumdemque promiscue Gradensem ab eodẽ Gregorio aliquoties nuncupatum, de eo reperitur idem Pontifex *t* Ducem ac Populum Venetiæ redarguisse, quod illum sinerent nimia inopia laborare, atque ea de causa tantam apud eos sordescere dignitatem.

Hoc item anno idem Gregorius Legatos misit ad Wratislaum Boemiæ Ducem, Bernardum atq; Gregorium; qui qui ab ipso Duce honorifice susceptí, ab Episcopo Pragensi Ioramiro (de quo paulo ante actum est) adeo indigne habiti sunt, vt opus eis fuerit suspensionis in eum sententiam ferre: sicut de his constat ex eiusdẽ Pontificis epistola *u* ad ipsum Wratislaum ea de re scripta. Fuitq; aduersus Ioramirum plurimum laborandum *x*, quousque homo refractarius aliis Ioannis Episcopi Morauiæ aduersus eum querelis iudicio postulatus, Apostolicæque Sedis auctoritate coactus ad dicendam causam Romam venire, absolutionis *y* literas obtinuit. Sed rursum contra eum integrãdum fuit iudicium *z*, cum denuo cœpit eumdem Ioannem lacessere. Extant enim aliæ ea de re epistolæ *a*, quibus etiam redargutus est Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus, quod eam causam ad suum iudicium studuisset aduocare. Compositas vero tandem auctoritate Apostolica fuisse eas discordias, declarant aliæ eiusdem Pontificis literæ *b*.

XIII.

Cum eodem quoque Wratislao idem Gregorius *c* hoc anno egit, vt censum Apostolicæ Sedi persolueret pro Ducatu Boemiæ, vt se facturum voto nuncupato promiserat. quod & ipsum præstitisse, aliæ eiusdem Pontificis ad illum anno sequẽti redditæ *d* literæ docent. Beneuenti quoq; existens, (quem quidẽ post suam consecrationem egressum ab Vrbe diuersa lustrasse loca, literæ ex eis ab eo hac eadem indictione ad diuersos scriptæ significant) mense Augusti pactum iniit *e* cum Landulpho Principe Beneuentano, de fidelitate ab eo exhibenda Ecclesiæ Romanæ. Idemq; octauo Calendas Octobris exegit *f* pariter à Richardo Principe Capuano iuramentum fidelitatis. Atq; ibidem Capuæ ordinauit *g* Iacobum Archiepiscopum Calaritanum in Sardinia: eumdemq; coegit radere barbam ex antiquo vsu totius Occidentalis Ecclesiæ; sicut ipse postea scripsit *h* ad Orzochum Principem Iudicum, qui tunc Insulæ Sardiniæ dominabantur: quem & monuit vt persisteret esse fidelis subditus S. Petri, eo quod Sardiniæ dominium esset Romanæ Ecclesiæ; à qua illud pleriq; alij, pqtioribus etiam oblatis conditionibus, expeterent.

XIV.

Capua quoq; Calendis Septembris literis *i* monuit Anselmum, electum nuper ab Alexandro Papa Lucensem Episcopum, doctrina, vita, & moribus laudatissimum, ne antequam Rex Henricus satisfaceret Romanæ Ecclesiæ de communione cum excommunicatis, cuius reus erat constitutus, acciperet ab eo per anulum & baculum inuestituram Episcopatus. Verum cum ille postmodum inductus esset eam accipere, mox facti pœnitens, relicto Episcopatu in Cluniacense se monasterium abdidit; ibiq; sumpto habitu, grauissimam in seipsum exercuit delicti vindictam: sed inde paulo post à Gregorio Papa inuitus reuocatus ad Episcopatũ, post regalium insignium abiectionem, legitimam ab eo suscepit illius administrationem: idemq; consideratione sanctissimæ vitæ ipsius Gregorii (qui etiam inter tot ac tanta negotia, adeo contemplatione excelleret, vt & mentis excessus sæpe pateretur, & cælestibus reuelationibus nõ raro visitaretur:) eiusdem imitator factus, verticem Christianæ perfectionis attigit, & palmam adeptus est sanctitatis. Narrantur hæc in Actis rerum ab eodẽ Anselmo gestarum, quæ ab ipsius contubernali presbytero Pœnitentiario fideliter scripta sunt; ex quibus, de exantlatis ab illo pro Ecclesiæ Catholicæ defensione laboribus, sæpe dicendum inferius.

XV.

Ex eadem quoq; ciuitate Capuana, idem Gregorius duodecimo Calẽdas Octobris binas Carthaginem literas *k* misit; quarum alteris Clerũ ac populum acriter redarguit, quod suum ipsorum Episcopum nomine Cyriacum apud Regem Arabum accusassent; alteris ipsum Cyriacum consolatus est, laudibusque extulit, quod præsentatus Regi potius elegerit diuersis crutiatibus affici, & verberibus publice nudus cædi, quam contra canones ordinationes celebrare. Romam vero rediens idem Pontifex, Piperni cum esset, (Priuerni anti-

l Ap. Greg. lib. 1. Epist. post ep. 29.

m Greg. I. ep. 25.

HVGONIS CANDIDI LEGATIO IN HISP. PRO IVRIB. SED. APOST.

n Id. 1. ep. 6.

o 1. ep. 7.

HISPANIÆ RECVPERATVR SUB AVCTORITATE ECCL. ROM.

p 2. ep. 5. & 7. & 8. ep. 18.

q 2. ep. 16

LEGATIO MITTITVR A GREG. AD MICH. IMP.

r 1. ep. 18.

s 1. ep. 49. & 2. ep. 37.

t 2. ep. 39.

REDARGVIT VENETOS DE INOPIA PATRIARCHÆ.

u 1. ep. 17.

x Lib. 44. 45.

DE CAVSA IORAMIRI EPISCOP. PRAGEN.

y 1. ep. 78. z 2. ep. 6. & 7. a 1. ep. 60. 61.

b 2. ep. 53.

c 1. ep. 8.

CENSVS SOLVITVR ECCL. ROM. A DVCE BOEM.

d 2. ep. 7.

e ap. Greg. post ep. 18. lib. 1.

f Ibid. post ep. 21.

g 1. ep. 29.

h 8. ep. 10.

SARDINIÆ DOMINIVM ECCL. ROM.

i 1. ep. 11.

POENITENTIA ANSELMI LVGEN. DE ACCEPTO EPISCOPATV AB HENR. REGE.

k 1. ep. 22. 23.

REDARGVITVR PHILIP. REX FRAN. DE VENVNDATIONE ECCLES. l. 1. ep. 55.

quitus dicti) commotus in Philippum Francorum Regem, quod præter veter sin eum querelas de venumdatione Ecclesiarum sui Regni, recenter ob eamdem causam admittere recusaret Archidiaconum Augustodunensem, legitime electum Episcopum Matisconensem; pridie Nonas Decembris scripsit *l* ad Rodericum Episcopum Cabillonensem Regis familiarem, vt de his Regem commoneret; ea comminatione adiuncta, nisi resipiscat, effecturum se vt Franci (nisi fidem Christianam abiicere maluerint) generalis anathematis mucrone percussi, ei vlterius obtemperare recusent. Porro Philippum his Gregorii paruisse monitis, missisq; ob eam potissimum causam legationem ad eum, docent literæ eiusdem Pontificis *m* ad ipsum postea redditæ.

m l. ep. 75.

XVI. SAXONES IN REG. HENRIC. CONCITATI, A GREG. COHIBENTVR. n l. ep. 39.

Cum autem Romam rediisset, & de bello cõflato à Saxonibus aduersus Henricum Regem didicisset; sequester pacis accedens, tum Regem, tum Saxoniæ Præsules & Principes literis *n* hortatus est vt ab armis quiescerent, donec ipse Legatos eo mitteret, qui res componerent. Quinam autẽ qualesve fuerint motus isti Saxonici, describit Lambertus hoc anno: ex quo nobis satis ad institutum hæc summatim perstringere; nimirum adeo Principes fideles Regis permotos fuisse nefandis allatis aduersus eum criminationibus in publicis Comitiis habitis mense Octobris in Gerstengo, vt cõmuni omnium sententia decretum fuerit, reprobato Henrico Regem alium creare. Quo statu rebus positis, Gregorius tantum abest vt (quod in eum calumniati sunt schismatici) depositionis Regis cupidus fuerit machinator, vt ne deponeretur literis interceserit. De missa vero ab eo Legatione, dicetur anno sequenti.

XVII. S. IOAN. GVALBERTI OBITVS.

Hoc eodẽ anno, quarto Idus Iulias, ex hac vita ad Deum migrauit S. Ioannes *Gualbertus* magni nominis Abbas Vallumbrosianus, de quo superius; qui viuens & post obitum claruit miraculis. Cuius præclaræ res gestæ à pluribus scriptæ cum fuerint, quæ ab Attone Pistoriensi Episcopo elucubratæ sunt, vsu frequentiori retinentur.

XVIII. BVLGAR. ECCL. LABORAT.

Quod verò ad res spectat Orientales; hac eadem vndecima Indictione (inquit Curopalates) gens *Seruorum*, quos etiam *Coruatas* vocant, exiit vt Bulgariam redigeret in seruitutem. Cuius belli causa, Bulgarica Ecclesia grauibus est affecta molestiis, tum ab hostibus cuncta rapina, cæde, igneq; miscentibus, tum à Magistratibus & exactoribus ipsos Episcopos crudeliter vexantibus: quæ mala eius tunc prouinciæ Archiepiscopus Theophylactus suis deplorat datis ad diuersos epistolis. Apud quem est etiam mentio *o* de ingenti victoria obtenta à Nicolao piissimo Duce Imperatoris Constantinopolitani aduersus Persas & Francos; cuius nulla extat alibi mentio apud Græcos siue Latinos Historiarum scriptores.

o Theophyl. ep. 61. ad Seb. Pagur.

Cum vero Legati vellent etiam Synodum celebrare, (inquit idem Lambertus) hoc abnuerunt omnes Episcopi tamquam inusitatum; nec se huius auctoritatis priuilegium vlli alii, præterquam ipsi Romano Pontifici vmquam delaturos affirmarunt. quippe non ignorabant, se in illa Synodo per Legatos agenda dispendiũ passuros suarum dignitatum, quas simoniace obtinuerant. cum alioqui extra omne sit dubium, & innumeris demonstratum superius exemplis, per Legatos à latere consueuisse Synodos Episcoporum vbiq; congregari. Ceterum qui res gestas Gregorii Papæ prosecutus est Petrus Guillelmus Bibliothecarius, de eadem hac agens legatione, addit Liemarum tunc Bremensem Archiepiscopum in causa Synodi cogendæ obiecisse Legatis, sibi quoq; & Moguntino Archiepiscopo vices Romani Pontificis in Germania antiquis priuilegiis esse concessas: & licet respondentibus Legatis, haud moris Ecclesiastici esse, vt eiusmodi priuilegia protenderentur vltra obitum eorum qui ipsa concessissent Romanorum Pontificum; tamen Synodum hac sagacitate esse impeditam: Legatosque à Rege amplis muneribus honoratos rediisse Romam, ipsum vero Archiepiscopum Bremensem pro inobedientia & rebellione fuisse ab officio sacerdotali suspensum. Ad quem etiam iam contumacem factum, extant Gregorij Papæ literæ *b* datæ hoc anno pridie Idus Decembris, quibus eum Romam iterum vocat ad dicendam causam. Hincque omnium malorum origo, dum Archiepiscopus iste Bremensis hoc modo præter omne ius fasque deficiens ab obedientia Sedis Apostolicæ, cuius se religiosissimos obseruatores hactenus ipsius antecessores per ducẽtos quinquaginta ferme annos à tempore fundationis illius Ecclesiæ præstitissent; aduersus Gregorium cœpit Regem commouere, & quicquid boni Legatorum opera concepisset infelix Princeps, penitus delere: de quibus dicetur inferius suo loco.

II. LEGATI IMPEDIVNTVR COGERE SYNOD. IN GERM.

b Id. 2. ep. 18 BREMEN. ARCHIEP. OMNIVM MALOR. CAVSA.

Interim vero hoc eodem anno, prima hebdomada Quadragesimæ, celebrata est *Romæ* à Gregorio Papa SYNODVS; de cuius indictione extant ipsius literæ *c* ad Episcopos Longobardiæ scriptæ octauo Calendas Februarij; in quibus inter alia meminit de antiqua Romanæ Ecclesiæ constitutione, vt per singulos annos ad decorem & vtilitatem Sanctæ Ecclesiæ Generale Concilium apud Sedem Apostolicam celebraretur. quod quidem Concilium appellat *Generale*, quia ex omnibus Italiæ Episcopis colligebatur; cum alioqui frequentius contingeret, ex vicinioribus tantum circa Vrbem positis Episcopis Romæ Concilia celebrari. Ceterum in hac Synodo idem Gregorius inhærens decessorum vestigiis, ad ea crimina resecanda, quæ magis tunc Dei Ecclesiam labefactare videbantur, falcem conuertens; antiquissimum renouando decretum de continentia Clericorum, quam ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, vsu, traditione, legibusque sacris obseruatam vidimus; edixit (inquit Lambertus) vt presbyteri vxores non haberent, habentes vt dimitterent, aut deponerentur; nec quisquam omnino ad sacerdotium admitteretur, qui non in perpetuum continentiam viramque cælibem profiteretur: crebrasque ea de re literas & legationes ad Episcopos Germaniæ misit, præcipiens vt in suis Ecclesiis eiusmodi decretum obseruari facerent, & à contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Hæc Lambertus: qui addit, aduersus hoc decretum protinus vehementer infremuisse in Germania totam factionem Clericorum, adeo vt & ipsum Gregorium eo nomine hæreticum inclamarent, ac malle se sacerdotium quam coniugium deserere iactarent; sed & Moguntinũ Archiepiscopum, qui vt Pontificis mandatum exequeretur congregata *Erfordiæ Synodo*, instanter vrgebat vt aut coniugium abiurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent, neci tradere cogitauerint. Ex quibus videas, simulque deplores miserandum statum Ecclesiarum Germaniæ, si vera sint quę Lambertus de omnibus Clericis narrat; & nõ magis, quod nonnulli ex eis incontinentes fecerint, omnes fecisse dicat per ignominiosam hyperbolem. Ceterum de eadem Synodo Romana, ac de literis Gregorij his de rebus in Germaniam missis, quæ desiderantur, meminit Marianus Scotus ea tunc scribens. Agitque de iisdem Sigebertus hoc anno: sed refractarius ipse, inuehitur in eiusdem Pontificis renouatum decretum decessorum, nequis Missas coniugatorum

III. CONCIL. ROM. GENER. c l. ep. 42. 43.

ADVERSV CONTINENTIAM CLERIC. TVMVLTVATVR IN GERM.

SIGEBER CALVM NIA D MISSIS CONIVG TORVM

IESV CHRISTI AN. 1074.

GREG. VII. AN. 2.

MICH. VII. DVC. AN. 3.

I. LEGATIO A GREG. PP AD HENRIC. REG.

ANno Domini millesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, Gregorius Papa insignem Legationem misit in Germaniam, ad componendum multo iam tẽpore fluctuantem illius regionis statum; qua functi sunt Agnes Imperatrix mater Henrici Regis, & Episcopi Ostiensis, Prænestinus, Curiensis, & Comensis. Qui cum post Paschale tẽpus eo peruenissent, obuiam habuerunt apud Nurembergipsum Regem; nec tamen cum eo sermonem communicare sæpius rogati consenserunt, donec secundum Ecclesiasticas leges pœnitentiam professus, per ipsorum iudicium absolueretur anathemate, pro eo quod propter venditas Ecclesiasticas dignitates simoniacæ hæreseos insimulatus fuisset apud Sedem Apostolicam. Hæc Lambertus, accuratissimus huius temporis scriptor. Sed & Gregorij literæ *a* ad eamdem Agnetem Augustam, aliæque ad ipsum Henricum postea scriptæ, significant eumdem Regem pœnitentem absolutum fuisse; & ad meliorem frugem redditum, propensiorem se erga Sedem Apostolicam exhibuisse, & humile obsequium ei pollicitum esse.

a Greg. l. ep. 85. & 2. ep. 10.

torum sacerdotum audire præsumeret; quasi negaret ipse Gregorius, vel alii qui hoc statuissent, per improbos sacerdotes confici sacramenta. Numquam enim istud dixit aliquis Romanorum Pontificum; sed tantum id de non audiendis Missis statuerunt eo consilio, vt sic fornicarii sacerdotes se à populo contemni videntes, abstinerent ab infami consortio feminarum: quemadmodum etiam aduersus eiusmodi calumnias, in defensionem Pontificum interpretatus est S. Anselmus epistola ad Guillelmum Abbatem. Verum nec sic illi sacerdotes meliores redditi, adeo laicis in opprobrium facti sunt, vt idem auctor asserat (quod dici nefas) etiam confecta per eos sacramenta, laicorum pedibus trita esse.

IV. d Lamb. an. 1077. CALVMNIA IN GREG. PP. DE CONSVETVDINE CVM MATHILDE COMITISS.

Pertinet vero etiam ad inclamationes à Clericis fornicariis aduersus Gregorium factas, quod idem Lambertus posteà *d* scribit, illos eo impudentiæ prouenisse, vt occasione familiaritatis ipsius Pontificis cum Mathilde Comitissa, acerrima Apostolicæ Sedis contra schismaticos propugnatrice, honestissima femina, de qua dictum est superius, diuque etiam eam amore infamare non veriti fuerint. Verum (sicut idem addit) apud omnes sanum aliquid sapientes, luce clarius constabat, falsa ista esse: quandoquidem Papa adeo Apostolicæ vitam instituebat, vt nec minimam sinistri rumoris maculam conuersationis eius sublimitas admitteret; & signa ac prodigia quæ per orationes eius frequêtius fiebant, atq; zelus eius feruentissimus pro Deo, & pro Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Extant vero & eiusdem Pontificis hoc anno ad ipsam Mathildem datæ literæ *e*, quibus eam ad sanctissimæ vitæ cultum quem susceperat, studiosissime prosequêdum hortatus est; atq; in his duobus potissimum insistere monuit, nempe vt Corpus Dominicum frequêter acciperet, & certæ fiduciæ Matris Domini se omnino committeret: aliudq; muliebri infirmitati apposuit fulcimêtum, dans *f* ei morum magistrum, ac patrem spiritualem, S. Anselmum Lucensem Episcopum, de quo dictum est anno superiori. Quibus plane Mathildis suffulta subsidiis, mirum dictu quãtum in Christiana vita profecerit, quantumq; super omnes Reges & Principes eminentior apparuerit, & fortior sit inuenta etiam robore militari.

e Greg. l. ep. 47. 50.

f Vit. S. Anselm. Luc. Domniz. in Vit. Matild.

V. ROB. GVISCAR. EXCOMMVNICATVR OB REBELLIONEM.

Vt autem ad Synodum reuertamur, in ea etiam constat excommunicatum fuisse Robertum Guiscardum Northmannorum Principem, Ducem Apuliæ & Calabriæ atq; Siciliæ, Ecclesiæ Romanæ rebellẽ, eiusq; iura perturbantem: contra quem etiam Gregorius exercitum collegit, eumdemque militari potentiæ cedere coegit, qui spiritualem contemnebat. Patent enim ista ex diuersis eiusdem Pontificis *g* epistolis, atque ex Leone *h* Ostiensi.

g Ap. Greg. in fin. l. 1. Ep. 1. ep. 25. 46 & 2. ep. 3. h Leo lib. 3. cap. 44.

Sed & inter alia quæ eadẽ Synodo in causis diuersorum Episcoporum, aliarumq; personarum Ecclesiasticarum, trãsacta esse plures eiusdem Pontificis *i* epistolæ docent, illud minime prætermittendum, sancitum fuisse decretum *k*, vt Hispaniarum Ecclesiæ Romanum Ordinem atq; Officium reciperent. Itemq; de causa canonicorum Pictauiensium, vt Episcopus, vel eius loco Decanus, vel alius in dignitate cõstitutus, ius retineant certis diebus cantandi Missam in aliena ecclesia, exempta scilicet; hocq; seruari consueuisse Romæ in Stationibus, atq; in aliis Orbis partibus. Spectatq; ad eamdem Synodum, quod scriptor Vitæ S. Anselmi Lucensis Episcopi, Pœnitentiarius ipsius, habet de vocatis ad eam Canonicis Lucẽsibus, ad dicendam causam de conspiratione aduersus eumdem suum ipsorum Episcopum, quod is iuxta Leonis Papę Noni de iisdem Canonicis decretum, eos ad vitam communem & regularem obseruantiam reducere voluisset. Cum vero iam res eo processisset, vt nec ipse Gregorius Papa Lucam ea de causa accedens, nec eius vrbis domina Mathildis id eis persuadere potuissent; tandem re in Synodo discussa, iidem iuxta antiquissimum S. Fabiani Papæ & Martyris decretum, quo conspiratores & insidiatores suorum Episcoporum curiæ tradendos instituit; omnium Patrum iudicio traditi sunt curiæ, & à Mathilde in seruitutem curiæ vocati. Vnde iidem rursum aduersus eam conspirantes, ab alia postea Episcoporũ *Synodo* apud *S. Genesium* prope Lucam eam ob causam congregata, excommunicati fuere:

i Greg. l. ep. 51. vsque 58. & l. 2. ep. 64 & 3. ep. 18.

CANONICORVM LVCENS. REBELLIO OB VITAM COMMVNEM.

indeque in furorem versi, tum eumdem Episcopum Anselmum Vrbe pepulerunt, tum ipsam ciuitatem in partes Henrici Regis aduersus Mathildem perduxerunt: ac denique totiꝰ cõspirationis princeps Petrus canonicus, homo perditissimus, viuente adhuc Anselmo, factione Regis intrusus est eiusdem ciuitatis pseudoepiscopus, factusque postmodum Guiberti Pseudopapæ obstinatissimus defensor: vt hæc omnia pluribus idem Pœnitentarius descripsit.

Inter hæc Gregorius Papa, cui vniuersalis gregis cura cõmissa erat, vt omnibus in angustia positis esset adiumento, contra Saracenos Constantinopolim perurgentes classicum canens; hoc ipso anno binas *l* promulgauit literas ad vniuersos Christi Fideles, vt expeditionem pararent in Orientem, cuius ipsemet ductor esse vellet. Iamq; plusquam quinquaginta millia militum religiosæ militiæ nomen dederant, & ipse Gregorius in procinctu erat profectionis, vt magno Christianæ religionis bono non solum Saracenos expugnaret, sed Orientalem Ecclesiam schismate ab Occidentali diuisam vniret, Armenios à fide Catholica penitus aberrantes ad rectæ fidei tramitem restitueret, insuper si Deus annuisset, Hierosolymam peruenire: cum timens (quod accidit) ne Henrici Regis incõstantia ab instituto cœpti operis eum auerteret, anteuertens ipse dedit ad eum literas *m*, quibus hæc omnia ei significauit; & vt cum participatione ipsius cũcta perficeret, ab eo consilium petiit; ac denique significauit, se decreuisse ipsum sui loco relinquere Romanæ Ecclesiæ defensorem. Sed tantum bonum Rex interuertit, dum Saxonicæ expeditioni totus intentus, quæq; magna ei postponenda putauit. Atque interea Orientalium rerum euentus felicior renuntiatus, feruorem expeditionis minuit; vt apparet ex literis eiusdem Gregorii *n* ad Comitem Pictauiensem.

VII. l l. ep. 49. & 2. ep. 37. EXPEDITIO PARATVR A GREG. ADVERSVS SARACEN. IN ORIENTEM.

m 2. ep. 31.

n 2. ep. 3. in fin.

Eodem tempore contigit ipsum Gregorium literas accipere à Sancio Aragoniæ Rege huius nominis Quarto, religione præstante, & fortitudine bellica haud impare: quibus cum significasset se in ditione sua Romani Ordinis Officiũ in sacris ritibus suscipi & obseruari iussisse; ad eum *o* Gregorius decimotertio Calendas Aprilis rescripsit, eius laudans pietatem, & perseuerantiam commendans. Eademq; die scripsit etiam ad *p* Alphonsum & alterum Sancium, Castellæ Reges, atque ad eorumdem ditionis Episcopos, vt & ipsi Romanæ Ecclesiæ Ordinem & Officium reciperent, secundum quod antiquissima Romanorum Pontificum & Hispanicarum Synodorum decreta statuissent, & quod in nupero Romano Concilio Episcopi Hispaniarum facere promisissent. Quod autem in titulo illius epistolæ ambo simul Reges Alphonsus & Sancius nominantur, plane significatur necdum eos bello ciuili separatos, & alterum extinctum, vnde erroris arguas, qui ponunt Sancium anno superiori iam occisum esse, Alphonsumq; hoc anno solum regnare cœpisse. Sed quæ ab aliis prætermissa, Hugo in Rebus *q* gestis S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, tradit eumdẽ Alphonsum, siue Adefonsum, à fratre Sancio regno priuatum, catenatũque careeri mancipatum, eiusdem Hugonis opera liberatum esse, dum ad eius preces S. Petrus Apostolus sub graui comminatione iussit in somnis Sancio Adefonsum restituere: & in accepti beneficii gratiam, Adefonsum duplicasse censum à patre Ferdinando quotannis monasterio Cluniacensi erogari iussum, ducentas & quadraginta auri vncias annuatim reddentem.

VIII. ORDO ET OFFIC. ROM. RECIPITVR IN ARAGONIA.

o 1. ep. 63. p 1. ep. 64.

q Ap. Sur. 24. April. S. HVGO ABB. CLVNIAC. LIBERAT ADEFON. REG. A VINCVLIS.

Hoc item anno perlatis Romam Guillelmi Anglorum Regis, eiusq; coniugis Mathildis, ad Gregorium de ipsius in Pontificem electionis gratulatione literis; idem Pontifex *r* alias ad eos reddidit, eruditionis & hortationis plenas. Et quidem quod ad Guillelmum pertinet, is præ ceteris *ferme* Christianis Regibus Borealibus à Gregorio commendatus reperitur: nam cum Henricum Germanum sit passus persecutorem, Philippum Francum ecclesiarum expilatorem; (vt prætermittamus dicere de Roberto Guiscardo Northmanno inuasore, Godefredo Lotharingio præuaricatore, & aliis de quibus suis sæpe literis queritur:) iste Rex Guillelmus, vt idem *s* Pontifex ait, licet in quibusdam non ita religiose se haberet; tamen in hoc quod Ecclesias Dei non destruxit nec vendidit, & pacem iustitiamque in subditis suis moderari procurauit, & quia contra Sedem Apostolicam rogatus pa-

IX. r Greg. l. ep. 70. 71. GVIL. REX ANGLIÆ LAVDATVR.

s 9. ep. 5.

X.

ctum inire, consentire noluit; presbyteros vxores, laicos decimas quas detinebant dimittere compulit: ceteris Regibus se satis probabilem ostendit.

t Id. l. ep. 75. ad Philip. Reg.

Non vero sic Philippus Rex Francorum; quippe qui præter alia Rege Christianissimo indigna, quamuis hoc eodem tempore Legatos & literas ad Gregorium misisset *t*, quibus pariturum se piis ipsius admonitionibus significasset: nihilominus iniquitates iniquitatibus addens, (quibus, vt Gregorius questus est, non solum Christianos, sed & Paganos videretur superasse Principes) post ecclesiarum varias destructiones, adeo regiæ dignitatis posthabuit verecundiam, vt auaritia inflammante, Italiæ negotiatores qui in Gallias venirent, deprædaretur. Quapropter idem Pontifex

u l. ep. 5. 18. 32

u Manassem Rhemensem, aliosque primarios Galliæ Episcopos, ac Guillelmum Comitem Pictauiensem hoc eodem anno hortatus est, vt Regem monerent prauos suos mores commutare ad exemplar bonorum Franciæ Regum; atque illas depredationes, vnde Oratores S. Petri impedirentur, caperentur, & multis malis afficerentur, sine dilatione emendare: alioquin si in peruersitate perduraret, se in Romana Synodo proxime futura illum cum omnibus qui regalem ei honorem vel obedientiam exhiberent, à corpore & communione S. Ecclesiæ sequestraturum, & eius quotidie super altare S. Petri excommunicationem confirmaturum. Quid vero anno sequenti de his in Synodo decretum sit, dicetur suo loco.

COMMINATIO EX COMMVNICATIONIS IN REG. FRANC.

XI.

Cum autem contigisset hoc eodem anno, (sicut Lambertus narrat) vt Salomon Rex Hungarorum à Ioiade Beli filio, aliter Geisa nominato, eius consanguineo, prælio victus, vix fuga sibi consulens euasisset; adiissetque per Legatos Henricum Germaniæ Regem, cuius sororem coniugem accepisset, petens aduersus inimicum arma parare, sponsionesque eum in regni Hungarici consortium accepturum, futurumque ei tributarium, atque munitissimas ciuitates tamquam firmæ semper futuræ pacis pignora tributurum: hoc factum cum accepisset Gregorius Papa, eoque videret grauiter lædi iura Sedis Apostolicæ, cui iam olim idē Hungariæ regnum fuisset in feudum a Rege Stephano oblatum, & ab Henrico Imperatore, cum illud vendicasset, confirmatum; literas

HVNGAR. REGNVM FEVDATARIVM ECCLES. ROM.

x l. ep. 13.

x ad eumdem Salomonem mense Octobris scripsit, quibus eum grauiter de eo redarguit; & nisi correcto errore, regnum Apostolicæ, non regiæ maiestatis beneficium recognosceret, minatus est non sine Apostolica animaduersione illum diu regnaturum. Verum ipso diuino numine causæ suæ vindictam agente, accidit

y l. ep. 68.

y vt qui ab alio quam à legitimo domino regnum accipere voluit, illud penitus perdiderit: cum tamen ipse Gregorius, vt pater, non destiterit sequester

z l. ep. 70. Ap. Baron. an. seq.

z inter eos pacis accedere. Ipsum vero Geizam Legatos ad Sedem Apostolicam mittētem, iteratis literis admonuit, vt nihil præter iustitiam putaret sibi licere, iuraque Romanæ Ecclesiæ super Hungariæ regno vellet integra remanere, quorum contemptu Salomon meruisset diuino iudicio regno priuari.

XII. DE S. WLSTANO.

Hoc pariter anno celebrata reperitur in Anglia *Synodus*, in qua *S. Wlstanus* Wigorniēsis Episcopus, miræ virsanctitatis, sed qui morum simplicitate, & literarum imperitia videretur ad regimen Episcopatus haud satis idoneus; post alias ea de re aduersus eum querelas, tandem depositus est, sed magno Dei miraculo restitutus. Quæ quomodo contigerint, narratur pluribus in rebus gestis eiusdem

a Ap. Sur. 19 Ianuar.

a Sancti; quorum etiam meminit Willelmus Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum.

IESV CHRISTI AN. 1075.

GREG. VII. AN. 3.

MICH. VII. DVC. AN. 4.

I. ANNO Christi millesimo septuagesimo quinto, Indictione decimatertia, prima hebdomada Quadragesimæ, sexto Calendas Martij, Gregorius Papa consulturus miserando huius temporis Ecclesiæ statui, magnam *Romæ* SYNODVM ex Occidentalibus Orbis circumquaq; prouinciarum Episcopis celebrauit; ad quam præter Italos, vocati ab eo reperiuntur *a* Britanni, Galli, Germani: scripseratq; *b* ad Henricum Germaniæ Regem, vt Legatos ad eam mitteret. Eius vero cum Acta singillatim conscripta perierint, eorum summa tantum breuis relicta est in eiusdem Pontificis Epistolarum *c* volumine: vbi cum ipsa Synodus celebrata dicitur anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo quarto, non à Natali Domini, sed à die Annuntiationis Virginis & Incarnationis Verbi, numerantur anni.

CONCIL. ROM. PRO REFORM. ECCL.

a Greg. lib. 2 Epist. Indict. 13.

b Id. 2. ep. 30

c Lib. 2. post ep. 52.

II. RES IN EO GESTÆ.

Inter cetera vero quæ ibi gesta sunt (inquiunt eadē Acta) quinq; de familia Regis Teutonicorum, quorum consilio Ecclesiæ vendebantur, à liminibus Sanctæ Ecclesiæ separati sunt, ita vt si intra Calendas Iunij Romam non venirent, & satisfacerent, excommunicati haberentur: Philippus Rex Francorum, si Nuntiis Papæ ad Gallias ituris de satisfactione sua & emendatione securitatem non faceret, haberetur excommunicatus: Liemarus Bremensis Archiepiscopus pro inobedientia aduersus Sedem Apostolicam, officio Episcopali suspensus est, & excommunicatus: Aliiq; nonnulli Episcopi Germani & Itali, ob varia crimina depositi, suspensiq;: Robertus Dux Apuliæ iam antea anathematizatus, & alius Robertus de Loritello, inuasores bonorum S. Petri, excommunicati. Hæc quidem ibi: extantq; de iisdem aliquot eiusdem Gregorij ad diuersas Ecclesias scriptæ hac Indictione epistolæ. Historiam vero de Herimanni Babenbergensis sæpius iteratis in Sedem Apostolicam inobedientiis & contumaciis, deq; eiusdem inde secuta excommunicatione & depositione in prędicta Synodo facta, ac post sumptum habitū monasticum, factamq; pœnitentiam, absolutione, fusius est prosecutus Lambertus: simulq; descripsit Henrici Spirensis, thesaurorum Ecclesiæ suæ dilapidatoris, qui eadem Synodo suspensus fuit, promptam diuino iudicio illatam hoc eodem anno mortem.

III.

Ceterum longe plura fuisse ibidem pertractata, de variis Episcoporum, aliarumq; tam Ecclesiasticarum quam sæcularium personarum causis, docent multiplices eiusdem Pontificis ante celebrationem Synodi scriptæ literæ, quibus illas personas ad eam vocauit. Inter quas Isimbertus

d Id. 2. ep. 2. 23 24. Bar. an. super. & pres.

ISIMBERTI EPISC. PICTAVIEN. GRASSATIO IN LEGAT. APOSTOL.

d Pictauiensis Episcopus, grauissima accusatione conuentus est, quod cum Gregorius iussisset causam Comitis Pictauiensis, qui asseretur duxisse in vxorem consanguineam suam, examinari per Legatos Apostolicæ Sedis, Amatum Episcopum Olorensem, Gozelinum Archiepiscopum Burdegalensem, alios; simul collectos; iidemque ad cognoscendam causam congregati fuissent in vnum: aduersus eos Pictauiensis Episcopus milites immisisset, qui alios verberibus, contumeliis alios affecissent. Cuius rei causa iussus Romam venire, cum minime comparuisset, suspensus est ab officio. Laudauit vero Gregorius

c 2. ep. 5.

e Guillelmum Comitem, qui paruisset Ecclesiæ iubenti diuortium donec causa plenius noscereturcui roganti vt liceret retinere feminam illam sub sororis ipsius custodia, quousq; per Synodum causa finem acciperet; hoc Pontifex denegauit, ipsamq; longius ablegandam mandavit. Scribens

f l. ep. 62.

f quoque ad Patriarcham Aquileiensem de iis quæ præcipue in eadem Synodo fuissent stabilita, ait secundum antiquorum Patrum auctoritatem decretum esse, vt ministri sacri qui concubinas haberent, nisi illis dimissis dignam pœnitentiam agerent, ab officiis & beneficiis penitus repellerentur; qui vero simoniace promoti essent, absq; vlla spe recuperationis deponerentur. Quæ sancita in Synodo, curauit idem Gregorius per vniuersalem Occidentalem Orbem promulganda, de iis scribens ad

DECRETVM DE SIMONIACIS ET CONCVBINAR. CLER.

g 2. ep. 62. & seqq.

g plures diuersis locis Antistites: ipsisque primariis Germaniæ Archiepiscopis, Annoni Colonienſi, & Sigefrido Moguntino, mandauit

h 2. ep. 67. & 3. ep. 4.

h ob eamdem causam Synodos congregare. Præstitit illud quidem Moguntinus, sed (sicut alias) incassum, obstantibus clericis fornicariis; prout testatur hoc eodem anno Lambertus. Quo etiam auctore constat, antea eumdem Sigefridum pro causa Babenbergensis Episcopi simoniaci, quē ipse ordinarat, Romam venisse, & vix ad communionem à Gregorio acceptum esse: sed & versipellem hominem, abusum nomine Romani Pontificis ad commodum Regis

Henrici

Henrici, illegitimam ac præcipitem promulgasse aduersus Thuringiæ Principes excommunicationem, quo milites cõtra illos bellare detrectantes ad arma concitaret.

IV. S. ANNONIS COLON. OBITVS.

Quod vero spectat ad S. Annonem Archiepiscopum Coloniensem, tradit idem Lambertus eum post longam ægrotationem, hoc eodem anno pridie Nonas Decembris ad cœlum transisse, & signis ac miraculis post obitum claruisse. Quem anno superiori contigerat à suis Colonien sibus, diabolico instinctu ipsi rebellantibus, ad necem quæri: & nisi occulta fuga sibi consuluisset, plane à populo in ecclesiam irrumpente fuisset occisus. Cuius res præclare gestas Abbas Sigebergensis cœnobij, & ipse eiusdem sæculi sincerus scriptor, tribus libris est *i* prosecutus. Porro inter insignes tã-

i Ap. Sur. 4. Decemb.

ti Pontificis laudum titulos, ille præ ceteris eminet, quod in discordiis obortis inter Gregorium Papam & Henricum Regem, semper pro Gregorio steterit; nec vt alij plures, rapi potuerit fauore Principis, vel minis attrahi.

V. HENRIC. REX SIMVLAT SVBIECTIONEM ROMANÆ ECCLES.

Sed & hoc tempore eumdem Henricum, dubium valde Saxonicum bellum, in quo totius regni eius incerta alea verteretur, erga Gregorium reddidit mansuetum & obsequentem, cuius opera in aduersis casibus indigere sciret. Quapropter & Nuntios ad eum misisse, & literas scripsisse, quibus se filium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsi Gregorio subiectum, dilectione vnicum, atq; deuotione præcipuum profiteretur, commendans se illi omni affectu amoris & reuerentiæ; insuperq; simoniacis resistere, & clericorum castitatem efficaciter procurare videri voluisse: docent hoc eodem anno scriptæ ad eum ab ipso Gregorio *k* paternæ charitatis affectibus referræ literę. Verũ statim vt plena potitus est victoria, reuersum ad vomitũ, quæ promiserat irrita reddidisse, restantur aliæ eiusdem *l* Pontificis epistolæ: idque Domnizo presbyter in Vita Mathildis versibus suis deplorauit.

k Greg. 3. ep. 3. 5. 7. 10.

l 3. ep. 8. & 9.

VI. *m* 2. ep. 50. GREGOR. DE VARIIS REB. AD DIVERSOS REGES SCRIBIT.

Hoc eodem anno idem Gregorius *m* scripsit ad Sancium Aragoniæ Regem, ea occasione quod Sancius Aragonensis Episcopus Romam venisset petere missionem ab Episcopatu ob graues corporis infirmitates, proponens alios vita & moribus laudatos homines deligendos & ordinandos: verũ eos, licet tales repertos, tamen quod ex concubina nati essent, respuit Gregorius; Coadiutoremq; dari Episcopo consensit magis, quam penitus dimittere Episcopatum. Idemq; Pontifex binas *n* ad Sueonem Daniæ Regem literas hoc anno scripsit, quibus eius erga Romanam Ecclesiam commendauit studium & reuerentiam; exploratoq; fidem, si opportuno tempore aduersus Ecclesiæ hostes paratus esset auxilium ferre; atq; eidem prouinciam quamdam ab hæreticis in Italia possessam, obtulit occupandam. Direxit item in

m 2. ep. 51. 73.

Poloniam ad *o* Ducem eorum Boleslaum Legatos ad componendas prouinciæ ipsius Ecclesias, constituendam Metropolim, & augendum numerum Sedium Episcopalium. Pariterq; ad *p* Demetrium Russorum Regem & vxorem eius Legatos misit, ea præuia occasione quod filius eorum

o ep. 73.

p ep. 74.

RVSSIA ROM. ECCL. OBLATA.

Limina Apostolorum visitans, ipsi Gregorio declarasset, se de consensu parentum Regnum illud dono S. Petri per manus ipsius successoris Romani Pontificis obtinere velle, exhibita eidem B. Petro debita fidelitate. Cuius desiderio Gregorius acquiescens, illius Regni gubernacula ei ex parte B. Petri tradidit; ea videlicet (vt ait) intentione, vt B. Petrus eosdem Reges, ac Regnum ipsorum sua apud Deum intercessione custodiret, & cum omni pace, honore, & gloria idẽ Regnum vsq; in finem vitæ tenere eos faceret, & huius militiæ finito cursu impetraret eis apud supernum Regem sempiternam gloriam. Hæc Gregorius: quæ reddere voluimus, vt eo exemplo intelligatur, quomodo contigerit plura Regna oblata reperiri Apostolicæ Sedi. Nempe Christiana Regum pietas efficiebat, vt persuadentes sibi magis protectione S. Petri Apostolorum Principis, quam armis Regna defendi, offerrent illa eidem Petro, à quo per successorem eius Romanum Pontificem acciperent in feudum, præstito eidẽ fidelitatis iuramento. Porro iactatum bellorum fluctibus Demetrium, Lambertus in Chronico hoc eodem anno demonstrat, dum eum ad Henricum Regem pro auxilio contra fratrem venisse tradit.

VNDE CONTIGERIT PLVRA REGNA OBLATA REPERRI ECCL. ROM.

VII. QVÆ IN

Anni huius parte postrema, nempe Natali die Redemptoris, à quo nonnulli Chronographorum nouum auspicãtur annum, potentissimus homo Cincius, vel Quintius, siue Cinthius, Vrbis Præfectus, quem Gregorius Papa de variis excessibus sæpe frustra monitum, tandem excõmunicauerat; media nocte cum armatis militibus irruens in ecclesiam, in qua idẽ Pontifex sacris indutus vestibus altari adstabat Missarum solemnia celebrans; eumdem iniecta in capillos manu, multis contumeliis affectum de ecclesia protraxit, & in domum quamdam munitissimam abripuit: quousq; fama tam atrocis facti per Vrbem diffusa, vniuersus populus domum Cincij aggressus, Pontificem liberauit, & quæ Cincij erant tam intra muros quam extra, ferro & igne demolitus est. Narrat hæc Lambertus; quæ apud Vrspergensem posita sunt anno sequenti. Eadem & Guillelmus Bibliothecarius in Vita Gregorij; vbi ait, omnia ista concinnata esse artibus Guberti antiqui schismatici, & inde Episcopi Rauennatis; qui cum Romæ interfuisset Synodo, illic post eam absolutam remansit vt Gregorium remoueret à Sede, cuius ipse appetẽtissimus esset: liberato vero ab eius insidiis Pontifice, accepta ab eo licentia Rauennam isse, ibique conspirationem rebellium Episcoporum Longobardorum machinatum esse: insuperq; Hugonem Candidum Cardinalem, & ipsum olim schismaticum Cadaloicum, sed postea misericorditer ab Ecclesia receptum, rursum ab eodem Gregorio diuulsisse, atque Regi Henrico coniungere studuisse. Porro Cincium post alia quoq; impia perpetrata, cum ad Regem Henricum, remunerationem ab eo petiturus accessisset, subitanea pessima morte defunctum esse, habent eadẽ Acta *q* Gregorij Papæ, necnon Bertholdus in Appendice ad Hermannum.

GREG. PP. NEFANDA COMMISERIT CINCIVS ROM.

GVIBERTI RAVEN. MOLITIONES IN GREG. PP.

q Ap. Baron. an. 1077.

Hoc denique anno millesimo septuagesimo quinto celebratum est *Londoniæ* in Anglia generale totius Insulę CONCILIVM sub Lanfranco Dorouernensi siue Cantuariensi Archiepiscopo, cuius Acta inter eiusdem epistolas relata habẽtur, de renouatis pluribus antiquarum Synodorum, Summorumq; Pontificum decretis circa disciplinæ Ecclesiasticę obseruationem, & tam clericorum atque monachorum, quam etiam laicorum deprauatos mores reformandos. Illud vero imprimis ex Conciliis Toletano Quarto, Mileuitano, atque Bracarensi, statutum est, vt singuli Episcopi secundum ordinationis suæ tempora sederent, præter eos qui ex antiqua consuetudine, siue suarum Ecclesiarum priuilegiis, digniores sedes haberent.

VIII. CONCIL. ANGLIC. PRO REFORMAT. MORVM.

DE ORDINE CONSESSVS EPISCOP.

IESV CHRISTI AN. 1076.

GREG. VII. AN. 4.

MICH. VII. DVC. AN. 5.

I. HENRICI REG. CONTEMPTVS IN SEDEM APOST.

ANNVS Christi millesimus septuagesimus sextus, Indictione decimaquarta inchoatus, turbulentissimus extitit ob Ecclestasticas perturbationes, Henrici Regis opera in Romanum Pontificem Gregorium excitatas. Cum enim idem Rex post obtentam victoriam aduersus Saxones, timore solutus contẽneret implere ea quæ Apostolicæ Sedis Legatis ante promiserat; eum contemptum Gregorius haud diutius tolerandum esse censens, huius anni exordio, nemge sexto Idus Ianuarij, ad eum scribens *a*, imprimis *Salutem & Apostolicam Benedictionem* ea conditione impertiuit, *si tamen* (inquit) *Apostolicæ Sedi, vt Christianum decet Regem, obedierit*: postea vero questus est, quod excommunicatis à Sede Apostolica ac Synodo Romana communionem scienter exhiberet, itemq; quod Episcopatus quosdam sub Romanæ Ecclesiæ dominio positos, personis etiam ipsi Gregorio ignotis, conferre præsumpsisset; ac deniq; quod decreta Synodalia contra labem simoniacam & clericorum luxuriam promulgata contempsisset. Quamobrem & Legatos in Germaniam misit, qui Regi denuntiarent (inquit Lambertus hoc anno) vt secunda feria secundæ hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ obiicerentur causam dicturus: alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore San-

a Greg. 3. ep. 10.

VOCATVR ROMAM, CAVSAM DICTVRVS.

II.

IMPOSTVRA NOVATORVM IN GREG. PP.

ctæ Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse.

Quibus Rex acceptis, vehementer permotus, (pergit idē Lambertus) statimq; abiectis cum graui contumelia Legatis, omnes regni sui Episcopos & Abbates Wormatiæ Dominica Septuagesimæ conuenire præcepit, tractare cum eis volens, ad deponendum Romanum Pontificem siqua sibi via ac ratio pateret. Hæc ille. Sed qui ex abditis in lucem ediderunt Vitam Henrici huius, ac promulgarunt Bennonis schismatici in Gregorium Papam calumnijs confertum volumen, quod superius contigit rationibus apertissimis confutari: iidem confartores impostarum, commētitias quasdam literas Henrici Regis nomine ad Annonem Colonien-sem Archiepiscopum de indictione conuentus Wormatiensis, post Henrici Vitam apposuerunt. Quarum falsitas vel ex eo satis conuincitur, quod constet testificatione eiusdem Lamberti, Germani auctoris tunc viuentis, & res gestas præ oculis habentis, non ante indictū esse conciliabulum Wormatiense, quam legatione accepta à Romano Pontifice, Henricus hoc eodem anno id facere est aggressus: ipsum vero Annonem anno superiori defunctum esse, non solum idem Auctor affirmet, sed etiam confirmet qui eodem æque tempore vixit scriptor rerum ab eodē S. Annone gestarum, necnon Sigebertus, Albertus Stadensis, aliiq; plures. Cum alioqui etiam si ad alium quempiam tunc vere existentem Episcopum, Regem scripsisse finxisset impostor, adhuc tamē ex facti euidentia, mendacij redargui potuisset, quod non ad Pentecostē, (vt habet epistola) sed ad Septuagesimæ Dominicam indictum fuerit à Rege *Wormatiense* b *Conuenticulum*. Nec vero ob aliam causam ista à Schismaticis conficta sunt, nisi vt Gregorius sanctissimus Pontifex calumnijs infamatus apud omnes vilesceret, dum ea epistola accusatur minitatus esse regnum animamque Regi tollere, Nuntiosque Regios carceri mancipasse, ac nuditate, frigore, fame, siti, plagis contriuisse, demumque summa ignominia per ciuitatem circumduxisse. Verum & ex alia quoque parte ista calumnia ex seipsa corruit, quod tam enorme facinus sui immanitate longe lateque vulgandum, à nemine antiquorum auctorum fuerit vmquam scriptum, quod nec extitisse aliquando, ex nuper recensitis Gregorij c ad Regem literis, in quibus agit de ipsius Legatis, satis quisq; poterit intelligere.

b [Pro isto cōciliabulo multum laborauit *Gelas. Sm* aduersus Baronū: sed eius conatus irritos reddidit *Gr. Se-ni* cap. 24. Apol. Baron. & li. 2. cont. Replic. ca. 19. de quibus dictum est ad an. 774. post num. IV]

c *Greg. 3. ep. 10. infi.*

III.

CONVENTICVLVM WORMAT. PRO DEPOSITIONE GREG. PP.

Vt igitur redeamus ad narrationem Lamberti, auctoris fide præstantis; ait ipse, Regem statuta die Wormatiam venisse, simulque Episcopos & Abbates amplissimo numero: commodeque tantis rebus conficiendis interuenisse Hugonem Blancum, siue Candidum, Cardinalem, quem ante ante paucos dies propter ineptiam eius & mores incōditos Papa de statione sua amouisset; deferentem secum de vita & institutione Papæ scenicis figmētis consimilem tragœdiam: eius vero auctoritatem gratissime amplexatos, sententiam promulgasse quod Papa esse non posset, nec aliquando fuisset, qui tantis vitam probris commaculasset; cumque ceteri omnes damnationem eius promptissimo animo subscriberent, tamen Adalberonem Wirtzburgensem Episcopum, & Herimannum Metensem, aliquamdiu restitisse, asserentes contra canonum scita esse, vt Episcopus aliquis absens, absque generali Concilio, sine legitimis accusatoribus & testibus, necdum probatis criminibus quæ obiicerentur, condemnaretur; nedum Romanus Pontifex, aduersus quē nec Episcopi, nec Archiepiscopi cuiusquam recipienda esset accusatio: verum his nihil obstantibus, agente Willelmo Traiectensi Episcopo Regi charissimo, qui causam eius pertinacius tuebatur, ex nomine omnium plenas contumeliarum literas Romam missas esse, quibus denuntiaretur Romano Pontifici, vt Pontificatu quem contra Ecclesiasticas leges vsurpasset, se abdicaret; sciretq; post eam diem quicquid ageret, iuberet, decerneret, irritum futurum: Porro Legatos summo conatu iter accelerantes, pridie quam à Papa *Romæ* SYNODVS indicta celebraretur, ingressos in Vrbem, literas tradidisse, ac ceteram legationem verbo non minus contumelioso, quam scripto executos esse: Papam vero nihil permotum atrocitate nuntij, postera die literas in Synodo publice recitari fecisse; & cunctis qui conuenerant Episcopis decernentibus, & Regem excommunicasse, & cum eo præcipuos facinoris architectos, Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum, Willelmum Episcopum Traiectensem, & Robertum Episcopum Babenbergensem: ceteris autem conspirationis participibus diem statuisse, qua nisi Romam accederent causam dicturi nouæ huius & inusitatæ rebellionis, similem ceteris excommunicationis sententiam sortirentur. Hęc omnia Lambertus, quibus prorsus consentientia habent eiusdem temporis Scriptores, Domnizo presbyter in Vita Mathildis, aliusque presbyter Pœnitentiarius S. Anselmi Lucensis Episcopi in eius Vita, & scriptor Actorum ipsius Gregorii Papæ: omnes multis conclamationibus adeo procacem schismaticorum audaciam detestantes. In qua tamen adimplenda haud eo progredi ausa est impiorum factio, (prout vidisti) vt ipsum Gregorium à Sede Pontificali deponeret; sed vt seipsum deponeret, ad eum conscripsit. Ceterum qui literas Conciliabuli Romani detulit, in Actis Gregorii, & apud Domnizonem, vocatur Rolandus Parmensis, alias Tarusiensis clericus: præter quem missus quoque fuit alius (vt narratur in Vita S. Anselmi) nomine Eberardus natione Teutonicus, qui circuiret Italiam vt schismatica omnes inficeret contagione; quem & ait, inaudita temeritate reconciliasse interdictos à Papa, atque ex parte domini sui Regis indixisse vt officium more priori celebrarent.

HENRIC REX EXCOMMVNICATVR IN CONCIL. ROM.

IV.

QVINAM IN GERMAN. PRO GREG. STETERINT.

In vita autem Gregorii additur, sequenti die post Rolandi habitam in Synodo inuectiuam aduersus Pontificem orationem, allatas esse literas Episcoporum Vltramontanorum, quibus confitebantur se nimium deliquisse, & postulabant veniam, spondentes omnem impostorem Sedi Apostolicæ obedientiam. Sed in Actis Salzburgensibus, vbi agitur de S. Gebehardo eius ciuitatis Archiepiscopo, traditur, in his adeo periculosis temporibus, præter ipsum Gebehardum, atque Altmannum Patauiensem, Adalberonem Wirtzburgensem, Herimannum Metensem, Meginwardum Frisingensem, præter hos solos quinque, in toto Regno Teutonico Episcopum Catholicum inuentum non fuisse; qui scilicet pro Gregorio Papa aduersus Regem aperte stare ausus fuerit. Cum alioqui Albertus scribat, Saxonicos Episcopos nequaquam assensum præbuisse eiusmodi inaudito reliquorum facinori. Habet vero etiam Domnizo de clarissimis feminis Beatrice atque eius filia Mathilde Comitissis, ipsas, etsi propinquæ Regi sanguine essent, nequaquam à Gregorio Pontifice recessisse, sed magis magisque ei inhæsisse; ita tamen vt mediatrices agerent apud Regem, quo eum Ecclesiæ conciliarent. Sicut & mater ipsa Regis Agnes Augusta, tunc adhuc viuens, & perstans Romæ in sanctissimæ vitæ instituto excubandi ad sacra Limina Apostolorum, eidem Pontifici immobiliter adhæsit vsque ad extremum vitæ spiritum, quē anno sequēti feliciter exhalauit in Domino.

V.

GREGOR. PROMVLGAT DEPOSITIONEM HENRICI.

Porro vbi Gregorius de consilio centum & decem Episcoporum (vt habent Acta) qui Synodo interfuerunt, anathematis sententia perculit Henricum Regem; de eo dedit ad omnes Christi fideles literas *d* Encyclicas, quibus & ipsam in eum excommunicationis atque depositionis sententiam addidit, vna cum absolutione iuramenti fidelitatis omnium vbique ipsius subditorum. Extatque *e* insuper aliud eiusdem Synodi decretum de excommunicatione Sigefridi Archiepiscopi Moguntini, aliorumque qui sponte eius sceleri subscripserunt, tam Germanorum, quam Longobardorum; ac de illorum qui non sponte consenserunt, vocatione Romam ad peragendam satisfactionem: itemque de nonnullorum Antistitum & Comitum Gallorum excommunicatione, qui vel excommunicatis communicassent, vel diuersas Ecclesias infestassent, aut alia delicta commisissent. Sed & ad hanc Synodum spectare noscuntur, quæ alio *f* loco sub titulo *Dictatus Papæ*, positæ leguntur eiusdem Gregorij Papæ sententiæ breuiores de Priuilegiis Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ semper in Ecclesia Catholica vsu recepta fuissent; ita ob vrgentes casus præsentis schismatis declaratæ & promulgatæ, vt ex iis reprimeretur audacia Schismaticorum Præsulum ac Principum. Habet vero Guillelmus Bibliothecarius in Vita ipsius, post anathema in Regem & ei inhærentes, in Romana Synodo hoc anno prolatum, conuenisse *Papiæ* in Longobardia schismaticos Episcopos, & idem anathema in Romanum Pontificem retorsisse: Principes autem quid facturi essent ancipites, consuluisse peritos, num esset habendus pro excommunicato

d *Greg. 3. ep. 6.*

e *Ibi, in Act. Conc. Rom. Tertii sub Greg. VII.*

f 2. *ep. 55.*

ROMAN. PONT. A NEMINE EXCOMMVNICARI POTEST.

Ponti-

Pontifex, responsumque ab illis scite atque prudenter, Romanum Pontificem à nemine iudicandum, ob idque à nullo excommunicari posse; excommunicatosque esse, qui talia præsumpsissent. Sed quod dictum est de Episcopis Longobardis; licet ipsi inhæserint Regi, secus tamen contigit de Episcopis Venetiarum prouinciæ, Aquileiensis Ecclesiæ, & aliis ei subditis, quos Gregorio adhæsisse indicant eius epistolæ *g*; quibus & constat, Mediolanenses milites cum eorum Duce Wifredo, pariter contra Regem fauisse Pontifici.

g 3. ep. 14. 15 & 4. ep. 7.

V. DIVINA VINDICTA IN SCHISMATIC.

Iam vero quæ post excommunicationem Dei vindicta secuta sit impios, videamus ex eodem qui supra Lamberto Germano homine, eiusdem temporis scriptore candido, quem neque priuatus affectus suæ gentis, suique Principis, valuit à veritate dimouere. Ipse igitur de Willelmo Traiectensi Episcopo, quem præceteris pro Rege stetisse in conciliabulo Wormatiensi dixit, addit, illum, cum multa pergeret in iniuriam Romani Pontificis omnibus pene diebus solemnibus inter Missarum solemnia rabido ore declamare, breui repentina correptum grauissima ægritudine, inter acerrimos cruciatus animæ & corporis quibus vigeretur, miserabili eiulatu coram omnibus vociferatum esse, *iusto Dei iudicio se & præsentem vitam amisisse & æternam, quod Regi ad omnia quæ perperam intendisset operam suam summo annisæ tribuisset, atque in spem gratiæ eius Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutum viro, graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset*: sicque in eam vocem sine communione, sine satisfactione vita expirasse. Sed hæc latius explicata, ex Annalibus Ecclesiæ Magdeburgensis Langius in Chronico Citicensi recitans, ait, cum Regi Henrico Traiecti existenti oblata fuisset excommunicatio in ipsum à Romano Pontifice illata, eumdē Willelmi consilio eam vilipendisse; ipsumque Willelmum inter Missarum solemnia sermonem ad populum habentem, eam deridere tamquam nullius esset valoris cœpisse: verum repente eo ipso loco correptum ægritudine, eadem ingrauescente mandasse Regi, *tam se, quam ipsum Regem, & omnes iniquitati eius fauentes, damnatos esse in perpetuum*: ac circumstantibus dixisse, adstare ad lectum dæmones, qui mox vt expirasset eum rapturi essent; ideoq; circumstantes clericos rogasse, ne se post eius mortem fatigarent faciendo pro eo supplicationes: sicque in desperatione defunctum esse, & postquam diu iacuisset insepultus, Apostolico iussu sine commendationibus sepultum esse. Hæc ibi: pergitque auctor narrare de aliis compluribus Henrici fautoribus Episcopis, aliisque Principibus, qui diuersis casibus miserrime interiere. Moguntinus autem, & alij, pœnitentes ab Henrico discedentes, diuinæ vindictæ sententiam euasere. Successit autem Willelmo Traiectensi schismatico Henricus Catholicus: ad quem, petentem num orandum esset pro iis qui in schismate mortui essent, extat rescripta Gregorij *b* epistola id faciendum negantis.

WILLELMI EPISC. TRAIECT. TERRIBILIS CONFESSIO.

b 4. ep. 16.

VI. QVA MALACONTIGERINT REGI HENRICO.

Sed quænam Regem ipsum sint pariter secutæ post excommunicationem vindictæ, idē Lambertus pluribus narrans, tradit mox aduersus eum Sueuos & Saxones rebellasse, ac formidando apparato prælio insurrexisse: sed & maiores Germaniæ Principes ab eodem defecisse, eisque Archiepiscopum Moguntinum, vna cum aliis compluribus, aduersus Regem adhæsisse. Fuit vero horum suasor Vdo Archiepiscopus Treuerensis, qui Romam veniens, Gregorium vt vere Summum Ecclesiæ Hierarcham veneratus, rediēs in Germaniam concinnator extitit veritatis. Quo etiam tempore Herimannus Metensis Episcopus, studiosus obseruator iurium Apostolicæ Sedis, cum inter alia consuluisset Gregorium, quid illis respondendum esset qui dicerent non debere Regem excommunicari, neque deponi, ab eo epistolam *i* recepit, scriptam Tibure octauo Calendas Septembris, qua docetur id iure fieri, vsuq; receptum fuisse vt prædecessores Pontifices excommunicarent Reges & Imperatores, eosdemq; Imperio siue Regno priuarent. Nihilominus idem Pontifex Henrico compatiens, literas *k* encyclicas dedit ad omnes Præsules ac Principes, ceteroſq; Ecclesiasticos & sæculares quoscumq; Christi Fideles, tū vt ipsum hortarentur ad pœnitentiam, quod cuperet eum, si vere scelerum pœniteret, ab omni nexu liberare; tum vt vitarent excommunicatorum & impœnitentium communionem: interim tamen omnibus Episcopis districte prohibens, nequis Regem præsumeret quomodocumq; inconsulta Sede Apostolica ab excommunicatione absoluere. Qui si perseueraret impœnitens, tunc inita matura deliberatione, alius eligeretur auctoritate Apostolica Rex Catholicus, qui Imperium iuste administraret. Hæc Gregorius.

CONSVLTATIO HERIMANNI. *i* 4. ep. 2.

k 4. ep. 1. & 3.

VII. CONVENTVS TRIBVR. IN CAVSA REGIS.

Quæ vero inde secuta fuerint, narrat Lambertus testis fidelis; nempe, cum postremæ istiusmodi Pontificiæ literæ ad Teutonicos datæ innotuissent Episcopis ac Principibus Germaniæ, Catholicæ fidei Ecclesiæque Romanæ defensoribus; statuisse simul ad comitia conuenire *Triburiam* decimoseptimo Calendas Nouembris: cumque eodem aduenissent etiam Legati Apostolicæ Sedis Sigehardus Patriarcha Aquileiensis, & Altmannus Episcopus Patauiensis; productis in medium cunctis Regis criminibus atque sceleribus, quibus Ecclesiam & Rempublicam ab ipsa ineunte ætate pessumdedisset; omnes in eam sententiam pedibus iuisse, vt eo priuato alius Rex crearetur, qui res in pristinum statum restitueret, & destrueret omnem cuiuscumq; hominis altitudinem, extollentem se aduersus iustitiam & veritatem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem: adeoque constantes in ea sententia perstitisse, vt quamuis Henricus (qui collectis ad villam Oppenheim suæ factionis assertoribus, nonnisi Rheno fluuio à castris Principum dirimebatur) frequentibus missis Triburiam legationibus omnimodam polliceretur emendationem, quin & regni administratione cedere, dummodo eius insignia apud ipsum remanerent; tamen nihil penitus ab eis aliquo supplicationum genere per multos dies impetrare potuisse, donec ex vtraq; parte expeditis ad prælium armis, primo diluculo eius diei quæ vltimam cladem Reipublicæ allatura timebatur, Principes ad Henricum Legatos miserunt, quibus ei significarent, se his conditionibus inducias ei concessuros, si Romano Pontifici per omnia subditum se, dictoque obtemperantem fore polliceretur, & criminum suorum cognitionem eius iudicio permitteret; cum quo ipsi acturi essent, vt idem in Purificatione S. Mariæ Augustam occurreret, ibiq; celeberrimo cōuentu habito Principum totius Regni, discussis vtrarumque partiū allegationibus, ipse suo iudicio vel abdicaret vel absolueret accusatum: hinc autem se capturos experimentum, vtrum Rex oblatam conditionem gratanter acciperet, si omnes quos Papa excommunicasset protinus à se ablegaret; ipseq; Spiram secedens cum solo Episcopo Virdunensi, pauciſq; ministris, priuatam interim vitam ageret, nullius Regiæ dignitatis insignibus vtens, nihil de negotis publicis disponens, nullamque ecclesiam ingrediens, vsque ad Synodicam causæ suæ examinationem; ac de his omnibus sacramenta & obsides daret: siquid vero eorum præuaricaretur, vel si post diem anniuersariam excommunicationis suæ, ipse suo vitio inabsolutus permaneret; tunc absq; retractatione in perpetuum causa cecidisse censeretur, ipsique omni erga illum iurisiurandi religione liberati essent. Hæc inter eos gesta narrat Lambertus.

QVÆ REGI CONDITIONES IMPOSITÆ.

IX. IN ITALIAM PROFICISCITVR AD SVM. PONT.

Addit vero, iis à Rege auditis, ipsum lætum admodum de vrgentis calamitatis auersione, promptissime conditiones acceptasse, statimque per omnia adimplesse: Principes autem cuncta Summo Pontifici per Legatos Romam missos significasse, enixe flagitantes, vt sedandis tantis tempestatibus statuta die suam non dedignaretur præstare præsentiam. Sed & Regem certo scientem, omnem suam in eo verti salutem, si ante anniuersariam diem excommunicatione absolueretur, nec satis sibi tutum existimantem vt causa sua intra Germaniam coram adeo obstinatis accusatoribus ventilaretur; optimum factu iudicasse, Romano Pontifici intra Italiam occurrere: pauciſq; ante Natalem Domini diebus, iter aggressum esse cum vxore & filio paruulo; nec quemquam ex omnibus Teutonicis virum ingenuum comitatum esse Regno excedentem, præter vnum & ipsum nec genere nec opibus conspicuum: cumque impensis tam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus incolumi Republica sæpenumero profuerat; paucos admodum extitisse, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præsenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem eius releuarent. Pari quoque modo ceteros excommunicatos, obtinendæ citius absolutionis studio, ardentissime

DIFFICVLTAS ITINERIS.

iter acceleraſſe in Italiam; nec tamen in ſocietatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu abſterritos paſſos eſſe. Hæc Lambertus: qui pergit narrare de immenſis incommodis, quæ Rex eo itinere paſſus eſt ab aſperrima hieme, & à Principibus Germanis qui montium aditus præcluſerant, ne tranſire poſſet, ac deniq; ab ipſis propinquis ſuis: adeo indignatio Domini (inquit auctor) non ſolum ſacramentis, & frequentibus beneficiis ſibi obnoxios, ſed etiam amicos & genere propinquos ab eo auerterat. Quæ autem in Italia et contigerunt, dicentur anno ſequenti.

X. GREGOR. CREAT REGEM DALMATIÆ.

Interim admiratione plane digna res accidit, vt quo anno Henricus Rex ſe ſchiſmate ab Eccleſia ſeparauit, Rex barbarus eidem ſe cõiunxerit, ſubditumq; conſtituerit. Siquidem hoc eodẽ anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto, menſe Octobris, Demetrius, idemq; Suinmur dictus, Croatiæ Dalmatiæque Dux, in *Synodo Salonæ* in Dalmatia à Legatis Apoſtolicæ Sedis, Gebizone tunc monaſterij SS. Bonifacii & Alexii Abbate, poſtea vero Ceſenate Epiſcopo, & Folcuino Foriſempronij Epiſcopo, habita; nomine Gregorij Papæ ab iiſdẽ Legatis Regio nomine dignitateque inueſtitus eſt per vexillum, enſem, ſceptrum, & coronam; ipſeque de concordi totius Cleri populique Croatarum Dalmatarumque conſenſu, pro eodem Regno fidelitatem Sedi Apoſtolicæ, ipſique Gregorio, ac eius ſucceſſoribus, in manus Legatorum iurauit, tributumque annuum ducentorum Byzantiorum in perpetuum conſtituit. Eſt enim de his nobile *l* monimentum in Vaticana Bibliotheca in codice qui inſcribitur *Cencius Camerarius* de cenſibus Apoſtolicæ Sedis. Extatque inſuper eiuſdem Gregorii poſtea data epiſtola *m* ad Wezelinum Ducem erigentem ſe contra Demetrium, qua ſub interminatione excommunicationis iubet eum arma deponere, & ſi quid contra eumdem Regem haberet, iudicium Sedis Apoſtolicæ expetere.

l Rec. Bar. Ann. Tom. XI. hoc an.
m Greg. 7. ep. 4 ap. Baron. an. 1079.

XI. REX ARABVM HONORAT GREG. PP.

Sed maioris plane eſt admirationis, eodem anno quo reſiliit filius Chriſtianus, ac contumeliis patrem exagitauit, Regem Arabem Saracenum nomine Anzir, qui regnabat in Mauritania Sitifenſi, agnoſcentem Romani Pontificis ſupra omnes Eccleſias principatum, direxiſſe Romam presbyterum Seruandum nomine, ab eodem Pontifice conſecrandum Hipponenſem Archiepiſcopum; & vna cum aliis muneribus miſiſſe quos habebat captiuos Chriſtianos, dũ Rex Chriſtianus filios liberos ducebat captiuos in ſchiſma. Extãt enim de his literæ eiuſdem *n* Pontificis ad ipſum Regem Anzir; quibus & ei benedictionem Apoſtolicam licet Saraceno impertiuit, qua indignum (vt vidimus) iudicauit ſchiſmaticum Regem. Denique hoc eodem anno, iiſdemque ferme diebus quibus diſceſſio ab Apoſtolica Sede facta eſt ab Henrico Rege, Rogerius Siciliæ Comes (cui ipſius frater Robertus Guiſcardus Northmannorum Dux, eamdem Siciliam adminiſtrandã commiſerat) contra Paganos pugnaturus, feſtinus accurrit vt ab ipſo Gregorio Pontifice mereretur abſolutionem accipere delictorum, atq; eius benedictione fulciri: cui Gregorius, nihil remittens legum Eccleſiaſticarum obſeruantiæ, ea conditione annuit, vt non amplius communicaret cum eodem Roberto ipſius fratre excommunicato. Teſtantur namq; hæc literæ *o* ea de re ſcriptę pridie Idus Martij ad Arnaldum Archiepiſcopum Acheruntinum.

n 3. ep. 21.

ROGER. SICIL. COMES PETIT ABSOLVTIONEM A GREG.

o 3. ep. 11.

XII. HERLEMBALDI DVC MARTYRIVM. *De quo Bar. an. 1061. & præcess.*

Eodem vero anno *Herlembaldus* dux Catholicorum Mediolanenſium, qui olim ab Hieroſolymitana peregrinatione reuerſus, ab Alexandro Papa, aliiſq; ſanctiſſimis viris impeditus ne (quod maxime appetebat) monachus fieret; acceptoq; ab eodem Pontifice ſacro vexillo, quo aduerſarios reprimeret, iuſſus contra hæreticos atq; ſchiſmaticos vſque ad proprii ſanguinis effuſionem viriliter decertare: cum id conſtantiſſime per decem & octo ferme annos impleſſet, tandẽ necatus ab ipſis glorioſum eſt martyrium conſecutus. Quod deſcripſit Syrus presbyter, qui eum familiariſſime nouit, in Vita S. Arialdi Martyris, cui Herlembaldus in reformanda Eccleſia Mediolanenſi, & à malignorum conſiliis defendẽda, ſtrenuum ſe ſocium ſemper exhibuit: eſtque præclara eiuſdem Ducis memoria in epiſtolis *p* Gregorii Papæ ad eum datis.

p 1. ep. 25 26 27. 28.

IESV CHRISTI AN. 1077.

GREG. VII. AN. 5.

MICH. VII. DVC. AN. 6.

I.

ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Gregorius Papa iter aggreſſus cũ Mathilde Comitiſſa, vt ſtatuta die Auguſtæ cum Principibus Germanis veniret ad diſcutiendam Regis Henrici cauſam; cum iam peruenisſet in Longobardiam, audito Regis in Italiam aduentu, (quippe qui ſuperatis ingenti difficultate aſperrimis montium Alpium iugis, iam prope aderat) diuertit in caſtellum munitiſſimum Tuſciæ, Canuſium dictum, expectans vtrum ille ad poſtulandam abſolutionem, an vero ad vlciſcendam excommunicationem veniret. Sed ne diu ambigeret, fecere Germani Epiſcopi & Principes qui olim Regi adhæſerant, Canuſium affluentes abſolutionis obtinendæ gratia: quos Pontifex variis iniunctis pœnitentiis probatos, tandem in Eccleſiam reſtituit. Cum autem & ipſe Henricus, interceſſionem Mathildis conſobrinæ ſuæ flexis genibus (vt habet Domnizo) efflagitans, tamq; ipſius opera, quam aliorum Italiæ Principum, necnon viri ſanctiſſimi Hugonis Abbatis Cluniacenſis, omnium quarumcumque ſatisfactionum genera ſpondens, inſtantiſſime ageret vt ante diem anniuerſarium excommunicationis, qui imminebat, abſolueretur, econtra vero Pontifex cunctaretur, tum quod incongruum eſſe diceret, abſentibus Germanis Principibus eius accuſatoribus cauſam decidere, tum quod vereretur in Rege ſolitam animi inconſtantiam: tamen (inquit Lambertus, hæc pluribus deſcribens) ſuperatus tandem importunitate perurgentium, & grauitate ſententiarum, vix & ægre annuit vt Rex cominus veniret: qui vt iuſſum fuerat accedens, & cum caſtellum illud triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nudis pedibus, in laneis veſtibus, frigore aſperrimo, ieiunus à mane vſque ad veſperam cum multo fletu perſtitit, Romani Pontificis miſericordiam implorans. Cumque hoc ſecundo, tertioque die feciſſet, quarto demum in conſpectum eius admiſſus, poſt multa hinc inde dicta, his poſtremo conditionibus abſolutus eſt, vt die & loco quemcumque Papa deſignaſſet, euocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet, & accuſationibus quæ intenderentur reſponderet; & ad Pontificis ſententiam, vel retineret regnum ſi obiecta purgaſſet, vel amitteret ſi probatis criminibus regio honore indignus decerneretur: vſque vero ad eam iudicij diem, nulla regiæ dignitatis ornamenta vel inſignia ſibi vſurparet, nihil circa Reipublicæ adminiſtrationem ſuo iure ageret; eoſque, quorum conſiliis ſe Remque publicam prodidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate amoueret: quod ſi purgatis obiectionibus confirmaretur in regno, ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret. His, & aliis eiuſmodi iniunctis conditionibus, poſtremo additum eſt, ſiquam ipſe earum aliquando præuaricaretur, irritam fore eam quam nunc tantopere expetiiſſet anathematis abſolutionem, ipſumque pro conuicto confeſſoque habendum; ac Principes iuriſiurandi erga eum religione liberatos, Regem alium creaturos fore. Accepit Henricus gratanter conditiones, ſeruaturumque ſe omnia quam ſanctiſſimis potuit aſſertionibus promiſit, ac ſcripto firmauit. Sed & quod haud temere fides ei haberetur, tum Abbas Cluniacenſis fidem ſuam pro eo interpoſuit, tum alij Epiſcopi & Principes huius conuentionis auctores, allatis Sanctorum Reliquiis, ſub iureiurando confirmarunt facturum eum eſſe quod pollicebatur. Hęc omnia Lambertus hoc anno, Domnizo in Vita Mathildis, & ipſe Gregorius *a* Papa in literis ea de re mox ad Epiſcopos & Principes Germaniæ ſcriptis quinto Calẽdas Februarij; cum ipſam Regis abſolutionem contigiſſe die vigeſima quinta menſis Ianuarij (quæ ex antiquo Eccleſiæ ritu Conuerſioni S. Pauli conſecrata eſt) Domnico teſtetur.

GREG. PP. VENIT CANVSIVM.

POENITENTIA ET ABSOLVTIO REGIS HENRIC.

IVRAMENTA DE OBSERVATIONE CONDITIONVM ABSOLVTIONIS.

a Greg. 4. p. 12.

Porro ex hac fidelissima prædictorum auctorum narratione miraberis, Lector, quomodo non puduerit Bennonem schismaticum, asserere pœnitentiam Regis non sponte factam, sed coactione Pontificis extortam.

II. CANONICA PVRGATIO GREG. PP.

Addit vero Lambertus, post Regem absolutum, Pontificem celebrasse Missam; cumq; sacratissimam Eucharistiam sumpturus manu eam teneret, vocato Rege ac vniuersa adstantium multitudine, contestatum esse eam se sumere in iudicium criminum, quæ schismatici aduersus ipsum promulgassent; vt si innocens esset, absolueretur ab omni suspicione; si vero reus, subitanea periret morte: ac post illa terribilia verba, cum idem partē Dominici corporis liberrime assumpsisset, populusque in laudes Dei, innocentiæ eius congratulatus aliquamdiu acclamasset: tandem impetrato silentio, conuersum ad Regem, oblata ei residua Dominici corporis parte, eamdem æque ei detulisse criminum obiectorum canonicam purgationem; sed Regem inopinata re attonitum, & ad tam horrendi examinis necessitatem æstuantem, habito cum suis consilio, refugisse illam eo prætextu, quod absentibus accusatoribus suis haud quicquam virium apud incredulos habitura esset quæcumq; pro experienda innocentia sua satisfactio. Hæc Lambertus: quæ tacens Domnizo in Mathilde, tantummodo ait Pontificem celebrasse Missam, & sacra Eucharistia communicasse Regem.

RE OBLATAM PVRGATIONEM REFVGIT.

III. DONATIO MATHILDIS FACTA ECCLES. ROM.

At vero subdit Domnizo, post hęc Mathildem, Gregorii Papæ & Sedis Apostolicæ studiosissimam, postposito Rege, donasse Romanæ Ecclesiæ omnia sua bona. De qua donatione agens eiusdem temporis scriptor sinceræ fidei Leo *b* Ostiensis Episcopus, ait Mathildem Henrici exercitum timentem, Liguriam & Tusciam prouincias Gregorio Papæ, & S. Romanæ Ecclesiæ deuotissime obtulisse; indeque imprimis causam seminandi inter Pontificem & Regem odij initium sumpsisse. Verum quod apud illum, hoc factum ponitur anno Domini millesimo septuagesimo nono, plane constat errorem *c* irrepsisse in numerum, cum id & ipse accidisse ponat eodem anno quo contigit Henrici pœnitentia; nempe (vt vidimus) præsenti millesimo septuagesimo septimo; quo & donationem factam expresse Domnizo (qui tunc viuens, etiam præsens adesse potuit) affirmat.

b Leo Ost. lib. 3. c. 48.

c [Correctus hic error est in nupera Ostiensis editione, sicuti & alii quamplurimi, auctoritate antiquorum codd. MS.]

IV.

Quod autem pertinet ad discordias, quæ mox subsecutæ sunt inter Pontificem & Regem; tradit Lampertus, cum post impertitam Regi absolutionem Gregorius Epponem Citicensem Episcopum misisset, qui vice sua absolueret omnes qui Regi excommunicato antea communicassent; ipsum ab Italis (nempe Longobardis, qui iampridem à Gregorio excommunicati, aduenienti in Italiam Regi adhæserant, existimantes eum ad deponendum Pontificem properasse) ingenti fremitu, & irrisoriis exclamationibus exceptum fuisse: sed & Regem, cum ad eos rediisset, pessime ab iisdem habitum, quod tali Pontifici, quem ipsi hæreticum & probris omnibus infamatum prædicabant, maiestatem Regiam fœdissima subiectione submisisset: eaque de causa Regem, vt eorum sibi conciliaret animos, decreuisse initum cum Romano Pontifice fœdus abrumpere; & vt inde reparandæ concordiæ initium faceret, vnde fuerat orta discordia, reuocasse in pristinum gratiæ & familiaritatis suæ gradum eos omnes, quos Pontifex seueriſſimo anathemate à contubernio eius amouerat: tum assidue in conuentu Principum cœpisse detrahere Romano Pontifici, hortariqae omnes vt tantarum ab eo iniuriarum vindictam expeterent: demum conditiones omnes quibus eum Pontifex obstrinxerat, contēptim tamquam aranearum telam dirupisse; abiectisque omnibus timoris Dei habenis, in omne quod animus & perfidi comites suggessissent, effrenata libertate abreptum esse.

REX IN PRISTINA RELABITVR.

V. DECERNITVR COMITIA GERMANIÆ ADVERSVS EVM.

Interea Episcopos & Principes, qui anno superiori aduersus Regem conuenerant Triburiæ, scripsisse ad Romanum Pontificem, vt quoniam die condicta, dolo Regis pręuentus, Augustam venire non potuisset, saltem in *Forcheim* tertio Idus Martii præsto esse satageret vt sedandis bellorum ciuilium tempestatibus Apostolici moderaminis gubernaculum adhiberet: Pontificem autem his acceptis literis, tametsi iam fama defectionis Regis ad eum peruenisset, tamen misisse ad eum, Gregorium Cardinalem Episcopum cum aliis Legatis, per quos eumdem moneret vt secundum promissa ad diem condictum se transferret in Forcheim, iudicium subiturus de obiectis ei criminibus; quandoquidem & ipse Pontifex eo ad hoc accelerare proposuisset: Regem vero dissimulantem quæ moliretur, se excusasse quod difficillimis Italiæ negotiis implicitus, haud posset infecta illa derelinquere, tamque breui tempore tanta terrarum spatia transcurrere: Itaque Pontificem misisse protinus in Germaniam Legatos suos Bernardum S. R. Ecclesiæ Cardinalem diaconum, & alium Bernardum Abbatem Massiliæ, qui Principibus congregatis renuntiarent omnia quæ gesta essent; seque Henrici diligentia ita circumuentum esse, vt præclusis omnibus itinerum transitibus, nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeret: proinde monere eos, vt suis rebus quaqua possent ratione mederentur, donec & ipse adempta itineris difficultate, ad eos accedere, & collatis in vnum consiliis, quid magis Reipublicæ expediret, secundum Ecclesiasticas leges decernere posset. Hæc Lambertus; hicque suæ imponit finem scriptioni: quo fidissimo duce nos carentes, cum qui adeo exacte res gestas digesserit, auctorem habeamus nullum huius temporis, præter Bertholdum qui postea nobis occurret; imposterum emendicare cogemur hinc inde ex iis qui tunc viuebant scriptoribus: namque à posterioribus veritatem petere, periculosum esse multoties experti sumus; quippe qui frequenter quod falsus rumor, vel vana opinatio, sæpe vero priuata affectio, & interdum assentatio suggessit animo, scripsisse inueniuntur ingenti præiudicio veritatis historicæ.

VI. HENR. ET GVIBERT. CONIVRANT IN GREGOR. ET MATHILD.

Igitur Domnizo presbyter in Rebus gestis Comitissę Mathildis, (quas licet rudi carmine, tamē vere & historice prosecutus est) narrat post hæc, dum adhuc Gregorius Papa moraretur in Gallia Cisalpina, (vbi tribus mensibus detentum fuisse ait) Regem Henricum, auctore Guiberto Archiepiscopo Rauennate, molitum insidias vt ipsum Pontificem atque Mathildem, sub specie cuiusdam colloquij intra fluuium Eridanum cum illis habendi, dolo caperet; sed detectis insidiis, ambos euasisse periculum. Quo etiam respicit, quod idem Pontifex in literis *d* ad Legatos suos, & ad Germanos postea scriptis, queritur se in Longobardia inter inimicos Christianæ religionis non sine magno periculo remansisse. Qui quidem cum interceptum omnino iter quod parauerat in Germaniam videret, recedens à Longobardia peruenit Romam mense Maii, vt idem Domnizo testatur; sed verius (vt ex ipsius literis apparet) mense Septembris.

d Greg. 4. ep. 23. 24.

VII. RVDOLPH. CREATVR REX GERMAN. ADVERSVS HENR.

Inter hæc autem Principes Germaniæ præuaricationem Henrici Regis, & molitiones aduersus Romanum Pontificem accipientes; inconsulto ipso Gregorio, *Rudolphum* Ducem Sueuiæ elegerunt in Regem, abdicato penitus Henrico; eumdemque Moguntiam ductum Sigefridus eius ciuitatis Archiepiscopus consecrauit. Habet ista Marianus Scotus. Porro se inscio ista esse peracta, Gregorius *e* postea iuratus asseruit; ex quibus redarguas falsitatis recentiores, & inter eos Albertum Stadensem, atque Helmoldum *f* in Rebus Slauorum, qui dixerunt Rudolphum promotum fuisse à Papa, & ab eo corona donatum. Nam & auctor anonymus eiusdem Henrici Regis familiaris, qui paulo post eius obitum Vitam ipsius conscripsit, seu potius Apologiam, dum omnem hanc de eiusdem accusatione, excommunicatione, priuatione, atque Rudolphi creatione, historiam breuiter narrat, modestius aduersus Pontificem agens, silentium tantummodo ei obiicit, dum post absolutionem Henrici Rudolphus regnum inuasit. Sed an tacuerit, docent eius epistolæ *ff* ad Legatos suos, duos Bernardos, necnon ad Germaniæ Episcopos & Principes, vbi primum ista facta cognouit, scriptæ; quibus plane innotescit, quam alieno ipse fuerit animo à discordia, & quantum desideraueuerit in Germaniam, si via patuisset, ad res componendas proficisci. Quinimmo & cum Henrici fautores contra ius gentium Legatos Apostolicos pacis sequestres cepissent, nempe in Longobardia Geraldum Episcopum Ostiensem, & in Germania Bernardum Abbatem Massilienſem; nihilominus idem Gregorius adhuc sustinuit pro bono pacis, & tantummodo vt remedia tantis malis quærerentur,

e Id lib. 7. post ep. 14.

f Helmold. lib. 1. c. 28.

ff Greg. 4 ep. 23. 24.

scripsit

scripsit ad Vdonem Archiepiscopum Treuerensem, ac eius Coepiscopos suffraganeos, pridie Calendas Octobris huius anni. Quæ autem post hæc secuta sunt, de confirmatione Rudolphi, aliisque ad hæc spectantibus, dicentur infertius suis locis.

VIII. PRODIGIA DE INNOCENTIA GREG. PP.

Essent autem hic attexenda insignia valde prodigia, quæ ad demonstrationem Gregorii Papæ iustitiæ & innocentiæ, ac confusionē iniustitiæ & impietatis Henrici Regis, eiusque fautorum, Deus in plerisque tum Episcopis tum potentibus laicis, dignatus est variis locis ac temporibus ostendere: sed ea breuitatis causa describere prætermittimus, quæ poterit qui ea cupit inspicere enarrata in anni huius periodo apud Bertholdum Constantiensem huius temporis auctorem, qui ad Hermannum appendicem elaborauit.

IX. MVLTIPLICES à GREG. DECRETÆ LEGATIONES.

Quo vero tempore tot Gregorius vallabatur angustiis, nihil interim remittens curæ Vniuersalis, cuius rector diuinitus constitutus erat Ecclesiæ; ob diuersa negotia Ecclesiastica, in diuersas prouincias Legationes misisse cognoscitur ex litteris de iis rebus scriptis *g* in Minorem Britanniam, Angliam, Galliam, Venetias, Aquileiam. Insuperque in Hispanias *h* misit Amatum Episcopum Olorensem, & Abbatem S. Pontij, cum litteris ad omnes Reges & Principes ibi dominantes, pro iuribus S. Petro oblatis, de quibus dictum est superius. Necnon in Corsicam *i*, Landulphum Pisanum Episcopum, cum eius insulæ habitatores redire vellent sub dominium Apostolicæ Sedis, vt ante erant. Ac deniq; mandauit celebrari *k Synodum Lingonensem* in Gallia, vbi de Inuestituris laicorum prohibendis sanciretur decretum, consentaneum iis quę ab Hadriano Papa fuissent in Octaua Synodo ea de re statuta. Quod enim minime tot Conciliis à tempore Leonis Papæ Noni, & successorum Pontificum in id incumbentium, destrui potuisset vllo pacto simoniaca ista Ecclesiasticarum rerum, beneficiorumque, à laicis fieri solita collatio: visum est Gregorio, ne ea res noua videri posset, Hadriani Papæ decretum, Oecumenicæ Synodi auctoritate communitum, in medium proferre. Et quamuis sciret, omnes se hac ex parte Christianos Principes passurum aduersarios; tamen inuicto plane sacerdotali pectore rem aggressus, eamdem anno sequenti in Romana Synodo decreto firmauit.

g 4 *ep.* 16. *& seqq. & lib.* 5. *ep.* 5. *& seqq.*
h 4. *p.* 28
i 5. *ep.* 2. *& 4.*
k 4. *ep.* 22. DE INVESTITVRIS LAICOR. TOLLENDIS AGI COEPTVM.

X. POENITENTIA PVBLICA REGIS DANIÆ.

Interea mortuus est hoc anno Rex Daniæ Sueno, cum non longe antea edidisset egregium publicæ pœnitentiæ exemplum, quo non solum priores Christianos Reges imitatus esse, sed etiam superasse visus est: quippe qui cum sacro Circumcisionis pernigilio solemni magnatum conuiuio feriatus, quotundam Principum clandestina obtrectatione parum honorate de se habitum comperisset sermonem; occultamque eorum per idiam temulentiæ lasciuiis detectam existimans, misisset qui ipsos matutino tempore intra sacram ædem oraturos confoderent; atq; ob eiusmodi sacri loci violationem, S. Willelmus Episcopus Roskildensium inter publica Missarum solemnia ipsum ad sacrarium de more accedentem baculo pastorali repulisset, & humani cruoris carnificem appellasset: continuo Regiam repetens, abiectis regiæ maiestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit, ac nudatis pedibus ad atrium ecclesiæ regressus, in eius se aditu prostrauit, donec Episcopus eo accedens, eumdem veniam suppliciter petentem, & satisfactionem promittentem, introduxit in ecclesiam: qui & rursum post biduum regio cultu ornatus, pariter inter ipsa Missæ sacra excelsam ædis partem conscendens, coram omnibus grauissima semet accusatione perstrinxit, accollaudata Antistitis indulgentia quod tanto crimini tam repente ignouisset, pro sceleris expiatione, muneris loco, vnius prouinciæ dimidium sacris aris cōtulit. Narrat hæc pluribus Saxo *l* Grammaticus, egregiam pœnitentiæ veræ figuram vero eloquentiæ penicillo colorans. Ceterum defuncto haud diu post Sueoni, successit maior natu filius Haraldus; ad quem mox Gregorius *m* Papa scripsit, monens defuncti patris animæ largis in pauperes eleemosynarum subsidiis, & Ecclesiarum orationibus succurrere: aliisque postea literis laudauit eiusdem studium atque obedientiam erga Romanam Ecclesiam.

l Sax. Gra. Hist. Dan. lib. 11.
m Greg. 5. ep. 10. & 7. ep. 21.

XI.

Hoc eodē anno, diu rebus Hungaricis fluctuantibus, defuncto Geisa Rege, electus est Ladislaus: de quo Gregorius *n* Papa ad Nehemiam Strigonienſem Episcopum scripsit, vt eum moneret de reddenda Sedi Apostolicæ debita per idoneos Legatos reuerentia. Id vero præstitisse Regem abunde, docent ipsius Gregorii redditæ ad eum postea literæ.

n 4. *ep.* 25.

XII. AGNETIS AVG. OBITVS.

Ad finem quoque anni, nempe die decimaquarta mensis Decembris, Agnes Aug. mater Henrici Regis, Romæ feliciter ex hac vita migrauit, sepultaque est ad basilicam S. Petri apud S. Petronillam: vt testatur Bertholdus Constantiensis; constatque ex epitaphio *o* eius sepulchro inscripto, quo traditur, eam decessisse anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, Indictione prima, anno quinto Pontificatus Gregorij Septimi, die decimaquarta mensis Decembris.

o *Edidit Virginius lib.* 3. *anti. Vatic.*

IESV CHRISTI AN. 1078.

GREG. VII. AN. 6.

NICEPH. BOTON. AN. 1.

I. ANNO Domini millesimo septuagesimo octauo, Indictione prima, Gregorius Papa contumaces, eosdemq; excōmunicatos, siue suspensos Episcopos & Abbates Longobardiæ & vicinarum prouinciarum, rursum ad Synodum Romæ celebrandam prima hebdomada Quadragesimæ, ad dicendam causam vocauit *a*; eosdemq; denuo venire contemnentes, in SYNODO Archiepiscoporum ferme cētum, habita in ecclesia Saluatoris quinto Nonas Martii, iterum damnans Guibertum Archiepiscopum Rauennatem, de quo superius, ac Thedaldum Archiepiscopum Mediolanēsem intrusum ab Henrico Rege, inaudita hæresi & superbia aduersus Sedem Apostolicam se extollentes, deposuit & antiquum in eos anathema renouauit: Rolandum illum, qui pro adipiscendo Episcopatus honore susceperat legationem conciliabuli Wormatiēsis in ipsum Gregorium, excommunicauit, & in perpetuum censuit indignum Episcopali dignitate: Hugonem Candidum Cardinalem, tertio factum apostatam & hæreticum, omni sacerdotali officio priuauit, & anathemate percussit: alioſque tam Ecclesiasticos quam laicos, ob varia delicta, contumaciasque, paribus censuris innodauit: ac denique nonnullos canones circa calamitates præsentium schismatum ac rebellionum sanciuit, quæ omnia videre est in Actis eiusdem Synodi inter Epistolas Gregorii hoc anno datas. Ex quibus etiam redarguas ea quæ siue à Mariano Scoto, siue ab alio leguntur ad eius Chronicon appositа, quæ nec per somnium contigerunt; nempe Gregorium priuasse regno Henricum, dedisseque Rudolpho: eumdemq; ipsum Gregorium à Rege Sedem Apostolicam accepisse.

a 5. *ep.* 13. CONCIL. ROM. CONTRA SCHISMAT. ETC.

II. BENNONIS INSCITIA.

Sed nec prætereundus Benno pseudocardinalis, qui aduersus Gregorii promulgatum in eadem Synodo decretum, quo ab excommunicatione remouit communicantes cum iis qui communicarent excommunicatis, in sua epistola in eum scripta multa habet plane delira, omni canonica scientia destituta, ac prorsus hærerica. Quod vero & in Liberium Papam declamat, eo quod communicauerit cum excommunicatis; quam & in hoc errauerit, constat ex iis quæ de ipso scripta sunt suo loco: vt plane cognoscas, si verum est quod affirmat, à Gregorio Papa præceptum vt Liberij festum celebraretur, non perperam factum. Sed homini mentiri solito, & in scriptione conferta mendaciis absq; teste aliquo ea asserenti, haud facile adhibenda fides. Recitat ex Bennone (qui Bruno corrupte apud ipsum legitur) Abbas Vrspergensis.

III. b 5. *ep.* 15. 16. CONCIL. ROM. IN

Ceterum prædicta Synodo absoluta, mox Gregorius de iis quæ in ea sancita fuissent, litteras *b* scribens septimo Idus Martij ad Episcopos & Principes Germaniæ, petiit vt Vdo Archiepiscopus Treuerensis qui Henrico fauebat, & vnus alius Episcopus ex parte Rudolphi, Romam venirent, vt Legati quos ipse in Germaniam ad discordias componendas missurus esset, securius cum illis ire possent.

Vbi

Vbi vero illi Romam peruenerunt, ibidem mense Nouembri SYNODVS celebrata est in ecclesia Saluatoris: cuius Acta summatim collecta extant inter eiusdē Gregorij epistolas *e*. Iisq; eōstat, inter alios excommunicatum fuisse Imperatorē Constantinopolitanum; atque eos qui Inuestituras Beneficiorum Ecclesiasticorum acciperent de manu Principum laicorum. Ac præterea fuerunt de variis rebus sanciti canones numero triginta tres. Sed & iurauerunt Legati Henrici & Rudolphi Regum, quisque pro domino suo, nullis dolis Conuentum Legatorum Sedis Apostolicæ in Germania habendum impeditum iri.

Sed quod ad Imperatorem Constantinopolitanum, eadem Synodo excommunicatum; fuit is NICEPHORVS cognomento *Botoniates*, qui tyrannice sibi Imperium vendicans, Michaelem cum Maria Augusta coniuge, filioq; Constantino Porphyrogenito, in monasterium relegauit. Coronatus autem ipse est à *Cosma* Patriarcha, qui paulo ante Ioanni Xiphilino defuncto subrogatus à Michaele fuerat, cum nuper Hierosolymis Constantinopolim aduenisset. Hæc pluribus Curopalates. Quod vero Michael cum Latinis cōmunicaret, dignum visum est Gregorio Papæ tyrannum inuasorem Imperij excommunicare. De pietate autem Michaelis, ex eius donis atque oblationibus Cassinum missis, habet nonnulla Leo *d* Ostiensis.

Inter alia quoque negotia, idem Gregorius aliquot Galliarum Archiepiscopos, nempe Rhemensem, Bisuntinum, Senonensem, Bituricensem, ac Turonensem, ab Apostolicæ Sedis Legato suspensos, eamdem Sedem appellantes, vt iterum auditentur constituit *e*. Ad ipsum autem Rhemensem *f*, priuilegio agentem quod nonnisi à Romano Pontifice iudicari eius causa deberet, aut ab eo missis Legatis, rescripsit priuilegia ab ea Sede concedi solita pro re, pro persona, pro tempore, pro loco, iterum pro isdem, si necessitas vel vtilitas maior exegerit, licenter posse commutari: sicut accidisse ait de Arelatensis Ecclesiæ antiquis priuilegiis, vel aliarum ciuitatum, quæ postea cessarunt, & aliis concessa sunt. Neque enim priuilegia debere sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed vtilitati sanctæ Ecclesiæ prospicere.

In fine quoque huius anni, nempe decimooctauo Calendas Ianuarij, idē Gregorius ad continēdos in fide Catholica populos extremos Orbis borealis, Danos atque Norwegos, litteras *g* dedit ad eorum Reges; vt quoniā propter longinquitatem terrarum, & maxime propter ignotas linguas, valde difficile esset eo mittere viros doctos ad erudiendum eos in rebus fidei, mitterent ipsi Romā nobiles id iuuenes instituendos sacris legibus, quas postea docerent in patria.

IESV CHRISTI AN. 1079.

GREG. VII. AN. 7.

NICEPH. BOTON. AN. 2.

ANNO Christi millesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, mense Februarij, *Romæ* ex more in Ecclesia Saluatoris celebrata est SYNODVS à Gregorio Papa: ex cuius Actis *a* constat, inueteratum dierum malorum, senem iam octogenarium, hæresiarcham Berengarium, sæpe reuocatum ad pœnitentiam, sæpeque relapsum, iterum veniam postulasse, & coram vniuersis abiurantem hæresim, iureiurando professum esse fidem Catholicam de substantiali conuersione panis & vini in veram & viuificam carnem & sanguinem Domini nostri Iesu Christi per consecrationem sacerdotis: eidemq; præceptum esse à Summo Pontifice, vt numquam amplius ea de re cum aliquo disputare auderet, nisi causa reducendi ad fidem eos quos ipse peruertisset. In hoc vero Concilio aduersus eum disputasse S. Brunum, siue Brunonem, doctrina & sanctitate hoc sæculo clarum, qui paulo post creatus est inuitus, sed cogentibus eum diuinitus ostensis visionibus, Signiæ Episcopus; eius Vitæ Acta testantur.

Extra Synodum autē foris existens schola Pharisæorum, schismatici Cardinales, (quos numero tredecim à Gregorio Papa recessisse, Benno illorum coryphæus in sua epistola aduersus eumdem Pontificem scripta asserit) monstruosas calumnias in Gregorium commenti, proclamarunt ipsum indixisse ieiunium vt Deus ostenderet quis rectius sentiret, Romanane Ecclesia, an Berengarius; ac de Corpore Domini signum à Deo quæsiuisse, quod olim petente S. Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigerat, quando panis Christi formam accepit digiti; nec tamen obtinuisse. Itemque eumdem Pontificem responsa diuina quærentem contra Henricum Regem, Sacramentum Corporis Domini præsentibus Cardinalibus iniecisse igni. Narrat hæc Benno, mendaciorum concinnator impudentissimus, isthæc & alia plura id genus excogitans, quo Gregorius iuste existimari potuisset depositus. Pariterque in sequentis anni *b* Conciliabulo, in quo depositio Gregorij præsumpta est, idē damnatus asseritur, quod esse diceretur antiquus Berengarij discipulus. Quid si ipsa Acta Concilij Romani non extarent, quibus eodem Gregorio iudice Berengarij error damnatus est, & ipse Berengarius eum damnare compulsus? Et quis credat, ipsum sacramento Eucharistiæ ad vetitam diuinationem publice abusum esse, aut aliquando Berengario adhæsisse, quem constat perquam magnifice, ac summa cum laude, de veritate ac virtute eius sensisse & scripsisse *c*?

In eadem Romana Synodo conquerentibus Legatis Rudolphi Regis aduersus Regem Henricum, quod omnia sacra profanaret, sacerdotesque & Episcopos partim vinculis manciparet, partim trucidaret; complures ex Patribus censuerunt eumdem Henricum excommunicandum esse: sed distulit Gregorius, quousque in Colloquio ea de re in Germania à Legatis Apostolicę Sedis habendo, definiretur de iure vtriusque Regis: quorum interim Legati qui Synodo interfuere, iurauerunt ex præcepto dominorum suorum, eos per omnia obtemperaturos iudicio Legatorum Romanorum. Narrantur ista in isdem Actis Synodi. Quæ vero secuta sint, narrat ipse Gregorius in decreto *d* excommunicationis promulgato anno sequenti; quo innotescit, Henricum Regem hoc eodem anno contra iusiurandum impedisse ne Colloquium indictum fieri posset. Rebus enim bellicis ei prospere contra Rudolphum succedentibus; contemnere prorsus cœpit Gregorium, quem hactenus, timens sibi regnoque suo, se colere simulauit. Porro in hac eadem Synodo Legationem Germanicam iniunctam fuisse Petro cognomento Igneo, Cardinali Episcopo Albanensi, eique adiunctum Vdalricum Episcopum Patauinum, tradit Bertholdus. Denique renouatum est anathema in quosdam Episcopos iam antea excommunicatos; aliaque diuersorum Antistitum agitata, quæ docet epistola eiusdem Gregorij tum de iis data.

Hoc eodem anno, quarto Nonas Ianuarij, idem Gregorius Papa scripsit *e* ad Berengarium Gerundēsem in Hispania Episcopum, pro concordia concilianda inter filios Raymundi Berengarii, nuper defuncti Comitis Barcinonensis, præstantis viribus atque consiliis aduersus Saracenos; quos ex ea filiorum discordia reualescere, & vires resumere, Gregorius pertimescebat. Ex his vero redarguas eos, qui Raymundi Berengarii tempora longe post hæc posuerunt; itēque illos, qui Raymundum Berengarium vnum Principem diuiserunt in duos. Eadem quoq; die scribens *f* ad Hugonem Cluniacensem Abbatem, multum questus est quod calamitoso isto tempore, quo difficile esset bonum reperire Principem, recepisset in monachum, insignem quemdā Ducem, valdeque probum, quem ad plurimorum salutem præstitisset in sæculo commorari, cum non deessent quamplurimi ex omni hominum genere monachi, qui in cœnobiis Deo seruirent. Mense vero Aprilis, Gebuino *g* Lugdunensi Antistiti confirmauit priuilegiū super quatuor prouincias, nēpe Lugdunensem, Rotomagensem, Turonensem, & Senonēsem, quibus præesse deberet Archiepiscopus Lugdunensis: deq; his scripsit ad earumdē prouinciarū Episcopos.

Cum autem hoc eodem tempore Guillelmus Rex Angliæ, Episcopos omnes sui regni prohibuisset ad Limina Apostolorum accedere; idē Gregorius mense Septembris per Hubertum *h* S. R. Ecclesiæ Subdiaconum, Legarum Apostolicæ

SCHISMATICORVM MENDACIA IN GREC. DE FIDE S. EVCH.

b Vrsperg. in Chron. an. 1080.

c Greg. 1. ep. 47 ad Mathild.

III. LEGATI REGVM GERM. QVID IN SYNODO EGERINT.

d lib. 7. post ep. 14.

IV. *c 6. ep. 16.*

f 6. ep. 17. DVCEM OPTIMVM FACTVM MONACH. DOLVIT GREG.

g 6. ep. 34.

V. GVIL. REX ANGLIÆ CORRIPITVR A GREG. *h 7. ep. 1.*

I. *a Ad. Greg. lib. 6. post ep. 17.* CONCIL. ROM. IN QVO BERENG. DE IVDABIVRAT HAERES.

II.

IV. IMPER. CONST. EXCOMVN. GREG. VII.

d Leo Ost. lib. 3. c. 38.

V.

e Greg. 5. ep. 17. 22. 6. ep. 2. PRIVILEGIA A ROM. PONT. CONCESSA AB EODEM POSSE AVFERRI.

VI. SVEDIVM GREG. ERGA DANOS ET NORVEG. *6. ep. 13.*

stolicæ Sedis, illum ea de re admonendum curauit; iussitque vt ex vnoquoque Archiepiscopatu saltem duos Episcopos Romam ad Synodum anno proximo celebrandam venire præciperet. Porro acquieuisse Regem, immo & vna cum redeunte Huberto suos Legatos ad satisfaciendum Romam misisse, docent literæ *i* eiusdem Gregorii ad eum anno sequenti redditæ; quem & præ cæteris Principibus tempore illo turbulentissimo perstitisse constat in obedientia Apostolicæ Sedis. Est tamen inter Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis literas, eiusdem Regis ad eumdē Pontificem scripta breuis epistola; qua eum pecuniam S. Petro annuatim solui solitam mittere non recuset, tamen fidelitatem quam ab eo Gregorius per eumdem Legatum Hubertum exegerat, omnino præstare renuit: quod ægro animo idem Pontifex *k* tulit.

i 7. ep. 23. 25.

k 9. ep. 1. ad Hubert.

VI. Eodem anno (vt habet Saxo *l* Grammaticus) Haraldus Rex Daniæ, vbi duobus regnasset annis, ex hac vita decessit: in cuius locum germanus eius Cnutus siue Kanutus, successit, qui statim ad Gregorium Papam legationem misit, qua obedientiam ei promisit, significauitque cupere se à Romana Ecclesia institui & erudiri. ad quem Gregorius hoc anno mense Octobris literas *m* reddidit, paternæ charitatis affectu plenas: sed in ipsarum inscriptione, librarij puto vitio, nomen ipsum Regis mendose legitur Acono, pro Kanuto. Ad quem etiam anno sequēti alias idem Pontifex literas dedit *n*, laudans eius erga Romanam Ecclesiam studium & obseruantiam, hortansque ad contemptum sæculi. de cuius martyrio dicetur suo loco. Eodemque mense idem Pontifex Legatum misit in Hispanias pro negotiis Ecclesiasticis, Richardum Cardinalem Abbatem Massilienſem; cui & literas dedit ad Alphonsum Regē, cum aurea clauicula, more maiorum, ramentis Catenarum S. Petri referta; hortans eum ad contemptum rerum huius sæculi, & amorem æternarum. Sequenti vero mense Nouembris, Amato Olorensi Episcopo Legationem in Minorem Britanniam commisit *o* ad *Concilium* ibi celebrandum, ea potissimum occasione, vt falsas pœnitentias proscriberet, quibus hactenus populus seducebatur, dum absque aliqua peccatorum emendatione peccantes in iisdem peccatis perseuerantes absoluebantur: quod & anno superiori in Romano Concilio fuerat canone sancito correctum, & anno sequenti fuit pariter in alia Romana Synodo confirmatum.

l Sax. Gra. Hist. Dan. Lib. 11.

m 7. ep. 5.

n 7. ep. 21. GREG. HORTATVR REGES AD CONTEMPTVM SÆCVLI.

o 7. ep. 10. FALSA PŒNITENTIA PROSCRIBENDA.

VII. Quo eodem anno sanctissimus *Stanislaus* Cracouiensis Episcopus, quod Boleslaum Poloniæ Regem, de grauissimis delictis sæpissime redargutum, ac vitam emendare contemnentem, sententia excomunicationis perculisset; ab eo crudelissime cæsus est, dum in altari Deo Missæ sacrificium offerret, die octaua mensis Maii: quem plurimis miraculis tam viuum quam mortuum illustratum, Innocētius Papa Quartus solemni ritu publice colendum indixit: eius autem præclare res gestas, & martyrium præclarius obitum, ex antiquioribus monumentis Longinus Polonicæ Historiæ inseruit, & seorsum copiosissime conscripsit. Cum vero ipsius cædes ad Gregorium Papam peruenisset; idem post maturam deliberationem, vniuersam Gnesnensem prouinciam, sub cuius Metropoli Cracouia esset, generali interdicto supposuit; ipsumque Regem Boleslaum, & Poloniæ Regnum, omni honore, & dignitate regali priuauit, omnesque subditos obedientiam ei exhibere vetuit. Cuius sententiam mox secuta est diuina executio; cum post alia mala ipse Rex, vt alter Cain, factus est profugus super terram, demumque versus in insaniam; ac dum errabundus vagaretur, morte præuentus à canibus est deuoratus, anno Domini millesimo octogesimo primo. Narrat hæc omnia pluribus Longinus.

S. STANISLAI EPISC. CRACOVIENSIS MARTYRIVM.

SENTENTIA GREG. PP. IN REG. POLON. OB NECATVM STANISL.

IESV CHRISTI AN. 1080.

GREG. VII. AN. 8.

NICEPH. BOTON. AN. 3.

I. a 7. ep. 11. ANno Christi millesimo octogesimo, Indictione tertia, quarto Nonas Ianuarii, Gregorius *a* Papa Vratislaum Boemiæ Ducem, participantem cum excommunicatis redarguit, & quod ille rogauerat de licentia celebrandi diuini Officij lingua Slauonica, omnino denegauit. Eodemque mense, Theodoricum *b* Virdunensem Episcopum monuit, congregare Synodum aduersus Arnulphum Comitem grassatorem, qui Henricum Leodiensem Episcopum ad Limina Apostolorum venientem deprædatus fuerat, ac iurare coegerat non repetere quod amiserat.

NOLVT GREG. LINGVA SCLAVONICA DIVINVM OFF. CELEBRARI.

b 7. ep. 13. 14.

Mense vero Martii *Romæ* CONCILIVM ex more celebrauit; in quo (vt habent eius Acta *c*) multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmauit; atque inter cetera, decretum contra Laicas Inuestituras, & anathema in schismaticos, aliosque contumaces: canonesque edidit de vera pœnitentia, ac de restituenda legitima Episcoporum electione. Nouissime autem in Henricum Germaniæ Regem anathema promulgauit, in quod ipse multiplici nomine Apostolicæ Sedi contumax atque periurus, seipsum sæpius implicuisset: quem cum Gregorius iam triennio toleraſſet, adeo vt tanta eius patentia ipsummet cum graui scandalo totius Ecclesiæ, in suspicionem *d* adduxisset tacitæ cum eodem Henrico conniuentiæ; coactus tandem eum, omnesque fautores eius excommunicationis vinculis alligauit, omnique potestate & dignitate regia priuauit, & cunctos subditos à iuramento fidelitatis absoluit: Rudolphum vero, quem Teutonici Regem elegissent, confirmauit, ac coronam ei misit cum hac inscriptione.

II. CONCIL. ROM. c *Ibid. post ep.* 14.

HENRIC. REX. DENVO EXCOMMUNICATVR. ET DEPONITVR.

d *Vid. Greg.* 7. ep. 3.

RVDOLPHVS REX CONFIRMATVR

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho. Errant enim qui coronam tunc missam tradunt, cum à Præsulibus ac Principibus Germanis Rex fuit nominatus. Nam ipso teste Gregorio, numquam vsque in hanc diem ab Apostolica Sede fuerat in Regem confirmatus; expectante conuocari Concilium, in quo de vtriusque Regis iuribus ageretur.

Post hæc autem Henricus, habito cum suis Episcopis ac Principibus eadem sententia excommunicatis, consilio de dimouendo è Pontificatu Gregorio; locum ei rei perficiendæ delegit Moguntiam: sed cum decem & nouem dumtaxat eo cōuenissent Episcopi, alius commodior locus, quo turba in vnum coiret schismaticorū tam ex Germania quam ex Italia, *Brixia*, seu Brixino in Noricis, constitutus est. Quem locum describens S. Anselmi Lucensis Episcopi presbyter Pœnitentiarius in eius Vita, ait fuisse horridum & asperrimum in mediis niualibus Alpibus, vbi fames assidua, frigus pene sempiternum, altissimis circumdatum scopulis, vbi vix etiam nomen obtineretur Christianitatis.

II. MOLITI NESSCH. SMATICORVM ADVERSVS GREG.

Illic igitur conuenientes septimo Calendas Iulii cum Henrico triginta Episcopi, & multi Italiæ ac Germaniæ proceres, sententiam depositionis in Gregorium absentem, & minime vocatum, pronuntiarunt; quod (vt habet ipsorum ea de re decretum) Sedem Apostolicam malis artibus inuasisset, Ordinemque Ecclesiasticum subuertisset, & Christiani Imperii regnum perturbasset; discordias inter omnes seminasset, ac Regi Catholico mortem corporis & animæ intentasset. Quæ vero post hæc in eodem decreto addita habentur de sacrilegiis, hæresibus & magia eiusdem Gregorii; quamquam & ea Conradus Vrspergensis Abbas, & ipse à partibus schismaticorum stans, avide suscepit: tamen qui ipsius Henrici Vitam conscripsit, eidem à secretis inhærens, immo pro domino suo potius Apologiam concinauit, hoc tantum asserit; cum Rex quæreret causas & occasiones omaliter Gregorium eiiceret, hoc dumtaxat inuenire potuisse, quod Romanam Sedem olim abiuratam insedisset; abiurasset autem, quia dum Archidiaconus esset, adhuc viuente domino suo, ad eam per ambitionem aspirare voluisset. Quinimmo & hoc ipsum adeo dubie idem auctor refert, vt maluerit (sicut ait) rem in medio relinquere, quam incertam defendere aut affirmare. Denique nec de aliis illis impudentissimis calumniis, vlla est mentio in illa virulenta epistola, quam post pseudosynodum Henricus scripsit ad Gregorium, quæ cusa habetur post eiusdem Henrici Vitam antiquitus scriptam; sed tantum ipsum malis artibus Pontificatum adeptum esse, & in Episcopos contumeliosum extitisse, ipsumque Henricum deponere tentasse. Verum & quam iuste hæc ei obiecta fuerint, vt ob ea deponi deberet, satis docent quæ superius de eius rebus gestis, ac literis scriptis dicta sunt.

IV. DECRETVM CONCILIABVLI BRIX.

V. e [Proisto Conciliabulo stylũ acuit contra Baron. *Goldastus*, sed eum rudit *Grotianum c.25.* Apologiæ de qua dictum est ad an.774. post num IV.] GVIBERTVS ANTIPAPA.

Cum autem in illo satanico e conuenticulo ab iisdem schismaticis creatus esset Antipapa Wigbertus, siue Guibertus, sæpius antea excommunicatus pseudoarchiepiscopus Rauennas cui nomen impositum est *Clementi*, Henricus (inquit Bertholdus) totam Italiam adeo conturbauit, vt nullus securus ire posset, qui non prius abiuraret, quod ad Papam Gregorium diuersurus non esset. Decretæque sunt ab eodem Henrico pro Guiberto legationes in omnes prouincias, & inter alias in Angliam: vbi tamen haud receptum esse Legatum missum, docent increpatoriæ literæ ad eundem Legatum redditæ à Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi.

VI. VIRI DOCTI ET SANCTI SCRIBVNT CONTRA GVIBERTVM. *f Ext. ap. Canis. antiq. lect. tom. VI.*

Statim enim, vt apparuit bestia exaltata super Cathedram Petri, ad confodiendam illam gladio verbi Dei insurrexere viri doctissimi vitaq; sanctissimi. Inter quos primum tenuit locũ S. Anselmus Episcopus Lucensis, dum pro defensione Gregorii veri Pontificis Apologeticum conscripsit *f* duobus libris distinctum, aduersus Guibertum præuaricatorem, cæterosque schismaticos: cuius fragmentum recitat Vrspergensis, ac licet schismaticus, tamen potentia veritatis coactus est fateri, eum qui Guibertum adeo exagitauit Anselmum fuisse virum literis apprime eruditum, ingenio acutissimum, facundia præcipuum, atque in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimum, ita vt tam in vita quam post mortem claruerit miraculis. Sed & Deus dedit presbyter Cardinalis Tituli SS. Apostolorum in Eudoxia, scribens eiusdem Schismatis occasione ad Victorem Papam huius Gregorii successorem, egregium commentarium de Priuilegiis Romanæ Ecclesiæ, (qui extat in Vaticana Bibliotheca, *Collectio canonum* nominatus) declamat auctorem Schismatis fuisse Guibertum iam depositum, & sæpe excommunicatum Archiepiscopum Rauennatem, iam antea schismatis Cadaloici antesignanum tempore Alexandri Secundi. Et qui prædicti Anselmi Res præclare gestas conscripsit presbyter eius Pœnitentiarius, multum pariter inuectus in eundem Guibertum, periurum & patricidam, (vt vocat) docet insuper promotorem eius fuisse Hugonem illum Cardinalem cognomento Candidum, cuius superius facta est mentio, nigerrimum (vt ait) mente, ac dudum pro suis sceleribus iuste excommunicatum & abiectum

VII. ROBERTVS GVISCARDVS SE SVBIICIT ECCL. RO. *g Greg. lib. 1. epist ep. 1.*

Denique accidit plane vt eo arctius iungeretur suę Ecclesiæ CHRISTVS auctor ipsius, quo execrabilius ab vnitate corporis discinderentur tabo corrupta membra putentia. Siquidem cum septimo Calendas Iulii sacrilegum illud decretum de Gregorii abrogatione editum esset; post triduum, nempe tertio Calendas Iulii, Robertus ille Guiscardus, hostis implacabilis Romanæ Ecclesiæ, & inuasor bonorum eius, ob idque sæpe cum suis Northmannis ab eodem Gregorio in singulis ferme Conciliis Romanis excommunicatus; sponte veniens se ei subiecit, præstititque *g* iuramentum fidelitatis pro Apulia, Calabria, ac Sicilia, cum constitutione census annui duodecim denariorum monetæ Papiensis pro vnoquoque iugo boum, soluendi quotannis in die Resurrectionis Domini: adeoque se ipsius Gregorii & vniuersæ Romanæ Ecclesiæ propugnatorem fidelissimum exhibuit, vt tandem (sicut videbitur) ipsum superauerit Henricum Regem, & cum eo pepulerit ab Vrbe Petri Cathedræ peruasorem.

VIII. *h 8. ep. 5.* *i 8. ep. 7.* *k 8. ep. 12. 13. 14.* *l 8. ep. 9.*

Porro vbi accepisset Gregorius, quod factum esset in conuenticulo Brixinensi; paucis post diebus de iis omnibus ad fideliores Episcopos sub eodem Duce Roberto, & aliis Campaniæ Principibus constitutos, literas *h* dedit, quibus ab eis preces & auxilium petiit. Idemque fultus auxilio eorundem, aliorumque Principum, expeditionem *i* publicauit ad vendicandam armata manu à tyrannica Antipapæ occupatione Rauennatem Ecclesiam. Sed tepescente hoc animi ardore, fortasse quod pœnituerit rem armis agere; haud tamen cessauit literis *k* procurare, vt eiusdem Ecclesiæ legitimus eligeretur Antistes, & vt electus postea Romæ Richardus magnæ vitæ æstimationis, ibi reciperetur. Qui & ad omnes clericos ac laicos communionis Apostolicæ in Germania constitutos scribens *l* decimo Calendas Octobris, monuit victoriam de hostibus sperandam esse, si Deus placetur per veram pœnitentiam peccatorum, & correctionem morum.

Idibus autem Octobris apud Elstram fluuium pugnatum esse, ac licet vincentibus Saxonibus, tamen occisum esse ipsorum Ducem Rudolphum Regem, testatur Marianus Scotus: eademque de nece Rudolphi hoc anno Vrspergensis, Sigebertus, & alii; qui fauentes Henrici causæ, pœnituisse tradunt Rudolphum in ipso exitu, quod contra Henricum insurrexisset, confessumque esse, dexteram qua ipsi iurauerat iusto Dei iudicio abscissam se pati. Ex his autem calumniæ occasio oborta est, vt dicerent aduersarii, falsum vatem Gregorium esse probatum, quasi tam in ipso decreto excommunicationis, quam aliis literis, prænuntiasset Henricum proxime defungendum, & alia plura id genus. Verum, quod certus esset Gregorius quam iustissimam tueri se causam, Henricum vero nitι sceleribus, magna fiducia Deum præsto fore defendentibus Dei causam asserere non dubitauit. Nec quidem dici potuit esse mentitus, si finis totius certaminis attendatur. Vicit enim plane Ecclesia tandem, vicereque Pontifices Orthodoxi, dum post infelices Schismaticorum victorias, (nihil enim infelicius felicitate peccantium) in tempore aduenies vltio diuina eosdem penitus prostrauit, & miserorum ossa è monumentis effodit; vt videbitur suis locis.

IX. RVDOLPHVS REX OCCISVS IN PRÆLIO.

Interim miranda plane consideranda est rerum conuersio, quod dum filius Romanæ Ecclesiæ Rex abscinditur schismate, schismaticus Imperator eius quærens coniunctionem, ab ea imploret auxilium. Siquidem iisdem ferme diebus Michael Imperator Constantinopolitanus, ante triennium à Nicephoro (vt vidimus) detrusus in monasterium, indeque Ephesinus creatus Episcopus, fuga lapsus se cõtulit in Italiam, suppetias petiturus à Romano Pontifice, atque Northmannis, vt restitueretur in pristinum statum. Quæ cum ex Gregorii literis *m* ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ pro decernenda in Orientem expeditione scriptis, satis pateant; à Græcis tamen historicis prætermissa noscuntur. Eadem vero haud inaniter inchoata, efficaciter promota sunt, cum Robertus Guiscardus anno sequenti in Græciam profectus est. Ex quibus quidem admodum laudes, æstuantem Christiana charitate sanctissimi Pontificis animum; qui dum pateretur in Occidente Regem potentissimum aduersarium, nihilominus de restituendo in Orientem electo Imperatore ita laborauerit.

X. MICH. IMP. CÕST. CONFVGIT AD GREG. PP. *m 8. ep. 6.*

Eodem quoque anno, cum Alphonsus Hispaniarum Rex Ordinem Romanum persuasione cuiusdam Roberti Cluniacensis monachi recipere detrectaret, necnon vxoris suæ defunctæ consanguineam in coniugem accipere cuperet; aduersus ista idem Pontifex acerrimus vindex canonum exurgens, acres commonitorias literas *n* ad eundem Regem scripsit; aliasque *o* ad Richardum Cardinalem Legatum suum, qui indigna quædam ab ipso Rege, quod ei constanti animo restitisset, passus fuerat; necnon ad *p* Hugonem Abbatem Cluniacensem contra Robertum monachum, quibus etiam asperiores in ipsum Regem excommunicationis minas intexuit, easdemque ipsi Regi denuntiandas præcepit. Vt rursum magna sit admiratione dignus, qui adeo celso & inuicto animo perstiterit inter moles angustiarum; vt cum magis premeretur à Principibus, in alios Principes, quos sibi allicere debuisset, nihil remiserit Ecclesiasticæ seueritatis, & constantiæ sacerdotalis; satis ducens à partibus suis veritatis & iustitiæ defensorem astare Deum, in cuius manibus sint corda Regum.

XI. GREG. COMMINATVR EXCOMM. IN ALFONSVM HISP. REGEM. *n 8. ep. 3.* *o 8. ep. 4.* *p 8. ep. 2.*

Quamobrem & constat à Catholico Rege Alphonso in omnibus cumulate satisfactum esse Gregorio, dum vna cum suis suscepit seruandum in diuinis Officiis Romanum Ordinem; exploso Gothico, in quo quædam contra Catholicam fidem inserta essent; & vxorem diuersam à consanguinea defunctæ coniugis accepit: insuperque, vt Ecclesiæ Romanæ se arctius insinuaret, munera misit regia digna munificentia ad S. Petrum. Constant enim ea de coniuge, ex his quæ scribit Tudensis; qui quatuor numerans illius Regis vxores, nullas earum inter se consanguinitate coniunctas ostendit: itemque Pelagius, qui recenset quinque, alii vero sex eiusdem vxores. De missis autem muneribus, & recepto Romano Ordine, testis est ipsius Gregorii *q* ad eundem Alphonsum rescripta anno sequẽti epistola, cum de his omnibus Rex ad ipsum literas scripsisset: ex quibus imprimis

XII. ALFONSI EMENDATIO. *q 9. ep. 2.* ROM. ORDO RECEPTVS IN HISPANIA, EXPLOSO GOTHICO

corrigas, quæ de nunquam ablegato ab eodem Rege, sed retento, ac miraculo comprobato Officio Gothico, complures Rerum Hispanicarum Scriptores affirmant. Pariterque ex eo, quod iisdem literis Gregorius agit de constituendo Archiepiscopo alio, quam eo quem Rex proposuerat; (qui licet satis prudens & liberalis videretur, tamen literalis scientiæ peritia indigebat:) emendes eosdem, qui Toletum captum ab Alphonso tradunt anno Christi millesimo octogesimo quinto; cum ista iam hoc tempore facta fuisse, eædem ipsius Gregorii literæ manifesto sint argumento: nisi quis dicere velit, de alio aliquo Archiepiscopo potius quam de Toletano eum locutum esse. Si vero de illo egerit, constat & in hoc paruisse Alphonsum, vt ex eiusdem Pontificis consilio alius eligeretur Archiepiscopus Toletanus: quippe creatus est externus homo, natione Gallus Aquitaniæ prouinciæ, professione monachus Cluniacensis, ab Hugone missus in Hispaniam Abbas monasterii Sancti Facundi, ad reuocandos monachos in pristinum Sancti Benedicti ordinis cultum, nomine Bernardus, sanctitate celebris, atque scientia tanto muneri haud impar. Denique sub eodem Gregorio Septimo ista facta esse de recuperatione ciuitatis Toletanæ, & electione Bernardi Archiepiscopi, ex antiquis monumentis illius Ecclesiæ testatur in sua Collectione Conciliorum Hispaniarum, Garsias Loaisa eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus, & alii.

BERNAR. ARCHIEP. TOLET.

XIII.

Hoc item anno idem Gregorius Papa accepta ab Anglorum Rege Guillelmo legatione, rescripsit *r* ad eum de suis ærumnis; hortatusque est, vt sicut gemma Principum esse meruisset, ita regula iustitiæ, & erga Romanam Ecclesiam obedientiæ forma, cūctis terræ Principibus esse mereretur. Scripsit etiam *s* ad Regem Sueonum, ea occasione quod Euangelii prædicatores ex Gallia suscepisset; & monita salutis eidem impertiuit.

r 7. ep. 23.

s 8. ep. 11.

XIV. LEGATIO AB ARMENIORVM PATRIARCHA AD GREG. PP.

Eodemque anno venit Legatio Romam ex Oriente ab Armeniorum Patriarcha, qua functus est Ioannes presbyter, insectatus hæreticum quendam ex Armenia pulsum, ab ipso Papa Romæ iam damnatum. de quibus extant literæ *t* Gregorii ad Episcopum Beneuentanum. Ea vero occasione idem Pontifex scribens *u* ad eundem Armeniorum Antistitem, enumerat ipsorum errores à quibus abstinere deberent, quamuis negaret Legatus eos illis esse implicitos: nempe, Quod non miscerent in sacrificio aquam vino: Quod sacramentum Chrismatis non balsamo, sed butyro conficerent. Quod Dioscorum hæreticum multis antea sæculis condemnatum colerent: ac demum, Quod sacro Trishagio more hæreticorum Crucem adderent. Laudat autem, quod ex antiquo Ecclesiæ ritu Eucharistiam in azymo conficerent, ob idque Græcos infestos experirentur.

t 7. ep. 26.

u 8. ep. 1.

XV. DE INVENTIONE CORPORIS S. MATTH. SALERNI.

Sed & non absque diuinæ prouidentiæ nutu factum quis dicere poterit, vt hoc eod. m tempore Salerni in Italia inuentum fuerit venerandum corpus S. MATTHÆI Apostoli; quod illuc longe antehac translatum, & ob varia bellorum discrimina occultatum, ex memoria hominum iam effluxerat. Magno namque dispensationis consilio voluit Deus suum Apostolum innotescere, antequam illuc Apostolicus confugeret exul ibi Christo spiritum redditurus; vt susciperet hospitio, & iungeret sepultura, quem tyrannica persecutio fecisset extorrem Christi Vicarium, Principis Apostolorum successorem, vindicem Ecclesiasticæ libertatis, restitutoremque diu exulis disciplinæ. Sic enim & immenso fatigato labore ex persecutione Imperatricis Arianæ S. Ambrosio, sese Martyres Geruasius & Protasius prodidere rediuiui in auxilium, quo Fideles non dubitarent certantibus pro Ecclesia cœlites præsto esse. Cæterum de ista S. Matthæi corporis inuentione, qua ingenti omnes affecti sunt gaudio, est epistola *x* eiusdem Gregorii ad Alphanum Archiepiscopum Salernitanum, virtutibus *y* atque doctrina celebrem, rescripta decimoquarto Calendas Octobris, cum ab eo fuisset de illa certior redditus. Cuius etiam Alphani consilio & hortatione, Robertus Dux Northmannorum basilicam eidem sancto Apostolo constrvxit ibidem Salerni, vt docent antiqua eius monimenta.

x 8. ep. 8.

y Vid. Leon. Ost. lib. 3. c. 6. & 7.

XVI. CONCIL. LVGDVN.

Ad finem autem vergente anno, celebratum est in Gallia CONCILIVM LVGDVNENSE, cui præfuit Apostolicæ Sedis Legatus Hugo Diensis Episcopus: in quo Manasses Archiepiscopus Rhemensis, iam antea damnatus atque depositus, rursus eandem damnationis sententiam accepit. Qua de re extant *z* Gregorii Papæ scriptæ ad ipsam Rhemensem Ecclesiam, necnon ad Comitem eius loci, Episcopos suffraganeos, ipsumque Francorum Regem Philippum epistolæ. Hunc autem Hugonem Diensem translatum fuisse in cathedram Lugdunensem, testantur *Acta a* Sancti Hugonis Episcopi Gratianopolitani; qui hoc eodem anno in alio *Concilio* celebrato *Auenione* ab eodem Hugone Legato, creatus Episcopus, sedit annos quinquaginta duos; de quo rursum inferius. Sed & hoc ipso anno (vt habet Sigebertus) celebrata per eundem Legatum *Meldensi Synodo*, depositus est Vrsio Suessionensis Episcopus, & in eius locum ex monasterio Sancti Medardi inuitus suffectus *S. Arnulphus:* cuius diuinitus factam electionem, & alias eiusdem præclaras res gestas, plurimaque tam in vita quam post mortem edita miracula, sed & prædictiones quæ ex ipsius spiritus prophetici præscripto euenerunt, ac denique mirabilem piissimumque transitum, prosecutus est omni fide eius successor Lisiardus *b*.

z 8. ep. 17. 18. 19. 20.

a Ap. Sur. 2. April.

CONCIL. AVENION.

CONCIL. MELDEN.

b Ap. Sur. 15. Aug. & ap. Baron. hoc ann. & 1087.

Quod spectat ad res Orientales Ecclesiæ; hoc etiam anno Nicephorus Imperator post superatos diuersos insurgentes tyrannos, tandem quæ fecit & ipse passus, ab ALEXIO COMNENO in monasterio detrusus est. In quo Ioannes Curopalates finem suæ imposuit Historiæ; quam Cedrenus & Zonaras in suos retulere commentarios. Cum vero ista agerentur in Nicephorum, tradit Leo *c* Ostiensis Malphitanum quendam nobilem, partem exiguam ligni salutiferæ & viuificæ CRVCIS, auro & lapidibus pretiosis ornatam, & in aurea icona locatam, de palatio Constantinopolitano sustulisse; & in Italiam redeuntem, in monasterio Cassinensi collocasse.

XVII. NICEPH. IMP. PELLITVR, ET ALEXIVS COMN. IMPERAT.

c Leo Ost. lib. 3. c. 54.

IESV CHRISTI AN. 1081.

GREG. VII. AN. 9.

ALEXII COMN. AN. 1.

I. a Greg. lib. 8. epist. Dom. Z. in Vit. Mathild. CONCIL. ROM.

ANno Christi millesimo octogesimo primo, Indictione quarta, Gregorius Papa ex more initio Quadragesimæ SYNODVM habuit *a in basilica Lateranensi*, in qua inter cætera sententiam depositionis & excommunicationis in quosdam Episcopos, & Henricum dictum Regem, ac Guibertum Antipapam, eorumque fautores, iterum promulgauit.

II. REGES EXCOMMVNICARI POSSE A ROM. PONT.

Cumque aduersarii addentes ad schisma priuatam hæresim, vanum illud excogitassent prætextum, non posse à Pontifice excommunicari vel deponi Regem, cui esse obediendum præcepissent Apostoli; eorum hanc sententiam idem Pontifex iisdem prope diebus plenius confutauit auctoritate Scripturæ & Patrum, prolixam ea de re Idibus Martii scribens epistolam *b* ad consultationem de his factam ab Herimanno *Episcopo Metensi, qui præ cæteris vltra montes positis Episcopis semper aduersus schismaticos pro sede Apostolica stetit defensor imperterritus, licet multa ob id passus sit ab eis qui Regi inhærerent. Sed & cum Episcopus Patauiensis, & Abbas Hirsaugiensis, & ipsi studiosissimi Apostolicæ Sedis, cuius Legationis munere idem Patauiēsis Antistes fungebatur in Germania, significassent, quinam esset rerum status in partibus illis; Gregorius vicissim ad eos paulo post Synodum rescribens *c*, quænam Italicarum rerum esset conditio, quove ipse esset compositus animo ad pacem ineundam, vel bello resistendum, aperuit: illudque præcipue admonuit, in eligendo nouo Rege melius esse cunctari, vt ad honorem Sanctæ Ecclesiæ, & Christianæ Religionis defensionem, prouideretur idoneus, quam nimium festinando aliquis eueheretur indignus: additque formam iuramenti obedientiæ & fidelitatis erga Romanam Ecclesiam, quod præstare deberet, qui eligendus esset.

b Greg. 8. ep. 21.

c 8. ep. 5.

[* Consuluit vero pariter idem Herimannus alios magnæ existimationis viros, siquidem nuper a Seb. Tengnagel edita est S. Gebh. ad Archiep. Salisburg. epistola ad eundem Herimannum super eiusmodi consultatione conscripta.]

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

III. HENRICI ROMAM ADVENTVS HOSTILIS. d 9.ep.11.

Interea vero Henricus, cum nece Rudolphi cerneret in Germania res suas in tutiorem statum redactas, aduenians in Italiam cum parua manu, vix focum ab his per quos trāsiret habere potuit; vt quidem Gregorius Papa significauit per literas *d* Desiderio Abbati Cassinensi. Progressus tamen (inquit Albertus Stadensis) Romam aduenit habens in comitatu suo Liemarum Bremensem Archiepiscopum, penes quem tunc summa consilii erat: & resistente ei Papa cum Romanis, ante castellum S. Petri castra posuit; ibique crebris Romanorum incursibus per biennium infestatus, parua manu multa viriliter egit. Hæc Albertus. Quibus congruentia scribens Sigebertus, ait Henricum expugnasse loca vicina Romæ, obsedisseque Leonianam ciuitatem quæ ambit basilicam S. Petri, sed non cœpisse nisi postannum sequentem. Quo tempore Gregorius omnes Ecclesiasticos ac laicos Romanæ Ecclesiæ communicantes, Circularibus *e* literis hortatus est ad persecutionem constantissimo animo perferendam: quæ quidem adeo horrenda consecuta est, tam aduersus personas, quam loca sacra profanaque, vt fortasse omnes quæcumque à schismaticis, vel hæreticis in Romanam Ecclesiam motæ fuerint, superauerit. In qua Catholici, Summi Pontificis literis roborati, durissima admodum per multa annorum curricula pati potius delegerunt, quam desciscere ab vnitate Ecclesiæ. Descripsit eam breui compendio, qui oculis spectauit, Deus dedit S. R. E. presbyter Cardinalis, in egregio libello *f* quem paulo post cōtra inuasores, simoniacos, & alios schismaticos, tōscripsit sub Vrbano Papa Secundo. Meminitque Dominizo egregiæ tunc operæ à Comitissa Mathilde collatæ pro defensione Ecclesiæ, tum armis fortissime pugnando aduersus Henricum consobrinum suū, tum bonis suis liberalissime subueniendo Catholicis Præsulibus, aliisve, qui suis pulsi sedibus essent, vel alia pati mala cogerentur. Sed qui fuerint singulis annis rerum progressus, dicetur inferius breuiter.

c 9.ep.21. EXSECVTIO DIRIS. IN ROM. ECCL.

f Habuit ipsum MS. Baronius: Extatque in Bibl. Vatic.

IV. *g Greg.8.ep.25.* DENARIVS S. PETRI IN GALLIA. *h 9.ep.1.*

Hoc item anno Gregorius Pontifex per Legatos in Galliam missos exigendam curauit *g* pecuniam, quam *S. Petri Denarium* nominabant, à Carolo Magno primitus in tribus Galliarum locis indictam; cuius totius exactionis erat summa mille & ducentæ libræ, præter quantitatem illam, quam sponte vnusquisque amore Sanct. Petri offerre soleret. Quo tempore redarguit *h* Archiepiscopum Rotomagensem, quod tres menies distulisset petere Pallium, ac prohibuit ne Pontificalia vsque ad illud susceptum exercere præsumeret: itemque quod distulisset inuisere sacra Limina Apostolorū, cum tamen (vt ait) ab ipsius mundi finibus etiam gentes nouiter ad fidem conuersæ, studerent annue tam mulieres quā viri ad ea venire. Eodemque anno eadem de causa actioribus literis *i* Lanfrancum Cantuariæ in Anglia Archiepiscopū corripuit, quod etsi sæpe inuitatus, distulisset Romam ad eadem Apostolorum Limina accedere; cum (vt inquit) multi longe remoti, licet corpore inualidi & infirmi, & à lectulis vix valentes surgere, ad eadem Limina vehiculis properarent. Quare decreuit, vt si intra quatuor menses Romam non accederet, suspensus esset ab officio Episcopali. Ex alia vero parte Legatum Apostolicæ Sedis in Galliis Hugonem Diensem, nemini parcentem, plurimos excommunicantem, mitius agere monuit *k*. Ac denique alia id genus negotia Pontificia inter bellicos tumultus, ac si summa pace frueretur, persoluere non neglexit; nihil prætermittens seu vigoris, seu rigoris Ecclesiastici. Sic enim & Comitem Andegauensem munera mittentem ad Apostolicam Sedem, nequaquam recipiendum putauit *l*, eo quod excommunicatus à suo Episcopo ei minime satisfeciisset: in cuius causa voluit *Synodum* in Gallia per Legatum Apostolicum congregari. Theobaldo vero laudatissimo Comiti Pictauiensi Sedem Apostolicam consulenti, an cum Principibus excommunicatis consuetudinem aliquam habere posset, & vt habere liceret petenti; respondit omnino abstinendum ei esse à communione ipsorum: neque ipsos Pontifices licentiam peccandi alicui dare posse aut debere, quamuis peccantibus Apostolica auctoritate subuenire non denegent.

ANNVA PEREGRINATIO AD LIMINA APOST. *i 9.ep.20.*

k 9.ep.12. REIECTA MVNERA EXCOMMVNICATI. *l 9.ep.22.23*

V. INGENS VICTORIA ROB. GVISCARDI ADVERSVS IMP. CŌST. *m Leo Ost. lib.3 c.48. in fi.*

Hoc eodem anno Robertus Guiscardus Dux Apuliæ traiecit copias in Orientem, pro expeditione quam Papa Gregorius superiori anno promulgauerat: & cum quindecim millibus armatorum (vt tradit Leo *m* Ostiensis) insigni prælio superauit Alexium Imperatorem, qui aduersus eum processerat cum centum septuaginta millibus militum. De qua victoria sunt etiam Gregorii *n* literæ gratulatoriæ ad ipsum Robertum redditæ, cum antea ipse eundem Pontificem, Populumque Romanum de omnibus certiorem fecisset. Hortatus vero etiam est illum Gregorius, vt memor promissionis anno superiori factæ, festinaret opitulari afflictæ ab Henrico Ecclesiæ Romanæ: quod ipse cumulate præstitit, vt videbitur suis locis.

n Greg.9.ep.17.

Hoc item anno Bertrannus Comes Prouinciæ, pro remissione peccatorum suorum, ac parentum, (vt habet diploma ea de re confectum) donauit in perpetuum Romanæ Ecclesiæ omnem honorem suum, quantum ad ipsum iure parentum pertineret, iuramentumque fidelitatis ipsi Papæ Gregorio præstitit. Sicut & Wisigothorum *o* Reges ac populi, à Gentilissimo recens ad fidem conuersi, missa ad Apostolicam Sedem legatione, ei se filios obedientes exhibuerunt.

VI. COMES PROVINCIÆ FIDELITATEM IVRAT RO. PONT. *o 9.ep.14.*

Denique hoc eodem anno, sed in eius exordio, nempe die septima Ianuarii, contigit martyrium *S. Kanuti* Regis Daniæ, perduellium coniuratione intra Ecclesiam necati, quod cum multa iam alia ob vtilitatem Ecclesiarum, & honorem sacerdotum præstitisset, insisteret etiam, vt populus adhuc sacrorum rudis, decimarum solutioni assuesceret. Cuius summa pietas, aliæque insignes virtutes, multum laudatæ reperiuntur, tum literis Gregorii *p* Papæ, tum luculento stylo Saxonis *q* Grammatici; qui & pergit narrare vberem miraculorum editionem, quibus voluit Deus manifestam fieri Kanuti sanctitudinem ipsis etiam interfectoribus refractariis. Publicum autem sacrilegium publica secuta est vindicta: nempe fames ingens, qua rebellis populus coactus est fateri crimen cuius pateretur supplicium. Sed quod spectat ad tempus martyrii, haud possumus assentiri iis, qui ponunt contigisse anno superiori. Nam cum illud acciderit septima die Ianuarii, reperiaturque ad eum dedisse literas Gregorius eo anno decimanona mensis Aprilis; plane adhuc eo tempore fuisse superstitem, & ad hunc annum peruenisse significatur. Cæterum post eum Olaws germanus eius regnū accepit, tenuitque annos decem, vt idem Saxo docet.

VII. S. KANVTI REG. DANIÆ MARTYRIVM.

p 7.ep.5. & 21.

q Sax. Grā. Hist. Dan. lib.11.

IESV CHRISTI AN. 1082.

GREG. VII. AN. 10.

ALEX. COMN. AN. 2.

ANno Domini millesimo octogesimo secundo, Indictione quinta, qui & secundus numeratur expeditionis Henricianæ in Gregorium Papam, idem Henricus iterum ad vrbem rediens, per totum Quadragesimale tempus eam cum multa hostilitate obsedit: aduenientе vero Paschali tempore, vt æstiuum calorem deuitaret, in Longobardiam reuertit, distributo per vicina loca exercitu, eique præfecto Guiberto Antipapa, qui per incumbentem æstatem segetes Romanorum deuastauit, aliaque mala eisdem intulit. Hæc Bibliothecarius, atque Bertholdus.

I. HENR. RVRSVM INFESTAT VRBEM.

Gregorius autem, qui celebrandam ex more hoc anno tempore Quadragesimæ Synodum indixerat, Henrici insultationibus impeditus substitit: quod etiam duobus sequentibus annis accidit. Interim vero hoc anno duplex ad eum perlata est tragœdia Teruannensis Ecclesiæ, tam de nefandissimis sceleribus Lamberti intrusi Episcopi, primo damnati hæretici *a*, & in Meldensi Synodo à Legatis Apostolicæ Sedis excommunicati, demumque simoniace ordinati à suspensis Episcopis; quam de horrendis, quæ postea in odium ipsius perpetrarunt Teruannenses milites, cum post Ecclesiæ rerumque sacrarum direptionem, eundem ab altari vbi prostratus orabat abstrahentes, linguam ei atque dexteræ articulos abscideruntb. Qua de re ab eodem Lamberto certior redditus Gregorius, acerrimas aduersus milites scripsit *b* literas, quod tam nefanda committere ausi essent, licet prætextu vitæ ipsius reprobæ, vel ordinationis iniustę, seu depo-

II. TERVANNENSIS ECCL. CAVSA TRAGICA.

a Greg.7.ep 10. & 9.ep. 34.

b 9.ep.30.

III. HERMANNVS ELIGITVR REX ADVERSVS HENR.

sitionis irrogatæ; eosdemque pro suscipienda pœnitentia ad Legatum suum remisit.

Eodem anno in Saxonia substitutus est in locum Rudolphi defuncti Regis, *Hermannus* Dux Lotharingiæ, præstans nobilitate & peritia militari, sed non æque viribus, iam Rudolphi obitu labefactatis. His tamen nonnihil commotus Henricus, timens ne ad nouum bellum reuocaretur in Germaniam, dolosis artibus res cum Gregorio Papa velle componere simulauit, vt quem armis hactenus expugnare non valuisset, insidiis superaret: de quo dicetur anno sequenti.

IV. ALEXII IMP. BVLLA AVREA DE ORNAMENTIS ECCL. c *Ext. in Bibl. Patr. & in cod. iur. Orient.*

Quod autem pertinet ad res Orientis; hac eadem Indictione quinta, mense Augusto, Alexius Imp. tum aliis Regnum eius infestantibus malis, tum strage suorum ab exercitu Northmannorum accepta, prudentior redditus, publica confessione hæc omnia peccatis suis adscribens, & maxime quod ex ornamentis atque donariis Ecclesiarum exhaustum æratium replere studuisset; edita Constitutione c, quam *Auream Bullam* nominauit, verbis vere aureis solemniter Deo promisit, se omnia restituturum; sanciuitque ne quis imposterum quæcumq; sacra temere contrectare auderet, etiamsi vel Cadmea necessitas vrgeret; diuinam aduersus eos qui contra hanc legem agerent vindictam imprecatus.

IESV CHRISTI AN. 1083.

GREG. VII. AN. 11.

ALEX. COMN. AN. 3.

I. GVIBERTVS ANTIPAPA INTRVDITVR IN SEDEM PETRI.

ANno Christi millesimo octogesimo tertio, Indictione sexta, iterum Henricus (inquit Bertholdus rerum præsentium inspector) Romam aggressus, Guibertum Antipapam apud S. Petrum inthronizauit, ac per Mutinensem & Ariminensem Episcopos, multis iam annis depositos & excõmunicatos, cõsecrari fecit. Hæc ille: sed Bibliothecarius hos tres Episcopos recenset ordinatores Guiberti, nimirum Bononiensem, Vincentinum, & Ceruiensem. Viditque tunc plane inauditum hactenus Roma portentum, nempe viuente ipso legitimo, Orthodoxo, Gregorio Septimo Papa, iam à toto Orbe Christiano per annos vndecim recepto atque culto, superinduci in Petri Cathedram ac consecrari sæpe ante depositum, & execratum sæpius Guibertum, decoro nomine *Clementem* Tertium nominatum. quod factum tradunt *a* vndecimo Calendas Aprilis feria sexta ante Dominicam Palmarum: licet alii id ponant anno sequenti: sed Bertholdo tunc per singulos annos singulas res gestas scribenti magis deferimus. Cæterum capta tunc fuit duntaxat ciuitas Leoniana ab Henrico; ac porticus S. Petri (vt habet Leo *b* Ostiensis) magna ex parte destructa.

a *Vrsperg. Sigeb. & Albert.*

b *Leo Ost. lib. 3. c. 49.*

II. HENR. PETIT SYNODVM, ET TAMEN EAM IMPEDIT.

Post hæc vero Henricus ad ipsam Vrbem capiendam intentus, dolos armis adiungens, plerosque ciues Romanos iam longa obsidione fatigatos, partim pretio partim promissionibus induxit, vt peterent Synodum à Gregorio de causa regni celebrari Romæ mense Nouembri; ad quam iturus ipse Henricus securitatem iureiurando promisit, interim Guiberto Rauennam transmisso. Verum indicta ea à Pontifice, periurus Henricus tum Legatos Teutonicorum Principum, tum præcipuos Episcopos Romam properantes, atque inter alios Ottonem Cardinalem Episcopum Ostiensem de Apostolica Legatione redeũtem, Hugonem Lugdunensem, & Anselmum Lucensem, vel in via cepit, vel aliis modis ne ad Synodum peruenirent prohibuit. Celebrata est tamen SYNODVS tribus diebus in Lateranensi basilica; sed nihil de re ob quam celebrari debuerat, ob pressuras Henrici peractum. Narrat hæc Bertholdus: ipsiusque Synodi extant monimenta ad finem Epistolarum eiusdem Gregorii Papæ.

III.

Pergit autem Bertholdus narrare de promissione à Romanis facta Henrico pro impetranda ei corona, deque altercationibus inde ortis; necnon de grauissima persecutione, qua vbique Catholici tam clerici quam laici fuere exagitati, ipsaque Italia præda, ferro, & igne misere deuastata. Sicut & Leo *c* Ostiensis plura habet de vocato ab Henrico, & minis venire coacto, Desiderio S.R.E. Cardinale, Abbate Cassinense, quem sciebat erga Gregorium propensiorem esse; deque eodem rogato, vt sibi adiumento esset ad consequendam coronam Imperialem; necnon de prudente ipsius Desiderii conuersatione cum Henricianis, à quibus & laudatus recessit, nec tamen aliquem eorum, aut osculatus est, aut cum illo orauit, aut cibum sumpsit: ac denique de inuicta eiusdem constantia in defendendis tam aduersus Henricum, quam Antipapam, aliosque, iuribus ac priuilegiis Romanæ Ecclesiæ. Qui tandem Cassinum reuersus, ibidem hoc ipso tempore magno honore excepit Hugonem Abbatem Cluniacensem, & cum eodem societatem vtriusque Congregationis, Cassinensis & Cluniacensis iniit. Sed hæc omnia pluribus Leo.

c *Leo d. c. 45*

CONGRESSVS DESIDERII ABB. CASSIN. CVM HENRICO.

IESV CHRISTI AN. 1084.

GREG. VII. AN. 12.

HENRICI III. 1.

ALEX. COMN. 4.

I. HENR. VRBE POTITVR, ET CORONATVR IMP. A GVIB.

ANno Christi millesimo octogesimo quarto, Indictione septima, cum Imperator Constantinopolitanus magnam pecuniæ summam Henrico transmisisset, vt Robertum Guiscardum Northmannum, Ducem Calabriæ & Apuliæ, qui fines Constantinopolitanorum inuaserat, bello appeteret; idem Henricus acceptam cum iuramento persequendi Robertum pecuniam, ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendens, eius adiutorio Lateranense Palatium feria quinta ante Palmas cum suo Guiberto intrauit. Gregorius autem, stantibus pro ipso nobilibus Romanis, fere omnibus, in castellum S. Angeli se recepit, omnesque Tiberinos pontes & firmiores munitiones in sua retinuit potestate. In die vero Resurrectionis Dominicæ idem HENRICVS à suo Hæresiarcha Rauennate coronam non gloriæ, sed cõfusionis accepit: quippe talis coronator non benedictionem quam perdidit, sed damnationem quam habuit, suo coronato imposuit. Hæc Bertoldus. Quamuis igitur eiusmodi execratione potius quam consecratione initiatus Henricus, ita dici meruerit Imperator, sicut eius initiator Guibertus dici meruit Pontifex: tamen quemadmodum eo titulo ad consignanda certa tempora etiam positos vidisti superius in Annalibus, tyrannos plerosque inuasores Orientalis Imperii eo nomine indignissimos, sic & istum assertum potius, quam re ipsa iure aliquo legitimum adnumerabimus. Habent enim se isti, tanquam columnæ milliariæ collocatæ in itineribus, quæ mutæ licet ipsæ, loquantur tamen, & viam doceant.

II. QVID TENTATVM ROMÆ IN EVM.

Accidit autem paulo post, dum Henricus vna cum suis recipiens se in Auentinum, tutiorem locum, frequentare soleret Ecclesiam S. Mariæ; cuidam ignoto homini parandi necem ipsi ex loci opportunitate occasionem datam esse, vt prægrande saxum pararet, quod super caput eius deorsum mitteret. Sed quod Deo semper inuisum ac detestabile fuit, cuiuscunque sanguine quantumlibet noxio, Ecclesias inquinari, effecit, vt cum saxum ille aptaret, vna cum saxo cadens occubuerit. Ex quo facinore mendax Benno accepta occasione conflandæ in Gregorium Papam calumniæ, ipsi tribuit facinus, quod nec cogitasset aliquando. At vero qui res tunc ab ipso Henrico gestas conscripsit, licet ipsi fauens, minime ausus est Pontifici scelus tantum adscribere. Post hæc autem diuinam vindictam in Regis exercitum esse grassatam affirmat; nimirum ingruente ob nimios æstus lue, ne vnum quidem eius militum quos Romæ in præsidio constituerat, remansisse superstitem.

III. FVGATVR A ROB. GVISCARDO.

Cum vero nihilominus ipsum indefesso studio cœptam Vrbis obsidionẽ prosequi Gregorius vidit; exigés à fidelibus S. Petri quam promisissent iuramento defensionẽ Romanæ

Ecclesiæ, inter alios magis vrsit, quem nouit potentiorem, Robertum Guiscardum. Qui quidem haud cunctatus, relicto in Oriente cum exercitu Boamundo filio, ipse collectis in Italia nouis copiis, ad liberationem Pontificis ocyus properans, post Calendas Maii (vt Bertholdus habet) armata manu Romam inuasit, fugatoque Henrico totam Vrbem Gregorio rebellem penitus expoliauit, & maiorem eius partem igni consumpsit, eo quod Romani quendam eius militem vulnerassent. Henricus autem ei resistere non valens, ad partes Teutonicorum festinanter reuertit, relicto in Italia Guiberto. Hæc ille. Sed plane diuersam incendii Vrbis causam Leo *a* Ostiensis afferens, ait id factum à Roberto ex consilio Cincii Romanorum Consulis, vt ciuibus extinguendo igni occupatis, ipse facilius ex arce S. Angeli Pontificem educeret. Verum antequam Pontifex ab Vrbe recederet, ipsum eiusdem Roberti Ducis fauore curasse, vt pseudocardinales Guiberti inde pellerentur, ministrarent vero legitime instituti sacerdotes; Bibliothecarius est auctor: qui ait eosdem pseudocardinales fuisse ciues Romanos vxoratos, siue concubinarios, barbarasos, & mitratos, atque intra citraque Ecclesiam impune homicidia, rapinas, varia stupra, & diuersa latrocinia exercuisse. Habetque insuper Bertholdus, eundem Pontificem collecta SYNODO, iterum sententiam anathematis in Guibertum, & Henricum, omnesque eorum fautores promulgasse; eamque Legatos Sedis Apostolicæ, Petrum Episcopum Albanensem in Francia, & Ottonem Ostiensem in terra Teutonicorum vsquequaque diuulgasse.

a Leo lib. 3. cap. 52.

CARDINALES ANTIPAPÆ QVALES.

His vero omnibus peractis, Pontifex Cassinum se recepit: vbi dum aliquando Missam celebraret, visa est viro cuidam rapto in extasim, niueo candore columba alis expansis Pontificis humeros protegere, & postquam ad altare descendens caput blande super hostiam sacratissimam flexisset, volatu præpeti remeare ad cœlum: hancque visionem idem vir nocte sequenti diuinitus iussus est renuntiare Gregorio, cum adhortatione, vt constanter vigore Sancti Spiritus, quod cœperat exequeretur. Narrat hæc pluribus Leo *b* Ostiensis. Quæ quidem opportuno tempore sunt hominibus diuino consilio declarata, cum non apud Schismaticos tantum, verum & apud Catholicos, Pontificis fama in suspicionem nimiæ austeritatis adduceretur: vt quod diuino calculo recte factum probaretur, non auderet humana temeritas sugillare; atque ora loquentium mendacium penitus obstruerentur, qui ipsum Gregorium obitus tempore pœnituisse facti, mentiti sunt in suo ipsorum Conciliabulo, de quo suo loco *c* dicturi sumus, ex quo Sigebertus quæ narrat de Gregorii pœnitentia descripsisse noscitur. Quomodo enim potuerunt ei displicere, quæ diuinitus monitus esset constanter exequi? Porro idem ex Cassinensi monasterio Salernum se contulit, ibique permansit vsque ad obitum.

IV. RES A GREG. GESTÆ ADVERSVS HENR. DIVINITVS COMPROBATÆ.

b Ibid. c. 53.

c An. 1098. III. GREG. SALERNVM SE RECIPIT.

V.

Robertum autem Guiscardum cum filio Rogerio in Orientem redeuntem, obuiantem sibi classem Alexii Imp. cum auxiliis Venetorum, ingenti nauali prælio deuicisse mense Nouembris, & ad filium Boamundum in Thraciam peruenisse, narrat Romualdus Archiepiscopus Salernitanus eorum temporũ scriptor. Cum vero Henrico ab Italia in Germaniam recedente, Orthodoxi in Longobardia resumerent vires, & plurimi schismatici ad Gregorium reuerterentur; ad istorum susciendam pœnitentiam, atque impertiendam eis absolutionem, Pontifex Legationem commisit S. Anselmo Lucensi Episcopo. Cuius etiam benedictione corroborati Catholici, gloriosissimam de Schismaticis, qui coactis in vnum copiis dominium Comitissæ Mathildis inuasissent, victoriam reportarunt, tribus tantum ex suis amissis, & paucis vulneratis. Quæ omnia pluribus narrat in eiusdem Anselmi Rebus gestis, ipsius presbyter pœnitentiarius.

PROFLIGATI SCHISMAT. A CATHOLICIS.

VI.

Accidit his item diebus, vt cum Gregorius audisset, Guillelmum Regem Anglorum detinere iam ab anno superiori in carcere Odonem Episcopum Baiocensem, ipsius Regis germanum, pro eo ad Regem literas dederit, (quæ & vltimæ numerantur omnium eiusdem Gregorii epistolarum, quod ferme deperditæ sint quas scripsit vltimis suæ sedis annis in tumultibus bellicis: quibus cum ipsum de multis laudet, redarguit tamen, quod sacerdotalem dignitatem contemptui haberet, & tam exemplis quam auctoritatibus docet, sacerdotibus licet prauis & indignis honorem esse deferendũ. Quænam autẽ præcessisset causa vinculorũ Odonis, ex fragmento Rerum gestarum eiusdẽ Regis, ex codice monasterii Cadomensis edito vna cum aliis monimentis rerum Anglicanarum, Northmannarum, Hibernarum, & aliarum, intelligitur hæc fuisse: nimirum, quod cum Odo deceptus vaticiniis quorundam sortilegorum, asserentium ipsum in Romana Cathedra sessurum post Gregorium, iter Romam decreuisset cum ingenti atque splendidissimo omnium rerum apparatu, & nobilium comitatu; oppressisset ad hoc iniustis exactionibus vniuersam Angliam (cuius administrationem Rex ei concrediderat, cum ipse aduersus Robertum filium suum, ac rebellantes cum eo Northmannos, in Galliam traiecisset) Ecclesiarumque opes & ornamenta diripuisset, ac spe friuola milites seduxisset. Quapropter Rex Guillelmus festinanter in Angliam transfretans, eum carceri mancipauit, quem agnosceret (vt questus est ad Regni proceres) leuem & ambitiosum, carnis inhærentem desideriis, immensum crudelem, & nunquam deserturũ noxias vanitates. Adeo, vt cum idem Rex, post annos tres proxime moriturus, vinctos omnes solui testamento iussisset, vnus ne eximeretur è carcere ipsius germanus omnino vetuerit, vixque ab amicis exorari potuerit, vt consentiret ipsius liberationi. Hæc omnia pluribus in eo codice: ex quibus videas quas infelix Episcopus ex diuinatione dæmonum messuerit fruges, dum Romanæ Ecclesiæ per pecuniam sibi adipisci Pontificatum quæsiuit. Ita enim plane qui semel his intendere malis artibus incipit, ludus diaboli effici consueuit; vt spe vana pellectus in inferos demergatur, cum se putat thronum eminentiorem proxime conscensurum.

DE ODONE EPISC. BAIOCEN. FRATRE REGIS ANGL.

IESV CHRISTI AN. 1085.

GREG. VII. AN. 13.

HENRICI III. 2.

ALEX. COMN. 5.

ANno Christi millesimo octogesimo quinto, Indictione octaua, decimo quinto die post Epiphaniam (vt Bertholdus ait; hoc est, vigesimo primo Ianuarii) *Conuentus* est habitus in Saxonia, seu (vt vult Vrspergensis) in Thuringia, loco qui *Berchach* dicitur; condictus (vt ait) tam ab inimicis, quam amicis Imperatoris, seu (vt vult Bertholdus) indictus à Saxonibus contra Henrici fautores, vt probarent se iure Henricum, vt excommunicatum, vitare. Obiicientibus autem aduersariis, Papam nequiuisse eum excommunicare, eo quod expoliatus non potuerit vocari, nec iudicari, siue damnari; & Saxonibus respondentibus, se iudicium Sedis Apostolicæ non debere retractare, nec posse; hoc autem cum illo tractandum esse, qui Henricum damnauit: solutum est colloquium. Hæc Bertholdus: quæ Vrspergensis disputata esse tradit inter Gebehardum Saltzburgensem ex parte Catholicorum, & Wecilonem Moguntinum ex parte Henrici. Fuit enim iste Gebehardus, ex quo sedem illam suscepit, acerrimus iurium Apostolicæ Sedis defensor aduersus Henricum & schismaticum Papam; adeo, vt etiam exilium nouem annorum, aliaque multa mala ab eis passus fuerit, meruerit vero Legatus fieri eiusdem Apostolicæ Sedis in Germania; vt constat ex eius Rebus *a* gestis: qui tandem sancto fine quieuit in pace, miraculis etiam post mortem clarus. Wecilonem autem quem diximus, Bertholdus ait ex clerico Haluerstatensi iampridem anathematizato atque fugitiuo, post mortem Sigefridi intrusum fuisse anno superiori ab Henrico in Moguntinum Archiepiscopatum, in remunerationem defensarum ab eo cum omni pertinacia partium ipsius.

I. CONVENTVS IN GERM. INTER CATHOL. ET SCHISM.

DE GEBHARDO EPISC. SALTZBVRG.

a Tom. II. & VI. antiq. lect. Canis.

Sed quod attinet ad exceptionem illam Schismaticorum de non iudicando expoliato; ita quidem decretum *b* est à Summis Pontificibus, spoliatum non ad Synodum vocari

II. b 2. q. 2. pleriq.

posse, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta quæ ei sublata sunt restituantur. Verum quod ista regula suis *c* restringatur exceptionibus, idcirco in generali SYNODO Catholicorum, post promiscuum illum conuentum celebrata in *Quintilineburg* ipsa Paschali hebdomada huius anni, cui præfuit Otto Episcopus Cardinalis Ostiensis Apostolicæ Sedis Legatus, & interfuit Rex Hermannus, eadem quæstione iterum ventilata, idem WECILO declaratus est hæresiarcha, quod assereret sæculares suis rebus spoliatos Ecclesiastico non subiacere iudicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus; quodque contenderet excommunicatos absque reconciliatione recipi posse: ipsaq; eius hæresis anathemate damnata est. Testatur hæc obiter Vrspergensis; sed ipsa Acta Synodi, canonesque in ea statutos circa disciplinam Ecclesiasticam, Bertholdus recitat: additque, in fine Synodi sententiam anathematis cum ardentibus candelis promulgatam esse in Guibertum hæresiarcham Sedis Apostolicæ inuasorem, & in nonnullos ipsius pseudocardinales apostatas; itemque in Wecilonem Moguntinum, Liemarum Bremensem, aliosque Episcopos schismaticos & inuasores, cum suis complicibus: omnesque ordinationes & consecrationes excommunicatorum, penitus irritas iudicatas esse, iuxta decreta SS. Patrum.

III. CONCIL. MOGVNT.

Econtra vero iidem Schismatici, ad vindicandam quam acceperant iniuriam, tertia post prædictam Synodum hebdomada & ipsi *Moguntiæ* conuenientes vna cum Henrico & Legatis Antipapæ Guiberti, necnon quibusdam Romanis eius sectatoribus, depositionem Gregorii, & Guiberti ordinationem confirmarunt, Fideles omnes communionis Gregorii excommunicarunt, & cunctos Episcopos qui Guibertum non reciperent condemnantes, alios in eorum locum substituerunt. Testantur ista Bertholdus, Vrspergensis, Sigebertus, & Dodechinus. Subiicit autem Bertholdus funera præcipuorum schismatis promotorum atque defensorum in Italia, Episcoporum ac Principum; qui vrgente fame, atque lue, ex hac vita extra Ecclesiam positi misere abrepti sunt.

FVNERA SCHISM.

IV.

Quo item eodem anno, sed forte plane diuersa, (pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius; mors autem peccatorum pessima:) *Gregorius d* Papa Salerni consistens, cum sedisset annis duodecim, mense vno, diebus tribus, vigesima quarta mensis Maii migrauit in cœlum; sepultusque est ibidem in Ecclesia S. Matthæi Apostoli, ad cuius dedicationem eo accesserat: qui & in album Sanctorum relatus, anniuersaria memoria in Ecclesia nomine celebri perseuerat. Porro illum, cum sermonem habuisset ad populum, infirmitate corporis affectum decubuisse in lecto, Bibliothecarius eius temporis testatur: præscientem vero eo se morbo interiturum, in ea erupisse verba; *Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Otto Frisingensis affirmat; confirmatque qui tunc viuebat auctor Rerum gestarum S. Anselmi Lucensis Episcopi: qui & addit, eundem Gregorium quos sibi obedientes viuens benedixit, morientem quoque commendasse: Henricianos autem penitus, nisi post magnam demum conuersionem & pœnitentiam, reprobasse. Quæ quidem recitasse voluimus, vt vel hinc aperta luce commentum Sigeberti de pœnitentia Gregorii quod Henricum fuerit persecutus, eludatur.

V.

Quod vero pertinet ad toleratas à Gregorio immensas ærumnas; ei merito occinendum sit illud propheticum *e* carmen; *Dicite iusto, quoniam bene.* Ita namque plane persecutionibus indesinentibus, atque sæpe cædibus sacerdotum, multo felicius paritur Ecclesiæ pax, libertas acquiritur & confirmatur Ecclesiastica, atque salus quæritur animarum. Mentiarque, nisi ista iam experimento rerum præsentium monstrati possint; nimirum per Gregorium vindicatas è manibus Principum Ecclesiarum Inuestituras, liberam electionem Romanorum Pontificum postliminio restitutam, disciplinam Ecclesiasticam collapsam penitus reparatam, & alia innumera bona parta. Eundem vero sicut in vita, ita & post mortem claruisse miraculis, idem qui supra Bibliothecarius absque vlla dubitatione confirmat: & scriptor Vitæ S. Anselmi testis oculatus asserit, per Mitram eiusdem Gregorii quam ad Anselmum miserat, præclara Deum fecisse miracula; atque inter alia Mantuanum Episcopum multis iam annis grauissimo splenis morbo affectum, ac toto corpore vlceratum, sanitati pristinæ restituisse. Cuius Sancti corpus nostra ætate, post quingentos ferme ab obitu annos, cum sepulchrum eius restitueretur, inuentum est omnino integrũ atque incorruptum, & ita hactenus perseuerat: sicuti & multis aliis Sanctorum corporibus accidisse noscitur. Porro quę idem sanctissimus Pontifex, & Apostolicarum traditionum diligentissimus inuestigator, ad Ordinem Ecclesiasticum, rituque sacros spectantia reliquerit monumenta, auctor *f* Micrologi in suum commentarium aliqua ex parte retulit: præter quæ etiam in eius epistolis nonnulla alia obseruanda se offerunt, quæ Collectores retulerunt in libros Decretorum.

VI.

Scribit autem Leo *g* Ostiensis, eundem Pontificem ante tertium sui obitus diem, rogatum ab Episcopis & Cardinalibus, qui aderant, quid de Romanæ Sedis ordinatione iuberet, hortatum esse, vt Desiderium S. R. E. presbyterum Cardinalem Abbatem Cassinensem Pontificem facerent, quod præter summam prudentiam, & religionem præcipuã, polleret singulari Principum beneuolentia & amicitia: si vero hunc nullatenus fl. ctere possent, aut Lugdunensem Archiepiscopum Hugonem, aut Ottonem Ostiensem, aut Anselmum Episcopum Lucensem eligere quanto citius se defuncto studerent. Cæterum ipso defuncto, Desiderius omnino recusans onus Pontificale suscipere, ac strenue laborans pro alio substituendo, cum intellexit publica priuataque omnium consilia, votaque in eum tendere, atque vim ei inferendam fore; Cassinum aufugit: sicque in his pertractandis & consulendis præsens elapsus est annus.

AGITVR DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

VII.

Hoc item anno mense Iulii Robertum Guiscardum potentissimum Ducem, apud insulam Cassiopem obiisse morte communi, maiorem sexagenario, anno Ducatus vigesimo sexto, tradit Romualdus in Chronico: eique de tempore cõsentiunt Bertholdus, & alii huius sæculi auctores: ex quibus arguitur recentior *h* qui eum mortuum ponit anno millesimo octogesimo tertio. Addit vero Leo *i* Ostiensis corpus eius relatum esse in Italiam, & Venusiæ in Apulia conditum. Cuius etiam extat *k* epitaphium, quo is *Terror mundi* nominatur. Habet insuper Leo, eum, cum moreretur, Brachium S. Matthæi Apostoli thecæ argenteæ inclusum, clericis qui secum aderant, vt Salernum referrent, ac filio redderent, iussisse. Pergitque recensere immensa & pretiosa dona, atque largissimas oblationes, quas monasterio Cassinensi variis temporibus detulit: ex quibus intelligas Northmannorum pietatem, per quam à Deo promeruerunt in hoc etiam sæculo exaltari. Sed quis cætera numeret, quæ ad Limina Apostolorum Romam misit, quæ ad basilicam quam struxit S. Matthæi Salerni dedit quæ ad alia sui dominii loca & monasteria quæ construxit? Cum autem intueretur ista oculis idẽ Leo, tunc monasterii Cassinensis Bibliothecarius; quantum ei deferendum sit de rebus Roberti Ducis, ac fratris eius Rogerii Siciliæ Comitis, magis quam Fazello, qui nuper res Siculas est prosecutus, nemo non videt.

ROBERTI GVISC. OBITVS.

OBLATIONES EIVS SACRÆ.

IESV CHRISTI AN. 1086.

VICT. III. AN. I.

HENRICI III. 3.

ALEX. COMN. 6.

I.

ANno Domini millesimo octogesimo sexto, Indictione nona, cum diu multumque laboratum esset à Catholicæ partis Cardinalibus, vt eligeretur Gregorii Papæ successor; tandem omnibus Romam conuenientibus, Desiderius presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, Abbas Cassinensis, patria Beneuentanus, nobilissima prosapia ortus, de quo sæpissima facta est superius mentio, ingenti desiderio ab vniuerso Clero & Populo expetitus, cum nullis precibus ac persuasionibus flecti posset, vi adhibita inuitus ac renitens in diaconiam S. Luciæ perductus, ipso die Pentecostes electus est Pontifex, ac VICTOR eius nominis Tertius appellatus: verum post dies quatuor Roma egressus, insignia Pontificatus

VICTOR PP. III. ELIGITVR.

c Gloss. in c. in Script. verb. nec in aliquo 2. q. 7. & Ost. ibi, & alibi. CONCIL. QVINTILINEBVRG. CONTRA WECIL. HÆRES. &c.

d Leo Ost. l. 3. c. 64. S. GREG. PP. VII. OBITVS.

e Isa. 1. QVOMODO ECCLESIÆ PAX QVÆRATVR.

MIRACVLIS GREGORIVS ILLVSTRATVR POST OBITVM.

f Microl. c. 14. 17. 24. 25. 43.

g Leo lib. 3. c. 64.

h Fazel. de Reb. Sicul. poster. decad. lib. 7.

i Leo lib. 3. c. 36.

k Ap. Malmesbur. hist. Angl. lib. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SED RENVNTIAT ELECTIONI, a *Leo l.b. 3. c.65.&c.*

ficatus Tarracinæ dimisit; & Cassinum se recipiens, rigidus in proposito, nullis aliorum precibus, lacrymis, rationibus, persuaderi valuit ea retumere: sicque hic iterum annus elapsus est. Quomodo vero ista quam difficillima transacta fuerint, Leo a Ostiensis qui aderat pluribus describit.

II. VICTORIA CATHOL. ADVERSVS SCHISMAT. IN GERM.

Interea hoc ipso anno, qui erant in Germania Catholici Principes Sueuorum & Saxonum obsidentes Herbipolim, aduenientem ad eos expellendos cum plusquam viginti militum millibus Henricum, ipsi vix decem millium numero, præuio sanctissimæ Crucis vexillo, confisiq; de misericordia Domini, quam multis gemitibus prostrati in terram imploratunt, postridie festi S. Laurentij immensa clade fuderunt, occisis multis hostium millibus, captisque ingentibus spoliis, ipso primo congressu Henrico dissimulato habitu inter primos aufugiente; ex parte vero Catholicorum tribus tantum militibus in certamine, & aliis duodecim postea ex vulneribus occumbentibus. Rem gestam pluribus prosecutus est Bertholdus Constantiensis, qui interfuit.

III. S. ANSELMI LVCEN. OBITVS.

Eodem anno, decimoquinto Calendas Aprilis, Mantuæ ex hac vita migrauit *S. Anselmus* Lucensis Episcopus, de quo sæpe superius: qui mox post obitum innumeris ac præclaris cœpit clarere miraculis: vnde & multi schismatici ad communionem Catholicam reuersi sunt, cum viderent per Episcopum qui verbis & scriptis Gregorium Papam defendere nunquā cessauerat, eundemq; semper vt magistrum in omnibus imitari quæsierat, Guibertum vero adeo constanter improbauerat, tot tantaque edi à Deo miracula. Testantur hæc Bertholdus in Chronicis, & Domnizo in Vita Mathildis; sed fusius ipsius Anselmi presbyter pœnitentiarius in eius Rebus gestis: vbi & egregias ab eo elaboratas lucubrationes recenset; è quibus extat *b*, quam nominat Compilationem canonicarum sententiarum ex SS. Patribus.

b *Tom. VI. Antiq. lect. Canis.*

IV. CARTHVSIA SOLITVDO HABITARI COEPTA. c *Ap. Sur. 1. April.*

Hoc itidem anno *Carthusiæ* solitudo cœpta est habitari à S. Hugone Episcopo Gratianopolitano, sanctoque BRVNONE auctore instituti, ac sociis eius; ex quo loco & nomen acceperе, vt dicerentur Monachi CARTHVSIANI. Tempus porro certum redditur ex eiusdem S. Hugonis Vitæ Actis *c*, quibus traditur, ipsum anno Domini millesimo octogesimo creatum Episcopum, post duos annos adiisse Cluniacenses; ibique moratum annum vnum, rediisse ad Episcopatum; ac rursum post tres annos, nempe sexto ab ordinatione sua, petiisse Carthusiam. Ceterum primarium Monachorum Carthusianorum vitæ ordinem, magna cum admiratione & laude scripsit Petrus *d* Venerabilis Abbas Cluniacensis, & miracula quædam ab iis edita narrauit: de quibus rursum inferius.

d *Petr. Clun. lib. 2. miracul. c. 28.*

V.

Quod spectat ad Orientalem Ecclesiam; hoc anno Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus decessit, atque in locum eius suffectus est *Eustathius* cognomento *Garides*: prout apparet ex serie Patriarcharum, quæ extat in codice Iuris Orientalis.

IESV CHRISTI AN. 1087.

VICT. III. AN. 2.

HENR. III. 4.

ALEX. COMN. 7.

I. CONCIL. CAPVAN.

ANno Christi millesimo octogesimo septimo, Indictione decima, CONCILIO media Quadragesima *Capuæ* habito *Victor* electus Pontifex, victus tandē precibus & rationibus Præsulum ac Principum qui adfuerunt, resumptis Pontificiis insignibus Romam petens, septimo Idus Maii consecratus est, & in Apostolica Sede locatus licet iam ægritudine correptus.

VICTOR ROMÆ CONSECRATVR.

II.

Cum vero post hæc Guibertus Antipapa Romam & ipse accessisset, (qui, vt ait Bertholdus, apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam vocant, se recepit, dum Victor in Insula Tiberina resideret) ac tum in Vrbe, tum multis aliis Italiæ locis, ingentia mala sacrilegus latro ederet; interim qui pastor legitimus gregis erat, vitans bella gerere aduersus Christianos, quos indignatio vel gratia Henrici ad tempus ab Ecclesia separauerat expeditionem militarem conuertit aduersus improbos Saracenos Italiæ iugiter littora infestantes, Christianosque captiuos abripientes: atque ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illisque Vexillum S. Petri tradens, sub remissione omnium peccatorum in Africam direxit; vbi illi centum millia hostium occiderunt, capta & exisa præcipua eorum vrbe: & nequis ambigeret hæc CHRISTO auspice contigisse, quo die Christiani victores euasere, eodem etiam Italiæ nuntiata victoria est. Hæc porro cuncta de consecratione Victoris, sceleribus Guiberti, & expeditione Africana, pluribus Leo *a*. De eadem vero victoria Africana puto etiam loqui Bertholdum, dum habet anno sequenti, Pisanos & Genuenses, aliosque multos ex Italia, Africanum Regem Paganum hostiliter inuasisse, & deprædata eius terra, ipsum in quamdam munitionem compulisse, ac deinceps Apostolicæ Sedi tributarium effecisse.

VICTOR DE SARACENIS IN AFRICA.

a *Leo Ost. lib. 3. c. 67. & seqq.*

III. CONCIL. BENEVENT. CONTRA SCHISMAT.

Idem vero Pontifex mense Augusti SYNODVM Episcoporum *Beneuenti* celebrauit; in qua inter alia nefandum Guibertum Antipapam, ob vetera atque recentia ipsius scelera, rursum anathematis vinculo innodauit: eademque sententia perculit Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, & Richardum Abbatem Massilienſem, quod pro ambitione Sedis Apostolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, vbi votis suis potiti non sunt, se à communione ipsius Victoris seiunxissent: sed & antiqua de laicis Inuestituris decreta renouans, tam dantes quam accipientes excommunicationi subiecit: ac denique decreuit, pœnitentiam & communionem a nemine nisi à Catholicis sacerdotibus suscipi debere; meliusque esse sine visibili communione persistere, & inuisibiliter Domino communicare, quam eam ab hæreticis vel schismaticis sumendo, à Deo separari. Habet hæc pluribus Leo *b*.

b *ibid. c. 71.*

IV.

Addit vero, eundem Pontificem ibidem Beneuenti grauiter infirmatum, festinum petiisse Cassinum; ac conuocatis Episcopis & Cardinalibus, monuisse, ac iussisse, vt iuxta Gregorij Papæ statutum, Ottonem Episcopum Ostiensem ibi tunc præsentem eligerent quamprimum in Pontificem: hisque dispositis, sepulchrum sibi in ipsa Capituli monasterii abside parari iussisse, ac post diem tertium feliciter migrasse ad Deum decimosexto Calendas Octobris huius ipsius anni millesimi octogesimi septimi; non octogesimi noni, vt textus depravatus *c* habet: nam conuincitur error tum ex iis quæ ex ipso Leone superius dicta sunt, singulas res gestas Victoris recensente, tum etiam ex Petro *cc* qui Auctarium ad Leonem apposuit, dum ab anno obitus Victoris vsque ad nonagesimum post millesimum, triennium numerat. Extat *d* vero eius epitaphium, quo docetur ipsum sexagenarium obiisse. Ac de scriptis ab eo e Dialogis, dictum est pluribus locis. Quantum autem temporis Sedes vacauerit, & quæ contigerint in electione successoris, dicturi sumus anno sequenti. Hic tamen illud admonendum; quod vidimus ipsum de successore suo decreuisse, non quidem imperando fecisse, sed sicut decessor Gregorius fecerat, admonendo & exhortando quod id temporum iniquitas postularet: quemadmodum & interdum ab aliquibus aliis Pontificibus factum reperitur, vt quem successorem cuperent, nominarent: sed ii quorum esset electio, scientes nō posse nec debere à morientibus Pontificibus successores eligi, haud absque consueti collatione suffragii nominatum euexerunt in thronum; vt factum vidimus in Victore, & videbitur in eius successore.

VICTORIS PP. OBITVS.

Hoc eodem anno in Germania Principes Catholici generali *Colloquio* habito cum Henrico apud ciuitatem *Nemetensem* Calendis Augusti, adiutorium ei ad obtinendum regnum (inquit Bertholdus) promiserunt, si de excommunicatione exire vellet: illo vero solita obstinatione negante se excommunicatum esse, re infecta separati sunt. Rex autem Ladislaus Hungarorū, missa legatione ad idem Colloquiū, promisit Catholicis se cum viginti millibus equitum affuturum contra schismaticos, si necesse foret. Recitatæque sunt ibidem literæ Victoris Papæ, quibus iudiciū decessoris sui Gregorij in Henricum & fautores eius confirmauit. Hęc

c [Emendate legitur in recentiori editione, auctoritate veterum codd.]

cc *Petr. diac. Chron. Cassin. li. 4. c. 8.*

d *Ap. Leon. lib. 3. c. 73.*

e *Ext. in Bibl. Vatic. plut. 3. nu. 187. sub nomine Dialog. Greg. PP.*

EIVS MONITIO DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

V. CONVENTVS NEMETEN.

INTERIT. SCHISMATICI EPISCOP.

Bertholdus. Ex literis autem Victoris vides quam perſpicue redarguatur mendacij Sigebertus, dum ait, Gregorium in obitu pœnitentia ductum, mandaſſe ſuis ſucceſſoribus abſoluendum Henricum vna cum aliis Schiſmaticis. His vero Bertholdus addit de miſerando interitu pſeudoepiſcopi Patauienſis, quem Henricus in locum Catholici eiecti intruſerat, quo certiſſimum ſuæ damnationis teſtimonium & exemplum reliquis ſchiſmaticis dereliquit, vnde nonnulli conuerſi ſunt. Subditque de conflictu ſequuto, & dolo Egberti Comitis inuidentis gloriæ Hermanni Regis, elapſo Henrico ne caperetur in bello quod ſuo damno tentaſſet.

VI. TRANSLATIO CORP. S. NICOLAI BARIM.

Hoc item anno quo die conſecratus eſt Victor Papa, ſeptimo Idus Maij, (inquit Leo *f* Oſtienſis) corpus S. Nicolai ex ciuitate Myrenſi, vbi ſeptingentis ferme annis quieuerat, translatum eſt Venetias. Sed hoc potius additamentum eſt ad Leonem: nam in libello qui extat de translatione facta Venetias non hoc anno, ſed poſt nouem annorum curriculum id accidiſſe narratur. Neque Dandulus fideliſſimus ſcriptor, neque recens auctor Sabellicus, quidquam habent de his hoc anno: reliqui autē omnes huius ſęculi Scriptores Barim translatum dicunt, cum (vt ait Sigebertus hoc item anno) Venetis meditantibus Sancti corpus auferre Myra, Barenſes præoccupauerunt; qui numero quadraginta ſeptem venientes Antiochia, à quatuor tantum monachis ibi inuentis extorſerunt oſtendi ſibi tumbam, eaque effracta inuenerunt oſſa in olei liquore natantia integro numero, & Barim cum gloria detulerunt, anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto à depoſitione S. Nicolai. Hæc Sigebertus; cui ſuffragatur Romanum Martyrologium, in quo dicta die Myra Barim translatum aſſeritur: idque ipſum expreſſius liquet ex literis *g* Vrbani Papæ datis poſt biennium, cū Barim profectus eſt ad illud recondendum in præparato adyto, atque ea de cauſa priuilegia eius Eccleſiæ confirmauit auxitque.

g Rec. Bar. Annal. T3. XI. an. 1089.

VII. GVIL. REGIS ANGL. POENITENTIA, ET RELIGIOSVS OBITVS.

Eodem anno Guillelmus eius nominis Angliæ Rex, cum regnaſſet annos viginti, menſes decem, & dies viginti octo, vixiſſet ſexaginta quatuor annos, quinto Idus Septembris Rotomagi ex hac vita migrauit, pœnitens peccatorum, quibus recens diuinam in ſe vindictam prouocauerat, cum in odium PHILIPPI FRANCORVM REGIS graſſatus in eius Regnum, nec pepercit eccleſiis, quæ repertæ ſunt in Madantenſium ciuitate, quam incendio concremauit: quo facto mox offenſum numen ſenſit aduerſum, illum acerbiſſimo dolore ad obitum vſque conficiens. Sed extat cuſa cum aliis Rerum Anglicanarum Scriptoribus, eiuſdem Lamentatio tunc temporis ab auctore qui aderat edita; cum non contentus peccata ſua ſecreta confeſſione ex præſcripto Eccleſiæ oſtendere ſacerdoti, eadem cunctis qui aderant palam voluit propalaſſe; non ſolum quæ nuper Eccleſiarum incendio publice perpetraſſet, quorum cauſa ea tunc pati commeruiſſet, ſed quæ deliquiſſet ab eo tempore quo adhuc impubes moderādum ſuſcepit Northmanniæ Ducatum: demum vero, vt ſeipſum depreſſum in ſpem violentus erigeret, multa bona recoluit quæ in honorem Dei & vtilitatē Eccleſiæ feciſſet. Qui autem hæc deſcripſit, ait eum omnes theſauros ſuos Eccleſiis & pauperibus, Deique miniſtris teſtamento diſtribuiſſe; ac Clero Madantenſi ſupplicem ingentia dona miſiſſe, vt inde reſtaurarētur eccleſiæ quas combuſſerat: ceterum poſt multa alia pie ſancteque dicta decretaque, inter hæc verba, *Dominæ meæ S. Dei Genitrici Mariæ me commendo, vt ipſa ſuis ſanctis precibus me reconciliet chariſſimo filio ſuo Domino noſtro* IESV CHRISTO, religioſe placideque expiraſſe. Quod vero confeſtim poſt eius obitum magnatibus ad ſua receptis, inferioribuſque miniſtris vniuerſam ſuppellectilem ſubripientibus, cadauer Regis pene nudum in area domus remanſerit; & vt illud ad monaſterium Cadomenſe ſepeliendum deferretur, ære alieno curandum fuerit, emenduſque locus ſepulturæ à quodam qui ſuum eſſe dicebat; ſed & dum corpus in ſarcophagum violenter mitteretur, quod vas per imprudentiam cæmentariorum breue & ſtrictum eſſet, pinguiſſimus venter crepuerit, & intolerabilis fœtor circumſtantes impleuerit: ex his omnibus idem auctor, qui ſingula minutim deſcripſit, efficaciſſimum ſumpſit, reliquitque aliis optime philoſophandi argumentum.

SPECIMEN HVMANÆ MISERIÆ.

Sed nondum his ſufficientibus, licet pœnitenti Regi Deus (vt pie credendum eſt) culpam peccatorum dimiſerit, pœnam tamen eſt proſecutus in filios atque nepotem; dum (ſicut narrat Willelmus *h* Malmesburienſis, antiquitate & veritate præſtans hiſtoricus) quod idem Rex quemdam locum deſertis villis, ac ſubrutis eccleſiis, per triginta & eo amplius milliaria in ſaltus & luſtra ferarum redegiſſet; primo Richardus eiuſdem Regis filius, ipſo adhuc viuente ceruos ibi venans ex tabido aere incurrit morbum quo defunctus eſt: poſt obitum vero Regis, in eadem ſilua Guillelmus eius filius, qui ei ſucceſſit in regnum, cognomento Rufus, & nepos Richardi filius Roberti Comitis Northmanniæ, mortem offenderunt, ille ſagitta pectus, iſte collum traiectus, vel vt alij dicunt, arboris ramuſculo, equo pertranſeunte, fauces appenſus. Hæc Willelmus: ac de his modo ſatis.

VIII. VLTIO DIVINA OB ECCL. IN SALTVM CONVERSAS.

h *Malmeſbur. l. 3. reg. Anglic.*

IESV CHRISTI AN. 1088.

VRB. II. AN. 1.

HENR. III. 5.

ALEX. COMN. 8.

I. VRBANVS II. CREATVR PAPA.

ANNO Chriſti milleſimo octogeſimo octauo, Indictione vndecima, quarto Idus Martij, Otto Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, monachus Cluniacenſis, natione Gallus, de quo ſuperius, vno omnium Cardinalium, & Epiſcoporum, populorumque Catholicorum conſenſu, Tarracinæ in Campania creatus eſt S. Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex, dictuſque VRBANVS eius nominis Secundus. quam rem geſtam pluribus deſcripſit Petrus *a* diaconus Caſſinenſis, qui Auctarium appoſuit ad Leonem Oſtienſem in Chronico Caſſinenſi. Addit autem Bertholdus eundem Pontificem ſtatim in ſequenti die miſſis literis ad omnes Catholicos, & ſuam ordinationem declaraſſe, & ſe in omnibus veſtigia ſui deceſſoris Gregorij obſeruaturum denuntiaſſe. Sed deſunt eiuſmodi literæ. Caremus enim ipſius Vrbani Regeſto; quod à Leone Oſtienſe elaboratum fuiſſe, idem qui ſupra Petrus teſtatur in libro quem ſcripſit *b* de Viris Illuſtribus monaſterij Caſſinenſis.

a *Pet. Diac. Chron. Caſſin. lib. 4. c. 2.*

b *Id. de vir. Illuſtr. c. 31.*

II. DE ASSERTO EIVS DIPLOMATE DE CORP. S. BENED. APVD CASINVM.

Quomodo vero poſt paucos dies Tarracina Caſſinū veniens, cum dubitaret de præſentia corporis S. Benedicti in eo monaſterio, ab eodem Sancto ipſi per viſum apparente, in confirmationem veritatis ſuæ præſentiæ ſanatus fuerit grauiſſimo lateris morbo; idem Petrus *c* in Auctario narrat. Habeturque diploma Vrbani recenſitam hiſtoriam copioſius enarrans, quo infertur anathema eis qui corpus S. Benedicti in monte Caſſino eſſe negarent. Sed non leuia de impoſtura ſigna continet, vt pote quod cum huiuſmodi factum contigiſſe dicatur hoc anno, nemo ante Concilium Troianum, quod anno ſequenti celebratum conſtat; tamen diploma Vrbani datum ponitur anno nono ipſius Pontificatus, quo non Capuæ, ibi dicitur, ſed in Galliis eum fuiſſe, Bertholdus eius temporis ſcriptor accuratiſſimus, & alii omnes docent. Præterea nulla prorſus cohærentia in aliis ibi appoſitis temporum notis reperitur, dum in fine ſic legitur; *Datum Capuæ Calendis Aprilis, Indictione decimatertia, anno Dominī milleſimo nonageſimo tertio, Pontificatus vero Domini Vrbani Papæ Secundi anno nono.* Denique ſi ab Vrbano eiuſmodi fuiſſet diuulgatum diploma, quomodo Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, decretorum Romanorum Pontificum obſeruantiſſimus, paulo poſt hæc ſacrum hymnum ediditſet de translatione *cc* S. Benedicti in Gallias, vbi & miraculis coruſcare teſtatur? At hæc ſatis.

c *Id. in Chron. li. 4. c. 5.*

[Celebratur etiam à monachis S. Dionyſii, nedum aba liis, *illatio S. Benedicti* die 4. Dec. Solemni feſto, & officio diuino, quo & nonnulla miracula in eius rei confirmationem edita narrantur.]

III. DIPLOMA DE PRIMATV ECCL. HISP.

Hoc eodem anno, Idibus Octobris datum reperitur in Collectione Conciliorū Hiſpaniæ diligentia Garſiæ Loaiſæ, aliud eiuſdem Pontificis diploma ad Bernardū Archiepiſcopum Toletanum, primū illius ciuitatis poſt eam recuperatam à Saracenis (à quibus, vt ait, per trecentos pene ſeptuaginta annos poſſeſſa fuerat) Antiſtitem; quo Primatum ei totius Hiſpaniæ, ex antiqua conſuetudine cōceſſit. Aliud-

que

que rursum ab eodem auctore recitatur eiusdem Vrbani ad Archiepiscopum Tarraconensem eodem argumento Primatus Toletani, quem is agnoscere renuebat.

IV. Papir. Mass. Annal. Fr. l. 3. BERENGARII ANDEGAVEN. EXITVS.

Hoc item anno, tradit Bertholdus, Hermannum Regem Germaniæ Catholicum ex hac vita migrasse, cum rebellantibus Saxonibus recessisset in Thuringiam. Post quem *Eggebertus* Marchio Saxones rursum in Henricum commouit.

c Ap. Malmesbur. Hist. Angl. lib. 3.

Eodem *d* anno *Berengarius* carios̃us hæresiarcha, postquã sæpe falsa pœnitentia elusisset Ecclesiam, tandem mortuus est die Epiphaniæ; vt habet eius epitaphium *e* quod scripsit Hildebertus, magnæ postea doctr næ & sanctitatis Episcopus Cenomanensis, tunc vero Archidiaconus, & vita plane solutior; vt constat ex literis, ad eum electum Episcopum scriptis ab Iuone *f* Carnotensi. Quod quidem innotescendum fuit, ne Berengarius, qui post tot criminum moles mirum in modum laudatus eodem epitaphio reperitur, id à laudato viro meruisse credatur; sed ab amico potius, amicitiæ gratia laudis excedente modum, quippe quod nefandissimus hæresiarcha toties lapsus, vix l.ica communione in exitu magna misericordia dignus haberi potuisset, cum præsertim qui etiam his temporibus vixit, Lanfrancus Cantuarien sis Archiepiscopus, de ipso adhuc viuente scribens *g* ad Ramaldum vrbis Pictauorum Abbatem, multa habeat indigna homine Catholico; & Petrus Cluniacensis Abbas his temporibus proximus, in epistola contra Petrobrussianos de eodem meminerit cum detestatione & improperio. Denique Willelmus Malmesburiensis, dum agit de ipsius obitu, ait eum quamuis sententiam correxisset, tamen quod omnes quos deprauauerat conuertere nequiuisset, morientem gemitu producto dixisse: *Hodie in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus* IESVS CHRISTVS: *propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam; vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.* Quantum autem temporis vixerit, siquis cũcta de eo superius narrata recenseat, videbit prope nonagenarium decessisse, summam Dei misericordiam consecutum, si post tot iteratos lapsus, in Ecclesia Catholica vitæ periodum clausit.

f Ivo. ep. 177.

g Ric. Bar. Annal. Tõ. XI. hoc an.

QVID MORIENS DIXERIT.

IESV CHRISTI AN. 1089.

VRBANI II. AN. 2.

HENR. III. 6.

ALEX. COMN. 9.

I. ANno Domini millesimo octogesimo nono, Indictione duodecima Vrbanus Papa Legationem decreuit in Germaniã Gebehardo Constãtiensi Episcopo, (inquit Bertholdus) vt ordinationes improbãdas improbaret, roborãdas roboraret: sentẽtiamq; anathematis cõfirmauit in Guibertũ, Henricũ, fautores eorũ, & cõmunicantes, adhibita tamẽ diuersorum excommunicationis graduum distinctione. Quæ quidem in Synodo ab eo decreta fuisse, patet ex eius epistolæ fragmento ad Gebehardum ea de re scriptæ, quod Iuo *a* recitat. Nam & idem Bertholdus testatur, eumdem Pontificem hoc anno generalem SYNODVM centum quindecim Episcoporum collegisse, & Ecclesiastica statuta suorum prædecessorum confirmasse. Additque, malum excommunicationis in tantum propagatum esse eo tempore vt Catholici vix se ab eorum contagio possent illæsos custodire: atque in Teutonicis partibus quinque tantummodo Episcopos in Catholica communione fortes perstitisse, videlicet Wirceburgensem, Patauiensem, Wormatiensem, Constantiensem, & Metensem, quorum (vt ait) confortamento reliqui Catholici schismaticis à principio restiterunt.

Ivo par. 14.c.45. CONCIL. ROM. IN CAVSA SCHISM.

II. COMES EXCOMMVN. EXVMVLATVS.

Quod autem ad legationem Gebehardi pertinet; quam ille strenue in ea se gesserit, vno hoc exemplo intelligere potes, quod (vt idem auctor habet) cum Otto Comes pro adulterio ab eodem Legato excommunicatus, post mortem apud monasterium in prædio ipsius constructum à suis sepultus esset, iussu eiusdem Episcopi eiectus est, & ad sepulturam asini (vt Scriptura loquitur) deputatus. Sed nec illud prætereat, quod idem Legatus ad perferendas literas ad Vrbanum Papam, vsus est nuntio viro magnæ virtutis Eginone, qui postea fuit Abbas S. Vdalrici Augustensis: quem Vdescalcus *b* eius comes peregrinationis, ait in eo ministerio iussum mutare monasticum habitum, sapienter elusisse schismaticos.

b Canis. Tom. II. Antiq. Lect.

III. GVIB. ANTIP. PELLITVR A ROMANIS.

Habet insuper Bertholdus, hoc eodem anno Guibertum Antipapam à Romanis turpiter expulsum esse, & ne amplius Apostolicam Sedem inuadere præsumeret iuramento promittere compulsum. Sed & rebus ad aliquam concordiam inter Catholicos & Schismaticos vergentibus, Principes Catholicos colloquium habuisse cum Henrico, & auxilium promisisse si Guibertum dimitteret, & ad Catholicã communionem rediret; cumque eam conditionem haud ipse respueret, dissuasum fuisse ab Episcopis schismaticis, quibus cũ Guiberto deponendos esse nõ dubitarẽt. Addit etiam, Vrbanum Papam per Legatos suos absoluisse ab excõmunicatione Imperatorem Constantinopolitanum: ac demum suscepisse literas Philippi Regis Francorum, debitam ei subiectionem promittentis.

IV. CONCIL. TROIAN.

Hoc item anno celebratum esse ab eodem Vrbano CONCILIVM *Troiæ* in Apulia, apparet ex Petro *c* Diacono in Chronico Cassinensi: cuius quoque Concilij, ac decreti in eo editi de consanguinitatis linea in coniugatis, meminit Ivo *d* Carnotensis; eique tradit interfuisse Episcopos fere septuaginta quinque, & Abbates duodecim.

c Petr. diac. lib. 1. c. 8. d Ivo par. 9. c. 53.

V. MATHILDIS COMITISSÆ CONIVGIVM CVM WELPHONE.

Eodem quoque anno (vt Bertholdus habet) Mathildis Comitissa vidua Godofredi Gibberi, de qua sæpe superius, coniugio copulata est Welphoni Duci, filio Welphonis Ducis Baioariæ, nepoti Azonis Marchionis Ferrarien sis: & hoc vtique (inquit) non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia, vt tanto virilius S. R. Ecclesiæ contra Schismaticos posset subuenire. Vnde idem auctor addit, hoc coniugio Henricum Imp. valde tristatum esse, eundemque Ducem terrori fuisse Schismaticis. Ceterum ita hoc visum est agere Vrbano Papæ ob publicum Ecclesiæ bonum, vt tamen numquam illa voluerit commiscerì viro: prout asserit idem postea Bertholdus *e*; significatque Domnizo *f* presbyter, qui carmine cecinit res gestas maiorum eius, atque ipsius quoque Mathildis, cui viuenti adstitit, & morienti parentauit; dum ipsius merita recolens, tribuit ei centesimum fructum post trigesimum & sexagesimum, ita tres vitæ status in ea exprimens, nempe quod fuerit nupta, vidua, atque virgo quoque permanserit; secundum sensum quo parabolam *ff* Saluatoris communiter Patres interpretati sunt, & Ecclesia Dei in sacris ritibus est secuta. Quo etiam auctore cõstat, eamdem hoc Redemptoris anno iam ætatis suæ egisse quadragesimum tertium, dum totius eius vitæ ætatem tradit fuisse annorum sexagintanouem, obiisse vero diem anno Domini millesimo cẽtesimo decimoquinto, die vigesima quarta Iulij: qua ratione dicendum est, eam natam esse anno Salutis millesimo quadragesimo sexto.

c Barthol. an. 1095. f Ap. Bar. an. 1074.

VIRGÕ TAMEN PERMANSIT. ff Matt. 13.

VI. BONIZONIS EPISC. MARTYRIVM.

Hoc etiam anno ponit idem Bertholdus necem *Bonizonis* Sutrien sis Episcopi; qui ob defensionem Ecclesiæ Romanæ inde expulsus, post multas tribulationes, captiones, exilia, à Placentinis Catholicis pro Episcopo receptus, à schismaticis eiusdem loci, effossis oculis, & truncatis omnibus pene membris, martyrio coronatus est. Sed & feliciter pugnatum ait ab Eggeberto Marchione aduersus Henricũ; captumque Liemarum Archiepiscopum Bremensem, præcipuum Schismatis in Germania incentorem, atque alios occisos Episcopos ipsius in impietate collegas; Regemque vix fuga lapsum euasisse periculum. De quibus etiam agit Dodechinus ad Marianum. Quo item anno diem obiit Lanfrãcus Cantuarien sis in Anglia Archiepiscopus, vir scientia & sanctitate præstans; cuius remanserunt aliquot scriptorum monimenta, vt quæ scripsit contra perfidum Berengarium; & tomus Epistolarum, index fertilissimi ingenij: inter quas sunt duæ ad Reges Hiberniæ Gothricum, & Therdeluacũ, diuersis temporibus datæ, quibus eius tunc Ecclesiæ status, corruptelæque significantur. Vacauit autem sedes Lanfranci annis quatuor, afflictata nimium per Gullelmum Regem Iuniorẽ cognomẽto Rufum: de quib. Edinerus in Anselmo.

HENR. IMP. VINCITVR AB EGGEBERTO.

LANFRANCI OBITVS

VII. Tradit quoque Sigebertus, hoc eodem anno luem excre-

scentem,

scentem, quos pertigit, eosdem Igne sacro siue consumpsisse, siue membris mutilatis deformes reliquisse ostentui: cuius causa asseritur in Historia Antoniana g, frequentiori concursu creuisse cultum S. Antonij Magni in prouincia Viennensi, vbi eius corpus translatum Constantinopoli à Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensium oriundo, iussu Vrbani Papæ ab eius filio Guigone apud Motam S. Desiderij fuerat collocatum; vbi omnes eo morbo tacti confestim sanabantur. Aucta vero est eo amplius erga Sanctum reuerentia, quod sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in eumdem Sanctum peccantes, siue periurio, aliaue in eum irrogata blasphemia vel contumelia, eumdē mox experiri solerent vltorem, eodemque confestim morbo Ignis sacri percuti: quod pauendum cunctis prodigium hactenus perseuerat; adeo vt in prouerbium versum sit, *In S. Antonium neminem impune peccare.*

g *Hist. Antonian. par 2. c 31.32.33* S. ANTONII CVLTVS CELEBRIOR REDDITVS OCCASIONE IGNIS SACRI.

VIII. Eodem item anno mortuus est Constantinopoli Eustathius Patriarcha, cum sedisset annis tribus; & in eius locum subrogatus *Nicolaus* cognomento *Grammaticus*, qui tenuit cum annos viginti septem, & menses tres. Hæc ex serie Patriarcharum Constantinopolitanorum, quæ extat in Iure Orientali.

IESV CHRISTI AN. 1090.

VRBANI II. AN. 3.

HENRICI III. 7.

ALEXAND. COMN. 10.

I. CONCIL. TOLOS. SVB LEGAT. SED. APOST. ANno Christi millesimo nonagesimo, Indictione decimatertia, Vrbanus Papa (inquit Bertholdus) generalem SYNODVM ex Galliarum Episcopis per Legatos suos in *Tolosana* ciuitate circa Pentecosten collegit; ibique multa in Ecclesiasticis causis quæ corrigenda erant correxit. Tolosanus quoque Episcopus de illatis criminibus canonice se purgauit: & legatio pro restauranda Christianitate in Toletana ciuitate, Rege Hispanorum supplicante, destinata est. Ista ex Bertholdo. Insuper & ab ipso Vrbano Papa hoc eodem anno mense Septembris, SYNODVM *Melfi* in Apulia celebratam esse, testatur Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in suo Chronico; inque ea Rogerium filium defuncti Roberti Guiscardi, ligium Ecclesiæ Romanæ hominem factum esse, & ab Vrbano accepisse per vexillum terrā cum honore Ducatus. De iis vero quæ in ea Synodo sancita fuerunt circa collationes & acceptationes beneficiorum, continentiam & promotionem clericorum, correctionem Ecclesiasticorum Acephalorum commorantium in curiis procerum sæcularium, inuestituras laicorum, aliasque eius temporis necessitates Ecclesiæ, sunt *a* in codice Antonij Augustini, & Vaticano, canones sexdecim.

CONCIL. MELFIT. SVB VRB. PP.

a *Habet Baron. Annal. Tom. XI. hoc an.*

II. Hoc pariter anno illustres aliquot Confessores, Catholicorumque propugnatores strenuos, in Germania ex hac vita migrasse, atque inter eos Eggebertum Marchionem, Bertholdus affirmat. Vnde patuit via, vt Henricus in Italiam denuo se conferret aduersus Mathildem. Sicque collabentibus in Germania rebus Catholicorum, æque data est occasio Walthramo Magdeburgensi Episcopo schismatico, scribendi literas ad quemdam Ludouicum insignis virtutis partium Catholicarum Comitem, vt inhæreret Henrico. Ad quem Ludouicus magno zelo referibens, (dictante epistolam Stephano, qui & Herrandus, Haluerstatensi Episcopo) eumdem Waltramū hæresis ac simoniæ redarguit; atque Henricum pariter hæreticum & excommunicatum, ideoque nec Regem dicendum comprobauit; quippe qui inter alia nefanda, Episcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio pro Sodomitica immunditia venderet. Tradit hęc qui easdem epistolas recitat, Dodechinus in Appendice ad Marianum. Fuerunt vero & alij Orthodoxi, qui aduersus huiusmodi Schismaticos his ipsis temporibus commentarios edidere. inter quos memoriæ proditur à Bertholdo Bernardus Constantiensis; quem tamen ait nimio zelo ductum, excessisse modum in eo quod contra fidem Orthodoxam negauit omnino sacramenta posse conficiā schismaticis.

DE EPIST. LVDOVICI COM. ADVERSVS SCHISMAT.

[Post obitum *Baronii Gretserus* in calce Tomi II. Defens. Bellarm. edidit Epistolam valde prolixam istius Bernardi ad Bernaldum æque Constantiensem aduersus Schismaticos, vna cum ipsius Bernaldi responsione, aliisque eiusmodi scriptis pro Gregorio VII. compositis: quem quidem Bernaldum, eundem esse putat, qui alio nomine Bernoldus, siue Bertholdus, auctor chronici sæpe his Annalibus citati, nominatus reperitur.]

III. Sed & nitebatur ex aduerso contra Henricum Altmannus Patauiensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus; qui inter alia quæ præclare egit, curauit hoc ipso anno in Salisburgensi metropoli (cuius ipse suffraganeus erat) vacante per obitum S. Gebehardi Archiepiscopi, subrogari successorem sanctum alium, nempe *Thiemonem* antea Abbatem, cuius extant Acta *b* ab auctore illius temporis collecta: in quibus de his quæ idem passus est ab Henrico pro fide Catholica, traditur eum tredecim annis quibus præfuit, bellis, obsidione, gladiis, captiuitate, omnia extrema perpessum instar S. Athanasij Alexandrini, nunquam pene liberum corpus, nedum liberam auctoritatem habuisse. Ad quem carcere detentum cum aliquando missus spiculator, gladio caput iteratis summo nisu ictibus amputare conaretur, tantum summa cutis vix tenuem velut lineam ictus, & quod solum ictus agnosceretur, accepit: quod signum vlterius obduci, quamdiu vixit, non potuit. Idem vero demum anno millesimo secundo peregrinatus in Terram Sanctam, egregie martyrio perfunctus obiit; vt habent pluribus eiusdem Acta.

III.

b *Ap. Canis. Antiq. Lect. Tom. IV.* S. THIEMON ARCHIEP. SALISBVRG. QVANTA, PASSVS A SCHISMAT.

[Gebehardum, Altmannum, & Thiemonem, de quibus superiori § coniunctissimos fuisse, & tam in prosperis, quam aduersis, indiuiduos comites, & Pontiff. Romanorum aduersus schismaticorum factiones inuictos propugnatores extitisse, tum ex his, tum ex aliis superius dictis constat; maxime vero ex eorum rebus gestis ac Vitis, olim conscriptis, & non ita pridem in lucem editis, *Gebehardi* quidem ab Henrico Canisio Tom. II. Antiq. Lect. *Altmanni* autem & *Thiemonis* à Seb. Tenguagel.]

IESV CHRISTI AN. 1091.

VRBANI II. AN. 4.

HENR. III. 8.

ALEX. COMN. 11.

I. GVIB. ANTIP. RVRSVM ROMÆ RECIPITVR. CONC. BENEVENT. SVB VRB. PP. ANno Christi millesimo nonagesimo primo, Indictione decimaquarta, Romani (inquit Bertholdus) Guibertum hæresiarcham, quem iam dudum expulerant, iterum Romam intrare, & S. Ecclesiam suis non benedictionibus, sed maledictionibus infestare permiserunt. Vrbanus autem Papa facile Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam domare potuisset, si non magis cum mansuetudine causam suam agere delegisset. Qui quidem generalem SYNODVM *Beneuenti* colligens, sententiam anathematis in eumdem Guibertum, & omnes eius complices confirmauit. Hæc Bertholdus. Cum autem Beneuenti esset Vrbanus, conuenisse eum *S. Aibertum* Abbatem Crispinensem pro confirmandis Regulæ monasticæ institutis, quam suis seruandam præscripturus erat; tradit qui res eiusdem Sancti præclare gestas prosecutus *a* est Robertus Archidiaconus.

a *Ext. 4. Sur. 7. April.*

II. Interim vero Henricus Imp. quem vidimus post obitum Eggeberti in Italiam rediisse, Mantuam post vndecim mensium obsidionem (vt Domnizo habet) pridie diei Paschatis proditione cepit, aliaque plurima oppida, vix paucis munitissimis saluis. In Germania vero qui his temporibus Catholici permanserunt in obedientia Sedis Apostolicæ, egregiæ sanctitatis specimen edidere, (sicut narrat Bertholdus) dum non solum clerici & monachi religiosissime viram communem obseruarunt, sed etiam innumerabilis multitudo sęcularium hominum tam virorum quam feminarum, & tam coniugatorum quam cælibum, tamque in vrbibus quam etiam in villis, eamdem communem vitam, sub obe-

VITA COMMVNIS APVD LAICOS.

dientia

dientia clericorum siue monachorum, in primitiuæ Ecclesiæ formam, deuotissime amplexati sunt: qui etsi habitu nec clerici vel monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur. quorum viuendi rationem Vrbanus Papa laudauit, atque aduersus obtrectatores auctoritate Apostolica diplomate pro eis edito confirmauit. Narrat hæc pluribus Bertholdus: qui demum addit, sic dignatum esse Deum Sanctam Ecclesiam suam in periculosissimo tempore mirabiliter consolari, vt de multorum conuersione gauderet, quæ de excommunicatorum auersione iamdiu non cessasset dolere.

III. TARRACON. CIVITAS DONATA S. PETRO.

Hoc quoque anno cum Henricus debaccharetur in Romanæ Ecclesiæ iura, Berengarius Ausonensis in Hispania Episcopus ad Vrbanum Papam veniens, obtulit ei Berengarij Comitis Barcinonensis donationem factam anno superiori millesimo nonagesimo, ciuitatis Tarraconensis è Saracenorum manibus nuperrime vendicatæ (postquam trecentis ferme & nonaginta annis possessa ab eis fuisset) cum censu annuo quinque librarum argenti. Cuius hodieque instrumentum Donationis extat in Vaticana Bibliotheca *b* in codice Cencij Camerarij: subiicituque Vrbani diplomata de translatione eiusdem Berengarij Episcopi in sedem Tarraconensem, cum priuilegio Pallii; quippe cuius potissimum opera ea ciuitas & Ecclesia restaurari cœpisset.

b Rec. Baron. Annal. Tom. XI. hoc an.

IESV CHRISTI AN. 1092.

VRB. II. AN. 5.

HENR. III. 9.

ALEX. COMN. 12.

I. IVO CARNOTENSIS EPISC ORDINATVR. *a imop. I.*

ANno Christi millesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, (inquit Sigebertus huius temporis scriptor) *Iuo* S. Quintini Beluacensis Præpositus ab Vrbano Papa consecratus est Carnotensis Episcopus. Nempe suffectus *a* in locum Gaufredi, qui sub Gregorio Septimo diu Romæ detentus reus simonicæ prauitatis, & deficientibus probationibus liber dimissus, tandem sub Vrbano plane innotescentibus eius criminibus, ab eodem Pontifice depositus est. Quantus autem doctrina ac probitate Iuo fuerit, recitandæ de eo res gestæ suis locis significabunt. Qui mox post suum in Galliam reditum *b*. Richerium Archiepiscopum Senonensem, qui fauebat Gaufredo, passus aduersarium eo prætextu quasi in maiestatem regiam offendisset, quod à Sede Apostolica consecrationem præsumsisset accipere; appellatione ad eamdem Sedem liberatus est: prout apparet ex literis ab eo de his ad eumdem Richerium primo, deinde etiam ad ipsum Vrbanum Papam scriptis, quibus & plura habet de eximia Sedis Apostolicæ auctoritate; *cuius* (vt ait) *iudicijs & constitutionibus obuiare, plane est hæretica prauitatis notam incurrere.*

b Id. ep. 8. & 12. Ap. Bar. hoc an. & seq.

II. S. BRVNO CARTHVS. VOCATVR AB VRB. PP.

Hoc eodem anno, qui numeratur sextus incolatus sanctorum monachorum in Carthusia, Vrbanus Papa accersiuit ad se ex eadem solitudine *S. Brunonem* illius instituti auctorem, inuitumque triennio retinuit, vsus eius opera in Conciliis celebrandis. Eodemque tempore ex remotioribus Orbis partibus Ericus Danorum Rex (qui anno superiori Olauo fratri subrogatus fuerat, cultor pietatis eximius) ad eundem Vrbanum se contulit, cum ob inanes & falsas suspiciones ab Archiepiscopo Hamburgensi excommunicandus, appellatione ad Sedem Apostolicam sententiam auertisset. Qui apud Vrbanum causa perorata, non solum superior euasit, verum etiam obtinuit vt Dania haud amplius sedi Hamburgensi subesset, sed proprium haberet Metropolitam: (quod Sueno *c* Rex iam olim pertentauerat;) qui à Legato Sedis Apostolicæ ad hoc misso constitutus est in ciuitate Lundiæ, tum ob egregios Ascenij tunc eius Episcopi mores, tum quod ad eā è finitimis regionibus terra marique transitus abunde pateret. Quapropter & Sueciam quoque ei, Norueglan. que in sacris subiecit. Habet hæc pluribus Saxo *d* Grammaticus. Sicque Hamburgensis Primatus sub Vrbano Secundo magnopere imminutus est, cum eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus Liemarus inhærens Henrico, factus esset omnium schismaticorum antesignanus. Fuisse porro post hæc tempora, varias de Sedium inter eas Ecclesias institutionibus & prærogatiuis controuersias, variaque edita à Summis Pontificibus decreta, constat ex auctoribus qui de iis regionibus scripserunt.

Rex Dan. appellat ad Sed. Apost.

c Vid. Adl. lib. 3. c. 34. & Baron. an. 1053.

d Sax. Gr. lib. 12. Hist. Dan.

IESV CHRISTI AN. 1093.

VRB. II. AN. 6.

HENR. III. 10.

ALEX. COMN. 13.

I. CONCIL. TROIAN. SVB VRB. PP.

ANno Christi millesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, Vrbanus Papa (inquit Bertholdus, res eiusem Pontificis per annos singulos prosecutus) generalem SYNODVM centum pene Episcoporum in Quadragesima ex diuersis prouinciis in Apulia congregauit, & diuersis Ecclesiarum necessitatibus Synodali prouisione competentet succurrere curauit. Hæc ille. Porro *Troiæ* hoc Concilium celebratum esse, habet Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in suo Chronico: dicendumq; illud posterius, respectu prioris sub eodem Pontifice ante quatuor annos celebrati, de quo dictum est supra.

CONRADVS FIL. HENR. CONTRA PATREM REGNAT.

Hoc insuper anno Conradus Henrici Imp. filius aduersus patrem rebellans, sed & Mediolanum, aliæque nonnullæ ciuitates Longobardiæ contra eundem Henricum insurgentes, adhæserunt omnes Welphoni Duci, eiusque coniugi Mathildi, qui vna cum Welphone Seniore eiusdem Iunioris parente, bellicis Henrici furoribus viriliter restiterant. Idem vero Conradus à patre paulo post dolo circumuentus & captus, sed Dei misericordia protinus se eripiens, annuentibus iisdem Ducibus ab Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi coronatus est Rex Italiæ. Henricus autem quadam se munitione (nempe Verona, vt alij scribunt) concludens, ibique diu absque regia dignitate moratus, tandem nimio dolore affectus, sibi aliquando manus inferre tentauit, sed à suis præuentus exequi non valuit. Narrat hæc pluribus Bertholdus hoc anno. Rebellionem porro Conradi Dodechinus ex ea causa prodiisse enarrat, quod Henricus Adelaidem vxorem suam (quam Praxedem alii nominant) innocentissimam feminam odio incipiens habere, eadem carceri mancipata, compulisset plurimos vim ei inferre; immo & ipsum filium suum Conradum ad idem flagitium in nouercam cohortans, eo recusante, illum non suum, sed peregrini filium esse affirmasset cuiusdam Principis Sueviæ, cuius faciem multum repræsentaret. Ceterum Regina post plurima & inaudita malorum genera sibi illata, de custodia mirabiliter liberata, ad Mathildem Comitissam confugit, & ab ea deducta est ad Vrbanum Papam: qui SYNODO convocata, denuo Henricum ob noua ista scelera excommunicauit. Regina vero reuersa in patriam, monasteriumque ingressa facta est Abbatissa. Hæc ex Dodechino: qui addit, Cōradum quoque venisse ad Vrbanum, & solutum ab excommunicatione regnasse in Longobardia; fuisseque omni probitate conspicuum, humilem & modestum, sed paucis annis superuiuentem immature obiisse. Eadem de vxore Henrici Albertus Stadensis, qui eam ad suos in Russiam esse reuersam affirmat. Sed Nouatores hostes Romanorum Pontificum, & hæreticorum sui consimilium studiosi, turpia illa negant, quod in Vita Henrici scripta non sint. At qua frōte? cum eadem annis sequentibus, spectante Orbe, in Synodis Constantiensi & Placentina fuisse publice declamata, testetur rerum inspector Bertholdus *a* Constantiensis.

NEFANDVM HENRICI SCELVS.

CONCIL. IN CAVSA ADEL. AVG.

a Berthold. an. 1094. & 1095.

Harum porro nouitatum occasione consternatis vbique Schismaticis, & Catholicis vires resumentibus, Germani Principes *Conuentu* apud *Vlmam* habito, firmiter statuerunt omnino obedire Gebehardo Constantiensi Episcopo Sedis

III.

Aposto-

VRB. REDIT ROMAM.

Apostolicæ Legato. Vrbanus autem Papa, qui hactenus Romæ temperauerat, quod non facile absque humani sanguinis effusione expelli inde Guibertini possent, reuersus est in Vrbem; vbi à suis receptus, Natalem Domini solemniter celebrauit, quamuis adhuc iidem Schismatici munitionem S. Angeli possiderent: ipse vero Guibertus cum Imperatore suo apud Veronam eo tempore existens, se libenter Papatum deferere simulauit, si alio modo pax in Ecclesia recuperari non posset. Hæc omnia Bertholdus pluribus, hoc anno, & sequenti.

IV. ALFON. HISP. REX STVDIOSVS CLVNIACEN.

Ad finem autem rerum gestarum anni huius, idem qui supra Bertholdus de Alphonso siue Aldefonso Rege Hispaniæ tradit, ipsum in fide Catholicum, & in conuersatione Cluniacensis Abbatis obedientiarium, his temporibus sæpissime contra Paganos viriliter dimicasse, multasque ecclesias iamdudum penitus deuastatas in pristinum statum restaurasse: sed & Cluniaci maiorem ecclesiam à fundamentis ædificasse, missa ad hoc infinita pecunia: ac denique ibidem monasticum habitum sumpturum fuisse, nisi Abbas eum sub sæculari habitu retinere satius iudicasset.

V. ANSELMVS ORDINATVR ARCHIEP. CANTVAR.

Hoc eodem anno magnum illud decus & splendor Ecclesiæ Anglicanæ, *S. Anselmus* monachus patria Augustanus, (eius nominis oppidi, quod in finibus Burgundiæ situm est Italiam versus) electus est pridie Nonas Martij Archiepiscopus Cantuarensis, & cum ob varias rationes distulisset electioni cõsentire, tandem pridie Nonas Decembris consecratus est; subrogatus Lanfranco post annum quartum eius obitus, cuius & fuerat olim discipulus, & postea in Præfectura monasterij Beccensis in Normandia successor, ac demum Abbas ibidem Hirluino suffectus. Hæc pluribus eius temporis scriptor *b* sincerissimus, Edinerus eius à secretis minister: qui pergit, quomodo festis diebus Natalis Domini idem ad Curiam procedens, honorifice primum à Rege susceptus est, sed post instinctu diaboli hominumque malorum mutato Regis animo, eo quod ille spoliatis hominibus suis mille libras denariorũ Regi pro agendis munificentiæ suæ gratiis dare noluerit, è curia discedere coactus est.

b Ap. Sur. 21. April.

ECVRIA PELLITVR OB DENEGATAM PECVNIAM, PRO SVA PROMOTIONE.

duxit, conniuentibus etiam nonnullis Episcopis) extant nonnullæ ad diuersos Antistites, ipsumque Regem scriptæ Iuonis *c* Carnotensis epistolæ, sese magna constantia iis sceleribus opponentis. Quid vero in his postea actum fuerit, dicetur suis locis.

c Id. ep. 13. 14. &c.

III. S. ANSELM. MITTIT AD PP. LIBRVM DE INCARN. VERBI.

Hoc eodem anno (vt Edinerus in Anselmo, & Dodechinus in Chronico habent) idem S. Anselmus Archiepiscopus Cantuarensis ad Vrbanum Papam misit examinandum librum, quem *De Incarnatione Verbi* olim in Beccensi monasterio Abbas scripserat aduersus quemdam clericum in Gallia nouæ hæresis auctorem, immo veteris restitutorem insaniæ Sabellianæ; qui impie æque ac imperite dicebat, si in Deo tres sint personæ, vna tantum res, & non sint tres res, vnaquæque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamẽ vt potentia & voluntate omnino sit idem; inde necessario sequi, Patrem quoque & Spiritum Sanctum vna cum Filio esse incarnatum. Qui quidem clericus cum in Synodo à Rainaldo Archiepiscopo Rhemensi collecta, errorem suum abiurasset, rursum in sua perseuerabat ignorantia & malignitate, asserens se non ob aliud abiurasse quod dicebat, nisi quia à populo interfici timebat. At quisnam fuerit iste, licet Anselmus eum non nominet, tamen non alium putamus quam *Roscelinum* illum, ad quem extat Iuonis *d* tunc temporis scripta increpatoria epistola, cum post *Concilium Sueßionense* aduersus eum congregatum, sententiam quam abiurauerat clandestinis denuo disputationibus defenderet.

d Id. ep. 7.

[Non alium quam ipsum Roscelinum, intellexisse Anselmum, constat ex quadam ipsiusmet Anselmi epistola ad Fulconem Bellouacensem Episcopum scripta, cuius partem ad huius loci elucidationem pertinentem ex codd. MS edidit Fr. Iuretus in Not. ad Epist. Iuonis: vbi Anselmus ait, Roscelinum clericum dicere in Deo tres personas esse tres res ab inuicem separatas, sicut sunt tres Angeli; ita tamen vt vna sit voluntas & potestas; aut Patrẽ & Spiritum S. esse incarnatum; & tres Deos vere posse dici, si vsus admitteret]

Hoc eodem anno grassante mortalitate in Germania, Gallia, & Italia, magnus prouentus ex conuersione schismaticorum Catholicæ accessit Ecclesiæ; pœnitentibus illis timore mortis, & ad Ecclesiam redeuntibus, vt Bertholdus testatur: qui & eosdem schismaticos multis fuisse perterrefactos prodigiis tradit, ex iisque nonnullos sibi ipsis manus intulisse, alios à bestiis deuoratos esse. Feminam vero, ob crimen quod Pœnitentiario sua confitendo peccata reuelauerat, incendio condemnatam, & iterum incenso igne circa ipsam, diuina virtute per Dei Genitricis intercessionem illæsam seruatam esse in Laudensi Ecclesia, Sigebertus hoc anno habet.

IV. SCHISMATICI OCCASIONE MORTALITATIS CONVERTVNTVR.

Hocque item anno, vigesima quinta Iunij (vt veteres Annales Venetorum habent) contigit Inuentio S. MARCI, precibus solemnibus impetrata, & magno miraculo ab ipso Euangelista demonstrata: cuius Corpus solemni ritu collocatum fuit sub altari primario. Hoc autem magnum Dei beneficium perpetua annua celebratione renouandum esse, publicis sanciuere decretis.

V. S. MARCI CORP. INVENTIO. *Ad quam vide supra an. 820. 11*

IESV CHRISTI AN. 1094.

VRB. II. AN. 7.

HENR. III. 11.

ALEX. COMN. 14.

I. CONCIL. CONSTANTIEN. SVB LEG. SED. APOST.

ANNO Christi millesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, Gebehardus Constantiensis Episcopus Apostolicæ Sedis in Germania Legatus, ibidem *Constantiæ* magnam SYNODVM in hebdomada Maiore ante Pascha celebrauit; in qua inter alia quæ de illa Bertholdus recitat, receptam esse ait querelã Praxedis Reginæ aduersus spurcissimum Henricum ipsius maritum: sed & incontinentiam presbyterorum, ac violentiam simoniacorum adeo prohibitam esse, vt etiam *a* populus ab eorum officio prohiberetur, si ipsi eo statu ministrare præsumpsissent.

a Vid supra an. 1074. III.

II.

Rursus autem ab alio Apostolicæ Sedis in Gallia Legato, Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, (quem sub Gregorio Septimo magni æstimatum, sub Victore Tertio aliquantulum resiliisse vidimus, non tamen vt deficeret ad schismaticos: idem vero Vrbano Papæ ab exordio Pontificatus eius se coniungens, pristinam Legationis dignitatem ab eodem inuitus *b* suscepit) idem Bertholdus congregatum esse ait in ciuitate *Ostione* Generale CONCILIVM Archiepiscoporũ, & Abbatum diuersarum prouinciarum, decimoseptimo Calendas Nouembris; atque in eo inter alia renouatam excommunicationem in Henricum & Guibertum, omnesque eorum complices: Regemque Galliarum Philippum pariter excommunicatum esse, eo quod viuente legitima vxore alteram superinduxisset. Hæc ille. Sed de causa Regis Philippi, (qui reiecta Berta legitima coniuge, Bertradam pellicem

b Ivo ep. 1°. ad Hugon.

CONCIL. GALLIC. IN QVO REX PHILIP. EXCOMMVN.

IESV CHRISTI AN. 1095.

VRB. II. AN. 8.

HENR. III. 12.

ALEX. COMN. 15.

I. CONC. PLACEN. GENER.

ANNO Domini millesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, Vrbanus Papa Generalem SYNODVM ex Episcopis Italiæ, Germaniæ, & Galliarum, *Placentiæ* in Longobardia celebrauit circa mediam Quadragesimam: ad quam (inquit Bertholdus præsentium rerum inspector) tam innumerabilis multitudo confluxit, vt cum in nulla Ecclesia illius ciuitatis posset comprehendi, extra vrbem in campo celebranda fuerit; quippe quatuor millia fere clericorum, & plusquam triginta millia laicorum eo conuenisse perhi-

betur. In ea vero Synodo Praxedes Regina aduersus Henricum cõquesta de spurcitiis quas ab eo passa esset, absoluta est de pœnitentia pro illis iniungenda, eo quod illas non tam commisisse quam inuitam pertulisse certo constaret, quodque eiusmodi facinus sponte & publice confiteri non erubuisset. Legati Philippi Regis Galliarum, excusantes quod iam ipsum iter ad Synodum aggressus, legitimis causis impeditus fuisset, inducias ei vsque ad Pentecosten impetrauere. Hugo Lugdunensis Archiepiscopus ad eamdem Synodum vocatus, ab officio suspensus est, eo quod nec ipse venerit, nec Legatum cum legitima excusatione direxerit. LEG. IMP. CONST. AD SYNODVM. Legati Imperatoris Constantinopolitani implorauerunt auxilium contra Paganos, qui omnia pene vsque ad muros illius ciuitatis occupassent. Ac denique renouata sunt decreta aduersus clericos simoniacos & incontinentes; damnataque rursum hæresis Berengariana; & promulgata in Guibertum ac eius complices cum ardentibus candelis sententia anathematis; aliaque statuta circa disciplinam Ecclesiasticam, quæ Bertholdus recitat: quibus consentientes quindecim canones ab eadem Synodo Placentina statuti, continentur in codice scripto Anselmi Lucensis libro septimo Decretorum. Meminit vero etiam eiusdem Synodi Domnizo presbyter, qui adfuit vna cum Mathilde Comitissa.

II. CONR. REX STRATORIS MVNVS EXHIBET PAPÆ. Placentia recedenti Vrbano Conradus Rex filius Henrici apud Cremonam obuiam progressus stratoris officium exhibuit, ac iuramento fidelitatem promisit: qui mox regio apparatu Pisas pergens, sponsam suam filiam Rogerij Ducis Siciliæ, adhuc admodum paruulam, cum ingenti pecunia sibi oblatam recepit. Vrbanus autem rebus in Longobardia probe dispositis, in Gallias mariano itinere diuertens, ad S. Mariam ad Podium in eius Assumptione peruenit. Synodum que ad Clarum-Montem apud Aruernos in Octauam S. Martini condixit. Hæc Bertholdus. Indicta porro Synodo, statim à Francorum Rege Philippo Legati missi sunt ad Papam qui eum emollirent: ipse vero Pontifex literas scripsit ad omnes Galliarum Antistites, vt Regem hortarentur ad resipiscentiam, alioqui in eum exercerent Ecclesiasticam disciplinam: qui tamen ita iis commoti sunt, vt non vere correctionem Regis vrgerent, sed palpando potius indulgerent; vno excepto Ivone Carnotensi, qui ingenti animo mandata Apostolica minis promissionibusve Regis aliorumque præponens, haud cessauit tum ipsum Papam ad iustitiam exercendam, tum Regem ad pœnitentiam agendam. Episcoposque ad resumendos animos. literis *a* suis hortari, in tantum vt direptionem omnium bonorum Ecclesiæ suæ, etiam vsque ad penuriam panis, ac demum carcerem, à Rege *b* passus fuerit.

a Ivo ep. 28. 99 105. 109
b Id ep. 100 101.

III. CONCIL. CLARO-MONT. SVB VRB. PP. PHILIP. REX EXCOMMVNICATVR. Ceterum die condicta, in Octaua S. Martini Vrbanus CONCILIVM ad *Clarum-Montem* celebrans, (in quo tredecim Archiepiscopi cum suis suffraganeis interfuerunt, & ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt) statuta præteritæ Synodi Placentinæ confirmauit: insuperque Philippum Regem excommunicauit, quod legitima coniuge dimissa, militis sui vxorem sibi in coniugium sociasset: ac denique aliam Synodum in tertiam subsequentis Quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam indixit. Hæc Bertholdus: eademque de excommunicato Rege Sigebertus. Sed & Bertradam Regiam pellicem eadem cẽsura multatam, Willelmus *c* in Rebus Anglicis tradit; canonesque recenset. Verum quod pertinet ad canones; triginta duo ad disciplinam, libertatemque Ecclesiasticam, ac mores clericorum laicorumque spectantes, ex Concilio Cloromontensi exscripti reperiuntur in codice Lamberti Episcopi Atrebatensis ante quadringentos annos scripto, ex quo totidem lineis Antonius Augustinus descripsit *d*. Habenturque insuper aliqua alia ex eadem Synodo apud Gratianum, aliosque Collectores qui in iis laborarunt; licet non omnes recensuerint canones, neque eodem ordine.

c Malmesbur. lib. 4. c. 2.

d Ret. omnia Baron. hoc an. ex cod. Ant. Aug.

IV. INDICITVR EXPEDITIO IN TERRAM SANCTAM. Sed præcipuum fuit illud, cuius causa potissimum collectum est Concilium, vt in eo indiceretur expeditio in Terram Sanctam. Etenim Vrbanus quod sciret sæpe à decessore suo Gregorio Septimo esse tentatum, sed Schismaticorum factionibus, variisque bellis impeditum; denuo vrgentibus literis Alexii Imperatoris Constantinopolitani nuper in Placentino Concilio lectis, (cuiusmodi & plures alias eumdem Alexium ad Vrbanum scripsisse testatur Vrspergensis in Chronico) nauiter agere cœpit, vt à Fidelibus Christianis ferretur auxilium periclitanti Orientali Ecclesiæ; potissimũ vero Hierosolymorum, à cuius Patriarcha Symeone, deferente *Petro* Eremita, literas commiseratione dignas acceperat, quibus Christi Incunabula atque Sepulchrum, ceteraque Loca Sancta ipsius memoria consecrata, ab infidelibus Turcis profanata, omnique genere contumeliarum affecta deplorabat. Hic enim Petrus (teste Willelmo *e* Archiepiscopo Tyrio, qui eam de Bello Sacro historiam texuit) natione Gallus, patria Ambianensis, cum petiisset Hierosolymam, & literas ad Vrbanum Papam & Christianos Principes accepisset, à CHRISTO quoque per visum, dum oraret ad sacrosanctum templum Resurrectionis, tanti muneris legationem accepit; (non autem per epistolam de cœlo lapsam, vt plures sunt fabulati) & afflatus diuino Spiritu, classicum potenter intonuit, cuius clangore ab vniuerso pene Orbe Occidentali ad arma concursum est.

PETRVS EREM. PROMOTOR SACRI BELLI.

e Tyr. lib. 1. de Bel. sacr. cap. 11. 12.

V.

Attamen primarius dux verbi, atque promotor tantæ molis operis, Vrbanus Pontifex extitit, qui in hoc ipso Claromontensi Concilio plures ea de re conciones habuit, quarum vnam recitat Tyrius *f*, aliam Willelmus *g* Malmesburiensis; tertiaque *h* illis plane diuersa reperitur. Inter schedas Bibliothecæ Vaticanæ. Sed & qui aderant Ecclesiarum Prælatis (quod Tyrius testatur, & ex iisdem sermonibus apparet, præcepit, vt ad propria reuersi cum omni instantia & debita solicitudine plebes suas ad idem hortarentur. Id vero ii, si impigre præstantes, adeo profecerunt, vt præ multitudine dantium nomina, opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel valetudo ponderi militari succumbendo impar esse manifestis indiciis videretur. Erat autem pro stipendio Indulgentia peccatorum proposita; atque (vt Petrus *i* Diaconus ait) pro tessera militari, signum sanctissimæ CRVCIS rubei coloris super scapulam dexteram impressum vestibus. Et vt nihil ire volentibus obiceretur impedimenti, ante omnia placuit decreto Synodali statuere, vt cuncta bona eorum qui militarent, semper, & vbique essent in pace & (vt vocabant) tregua, nempe ab omnimodis inquietationibus libera, quousque rediissent. Quæ vero secuta fuerint, dicetur postea; cum alioqui nec isthæc omnia potuerint hoc anno peragi.

f Ibid. c. 15.
g Malmesbur. l. 4. c. 2.
h Rer. Brit. Annal. Tõ. XI. hoc an.
i Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. c. 11.

CRVX TESSERA MILITARIS.

VI.

Vt autem res difficillima optatum consequeretur effectum; ad conciliandum cœleste numen, placuit etiam Dei-Genitricis precibus annitendum quod probe sciretur, quęque ardua progressura feliciter, quibus B. MARIÆ Virginis faueret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum Vrbanus eodem Claromontensi Concilio egit vt Horariæ illæ preces & laudes, quæ vulgo OFFICIVM DEI-GENITRICIS appellari consueuerunt, quæque apud monachos eremitas institutionis Petri Damiani (vt superius vidimus) frequentari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos à quibus digne eidem sanctissimæ Virgini persolui deberent, vt ipsa apud Filium ageret, quo fidelis populus in tot & tantis discriminibus subeundis eius præsidio muniretur. Quod quidem tunc à Synodo indictum, & à clericis pie susceptum, ad laicos etiam fuit tam viros quam feminas propagatum; & quidem cum magno fœnore gratiarum, vt experti sunt omnes, iugiterque experiuntur Fideles, illud ex animo frequentantes. Quin & easdem Preces Carthusianos diuino monitu haud tunc pridem susceptisse dicendas, suique Ordinis eamdem Dei-Genitricem adsciuisse patronam, docetur in Rebus & gestis S. Brunonis ipsorum Institutoris: in quibus & de præceptis in dicto Claromontensi Concilio iisdem precibus; habetur mentio. Porro ipse Bruno triennio retentus ab Vrbano, celebrato hocanno Concilio Placentino, vix ab eodem licentiam obtinuit optatam eremum repetendi: qui tamen haud in Carthusiam rediit, ne ita Pontificem proficiscentem in Gallias sequeretur; sed in Calabriam: vbi Carthusianum propagauit institutum, nobileque erexit in Squillacensi regione monasterium, liberalitate Rogerij Calabriæ & Siciliæ Comitis: quem & post sequentem annum in obsidione Capuæ existentem, ipsi per visum noctu apparens, liberauit ab insidiis Sergij ducis Græcorum militantium in ipsius exercitu; vt

OFFIC. DEI-GEN. AB OMNIBVS SVSCEPTVM.

S. DEI-GENITRIX PATRONA ORD. CARTHVS.

k Vit. S. Brun. Carthus. c. 21. 22. ap. Sur. 6. Oct.

S. BRVNO SECEDIT IN CALABRIAM.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

patet ex diplomate ea de re ab eodem Rogerio in fauorem Carthusianorum dato, quod in eisdem Actis reperitur.

VII. CONCIL. ANGLIC. IN CAVSA VRB. PP.

Celebratum hoc item anno est in Anglia, iussu Regis Guillelmi, tertia hebdomada Quadragesimæ apud Castrum *Rothingebum*, SYNODVS generalis Prælatorum ac Principum Regni in causa Vrbani Papæ, ea occasione quod cum Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis eum vt verum CHRISTI Vicarium, atque legitimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem agnosceret, ideoque profectionem ad illum instituisset petendi causa Pallium; (non enim nisi præsenti Archiepiscopo Cantuariensi dandum fuisse, superius sæpe vidimus:) Rex qui potius faueret Guiberto Antipapæ, edixisset neminem Episcoporũ regni sui aliquem recipere debere Romanum Pontificem, nisi quem ipse Rex prius approbasset. Quamobrem ingenti hinc persecutione, non à Rege tantum, sed & ab omnibus Episcopis in Anselmum oborta; eodem conciliabulo decretum est, eum salua fide quam Regi debebat, nullatenus posse in Regno Vrbanum pro Papa tenere; ideoque ab eius communione omnes (vno excepto Roffensi, qui constans in obedientia Vrbani cum Anselmo perstitit) abstinuerunt. Sed factum est mira Dei prouidentia, vt cum Rex fraudulenter apud Vrbanum egisset, vt Pallium in Angliam mitteret ei tradendum quem Rex cuperet; cum ad hoc missus Walterus Episcopus Albanensis nunquam flecti potuisset, vt Anselmum, tantæ virum sanctitatis & scientiæ, legitimeque introductum, ac nullius obnoxium culpæ, Ecclesia sua deturbaret; tandem Rex mutato animo, non solum Vrbanum verum Pontificem debere dici & credi edicto cauerit, sed & ipsius Anselmi vltro amicitiam expetierit, eique Pallium tradi voluerit, atque libere primatum per vniuersam Angliam exercere permiserit. Narrant ista pluribus Edinerus *l*, qui ea vidit, in Vita S. Anselmi, & Willelmus *m* Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum: quorum etiam assertione constat, hanc ita pacem compositam anno integro perdurasse; ruptam autem esse, cum iterum Regem persecutorem Anselmus expertus *n*, desperatione iuuandi suos Vrbanum Papam adire decreuit, peneque eum vel deponere sarcinam, vel per eum apud Regem iuuari. Eam vero licentiam Romam eundi, vix tandem post plurimam de iuribus Ecclesiæ ac Regni cum eodem Rege habitam contentionem, extorsit ab eo; sed ita vt conscensuri nauim excussis indignissime cunctis sarcinulis, pecuniam minime secum ferre permissus fuerit.

REX. ANGL. MVTATVR IN MELIVS.

l *Edin. lib. 2. ap. Sur. 21 Apr.*
m *Malmesbur. de pontiff. Angl. lib. 1.*
TERRVM VEXAT ANSELMVM.
n *Ap. Bar. an. 1097. in pr.*

VIII. ORDO MINISTR. HOSPIT. S. ANTONII.

Hoc eodem anno à GASTONO Franco viro nobili prouinciæ Viennensis, vna cum Gerino ipsius filio, iunctis sibi octo aliis, i stitutus asseritur Ordo ministrantium infirmis, qui sacro Igne consumpti truncatis membris in perpetua calamitate viuerent: iidemque cum laici essent, pro insignibus *Thau* signum sibi sumpserunt. Sed hæc pluribus in Historia Antoniana dicta, cuius auctor extitit Himarus Fulco eiusdem Ordinis Præceptor.

IESV CHRISTI AN. 1096.

VRB. II. AN. 9.

HENR. III. 13.

ALEX. COMN. 16.

I. CONCIL. TVRON. SVB VRB. PP.

ANNO Domini millesimo nonagesimo sexto, Indictione quarta, tertia hebdomada Quadragesimæ, Vrbanus Papa *Turonis* in Gallia SYNODVM celebrauit; vbi (inquit Bertholdus) iterum suorum præteritorum statuta Conciliorum roborauit. Extant *a* vero duo diplomata ab eodem Pontifice hac ipsa Indictione data; alterum in eadem Turonensi ciuitate pridie Idus Martias, de confirmatione priuilegiorum Ecclesiæ S. Martini; Pictauis alterum quarto Calendas Aprilis, de abolitione inoliti eiusdem S. Martini Ecclesiæ abusus, quo nonnisi pretio præbendæ atque canonicatus conferrentur. Antequam autem idem Pontifex ex Gallia recederet, tradit Bertholdus, Philippum Regem, iamdudum pro adulterio excommunicatum, humiliter ad eum pro satisfactione venientem, reiecta pellice in gratiam receptum esse, seque in seruitium Papæ promptum exhibuisse. Additque, Pontificem bene dispositis rebus in Gallia, in Italiam rediisse, & Natiuitatem Domini Romæ gloriosissime celebrasse; licet adhuc Guibertini Turrem Crescentij possiderent. Sed hoc ipse exordio sequentis anni, incipiens more suo annos à Natali Domini numerare.

a *Rec. Bar. Tom. XI. hoc. an.*

PHILIP. REX ABSOLVITVR.

II. EXPEDITIO IN ORIENTEM.

Hoc eodem anno, expeditio Occidentalium in Orientem, de qua anno superiori, sub diuersis ducibus, diuerso tempore, diuersis locis, in procinctu posita, Constantinopolim versus iter arripuit; aliique ex ipsis qui primi fuere sub Gualtero Duce octaua die mensis Martij, alij paulo post sub Petro Eremita profecti sunt: *Godefredus* autem *Bolionius* Dux Lotharingiæ, cum aliis Ducibus & Comitibus, die decimaquinta Augusti; alij demum, vt Boamundus Comes Apuliæ, anno sequenti. Hæc pluribus Willelmus *b* Tyri Archiepiscopus; quem consulat qui ista cupit, digne tantam historiam describentem, dum colligens in vnum volumen plura diuersorum volumina, singula locupletius fide sincera pertractauit. Nobis autem in proposito est præcipua tantum nota temporum consignare, non cuncta prosequi, quia iam notissima Scriptorum cuiuslibet prope nationis copia, facta sunt omnibus. Denique in literis quas Papa Vrbanus de ista expeditione scripsit ad Alexium Imperatorem Constantinopolitanum traditur, tantã hominum multitudinem Cruce signatam esse, vt ad trecenta millia censa fuerint. Verum ante profectionem, hoc anno magnam ab eis factã esse pluribus in locis stragem Iudæorum, Bertholdus, aliique horum temporum auctores affirmant. Qui enim diuino instinctu aduersus hostes Christiani nominis dedere sacræ militiæ nomen, in quos primos inciderunt Iudæos infelices, eosdem nisi Christianam fidem profiteri vellent, trucidarunt, fugarunt, vel obsederunt, atq; ex desperatione ad consciscendam sibi mortem impulerunt. Profecti vero sunt etiam cum Christianis militibus nonnulli Antistites; inter quos Ademarus Podiensis Anicij Vellunorum Episcopus eminuit Apostolica Legatione sublimis, & cum illis Willelmus Arausiij; qui primi Cruce signati, alios eodem sacro signo nobilitarunt.

b *Tyr. de Bel. sacr. lib. 1. cap. 18. lib. 2. c. 1.*

IVDÆI A MILITIB. CHRIST. TRVCIDATI.

III. BERN. TOLET. DVCIT IN HISP. BVRDIGALENSEM.

Sed & eodem Vrbani Papæ classico excitatus Bernardus Archiepiscopus Toletanus, iterum in Terram Sanctam hac Cruce signatus peregrinationem aggressus est: verum ob clericos Toletanos, qui eo absente quasi nunquam amplius reuersuro, alium subrogandum putarunt Archiepiscopum, reuerti coactus, pulsis illis, monachisque S. Facundi eorum loco in eam Ecclesiam introductis, denuo se ad iter accinxit: sed cum ad Vrbanum Romam veniisset, eius iussu, miserantis illam tunc adhuc coalescentem Ecclesiam, reuersus est Toletum. Qui rediens, quos potuit ex Gallia secum duxit viros, quos eruditione & moribus ad regendas Ecclesias putauit idoneos: inter quos fuit *Burdinus* ille infelix, de quo sæpe inferius agendum; quem probitatem simulantem, Lemouicis ductum Toletum, Archidiaconi dignitate nobilitauit, atque inde in Conimbricensem postea in Bracarensem Episcopum extulit, cum ille se Mauritium loco Burdini nominaret. Hæc ex Roderico *c* eiusdem Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopo.

c *Roder. Tolet. lib. 6. 16, 17. & 18.*

IESV CHRISTI AN. 1097.

VRB. II. AN. 10.

HENR. III. 14.

ALEX. COMN. 17.

I. VRB. PP.

ANNO Christi millesimo nonagesimo septimo, Indictione quinta, cum Rogerius Siciliæ Comes obsedisset Capuam, Vrbanus Papa componendarum inter eum & Capua-

nos

SALERNVM SE CONFERT.

nos rerum causa eo accedens, cum frustra id tentasset, Beneuentum secessit, ac post Capuanorum deditionem perrexit Salernum ad eundem Rogerium Comitem, alterumque Rogerium Apuliæ Ducem filium Guiscardi. Narrat hæc plurib⁹ Gaufredus monachus, qui tunç temporis res gestas eiusdem Rogerij Comitis scribebat.

II. DE ASSERTO PRIVIL. MONARCHIÆ SICVLÆ.

At quæ sequuntur de Diplomate ac Priuilegio ab eodem Vrbano ipsi Rogerio Comiti, atque filiis eius hæredibus, ibidem Salerni concesso, exactissima indigent disquisitione, quo in re maximi momenti veritas elucidata, haud amplius mendaciis circumtecta celetur: siquidem super illud veluti fundamentum immobile, recentem Siciliæ MONARCHIAM esse fundatam atque firmiter stabilitam, asserunt omnes qui eius sunt pugnacissimi defensores; & inter alios Fazellus Siculus, qui illud Diploma in sua Historia de Rebus Siculis veluti emblema pretiosum intexuit idque ipsum fecit Rerum Hispanicarum recens historicus; nullo ab eis addito diligentioti examine, à quo sic primum editum, in quam fidem acceptum, & an illud esset integrum.

III. QVOMODO DIPLOMA IN LVCEM EDITVM.

De his vero nos ex necessitate instituti elucidandæ historicæ veritatis acturi, rem haud ignotam prodimus, sed iam ore fere omnium pervulgatam, ac veram, atque monimentis etiam publicis comprobatam. Tempore siquidem Ferdinandi Regis cognomento Catholici, Siculus quidam, *Ioannes Luca Barberius* dictus, anno Domini millesimo quingentesimo decimotertio egit cum eodem Rege, vt eius auctoritate perquisita vndique antiqua diplomata, eadem in vnum volumen, quod *Caput Breuium* appellaret, ad regni iura noscenda colligeret: in quo præter alia multa, illud de quo agitur Vrbani Papæ diploma, vti editum legitur, pariter scripsit; sed sicut cetera, vnde acceperit, verbum nullum. Quapropter in eum publice conclamatum est ab iis, quorum antiquæ possessiones recentibus hisce inuentis turbarentur. A quibus & eidem Ferdinando Regi fuit libellus oblatus, ne in plurimorum præiudicium fides aliqua Barberianæ collectioni adhiberi deberet, nisi de singulis doceretur autographum, quod quisque cum opus esset consulere posset: eorum vero iustissimæ petitioni Princeps iustissimus annuit. Harum enim omnium rerum gestarum fides descripta legitur in libro Capitulorum Regni Siciliæ, capite centesimo nono, pagina ducentesima vigesima prima; eademque per eumdem Regem Ferdinandum confirmata die vigesima quarta Iunij, Indictione tertia, anno Domini millesimo quingentesimo decimoquinto. Sicque videas, nullam penitus conciliare sibi editum diploma fidem, nisi eam ex autographo accipiat: quod cum nunquam hactenus factum sciatur, vt ei credatur nihil est quod suadeat. Nam & cum sæpe contigerit, Reges Siciliæ aduersus Apostolicam Sedem de Ecclesiæ & Regum iuribus contendere; nec vsquam vel leuis sit mentio, dictum diploma ab aliquo citatum vel nominatum aliquando esse, licet plurimæ vt id facerent exigerent occasiones; non à Rogerio huius Rogerij filio, cum aduersus Innocentium & Eugenium ageret de iuribus Romanæ Ecclesiæ in regno Siciliæ; non ab huius nepote Gulielmo aduersus Hadrianum Quartum, non ab aliis, horum successoribus; non ab ipsis tyrannis, prætensionum audacissimis assertoribus ac defensoribus; nō denique ab alio quocunque, vsque ad Carolum Quintum prædicti Ferdinandi successorem: vtique magnum inde elicitur argumentum, prædictum diploma haud eiusmodi fuisse, vt Ecclesiæ Romanæ iuribus aduersaretur.

INCOGNITVM MAIORIBVS.

IV. QVALE EDITVM.

Sed vt propius ad ipsius examen accedamus, describendum illud imprimis videtur vti cusum legitur; quod sic se habet: *Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei, charissimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ maiestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, & Sanctæ Sedi Apostolicæ deuotam se multimodis semper exhibuit: nos in specialem atque charissimum filium eiusdem Vniuersalis Ecclesiæ te assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita literarum auctoritate firmamus; Quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius qui legitimus tui heres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, prater voluntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimo quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice cohiberi volumus, quando ad vos ex latere nostro miteremus ad salutem sanctarum Ecclesiarum quæ sub vestra potestate consistunt, ad honorem B. Petri, sanctæque eius Apostolicæ Sedis, cui deuote hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenue & fideliter adiuuisti. Si vero celebratur Concilium, & tibi mandauero, quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas; quos & quot volueris mittes, alios vero ad seruitium Ecclesiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te à peccatis absolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis S. R. E. diaconi, tertio Nonas Iulii Indictionis septimæ, anno Pontificatus nostri vndecimo.* Hactenus diploma.

V.

In quo imprimis corrigendus est error temporis. Nam cum constet illud datum esse Salerni, & Vrbanum illuc hoc ipso anno aduenisse, exploratissimum sit testificatione Gaufredi, quæ inspiciebat scribentis; necnon eiusdem temporis Scriptorum Edineti atque Willelmi; dum agunt de Synodo Barensi ab eodem Vrbano tunc habita, de qua dicetur postea: quomodo signatum ponitur Indictione septima, anno Pontificatus Vrbani vndecimo, cum idem præsens annus consignatus fuerit Indictione quinta, & sedis Vrbani anno decimo; sequenti vero, & post sequentem, eumdem Vrbanum non Salernum aut Apulia, sed Roma tenuerit? At non adeo seueri exactores sumus. vt ob eiusmodi quæ incidere solent librariorum vitia, velimus omnino diploma reiicere. Horrescit vero plane auditus, vt idem explosum sententia Ferdinandi, cuius nullum extaret quod ostendi posset autographum, sub eius successore Carolo Quinto, dum bellicis rebus intentus esset Imperator inuictissimus, in regno Siciliæ opera Aduocati Fiscalis, vti quidpiam diuinum in sublime attolleretur, ac velut lapis angularis faciens vtraque vnum, temporali simul & spirituali iuncta auctoritate, noua, hactenusque in Ecclesia Catholica inaudita, constituta fuerit MONARCHIA, quæ prætenta Sedis Apostolicæ auctoritate, eiusdem ipsius Sedis Apostolicæ auctoritatem abrogaret: cum ab Imperatoris ministris, eius nomine, potius quam voluntate anno Redemptoris millesimo quingentesimo vigesimo sexto, die septima mensis Decembris, promulgatum est edictum de confirmatione Pandectarum impressi voluminis, in quo asseritur Monarchia; atque seorsum scriptus liber sub titulo *Monarchiæ* ommium regni Consiliariorum subscriptione munitus; cuius exemplar vnum fertur ad Regem missum, alterumque ad Aragonense Consilium.

QVANDO, ET A QVIBVS IN AVCTORITATEM ACCEPTVM.

VI. QVÆ CONTINEAT MONARCHIA.

Quod autem auctoritate diplomatis Vrbani, Rogerium, eiusque heredes, Legatos à latere constitutos, omnino velint; inde etiam omnes pariter successores Reges in Siciliæ regno Legatos natos esse contendunt, eosdemque omnia quæ sunt Legatorum à latere efficere posse; immo & substituendi potestatem habere cum eadem auctoritate, nimirum vt iudicare & punire possint, absoluere & excommunicare quos velint, laicos, monachos, clericos, etiam Ecclesiastica dignitate Prælatos, Abbates, Episcopos, Archiepiscopos; ac denique ipsos S. R. E. Cardinales ibi degentes, eidem Monarchiæ subditos esse volunt: eiusdemque Monarchiæ esse facultatis, appellationes ad S. Sedem Apostolicam impedire, Nuntios eiusdem S. Sedis non admittere, ac demum respectu Ecclesiasticæ iurisdictionis, neq; ipsam Sedem Apostolicam agnoscere & habere superiorem, nisi in casu præuentionis. Ista sunt quæ Vrbani auctoritate diplomatis, Reges in Sicilia velint sibi licere.

VII. DE IPSO NOMINE MONARCHIÆ.

Atquod ad ipsum imprimis MONARCHIÆ nomen spectat; qua auctoritate post quadringentos triginta annos à tempore dati ab Vrbano diplomatis, recens natum inuenitur superinductum, quod nunquam à piis Regibus, immo nec ab ipsis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, iisdemque acerbissimis persecutoribus, vt Friderico, & eius filiis; nec denique ab inuasoribus eiusdem regni, vt Petro, vel aliis; licet ab iis res ipsa sæpius per tyrannidem atque inuasionem fuerit pertentata, vsurpatum vllatenus reperitur? Si vna est, consensu Fidelium omnium, in Ecclesia Monarchia, ab ipso Domino stabilita in Petro & successoribus eius, nec alteram superinduci vmquam passi sunt Orthodoxi; vt quid hodie infaustum nomen, altera auditur in Ecclesia Monarchia?

narchia? Demus Vrbanum voluisse Reges Siciliæ esse Legatos natos à latere; numquid diplomate sanxit eos dicendos esse Monarchas? Sed & cum plures sint hodie in Ecclesia Catholica nobilissimarum Ecclesiarum Antistites, qui ex vero certoque priuilegio, Sedis Apostolicæ Legati nati obtinent dignitatem; num ex eo aliquis eorum ausus est aliquando sese appellare MONARCHAM? Quamobrem etsi non alia ex causa, vel ex hac saltem suadendum est nomen adulterinum; ne tali exemplo propagetur in alios.

VIII. DIPLOMA NON EXCEDIT FILIOS ROGERII COM.

Vt autem ad res ipsas accedamus; quonam iure ex recitatis superius Diplomatis verbis, tantum iuris præsumitur, vt Legati à latere, itemque nati, atque demum MONARCHÆ effecti Reges omnes Siciliæ dicantur; cum iis expressi tantummodo habeātur ipse Rogerius, Simon eius filius, & alter filius si extiterit ipse heres? Duo namque Rogerio Comiti erant filii, Simon maior natu, atque Rogerius, quem voluit expressisse voce illa, *alterius*; quod quidem nomen non de pluribus, sed de vno ex duobus dumtaxat dici, sciunt omnes qui Latinas literas didicerunt. Cum igitur priuilegium non excedat filios Rogerij, qua ratione deducitur ad heredes omnes? immo cum heredes Rogerij omnino defecerint, quomodo trahitur ad successores omnes illius Regni possessores? Denique etiamsi expresse inclusi fuissent heredes omnes, omnesque successores; adhuc tamen haud ipsa vllo pacto deduci potuissent ad Carolum Quintum; quod cum plurima extent Romanorum Pontiff. diplomata, quibus sunt collatæ Inuestituræ de regno Siciliæ diuersis Regibus, atque in eis disertis verbis reuocentur cuncta sigillatim, quæ aduersus Ecclesiasticam immunitatem quoquo modo sint præsumpta; plane nihil sit vt aduersus tot Pontificum documenta, de quibus singulatim inferius erit mentio, istiusmodi diploma aliquid sibi vendicare possit auctoritatis.

SAPIVS REVOCATVM.

IX.

Verum nec quod prætenditur vllo modo concesserim; nimirum per Vrbani diploma crearum fuisse Legatum à latere Rogerium, atque filios eius. Relegantur eius verba, & nihil aliud inuenietur, nisi quod eum vicem Legati implere voluerit, in iis tantum cohibendis quæ per Legatum Apostolicæ Sedis cohibenda forent. Aliis porro formulis, iisdemque plenioribus, atque adeo specificis, consueuisse ab ipsis Romanis Pontificibus concedi Legationes à latere, nemo ignorat qui eiusmodi lectionibus assueuit. Præterea non perpenditur, quanta irrogetur iniuria Vrbano, cum volunt ea concessisse Rogerio, quæ iam per nonnullos Reges male aduersus Ecclesiastica iura, vniuersa Ecclesia scandalum patiente exercentur: cum tamen in vendicandis ab vsurpatione laicorum Ecclesiæ iuribus, idem sanctissimus Pontifex nulli reperiatur fuisse secūdus; qui & iis vixit temporibus, quibus iugiter certandum fuerit contra inuasores Romanæ Ecclesiæ iurium. Potuitne vero tanta concessisse Rogerio Comiti, quorum aliquam tantummodo partem si Henrico Imperatori, ferocissimo simul ac potētissimo persecutori cessisset, pacem proculdubio vniuersalis Ecclesiæ tot tantisque cladibus diutius afflictæ, redemisset: sed prius cuncta pati, quam quid minimum Ecclesiæ iurium imminui, vel à sæcularibus labefactari, decreuit animo, & dum vixit effectu ipso egregie præstitit: sicut præter alia quæ iam de eo dicta sunt, dicenturque, diserte confirmat Domnizo, qui tunc viuebat, in Rebus gestis Comitissæ Mathildis, dum ait, numquam per eum decreuisse libertatem Romanæ Sedis: idemque ipse Vrbanus ad Rodulphum Comitem rescripsit *a*, nulli sæcularium domino potestatem in clericos habere licere, sed omnes clericos Episcopo soli esse debere subiectos: quicumque vero aliter præsumerent, canonicæ sententiæ subiectos fore. An vero potuit quæ tot annis tanto labore ædificauit, vna hora in congressu illo Salernitano cum Rogerio destruxisse, vt secundum Apostoli *b* dictum, præuaricatorem se constitueret? cum præsertim nulla vrgeret necessitas, qua tantam cladem Ecclesiæ, cuius se constantissimum semper defensorem exhibuisset, inferret: immo contra in Concilio Vniuersali Romæ sub eius successore Paschali celebrato, ab vniuersa Synodo eidem Vrbano acclamatum esse constet *c*, vti Ecclesiæ iurium acerrimo vindici, atque propagatori.

QVANTA IRROGETVR INIVRIA VRBANO PP.

VRB IN OMNIB. DEFENSOR ECCLES. IMMVNIT.

a Ivo par. 2. c. 408.

b Gal. 2.

c Vsperg. an. 1102.

X.

Sed quid vltra detineo Lectorem, & non cito detego aduersantium malas artes, qui non vt se habuit, ipsum germanum, integrumque ediderunt diploma, sed mutilatum atque corruptum in omnibus quibus iura Romanæ Ecclesiæ salua essent, exhibuerunt? Ad quæ probanda, testem adhibemus ex aduersantium domo petitum, ab ipsis iure laudatum, cui nec sit quod obiici possit, quippe qui eo tempore vixit & scripsit Historiam Siculam, eodem ipso de quo agitur exposcente (vt profitetur) Rogerio Comite: nempe *Gaufredum* monachum Benedictinum; cuius opus antiquitate ipsa plane venerandum delituit inter vetera monimenta Regum Aragonensium, quousque nostra ætate illud Hieronymus Surita vir celebris in lucem protulit, ediditque Cæsaraugustæ typis Dominici à Portonariis anno Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, idemque munitum & laudatum Regio priuilegio, (nequid ad absolutissimam fidem eius deesse posset) dedicatum vero Antonio Augustino tunc Archiepiscopo Tarraconensi, eruditione legum sacrarum suæ ætatis in Hispania facile principi.

DETEGITVR DIPLOMATIS DEPRAVATIO.

XI.

Hic enim ipse Gaufredus, iam à nobis superius citatus eadem occasione Salernitani congressus Vrbani cum Rogerio, acturus de eiusmodi priuilegij concessione, quænam præcesserit illud petendi causa, his verbis narrat: *Sed quia ipse Apostolicus iamdudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, Legatum in Sicilia ad exequendum ius S. R. E. posuerat; perpendens hoc Comitem graue ferre & nullo modo vt stabile permaneat assentire; cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotiis Ecclesiasticis exequendis zelo diuini ardoris exferuescere: cassato quod de Episcopo Trainensi fecerat, Legationem B. Petri super Comitem per totam Siciliam, vel habendam hereditaliter ponit, ea discretione, vt dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis heredum suorum zeli paterni Ecclesiasti ci executor, superstes fuerit, Legatus alius à Romana Sede ipsis invitis nullus supponatur.* Hæc quidem Gaufredus, consentientia superius recitato diplomati. Sed quæ dolo malo de eo sunt dempta, idem auctor sic subdit; *Sed siqua Romanæ Ecclesiæ iuris exequenda fuerint, Chartulis * à Romana Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum earumdem prouinciarum authentice definiantur.* Ista sunt, quæ manus audax abstulit ab Vrbani diplomate: quæ quidem tanti noscuntur esse momenti, vt si ea restituantur in ipsum, nullum penitus ex eo irrogetur damnum iuribus Apostolicæ Sedis; cum sit his verbis ei integrum reseruatum, vt cum opus esse iudicauerit Papa, ministros suos in Siciliam mittat, qui si ita ipsis placuerit, Episcopos ad Synodum congregent, quorum consilio ipsorum sententia expectetur. At non hic finis latrocinij. Nam pergens Gaufredus de iis dicere, quæ posthæc eodem diplomate continerentur; postquam hæc apposuit, *Quod si Episcopi ad Concilium inuitati fuerint; quot & quos ipsi Comiti, vel suis futuris heredibus visum fuerit, illuc dirigant*, (quæ sunt conseruata in textu) mox hanc ab Vrbano limitationem additam subiicit; *Nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit in Sicilia vel Calabria * in præsentia sua authentice definire nequiuerit:* quibus plane significauit Vrbanus, ipsi esse liberum cum vellet, Siculos & Calabros Episcopos ad dicendam causam vocare ad Apostolicam Sedem, cum ipsorum causæ in Sicilia vel Calabria authentice, (hoc est, canonice, & secundum leges Ecclesiasticas) coram Principe sæculari definiri nequirent.

QVÆ EX EO SINT SVBLATA. * Omnino legendum, Chartularis; *cum mox dicat*, per ipsos.

* vt

XII. QVOMODO RECIPIENDVM.

Vides igitur quanta subtracta fuerint, & quanti momenti. Quæ si restituantur, tantum abest vt à nobis diploma reiiciatur, vt potius exosculemur illud, vtpote prudentissimi Pontificis monumentum, quo magna cautela ita roganti Principi de Sede Apostolica bene merito voluerit satisfactum, vt tamen eiusdem Apostolicæ Sedis immunitati nihil passus sit esse detractum. Nec est quod verba Gaufredi, quæ in diplomate scripta fuisse docet, aliquis in alium sensum conuertere iure possit. Nam tum quod è textu ablata noscūtur, arguit ea haud prætentæ Monarchiæ fauere; tum eo quo diximus modo esse intelligenda, (nempe vt cum in Sicilia de iuribus Apostolicæ Sedis ageretur conseruandis, tunc esset liberum Romano Pontifici ministros illuc pro arbitrio mittere) statim post eiusmodi priuilegiū concessum, ipso vsu experientia cōprobauit; cum ipsius Vrbani successor Paschalis Papa Secundus misit Apocrisiarios (sic enim vocat, quos Vrbanus Chartularios) in Siciliam ad exigenda iura Apostolicæ Sedis, dum ab Archiepiscopo Panormitano iubetur præstari iuramentum fidelitatis eidem Aposto-

licæ

licæ Sedi. Extant enim de his eiusdem Paschalis literæ, quas Gregorius Nonus intexuit inter Decretales *d* à se collectas Epistolas.

d c. significasti. Extr. de elect.

XIII. CONFIRMATVR EX ALIO SIMILI DIPLOM.

Sic enim (vt etiam à simili res confirmetur) qui post Vrbanum successit tertio loco Callistus Papa Secundus, qui in vendicandis & extorquendis de manu Imperatoris abreptis Ecclesiasticis iuribus summam præ omnibus suis antecessoribus sibi gloriam comparauit; post celebratum Rhemense Generale Concilium, congressu habito cum Henrico Anglorum Rege, eidem petenti *concessit* (inquit Rogerius in Annalibus Anglorum) *omnes consuetudines quas pater ipsius Regis in Anglia & Northmannia habuerat: & maxime, Vt neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse aliqua præcipua querela exigente quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri, à Papa postularet.* En aliud simile priuilegium, ab alio Romano Pontifice alii Christiano Principi concessum: & tamen nihil plane per ipsum derogatum scitur Apostolicæ Sedis iuribus, quin maioribus exigentibus causis ab Ecclesia Romana Legationes in Angliam fuerint frequentatæ, eædemque decenti cultu à Regibus Anglorum exceptæ. Ac denique ex Romani Senatus epistola ad Conradum Regem scripta, quam recitat Otto e Frisingensis Episcopus, constat sic inter Rogerium huius Rogerij filium & Eugenium Tertium esse concordatum, vt Pontifex nullũ mitteret Legatum in Siciliam, nisi quem ipse Rex peteret, non autem vt Rex ipse Legati Apostolici vicem teneret.

e *Otto Frising. in Frider. lib. 1. c. 28.*

XIV. ALIA MONARCHIÆ IVLCIMENTA CONVELLVNTVR.

Quod vero præter illam Vrbani assertam epistolam, adhuc alia quædam pro Monarchiæ firmitate afferãtur in medium; ea quoque sunt conuellenda. Dicunt enim reperiri nonnulla Regum Siciliæ diplomata in libro qui continet donationes ab iisdem in diuersas Ecclesias & monasteria collatas, in quibus legatur anathematis sententia ab ipsis promulgata aduersus eos qui quæ ipsi iussissent non implerent, sed euerterent; quam velint appositam auctoritate Legationis Apostolicæ Sedis, qua iidem Reges Vrbani concessione fungerentur. Sed quis adeo formularum antiquarum ignarus, vt nesciat eiusmodi verba apponi solita instrumentis piarum donationum, nec solum à Principibus, sed etiam à priuatis vtriusque sexus? non quidem vt sententiam contineant excommunicationis Ecclesiasticæ, quæ ab Episcopis infligi solet in subditos; sed imprecationes potius, ad deterrendum eos qui aliquid contra præscripta moliri tentarent. Sunt de his infinita omnium sæculorum exempla *f* patentia: adeo vt etiam in ipso ab illis scripto codice aliæ reperiantur diuersorum priuatorum locis piis factæ donationes, quæ easdem omnino contineant imprecationes, quas isti à Regibus factas gloriantur, sicut & similes conflat à nõnullis consuetas fuisse apponi sepulchris *g*, vt violatores absterrerent.

f *Passim in Annalibus Baronii, vbi describũtur integra eiusmodi diplomata, & præcipue à Tom. IX. vsque ad XII. Et de discrimine inter Anathema, quo etiam priuati vti possunt, & Excommunicationẽ, qua solis relictis Ecclesiasticis vtuntur, egregie scripsit Nauarr. Manual. Cap. Reg. ad Reg. Mag. Instr. lib. 1. c. 27.*

g *Profert exempla Baron. Tom. XI. hoc an.*

Insuper in eodem suo Monarchiæ libro, sententiam proferunt Abbatis Panormitani celebris Iuris Canonici interpretis, qui asserit *Licere Regi ex longa consuetudine appellationes eorum qui ad Sedem Apostolicam prouocant, impedire.* At enim tantine æstimantur respõsa prudentis, vt ea in legem accipiantur; eo præsertim tempore, quo idem Abbas colligeret cum schismaticis aduersus Catholicæ sedis Antistitem? Verum qui traditur hæc respondisse tempore Alphonsi Regis sub Martino Papa Quinto, cui Rex valde esset infensus; idem postea ea declarasse asseritur, vt intelligi deberent, quando non esset tutus accessus ad Apostolicam Sedem, vel tempore Schismatis. Cuius declarationis exemplum non scribitur in dicto Monarchiæ libro, sed reperitur in Abbatia dicta Nouæ-lucis in eodem regno posita, & in aliquibus aliis monasteriis.

XV. DE ASSERTIONE ABBATIS PANOR.

XVI. REX ALPHONSVS MONARCHIÆ INSTITVTOR.

Sic & quod addunt eiusdem Alphonsi Regis exempla, quod impediret appellationes ad Papam; quinam demum hic probationis modus, vt contra Ecclesiam testimonium proferatur hostis Ecclesiæ? addo & periuri Regis; quippe qui rogantibus Siculis ne eiusmodi appellationes ad Apostolicam Sedem, (quod Rex facere cœperat) per Magistratus laicos cognoscerentur, sed potius per Prælatos Ecclesiasticos, eorum petitionibus annuisset datis de hoc literis anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, quæ hactenus extant vna cum petitionis exemplo: immoid ipsum anno præcedenti, nempe Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, solemni iuramẽto promisisset, cum inuestituram de ipsa Sicilia & Terra citra Pharum accipiens ab Eugenio Papa Quarto, eidemque de ea (vt loquitur) plenum homagium ligium & vasallagium faciens, (cuius Inuestituræ extat exemplar in Vaticana Bibliotheca in libro Priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ) præter alia multa de immunitate Ecclesiastica conseruanda, hæc de causis & appellationibus Ecclesiasticis liberis dimittẽdis iurauit; *Omnesque etiam causæ ad forum Ecclesiasticum in regno & terra prædictis pertinentes, libere & absque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinariis, & aliis Ecclesiasticis Iudicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Apostolicam Sedem super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittentur.* Quid autem his aduersans citatur eiusdem Alphonsi rescriptum datum anno sequenti, contentum capitulo trecentesimo nonagesimo septimo, pagina centesima vigesima octaua? An vero in periurio constituetur principium Monarchiæ?

XVII. ANTIPAPARIVS ARCHITECTVS.

Ceterum siquis antiquiora eiusmodi MONARCHATVS vestigia curiosius indaganda putauerit, plane inueniet non Vrbani, vel alterius alicuius Catholici Pontificis inuentum esse, sed (si admodum verisimili coniecturæ sit deferendum) primum auctorem fuisse schismaticum Papam, non Christi, sed Antichristi Vicarium, Petrum, Leonis, nõ Columbæ filium, eumdemque contra Innocentium Secundum legitimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem, ex aduerso furentem sub specioso nomine Anacleti. Iste enim vbi Papatum violenter arripuit, cum videret vniuersos ferme Orbis Christiani Principes ab Innocentio stare, & ipse aliquem emendicare studens qui sibi esset adiumento, nihil prætermisit officij vel obsequii, quibus Rogerium istius de quo agitur Rogerii filium, qui tunc non Siciliæ tantum, sed dominabatur Apuliæ atque Calabriæ, ad se attraheret. Quamobrem & ipsum ex Comite *Regem constituit, & præcepit vt Episcopi & Abbates qui in eius ditione essent ei obtemperarent*; sicut hæc breuiter tradit eius temporis scriptor *h* Petrus diaconus Cassinensis. Qui quidem rebus illius monasterij conscribendis intentus, cetera leuiter tantum, nec nisi per occasionem attingens, dum ista pauca ex omnibus quæ in diplomate super iis confecto essent expressit, aliquid specialius indicasse voluit præter communem ex Apostolicis iussis debitam Regibus obseruantiam: quod tacuit, & ipse existens schismaticus, nullam eumdem laudandi Rogerium prætermittens occasionem: quem nihilominus S. Bernardus, cum opus fuit eius meminisse, absque regio titulo nominauit *i* tantum Ducem Apuliæ tyrannum Siculum, & vsurpatorem coronæ regiæ.

h *Petr. diac. 4. Chron. Cassin. 99.*

i *Bernard. ep. 127. 129. 130. 139. 140.*

XVIII.

Quod vero hæc tunc acta fuerint, est etiam manifesto argumento, quod eiusdem Rogerij primi Regis temporibus, non in Sicilia modo, sed etiam in Apulia, ceteriisque eius ditionis prouinciis, Episcopatus per regios codicillos conferri solerent. Hoc enim declaratur Roberti eiusdem Regis Cancellarij exemplo apud Ioannem Sarisberiensem *k*; qui narrat istum Robertum Ecclesiam Auellanam tunc forte vacantem tribus diuersis qui oblato pretio eam expetebant, per simulatam speciem addixisse, ac deinde quartum quemdam consecrandum curasse. Quænam autem fuerint alia capita, quibus idem Anacletus subiecit Rogerio vniuersum ordinem Ecclesiasticum, plane intelliges cum ea reuocata à Rom. Ecclesiæ legitimis Pontiff. paulo post videbis.

k *Sarisber. lib. 7. Polier. c. 19.*

XIX. FAZELLI DOLVS.

At vero isthæc omnia vel non noscens, vel nosse dissimulans Fazellus; nihil magis conatus, quam vanæ Monarchiæ ex laicis clericisque compactæ fauendo, Ecclesiasticam libertatem alta scrobe relinquere sepultam; ne eius auctorem pseudopapam assereret, atque vt prædicta sibi adeo aduersa vitaret, inextricabiles plane mendaciorum quæsiuit anfractus, dum non solum ea penitus tacuit, sed etiam haud vna cum Innocentij creatione simul ortum schisma Petri Leonis, dicti Anacleti, ponit, (quod omnes absque vlla controuersia, siue veteres siue recentiores affirmant) sed longe postea, nempe vbi auditus est Innocentius ab eodem Rogerio detineri captivus.

XX. CITO ARVIT MA-

Accidit vero, vt quamuis peculiare fere sit Principibus, quæ per fas nefasve semel adepti fuerint, ea iisdem artibus tueri;

LE PLANTATA MONARCHIA.

tueri; hæc tamen postea ita tractata sint, vt iidem Siciliæ Reges legitimorum cesserint iustionibus Romanorum Pontificum. Siquidem cum Rogerius ille qui talem Monarchiam accepit ab Anacleto pseudopapa anno millesimo centesimo trigesimo, peruenisset ætate vsque ad annum millesimum centesimum quinquagesimum secundum, seu (vt volunt alij) quartum, ipso mortuo filius eius successorque paterni regni, Guillelmus cognomento Malus, dum Inuestituram quæsiuit ab Hadriano Quarto legitimo Pontifice; eius causa haud fuit leuiter altercatum, expetente illo inuestituram conditionibus valde iniquis, ac fortasse iisdem, quibus Rogerius pater regnum accepisset ab Anacleto. Quare licet Legati ab Hadriano ad eum pro pace missi, visi essent ex parte aliqua quæ petierat concessisse, Hadrianus tamen omnino resiliit, nec inuestituram concedere voluit cum illis conditionibus quibus Monarchia subsisteret; sed aliis plane contrariis, quas ipse Guillelmus acceptauit. Testatur hæc ex parte Robertus Abbas in Additionibus ad Sigebertum, anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, dum ait Guillelmum cum Hadriano pacem fecisse, concedendo et consecrationes Episcoporum Regni sui & Ducatus, sicut antiquitus eas habuerat Ecclesia Romana, vnde discordia fuerat inter patrem ipsius Rogerium, & Innocentium atque Eugenium Romanos Pontifices: Hadrianum vero concessisse Guillelmo Regnum Siciliæ & Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ.

DE INVESTITVRA CONCESSA WILLELMO.

XXI.

Non extat illa quidem ab Hadriano facta Guillelmo inuestitura, ex qua sciri posset quibus aliis conditionibus eam cõcessisset: verum quod post tumultuarios quosdã Reges q absq; inuestitura regnassent, Innocentius Tertius Constantiæ Imperatrici atq; Reginæ Siciliæ, eiusdẽ Guilelmi sorori, ipsiusque Constantiæ filio paruulo Friderico, pariter inuestituram eiusdem regni concedens anno Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, testetur eam se dare ad instar illius quam Guillelmo concessisset Hadrianus; plane ex ipso Innocentij ea de re confecto diplomate, quale fuerit illud Hadriani æque cognoscitur. Porro in illo Innocentij, quod habetur in Regesto Epistolarum eius, ait ipse se Constantiæ & Friderico, eorumque heredibus, qui, sicut dictus Rex Guillelmus Hadriano Papæ exhibuerat, ipsi Innocentio ac successoribus, Ecclesiæque Romanæ fidelitatem & hominium exhibere, & conditiones appositas obseruare voluerint; concedere Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & alia ibi recensita, quæ tenerent à prædecessoribus suis, hominibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ; pro quibus omnibus iam eadem Constantia coram Ottone Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato, quem ad iuramentum ipsius recipiendum Innocentius misisset, fidelitatem ipsi Innocentio, eiusque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ iurasset, factis ea de re duobus Capitularibus, quorum alterum apud Pontificem, apud Reginam alterum remaneret: promittens insuper, quod quia præsens præsenti hominium debet exhibere, quandocumque vel ipse Innocentius, vel successores eius, ipsam Constantiam, vel filium eius Fridericum cum ad legitimam ætatem peruenissent, in aliqua parte Regni quam secure possent adire, ad præsentiam suam vocassent; iidem reuerenter accederent ad ligium hominium faciendum: Electiones autem secundum Deum per totum Regnum canonice fierent de talibus personis, quibus ipsi Reges requisitum à Romanis Pontificibus præbere deberent assensum. Hæc in codice edito; vbi nulla prorsus mentio, vt concessa fuerint Regibus, quæ re vera ab Antipapa Rogerius obtinuisset, vel ab Vrbano Papa asseruntur concessa.

INVESTITVRA CONCESSA AB INNOC. PP. CONSTANTIÆ ET FRIDERICO.

1 *Innoc. III. lib. 1. ep. 412.*

XXII.

DE ELECTIONIB. FACIENDIS IN SICILIA.

Quod autem ieiune nimis de electionibus faciendis in eo diplomate actum esset; petente rursum eadem Constantia vt paulo fusius ea explicarentur, idem Pontifex *m* alio diplomate indulsit, vt electiones quæ fierent à Capitulis, significarentur Regibus, ita vt nonnisi eorum petito assensu electi inthronizarentur, nec ante confirmationem Romanorum Pontificum se vllatenus administrationi immiscere præsumerent. *Sic enim* (inquit ibidem Innocentius ad Constantiam) *honori vestro volumus condescendere, vt libertatem canonicam obseruemus; nullo prorsus obstante rescripto, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum.* Hæc ille, quæ omnia seorsum datis literis Apostolicis innotescenda curauit vniuersis Prælatis clericisque Siciliæ & Apuliæ; in quibus etiam inserta reperiuntur ea quæ in assertis in prædicta Inuestitura Capitularibus scripta erant; nimirum vt appellationes ad Sedem Apostolicam, earumdemque prosecutiones liberæ quibuscuis essent; atque vt liberum esset Romanis Pontificibus, quoties necessitas postularet, Apostolicæ Sedis Legatos in Siciliam & Apuliam destinare, qui quæ plantanda essent plantarent, & quæ euellenda euellerent; nullo prorsus (vt additur) obstante priuilegio quod à Sede Apostolica fuisset aduersus isthæc impetratum. Vt iam ex his quæ ab Hadriano præscripta primum Guillelmo Rogerij filio, deinde ad instar illius concessionis ab Innocentio repetita sunt erga Constantiam & Fridericum, videas illa quæ Vrbanus concessisset de non mittendis Legatis, & aliis, penitus sublata esse.

Ac nequis putet, eundem Fridericum adhuc puerum inuitum his consensisse, puberem vero factum resiliisse; extat in libro Priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, necnon alio qui inscribitur Liber Censuum, Aurea Bulla eiusdem Friderici tunc Imperij candidati & Regis Siciliæ, quam post annos quatuordecim, nempe Redemptoris millesimo ducentesimo decimotertio, dedit eidem Innocentio Pontifici: qua quidem de consilio (vt ait) & consensu Principum Imperij, (qui etiam magno numero tam Ecclesiastici quam sæculares eidem Bullæ subscripti habentur) Ecclesiæ Romanæ, eiusque Pontificibus omnem obedientiam atque reuerentiam promittens, quam prædecessores Reges & Imperatores Catholici impendisse noscerentur; præter alia magnifica quæ de possessionibus temporalibus ad eamdem Romanam Ecclesiam pertinentibus, ac speciatim de regno Siciliæ tam citra quam vltra Pharum, aliisque ipsius iuribus inuiolate conseruandis pollicetur; imprimis volens (sicut loquitur) abolere abusum, quem quidam predecessorum suorum exercuisse dignoscerentur, sanciuit Electiones Prælatorum libere & canonice fieri à Capitulis, ac pariter Appellationes in negotiis & causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fieri, earumque prosecutionem siue processum à nemine impediri; omnia denique spiritualia Romanis Pontificibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis libere disponenda relinqui, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo recta distributione redderentur. Idemque rursum post annos sex, nempe Domini millesimo ducentesimo decimonono, aliam huic per omnia simile Auream Bullam dedisse reperitur Honorio Papæ Tertio, quæ in nominatis codicibus extat. Atque insuper in Edicto, quod promulgandum curauit die qua ab eodem Honorio coronatus est Imperator, habeturque inter ipsius Honorij *n* epistolas; inter alia plura quæ in fauorem Ecclesiasticæ libertatis sanciuit, primo loco præcepit irritari omnia statuta & consuetudines, quæ à quibuscumque personis contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas, edi vel seruari tentarentur aduersus canonicas vel Imperiales sanctiones, atque ea penitus de Capitularibus suis aboleri. Ac denique alia Constitutione *o* promulgata anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, quæ habetur in libro Collectionis Nicolai Aragonij, qui seruatur in Bibliotheca Vaticana sub numero quadringentesimo nonagesimo octauo, quæcumque per vniuersam Italiam per Dominos & magistratus præsumpta essent contra Ecclesiasticam libertatem, abroganda curauit, tamquam de radice prauitatis hæreticæ (vt loquitur) prouenientia; eademque de suis ipsius Capitularibus, seu Breuiariis condemnata penitus aboleri iussit.

XXIII.

BVLLÆ AVREÆ FRIDERICI CONTRA MONARCHIAM.

n *Honor. III. lib. 5. ep. 485.*

o [Aduersus hanc Constitutionem, quædam nugatus est Goldast. in Ration. cont. Bar. quę refellit Gretser. c. 27. Apologiæ, & lib. 2. cont. Replic. c. 21. de quibus dictũ est ad an. 774. post num. IV.

Qui licet postea præuaricatorem se constituerit eorum quæ tot publicis monumentis sancte pieque statuisset, (vnde, atque etiam ex aliis plurimis nefandis, meruit à Gregorio Papa Nono excommunicari:) tamen nec quæ ipse ab Ecclesia resiliens aduersus Ecclesiam egit, alicuius potuerunt fuisse momenti; & ipsummet, vt absolueretur, scriptis publicis iteratis omnia olim praue gesta correxisse, patet ex capitibus absolutionis quæ extant in Registro eiusdem Gregorij, datis anno millesimo ducentesimo trigesimo: ac demum vltimo elogio, testamento condito, nullius decreuisse esse momenti quæcumque contra libertatem Ecclesiasticam ali quando statuisset, æque apparet ex ipsius testamenti

XXIV.

capi-

capitibus recitatis à Matthæo Paris in Annalibus sui temporis. Ex quibus omnibus hactenus deductis perspicue demonstratur, omnem illam molem Monarchiæ laicleticalis, quam pseudopapa Anacletus super arenam absque fundamento male composuerat in gratiam Rogerii, quem (vt ait S. Bernardus *p*) vsurpatæ coronæ mercede ridicula sibi cõparauit; laborantibus in contrarium legitimis Romanis Põtificibus, & vsque ad mortem insistentibus, vt quæ à Principibus male vsurpata essent, in pristinum vsum atque libertatem Ecclesiasticam reuocarent; demum tam Pontificia auctoritate, quam regia potestate, penitus corruisse, imo potius veluti absorptam terræ chasmate, nullatenus vel in ruinis apparuisse.

MONARCHIA PENITVS DISSIPATA.

b Bern. ep. 127.

XXV. ALIÆ MACHINÆ CÕTRA EAM.

Quid vero si aliis adhuc pluribus documentis publicis ostenderimus, cuncta contra Ecclesiasticam immunitatem rediuiua funesta decreta, fuisse mox sui ortus principio condemnata, prorsusque rescissa? Quod igitur rem semel aggressi, ingressi simus latissimum campum, qui finibus suis tempora nostra pertingat; eo vsque progredi compellimur, ita tamen, vt compendiaria via prolixum conficiamus iter. Attingemus enim tantummodo illa, quæ ad institutum semel susceptum spectare noscuntur, nimirum quoties istiusmodi Monarchiam auctoritate prætenta Vrbani diplomatis restituere sint conati Siciliæ Reges, eamque discerpserint sacris legibus Romani Pontifices, atque etiam Reges ipsi, dum singulis inuestituris voluerunt in omnibus esse consultum Ecclesiasticæ immunitati; inferemusque ipsum rerum vsum: quibus perspectis, Lector cuncta quæ ad hæc spectant habeat explorata.

XXVI. A TYRANNIS RESTITVTA, SED À ROM. PONTT. DISIECTA.

Qui primi, post Rogerii Regis, & eius filii Guillelmi ausus temeratios condemnatos atque rescissos, Siculam Monarchiam, restituere nisi sunt, fuere Fridericus Imp. idemque omnium infestissimus Romanæ Ecclesiæ persecutor; patrique filius non dissimilis Conradus, atque Manfredus frater, qui eosdem superauit impietate: qui tres imprimis iurato bello aduersus Romanos Pontifices, in seruitutem deduxere Ecclesias omnes, & cum Ecclesiis etiam viros Ecclesiasticos summa tyrannide compresserunt, sed quos tandem ab ipsis Romanis Pontificibus condemnatos, atque magno prodigio Dei dira vindicta sublatos, erubescant, atque simul horrescant imitari Principes Orthodoxi. Restitere autem illis magna virtute, qui iis temporibus extitere Romanæ Ecclesiæ Pontifices. Siquidem Fridericus à Gregorio Nono primo excommunicatus, deinde in Concilio Lugdunensi ab Innocentio Quarto Regno simul & Imperio spoliatus est: cuius abdicationis hæc inter alias fuit allata causa, quod electiones Prelatorum in Sicilia perturbasset, atque tributa eisdem Prælatis soluenda præscripsisset, clericosque permisisset coram Iudicibus sæcularibus conueniri. Huius vero exemplum secuti Conradus atque Manfredus, non legitimi Reges, sed tyranni quippe qui Siciliam absque inuestitura acceptа inuitis Romanis Pontificibus occupassent; cũ multa contra sedis Apostolicæ auctoritatem impiis legibus suis sancire conati essent; Pontifices ipsis damnatis tradentes aliis inuestituram, id maxime egerunt, vt in singulis inuestituris expresse abrogarentur eiusmodi leges à tyrannis promulgatæ: hocque etiam magna consideratione adiunctum est ab Alexandro Papa Quarto, vt quoniam inuadendæ Ecclesiasticæ libertatis in Friderico occasio fuerat auctum Imperio Regnum Siciliæ, non liceret imposterum vlla penitus ratione iungi Regnum Siciliæ cum Imperio. quæ eadem conditio consueuit postea in omnibus concessis Siciliæ Regibus à successoribus Romanis Pontificibus apponi inuestituris.

XXVII. OMNE PRIVILEGIVM SVBLATVM CONTRA ECCL. LIBERTATEM.

Sed vt de ipsis agamus Inuestituris, quas constat cunctos Romanos Pontifices vsque ad tempora Caroli Quinti, consueuisse conferre tam de Siciliæ regno posito vltra Pharum, quam etiam Siciliæ (sic eam libuit appellare) citra Pharum, sæpe coniunctæ, aliquando vero distinctæ ab inuicem: imprimis viuente adhuc Manfredo, dum Innocentius Papa Quartus, & post eum Alexander eius pariter nominis Quartus, anno Redemptoris millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, inuestirent de regno Siciliæ Eadmundum filium Henrici Regis Anglorum, inter alias pro libertate Ecclesiæ in Sicilia restituenda, has conditiones seruandas proposuere, quæ in *q* Bulla Aurea leguntur; nimirum, vt omnes Ecclesiæ tam Cathedrales, quam aliæ regulares & sæculares, necnon vniuersæ personæ Ecclesiasticæ, iis libertatibus & immunitatibus omnino gauderent, quæ ipsis competerent secundum canonicas sanctiones: adeoque circa easdem Ecclesias & personas, tam in faciendis prouisionibus; & electionibus confirmandis, quam in omnibus aliis, Romanus Pontifex & Romana Ecclesia iurisdictionem & auctoritatem omnimodam libere exercerent: saluo tamen debito Regibus & aliis dominis iure patronatus, siquod haberent in aliquibus Ecclesiis; quod quidem in tantum valere deberet, in quantum Ecclesiarum patronis canonica instituta concederent.

q Hæc, & alia quæ hic recensentur, Bulla Inuestiturarum, habentur Romæ in Bibliotheca Vaticana, munitione S. Angeli, & Regestris Cameræ Apostolicæ: vnde eas Baronius assumpsit.

XXVIII. REGES ANDEGAVENSES DESTRVCTORES MONARCHIÆ.

Cum autem dicta inuestitura, Anglorum Rege non curante, effectu caruisset, & Carolus Comes Andegauensis, frater S. Ludouici Regis Francorum, aliam à Clemente Papa Quarto accepisset; occiso in bello Mantredo Siciliæ inuasore, liberiori dispositione idem Regnum ad iura Romanæ Ecclesiæ reuersum est: sicque post hæc ampliori forma in ipsis Inuestituris per Sedem Apostolicam factis, libertas Ecclesiastica est declarata, cum prohibitione semper ac detestatione legum Principum tyrannorum: prout apparet ex aurea Bulla eiusdem Caroli Andegauensis, qui auctoritate Apostolica ibi regnauit, data anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, qua inter alia promisit, seruaturum se, vt omnes Ecclesiæ, personæque Ecclesiasticæ, sæculares & religiosæ, in electionibus, postulationibus, nominationibus, prouisionibus, aliisque omnibus plena libertate gauderent; nec ante electionẽ, siue in electione, siue post, regius assensus, vel consilium aliquod requireretur; saluo duntaxat iure patronatus secundum instituta canonica: Itemque, vt omnes causæ ad forũ Ecclesiasticum pertinentes, libere & absque vllo impedimento agitarentur & terminarentur coram Ordinariis & aliis Ecclesiasticis Iudicibus; ac pariter appellationes ad Sedem Apostolicam, earumque prosecutiones, libere fierent: Sacramenta vero fidelitatis, & seruitia, quæ à nonnullis Prælatis, aut Ecclesiis, ex antiqua rationabili consuetudine, pro regalibus, quæ possiderent, Regibus, aliisve dominis præstari deberent, ea secundum instituta canonica impenderentur: salua semper circa Ecclesias & personas Ecclesiasticas, tam in faciendis prouisionibus, & electionibus confirmandis, quam in aliis quibuscumque Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ iurisdictione & auctoritate plenaria, ac libera potestate. Promisit insuper, se reuocaturum omnes Constitutiones per Fridericum, Cõradum, atque Manfredum, editas contra Ecclesiasticam libertatem, nec se vllas vnquam aduersus eam editurum: Itemque, non passurum, vt aliquis clericus in ciuili, vel criminali causa conueniretur coram iudice sæculari, nisi super feudis iudicio petitorio ciuiliter, ita, quod omnes Ecclesiæ ac personæ Ecclesiasticæ omnimodo futuræ essent liberæ, & in nullo subiacerent Regi vel Principi: Præterea, quod nullas tallias, vel collectas imponeret Ecclesiis, monasteriis, clericis, & viris Ecclesiasticis, vel rebus eorum; & quod in Ecclesiis vacantibus nulla haberet regalia, nullosque fructus, prouentus, aut obuentiones, nullaque prorsus alia perciperet. Ac denique plura alia addidit facienda in fauorem Romanæ Ecclesiæ, à qua Regnum acceperat. Quæ quidem omnia repetita sunt in diplomate inuestituræ, factæ ipsi Carolo à Papa Clemente eodem anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto.

XXIX.

Tenuit Carolus regnum Siciliæ vltra Pharum vsque ad annum Redemptoris millesimum ducentesimum octogesimum secundum, quo cæsis Francis eam occupauit Rex Aragonum Petrus, de quo inferius dicturi sumus: nihilominus tamen Caroli successores, semper à successoribus Romanis Pontificibus, singulas de vtraque Sicilia (quam ad ipsos iure pertinere contenderent, licet re ipsa possessores tantum essent Siciliæ citra Pharum) inuestituras consecuti sunt; iisdem prorsus conditionibus, ac promissionibus, iisdemque legum tyrannicarum reuocationibus ac detestationibus, quæ continentur in prædicta Clementis Quarti facta Carolo inuestitura, ex qua per singulos apices esse descriptæ apparent: prout de his omnibus constat ex Diplomatibus, aureisque Bullis super his confectis in inuestituris, quas tum

Carolus Secundus anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, accepit à Nicolao Papa Quarto, & anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, à Bonifacio Octauo, tum nepos Caroli Robertus Rex anno milleſimo trecenteſimo nono, à Clemente Quinto, & anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quinto, à Clemente Sexto, & anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, à Gregorio Vndecimo. Vt vna omnium tam Romanorum Pontificum, quam Regum ex progenie Caroli Andegaui, eademque fuiſſe conſpiratio videatur, deſtruendæ male plantatæ ab initio Monarchiæ: cum interim ab Aragonenſibus, qui Siciliam vltra Pharum iniuſta occupatione, & abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione detinerent, eadem Monarchia pararetur tyrannica poteſtate, ita dixerim, prout contra eos lata ſæpe ſententia à Romanis Pontificibus atque Conciliis comprobauit, ſcriptis de his publicis monimentis, quæ extant adhuc.

XXX. REGES ARAGON. RESTITVTORES MONARCHIÆ, ET IDEO EXCOMMVNICANTVR.

Petrus enim Aragonum Rex, qui cæſis Francis Siciliam occupauit, cum antiqua iura hactenus poſſeſſa ab Eccleſia Romana recognoſcere nollet, nec ab ea inueſtituram accipere, eidemque cenſum pendere, iuramentum fidelitatis præſtare, & homagium exhibere; à Martino Papa Quarto excommunicatus eſt, ipſumque Siciliæ regnum interdicto ſubiectum: qua de re extant literæ Apoſtolicæ apud Eberardum in Chronico. Duxerat hic Conſtantiam filiam Manfredi nothi filii Friderici in matrimonium, quo coniugio putauit regnum Siciliæ iure ad ſe pertinere. At quid? num propterea ſolutus, quin accipere deberet inueſtituram ab Apoſtolica Sede; quam & Guillelmus quantumlibet Malus, & Conſtantia Maior Friderici mater, ipſeque Fridericus, ac deniq; à tempore Roberti Guiſcardi omnes, præter tyrannum Manfredum, acceperant? Quantum autem Petrus iſte fuerit à pietate deceſſorum degener, & ingratus in Apoſtolicam Sedem, ex eo potes intelligere, quod ipſe feudatarius antea eſſet Romanæ Eccleſiæ ratione regni Aragonum, regiumque eiuſdem regni titulum poſſideret beneficio Sedis Apoſtolicæ; cum auus eius pater Iacobi, cuius ipſe filius erat, itidem Petrus dictus, Aragonum Rex anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quarto obtuliſſet regnum Innocentio Papæ Tertio & Eccleſiæ Romanæ, cum annuo cenſu ducentarum quinquaginta maſſemutinatum, hoc eſt, vnciarum auri: prout apparet ex eiuſdem primi Aragonum Regis diplomate, quod deſcriptum habetur in codice Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ; meminitque Bernardus eius temporis auctor. Qui igitur feudatarius erat Romanæ Eccleſiæ, ac iuramentũ fidelitatis ei præſtiterat, inuadens regnum Siciliæ feudatarium Romanæ Eccleſiæ, aduerſus eam rebellis extitit, & cõtumax aduerſarius, rurſum erigens Monarchatum: quam ob cauſam (vt dictum eſt) ſententia excommunicationis affectus in ea dum vixit perſeuerauit impœnitens, regnum relinquens Iacobo filio anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto, qui eadem cum patre eſt ſententia condẽnatus; ipſumque regnum per annos ſeptuaginta (vt Gregorius Vndecimus Papa teſtatur) interdicti pœnam ſubiit. An vero dixerimus, eos omnes qui hoc temporis ſpatio Reges Aragonum in Sicilia, contradicente atque pœnas irrogante Sede Apoſtolica, regnauere, legitimos fuiſſe Reges? ipſoſque Romanos Pontifices eodem tempore conſulentes Romanæ Eccleſiæ iuribus; non legitime inueſtiſſe de eodem Siciliæ regno Andegauenſes, quouſque Aragonenſes, in ea contumacia perſtitere, & pulſando oſtium Romanæ Eccleſiæ, ea aperiente ingredientes, facti ſunt demum legitimi regni Siciliæ poſſeſſores?

REGNVM ARAGONIÆ FEVDATARIVM ECCL. RO.

XXXI. FRIDER. AGNOSCIT DOMINIVM SED. APOS.

Qui primi oſtium pulſauere, fuere duo Friderici, Secundus & Tertius dicti; quorum prior fuit Petri filius, regnauitque poſt Iacobum fratrem; poſterior vero, idemque ſextus numeratus Aragonenſium Siciliæ Rex, eiuſdem Friderici prioris nepos, filiuſque Petri Secundi. Igitur Senior Fridericus inita concordia cum Andegauenſibus Carolo Secundo & Roberto Siciliæ Regibus legitimis, qui inueſtituram acceperant à Romano Pontifice; cum Elionoram Caroli filiam in coniugem accepiſſet, ſic pactus eſt cum illis, vt ipſe dum viueret Fridericus, dominus Siciliæ vltra Pharum eſſet; ita tamen, vt non Siciliæ, ſed Rex Trinacriæ (antiqua eius Inſulæ appellatione) diceretur, & poſt eius obitum Regnum reditet ad Carolum ſiue hæredes eius; recognoſceretque Romanam Eccleſiã eiuſdem Trinacriæ regni dominam, atque ei cenſum more maiorum perſolueret, & tum alias præſcriptas cõditiones impleret, tum eas quæ libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam in ſtatum priſtinum pleniſſime reſtituerent. Extat enim de his Bonifacii Papæ Octaui diploma, datum anno nono eius Pontificatus, qui eſt Redemptoris milleſimus trecenteſimus ſecundus. Sicque Monarchia per Petrum reſtituta, ac per eius filium primogenitum Iacobum propagata, demum per Fridericum illius filium huius fratrem, eſt penitus deſtructa, libertas vero Eccleſiaſtica reuocata.

XXXII. MONARCHIA RENOVATA, ITERVM RECISA.

Verum orto rurſum bello inter eoſdem Fridericum Secundum Aragonium & Robertum Andegauenſem, quod & inter ſucceſſores ad ſeptuaginta circiter annos productum eſt; increbreſcentibus præliis, religio vbiq; coli neglecta eſt, & Monarchiæ aconitũ in necem miſerorum hominum Eccleſiæ perduellium creuit; quouſque concordia à Ioanna Regina Andegauenſi cum Friderico Tertio Aragonio his conditionibus inita eſt, vt Fridericus eiuſque hæredes Inſulam Siciliæ, ſeu Regnum Trinactiæ poſſiderent, ita tamen, vt eam à Regina eiuſque poſteris ſe tenere agnoſcerent, ac pro ea fidelitatem & homagium illis iurarent, & quotannis auri vnciarum tria millia Neapoli perſoluerent: quæ congruentem Inſulæ partem conficiebant octo millium, quæ à Siciliæ Regibus Sedi Apoſtolicæ debebantur. Cum igitur his & aliis inter ſe conditionibus initis, ſub Pontificis, Eccleſiæque Romanæ, ad quam directum regni dominium ſpectabat, beneplacito & aſſenſu conueniſſent; Gregorius Vndecimus, qui Eccleſiam tum regebat, etſi videret diuiſionem hanc regni alienam eſſe à Conſtitutione Clementis Quarti, qui in Caroli Primi Andegauenſis inueſtitura, Inſulam Siciliam à terra quæ eſt citra Pharum ſeiungi vetuerat; permotus tamen tot ſtragium & deprædationum, quæ ex bellis prodierant conſideratione, & quod propter interdictum, cui Sicilia per plurimos annos ſubiacuerat, diuini cultus ratio populique pietas vſque adeo decreuerant, vt periclitari in ea fides Catholica videretur: exemplo Bonifacii de quo dictum eſt, relaxandam hac ex parte prædictam conſtitutionem, (quam in cæteris integram manere iubebat) conuentioniſque inter Ioannam & Fridericum tabulas approbandas cenſuit; nonnullis tamen adiectis & explicatis, quæ deſiderari iudicarat; ac tribus maxime Capitulis, quæ vt in omnibus olim Regum Siciliæ inueſtituris proponi conſueuerant, ita poſterum à Regibus Trinactiæ pari ſtudio ſeruari oporteret.

XXXIII. CONDITIONES PRÆSCRIPTÆ FRIDER. III. ET SVCCESS.

Primum quidem ad homagium, ſacramentumque fidelitatis pertinebat, quod Romano Pontifici præſtare, ſuiſque temporibus renouare, ac regis quoque literis teſtari iubebantur: itemque ad ſucceſſores; vt deſcendentes duntaxat à Friderico, iique legitimi, in Trinacriæ regno ſuccederent; his autem deficientibus, regnum ad Ioannæ hęredes, aut his quoque ſublatis, ad Romam Eccleſiam deuolueretur. Alterum ad Eccleſiaſticorum iura, eorumque conſeruationem; de bonis ſcilicet ipſorum reſtituendis, omnibuſque priuilegiis à iure conceſſis ſeruandis; de tuendo electionum & nominationum iure ac libertate, ſine vlla regii conſenſus neceſſitate; de cauſis clericorum per Ordinarios, aut Pontificis delegatos terminandis; appellationibuſque ad Sedem Apoſtolicam non inhibendis; ac de reuocandis ſtatutis & legibus, ſi quæ à Friderico ipſo, prædeceſſoribuſque editæ eſſent contra Eccleſiaſticam libertatem, aliiſque impoſterum non ſanciendis. Tertium, ne regnum Trinacriæ cum Imperio Romano, vel regno Teutoniæ, ſeu dominio Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſine expreſſa Pontificis voluntate coniungi vnquam poſſet: Si ſecus fieret, regno excederent Reges, & ad Eccleſiam Romanam deuolutum cenſeretur. His ergo adiectis conditionibus, cum Gregorius Ioannæ & Friderici concordiæ capitula apud Villam-nouã Auenionis ſexto Calendas Septembris, Pontificatus ſui anno ſecundo confirmaſſet; Ioanna eadem omnia poſtmodum cum Friderici Legatis, coram Ioanne Epiſcopo Sarlatenſi Sedis Apoſtolicæ Nuntio in eam rem delegato, ratificauit Auerſæ in Campania die vltima menſis Martii anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi tertii; deinde Fridericus ipſe in eiuſdem Epiſcopi

manibus

manibus homagium pro Trinacriæ regno Pontifici iurauit Messanæ in Sicilia anno millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, die decimaseptima Ianuarii : vt de his omnibus constat ex publicis instrumentis, quæ in omnibus integerrima, tum Vaticana Bibliotheca, tum Apostolicæ Sedis Archiua conseruant.

XXXIV. Cum autem (vt vidimus) ex eius concordiæ auctoritate in regno Trinacriæ successuri essent Friderici posteri; iis autem deficientibus, regnum vel ad Ioannæ hęredes vel ad Sedem Apostolicam deuoluendum : nihilominus vnica filia Friderici absque liberis defuncta, tursum Aragonii Siciliam insulam occuparunt, non vt huius Friderici, sed (quod profitentur) vt Petri Primi inuasoris hæredes; & homagium, vtpote qui sine inuestitura regnabant, nullum præstiterunt: sicque ex consueta, atque sæpe iterata tyrannide, parta est violenta iterum Monarchia. Verum religiosiores existimamus recentiores Siciliæ Reges, quam, vt velint in Siciliæ regni possessione innixi Petro, manifesta tyrannide iura Ecclesiæ pessumdanti, ob idque ad interitum vsque diris execrationibus affecto; ne & ipsi iisdem cum illo infamati probrosis titulis in Bullis à Romanis Pontificibus irrogatis, & eorum percelli sententiis velint. Sed magis eorum se Siciliæ Regum successores esse gloriabuntur, qui legitime illud ab habente eius verum dominium Sede Apostolica obtinuerunt: vt Friderici III. de quo diximus, qui recensitis pro libertate Ecclesiastica conditionibus obseruandis, illud ad successores omnes voluit propagari.

XXXV. Vt vero prosequamur posteriores Reges, atque rerum euenta breuiter perstringamus; deficiente Andegauensium stirpe in Ioanna Secunda, cum Martinus Quintus anno Redemptoris millesimo quadringentesimo vigesimo eam abdicasset, Ludouicumque Tertium Ducem Andegauensium eius loco Regem designasset: illa Alfonsum Regem Aragonum & Siciliæ Insulæ, deinde mutato consilio Ludouicum eundem, reiecto Alfonso, adoptauit anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio. Cæterum præliis rem agentibus, post varia bella victor Alfonsus, vt stabiliret sua, inuestituram Siciliæ & terræ citra Pharum ab Eugenio Papa Quarto tandem obtinuit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio; atque ita vtriusque Siciliæ, citra & vltra Pharum, partibus Regni post tot annos coniunctis, factus est Rex; iubente Eugenio diplomate suo, vtramque Siciliam indiuisam ab inuicem semper imposterum permanere. Extatque ratificatio eiusdem Alfonsi facta anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, qua & continetur homagium ab ipso præstitum. Qui vero contendunt, ex eo, quod semel eius ratificationis exordio scriptum inuenitur, inuestituram Eugenii esse de regno Siciliæ citra Pharum, nonnisi pro eo ratificationem factam esse; an non istorum cauillatio satis inde retunditur, quod in eadem ratificatione ab Alfonso integrum recitatur verbatim Eugenii diploma, in quo centies repetitur, dari ab eo inuestituram de vtraque Sicilia; itemque, quod eodem Eugenii decreto iunctum sic fuerit vtrumque regnum, vt non licuerit ipsa ab inuicem separari? Recitantur autem in eadem ratificatione omnes conditiones ab Eugenio propositæ, à se vero acceptæ atque ratæ habitæ, iuratæ atque subscriptæ; & ipsæ quidem, quibus omnia Ecclesiæ iura collapsa, à Regibus vsurpata, reuocãtur in pristinum vsum, iisdem plane & amplioribus appositis conditionibus & abrogationibus, quas superius legisti ex diplomate Clementis Papæ Quarti de inuestitura facta Carolo Regi; vt non sit, quod possit desiderari ad perfectam extinctionem infaustæ Monarchiæ, & absolutissimam restitutionem Ecclesiasticæ libertatis.

RESTITVTA ECCLESIÆ IVRA.

XXXVI. ALIÆ INVESTITVRÆ CÕTRA MONARCHIAM.

Ex noua porro occasione, noua rursus Regni diuisio facta est. Sicilia enim insula cum regno Aragoniæ ad Ioannem Alphonsi fratrem (quod Alphonsus legitima prole careret) transiit, cuius filius & successor fuit postea Ferdinandus cognomento Catholicus. Qui quidem Ioannes cum absque inuestitura ab Apostolica Sede accepta regnaret, nec peteret; Pius Papa Secundus concessit inuestituram Ferdinando Alphonsi filio naturali de vtraque Sicilia anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo; cuius extat diploma, in quo primum mentio habetur de inuestitura ab Eugenio Quarto facta eius patri Alphonso expressissime de regno vtriusque Siciliæ, deque alia itidem de vtroque regno facta ab Eugenii successore Nicolao Papa Quinto eidem Ferdinando notho post obitum patris sui, quem habilitasset ad vtriusque regni successionem, simulque posteros omnes: deinde in eodem inter alias multas conditiones, recensitæ habentur omnes & singulæ illæ, quibus Monarchia proscriberetur omnino, & libertas Ecclesiæ conseruaretur illæsa in omnibus suis iuribus & priuilegiis, cum iisdem plane capitulis inuestituræ Clementis factæ Carolo. Subiicitur que ratificatio ipsius Ferdinandi, habita sæpius expressissima mentione de facta & ratificata inuestitura Siciliæ vtriusque vltra & citra Pharum : vt nihil penitus sit, quod in iis desiderari possit. Sed & Sixtum Papam Quartum eandem inuestituram à Pio Secundo factam de Sicilia, & terra quoque citra Pharum, eidem Ferdinando iisdem conditionibus confirmasse; ex eius apparet diplomate dato anno primo sui Pontificatus, Christi vero millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Denique ipse Ferdinandus prospiciens in futurum, egit apud Innocentium Octauum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, vt inuestiret de regno Siciliæ & terra citra Pharum, filium suum primogenitum Alphonsum tunc Ducem Calabriæ, necnon eiusdem Alphonsi primogenitum Ferdinandum tunc Capuæ Principem: in qua solemniter facta inuestitura, omnes illæ descriptæ fuerunt conditiones pro libertate & immunitate Ecclesiastica tam locorum, quam personarum, quæ fuerunt in inuestitura à Clemente facta Carolo

Sed modo dicendum de alio Ferdinando, cognomento Catholico, qui de Sicilia citra Pharum à Iulio Papa Secundo inuestituram accepit cum tamen regnum Siciliæ vltra Pharum, quod succedens (vt dictum est) Ioanni patri acceperat absque inuestitura possideret. At quęnam ratio, vt Siciliæ citra Pharum pereret inuestituram ab Apostolica Sede, Siciliæ vero vltra Pharum minime? Num quia non accepit Petrus tyrannus, bene factum probari potuit? & quantumlibet iuste, vt sibi visum est, eam vendicasset à Carolo, aliquam de ipso pati iacturã Romana debuit Ecclesia, & sic suis iuribus spoliari? Quod vero magnopere admiramur, illud est, quomodo in eadem inuestitura facta Ferdinando, vsurpata adeo reperitur inuersio nominum, vt per Siciliam & terram citra Pharum, seu per Siciliam cum tota terra, quæ est citra Pharum, (quæ verba reperiuntur in dicta Iulii inuestitura, atque in ipsius Ferdinandi homagio & fidelitatis iuramento) non vtramque Siciliam, sed tantum eam, quæ est citra Pharum intelligi contendant : cum semper à maioribus, ex quo etiam facta est ante Carolum Primum inuestitura Henrico Anglorum Regi, & per eum eius filio Eadmundo, & sic in cæteris omnibus, vsque ad hæc tempora Iulii, necnon in ratihabitionibus per Reges exhibitis, in illis verbis frequenter adhiberi solitis, Sicilia cum terra vltra Pharum, seu Sicilia & terra vltra Pharum, intellecta fuerit vtraque Sicilia, tam vltra quam citra Pharum. Cæterum Iulius Papa, qui rebellione Alphonsi Ducis Ferrariæ, & aliorum magnopere vrgebatur, egebat atque auxilio (vt ipse ibrtestatur) eiusdem Ferdinandi contra rebelles atque tyrannos; haud de Sicilia vltra Pharum explicatius agendum existimauit: cum tamen neque ipso eo diplomate, vel alio, neque aliquis successorum, qui eadem verborum forma conceperit inuestituras siue Carolo Quinto, siue Philippis factas, dici possit iura Apostolicæ Sedis super idem regnum Siciliæ vltra Pharum dimisisse; quæ à Nicolai Papæ Secundi tempore, per spatium quingentorum fere annorum possedit per inuestituram ab eo factam Roberto Guiscardo, qui eam insulam expulsis Saracenis occupauit, & per successores Romanos Pontifices pariter factam successoribus Northmannis Comitibus, Ducibus atque Regibus, & post eos Constantiæ & eius filio Friderico, inde Anglorum Regi, deinde Carolo & successoribus Andegauensibus, postea Fridericis Secundo & Tertio Aragonensibus, ac demum Alphonso & eius filio Ferdinando notho atque nepotibus. Cum igitur his omnibus exhibitis semper Inuestituris, à cũctis legitime sedentibus, regnantibusque, agnitum fuerit directum Ecclesiæ Romanæ dominium super eandem Siciliam vltra Pharum, æque ac alterius Siciliæ citra Pharum, vt vocant, quo hactenus gaudet; iisdemque inuestituris, atque earundem

XXXVII

ratihabi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ratihabitionibus, semper appositæ fuerint conditiones amplissimæ, quibus sunt Ecclesiæ immunitates conseruatæ in omnibus integræ & illæsæ; quomodo eadem Ecclesiæ Romanæ iura adeo vsu recepta, probata, confirmata, & stabilita, iam dicentur per Iulium aut successores abrogata, absque aliqua speciali derogatione, abrenuntiatione, & alteri facta expressa concessione; si tamen vel sic ea infirmari possent? Vel quomodo absque speciali accepta inuestitura ab ipsa Apostolica Sede vera domina, idem Regnum Siciliæ vltra Pharum dici potest legitime possideri?

XXXVIII. VSVS REVM IN POSSESSIONE IVRIVM APOS. SED. IN SICIL.

Sed quod reliquum est, vt etiam de iis breuiter agatur quę spectant ad rerum vsum, incipiemus ab eo tempore, quo sub Innocentio Papa Tertio ipsa male cœpta extincta est Monarchia, perueniemusque ad Carolum Quintum quo restituta ponitur, per quæque sæcula, ætates omnes; in quibus ostendemus iugem continuatamque possessionem omnium iurium Romanæ Ecclesiæ in omnem Ecclesiam Siciliæ, etiam vltra Pharum. Ecce Innocentius ipse diuersis temporibus illuc misisse reperitur Visitatorem plenissima facultate *r* Cardinalem Episcopum Ostiensem; Legatos vero presbyterum *s* Cardinalem S. Laurentii in Lucina, Gerardum *t* Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Porticu, Iulium *u* presbyterum Cardinalem S. Stephani in monte Cœlio, & Gerardum Diaconum Cardinalem S. Hadriani; atque etiam constituisse *x* Legatum, Syracusanum Episcopum: sed & causas deferri solitas ad Sedem Apostolicam, diuersis eiusdem Insulæ Episcopis delegasse *y*. Quæ quidem omnia cursim legendo inuenimus in cuso primo tomo Epistolarum eiusdem: in aliis vero, quæ in Bibliotheca Vaticana asseruantur, reperimus etiam tomo tertio, eundem anno quinto sui Pontificatus misisse in Siciliam R. Sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & cum eo consobrinum suum Iacobum Marescalcum amplissima facultate; & anno septimo G. Diaconum Cardinalem S. Hadriani, cui suas vices tribuit tam in spiritualibus quam temporalibus; qua de re extant literę libro septimo, aliæque ad Regem Sicilię Fridericum, vt eiusdem Legati monitis & consiliis acquiescat, ac denique ad eundem Legatum de optimo statu regni instituendo.

r *Innoc. III. Regist tom. 1. lib. 1. ep. 4. 5.*
s *c. 2. & 3. extr. de off. deleg.*
t *Id. 1. ep 571 572 574.*
u *1. ep. 573.*
x *1. ep. 510.*
y *1. ep. 180. 510. 576. & lib. 2. ep. 14.*

XXXIX.

Innocentii vero successor Honorius Tertius, (cuius Epistolarum adhuc extant volumina:) cum priuilegia concedit *z* Archimandritæ Messanensi, saluis Ecclesiæ Romanæ iuribus id se facere contestatur: literisque *a* sæpe redarguit Regem Fridericum, quod se immisceret electionibus, & aliis iuribus Ecclesiasticis; cum ipse Rex se id nec cogitasse excusset. Et quamuis eum Honorius experiretur aduersum, nihilominus ipse eius tempore liberam in Sicilia iurisdictionem exercuisse reperitur; tum indicendo *b* collectam de persoluenda vigesima omnium reddituum Ecclesiasticorum pro subsidio Terræ Sanctæ, aliamque *c* pro Templariis; tum cognoscendo de appellationibus, cum *d* Syracusani Episcopi, qui tempore Innocentii ad Sedem Apostolicam appellarat, iuribus inspectis, perpetuum aduersariis silentium indixit. Huius autem successor post Gregorium Nonum & Cœlestinum Quartum, Innocentius Papa Quartus, duos Legatos Cardinales, S. presbyterum S. Mariæ Transtiberim, & R. Diaconum S. Mariæ in Cosmedin, in Siciliam misisse reperitur anno tertio sui Pontificatus, amplissima facultate; cuius ea de re extat epistola ad Prælatos & Barones Regni, quæ est vndecima eius anni tertii; aliaque rursum ordine decima quarta ad eosdem Legatos, qua tribuit eis facultatem beneficia conferendi. Idemque anno Pontificatus octauo pariter direxit Nuntios in Siciliam: suntque aliæ pleræque eiusdem epistolæ, quibus continentur collationes beneficiorum eiusdem Regni factæ diuersis.

z Honor. III. *5. ep 43.*
a *Id. 3. ep. 531 572.*
b *3. ep. 104. 339.*
c *3. ep. 131.*
d *3. ep. 600.*

XL.

Sed quod tædio putamus fore Lectori, si successorum singulorum Romanorum Pontificum describere velimus singula, siue de Appellationibus ex eadem Sicilia ad Apostolicam Sedem delatis, siue de Legationibus ab eadem Sede in Siciliam missis, aliisque Iuribus libere administratis; satis esse putamus, si missis cæteris, coniungamus postrema prioribus, quibus significetur eadem ipsa quæ actitata videmus, etiam vsque ad dicta tempora Caroli Quinti perseuerasse. Ideoque diuertentes aliquantisper ex Vaticanæ Bibliothecæ Epistolarum voluminibus antiquorum Romanorum Pontificum, ad Tabularium siue Archiuum Camerale, imprimis in libro Bullarum primo Bonifacii Noni, plurimæ habentur Bullæ datæ anno primo ipsius Pontificatus, quibus mandatur Nuntio Sedis Apostolicæ in Regno Siciliæ facultas restituendi rebelles, & absoluendi excommunicatos, colligendi decimas, exigendi charitatiuum subsidium ab omnibus bona Ecclesiastica possidentibus pro supportandis Apostolicæ Sedis oneribus, concedendi commeatum nauibus, & dispensandi super defectum natalium. Anno vero secundo data reperitur alia Bulla de misso in Siciliam Nicolao de Summa-ripa, ad componendas controuersias eiusdem Regni; aliaque de concessa facultate componendi cum Proceribus; de non solutis censibus Romanæ Ecclesiæ debitis; ac denique alia de trãsmisso in eandem Siciliam Raimundo de Baucio de Vrsinis Confalonerio Papæ. Anno vero Pontificatus quarto aliæ datæ habentur literæ Apostolicæ ad Apostolicæ Sedis Nuntium, cum ei tribuuntur pro expensis quotidianis decem floreni aurei à Clero eiusdem Regni exigendi. Ac denique libro tertio Bullarum eiusdem Pontificis continentur Bullæ datæ anno eius septimo, de diuersis deputatis Commissariis in Siciliam contra occupatores bonorum Ecclesiæ Panormitanæ, necnon bonorum Sedis Apostolicæ in eadem Insula. Libro vero vltimo Clementis Papæ Sexti extat diploma, quo Guillelmus Episcopus Nazarenus deputatur Nuntius Apostolicæ Sedis & Collector in Regno Siciliæ vltra Pharum loco Theobaldi Archiepiscopi Panormitani defuncti.

NVNTII APOSTOL. PRO DIVERSIS NEGOTIIS IN SICILIAM MISSI, ET SVSCEPTI.

XLI.

Insuper in eodem Camerali Tabulario, inter monimenta Innocentii Papæ Sexti, habetur Bulla Commissionis Apostolicæ Sedis Nuntio in Sicilia commoranti, pro exactione spoliorũ defuncti Episcopi Agrigentini, data anno quarto ipsius Pontificatus: aliaque eiusdem anni, qua committitur Episcopo Catanensi exactio omnium Spoliorum Siciliæ. Eiusdemque Innocentii tempore, Nicolaus de Aragonia Sacrę Romanę Ecclesiæ Cardinalis, commentarium iecipsit de quadruplici demonstrata iurisdictione Romanæ Ecclesiæ in Regnum Siciliæ, qui extat in Vaticana Bibliotheca vna cum aliis eiusdem auctoris lucubrationibus. Ipsius vero Innocentii successor Vrbanus Quintus, reperitur misisse Nuntium & Collectorem Decimatũ in Siciliam vltra Pharum, Dominicum de Sassonario Canonicum Beneuentanum, anno Pontificatus sexto, Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octauo. Et in libro tertio Literarum Ioannis Vigesimitertii, extat eiusdem Commissio decreta anno secundo Pontificatus Aragoni de Malaspina, pro Reformatione in regno Siciliæ rerum temporalium, cum pensione quotidiana viginti quinque florenorum persoluendorum à Clero Siciliæ: conceditque eidem facultas conferendi canonicatus & alia beneficia Ecclesiastica. Ac pariter in eodem Tabulario extant Martini Quinti literæ datæ anno primo Pontificatus, quibus Cypressus Balauerius deputatur in Sicilia Collector reddituum & fructuum quorumcumque Cameræ Apostolicæ debitorum. Nouissime denique reperitur in libro Impositionum Cameræ Apostolicæ, Paulum Papam Tertium anno Pontificatus sui nono, Redemptoris millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, misisse speciatim in Siciliam, Tobiam Palauicinum & Lucam Iustinianum, deputatos ad colligendum subsidium medietatis veri annui valoris omnium fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum. Missi sunt autem iidem id ipsum præstare per vniuersam Italiam: adeo, vt nihil minus iuris in Sicilia, quam in cæteris Italiæ prouinciis, vsque ad nostra tempora sibi Pontifex vendicaret.

XLII.

Atque hæc modo satis cum de ipso rerum vsu, tum de Inuestituris, cæterisque ad eadem quæstiones pertinentibus; quæ occasione diplomatis Vrbani Papæ, cursim agenti licuit explanasse, simplici stylo, candore animi, ex corde puro, (Deum testem inuoco) conscientia bona, & fide non ficta. Si autem Deus concesserit, vt in Annalium prosecutione futura tempora disquiramus, locupletiorem de his eadem sinceritate tractationem pollicemur; ex vberiori messe colligendam, cum ad ipsa tempora quibus singula peracta noscuntur peruenerimus; quibus appareat quantam scriptis omnibus reclamantibus, iuribus omnibus contradicentibus, cœlo terraque testantibus, Apostolica Sedes in Regno Siciliæ patiatur iniuriam, & inauditam hactenus inter Catholicos

AVCTORIS IVSTÆ QVERELÆ PROMOVENDÆ.

tholicos ignominiam subire cogatur; cum iam à tempore Caroli Quinti in temporali dominio domina ignoretur, & in spirituali esse nesciatur Vniuersalis Ecclesia: rebus ipsis (quod est grauius) in deterius prolabentibus, ipsaque inde misera Ecclesia Sicula vergente in perniciem; ac denique illis ingenti se periculo committentibus, qui contra tot Romanorum Pontificum antea & postea data diplomata, vno innixi deprauato, omnino conciso, numquam ab aliquo successorum approbato diplomate; eodemque, etiam si germanum legitimumque fuisset, iam in Rogerij heredibus desinente, nullius alterius Romanorum Pontificum confirmatione roborato, immo contrariis penitus constitutionibus rescisso & abolito; post tot sæcula oblitione sepulto, à nemine Regum qui contra Sedem Apostolicam pugnauerant vel nomine tenus cognito, nedum exhibito vel citato: contra Ecclesiam Romanam, matrem suam, dominamque, præsumunt defendere infauste vsurpatam, & nulla ratione tolerabilem MONARCHIAM, renuuntque eidem vel in iis quæ iuris diuini, naturalis, canonici, communisque sint, parere.

XLIII. CONCESSA CONTRA ECCLESIÆ IVRA, NON TENENT.

Quæ quidem etsi authentico, omnique ex parte fide constante diplomate, alicuius, quantumuis alioqui legitimi Romani Pontificis, concessa monstrari possent; nec sic subsisterent, quæ contra præcipua Ecclesiæ Romanæ iura inuenirentur esse disposita. Nam vt egregie Desiderius Cardinalis, insignis Abbas Cassinensis, postea Victor Papa Tertius, vigore plane sacerdotali, Henrico Imp. iura Ecclesiastica inuadenti, in faciem obiecit c; *Sedes Apostolica domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata: & ideo nulla omnino ratione sub iugum à quoquam mitti potest. Quod si à Nicolao Papa factum est,* (scilicet vt arbitrium expectaretur Imperatoris in electione Romani Pontificis; quod falso prætendebatur:) *iniuste profecto & temere præsumptum est: non tamen cuiusdam stultitia vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suam.* Quæ eadem eodē tempore Deusdedit Cardinalis Tit. Eudoxiæ (de quo suo loco dictum) scripto insigni volumine ad eumdem Victorem Tertium, pluribus argumentis asseruit. Et S. Brunus Episcopus Signiæ, ac cum eo plurimi alij Episcopi & Cardinales, in Concilio Romano coegerunt Paschalem Papam Secundum reuocare, quæ contra Rom. Ecclesiæ iura promisisset Henrico Imperatori: vt suo loco inferius dicturi sumus.

c *Chron. Cassin. li. 3. c. 49.*

XLVI. PRIVILEGIA CONCESSA AB APOSTOL. SEDE, NON DEBENT IIS PRÆIVDICARE.

Cum & alioqui in confesso sit apud omnes, Priuilegia ab Apostolica Sede collata, non debere contra eamdem Ecclesiam militare. In quam sententiam Nicolaus Papa Primus, idemque Sanctus, in Decretali quam scripsit ad Henricum Archiepiscopum Turonensem, vbi agit de priuilegio ab Apostolica Sede concesso Rhemensi Ecclesiæ, quo eius Archiepiscopus Hincmarus contra ipsam abuteretur, hæc inter alia habet f; *Sic Apostolica Sedes aliena iura custodit, vt sua non mmuat: sic honorem debitum dat, vt suum non tribuat alienis. Nam & arma illi à nobis collata, ita volumus vt pro eo sint valida, vt potius pro nobis vbi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant.* Qui & de priuilegio Apostolicæ Sedis agens, quo ad eam omnes appellandi, nullius obice priuilegij, habeant facultatem; hæc scripsit g ad Carolum Francorum Regem: *Priuilegia Romanæ Ecclesiæ totius sunt Christi (vt ita dicamus) remedia Ecclesiæ Catholicæ: priuilegia inquam Petri, arma sunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta & documenta Domini sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, immo conctorum qui ab iisdem potestatibus diuersis afficiuntur incommodis.* An vero tanta ista Deo accepta, qui eorum est auctor, Angelis & hominibus reuerenda, qui in eorum semper custodia vigilarunt ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ vsu recepta atque probata; vnius, sed mutilati, nihilque huiusmodi cōcedentis, diplomatis occasione adducenda sunt in discrimen, exponenda ludibrio, atque penitus abolenda? At aboleri non possunt, quæ viuunt in radice sua; sed qui præciditur ex eis ramus arescit.

f *Nicol. ep. ad Hinc. Turon.*

g *Id. q. 30.*

XLV. CONCIL. BARENSE VRB PP.

Vt vero iam his omissis, quæ post Vrbani Papæ datum diploma Salerni sunt secuta narremus; hoc ipso anno Calendis Octobris, ab eodem Pontifice celebratum est *Bari* in Apulia CONCILIVM, ad quod vocauit etiam Græcos, solicite curans vt eos cum Latinis vniret, ne expeditio Orientalis quam anno superiori promouerat, ex eorundem Ecclesiæ schismate pateretur impedimentum. Porro nobilissimi huius Concilij perierunt Acta; quorum ea dumtaxat nota facta sunt nobis, quæ in agitatis ibidem inter Græcos & Latinos antiquis controuersiis, ac potissimum de processione Spiritus Sancti, ad eorundem Græcorum confutationem scripta sunt à S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi; quem contigit eidem Conuentui interesse, cum antea (vt vidimus) Romam petiisset: cuius iter, ac miracula in eo edita, honoremque ei ac laudes, cum ab aliis, tum ab ipso Vrbano Papa delatas, eiusdemque labores pro conuersione Infidelium qui in castris Rogerii Comitis militabant insumptos, ac denique scripta in secessu æstiuo exarata; Edinerus *h* peregrinationis comes in ipsius Vita descripsit.

h *Edin. lib. 2. ap. Sur. 21. April.*

XLVI. S. ANSEL. IN SYN. BAR. CONFVTAT GRÆCOS.

De Barensi vero Concilio ea occasione agens, ait Anselmum persuasum à Papa Græcos in processione Spiritus Sancti rationabili & Catholica disputatione confutasse, indeque magni apud omnes esse habitum, & veneratione dignissimum comprobatum, quæ Willelmus Malmesburiensis *i*, sua paulo glorioſius ostentans, diffusius narrauit. Additque, cum prolatis in medium sceleribus Regis Angliæ, iam omnium suffragio Pontifex ad eum excommunicandum paratus esset, Anselmum, qui de Regis contumelijs sibi illatis questus esset, genibus Papæ affusum, mirantibus omnibus tantam eius mansuetudinem, orasse dilationem, & impetrasse. Certum est autem in eodem Concilio S. Anselmum in confutandis Græcis primas tulisse: cui & ea ex parte plurimum Ecclesia Catholica debet, quod Synodi cum Acta perierint, ipse tamen, vt dictum est) quod in controuersia illa tractauit, pulsatus amicorum precibus, scriptorum monimentis perpetuæ memoriæ commendauit: qui etiam aduersus eosdem Græcos postea librum, seu epistolam scripsit *De Fermentato & Azymo.*

i *Malmesb. de gest. Pōt. Angl. lib. 1.*

XLVII. S. MARGARITA REG. SCOTIÆ ORTVS.

Hunc insuper annum suo ad Deum illustrauit transitu (vt Rogerius notat) *S. Margarita* Regina Scotiæ, quæ collapsam illi Ecclesiasticam disciplinam restituendam curauit; adeo vt Scotorum Ecclesiam iam siluescentem defectu culturæ, reddiderit speciosam. Ita pluribus, qui eius Vitam scripsit Adelredus Abbas. Eiusque etiam viget mentio apud Rerum Anglicarum historicos huius temporis, Willelmum Malmesburiensem, & alios.

IESV CHRISTI AN. 1098.

VRB. II. AN. II.

HENRICI III. 15.

ALEX. COMN. 18.

I. CONCIL. ROM. a *Ap. Sur. 21. April.*

ANno Christi millesimo nonagesimo octauo, Indictione sexta, Vrbanus Papa maxima pace (vt ait Bertholdus) in ipsa Vrbe & eius finibus composita, ibidem *Romæ* in Ecclesia S. Petri Synodum celebrauit tertia hebdomada Paschæ, vt habet Edinerus in Vita *a* S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi; quem eidem interfuisse ait, sed quæ in ea fuerint statuta præteriit. Willelmus *b* autem de his agens, sugillat Vrbanum ac suos, quod pecuniæ mercimonio inducias per nuntium roganti Anglorum Regi concesserit vsque ad festum S. Michaelis Archangeli. Verum accusarine potuit tarditatis Vrbanus, quem ab ipso Anselmo actore, ne in Regem diceret sententiam, retentum fuisse, ipsemet Willelmus superius dixit? Quod si Regi concessit inducias vsq; ad festum S. Michaelis, potuitne eas negasse, non dico Regi, sed cuilibet humuncioni, petenti vt acturus causam Romæ ex Anglia testimonia perduceret, ex tanto terrarum spatio?

b *Malmesb. de gest. Pōt. Angl. lib. 1.*

EXCVSATVR VRB. PP. DE INDVLG. IN REG. ANGL.

Ceterum Anselmum ab Vrbano variis magni que officiis ac beneficiis frequentatum fuisse Romæ, Edinerus testis fidelis narrat: asseritque, cum omnes alios, tum etiam hostes Ecclesiæ eum veneratos esse, adeo vt vulgo, quasi à proprio nomine, *Sanctus homo* vocaretur: pergitque dicere de eius recessu ab Vrbe Lugdunum; vbi ad biennium permansit, vsq; ad mortem Regis Anglorum. Verum antequam ab Vrbe

II.

§ ANSELMI MIRA OBEDIENTIÆ HVMILITAS.

recederet, tradit Willelmus ipsum obedientiæ pertinacem custodem, rogasse Papam, vt sibi aliquem præponeret, cuius iussis vitam disponeret; Papam vero exhibuisse Edinerum, (illum nempe qui eius Vitam conscripsit, fuitque ei a secretis) cuius Anselmus tanti iussa fecerit, vt cum eum cubili locasset, non solum sine præcepto eius non surgeret, sed nec latus inuerteret. Quæ quidem in exemplum omnium Christianam modestiam profitentium, in tanti viri commendationem enarrasse volumus. Hisq; plane consentientia sunt, quæ idem ipse Anselmus *c* ad Falconem Episcopum Bellouacensem scripsit de amore humilitatis & obedientiæ quo flagrabat, cum apud quosdam in suspicionem adductus esset affectati honoris & gloriæ.

c Anselm. ep. 3.

I.

CONCILIAB. SCHISMAT. ROMÆ HABITVM.

Inter hæc autem cum plurimi per Catholicos assidue *Conuentus* agerentur; ipsi quoque æmuli gregarii pseudopontificis Cardinales, Romæ (vbi adhuc magna erat copia Schismaticorum) vna cum aliis suæ ipsorum factionis clericis, præcipuisque laicis, conuenticulum acephalum (siquidem Guibertum Antipapam his temporibus in Longobardia egisse, Bertholdus est auctor) habuerunt: in quo Synodalem septimo Idus Augusti præsentis anni aduersus Catholicos admodum insultam conflarunt epistolam encyclicam ad vniuersos suarum partium affectas, quæ legitur ad calcem commentarii Bennonis, vnius ex illis in ea nominatis extra cardinem Cardinalis, de Vita Hildebrandi: in qua inter alia asseruerunt, Gregorium Papam Septimum in extremis existentem, vocato ad se vno ex iisdem aduersæ factionis Cardinalibus, veniam petiisse ab Imperatore, & ab vniuersa Ecclesia, de male administrato pastorali officio. Sed putidum istud mendacium iam sæpe superius apertissimis demonstrationibus confutauimus.

II.

PROGRESSVS OCCIDENTALIVM IN ORIENTE.

Hoc eodem anno cum prospera nuntiarentur de Orientali Christianorum Occidentalium expeditione; (nempe de captis inter alias ciuitates, Nicæa in Bithynia, & Antiochia in Syria; deque multis aliis obtentis victoriis; necnon de Inuentione sacræ *Lanceæ*, quæ Christi latus perforauit, qua itidem Christiani post captam Antiochiam, ibidem ab immensa hostium multitudine obsessi, fame que ac morbo consumpti animosiores effecti, in hostes irrumpentes, ingenti sunt potiti victoria: quæ omnia pluribus describit Tyrius *d*.) visum est Vrbano Papæ, Apostolicum Legatum in partes illas decernere, Daibertum (qui & nominatus reperitur Theobertus) Archiepiscopum Pisanum; quem non ita pridem idem Vrbanus *e* Archiepiscopali pallio & potestate sublimauerat, quod eatenus Ecclesia Pisana habere non consueuerat. Misit autem illum (inquit Bertholdus) vt iisdem Christianis Occidentalibus Apostolica vice in omnibus adesset, & Ecclesias in locis vnde Pagani expulsi essent instauraret. Sed impedimento fuit Constantinopolitanus Imperator; qui se ab Occidentalium adiutorio subtrahens, ciuitates quas illi caperent, incendio deuastare, & Paganis reddere non timuit; iterque Hierosolymitanum omnibus peregrinis omnino prohibuit.

d Tyr. de Bell. sacr. li. 3. c. 11. lib. 5. c. 23. & l. 6. c. 14. & 22.

e Ap. Bare. an 1095. in pr. ex Bertholdo.

V.

ORDO CISTERCIEN. INSTITVITVR.

Hoc ipso anno, Apostolicæ Sedis auctoritate iacta sunt in Gallia prima fundamenta nobilissimi CISTERCIENSIS ORDINIS, ex quo tanquam è fonte riui vniuersum Occidentalem Orbem cœlestibus donis irrigauerunt: cum erigendi monasterii Cisterciensis in diœcesi Cabilonensi, *S. Robertus* Abbas Molismensis auctor extitit, licentia & assensu Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis Apostolicæ Sedis Legati, & Walterii Episcopi Cabilonensis, necnon ope Odonis Ducis Burgundiæ. Sed quod post non multum temporis idem Robertus, requirentibus eum monachis Molismensibus, Vrbani Papæ iussu ad eos redire coactus est; idem Albericum Cistercensibus præpositum Abbatem reliquit: cui post biennium Paschalis Papa concessit priuilegium *f*; aliudque Callistus successor Paschalis post Gelasium, Stephano eiusdem monasterii post Albericum Abbati: sub quibus sanctissimis viris Cistercium sanctorum monachorum frequentia est mirifice propagatum. Ista vero de ipsorum exordio, testatur Sigebertus hoc anno; quæ locupletius narrantur in Vita *g* Sancti Roberti.

f Rec. Bare. Annal. tom. XII ann. 1100. & 1119.

g Ap. Sur. 29. April.

IESV CHRISTI AN. 1099.

VRB. II. AN. 12.

HENRICI III. 16.

ALEX. COMN. 19.

ANno Domini millesimo nonagesimo nono, Indictione septima, perdifficilis agitata est controuersia inter Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem Apostolicæ Sedis Legatum, & Iuonem Episcopum Carnotensem, occasione electionis Daimberti in Archiepiscopum Senonensem loco Richerii defuncti: cuius consecrationi cum idem Hugo intercederet, nisi prius ipsi obedientiam profiteretur iure Primatus, quem Archiepiscopo Lugdunensi super quatuor prouincias, Lugdunensem, Rotomagensem, Senonensem, & Turonensem, Gregorium *a* Papam Septimum concessisse vidimus: Iuo (apud quem Ecclesia Senonensis pro electi sui consecratione instabat) hæc ab Hugone præter, imo contra consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, decretaque Summorum Pontificum, quibus nihil de professione à Metropolitanis facienda Primatibus constitueretur, præsumi contendens; sed interim eius parere mandato, differendo consecrationem, minime prætermittens; demum ab Vrbano Papa, quid agendum esset literis *b* petiit; ipsumque Hugonem, ea nimis imperiose exigentem aculeata satis redarguit *c* epistola.

I.

GRAVIS CONTROVERSIA INTER IVON. CARNOT. ET LEG. SED. APOS.

a Greg. VII. 6. ep. 34.

b Iuo ep. 58.

c Id. ep. 65.

II.

DE INVESTITVRIS QVID IVO.

Sed quod ea epistola id etiam actum est, vt quia Hugo electum reprehendebat, quod inuestituram Episcopatus de manu Regis accepisset; hoc Iuo licite absque vllo læsæ religionis crimine fieri posse contendens, de Inuestituris vetitis nimis abiecte, imo despecte multa ingesserit: (licet excusauerit, se haud velle Sedis Apostolicæ salutaribus dispositionibus obuiare:) ista quidem, nisi corrigerentur ab aliis eiusdem auctoris epistolis, famam ipsius, & nomen gloriosum, quod ex defensione Apostolicæ Sedis & Catholicæ veritatis sibi dignissime comparauit, in discrimen maximum adducerent. Ideoque haud mirum si Vrbanus Papa prædictis acceptis ipsius literis à Legato, vehementer in ipsum commotus fuerit. Cuius iræ pondus Iuo non ferens, eo quasi desperationis adactus est, vt se ab Episcopatu abdicare statuerit, licentiamque id peragendi ab Vrbano petierit. Extat enim ea de re ipsius epistola *d*, eademque nouissima ex iis, quæ ab eodem ad Vrbanum sunt datæ; nempe scripta (vt testatur) septimo expleto anno à sua ad Carnotensem Episcopatum promotione, qui est præsens, quo etiam Vrbanus obiit.

d Id. ep. 68.

III.

LEGATVS ABVTITVR AVCTORITATE.

Cum autem præter hæc idem Hugo alia quoque occasione in se prouocasset Episcopos prouinciæ Senonensis, dum electum Niuernensem absque aliqua necessitate consecrandum extra prouinciam Augustodunum vocasset præter omnem antiquum morem; rursum ad eum cohibendum, Iuo *e* egregiam epistolam scripsit de comprimendo ipsius, occasione Apostolicæ Legationis, fastu; quo multa læpe idem Hugo indiscrete peregisse reperitur. Nequa vero suspicio præuaricationis Iuonis ex recensitis illis prioribus eius ad Hugonem literis irrepere possit, extat alia præclara ipsius epistola *f* ad Henricum Abbatem Angeliacensem, qua docetur quantum fuerit assertor & prædicator decretorum Gregorii & Vrbani aduersus Inuestituras laicas.

e Ep. 66.

f Ep. 233.

IV.

DE PROMOTIONE TVRPISSIMI PVERI IN EPISC. AVRELIANENS.

Cæterum eadem ad Vrbanum epistola, monuit quoque ipsum Iuo de promotione turpissimi pueri in Episcopum Aurelianensem, quam Archiepiscopus Turonensis obtinuisset à Rege in præmiũ impositæ ei coronæ in Natali Domini contra interdictum Legati Sedis Apostolicę; orauitque ne vnquam permitteret eum consecrari, quod esset de inhonesta familiaritate eiusdem Turonensis Archiepiscopi, & fratris eius defuncti, multorumq; aliorum inhoneste viuentium, per vrbes Franciæ rhythmicis cantilenis turpissime diffamatus. Ipsum porro Iuonem obstitisse ne probrosus

ille

ille puer eligeretur, sed ordinaretur legitime Decanus illius Ecclesiæ, ipse in alia ad *g* prædictum Hugonem Legatum epistola significat, in qua totius rei gestę narratur historia. Et quod pertinet ad impositionē coronæ Regi factam in Natali Domini; id quoq; ipsum, post Vrbani obitum, contra eiusdem Pontificis interdictum, præsumptum anno sequenti in die Pentecostes ab aliis fuisse Episcopis, docent aliq eiusdem Iuonis *h* literæ.

g Ep. 122.

h Ep. 134.

V. CONCIL. ROM. GENER.

Hoc item anno idem Vrbanus Papa Generalem SYNODVM centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & clericorum innumerabilium, tertia hebdomada post Pascha *Romæ* celebrauit: in qua confirmatis suorum antecessorum statutis, sententiam quoque anathematis in Guibertum ac complices iterauit: statuitque nequis communicare præsumeret iis qui concubinas haberent, nisi prius eas dimitterent: ac denique hortatus est omnes Christianos ad expeditionem Hierosolymitanam, vt fratribus suis laborantibus succurrerent. Narrat hæc Bertholdus. Quo etiam auctore constat, eumdem Pontificem hoc eodem anno, quarto Calendas Augusti defunctum esse ibidem Romæ, rebus iam sedatis, munitionibus recuperatis, ciuibus omnibus sibi cōciliatis, paceque diu exule restituta, atque ipsa Ecclesia Catholica in trāquillioré statum vendicata. Tradit illud ipsum Domnizo in Mathilde. Sicque idem Pontifex, cum sedisset annos vndecim, menses quatuor, dies decem & octo, S. R. E. Pontificatu bene perfunctus, vltimum spiritum Deo reddidit in ædibus Petri Leonis, positis apud S. Nicolaum in Carcere Tulliano. Ab eo enim nobilissimo ciue Romano semper ipsum hospitio exceptum, cum tot tantisque angustiis premeretur, defensumq; in insula Tiberina inter duos pontes, traditur in codice Vaticano, in quo Vita ipsius descripta legitur ab eius temporis auctore: vbi etiam asseritur, corpus eiusdem per Transtiberinam regionem delatum fuisse in Basilicam Vaticanam, atq; ibidem honorifice sepultum. Mortuus *i* est autem ingenti bonorum omnium dolore, malorum vero summa gratulatione, ac potissimū ipsius schismatici Antipapæ Guiberti, exultantis atq; insultantis pariter, quod tres ipso viuente, atque in Petri Cathedra considente, (vt vane gloriabatur) Deo vindice essent extincti Pontifices, Gregorius VII. Victor III. atque ipse Vrbanus II.

VRB. PP. OBITVS.

i Hanc periodum habet Baron. an. seq. in pr. Tom. XII.

VI. DE VRB. EPIST. DECRETAL.

Quod autem spectat ad sanctissimi Pontificis scripta; periisse Epistolarum ipsius Regestum, iam superius doluimus. Nonnulla vero ex iis desumpta decreta reperiuntur apud Anselmū Lucensem in volumine, quod magno labore collegit ex Conciliorum canonibus, atque decretis Summorum Pontificum, quod nondum excusum est; itemque apud Iuonem Carnotensem suis locis apte dispositā in corpore Canonum quod elaborauit: necnon apud Gratianum, qui id ipsum abundantius præstitit. Sed quæ apud Anselmum ex ipso habentur, oportet ab aliquo esse addita: siquidem Anselmum ante Vrbanum esse defunctum, superius est demonstratum. Ceterum apud eum integra quoque reperitur eiusdem Pontificis Epistola *i* decretalis ad Præpositum S. Iuuentij Papiensis, de emptione & venditione rerum sacrarum, deque perceptione sacramentorum à sacerdotibus facinorosis: è qua nonnulla apud Gratianum sub diuersis titulis fragmenta ponuntur. Ac denique eiusdem residua est pars *k* epistolæ ad Alphanum Archiepiscopum Salernitanum, de collato illi Ecclesiæ priuilegio: quam quidem eiusdem sancti Pontificis vltimum fuisse elogium satis apparet, cum data habeatur hoc anno decimotertio Calendas Augusti.

i Rer. Bar. Ann. Tom. XI. hoc an.

k Recit. Bar. ibi, ex Bibl. Card. Sirlet.

VII. *l* Tyr. lib. 8. c. 1. & seqq. HIEROSOLYMA CAPITVR A CHRISTIANIS.

Pertinet vero ad eius triumphum, quod eodem tempore, nempe die decimaquarta Iulij huius anni, contigit capi *l* HIEROSOLYMAM ciuitatem ab exercitu Christiano sub GODEFREDO Duce. Cuius sanctæ expeditionis cum idem Vrbanus promotor extitisset, in cœlo meruit triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor. Ceterum post Hierosolymam expugnatam, inter alia illud celebre accidit, de certitudine venerandę Imaginis IESV CHRISTI Redemptoris nostri Crucifixi, schemate regio pictura antiquitus ad similitudinem eius expressæ, curante id (vt vetus traditio delata ad posteros firmiter testabatur) Nicodemo nocturno Christi discipulo; prout didicit, & retulit inde pius valde vir Stephanus nomine, patria Lucanus, qui religionis causa vna cum aliis anno superiori peregrinationem susceperat ad Terram Sanctam. Acceperat autem illam à Gregorio quodam Syro homine: eaque insigniter illustrata est Lucana in Tuscia ciuitas, vbi hactenus religiosissime vna cum totius rei gestæ historia antiquitus scripta conseruatur. Cur autem regio cultu, non vt passus est nudus, Redēptor fuerit expressus; putamus id præstitum olim à Nicodemo, ad euacuandum scandalum Crucis, & illustrandam magis gloriā CHRISTI; vt quem inter latrones audirent Crucifixum, scirent re vera fuisse Regem Regum & Dominum dominantium: Ea, inquā, de causa putamus à Nicodemo ita effigiari curatum, & non honestatis causa tantum. Nam qui eius rationem habendam censuerunt, ipsum Dominum indutum solum interula siue indusio Cruci affixum, siue sculptura, siue pictura repræsentare consueuerunt. Sed de his alias.

VIII. CONCIL. HIEROSOL.

In fine autem anni huius, itidem *Hierosolymis*, post celebratum solemnem diem Natalis Domini, habito generali CONVENTV Principum, & eorum qui aderant Episcoporum, *Daibertus* Pisanus Archiepiscopus, idemque Apostolicæ Sedis Legatus, electus est in Patriarcham Hierosolymitanum, pulso nefario homine, qui sedem illam inuaserat, Arnulpho qui sequebatur Principem Northmannorum. Iisdemque diebus throno Antiocheno *Bernardus* Patriarcha datus est. A quibus religiose admodum Christiani Principes accipere voluerunt singuli suorum Principatuū inuestituras, Godefredus Regni Hierosolymorum à Daiberto, Boamundus Principatus Antiochiæ à Bernardo. Eoq; facto, ab iisdem constitutæ sunt dotes iis Ecclesiis, quales antecessores Patriarchæ habuisse scirentur: licet harum occasione multæ sint postea obortæ contentiones, de quibus dicendum inferius. Habet autē ista omnia pluribus Tyrius *m*.

m Id. lib. 8. c. 11. & lib. 9. c. 1. 18. 19.

Mortuo vero (vt dictum est) Vrbano Papa; die decimaquarta ab eius obitu, nempe duodecima mensis Augusti, subrogatus est in locū eius, Rainerius, siue Raginerius presbyter Cardinalis tituli S. Clementis, & Abbas monasterij SS. Laurentij & Stephani extra muros: qui & diuinitus cuidam Religioso prænuntiatus, & summo consensu à populo expetitus, atq; à Clero electus, cum fugiens ipse tanti ponderis onus latebras quęsisset, inde extractus est, & PASCHALIS Secundus nominatus, atque post biduum solemni ritu apud S. Petrum consecratus. Natrat hæc pluribus Anonymus Vaticanus huius temporis scriptor: prænuntiata vero de ipsius Pontificatu, eiusdemque per ternos, ter quaternos, ternosque annos (hoc est, decem & octo expletos) duratione, ac turbis in eo concitandis, habet quoque Dodechinus & ipse huius temporis auctor. Docet insuper idem Anonymus, fuisse Paschalem natione Tuscum, patria Bledanum, patre Crescentio & matre Alsatia, eumque amore vitæ religiosæ celebre sanctitate Cluniacense monasterium petiisse, & sub S. Hugone Abbate vitam monasticam excoluisse, missum vero Romam ob negotia monasterii tempore Gregorij VII. ab eodem Pontifice retentum fuisse, & Cardinalem creatum.

IX. [HIC INCIPIT TOMVS XII. ANNALIVM BARONII.] PASCHALIS II. PAPA.

IESV CHRISTI AN. 1100.

PASCHAL. II. AN. 1.

HENRICI III. 17.

ALEX. COMN. 20.

I.

ANNO Christi millesimo centesimo, Indictione octaua, Paschalis Papa cum vndique illatas Ecclesiæ per Schismaticos clades infelici spectaculo contemplaretur, ad curandas illas intendens, hortatu Cleri Populique Romani, & auxilio pecuniarum Rogerij Comitis, Guibertum pestilentem Antipapam longe longius à Romana Ecclesia expellere decreuit. Feruens porro cœtus Orthodoxorum sic ferum illum aprum assiduo venatu est insectatus, vt de loco ad locum fugere cogerent; donec infelix mœrore consumptus, & desperationis dentibus deuoratus, diem clausit extremum hoc

GVIBERTI ANTIPP INTERITVS.

anno, siue sequenti, vt est diuersa diuersorum auctorum assettio. Huius namque temporis Germani Scriptores, Dodechinus, Sigebertus, & Vrspergensis, hoc anno eum defunctũ affirmant: Itali vero anno sequenti, post duos annos ab Vrbani Pabæ obitu; vt Domnizo in Vita Mathildis, & Petrus diaconus in Chronico Cassinate, iidemq; ipsi huius temporis auctores, & quidem integræ fidei. Verum quod spectat ad numerum viginti trium annorum, quem eidem Guiberto Domnizo tribuit; non referendus est ille ad tempus integrũ quo sedit pseudopapa, quod cœpisse vidimus anno Redemptoris millesimo octogesimo; sed ex quo, facto schismate, à Gregorio Papa desciuit. Quomodo vero ad postremum idem nefandus sepulchro quoq; caruerit, proiectis ossibus eius in aquas, inferius suo loco dicturi sumus.

II. Quod autem nequaquam vna cum Antipapæ obitu extinctum est Schisma, viuente adhuc qui fouebat illud Henrico Imperatore; haud mediocres labores superfuere Paschali. Etenim Henrici opera tres post Guibertum sunt subrogati sibi inuicem succedentes pseudopontifices, *Albertus*, *Theodoricus*, & *Maginulphus*, aresc ētibus suo ipsorum ortu maledictionis palmitibus infelicibus. Hoc vero eodem tempore Paschalem Romanam Ecclesiam in splendorem pristinũ restituere cupientem, nonnullas ciuitates & oppida ad illam pertinentia, è perduellium manibus per suos armis vendicasse, ipsosq; tyrannos perdomuisse, testatur idem qui supra Anonymus auctor ipsius Vitæ: qui cum inter perduelles numeret Petrum de Columna, Abbatem Farfensem; hic primũ occurrit mentio nobilissimæ Romanæ familiæ *Columnensiũ*; vtinam honestioris tituli occasione.

PER DOMVIT PASCH. PP. TYRANNOS.

III. His autem primis Paschalis in Italia laboribus accesserũt externa mala, quibus curandis multum insudauit. Ac primo cum Philippus Rex Fr ãcorum (quem ob Bertam legitimam vxorem eiectam, & Bertradam pellicem subintoductam, excommunicatum, pœnitentiamq; promittentem absolutum vidimus) audita morte Vrbani fregisset vincula quibus tenebatur astrictus, ac rursus pellicẽ reuocasset; Paschalis sacrarum vindex legum exurgens, Legatos in Gallias misit Ioannem ac Benedictum S.R.E. Cardinales: à quibus habita *Pictauis* SYNODO, Rex penitus refragans Apostolicæ iussioni per eosdem significatæ, anathemate condemnatus est. Ita enim hæc gesta esse, docent Epistolæ Iuonis *a* Carnotensis ad eumdem Ioannẽ Legatum & ad Rudolphum Archiepiscopum Rhemensem conscriptæ; necnon Fragmenta *b* Historiæ Francorum. Habent vero amplius Annales Aquitaniæ à Ioanne Bouchetο editi; cum Episcopi Pictauis collecti, essent illinc Philippi deprecatoriis literis ad Guillelmũ Aquitaniæ Ducem cognatum suum conscriptis pellendi, nocte interiecta visum fuisse astare Legato S. Hilarium, & hortari ne minis Guillelmi Ducis territus ab incœpto desisteret; nõ enim passurum Deum vt ea res ei fraudi esset, aut male succederet: eaque visione postridie Guillelmo patefacta, permisisse illum vt pro arbitrio Legati cuncta perficerent.

CONCIL. PICTAVIEN. IN QVO PHILIP. REX FRANC. ITERVM EX COMMVNICATVR.

a *Iuo ep.* 134 & 212.

b *Frag hist. Fr. post Helgal. pag.* 93.

IV. Sed præter causam Regis in Concilio pertractatam, sanciti sunt insuper vndecim canones aduersus Inuestituras Ecclesiarum à Principibus sæcularibus fieri solitas, itemque aduersus simoniacos & clericos fornicarios, aut alias inordinate viuentes: qui canones descripti habentur *c* in codice Vaticano. Quo eodem ferme tempore in eadem diœcesi Pictauiensi apud pagum Liziniacum, de huiusce modi sacrorum canonum contemptore sacerdote fornicario, horribilem Deus vindictam sumpsit; quam egregie descriptam, non sine horrore leges apud integerrimum illius temporis auctorem Petrum *d* Venerabilem Abbatem Cluniacensem.

DE CANONIB CONC. PICTAV.

c *Rec. Bar. Annal. Tõ. XI. hoc an.*

d *Petr. Cluniac l. b 1. Miracul. cap.* 25.

V. Hoc item anno Paschalis Papa aliam Legationem misit in Orientem ad Fideles Occidentales illic militantes, à quibus anno superiori ipso exordio sui Pontificatus literas acceperat de felici eorum progressu, & renouatis in ipsorum expeditionibus antiquis diuinis miraculis, profligatisq; innumerabilibus hostium copiis: quas literas cum recitet in sua Historia de Bello Sacro Tyrius, ipsas quoque res gestas diffuse prosequitur. Legatus autẽ electus est *Mauritius* Cardinalis Episcopus Portuensis; cui ad regimen Ecclesiæ Orientalis vices suas idem Pontifex commisit, deditque ea de re literas ad eosdẽ Fideles illic militantes quarto Nonas Maij huius Indictionis octauę. Quod autem prædictas suas literas iisdẽ Fideles Encyclicas esse voluissent ad vniuersum Orbem Occidentalem, ad petendum auxilium; noua mox expeditio cœpta est procurari in Gallia, & in Italia classis Ianuensium præparari ad opus.

LEGATIO A PASCH. IN ORIENTEM.

Interim vero Godefredus Dux, siue (vt vult Tyrius) Rex Hierusalem, hoc ipso anno decimoquinto Calendas Augusti ex hac vita migrauit; vir, præter peritiam ac fortitudinem militarem, pietate insignis; quem & Deus in ea expeditione multiplici gratia est consolatus, vt omnes qui stylo prosecuti sunt res Orientales affirmant. Ei vero subrogatus est Balduinus, Principum omnium consensu. Hęc pluribus Willelmus *e* Tyrius; qui & pergit enarrare obortas mox dissensiones inter ipsum Balduinum iura Ecclesiæ Hierosolymitanæ sibi vsurpantem, & Daibertum Patriarcham ea conseruare satagentem. Quem quidem constantissimi animi fuisse Antistitem, omnibusque numeris absolutum ad sedem illam regẽdam, cum Scriptorum omnium eius temporis, tum Iuonis *f* Carnotensis Episcopi ad eum scribentis testificatione satis liquet. Quænam autem, quibusve rationibus, pro ea Ecclesia sibi Patriarcha vendicaret *ff*, pluribus idem Willelmus ostendit. Porro Balduinus talibus exordiis mala iaciens sui regiminis fundamenta, iram offensi numinis in se conuertit, nec nisi cum labore & dolore regnauit. Nihil enim sibi Principes infelicius consulere, quam dum Ecclesiastica iura deprimunt, innumera docuerunt exempla.

VI. OBITVS GODEFRIDI REGIS HIEROSOL.

e *Tyr. lib. 9. cap. vlt. & lib. 10. c. 1.*

f *Iuo ep.* 39.

ff *Videatis sup. an.* 1063. VII. BALDVINVS MALE CONSVLIT REGNO SVO.

Inter quæ memoria dignum, quod hoc eodem anno die secunda mensis Augusti, Willelmus Rex Anglorum perturbator Ecclesiasticæ libertatis, (cuius causa, vt vidimus, S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus iam triennium exul, Lugduni in Gallia tunc agebat) pluribus ante deterritus iræ Dei signis atq; prodigiis, quæ recitant eiusdem temporis rerum Anglorum historici *g*; in venatione sagitta in ceruum à quodam ex comitibus emissa percussus periit. Quem triduo ante S. Hugo Cluniacensis Abbas apud thronum Dei accusatum, iudicatum, & condemnatum vidit, ipsique prænuntiauit Anselmo; cui & alia sunt diuinitus ostensa de eiusdem interitu Regis, quæ refert Edinerus. Quod si tali meruit sententia cõdemnari Catholicus Princeps, ob vnius dumtaxat Episcopi extorris iniuriam; qualenam iudicium sunt habituri, qui fidei Catholicæ perduelles, Anglicanos Orthodoxos omnes Episcopos, siue ferro, siue exilio consumpserunt, & alias iniurias nefandas ipsis Ecclesiis intulerunt?

VII. INFELIX OBITVS WILLEL. REGIS ANGL.

g *Edin. in Anſel. lib. 2 Malmesb. & alii.*

Sublato igitur è medio Rege persecutore, eius germanus Henricus regnum capessiuit, qui statim S. Anselmum ad suã Ecclesiam reuocauit, & honorifice suscepit. Sed quod pax diuturna esse non possit, vbi iustitia procul abest, cum Rex more antecessorum suorum (inquit Willelmus Malmesburiensis) ab Anselmo hominium peteret, & iste ob contraria decreta in Romano Concilio statuta id denegaret; missis ad hoc ab vtraque parte Romam nuntiis, quamuis ij Paschalis Papæ confirmatiuam sententiam aduersus Inuestituras laicas detulissent, nihilominus iussus est Anselmus à Rege, vel hominium facere, vel sine mora Regno excedere. Ille vero neutrum se facturum asserens, sed ad suam iturum Ecclesiam, vt consideraret quid sibi vel suis expediret; paulo post mollioribus à Rege literis euocatus, ambo rursus communi consensu Legatos Romam miserunt. Sed de ista posteriori legatione agetur anno sequenti, quo eam contigisse appareret: per biennium enim in his laboratum esse, Edinerus affirmat. Quo etiam tempore, Iuo Episcopus Carnotensis, fulgor Ecclesiæ Gallicanæ, & apud Principes ob egregios vitæ mores, & doctrinam incomparabilem, magnæ æstimationis existens, ad eumdem Angliæ Regem literas *h* dedit de exhibenda Christi sacerdotibus reuerentia; dignas plane, quæ his præsertim temporibus legendę iugiter Principibus ingerantur aduersus execrandam Politicorum hæresim.

VIII. RENOVATÆ TVRBÆ IN ECCLES. ANGL.

h *Iuo ep.* 57

Hoc eodem anno Paschalis Papa ad regimen Ecclesiarum Germanicarum, quas Henricus schismaticus Imperator persecutione vexabat, Legationem Apostolicam credidit Gebehardo Constantiensi Episcopo, qui eam à Paschalis decessoribus multis iam annis obtinuerat; Apostolicus plane vir, qui præ cæteris stetit pro muro domui Israel perditissimis hisce temporibus. Tradit autem hæc Bertholdus; finem hic scribendi faciens, forte præuentus morte: qui ex fidei ac vitæ integritate, & veritatis

IX. LEGATIO GERMAN. CREDITA GEBEHARDO EPISC CONSTANTIENSI.

studio,

studio, summam sibi gloriam comparauit inter Chronographos illius temporis.

IESV CHRISTI AN. 1101.

PASCHALIS II. AN. 2.

HENRICI III. 18.

ALEXII COMN. 21.

I. LEGATIONES EX ANGL. AD PASCH. PP.

ANNO Christi millesimo centesim primo, Indictione nona, ab Henrico Anglorum Rege & S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi, ob Inuestituras Ecclesiarum inter se concertantibus, ad Paschalem Papam Legati missi sunt; nempe ab Anselmo Balduinus & Alexander monachi, à Rege Giardus Archiepiscopus Eboracensis, Herebertus Norwicensis & Robertus Cestrensis Episcopi. In quorum itinere Romam versus, illud memoria dignum accidit, vt cum Herebertus nescio quo infortunio (inquit Willelmus *a* Malmesburiensis, huius legationis historiam recensens) prædonum manum incurrisset, quadraginta marchis datis libertatem viæ recepit; primo per omne quod dicitur sanctum iurare compulsus, nihil se Romæ acturum quod spectaret ad incommodum Anselmi. Adeo increbuerat Anselmi nomen, vt etiam latronibus esset in honore & defensione!

a *Malmesb. de gest. Pont. Angl. lib. 1.*

II. FRAVS HENRICI REG. ANGL. PRO INVESTITVRIS.

Ceterum nihil ista Legatio profecit, quam vt lites augerentur in Anglia. Cum enim Paschalis Papa, nec promissis, nec muneribus flecti potuisset, vt in fauorem Regis statuta antecessorum suorum conuelleret; reuersis Legatis, Rex epistolam Paschalis sibi ea de re scriptam reticens, rumorem sparsit (quem iidem Episcopi Legati, ab eo corrupti, testimonio suo confirmabant) Papam Regis Inuestituras æquanimiter ferre, si cetera boni Principis officia exequeretur: ideo autem noluisse literis hæc credere, ne ex eiusmodi concessione ceteri Principes occasionem arriperent in eum inclamandi. Ex aduerso vero monachis Anselmi contrariam Paschalis sententiam publicantibus, eamdemque ipsius literis ad Anselmum scriptis comprobantibus; magnæ vtrinque concitatæ sunt turbæ: quousque Anselmus diu fluctuans quorum potius testimonio fidem adhiberet, ad certitudinem facti cognoscendam misit denuo Romam; interim illis qui inuestirentur nec communionem suam denegans, nec benedictionem impertiens. Narrat ista Willelmus: quid vero responderit Paschalis huic posteriori Anselmi consultationi, silentio præteriit, nescio an in gratiam Regis. Extat enim eiusdem Paschalis *b* de his ad Anselmum data epistola, qua Legatos Episcopos, quod falsa retulissent, anathemate perculit, & de Inuestituris non concedēdis sententiam suam confirmauit. Quare Anselmus ad celebrandum in Anglia generale Concilium magna animi constantia se præparauit; de quo dicetur anno sequenti.

b Ep. 12. inter epist. Anselm.

III. SECVNDA EXPEDITIO IN TERRAM SANCTAM.

Inter hæc innouata est alia expeditio in Terram Sanctam, & quidem ingenti numero ingentiora factura, si per Alexij Græcorum Imperatoris inuidiam atque perfidiam licuisset: qui palam cum Latinis amicitiam simulans, clam vero Turcis fauens, multarum Latinis cladium & miseriarum causa extitit: cum & præterea grassante lue, ingens valde numerus Christianorum est consumptus. Quæ singula pluribus descripsit Conradus Abbas Vrspergensis, qui cum eadem expeditione profectus est Hierosolymam. At præ ceteris memorabiles extiterunt pugnæ Balduini Regis in Turcas, de victoria securos ex responsis suorum; cum ad solum S. CRVCIS intuitum (quam Sedis Apostolicæ Legatus ante se per Abbatem Gerardum ferebat) hostes fugam ineuntes cæsi sunt, quantumlibet victores initio pugnæ extitissent. Habet insuper idem auctor de Ioppe obsessa, sed Crucis virtute pariter liberata: necnon de consueto miraculo incensionis luminum, diuinitus fieri solitæ Hierosolymis die magni Sabbathi ante Pascha. Attigit quoque ex istis aliqua Willelmus *c* Tyrius; qui & de Ianuensium classis appulsu, eorumque ope capta Antipatrida, & Cæsarea maritima, (vbi potiti sunt Vase smaragdino) aliisque munitionibus expugnatis, historiam texuit. Sed plane his locupletiora, sicut & celebriora fuere sacra pignora, quæ Myra in Lycia ciuitate iidem Ianuenses pietate insignes in patriam detulere; nempe sacrosancti cineres sanctissimi Præcursoris Ioannis Baptistæ, quorum suis locis superius est facta mētio: in quorum ampliorem venerationem, & in gratiarum actionem tanti à Deo accepti muneris, statuerunt Romani Pontifices, vt eiusdem Translationis dies anniuersaria ageretur Officio duplici.

c Tyr. lib. 10. c. 3 15. 16

Hocitem anno Domini millesimo centesimo primo, Paschalis Papa scribens ad Bernardum Archiepiscopum Toletanum, confirmauit Primatum Ecclesiæ Toletanæ supra omnes Hispaniarum Ecclesias: quod ipsum & alij antea Summi Pontifices, & singuli ferme successores præstiterunt. Eodemque anno, qui tertius numeratur ab obitu Vrbani Papæ (vt habet Domnizo) Conradus Rex mortuus est, & sepultus Florentiæ. Sed magis illustratur idem præsens annus obitu *S. Brunonis* Carthusiensium Patriarchæ, qui optimo fine bene institutam vitam felicissime consignauit die sexta Octobris: eumdemque pluribus illustratum miraculis, venerandum suscepit Ecclesia. Porro eius Ordinis institutionem habes duabus clarissimis tubis toto orbe Catholico personantibus commendatam, nempe S. Bernardi Abbatis Clarauallensis, & Venerabilis Petri Abbatis Cluniacensis, epistolis ad Guidonem Priorem Carthusiæ datis.

IV.

S. BRVNONIS CARTHVS. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 1102.

PASCHALIS II. AN. 3.

HENRICI III. 19.

ALEXII COMN. 22.

I. CONCIL. ROM. GENER. IN CAVSA HENRIC. IMP.

ANNO Christi millesimo centesimo secundo, Indictione decima, tempore Quadragesimæ, conuenientibus *Romæ* omnium Italiæ prouinciarum Præsulibus, & quamplurimorum Vltramontanorum Legatis, generalis SYNODVS habita est ad pertractandam causam Henrici Imper. qui & ipse ei interesse promiserat. Verum cum non solum non compareret, sed etiam Antipapam subintroducere aduersus Paschalem moliretur; sententiam ibi rursum excommunicationis accepit; ipsumque eius Schisma inter præcipuas hæreses annumeratum, quæ doceret Excommunicationem Ecclesiæ contemnere. Insuperque edita est Catholica fidei Professio, de præstanda ab omnibus obedientia Apostolicæ Sedis Pontifici. Narrat ista Abbas Vrspergensis, qui eiusdem sententiæ promulgationi factæ in ecclesia Lateranensi aduersus Imperatorem in die Cœnæ Domini, interfuit hoc ipso anno in reditu à peregrinatione Transmarina. Quod autem multi ab Ecclesiæ vnitate, & à Sedis Apostolicæ obedientia impie resilirent, idcirco ad prædictam fidei professionem etiam cum iuramento exhibendam, obligatos fuisse Episcopos, Archiepiscopos, ac denique omnes à quibus eam Romanus Pontifex exigere vellet; constat ex epistola Decretali ipsius Paschalis Papæ ad Archiepiscopum quemdam Poloniæ *a*, quæ alibi recensetur *b* data ad Archiepiscopum Panormitanum.

HENRICI HÆRESIS.

EPISCOPI COMPVLSI IVRARE OBEDIENTIAM SEDI APOST.

a *Rec. Bar. Annal. T. XII. hoc an. ex cod. Vat.*

b *Extr. de elect. c. 4.*

[Quomodo potuit Conradus Abbas Vrsperg. anno præcedenti peregrinari Hierosolymam, & præsenti interesse Romæ; cum ipsemet postea scribat, se initio Pontificatus Innocentii Tertii, nempe anno Domini 1198. fuisse in minori ætate & adhuc laicum, factum vero fuisse presbyterum ann. 1202. monachum Præmonstratensem an. 1207. & an. 1215. Abbatem Vrspergensem; demumque concludat historiam suam an. 1229? Omnino dicendum videtur, (sicut etiā obseruauit Bellar. lib. de Script. Eccles.) Chronicon illud quod fertur nomine eiusdem Conradi, vel non esse vnius auctoris, vel Conradū inseruisse illi multa verbatim ex scriptis aē relationibus aliorum auctorum qui eum præcesserūt: quēadmodum & aliis nonraro accidit.]

DE CHRONICO ABB. VRSBER.

Hoc eodem anno circa festum S. Michaelis Archangeli, sub S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo celebratum est

II. CONCIL. LONDO

NIENSE IN CAVSA INVESTITVRARVM.

Londini generale totius Angliæ CONCILIVM: in quo potissimum quæ Romæ decreta fuerant de Inuestituris Ecclesiarum, promulgata sunt; ac multi Prælati qui beneficia à laicis acceperant, depositi: pluresque insuper conditi canones ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, & mores tam clericorum quam laicorum reformandos; quorum titulos Willelmus Malmesburiensis recitat, dum huius Cõcilii refert historiam in Gestis Episcoporum Anglorũ. Quo modo autem huius etiam occasione Concilii, in S. Anselmum multiplicatæ sint afflictiones à Rege, dicetur anno sequenti.

III.

Interim in Germania, defuncto hoc ipso anno Ruperto Episcopo Babenbergensi, (vt habet Vrspergensis) ab Henrico Imper. ei subrogatus est Otto ipsius Imp. Cancellarius. Porro in isto Ottone cognita est mutatio dexteræ Excelsi. Siquidem execratus mox Schisma, verumq; in Ecclesia Catholica caput agnoscens, Paschalem Papam literis consuluit; à quo in Italiam vocatus, insignia regiæ inuestituræ, quam acceperat ab Imperatore, facti pœnitens ad pedes Pontificis apposuit: & timens sibi à periculo curæ pastoralis, licet expetitus à Clero & populo Babenbergensi, tamen nonnisi sub sanctæ obedientiæ mandato compelli potuit Episcoparus insignia ab ipso Pontifice resumere, & in Episcopum consecrari, quod contigit anno sequenti ipso die Pentecostes, Idemque vna cum Episcopali vnctione, donis Spiritus Sancti ita est abunde repletus, vt Apostolorum instar & loqueretur magnalia Dei; & operaretur mirabilia de lege eius: Cuius extant *c* Res præclare gestæ, ab auctore eiusdem temporis fidelissime, sicut & copiosissime, tribus libris conscriptæ. De ipsius vero ad Pomeranos Apostolatu, dicetur inferius suo loco.

MIRABILIS CONVERSIO OTTONIS, EX CANCELLARIO FACTI EPISCOPI.

c Ap. Canis. Antiq. Lect. Tom. VI.

IV.

Hoc item anno, cum Robertus Flandriæ Comes iam ante biennium reuersus ab expeditione Hierosolymitana, arma conuertisset aduersus Schismaticos inhærentes Henrico Imperatori, & Cameracenses (vt Sigebertus affirmat) exagitasset; vt æque aduersus Leodienses eadem insania laborantes vires conuerteret, literis eum hortatus est Paschalis Papa. Quod vbi Leodienses schismatici intellexere, contra illas Paschalis literas scripsere Declamationem acerrimam; qua more ceterorum omnium Schismaticorum, affectantes Catholicum nomen, sic eam inscripserunt; *Omnibus bonæ voluntatis hominibus, Leodicensis Ecclesiæ, veritatem fidei, & Catholicam vnanimitatem inconcusse tenens, &c.* Est autem prolixa nimis, habeturque cusa Tomo secundo Conciliorum editionis Colonienſis, atque alibi.

LEODIENSIVM DECLAMATIO IN PASCH. PP.

V.

Sed ex altera parte Comitissa Mathildis, cum donationem à se Romanæ Ecclesiæ factam sub Gregorio Papa VII. audisset deperditam, eamdem hoc ipso anno per nouum diploma *d* renouauit; obtulitque Bernardo presbytero Cardinali, Legato apud ipsam Paschalis Papę: quod quidem ad Vitam ipsius à Domnizone presbytero carmine scriptam, positum vidimus appendicem; seorsum vero in Vaticano codice, publica eiusmodi monimenta continente. Quæ autem hæc secuta sint de iisdem bonis Ecclesiæ Romanæ relictis, dicetur suo loco.

DONATIO MATHILDIS RENOVATA.

d Rec. Bar. Ann. Tom. XII. hoc an. ex cod. Vat.

IESV CHRISTI AN. 1103.

PASCHALIS II. AN. 4.

HENRICI III. 20.

ALEXII COMN. 23.

I.

ANNO Christi millesimo centesimo tertio, Indictione vndecima, vigentibus in Anglia, & in dies magis excrescentibus discordiis inter Regem Henricum & S. Anselmũ Archiepiscopum Cantuarienſem, ob Inuestituras Ecclesiasticas, quas sibi Rex sumere, Anselmus autem è sæculari potentia vendicare studebat: idem Anselmus rogatus à Rege, & ab Episcopis atque magnatibus regni, Romam se conferre, vt quod alii hactenus Legati minus egissent, ipse auctoritate qua apud Sedem Apostolicam valebat, perficeret; ne omnia suo tantum videretur præsumere arbitrio, postquam contestatus est, nihil se Pontifici Romano suggesturũ quod eius decessoris statutis aduersaretur; quinto Calendas Maii *a* ex Anglia soluens, præcurrente Regis legato Willelmo electo Exoniensis Ecclesiæ, Romam venit. Res autem gestas, ab Edinero itineris comite diffuse fuisse conscriptas, tum ipse testatur *b* auctor, tum qui ab eo accepit affirmat Willelmus *c* Malmesburiensis, qui cuncta compendio retexuit. Porro in ipsa causæ auditione, fortis eluxit Paschalis constantia. Cum enim ad eloquentiam electi Exoniensis, plerique alii in sententiam Regis flecterentur; atque ex eo idem Legatus, simulque ex silentio Pontificis & Anselmi rem tacite considerantium, secutior redditus audacius addidisset, Regem nec pro amissione Regni passurum sibi Ecclesiarum inuestituras auferri; confestim Paschalis, *Nec ego*, inquit, *pro capitis mei redemptione, eum inuestituras permittam impune habere.* Ad quam magnanimam vocem conuersis in eius laudes contraria sentientium linguis, Legatus confusus obticuit. Decretumque est, vt interim Rege ab excommunicatione quod aliquos inuestisset absoluto, ipsi nihilominus inuestiti auctoritati canonum subiacerent, eorum satisfactione Anselmi commissa iudicio. Sed in reditu idem Anselmus mandatum à Rege per eumdẽ Willelmum legatum accipiens, vt vel Inuestituris acquiesceret, vel exularet; ipse Lugdunum Galliæ (sicut alias) ad Hugonem Archiepiscopum se recepit; Rex vero Angliæ bonis eum omnibus spolians, Archiepiscopatum quoque Cantuarienſem in suum dominium redegit. Donec post aliquod tempus petens Anselmus Northmanniam, ab eodem Rege in amicitiam receptus est, & tandem in Angliam redire permissus; de quo dicetur suo loco.

a *Roger. in Annal. hoc an.*
b *Edm. præf. Vit. S. Anſel.*
c *Malmesb. in Vit. Pont. Angl.*

PASCH. PAPÆ CONSTANTIA PRO LIBERTATE ECCLES.

QVID REX ANGL. IN ANSELM.

Hoc pariter anno Paschalis Papa dispensauit super consanguinitatis impedimentum, in matrimonio quod contractum est inter Boleslaum Poloniæ Ducem & filiam Regis Russiæ Sbislauam nomine, in quarto consanguinitatis gradu sibi coniunctam. Hæc Longinus, ceteris antiquitate, sicut & veritate, præstans.

II.

DISPENSAT. IN IV. GRADV CVM REGE POLON.

IESV CHRISTI AN. 1104.

PASCHALIS II. AN. 5.

HENRICI III. 21.

ALEXII COMN. 24.

I.

ANNO Christi millesimo centesimo quarto, Indictione duodecima, Paschalis Papa bene vsus occasione præsentiæ Walonis, siue Galonis Episcopi Bellouacensis, ac postea Parisiẽsis; (qui quod in Gallia haud quietam sedem haberet, ob persecutiones Regis Philippi, de quibus agit pluribus Iuo Carnotensis in epistolis *a* ea de re ad Paschalem & alios conscriptis; nuper Romam tam sua, quam credita sibi ab eodem Iuone negotia *b* pertractaturus accesserat;) eumdem ad visitandam Poloniæ Ecclesiam Legatum à Latere misit: qui nonnulla deprauata corrigẽs, aliquos etiam Episcopos deposuit, & inter alios Cracouiensem, quod nulla Summi Pontificis auctoritate, sed sola Ducis Poloniæ donatione, Episcopatum illum detineret. Habet ista Longinus: additque editum in fine huius anni à Ducissa Sbislaua filium, ab eodem Walone vna cum aliis Polonorum Episcopis fuisse de sacro fonte leuatum, nominatumq; Wladislaum.

GALONIS EPISCOP. BELLOV. LEGATIO IN POL.

a *Iuo ep. 41. 45. 47. 49. 50. 169. 170. 171. Ap. Baron. duabus præced. an.*
b *Vid. Iuon. epist. 29. ad Paschal.*

Quo etiam anno, alia commissa est Legatio Richardo Albanensi Episcopo Cardinali in Gallias, ad impertiendam Philippo Francorum Regi, quam per Legatos pœnitens petierat, absolutionem ab excommunicatione, qua sæpe (vt vidimus) perculsus fuerat ob electam legitimam coniugem, & subintroductam pellicem. Scripsit tunc de eius absolutionis modo ad eumdem Richardum Iuo *c* Carnotensis. Cuius etiam aliis *d* ad Paschalem Papam scriptis literis, constat

II.

LEGATIO IN GALLIAS PRO ABSOLVT. REGIS.

c *Id. ep. 166.*
d *Ep. 169.*

S. ANSELMVS ROMAM MITTITVR PRO INVESTITVRIS.

constat *Conuentum* ea de re *Belgenciaci* habitum, nec tamen ob quasdam Episcoporum difficultates absolutionē tunc secutam esse. Verum illam postea solemniter factam esse Parisiis, habetur in Fragmentis Historię Francorum nuper editis vna cum Glabro & aliis auctoribus. Meminit insuper iisdem ad Richardum literis Ivo, indicti ab eodem Legato *Trecis* CONCILII. ipsum vero celebratū fuisse, testatur aliis e ad Paschalem scriptis; in eoq; tractatam causam Siluanectēsis Episcopi, falso à maleuolis accusati de venditione sacrorum. Sed & in eo *Godefredum* monachum, virum sanctitate conspicuum, creatum fuisse Episcopum Ambianensem; qui res ab eo præclare gestas quam exacte atque fideliter conscripsit, narrat *f* Nicolaus monachus Suessionensis.

CONCIL. TRICEN. *e Ep.* 260.

f Vit. Godef. lib. 1. cap. 30 ap. Sur. 8. Nouemb.

Hoc item anno Daibertus Patriarcha Hierosolymitanus, cum iā antea dolo Arnulphi Archidiaconi hominis nequissimi passus *g* multa, & sede pulsus esset, Ebremaro à Balduino Hierosolymorum Rege in eius locum subrogato; in Italiam vna cum Boamundo *h* Antiochiæ Principe nauigans, Paschali Papæ querelas suas detulit. Boamundus autem in Gallias profectus est, vt duas Philippi Regis filias, alteram Constantiam ex legitima coniuge ortam sibi in matrimoniū copularet, alteram Cæciliam ex pellice natam iungeret nepoti suo Tancredo. Sed & cum illo S. Brunonem Episcopum Signiensem (quāuis dimisso iā Episcopatus onere, monasticum habitum apud cœnobium Cassinense suscepisset) à Paschale Papa missum fuisse Legatum in Gallias, ac *Synodum* celebrasse, testatur Petrus *i* diaconus in Chronico Cassinate: estque eiusdem Legationis frequens mentio apud Iuonem *k* Carnotensem.

III. *g Tyr. lib. 12 cap. 26. h Ibid. lib. 11. cap. 1.* PATRIARCH. HIEROS. ROMAM SVPPLEX VENIT.

i Petr. diac. lib. 4. c. 33. k Iuo epist. 190. 191.

IESV CHRISTI AN. 1105.

PASCHALIS II. AN. 6.

HENRICI III. 22.

ALEXII COMN. 25.

I. REBELLAT HENRIC. FILIVS ADVERSVS HENRIC. IMP.

ANNO Christi millesimo centesimo quinto, Indictione decimatertia, Henricus Imp. qui per tot annos Romanū Pontificem legitimum persecutus est patrem, filium suum, itidem nominatum Henricum, ab Imperio passius est depulsorem. Quod autem quos suæ hæresis reliquit successores, eosdem quoque habeat defensores; nos rem gestam, ad calumniam propulsandam, nō ab alio petemus, quam ab ipso Conrado *a* Vrspergensi Abbate, qui habuit præ oculis, auctore alioqui in Germanos Imperatores propensiori, & in Romanos Pontifices parum æquo: vt nulla de eo possit esse suspicio, in gratiam Romanæ Ecclesiæ esse mentitum.

a Vid. sup. an. 1102. postnum. 1.

II.

Dum igitur Henricus Imp. Natalem Domini (à quo die Vrspergensis annum auspicatur) celebraret, Henricus filius eius, auctoribus nobilibus quibusdam Germanis, quorum consilio & auxilio ante paucos dies à patre discesserat, rebellionem aduersus eum in Baioaria parauit; primoq; omnium patris hæresim abiurans, & Apostolicæ Sedis Pontifici debitam exhibens obedientiam, vniuersa breui Saxonia potitus, atq; ab optimatibus dignitate regia honoratus, eamdē prouinciam Ecclesiæ Romanæ communioni restituit, consilio & ministerio Ruothardi Archiepiscopi Moguntini, & Gebehardi Constantiēsis Episcopi, Paschalis Papæ vices in Germania agentium. Quarto vero Calendas Iunij CONCILIO apud *Northusum* villam regiam celebrato, restituta est ab iisdē Legatis Ecclesiastica disciplina, & multa circa vnitatem Ecsiæ rite disposita: ipse vero Henricus filius summa modestia Concilio interueniens, obortis lacrymis publice contestatus est, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regimen vsurpare; quinimmo ita se eius semper pertinaciæ & inobedientiæ compassionem exhibiturum, vt si Romano Pontifici lege Christiana subiici vellet, ipse vel regno cederet, vel seruiliter ei subesse paratus esset. Quam eamdem cōtestationem rursum coram Principibus & militibus iterauit, cum tā ipsius quam patris exercitus proxime, flumine tantum medio, ad congressum parati, agentibus Principibus pacis studiosis absq; pugna digressi sunt. Id ipsum denique ipsi patri suo coram promisit, cum circa Idus Decembris apud Bingā habuit cum eo colloquium. Sed & in reliquis omnibus se Catholice gerens, Episcopos Orthodoxos sedibus suis restituit, electis schismaticis intrusis; & inter alios Archiepiscopum Moguntinum, qui iam ante octo annos fuerat tyrannice extortis factus.

CONCIL. NORTH.

PIA HENRICI FIL. CONTESTATIO DE PATRE.

III. HENRIC. IMP. AD PASCH. PP. RECVRRIT.

Quod autem nullam maiorem causam haberet patrem exagitandi, quam quod ab Ecclesia Romana toties excommunicatus, in eadem execratione obstinato animo permaneret; Henricus Senior consilium iniens vt Paschalem sibi amicum redderet, misso ad eum secreto nuntio, literas scripsit, quibus primo conquestus de austeritate in se Romanorum Pontificum, Paschalem de concordia interpellauit. Sed & cum ad finē huius anni, nempe die Natali Domini, celebertimus totius Germaniæ Præsulum & Principum CONVENTVS, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis Richardo Albonensi Episcopo, & Gebehardo Constantiensi, *Moguntiæ* haberetur; idem ad eos properans, apud Ingelheim (quo ei Principes ad vitandum vulgi tumultum occurrerunt) reatū suum confessus est, & satisfactionem promisit. Ac denique cum ei Legati absolutionē absq; generalis Synodi & Apostolicæ Sedis discussione, impertire se posse negarent; i. se consiliis vtriusq; partis acquiescens, depositis Imperii insignibus, videlicet Cruce, Lancea, Sceptro, Globo, atq; Corona, eadem filii potestati tradidit; atq; Summi Pontificis & Ecclesiæ constitutionibus sese submittens, priuatus abscessit in locum quemdam ei assignatum. Vt vero de his omnibus Paschalis Papa certior redderetur, decreta est ad eū ab Henrico Iuniori (iam ab omnibus in Regem susceptо, & ab Apostolicæ Sedis Legatis confirmato) atque ab vniuerso Conuētu Legatio perinsignis, credita Episcopis Treuerensi, Magdeburgensi, Bambergensi, Eichstatensi, Constantiensi, & Curiensi, ac nonnullis nobilibus laicis; quibus inter cetera in mandatis est datum, vt si fieri posset, Pontifici persuaderent aduentum in partes Cisalpinas. Ac de his, & aliis quæ postea acciderunt, dicetur anno sequenti. Quæ vero hactenus recensuimus, fusius narrat Vrspergensis. Sed qui magis fauent Henrico patri, (vt Anonymus, qui ipsi dicitur fuisse à secretis, scripsisseq; paulo post eius mortem, Vitam seu funebre encomium ipsius) tradunt illum captiuum tentum à filio, vi coactum eo modo se imperio abdicasse: quod & ipsemet Henricus literis postea ad diuersos scriptis, sæpius exaggeratis inculcauit.

HENRIC. IMP. SE ABDICAT.

LEGATIO PERINSIGNIS AD PASCH. PP.

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus ab infelici exitu Guiberti Antipapæ, (vt testatur Vrspergensis) eius ossa, quæ Rauennæ sepulta fuerant, decreto Paschalis Papæ exhumata sunt, & in fluenta proiecta. Vt autem ista decernerentur eam affert Willemus Bibliothecarius causam, quod qui adhuc eiusdem pseudopontificis studiosi remansissent, spargerent in vulgus falsas visiones ostensas in sepulcro eius; nimirum visas illic nocte splendere facellas cœlitus missas, indices eius apud Deum receptionis. Porro exemplum de ossibus Guiberti exhumatis, imitati sunt anno sequenti Catholici in Germania, cum Imperatore in ordinē redacto, in tantum diuinæ legis efferbuit zelus, (inquit idem Vrspergēsis) vt etiam ipsa cadauera pseudoepiscoporum ab Ecclesiis eliminarentur. Vtpote quod indigni censerentur Catholicę Ecclesiæ sepultura, qui viuentes eidem Catholicæ Ecclesiæ minime communicassent.

IV. OSSA GVIBERT. ANTIP. EFFOSSA, ET IN FLVMEN PROIECTA.

EXHVMATA CADAVERA SCHISM.

Quod ad res pertinet Orientales; mortuus est hoc *a* anno Raymundus Comes Tolosanus, Princeps pietate & armis insignis. Et Balduinus Rex præuio ligno sanctissimæ Crucis, ingentem diuino auxilio adeptus est victoriam.

IV. *a Tyr. lib. 11 cap. 25.*

IESV CHRISTI AN. 1106.

PASCHALIS II. AN. 7.

HENRICI III. 23.

ALEXII COMN. 26.

ANNO Christi millesimo centesimo sexto, Indictione decimaquarta, Henricus Senior è loco vbi constitutus fuerat

I. HENR. SENIOR

DECLAMAT IN PAPAM.

fuerat priuatam vitam agere, fuga lapsus, Coloniam primum, inde Leodium venit: vbi benigne exceptus, literas scripsit satis efficaces sub titulo ad Regem Celtarum, ceteram quas voluit esse patentes ad commouendos omnes in filium, atque adeo in ipsam Apostolicam Sedem, è qua illius rebellionem processisse conquestus est. Cumque iam milites congregaret, & in pristinum se statum reuocandum spem Schismaticis faceret, hinc *Wernerus* quidam (vt habet Vrspergensis, hæc omnia fusius prosecutus) minister regius in Marcha Aquini collectis per Italiam copiis, corruptisque multa pecunia nonnullis Romanis, dum Paschalis Pontifex apud Beneuentum ageret, quemdam pseudoabbatem de Farfa, Cathedræ S. Petri intrusit, & Papam Cæsaris sub nomine *Siluestri* appellari voluit: qui tamen paulo post à Catholicis turpiter expulsus est. Sed & apud Tridentum, Legati missi (vt vidimus) ex Conuentu Moguntino ad Paschalem, ab Alberto quodam partium illarum Comite capti, & in carcerem coniecti sunt; qui tamen confestim per Welphonem Ducem Noricum liberati fuere.

PSEVDOPAPA SILVESTER ERIGITVR ET EIICITVR.

II.

Ipse vero Henricus, donec plene ex confluētibus ad eum auxiliaribus copiis augeretur exercitus, miris tergiuersationibus obedientiam Sedi Apostolicæ, & pietatem ac pacem simulans, frequentes ad filium, & Episcopos ac Principes Germaniæ literas dedit; quibus post vehementes querelas de iniuriis sibi à filio illatis, tertio aduersus eumdem appellauit Paschalem Papam & S. R. Ecclesiam, causamque suam Deo ac Sanctis commendauit, commisitque. Verum quod eius animus probe omnibus notus esset, ad fallendum sic compositus, vt cum deprimeretur tunc subdole sibi laruam pietatis induceret, quam mox deponeret cum quod esset conatus effecisset; non solum ab hominibus non est auditus, sed & merito eos quos ad defensionem appellauit Sanctos expertus est vltores. Ex insperato siquidem est morte repentina mulctatus, quarto (vt habet Domnizo in Mathilde) seu, vt Vrspergensis, septimo Idus Augusti, ætatis quinquagesimo quinto anno.

HENRICI OBITVS.

III.

Miserabile tamē dictu est, (inquit Vrspergensis) tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum, sub professione Christiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad instar cuiuslibet pauperis defuncti, pium vel compassiuum luctum à quauis inter tot Christianos persona promeruisse; sed potius vniuersorum tam ibidem, quam vbiuis vere Christianorum corda simul & ora infinito nimis tripudio replesse: quippe quibus ille summæ execrationi esset, tamquam archipirata, hæresiarcha, & apostata, ac persecutor plus animarum quam corporū, necnon eatenus inauditorum, adeoque incredibilium scelerum auctor atque inuentor. Hæc & alia eiusmodi de illo apud Vrspergensem: ex quibus redarguas quisquis ille Anonymus fuerit, siue verus extiterit siue fictus, qui Vitam eius texuisse dicitur homo; quam iam obliuione damnatam, Nouator hæreticus non ita pridem cudēdam curauit, vna cum literis eiusdem Henrici quarum est facta superius mentio. Ceterum cum post eius mortem (vt idē narrat Vrspergensis) qui ei quæstus dumtaxat gratia adhæsissent, communionem Catholicam expeterent; Leodienses, ac ceteri eiusdem factionis Episcopi, ea inter alias conditione illam promeruerunt, si cadauer ipsius Henrici excōmunicati ab eis in quodam monasterio sepultum effoderēt, & absq; vlla sepulturæ vel exequiarum communione in loco profano deponerent: quod & factum est, & paulo post cadauer Spiram delatum, in sarcophago lapideo extra ecclesiam per quinquennium mansit inhumatum.

CADAVER EFFOSSVM.

IV.

Peruulgata porro vbique locorum eius morte, Paschalis Papa rogatus (vt vidimus) à Conuentu Moguntino in Galliam Cisalpinam properare, itineri se committens, ob sparsam famam de proximo Antichristi aduentu, Florentiæ substitit; sed consideratis quæ ferrentur, & vt nullius fidei contemptis, cœptum iter est prosecutus. Tradunt hæc Acta Vitæ ipsius. Quod vero pertinet ad *Antichristum*; fuit quidem opinio non vulgarium virorum, eum hoc fore sæculo reuelandum; & inter alios Norberti, viri temporis huius fama celeberrimi; à quo id se audiuisse, testatur S. Bernardus *a* epistola ad Gaufredum Carnotensem Episcopum. Eius tamen assertio (vt ex eodem Bernardo constat) in illud relabi visa est vsitatum, quod cum sæpe sancti viri prænouissent ingentem aliquam Ecclesiæ persecutionem, putarint rerum magnitudine ipsa affore Antichristi tempora.

DE ANTICHRISTO PRÆDICTIONES.

a Bernard ep. 56.

Ceterum Paschalis cum in Galliam Cisalpinam peruenisset, mense Octobris SYNODVM celebrauit ad opidum *Wastallæ*, siue Guastallæ super ripam Padi fluminis: in qua inter alia plurima, summa prudentia & moderatione gesta & statuta ad instaurandam Ecclesiam, longiori Henrici Senioris persecutione concussam; omnes Episcopi, & cuiuscūque ordinis clerici, in schismate ordinati, in suis officiis susceptis sunt, & permanere permissi; nisi qui aut inuasores, aut simoniaci, aut alias criminosi probati essent. Narrat hæc Vrspergensis Abbas, qui aderat. Sed & interfuisse eidem Synodo Legatos Henrici Iunioris, & per eos illum à Paschale ius regni petiisse, sanctæque Sedi subiectionem exhibuisse, tradit qui pariter illic cum Mathilde præsens fuit Domnizo. Atque insuper in codice Vaticano qui inscribitur Liber Censuum, à Cencio Camerali collecto, traditur in hoc Concilio constitutum, vt Æmilia tota cum suis ciuitatibus numquam vlterius Rauennati metropoli subiaceret, quod ista per annos iam fere centum aduersus Sedem Apostolicam se erexisset. Additur etiam canon ibidem conditus aduersus Inuestituras Ecclesiarum laicas: ac deniq; epistola *b* Paschalis ad vniuersos clericos & laicos Germaniæ, qui fidem Catholicam inconeusse tenuissent, de modo conuersandi inter medios hæreticos & schismaticos, cum plurimi eorum, vt prauorum commixtionem vitarent, etiam à regionibus illis discedere meditarentur.

V.

CONCIL. WASTAL. SVB PASCH. PP.

HENRICO IVNIORI SVBIECTIONEM EXHIBET SEDI APOST.

b Rec. Bar. Ann. Tom. XII. horum ex cod. Vat.

Ad hanc quoq; Synodum Legationes ciuium Parmensium, & Augustanorum venerunt: Illorum quidem pœnitentium, ac petentium sibi dari virum sanctissimum Bernardum S. R. E. presbyterum Cardinalem: quem ante biennū iidē Henrico Seniori fauentes, ad altare sacra celebrantem diris contumeliis affecerant. Augustanorum autem, conquerentium de suo ipsorum Episcopo Hermanno, qui pecuniarum mercimonio intrusus fuerat ab eodē Henrico. Porro Parmenses Domnizo testatur auditos fuisse, & exauditos. Augustanorum vero querelarum diligentior cognitio dilata in aduentum Paschalis in Germaniam, (qui proxime futurus putabatur) tot postea fraudibus & impostoris ab ipso Hermanno inuoluta est, vt licet rursum post quinquennium apud eumdem Paschalem de adulteriis, stupris, & sacrilegiis accusatus fuerit, & officio interdictus; tamen nouis semper subreptionibus & falsitatibus præfocata veritas extiterit, vsque ad tempora Gelasii & Callisti Pontificum, à quibus damnatus est, cum & præter alia scelera, Burdini Antipapæ schisma foueret. De qua controuersia, ex iis quæ viderat commentarium scripsit Vdascalcus *c*. Ceterum Paschalis Papa (vt auctor est Vrspergensis) habita post hæc cum suis matura deliberatione, tum ad Germanorum vitandam proteruiam, quam in seditioso quodā tumultu Veronæ perspectam habuit, tum maxime quod persentiscere cœpisset quæ iam in corde Henrici Iunioris venena ebullirent; mutato cōsilio profectionem in Gallias instituit, inde etiam rebus Germaniæ consulturus; & Natale Domini Cluniaci celebrauit.

c Ext. Tom. II. Antiq. Lect. Canis.

PASCH. PP IN GALL. ADVENIT.

VI.

LEGATIO PARM. ET AVGVST. AD SYN.

Ante vero quam in Gallias perueniisset, hoc eodem anno mortuus est Philippus Rex Francorum apud Milidunum, & sepultus in monasterio S. Benedicti super Ligerim flumen: eiusq; filius *Ludouicus* cognomento *Crassus*, qui multa pietatis & iustitiæ in adolescentia testimonia ediderat, confestim Aureliani vnctus ac coronatus tertio Nonas Augusti ab Archiepiscopo Senonensi & comprouincialibus Episcopis; id cum festinatione procurante potissimum Iuone Episcopo Carnotensi, quod essent nonnulli Regni perturbatores, qui ad hoc omni studio vigilarent, vt aut regnum in aliam personam transferrent, aut diuiderent, sicq; etiam pacem Ecclesiæ turbarent. Cum vix peracta consecratione, aduenerunt nuntij Ecclesiæ Rhemensis, cum literis contradictorijs ex priuilegio Apostolico, eidem Ecclesiæ iam à tempore S. Remigij qui Clodoueum primum Frācorum Regem Christianum baptizauit indulto, vt nō alibi quā Rhemis vnctiones Regum fierent. Narrantur hæc omnia pluribus in Appendice ad Aimoinum *d*. Rhemensibus vero respondendi, iniunctum à ceteris qui Aureliani conuenerant Episcopis, opus Iuo omnium longe doctissimus suscipiens, epistolam.

VII.

QVERELA RHEMENS. ECCL. DE CONSECRAT REGIS FRĀC EXTRA EAM CIVITATEM.

d Aimoin. lib. 5. c. 49.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

c Iuo ep. 70

lam c apologeticam encyclicam conscripsit, qua argumentis à ratione, exemplis, atque à rerum necessitate deductis, luculenter ac diserte docuit, nihil eos in ea re aduersus consuetudinem aut legem peccasse. Cum & alioqui nullo modo tunc conueniret Regis consecratio ciuitati Rhemensi, tum ob periculum dilationis, tum quod non ibi esset eo tempore legitimus Archiepiscopus, & ciuitas ob turbas ab intruso excitatas sub anathemate posita esset. Quibus cognitis Paschalis Papa acquieuisse visus est, cuius nulla habetur progressa vlterius commonitio, nec Iuonis (vt consueuit) defensio fortius inculcata. Porro deploratus, quem audisti, Rhemensis Ecclesiæ status, sic vtcumque postea eiusdem Iuonis apud Regem intercessionibus restitutus est, vt expulso inuasore Geruasio, Rudolphus legitime electus introduceretur; ea tamen conditione, vt ipse per manum & sacramentum illam fidelitatem Regi faceret, quam antea eius prædecessoribus Regibus fecisse perhiberentur omnes Archiepiscopi Rhemenses, & ceteri Regni Francorum quamlibet religiosi & sancti Episcopi. Super quibus auctoritate Apostolica dispensari, quod aduersus decreta Pontificum gesta essent, rogauit idem Ivo *f* Paschalem Papam; qui eius petitis annuit.

DE FIDELITATE AB EPISCOP. REGI IVRATA.

f Id. ep. 206

VIII.

Hoc eodem anno atque Indictione, habet Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in Chronico, corpora Sanctorum *Pontiani* Papæ & Martyris, *Eleutherii* Episcopi & Martyris, & *Anastasii* Confessoris, ab Vrbe translata esse Troiam in Apulia ciuitatem, & in ea translatione multa edita esse miracula

IESV CHRISTI AN. 1107.

PASCHALIS II. AN. 8.

ALEXII COMN. 27.

I. CONCIL. TRICEN. SVB PASCHAL. PP.

ANNO Christi millesimo centesimo septimo, Indictione decimaquinta, Paschalis Papa summo exceptus in Galliis amore, pariter & honore cultus, circa Ascensionem Domini CONCILIVM celebrauit *Trecis*; vbi inter alia (inquit Vrspergensis) sententiam de libera pastorum electione, & de coercenda laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione, iuxta prædecessorum suorum decreta promulgauit. Rex vero Germaniæ Henricus vicinum se eidem Concilio exhibens, Legatos ad Paschalem misit, per quos tam ipsi quam vniuersæ Synodo, potestatem constituendorum Episcoporum, priuilegiis Apostolicis Carolo Imperatori concessam notificauit. Et quo super ea quæstione nihil in alieno regno definiri patetetur, concessæ sunt ei induciæ Romam veniendi, & eamdem causam in generali Concilio ventilandi. Post quæ Paschalis Autumni tempore Romam rediit. Dum autem hoc anno Ecclesias Gallicanas visitaret, adiisse quoq; illustre Floriacense cœnobium, ac quædã ibi cum eius monachis de asserta corporis S. Benedicti translatione transegisse; auctor est Petrus *a* diaconus Cassinensis. Sed vacillat fides eius ex Eugenii Papæ Tertij, & successorum Pontificum diplomatibus, editis nuper ex promptuario Floriacensi.

HENRIC. REGIS IVRATIONES.

a Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. cap. 31. 32. 33

II. REDDITA PACE ECCLES. REX ANGL. DEBELLAT HOSTES.

Hoc item anno (vt Sigebertus est auctor) Henricus Rex Angliæ contra Robertum Northmanniæ Comitem germanum suum (qui iam pridem ex Hierosolymitana expeditione redierat, vt Regnum sibi iure debitum, tamquam natu maiori, acciperet) in ipsa Northmannia apud Tenebrachiũ acri prælio decertans, obtinuit eum, & vniuersam eius ditionem in suam potestatem redegit. Quam sibi victoriam patasse Regem per pacem, quam ante bellum concesserit S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi hactenus in Gallia exulanti, tradit Edmerus *b* in Vita eiusdem Sancti. Ideoq; & rediens idem Rex in Angliam, inuestituras Ecclesiarum (inquit Willelmus *c* Malmesburiensis) Anselmo in perpetuũ in manum remisit; cum de grauissima illa controuersia tot annis agitata, ita nuper inter Paschalem Papam & eumdem Regem per Legatos conuentum esset, vt Rex homagia de electis Episcopis acciperet, sed nullum per baculum & anulum inuestiret. At sicut religionis cultus, & moderatio Regis, fecerunt eum esse victorem ita Robertum ipsius germanum, rerum diuinarum contemptus & oscitantia, Comitatu priuarunt, & in vincula redegerunt, dum adeo prostituta esset sub eo Principe Ecclesia Northmanniæ, vt & pueris vix duodennibus Ecclesiæ traderentur, etiam cum futura inuicem successione, atq; vnus Episcopus duabus simul præficeretur; prout de his malis grauiter questus est Iuo *d* Carnotensis apud Paschalem, & alios.

b Edm. lib. 2. hist. sui temp. circa init. de gest. Pũ angl. lib. 2.

Quam autem mutabiles sint Principes atque lubrici ad malum, in eodem Henrico Rege Angliæ apparuit. Quem enim de pietate laudatum modo audisti, ecce eumdem eucstigio mutatum in tyrannum, dum adeo Hildebertum Cenomanensem Episcopum libertatis Ecclesiæ acerrimum defensorem persecutus est, vt is ad dimittendum Episcopatus onus Romam se ad Paschalem Papam conferre compulsus fuerit; licet id minime ab eo impetrare potuerit. Extant ea de re eius tunc scriptæ epistolæ *e*; quarum vna *f* etiam narrat, quomodo ipso in Gallias redeunte, celeberrimum monasterium Lirinense in insula S. Honorati à piratis fuerit penitus excisum, & plurimi monachorum occisi. Extatq; insuper ad eumdem Hildebertum Iuonis *g* epistola, dum à Rege dira pateretur, qua hortatur illum ad tolerantiam: monetque eumdem consulentem, ne probatione per Ignem, quã Rex ab eo exigebat, vellet vllo pacto suam probare innocentiam; quod hoc esset in Ecclesia Dei per plures vetitum canones, & decreta Pontificum.

d Iuo ep. 178. 179. 181.

III. MVTATVR IN TYRANNVM.

e Hildeb. ep. 20. 24. 39. Tom. 3. Bibl. Patr.

f Id. ep. 24.

g Iuo ep. 91.

Quod ad res pertinet Orientis; mortuo Messanæ in Sicilia Daiberto Patriarcha Hierosolymitano, dum ad Ecclesiam suam rediret cum literis Paschalis Papæ; missus est hoc ipso anno ab eodem Pontifice Hierosolymam Gibelinus Arelatensis Archiepiscopus, cognituturus de causa Ebremari intrusi à Balduino Rege. Qui illic CONCILIO celebrato, eumdem Ebremarum auctoritate Apostolica deposuit, quod adhuc viuentis Daiberti sedem occupasset: & tamen considerata multa eius religione, & mira simplicitate, quodq; inuitus in eam Ecclesiam intrusus fuisset, eumdem Cæsarienſi, quæ tunc vacabat, præfecit. Postmodum vero cum de substituendo Hierosolymis Patriarcha inter clerũ & populõ multa esset disceptatio, vnanimiter tandem in eumdem ipsum *Gibelinum* Legatum conuenerunt; malitia (vt creditum est) Arnulphi Archidiaconi, omnium eius Ecclesiæ malorum auctoris; vt homo senex & decrepitus in ea sede viuere diu non posset. Narrat ista Willelmus *h* Tyrius. Porro Gibelinus inuitus admodum onus suscipiens, literas *i* ad suos Arelatenses cum multis lacrymis dedit; ad quos etiam Paschalis Papa rescripsit pro electione successoris.

IV. CONCIL. HIEROSOLYM. IN CAVSA PATRIARCHAE.

h Tyr. cap. 4.

i Rer. Ann. Tom. XI. ex Archivis Arelat.

IESV CHRISTI AN. 1108.

PASCHAL. II. AN. 9.

ALEX. COMN. 28.

I. PASCH. PP. CONFESCIT TYRANNOS.

ANNO Christi millesimo centesimo octauo, Indictione prima, Paschalis Papa (vt auctor est Bibliothecarius) rursus tumultuantes quosdam Romanorum (quorum principes erant Ptolemæus Comes Tusculanus, & Petrus de Columna Abbas Farfensis) vsurpatores rerum Ecclesiæ, alioſque ad defectionem populum permouẽtes compescuit, opera maxime Petri Leonis, atque Leonis Frangipanis, nobilissimorum ciuium Romanorũ, fideliter pro ipso Paschale agentium. Et *Beneuentum* profectus *a*, SYNODVM illic mense Octobris celebrauit; in qua inter alia confirmauit decretum de Beneficiis Ecclesiasticis à personis laicis non accipiendis.

a Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. c. 34. in fin. & 35.

II. CONCIL. LONDON DE INVESTITVRIS, ETC.

Quo etiam anno in Anglia conuocato *Londini* ad Calendas Augusti generali omnium totius regni Prælulum ac procerũ CONVENTV, præsidente Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, præsente Rege ac consentiente, stabilita est atque promulgata definitio controuersiæ de Inuestituris, quã inter Paschalem Papam & ipsum Regem factam diximus

anno superiori; videlicet vt nullus Episcopus vel Abbas, per Regem aut quamlibet laicam manum inuestiretur; pro hominio tamen quod Regi faceret, haud communione vel honore priuaretur. Tradit ista Rogerius in Annalibus: additque decretum in eodem Concilio factum aduersus quoscumq; clericos in sacris ordinibus constitutos, qui cum mulieribus habitarent, aut eas domi inuiserent, nisi quæ à Nicęna Synodo permissæ essent. Porro huic Londonienſi Concilio interfuisse quoq; Thomam electum Archiepiscopum Eboracensem, testatur idem Rogerius: additque Willelmus *b* Malmesburiensis, eumdem detrectantem professionem ex more antiquo facere Archiepiscopo Cantuariensi, à S. Anselmo publice excommunicatum fuisse, donec pareret; quod & tandem fecit; sicut & paulo ante coactus fecerat Gerardus ipsius Thomæ decessor, & sub Lanfranco feciſſe vidimus alterum Thomam.

b Malmesb. de gest Pōt. Ang. Lib. 3. ARCHIEP. EBORACENS. EXCOMMVN. A CANTVAR.

Eodem anno Paschalis Papa annuens petitioni Balduini Regis Hierosolymorum, concessit vt quoniam Ecclesiarum illarum partium termini ac possessiones diutina Infidelium tyrannide confusæ essent, Hierosolymitanæ iubiacerent ciuitates omnes atque prouinciæ, quas idem Rex aut iam cepisset, aut capturus esset. Qua de re cum iterum per legatos conquestus esset apud Paschalē Bernardus Patriarcha Antiochenus, quod per eiusmodi concessionem imminuta valde esset sua ipsius diœcesis, petens vt descripti termini cuiusque Patriarchatus per Concilium Nicęnum, immobiles permanerent; ita post obitū Gibelini Hierosolymitani, ea controuersia ab eodē Paschali definita est, vt Ecclesię illę quibus certi fines antiqui assignari possent, illi Patriarchatui subiacerent, ad quem antiquitus pertinuissent. Qua de re vide pluribus Tyrium *c*.

II. CONTROVERSIA DE LIMITIBVS ECCLES. HIEROSOL. ET ANTIOCH.

c Tyr. lib. 11. cap. 28. Ap. Baron. hoc. an. & 1113.

IESV CHRISTI AN. 1109.

PASCHALIS II. AN. 10.

ALEXII COMN. 29.

ANNO Christi millesimo centesimo nono, Indictione secunda, Paschalis Papa audito incestuoso coniugio inter Vracam Reginam filiam Alfonsi Regis Castellæ nuper eodem anno defuncti Calendis Iulij, & Alfonsum Aragoniæ Regem, tertio gradu consanguinitatis inter se coniunctos; Apostolica auctoritate, pœna excommunicationis atq; regni priuatione indicta, eiusmodi coniunctionem diuelli iussit, scribens *a* ad Didacum Compostellanum Episcopum. Sed cum non paruissent, Deum vindicem experti, Vraca morte subitanea medium crepuit, Alfonsus à Saracenis peremptus est: prout vterque Rodericus affirmat. Ex quibus etiā constat in Episcopos literis Apostolicis obsequētes persecutionem excitatam, & Bernardum Archiepiscopum Toletanum extra diœcesim exulare per biennium esse coactum. Qua occasione captata, versipellis ille Burdinus Episcopus Bracarensis, quem ab eodem Bernardo è Gallia ductum vidimus Toletum, Romam rediens, oblata Paschali pecunia petiit in Bernardi locum intrudi: sed cum execratione reiectus, postea Henricum Germaniæ Regem adiit, quem Paschali iam cœpisse aduersari intellexisset; eumque calcaribus per abrupta impellens, homo vaferrimus, ad insinuandum se principibus audacissimus, & ad decipiendum aptissimus, haud quieuit, quousque illius nisibus Apostolicū thronum inuasit, quomodo autem, suo loco dicturi sumus.

I. EXCOMMVNICATIO ET PRIVATIO REGNI OB INCESTVOSVM CONIVGIVM. *a Ap. Ioan. Marian. li. 10. cap. 8.*

BVRDINVS SIMONIACVS OMNIVM MALORVM AVCTOR.

Hoc eodem anno ex hac vita ad æternam gloriam transierunt *b* SS. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, & Hugo Abbas Cluniacensis; ille vndecimo, iste tertio Calendas Maii; vterque ætate admodum prouectus: quorum labores pro defensione Ecclesiæ Sanctæ fusceptos sæpe superius memorari contigit. Vtinam vero sicut Anselmus, ita & Hugo suum habuisset Edinerum, qui res ab eo gestas accuratius scripsisset; quas mea sententia qui scripsit Hugo *c* monachus, vix attigisse dicendus est. Quod autem in fine ipsius Vitæ fit mentio visionis de eius transitu, diuinitus ostensæ S. Godefredo Episcopo Ambianensi, dum Romam pergeret; pariter ex iis insinuatur, hoc ipso anno eiusdem Godefredi contigisse aduentum in Vrbem: cum videlicet (vt eius Vitæ fidelissime scripta habent *d* Acta) celebrata *Rhemis* frequenti *Synodo*, inter alia illic gesta idem Godefredus redarguit falsitatis diploma Apostolicum, quod ad suam ipsorum exemptionem à subiectione Episcopi Ambianensis, subripuerant monachi cœnobij S. Vdalrici. Qua de causa ipse Romam se conferens, & à Paschale Papa, post cognitam ipsius sanctitatem atque prudentiam, magno honore habitus, obtinuit ab eo quæ petiit.

II. *b Edm. in Vit. Arsel. ap. Sur. 21. April. Sigeb. in Chron.* OBITVS SS. ANSELMI CANTVAR. ET HVGONIS CLVNIACENS. *c Ext. ap. Sur. 29. april.*

d Vit. Godef. lib. 2. c. 11. & ex ap. Sur. 8. Novemb. CONCIL. RHEM.

IESV CHRISTI AN. 1110.

PASCHALIS II. AN. 11.

ALEXII COMN. 30.

ANNO Christi millesimo centesimo decimo, Indictione tertia, Henricus Rex Germaniæ cum ingenti exercitu in Italiam veniens coronam Imperij susceptурus, insignē legationem præmisit ad Paschalem Papam, qua se fidelem, filiumq; profiteretur esse velle S. Petri. Cum interea nonnullas vrbes ei resistentes expugnans, in Tusciam venit, & Natale Domini Florentiæ celebrauit. Testatur ista Domnizo in Vita Mathildis. Petrus *a* vero diaconus Cassinensis de eodem Henrici aduentu agens, amplius narrat subsidia à Paschale Papa ad anteuertendam imminentem cladem sub pacis inuolucro rectam, tum à Northmannis ac Longobardis, tum ab ipsis Romanorum proceribus postulata; itemque pacta conuenta tam Romæ in porticu S. Petri, quam apud Sutrium inter Legatos Paschalis atque Henrici, antequam iste se in Vrbem infunderet; nimirum ex parte Regis, pro securitate Pontificis, & libertate Ecclesiarum, ac restitutione & cōsetuatione iurium ac possessionum ad eas pertinentium, itemque pro renuntiatione Inuestiturarum; & ex parte Pontificis pro corona Imperii, & Regalibus prædecessorum Imperatorum, Regi concedendis. Quæ cuncta idē Petrus recitat ex scripto tunc ea dere confecto quod hactenus exrat: agitque de iisdem breuiter Vrspergensis. Quid vero postea fieri contigerit, dicetur anno sequenti.

I. HENRIC. REX IN ITAL. VENIT.

a Petr. d. Ac. lib. 4. c. 37. & 38. Ap. Bar. hoc an. & segg.

PACTA CONVENTA INTER PASCH. PP. ET HENR. REG.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno auctoritate Paschalis Papæ, id agentis per Legatum suum, Bethleem *b* erecta est in sedem Episcopalem, & à Balduino Rege dotem accepit.

II. *b Pet. Tyr. lib. 11. c. 12.*

IESV CHRISTI AN. 1111.

PASCHAL. II. AN. 12.

HENRICI IV. 1.

ALEX. COMNEN. 31.

ANNO Christi millesimo centesimo vndecimo, Indictione quarta, post repetita inter Legatos Paschalis Papæ & Henrici Regis pacta conuenta, de quibus dictum est anno superiori; eademque tum ab ipso Rege, tum ex parte Paschalis à Petro Leonis (fuit iste nobilissimus ciuis Romanus, à patris nomine sic appellatus; vnde & origo familiæ Petri Leonis dictæ) iuramento firmata: idem Rex Henricus pridie Idus Februarij Romam solemniter ingressus est, receptus extra Vrbem à Populo, in porta à Clero, & ad superiores gradus S. Petri ab ipso Paschale & Episcopis ac Cardinalibus. Qui post pedum Pontificis oscula, & mutuum amborum complexum, dexteram Pontificis ex more *a* tenens, basilicam ingressus, cum à Pontifice solicitaretur de adimpletione pactorum conuentorum, & in particulari de non se immiscendo Inuestituris Ecclesiarum; ille dolos suos & fraudes detegens, non solum id denegauit, sed & eumdem

I.

HENRICI INGRESSVS IN VRBEM.

a De hoc more, vide supra an. 774 post num. 1.

Pontifi-

PASCH. PP. CAPTIVOS DETINET VR.

Pontificem, ipsum aliter coronare recusantem, cum Cardinalibus, & magna clericorum ac ciuium Romanorum multitudine, captiuum sub militari custodia detinuit; pluresque ex iis qui obuiam ei cum floribus & palmis exierant, partim cæsi, partim spoliari & vinciri iussit. Vnde Romani in furorem versi, mox cunctos Germanos per Vrbem dispersos cæciderunt; deinde vero hortante eos maxime Ioanne Cardinale Episcopo Tusculano, (qui sub plebeio habitu vna cum Leone Ostiensi manus Henrici euaserat) repetitis cum exercitu qui extra Vrbem erat acrioribus pugnis, quarum vna & ipse Henricus equo deiectus, atq; in faciem vulneratus, vix necem euasit, ipsum inde abscedere coegerunt.

II.

QVÆ PER VIM HENRICVS EXTORSERIT A PASCH.

Qui quidem Paschalem vestibus Pōtificialibus exutum, cum aliis captiuis vinctum abducens, apud castrum quoddam in Sabinis arctissima custodia sexaginta & vnum dies detinuit; nullis valens minis, aut malis, eius flectere constātiam, qua vitam ipsam cōseruationi iurium Ecclesiæ postponebat. Donec propositis eidem Pontifici ab iisdem ipsis qui ei adhærebant, reliquorum captiuorum calamitatibus, atq; Vrbis periculo quæ ab Henrico crebris incursionibus infestabatur, necnon grauissimo schismatis scandalo quod vniuersæ Ecclesiæ imminebat; idem victus tandem suorum lacrymis, iuramento promisit nunquam se Henricum de Inuestituris Ecclesiarum inquietaturum, aut eum excommunicatione percussurum: idemque ceteri Episcopi & Cardinales qui cum eo captiui detinebantur, compulsi sunt iurare. Denique priuilegio scripto ab eo extorto, eidem Henrico concessit, Episcopos & Abbates regni sui (canonice tamen & absque vi atque simonia electos) per anulum & virgam inuestire, & vt electi, licet canonice, à Clero & populo, non aliter quam præuia inuestitura regia, consecrarentur.

HENRIC. CORONATVR IMP.

Post quæ ad basilicam S. Petri deductus, illic HENRICVM coronauit in Imperatorem eius nominis Quartum, portis omnibus Vrbis obseratis, nequis ciuium eo aduenirent. Vbi rursum cum in Missa ad Hostiæ confractionem venisset, partem ipse sumens, alteramque Imperatori tradens, obseruationem superioris concessionis promisit. Tandemque ab Imperatore ad castra remeante liber cum suis ad Vrbem dimissus, ingenti populi exultatione receptus est, quod contigit ipsa die Iduum Aprilis huius Indictionis quartæ. Hæc autem omnia fusius narrantur, tum à Petro *b* diacono Cassinensi, tum in Actis Vitæ Paschalis, aliisque ea de re specialiter conscriptis ab auctore qui aderat, quæ asseruantur in Bibliotheca Vaticana; itemque in aliis antiquis monumentis in Notis Iureti ad Iuonis *c* epistolas. Sed & eiusdem temporis clarus scriptor, idemque Notarius Imperatoris, Gotfridus *cc* Viterbiensis descripsit omnia metro, historice tamen non poetice; simulque attexuit, quibus se pars vtraque, in eiusmodi quæ tunc versabantur disceptationibus, tueretur rationibus.

b Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. ca. 38. & seqq.

c Iuon. ep. 236

cc Gotfr. Viterb. Chron. par. 17.

III.

De iisdem quoque agens Otto *d* Frisingensis, & ipse eiusdem temporis scriptor, laudat insuper constantiam Conradi Archiepiscopi Iuuauensis (dicta est ista ciuitas alio nomine Salzburgum) qui cum Rege venerat: cui tantum sacrilegium detestanti (inquit Otto) cum quidam ex ministris Regis gladio euaginato mortem interminaretur, ipse iugulum præbuit, malens si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi scelus dissimulare. Quanta vero ab hoc anno, & ex ea causa, eumdem S. Conradum secuta fuerint mala ab odio Imperatoris, eiusque fautorum, narratur in Actis S. Gebehardi eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopi: quæ si legeris, miraberis antiquas latebras S. Athanasij æquatas, dum ad perquirendum Conradum omnimodam cuncti perhiberent industriam: qui tandem post nouem annos, pace reddita Ecclesiæ, ad suam honorifice reductus est sedem. Ceterum in harum narratione miseriarum, tidendus plane Vrspergensis Abbas, qui inter omnes huius temporis scriptores hoc sacrilegium damnantes, ob priuatum erga Henricum affectum illud conuertere nititur in pietatem; comparans Henricum Patriarchæ Iacob *d*, quod sicut ille detinuit Angelum, & non dimisit nisi benediceretur ab eo; ita iste Paschalem Papam tenuerit, detinueritque sancte pieque quousque ab eo quam petebat benedictionem acceperit. Addit vero, dum adhuc Henricus Paschalem detineret, accepisse ab eo facultatem sepeliendi in ecclesia Henricum parentem suum, parentandique more Catholico, quod sacerdotes Germaniæ testati essent, eum peccatorum suorum pœnitentem obiisse, quod quidem alioqui testatur Petrus *f* diaconus, id ei paulo ante penitus denegasse Paschalem, quod sanctarum Scripturarum obsisteret auctoritas, diuinorumque miraculorum reuerentia prohiberet: ipsos enim Martyres iam in cœlestibus positos terribiliter iussisse, vt sceleratorum cadauera de suis basilicis eiicerentur.

SACRILEGIVM HENRIC. REL GIONE PVCATVR.

d G. n. 31.

f Petr. diac. lib. 4 cap. 38 Ap. Baron. an. super.

Sed quod ad pacta Paschalis & Henrici pertinet; graui isto vulnere in capite accepto, Catholica vbiq; Ecclesia concussa est. Et quæ eidem capiti iuncta erant proxime membra, S.R. Ecclesiæ Cardinales, quos Paschalis in Vrbem cum suis reuersus illic inuenit, valde improbantes quod Henrico concesserat; licet & ipse, & ceteri Cardinales qui cum eo captiui fuerant, pro vtilitate publica factum excusarent; tamen cum paulo post ab Vrbe Campaniam versus recessisset, iidem seorsum Romæ conuenientes in vnum simul cum Ioanne Cardinale Episcopo Tusculano, confirmarunt quæ à Gregorio VII. & Vrbano II. Pontificibus contra laicorum Inuestituras statuta pluribus Concilijs essent; nihilque roboris obtinere decreuere, quicquid aduersus ea ab ipso Paschale quouis prætextu actum fuisset. Quod vbi audisset Paschalis, literas *ff* ad eos Tarracina dedit, quibus interim eos leniter redarguens, promisit tamen se emendaturum quod egerat; prudenter admodū occurrens schismati, quod inchoari iam videbatur. Sed & iisdem ferme diebus, eademque de causa, alia habita est inter eumdem Paschalem & S. Brunonem Signinum Episcopum, non ita pridem electum quoque monasterij Cassinensis Abbatem, concertatio, quæ a Petro *g* diacono describitur. Vnde & idem Bruno prohibitus à Paschali vltra simul Episcopus esse & Abbas, frustra eum retinere conantibus monachis, ad Episcopatum suum rediit; & post aliquot annos sancto fine quieuit, miraculis post obitum clarus.

IV. DISSIDIA IN ECCLESIA, CAVSA PASCH. PP.

ff Rec. Bar. Ann. Tom. XII. hoc an. ex cod. Vat. ALTERCATIO INTER BRVN. ET PASCH.

g Petr. diac. lib. 4. c. 44.

V.

Quod vero ad Paschalem spectat; sic ipse comparatus erat, vt quod fecerat excusaret potius quam defenderet. Verum in eos constanter egit, qui sibi eiusmodi iudicium aduersus Summum Pontificem sumerent. Ipsum autem non solum defendisse quod perperam, licet inuitus & cogente necessitate commisisset, sed & improbasse, & literis ad vniuersum Catholicum orbē scriptis denuo prohibuisse quod & ipse olim, & ante ipsum Gregorius & Vrbanus damnassent ac prohibuissent; constat ex epistola, quæ adhuc extat *h* eo argumento missa ad Guidonem Archiepiscopum Viennensem Apostolicæ Sedis Legatum, aliaque ad Gerardum Episcopum Engolismensem itidem Sedis Apostolicæ Legatum; quarum sit mentio in literis à Synodo Viennesi redditis ad eumdem Paschalem anno sequenti: meminitq; earumdem Iuo *i* Carnotensis ad Henricum Abbatem Angeliacensem, & Ioannē Archiepiscopum Lugdunensem; apud quos ipse spiritu charitatis Paschalem excusare laborauit, cum præcipue Ioannes zelo offensæ Ecclesiæ æstuans, inflictum capiti vulnus haud eiusmodi esse putaret, vt leni olei posset vnctione curari; maxime cum res esset agenda aduersus sacrilegum furore flagrantem adolescentem Imperatorem, & alios Principes id ipsum præsumentes.

h Ree. Massen. in Not. ad Iuon. ep.

i Iuon. epist. 235. 236. IVO CARNOT. EXCVSAT PASCHALEM.

VI.

Quamobrem cum idem Ioannes ad hoc omnium sibi subiectorum Episcoporum conuocandum esse Concilium putasset; ad eumdem Iuonem ire recusantem, & in Paschalis (vt diximus) excusationem multa afferentem, præclaram rescribens epistolam *k*, asserta ab illo multa refellit, & inter alia quod dixisset, Reges & Imperatores nō posse ab Episcopis condemnari aut iudicari. Sed & quod negasset, actum inuestiendi à laicis vsurpatū, hæresim dici debere; respondet egregie Ioannes, licet id proprie non sit hæresis asserere tamē ac defendere fieri debere, indubitatam esse hæresim. Quo etiam sensu reperiuntur esse locuti sancti Pontifices, & alii qui Inuestituras hæresim vocarunt. Huic autem assertioni cum Paschalis & verbis & scriptis semper aduersatus fuerit, procul abest vt hæreticus dici potuerit, quamuis Inuestituras ex causa concesserit. Porro Iuonē acquieuisse scriptis Ioannis, inde sumimus argumentum, quod cum in fine suę epistolæ Ioannes illū ad responsionē prouocasset, ipse nō

k Ap. Iuon. ep. 239. INVESTITVRAS LAICOR. DEFENDERE, HÆRESIS EST. [De qua quęstione, vide Grest. lib. 2. Defensionis Apologiæ Baronianæ, contra Gold. Replic. ca. 23

solum

vnde multã haurias lucem iis quæ hoc an. dicuntur à Baronio]

VII. CONON CARD. LEG. MVLTIS CONCIL. EX COMMVNICAT HENRIC.

solum nihil respondisse reperitur, sed & (quod in aliis hactenus non fecisset) ipsam Ioannis epistolam cum suis consuit, iudicans dignam æterna memoria.

Ex his autem plane satis apparet; sicut Romæ, ita & fuisse in prouinciis altercatum, aliis pro Paschalis excusatione laborantibus, aliis ex aduerso surgentibus non tam in Paschalem, qui & ipse detestabatur quod fecerat, quam aduersus Regem Henricum, quem excommunicandum esse clamarent. Quod & annis sequentibus factum videbimus in diuersis prouinciis: & hoc ipso anno fortiter aggressus est *Cuno*, siue Conon Cardinalis Episcopus Prænestinus, Legatione Apostolicæ Sedis in Oriente fungens: qui audito Henrici sacrilegio, conuocata mox *Hierosolymis Synodo*, eumdem excommunicauit; & confestim aduolans in Occidentem, eodemque Legationis munere circumquaque prouincias lustrans, collectis in Græcia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, & Francia *Synodis*, vbique eamdem excommunicationis sententiã repetiuit, vt de his constat ex Actis vltimi sub Paschale celebrati generalis Concilij Lateranensis *l*, in quo ea omnia Conon voluit per eumdẽ Pontificem confirmari. Sed de eo rursum inferius: quem quidem auctor Appendicis *m* ad Sigebertum, ex eremo prouectum asserit.

l *Vsperg. an. Domini* 1116.

m *Append. ad Sigeb. an.* 1114.

Hoc eodem anno (vt habet Chronicon Romualdi Archiepiscopi Salernitani, & indicat Petrus *n* diaconus) defunctus est Boamundus Princeps laudatissimus, in his præsertim quæ spectant ad fortitudinem militarem: sepultusque est Canusij in Apulia in ecclesia S. Sabini. Cui successit filius item Boamundus nuncupatus, sed non ita felix, sicut nec fortis: de quo consule Willelmum Tyrium. Quo etiam auctore *o* constat, hoc eodem anno mense Aprilis captam fuisse à Balduino Hierosolymorum Rege Berytum, & mense Decembris Sydonem adiumento Danorum & Norwegiæ Regis classis.

VIII. n *Petr. diac. Chron. Cas. lib. 4. cap. 11.*

o *Tyr. lib. 11 cap. 13. 14.*

IX. p *Rupert. de diuin. Off. lib. 8. c. 4.* MIRACVLVM DE CERTITVDINE RESVRRECTIONIS.

Eodem anno refert Rupertus *p* Abbas Tuitiensis fama celebris, accidisse in monasterio S. Laurentij in monte Leodij, ipso sancto Paschæ Sabbato, dum officium matutinum celebraretur, insigne miraculum, quo vni ex monachis sæpius admirari solito (licet de rei veritate minime dubitanti) quomodo verum Domini corpus clauso resurgere monumento, clausisque potuisset ianuis ingredi ad discipulos; repente cingulum quo firmiter substrictus erat, ante pedes illius exiliit, non soluto nodo, neq; circum crura pedesque descendens; eaque de re mirum in modum stupenti monacho vox tanquam sibilus auræ tenuis facta fuit, dicens;

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

RVPERTI ERROR DE EVCHAR. q *Idem in Exod. lib. 2. ca 10. in fin. & alibi. Bellarm lib. de Script. Eccl. in Rup. & lib. 3. de Sacram. Euch. c. 14 & 15.*

Narrat istud (vt dixi) *Rupertus* in commentario quem eodem tempore scribebat de Diuinis Officiis, monasticam & ipse in eodẽ cœnobio tunc agens vitam sub Berengero, siue Berengario Abbate: quo moriente, ab eodem protectioni commẽdatus Cunonis Abbatis Sigebergensis à persecutione inuidorum Fratrum, cœpit sub eo scriptos à se edere Commentarios. Felix progressus, sed non inoffenso penitus pede, dũ in errorem impegit, quo asseruit *q* in Eucharistia ita inesse vere ipsum integrum corpus & sanguinem CHRISTI, vt tamen substãtia ipsa panis & vini etiã integra remaneret. Suas vero lucubrationes numerat ipse in epistola nuncupatoria ad eumdem Cunonem iam creatum Episcopum Ratisponẽsem, conscripta vltimo loco, cum primitias laboris sui diutius apud se retentas eidem dedicat, libros hoc anno scriptos de Diuinis Officis.

IESV CHRISTI AN. 1112.

PASCHAL. II. AN. 13.

HENRICI IV. 2.

ALEX. COMN. 32.

I. ANno Christi millesimo centesimo duodecimo, Indictione quinta, Paschalis Papa ad instaurandum graue damnum illatum Ecclesiæ, scandalumque curandum quod intulisset vbique Fidelibus, generale CONCILIVM *Romæ* in basilica Lateranensi celebrauit: quod quidem hoc anno habitum esse, (non, vt in quibusdam codicibus legitur, sequenti) Vrspergensis testatur, & indicat Petrus *a* diaconus; redditurque indubitatum ex Actis Concilij Viennensis habiti hoc pariter anno mense Septembri, dum in eis mentio habetur huius Lateranensis mense Martio celebrati. Interfuerunt autem cum ipso Paschale Archiepiscopi duodecim, Episcopi centum quatuordecim, presbyteri Cardinales quindecim, & diaconi Cardinales octo, Abbates plures, & clericorum diuersi ordinis innumera multitudo; vt habetur in Synodi Actis quæ extant, quæque Nicolaus Aragonius in suum etiam transtulit codicem in Vita Paschalis.

CONCIL. ROM. IN CAVSA HENRIC. I NP. a *Petr. diac. lib. 4. c. 47.*

Porro in ea Synodo primum confirmata est sententia aduersus Guibertinos, qui referrentur quasi ex permissione Paschalis interdicta officia celebrare. Deinde narrauit idem Pontifex, quomodo vi & necessitate coactus cum Henrico transegisset; declarans tamen propter iuramentum tunc ei præstitum, nunquam se illum excommunicaturum, aut de Inuestituris inquietaturum: ceterum priuilegium ab eodem extortum, corrigendum quidem esse tanquam praue factũ, sed correctionis eius modum iudicio se Synodi relinquere. Ac nequis de fide ipsius dubitaret, professionem Catholicæ fidei coram omnibus edidit. Post quæ secuta est Synodi sententia, recitante illam Gerardo Episcopo Engolismensi, qua priuilegium illud à Paschale per vim extortum, (quod & *Prautlegium* potius dici debere iudicarunt) penitus damnatum est, & irritum declaratum, quod esset contra Spiritum Sanctum, & canonicam institutionem. Sed præter ista, Gotfridus *b* Viterbiensis Notarius Imperatoris versibus suis tradit, in eodem Concilio Paschalem Papam se abdicasse, mitra & manto depositis; sed à Patribus monitum ea resumere: priuilegium quoq; combustum fuisse, atque in ipsum Imperatorem, eiusque sequaces, excommunicationis sententiam latam, & vbique promulgatam esse.

II. PASCH. PP. RECVSAT DAMNARE HENRIC.

SYNODVS PRIVILEGIVM HENRIC. RESCINDIT, IPSVMQVE HENRIC. EXCOMMVN.

b *Guid. Vterb. Chron. part. 17.*

At licet hæc stabilita videri potuissent, tamen haud est sopita discordia, quod videlicet ipse Paschalis noluerit Henricum excommunicare, nec concessas ei Inuestituras reuocare, ipsumque prauum priuilegium per Concilium potius quam per se ipsum damnari permiserit. Immo ex eo quod amicitiam cum Imperatore retinuerit, eumdemque literis coluerit; exulcerauit animos Orthodoxorum, pro libertate Ecclesiæ æstuantium. Inter quos Guido Archiepiscopus Viennensis, qui fuit postea Callistus Papa, tunc autem Legatus erat Apostolicæ Sedis, habita hoc ipso anno, decimoseptimo Calendas Octobris, *Vienna* SYNODO, de communi Patrum consensu, laicorum Inuestituras hæresim esse indicauit, (de cuiusmodi locutione iam dictum est anno superiori) priuilegiumque de illis à Paschale extortum irritum declarauit, atque ipsum Henricum excommunicauit; deque omnibus certiorem per literas Paschalem faciens, eadem ab eo auctoritate Apostolica solemniter confirmari petiuit; hortans interim illum, vt quod aduenissent ad eamdem Synodum Legati Henrici, literas pacis & amicitiæ ab ipso Paschali etiam post Concilium Lateranense scriptas proferentes; deinceps ab eius communicatione abstineret. Porro interfuit inter alios Episcopos huic Synodo Viennensi, immo & præfuit pro Guidone Archiepiscopo & Legato, (quod impeditioris esset linguæ) S. Godefredus Episcopus Ambianensis, vt eius Vitæ Acta testantur. Itemque interfuit S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, (inquit Guido Abbas Carthusiæ in Vita ipsius) qui præ cunctis vt Henricus excommunicaretur effecit.

III. RENOVATVR CONTRA PASCHALEM MVRMVR.

CONCIL. VIEN. CONTRA HENR.

Sic igitur Paschalis Papa, qui hactenus summa gloria Pontificatum Vniuersalis Ecclesiæ administrasset; ab anno superiori, quo ea quæ vidimus perpetrauit, Apostolicæ cõstantiæ succisis neruis visus est langueſcere; cum nec tot vndique stimulis agitatus, in Henricum sacrilegium insurrexerit, nimis tenax præstiti, licet per vim & metũ, iuramenti. Sicut etiam quod eiusdem vsum amicitiæ retinuerit, & ex aduerso vndique magno animo pro libertate Ecclesiæ insurgẽtes Patres repressérit; magnam sibi notam inussit. Nam & quod ad petitam Viennensis Concilij confirmationem spectat; eam diutius distulit: vixque impulsu Cunonis Cardinalis Prænestini, post annos quatuor in alio Lateranensi

IV. PASCH. PP. SVBLEVATVR.

Conci-

Concilio confirmauit omnia quæ per Legatos gesta essent, nominatim vero per eumdem Guidonem Viennẽsem. Summam vero laudem sibi pepererunt Cardinales, atque Legati, cum ceteris, qui per tot annos ita se prudenter gesserint, vt nec vllum conflari schisma, nec tamen in Ecclesia adeo immane scelus inultum relinqui passi sint in perpetuam Apostolicæ Sedis ignominiam. Ita diuina prouidentia in eadẽ sacrosancta Sede dispẽsante, vt cum langueſcit caput, membra ad defensionem fortius roborentur.

V. CANCELLARIVS IMP. AB HOSTE IN DEFENSOREM ECCL. CONVERSVS.

Quin etiam illud mirabilius operatus est Deus, vt & ipsi eiusdem Sedis hostes, qui tantorum malorum auctores extitissent, aduersus Imperatorem pro ea steterint. Cum videlicet ille ipse Imperatoris Cancellarius Albertus, siue Adalbertus, cuius potissimum suggestione tot tantaque indigna Imperator perpetrauerat, accepto in mercedem impietatis anno superiori Archiepiscopatu Moguntino, mutatus mox in virum alterum, & commotus promulgatione anathematis à Guidone Viennensi in Imperatorem vibrati; veritatem serio propugnare, & imprimis contra ipsum Imperatorem pugnare aggressus est: nec destitit aliquando, quamuis extrema quæque pati coactus, donec victoriam de recuperata libertate S. Ecclesia fuerit consecuta. Cuius quidem res per singulos ferme annos gestas recensens Vrspergensis huius temporis historicus, (quamuis fauens Henrico, ipsumque Albertum fugillans vt in Imperatorem infidum) præsenti ipsum anno docet fuisse in carcerem detrusum, ibique triennio vsque ad vltimum fere spiritum cruciatum: de cuius liberatione dicetur suo loco.

VI. ALEXII IMP. LEGATIO AD ROM. PRO SEDE APOST. c *Petr. diac. lib. 4. c. 48.*

Præter hæc autem, ad acerbissimum Ecclesiæ Romanæ casum, cuius fama & ipsum quoque peruasit Orientem, permotis eius æmulis, ac insuper aduersariis, eorum præcipuus, Imperator Alexius (vt auctor est Petrus *c* diaconus) nobilem hoc anno misit ad Romanos Legationem, qua eis condoleret de iniuriis Pontifici & Vrbi illatis, simulq; eos laudaret de virtute qua Henrico obstitissent; atq; adeo significaret, si eorum animi in ipsum Alexium propensiores essent, velle vel se, vel Ioannem filium suum iuxta morem priscorum fidelium Imperatorum à Summo Pontifice Romæ coronam Imperij sumere. Cui Romanos annuisse, & misisse Constantinopolim ex suis fere sexcentos ad Imperatorem deducendum, idem Petrus ait. Verum ista omnia in auras inanes euanuere; quæ aliquo prætextu visa sunt fuisse tentata sub eiusmodi insuetæ legationis inuolucro.

VII. d *Tyr. lib. 11. cap. 15. 18. 19.*

Hoc eodem anno defuncto Gibelino Patriarcha Hierosolymitano, in eius locum electus est *Arnulphus* eius Ecclesiæ Archidiaconus, de quo superius; cuius detestabiles mores, operaq; nequissima, Willelmus Tyrius *d* narrat. Mortuus est quoq; eodem anno Tancredus Princeps Antiochiæ insignis armis, sed præstantior pietate; qui habuit Rogerium successorem, & moribus plane degenerem.

IESV CHRISTI AN. 1113.

PASCHALIS II. AN. 14.

HENRICI IV. 3.

ALEXII COMN. 33.

I. CONCIL. BINIV.

ANno Christi millesimo centesimo decimotertio, Indictione sexta, Paschalis Papa pergens Beneuentum, *Synodo* celebrata quæstiones prouinciales, & alia iudicialia definiuit, de quibus agit Petrus diaconus.

II. a *Vid. Tyr. lib. 11. c. 21.*

Eodemque anno *a* Balduinus Rex Hierosolymorum, viuente adhuc prima coniuge duxit in vxorem Comitissam Siciliæ, quæ vxor fuerat Rogerii Comitis; agente id nequissimo Arnulpho Patriarcha Hierosolymitano: cuiusmodi sceleribus infenso numine, res Christianorum cœperunt in deterius labi.

III. b *In Appan. Sigeb.*

Hocque ipso anno *b* Turcæ qui Hierosolymam capturi aduenerant, re infecta recedẽtes, monasterium Christianorum in monte Thabor constitutum euerterunt, & monachos omnes occiderunt, quos quidem germina fuisse Cluniacensium, vitæque religiosæ obseruantissimos, constat ex epistola Petri *c* Cluniacensis ad eos scripta: quamobrem iure æstimare liceat, quot monachos cæsos, tot laureatos Martyres è monte Thabor assumptos in cælum.

THABORENSES MONACHI MARTYRES. c *Pet. Clun. 4. ep. 44.*

Hic insuper est annus, qui S. BERNARDI conuersione à sæculo ad Cistercienses extitit memorabilis; cum ipse doctrina, vitæ exemplo, miraculis, Sanctorum fœcunda sobole magnopere Ecclesiam Dei illustrauit. Quem quidem annos tunc natum fuisse viginti duos, ac secum socios amplius quã triginta Cistercium perduxisse, subq; Abbate Stephano collum suaui CHRISTI iugo submisisse; testatur Willelmus Abbas S. Theodorici, sancti viri sanctus collega in Vitæ ipsius primordiis.

IV. S. BERNARDVS FIT MONACHVS CISTERC.

IESV CHRISTI AN. 1114.

PASCHALIS II. AN. 15.

HENRICI IV. 4.

ALEXII COMN. 34.

I. CONCIL. CEPER. SVB PASCH. PP.

ANno Christi millesimo centesimo decimoquarto, Indictione septima, Paschalis Papa *Ceperani* ad ripam fluminis Lyris SYNODVM habuit: in qua auditæ sunt querelæ Archiepiscopi Cosentini aduersus Rogerium Siciliæ Comitem, quod ab eo delectus Archiepiscopatu, coactus fuisset monachus fieri Cassinensis: causam vero ex voluntate Paschalis dirimens Abbas Cassinensis, eumdem Archiepiscopum ad pedes Pontificis vestes monasticas deponere iussit, liberumque dimisit. Sed & ibidem accusatus Landulphus Archiepiscopus Beneuentanus, nec se purgare valens, fugit Cassinum. Denique Paschalis Willelmum Ducem Apuliæ & Calabriæ constituit. Hæc de ea Synodo Petrus *a* diaconus. Quam quidem celebratam esse mense Octobri, traditur in Chronico Beneuentano ab auctore eiusdem temporis, Folcone, siue Falcone dicto, sincera plane & integra fide conscripto, continente res gestas dumtaxat annorum viginti septem, nempe ab anno superiori vsque ad millesimum centesimum quadragesimum Redemptoris. De causa vero Landulphi Archiepiscopi tradit, aduersus eum illic præsentem in eodem Concilio prolatam esse depositionis sententiam, cum ob alia multa, tum maxime quod excitata Beneuenti ingenti populi seditione, palatium galeatus inuasisset, & Landulphum Comestabulum vrbis custodiæ præfectum, virum fortissimum, & Paschali Papæ charissimum expulisset, ac vocatus à Paschale ad Curiam venire contempsisset. Verum ipsum postea ab eodem Pontifice restitutum esse, testantur iidem Petrus & Falco.

a *Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. cap. 51.*

II. RADVLPHVS CREATVR ARCHIEP. CANTVAR.

Hoc eodem anno, cum iam quinquennio exacto vacationis sedis Cantuariensis in Anglia, tandem post increpationes Paschalis Papæ, postque multas Episcoporum diœcesanorum admonitiones, Rex Angliæ (qui post obitum S. Anselmi, bona illius Ecclesiæ in vsus sæculares vsurpauerat) consensisset vt ei Archiepiscopus ordinaretur; electus est Radulphus Episcopus Roffensis, vir scientia & moribus clarus. Qui cum pro accipiẽdo Pallio debuisset ipsemet ex maiorum instituto Romam venire; tamen partim corporis debilitate detentus, partim periculo itineris deterritus, legatũ ad Paschalem direxit Anselmum filium sororis S. Anselmi decessoris sui: per quem ei Paschalis Pallium transmisit, ad quod impetrandum interuenerant quoque literæ Iuonis *b* Carnotensis.

b *Iuo ep. 252*

III. CONCIL. BELLOVACENSE SVB CONONE LEG. A. POST. c *Vit. Godef. Ambian. lib. 3. cap. 9. & seq. ap. Sur. 8. Nou.*

Hoc item anno (vt habet Appendix ad Sigebertum) in ciuitate *Bellouacensi* in Gallia à Sedis Apostolicæ Legato Cononе celebratum est CONCILIVM. Cuius quidem, sicut & aliorum paulo post apud *Sueßiones* & *Rhemos* ab eodem Conone Cardinale habitorum, fit quoque mentio in Rebus *c* gestis S. Godefredi Episcopi Ambianensis, occasione ipsius ad Carthusienses secessus vt quietius Deo seruiret: cuius causa in iisdem Synodis pertractata, iussus est

Episco-

Episcopatum repetere. Ceterum in frequentibus huiusmodi Synodis, aduersus Henricum Imp. anathema inclamatum esse, satis ostendunt ea quæ de eod. Cononе dicta sunt superius. Ad quem in Gallijs morantem datæ extant quatuor Iuonis *d* epistolæ: quibus cum se infirmitate corporis grauatum, quod eum non adeat, excuset, ipsæq; epistolæ ad finē codicis positæ inueniantur; haud diutius ipsum Iuonem superfuisse putandum est. nec excessisse tempora Paschalis Papæ. Nam post eum non Iuo, sed Gaufredus legitur fuisse Carnotensis Episcopus; ad quem extant epistolæ complures S. Bernardi.

d Iuo epist. 267. 268. 275. 277.

IVONIS CARNOT. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 1115.

PASCHALIS II. AN. 16.

HENRICI IV. 5.

ALEXII COMN. 35.

I. TVMVLT. IN VRBE OB PRÆFECTI OBITVM.

ANNO Christi millesimo centesimo decimoquinto, Indictione octaua, ipsa die Cœnæ Domini defuncto Petro Vrbis Præfecto, eiusque filio à factiosis ciuibus, inscio Pontifice, in locum eius suffecto; turbarum complurium ab iis manauit occasio: quibus vt occurreret Paschalis, plurimum laborauit, agente pro ipso strenue Petro Leonis, cui idem Præfecturam Vrbis detulit. Quæ res gesta pluribus describitur ab eo qui aderat, Petro diacono Cardinale Bibliothecario in Vita Paschalis. Eodem vero anno idem Pontifex mense Augusti in Apuliam profectus, *Troiæ* CONCILIVM habuit, in quo definita sunt negotia quædam prouincialia; & mense Septembri Romam rediit: prout traditur in Chronico Beneuentano, ab auctore qui aderat; cum hæc Petrus *a* diaconus referat in annum Domini millesimum centesimum decimumseptimum.

CONCIL. TROIAN. SVB PASC. PP.

a Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. cap. 57.

II. MOGVNTINI IN IMP. INSVRGVNT PRO SVO ARCHIEP.

Hoc vero eodē anno, Catholicis magis ac magis in Germania inualescentibus, Moguntini in Henricum Imp. zelo iustitiæ insurgentes, coegerunt dimittere liberum Adalbertum suum ipsorum Archiepiscopum; quem diu (vt audisti) arctissima custodia detinuerat, adeo vt exiens (inquit Vrspergensis) vix ossibus hæreret. Qui dimissus, vocato Dieterico Cardinale Sedis Apostolicæ Legatione in Pannonia functo, consecrationem hactenus dilatam ab eo suscepit in *Synodo Coloniæ* habita instante festo Natalis Domini: in qua insuper promulgata est denuo excommunicatio in Henricum, & per eumdem Legatum reconciliati Apostolicæ Sedi plures alij Germaniæ Antistites. Narrat ista Vrspergensis.

III. MATHILDIS COMITISSÆ OBITVS.

Hoc item anno, die vigesima quarta Iulij, defunctam esse Comitissam Mathildem, de qua sæpe supertius, testis est Donnizo presbyter in eius Vita metro conscripta, cum (vt ait) sex decieſque nouem vixisset annos. Quid autem actum de bonis eius, Ecclesiæ Romanæ relictis, ignoramus an possessionem eorum Paschalis Papa adeptus sit. Nam Vrspergensis agens pariter hoc anno de ipsius obitu, ait directos ab Italia nuntios, ad eius prædiorum terras amplissimas hereditario iure possidendas, Imperatorem inuitasse, qui anno sequenti eo se contulit.

IV. CONCIL. HIEROSOL. IN CAVSA PATRIARCH.

Quod ad res pertinet Orientis; cum accusationes pleræque aduersus Arnulphum Patriarcham Hierosolymitanum ad Paschalem Papam delatæ essent, misit ipse in Orientem Legatum, Arausicensem in Galliis Episcopum; qui *Concilio* celebrato Arnulphum deposuit. Hic vero Romam nauigans, adeo blanditiis verborum, & profusione munerum omnes circumuenit, vt restitutionem adeptus, Hierosolymam redierit; vbi eadem viuendi licentia sedem occupauit, qua prius expulsionem meruerat. Ista ex Willelmo *b* Tyrio.

b Tyr. lib. 11. cap. 26.

* * *

IESV CHRISTI AN. 1116.

PASCHALIS II. AN. 17.

HENRICI IV. 6.

ALEXII COMN. 36.

I. CONCIL. GENER. LATER. CONTRA HENRIC.

ANNO Christi millesimo centesimo decimosexto, Indictione nona, mense Martij celebrata est *Romæ* in basilica Lateranensi à Paschale Papa Generalis SYNODVS ex diuersorum regnorum & prouinciarum Antistitibus & magnatibus; cuius Acta per singulos digesta dies Vrspergensis habet. Et quidem quod ad præcipuam eius celebrādæ causam pertinet; idem Paschalis publice confessus culpam suam, priuilegium Henrico Imperatori de inuestituris factum perpetuo anathemate damnauit, ipsasq; laicas Inuestituras Ecclesiarū sub anathemate dantis & accipientis prohibuit. Et quamuis numquam adduci potuerit, vt ipsemet proprio ore Henricum nominatim excommunicaret, tamen ad instantiam Cononis Cardinalis Episcopi Prænestini, & Guidonis Archiepiepiscopi Viennensis, Apostolicæ Sedis Legatorum, (à quibus illatam in Henricum diuersis Conciliis excommunicationem vidimus) quicquid tum ipsi, tum ceteri vbique Legati, Apostolicæ Sedis auctoritate fecissent, approbauit & confirmauit, & quicquid damnassent, damnauit, quod idem & reliqui Patres Concilij præstiterunt. Actum insuper in eadem Synodo de quibusdam controuersiis nonnullorū Episcoporum, quas idem Vrspergensis narrat. Iis vero (vt ait) qui propter Concilium, & animarum suarum remedium Apostolorum Limina visitarent, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, idem Pontifex quadraginta dierum pœnitentiam indulsit.

INDVLGENTIA CONCESSA.

II. DE CHRYSOLANI LEGAT. IN ORIENT. ET DISPVT. DE SP. S.

Porro quod idem tradat Vrspergensis, *Grosolanum* (ita enim vocat, quem alij *Chrysolanum*) Archiepiscopum Mediolanensem aliunde ad eam Ecclesiam gubernandam translatum, in eadem Synodo iussum esse priorem Ecclesiam repetere; eius mentionis occasione agendum hic est de illius in Orientem Legatione. Quod enim vir esset (vt Trithemij verbis vtar, licet eum perperam post Alexandrum Tertium collocet, quem constat vixisse hoc tempore) in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sęcularib. literis nobiliter doctus, Græca & Latina eloquentia insignis; opportunus dignusque iudicatus est, cui Paschalis Papa onus Legationis crederet ad Alexium Imperatorē; &, vt puto, dedita opera ad conuincēdos Græcos in quæstione de Spiritu Sancto. Alexium enim fuisse Catholicum, pluribus docebitur in eius obitu. Cum igitur Chrysolanus Constantinopolim venisset, siue hoc imprimis faciēdum suscepisset, siue occasione aliqua aliter oblata, aduersus Græcos coram ipso Imp. disputationem instituit de Spiritu S. quem non sicut Latini, illi assererent de Patre Filioq; procedere. Extatq; *a* hactenus ea Disputatio, siue Oratio (vt titulus habet) ad eumdem Imperatorem Alexium Comnenum: quod egregium viri doctissimi monimentum, cum à Latinis prorsus excidisset, Græcia vtcumque mutilum conseruauit, quod multum prę manibus habuit vt impugnaret. Etenim cōtra Chrysolanum Græci complures quasi indicto bello, structa acie castra mouerunt. Interque alios quidam monachus Ioannes nuncupatus, & Nicolaus Methones, (de quibus Gennadius Scholarius in Apologia Concilij Florentini aduersus literas circulares Marci Ephesini sæpius verba facit, eosque schismaticos, Photii discipulos, & Marci Ephesini doctores appellat:) necnon Eustratius Archiepiscopus Nicænus: quos omnes iisdē temporibus vixisse, ex eorum scriptis aperte constat, dum coram cum Chrysolano egisse affirmant, vel ab aliis accepisse qui cum eo egissent. Scripsit quoque aduersus eum Blemmides cognomento Sapiens: quem tamen haud puto fuisse Nicephorum illū Blemmidem, nomine pariter Sapientiæ insignem: hunc enim Latinorum veram doctrinam sectatum potius quam Græcorum leuitatem & errores, apparet ex Gregora *b*. Ceterum ex omnibus Chrysolani scriptis quæ recensentur à Trithemio, vix illud aduersus Græcos monimentum, idemque decurtatum, supereſt.

a Rec. Bare. Ann. Tom. XII. hoc an. ex Bibl. Vallicell.

b Gregoras lib. 5. cap. 2.

IESV CHRISTI AN. 1117.

PASCHALIS II. AN. 18.

HENRICI IV. 7.

ALEXII COMN. 37.

I. HENRIC. IMP. IN VRBEM REDIT.

ANno Christi millesimo centesimo decimoseptimo, Indictione decima, Paschalis Papa audito Henrici Imp. cum exercitu Romam versus itinere, Beneuentum se recepit. Henricus autem, cum hanc sui aduentus causam prætexeret, vt quoniam in proxima Synodo Lateranensi denuntiatus fuerat excommunicatus, ob idq; collata in ipsum ab Ecclesia beneficia, exhibitaq; officia nullius essent momenti, quæ per vim & metum extorta fuissent, ea cum pace susciperet à Pontifice libero: tamen re ipsa maleuolum suum animum demonstrans, simulatq; in Latium intrauit, iunctis sibi S.R.E. perduellibus, dataq; eorum coryphæo Ptolemæo Comiti Tusculano filia sua in vxorem, B. Petri fidelibus bellum indixit; captisq; aliquibus castris, quasi magna re gesta delato ipsi à populo Romano triumpho, Vrbem magno apparatu ingressus est; nullo tamen Episcopo, aut Catholico ei occurrente: quinimo cum in basilica S. Petri coronari petiisset, responsum est, id Pontifice absente fieri non posse; magnaq; insuper animi libertate, exprobrata sunt ei in faciem ab Ecclesia quæ Romæ erat, ipsius sacrilegia & rapinæ. Quapropter idem accito perdito illo Mauritio Burdino Bracarensi Archiepiscopo, de quo dictum est superius, ad altare B. Gregorij ab eo coronari se fecit; & coactus feruore ætatis, ad loca frigidiora se recepit. Hæc ex Petro *a* diacono Cassinensi, & altero Petro *b* Cardinale Bibliothecario.

CLERI ROM. MAGNANIMITAS. *a Petr. diac. Chron. Cassin. lib. 4. cap 63. b Petr. Biblioth. in Vit. Paschi.*

II. *c Extant huius Acta ap. Sur. 3. Iunii.* S. BENNO POST OBITVM MIRACVLIS PVGNAT ADVERS. HENR. HENR. PETIT ABSOLVI, NEC OBTINET.

Post hæc vero idem Henricus perterritus variis prodigiis, quæ hoc anno in Germania contigerunt, pro absolutione impetranda multum laborauit. Erant autem ista territamenta, inter alia quod S. Benno *c* Misnensis Episcopus, qui ante decē annos ex hac vita migrarat, multiplicitate miraculorum, quæ ad sepulchrum eius edebantur, tanquam Ecclesiæ Sanctæ vindex contra hæresim Henrici pugnaret; qui viuēs quadraginta annis quibus sedit Episcopus aduersus eamdem contra Henricum patrem indefesso labore certauerat. Terribilis namq; post mortem est redditus Ecclesiæ hostibus, quod ipsum tunc Imperatorem prouocans ad Dei iudicium moriens, traxerit paulo post certaturum secum ad diuinum tribunal; & quod eodem anno apparens post mortem Ottoni Marchioni Misnensi, à quo acceperat alapam die quo viuens prædixerat Sanctus, idem ipse spiritu oris sui interfecerit impium; prout vitæ ipsius Acta testantur. His igitur prodigiis, & aliis (inquit Vrspergensis hoc anno) corde tenus sauciatus Henricus, non cessauit legationes satisfactorias ad Apostolicam Sedem destinare: quas tamen constat minime profecisse, excusante Pontifice, quod licet ipse ob iuramentum Regi præstitum haud illum excommunicare voluisset, tamen excommunicationem in eumdem à potioribus Ecclesiæ membris illatam, nonnisi ipsorum consilio dissoluere posset.

III. CONCIL. IN APVL SVB PASCH. PP.

Celebrauit autem Paschalis Papa (vt auctor est Bibliothecarius) in partibus Apuliæ CONCILIVM: in quo excommunicatum fuisse prædictum Mauritium Bracarensem, testis est Gelasius qui Paschali successit, in epistola ad Gallos de qua dicetur anno sequenti. Porro Paschalem inde Anagniam se contulisse, ibique pene vsque ad mortem ægrotasse, recuperata vero sanitate, venisse Præneste, & ibi Natale Domini celebrasse, idem Bibliothecarius scribit.

IV. *d Malmesb. de gest. Pontif. Ang. lib. 3.*

Hoc item anno, quo Henricus Imp. secundo Romam venit, (vt auctor est Willelmus *d* Malmesburiensis) contigit à Rege & Episcopis Angliæ magni ponderis legatio Radulphi Archiepiscopi Cantuariensis, & Hereberti Episcopi Norwicensis, ad Paschalem Papam, occasione permotæ ibidem quæstionis ob Legatos Apostolicæ Sedis, sua, non quæ sunt IESV CHRISTI, quærentes, & proxime ob Petrum Leonis Cardinalem legatione ibi male perfunctum; adeo vt Henricus Rex & Episcopi Angliæ prouocandum putauerint ad antiquum priuilegium S. Gregorij Papæ, quo Archiepiscopis Cantuariensibus indulsit fungi Legatione Sedis Apostolicæ, ob idque dicerent haud alium in Angliam mittendum esse Legatum. Porro ijdem Legati aduenientes Romam, non solum ibi non inuenerunt Paschalem, qui (vt vidimus) fecesserat Beneuentum, sed nec ad eum accedere potuerunt, quod Imperator vias vndique obsedisset. Quapropter rem per internuntios agentes, literas ab eodem Pontifice ad Regem & Episcopos acceperunt; quibus generaliter declarauit, velle se in eo statu Ecclesiam esse Cantuariensem, vt authentica eius priuilegia quæ à S. Gregorio per S. Augustinum susceptisset, & quibus S. Anselmus nuper defunctus eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus iure ac possessione legitima tenuisset, iuxta canonum sanctiones, nullis perturbationibus violarentur. Passi sunt autem præter ius scandalum ex Anglis nonnulli, quod Papa quærens authentica priuilegiorum, ita negotium dimisisset infectum; perinde ac si in re tanta fuisset præcipitanda sententia, cum præsertim in Legationibus in Angliam assidue mittendis Sedes Apostolica antiqua potiretur possessione. Vnde etiam nuper *e* electus Archiepiscopus Eboracensis Turstinus, siue Turstanus, cum à Cantuariensi ex priuilegio Ecclesiæ suæ cogeretur ad professionem, & absque iudicio fuisset à sua Ecclesia separatus; impulsu clericorum suorum Romam veniens, obtinuit ab eodem Paschali restitutionem, donec præsentibus vtriusque partibus ipse de earum iuribus cognosceret: cum tamen alias (vt vidimus) Anselmi temporibus causam Cantuariensi adiudicasset contra Gerardum Eboracensem. Quæ vero hæc secuta fuerint, dicetur suo loco.

DE LEGAT. SED. APOST. IN ANGL. MITTENDIS CONTROVERSIA.

DE PRIVILEGIIS ECCL. CANTVAR. QVID STATVERIT PASCH.

e Malmesbur. ibid.

Eodem anno cum ingens terræmotus vniuersam Italiam per plures dies quateret, inter admiranda quæ tunc accidisse tum Petrus diaconus *f* Cassinensis, tum alij eiusdem temporis Scriptores narrant, in Longobardia (inquit Rogerius *g*) villa quædam prægrandis mota est repente de statu proprio, & in alium locum longe remotum translata. Verum de his apud antiquos etiam Gentiles scriptores exempla reperire est. Illud prorsus mirabile, quod (vt idem auctor addit) cum viri Mediolanenses Patriciæ dignitatis de Republica tractantes sub vna residerent turri, auribus omnium vox foris insonuit, vnum ex illis nomine vocans, & festinato exire rogans; eoque tardante, persona quædam apparuit, quæ vocatum virum vt egrederetur prece obtinuit; exeunte vero illo, turris repente cecidit, & omnes qui ibi erant oppressit. In quo quidem renouata quis non videat antiqua miracula; idque illi simile, cum Angelus *h* ne periret iustus cum iniquis, Loth illæsum cum suis eduxit è Sodomis? Quibus discant homines, nonnisi ex diuina prouidentia, casu vero siue fato nunquam, in communibus cladibus hunc perire, illum ex insperato saluari.

V. *f Pet. diac. lib. 4 ca. 64. g Roger. Annal. Angl hoc an.* TERRÆ MOTVS PRODIGIA. *h Gen. 19*

Hoc eodem anno mortuus asseritur eximiæ vir doctrinæ & probitatis, *Robertus de Arbrusselis* Theologus Parisiensis, auctor insignis Monasterij *Fontis Ebraldi* siti in diœcesi Pictauiensi, haud procul à Turonum Andagauorumque finibus. Qui quidem (vt fertur) sanctis suis exhortationibus conuersio ad meliorem frugem Ebraldo quodam nobili iuuene, qui magna sicariorum manu adiacentes vias latrociniis infestabat; multisque præterea omnium generum hominibus ad despectionem sæculi, & austerioris vitæ leges subeundas permotis: ad eorum habitationem distincta ijsdem in septis sua seorsim viris, virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis, monasteria condidit, regulasque præscripsit. Vniuersæ vero Congregationi Abbatissam præposuit, quæ in omnes tum viros tum feminas ius summum obtineret; statuens vt viri S. Ioannis Euangelistæ exemplo, virginibus seu mulieribus parerent, & hæ vicissim B. Virginis exemplum sequentes, Religiosos tanquam filios amplecterentur. Quemadmodum etiam propagatis postea huius Congregationis Conuentibus, &

VI. ORDINIS FONTIS EBRALDI ORIGO. VIRI RELIGIOSI SVB SVNT FEMINÆ ABBATISSÆ

ex omnibus constituto Ordine, cuius caput esset idem monasterium Fontis Ebraldi; illum authenticis Bullis multi Pontifices approbantes, docuerunt ab illis verbis Christi i, *Ecce filius tuus, Ecce mater tua*, institutionis eius originem, rationemque petitam esse. Statuit porro Robertus, vt cum Abbatissa quam crearat diem suum clauderet, ea illi succederet quam Religiosæ ipsæ suis suffragiis elegissent. Ceterum & quamdiu permansit electionum vsus, & postquam auctoritate Pontificis constitui Abbatissæ cœperunt, memorabiles semper Abbatissas Religiosæ sortitæ sunt, vitæ integritate quam genere illustriores; tametsi pleræque Regum & Principum aut nobilissimorum certe dynastarum filiæ fuerint: qualis hodieque est *Eleonora de Borbonio*, amita Henrici Magni Christianissimi Francorum & Nauarræ Regis, quæ monasterium, in quo ducentæ, præter Religiosos, Deo dicatæ moniales numerantur, Ordinemque vniuersum moderatur magna pietatis, prudentiæ, sanctitatisque apud omnes opinione. Sub Maria vero de Britannia, ipsaque procurante, facta fuit Ordinis reformatio iuxta Regulam S. Benedicti, & statuta Roberti institutoris, per Archiepiscopos Lugdunensem & Bituricensem, ad hoc specialiter à Xisto Papa Quarto delegatos: quæ nunc etiam studiose obseruatur. Ceterum ferunt Robertum S. Bernardo familiarem fuisse: cuius etiam Petrus k Venerabilis Cluniacensis Abbas meminit magno præconio; (vtpote qui fuerit institutor matris suæ beatæ Raingardæ in vita spirituali, quæ viro defuncto professa est monasticam regulam in Marciniacensi monasterio:) eiusdemque res præclare gestas, post eius obitum, epitaphio est prosecutus.

i *Ioan. 19.*

k *Petr. Clu. 3. ep. 17.*

[In Chron Turon. prædictum monasterium conditum ponitur anno millesimo centesimo, paulo post Concilium Pictauiense eo anno celebratum. Et in Chron. mſ. cœnobii S. Albini Andegauensis, Robertus Fontebraldensis fundator mortuus ponitur anno ante præsentem, nempe 1116. 5 Cal. Martii: vt quidem notauit Sirm. ad Gosfrid. Mirumque valde, quod de ingenti sanctimonialium eius loci numero prodidit Sugerius Abbas S. Dionysii scribens pro illis ad Eugenium PP. III. annis nondum à conditu monasterii quinquaginta; nimirum fere vsque ad quatuor aut quinque millia excreuisse.]

VII.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno mortuus est Nicolaus Nuzalon Patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos viginti septem; vt testatur Zonaras, qui his erat præsens. Eius iussu restituta fuisse Acta Sanctæ Parasceues, quæ Callicratiæ colebatur, testatur Theodorus *l* Balsamon, qui & eiusdem citat Synodalia *m* responsa: extantque *n* nonnulla eius decreta, ac Synodalis epistola continens rescriptum Alexij Comneni imperatoris. Successit autem in locum eius, vt idem Zonaras ait, vnus ex diaconorum ordine, patria Chalcedonensis, nomine *Theodorus*. quantum autem hic sederit, in serie Græca Constantinopolitanorum Patriarcharum, quæ habetur in codice Iuris Orientalis, non legitur; sicut nec eius successorum, *Neophyti* inclusi, *Constantini*, & *Lucæ Chrysoberges*; quorum nec nominum quidem est aliqua mentio apud Nicetam Choniatam. vt plane diuinare conuincantur, qui texentes in Fastis seriem Constantinopolitanorum Patriarcharum, multis omissis; loca certa singulis quos recitant tribuisse inueniuntur.

l *Theod. Balsam. in Syn. Trul. cap. 63.*
m *in Syn. Carthag. c. 11. & Nomoc. Phot. tit. 13. c. 2. in Concil. Antioch. c. 3.*
n *Cod. Iur. Orient. li. 3*

IESV CHRISTI AN. 1118.

GELAS. II. AN. 1.

HENRICI IV. 8.

ALEX. COMN. 38.

I.

ANno Christi millesimo centesimo decimooctauo, Indictione vndecima, Paschalis Papa post Epiphaniam Præneste celebratam, dimissis Legatis Imperatoris Constantinopolitani quos ibidem susceperat, improuise Romam aduenies ad liberandam basilicam S. Petri è manibus Ptolemæi Comitis Tusculani, & Abbatis Farfensis S. R. E. perduellium, biduoque post in lethalem infirmitatem decidens; monitis Patribus vt in constantia fidei & sinceritate veritatis Deum sequerentur, & cauerent sibi ab impietate Guibertinorum & Teutonicorum, atque mutuæ inuicem dilectioni studerent; munitus more Christianorum sanctis Ecclesiæ sacramentis, ex hac vita migrauit; & solenni ritu ab ipsis Patribus delatus ad basilicam Lateranensem Saluatoris, ibi sepultus est vndecimo Calendas Februarij, cum sedisset annos decem & octo, menses quinque, dies quatuor. Ista ex Bibliothecario: qui addit, cessasse Episcopatum eius diebus tribus. Inter alia vero quæ de ipso reperiuntur antiqua monimenta, extat *a* eius epistola data ad Pontium Abbatem Cluniacensem, magni illius S. Hugonis successorem, de non porrigenda communione intincta, sed seorsum in specie panis, & specie vini seorsum: cum subintroductus à quibusdam esset prauus vsus, (quem etiam auctor *b* Micrologi, qui sub Gregorio VII. claruit, reprehendit) vt pro complemento communionis, corpus Domini intinctum populo distribuerent. Porro quod nec sic reprehensus hic vsus cessaret, communionem sub vna tantum specie panis sancta frequentare postea consueuit Ecclesia.

PASCH. PP. OBITVS.

a *Rec. Baro. Tom. XII. hoc an. ex mſ. cod. Ciſt.* DE COMMVNIONE INTINCTA NON PORRIGENDA.
b *Microl. ca. 19.*

II.

Sed vt transeamus ad Paschalis successorem, (cuius quæ sequuntur in codice Vaticano Acta, scripta sunt à Pandulpho subdiacono, qui omnibus præsens extitit) fuit is GELASIVS eius nominis Secundus; quem natione fuisse Campanum, patria Caietanum, Ioannem nomine nuncupatum, professione monachum Cassinensem, ordine diaconum S. R. E. Cardinalem Tituli S. Mariæ in Cosmedin, munere Cancellarium, moribus probatissimum, omnes auctores affirmant: eumdemque irreprehensibiliter Paschali semper collaborasse, Vrspergensis tradit. Qui quidem cum summo omnium consensu Cardinalium, aliorumque qui ad electionem conuenerant, in monasterio quod Palladium dicebatur, ipse inuitus & renitens in sede Pontificali locatus esset; hoc audiens (inquit Pandulphus) inimicus pacis Cencius Frangipanis (inhærebat ille factioni Henrici schismatici Imperatoris) more draconis immanissimi sibilans, cucurrit, fores fregit, Ecclesiam furibundus introiit, Papam per gulam accepit, distraxit, pugnis ac calcibus percussit, & tamquam brutum animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentauit, per capillos & brachia detraxit, atque domum vsque deduxit, vbi eum catenauit & clausit. Similiter & Episcopi, Cardinales, atq; alij qui conuenerant, magna ex parte à satellitibus Cencij vincti sunt, aut de iumentis præcipitati, expoliati, & inauditis miseriis afflicti. Donec sparsa tam horrendi sceleris fama, conuenit in Capitolium vniuersa ciuitas cum suis ducibus Catholicis, & ab eis Pontifex è manibus Frangipanis repetitus est, & in Lateranum solemni pompa deductus.

A SCHISMAT. DIRA PATITVR.

III.

Iamque secura tranquillitas videbatur, cum ex improuiso allatum intempesta nocte nuntium de aduentu Imperatoris ad porticum S. Petri, quæ ab eius fautoribus detinebatur; eumdem Pontificem iam pene senio & infirmitate confectum, compulit aufugere cum suis, & (quæ via securior videbatur) per Tiberim delabi in mare. Cum vero aduectis in Portum, haud facultas daretur vlterius progredi ob sæuissimam maris & aeris tempestatem, nec iam in Portu consistere possent ob superuenientium Germanorum insultationem, tela venenata iacientium, & omnia dira minitantium, quos sola nox & ira fluminis interpositi à captione Pontificis repellebant, nec iam quid amplius consilij caperetur esset: tunc *Hugo de Alatro* presbyter Cardinalis tituli SS. Apostolorum, (ipsius Pandulphi, qui hæc descripsit, & omnibus præsens extitit, auunculus) immensa pietate vbique & semper laudibus celebranda, ipsum Pontificem in collum suum suscipiens, ad Castrũ S. Pauli Ardeam sic de nocte portauit. Recedentibus vero Germanis, rursum Pontifex mare ingressus, incolumis peruenit Caietam patriã suam: vbi paulo post cõuenientibus

INSIGNIS PIETAS CARD. DE ALATRO ERGA SVMMVM PONT.

plurimis

plurimis Antiſtitibus & Proceribus, Calendis Martii presbyter ordinatus, & Pontifex conſecratus eſt, qui tempore electionis ſuæ erat tantummodo diaconus. Iſta ex Pandulpho.

IV. BVRDINI ANTIP. INTRVSIO.

Porro Henricum Imperatorem conſenſiſſe primum electioni Gelaſii, inde vero mutatum refragatum eſſe, atque eum perſecutum, Vrſpergenſis affirmat, qui quidem ſcelera ſceleribus addens, fuga lapſo Pontifice, mox intruſit in Sedem Petri ſceleſtum illum Mauritium Burdinum Archiepiſcopum Bracarenſem, de quo ſæpe dictum ſuperius, & *Gregorium* nominauit. Quod vbi Gelaſius accepiſſet, literas *c* circulares in Gallias dedit, quibus omnes Prælatos & Principes ſæculares, omneſque Fideles hortatus eſt, vt ad Sanctæ Matris Eccleſiæ vltionem communibus auxiliis accingerentur: aliaſque *d* eodem ferme argumento in Hiſpanias ſcripſit ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum, quibus & præcepit vt in locum Mauritii excommunicati alium ſufficeret in ſedem Bracarenſem. Cum autem Henricus (vt habet Pandulphus) caſtrum prope Turriculam, à Fratribus Abbatiæ Sancti Andreæ retentum obſideret, audito aduentu Wilhelmi Ducis Apuliæ & Calabriæ, Roberti Principis Capuani, aliorumque Baronum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelium, quos Gelaſius Papa arma contra illum mouere iuſſerat; idem Rex infecta re ad ſua rediit, Burdino in Vrbe relicto. Iſta Pandulphus. Quibus videas, magna plane DEI prouidentia factum eſſe, vt deficientibus ingratis filiis, DEVS è longinquo vocauerit in Italiam Northmannos, eiſque regiones illas dederit incolendas, quorum ſæpe vteretur auxilio aduerſus ſchiſmaticos Romanos, tyrannos, & perfidos Imperatores, pro Eccleſiæ Romanæ libertate tuenda. Ceterum de eiuſdem caſtri obſidione Pandulphus ait, ibi primum rete contra petrarias ad rupes operiendas ab eodem Henrico in damnum plurimorum, & proficuum nullis, ingenio exquiſito inuentum eſſe. Subitque de cane, tabellarii tunc munere fugente, ab obſeſſis accipiente literas & reddente.

c Rec. Mal. mſbu. Rer. Angl. lib. 5.

d Rec. Baro. Annal. To. XII. hoc an. ex Regeſto Epiſt. Gelaſ.

HENR. IMP. COGITVR AD SVA SE RECIPERE.

V. ALIA GELASII FVGA A SCHISMAT.

Poſt hæc Gelaſius Papa (inquit idem auctor) Romam pedetentim, magis vt peregrinus quam vt dominus intrauit, latuitque potius quam hoſpitatus eſt in Eccleſia quadam; ſolito tamen honore frequentatus ab vniuerſa Eccleſia, & Catholicis Romanis. Verum nec diu ſic manere permiſſus, cum in feſtiuitate Sanctæ Praxedis celebraret Miſſam in eius Eccleſia, aduenientibus derepente cum non parua militum manu perduellibus Frangipanibus, vix ab eorum manibus elapſus, & à ſuis equo impoſitus, ipſe ſolus per campos errans ſacris ſemiindutus veſtibus aufugit, dum interim ab eius militibus acris aduerſus Frangipanes initur pugna. Cum igitur nulla quiete Romæ viuendi reliqua ſpes eſſet, idem Pontifex patrum veſtigia ſecutus, conſilio cum ſuis habito, decreuit in Gallias migrare, vnicum videlicet & vſitatum, tutiſſimumque Romanorum Pontificum in perſecutione refugium: adeo vt ſi quis dicat, portum Romanæ Eccleſiæ fluctuantis nauiculæ Petri Gallam eſſe, non mentiatur. Sed antequam Vrbe Gelaſius recederet, ipſum Rauennatem Eccleſiam, vna cum ſuo Archiepiſcopo ab eis electo Gualterio, iam diu ante ſchiſmate ab vnitate Catholica ſciſſam, Romanæ Eccleſiæ vniſſe, & Epiſcopatus Æmiliæ, atque alia quæ in pœnam criminis ab ea ſublata fuerant, reddidiſſe, Palliumque miſiſſe; conſtat ex literis *e* Apoſtolicis tunc ea de re conſcriptis.

e Rec. Bar. ubi ſup.

VI. RECIPIT SE IN GALLIAM.

Cereris quoque diſpoſitis Romæ vtcunque rebus, idem Pontifex inde ſoluens (quod accidiſſe die ſecunda menſis Septembris, habet Chronicon Beneuentanum) naui deuectus eſt Piſas, ac demum applicuit ad portum Villæ S. Ægidij: quo accurrentes omnis generis homines Eccleſiaſtici & laici, quæque ei neceſſaria liberaliſſimè prouiderunt. Deſcribit hæc plutibus Pandulphus, qui aderat. Sugerius vero Abbas Sancti Dionyſii, qui vnus fuit ex iis quos Ludouicus Rex miſit in occurſum Pontificis, in Vita eiuſdem Regis quam ſcripſit, tradit ipſos obtuliſſe eidem Pontifici extrema inopia laboranti primitias Regni, ab eo vero Apoſtolica benedictione donatos fuiſſe. Ac denique Falco eiuſdem temporis auctor in Chronico Beneuentano teſtatur, ingenti ſtudio Francos ad eum confluxiſſe, atque ex ſpontaneis Fidelium oblationibus, ſuas domos euacuantium vt exuli Pontifici ſubuenirent, ingentem vim argenti & auri fuiſſe collectam.

VII.

Eodem tempore menſe Decembri, ab eodem Pontifice Aleſti conſecratus eſt Petrus, primus poſt recuperatam è manibus Saracenorum Cæſarauguſtam per Ildefonſum Regem anno milleſimo centeſimo decimo quinto, electus illius ciuitatis Epiſcopus. Cui & idem Pontifex literas dedit, quibus eis qui in bello aduerſus Saracenos pœnitentia accepta morerentur peccatorum abſolutionem, & aliis qui Eccleſiæ S. MARIÆ Cæſarauguſtæ reædificandæ, & clericis alendis, aliquid donarent, ſecundum donorum quantitatem, ad Epiſcoporum arbitrium pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & indulgentiam conceſſit. Earum vero Indulgentiarum diploma Petrus, ſuis additis literis circularibus, & ſubſcriptionibus Bernardi Archiepiſcopi Toletani, aliorumque Hiſpaniæ Epiſcoporum, per vniuerſum Chriſtianum orbem promulgandum ſtuduit, quæ omnia videre eſt apud Hieronymum Blancam hiſtoricum accuratiſſimum in commentariis Regum Aragonenſium. His vero indulgentiarum promulgandarum priſtinus mos reſeratur, porterq; antiquus cultus religioniſſimæ Eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis, DE PILARI nuncupatæ; quam idem Petrus Epiſcopus ſuis literis, beato & antiquo nomine ſanctitatis & miracu-
latis pollere teſtatur: quæque hactenus non ſolum Hiſpanorum populorum, ſed externorum etiam viſitatione frequentatur, vniuerſo Chriſtiano orbi illuſtri fama notiſſima.

VIII.

Quo eodem tempore Cono Cardinalis Epiſcopus Prænestinus, (de cuius pro Sede Apoſtolica zelo dictum eſt ſuperius) Legatione adhuc functus in Germania Gelaſii Papæ, (vt auctor eſt Vrſpergenſis) duabus *Synodis Colonie* & in *Frieslar* celebratis, excommunicationem aduerſus Henricum Imp. denuo promulgauit. Qui quidem Henricus, his auditis, inſuper & quod à Principibus Germaniæ generalibus indiceretur Conuentus, ad quem niſi accederet, Regno deponendus eſſet; item relicta Italia in Germaniam feſtinus accurrit. Narrat iſta Vrſpergenſis: quæ autem ſecuta ſint, ad Gelaſii ſucceſſorem ſpectant.

Eodem anno (vt auctor eſt Tyrius *f*) inſtitutus eſt Hieroſolymis Ordo Militum TEMPLARIORVM, dum nobiles quidam viri timentes DEVM in manibus Patriarchæ CHRISTI ſeruitio ſe mancipantes more Canonicorum Regularium, in caſtitate, & obedientia, & ſine proprio, velle perpetuo viuere profeſſi ſunt: inter quos primi & præcipui fuere Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Ademaro. Qui quoniam nec eccleſiam haberent, nec certum domicilium, Rex in palatio ſuo quod ſecus templum Domini erat, eis habitationem, Canonici vero templi, plateam, quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum conceſſerunt, vnde & *Milites Templi* ſunt dicti. quibus inſuper idem Rex & Patriarcha certa pro victu & veſtitu beneficia contulerunt. Prima autem profeſſio eorum fuit, (quæ & ipſis à Patriarcha & reliquis Epiſcopis in remiſſionem peccatorum iniuncta eſt) vt vias & itinera, maxime ad ſecuritatem peregrinorum contra latronum & incurſantium inſidias pro viribus tutarentur. Nouem annis in habitu fuerunt ſæculari, talibus vtentes veſtimentis, qualia eis pro remedio animarum ſuarum populus largiebatur. Anno vero nono, (qui fuit Domini milleſimus centeſimus vigeſimus ſeptimus) in Concilio Trecenſi in Gallia, ſub Matthæo Cardinale Epiſcopo Albanenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, inſtituta eſt eorum Regula, & habitus albus aſſignatus de mandato Honorii tunc Papæ, & Stephani Patriarchæ Hieroſolymitani. Iſta ex Tyrio. In quibus quidem illud obſeruandum, quod & idem ait, per nouem illos primos annos, cum totidem ipſi milites eſſent nouem numero, nequaquam potuiſſe multiplicari: vbi autem comprobatio acceſſit Apoſtolicæ Sedis, auctos eſſe in immenſum & numero & poſſeſſionibus.

Quod item pertinet ad res Orientales; mortuus *g* eſt hoc anno Quadrageſimæ tempore in expeditione Balduinus

X.

f Tyr. lib. 12.

g Id. lib. 11.

cap. 29. & vlt. & lib. 12. cap. 1. & seqq. BALDVINI REG. HIEROSOL. OBITVS.

nus Hierosolymorum Rex, sepultusque sub Caluariæ loco; cum iam anno superiori, graui ex insperato correptus ægritudine, pœnitentiam agens de pulsa legitima coniuge superinductam à se ablegasset in Siciliam. Substitutus est ab eo viuente Balduinus de Burgo affinis eius, miles egregius, pietate præstantior. Cui cum ab aliis opponeretur Eustachius Comes Bolonensis frater defuncti Regis; iste, ne bellum ciuile maximo Christianæ religionis damno conflaretur; ingenti animi constantia sponte cessit Balduino Regnum; memorandum præbens posteris exemplum, non quæ sua sunt quærendi, sed quæ plurimorum causæ fauerent. Quo anno pariter defuncto Arnulpho Patriarcha Hierosolymitano, successit *Guarimundus* natione Francus diœcesis Ambianensis, virtutibus pollens.

XI. ALEXII IMP. OBITVS.

Obiit hoc itidem anno, decimooctauo Calendas Septembris, Alexius Imperator Constantinopolitanus, vbi regnasset annos triginta septem, menses quatuor, & dies aliquot. Præcesserat illud loco prodigij habitum, quod vehementissimo ventorum turbine statua *h* Constantini ænea, sita super celeberrimam columnam porphyreticam in Placoton, prostrata est atque contrita; cuius etiam immensa ruina plurimos necari contigit. Extant eiusdem Alexij plures hactenus constitutiones, etiam ad res Ecclesiasticas spectantes, quas recitat Theodorus Balsamon diuersis locis; habetque easdem codex Iuris Orientalis duobus tomis intextas. Eundem vero fuisse Catholicum, & Ecclesiæ Romanæ communione coniunctum, vel illud satis demonstrat quod legationibus ac donis frequentasse reperiatur Cassinense *i* monasterium, necnon Ecclesias *k* Transalpinas, ipsamque etiam Romanam *l* quem & plurimum insudasse in euellendis erroribus, & colligendis Orthodoxæ fidei decretis, testis est oculatus *Euthymius Zigabenus*, qui & ipsius iussione se *Panopliam* aduersus omnium hæreticorum errores scripsisse testatur.

h *Cinar. in Const. Mag. & in Alex. Comn.*

FVIT CATHOLICVS.

i *Pet. diac. Chron. Cassin. lib. 4. ca. 17. 29. 48.*
k *Petr. Clu. 4. ep. 39. ad Ioan. Imp.*
l *Pet. diac. lib. 4. c. 48.*

XII. BONGOMILORVM HÆRESIS.

Præcipuam vero laudem inde sibi idem Imp. comparauit, quod quemdam huius temporis impiissimum hæresiarcham, nomine BASILIVM, professione medicum, habitu monachum, auctorem hæresis *Bongomilorum*, eamque postquam quinquaginta duobus annis per diuersas Orbis partes disseminasset, Constantinopolim aduehentem, non sine labore detexit, & flammis deuorandum tradidit. Iste Trinitatem negauit; Deum humana forma præditum dixit; mundumque creatum ab Angelis malis, & Michaelem Archangelum fuisse incarnatum. Reiecit libros Moysi; septemque tantum diuinæ Scripturæ libros recepit. Sanctarum cultum Imaginum tamquam idololatriam reprobauit; & Crucem despexit, quod in ea Saluator occisus sit, quam dæmones ficte timere viderentur. Incruentum sacrificium contempsit; & Eucharistiam esse Dominicam orationem asseruit, ac præter istam reliquas omnes orationes vaniloquia esse. Baptismum Ecclesiæ esse baptismum Ioannis, suum vero esse baptismum Christi: itemque suos omnes concipere Verbum Dei, & parere sicut B. Virgo peperit; ac nullam aliam esse Resurrectionem, præter pœnitentiam, & vitam Euangelicam. Hæc ex Euthymio, & aliis: in quibus ferme omnibus videas ipsum sceleste Basilium suos hodieque sceleestiores habere sectatores.

XIII. QVÆ IN ALEXIO REPREHENDENDA.

Sed vt ad Alexium Imp. redeamus; etsi fuerunt alia pleraque in eo laude digna, quæ recitat Zonaras, nonnullis tamen quæ reprehenduntur vitiis non caruit: quæ Cosmus Patriarcha cum emendare frustra tentasset, maluit se abdicando carere sede, quam eius rapinas excrescentes in ciues videre & pati. At penes Latinos illud valde in eo reprehenditur, quod inuidens gloriæ Francorum, timensque sibi ab eorum armis aduersus Saracenos & Turcas feliciter militantium; primum proditione illis obesse curauit, inde vero contra eos cum Christianæ fidei hostibus fœdus iniit. Ipso porro defuncto, filius eius maior natu CALO IOANNES, sic vulgo dictus à pulchritudine, habenas Imperij moderandas suscepit. Ad quem extat mox scripta Petri *m* Abbatis Cluniacensis epistola, pro restitutione cœnobij Cluniacensium, quod erat Constantinopoli; aliaque eodem argumento ad Patriarcham Constantinopolitanum: quibus videas inter Latinos & Græcos conseruatam hactenus (vt

CALO IOAN. IMPERAT.

m *Pet. Clu. 4. ep. 39. 40. Ap. Baron. an. seq.*

nuper de Alexio diximus) communionem. Quod magis & inde patet, quia eadem epistola Petrus Ioannem suscipit in confratrem & comparticipem omnium spiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacensis, quemadmodum & alij Catholici Principes iam susceptis essent. Cuiusmodi aggregationes ad merita Ordinum & Congregationum, in vsu pariter fuisse eo tempore Cistercienſibus, docet apud S. Bernardum *n* epistola Stephani Abbatis Cistercienſis ad Ludouicum Francorum Regem.

AGGREGATIONES AD MERITA ORDINVM.

n *Bern. ep. 45.*

IESV CHRISTI AN. 1119.

CALLIS. II. AN. 1.

HENRICI IV. 9.

IOAN. COMN. 1.

I. GELASII PP. OBITVS.

ANNO Christi milleſimo centeſimo decimonono, Indictione duodecima, Gelasius Papa (inquit Vrſpergenſis) apud *Viennam* Galliæ SYNODVM congregauit; ac post paucos dies in monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finiuit: pleuriſi correptus, vt Pandulphus ait; qui addit, ipsum post sacramenta percepta, iuxta normam monasticam, strato terræ corpusculo decessisse. Quo quidem post Martyres qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem inueneris, qui breuiori tempore grauiora sit passus, ob idque præclariori fuerit corona donandus. Obiisse autem quarto Calendas Februarij, & ibidem Cluniaci sepultum esse, omnes consentiunt.

II. MORITVRVS AGIT DE SVCCESSORE ELIGENDO.

At vero ante obitum cupiens aliquem sibi succedere, qui in tanto ventorum conflictu nauiculam fluctuantem regere posset, cœpit (præter quidem consuetudinem, sed quod sic videretur eius temporis necessitas postulare) cum his qui aderant Cardinalibus agere vt eligeretur Cono Episcopus Prænestinus; de cuius magnanimitate, & laboribus pro Ecclesia exantlatis, sæpe dictum est superius. Sed eo tantum honorem magnanimius recusante, illumque suo voto in Guidonem Viennensem refundente; designatus est ab omnibus idem Guido absens & omnium ignarus in successorem Gelasij. Narrantur ista in Chronico Beneuentano. Fuit autem Guido natione Francus, Archiepiscopus Viennensis, S. R. E. Cardinalis, longo tempore sub Paschali Papa (vt vidimus) Legatione Apostolica honestissime functus aduersus schismaticos omnes; vir (vt vocat Petrus *a* Cluniacensis) regij sanguinis nobilitate insignis, sed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentia longe insignior, quem & Sugerius appellat, Imperialis & Regiæ celsitudinis deriuatiua consanguinitate generosum. Erat quippe Guillelmi filius, Stephani frater, Burgundiæ Principum; indeque proximo affinitatis gradu, Reges Francorum & Angliæ, ipsumque etiam Imperatorem contingebat. Cui quidem hanc sui electionem fuisse per visum præmonstratam, idem Sugerius est auctor in Ludouico; cum videlicet (vt ait) in somnis proxima nocte vidisset sibi à persona præpotente Lunam sub chlamyde repositam committi, ne causa Ecclesiæ transitu Pontificis periclitaretur. Eius autem visionis veritatem magis magisque perspicuam reddiderunt euenta: siquidem diuturnum bellum ob Jnuestituras conflatum, cedente tandem Jmperatore, ab eodem Pontifice felicissime compressum est. Aduenies porro ipse post obitum Gelasij Cluniacum, & rursum canonice electus, reiecit quantum valuit tantum onus; donec victus aliorum precibus, & vnanimi omnium consensu, inuitus admodum suscepit illud, & appellatus est CALLISTVS eius nominis Secundus. cuius electionem fuisse mox Romæ ab vniuerso Clero populoque Catholico confirmatam, testantur Pandulphus, & auctor Chronici Beneuen-

a *Pet. Clun. lib. 2. cap. 12.*

VISIO DE PONTIFICATV CALLISTI.

CALLISTI PP. II. CREATIO.

tani:

tani: idemque præstitum est (vt tradit Vrspergensis hoc anno) ab vniuersis Episcopis & Proceribus Germaniæ, in collecto tunc aduersus Henricum Imp. generali *Conuentu Tiburiensi*; cui & ipse Imperator tamquam reus interueniens, de pluribus ipsi oppositis satisfactionem promisit, & ad Synodum à Callisto Rhemis indictam pro reconciliatione Ecclesiæ, se accessurum spopondit.

III. CONCIL. RHEM. GENER. PRO PACE ECCL. [Cuius Acta, ab *Hessone S. Iolaste*, qui aderat, conscripta, quorum etiam meminit Vrsperg. an. 1119. nuper promulgauit Seb. Tengnagel. inter Vetera Monumenta contra schismaticos à diuersis exarata.] HENR. IMP. EXCOMMVNICATVR. CONGRESSVS REGIS ANGL. CVM CALLISTO PP.

Fuit porro ista SYNODVS RHEMENSIS celebrata mense Octobri: in qua numeratæ sunt (vt habet Rogerius in Annalibus Anglicanis) personarum pastoralium virgæ quadringentæ viginti quatuor, (Vrspergensis ait interfuisse quadringentos viginti sex Patres) assidente quoque Rege Francorum Ludouico. Henricus autem Imperator non quidem adfuit, vt promiserat; vicinum tamen se exhibens, Legatos primum ab vniuersa Synodo, deinde à Callisto Papa propius ad ipsum accedente, suscepit pro renuntiatione Inuestiturarum Ecclesiasticarum: recusans vero eas deponere, communi omnium Patrum consensu excommunicatus est. Testantur ista Rogerius, atque Sugerius. Recitatque idem Rogerius quinque canones in eadem Synodo conditos aduersus prauitatem simoniacam, Inuestituras laicas, raptores bonorum Ecclesiasticorum, successionem hæreditariam beneficiorum, & incontinentiam clericorum. His autem subiicit ea quæ post Concilium ab eodem Callisto cum Henrico Anglorum Rege, ipsi apud Gisortium occurrente, sunt actitata, tam pro Turstino Archiepiscopo Eboracensi nuper ab ipso Callisto consecrato, (quem idem Pontifex omnino voluit, renitente licet Rege, in Ecclesiam suam recipi absque professione Archiepiscopo Cantuariensi præstanda:) quam de Legatis à Latere nisi petente Rege in Angliam non mittendis. Verum de Legatis non ista simpliciter, sed tantum licita Pontificem Regi concessisse, docent acta cum S. Thoma; de quibus inferius suo loco. Cum & alioqui sæpe posthac visuri simus missos in Angliam Legatos à Latere, & post sex ab hinc annos ipsemet Willelmus Archiepiscopus Cantuariensis Romam petens, susceperit ab Honorio Papa Callisti successore Legationem Apostolicæ Sedis in Anglia & Scotia.

IESV CHRISTI AN. 1120.

CALLIS. II. AN. 2.

HENRICI IV. 10.

IOAN. COMN. 2.

I. PRIMATVS ECCL. VIEN. CONSTITVTVS A PP. CALLIS.

ANNO Christi millesimo centesimo vigesimo, Indictione decimatertia, Callistus Papa Romam cogitans, antequam profectionem aggrederetur, dilectæ suæ Ecclesiæ Viennensis priuilegia antiqua confirmans, nouaque tribuens, inter alia concessit vt super septem prouincias, ipsam nempe Viennensem, Turonicensem, Burdegalensem, Auxitanam, Narbonensem, Aquensem, & Ebredunensem, primatum obtineret, & in eis Archiepiscopus Viennensis Romani Pontificis vices ageret, Synodales conuentus celebraret, & negotia Ecclesiastica canonice definiret: eidemque insuper tamquam Primati suo Archiepiscopus Tarantasiensis subiectus obediret. Cuiusmodi extat *a* hodieque priuilegium, multa alia capita continens, datum Valentiæ quinto Calendas Martij huius anni. Sed & antequam è Gallia recederet, tres saltem dedicasse reperitur Ecclesias, nimirum S. Mauri *b* in Glanofolio, in qua etiam corpora SS. Antonij & Constantiniani, qui in Gallias cum S. Mauro perrexerant, reuerenter posuit: itemque Ecclesiam *c* S. Iuliani; & Ecclesiam *d* S. Antonij Magni, sitam apud montes Desiderij in prouincia Viennensi, tum temporis frequenti populorum concursu celebrem.

a In Bibliotheca Floriac. *b* Pet. diac. Chron. Cassi. lib. 4. cap. 66. Ap. Baron. an. super. *c* Pandul. in Vit. Callist. *d* Hist. Anton. par. 2. cap. 37. 38.

Post hæc autem terrestri itinere Italiam petens, miro vbique applausu, ac præsertim Romæ exceptus est tertio Nonas Iunij: cuius præueniens aduentum Burdinus Antipapa, in munitionem Sutrinam se recepit, ibi expectaturus opem Imperatoris. Narrantur hæc pluribus in M.S. Vaticano Rerum gestarum ipsius Callisti ex Pandulpho. Extatque & hactenus de eiusdem Pontificis occursu, & glorioso in Vrbem ingressu, epistola *Egmonis* Abbatis S. Vdalrici Augustani, Confessoris illustris, qui charitate impulsus Ecclesiæ Augustanæ sub Herimanno Episcopo schismatico laborantis, ipseque ab eo diram persecutionem passus, ad Callistum Pontificem Romam aduentantem se contulit: apud quem rebus ex sententia gestis, in reditu Pisis diem obiit Idibus Iulij: vt eius peregrinationis socius Vdalscalcus enarrat. *f*

II. CALLISTI IN VRBEM ADVENTVS. *e Rec. Baro. annal. Tom. XII. hoc an.*

f Ap. Canis. Tom. II. Antiq. Lect.

Porro Callistus haud diu Romæ permanens, Beneuentum direxit iter & in Apuliam, vt Northmannos ad expugnationem Sutrinæ munitionis hortaretur: vbi & Duci Willelmo, more superiorum Pontificum, Calabriæ & Apuliæ inuestituram concessit; ipse vero willelmus vice stratoris equitanti Pontifici obambulauit. Sed de his, aliisq; rebus in hoc itinere gestis, plura Petrus *g* diaconus, & Romualdus in Chronicis. Memini tq; eiusdem peregrinationis Sugerius Abbas S. Dionysij, dum ait se missum à Rege Galliæ Ludouico pro quibusdam Regni negotiis, eidem Pontifici apud Bitontum occurrisse.

III. CONCEDIT INVESTITVRAM VVILLELMO DVCI. *g Vit. Lud. lib. 4. cap. 10.*

Contigit etiam hoc anno, vt NORBERTVS vir temporis huius fama celeberrimus, qui iam antehac auctoritate Romanorum Pontificum Gelasij & Callisti, munus Euangelij prædicandi acceperat; collectis sociis Regulam S. Augustini obseruandam suscipiens, instituerit ORDINEM, à loco in quem secesserat dictum PRÆMONSTRATENSEM. Quæ pluribus narrat in eius Vita *h* Hugo Abbas. Et in Saxonia *i* fides Catholica propagata est, Deo prodigiis populos terrente, & vicissim in eos qui adhærerent Imperatori schismatico; & inter alios in Fridericum Comitem Palatinum ad inferos (vt reuelatum est) ad pœnas æternas condemnatum.

IV. S. NORBERTVS ORD. PR. MONSTRATENSIS INSTITVTOR. *h Ext. Sur. 6. 1. i Vsperg. an.*

Quod ad res pertinet Orientis, male pugnatum est à Rogerio, qui Principatum Antiochenum sibi iniusto titulo vsurpauerat; cum homo alioqui vita turpissimus, qui in eodem bello interemptus occubuit, hoc diuino munere sit cõsecutus, vt antea confessione peccatorum facta vere pœnitentis specimen ederet. Ita plane renouata in Orientalibus illis præliis noscuntur diuina miracula, vt si cultores essent iustitiæ Principes, nullo ferme negotio de hostibus quamlibet numero viribusque superioribus victores existerent; contra vero vincerentur ab illis, si iniquitas præualeret in ipsis. Interfecto autem Rogerio, Balduinus Hierosolymorum Rex, vna cum Comite Tripolitano, præsio sacratissimo ligno S. Crucis, ingentem de Turcis est victoriam consecutus hoc anno in vigilia Assumptionis S. MARIÆ; post quæ S. CRVX solemni ritu reportata est Hierosolymam die Exaltationis eiusdem. Hæc omnia p'uribus Tyrius *k* qui addit, hoc eodem anno à Patriarcha Hierosolymorum celebratum esse CONCILIVM in ciuitate *Neapoli*; (quæ & Samaria:) ibique pro correctione morum, & conseruanda Ecclesiastica disciplina, statutos esse canones viginti quinque. Nec caruit fructu publica ista correctio; siquidem anno sequenti Turcarum Princeps magno apparatu contra Antiochiam rediens, pugnante Domino apoplexia percussus interiit.

V. ROGERII PRINCIPIS ANTIOCH. EXITVS.

k Tyr. lib. 12. cap. 10. & seqq. CONCIL. PALÆSTINVM.

IESV CHRISTI AN. 1121.

CALLIS. II. AN. 3.

HENRICI IV. 11.

IOAN. COMN. 3.

ANNO Christi millesimo centesimo vigesimo primo, Indictione decimaquarta, Callistus Papa non valens am-

I.

BVRD. ANTIP. CAPITVR, ET ALII TYRANNI COMPRIMVNTVR.

plius ferre tyrannidem Burdini Antipapæ, qua è munitione Sutrina Ecclesiam persequi, peregrinos prædari, & alia nefanda committere non cessaret; collecto Romanorum & Northmannorum exercitu, eumdem obsedit, cepitque: quem milites innumeris maledictis impetitum, & pilosa pelle veruecis pro chlamyde rubea indutum, camelo ex aduerso supposuerunt, data ei in manibus pro freno cauda cameli; & per mediam Vrbem Romam eo modo deductum, (vix eius vitam impetrante Callisto) in Campaniam ad perpetuum carcerem deportarunt. Narrantur ista à Pandulpho, & in scripto codice Vaticano, Vrspergensi, Sugerio, Petro diacono, Willelmo Malmesburiensi, Rogerio, & aliis. Sed & ad pacem perpetuo conseruandam, Callistum turres Cencij Frangipanis, quæ erant præsidia tyrannorum, demolitum esse, domuisseque Comites nonnullos rerum Ecclesiæ inuasores, Pandulphus affirmat.

II.

Sic igitur sublato in Vrbe Antipapæ dedecore & nobilium Romanorum compressa rebellione; in Germania quoq; omnium auctor malorum Henricus Imperator schismaticus, adeo est Adalberti *a* Archiepiscopi Moguntini, Apostolicæ Sedis Legatione fungentis, frequentibus aduersus illum Episcoporum & Principum conuocationibus & commotionibus, atque etiam armorum apparatibus exagitatus; vt tandem coactus cedere, in communi vtriusque partis *Conuentu*, Wirzeburgi in festo S. Michaelis mense Septembris celebrato, pacem firmissimam seruare promiserit; permiseritque vt communi consensu ad eam perficiendam Legatio Romam decerneretur, quatenus indicto per auctoritatem Apostolicam generali Concilio, quæcumq; humano non possent, Spiritus sancti iudicio terminarentur. Delectiq; sunt Legati, Episcopus Spirensis & Abbas Fuldensis, viri inter primos annumerati; de quorum Romam aduentu diceturanno sequenti. Hæc autem omnia Vrspergensis pluribus.

a *Vrsperg. hoc an.*

HENR. IMP. PROMITTIT PACEM.

III.

Moritur hoc item anno S. Erminoldus Abbas monasterij Prufeningensis apud Ratisponam, cuius extant *b* Res preclare gestæ: è quibus illud tantum ad præsentis temporis historiam pertinens egregium facinus attingendum, quod cum aliquando Henricus Imp. illac transiret, ipse Erminoldus omnia monasterij ostia obserari præceperit, ne vel Henrico, eiusve comitibus, excommunicationis vinculo constrictis, vlla introeundi via pateret, districte prohibens nequis egrederetur ad salutationem, exceptionisve aliquam reuerentiam exhibendam: ipse vero ante clausstri septa procedens, ne vel ex fastu aliquo, vel contemptu hoc agere crederetur, Henrico insalutato contestatus est, libenter se illi & officio salutandi, & exceptionis congrua reuerentia honorem exhibiturum regium, si ipsum communione priuatum Apostolicæ Sedis auctoritate nesciret. Quod autem potens sit veritas, non modo Imperator se cohibuit, ne furore percitus faceret, quod facere solent Principes iracundia agitati; sed & alios, nequid molestiæ inferrent eiusdem monasterij Fratribus, regia auctoritate compressit.

ERMINOLDI DIGNVM FACINVS IN HENR. IMP.

b *Ap. Canis. Ant. Lect. Tom. II.*

IESV CHRISTI AN. 1122.

CALLIS. II. AN. 4.

HENRICI IV. 12.

IOAN. COMN. 4.

ANNVS Christi millesimus centesimus vigesimus secundus, Indictionis decimæ quintæ, Deo acceptus extitit ob reuocatam exulem Ecclesiæ pacem. Quo Callistus Papa, tempore Quadragesimæ, Generali ROMÆ apud LATERANVM celebrato CONCILIO, (cui interfuisse trecentos & amplius Episcopos testatur, qui præsens extitit Sugerius *a* Abbas S. Dionysij) imprimis pro restitutione pristinæ disciplinæ, diuturnis Schismaticorum factionibus admodum labefactatæ: decem & septem canones condidit, quorum maximam partem Gratianus in suum Decretum transtulit. *b* Insuper omnibus Hierosolymam proficiscentibus ad subsidium Christianorum illic militantium, concessit suorum remissionem peccatorum: illis vero qui pro eadem Hierosolymitana, vel etiam Hispanica expeditione, cruces sibi in vestibus posuissent, & viam postea dimisissent, præcepit cruces iterato assumere, & intra annum iter perficere, sub pœna excommunicationis in ipsos, & interdicti in eorum terras.

I. CONCIL. GENER. ROMAN. PRO ECCLESIA COMPONENDA.

a *Super. in Vit. Ludou. Reg.*

b *Reliquet descripsit Baron. Annal. Tom. XII. hoc an. ex cod. Vat.*

Post hæc vero auditis in eadem Synodo, Germanorum Præsulum ac Principum Legatis, Episcopo Spirensi & Abbate Fuldensi, de quibus anno superiori; idem Callistus ex eorum petitione Legationem decreuit in Germaniam Lamberto Cardinali Episcopo Ostiensi, & duobus aliis Cardinalibus, ad res cum Imperatore componendas. Qui quidem cum inuenissent animum Imperatoris noua occasione exasperatum ob controuersiam de electione Episcopi Wirzeburgensis; ideoque Conuentus apud eamdem ciuitatem ab ipsis in festo SS. Petri & Pauli celebratus, absque vllo effectu solutus esset, & maiorum paratus fomes incendiorum videretur: tamen eorumdem industria Legatorum rebus in melius reformatis, factus est denuo mense Septembris vniuersalis *Conuentus* apud Vrbem *Vangionum*, quæ nunc Wormatia dicitur: vbi post longum consiliorum certamen, tandem flexo diuinitus, & vltra plurimorum spem, corde Imperatoris ad reddendam Apostolicæ Sedi obedientiam; idem in manus eius Legatorum remisit in perpetuum omne prætentum ius Inuestiturarum Ecclesiasticarum per anulum & baculum, pro quibus tantopere tam ab eo quam ipsius prædecessoribus dimicatum esset; liberamque dimisit Præsulum electionem & consecrationem; & quæcumque bona hactenus ablata, Ecclesiæ Romanæ, aliisque restituit. Legati vero tam illum, quam omnes quicumque ab eo stetissent, nomine Callisti Papæ ab excommunicatione absoluentes, in communionem Ecclesiæ restituerunt, eidemque concesserunt, vt electiones Episcoporum & Abbatum Regni Germanici, in præsentia eius absque vi & simonia fierent, & vt interueniente aliqua inter partes discordia, ipse Metropolitani & Prouincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præberet; itemque vt electi tam prædicti Regni, quam totius Imperij, regalia ab ipso per sceptrum reciperent: exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscerentur. Sicque cunctis prospere compositis, plenissimaque tandem, ingenti omnium gaudio, restituta Ecclesiæ pace, ipse Imperator Legatos proprios cum Legatis Apostolicæ Sedis Romam ad Callistum cum muneribus direxit. Quæ cuncta narrat pluribus Abbas Vrspergensis: extantque eadem ipsa monimenta concessionum vtrimque factarum, quę ille recitat, etiam apud V Willelmum Malmesburiensem.

II. LEGATIO EX CONCILIO IN GERMANIAM.

CONCIL. WORMATIEN.

HENR. IMP. RENVNTIAT INVESTITVRIS, ET ELECTIONIB. EPI.

PAX ECCLESIÆ RESTITVTA.

IESV CHRISTI AN. 1123.

CALLIS. II. AN. 5.

HENRICI IV. 13.

IOAN. COMN. 5.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo tertio, Indictione prima, Callistus Papa (vt habet vetus codex de Romanis Pontificibus scriptus ab auctore eius temporis) Compostellanum Episcopum in honorem S. Iacobi Apostoli illic sepulti, & totius Occidentalis orbis peregrinatione celebris, Metropolitanum constituit, subiiciens ei totam illam prouinciam tunc ob bella Saracenorum penitus desolatam. Fuit enim plane Callistus studiosissimus S. Iacobi Compostellani, adeo vt de eius miraculis volumen ipse confecerit, quorum nonnulla recitat in suo Speculo historiali Vincentius Bellouacensis. Sed & Anglos peregrinos

I. COMPOSTEL. ECCL. METROPOLIS FACTA.

(inquit

a *Malmesbur. de gest. Reg. Angl. lib. 3. Ap. Baron.* PEREGRINATIO COMPOSTEL. GENATA PRO LIMINIB. APOST.

(inquit Willelmus *a* Malmesburiensis) magis ad dictum Sanctum, quam Romam pergere admonuit, pro viæ longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendo commodum, quod haberent qui semel Romam irent.

Quod ad res pertinet Orientis; cum capto à Turcis Balduino Rege Hierosolymorum, luctuosus admodum esset status Christianorum, Dei misericordia factum est, vt inexpectato classis Venetorum aduentu res in meliorem statum collocarentur, victa ab illis Ægyptiorum classe longe nauibus superiori. Vnde magno amore ab indigenis vt liberatores Terræ Sanctæ susceptí, plurimis quoque Hierosolymis sunt priuilegiis aucti. Quorum insuper auxilio, capta est anno sequenti Tyrus inexpugnabilis ciuitas. Hæc omnia pluribus Tyrius. *b* Robertus vero de Monte in Appendice ad Sigebertum anno sequenti, insignem narrat historiam, quæ accidit cum de capto Balduino superbientes Saraceni Christianos in angustias redegissent. Quando (vt ait) ijdem Christiani nihil spei nisi in Deo habentes, exemplo Niniuitarum indicto ieiunio, non hominibus tantum vtriusque sexus, sed etiam pueris, ac lactentibus infantibus, cunctisque animalibus; die pugnæ procedentes vix ter mille milites aduersus quadraginta millia Saracenorum, agmen Christianorum præcedentibus Patriarcha Hierosolymitano cum CRVCE Christi, Pontio Abbate Cluniacensi cum sacra *Lancea*, & Episcopo Bethleemitide cum *Lacte* Beatissimæ *Virginis*, ingentem obtinuerunt victoriam, immisso diuinitus *in hostes* splendore, quo penitus viribus eneruati ad multa millia cæsi sunt, omnibus Christianis incolumibus permanentibus.

II. VENETI BENE MERITI DE TERRA SANCTA.

b *Tyr. lib. 12. cap. 21. & seqq.*

INGENS VICTORIA DIVINITVS OBTENTA DE SARACEN.

Sed & hoc præsenti anno, Ioannis Comneni quinto, (vt scribit Nicetas Choniata) idem Imp. ingentes de Scythis Thraciam inuadentibus, aliisque barbaris, victorias obtinuit ope Dei Genitricis MARIÆ; cuius, in gratiarum actionem, Imaginem *c* magnificentissimo currui triumphali impositam, insigni pompa Constantinopolim reduxit, ipse pedes currum præcedens.

III. BEATISSIMÆ VIRGINIS TRIVMPHVS.

IESV CHRISTI. AN. 1124.

CALLIS. II. AN. 6.

HENRICI IV. 14.

IOAN. COMN. 6.

I. DE APOSTOLATV OTTONIS BAMBERG. AD POMERANOS.

ANNO Christi millesimo centesimo vigesimo quarto, Indictione secunda, *Otto* Episcopus Bambergensis iam antea à Bolizlao Polonorum Duce inuitatus ad conuersionem *Pomeranorum* adhuc Paganorum; (sunt hi populi Slauiæ ita dicti quod iuxta mare sint positi) impetrato à Callisto Papa ad illam Gentem Apostolatu, eamdem prædicatione verbi Dei, Domino cooperante, & sermonem signis & miraculis confirmante, ad Christianam fidem conuertit, meruitque dici *Apostolus Pomeranorum*. Quomodo autem id consecutus sit, narrat pluribus qui res ab eo gestas eius temporis scriptor *a* tribus libris exacte conscripsit. Quod vero Vrspergensis Abbas, eiusdem Ottonis subditus, & rem ipsam oculis intuens, illum hoc ipso anno, & à Callisto Papa eiusmodi Apostolatum suscepisse affirmat; auctor autem vitæ Ottonis totum id tribuit Callisti successori Honorio potuit facile euenisse, vt quod à Callisto concessum fuisset, id ipsum per eius successorem Otto voluerit confirmari. Quibus autem Pomeranos (præter Catholicam fidem, quam eos inuiolatam seruare docuit) sacris ritibus imbuerit, ijdem auctores recensere sigillatim minime prætermiserunt; Deo id volente; ad Nouatorum perfidorum fugillationem. Sed antequam ad Pomeranos proficisceretur, Ecclesiæ suæ Bambergensi, quindecimque monasteriis à se propriis sumptibus erectis, amplas donationes contulit; quas omnes, ipsaque etiam monasteria, confirmatione ac priuilegiis Callisti Papæ muniri curauit. Fuit autem post obitum, ob frequentia eius intercessione edita sanitatum miracula, in numerum Sanctorum relatus à Clemente Papa Tertio, cuius ea de re extat *b* decretum in Chronico Bambergensi.

a *Tom. II. Antiq. Lect. Canis.*

b *Rec. Baron. an. 1189.*

II. CALLISTI PP. OBITVS.

Ad finem autem vergente anno, febre correptus *Callistus* Papa, (vt Pandulphus habet) mortuus est, sepultusque in basilica Lateranensi in festiuitate S. Luciæ virginis: alibi vero dicitur mortuus decimoquarto Calendas Ianuarij, cum sedisset annos quinque, menses decem, & dies aliquot. Cuius quidem memoria summa cum benedictione in Ecclesia Catholica perseuerat, vtpotè sanctissimi Pontificis, cui Deus dederit tam breui tempore adeo gloriosa peragere, Ecclesiamque Imperatorum tyrannide seruitutis iugo depressam vindicare in perpetuam libertatem.

III. DISSENSIO PRO ELECTIONE PONT.

Illo autem defuncto, conuenientes in vnum Cardinales in basilicam S. Ioannis, (licet non sine formidine tyrannidis Frangipanum) vno consensu elegerunt in Pontificem, Theobaldum Cardinalem presbyterum tituli S. Anastasiæ, & *Cœlestinum* appellarunt tamquam cœlitus missum; & quamuis ipso non consentiente electioni, cœptus est cani hymnus *Te Deum laudamus*. At vero nondum hymno dimidiato, Robertus Frangipanis cum suis asseclis Lambertum Cardinalem Episcopum Ostiensem, (qui & ipse cum aliis pro Theobaldi electione hymnum cantabat) Papam acclamauit: vnde maximus ortus est tumultus; sed mox omnibus ad concordiam reductis, Lambertus perstitit Pontifex, dictusque est HONORIVS eius nominis Secundus. Narrat ista pluribus Pandulphus subdiaconus qui aderat: aitque fuisse Lambertum de mediocri plebe Comitatus Bononiensis genitum; bene tamen literarum, ideoque à Paschali Papa receptum, & in Episcopum Velitrensem promotum. Purgauit vero ipse ista, quæ minus canonice in sua electione peracta fuerant; cum (sicut traditur in sæpe citato Vaticano codice de Vitis Pontificum ab auctore eius temporis conscripto, quæ totidem pene verbis narrat Tyrius *c*) post septem dies, nempe vigesima octaua Decembris, in præsentia omnium Cardinalium sponte mitra & manto depositis, Pontificatui renuntiauit. Sed eius perspecta humilitate, prospicientes etiam in posterum Cardinales ne in Ecclesiam Romanam aliquam inducerent nouitatem, quod perperam factum fuerat in melius reformantes, eumdem denuo aduocarunt, & vt legitimum Pontificem adorantes consueram ei obedientiam exhibuerunt. Idque plane magna laude, cum sententia Sanctorum extrema quæque pati quisque inducere debeat in animum, magis quam Catholica scindatur Ecclesia.

HONORII II ELECTIO FIRMATVR.

c *Tyr. lib. 12. ca. 15. inf.*

Hoc eodem anno Ecclesia Hiberniæ florentissima olim, sed postea penitus desolata reddita, iterum restitui cœpit à *S. Malachia*. Cum enim in ipsa primaria illius regionis Ecclesia Ardinacha dicta, mos pessimus (inquit S. Bernardus in eiusdem Sancti Vita) inoluisset quorumdam diabolica ambitione potentum, sedem illam obtentum iri hereditaria successione, nec paterentur Episcopari nisi qui essent de tribu & familia sua; iamque decurrissent in eiusmodi execranda successione quasi generationes quindecim, adeo vt etsi interdum defecissent clerici de sanguine illo, sed Episcopi nunquam, quod etiam vxorati & absque Ordinibus ad sacram illam dignitatem admitterentur; indeque dissolutio disciplinæ, censuræ eneruatio, religionis euacuatio, denique barbaries, immo paganismus quidam inductus sub nomine Christiano, vniuersam Hiberniam occupasset: tandem electo Malachia præstantissimo monachorum in Episcopum Conneretensem, (renitéte licet, & vix inducto ad hoc onus suscipiendum) cessit duritia: quieuit barbaries, & domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correctionem admittere, recipere disciplinam, ac deniq; mutata sunt in melius omnia. Ista ex Bernardo: qui cum Malachiæ electionem factam dicat anno eius ætatis trigesimo, eundemque obiisse ponat anno ætatis quinquagesimo quarto, Redemptoris millesimo centesimo quadragesimo octauo; vtique ipsum præsenti anno electum fuisse oportuit, quem & deinde ciuitate Conneretensi destructa, in ipsam totius

IV. S. MALACHIAS RESTITVIT ECCL. HIBERNIÆ.

V. CONSTIT. AN. IMP. DE BONIS EPISC. DEFVNCT.

Insulæ metropolim Ardinacham translatum esse tradit, & qui inde ei labores creuerint, describit.

Hoc item anno, Indictione secunda, Ioannes Imperator Constantinopolitanus saluberrimam constitutionem edidit aduersus prouinciarum Præsides, vel alios qui defunctorum Episcoporum bona relicta inuaderent: quæ extat in codice Iuris Græcorum.

IESV CHRISTI AN. 1125.

HONOR. II. AN. 1.

HENR. IV. AN. 15.

IOAN COMN. AN. 7.

I. HENR. IMP. ODIŨ IN CIVIT. RHEM.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, Henricus Imperator memor prætentæ iniuriæ, quod in Concilio Rhemensi à Callisto Papa, præsente Ludouico Francorum Rege, magno cum dedecore fuisset excommunicatus; conceptum ab eo tempore odium in Regem Ludouicum, ipsamque ciuitatem Rhemensem, non amplius retinens; consilio Regis Angliæ Henrici, cuius filiam vxorem duxerat, quique Ludouico bellum inferebat, collectum alio prætextu ingentem exercitum eo ducere, eandemque ciuitatem improuiso oppugnare & solo æquare proposuit. Ex quibus agnoscas, qualis fuerit eius pœnitentia post tot sacrilegia perpetrata: vt plane nisi Deum esset tandem expertus vltorem, qui eum hoc anno ab humanis abstulit, grauiora prælia in Catholicam Ecclesiam ab eo excitanda fuisse, quisque facile coniicere possit.

II. OPE SS. MARTYRVM DIONYS. ET SOCIORVM REGNVM FRANCOR. LIBERATVR.

Porro consilio eius detecto, Ludouicus Rex maxime pius ac fortis, & orationibus & armis ei occurrere festinans; delectu indicto, ipse ex recepta in eiusmodi necessitatibus Regni consuetudine, ad Sanctum Dionysium accurrens, eique preces offerens tanquam speciali Galliæ protectori, sacras ipsius ac sociorum Martyrum Reliquias, velut ad defendendum regnum, eius altari superposuit, & Vexillum bellicum ab eodem altari quasi à domini sui manu suscepit, cum & ipse ob Comitatum Vilcassini eiusdem Sancti feudatarius esset. His porro apparatibus territus Imperator, dissimulato consilio suo alio tetendit; magis egens ignominiam defectus, quam se Imperiumque grauissimæ Francorum vltioni subiicere. Habet ista Sugerius Abbas Sancti Dionysij in rebus gestis Ludouici: additque de gratiarum actione, & donis ab eodem Rege oblatis Martyribus; deque pio eiusdem obsequio, dum recondendis sacris illorum reliquiis supposuit humeros lecticis argenteis: atque ad postremum de obitu Imperatoris iuxta veterum assertionem, affirmantium, vsu receptum atque probatum, quod quotiescunque fieret eiusmodi publica expositio Reliquiarum Sanctorum ad periculum aliquod Regni euitandum, eius auctor intra anni periodum vlciscente numine morte mulctatus de medio tolleretur.

III. HENR. IMP. OBITVS. IMPERIVM TRANSLATVM AD SAXONES.

Quod quidem contigit Henrico, dum hoc ipso anno, decimo Calendas Iunij, ex hac vita sublatus est, nulla relicta prole mascula, quæ succederet in Germaniæ regnum. Sicque Dei iusto iudicio defecit Occidentale Imperium à Germanis, cum eo ad impugnandam Ecclesiam sunt abusi; & translatum est ad Saxones, quos inter omnes Germaniæ populos, magno semper animo pro Ecclesiæ Romanæ defensione præcedentibus Imperatoribus schismaticis restitisse, constat ex Vrspergensi, aliisque eius temporis historicis. Opera autem Alberti Archiepiscopi Moguntini, Lotharius Dux Saxonum Regnum accepit, postea vero (vt suo loco dicetur) Imperium. Quem Dodechinus scribit, tertio Calendas Septembris Moguntiæ Regem constitutum, (præsentibus, atque fauentibus Legatis Apostolicæ Sedis, vt Robertus affirmat) Idibus Septembris coronatum esse Aquisgrani à Friderico Archiepiscopo Colonienſi: Legatosque Romam missos ad Honorium Papam pro confirmatione noui Regis. Subdit autem Otto a Frisingensis, Lotharium variis modis exagitasse progeniem Henrici Imperatoris; eique obniti conantes Fridericum & Contadum sororios eiusdem Henrici, excommunicatos fuisse ab Honorio Papa: porro Conradum à fratre ac quibusdam aliis Regem creatum esse, atque à Mediolanensibus honorifice susceptum, vnctumque in Regem Italiæ ab eorum Archiepiscopo Anselmo, quem ideo Summus Pontifex deposuerit.

a Otto Fris. sing. lib. 7. cap. 17.

Hoc etiam anno missus est ab Honorio Legatus in Angliam, Ioannes Cremensis presbyter Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni: à quo mense Septembris celebratum est CONCILIVM *Londoniæ*, cui præter Archiepiscopos Willelmum Cantuarienſem, & Turstanum Eboracensem, interfuerunt viginti alii Episcopi, & Abbates quadraginta: conditique sunt canones decem & septem aduersus clericos simoniacos & fornicarios, itemque de collationibus Ordinum, aliisque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus; qui recitantur ab auctore Appendicis ad Florentium. Adiungunt pariter alii rerum Anglicarum Scriptores de eodem Concilio: & aliqui ipsorum magno cum dedecore res à Ioanne Legato gestas enarrantes, præter simoniæ notam qua eius æstimationem inurunt, adduntillud ignominiosum, quod cum in eodem Concilio sanciuisset canonem aduersus clericos concubinarios, ipse tamen cum eadem die missam celebrasset, post vesperam fuerit cum meretrice deprehensus. Verum cum ista primitus scripta reperiantur ab Henrico Huntidonienſe b, quem inuenimus inique fauere solitum sacrorum ministrorum coniugio, ipsum Archidiaconum; nec nisi ex eius fonte Rogerius, & Matthæus Westmonasterienſis eadem hausisse noscantur: huius vero temporis, quo ea contigisse dicuntur, auctores, Willelmus Malmesburienſis, (haud alioqui assuetus parcere Ecclesiæ Romanæ ministris) atque ibidem diligens auctor qui adiecit appendicem ad Florentium, & adeo exacte de singulis rebus gestis in Concilio Londinensi meminit, perinde ac si eidem interfuisset, huius tantopere euulgati (vt alij volunt) criminis nihil penitus scripserint: sed & Sanctus Bernardus, & alii eius temporis magni nominis viri, Innocentij PP. fautores, constanter omnes defenderint, sicut numerosiorem ita & sanctiorem Cardinalium partem eundem Innocentium elegisse; (quod adeo libere haud dicere potuissent, si tanto scandalo ex præcipuis eorum vnus Ioannes Cremensis Orbem Christianum concussisset:) sintque adhuc alia quæ eandem narrationem infirmare possint; puta quod Matthæus addit Legatum in ea turpitudine deprehensum se excusasse, quod non esset ipse sacerdos, sed sacerdotum corrector; cum tamen iidem ipsi tradant fuisse presbyterum Cardinalem tituli Sancti Chrysogoni, atque ipsa illa die ineruentum sacrificium celebrasse: His, inquam, tot rationibus nemo non videat, certe quidem de eo facto dubitandi, verumne sit, vel sparsa calumnia, vt fieri assolet, saltem locum relictum esse. Cum alioqui nec nos eiusmodi simus, vt proditione veritatis delinquentem quemlibet Ecclesiæ Romanæ ministrum prodere nolimus; nec ipsa sibi hoc vendicet Romana Ecclesia, vt Legatos suos omni carere turpitudine asserat; cum & ipse Deus inter c Angelos suos, & Christus Dominus inter Apostolos à se electos, repererit prauitatem.

IV. CONCIL. LONDON. SVB IOAN. CREM. LEG. A. POST.

ACCVSATIONES IN IOAN. CRE. EXPENDVNTVR.

b Hen. Hũtind. Hist. lib. 7. hoc an.

c Iob. 4.

IESV CHRISTI AN. 1126.

HONOR. II. AN. 2.

IOAN. COMN. AN. 8.

I.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, Honorius Papa duorum præci-

puorum

puorum Orbis Chriſtiani Abbatum, *Caſſinenſis* & *Cluniacenſis*, cauſas cognoſcens, eoſdem lata ſententia condemnauit; expertus nihil in ſuis membris infeſtius Eccleſiam pati, quam Religioſos à paternis inſtitutis deſciſcentes, & more ſæcularium ad gloriam & lucra turpiter inhiantes.

II. CAVSA ABBATIS CASSIN. COGNOSCITVR A SYM. PON.

Quod autem inprimis ad Caſſinenſem pertinet; cum Abbatem Oderiſium Iuniorem Honorius ſuæ exordio ſedis expertus eſſet refractarium, tum quod opem ipſi Pontifici ferre rogatus denegaſſet, tum quod Aquinatum accuſationibus reſponſurus Romam venire recuſaſſet, ac denique vt contumax condemnatus, nihilominus munus Abbatis in contemptum Pontificis exercere non deſtitiſſet: his de cauſis ab eodem Honorio excommunicatus eſt, & à laicis monaſterio pulſus. Electo vero in locum eius Nicolao Tuſculano monacho decano, contradicentibus ſenioribus, nec approbante Pontifice; miſſus eſt ab Honorio Caſſinum Gregorius Cardinalis tituli Sanctorum Apoſtolorum, vt eligeretur Senioretus Capuani monaſterii Præpoſitus. Ipſi vero monachi inducias petentes, maximo ſuo damno experti ſunt, quanto ſatius fuiſſet ſtatim capeſſiſſe mandata Pontificis. Siquidem duo illi Abbates, Oderiſius, & Nicolaus, acerbiſſimo contra ſe inuicem odio concitato, in comparandis vndique militibus omnem monaſterii theſaurum & vaſa ſacra dilapidarunt ac diſperſerunt, & vniuerſam eius ditionem incendiis, ruinis, cædibus deſolarunt. Donec Oderiſio ſera ducto pœnitentia Romam pergente, proſtratoque ad pedes Pontificis Abbatiam in manibus ipſius renuntiante; idem Pontifex Nicolaum pariter deponens, per Matthæum Epiſcopum Albanenſem miſſum eo Legatum, curauit, quem prius propoſuerat, eligendum Senioretum, quem ſciret idoneum ad res monaſterii optime diſponendas, & mores collapſos reſtituendos. Porro iſta omnia fuſius deſcribuntur à Petro *a* diacono Caſſinenſi: quæ quidem inchoata anno ſuperiori, exceſſere limites iſtius.

a Pet. diac. Chron. Caſſin. li. 4. c. 85 & ſeqq.

III. IVDICIVM DE ABBATE CLVN.

At vero cauſa Cluniacenſis Abbatis multo ante inceptа, hoc anno penitus definita eſt: quæ ſic breuiter ſe habet. Defuncto magno illo Sancto Hugone, ſuffectus eſt in locum eius Pontius valde inuenis à monachis Cluniacenſibus, ſpe eius bonæ indolis inductis. Qui per aliquot annos ſatis modeſte conuerſatus, procedente tempore mores mutauit, reſque monaſterii peſſumdare cœpit, & multis ac diuerſis caſibus & cauſis Fratrum pene omnium animos paulatim contra ſe concitauit: cumque fere per decennium res tecta inter eos manſiſſet, peruenit tandem non ſolum ad vicinos, ſed etiam Romam vſque. Quare Pontius indignationis impetum in ſe ipſum retorquens, ad Calliſtum Papam (quem, vt & Gelaſium ipſius deceſſorem, honorifice aliquando Cluniaci ſuſceperat) Romam venit, & fruſtra reſiſtente Calliſto, onere Præfecturæ ſe abdicauit, indeque Hieroſolymam ſemper illic manſurus petiit. At vero poſt triennium conſilio mutato, faſtu turgens affectatæ ſanctitatis, anno ſuperiori è Paleſtina in Gallias rediit, & ſuos hinc inde ſocios ſpargens præcones mendaciorum, qui & miracula ipſi & vitam Angelis æqualem tribuerent; primo ſeduxit plurimos, mox detecto fuco in arma ruens, ſibique prædones aſſocians, Cluniacum inuaſit, monachos vexauit atque diſperſit, ſacra aurea & argentea vaſa, ſanctarumque Reliquiarum thecas immenſi pretij; aliaque omnia profanauit ac rapuit, villas & caſtra monaſterij deprædatus eſt, ac ſibi barbarico more religioſa loca ſubdere moliens, igne & ferro quæ potuit cuncta conſumpſit; denique rapinis rerum, cædibuſque hominum, per conductos auro ſacro milites per plures menſes vbique deſæuiit. Quos tumultus audiens Honorius Papa, miſſo anno ſuperiori Legato Petro Cardinale, Pontium ac Pontianos omnes anathemate damnauit: data vero vtrique parti die ad ſubeundum in præſentia ſua tanti diſſidii iudicium, cum veniens & ipſe Pontius licet inuitus Romam, aliis ſceleribus & illud recens adderet, haud ſe ab aliquo viuentium anathematis vinculo vinciri poſſe, ſolumque eſſe Petrum in cœlis cui hoc liceret; tandem lata ſententia idem vt inuaſor, ſacrilegus, ſchiſmaticus, & excommunicatus, ab omni Eccleſiaſtico honore vel officio in perpetuum depoſitus eſt: qui vix elapſo menſe ibidem Romæ impœnitens deceſſit. Narrat pluribus iſta omnia Petrus *b* tunc Abbas Cluniacenſis, (aduerſus quem tanta Pontius nefanda perpetrauit) nobilis Aquitanus, patria Aruernenſis, vſu rerum peritiſſimus; quia ex militia, quam ſumma gloria miniſtrauerat, Cluniacenſibus ſe addixerat, moribus atque doctrina conſpicuus: ac poſt Hugonem Iuniorem (qui ſuffectus in locum Pontii, cum iſte apud Calliſtum ſe abdicaſſet, menſe quinto ſuæ præfecturæ deceſſerat;) probante eodem Calliſto, Cluniacenſis Abbas creatus eſt. Extatque inſuper Petri Pictauienſis ad eundum Petrum Cluniacenſem inſcriptum victoriæ carmen, quo eiuſdem Pontii hiſtoria deſcribitur.

b Pet. Clun. lib. 2. miracc. c. 12. 13. Ap. Baron. ann. 1122. 1125 & ſequenti. PETRVS VENERABILIS ABB. CLVNIAC.

Ex his autem malis tulit illud Eccleſia Romana compendium, vt ex monachis Cluniacenſibus Matthæum, qui pro defenſione communis eorum cauſæ Romam ad diem condictum aduenerat, virum moribus ſanctiſſimum, & in rebus gerendis prudentiſſimum, acceperit in Cardinalem; dum qualis eſſet ab Honorio cognitus: mox abſoluta cauſa creatus eſt Epiſcopus Albanenſis; nec mora, (vt nuper audiſti) Caſſinum ad conciliandos monachos miſſus. cuius vitam planè mirandam, ipſe qui ſupra Petrus Cluniacenſis Abbas ſcriptis mandauit: de aliis vero eius Legationibus pro Sede Apoſtolica ſuſceptis, & prudentiſſime adminiſtratis, agemus nos inferius ſuis locis.

IV. MATTH. CARDIN. ALBAN. EX MONACHO CLVNIAC.

Hoc eodem anno Sanctus Norbertus (qui anno ſuperiori ad Honorium Papam pergens, quicquid voluiſſet impetrauerat de ſui Ordinis Præmonſtratenſium confirmatione) reuerſus in patriam, mox Antuerpiam vocatus eſt, vt illi Eccleſiæ noui hæreſiarchæ erroribus labefactatæ ſuccurreret. Fuit iſte quidam nomine TANCHELINVS; omnium hominum ſceleratiſſimus, (inquit Hugo eius temporis auctor in Vita *c* ipſius Sancti Norberti) Deique, & omnium Sacramentorum eius totiuſque religionis & Chriſtianæ fidei hoſtis: ita vt miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotum nihil eſſe diceret, & ſacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret. Sequebantur eum circiter tria millia armatorum; nec erat Dux, aut Epiſcopus aut Princeps, qui auderet ei reſiſtere vel occurrere. Cum pretioſo apparatu, in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatis incedebat; verbiſque perſuaſibilibus, & magnis conuiuiorum apparatibus beneuolentiam eorum ad eoſdem ſeducendos exhauriebat. Lotiones eius bibebant, & reliquiarum loco aſportantes recondebant: cumque filias in matrum præſentia, ſponſaſque maritis videntibus corrumperet, opus ſpirituale id eſſe aſſerebat; in tantum vt infelicem ſe diceret, quæ huic coniunctioni nefariæ miſceri non meruiſſet. Hæc de illo Hugo, ſubiiciens de laboribus S. Norberti, & clericorum ab eo illuc miſſorum ad conuellenda peſſima eiuſmodi zizania. Videant autem noſtri temporis Nouatores, quibus præcurſoribus gloriari poſſint, & quos ſe ſuorum dogmatum habere Patriarchas exultent.

V. TANCHELINVS SACRAMENTARIORVM HÆRET. PRÆCVRSOR.

c Ap. Sur. 6. Iunii.

Ceterum haud diſſimilis plane Tanchelino fuit, nec impietate diſpar, PETRVS DE BRVIS; qui his item Honorij Papæ temporibus cognitus, eoſdem ferme errores per annos viginti impie ſeminauit in prouinciis Arelatenſi, Nouempopulana, & aliis contiguis. Aduerſus quem Petrus *d* Cluniacenſis duas præclaras ſcribens epiſtolas ad illarum partium Epiſcopos, egregie confutauit quinque præcipua peruerſi hæretici dogmata; quibus aſſerebat, Baptiſmum nihil prodeſſe paruulis ante intelligibilem ætatem: Templa & Eccleſias eſſe diruendas, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum: Cruces abominationi eſſe debere, atque ſuccendi, quod in eiuſmodi ſigno Chriſtus tam dire occiſus ſit: Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini quoridie offerri in Eccleſia ſolitum, nihil eſſe, neque Deo offerri debere: Sacrificia, Orationes, Eleemoſynas, & alia viuorum pro defunctis Fidelibus ſuffragia & bona opera,

VI. PETRI DE BRVIS HÆRESES ET SACRILEGIA.

d Pet. Clun. li. 1. ep. 1 & 2.

nihil

IGNE COMBVRITVR.

nihil omnino prodesse illis. Hæc Petri nebulonis, æque nostri temporis Nouatorum Patriarchæ, deliramenta. Qui dignum impietate sua finem consecutus, apud S. Ægidium à Fidelibus igne crematus est; ita vlciscente numine nefandissima sceleſtissimi hominis sacrilegia, cum inter alia (vt habet Petrus Cluniacensis) ad inauditam diuinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere instructo, ignem immisisset, pyram fecisset, carnes coxisset, & ipso Passionis Dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente, inuitatis publice ad talem esum populis, comedisset. At quoniam in *Henrico* apostata impia eius hæresis reuixit & magis aucta est, quando & idem Petrus Cluniacensis prædictas duas epistolas scripsit, & S. Bernardus eamdem hæresim scriptis & miraculis potentissime exagitauit; dicetur de eo inferius suo loco.

VII. OBITVS STEPHANI ORD. GRANDIMONT. INSTITVTORIS.

Hoc eodem anno, Idibus Februarij, ex hac vita decessit S. STEPHANVS Aruernensis, Ordinis GRANDIMONTENSIS institutor, paulo ante visitatus à Gregorio & Petro Leonis Cardinalibus Legatis Honorij Papæ in Galliam missis, inter quos post eiusdem Honorij obitum de Papatu schisma fuit. Stephani autem obitum hoc anno contigisse, colligitur ex eius vitæ Actis quæ apud Vincentium *c* descripta leguntur, dum testatur auctor, anno Redemptoris millesimo septuagesimo sexto, ætatis vero suæ trigesimo, eum cœpisse eremum colere, & obiisse octogenarium. Cuius sanctitas pluribus argumentis est declarata, quæ ab eodem auctore narrantur.

c Vincent. Spec. Hist. li. 25. ca. 46. & seqq.

VIII. OBITVS B. GODEFR. WESTPHAL.

Eodemque anno beatus *Godefredus* Westphalus Comes Cappenbergensis, qui vna cum germano suo ad prædicationem S. Norberti sæculum reliquisset; tribus erectis monasteriis, coniuge summo consensu inter moniales professe; post multas tribulationes magna animi constantia toleratas, & perseuerantiam exactissimam in regulari disciplina, ad Deum migrauit die decimatertia Ianuarij, anno suæ ætatis ferme trigesimo. Cuius clara habetur mentio in Vita eiusdem S. Norberti: extantque res præclare ab eo gestæ, scriptis mandatæ à viro religioso eiusdem Ordinis & ætatis, nuper editæ à Nicolao Serario.

IESV CHRISTI AN. 1127.

HONOR. II. AN. 3.

IOAN. COMN. AN. 9.

I. ROGER. SICILIÆ COMES REBELLAT ADVERSVS SED. APOST.

ANNO Christi millesimo centesimo vigesimo septimo, Indictione quinta, mense Iulio, Willelmo Duce Apuliæ & Calabriæ apud Salernum mortuo absque liberis, Rogerius Comes Siciliæ eius patruelis, qui ab eo fuerat hæres institutus, illuc nauigans, ipsius Ducatum sibi sumpsit absque Sedis Apostolicæ auctoritate, nec iurata more maiorum Romano Pontifici fidelitate. Sed & fastidiens Comitis Siciliæ nomen, Ducisque appellationem affectans, cum non valuisset illam ab Honorio Papa missis Legatis impetrare; terras Ecclesiæ, ac ciuitatem Beneuentanam cædibus & direptionibus infestare cœpit. Quapropter Honorius vocatis in auxilium Principe Capuano, aliisque Ecclesiæ Romanæ fidelibus, contra eumdem Rogerium profectus est in Apuliam ob Ecclesiæ iurium defensionem; concessa eis qui in expeditione illa pœnitentes morerentur, peccatorum omnium remissione; dimidiæ vero partis aliis qui non morerentur, confessis pariter & pœnitentibus. Porro detrectante Rogerio pugnam, ideoque Baronibus qui Honorio adhærebant, ad sua se recipientibus; idem mox Rogerius missa Beneuentum ad Pontificem legatione pacis, ligium ei hominium fecit, & iuramentum fidelitatis præstitit, susceptens ab eo per vexillum inuestituram Ducatus Apuliæ: quod contigit anno sequenti. Hæc vero omnia fusius narrantur in Chronico Beneuentano, ab auctore Falcone qui ea oculis spectabat.

IVRAMENTVM PRÆSTAT FIDELITATIS HONORIO PP.

Habetque insuper Chronicon Romualdi Episcopi Salernitani, eumdem Rogerium excommunicatum ab Honorio fuisse, tum quod Ducis nomen inconsulto Romano Pontifice arripuisset, tum etiam quod Episcopos Siciliæ haud permitteret venire Romam.

II. CONCIL. TRECEN. SVB LEGATO SEDIS APOST.

Hoc item anno Matthæus Episcopus Cardinalis Albanensis Legatus in Galliam missus, *Trecis* CONCILIVM celebrauit; in quo comprobata est institutio Ordinis Templariorum, nono videlicet anno (vt ex Tyrio *a* dictum est superius) post primam eius institutionem Hierosolymis factam. Cui Concilio interfuerunt, vt ait, Rhemensis & Senonensis Archiepiscopi cum suffraganeis suis, & duo maximi tunc nominis Abbates Stephanus Cisterciensis, & Bernardus Clarauall nsis; licet iste non sine magno labore euulsus sit è clausiro, vt constat ex ipsius epistola *b* ad eumdem Matthæum Legatum scripta, qua optatæ malæ valetudinis excusatione conatus est illum se magis magisque vrgentem eludere; quippe qui statuisset, nisi maximis vrgentibus necessitatibus, è monasterio non egredi, vt alias scripsit *c* ad Petrum Cardinalem diaconum. Porro tantopere requisita est eius opera, quo Templariis ab eo certa præscriberetur forma viuendi. Cuius etiam extat ad eosdem, de laudibus ipsorum & exaltatione perutilis libellus, eorumdemque præconia texuit Petrus *d* Cluniacensis in epistola ad Euerardum ipsorum Magistrum. Quæ autem præterea gesta sint in eodem Concilio Trecensi, ignoramus: querelas tamen diuersorum illic auditas, significant literæ eiusdem S. Bernardi *e* ad Archiepiscopum Senonensem.

a Tyr. lib. 12. cap. 7.

b Ber. ep. 21.

c Id. ep. 17. S. BERN. FORMAM VIVENDI TEMPLARIIS PRÆSCRIBIT.

d Pet. Clun. 6. ep. 27.

e Ber. ep. 44.

III. EPISCOPI MALE HABITI A REGE FRAN. OB DESERTAM MILITIAM SÆCVL.

Præter hanc autem protraxit à clausiro S. Bernardum alia causa maioris fortasse momenti, cuius occasione fuit ei pugnandum cum Rege Ludouico, ob persecutionem ab eodem Rege illatam primum Episcopo Parisiensi, deinde & Archiepiscopo Senonensi; nec aliam quidem ob causam, (quod mireris) nisi quoniam assuetis antehac Episcopis, aliisque inferioribus clericis, Curiæ Regis assistere, militiamque non tantum palatinam ministerij regij, sed & castrensem bellorum sectari; isti iam in meliorem frugem conuersi, Ecclesias suas repeterent, aliosque à Curia euellere conarentur. Hac igitur de causa sæpe fuit ipsi Bernardo, aliisq; Dei seruis clamandum tum ad Regem, tum ad ipsum Honorium Papam, quem Rex per subreptionem in his decipere conatus esset. Sed hæc plenius cognoscentur ex epistolis *f* tunc ea de re ad diuersos scriptis.

f Id. ep. 42. vsq; ad 52.

IV. *g Append. ad Flor.* CONCIL. WINTON. IN ANGL.

Hoc eodem anno *g* Willelmus Archiepiscopus Cantuariensis (qui anno superiori Romam aduenies, susceperat ab Honorio Legationem in Anglia & Scotia) celebrauit *Wintoniæ* mense Maij generale CONCILIVM; in quo multa sunt salubriter instituta ad restitutionem morum & disciplinæ Ecclesiasticæ; quę singula recensentur in Appendice ad Florentium, eademq; consentientia ijs quæ ante biennium fuissent in Concilio Londonienſi sub Ioanne Cremensi Cardinale statuta.

V. *h Robert. in Append. ad Sigeb. & Hug. in Vit. S. Norb. cap. 40.* S. NORBERTVS CREATVR EPISC. MAGDEBVRG.

Hoc item anno *h* missus est ab eodem Honorio Legatus in Germaniam Gerardus Cardinalis, qui postea fuit Lucius Papa: qui inter alia præclare gesta quæ præstitit, cum inuenisset vacare Ecclesiam Parthenopolitanam, siue Magdeburgensem, curauit in ea eligi Episcopum S. Norbertum Præmonstratensium Ordinis institutorem; qui hoc tempore erat à Domino reuera constitutus accensa lucerna ardens & lucens in Ecclesia; quique iam ante biennium de sua futura in Episcopum electione diuinitus emissum acceperat oraculum.

VI. *i Tyr. lib. 13. cap. 23.*

Quod ad res spectat Orientis; vindicata nobili ciuitate Tyro ab Infidelibus ante annos quatuor, tandem hoc anno *i* primus creatus est eius Archiepiscopus Willelmus natione Anglicus, ex Priore S. Sepulchri. Qui mox pro Pallio in Italiam nauigans, accepit illud ab Honorio Papa: à quo etiam missus est cum eodem Archiepiscopo Legatus in Orientem Ægidius Episcopus Tusculanus, vir eloquens & literis eruditus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 1128.

HONORII II. AN. 4.

IOAN. COMN. AN. 10.

I. AQVIL. ET VENET. PATRIAR. DEPOSITI IN CONC. RAVEN.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo octauo, Indictione sexta, Honorius Pontifex ab expeditione aduersus Rogerium Siciliæ Comitem Romam reuersus, misit Petrum presbyterum Cardinalem tituli Sanctę Anastasiæ *Rauennam*: qui congregata ibi SYNODO, deposuit Aquileiensem & Venetiarum Patriarchas. Hæc in veteri Pontificali. Quæ vero causa interceſſerit illorum condemnationis, non inuenimus. Sub *a* finem autem anni, nempe quarto Calendas Ianuarij, cœpto iam eiusdem Pontificis anno quinto, ipse petitioni annuens regum Daniæ, Suetiæ, & Boemię, ad curanda negocia Ecclesiastica illarum regionum, Legatum è latere suo misit Gregorium de Crescentio S. R. Ecclesiæ diaconum Cardinalem tituli S. Theodori; vt traditur in codice Vaticano.

a Ap. Baron. an. seq.

II. STEPH. PATRIAR. HIEROSOLYMITANVS ECCL. DEFENSOR.

Quo item anno Guarimondus Patriarcha Hierosolymitanus obiit Sidone, eique substitutus est Stephanus Abbas Sancti Iohannis Carnotensis, affinis Balduini Regis, sicut nobilitate, ita & moribus præstans. Qui cum orationis gratia Hierosolymam venisset, & adreditum se accingeret, aduenientе obitu Guarimundi, communi Cleri ac populi consensu in eius locum electus est. Cum autem cœpisset mox agere aduersus ipsum Regem pro iuribus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, non dum completo biennio, veneno (vt creditum est) decessit. Hæc pluribus Tyrius *b*.

b Tyr. li. 13. cap. 25.

IESV CHRISTI. AN. 1129.

HONORII II. AN. 5.

IOAN. COMN. AN. 11.

I. DEPOSITIO QVORVNDAM EPISC.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo nono, Indictione septima, ipse quem diximus, Matthæus S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis, Legatione fungēs in Galliis, deposuit Henricum Episcopum Virdunensem. Idenim tradit Dodechinus hoc anno: qui etiam asserit, Halberstadensem Episcopum à suis canonicis accusatum, æque fuisse ab Apostolicæ Sedis Legato depositum. Est vero etiam mentio de Virdunensi Episcopo in ordinem redacto apud Sanctum Bernardum *a*; quod ab illa Ecclesia deiectus conatus sit inuadere Catalaunensem nuper vacantem. Ad quod auertendum periculum, idem S. Bernardus *b* scribens ad Honorium Papam, rogauit illum pro confirmatione Alberici viri probatissimi, in cuius electionem vniuersus Clerus & populus conuenissent.

a Bern. ep. 48. ad Haimer. Cancel.
b Id. ep. 13.

IESV CHRISTI AN. 1130.

INNOCENTII II. AN. 1.

IOAN. COMN. AN. 12.

I. HONORII PP. OBITVS.

ANno Christi millesimo centesimo trigesimo, Indictione octaua, decimosexto Calendas Martij, *Honorius* Papa ex hac vita migrauit Romæ in monasterio S. Andreæ, sepultusque est in basilica Saluatoris Lateranensi: cum sedisset annos quinque, mensem vnum, & dies septendecim. Post quem non vacauit Sedes; sed eadem plane die (vt est in Chronico Beneuentano) successor conclamatus est INNOCENTIVS eius pariter nominis Secundus, antea Gregorius dictus, S. Romanæ Ecclesiæ diaconus Cardinalis tituli S. Angeli, patria Romanus, nobili familia ortus, & olim professione monachus. Post eum vero die ipso electus est ab aliis aduersus illum Petrus Leonis presbyter Cardinalis Tituli S. Mariæ trans Tiberim, & *Anacletus* Secundus nominatus. Hæc ibi de tempore. De modo vero Sugerius Abbas S. Dionysij in Vita Ludouici Regis ait; cum Ecclesiæ Romanæ maiores & sapientiores consensissent, apud S. Marcum, & non alibi, nec nisi communiter celebrem fieri electionem; tamen qui assiduitate & familiaritate propinquiores Honorio fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc conuenire non audentes, antequam publicaretur eius decessus, elegisse Innocentium: qui autem Petri Leonis parti fauerent, ad S. Marcum pro pacto conuenientes, Pontificis morte comperta, eundem Petrum multorum & Episcoporum, & Cardinalium, & Clericorum, & Romanorum nobilium consensu, serius elegisse. Sed quænam istarum electionum potioribus viribus niteretur, videndum.

INNOCENTII II ELECTIO.

ANACL. ANTIPAP.

II. QVALIS FVERIT ANACL.

Ac primo, licet *Anacletus* iste penes aliquos laudatus inueniatur, vtpote qui olim in Cluniacensi cœnobio monasticum vitæ artipuisset institutum, sicut etiam testantur eius literæ *a* ad Cluniacenses postea datæ, & Petrus *b* Abbas Cluniacensis in epistola ad Haimericum Cancellarium tradit: tamen à teste fideli Sancto Bernardo, in persona Ducis Burgundiæ ad Willelmum Comitem Pictauiensem, asseritur adeo pessime apud omnes vbique audisse, vt nec vnius dignus haberetur viculi potestate. Qui quidem mox vt electus à suis est, (inquit eius temporis scriptor *Anonymus* in codice Vaticano) non ponens Deum adiutorem sibi, sed sperans in multitudine diuitiarum, in potentia parentum, in fortitudine munitionum, hostiliter fecit aggredi domos Frangipanum, in quas Innocentius se receperat: cumque non potuisset aduersus eos præualere, indignatione & ira commotus ad Sanctum Petrum equitans, ipsam quam cepit Ecclesiam, per violentiam introiuit, & per Sanctuarium & aureum Crucifixum pendentes coronas, cum toto thesauro argenti & auri, atque gemmis quas Romani Pontifices Orthodoxique Imperatores in Ecclesia obtulerant, sacrilege auferre, & Ciborium quod super altare erat detruncare præsumpsit: sublatisque omnibus ad Patriarchium Beatæ Mariæ accessit, & Ecclesiam ipsam multo maiori thesauro dotatam expoliauit; ac pariter ad alias Ecclesias manus extendens, quicquid in eis pretiosum inuenit, rapuit & asportauit: hisque maiorem venalis Vibis partem emere studens, corruptum vulgus ita sibi adstrinxit, vt præter Frangipanum & Corsiorum munitiones, Papa Innocentius nullum in Vibe subsidium haberet. Quare cum ita vndique obsessus esset Innocentius, vt nemo ad eum sine vitæ periculo posset accedere; consilium iniens recipiendi se in Gallias, conscensa naui eo tetendit. Hæc ille auctor.

a Ret. Bar. Annal. Tō. XII. hoc an.
b Pet. Clun. 3. ep. 64.

DEPRÆDATVR ECCLESIAS VRBIS

III. Cui consentiens, eodem tempore viuens sanctissimus vir Bernardus Abbas Bonæuallis, in principio libri secundi Vitæ Sancti Bernardi Clarævallensis, ait ipsi Petro Leonis, dicto *Anacleto*, tam propria generis auctoritate, quam adhærentium sibi affinitate, multitudinem tantam adfuisse, vt fere tota eum ciuitas sequeretur, vel pecunia vel commodis obligata: quippe præter opes innumeras, quas vel ex Curiæ exactionibus, vel ex Legationum negotiationibus congregasset, præterque paterni census amplam congeriem; his omnibus erogatis in venalem plebem, vt ad fas, & nefas eam armaret, cum nec illa sufficerent, iam donaria Regum in ornamentis Ecclesiæ ab ipsis euulsisse altaribus; & cum calices frangere, ac Crucifixos aureos membratim diuidere, ipsi profani Christiani vel timerent vel erubescerent, quæsitos esse Iudæos, qui sacra vasa & Imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Cumque post hæc quotidianis congressibus partem Innocentij maledictis infectarentur & gladiis, seruos Dei consilio inito, quia via humana se tueri non poterant, cedere

elegisse,

elegisse,& procuratis clam nauigiis,de ore Leonis & de manu bestiæ per Tiberim in Tyrrhenum mare elapsos esse.Hæc ille.Quæ eadem improperauit postea S.Bernardus *c* scribens ad Romanos, cum ab iis Vrbe pulsus esset Eugenius Papa; reuocans in memoriam,quomodo paulo ante (nempe hoc tempore)cunctarum quæ in Vrbe essent Ecclesiarum omnis ornatus & census profligatus fuisset;quicquid in altaribus& in altarium vasis, quicquid in ipsis sacris *I*maginibus auri & argenti reperiri potuisset, manibus impiorum direptum & asportatum esset. Denique (vt idem *d* ait alibi) cernebatur tunc abominatio stare in loco sancto, dum incenderetur igni sanctuarium Dei, & Anacletus persequens *I*nnocentium, persequeretur cum eo omnem innocentiam. Quem locum cum præsentis temporis Nouatores vsurpent ad probandum Romanum Pontificem esse Antichristum; næ ipsi plane delirant, nescientes, seu potius nescire dissimulantes, non ista Bernardum de legitimo Rom. Pontifice locutum esse,sed de schismatico, cum ipsum legitimum *I*nnocentium non Antichristum,sed vere Christi Vicarium,immo& Christum ibidem appellet? Ex eorum enim operibus(præter alias electionis circumstantias) perfacile erat cuique intelligere, quis legitimus,quis vero spurius esset Papa;quis pastor,quisque fur & latro.

IV. Cuiusnam autem essent potiora iura,ex eodem S.Bernardo abunde cognoscitur; dum inter alia plurima quæ de iisdem sæpissime repetiit, ad Episcopos Aquitaniæ scribens *e*, Anacletum vocat hominem peccati, qui super electum à Catholicis Catholicum & canonice, locum sanctum inuasit armis, igne, pecunia, non vitæ vel virtutum merito ad eum peruenit: nam illam quam iactaret iuratorum suorum non electionem, sed factionem, vmbram tantum fuisse & occasionem, & velamentum malitiæ eius. De *I*nnocentio vero tradit *f*, eum electione meliorum, approbatione plurium, & quod his efficacius est, morum apud omnes commendatione, Summum Pontificem confirmari: siquidem eius vita *g* vel fama nec æmulum timeret, cum alterius nec ab amico tuta esset: Electum autem fuisse à parte saniore,tam Episcopis quam Cardinalibus diaconis, siue presbyteris, & quorum maxime interesset de electione Summi Pontificis, & quanti in eligendo iuxta patrum scita suffiicerent: Denique stare sententiam Ecclesiasticam & authenticam,Post primam electionem non esse secundam; ac proinde celebrata prima, quæ secundo præsumpta esset, non esse secundam,sed nullam: Et quamuis quid minus forte solemniter, minusve ordinabiliter processisset in ea quæ præcessit; haud tamen præsumi debuisse alteram, nisi priore prius discussa ratione, cassata iudicio. Hæc, & alia Sanctus Bernardus: quibus consentiunt quæ de vtriusque electione referuntur à citatis nuper, aliisque eorum temporum Scriptoribus.

V. ANACLETI PSEVDO CONCILIVM. At verò Anacletus cum iam solus potiretur Vrbe, inter alias functiones quibus apparere Pontifex voluit, celebrauit ibidē CONCILIVM ex sibi cohærentib. Episcopis;quo solemni ritu excommunicauit *I*nnocentium,&qui illum creauerant, vel venerarentur vt Papam; deposuitque omnes sibi contradicentes, aliis in eorundem locum suffectis. Sed & ne turpissimus, vti erat, à ceteris Ecclesiæ pastoribus, & Christianis Principibus haberetur; larvam imposuit monstro,vt quod esset horrendum visu, simulatione superinducta videretur pulchrum.Reperiuntur *h* enim plurimæ tam ipsius,quam aliorum suæ factionis hominum pro ipso scriptæ literæ ad Reges Germaniæ,Franciæ,& Hierosolymorum,Episcoposque,& alios in eorum regnis existentes; quibus per sexcenta impudentissima mendacia,conatus est illos ad suas partes allicere; mittens ad hæc in vniuersum Orbem Legatos suos,qui pietatem eius ac iustitiam prædicarent: idque ipsum apud *I*mperatorem Constantinopolitanum,& Patriarchas Orientales conatum esse, testantur ipsius ad alios scriptæ eodem argumento epistolæ. Sed quam hæc omnia frustra fuerint, (quamuis numerositatem & ipse iactaret) cum alia quæ dicentur inferius demonstrabunt,tum breuiter docet S. Bernardus *i* in epistola ad Gaufredum; vbi numerans Reges *I*nnocentio inhærentes,ait Alemanniæ, Franciæ, Angliæ,Scotiæ,Hispaniarum & Hierosolymorum Reges, cum vniuerso Clero & populis suis adhæsisse *I*nnocentio, tamquam filios patri,& capiti membra: Ac rursum scribens *k* ad Episcopos Aquitaniæ,inter alia asserit, Tusciæ, Campaniæ, Longobardiæ,Germaniæ & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hispaniarum omnium, necnon & vniuersæ Orientis Ecclesiæ tam Archiepiscopos quam Episcopos, omnes vnanimes,non conductos pecunia, non seductos fallacia, non illectos priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulsos potentiæ sæcularis, sed Dei voluntatem sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes, Petrum Leonis (Anacletum dictum)ingenue refutasse,ac secure Gregorium in Papam *I*nnocentium suscepisse.

VI. Quamobrem cum euanescere omnes conatus suos Anacletus intelligeret, aliam aggrediens viam nundinatione regiæ dignitatis aliquem Christianorum Principum communicationi suæ adiungere quæsiuit. *I*nuentusque est Rogerius Siciliæ atque Calabriæ Dux,quem eo mercimonio ad se attraxit;vt scribit Petrus *l* diaconus Casinensis. Sicut & Beneuentanum Chronicon à nobis sæpe citatū,in quo per singulos annos ab auctore eius tēporis res gestæ narrantur, asserit Anacletum hoc eodem anno petiisse Beneuentum, indeque Aiellinam concedentem, cum prædicto Rogerio stabilisse, vt eum Regem coronaret Siciliæ. Asseruatur vero hactenus in Vaticana Bibliotheca ipsum diploma *m* eiusdem Anacleti,sed multipliciter decurtatum, de titulo Regio impertito Rogerio, ipsiusque heredibus pro Sicilia, Calabria, & Apulia, aliisque terris quas possideret, sub censu annuo sexcentorum schifatorum Romanæ Ecclesiæ persoluendorum; datum ipsum quinto Calendas Octobris, *I*ndictione nona, anno Dominicæ *I*ncarnationis millesimo centesimo trigesimo, ipsius Anacleti primo. Quo eodem anno (vt Chronicon habet)idem Anacletus Cardinalem suum nominē Comitem, ad Ducem in Siciliam direxit, qui eum in die Natiuitatis Domini in ciuitate Panormitana Regem coronauit.

VII. AVCTOR IMPIÆ MONARCHIÆ SICVLÆ. Quænam autem vna cum Regis titulo Anacletus ei tribuerit vt ipsum demereret, idem qui supra Petrus diaconus, qui tunc viuebat,& his omnibus facile potuit interesse,narrat; nimirum præcepisse vt Episcopi & Abbates qui in eius ditionis solo manerent,ei obtemperarent. Ex quibus videas, quod iam superius ostendimus, exordium *Siculæ Monarchiæ* non ab Vibano Secundo, vt ex falsatis eius literis aliqui deducere conati sunt, sed à pseudopapa schismatico Anacleto processisse. Porro derisit Sanctus Bernardus eiusmodi studia Anacleti, cum ex persona Ducis Burgundiæ ad Comitem Pictauiensem,ait *n* Ducem Apuliæ solum ex Principibus ei adhæsisse, ipsumque vsurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum. Quodque non esset schismatici Papæ ista præstare, hinc est quod idem Sanctus *o* ad Ianuenses & Pisanos scribens, & pluribus ad Lotharium *I*mperatorem, eundem Rogerium non Regem, sed Tyrannum Siculum nominat, & Vsurpatorem atque inuasorem coronæ Regiæ. Verum quem eo modo male collatum sumpsit Dux Apuliæ titulum, nunquam deserere voluit; cuius causa aduersus Romanam Ecclesiam contigit sæpe bello certare, cogi vero Romanos Pontifices præstare legitime quod nefarie præsumpserat Antipapa. Sed de his suo loco dicendum.

VIII. INNOC. RECIPIT SE IN GALLIAM. Iam vero relicto eodem pseudopapa, ad Catholicum redeamus Pontificem Innocentium; quem vna cum suis ab Vrbe fugientem in Gallias reliquimus. Qui quidem ad Sanctum Ægidium appellens, (vt habent citata superius Acta) inde *Clarom.onten.* petiit, atque ibi CONCILIVM celebrauit. Sed præuenerat iam antea zelus pietatis ac veritatis Episcoporum illarum partium. Etenim complures conuenientes *Anicij*, anathemate damnasse Antipapam Petrum Leonis, traditur à Guidone Priore Carthusiæ, eius temporis scriptore, in Vita *p* Sancti Hugonis Episcopi Gratianopolitani; quem & ait nullo habito respectu veteris amicitiæ, quæ intercesserat inter ipsum & Petrum Leonis, licet morbis & ætate consumptum, zelo domus Dei ductum perrexisse Anicium, vt cum aliis Episcopis eumdem excommunicaret schismaticum: eamque excommunicationem, propter auctoritatem tanti viri,contulisse multum & profectum Catholicis,& detrimentum Schismaticis.

Cum autem Innocentius tutum & approbatum (inquit

Sugerius

c Bern. Ep. 242.

d Id.ep.124.

DICTVS ANTICHRISTVS.

e Id.ep. 126

f Ep.124. INNOCENTII POTIORA IVRA. *g d. ep. 126.*

h Rer. Bar. Tom.XII. hoc an.nunquam antea vsus ex cod. Casin. MENDACIIS REM AGIT APVD PRINCIPES.

i Ber ep 225 PARS INNOCENTII LONGE NVMEROSIOR

k Id.ep.125

l Pet.diac. Chron. Cassin. l.4.c.99 ANACLETVS TITVLVM REGIVM IMPERTIT ROGERIO SICVLO.

m Rec. Bar. Annal.To. XII. hoc an.

n Bern.ep. 127

o Id.ep.129 130.139. 140.

p Ap. Sur. 1. April. ANACL. EXCOMMVNICATVS PRIMVM CONVERTV ANICIEN.

Sugerius *q* Abbas S. Dionysii, tum ista spectans atque scribens) eligens personæ Ecclesiæ post Domini defensionis asylum, Ludouicum Regem Francorum; Nuntiis ad eum destinatis, personæ Ecclesiæ opitulari efflagitasset; Rex cito CONCILIO Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & religiosorum virorum *Stampis* conuocato, eorum consilio tam de persona quam de electione inuestigans, assensum electioni Innocentii præbuit, & eum deinceps protegere promisit. Cumque & susceptionis & obsequii primitias per ipsum Sugerium ei tum Cluniaci existenti obtulisset, mox ipse eidem ad S. Benedictum super Ligerim cum Regina & filiis occurrens, nobilem verticem tanquam ad Sepulchrum S. Petri inclinans, pedibus eius procubuit, Catholicumque affectum, & deuoti seruitii effectum ei & Ecclesiæ promisit. Cuius exemplo & Rex Angliæ Henricus eidem Pontifici Carnotum occurrens, deuotissime pedibus eius prostratus, sui, suorumque susceptionem, & obedientiæ filialis promisit plenitudinem. Hæc Sugerius. Eadem ferme Bernardus *r* Abbas, qui res gestas S. Bernardi accurate conscripsit: addit que, Lotharium quoque Germaniæ Regem, atque eius Episcopos, scripsisse ad Innocentium, deprecantes, vt ad eos transiens suam eis desideratam exhiberet præsentiam. Præmisisse enim trans montes Innocentium mox ab ortu schismatis Legatum Matthæum Cardinalem Episcopum Albanensem, summæ probitatis & industriæ virum, qui rei gestæ veritatem cunctis significaret; docet Petrus *s* Abbas Cluniacensis in eius Rebus gestis, dum ait Innocentium totam Galliam (excepta parte Aquitaniæ) Hispaniam, Angliam, Germaniam, studio præcipue Matthæi sibi vniuisse.

Verum, quod ad eos spectat, qui pro Innocentio laborarunt; tradit Bernardus Abbas, cum & ipse S. Bernardus ad Concilium Stampense accersitus aduenisset, ac celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fusis, Rex & Episcopi vno omnium consilio in ipsum causæ definitionem refudissent; illum diligenter prosecutum electionis ordinem, electorumque merita, suscipiendum esse Innocentium pronûtiasse, idque ratum esse omnes pariter acclamasse. Hæc Bernardus: eademque Theobaldus in Vita *t* S. Willelmi Aquitanici. Post hæc vero idem S. Bernardus, tanquam à Deo parata tuba cœlestis, magno sonitu perstrepens, siue literis, siue sermone, aduersus schismaticos pro Catholico Pontifice circumquaque in Galliis afflatu Sancti Spiritus intonuit bellum. Quod enim ad epistolas attinet; extant plurimæ de his ab eo ad diuersos scriptæ, in quibus & Catholicos hortatur ad perseuerantiam, & Schismaticos ad resipiscentiam; cum & ad Episcopos Aquitaniæ prolixe scribens *u*, inter plurimas alias rationes docet, iudicio quoque Dei declaratum esse Innocentium legitimum Pontificem; dum qui tunc essent per vniuersas prouincias in Ecclesia præstantiores sanctitate viri (quos enumerat) omnes recepissent illum, & recipiendum esse aliis prædicarent: subiicitque de Christianis populis, & monachorum Ordinibus, atque Principibus Innocentio inhærentibus.

Præter literas vero, egit & præsens causam Catholicæ vnionis. Siquidem ab eodem Innocentio Legationem suscepit, vna cum Iosseno Suessionensi Episcopo, ad Willelmum Comitem Pictauiensem ac Ducem Aquitaniæ, in transuersum actum per Gerardum Engolismensem Episcopum: qui cum ambitione æstuans *x* Legationem Galliarum postulasset ab Innocentio, cui ab initio inhæsit, nec obtinuisset, resiliens ab illo transiit ad Anacletum; à quo Legationem emit commercio consensionis in eius prauitatem, & quos cumque potuit ad eius partes allexit, alios autem maledictis incessit. Ad hunc igitur pseudolegatum, simul & ad Willelmum Ducem missus vna cum Iosseno Bernardus, cum Pictauium venissent, nihil tamen proficere potuerunt: quinimo animati & armati ad insaniam à Gerardo clerici, publice ex eo tempore persecutionem Catholicis intentarunt: adeo, vt cum priusquam sic eorum obfirmata fuisset perfidia, obtulisset Bernardus in eorum Ecclesia sacrificium Deo; post eius discessum Decanus altare in quo diuina mysteria celebrarat, impie confregerit. Sed non impune: quippe diabolus cui traditus est, eum extinxit, & pestilentem animam in infernum demersit. Sicut & Archipresbyter, qui Synodum schismaticorum denuntiabat, à que à diabolo correptus est: & in alios multos qui in Schismate illo feruentiores essent, manus diuina manifestam exercuit vindictam. Narrat ista Bernardus *y* Abbas. Quomodo vero iterata Legatione Willelmum Ducem conueniens S. Bernardus, eum manus dare compulerit, dicetur infernus suo loco.

Modo autem ex Willelmo *z* Malmesburiensi Bibliothecario, res sui temporis scribente, illud non omittendum, fuisse hunc Willelmum Ducem tantæ potentiæ, vt in Terram Sanctam duxerit exercitum sexaginta millium equitum & multo plurium peditum: (videlicet secunda in Palæstinam expeditione, cuius ipse princeps *a* extitit & cotyphæus:) tursus vero, adeo fuisse intemperantiæ & omnium vitiorum sordibus inquinatum, vt gloriaretur cum malefaceret, & exultaret in rebus pessimis, cuncta condiens malefacta salibus nugarum & facetiarum. Quid autem inter Petrum Pictauiensem Episcopum virum sanctissimum, atque ipsum aliquando intercesserit narrans, ait, cum Petrus eum liberius argueret, & detectantem palam excommunicare inciperet, illum præcipiti furore percitum crinem Antistitis inuolasse, strictumque mucronem vibrantem, *Iam*, exclamasse, *morieris, nisi me absolueris:* Ium Præsulem timore simulato inducias petentem loquendi quod reliquum erat excommunicationis fidenter perorasse; ita Willelmum à Christianitate suspendendo, vt nec cum aliquo communicari, nec etiam loqui auderet, nisi mature resipisceret: Itaque officio suo peracto, martyrium sitientem collum protendisse, *Feri*, inquientem, *Feri*. At Willelmum refractiorem, consueto lepore intulisse, *Tantum te odio, vt nec te meo digner odio; nec cœlum vnquam intrabis mea manus ministerio:* Verumtamen post modicum vt pereo meretriculæ intectum sibilo, incesti dissuasorem Petrum detulisse exilio: Vbi cum beato fine concluſus, frequentibus & magnis miraculis innueret mundo quam gloriose viueret in cœlo; his auditis Willelmum, dicacitate solite professum esse, pœnitere se, quod non ei iamdudum mortem accelerasset, vt ipsi anima sancta grates haberet potissimum, cuius furore cœleste mercata esset commodum. Hæc auctor de Willelmo, ante Innocentii Papæ tempora. Nam Historiam illam suam de Gestis Regum Anglorum, in qua hæc interuit, nonnisi ad Callisti Papæ Secundi tempora perduxit.

Quod ad res pertinet Orientis; dum Christiani Principes aucti nouis viribus Orbis Occidentalis, confidentes in potentia virtutis suæ, cum magno apparatu obsiderent Damascum, ab eo qui exaltat humiles & dispergit superbos, de cœlo pugnatum est contra eos, nebulis, imbribus, ventis; vnde coacti sunt re infecta, sed malis ipsi confecti, ad propria remeare. Rem gestam, memorabilemque, Willelmus *b* Tyrius descripsit. Post quam admodum deploratam, subiecit de obitu Stephani Patriarchæ Hierosolymitani, & subrogatione *Willelmi* Belgæ Mechlinia oriundi.

q Suger. in Vit. Ludou. Cras. CONCIL. STAMP. PRO RECEPTIONE INNOC.

REGES FR. ET ANGL. OCCVRRVNT INNOC.

r Vit. S. Bern. lib. 2. c. 3.

LOTHAR. REX GERMAN. RECIPIT INNOC.

s Pet. Clun. lib. 2. mirac. c. 14.

X.

S. BERN. FORTITER AGIT PRO INNOC.

t Ext. ap. Sur. 10. Feb.

u Bern. ep. 126. VIRI SANCTI VBIQVE RECIPIVNT INNOC.

XI.

x Bern. lib. GERAR. ENGOLIS. LEGATVS ANTIPAP. PERSECVTIONEM EXCITAT IN CATH.

DEVS SIGNIS CONFVNDIT SCHISMATICOS.

y Vit. S. Bern. l. 2. c. 6.

XII.

z Malmesb. Histor. de Will. Sec. lib. 4. & 5. WILLELMI DVC. AQVIT. VITA, ET POTENTIA.

a Tyr. lib. 10. c. 12. & 19.

S. PETRI EPISC. PICTAVIEN. CERTAMEN CVM EO.

XIII.

REPVLSI DIVINITVS CHRISTIANI AB OBSIDIONE DAMASCI.

b Tyr. lib. 13. c. 26.

IESV CHRISTI AN. 1131.

INNOC. II. AN. 2.

IOAN. COMN. 13.

ANno Christi millesimo centesimo trigesimo primo, Indictione nona, (vt habet codex Vaticanus, vbi per annos singulos Innocentii res gestæ scribuntur) idem Pontifex *Rhemis* in Gallia CONCILIVM celebrauit: quod quidem celeberrimum fuisse, atque ei interfuisse Archiepiscopos & Episcopos Francos, Teutonicos, Aquitanos, Anglos, Hispanos, tradit Sugerius *a* Abbas S. Dionysii, dum agit de vnctione & coronatione Regis Ludouici eius nominis Septimi adhuc pueri, quam ad euitandos æmulorum tumultus, ipsius pater Ludouicus Crassus in eodem Concilio ab Innocentio fieri postulauit; cum paulo ante ipsius primogenitus Philippus infelici casu extinctus esset, dum videlicet perterrefactus equus cui insidebat porco obuio, eundem adolescentulum deiecisset in terram, desuper ipsum equo ruente. In eodem quoque Concilio promulgatam fuisse ex-

I CONCIL. RHEM. SP. INNOC. P.

a Sugerius Vit. Lud. 6. Cras.

communicationem in Petrum Leonis Antipapam, traditur in Rebus a gestis S. Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi, qui vna cum cæteris Antistitib. interfuit. Estque item mentio eiusdem Concilii in Vita c S. Bernardi, qui & ipse adfuit, cum eum à se separari Pontifex non pateretur; atque in eo multa ad honorem Dei disposita fuisse traditur: sed quænam ea fuerint, præterea dicta non reperitur, quod perierint eius acta. Extant tamen duo Sermones apud eundem S. Bernardum habiti i Rhemensi Concilio in præsentia Papæ, alter ad Clericos, ad Episcopos alter; cum tamen potius in Episcopos dicti esse reperiatur, quorum vita haud esset consentiens dignitati: quos quidem S. Bernardi nomine vulgatos, & inter eius scripta recensitos, alterius tamen potius auctoris esse admonuit censura recentior.

ANACL. ANTIP. EXCOMMVNICATVR.

a *Ep. Sur. ad ann. Tom. 6.*

b *ep. 317.*

c *Vit. S. Bern. lib. 2. c. 1.*

II.

Post Rhemense Concilium Innocentius Leodium profectus, Lotharium Germaniæ Regem sibi occurrentem inuenit; vt eundem Bernardus d Abbas testatur: sed Sugerius id ante Rhemense Concilium accidisse tradit; atque in eo occursu Lotharium in platea ante Episcopalem Ecclesiam humiliter se ipsum stratorem obtulisse, atque alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi Pontificis accepisse, eumdemque tanquam Dominum deduxisse, ac descendentem sub brachiando deportasse. Verum (prout Bernardus addit) velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem Rex tempus se habere reputans opportunum, importune instigit Episcoporum sibi restitui Inuestituras, quas ab eius decessore Henrico Imp. per maximos labores & multa pericula Romana Ecclesia vendicarat. Ad quam petitionem expauescentibus Romanis murum se opposuit sanctus Bernardus, qui audacter Regi resistens, verbum malignum mira libertate redarguit, ac mira auctoritate compescuit. Hæc Bernardus in Vita eiusdem Sancti: ex quibus videas apertissimi redargui mendacii Petrum Diaconum Cassinensem, qui aduersus Catholicum Papam Innocentium vna cum suis Cassinatibus pro schismatico Anacleto steterit ac laborauit, dum in gratiam eiusdem Lotharii, cui pariter posteam hæsit, affirmat Inuestituras eo ab Innocentio fuisse apud Leodium confirmatas. Sicut & in eo mendax esse conuincitur, dum ibidem terram Comitissæ Mathildis eidem condonatam esse scribit. Nam diploma Pontificis de ea re conscriptum Romæ datum legitur, vt dicetur suo loco post annum sequentem. Denique suggestum tantum, non exactum de inuestitura à Lothario, quod petierat, Otho e Frisingensis affirmat.

d *d. cap. 1.*

LOTHAR. REX STRATOREM AGIT. INNOCENTIO.

e *Otto Fris. lib. 7. c. 18.*

S. BERN. LOTHAR. REM COMPESCIT.

III.

Antequam autem è Galliis recederet Innocentius, non inuisisse tantum nobile monasterium Cluniacense, sed & illud dedicasse, Petrus f illius tunc Abbas testatur; constatque pariter ex priuilegio g, quod ei idem Pontifex contulit. Claramvallem quoque visitauit, & miratus est rigidissimam Fratrum obedientiam. Cum vero & extremam illorum inopiam, Cluniacensium autem diuitias considetasset; statuere placuit, ne Cistercienses monachi decimas persoluerent Cluniacensibus, vel aliis sæcularibus clericis, vt hactenus factum esset: cuius rei causa querelas in eos esse magnopere dilatatas, certum reditur ex epistolis prædicti Petri h Abbatis ad ipsum Innocentium Papam, & Haimericum S. R. E. Cancellarium atque Richardi i Cantuariensis Archiepiscopi ad Abbatem Cisterciensem. Sed & cum idem Petrus ad ipsos quoque Cistercienses querelis plenam scripsisset epistolam k, quod ea à nonnullis in deteriorem partem esset accepta, idem anno sequenti excusatorias l ad ipsos dedit literas, quibus charitas, quæ aliqua ex parte inter eos læsa videri posset, arctiori vinculo constricta permaneret. Vnde videas quales esse consueuerint inter Sanctos querelæ & dissensiones; in quibus ne charitas, quæ est vinculum perfectionis, dirumpatur, magna imprimis adhiberi consuevit industria. Sic enim & antehac inter ipsos Cluniacenses & Cistercienses monachos graues dissensiones ortæ fuerant occasione obseruationis Regulæ Sanct. Benedicti, sub cuius stipendiis, licet sub habitu diuerso, vterque Ordo militaret, alter alterum redarguens m in obseruantiæ & præuaricationis eiusdem. Verum non eo processit ista contentio, vt inter eos charitas scinderetur; quinimo magis magisque, vt bene fixa radice arbor ventis consolidatur, inter eos firmata fuerit & stabilita: quamuis humani generis hostis causas plures discordiarum diuersis temporibus, tum inter eosdem præstantissimos Ordines, tum inter illos duos sanctissimos ipsorum Abbates huius temporis, Petrum, & Bernardum, subministrare non cessarit; quarum causa (absque tamen charitatis læsione) hinc inde ab vtroque scribendæ fuerunt elucubratissimæ apologiæ.

f *Petr. Clun. 3. ep. 14.*

g *Reg. Bare. ann. Tom. XII. ann. 1132.*

INNOC. CISTERC. EXIMIT A DECIMIS SOLVENDIS.

h *Pet. Clun. 3. ep. 35. 36.*

i *Ap. Pet. Bles. ep. 82.*

k *Pet. Clun. 3. ep. 35.*

l *Id. l. 3. ep. 36.*

DISSIDIA SANCT. ABSQVE LÆSA CHARITATE.

m *Vid. Ber. Apolog. ad Will. Abb. S. Theod. & Pet. Clun. l. 1. ep. 28. & 3. ep. 16. vtrumque apud Baron. ann. 1126. & præsentis, &c.*

Erat porro his temporibus (vt etiam scribit Robertus in Appendice ad Sigebertum) pulchra & decora valde facies Ecclesiæ Gallicanæ, diuersorum Ordinum & professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, illinc Cistercienses, inde Cluniacenses monachi, necnon & ipsi Carthusienses paulatim pullulantes; tum & diuersi habitus professione sanctimoniales, & mulieres Deo deuotæ, in continentia atque paupertate sub obedientiæ iugo regulariter viuentes; feruore religionis invicem prouocarent, & nouæ certatim diuersis in locis monasteria fundarent. Verum in Gallis isti plantati, etiam trans mare propagarunt palmites suos. Siquidem vt de aliis dicere prætermittamus, de Præmonstratensibus habet idem auctor hoc anno, sed paulo superius, in Syriam & Palæstinam aliquos ex eis missos nonnullas Abbatias ædificasse. Vnam vero concessione Cistercien sium possedisse, quibus & locum, & pecunias de quibus ædificaretur, apud Hierosolymam Balduinus Rex dedisset; testatur S. Bernardus n in epistola ad Præmonstratenses. Sed & ex eadem Francorum gente militares exoræ tunc florebant in Oriente & Occidente Religiones: quippe (vt Robertus ait) Miles Templi Hierosolymitani, ac Fratres de Hospitali, sub religioso habitu continenter viuentes, vbique se multiplicando diffundebant, & quæ poterant vel de laboribus propriis, vel de Fidelium eleemosynis, ad opus Deo militantium, vel infirmorum quorumcunque, vel pauperum, Hierosolymam deferebant: Præsules autem Ecclesiarum, ac Principes sæculi, promptissime annuebant, vel etiam sponte offerebant terras, prata, nemora, & cætera quæ monasteriis ædificandis erant necessaria. Hæc ille. At de origine Hospitalariorum, cæteris eiusmodi Ordinibus antiquiore, egit Willelmus Tyrius o in commentario de Bello sacro: De Templariis vero dictum est superius ex eodem.

IV. GALLIC. ECCLESIA FLORET RELIGIOSIS ORDINIBVS.

n *Bern. ep. 182.*

o *Tyr. lib. 18. c. 4. 5.*

Hoc item anno Balduinus Rex Hierosolymorum Christi verus Confessor, post liberatam à Turcis irruentibus Antiochiam, egritudine affectus, habitum religionis assumens, & vitam regularem professus si viueret, Deo feliciter spiritum reddidit vndecimo Calendas Septembris. In cuius locum decimo octauo Calendas Octobris subrogatus est gener eius Fulco Comes Turonensium. Hæc plurib. idem Tyrius p. Quo etiam anno moriturus Stephanus Rex Hungariæ, in signum pœnitentiæ & ipse monasticum induit habitum: cui successit vir pietate insignis Bela.

V. REGES MORITVRI, RELIGIONIS HABITVM ASSVMVNT.

p *Id. lib. 13. cap. vlt. & lib. 14. c. 2.*

IESV CHRISTI AN. 1132.

INNOC. II. AN. 3.

IOAN. COMN. 14.

I.

ANno Redemptoris millesimo centesimo trigesimo secundo, Indictione decima, Innocentius Pontifex, postquam lustrans Gallias, præterquam ab Aquitanis, ab omnibus exceptus esset summa cum veneratione, Iudæique ipsi cum libro Legis Parisiis ei occurrissent, sed & qui eum verbis derisoris contempsissent Nouiomenses a, prodigioso incendio puniti essent: accepta à Gallicanis Ecclesiis pro ipsius Romam reditu indicta b collecta, itinere terrestri Italiam petens, apud Astam Pascha celebrauit; ac paulo post CONCILIVM illarum partium Episcoporum *Placentiæ* celebrauit. Cumque interea Rex Lotharius, sicut promiserat, in Longobardiam cum exercitu venisset in Roncaliis cum eodem Pontifice & Longobardis generale colloquium de statu Ecclesiæ atque Imperii habuit. Indè vero Innocentius Pisas aduenies, bellum quod inter illam ciuitatem atque Ianuensem gerebatur, composuit; & vtramque, ob eatum

a *Auctar. ad Sigeb. & Baron. ann. sup. cit.*

b *Pet. Clun. lib. 3. ep.* INNOC. REVERTITVR IN ITALIAM.

in Sedem Apostolicam merita, diuersis priuilegiis honestauit. Hæc de illius gestis præsentis anni, eiusdem temporis auctor superius citatus.

II. De tyrannide Rogerii Siculi.

Quo eodem anno Beneuentanos, expulso Crescentio pseudocardinale pseudopontificis Anacleti, qui eos proditorie tradere vellet Rogerio Siciliæ Regi, Innocentium recipere decreuisse, traditur in sæpe citato Chronico Beneuentano: vbi etiam multa alia leguntur de tyrannide ipsius Rogerii, & rebellione nonnullorum Principum aduersus eum; quem & diuino implorato auxilio prælio superarunt, in fugamque adegerunt, exercitu eius internecioni dato. Verum postea idem cum maioribus copiis rediens, cunctaque cæde, igne, rapinisque miscens, totam occupauit Campaniam & Apuliam, ipsamque etiam ciuitatem Beneuentanam, expulsis omnibus illarum prouinciarum Principibus, aliisque Innocentii Papæ fautoribus. quæ omnia pluribus narrantur ab auctore prædicti Chronici, & Petro *c* diacono Cassinensi, eius temporis scriptoribus.

c *Pet. diac. Chron. Cass. lib. 4. c. 98 & segq. Sig. Baron. segq. annu.*

IESV CHRISTI AN. 1133.

INNOC. II. AN. 4.

LOTHAR. II. 1.

IOAN. COMN. 15.

I. Lothar. coronatvr Imp.

ANnus Redemptoris millesimus centesimus trigesimus tertius, cœptus Indictione vndecima, felix illuxit Ecclesiæ Catholicæ, cum Innocentius Papa in Sedem suam à Lothario Rege restitutus est, ipse vero LOTHARIVS ab eo coronatus Imperator. Id enim hoc anno gestum esse, auctores eius temporis testantur, Falco in Chronico Beneuentano, Hugo in Vita Sancti Norberti, & is qui Auctarium apposuit ad Sigebertum, atq; alii. Porro præter morem coronatus est Lotharius in Lateranensi basilica, quod (vt ait Otto *a* Frisingensis) Ecclesiam Sancti Petri, vbi id agi moris erat, Petrus Leonis Antipapa occuparet; nec satis virium Lotharius haberet (vt tradit Bernardus *b* Abbas) ad illum inde expellendum: quippe qui (vt est in Chronico Beneuentano) duo tantum millia militum secum duxisset.

a Otto Frising. lib. 7. c. 15.

b *Vit. S. Bern. l. 2. c. 2.*

II. Allodivm Comitiss. Mathildi datvm [illegible] svb censv. c *Rec. Bard. Tom. XII. hoc an.*

Porro eo quoque tempore eundem Pontificem Allodium Comitissæ Mathildis, quod ipsa Apostolicæ Sedi donauerat, eidem Imperatori ob præstitum Ecclesiæ auxilium concessisse, apparet ex eius diplomate *c* dato Laterani sexto Idibus Iunii: quo constat ita illud concessum esse, vt tamen Imperator centum libras argenti singulis annis Apostolicæ Sedi pro illo exolueret, & post ipsius obitum proprietas ad ius & dominium S. R. E. absque vlla diminutione reuerteretur. quod similiter concessit eodem diplomate Henrico Duci Bauariæ ipsius Imperatoris genero, iisdem census & reuersionis conditionibus, necnon hominii, & fidelitatis Romanis Pontificibus iurandæ.

III. Imp. et Pont. recedvnt ab Vrbe.

Post hæc vero Lotharius, quod Romæ moratri annonæ penuria prohiberetur, & expugnare munitiones Vrbis quas Anacletus occupabat, difficilis operis esset; consultius existimauit ad propria redire, opportuniori tempore & maioribus copiis reuersurus contra Rogerium Siculum, qui Beneuentanos, aliosque ab Innocentio Papa stantes, ferro flammaque persequeretur. Sed & ipse Innocentius, quamuis consilium Romæ in sua sede manendi iniisset, tamen cum sibi non diuinis rebus vacandi facultas daretur, sed armis iugiter insistere ob continuos Anacletianorum incursus cogeretur, neve præsentia sua illius bestiæ in ciues rabiem magis efferaret, rursum Pisas reuersus est, potentissimam tunc ciuitatem, maritimisque imprimis viribus à Principibus quibuscumque timendam, & erga Sedem Apostolicam addictissimam.

IESV CHRISTI AN. 1134.

INNOC. II. AN. 5.

LOTHAR. II. 2.

IOAN. COMN. 16.

I. a *Vit. S. Bern. lib. 2. c. 2.* Concil. Pisan. gener. adversvs Schism.

ANno Christi millesimo centesimo trigesimo quarto, Indictione duodecima, Innocentius Papa (inquit Bernardus *a* Abbas Bonæuallis) aggregatis *Pisis* totius Occidentis Episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ SYNODVM celebrauit; cuius Actionum summa in excommunicatione Petri Leonis Antipapæ, & irregressibili fautorum eius dejectione constitit. Hæc tantum ipse de tam magno Concilio. Reperitur vero in eodem relatum fuisse in Sanctorum numerum, magnum illum sanctitate insignem, atque etiam post mortem miraculis clarissimum, *Hugonem* Episcopum Gratianopolitanum, qui nuper ex hac vita octogenarius migrauerat, postquam Ecclesiam suam quinquaginta duobus annis optime gubernasset. De eius namque canonizatione ibidem Pisis de consensu totius Concilii facta, extant *b* ipsius Innocentii literæ ad Guidonem Priorem Carthusiensem: cui etiam dedit in mandatis, vt eius Vitam describeret; quod ipse diligentissime præstitit.

Canonizatio S. Hvgonis.

b Ap. *Sur. 1. April.*

II. Grassatio in antistites Gal. a Synodo redevntes.

Porro cum infestaretur tunc temporis Italia Conradi tyrannide, quem hactenus Mediolanenses confœderatum habuissent contra Lotharium Imperatorem; & qui ei fauebant, ita vndiquaque grassarentur, vt viæ publicæ eiusmodi non militibus, sed prædonibus obsiderentur; accidit illud admodum lugubre, vt iidem in insidiis latitantes apud Lunam ciuitatem Tusciæ, Gallicanos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, qui magno numero ad Concilium Pisanum cum ingenti multitudine nobilium clericorum & religiosarū personarum aduenerant, in redditu aggressi, eosdem immensa rabie distraxerint, dispersserint, vulnerarint, captiuarint, & rebus omnibus expoliarint. Quem plane tragicum casum vnus ex ipsis Petrus *c* Cluniacensis Abbas, omnium nomine è carcere per epistolam significauit Innocentio Pontifici, rogans, vt his ipsorum malis mederetur. Quomodo vero iidem liberati fuerint, nobis hactenus incompertum. Non autem fuit tunc cum eis S. Bernardus, licet cum iisdem ex Galliis ad Concilium venisset. Opportuna namque occasio intercessit, vt mitteretur cum aliis Legatis à latere ad Mediolanenses; à quibus experitus fuerat, vt eius opera illa ciuitas iam abdicato schismate, reconciliaretur Ecclesiæ Romanæ, & reciperet Lotharium Imperatorem. quod à Legatis est feliciter impletum, ac præcipue verbis & miraculis eiusdem sancti Bernardi. Describit autem hæc pluribus alter Bernardus *d* Abbas in eius Vita; meminitque ipsemet Bernardus in suis epistolis *e*.

c *Pet. Clun. 3. ep. 27.*

S. Bern. mittitvr Mediolanvm.

d *Vit. S. Ber. lib. 2. c. 2.*

e *Bern. ep. 131. 132. 133. 137.*

III. S. Norberti obitvs.

Hoc eodem anno, octauo Idus Iunii, S. Norbertus Institutor Ordinis Præmonstratensis, idemque Archiepiscopus Magdeburgensis, mira sanctitate, sicut vixerat, diem clausit extremum: laudatissimus huius sæculi sanctitudinis & eloquentiæ nomine prædicatus à S. Bernardo, Petro Cluniacensi, & aliis eius temporis Scriptoribus: cuius vitam egregie descripsit *f* Hugo Archiepiscopus ipsius successor.

f *Ap. Sur. 6. Iunii.*

IESV CHRISTI AN. 1135.

INNOC. II. AN. 6.

LOTHAR. II. 3.

IOAN. COMN. 17.

I.

ANno Domini millesimo centesimo trigesimo quinto, Indictione decimatertia, Gaufredus insignis nominis

Carnotensis Episcopus, cui à Papa Innocentio fuerat anno superiori post Concilium Pisanum commendata Legatio Aquitaniæ, sumpto secum S. Bernardo, accessit Pertinacum ad Willelmum Comitem Pictauiensem, eundemque Ducem Aquitaniæ, vt eum perttraheret in partes Innocentii, à quibus eum pseudolegatus Gerardus Engolismensis alienũ detinebat; simulque aliis mederetur malis, quæ à Schismaticis essent aduersus Catholicos perpetrata. Accidit autem, vt cum Comes auditis illorum rationibus, respondisset se quidem in obedientiam Innocentii posse dare consensum, sed in restitutionem Episcoporum quos expulisset nulla ratione induci: tum S. Bernardus efficaciora arma corripiens, celebratis ad altare sacris mysteriis, iam non se agens, vt hominem, Corpus Domini super patenam posuit, atque ignea facie & flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egrediens, vbi Comes sustinebat pro foribus, verbisque terribilibus illum ex parte Iudicis eius, quem ei præsentem ostenderet, adiurans, adeo perculsit, vt membris tremebundis atque dissolutis terræ prouolutus, instar epileptici saliuis difflueret, & nihil valens loqui, aut in aliquem intendere, solum profundos efflaret gemitus: cum vir Dei eum pede pulsans, accliuem surgere iussit, & Episcopo Pictauiensi ibidem præsenti quem expulisset reconciliari, eundemque sedi restituere: sed & in vniuerso Principatu suo discordes ad vnitatem & Innocentii Papæ obedientiam reuocare. quæ cuncta Comes præstitit. Narrat ista pluribus Bernardus *a* Abbas in Vita S. Bernardi, & Theobaldus Episcopus In Rebus *b* gestis eiusdem Willelmi Comitis.

S. BERN. TERRIBILITER DVCEM AQVITAN. TRAHIT IN PARTES INNOC. PP.

a Vit. S. Ber. l. 1. c. 6.
b Ap. Sur. 10. Feb. c. 4.

II. VLTIO DIVINA IN GERARD. EPISC. ENGOL.

Addit vero Bernardus, pace omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, solum Gerardum Engolismensem perseuerasse in malis sed non multo post in domo sua morte subitanea impœnitentem extinctum esse, sine confessione & viatico; corpusque eius à nepotibus suis, quos in ea Ecclesia honoribus sublimauerat, iuuentum in lectulo suo exanime & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum esse; sed postea à Gaufredo Carnotensi Apostolicæ Sedis Legato inde extractum esse, & alio proiectum: denique nepotes eius ab eadem Ecclesia postmodum eliminatos esse, & vniuersam progeniem ac plantationem à radice auulsam, per extera regna tanti iudicii circumferentem querimonias exulasse.

III. *c Bern. ep. 158. & 159. d Pet. Clun. l. 4. ep. 17.* THOMÆ PRIORIS S. VICT. MARTYRIVM.

Quo etiam tempore contigit, tam eundem S. Bernardũ *c*, quam Stephanum Episcopum Parisiensem, atque Petrum *d* Abbatem Cluniacensem, vehementes ad Innocentium Papam scribere literas pro vindicta aduersus interfectores Magistri *Thomæ* Prioris S. Victoris Parisiensis, quem Dominico die inter manus ipsius Episcopi peremissent impiissimi nepotes Archidiaconi, quod eum Thomas magno zelo sæpe reprehenderet de illicitis exactionibus, quas sibi occasione Archidiaconatus in presbyteros vsurpare consueuerat. Quẽ quidem Thomam, ab iisdem Patribus egregie laudatum ob vitam sanctissime ductam, & mortem pro tuẽda Ecclesiæ iustitia patientissime toleratam, S. Bernardus Martyrem nominat. Sicque hoc sæculo duo occubuere Thomæ pro Ecclesiæ iuribus defendendis, nempe iste Parisiensis Prior, & alter Cantuariensis Archiepiscopus, de quo dicetur suo loco. Cæterum non Thomam tantum, sed & subdiaconum Aurelianensem eadem ex causa ab impiis interfectum esse, affirmat Petrus Cluniacensis: addit que eorum occasione congregatum fuisse CONCILIVM Episcoporum & Abbatum, qui in eiusmodi sacrilegos sententiam seueritatis protulerunt; quam ipse Apostolica auctoritate confirmari, vel etiam aggrauari petiit.

IV. OBITVS HENR. REG. ANGL. *e Malmesb. Hist. nouell. lib. 1.*

Eodem anno, Calendis Decembris, Henricus Angliæ Rex, vbi regnasset annis triginta quinque & mensibus quatuor, minus diebus quatuor facta peccatorum suorum confessione, & susceptis solitis Ecclesiæ sacramentis, pœnitens ex hac vita migrauit. Narrat hæc Willelmus *e* Malmesburiensis. Suscepit regnum nepos eius Stephanus, fratre & auxilio, fratris sui Henrici Wintonensis Episcopi, spe (inquit auctor) capti ampliſſima, quod Stephanus aui sui Willelmi in regni moderamine mores seruaret, præcipueque in Ecclesiastici vigoris disciplina. Quapropter & scripto sacramento, quod à Stephano Willelmus Cantuariæ Archiepiscopus & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Legatus exegit de libertate reddenda Ecclesiæ & conseruanda, idem Henricus Episcopus se vadem apposuit. Sed quæ scriptis promisit Stephanus, factis transgressus est: quod auctor malis eius Consiliariis adscribit. Quod autem in eo à se præstito iuramento testatus etiam est, se ab Innocentio Papa confirmatum in Regno postmodum fuisse; id scias ea de causa dictum, quod Regnum Angliæ feudatarium esset Ecclesiæ Romanæ, adeo vt quilibet Rex acciperet confirmationem à Romano Pontifice: quod etiam fatetur suis literis Henricus Secundus, de quibus dicetur suo loco.

REGNVM ANGL. FEVDATARIVM RO. ECCL.

IESV CHRISTI AN. 1136.

INNOC. II. AN. 7.

LOTHAR. II. 4.

IOAN. COMN. 18.

I. POENITENTIA, ET PIVS OBITVS LVD. REG. FR.

ANno Christi millesimo centesimo trigesimo sexto, Indictione decimaquarta, Calendis Augusti, hospes & defensor Innocẽtii Papæ Ludouicus Crassus Francorum Rex, dysenteriæ morbo ex hac vita migrauit, anno regni trigesimo, ætatis fere sexagesimo: quem etsi viuentem S. Bernardus in epistola ad Honorium Papam valde perstrinxit, quod eum bellici furores in religiosos monachos interdum delinquere adegerunt: posteriora tamen facta, & pœnitentia qua diem clausit extremum, eundem pietate religioneque admodum reddidit commendatum: cum videlicet in animo habens apud SS. Martyres Dionysium ac socios, regni & coronæ depositione humilem S. Benedicti habitum assumere, atque monasticum ordinem profiteri; ægritudinis anticipatus angustiis, quod opere non potuit, corde & voluntate compleuit; ac post omnium mobilium suorum Ecclesiis & pauperibus factam distributionem, frequentemque exomologesin, atque egregiam fidei Catholicæ confessionem, ac denique Corporis & Sanguinis Domini sumptionem; præcipiens tapetum terræ, & cineres tapeto in modum Crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus spiritum emisit. Hæc fusius Sugerius Abbas S. Dionysii, qui iis omnibus præsens extitit; vir laudatissimus cum S. Bernardi, tum etiam Petri Cluniacensis dignis elogiis, qui eiusdem Ludouici res gestas conscripsit. Post obitum autem Ludouici, suscepit regni administrationem filius eius, *Ludouicus* æque dictus, eius nominis Septimus, quem vidimus patre viuente fuisse ab Innocentio Papa Rhemis vnctum & coronatum.

II. DE OBITV WILLEL. DVCIS AQVIT.

Quod vero Sugerius ait, paulo ante Ludouici Crassi mortem, cum iam grauissime ægrotaret, veniſſe ad eum Legatos Willelmi Ducis Aquitaniæ, denuntiantes eundem Ducem susceptæ ad S. Iacobum peregrinatione, in via decessisse; sed antequam iter aggrederetur, atque etiam in itinere in ipso transitu, filiam suam Eleonoram Regis filio desponsatam, totamque Aquitaniam & Pictauiam eidem retinendam deliberasse & declarasse: (qua de re extat *a* etiam adhuc eiusdem Willelmi Ducis scriptum; vltimum suæ voluntatis elogium:) valde mirum est, quomodo eum Sugerius tum nictum in Vita Ludouici filii, diserte asserat Willelmum in hac peregrinatione Hispanica defunctum esse; idque ipsum affirmet Robertus, his temporibus proximus auctor: tamen alii recentiores Scriptores dicant, eum post hæc diu multumque superuixisse; atque Eremiticam vitam duxisse in Tuscia, ibique sancto fine quieuisse. Sunt ex iis nonnulli, qui affirmant eundem nequaquam reuera esse defunctum in peregrinatione Hispanica; sed ita cum præcipuo suorum domesticorum rem esse transactam, vt per fictionem ea de causa mortuus esse diceretur, quo liber ab hoc mundo posset quocumque vellet peregrinari: hunc que illum esse Willelmum, qui in Tuscia sancto fine quieuerit apud locum dictum Stabulum Rodis, qui hodie dicitur Mala vallis in agro Senensi. Vulgata est historia ista, sed quæ nodos patiatur insolubiles. Nam præter illa, quæ ex Sugerio & Roberto recensuimus, quomodo quæ alii narrant potuit

a In Hist. Franc.

DIVERSA DE WILLELMO ASSERTIONES.

ignorasse

ignorasse Theobaldus Episcopus, qui & primordia conuersionis Willelmi se accepisse testatur ab eius discipulo; & tamen nullum verbum habet de simulatione mortis? Quonamque modo, si post hæc tempora (vt habent eius Acta) repertus à suis in Palæstina vitam eremiticam agere, reuocatus est in Occidentem; nullus huius sæculi scriptor, rei tantæ, mundoque adeo admirabilis in tanto viro, meminisse reperitur? Ac rursum si viuebat, & reuersus erat in Occidentem; quomodo prætermissus, vt mortuus ab eius temporis Scriptoribus haud indiligentibus, cum grauissima illa causa verteretur de ipsius filiæ repudiatione facta à Ludouico Francorum Rege? Hæc & alia sunt, quibus reddor vehementer suspensus de eiusmodi historiæ veritate; dubitans ne plures Willelmi (sicut de multis aliis Sanctis accidit) per errorem in vnum conflati sint à recentioribus auctoribus.

III. *b Bern. ep. 174.*

DE CONCEPTIONE DEI-GENITRICIS CELEBRARI COEPTA.

Hoc etiam tempore (quantum ex ordine epistolarum S. Bernardi licet argumentari) idem Sanctus redarguit *b* Canonicos Ecclesiæ Lugdunensis, quod permoti quadam quæ circumferretur reuelatione, celebrare cœpissent festum diē CONCEPTIONIS sanctissimæ Dei Genitricis MARIÆ: ea potissimum permotus ratione, quod id nondum Romana Ecclesia fecisset, nec faciendum iudixisset, & periculosam valde esset, quouis prætextu quemlibet promouere ad noui quippiam inducendum ipsa inconsulta Apostolica Sede. Qui quidem Sanctus, quamuis de re ipsa contra illum tunc sentiret; post longam tamen disputationem ita demum peroranit, vt quæ dixisset absque præiudicio dicta esse vellet sanius sapientium; Romanæ præsertim Ecclesiæ, cuius (vt ait) auctoritati & examini totum illud, sicut & cetera eiusmodi vniuersa reseruaret, ipsius siquid aliter saperet paratus iudicio emendare. Quibus sane verbis in se ipso ostendit, qui sint legitimi Catholici hominis characteres; nimirum ad incudem Sedis Petri quæque probāda referre, antequam recipiantur in vsum. Porro hoc ipse perfecit, vt re accuratius examinata, proditis in medium Scripturæ sacræ testimoniis, præuiisque Fidelium precibus, Pontificio sanciretur decreto, celebrandam esse in Ecclesia sanctissimæ Dei-Genitricis Conceptionem.

ABSQVE ROM. ECCLESIÆ IVDICIO NIHIL TRANSMENDVM.

IV. *S. Bern. et Hvgo de S. Victore scribent in Archiep. Hispal.*

Quibus iisdem ferme diebus contigit eumdem S. Bernardum, consultum ab Hugone Abbate S. Victoris, scribere aduersus Ioannem Archiepiscopum Hispalensem, qui vrgente dira tyrannide Principis Arabis, ceteris Christianis constantissime in confessione persistantibus, minis eius perterritus, fidem negauit maximo scandalo totius Ecclesiæ; & quod deterius addidit impietati, vt antiquam ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ condemnatam reuocans hæresim, assereret satis esse Fideli, si Christum, quem ore negaret, corde confiteretur. Quem impium atque blasphemum non solum Bernardus *c* ad Hugonem rescribens, sed & ipse Hugo, qui inter insignes Academiæ Parisiensis Magistros, sicut scientia, ita zelo Catholicæ veritatis tunc anteibat, datis ad eumdem Ioannem potentibus ac vehementibus literis *d* redarguit.

c Bern. ep. 177.
d Ext. Tō. 3. Oper. Hug. lib. 1. Misc. ep. 79. Sed certe iure eduit Bar. annal. To. XI. hui an. ex cod. ms.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno mortuus est Bernardus Patriarcha Antiochenus primus Latinorum, postquam sedisset (vt Tyrius *e* ait) annis triginta sex. Moxque sine consensu Episcoporum suffraganeorum, vel Cleri eius Ecclesiæ, intrusus est in eam sedem homo militaris prædiues nomine *Rudolphus* siue Radulphus, cognomine Mamistanus, natione Francus diœceseos Cenomanensis, fauore populi quem largitionibus demeruit, ac sine mora Pallium de altari B. Petri Antiochenæ Ecclesiæ, propria auctoritate, nullo habito respectu Romanæ Ecclesiæ, sibi assumpsit: detrectans omnino subiici Romano Pontifici, quem diceret non sibi superiorem, sed parem; quod vtraque Cathedra Petri esset, immo & Antiochena quasi primogenita insignis prærogatiua. Verum idem postea ab æmulis apud Romanum Pontificem tam de his, quam de aliis facinoribus accusatus, cum & ipse à Principe Antiocheno, qui eum odio habere cœpit cum prius dilexisset, inuitus coactus esset Romam post eos proficisci; haud quidem damnatus est, quod accusatores non adeo instructi essent, vt plenam Summo Pontifici de obiectis possent ibi fidem facere; sed nec absolutus. Quare dilata causæ cognitione ac decisione in aduentum Legati in Orientem ad hoc mittendi, interim dimisso ab eodem Patriarcha pallio quod sibi Antiochiæ sumpserat, datum est ei aliud sumptū de corpore Beati Petri Romæ more solemni. Rediens vero Antiochiam, haud in ciuitatē admissus est à Clero aut Principe; nisi post longas moras. Cum interea aduenies Legatus missus ab Apostolica Sede Petrus Archiepiscopus Lugdunensis, apud Accon veneno extinctus est. Post quem, agentibus rursum aduersariis Patriarchæ, missus est ab Innocentio Papa in Orientem alius Legatus à latere, nempe Albericus Episcopus Ostiensis æque natione Francus: qui conuocatis Syris, & Palæstinis aliisque Antistitibus, SYNODVM *Antiochiæ* in Ecclesia Principis Apostolorum celebrauit: vbi auditis aduersus Patriarcham accusationibus, cum ipse tribus diuersis diebus peremptorio citatus edicto, venire ad respondendū contempsisset; de Synodi sententia damnatus atque depositus est, & iubente Legato de palatio Patriarchali, vbi interim magna populi sti, atus multitudine se cōtinuerat, à Principe abtractus vinculisque constrictus, apud monasterium S. Symeonis iuxta mare in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Vbi catenatus diu detentus, tandem elapsus Romam petrexit; & gratiam Sedis Apostolicæ aliquatenus assecutus, dum redire maturaret, veneno miserabiliter perit. Hicque tandem finis hominis infelicissimi, qui arrogantia sua auctor sibi tot ærumnarum extitit. Narrat vero hæc omnia pluribus Tyrius *f*: quæ quidem hoc anno cœpta, in plures propagata fuere. Addit autem & de alio CONCILIO habito ab eodem Alberico Legato *Hierosolymis*, in solemnitate dedicationis templi Domini ab eo celebrata: in quo Concilio ait, cum aliis quamplurimis diuersarum prouinciarum Antistitibus, interfuisse Maximum Armeniorum Pontificem, immo (vt ait) omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, Persidis, atque vtriusque Armeniæ Principem & doctorem eximium, qui *Catholicus* dicebatur: & cum eo de fidei articulis, in quibus à nobis dissentire videretur populus eius, habitum esse tractatum, ab eoque promissam in multis correctionem.

DEPONITVR IN CONCIL. ANTIOCH. A LEG. SED. AP.

e Tyr. l. 14. c. 10.

RVDOLPH. INTRVSVS PATRIAR. ANTIOCH.

AGIT CAVSAM APVD R. PONT.

f Id lib. 18. c. 1. & seq. CONCIL. HIEROSOLYM. IN ENCÆN. II.

CATHOLICVS ARMENIORVM.

IESV CHRISTI AN. 1137.

INNOC. II. AN. 8.

LOTHARII II. 5.

IOAN. COMN. 19.

ANNO Christi millesimo centesimo trigesimo septimo, indictione decimaquinta, Lotharius Imp. assiduis Innocentij Papæ, Principis Capuani aliorumque Legationibus rogatus in Italiam cum exercitu venire ad comprimendam Rogerij Siculi tyrannidem, demum adueniens, habito apud Viterbium cum Innocentio colloquio, misit cum eo in Campaniam Henricum Bauariæ Ducem generum suum, ipseque in Apuliam progressus est: qua expeditione adeo feliciter vterque rem gessit, vt breui tempore integras illas prouincias, ipsamque ciuitatem Beneuentanam Rogerio ademerint, suisque legitimis dominis restituerint, & reiecto Anacleto pseudopontifice, Innocentio legitimo Papæ obedientes reddiderint. Post quæ Cassinum omnes simul conuenientes, cum hactenus illius cœnobij monachi studiosissime Anacleto & Rogerio fauissent, quod ita bene consultum putarent rebus monasterij longe lateque sub ditione Rogerij constitutis; (licet diuino agente iudicio non destiterint interea grauissimis ab eodem incommodis ac deprædationibus affici *a*) depositus ab eodem Pontifice est Rainaldus Abbas assertus, qui ab Anacleto ordinatus fuerat; subsitituntsque in gratiam Imperatoris Guibaldus ex Abbate monasterij Stabulensis in Germania. Quę omnia pluribus prosecuti sunt, qui iisdem interfuerunt Falco in Chronico Beneuentano, & Petrus *b* diaconus in Cassinensi.

I. LOTHAR. IMP. VENIT IN ITALIAM IN AVXILIVM INNOC. PP.

a De his vide Petr. diac. Chron. Cassin. l. 4. c. 99 & seqq. & Baron. ann. superiorib. b Ibid. c. 106. et seq.

Verum cum post hæc Imperator vna cum Papa Romam aduenisset, vbi recens multi S. Bernardi opera, illuc ab Innocen-

II.

ROGERII SACRILEGIA.

nocentio præmissi, à schismate recesserant) rebusque ibi compositis, abiisset in Tusciam; rediens rursum Rogerius vniuersam Campaniam sibi subegit, cunctaque igne ferroque vastans, nec locis sacris parcens, ecclesias prædæ militū dedit, & (proh nefas!) eorumdem ludibrio moniales exposuit. Quibus auditis Innocentius Papa, reipsa expertus vana prorsus existere studia hominum, quibus non aspiret diuina potentia; contra furentes tyranni impetus vnum obiecit hominem humilem, sed Dei virtute potētem: nempe ipsum S. Bernardum, quem ad Rogerium misit, vt eum si posset comerteret, ac pacem inter ipsum ac Rainulphum Ducem Apuliæ ab eodem Pontifice constitutum componeret. Verum renuit Rogerius, quod validissimo polleret exercitu, Bernardo obaudire: vnde & meruit à Rainulpho, ipso Bernardo precibus apud Deum intercedente, ingenti prælio fugari. Post quæ Rogerius, ne peiora à victore pateretur, & maioribus vitibus parandis tempus redimeret, astute simulans de potiori vtriusque Pontificis iure instrui velle; cum Bernardo egit, vt nonnullis ex parte Innocentij, ac totidem ab Anacleto missis Cardinalibus, in vnum apud ipsum Salerni conuenientibus, ipse auditis vtriusque partis rationibus eligeret cui magis fauendum esset. Sed his pactis, quamuis Innocentij pars & rationibus superior, (quibus & inter alios Petrus Pisanus Cardinalis cedēs, ad eam transiit) & miraculis ab eodem Bernardo tunc editis Deo acceptior euidenter apparuisset: Rogerius tamen necdum voluit obedire, quia S. Petri patrimonium, quod in Cassinensi & Beneuentana prouincia amplissimum esset, occupauerat; putabatque huiusmodi suspensionibus aliqua ab Innocentio Papa extorqueri priuilegia, per quæ in ius proprium ea deinceps ipsi stabilirentur. Narrantur ista partim à Falcone in Chronico Beneuentano, partim à Bernardo c Abbate Bonæuallis in Vita S. Bernardi; quamuis de disputatione coram Rege habita nonnihil discrepent ab inuicem.

DVT. AR ARDD. NNOC. ET ANACL. CORAM ROGERIO.

c *Vit. S. Ber. lib. 2. c. 7.*

III. S. MALACH. ARCHIEP. HIBER. ROMAM VENIT.

Hoc eodem anno, cum iam Innocentius Papa Romæ consisteret, contigit mirifici illius S. Malachiæ Archiepiscopi Ardinachæ, totius Hiberniæ Metropolitani, Romam ad eum aduentus, tum pro Pallio tam suæ quam alteriu. sub ea constitutæ in eadem Insula Metropolitanæ Ecclesiæ, tum pro licentia prædicandi Euangelium: quippe qui etsi dispositissetota auctoritate de rebus Ecclesiasticis illius prouinciæ tamquam Apostolus vnus, & nemo eum interrogaret, in qua potestate hæc faceret, videntibus cunctis signa & prodigia quæ operaretur; visum tamen ei, non tute satis illa actitari absque Sedis Apostolicæ auctoritate. Tradit hæc de illo S. Bernardus in Vita ipsius: additque de commissis illi ab Innocentio Papa vicibus suis per vniuersam Hiberniam, deque honore ei exhibito, cum Pontifex sublatam de capite suo Mitram (mos namque erat, nonnisi mitratos Romanos Pontifices ad audientiam aliquos admittere) imposuit capiti eius; eidemque stolam cum manipulo dedit, quibus ipse inter offerendum vti consueuisset. De Palliis vero rem solemnius agi volens, distulit eam quousque Malachias celebrato in Hibernia Episcoporum & Clericorum atque maiorum terræ genetali Concilio, communi vniuersorum voto per Legatos peterentur. Hæc Bernardus, subdens de disputatione ab eodem Malachia post reditum in Hiberniam, habita cum hæretico Sacramentario; qui iudicio omnium superatus, cum nihilominus obstinatissimus permaneret, tandem subitanea graui infirmitate comprehensus, rediit ad cor, & abiurata hæresi, sumptoque salutifero viatico, ex hac vita migrauit.

DISPVTAT CVM HÆRETICO SACRAMENTARIO.

IESV CHRISTI AN. 1138.

INNOC. II. AN. 9.

LOTHARII II. 6.

IOAN. COMN. 20.

I. ANno Christi millesimo centesimo trigesimo octauo, Indictione prima, die septima Ianuarij, inuasor Apostolicæ Sedis Petrus Leonis pseudopapa Anacletus, Deo vindice ex hac vita diuulsus, ad supernum horrificum tribunal iudicandus adductus est, accepturus cruciatum æternum; cum sedem occupasset annis septem, mensibus vndecim, & diebus viginti duobus. Hæc Falco tunc viuens in Chronico Beneuentano. Et qui æque tunc scribebat Bernardus a Abbas Bonæuallis, ait in Vita S. Bernardi, Petrum morbo percussum, triduum habuisse ad pœnitentiam; verum patientia Dei abusum, in peccato suo mortuum esse desperatum: sed & miserabili pompa corpus eius elatum, cadauerque in latebris sepultum loco Catholicis incognito. De cuius obitu est etiam ipsius S. Bernardi b, eo tempore apud Innocentium Romæ agentis, epistola ad Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacensem, qua pariter eumdem in ventrem inferi traductum esse tradit.

ANACL. PSEVDOP. MORITVR IMPOENITENS.

a *Vit. S. Bernard. lib. 2. c. 7.*

b *Bern. ep. 147.*

Eo igitur extincto, nihilominus schismatici Cardinales Anacleti, consilio fratrum ipsius petita à Rogerio tyranno Siculo licentia, mense Martio alium in eius locum subrogarunt, nempe Gregorium presbyterum Cardinalem, quem *Victorem* nominarunt. Sed haud multos post dies iidem fratres Anacleti diuinitus compuncti, se ad Innocentium conferentes eum pro legitimo Pontifice agnouerunt: ipseque pseudo-Victor depositis Pontificatus insignibus, eidem se subiecit: atque ita pax diu desiderata reddita est Ecclesiæ. Tradit hæc Falco, quæ quidem opera S. Bernardi peracta esse, asseritur in eius Vita: eademque in Octauis Pentecostes completa, narrat ipse S. Bernardus c scribens ad Godefredum tunc Priorem monasterij Clarævallensis, postea Lingonicnsem Episcopum. Nullam vero conciliant sibi fidem, quæ Petrus d diaconus Cassinensis in sugillationem Innocentij, schismaticus ipse scribit; videlicet Innocentium magna in filios Petri Leonis, eorumque complices effusa pecunia, illos ad suam partem attraxisse. Ceterum Rogerius neque extincto Anacleto, & submoto Victore, recognoscere adhuc voluit Innocentium; sed solus cum suis absque capite mansit in schismate, nihil omittens barbaricæ crudelitatis in loca quæ sibi posset armis subigere; sicut ea pluribus describuntur in iisdem Chronicis Beneuentanis.

II. SVBROGATVS ANACLETO VICTOR II ABDICAT, ET PAX REDDITVR ECCLESIÆ.

c *Id. ep. 320.*

d *Petr. diac. lib. 4. c. vlt.*

ROGER R. SOLVS PERMANET IN SCHISMATE.

Hoc item anno, in fine ipsius, nempe tertio Nonas Decembris, mortuus est Lotharius Imp. apud Clusam Liguriæ, vt ait Petrus Cassinensis: Otto vero Frisingensis apud Tridentum morbo correptū, in ipsis montibus in vilissima casa diem obiisse tradit. Cuius corpus delatum est Moguntiam; fuitque interregnum quatuor mensibus. Quod enim prole masculā careret, quinam assumendus in Imperium esset, Comitiis generalibus fuit decernendum. Quisnam autem electus fuerit, dicetur anno sequenti. Porro ipsum morientem constituisse heredem Saxoniæ generum suum Ducem Bauariæ, idem Petrus asserit. Cuius etiam Petri extat in scripto codice Cassinate consolatoria ad Richizam Augustam epistola. Sed eius Acta e de disputatione Cardinalium cum eodem ipso Petro coram Lothario, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cum multipliciter arguantur falsitatis, indigna putamus quorū hic amplior fiat mentio. Sed quod rursum ad Lotharium attinet; laudatur eius religio maxime ab eodem Petro f, quod in expeditione constitutus, summo diluculo Missam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam postremo diei Missam audire cōsueuisset: sed & viduis & orphanis cum Augusta coniuge pedes lauaret, tergeret crinibus, & oscularetur, cibumque illis ac potum large distribueret; & quæstiones atque oppressiones Ecclesiarum prius relenans, vltimo in loco res Imperij poneret: nunquam à consortio Episcoporum & Abbatum auelleretur; sacerdotes honoraret vt patres, pauperes foueret vt filios, viduas vt matres; orationibusque pernigil esset, lacrymasq; creberrimas contriti cordis Deo offerret.

III. LOTHAR. IMP. OBITVS.

e *Ibid. c. 110.*

PIETAS EIVS.

f *Ib. c. 115. Ap. Baron. an. super.*

Eodem anno Innocentius Papa ad componendas res Ecclesiæ Anglicanæ, misit à latere Legatum Albericum Cardinalem Episcopū Ostiensem; qui celebrato *Londoniæ* CONCILIO, annuente Stephano Rege Theobaldum Beccensem Abbatē creauit Archiepiscopum Cantuariensem. Hæc Rogerius in Annalibus.

IV. CONCIL. LONDON. SVB LEG. APOST.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc tempore, nimirum postquam Innocentius Papa Romam reuersus est, agitari contigit controuersiam, occasione Fulcherii Archiepiscopi

V.

Tyrij,

Tyrij, patria Aquitani, & olim Abbatis Cellensis, cum Willelmo Patriarcha Hierosolymitano, quam descripsit Willelmus *g* eiusdem postea Ecclesiæ Tyrensis Archiepiscopus: cum videlicet idem Fulcherius, postquam electus in Archiepiscopum, consecrationem ab eodem Patriarcha accepisset, exemplo prædecessoris sui Romam pergens pro obtinendo Pallio, à Patriarcha eiusque complicibus passus est insidias & violentiam, ita vt vix ab eorum manibus elapsus Romam potuerit peruenire: sicut ex literis obiurgatoriis simul & comminatoriis ab Innocentio Papa ad eundem Patriarcham ea de causa conscriptis apparet, quæ recitantur ab Willelmo. His autem cum videas, non Græcos tantum, sed & Latinos in Oriente refractarios inuentos esse aduersus Romanam Ecclesiam; haud mireris si tanti ædificij moles corruerit, cuius compagines male cohærerent Catholicæ vnitati.

g Ty. lib. 14. c. 11. & seqq. PATRIARCHA HIEROSOL. REFRAGATVR APOSTOL. SEDI.

IESV CHRISTI AN. 1139.

INNOC. II. AN. 10.

CONR. REG. ROM. I.

IOAN. COMN. 21.

I. CONRADVS CREATVR REX ROM.

ANno Christi millesimo centesimo trigesimo nono, Indictione secunda, circa mediam Quadragesimam habito *Confluentiæ* quorundam Principum conuentu coră Theodino Episcopo Cardinale Sedis Apostolicæ Legato, CONRADVS Imperatoris Henrici fororius creatus est *Romanorum Rex*, & Aquis ab eodem Legato vnctus: idemque Moguntiam ad Pentecosten veniens, in generali Principum conuentu, ab omnibus, atque adeo ab ipsa Richiza Imperatrice Lotharij relicta approbatus est. Henricus vero Dux Bauariæ eiusdem Lotharij gener, cum regalia insignia sumpsisset, Ratisponam ad festiuitatem SS. Apostolorum Petri & Pauli vocatus, ea deposuit; ac consilio quorundam Principum apud Herbipolim proscriptus, proximo Natali Domini in Palatio Goslariensi Ducatu suo priuatus est: sicque diuino nutu res accidit, vt potentissimus antea Princeps, cum omnes despiciens nulli pro regno supplicare dignatus esset, in summum breui apud omnes contemptum deciderit, atque haud diu post consumptus mœrore diem obierit. Narrat ista pluribus Otto Frisingensis *a* Episcopus eiusdē Conradi Regis frater *b* vterinus. Porro qui nonnisi Imperatorum Occidentalium, non etiam Regum Romanorum annos præfigere chronographiæ consueuimus; iam cum desunt Imperatores, notas numeri Regum Romanorum incipientes à Conrado, ad clariorem temporum significationem ponemus; sed cum suo dumtaxat Regis titulo.

HENR. DVX PERIIT EX SVPERBIA. *a Otto Frising. lib. 7. c. 21. & seqq.* *b Eius genus vide infra an. 1166. ll. in Conrado Saltzburgensi, cuius fuit germanus.*

II. CONCIL. ROM. GENER. SVB INNOC. II.

Eodem anno, proxima media Quadragesima (inquit idē Otto) SYNODVS maxima circiter mille Episcoporum, ROMÆ præsidente Summo Pontifice Innocentio celebrata est; ibique post multa salutifera decreta promulgata, schismatici qui parti Petri Leonis fauerant damnati sunt. Hęc tantum ille de tanta Synodo Vniuersali. De qua rursum in Chronico Beneuentano breuiter scribitur, eam octaua Aprilis inchoatam esse; atque in ea excommunicatum Rogerium Regem assertum Siciliæ, cum omnibus eius sequacibus. Sed extant *c* præterea illius canones triginta in libro Censuum Vaticanæ Bibliothecæ, & alio codice Decretorum Collationis, (ex quo Gratianus aliquos intulit in Decretum) cum aduersus clericos simoniacos, concubinarios, indecenter vestitos; & monachos S. Benedicti, ac canonicos regulares S. Augustini, leges temporales & medicinam gratia lucri addiscentes atque exercentes; necnon aduersus mulieres, quæ licet nullam approbatæ religionis regulam obseruarēt, tamen sanctimoniales vulgo censeri desiderarent, priuata sibi ædificantes domicilia, in quibus hospitalitatis specie passim hospites susciperē non erubescerent: tum contra laicas inuestituras, consanguineorum coniunctiones, incendiarios, fœneratores, sacrilegos, aliosque tam clericos quam laicos, canonum Ecclesiasticorum, bonorumque morum præuaricatores: atque postremo contra ordinationes factas à Petro Leonis Antipapa, aliisque schismaticis & hæreticis; quæ irritæ sunt declaratæ.

ROGER. EXCOMMVNICATVR. *c Rec. Bar. Annal. Tō. XII. hoc an.* CANONES SYNODI DE VARIIS ECCL. NECESSITATIBVS.

In hoc quoque Concilio Lateranensi audita est causa ARNALDI (alij Arnoldum, siue Arnolphum vocant) clerici Lectoris Brixiensis in Italia, recentis hæretici, discipuli Petri Abailardi. Qui quidem (vt ait Otto *d* Frisingensis) vir naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluuio quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, nouitatis cupidus, à studio è Galliis in Italiam reuertens, religiosum habitum, quo facilius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac Episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse saluari; cunctaque hæc Principis esse, ab eiusq; beneficentia in vsum tantum laicorum cedere oportere. Præterque hæc, de Sacramento altaris, & Baptismo paruulorum non sane dicebatur sentire. His vero aliisq; multis modis, dum Brixiensem Ecclesiam perturbaret, laicisque prurientes erga clerum aures habentibus Ecclesiasticas malitiose exponeret paginas; in prædicto magno Concilio ab Episcopo Brixiensi, virisque religiosis accusatus est. Innocentius autem Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decreuit. Itaque homo ille de Italia fugiens, ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris assumens, pernicioſum dogma aliquot diebus seminauit. Hæc Otto, sui æui rerum geitarum scriptor: quæ eadem eleganti carmine descripsit eiusdem temporis poeta eximius Guntherus Ligurinus. Reliqua vero de eodem Arnaldo dicentur suis locis.

III. *d Otto Frising. de reb. gest. Frid. Imp. lib. 2. c. 20.* ARNALDI DE BRIX. HÆRESIAR. MORES ET ERRORES. DAMNATVR IN SYNODO.

Eodem tempore noua oborta occasione, vix celebrato Concilio, post særa, Innocentio bellica tractanda fuerunt aduersus Rogerium Siculum; qui defuncto vltima die mensis Aprilis Rainulpho Duce Apuliæ S. R. E. feudatario, quem solum timere didicisset, ad inuadendam Apuliam magno comparato exercitu transfretauit. Sed accidit, vt cum Innocentius collectis pariter copiis ad S. Germanum oppidum ad radices montis Cassini peruenisset, ibique rebus cum Rogerio componendis, missis susceptisque Legatis, intēderet; insidiis ei à Rogerii filio iussu patris structis, cū aliquando in aliū locū iret, captus fuerit, & non sine ignomina ductus ad Rogerium die decima mensis Iulii. Rogerio vero continuo per Legatos ab eo humillima supplicatione petente vt concordiæ manum apponeret, idem Pontifex destitutum se viribus & armis conspiciens, precibus illius assensit; & pactis ex vtraque parte firmatis, Rogerius cum filiis ad Pontificem accedens, pedibus eius aduolutus misericordiam petiit iurauitque fidelitatem; Pontifex autem Regnum ei per vexillum donauit septimo Calendas Augusti. Narrantur hæc omnia plurib⁹ in Chronico Beneuentano, quæ breuissime recensentur etiam ab Ottone Frisingensi. Sic igitur titulum Regis Siciliæ Rogerius, quem male acceperat ab Anacleto Pseudopapa, ab Innocentio legitimo Pontifice obtinuit. Sed ne videretur Innocentius probare quod fecisset Antipapa; ad conferendam hanc dignitatem Rogerio, inductum se exemplo decessoris sui Honorii Papæ, qui eumdem insignierat titulo Ducis, professus est in diplomate *d* tunc à se dato, quo non solum Siciliæ Regnum sed & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, ei heredibusque eius concessit, sub conditione faciendi Romanis Pontificibus homagij ligii, & fidelitatis eisdem iurandæ, soluendique census annui sexcentorum schifatorum.

IV. INNOC. PP. PRODITORIE CAPITVR A ROGERIO. CONCEDIT ET TITVLVM REGIS SICILIÆ. *d Rec. Bar. Annal. Tō. XII. hoc an. ex Bibl. basil. S. Petri.*

Porro loco miraculi habitum est, quod Innocentius captiuus ductus, & sub potestate Rogerii constitutus, quem adeo prouocasset, & per Lotharium Imperatorem, Rainulphumque Ducem sæpe vicisset atque fugasset; (omnium namque illorum bellorum promotor ipse, ob recuperanda Ecclesiæ bona, fuerat,) nihilominus ab eo omnem reuerentiæ atq; honoris cultū acceperit, & fidelitatis iuramentū pro inuestituris terrarū, quas ille sibi armorum potētia vindicatas possideret, tamquam à victo & superato extorserit. Cum alioqui tanta fuisset in eā vsq; diem in illo ferocitas, vt

V. ROGER. IN MELIVS MVTATVS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nec rebus aut personis sacris, (sicuti vidimus) nec hostibus parceret defunctis. Siquidem Otto *e* Frisingensis & Falco Beneuentanus tradunt, ipsum Ducis Rainulphi, (vocat illum Otto Reginaldum) necnon Brunonis Episcopi cadauera, quos viuentes habuerat inimicos, è sepulchro educta per plateas funibus trahi iussisse, & in stagnum lutosum & putridum proiici. Pace autem facta idem Rex cogitans quæ Dei sunt, cum iam in Sicilia Cluniacenses *f* haberet monachos, magnopere etiam optauit Cistercienses habere; quos & obtinuit à S. Bernardo *g*. Profecitque ex his adeo, vt magnopere à Petro *h* Cluniacensi meruerit commendari.

e Otto Frising. lib. 7. c. 23.

f Petr. Clun. 4 ep. 14 ad Roger.

g Bern. ep. 208 ad Rog.

h Pet. Clun. 5 ep. 34.

IESV CHRISTI AN. 1140.

INNOC. II. AN. II.

CONR. REG. ROM. 2.

IOAN. COMN. 22.

I.

ANNO Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo, Indictione tertia, poſt extinctum Schiſma Petri Leonis, & cum Arnaldus de Brixia damnatus hæreticus ex Italia rediiſſet in Gallias ad ſuum magiſtrum Petrum Abailardum; (ſic enim tempus eo rum quæ dicturi ſumus conſignat S. Bernardus *a*) idem ABAILARDVS ratus faciliorem ſibi fore ſuarum hæreſum promulgationem, quas iam verbo & ſcripto vbique diſſeminabat, ſi eius qui colebatur ab omnibus ſanctiſſimus atque doctiſſimus, nempe ipſius S. Bernardi victor exiſteret, quem captionibus inanis philoſophiæ à ſe vincendum nullatenus dubitabat: licet iam damnatus fuiſſet cum ſuis ſcriptis à Legato Sedis Apoſtolicæ, nihilominus rurſum adito Metropolitano Senonenſi, petiit vt diſputationem publicam inter ipſum atque Bernardum indiceret, eo colore quod ſi ipſe vinceretur, omnimodo cedens palinodiam recantaret. Quare Archiepiſcopus vt faſtum comprimeret inſultantis hæretici, vna cum Rhemenſi Archiepiſcopo ac ſuffraganeis Epiſcopis ad SYNODVM conueniens, literis quoque S. Bernardum rogauit, vt & ipſe adeſſet diſputaturus: qui diu abnuens, tum ob alia, tum quod non de recenter inuentis ageretur erroribus, ſed antiqui veterum hæreticorum Arij, Neſtorij, Pelagij, aliorumque, contra ſanctiſſimam Trinitatem, Perſonam Chriſti, Sacramenta Eccleſiæ, bonoſque mores, iam olim ab Eccleſia Catholica damnati renouarentur, nec fas eſſet de ſemel iudicatis iterum diſputare: tamen quod ad proclamationem iſtius futuræ diſputationis omnes vndique, ac præcipue viri literati concurrerent; (quippe Abailardus publice profeſſus in Gallia philoſophiam, magnum ſibi nomen inde comparauerat:) timereturque ne de abſentia Bernardi & ſcandalum populo & cornua creſcerent aduerſatio: demum ipſo ad locum & diem accurrente, cum & Rex adeſſe conuentui voluiſſet, ſimul ac in præſentia omnium nonnulla producta ſunt ex libris Abailardi capitula de quibus diſputaretur, ita ille hebes factus eſt, vt nihil prorſus reſpondere valens tantummodo Sedem Apoſtolicam appellarit. At nihilominus Epiſcopi errores eius damnarunt, & vt ipſorum ſententia ab Innocentio Papa confirmaretur, literis ad eum ſcriptis petierunt: quibus ipſe annuens, tam Abailardum, quam eius praua dogmata, ſectatoreſque anathemate damnauit; iuſſitque vt eum, eiuſque diſcipulum Arnaldum de Brixia, in religioſis locis ſeparatim includi facerent, & libros eorum igne comburerent. Conſtant enim iſta omnia ex eorundem *b* tunc vltro citroque ſcriptis epiſtolis, necnon ex auctore *c* Rerum geſtarum ipſius S. Bernardi.

a Bern. ep. 189. ad Innoc. Pap. ABAILARDVS HAERESIAR. PROVOCAT S. BERN AD DISPVT.

CONCIL. RHEM. IN CAVSA ABAILARDI.

DAMNATVR IN GAL. ET ROMAE.

b Ap. Bern. ep. 189. 191. 194.

c Vit. S. Ber. lib. 3. c. 3.

II.

Porro cum Abailardus profecturus appellationem, Romam verſus dirigeret iter, diuertens Cluniacum, libenter ſe paſſus eſt retineri à Petro Venerabili illius monaſterij Abbate: cuius opera non ſolum errores abiurauit, eoſque à ſuis libris abraſit, & cum S. Bernardo pacifica colloquia habuit; ſed & monachus effectus, permiſſus eſt à Summo Pontifice ibi reliquum vitæ tranſigere: ſicut apparet ex literis eiuſdem Petri *d* Cluniacenſis ad Innocentium. Denique (quod mirandum valde eſt) Abailardus pœnitens perſeuerans vſque ad finem in arctiſſima monaſtica obſeruantia, demum ſancto fine quieuit; dignuſque habitus eſt, qui poſt obitum ab eodem Petro *e* Venerabili magnopere laudaretur epiſtola ad Eloyſam Abbatiſſam, eius quondam coniugem, quæ & ipſa doctrina excellens idem vitæ genus arripuerat. Quæ quidem de viri ſui exiſtimatione ſollicita, rogauit per literas eundem Petrum, vt illius abſolutionem factam ab Apoſtolica Sede ad ſe mitteret, quo ea ſepulchro eius inſcriberetur.

FIT MONACHVS, ET SANCTO FINE QVIESCIT.

d Petr. Clu. 5. ep. 3.

e Id. 5. ep. 20.

IESV CHRISTI AN. 1141.

INNOC. II. AN. 12.

CONR. REG. ROM. 3.

IOAN. COMN. 23.

I.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, Tiburtini occaſione Schiſmatis haud parere Romano Pontifici aſſueti, ac per pacem redigi in obedientiam indignantes, reſiſtere Innocentio ſunt auſi. Qua contumelia ſe affici Romani videntes, dum eorum clandeſtinas paterentur iugiter incurſiones, ad ſubiugandos illos omne ſtudium impendere ſunt aggreſſi: ſed ab iis turpiter in fugam verſi, adeo impatienter hanc ignominiam tulerunt, vt licet poſtea iidem Tiburtini, armis ſpiritualibus & temporalibus Innocentij cedentes, deditionem fecerint; tamen Romani volentes vt eos Pontifex per obſides & ſacramentum ad duriſſima ſubeunda cogeret, nempe vt ruptis muris omnes prouincia cederent; cum ipſe immani eorum petitioni annuere nollet, ſeditione mota in Capitolio conuenientes, antiquam Vrbis dignitatem reſtaurare propoſuerunt, ordinemque Senatorum, qui iam per multa tempora ceſſauerat, conſtituerunt; ac rurſum cum Tiburtinis bellum innouarunt, fruſtra Innocentio conante eos minis & muneribus à cœptis reuocare. Narrat hæc Otto *a* Friſingenſis. Cuius item relatione *b* conſtat, peſtilentem iſtam auram rebellionis inſufflaſſe Romanis Arnaldum de Brixia nouum hæreſiarcham, de quo ſuperius, dum iactaret laicorum eſſe omnia temporalia, & à clericis iniuſtiſſime detineri. quo nomine Politicorum hæreticorum patriarcham atque principem ſe conſtituit. Quænam autem poſt hæc à Romanis geſta fuerint, dicetur ſuis locis. Haud enim vnius diei fuit opus, eos ad obedientiam Pontificis reuocare.

BELLVM TIBVRTINVM.

ROMANI ANTIQVAM SATAGVNT RESTITVERE RAMP.

a Otto Frising. lib. 7. c. 27.

b Id. de reb. gest. Frid. imp. lib. 2. c. 20.

IESV CHRISTI AN. 1142.

INNOC. II. AN. 13.

CONR. REG. ROM. 4.

IOAN. COMN. 24.

I.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, Innocentius Papa Legatum in Gallias miſit Ivonem Cardinalem, tum ob iniuſte diuiſſam vxorem à Radulpho Viromanduorum Comite, & ſuperinductam ſororem Reginæ; tum ob diſſenſionem inter ipſum Pontificem & Regem Ludouicum ortam occaſione Archiepiſcopi Bituricenſis, cum quem Innocentius illi Ec-

REGNVM FRAN. INTERDICTO SVBIECTŪ.

clesiæ consecrasset Petrum, Rex repudiasset, eo quod sine eius assensu consecratus fuisset. Porro Iuo legationi suæ incumbens, & Radulphum excommunicauit, atque Episcopos qui diuortium fecerant suspendit; & Regnum ipsum interdicto subiecit, ac cætera quæ opus erant canonice expleuit: quibus Rex maiori indignatione exasperatus, non solum Comitem Theobaldum, qui à Pontifice causa Petri Bituricensis stabat, graniter exagitauit, sed & multas alias Ecclesias, præter Brituricensem, vexauit, aliaque plurima indigna commisit: vnde cum dirum schisma in Ecclesia Gallicana timeretur, ob vehementem Pontificis in eum commotionem; demum petente Rege veniam eorum, qui iuuenili ardore furens commisissent, composita sunt anno sequenti dissidia, quæ tam præcedenti cœpta fuerant. Hæc autem constant ex Roberto in Chronico appendice ad Sigebertum, necnon ex multiplicibus à Sancto Bernardo *a* ad Innocentium Papam, Ludouicum Regem, Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Galliarumque Antistites scriptis ea de causa literis.

REX RESIPISCIT.

a Bern. ep. 216. vsque 225. &c. Baron. an. super. hoc, & segq.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno Fulco Hierosolymorum Rex lapsus equo mortuus est, Balduinum annorum tredecim relinquens regni successorem; cuius administrationem mater ipsa Regina Melesendis suscepit. Hæc Tyrius *b*: sed quod id factum dicit sub Eugenio Papa, sibi ipsi aduersatur, dum nonnisi post triennium Eugenius sedere cœpit.

b Tyr. li. 16. c. 3.

IESV CHRISTI AN. 1143.

COELESTINI II. AN. 1.

CONR. REG. ROM. 5.

MANVELIS 1.

I. INNOC. PP OBITVS.

ANno Redemptoris millesimo centesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, Innocentius Papa aduersus Romanos, antiquum Senatum & Equestrem Ordinem restituere satagentes, laborans; (timebat enim, ne forte Ecclesia Dei, quæ per multos annos sæcularem Vrbis honorem antiquitus sibi concessum potentissime habuisset, ea occasione quandoque perderet:) cum non posset prævalere, lecto cubans in pace quieuit octauo Calendas Octobris, cum sedisset annos tredecim & menses septem. Tradit hæc Otto *a* Frisingensis. Et in codice scripto Archiui Lateranensis traditur, ipsum sepultum esse in eadem basilica in porphyretico mausoleo, in quo olim sepultus fuerat Hadrianus Imperator. Verum eius corpus postea delatum est ab ipsius fratre Episcopo Albanensi ad basilicam Callisti, dictam S. Mariæ trans Tiberim, quam Innocentius à fundamentis restaurare cœperat, frater autem absoluit. Elapso autem die ab eius obitu, consensu omnium creatus est Summus Pontifex Guido de Castello presbyter Cardinalis tituli S. Marci, nominatusque CŒLESTINVS Secundus: ad quem extant lucidissimorum eius temporis Ecclesiæ Gallicanę luminum, Petri *b* Venerabilis Abbatis Cluniacensis, & S. Bernardi *c* Claræuallensis epistolæ.

a Otto Frising. lib. 7. c. 27.

CALIST. II. CREATIO.

b P. 1. Clun. ep. 27.

c Bern. ep. 324.

II. CONCIL. LONDON. PRO LIBER. ECCL.

Itemque eodem anno, tempore Quadragesimæ, *Londoniæ* in Anglia celebratum est CONCILIVM ab Wintonensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato, pro libertate Ecclesiastica tamdiu exule restituenda, cum vna cum aliis interfuit Rex Stephanus: sancitum vero in eo est, ne qui alicui clerico violentas manus iniiceret, (quod passim fieri consueuerat) ab alio posset absolui, quam ab ipso Papa, & in præsentia ipsius. Hæc Rogerius in Annalibus: qui & sequenti anno multa refert exempla diuinæ vindictæ aduersus violatores ac prophanatores Ecclesiarum.

III.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc item anno ex hac vita veneno sublatus est Radulphus, siue Rudolphus Patriarcha Antiochenus; & in eius locum subrogatus *Haimericus* decanus eiusdem Ecclesiæ. Ita ex Tyrio.

Eodemque anno mense Aprilis mortuum esse Ioannem Imperatorem Constantinopolitanum, postquam regnasset annos viginti quatuor & menses octo, tradunt Nicetas Choniata, & Otto *d* Frisingensis. Ex quibus, aliisque auctoribus, corrigas errorem illapsum in Willelmum Tyrium *e*, dum apud ipsum Ioannes legitur obiisse anno Domini millesimo centesimo trigesimo octauo, Imperii vero sui vigesimo septimo Sed quod ad genus mortis eius pertinet; nonnisi diuina contigisse vindicta, Historici omnes tam Græci quam Latini affirmant. Cum enim à Latinis abripere Antiochiam tentasset, & quamuis monitus ab Innocentio Papa minime destitisset, immo acerbius desæuisset etiam in viros sanctissimos (vt testatur Otto) eremum incolentes; factum est, vt post obitum duorum filiorum, ipse quoque propriæ sagittæ venenatæ vulnusculo, cum in venatione pharetra euersa caderet, sibi ipsi mortem intulerit. Post eius autem obitum, MANVEL, siue Emmauuel Comnenus, ipsius filius, patris iudicio comprobatus, regendas sumpsit habenas Imperii: cui Conradus *f* Romanorum Rex matrimonio iunxit sororem coniugis suæ.

IV. IOAN. IMP. INFAVSTVS OBITVS.

d Otto Frising. lib. 7. c. 28.

e Tyr. lib. 19. c. 23. in fi.

f Otto Frising. de Reb. gest. Frid. lib. 1. c. 23. & 24.

Hoc eodem anno, ipsis primordiis Manuelis, (vt testatur Nicetas) mortuus est *Leo* Stypiota Patriarcha Constantinopolitanus; cuius meminit Theodorus Balsamon, dum interpretatur S. Basilii epistolam ad Amphilochium, & in canone octogesimo tertio, agit aduersus eos, qui more Gentium exercent vaticinia ac veneficia, quorum occasione subiicit, quod cum vxor Alexii Comneni filii Imperatoris in grauissimum morbum incidisset, adeo, vt medici de eius sanitate desperassent; quidam Ethnici se eam curaturos professi, vtpote, quæ magicis artificiis laboraret, effecerunt, vt multæ nobiles fœminæ atque etiam viri perierint, dum quasi ad maleficii auctores detegendos, iidem impostores clam imagines ex cera factas proiicerent, & satanice eorum contrectationem & inuentionem significarent: qui tamen se infecta euanuerunt, ægra non solum nihil adiumenti adepta, sed etiam diuturno morbo vexata decedente. post cuius mortem Leo Patriarcha in eiusmodi vaticinatores & veneficos grauissime animaduertit. Hæc Balsamon. Extat vero etiam eiusdem Leonis decretum de nuptiis duorum fratrum, in codice Iuris Orientalis; necnon *Arsenii*, qui post ipsum sedit, licet in catalogis Patriarcharum Constantinopolitanorum nulla de eo fit mentio. Nicetas autem scribit subrogatum esse Leoni *Michaelem* monachum monasterii dicti Acuti, virum (vt ait) virtute celebrem, & eruditum: qui dictus est etiam cognomento Oxytes, quod ex Oxya insula, in qua eius erat monasterium, eductus sit.

V. LEONIS PATRIARCHÆ CONSTANT. OBITVS.

VATICINATORES EXAGITATI A LEONE.

IESV CHRISTI AN. 1144.

LVCII II. AN. 1.

CONR. REG. ROM. 6.

MANVELIS 2.

I. CŒLEST. PP. OBITVS.

ANno Domini millesimo cēteſimo quadragesimo quarto, Indictione septima, *Cœlestinus* Papa, vbi sedisset menses quinque & dies tredecim, defunctus est apud Palladium octauo Idus Martii, & in Ecclesia Lateranensi tumulatus. Cumque Sedes vacasset die vna, suffectus est in locum eius Gerardus Camerarius presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hierusalem, ex Ordine Canonicorum regularium, patria Bononiensis ex patre Viseo, scientia & vitæ meritis clarus, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, atque etiam Cancellarius: dictusque est LVCIVS eius nominis Secundus. Ita ex Vaticano codice de Vitis Pontificum. Vbi etiam additur, eundem habito cum Ecclesiæ fidelibus consilio, Senatores qui contra prohibitionem Innocentii decessoris sui Capitolium conscendissent, Senatum abiurare coegisse. Verum illos ab hoc anno tempus restituti Senatus numerare consueuisse, ipsorum publica monumenta docent.

LVCII II. ELECTIO.

Huius

II. PORTVG. SVB CENSV ECCL. ROM.

Huius Pontificis tempore Alfonsus Portugalliæ Dux, pietatis ergo suum Ducatum constituit Romanæ Ecclesiæ vectigalem annuo censu vnciarum auri quatuor: sicut testatur Innocentius Papa Tertius epistola centesima libri primi. Atque ita dum inhærentes lateri, sed animo rebelles Romani, temporali dominio exuendam Sedem Apostolicam conclamarent, ab Occidentis extremo limite Princeps prouinciam suam eidem spontanee obtulit vectigalem.

III. ROMANI REBELLES HÆRESIM SECTANTVR ARNALDI DE BRIX.

Quantum autem à Romanis rebellantibus vexatus fuerit Lucius Pontifex, docet Otto *a* Frisingensis; nempe ipsos Senatoribus quos ante instituerant, Patricium adiecisse, cui tanquam Principi subiicerentur: atque inde Pontificem adeuntes, omnia regalia eius tam in Vrbe quam extra posita, ad ius Patricii sui repoposcisse; eumque more antiquorum sacerdotum, de decimis tantum & oblationibus sustentari oportere dicentes, continua eum afflictione vexasse. Ab obitu namque Cœlestini inualescere cœpit istiusmodi rebellio, eademque hæresis dicta *Politicorum*, siue alio nomine (si ab eius hæresiarcha denominare magis placeat) *Arnaldistarum*, ab Arnaldio de Brixia sub Innocentio (vt vidimus) vulgati cœpta. Vt nō miteris; si in Romanos huius temporis à Pontifice ac domino suo resilientes, S. Bernardus *b* acuto valde stylo pugnarit, Quamuis non omnes eadem insania percitos fuisse, sed complures ex nobilibus familiis pro Pontifice strenue rem egisse, constet ex literis *c* Arnaldistarum ad Conradum Regem scriptis, quibus satagentes eum ad se allicere, significarunt se ista ipsius nomine, ac pro honore Imperii facere. Verum testatur Otto, Conradum eiusmodi illorum næniis aures præbere abnuisse; & contrà venientes ad se ex parte Romanæ Ecclesiæ Legatos, renouationem antiquorum priuilegiorum postulantes, honorifice suscepisse, & honeste dimisisse.

a Otto Frising. lib. 7. c. 31.

b Bern. li. 4. de consider.

c Ap. Otton. Frising. de gest. Frider. lib. 1. c. 27. 28.

IV. S. CRVCIS OPE LIBERATVS EXERCITVS CHR.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno, qui secundus numeratur Balduini pueri Hierosolymorum Regis, exercitus Christianorum sub spe potiundi Bostro metropoli Arabum, ex insidiis in extrema pericula coniectus, virtute sacratissimæ Crucis, quam Robertus Nazarenus Archiepiscopus baiulabat, mirabiliter liberatus est; ac paulo post cum rursum internecioni subiaceret, prædio ignoto Duce, nempe cœlesti nuntio, eodemque signifero, secure reductus est Hierosolymam. Hæc pluribus Tyrius *d*.

d Tyr. li. 16. c. 8. & seqq.

IESV CHRISTI AN. 1145.

EVGEN. III. AN. 1.

CONR. REG. ROM. 7.

MANVELIS 3.

I. LVCII PP. OBITVS.

ANno Domini millesimo centesimo quadragesimo quinto, Indictione octaua, quinto Calendas Martii, *Lucius* Papa ex hac vita migrauit Romæ in monasterio S. Gregorii ad Cliuum Scauri; & sepultus est in basilica Lateranensi; postquam sedisset menses vndecim, ac dies quatuordecim: fecisseque ordinatione vna diaconos, presbyteros, & Episcopos per diuersa loca: ex quibus *Nicolaum* diaconum Sancti Laurentii in Damaso creauit Bibliothecarium, (quo munere ipse functus erat,) virum imprimis literis Hebraicis peritissimum; qui de emendatione diuinæ Scripturæ commentarium edidit. Hæc in codice Vaticano, qui inscribitur, *De Priuilegiis Ecclesiæ Romanæ*. Vbi de Lucii obitus occasione asseritur, ipsum, cum Romanos ad noua studia concitatos conaretur depellere à Capitolio, incerto lapidis ictu percussum esse, atque non post multos dies ex eo vitam finiisse. At nihil de ictu lapidis Otto eius temporis auctor; sed tantum Lucium quotidianis cruciatibus ob eiusmodi Romanorum rebellionem vexatum, ac tædio vitæ affectum, diem obiisse.

II. Non vacauit Sedes; sed repente (vt ait S. Bernardus) ob periculum ab Arnaldistis imminens, conuenientes vnanimes Cardinales in proximam Ecclesiam monasterii S. Cæsarii, illic Dei nutu, haud de gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus; sed conuertentes oculos in Abbatem monasterii S. Anastasii Trium fontium extra Vrbem Ordinis Cisterciensis, eidem haud pridem sub Innocentio Papa præfectum à S. Bernardo, cuius discipulus fuerat, Bernardum itidem nominatum, patria Pisanum, virum probitate insignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem; eundem summa concordia elegerunt in Pontificem, & ad Lateranense palatium deductum, collocatumque in Sede Apostolica, EVGENIVM Tertium nuncuparunt. Qui cum proxima Dominica consecrationem apud S. Petrum ex more suscipere pararet, præcognito Senatorum peruerso consilio, qui eius electionem violenter retractare disposuerant, nisi eis vsurpatum Senatum Apostolica auctoritate confirmaret, noctis silentio ab Vrbe secedens, apud Farfense monasterium in Sabinis consecratus est. Tradit hæc scriptus codex Vaticanus.

EVGENIVS PP. III.

III. ARNALDISTARVM FVROR ROMÆ.

Inter hæc autem adueniente in Vrbem Arnaldo perditissimo hæresiarcha, & seditionem acrius commouente, in tantum apud furentem plebem eius venenosæ doctrinæ cœpit inualescere malum, vt non solum nobilium Romanorum à Pontifice stantium, sed & Cardinalium ac Clericorum diruerint, diripuerintque domus, nonnullosque etiam Cardinales tentos sauciarint, & inhoneste tractarint; necnon depositis ministris Pontificis, omnes ciues ad subiectionem Patricii sui compellere sategerint: denique vsque eo progressi fuerint, vt S. Petri Ecclesiam in munitionem bellicam conuertentes, peregrinos causa orationis aduenientes, ad oblationem quæstus gratia plagis & verberibus cogerent, & offerre nolentes in ipso templi vestibulo occidere non vererentur: cum interim Eugenius Papa eorundem fugiens furorem, Viterbium se recepisset. Narrat hæc Otto *a* Frisingensis Episcopus, sincerus eius temporis auctor, necnon Ligurinus *b* in Friderico: quæ Sanctus quoque Bernardus *c* ipsis Romanis exprobrauit, cum his nefandis auditis, egregiam ad ipsos hoc eodem anno in spiritu vehementi, sed sancto, obiurgatoriam conscripsit epistolam, qui etiam aduersus eos Conradum Regem pro defensione Ecclesiæ hortatus *d* est.

a Ott. Frising. Chron. lib. 7. c. 31. & in Rib. gest. Frider. Imp. l. 2. c. 20.

b Ligur. li. 3.

c Bern. ep. 242.

d Id. ep. 243

Accidit vero inter hæc, vt secundum illud diuinum *e* oraculum de prædestinatione Sanctorum pronuntiatum; *Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob; & filii regni eiicientur in tenebras exteriores*; dum Romani resilirent à Sede Apostolica, & expulsus ab eis Eugenius Pontifex Viterbii considere cogeretur; accurrerint ad eum è longinquo populi, & legationibus ab vltimo pene Oriente (præter alias frequentes Occidentalium, Borealiumque) visitatus fuerit. Tradit enim Otto *f* Frisingensis; dum ipse apud eundem Pontificem Viterbii ageret, Legatos Armeniorum Episcoporum, eorumque Metropolitani, (quem *Catholicum*, id est, Vniuersalem, vocarent propter immensum amplius mille Episcoporum numerum, quem sub se haberet;) laboriosum iter per annum & sex menses complentes, aduenisse ad Eugenium, eique ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam offerentes, causas viæ has aperuisse; nimirum, quod cum inter ipsos & Græcos quædam in sacris ritibus discrepantia esset, dum licet in conficienda Eucharistia pane fermentato, sicut illi, vterentur, tamen aquam vino admiscerent, sicut nos & illi; ac præterea Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates vnam facerent: de his, & aliis, inter se dissentientes, Romanam Ecclesiam iudicem elegissent, à qua formam sacrificii iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcerent. Itemque quod essent in confinio Armeniæ quædam gentes, quæ fœtus suos fœtentes generarent, sed ad aquas Armeniorum lauandi transmissi, statim, vbi baptismatis vnda tincti essent, innatum fœtorem amitterent, qui tamen mox ad cultum Paganismi redirent: de his quoque quid agendum esset, Romanam Ecclesiam Legati consuluerunt: iidemque à Summo Pontifice diligenter de omnibus instructi sunt. Additque Otto, qui aderat, vnum ex Legatis Episcopali dignitate insignitum, in die dedicationis Ecclesię S. Petri, Summo Pontifice diuina mysteria solemniter celebrante, attentiorem sacro altari adstantem, (sicut postea cunctis retulit) splendido

e Matt. 8. LEGATIONES EXTERNORVM AD SVM. PONT.

f Otto Frising. lib. 7. c. 31. 32. 33. CATHOLICVS ARM. SVBIICIT SE ROMANO PONT.

INNATVS FŒTOR BAPTISMO PELLITVR.

VISIONE DIVINA CONFIRMANTVR ARMENII.

fulgore

fulgore radium Solis super caput Pontificis coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidisse: cunque nullum aditum per quem lux illa transfunderetur inueniret, diuinitus hoc esse factum cognoscentem, ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensum fuisse.

V. *g Rolf. in Nomocan. Phot. tit. 13. de lat. c. 2. Ap. Baron. an. 1148. n. 8.* DE BAPTISMO AGARENORVM AD CORPORALEM MEDICINAM.

Sed quod pertinet ad populos, baptismum ad eludendum fœtorem suscipientes; est etiam de iis mentio apud Theodorum Balsamonem, dum agens *g* de *Synodo* habita à Luca Chrysoberge Patriarcha Constantinopolitano, qui sedit paulo post sub ipso huius temporis Imperatore Manuele Comneno, ait venisse ad Synodum Agarenos, qui cum iuberentur baptizari, responderunt se iam in suis regionib. baptizatos fuisse, quod esset cõsuetudo vt omnes Agarenorum infantes ab Orthodoxis sacerdotibus baptizarentur: verum Patriarcham noluisse eos admittere, quod aud sset, baptismum quem illi Infideles à Christianis peterent, non bona affectione & Orthodoxo proposito peti, sed propter corporalem medicinam; cum Agarenis persuasum esset, fore ut sui liberi à dæmone vexarentur, & tanquam canes malè olerent, nisi baptismum Christianum assequerentur: sicque non ad animæ sordes abluendas, & sanctificationem consequendam, baptismum postularent, sed tanquam veneficium & incantationem. Hæc ibi.

VI. LEGATIO EX SYRIA AD ROM. PONT.

Sed vt redeamus ad narrationem Ottonis; subdit ipse, se eodem tempore vidisse Viterbij Episcopum Gabulensem in Syria, cuius præcipuè opera ad plenum Antiochia Romanæ subderat Sedi, tam de Patriarcha suo Antiocheno, quam de matre Principis conquerentem, Sedisque Apostolicæ auctoritatem implorantem, pro obtinendis decimis spoliorum Saracenis ablatorum, exemplo Abrahæ qui eas Melchisedecho dedit. Eumdemque tradit, ob periculum in quod Latinorum Ecclesiæ Orientales incidissent capta ab Infidelibus Edessa, decreuisse adire Reges Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio. Hæc Otto in Chronico. In Rebus *h* vero gestis Friderici Imp. narrat, his de periculo Christianorum Orientalium auditis, cœptum esse in Occidente agi de noua expeditione in Terram Sanctam: facileque fuisse Ludouicum Regem Francorum ad opus religiosum impellere, quod iam secreto vouisset eandem peregrinationem inire. Quapropter re ab eo cum Principibus suis communicata, omnium unam fuisse sententiam, vocandum esse S. Bernardum Abbatem Clarævallensem, ut ab eo tamquam à diuino oraculo quid in his fieri oporteret acciperent: illum autem de tanto negotio propriæ auctoritatis arbitrio decernere frivolum iudicantem, respondisse ad Romanum Pontificem deferri debere: missa vero ad Eugenium Legatione, eum non solum votis Regis annuisse, sed & auctoritatem prædicandi, animosque cunctorum ad eam expeditionem commouendi, eidem S. Bernardo, qui apud omnes Galliæ & Germaniæ populos vt propheta vel Apostolus habebatur, concessisse. Hæc Otto; qui etiam recitat epistolam Eugenij ea de re ad Regem, Principesque, & vniuersos Galliarum populos scriptam, qua illis qui crucem susciperent multa priuilegia concessit pro vxorum; liberorumque, & bonorum securitate; atque iis qui in expeditione morerentur, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contrito cõfessi essent, absolutionem indulsit. Quæ vero secuta sunt, dicentur anno sequenti.

h Otto in Frider. lib. 1. c. 34.

REX FR. AGIT CVM SVM. PON. DE EXPEDIT. IN TER. S.

VII. *Id. in Chron. lib. 7. cap. 31. & 34.* ROMANI REDEVNTVRAD OBEDIENTIAM PONTIF.

Interea namque factum est, ut dum Eugenius laboraret pro liberatione Terræ Sanctæ, Deus expugnauerit inimicos eius, nempe Romanos: quos (vt idem *i* auctor ait) Pontifex, percusso anathemate Iordane ipsorum Patricio cum eius fautoribus, adiunctaque Tiburtinis Romanorum antiquis hostibus militi, coercuit, ac demum pacem petere coegit: quæ his conditionibus inita est, vt Patriciatus dignitatem ab ipsis nuper introductam abolerent, & Præfectum quem Pontifices constituere consueuissent, ipsi vero expulissent, in pristinam dignitatem reciperent, atque Senatores ex Pontificis auctoritate reuerent. Sicque in Vrbem Eugenius rediens, ac ingenti omnium lætitia exceptus, Natiuitatem Domini ibidem celebravit. Sed paulo post ab eodem populo Romano de excidio Tiburtinorum adeo importune solicitatus est, vt improbitatem eorum non sustinens, à Lateranensi palatio in Transtiberinam munitionem S. Angeli, ad euitandum insanum eorum furorem, se receperit.

IESV CHRISTI AN. 1146.

EVGEN. III. AN. 2.

CONR. REG. ROM. 8.

MANVELIS 4.

ANno Christi millesimo centesimo quadragesimo sexto, indictione nona, tertia Dominica post Pascha, celebratum est *Carnoti* pro expeditione in Terram Sanctam, generale ex omnium Galliarum prouinciis CONCILIVM Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum; cui etiam adstitit Rex unà cum Principibus Regni: de quo extant *a* literæ S. Bernardi, & Sugerii Abbatis S. Dionysii, ad Petrum Cluniacensem, & huius responsio. Quid verò in eo actum fuerit, docet idem S. Bernhardus *b* scribens ad Papam Eugenium; nempe (quod plane mireris) eumdem ipsum S. Bernhardum quasi in ducem totius belli, & principem militiæ electum esse. Verum satis visum Eugenio, si ille tuba sacerdotali indiceret bellum, & siue verbis siue scriptis literis Christianum populum excitaret: quod illum felicissime, sequentibus innumeris signis atque immensis prodigijs, præstitisse, testantur Acta Vitæ ipsius, & epistolæ ab eo conscriptæ, necnon Otto Frisingensis; sed magis ipse rerum successus, dum non solum Ludouicus Rex *c* alio apud Vezelacum celebrato Conuentu, Crucem ab eodem S. Bernardo sumpsit unà cum multis aliis Principibus & optimatibus regni sui; (quos tam ingens populi multitudo secuta est *d*, vt vacuarentur vrbes & castella:) sed & eiusdem hortatu *e*, Conradus Romanorum Rex generali indicto apud Spiram in Natiuitate Domini, alioque in Baioaria mense Februario anni sequentis, Germanorum conuentu, atque Crucem, una cum fratre suo Henrico Duce Noricorum, aliisque Principibus, & innumeris nobilibus accepit: quibuscum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otto Frisingensis, virtutibus & meritis clarus, qui demum addit *f*, non solum ex Romano Imperio, sed etiam ex vicinis Regnis, id est, Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis fama ad sumendam Crucem commotis, repente sic totum pene Occidentem siluisse, vt non solum bella mouere, sed & arma quem piam in publico portare, nefas haberetur.

I. CONCIL. CARNOT. PRO EXPEDIT. IN TER. S. *a Ap. Petr. Chin. 5. ep. 19 20. b Bern. Ep. 256.* S. BERN. ELECTVS DVX BELLI. *c Otto Frising. in Frid. l. 1. c. 38.* REG. FR. ET GERM. CRVCEM SVSCIPIVNT. *d Bern. ep. 246. e Otto. ibid. c. 39. 40. Ber. ep. 322. Ab Baron. hoc an. et seq. f Ibid. cap. 42. 43.*

Quod autem in epistola de his ad Germaniæ populos scripta, S. Bernardus *g* eos monet vt abstinerent ab internecione Iudæorum; quid hoc sit, discesab Ottone qui aderat, dum ait, inter hæc *Radulphum* quemdam monachum, virum religionis severitatem solerter imitantem, sed literarum peritia partim imbutum, in partibus Galliæ quæ Rhenum attingunt, multa populorum millia ad accipiendam Crucem accendisse; sed hoc doctrinæ suæ perperam inseruisse, vt Iudæi tamquam Christianæ religionis hostes trucidarentur; indeque factũ esse, ut passim in Gallia & Germania plurimi eorum necati fuerint: sed Bernardum literis ad eosdem populos scriptis, auctoritate Sacræ Scripturæ luculenter ostendisse, Iudæos ob scelerum suorum excessus non occidendos sed dispergendos fore. Extat autem epistola *h* eiusdem S. Bernardi ad Henricum Archiepiscopũ Moguntinum aduersus eumdem Radulphũ eremitam, necem Iudæorum prædicantem, qua eum pluribus notis stigmatizat infamiæ, ac vehementissimè exagitat, ob tria in eo reprehensione dignissima, videlicet vsurpationem prædicationis, contemptum Episcoporum, & homicidii approbati libertatem. Porro agens pariter de Iudæis Petrus *i* Cluniacensis in epistola ad Ludouicum Regem pro eadem expeditione promouenda, eos non occidendos quidem existimat, sed tamen impunitos non reliquendos de Christianorũ vel vsuris exhaustis vel furtiua emendo iniustè possessis, quibus eos iustè expoliandos suadet, iisdemque alendos bellantes

II. *g Bern. ep. 22. et ap Otton. d. c. 16.* DE IVDÆIS NECANDIS PRAVA DAMNATA OPINIO. *h Bern. ep. 323.* *i Petr. Clu. l. ep. 33.* PETRVS CLVNIAC. QVID DE IVDÆIS.

pro

pro Christo milites. Vt autem iis temporibus penes omnes Iudæi execrabiliores haberentur, præter vniuersalem totius generis maledictionem, continuumque & implacabile eorum in Christianos odium, ac frequentissima scelera, recentia accesserunt demerita; & præsertim, quod hoc ipso anno execrandum facinus perpetrasse, Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum tradit; nempe apud Norwicum Angliæ ciuitatem crucifixisse puerum quendam Christianum nomine Willelmum; quem extra ciuitatem ab eis sepultum, diuina lux super eum emicans declarauit. Quam ob causam, & quod stylo diserto eos Petrus Cluniacensis exagitauit, de eis necandis data est ea occasio proclamandi, quam vidimus per S. Bernardum esse repressam. Qui & ipsum Radulphum huius internecionis incentorem, inuentum Moguntiæ, commonitum ne contra regulam monachorum per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem induxit ad cœnobium suum redire, vt testatur Otto *k*.

k Otto ibid. c. 39.

III. ALIA EXPEDITIO IN PAGANOS BOREALES.

Cæterum non hanc tantummodo in Terram Sanctam hoc tempore susceptam fuisse expeditionē, sed aliam quoque aduersus Borcales populos adhuc Paganos, idem auctor *l* tradit: quas vero isti acciperent pro tessera militari S. Crucis Imagines, in eo diuersas fuisse ab iis quas sumerent, qui proficiscebantur in Orientem, quod non simpliciter vestibus assutæ, sed à rota subterposita in altum prorenderentur. Agit de eadem expeditione Saxo *m* Grammaticus; atque eam mandato Romani Pontificis susceptam esse, dum datis per Europam epistolis, vniuersos Christianitatis hostes ab eius cultoribus oppugnari præcepit, ita vt singulæ Catholicorum prouinciæ confinem sibi barbariem incesserent. Nec vero istas duntaxat, sed etiam in Saracenos illos, qui adhuc quamplurima Hispaniæ loca possidebant, expeditionem nauale motam esse, Dodechinus tradit in Chronico anno sequenti.

l c. 40. in fi.

m Saxo Gra. l. 14.

ALIA IN SARAC. HISP.

IV.

Hoc eodem anno Willelmus Patriarcha Hierosolymitanus, vbi absoluisset in sede annos quindecim, ex hac vita decessit: in cuius locum translatus est è sede Tyrensi Fulcherus Archiepiscopus, de quo superius dictum est. Hæc ex Willelmo Tyrio *n*. Eodemque anno Michael Oxyta Patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos duos, & menses octo, (vt habet Græca series Patriarcharum Constantinopolitanorum) se sponte abdicauit, & in Oxyam insulam rediit, in qua vitæ inopis & simplicis institutum à puero fuerat amplexus. Ibique in templi vestibulo prostratus, cuiuis monacho collum calcandum præbuit, quod contra quam sibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiasset, nulloque cum fructu thronum sublimem conscendisset. In eius vero locum suffectus est Constantinopoli *Cosmas* diaconus patria Ægineta, eruditione & virtutibus, ac præsertim benignitate erga pauperes insignis. Hæc Nicetas Choniata.

n Tyr. l. 16. c. 17.

POENITENTIA MICHAELIS PATRIAR. CONST.

IESV CHRISTI AN. 1147.

EVGEN. III. AN. 3.

CONR. REG. ROM. 9.

MANVELIS 5.

1. LEGATI A SVM. PON. DECRETI PRO EXPEDIT. IN TER. S.

ANno Christi millesimo centesimo quadragesimo septimo, Indictione decima, ab Eugenio Papa duo decreti sunt Legati pro expeditione in Terram Sanctam, alter qui proficisceretur cum Ludouico Francorum Rege, nempe Guido Florentinus S.R.E. presbyter Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni; alter qui Conradum Regem Romanorum comitaretur, hoc est, Theodinus Cardinalis Episcopus Portuensis. Hæc Willelmus Tyrius. Porro Conradus in Ascensione Domini iter capessiuit; quem multa secuta sunt infortunia, quæ describuntur ab eius peregrinationis comite, eiusdemque Regis fratre, Ottone *a* Episcopo Frisingensi: peruenitque ad Constantinopolitanæ vrbi proximam regionem die ante Natiuitatem Dei-Genitricis MARIÆ: totum vero quod fuit reliquum huius anni, partemque sequentis, antequam appellerent in Palæstinam, consumpserunt in itinere, multis molestiis afflictati.

a Otto Frising. in Frid. lib. 1. c. 45.

CONRAD. REX APPELLIT IN ORIENTEM.

II. EVGE. PP. RECIPIT SE IN GAL.

Regem autem Ludouicum detinuit aliquantisper in Gallia aduentus Eugenii Papæ; qui vitans Romanorum Arnaldistarum iugem persecutionem in Gallias se conferendi more maiorum consilium iniit: quem Ludouicus Parisiis expectauit, excepitque honorificentissime. Traditur hoc in Rebus *b* gestis *S. I. Villelmi*, tunc canonici regularis Ordinis S. Augustini in eadem ciuitate Parisiensi, postea vero Abbatis Roschildensis in Dania. Vbi etiam additur; cum paucis post diebus voluisset Pontifex in Ecclesia S. Genouefæ mysteria diuina peragere, ortam esse contentionem inter ipsius & canonicorum Ecclesiæ ministros, adeo, vt ad pugnos res processerit, & non solum Pontificis ministri, sed etiam ipse Rex Ludouicus, qui illos compescere voluit, à canonicorum famulis verberatus sit: ea vero rei indignitate permotis Pontifice & Rege, in eam Ecclesiam introductos fuisse Canonicos Regulares sancti Augustini, sumptos ex Abbatia sancti Victoris eiusdem ciuitatis: quorum institutum ab eo tempore in Abbatia sancti Genouefæ hactenus consecratum est.

b Ap. Sur. 6. April.

CANONICI REGVL. INTRODVCTI IN ECCL. S. GENO. VEFÆ.

III. REX FR. PROFICISCITVR IN TERR. S.

His peractis Rex peregrinationem aggressus, per Hungariam profectus, transito Bosphoro in Syriam proximam Quadragesimæ peruenit. Sunt plures qui ista scribant, sed copiosius Sugerius Abbas S. Dionysii in Vita ipsius Ludouici, à quo proficiscente ipse relictus est Regni administrator: atque, illum ordinatis omnibus ad iter tantæ peregrinationis necessariis, accessisse ex more ad Ecclesiam Sancti Dionysii, à Martyribus accepturum licentiam; & ibi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis, & vexillum B. Dionysii, quod Gallice ORIFLAMBE dicitur, valde reuerenter accepisse; sicut moris erat antiquorum Regum, quando deberent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere: tuncque mouisse directe cum magno comitatu Prælatorum & Baronum, hoc ipso Domini anno hebdomada secunda post festum Pentecostes. His autem de tempore profectionis cum assentiatur etiam Dodechinus, qui in nauali expeditione & ipse vnus ex illis fuit; nec non auctor in Appendice ad Lambertum, itemque Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum; qui omnes disertis verbis testantur, hoc eodem anno profectionem Regum contigisse: ex iis atque aliis, tu corrigas errorem illapsum in Willelmum *c* Tyrium, dum eladem quam Iconii accepit Conradus proditione Græcorum, contigisse asserit anno superiori millesimo centesimo quadragesimo sexto. Cæterum si res gestas nosse cupis, habes quos consulas eosdem Sugerium, & Willelmum; itemque Nicetam Græcum auctorem: cuius firmissima constat auctoritate (nequis Latinorum commentum existimet) Conradi exercitum dolo Græcorum, Manuele id agente Constantinopolitano Imperatore, à Turcis fractum, pessumdatum, ac perditum fuisse: sed & nullum mali genus extitisse, quod idem Manuel vel non ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset; adeo, vt calcem farinæ Græci miscerent: vt sic eorum posteri perpetuis monimentis ab adiuuandis in Oriente Latinis deterrerentur.

c Tyr. l. 16. c. 12. in fi.

VEXILL. ORIFLAMBE S. DIONYSII.

CONRADI REG. EXERCITVS PERIT PRODITIONE GRÆCOR.

IV. GILIBERTI PORRET. HÆRESIS DESERTVR AD APOST. SED.

Eodem anno ad iudicium Sedis Apostolicæ delata est hæresis GILBERTI, siue Gisleberti cognomento PORRETANI, Pictauiensis Episcopi: qui cum ab adolescentia vsque ad vltimam senectutem in diuersis Galliæ locis philosophiam magno nomine docuisset, nuper ad dignitatem Pontificalem euectus, sicut antea consueuerat subtiliter de quæstionibus philosophicis disputare, ita & cœpit de rebus diuinis multa præter communem Ecclesiæ morem dicere: indeque factum, vt quod antiquitus dictum, reque ipsa probatum est, philosophos patriarchas fuisse hæreticorum, in Giliberto fuerit hoc tempore infeliciter innouatum; cum ex Aristotelis Topicis quædam de diuinitate & Deo, aliisq; religionis Christianæ mysteriis, siue in concionibus, siue familiaribus colloquiis, temere effutire ausus est. Quamobrem à duobus Archidiaconis suis, tanq; contra fidem Catholicam docēs, ad Sūmi Pontificis Romanæq; Sedis examē vocatus,

tam

tam ipse, quam illi, Eugenio Papæ ab Vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tusciæ occurrerunt: sed causa in Galliis coram ipso Pontifice plenius cognoscenda remissa, interea S. Bernardus de his ab Archidiaconis certior factus, zelo quo æstuabat fidei Catholicæ, vna cum eis nauiter egit vt promulgatæ quæ decerentur à Giliberto hæreses damnarentur. Narrat hæc pluribus Otto *d* Frisingensis; sed nimis cum laude doctrinæ & acuminis Giliberti, & quadam reprehensione credulitatis ac zeli S. Bernardi. Verum idem rebus clarius perspectis, quem prius excusare conatus fuerat Gilibertum, & ipse ad regulas topicas Aristotelis Euangeliũ aptare laborans, postea ex hac vita migraturus, (vt testatur Radeuicus *e* eiusdem Frisingensis Ecclesiæ Canonicus) publice obtestatus est, vt quæ pro Giliberto scripsisset vnde aliqui offenderentur, ea arbitrio virorum religiosorum corrigerentur secundum Catholicæ fidei & S. Rom. Vniuersalis Ecclesiæ regulam: ac deinde multa cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysteriis, in medio multitudinis sanctorum tam Episcoporum quam Abbatum Domino spiritum reddidit. Hæc Radeuicus de Ottonis pœnitentia ob Gilibertum laudatum atque defensum.

S. BERN. ADVERSVS GILIBER. CONCITATAR.

d Otto in Fris. lib. 1 cap. 46. & seqq.

e Radev. in Frid. lib. 2. cap. 11.

V. ASSERTIONES EIVS.

Quinam autẽ fuerint errores, quibus Gilibertus impetitus est, idem Otto narrat; nempe quod assereret, Diuinam essentiam non esse Deum: Proprietates personarum non esse ipsas personas: Theologicas personas in nulla prædicari propositione: Diuinam naturam non esse incarnatam. Itemque, Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum: Quodque Ecclesiæ Sacramenta euacuando, diceret nullum baptizari nisi saluandum; & cetera in hunc modum. Additque auctor, actum de his esse in tribus diuersis *Conuentibus* ab ipso Eugenio Papa pro negotiis Ecclesiasticis celebratis, primo *Antisiodori*, deinde *Parisiis*, postremo *Rhemis*: & in Parisiensi Gilibertum, cum hinc inde multa ei obiicerẽtur, pluriumq; impulsationibus ad responsionem de diuina Maiestate cogeretur, inter cetera dixisse, *Audacter confiteor, Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc*: eiusque dicti obscuritatem, tamquam profanam verborum nouitatem, cum stomacho ab omnibus auditam esse: porro Eugenium perspecta causæ difficultate, protelãdam eam vsque ad pleniorem Synodum Rhemis celebrandam iudicasse. Agetur de ea anno sequenti.

CONVENTVS PARIS. ADVERSVS EVM.

VI. HENRICIANÆ. HÆRESIS TEMPVS.

Interea hoc eodem anno, vrgente causa, vir insignis Albericus S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, ab Eugenio electus Legatus in prouinciam Tolosanam aduersus HENRICVM hæreticum *Petrobrusianum*, qui illam prouinciam vehementer impiis hęresibus labefactarat; S. Bernardum, Gaufredum Episcopum Carnotensem, & alios Episcopos doctrina & sanctitate præstantissimos secum duxit. Quod enim ad tempus spectat; Henricum innotuisse hoc tempore, & plures seduxisse, atq; aduersus eum tum Petrum Cluniacensem, tum S. Bernardum scripsisse, ex eo possumus intelligere, quod numeret Petrus *f* annos viginti à Petro Bruis magistro Henrici, quem emersisse diximus anno Redemptoris millesimo cẽtesimo vigesimo sexto: itemq; quod S. Bernardus *g*, cum de eodem Henrico cauendo epistolam ad Ildephonsum Comitem S. Ægidij, in cuius ditione tunc erat, scripsit, sane ante sequentem annum ad eum scripsisse oportuit; siquidem eo anno Ildephonsum in expeditione Hierosolymitana esse defunctum, affirmat Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum.

f Pet. Clun. l. ep. 2. & lib. 3. ep. 16.

g Bern. ep. 240.

VII. HENRICVS QVALIS FVERIT.

Qualis autem iste *Henricus* fuerit, describens eadem epistola S. Bernardus, ait fuisse olim monachum, eumdemque literatum, sed relicto religionis habitu apostatam factum, ad spurcitias carnis & sæculi, tamquam canem ad suum vomitum, esse reuersum: præ confusione vero inter cognatos & notos habitare non sustinentem, vel potius non permissum ob magnitudinem criminis, factum esse gyrouagum & profugum super terram; cumq; mendicare cœpisset, posuisse in sumptu Euangelium, & venale distrahentem verbum Dei, euangelizasse vt manducaret: siquid autem supra victum elicere posset à simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, in ludendo aleis, aut certe in vsus turpiores turpiter effundere consueuisse: frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus inuentum esse, & interdum etiam cum coniugatis: quare de Lausana ciuitate, de Cenomanis, de Pictaui, de Burdegala, ignominiosissime eiectum, haud ei patuisse tunc vspiam reuersionis aditum, vtpote qui fœda post se reliquisset vbique vestigia. Hæc Bernardus de vita moribusque Henrici. An vero dum illum sic audis ab eo describi, non tibi idem videtur plane iisdem coloribus pinxisse nostri tẽporis infelicissimos hæresiarchas, ex apostasia pariter prodeuntes, & in gulæ atque luxuriæ gurgitem sese præcipites dantes?

VIII. EIVS HÆRESIS CAPITA.

Nec quidem immerito. Nam quos audisti apostasia & turpitudine haud impares, vide & doctrinæ perfidia simillimos. Tradit enim Petrus Cluniacensis, Henricum heredem nequitiæ Petri Bruis, cum nescio quibus aliis, doctrinam eius diabolicam nõ quidem emendasse, sed immutasse: & prẽterquam quod Baptismum infantium ante intelligibilem ætatem negarent; Templa superflue in honorem Dei fabricari, eaque dirui oportere assererent; Cruces sacras confringendas esse dicerent; Veritatem Corporis & Sanguinis Domini in Sacramẽto altaris abnuerent; Suffragia pro Fidelibus defunctis reiicerent: (quę cuncta communia fuere Henricianis cum Petro de Bruis:) his addidisse, Irrideri Deum canticis ecclesiasticis. Quibus plane concordant, quæ de eiusdem Henrici perniciosa doctrina S. Bernardus *h* prodiisse ait; nempe vt basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia essent, & sine Christo deniq; Christiani; Ecclesiæ reputarentur Synagogæ; Sanctuarium Dei sanctum esse negaretur; Sacramenta non sacra censerentur; Dies festi festiuis frustrarentur solemniis; Morerentur homines in peccatis suis; raperenturque animæ passim ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliatæ, nec sacra communione munitæ; ac Paruulis Christianorum Christi intercluderetur vita, dum baptismi negaretur gratia.

h Bern. ibid.

IX. EA SCRIPTIS ET MIRACVLIS CONFVTATA.

Ceterum has eorumdem hæreticorum impietates, tam Petrus Cluniacensis validissima disputatione confutauit, quam S. Bernardus prædicationibus suis, atque admirandis plane signis & operibus confudit: vt siquid frontis Nouatores hodierni haberent, puderet quemlibet eorum ea denuo reuocare in obseruantiam, quæ cõfutata, damnata, omninoque proscripta scriptis Sanctorum, & virtute miraculorum viderent. Res autem ab eodem S. Bernardo in ea quam diximus Alberici Legatione gestas, descripsit eiusdem temporis auctor Gofridus *i* monachus Clarævallensis, qui & oculis eas vidisse potuit, cum ipse testetur *k* pene omnibus quæ de S. Bernardo scripsit præsentem se fuisse. Ex eius vero narratione constat, adeo sermonibus suis, & frequentissimis miraculis Bernardum profecisse, vt vbi illa hæresis maxime vigeret, simplices in fide instructi fuerint, nutantes roborati, errantes reuocati, subuersi reparati; subuersores autem, & obstinati ita repressi, vt ne apparere quidem præsumerent: atque etsi tunc fugerit Henricus, latueritque, ita tamen obstructas esse vias eius, vt vix alicubi postea tutus, tandem captus & catenatus Episcopo traditus fuerit.

i Gofrid. in Vit. S. Bern. lib. 3. cap 5 & 6.

k In præf. eiusd. lib. 3.

X. INGENS MIRACVLVM S. BERN. PRO CONFIRMATIONE FIDEI CATHOL.

Ex multiplicibus autem quę in confirmationem fidei Catholicę sunt ab eodem Sancto tunc edita miracula, illud minime hic omittendum, quod apud oppidum Sarlatum contigit; cum post completum sermonem, plurimis ad benedicendum panibus, sicut vbique fiebat, ei oblatis, eos ille in Dei nomine signo Crucis benedicens; *In hoc*, inquit, *scietis vera esse quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem*: cumque Gaufredus Episcopus Carnotensis qui aderat, addidisset, *Si bona fide sumpserint, sanabuntur*; confestim Bernardus, de Domini virtute nihil hæsitans, *Non ego hoc dixerim*, ait, *sed vere qui gustauerint sanabuntur*; *vt proinde veros nos & veraces Dei nuntios esse cognoscant*. Tam vero ingens multitudo languentium gustato eo pane conualuit, vt re per totam prouinciam diuulgata, vir sanctus peruicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinauerit, & timuerit illo ire. Hæc Gofridus: quæ apprime demonstrant viri sanctissimi securitatem certam de veritate Catholicæ fidei quam tuebatur, & falsitate hæreticæ perfidiæ quam insectabatur, vt libera promissione, nulla licet fide petentis opitulante, spondeat in confirmationem doctrinæ quam prædicabat à Deo exhibẽda fore miracula. Cuius voci cum & Deus obedientem se

præstiterit, perspicue non Henriciana tantum hæresis tunc damnata est, sed recentiores omnes Nouatores Sacramentarij eadem cum Henrico sentientes, diuino calculo suæ pariter damnationis sententiam acceperunt.

XI. HÆRESIS APOSTOLICORVM DICTA.

Fuit insuper eidem S. Bernardo his diebus pugnandum aduersus alios nouos hæreticos; qui cum certo carerent auctore à quo denominari possent, seipsos APOSTOLICOS appellarunt, quod iactarent se esse successores Apostolorum: qui etiam se, ac solos, corpus Christi esse gloriabantur, potestatemque habere quotidie in mensa sua corpus Christi & sanguinem consecrandi ad nutriendum se in corpus Christi & membra; cum alioqui rusticani homines essent, & idiotæ, ac prorsus contemptibiles. Tradit hæc de illis S. Bernardus *l*. Ex cuius etiam prolixiori de ipsorum erroribus tractatione intelligi potest, eos de insania Manichæorum prodisse: siquidem plura cum illis communia habuerunt, puta secretum cum periurio, secundum illud Manichæorum, *Iura, periura, secretum prodere noli*; cum alias ne tenuiter quidem iurare vllatenus acquiescerent: itemque, quod omnes qui de Ecclesia sunt, canes esse censerent & porcos; quod coniugium abhorrerent, cum tamen impudentissimis sese luxuriis iugiter inquinarent; quod pariter abstinerent à carnibus, & omnibus quæ ex carne generantur; quod Testamentum vetus non reciperent, sed Euangeliũ tantum; quod promiscuòs & clandestinos conuentus agentes, mutuo sese omni spurcitia polluerent, cum tamen votum præferrent castitatis; ac denique quod ne detegi possent, vel hæretici conuinci, cum Catholicis in Ecclesiam conuenirent, presbyteros honorarent, munera offerrent, confessionem facerent, sacramentis communicarent, moribus extrinsecus præstarent, ieiunarentque, & manibus operarentur vnde vitam sustentarent. Quæ omnia ad Manichæorum doctrinam formamque esse composita, si relegas quæ de illis superius sunt recensita plane reperies.

1 *Bern. in Cant. Serm. 66.*

EX MANICHÆIS DERIVATA.

XII. ALIA EIVS CAPITA COMMVNIA CVM NOVATORIB. NOSTRI TEMP.

Sed præterea addit idem Sanctus & alias eorumdem Apostolicorum hæreses, communes cum nostri temporis Nouatoribus; vt habeant vnde se istis quoq; genitos esse parẽtibus rusticanis & impiis glorientur. Irridebant enim (vt ait *m*) Catholicos, quod baptizarent infantes, quod orarent pro mortuis, quod Sanctorum suffragia postularent, quod crederent ignem purgatorium restare post mortem: dicebantq; peccatores esse Papas, Archiepiscopos, Episcopos, presbyteros, ac per hoc nec dandis nec recipiendis idoneos sacramentis. Hæc autem omnia qui recitat, pariter & confutat per singula idem S. Bernardus. Quem scientia diuinitus illustratum, in virtute miraculorum à Deo missum, atque egregia vitæ sanctitate imbutum, Dei amicum fuisse cum certo sciam; ipsi penitissime inhærendo qui inhęsit Deo, securus existo: deplorans ex Christiana charitate perditissimos Nouatores, qui hos nefandissimos sectantes brutos hæreticos, iisdem, aliisque eis similibus, immensa plane cœcitate percussi plus deferant, quam Bernardo, ceterisque sanctissimis viris, qui diuersis temporibus easdem hæreses scriptis, verbis, & miraculis impugnarunt.

m *d. ser. 66.*

XIII.

Quod ad res spectat Orientis; eodem anno Cosmus Patriarcha Constantinopolitanus, vbi decem menses sedisset, obiit; successitque in locum eius (vt habet Græca series Patriarcharum Constantinopolitanorum) *Chariton* ex monacho.

Conradus autem Romanorum Rex Paschali hebdomada litus Palæstinum attigit, & post paucos dies ad eamdem sanctam ciuitatem peruenit. Hæc de tempore Otto *a* Frisingensis Episcopus, qui cum Rege Conrado Cruce signatus eam laboriosissimam peregrinationem confecit. Porro orta contentione inter Principes, vnius anni triuere tempus, nihil memoria dignum agentes: cum vero proxime accepturi Damascum essent in deditionem, inconsulte nimis circumuenti proditionibus, soluêre obsidionem. Quæ tu pete, si plenius scire cupis, à Sugerio & Tyrio.

a *Otto in Frid. lib. 1. cap. 58.*

Quo ipso anno, media Quadragesima, (vt Otto *b* ait) hoc est vndecimo Calendas Aprilis, (vt Robertus *c* expressius designat) indictum *Rhemis* ab Eugenio Papa generale CONCILIVM celebratum est. In quo imprimis oblatus est eidem Pontifici homo quidam pestifer, natione Brito, nomine EVDO, cognomine *de Stella*, non infimi generis, sed plane illiteratus & idiota, dæmonumq; ludificatione ita demẽtatus, vt cum sermone Gallico diceretur *Eon*, se esse crederet *Eum*, qui in Ecclesiasticis exorcismis dicitur venturus iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem: Ita plane fatuus, vt *Eon*, & *Eum*, nesciret distinguere; sed & supra modum stupẽda cœcitate, crederet se esse dominatorem & iudicem vivorum & mortuorum. Eratq; per diabolicas præstigias tam potens ad capiẽdas simplicium animas, vt magna eum multitudo sequeretur. Videbatur enim esse circa eum ingens gloria, apparatus, fastusque regius; & qui cum eo erant, solicitudinis laborisque expertes, pretiose indui, splendide epulari, & in summa lætitia agere videbantur. Fiebant enim ista phantastice & per dæmones, ita vt quotiescumque vellet in promptu essent panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores: cum alioqui quantam cumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox sequeretur esuries, vt eosdem cibos illico repetere cogerentur. Quicumque autem forte ad eos accedens ex cibis eorum vel modicum gustasset, continuo ex participatione mensæ dæmoniorũ mente mutata spurcissimæ multitudini adhærebat: & quicumq; ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat. Porro interdum mira velocitate per diuersas prouincias ferebatur, interdum vero morabatur cũ suis omnibus in locis desertis & inuiis, moxque instigante diabolo erumpebat improuisus, omnibus quidem formidabilis, sed ecclesiis maxime monasteriisq; infestus. Cum autem à Principibus ad eum capiendum exercitus mitterentur, quæsitus non inueniebatur. Sed tandem fraudatus ope dæmonum, cum non amplius permitterentur à Deo per illum debacchari, leui negotio à Rhemense Archiepiscopo comprehensus est, & ad Concilium deductus: vbi cum interrogatus, rursum alia fatua deliraret, iussus diligenter custodiri ne pestis iterum serperet, tempore exiguo superuixit. Populus autem stolidus qui eum sequebatur, dilapsus est. Sed ipsius discipuli, quos magnis insignierat nominibus, alium vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Iudicium, & in hunc modũ ceteros, cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent, sed potius obstinatissime de suis gloriarentur nominibus, immo & comminarentur detentoribus suis; Curiæ prius, & postea ignibus traditi, ardere ad mortem quam ad vitam corrigi maluerunt. Narrat ista Willelmus *d* Neubrigensis eius sæculi auctor: quæ breuius recensentur ab iisdem qui supra Ottone & Roberto. Ceterum quod & isti testentur eumdẽ Eon, cum talem se diceret, qualem Neubrigensis tradit, de suis quosdam Angelos, alios Apostolos fecisse, & propriis Angelorum seu Apostolorum nominibus appellasse; eo plane signo, & ipsum ex Manichæorũ officina prodiisse, possumus intelligere ex iis quæ dicta sunt suo loco de Manichæis.

II. b *Id. ibid. cap. 55.* c *Robert. Appind. ad Sigeb.* CONCIL. RHEM. SVB EVG. PP. DE EON, INSANO HÆRETICO, EIVSQVE PRÆSTIGIIS.

DISCIPVLORVM EON NOMINA, ET POENA.

d *Neubrig. lib. 1. cap. 19*

Quod vero ad cetera in Synodo gesta; perlatas ad illam Regum causas esse, idem Neubrigensis narrat: nimirum venisse Legatos iunioris Romanorum Regis Henrici, nuntiantes Summo Pontifici electionem eius ad Imperium; & querimoniam agentes de tribus fratribus Ducatus Poloniæ, qui electo quarto, eodemq; seniore, Ducatum inter se diuiserant, ac de Episcopis illius prouinciæ, qui patri ipsorum iuramentum super hoc præstiterant. Sed quid de his in Concilio definitum fuerit, dicere prætermittit.

III. CAVSA PRINCIPVM DELATÆ AD CONCIL. RHEM.

Insuper autem statuti sunt in eadem Synodo canones decem & septem, spectantes ad disciplinam Ecclesiasticam

IV. c *Rer. Boi Tom. XI.*

in vsum

IESV CHRISTI AN. 1148.

EVGENII III. AN. 4.

CONR. REG. ROM. 10.

MANVELIS 6.

I. APPVLSVS REGVM FRANC. ET GERM. IN PALÆST.

ANNO Christi millesimo centesimo quadragesimo octauo, Indictione vndecima, Francorum exercitus sub Rege Ludouico in Syriam prope Antiochiam circa mediam Quadragesimam, fractus maris tempestatibus appulit, & Hierosolymam peruenit Dominica Passionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hoc an. ex cod. Vatic. & Gallic.

in vsum pristinum reuocandam: qui ferme omnes iam antea promulgati fuerant in maxima illa Synodo Lateranensi sub Innocentio secundo; sed quod negligerentur, fuere rursum ab Eugenio iterandi: quamuis nec sic quidem, præ malitia sæculi, seruatos esse, conquestus sit post quadriennium S. Bernardus in libris de Consideratione ad eumdem Eugenium.

V. DE GILIBERTO TRACTATVR POST SYNODVM.

Post hæc demum introducta est in Concilium causa Giliberti Pictauiensis Episcopi, de qua dictum est anno superiori: vbi idem expertus est S. Bernardum vehementissimum contradictorem. Qui cum adeo perstringeret illum, vt omnino conuinceret hæreticum; Eugenius Papa tanti consulens famæ Episcopi, id seorsum post dimissam Synodum tractandum duxit. Quo tempore, post habitam coram ipso Pontifice, & delectis insignioribus doctrina Episcopis & Abbatibus, cum eodem Giliberto de ipsius dogmatibus disputationem; scripta sunt, dictante S. Bernardo, capitula quatuor aduersus totidem erroneas assertiones Giliberti: quod dictū est Symbolum fidei. Cum enim Gilibertus assereret, (quod & superius attigimus) Primo, Diuinam naturam, quæ Diuinitas dicitur, Deum non esse, sed formam qua Deus est: quēadmodum humanitas homo non est, sed forma qua est homo: secundo, Cum Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnum esse dicuntur, non nisi vna Diuinitate esse intelligi; nec conuerti posse, vt vnus Deus, vel vna substātia, vel vnum aliquid, Pater & Filius & Spiritus Sanctus esse dicatur: tertio, Tres personas tribus vnitatibus esse tria, & distinctas proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres res æternæ, & ab inuicem à diuina substantia in numero differentes: quarto, Diuinam naturam non esse incarnatam: Hæc, inquā, cum Gilibertus assereret; econtra S. Bernardus cum reliquis Antistitib. professus est: Primo, Credere se simplicem naturam Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas. Si vero dicitur, sapientia sapientem, æternitate æternum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi; nonnisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, ea æternitate quæ est ipse Deus, diuinitate quæ est ipse Deus, sapientem, æternum, Deum esse, id est, se ipso sapientem, æternum, Deum. secundo, Cum de tribus personis loquimur, ipsas vnum Deum, vnam diuinam substantiam esse; & è conuerso, cum de vno Deo, vnaque diuina substantia loquimur, ipsum vnum Deum, vnam diuinam substantiam esse tres personas. tertio, Solum Deum Patrem & Filiū & Spiritum Sanctum, æternum esse; nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia eiusmodi, à Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus. quarto, Ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio. Narrantur ista breuiter à Gofrido *f* in Vita S. Bernardi; locupletius autem ab Ottone *g* Frisingēsi. Extatque *h* insuper eiusdem (vt putamus) Gofridi, siue Gaufredi monachi Claræuallensis, qui huic interfuit Rhemensi Concilio, Epistola historica ad Cardinalem Albanēsem post plura annorum curricula scripta; qua rogatus ab eo, totam Giliberti causam, eiusque discussionem in Synodo & extra factam, ordine commemorat: meminitque aliorum quorumdam eiusdem Giliberti errorum de Incarnatione & humanitate Christi, in quibus sapere Nestorium videretur: quos, æque ac superiores, auctoritatibus Patrum & rationibus confutat.

SYMBOLVM FIDEI A S. BERN. SCRIPTVM CONTRA GILIB. ASSERTIONES.

f Vit. S. Bern. lib. 3. n. 5.

g l. 1. Frising. vs Frid. lib. 1. cap. 56. 57.

h Rec. Bar. hoc an. ex cod. Gallic.

VI. CARDINALES IN S. BERN. COMMOTI.

Habet autem amplius Otto, Cardinales qui tunc Rhemis erant, grauiter conquestos esse apud Eugenium, quod Bernardus seorsum cum Gallicanis, ipso absente Pontifice, ipsisque inconsultis Cardinalibus, in contemptum Romanę Ecclesiæ, cuius solius esset de fide definire, præsumpsisset Symbolum fidei condere, & credendum proponere: Pontificem autem rem gestam à Bernardo scisitantem, humile ab eo responsum accepisse, haud ipsum vel Episcopos Gallicanos ea animo definiendi conscripsisse. sed simpliciter quid sentirent exposuisse: eoque responso indignationem Cardinalium quieuisse; ita tamen, vt prædictum scriptum tamquā inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, sicut in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur, nisi ab Ecclesia Romana confirmaretur, quod quidem factum esse, ipsumque vna omnium sententia approbatum, tradit etiam Gofridus. Sed expressius Otto ait, de primo S. Bernardi capitulo Eugenium Pontificem definisse, ne aliqua ratio in Theologia inter Naturam & Personam diuideret; neve Deus Diuina essentia diceretur ex sensu Ablatiui tātum, sed etiam Nominatiui. De ipso vero Giliberto addit vterque auctor, confirmatque S. Bernardus *i*, ipsum suarum assertionū damnationi humiliter acquiescentem, eademque proprio ore publice refutantem, ad suam Ecclesiam pacifice remissum esse. Siquidem (vt testatur Gofridus) iam ab initio disceptationis professus fuerat, sine vlla sese obstinatione pro Ecclesiæ Sanctæ arbitrio correcturum libere suam opinionem. Ex quibus plane illud inducitur, eum, licet hæretice senserit, hæreticum non fuisse; cum pertinacia (quę secundum S. Augustinum *ii* facit quemque hæreticum) caruerit; atque hac de causa non fuisse multatum priuatione Episcopatus, quā incurrere omnino debuerat ex præscripto sacrarum legum, si conuictus fuisset hæreticus, immo & hæresiarcha. Ceterum etsi suum ipse sic correxit errorem, ex discipulis tamen fuerunt nonnulli, qui in ea permanentes peruersitate, hæreticis merito adnumerati meruerunt: aduersus quos disputauit postea S. Bernardus *k* in Canticis. Sed de his hactenus.

EVGENII PP. DEFINITIO.

i Bern. ser. 80. in Cant.

ii Aug. 18. de Ciuit. 51. GILIB. CVR HÆRETICVS NON DICENDVS.

k Id. ibid.

VII. INVENTIO ET TRANSLATIO CORP. S. EVGENII MART.

Accidit autem eodem tempore, vt Raymundus Archiepiscopus Toletanus, qui vocatus cum aliis venerat ad Rhemense Concilium, in via prope Parisios ingrediens basilicā S. Dionysii, repererit ibi reconditum sacrum corpus S. Eugenii martyris, primi Archiepiscopi Toletani. Quod factum est vt sub Alphonso Rege socero Ludouici Francorum Regis, anno millesimo centesimo quinquagesimo sexto, basilicham eiusdem Sancti à Rege ad socerum illud expetentem missum fuerit in Hispaniam, exceptumque summa reuerentia, ipso Alphonso & filiis sue collantibus sacram sarcinam. Reliqua vero sacri corporis ossa nostro tempore, concedente Carolo Nono Christianissimo Francorum Rege, pari religionis cultu accepit, qui per Legatos petierat, Philippus Secundus Hispaniæ Rex Catholicus.

VIII. EVGEN. PP. PROBAT RES HILDEGARDIS VIRG.

Absoluto vero Rhemensi Concilio, cum Eugenius Papa Treueros accessisset, rogatus ab Archiepiscopo Moguntino, quid de Visionibus *S. Hildegardis* virginis monialis sentiendum esset, decernere, ad rem diligentius inuestigandam, missis ad ipsius monasterium nonnullis idoneis viris, auditaque ipsorum relatione, & lectis eiusdem Hildegardis scriptis, ac demum habito cum S. R. E. Cardinalibus qui aderant, aliisq; piis viris (inter quos fuit & S. Bernardus) cōsilio, literis salutatoriis beatam virginem visitauit; quibus concessa licentia proferendi quæcunque per Spiritum Sanctum cognouisset, eam ad scribendum animauit. Narrat hęc Theodorus Abbas in Rebus *l* gestis eiusdem Sanctæ. Porro eam prædixisse Eugenio, ipsum nonnisi extremis diebus pacem in Vrbe Roma habiturum, traditur à Ioanne Saresberiensi in Epistolis *m* S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi.

l Ap. Sur. 17. Sept.

m Cod. Vat. Epist. S. Thom. Cant. 1. ep. 17. in. fin.

Accidit quoq; inter hæc, vt Theobaldus Archiepiscopus Cantuariensis, rediens è Rhemensi Concilio, grauem persecutionem passus sit à Stephano Angliæ Rege, ea occasione quod vocatus ab Eugenio Papa, perrexisset ad Synodū contra prohibitionem eiusdem Regis; itemque, quod prohibēte Romano Pontifice, filium Regis Eustachium coronare noluerit. Quamobrem haud ab eius persecutione destitit, antequam Eugenius Papa omni cessante appellationis obstaculo, in terram interdicti sententiam præcepit ab omnibus Episcopis auctoritate Apostolica exerceri. Hæc Thomas Cantuariensis *n* in epistola ad Bosonem Cardinalem. Alia vero ad *o* Alexandrum Papam, aduersus eumdem Stephanum Regem expostulat, quod Nuntios ipsius Eugenij terram illam intrare prohibuisset. Quem & S. Bernardus in Malachia ait, ob dissensiones inter ipsum & Eugenium Papam, vetuisse Episcopis ne se conferrent ad Romanum Pontificem. Porro Eustachius, quem Eugenius prohibuit coronari, anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, ipsa die S. Laurentij, cum inuaderet terram S. Eadmūdi martyris, subita morte præreptus est; ita Deo vleiscente in sacrilegum impij Regis filium.

IX. THEOBAL. CANTVAR. ARCHIEP. QVID PASSVS A REGE ANGL. OB ROM. ECCL.

n Thom. Cantuar. 1. ep. 136. cod Vatic.

o Ibid. 4. ep. 14.

Post hæc autem, & alia ab Eugenio dum esset in Galliis stabilita, idem in Italiam dirigens iter, etsi non Romam, vbi manere non licuit ob rebellionem Arnaldistarum, saltem ad

X.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Romanæ Ecclesiæ loca prope Vrbem posita peruenit mense Octobris: vt colligitur ex S.Bernardo in Malachia; dum Malachiam ait, cum venisset Claram vallem, vt Eugenium pro Pallio alloqui posset, inuenisse eum iam abiisse, & esse Romæ, vel prope Romam. Malachiæ vero aduentus in Claram vallem, contigit quatuor vel quinque dies ante festum S. Lucæ. Vbi cum post totidem dies in morbum incidisset, obiit quarto Nonas Nouembris hoc ipso anno, ætatis eius quinquagesimo quarto. De quo panegyrim in die depositionis habuit S. Bernardus, eidem charitate cõiunctissimus, eiusque sanctitatis cultor addictissimus, atq; virtutum prædicator amplissimus; cuius & Vitam scripsit, sicut fideliter, ita & copiose, auctore dignam: extantque eiusdem ad illum tres *p* epistolæ, cum ex Hibernia misisset quosdam ex suis erudiendos institutionibus Cistercien sibus.

S. MALACHIÆ OBITVS.

p Bern. ep. 315.316.317

XI. ARNALDVS CLERICOS DISTRAHIT À SVBIECTIONE CARDD.

Ceterum rediens Eugenius in Italiam, præter alia execrãda, quæ ipso absente ab Arnaldo hæresiarcha aduersus Romanam Ecclesiam præsumpta inuenit, illud fuit quod non contentus Romanos laicos à Pontifice & Cardinalibus separare quæsisse, insuper & clericos subditos eisdem Cardinalibus ratione Titulorum, siue ecclesiarũ quarum ipsi Rectores essent, ab eorum subiectione & obedientia diuellere laborauit: adeoq; profecit, vt ad hunc euellendum errorem non ipsi solum Eugenio, sed & eius successoribus Hadriano Quarto, & Alexandro Tertio, fuerit magnopere insudandum: vt constat ex iis, quæ extant *q* in codice Vaticano, eorumdem trium Pontificum ea de re decretis.

q Rec. Bar. hoc an.

XII.

Hoc eodem anno cum Rogerius Siciliæ Rex ingentem parasset classem aduersus Græcorum Imperatorem Emmanuelem; iste sibi ab eo timens, primum omnium diuinum sibi numen conciliare laborauit, quod à se nuper grauiter offensum satis intelligebat, dum lege lata cuncta immobilia ab omnibus ecclesiis & monasteriis abstulisset: cuius legis eam partem quæ spectaret ad monachos, recensет Nicetas Choniata. Licet autẽ hanc facti turpitudinem pulchris coloribus honestare curasset; tamen vexatione, quæ consueuit dare *s* intellectum, redditus prudentior, continuo parauit medicamentum, quo inflictũ Ecclesiæ vulnus sanaretur. Siquidem hac ipsa Indictione vndecima, mense Februario, Auream Bullam promulgauit, quam etiam ab effectu *Medicatricem* appellauit, qua generatim cunctis Ecclesiis concessit vt immobilia possidere possent; & quæcumq; quouis titulo ad eas pertinuisse, vel pertinere probarentur, pacifice habere voluit. Idq; ipsum postea aliis legibus cauit pro bonis magni templi Constantinopolitani, Sophiæ, siue Sapiẽtiæ dicti; necnon pro bonis item immobilibus monasteriorum conseruandis. quæ ipsius tres constitutiones habentur in Codice Iuris *t* Orientalis, atq; etiam apud Theodorum *u* Balsamonem.

r Nicet. in Manuel. lib.7. s Isa.28.

CONSTITVTIO MEDICATRIX EMMANVELIS IMP.

t Iur Orient.lib.2. u Balsam.in Syn Sept. cap. 12.

XIII. ECCLESIVRA PERVMDATA IN ORIENTE.

Quam autem in reliquis miser esset Orientalis Ecclesiæ status, satis ex eodem Balsamone intelligitur, dum tractans de canone decimoquinto Concilij Carthaginiensis, quo agitur de non trahendo clerico ad laicorum tribunal, ait illũ canonem apud Græcos contemptum fuisse; multosque non solum ex laicis, sed etiam ex ministris sacris, Episcopos, clericos, & monachos, ad sæcularia iudicia trahere, immo & nolentes cogere, & è conuerso clericos & monachos cum in foro Ecclesiastico conuenirentur, illud recusare, & causas ad sæculare iudicium euocare, impune consueuisse: atq; ẽtibus Iudicibus, Imperatoriam potestatẽ omnia facere, & immutare posse. Quibus ostenditur, ad ima prorsus demersa iam fuisse omnia Ecclesiastica iura: vnde opus fuit, vlciscente numine, Imperatores priuari Imperio, & redigi in seruitutem, cum cogerent Ecclesiam sibi ipsis subiici seruitute. Discantque hinc Principes Occidentales, pro ipsis rem agi ab Episcopis, cum quod suum est vendicant ab eorum manibus censuris Ecclesiasticis.

XIV. DE SVCCESSIONE PATRIARCH. CONST.

Quod spectat ad successionem Cõstantinopolitanorum Patriarcharum; hoc eodem anno Chariton, vbi sedisset mensibus vndecim, mortuus est. De cuius successore constat erratum in Græca serie Patriarcharũ, dum post eum ponitur Theodosius, quem Nicetas docet vixisse tempore obitus Manuelis Imp. anno Domini millesimo cẽtesimo octogesimo. Ceterum post Charitonem, ponendum esse *Lucam* cognomento *Chrysobergen*, testantur Acta Synodalia sub eo habita, quę in Codice Iuris *x* Orientalis notantur Indictione decimaquarta sub Imperatore Comneno. At quæ Indictio decimaquarta accipienda sit, cum sub eodẽ Manuele eiusdem numeri Indictionem contingat tertio repeti, ex Balsamone *y* intelligitur, dum de eadem agens Synodo, celebratam dicit anno ab origine mundi, secũdum illorum supputationem, 6695. ita notato numero barbaris notis: verum quod is annus tempora Manuelis excedat, sub quo certum est celebratam esse Synodum; puto restituendum esse 6675. quo anno incidit posita ibi Indictio decimaquarta, eritque annus Redemptoris millesimus centesimus sexagesimus sextus. Sane quidem diu vixisse Lucam in sede Patriarchali, argumento sunt ea quæ de ipso frequenter ingerit Balsamon.

x Iur. Orient. lib.3.

y Balsam.in Nomocan. Phot. tit.13. de laic.c.2.

IESV CHRISTI AN. 1149.

EVGENII III. AN. 5.

CONR. REG. ROM. 11.

MANVELIS 7.

I. CONRADI REG. REDITVS IN ITALIAM.

ANno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, Conradus Romanorũ Rex Hierosolymis rediens, Constantinopolim se contulit; ibiq; iniens fœdus cum Emmanuele Imp. aduersus Rogerium Siciliæ Regem, eius cum classe nauigauit in Italiam, viribus suis militaribus consumptis, exercitibus perditis, rebusque deploratis. Quem cum Eugenius Papa in Longobardiã peruenisse audisset, literis est cum consolatus: quas recitat Otto *a* Frisingensis, Conradi in peregrinatione comes, scriptas illas in Tusculano octauo Calendas Iulij, cum ipse Eugenius his temporibus (vt auctor est Robertus) cum rebellibus Romanis vario euentu confligeret.

a Otto Frising. in Frider. lib.1. cap 61.

II. LVDOVICI FRANC. REG. REDITVS IN GALLIAM.

Quod vero spectat ad reditum Ludouici Francorum Regis de Terra Sancta; ipse mare nauigans, captus est à nauibus Emmanuelis Imp. sed mox ereptus à classe Rogerij Siciliæ Regis; cuius Dux Georgius (inquit Robertus in Appendice ad Sigebertum) vastatis & spoliatis Græcorum prouinciis, vsq; ad ipsam vrbem Constantinopolim accedens, sagittas aureas in palatium Imperatoris iecerat, & incensis suburbanis, de fructu hortorum eius violenter tulerat: inde in naues Græcorum incidens, captum Ludouicum Regem ceperuit, sed captos Regis obtentu dimisit. Ludouicus autem à Siciliæ Rege, necnon à Romano Pontifice honorifice susceptus est, atq; deductus. Post cuius reditum, habitis per Franciam conuentibus, annuenteque Eugenio Papa vt Abbas Clarævallis Hierosolymam ad alios prouocandos mitteretur; grandis iterum sermo de profectione transmarina haberi cœpit, sed per Cistercienses monachos res soluta est. Hæc ex Roberto. Quod autem Cistercienses nouæ expeditioni obstiterint, occasio illa fuit, quod cum nupera infelix admodum extitisset, in auctorem eius S. Bernardum obloquentium omnium linguæ conuersæ essent; adeo vt fuerit ipsi necesse pro seipso scribere Apologiam *b* quem & alij *c* eodem tempore ab ea importuna accusatione vindicarunt; docentes ipsum quidem Spiritu Dei afflatum expeditionem suasisse, sed vel eos qui eam suscepissent, ob superbiam lasciuiamq; suam salubria mandata non obseruantes, merito rerum ac personarum dispendium tulisse; vel sic variis tribulationibus à peccatis suis purgatos, opportune à Deo ereptos esse ex hac vita, ne diutius in ea permanentes peiora forte prioribus scelera in suarum perniciem animarum perpetrarent. Nam & Ioannes Abbas Casæmarij *d* de his ad ipsum S. Bernardum scribẽs, postquam vtramq; hanc rationem attigisset, sancte asseruit, se ex certissima reuelatione SS. Ioannis & Pauli Martyrum hæc didicisse; eosdemque addidisse, multitudinem Angelorum qui ceciderant, de illis qui in expeditione mortui essent restauratam esse.

OBLOCVTIONES IN S. BERN. OB INFELICEM EXITVM SACRÆ EXPEDIT.

b Bern. de consid. lib.2. in pr.

c Otto Frising. in Frider. lib.1. c.60. in fin. Gosf. in Vit. S.Ber. lib.3. cap.4.

d Ap. Bern. p.333.

III. FRATER REG. FRANC. FIT MONACHVS CISTERCIEN.

Hoc eodem anno, (vt notat Robertus) magna omnium admiratione, Henricus frater Ludouici Regis Francorum, abdicans se à sæculari consuetudine monachus factus est Ordinis Cistercien sis; cum (sicut ait Gofridus *e*) ad S. Bernardum de quodam sæculari negotio locuturus veniens,

e Gosf. in

visitans-

visitansque conuentum Fratrum, vbi eorum se orationibus commendauit, prædicente Bernardo ipsius conuersionem, eodem postmodum die suscepit habitum. Sed haud diu permissus est in ea quam elegerat vita degere: siquidem defuncto paulo post Bellouacensi Episcopo, ipse ab iis ad quos spectabat electus, cum acquiescere abnueret, iussus est ab Eugenio Papa, & à proprio Abbate S. Bernardo *f*, adhibito etiam consilio Venerabilis Petri Cluniacensis, Episcopatus administrationem suscipere. In qua vbi Apostolice cœpit agere, ipsum Regem Ludouicum germanum suum expertus est aduersarium, vt S. Bernardus testatur in literis *g* ad Eugenium Papam pro eo scriptis.

Vit. S. Ber. lib. 2. cap. 3. IDEM FIT EPISC. BELLOVAC.

f Vid. ep. Pet. Clun. 6 ep. 1. & 3.

g Ber. ep. 228 305.

IESV CHRISTI AN. 1150.

EVGENII III. AN. 6.

CONR. ROM. REG. 12.

MANVELIS 8.

I. ANno Christi millesimo centesimo quinquagesimo, Indictione decimatertia, (vt auctor est Romualdus, Archiepiscopus Salernitanus in Chronico) Rogerius Siciliæ Rex biennio ante suum obitum, Willelmum Principem Capuanum, quem solum ex multis liberis superstitem habebat, in Regem fecit inungi, & secum voluit pariter regnare. Extat vero Petri *a* Cluniacensis Abbatis ad eumdem Rogerium epistola, qua cõsolatus est ipsum in funeribus filiorum, & hortatus pacem agere cum Germanorum Rege Conrado, & arma conuertere in Græcorum Imperatorem, cuius proditione pene totius Galliæ & Germaniæ flos in expeditione ad Terram Sanctam periisset. Quibus quidem currenti calcaria addit. Spoliatam enim Corinthum, Corcyramq; insulam ab eo captam, præter alia quæ sunt anno superiori recensita habet Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum.

a Pet. Clun. 6. ep. 18.

PETR. CLVN. SOLICITAT ROGER. ADVERSVS GRÆCOS.

II. Quo eodem tempore, idem Petrus Cluniacensis Eugenium Papam adiens, benignissime exceptus, & honorificentissime atq; familiarissime habitus ab eo est; vt pluribus narrat ipse scribens *b* ad S. Bernardum. Inter alia vero sui Ordinis vrgentia negotia, quorũ causa ad eum venit, fuit *c* quod Hugo quidam, cognomento Discalciatus, cœpisset ædificare aliquod castrum super Cluniacense monasterium, tamquam munitionem aduersus illud. Quod cum anathemati Eugenius submisisset, nec tamen Hugo desisteret monachos deridere, memorabilem plane Deus vindictam de contemptis seruis suis exercuit, dum sexto ab hinc anno, nempe Domini millesimo centesimo quinquagesimo sexto (vt Robertus tradit) castellum illud terræ motu absorptum est chasmate terræ, & loco eius lacus profundissimus excreuit in exemplum Iudicij magni Dei.

b lib. 6. ep. 17. Ibid. ep. 46

CASTELLVM MALEDICTVM TERRA ABSORBET.

IESV CHRISTI AN. 1151.

EVGENII III. AN. 7.

CONR. REG. ROM. 13.

MANVELIS 9.

I. ANno Domini millesimo cẽtesimo quinquagesimo primo, Indictione decimaquarta, duo primarij Germaniæ Archiepiscopi, Moguntinus, & Colonienses, rei ad dicendã causam ab Eugenio Papa vocati, comparuerunt auro & muneribus onusti, vt ea donarent Eugenio, tunc ob multiplices expensas causa belli ciuilis cum Romanis effusas egentissimo. At ipse nihil penitus ex eis attingens, eadem in Germaniam reportare coegit; causaq; vtriusque examinata, Colonienſem innocentem inuentum absoluit, Moguntinum autem pleniori iudicio remisit; de quo dicturi sumus suo loco. Testatur hæc S. Bernardus in libris de Consideratione *a* ad eumdem Eugenium anno sequenti scriptis, vbi eius à muneribus abstinentiam egregie prædicat.

MOGVNT. ET COLON. ARCHIEP. CAVSAM DICVNT. APVD ROM. PONT.

a Ber. de cons. lib. 3.

II. Hoc item anno in castro *Baugenciaci* in Gallia habita est SYNODVS Episcoporum & Optimatum, pro discutiendo matrimonio longe ante hac celebrato inter Ludouicum Regem & Eleonoram filiam Willelmi Ducis Aquitaniæ, quod ob consanguinitatis gradum sufficienter probatum, fuit de consensu partium dissolutum. Narrat hæc pluribus Sugerius Abbas S. Dionysij, qui interfuit: subiicitq; de alio viro, cui post hæc nupsit Eleonora, nempe Henrico Duce Northmanniæ, qui postea fuit Rex Angliæ, & alia vxore quã duxit Ludouicus, nempe Constantia filia Regis Hispaniæ. Contigitq; pariter eodem ferme tempore per Legatos ab Eugenio missos solui coniugium Friderici *b* Sueuiæ Ducis, qui post Conradum successit in Regnum Imperiumque Romanum, cum vxore sua ob consanguinitatem inter eos intercedentem: qui postea Imperator factus aliam duxit nomine Beatricem Principis Burgundiæ filiam.

II. CONCIL. BAVGENC. PRO DIVORTIO REGIS.

b Otto Frising. in Frid. lib. 2. c. 11. & 29.

Eodemque anno (vt ponit Rogerius in Annalibus) Eugenius Papa constitutis in Hibernia quatuor Archiepiscopatibus, eo Ioannem Paparonem Cardinalem Legatum à Latere misit cum quatuor Palliis, quæ numquam illuc delata fuerant: cuius Ioannis Legationis meminit S. Bernardus summa cum laude.

III. QVATVOR ARCHIEP. IN HIBERNIA CONSTITVTI.

Quo etiam anno *S. Henricus* Finlandiæ Episcopus, & totius illius gentis Apostolus, vbi eos magna ex parte ad Christianam fidem conuertisset, grassatione impiorum necatus, martyrij coronam est consecutus. Cuius præclarum agonem, & Apostolicum munus pro Christo susceptum & consummatum, Ioannes Olaus *c* descripsit.

IV. *c Io. Ola. in metrop. Vpsal. & de Reb. Goth. lib. 19. c. 3.*

Hocque item anno (vt habetur in codice Vaticano, & in Pomœrio ecclesiæ Rauennatis, atque apud alios auctores) GRATIANVS monachus Benedictinus S. Felicis Bononiensis, collegit ampliori studio librum Decretorum, & per Distinctiones ac Quæstiones rite disposuit. Porro in eodem codice quæ dicuntur *Palea*, recentiori scriptura esse exaratæ noscuntur; vt appareat omnino alterius quam Gratiani opus illud esse. Patria autem Gratiani in eodem Pomœrio ponitur Classa ciuitas Tusciæ; apud Matthæum vero Westmonasterienſem, Gusa itidem Tusciæ ciuitas: sed deprauate vtrobique, pro Clusio. Nam quod alij affirmarunt fuisse monachũ cœnobij Classensis prope Rauennam, haud istud facit ad patriam. Neque enim est illud in Tuscia, nec ciuitas est; ideoque nec conuenit cum eius patrio solo à ceteris designato. Sed hæc alijs accuratius consideranda relinquimus.

V. DE GRATIANO COLLECTORE. [De cuius Scriptis, vide censurã Bellar. lib. de Script. Eccl. in Gratia.]

IESV CHRISTI AN. 1152.

EVGENII III. AN. 8.

FRIDER. REG. ROM. 1.

MANVELIS 10.

I. ANno Christi millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Indictione decimaquinta, anno quarto à Concilio Rhemensi per Eugenium Papam celebrato, S. Bernardus (vt ipse *a* testatur) scripsit ad eumdem Pontificem, ipso expetente, aureos illos quinque libros *De Consideratione*, quibus non ipsum tantum Eugenium, sed Pontifices omnes ad bene administrandum Pontificatum informat. Quæ autem aduersus Romanos tela iaculatur, ea tu iam superius vidisti contra Arnaldistas, populi fœcem, intorsisse. Sed quod in fine sperat eos à Deo sanandos, id plane prophetice locutus est. Nam Robertus in Appendice ad Sigebertum hoc ipso anno ponit, Eugenium cum Romanis pace facta, Vrbem ingressum esse, ibique cum eis tunc primitus commoratum; scilicet post reditum è Galliis.

a Ber. de cons. lib. 4. S. BERN. SCRIBIT LIBROS DE CONSID.

II. Hoc ipso anno, decimoquinto Calendas Martij, mortuus est Conradus Rex Romanorum, non absque suspicione veneni, propinati suasione Rogerii Siciliæ Regis à me-

II. CONRADI REG. OBITVS ET

SVBROGATIO FRIDERICI.

dicis quos ex Italia acceperat. Reliquit autem regalia, non filio Friderico ætate satis minori, sed fratris sui filio itidem *Friderico* nominato Sueuorum Duci, cognomento *Ænobarbo*: quod & generalibus Comitiis fuit à Principibus approbatum. Hæc pluribus Otto *b*, qui aderat ipsius Friderici patruus: ex quo Guntherum corrigas, dum obitum Conradi, & subrogationem Friderici, ponit anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

b Otto Frising. in Frid. lib. 1. c. 65. & lib. 2. cap. 1.

III.

Porro electo Friderico, missam ab eo esse Legationem ad Eugenium Papam, idem Otto tradit. Extantque *c* in Bibliotheca Vaticana, in volumine quod *Censius Cameralis* inscribitur, antiqua documenta concordiæ inter ipsos Eugenium & Fridericum initæ; ex parte quidem Regis, pro defensione Ecclesiæ Romanæ eiusq; bonorum ac iurium; ex parte vero Summi Pontificis, pro corona Imperij ei impertiēda. Verum ostendit continuo Rex, qualis postea futurus esset. Siquidē cum defuncto Archiepiscopo Magdeburgense, de subrogādo ei successore inter eligentes decertaretur, re ad Fridericum delata, ipse alteri parti persuasit, vt Guicmannum Cicēsem Episcopum eligerent, eidemque accersito regalia illius Ecclesiæ tradidit. Narrat hæc Otto *d*. Quonam vero iure id Fridericus præsumpserit, subiicit; nempe quod diceret, sub Henrico Quinto (Rege, Quarto eius nominis Imperatore) sic compositam esse inter Regnum & Sacerdotium controuersiam de Inuestituris Episcoporum, vt obeuntibus Episcopis, si forte in eligendo partes fierent, Principis arbitrij esset Episcopum quem vellet de primatum suorum consilio ponere, nec electum aliquem ante consecrandum, quam ab ipsius manu regalia per sceptrum suscepisset. Hæc Otto: quæ quidem ad excusandas excusationes in peccatis sunt apposita; cum non fuerit, nec esset facultatis cuiusquam Regis vel Imperatoris, à sede in sedem, absque graui causa, Sede Apostolica inconsulta, Episcopum transferre. Quamobrem his auditis Eugenium Papam grauiter commotum esse, & tam literis quam legationibus, regiæ præsumptioni restitisse, idem Otto *e* narrat. Quid vero de eo fieri contigerit, dicetur post annum sequentem.

c Rec. Bar. An. Tom. XII. hoc. an. CONVENTIONES INTER EVGEN. PP. ET FRID. REG.

d Otto in Frid. lib. 2. cap. 6.

IVS PRÆTENTVM A REGE IN ELECT. EPISCOP.

e Ibid. c. 8.

IV.

Hoc eodem anno, Indictione prima iam inchoata, defunctum esse Rogerium Siciliæ Regem, habet Romualdus in Chronico; licet alij post biennium id ponant, vt Robertus. Successit Willelmus filius, cognomento Malus; de quo inferius.

ROGERII SICVLI OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 1153.

EVGENII III. AN. 9.

FRIDER. REG. ROM. 2.

MANVELIS 11.

I.

ANno Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio, Indictione prima, Eugenius Papa Legatos misit in Germaniam duos Cardinales, videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium diaconum, ad depositionem quorundam Episcoporum: qui apud Wormatiā tempore Pentecostes, præsente & agente Friderico Rege, Henricum Moguntinum Archiepiscopum, de quo dictum est biennio ante, deposuerunt, & in locum eius Arnoldum Regis Cancellarium, à Clero & populo electum, substituerunt. Tradit hæc Otto *a*, qui aderat. Idque ipsum hoc anno contigisse, scribit etiam Dodechinus in Appendice ad Marianum. Sed iuste, an iniuste id factum fuerit, diuersa est assertio diuersorum. Excusandam esse simplicitatem Henrici, ob quam fuisset à falsis fratribus circumuentus, ingessit S. Bernardus *b* scribens pro eo ad eosdem Legatos. At Otto Episcopus Frisingensis, & ipse sicut nobilitate & scientia præcipuus, ita vita integerrimus, noxium eum asserit, quod pro distractione Ecclesiæ frequenter correptus, numquam fuisset correctus. Conradus autem Episcopus, qui post centum annos Chronicon scripsit Moguntiacum, (vt ipse testatur) ab exordio rem gestam narrans, Henriciq; innocentiam prædicans, omnem culpam rejicit in Arnoldum eius proditorem, atque in Legatos Apostolicæ Sedis pecunia corruptos; quos etiam terribili Dei iudicio punitos narrat. Sed quod hæc incognita fuisse noscantur huius temporis Scriptoribus omnibus, haud mediocrem falsitatis suspicionem habent in auctore qui post sæculum scripsit: cum & iidem ipsi Cardinales Legati, quos post annum & dimidium male periisse tradit, longe diutius superuixisse, inferius sit reperire.

ARCH MOGVNT. DEPONITVR.

a Ibid. c. 9.

b Bern. ep. 302.

Hoc eodem anno, octauo Idus Iulij, *Eugenius* Papa diem obiit Tibure, cum sedisset annos octo, menses quatuor, & dies tredecim: indeque Romam ad Ecclesiam S. Petri maxima Cleri populique Romani frequentia, communique omnium luctu, delatus est, ibidemque sepultus. Hæc in veteri codice Vaticano Romanorum Pontificū. Fuisse vero ipsum pluribus illustratum miraculis, testatur Gofridus eiusdem temporis scriptor in fine Vitæ S. Bernardi. Porro die sequenti ab eius obitu, summa Patrum concordia electus est in eius locum, Conradus Patria Romanus, filius Benedicti, Canonicus Regularis, Episcopus Cardinalis Sabinēsis; qui nomine mutato dictus est ANASTASIVS eius nominis Quartus.

II.

EVG. PP. OBITVS.

ANAST. IV. ELECTIO.

Hoc item anno, decimotertio Calendas Septembris, *S. Bernardus* Abbas Claræuallensis, prædicti Eugenij olim in Religione pater, anno suæ ætatis circiter sexagesimo tertio, ex hoc mundo migrauit in cœlum. Vere Apostolicus vir, immo verus Apostolus missus à Deo potens opere & sermone, illustrans vbique & in omnibus suum Apostolatum immensis signis & prodigiis. Is viuens iam centum sexaginta monasteria vbique terrarum erexit. Sed hæc minora censenda, respectu gestorum illorum quæ extra claustra pro diuersis Orbis Ecclesiis, potissimū vero pro Romana operatus est: Qui & apud Imperatores, Reges, alios q; Principes, pro omnium subleuatione, atq; ipsorummet Prineipum salute, totiusque Christianitatis pace & concordia, pene incredibilia peregerit: Et qui prædicandus sit totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul ac fulcimentum, Gallicanæ vero imprimis summum decus & gloria. Cuius memoria felicissima in benedictione & sanctificatione, ad morum informationem & disciplinam, & in condemnationem hæreticorum, in Sancta Ecclesia iugiter perseueret.

III.

S. BERN. OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 1154.

ANASTASII IV. AN. 1.

FRIDER. REG. ROM. 3.

MANVELIS 12.

I.

ANno Christi millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Indictione secunda, missus in Germaniam ab Anastasio Papa Gerardus Cardinalis ad terminādam Guicmanni Electi Magdeburgensis causam, quam (vt vidimus) Eugenius bene inchoatam reliquerat; cum quædam secus nutum Regis Friderici tractare vellet, indignationem eius incurrens, infecto negotio dimissus cum dedecore, in via mortuus est. Fridericus autem missis ad Anastasium cum ipsomet Guicmanno Nuntiis, non solum facti sui ratihabitionem, sed etiam Pallium obtinere eum fecit; non sine multorum scandalo, qui numquam id factum iri, fixum apud Romanos fuisse, ab ipsis audierant. Tradit hæc Otto *a* Frisingensis: additque, exinde non solum in sæcularibus, sed & in Ecclesiasticis negotiis disponendis, auctoritatem Friderici plurimum creuisse.

LEGATVS PAPÆ SPRETVS A FRID.

a Otto Frising. in Frid. lib. 2. cap. 10.

Decessit vero ex hac vita hoc eodem anno, quarto Nonas Decembris, & sepultus est in basilica Lateranensi, idem *Anastasius* Papa, nimiæ facilitatis reprehensus. Postquam autem Sedes vacasset diem vnum, subrogatus est in locū eius, Nicolaus natione Anglicus de castro S. Albani, vir apprime eruditus, & sanctis moribus ac pietate insignis: qui cum olim studiorum causa petiisset Arelatem, paulo post Religionis habitum in monasterio S. Rufi suscepit: eiusq; deinde factus Abbas, cum pro illius negotiis ad Apostolicam Sedem accessisset, ab Eugenio Papa, cognita eius prudētia, creatus est

II.

ANAST. PP. OBITVS.

Episco-

Episcopus Albanensis: missusque Legatus à Latere ad partes Norvegiæ, gentem illam barbaram & rudem in lege Christiana diligenter instruxit, & pacem regnis, quietem Ecclesiis, ordinem & disciplinam clericis, legem populis, inde recedens reliquit. Perveniensque Romam sub Anastasio, defuncto illo, vnanimi totius Cleri populique consensu proclamatus Pontifex, intuitus & renitens in sede collocatus est, dictusque HADRIANVS eius nominis Quartus. Hæc ex codice Vaticano Romanorum Pontificum.

HADRIANI IV. CREATIO.

Mortuus quoque est hoc anno Anglorum Rex Stephanus: cui successit Henricus Dux Northmanniæ, filius Mathildis Imperatricis, qui repudiatam à Ludovico Rege Francorum Eleonoram Ducissam Aquitaniæ, in vxorem duxerat. Is autem [illegible] cepisset, Hadrianum gentilem suum creatum esse [illegible]num Pontificem, egregias ad eum scripsit gratulatorias literas, simulque hortatorias ad munus Pastoris Vniversalis rite implendum: quæ extant inter epistolas Petri *b* Blesensis.

III. HENRIC. DVX NORTHMAN. REGNAT IN ANGL.

b Ap. Pet. Blef. ep. 135.

Hoc quoque anno, mense Octobri, Fridericus Rex Romanorum cum exercitu in Italiam descendit; & ad cuitandum tyranni nomen, quod in transitu milites ob penuriam intulissent haud mediocre locis sacris damnum, collecta vniverso exercitui indicta resarciendum curauit. Narrat hæc Otto *c* Frisingensis, ipsius Friderici patruus: idemq; res bellicas à Friderico in Italia gestas exacte pergit describere; quę consulat qui eas cupit. Extat vero & Laudense scriptum antiquum Chronicon, hoc anno inchoatū ab auctore eius temporis Ottone Morena, & absolutum ab eius filio Acerbo Morena, de rebus gestis ab eodem Friderico in Italia vsq; ad annum Redemptoris millesimum centesimum sexagesimum octauum. Sed quod schismaticæ esset factionis homo, sæpe altero pede claudicare cognoscitur.

IV. FRIDERIC. CVM EXERCITV VENIT IN ITALIAM.

a Otto in Frid. lib. 2. cap. 11.

Hoc ipso anno *d* vir Apostolicus, sanctitate & miraculis clarus, *Wincelinus* Episcopus Aldemburgensis, qui in Olsatia atque Wandalia annis triginta Euangelium prædicauit antequam crearetur Episcopus, vbereque ex suo Apostolatu fructus collegit; ex hac vita decessit.

V. *d Cranz. Hist. Eccl. Sax. lib. 6. cap. 36. & sup. cap. 12. 13.*

Quod ad res pertinet Orientales; hoc tempore Almaricus Patriarcha Antiochenus infensus redditus Rainaldo Principi, ab eo tractatus est crudeliter nimis: quippe in carcerem detrusus, capite melle deliburo, muscis expositus est sub ardentissimo sole. Quo liberato opera Balduini Regis Hierosolymorum, nihilominus vltus est Deus sacrilegium, ingenti immissa penuria, traditoque ipso Principe in manus hostium. Hæc pluribus Tyrius *e*.

VI. PATRIAR. ANTIOCH. DIRA PASSVS A PRINCIPE. *e Tyr. lib. 21. c. 1. & 18.*

IESV CHRISTI AN. 1155.

HADRIANI IV. AN. I.

FRIDERICI IMP. I.

MANVEL. 13.

I.

ANNO Christi millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia, cum (vt ait sæpe citatus codex Romanorum Pontificum) his Hadriani Papæ exordiis, Arnaldus Brixiensis hæreticus rursum fauore quorumdam peruersorum ciuium & Senatorum, in Vrbem se intrusisset, atque ipsi Hadriano, ceterisque Patribus insidiari, & publice procaciter aduersari cœpisset, adeo vt Gerardum Cardinalem Sanctæ Pudentianæ, dum iret ad Pontificem, quidam ex hæreticis aggredientes, ad interitum vulnerassent: idem Pontifex ciuitatem Romanam interdicto suppossuit, & vsque ad quartam feriam Maioris Hebdomadæ vniuersa ciuitas cessauit à diuinis. Tunc vero Senatores compulsi à Clero & Populo Romano, accedentes ad Pontificem supra sancta Euangelia iurarunt, quod Arnaldum & ipsius sectatores ab Vrbe & eius finibus expellerent, nisi obedientes se Pontifici exhiberent. Sicq; ipsis eiectis, ciuitas absoluta est, & ingenti gaudio repleta. Hæc ex prædicto scriptore anonymo, qui præsens eis fuit.

OB CARD. VVENERATVM VRBS SVBIECTA INTERDICTO.

Quo etiam auctore constat, hoc tempore eumdem Hadrianum Pontificem solemni ritu excommunicasse nouum Regem Siciliæ Willelmum, eo quod aduersus Romanam Ecclesiam matrem & dominam suam rebellans, terras eius hostiliter inuasisset. Habet vero Romualdus in Chronico; cum Hadrianus audito Regis Salernum aduentu, ad eum misisset Henricum Cardinalem SS. Nerei & Achillei, Regem noluisse eum recipere, sed P[illegible]nam redire præcepisse, eo quod Pontifex literis suis eu[illegible]n Regem, sed tantum Dominum Siciliæ nominasset.

II. WILLEL. REX SICIL. EXCOMMVNICATVR.

Interea Rex Fridericus capta ciuitate Terdonensi, (inquit anonymus in Rebus gestis Hadriani) tanta celeritate cum exercitu properabat ad Vrbem, vt merito credi posset magis hostis accedere, quam patronus. Quare Hadrianus apud Viterbium tunc existens, misit ei obuiam Iacobum & Gerardum presbyteros, & Gregorium diaconum, S. R. E. Cardinales, vna cum capitulis de quibus deberent cum eo pro Ecclesia tractare. Qui ab eo apud S. Quiricum honorifice susceptì, imprimis popposcerunt reddi sibi *Arnaldum* hæresiarcham, qui in eius exercitu tunc erat; quod ipse confestim præstitit. Quid autem post de eo factum fuerit, Otto *a* Episcopus Frisingensis, & Guntherus vates Ligurinus docent; nempe illum traditum fuisse in manus Vrbis Præfecti, eiusque iussu ligno adactum, & igne combustum, cinereque in Tiberim sparsos, ne stolidæ plebi corpus eius veneration esset. Huncque tandem dignissimum exitum consecutus est nefandissimus hæresiarcha, Vrbis & Orbis perturbator.

III.

ARNALDI HÆRESIAR. FINIS.

a Otto in Frid. lib. 2. cap. 10.
b Gunt. Ligur. in Frid. lib. 3.

Addunt vero Acta Hadriani; post multa hinc inde inter eiusdem Pontificis & Friderici Legatos tractata, præstitoq; à Rege solemni iuramento de conseruandis ac defendendis omnibus debitis Pontificii iuribus, ipsum Hadrianum è munitissimo ciuitatis Castellanæ præsidio, in quod se timore Friderici receperat, ad eumdem Regem apud Sutrium descendisse: cum autem Rex ei de more officium stratoris non exhiberet, Cardinales perterritos iterum ad ciuitatem Castellanam confugisse; Pontificem vero in præparata sibi sede considentem, cum Rex ad eius vestigia procidisset, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluisset, Pontificem illud ei denegasse ob non impensum sibi ab eo, consuetum ab Orthodoxis Imperatoribus, pro Apostolorum Petri & Pauli reuerentia, reddi Romanis Pontificibus stratoris obsequium; respondenteque Rege, se ad hoc non teneri, demum sequenti die inuestigata diligenter antiqua cōsuetudine & veteribus monumentis, iudicio Principum qui aderant decretum esse, totiusq; regalis Curiæ consensu confirmatum, Regem debere Pontifici stregnam, seu suppedaneum tenere dum conscenderet equum, aut descenderet, & stratoris officium exhibere; idq; Fridericum in conspectu vniuersi exercitus alacriter præstitisse, ac postea ad pacis osculum admissum esse. Hæc ibi.

IV. CONGRESSVS HADR. PP. CVM FRID. REGE.

REX IMPLET OFFICIVM STRATORIS.

Porro Schismatici Arnaldistæ Romani, audito Regis aduentu, missa ad eum Senatorum suorum legatione, vana & superba oratione conati sunt illum præoccupare, sibiq; demulcere: sed ab eodem prudenter simul & acriter de inepto fastu obiurgati, ad Vrbem redierūt. Quorum technas & dolum malum Fridericus præsentiens, ac Pontificem consulēs, ab eo consilium accepit, mittendi confestim milites qui basilicam S. Petri & ciuitatem Leoninam occuparent. Eo vero facto ductu Octauiani Cardinalis, ipse cum Pontifice eo secure perueniens, ab illo in eadem basilica coronam, aliaque IMPERII insignia susceptt decimoquarto Calēdas Iunii. Quę cum insciis Romanis, qui se intra Vrbem insidiosè continebant, gesta essent; iisdem postea Germanos aggredientibus, multisq; vtrimq; cæsis, nihilominus Imperator intercessione Pontificis abstinuit à vindicta: Vrbeq; abscedens, Tiburtinos se ipsi dedentes, legitimo ipsorum domino Romano Pontifici obedire compulit. Post quæ, ob æstiuos calores ad propria redire festinans, multa in itinere feliciter aduersus hostes gessit. Sed quomodo hæc omnia se habuerint, singillatim recēsetur in Actis Hadriani Papę, necnō ab Ottone Episcopo Frisingensi *c* in Vita eiusdem Friderici, ac deniq; ab ipso Friderico in epistola *d* ad eumdem Ottonem de rebus à se gestis. Quibus omnibus videas prosperrime cuncta ei cessisse, quousque de Romana Ecclesia bene meritus est.

V. CORONATVR IMP.

c Otto in Frid. lib 2. cap. 21. 22.
d Ap. Otton. in Frid. ante lib. 1.

VI. HADR. PP ADVERSVS REGEM SICILIÆ.

Post hæc vero Hadrianus Pontifex vocatus in Campaniam ab Optimatibus Willelmi Regis Siciliæ, qui eum postquam excommunicatus est deseruerant, collecto fidelium suorum exercitu, Beneuentum circa principium mensis Octobris accessit, & omnes fere illarum partium Principes & ciuitates ad iuramentum fidelitatis, tamquam principalis dominus recepit. Cui cum insuper à Palæologo Principe Græco, ad hoc misso in Italiam à Manuele Imperatore, vt ipsum Pontificem ac Fridericum Regem aduersus communem hostem Willelmum Siculum impelleret, immensa pecuniæ vis ac militum copia offerretur: his territus Willelmus, cœpit instanter petere absolutionem ab excommunicatione, multas proponens conditiones Ecclesiæ valde proficuas; quas tñ ob contradictionē maioris partis Cardinaliū minime susceptas esse, tradit hæc narrans prædictus anonymus auctor Rerū Hadriani. Repugnabant enim Cardinales illi, qui addicti erant Friderico; ne scilicet e ea pace Romanus Pontifex nactus videretur esse præsidiū, ad quod confugeret cum quid mol. stum in eum, vniuersamque Romanam Ecclesiam, idem statueret Imperator; qui nihil magis in animo vmquam habuit, quam eandem Ecclesiam suę ipsius, successorumque suorum subiicere seruituti, licet aliquamdiu contrarium simulauerit. Ceterum recenset quoque has inter Hadrianum Papam & Willelmum Regem ortas discordias, Willelmus Tyrius *f*, ac de illis nonnulla habet, quæ desiderantur apud Anonymum. Quis vero earum finis extiterit, dicetur anno sequenti.

e *Hanc rationem habet Baron. alia occasione an. seq.*

f *Tyr. lib. 18. cap. 2.*

VII. ff *ibid. ca. 6. 7 8.* CONTROVERSIA INTER EPISCOP. ET MILITES HOSPITAL. PRO DECIMIS.

Interserit vero his Tyrius *ff* narrationem profectionis Fulcheri Patriarchæ Hierosolymitani iam prope centenarij, vna cum aliquot aliis ex præcipuis Orientis Episcopis, in Italiam ad Hadrianum Papam; quem his bellicis negotiis occupatum inuenerunt. Causam autem profectionis fuisse narrat, controuersiam ipsius Patriarchæ & aliorum Antistitum cum militibus Hospitalariis, occasione decimarum, aliorumque iurium Episcopalium, à quibus Hospitalarij dicerentur exempti priuilegio Pontificio: Queriturque eosdem indigne susceptos esse à Summo Pontifice, & Cardinalibus, Hospitalariorum muneribus corruptis; duobus exceptis, Octauiano, & Ioanne de Sancto Martino, qui (vt ait) Christum sequentes, eius ministros in causa sua pie foouerunt: ideoque re infecta coactos esse cum confusione redire ad propria. Hæc Tyrius pluribus: quibus videas quam fuerit deceptus, qui nefarios homines, factiososque, & Pontifici aduersarios, præ licet sanctos, ceteros vero magni nominis Cardinales, ex vitæ sinceritate & literis conspicuos, infamiæ nota reliquerit iniustos. Sed qui boni, quiue mali fuerint, adeo suis ipsorum factis vniuerso Orbi Christiano declaratum est, vt illi non indigeant commendatione, istis inutilis sit prorsus omnis defensio.

VIII. HADR. A GRÆCIS VNIONE ECCLES. GRÆCÆ.

Hoc eodem primo sui Pontificatus anno, Hadrianus Papa, quod suarum partium esse sciret, Vniuersalis Ecclesiæ populum in Catholicam coagmentare concordiam; ad Græcos sæpe scissura diuisos solidæ vnitati compaginandos, Legatos misit ad Constantinopolitanum Imperatorem; quibus inter alia pro eadem procuranda concordia literas dedit ad Basilium Achridenum Thessalonicensem Archiepiscopum, huius temporis in Orientali Ecclesia magni nominis virum: quæ extant *g* vna cum ipsius Basilij responsione, qua se minime abscissum ab Ecclesiæ Catholicę vnitate profitetur, licet quibusdam ritibus discreparet Orientalis ab Occidentali: sicut & id ipsum Petrus *h* Abbas Cluniacensis ad S. Bernardum, & ipse S. Bernardus ad Eugenium testati sunt; ac penes doctos, & Catholicæ fidei studiosos Græcorū Antistites persuasissimum fuit semper. Sed cum regimen Ecclesiæ Constantinopolitanæ, imperiti, refractarij, nugaces, gloriæ Latinorum æmuli susceperē, iidem ex diuersitate sacrorum rituum, doctrinæ quoque diuersitatem æstimantes, hostes implacabiles effecti, persecutionem aduersus Latinos excitare numquam destiterunt.

* * *

g *In cod. Iur. Orient.*

h *Pet. Clun. l. ep. 16.* RITVVM DIVERSITAS NON SCINDIT ECCLESIAM.

IESV CHRISTI AN. 1156.

HADRIANI IV. AN. 2.

FRIDERIC. 2.

MANVL. 14.

I. *a Tyr. lib. 18. cap. 8.* WILLELMVS MALVS MALAS CONDITIONES COGIT SVBIRE PONTIF.

ANno Domini millesimo centesimo quinquagesimo sexto, Indictione quarta, Willelmus *a* Siciliæ Rex ingētibus comparatis viribus hostes suos aggressus, tam Græcos, quam Latinos qui ab eo defecerant, penitus vicit, fugauit, & spoliauit: ipsumq; Hadrianum Papā Beneuenti obsedit, atque adeo compressit, vt pro sua liberatione iniquissimas cōpulerit subire conditiones, quales nullus hactenus Pontifex à quibusuis implacabilib. Romanæ Ecclesiæ hostibus susceptisset tanta iactura Ecclesiasticæ libertatis. Quamuis enim ad pedes eius prostratus, ligium homagium publice ei fecerit, & fidelitatem iurauerit; tamen diploma *b* ab eo extorsit, quo inter alia plura concessit, vt in Sicilia non esset ius Appellationis ad Sedem Apostolicam, nec Legationis ab eadem Sede eo mittendæ, nisi ad petitionem Regis, heredumque ipsius. Verum licet in eo scripto coactus fuerit Hadrianus profiteri se esse securum & liberum cum ista promitteret, ne actus ex eo infirmari posset; tamen obsessum Beneuenti (vt patet ex Tyrio, & aliis eius temporis Scriptoribus) liquet hæc fecisse necessitate compulsum, ob idque nullius ponderis esse potuisse; cum alioqui renuntiare iuribus Pontificiis, nempe Appellationibus deferendis; nec posse ipsos Pontifices, Nicolaus Papa Primus affirmet. Quare & ista omnia, quæ per vim & metum extorta sunt ab Hadriano per Willelmum cognomento Malum, sub Innocentio Papa Tertio nouis pactis, honestioribus conditionibus interpositis, sunt prorsus abolita, ipsaque libertas Ecclesiastica in pristinum restituta.

b *Rec. Bar. Ann. Tom. XII. hoc an. ex cod. Vat.*

EÆ POSTEA RESCISSÆ.

II. MAXIMVS SIBI DAMNVM WILLEL. PEPARIT.

Interea vero satis manifesto fuit declaratum experimēto, male à Regibus consuli rebus Regni cum Ecclesiæ detrimēto. Siquidem florētissimum Regnum Siciliæ in illud fuit extremum discrimen inductum, vt defecerint hoc eodem sæculo regni successores virilis sexus ex Northmannis, & transierit ad Suevos. Ipsum vero sceleris auctorem Willelmum, eiusdemq; architectum in diplomate nominatum Maionē Magnum Ammiratum Ammiratorum, terribilis postmodum vindicta diuina secuta est; dum iste crudelissima cæde periit; in illum autem tot excitati sunt immanes tyranni, vt vno sublato alter non deficeret priore scelestior, immo plures & nequiores oborirentur, quorum insidiis caperetur, & in carcerem truderetur; filio ipsius primogenito Rogerio conclamato ab ipsis Rege, quem ipse pater liberatus à plebe necarit, vt sic ipse regnare posset: prout hæc omnia, qui aderat, Hugo Falcandus est prosecutus.

III. CHRISTIANOR. CÆDES, OB NON SERVATAM FIDEM INFIDELIB.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno, qui decimus quartus numeratur Tertij Balduini Regis Hierusalem, vlciscente numine non seruatam à Rege Christiano fidem pactam Infidelibus, exercitus Christianorum ignominiosē prostratus est in Palæstina, quæ res gesta exacte describitur à Tyrio.

IESV CHRISTI AN. 1057.

HADRIAN. IV. AN. 3.

FRIDERIC. 3.

MANVEL. 15.

I. DISCORDIA ORTA INTER IMP. ET PAP.

ANno Christi millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Indictione quinta, inter Hadrianum Papam & Fridericum Imperatorem nouarum dissensionum occasio est oborta. Nam quod hæc Otto de S. Blasio facta ponit

anno

anno superiori in Appendice, Radeuicus Frisingensis Canonicus accuratus scriptor, qui cœptam Historiam Ottonis eiusdem ciuitatis Episcopi prosecutus est, ac res tunc gestas à Friderico annis ac mensibus exacte consignauit, hoc anno contigisse aperte significat. Quænam autem qualesve fuerint istiusmodi dissessiones, intelligi potest ex literis vltro citroq; datis, quas idē auctor *a* recitat, ipse erga Fridericū propēsior.

a Radeuic. lib. 1 cap. 8 in fin.

II. OB MALE HABITVM EPISC. LONDON.

Cum igitur auditum esset ab Hadriano, Londoniēsem in Anglia Episcopum, à Sede Apostolica ad propria remeantē, in ditione Friderici à quibusdam impijs spoliatum, captumque, & pessime habitum esse, & adhuc in custodia detineri, etiam postqam ea de re Hadrianus questus per literas apud Fridericum esset: iam idem Pontifex Legatos ad ipsum misit, Bernardum presbyterum Cardinalem S. Clementis, & Rolandum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem & Cācellarium, viros religione, prudentia, & grauitate insignes, & pene omnibus aliis in Ecclesia Romana auctoritate maiores: literasq; eis dedit ad Fridericum tunc Bisuntii existentē, quibus imprimis de execrabili facinore in personam sacram ab impijs commisso, & eius vindicta à Friderico neglecta modeste conquestus; subdubitans hoc Fridericum dissimulasse in odium Romanæ Ecclesiæ, & ipsius Pontificis, simpliciter suggessit nullam ei suppetere eiusmodi odij occasionem, quandoquidem non ita pridem eadem Ecclesia, idemque Pontifex, dignitatis & honoris plenitudinem, coronāque Imperialē ei libentissime contulisset, nec ea de re ipsum pœniteret, immo & gauderet si maiora beneficia ei conferre posset. Harum porro audita lectione literarum (inquit Radeuicus) magna Principes qui erant cum Imperatore indignatione commoti sunt, quod in eis assereretur, dignitatis plenitudinem, & cetera quæ diximus, Friderico à Romano Pontifice collata fuisse, quodq; à nonnullis Romanorum & dici & scribi scirent, Imperium Vrbis, & Regnum Italicum, donatione Pontificum Reges Germaniæ possidere: adeoq; horum Principum iracundia inualuit, vt cum vnus ex Legatis petiisset, à quonam ergo Imperium haberent, si non haberent à Papa, Otto Comes Palatinus de Baioaria prope exerto gladio ceruici illius mortem intentarit. Sed Fridericus præsentia sua tumultum quidem compescuit, verum ipsos Legatos primo mane abire præcepit, iubens vt recta via reuerterentur ad Vrbem, & nec ad dextram neq; ad sinistram declinarent ad aliquem Episcopum vel Abbatem.

AVLICOR. IVRGIA-TIO EX LITTERIS HADR. AD IMP.

Postquam autem ij discesserunt, Imperator literis Circularibus ad omnes Principes & Episcopos scriptis, vehementer in eosdem Legatos inuectus, ipsum quoq; Pontificem acriter de præsumptuosa elatione accusauit; omnesque ad hanc illatam Imperio iniuriam vlciscendam excitare conatus est, declarans se per electionem Principum a solo Deo Regnum & Imperium tenere; & quicumq; assereret ipsum coronam Imperialem pro beneficio a Papa suscepisse, mendacii reum esse; deniq; se mortis pericula ante velle incurrere, quam tantæ confusionis opprobrium sustinere. Hæc quidem ipse suis literis, sed subdole reticens causam Legationis Apostolicæ ad eum missæ, nempe sacrilegium aduersus peregrinantem ad Limina Apostolorum Episcopum, admissum contra ius gentium, ius diuinum, contra ciuiles & canonicas leges, relictum impunitum, ipso sacro antistite in carceris adhuc angustiis tabescente. Cetera vero, quid in literis Hadriani Papæ sonuit fastus & arrogantiæ, vel erroris & falsitatis, si quod nuper Romæ fecisset conferendo coronam Imperialem ipsi Friderico, simpliciter proposuit, nec se de eo facto pœnitere professus est? Deniq; quid horret Fridericus dictum ab Hadriano, pro beneficio collatam esse à Romano Pontifice coronam Imperij? Num enim eam aliunde potuit accepisse? An non eius est eligere Imperatorem, vel eligendum concedere, quem confirmet & coronet? Nonne est illius coronam Imperij auferre ex causa, & pro meritis concedere? Sed ne tu, Lector, hæc putes esse vana, consule quæ de his dicta sunt superius variis locis *b* & occasionibus; quibus apertissime demonstratur, beneficio Papę Imperium conferri: absq; cuius auctoritate siquis accipiat, non Imperator, sed dicendus tyrannus sit & inuasor Imperij. Porro ex literis Friderici non iam amplius per transennam, sed toto cœlo patenter intueri licet, ipsum nihil præterea tanto studio laborasse, quam quod præstitit cum potuit, vt scilicet Ecclesiam Dei schismate scinderet, non solum Imperium ab ea separans, sed & Clerum diuidens; ad quod his circularibus literis vniuersum terrarum Orbem inuitauit. Qui & eodem furore percitus, edictum *c* promulgauit, nequis ordinis clericalis vel monachalis peregrinari Romam præsumeret, viarumq; custodes ad hoc constituit: illud tamen excusans eo prætextu, ne Ecclesiæ dispendiis grauarentur, neve Clausirales eiusmodi peregrinationib. desererent disciplinā.

b Sup. an. 1160. 1177. 1178. & alib.

III. IND. LITERAS CIRCVLARES CONTRA PONT.

QVAM ID INIVSTE.

c Ap. Radeuic. lib. 1. cap. 15. 16. VETAT PEREGRINARI ROMAM.

Porro Legatis Apostolicis sic ignominiosē dimissis, Romam reuertentibus, & quæ peracta essent nuntiantibus, dissensio inter Cardinales facta est, quod nonnulli Pontifici pro vltione iniuriarum acceptarum adhærerent; reliqui vero Imperatori fauentes, Legatorum incuriam seu imperitiam accusarent. Quare Hadrianus mediam sectatus viam, literas scripsit ad Episcopos Germanię qui erant apud Imperatorem, vt quoniam in his non ipsius tantum Romanæ Ecclesiæ, sed omnium vbique Ecclesiarum res ageretur, sese murum pro domo Domini opponerent, & Imperatorē monitionibus suis conarentur ad rectam semitam reducere. Verum ij vel nube priuatæ affectionis in Germanum Imperatorem offusi, vel timore ipsius pusillanimes, haud quicquā contra eum dici vel dicere voluerunt; sed ipsius conniuentes in Sedem Apostolicam ingratitudini, literis suis ad Hadrianum redditis, qua approbarunt, qua excusarunt quæ ab Imperatore pro libertate Imperij gesta essent; rogaruntq; vt Pontifex aliis mellitis literis edulcans fel priorum, conaretur Imperatoris iram lenire. Recitat has vtrimque datas literas Radeuicus *d*. Quid autem postea factum fuerit, dicetur anno sequenti.

IV.

EPISCOP. GERM. PVSILLANIMITAS.

d Ibid. lib. 1. cap. 15. 16.

IESV CHRISTI AN. 1158.

HADRIAN. IV. AN. 4.

FRIDERIC. 4.

MANVEL. 16.

I. HADR. CONATVR MITIGARE IMP.

ANNO Christi millesimo centesimo quinquagesimo octauo, Indictione sexta, Hadrianus Papa tolerans patienter quæ Germanos Episcopos ad ipsum rescripsisse vidimus, ex eorumq; monitu benigne studens placare Friderico, Legatos ad eum misit Henricum presbyterum, & Hyacinthum diaconum, S. R. E. Cardinales, viros prudentissimos, cum literis mitioribus, quibus sanctissimus Pontifex dans ex communitione Apostolica locum ire, exemploq; pariter Apostolico cedens ad tempus; ita voces *Beneficium*, & *Conferre coronam*, quibus in prioribus suis literis ipsum esse vsum, iisdemq; Fridericum grauissime cōmotum vidimus, interpretatus est, vt nō *Beneficium* pro *Feudo*, sed simpliciori acceptione pro *Bono facto*, nec *Conferre* pro *Dare* pleno iure, sed simpliciter pro *Imponere* acciperetur; ita concitatam discordiam sopire magis satagens, quam augere. Quare & his Fridericus iram deposuisse videri volens, pacem & amicitiā tam Summo Pontifici, quam omni Clero Romano spopondit. Quomodo autem hæc omnia se habuerint, narrat pluribus Radeuicus *a*, sed qui nonnulla pro arbitrio de suo addere cognoscitur ex priuato in Fridericum affectu. Ceterum ad breue tempus ista subsistere potuerūt. Quod enim haud ea Fridericus sincere ageret; quæ non altis radicibus pax intus plātata in corde subsitit, tamquam fœnum tectorum, velociter quolibet æstu vrgente aruit; sicut videbitur anno sequenti.

a Radeuic. lib. 1. c. 21. 22. 23.

II. CONVENTVS RONCAL. DE REGALIB. IMPERII.

Hoc eodem anno, mense Nouembris, ab eodem Friderico Imp. collectus est *Roncaliæ* (est locus inter Placentiam & Cremonam) *Conuentus* Principum & Consulum ciuitatum Longobardiæ, ad inquirendum quænam essent regalia, quæ ratione Imperii in eadem Longobardia ad ipsum spectarēt: ad quem etiam vocati sunt quatuor præcipui legum doctores Bononienses, videlicet *Bulgarus*, *Martinus*, *Iacobus*, & *Hugo*: rebusq; inter omnes discussis, Archiepiscopus Mediolanensis, aliique præsentes Longobardiæ Episcopi & Abbates, necnon Principes, & ciuitatum Consules, in manibus

ipsius

ipsius Imperatoris remiserunt omnia, quæcumque Iudices in ea re constituti dixerunt esse iura regalia, ac de eis fidelitatem ipsi fecerunt, promittentes se non amplius de ipsis intromissuros. Habet ista Otto Morena, qui iis intererat, in Chronico Laudensi; quorum etiam meminit Radeuicus: amboque aliquas in eodem Conuentu leges ab Imperatore constitutas, editalque affirmant.

III. De prædictis vero Doctoribus Bononiensibus Morena narrat, Fridericum aliquando equitantem in medio Bulgari & Martini, quæsisse ab eis, vtrum ipse de iure esset dominus mundi, Bulgarumque respondisse, non esse dominum quantum ad proprietatem, Martinum vero asseruisse esse dominum; ideoq; Imperatorem, cum descendisset ab equo, cum Martino donasse; Bulgarum autem dixisse, *Amisi equum, quia dixi æquum; quod non fuit æquum.* Sed & quis, qualisve fuerit *Martinus* iste, qui tãta tribuit adulatorie Imperatori, illud Iasonis satis ostendit, dum ait, Martinum nihil vmquam sani verique dixisse. Qui etiam quod ceruicosus est habitus, vt quam semel defendendam suscepisset opinionem, quantum libet erroneam & singularem, obstinate tueri perseuerarit, in vulgare prouerbium eius duritiem apud Iurisconsultos in hanc vsque diem pertransiit, vt *Martinum* appellent, qui suæ ipsius singulari sententiæ pertinaci studio inhæresceat.

MARTINI IVRISCONSVLTI ADVLATIO ERGA IMP.

IESV CHRISTI AN. 1059.

HADRIAN. IV. AN. 5.

FRIDERIC. 5.

MANVEL. 17.

I. DISCORDIA RENOVATÆ INTER IMP. ET PAP.

ANNO Christi millesimo centesimo quinquagesimo nono, Indictione septima, nouis obortis occasionibus, discordiæ inter Hadrianum Papam & Fridericum Imperatorẽ renouatæ sunt, tum ob regalia ab Imperatore de Episcopis & Abbatibus, æque ac de aliis (vt vidimus) exacta, & ob denegatam à Pontifice cuidam Guidoni S. R. E. Subdiacono, promotionem ad sedem Rauennatem tunc vacantem, ad quam Imperator illum euehere satagebat; tum etiam quod idem Fridericus in contemptum ac contumeliam ipsius Põtificis, in literarum suarum inscriptionibus cœpit cõtra morem ab antiquo visitatum, nomen suum præponere nomini Põtificis, & dictionibus singularis numeri eumdem alloqui; ac demum quod ab Episcopis non solum fidelitatem, sed etiam homagium exigeret, & Cardinalibus à latere Legatis nõ tantum ecclesias, verum etiam ciuitates Regni sui clauderet. His autem de rebus, aliisq; nonnullis discordiarum fomentis, cum multæ ex vtraq; parte scriptæ essent satis amaro animo epistolæ, aliæque rursum pro pace conciliandæ; missa est denuo ab Hadriano ad Fridericum honorificẽtissima Legatio quatuor Cardinalium, cum quibusdam capitulis de iuribus & regalibus Beati Petri, tam in Vrbe Roma, quam in reliquis terris & dominiis ad eum pertinẽtibus, ab Imperatore illæsis conseruandis, deque hominio pereum non exigendo ab Episcopis; & vt concordia inita inter Eugenium Papam & ipsum Imperatorem seruaretur. Verum cum alia ex aduerso proponerentur ab Imperatore contra Pontificem pro iuribus Imperij, Vrbisque dominio; idemque recusaret stare paci cum Eugenio initæ: res prorsus infecta remansit. Porro narrantur ista pluribus à Radeuico *a*, qui & literas vltro citroque scriptas recitat.

a *Radeuic. lib. 1. cap. 15 vsque 43.*

II. HADR. PP. OBITVS.

Interea imposuit iis finem Deus obitu ipsius *Hadriani* Papæ, qui Calendis Septembris decessit Anagniæ, cum sedisset annos quatuor, menses octo, & dies viginti quatuor: indeq; Romam vectus, in Ecclesia S. Petri sepultus est: vt traditur in Actis eius superius citatis. De cuius obitu ridiculum est, quod finxit apud Vrspergensem scismaticus aliquis; nimirũ factum esse, vt cum denuntiaret excommunicationem contra Imperatorem, paucis diebus euolutis procedens refrigerandi gratia ad quemdam fontem, hauriensque de potu illius, continuo musca os eius intrauerit, & ita gutturi adhæserit, vt nullo medicorum artificio auelli potuerit, quoadusque spiritum exhalaret. Hæc enim plane nugas esse, vel inde sentias, quod numquam possit quis asserere, ibi Imperatorem ab Hadriano excommunicatum esse, ceteris Scriptoribus omnibus eius temporis repugnantibus. Inter quos Dodechinus disertè ait, Hadrianum quidem disposuisse excommunicare Imperatorem pro coniugij dissidio, sed morte præuentum esse. Huius autem de musca fingendæ fabulæ occasio inde manauit, quod (vt testatur Willelmus *b* Tyrius, qui tunc viuebat & scribebat) Hadrianus mortuus est morbo anginæ. Vnde hostes eius, derisus causa, scomma illud de musca iactarunt.

b *Tyr. lib. 18. cap. 26.*

Reperitur vero eiusdem diploma *c* ad Henricum Angliæ Regem, de concessa illi quam petiisset, licentia intrandi in Insulam Hiberniam, ad corrigendos barbaros illius populi mores, extirpanda vitia, & virtutes inserendas; eamdẽque pro Christianæ religionis augmento tamquam dominum possidendi: saluo tamen Ecclesiastico iure, & sub conditione pensionis vnius denarij de singulis domibus annuatim soluendæ Beato Petro & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ; ad cuius (vt ait) ius eam Insulam, aliasque omnes quæ documenta fidei Christianæ cepissent, pertinere nemini dubium esset. Sed & illud Hadrianus reliquit posteris admirandum exemplum, quod nec obolum quidem erogarit in suos propinquos; adeo vt & matrem suam reliquerit alendam eleemosynis Ecclesiæ Cantuariensis: sicut testatur Ioannes *d* Saresberiensis, ex verbis Alexandri Papæ in epistola ad S. Thomam.

III. c *Rog. Bart. Ann. Tom. XII. hoc an. ex cod. Vatic.* HIBERNIA CONCESSA REGI ANGL. SVB CENSV SIDI A POST. SOLVENDO.

d *Inter Ep. S. Thomæ Cantuar. libr. ep. 24. Cod. Vatic.*

Sepulto Hadriano (inquit eius temporis auctor anonymus in codice Vaticano) Episcopi & Cardinales tractaturi de substituendo ei successore, pridie Nonas Septembris in B. Petri ecclesia conuenerunt; & per trium dierum spatium de electione, sicut moris erat, pertractantes, tandem omnes quotquot fuerunt, (præter Octauianum tituli S. Cæciliæ, Ioannem tituli S. Martini, & Guidonem Cremensem tituli S. Callisti, presbyteros Cardinales) in personam Rolandi presbyteri Cardinalis tituli S. Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarii, natione Tusci, patria Senensis ex patre Rainutio, vnanimiter consenserunt, assentiente pariter reliquo Clero & Populo Romano; eumdemque ALEXANDRVM Papam Tertium nominarunt; virum vtique prudentissimum & omnibus virtutibus ornatissimum, atque in omnes beneficentissimum, sed & diuinis humanisque literis instructissimum, pariter & eloquentissimum: quem S. Bernardus egregie laudasse reperitur cum ab Eugenio Papa electus esset Cancellarius, eidemque Pontificatum subobscure prænuntiasse.

IV. ALEXANDER III. ELIGITVR PAPA.

Duo autem quos diximus, Ioannes & Guido, cum in Octauianum intenderent, ipsum post electionem Alexandri procaciter nominarunt, qui ad Apostolicam iamdiu Cathedram aspirauerat. Adeo vt cum neglecta ipsorum nominatione, reliqui Alexandrum fugientem, & omnino reluctantem, Papali manto induerent, ipse Octauianus in tantam proruperit vesaniam, vt mantum ipsum tamquam arreptitius à collo eius violenter abstulerit, & secum asportare tentauerit. Sed cum ab aliis ei ereptum esset, ipse aliud quod per Capellanum suum paratum haberi iam antea prouiderat, sumpsit; reseratisque portis ecclesiæ, conductos milites introduxit opera quorumdam Senatorũ quos pecunia corruperat, & fauore illorum qui Friderico Imperatori adhærerent, cui & ipse contra Pontifices ipsamque Romanam Ecclesiam, & Collegium Cardinalium, addictissimum semper se exhibuisset; nec nisi eius auxilio fretus (vt postea declarauit) tantum nefas attentare præsumpsisset. Horum autem metu Episcopi & Cardinales in munitionem ecclesiæ cum Alexandro Electo sese recipientes, ibi nouem diebus, ne possent exire, ab Octauiani satellitibus obsessi sunt.

V. OCTAVIANVS ERIGITVR ANTIPAPA.

Donec insurgente pro ipsis vniuerso populo, & in Octauianum conclamante, eumdemque inuasorem & hæreticum proclamante, inde educti, rursumque per eosdem impios Senatores in arctiorem custodiam triduo inclusi, & ex ea pariter à nobilibus & populo erepti; cum magna hominum frequentia in vigilia S. Matthæi Nymphas non longe ab Vrbe peruenerunt: vbi simul congregatis Sabinensi, Ostiensi, Portuensi, Albanensi, aliisq; Episcopis necnon Cardinali-

VI. CARDIN. CARCERATI.

ALEXANDRI CONSECRATIO.

dinalibus presbyteris & diaconis, simulque Abbatibus, Iudicibus, Scriniarijs, & Primicerio cum Schola Cantorum, Nobilibus quoque, & plurima parte Populi Romani, ALEXANDER ab Episcopo Ostiensi (ad quem Romani Pontificis consecratio pertinet) consecratus est in Summum Pontificem, & secundum morem regno coronatus. Cum ex alia parte ipse quoque Octauianus, cum suis Ioanne & Guidone, ecclesiam S. Petri occupans, postquam per spatium quatuor hebdomadarum, tam per se, quam per milites, & consanguineos suos, (erat enim patria Romanus, genereque nobili, nempe ex Tusculanorum Comitum genere oriundus) incessanter laborasset pro alliciendis ad se aliquot Episcopis, à quibus consecraretur; tandem reperto Malphitano quodam Episcopo fugitiuo in finibus Anconæ latitante, & Episcopo Ferentinate iam olim Alexandri inimico, atq; Ioanne Tusculano, qui cum prius consensisset in electionē Alexandri, postea ab eo defecit; idem Octauianus ab his execratus magis quam consecratus est, ac *Victor* nuncupatus. Narrantur hæc omnia in prædicto codice Vaticano; iisdemque ferme verbis in epistola ab ipso Alexandro tunc scripta, cum nondum Octauianus consecratus esset, ad Episcopum & Clerum ac Doctores Bononiæ, quam recitat Radeuicus *e*: quod genus literarum, ex more, mutatis titulis, ab eodem ad diuersas per Catholicum Orbem Ecclesias, ad rerum gestarum certiorem significationem, esse missum existimamus.

OCTAVIANI EXECRATIO.

e Radeuic. lib. 2. c. 51.

VII. OCTAVIAN. CVM SVIS EX COMMVNICATVR AB ALEX.

Habet vero insuper iisdem suis literis Alexander, se Octauianum die octauo à consecratione sua (quem terminum ei ad vnitatem Ecclesiæ redeundi præfixerat) tamquam inobedientem & contumacem, simulque illos qui ei manus prasumerent imponere, de communi Episcoporum & Cardinalium consensu, solemniter in ecclesia excommunicationis vinculo adstrinxisse. Sicut & id ipsum aduersus Alexādrum, & qui ei adhærerent, præsumpsisse Octauianum, Radeuicus *f* tradit: à quo etiam recitantur *g* aliæ literæ Circulares ab eodem Octauiano, rursumq; aliæ à quinque Cardinalibus ei inhærentibus scriptæ de eius promotione; sed tot patentibus mendacijs refertæ, vt plane appareat dictatas esse à patre mendacij. Sed potuit ad tempus veritas eiusmodi obscurari tenebris, non autem extingui penitus, quin clarioribus lucis radijs vniuersam suo tempore illustrarit Ecclesiam. Sicut & his ipsis primordijs, qui ex parte Catholica erant S. R. E. Cardinales, legitimi promotores Alexandri, numero longe superiores, probitate potiores, iusta causa potentiores, & stylo simpliciores, haud defuerunt officio, quincūcta quæ gesta essent, cum aliis vniuersis, tum ipsi Imperatori significarent, datis ad eum literis quæ recitantur, licet maxima ex parte mutilatæ, apud eumdem Radeuicum *h*; scriptæ ipsæ à viginti duobus qui ibi nominantur Cardinalibus, nempe quinque Episcopis, octo presbyteris, & nouem diaconis; quotquot tunc erant, præter pauculos illos schismaticos superius recensitos. quibus etiam literis iidem questi sunt de eo quod Otto Comes Palatinus ab Imperatore missus, tam Alexandrum, quam ipsos ei adhærentes Cardinales plurimum exagitasset, & Octauiano schismatico Campaniam & Patrimonium Beati Petri subdere studuisset. At nihilominus Fridericus propensissimus erga Octauianum, nihil non molitus est, quo illi posset stabilire sedem. Quin etiam cum Alexander (vt traditur in eius Actis superius citatis ex codice Vaticano) Nuntios suos ad eum apud Cremam existentem misisset, pro reuocando eo ad concordiam Ecclesiæ, idē nimio superbiæ fastu inflatus, non solum legere literas spreuit, sed & furore repletus Nuntios ipsos, nisi Duces Bauariæ & Saxoniæ obstitissent, suspēdere nequiter voluit & quamuis tandem istorum suasione Principum Nuntios coram se venire, & literas Pontificis legi permiserit, nihil tamen ad eos dignatus est respondere lætum. Hæc ibi auctor.

f Ibid. c. 54.

g Cap. 52.

h Cap. 53.

FRID. IMP. FAVET ANTIPAPÆ.

VIII. INDICIT CONCILIVM.

Sed Radeuicus *i* sui imperatoris studiosus, tradit eum ancipiti malo noui schismatis permotum, consilio Principum decreuisse dare operam, nequid exinde seu status Ecclesiæ, seu Respublica Imperij detrimenti caperet: ac propterea haud existimantem sine iudicio Ecclesiæ eam controuersiam terminari posse, sed & putantem auctoritatem congregandi Concilij, exemplo antiquorum Imperatorū Theodosij, Iustiniani, Caroli, sibi congruere; literis Circularibus Synodum Papiæ celebrandam in Octaua Epiphaniæ indixisse, & ad eam omnes Imperij, aliorumque Regnorum Antistites inuitasse, atq; etiam ipsos Alexandrum & Octauianum per Episcopos Pragensem & Verdensem ad eamdē citasse. Hæc ille. Sed quod ait de antiquis Imperatoribus *k* Synodos indicentibus; ita quidem illi, sed non vt Romanæ Ecclesiæ hostes Imperatores, qualem se esse Fridericus multis argumentis ostendit, id feciisse aliquando legitime dici possunt; nec nisi suadente parte Catholica, videlicet legitimo annuente Pontifice, nec in re adeo indubitata & perspicua sicut ista, Concilia congregasse noscuntur.

i Cap. 54. INDICIT CONCILIVM.

Quomodo vero Episcopi ad Pontifices missi commissam sibi legationem adimpleuerint, exacte narratur in Actis Alexandri. Cum enim (vt aiunt) cogitaret Imperator, libertatis priuilegium ab ipso Domino Ecclesiæ suæ cōcessum posse irritare, & iuxta voluntatis suæ arbitrium Pontificem in Sede Apostolica collocare; ex fautorib. suis prædictos duos Episcopos Anagniam direxit ad Alexandrum. Qui cum in præsentia eius, & Cardinalium, aliorumq; plurimorum ex Clero & Populo sedissent, nulla ei exhibita reuerentia, retulerunt quæ Imperator ipsis mandauerat; literasq; eius protulerunt, quibus præcipiebat Alexandro, & Cardinalibus qui cum eo erant, vt Papiam conuenirent ad eius præsentiā, audituri & recepturi quod in ea Curia dictaretur. Quo mandato iidem turbati, sed & magis cōmoti quod Imperator literis suis Octauianum appellaret Romanum Pontificem, Alexandrum vero tantummodo Rolandum Cancellarium; consilio inter se habito, licet viderent grauissima sibi pericula imminere à potentissimo Imperatore, tamen diuina virtute roborati, decreuerunt quæcumq; dirissima potius pati quam Ecclesiæ defensionem deserere. Itaq; respondit Legatis Alexander, non esse Imperatoris sine consensu Romani Pontificis Concilium conuocare, aut ipsum Pontificem ad Curiam suam, tamquam potestatem in eum haberet, euocare: cum ab ipso CHRISTO Domino hoc priuilegium S. Petro, & per eum Romanæ Ecclesiæ sit datum, vt vniuersarum Ecclesiarū causas discuteret ac definiret, ipsa vero nullius vmquam iudicio subiaceret. Quare cum pro eius libertate tuenda Patres proprium sanguinē effudissent, & ipsum quoq; Alexandrum pro eadem causa extrema quæque subiturum. Quo respōso indignati Legati, Signiam ad Octauianum accedentes, ad pedes eius prociderunt, & vt legitimum Pontificem adorauerunt. Hæc in illis Actis. Quibus vides, Imperatorem indicentem Iudicium Ecclesiasticum, re vera sæcularem Curiam parare, cui sic ipse præsideret Episcopos auditurus, vt tamen sententiam quam vellet esset pronuntiaturus: sed & ab eo præiudicatam esse sententiam, dum per suos Legatos recepit in Papam Octauianum; adeo vt nullum iam subeundum reliquum esset iudicium Alexandro, ob idque nullo modo (quamuis aliæ omnes causæ cessassent) in aduersariorum manus se coniicere deberet.

[k De auctoritate Imperatorum in cōuocandis Conciliis, vide apprime dissertē tem Card Perron. in Resp. ad Reg Mag. Brit. lib. 1. cap. 42.]

IX. ARROGANTIA EPISCOPOR. GERM. AD ALEX. MISSORVM.

ALEX. RESPONSIO.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc eodem anno defuncto Fulchero Hierosolymorum Patriarcha, subrogatus *k* est in locum eius *Amalricus*, nonus Latinorum ordine numeratus. Habebant enim & Græci suos schismaticos Patriarchas, tam Hierosolymorum, quam Antiochiæ; sed titulo tenus, cum illic consistere non valerent: sicut docet Theodorus Balsamon in Nomocanone *l*.

X. k Tyr. lib. 19. cap. 1. PATRIAR. GRÆCI NOMINE TENVS. l Balsam. in can. 16. Syn. Antioch.

IESV CHRISTI AN. 1160.

ALEX. III. AN. 1.

FRIDERIC. 6.

MANVEL. 18.

ANNO Christi millesimo centesimo sexagesimo, Indictione octaua, indictum ab Imp. Friderico *Conciliabulum Papiæ*, celebrandum octaua Epiphaniæ, dilatum fuit vsq; ad diem festum Purificationis sanctissimæ Dei-Genitricis MARIÆ, vt tradit qui aderat Radeuicus *a*. Poterat sane (inquit Willelmus Neubrigensis huius temporis scriptor fidelis & accura-

I. CONCILIABVLVM PAPIENSE a Radeuic. lib. 1. cap. 62. in fin.

accuratus) scissura illa cito resarciri, potetat multitudini paucitas cedere atque vniri, nisi Fridericus veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octauianam tuendam fouendamque suscepisset. Denique suæ ditionis Episcopos, scilicet Italicos, & Teutonicos, præcepit Papiam conuenire tanquam ad discussionem, & examen, cuiusnam partis merita præponderarent; re autem vera, vt Alexandri parte depressa, partem alteram approbantes, Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Porro dictus Victor tamquam subiturus iudicium affuit: Alexander vero præiudicium, quod ei sub nomine iudicij parabatur, nõ solum caute, sed etiam libere recusauit. Congregati vero Episcopi, aliique inferioris ordinis Prælati, in gratiam Imperatoris, qui cum suis Ducibus terribilis aderat, quæcumque causam Alexandri iuuare poterant, silentio supprimentes, quod pro parte altera minus de veritate suppetebat, arte suppleuerũt. Hęc summatim Neubrigensis de rebus in conuenticulo gestis: quas fusius recenset Radeuicus *b*, qui aderat, sed in Imperatorem suum propensior visus: licet rerum ambiguus, conscientia repercussus, quod sciret Acta Conciliabuli haud firma soliditate subsistere, de iudicando eiusmodi Episcoporum iudicio liberum velit esse Lectorem: sicut & ipso Historiæ suæ initio, de discordiis inter Fridericum & Romanos Pontifices, contestatus est se scripta hinc inde exarata operi suo inserere voluisse, vt non ipsius assertionibus, sed ipsarum partium propris scriptis inductus Lector, eligeret vtri suum vellet accommodare fauorem.

b Cap. 64. & segq.

II. NVMERVS EPISCOP. CONCILIAB.

Imprimis vero, quod ad numerum spectat Episcoporum qui prædicto interfuerunt Cõciliabulo; quinquaginta tantummodo conuenisse, idem auctor tradit, præter ingentem numerum Abbatum & Præpositorum. Ex quibus possis intelligere; etsi Fridericus literis suis inuitasset Episcopos totius Imperij ac Regni sui, necnon (vt in literis indictionis videre est) Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Daciæ; tamen reliquos omnes venire distulisse, siue quod scirent non esse Imperatoris Concilium indicere, siue quod audissent eum suscepto Octauiani iudicium Episcoporum anteuertisse. Post hæc vero tradit Radeuicus, septem diebus causam ventilatam esse, tandemque Octauiano, qui præsens erat, & habebat qui partem eius defenderent, cessisse litis victoriam, & pro ipso Concilium siue Curiam dedisse sententiam, condemnato Rolando & reprobato. Hæc Radeuicus: qui post hæc epistolam quamdam nomine Canonicorum basilicæ S. Petri, aliasque nonnullas scriptiones, & testium auditiones pro legitima electione Octauiani, ab eodem inuasore procuratas, & pro arbitrio Imperatoris commentas, atque in Conciliabulo approbatas, legendas subiicit.

DAMNATO ALEX. PROBATVR OCTAVIAN.

III. OCTAVIANI ELECTIO SPVRIA, ALEXANDRI VERO CANONICA. *c Vid. sup. an. 1059. VI.*

Quæ quidem omnia, etsi vera certaque probari potuissent, quæ falsissima fuisse constat, tamen nec ex iis affirmari potuit, Octauianum legitimum esse Papam, cui Cardinales nonnisi tres suffragiis suis affuissent: cum vigeret Constitutio *c* Nicolai Papæ Secundi, prohibens omnino, ne sine Episcopis Cardinalibus, electio Romani Pontificis fieri posset, per quos alii Cardinales presbyteri ac diaconi adhiberentur: ceteraque starent iura, pro eorumdem Romanorum Pontificum electione à prædecessoribus constituta, quorũ auctoritate maioris partis Cardinalium deberet adhiberi consensus. At in Octauiano refragantibus omnibus Episcopis Cardinalibus, vno excepto, Tusculano qui resiliit ab Alexandro, & contradicentibus omnibus presbyteris & diaconis, duobus dumtaxat exceptis; quomodo potuit eius facta intrusio vel inuasio approbari? Omitto dicere de Episcopo Ostiensi, per quem deberet consecrari Papa, & alia plura quæ requirerentur in legitima electione; de quibus omnibus nec vnum quidem inueniri potest in Octauiano esse adhibitum. Eadem vero cum rite facta essent in Alexandri electione, nihilominus Episcopi Conciliabuli, opera principis tenebrarum collecti, & eius spiritu ducti, in tam clara luce cæcutientes, peruulgandam in orbem terrarum sententiam conscripsere, qua eumdem Octauianum, Victorem dictum, legitimum declararunt Pontificem, Rolandum autẽ Cancellarium (nempe Alexandrum) schismaticum, & excommunicatũ, vna cum eius fautoribus, tum quod peremptorie citatus, causæ suæ diffidens noluisset comparere, tum ob coniurationem cum hostibus Imperatoris aduersus illum factam. Hæc quidem illi: quorum ea de re circularem epistolam recitat Radeuicus: eidemq; præter Antistites qui interfuerunt, consensisse ponuntur per Legatos, Archiepiscopi Bisuntinus, Arelatensis, Lugdunensis, & Viennensis; necnon Reges Anglorum, Hungarorum, Boemorum, & Danorum. Hisq; subiicit idem auctor alias epistolas ipsius Imperatoris, atque Episcopi Babenbergensis, & Præpositi de Bertherſgaden, eodem tempore Papia scriptis ad Eberardum Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopum, eiusq; Suffraganeos, qui Conciliabulo non interfuerant, de rebus in eo gestis.

ALEX. CVM SVIS EXCOMMVNICATVR A SCHISM.

IV.

Felix enim morbi necessitas coegit tunc temporis sanctiores Germaniæ Præsules ab his turbis longe abesse; nempe ipsum Eberardum Saltzburgensem, atque Hillinum Treuerensem, quos à cœpto itinere superueniens infirmitas ad propria redire compulit: vt traditur apud eumdem Radeuicum *d*, qui de Saltzburgensis pietate, misericordia, aliisque virtutibus mira refert, quibus multos ad imitationẽ, omnes ad sui dilectionem prouocasset. Sed plura de eo in ipsius *Actis e*: vbi & traditur, eumdem fremente licet in eum Imperatore, constantem perstitisse vsq; ad obitum pro defensione Alexandri, vna cum Hartmanno Brixinensi Episcopo, suffraganeo suo, viro sanctissimo. Tradit quoq; epistola sua prædictus Bertherſgadensis Præpositus, nonnullos alios sapientiores primarios Antistites, videlicet Peregrinum Patriarcham Aquileiensem, & Germaniæ Episcopos Eberardum Babenbergensem, Conradum Patauiensem, & Henricum Ratisponensem, eiusdem Patriarchæ imitatione, ita propter Imperij (vt ait) necessitates subscripsisse receptioni Octauiani, vt tamen suam ipsorum sententiam subiecerint censuræ imposterum ab Ecclesia Catholica faciendæ. Sicut & ipse auctor Radeuicus, quem hæc omnia collegisse diximus, libens volensque hic finem scribendi fecit. Vbi enim audiuit Fridericum Imp. sententia Alexandri anathemate esse multatum, (de quo dicetur paulo post) detestatisq; mendaciis Schismaticorum, eumdem Alexãdrum in Ecclesia Catholica recipi atque coli Pontificem; destitit Imperatoris res gestas vlterius prosequi, quem videret extra ecclesiam per deuia errantem. Qua etiam causa (vt apparet) Guntherus Ligurinus nobilis huius temporis Poeta, cum rerum ab eodem Friderico gestarum heroico carmine historiam decem in hunc vsque eius Imperij annum libris conscripsisset, & vlterius prosequi (vt profitetur) instituisset; turpitudine rerum cohibitus, istiusmodi Conciliabulum Papiense omnino præteriit. Qui tamen quod à parte Catholicorum firmiter steterit, non defuit, quantum licuit, consulere veritati, dum eadem sua scriptione manifeste approbauit Alexandri electionem, & reprobauit Victoris intrusionem.

d Cap. 72. 73. LAVDES ARCHIEP. SALTZBVRG. *e Ap. Canis. Antiq. Lect. Tom. II.*

RADEVICI ET GVNTHERI CONSILIVM IN HIS SCRIBENDIS.

V. DE IGNOMINIOSO SILENTIO CARD. PAPIEN.

Quod autem Willelmus S. Petri ad Vincula presbyter Cardinalis, Papiensis à patria dictus, qui nescimus qua occasione ibidem Papiæ erat apud suos dum eiusmodi agitaretur conuenticulum schismaticorum, non vt par erat Imperatori in faciem restiterit, nec Episcopis illuc confluentibus aduersatus fuerit, sed tacuerit omnino; ex hoc ingentem contraxit infamiæ notam, ob quam postea Thomas Archiepiscopus Cantuariensis eum habere iudicem penitus recusauit, & Ioannes *f* Saresberiensis vt immensum crimen obiecit. Ceterum idem Willelmus, cum esset vir eloquentissimus, tũc laborasse creditus est angina Demosthenis: declamauit autẽ postea contra Schismaticos, vbi nullus metus vrgeret, de quo dicetur anno sequenti. Non sic quidẽ Petrus Archiepiscopus Tarentasiensis, olim discipulus S. Bernardi, monachus Cistercensis Ordinis, potẽs opere atq; sermone: qui cum esset tunc quoq; apud Imperatorem, rogans pacem pro Mediolanensibus, (vt constat ex prędictis ipsius Imperatoris literis ad Eberardum Saltzburgensem) quamuis deuotissimis coleretur ab Imperatore officiis, cerneretq; reliquos Præsules Gallicanos ipsi vicinos, quos nominauimus, subscripsisse pro Octauiano; tamen ipse palam resiliit, immo & Imperatorẽ redarguit, erexitq; pro Alexandro vexillum prædicationis; atque (vt ait Gaufredus *g* in eius Vita) plurimos ex circumpositis Ecclesiis reuocauit ad Catholicã vnitatem, vicinas vndique prouincias penetrans, & obstinatos hæreticæ arguens prauitatis: quem nihilominus Imperator non minori obseruantia prosecutus est, quam sæuitia

f Ioan. Saresb. l. 1. c. 48. & 98. cod. Vatic.

PETR. ARCHIEP. TARENTAS. RESISTIT IMPERAT.

g Ap. Sur. 8. Maii, c. 2.

Catholicos persecutus ceteros circumquaque. Hæcibi: ac de illo rursum inferius.

VI. EDICTVM IMP. PRO ANTIPAPA.

Quid vero post finitum Conciliabulum actum fuerit; narrant Alexandri Papæ Acta superius citata: nempe, Fridericum per totum sibi subiectum Imperium misisse edictum, vt Ecclesiarum Prælati ad idolum quod erexerat, adoraturi accederent, & quicunq; detrectarent, in exilium abscederent: factamque inde esse ingentem turbationem, fugientibus Catholicis, & Ecclesias propias ac patriam relinquentibus; in quorum locum violenter intrusi sunt Octauiani complices: Cum autem Alexander eundem Imp. benigne ac frequenter admonitum, à sua perfidia non posset vllatenus reuocare; ipsum vna cum Episcopis & Cardinalibus; in Cœna Domini apud Anagniam, eundem Imperatorem tanquam principalem Ecclesiæ persecutorem excommunicationis vinculo solemniter innodasse, & omnes eius subditos, secundum antiquam prædecessorum consuetudinem, à iuramento fidelitatis ei præstito absoluisse; atque in Octauianum & eius complices iamdiu prolatam excommunicationis sententiam innouasse.

IMP. ET ANTIP. EXCOMMVNICANTVR AB ALEX.

VII.

Addunt insuper, cum idem Alexander intellexisset, multos Prælatos & Principes à Schismaticis circumuentos esse exquisitis mendaciorum figmentis; vtile ei consilium visum fuisse, nonnullos Cardinales in diuersas Orbis prouincias exlatere suo destinare, per quos vniuersi Fideles cognita veritate, in vnitate Catholica solidarentur. Nominanturque ibidem ij qui tunc in partes Galliarum & Hispaniarum, necnon ad Hungaros, atque etiam ad Imperatorem Constantinopolitanum, & in Palæstinam ac Syriam missi sunt, quorum opera factum traditur, vt non solum Ludouicus Christianissimus Rex Francorum, cuius (vt ibi dicitur) regnum nunquam in schismate pollutum recoleretur, vna cum Henrico Anglorum Rege, Alexandrum receperint; sed & Reges Hispaniarum, Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ & Græcorum Imperator Constantinopolitanus, cum Patriarchis, Episcopis, Principibus, & vniuerso Clero & populo eis subiecto, ad eundem Pontificem pari modo conuenerint: soluisque Fridericus Imperator cum suis complicibus in erroris sui pertinacia perstiterit, acriter persequês Alexandrum, & alios Ecclesiarum Prælatos qui pro eo viriliter stabant. Hæcibi. Quomodo vero adueniente in Palæstinam Ioanne Cardinale Legato Alexandri, habitoque ea de re apud *Nazareth* vna cum Rege & Patriarcha Hierosolymitano, aliorum quoque Prælatorum & Principum *Conuentu*, post varias diuersorum sententias, illa tandem præualuerit, vt Legatus reciperetur, & in eo Alexander, narrat pluribus Tyrius. *h*

OMNES REGES SVSCIPIVNT ALEX. IN ITAPAM. *Debuerunt potius* Baron. *ex infer. quando exacta sunt sint.*

h Tyr. lib. 18. cap. 29.

Econtra vero qui Antipapam recepit in legitimum Pontificem Fridericus, plurimũ quoq; laborauit vt alios Reges, vna secũ in eundem errorem adduceret. Siquidẽ eum pertentasse Reges Francorum & Anglorum; Neubrigensis tradit; confirmaturque ex Epistolis Arnulphi Lexouiensis in Northmannia Episcopi, viri cumprimis eruditi, scriptis ad ipsum Alexandrum Papam, & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Catholicos, de conatibus Friderici aliorumque schismaticorum pro introducendo Octauiano, atque officiis ipsius Arnulphi, aliorumque Catholicorum pro Alexandro: quibus ita processum esse testatur, vt reiectis schismaticorum fraudibus, necnon quorundam mundanæ astutiæ consiliis; suadentium vt potius alterutrius expectaretur obitus, quam in re dubia subiiceretur fortuitis casibus tantorum maiestas Principum; atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec diuina voluntas signis euidentioribus appareret: nihilominus iidem Reges, & vniuersi eorundem ditionum Episcopi & populi Alexandrum in legitimum Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ Pontificem susceperint: eorumque exemplum secuta mox fuerint Hispaniæ, Hiberniæ, & Norwegiæ Regna. Hæc Arnulphus. Ad quem Anagnia rescribens *i* Alexander post infame Concilium Papiense Calendis Aprilis, de his quæ ibi gesta essent eum certiorem reddidit; nonnullaque habet, quæ præ pudore schismatici silentio reliquere sepulta: & inter cetera, quod ait Octauianum ibi accepisse inuestituram Papatus ab Imperatore per anulum: (quod erat à sæculis inauditum:) eundemque Imperatorem quosdam prudentiores Episcopos occulte de illo conciliabulo fugientes, reuerentiam ei exhibere vi tyrannica coegisse. Monet demum (quod iam ex ipsius Actis vidimus) se eundem Imp. quia pertinaciter Octauiano adhærebat, cum ipso Octauiano, aliisqur præcipuis eius fautoribus, in Cœna Domini publice solemniter excommunicasse.

i Ext. inter epist. Arnulphi. OCTAVIANVS ACCEPIT INVESTITVRAM PA-TVS AB IMP.

IX.

Quod autem his quoque literis vices suas Alexander Arpho delegauerit, qui egregie pro Catholica veritate rem ageret: idem vt partes sibi creditas impleret, ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ egregiam postmodum scripsit epistolam, cum eos rex Angliæ de his consulturus esset: qua quidem eos de omnibus quæ hactenus gesta essent certiores reddens hortatus est ad partes Alexandri (quem verum & legitimum Pontificem esse demonstrat) absque vlla ambiguitate sectandas; idque maxime exemplo Ecclesiæ Gallicanæ, *quam semper Deus & agnitione veritatis illustrasset, & pedes eius à iustitiæ tramite nullatenus aberrare permisisset: adeo vt sicut omnes, quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris prouexerat inundia, virtus Altissimi manifesta deiecisset; sic omnibus, quos deuotio Gallicana susciperet, victoriam semper contulisset & triumphum: quippe cum cetera regiones abundassent portentis, sola Gallia monstra non habuisset, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum titulis, & plurimis operum exhibitione præfulsisset.* Hæc Arnulphus in laudem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ de consensu Regis sui iam Alexandrum susceperat: sicut & ipsam Anglicanam cum suo Rege mox fecisse constat. Porro inter alios Galliarum Episcopos, qui receptionem Alexandri prouexerunt, fuisse præcipuum Willelmum Archiepiscopum Senonensem, docet epistola *k* Petri Blesensis ad eum scripta: cuius etiam testificatione *l* apparet, eumdem postea de Senonensi translatum ad Rhemensem Ecclesiam, pro Thoma Cantuariensi strenue egisse. Inter monachorum autem Ordines, Carthusienses primos ante omnes Alexandrum pro vero Pontifice suscipiendum confirmasse, traditur in Rebus *m* gestis S. Anthelmi Episcopi Bellicensis, qui eis auctor eius rei extitit.

ECCLESIA GALLICANA LAVS.

k Petr. Bles. ep. 28.
l Id. ep. 129.

m Ap. Sur. 26. Iunii & Baron. An. seq.

Sed & qui præsit Ecclesiæ CHRISTVS, cui omne iudicium dedit Pater: Deum vltionum dominum ostendit se inimicis suis, qui abusi sunt misericordia eius. Inter quos, Schismatis antesignanus, coryphæus pessimus, ARNOLDVS Archiepiscopus Moguntinus, à Conciliabulo rediens, hocipso anno in die Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, à Moguntinis occisus est: vt tradit breuiter Robertus in Appendice ad Sigebertum; describit vero fuse lugubrem tragœdiam Conradus Episcopus in antiquo Chronico Rerum Moguntiacarum: vbi etiam traditur, ciuitatem Moguntinam denudatam fuisse ab Imperatore rerum omnibus, in vindictam necati Episcopi. Dicendum vero suis locis inferius de aliis huius schismatis architectis, quos vltio diuina exitu miserando subtraxit. Qua de re etiam agens ARNVLPHVS Lexouiensis in prædicta ad Cardinales epistola, ait in eos qui ab vnitate Alexandri dissentirent, vltionem diuinam manifeste processisse: ipsumque Fridericum, cui similem Principem à multo tempore Roma non habuisset, cuiusque fere vsque ad remota Orientis terror excessisset, à die susceptionis Octauiani, diuino cœpisse iudicio reprobari, adeo vt ij quos ante securos mœnia non reddebant, congredi cominus ausi sint, & ei de prosperitate successuum insultare. Nam in Actis Alexandri traditur, antequam Imperator *n* colloquium Regis Francorum (de quo inferius) accederet, Venetos cum Veronensibus, & aliis Longobardiæ ciuitatibus, fœdus aduersus eum iniisse; cumque idem contra eos exercitum duxisset, coactum fuisse absque pugna aufugere. Sed hæc postea: *n* ac de grauioribus malis atque ludibriis quæ is deinceps passus est, dicetur suis locis.

X. SEVERVM CHRISTI IVDICIVM ADVERSVS SCHISMATICOS.

VENETI CVM LONGOBARDIS FOEDVS INEVNT ADVERSVS IMP.

n Ap. Bar. an. 1164.

IESV CHRISTI AN. 1161.

ALEX. III. AN. 2.

FRIDERICI 7.

MANVELIS 19.

I. DVO CONCILIA SVB DVOBVS REGIBVS PRO ALEX. PP.

ANno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo primo, Indictione nona, menſe Maio, (inquit Robertus in Appendice ad Sigebertum) pax facta eſt inter Reges Henricum Angliæ & Ludouicum Franciæ: & menſe Iulio Henricus congregauit omnes Epiſcopos Northmanniæ, & Abbates, & Barones, apud *Nouummercatum*; ac Ludouicus adunauit ſuos *Bellouaci*: & ibi tractantes de receptione legitimi Pontificis, conſenſerunt Alexandro, reprobato Victore. Hæc ille breuiter. Quamuis enim iam (vt vidimus) iidem Reges multis teſtimoniis declaraſſent, ſe fauere Alexandro; quod tamen bello decertarent, nec facile poſſent Epiſcopos ſuos congregare, quorum auctoritate hoc decerneretur, dilata hactenus fuerant publicandæ ſuſceptionis edicta: vt docet Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus in epiſtola ad Angliæ Epiſcopos, de qua dictum eſt anno ſuperiori. Porro pacem inter Reges compoſitam eſſe opera S. Petri Tarentaſienſis Archiepiſcopi, legatione ad hoc fungentis Alexandri Papæ, traditur in rebus ipſius geſtis: vbi & plurima recenſentur ingentia ſanationum miracula, quæ per ipſum in his partibus tunc operatus eſt Deus, ad inſinuandam & omnibus declarandam legitimam electionem Alexandri Papæ, à quo ipſe Petrus miſſus erat.

PETRI TARENTAS. MIRACVLA. a *Ap. Sur. 8. Mai c. 34. & ſeqq.*

Pace vero inter Reges facta, vt de veritate electionis plenius cognoſceretur, opera amborum Regum factum eſt ab eorum Epiſcopis, vt ab vtraque parte Alexandri & Victoris Legati adeſſent, qui pro cauſa ſua perorarent: traditq; Neubrigenſis, adfuiſſe pro Victore duos ipſius electores, ac præcipuos complices, Guidonem Cremenſem, & Iohannem de Sancto Martino; pro Alexandro vero Henricum Piſanum, Iohannem Neapolitanum, & Wilhelmum Papienſem, Cardinales: cum autem primo Guido Cremenſis pro Victore egiſſet, Wilhelmuſque Papienſis quæ ille protuliſſet in ipſum ita retorſiſſet, vt propriis irretitus ſermonibus videretur; in eo mutuæ altercationis quaſi duello, totius ita negotii veritatem claruiſſe, vt quamuis iidem Principes valde à Friderico Imp. ſollicitarentur, vt ad perpetuandam mutuam amicitiam, ſibi in recipiendo Victore concordes exiſterent; tamen neuter vlterius cunctari voluerit, repudiato Victore, Alexandrum recipere, & cum Regnis ſibi ſubditis ei tanquam Patri parere: ſicque ſchiſmaticis cum dedecore diſcedentibus, Principes & Pontifices lata ſolemniter in Victorem eiuſque fautores excommunicationis ſententia, Conuentum ſoluiſſe. Hæc Neubrigenſis.

II. ADIVDICATA CAVSA ALEXANDRO CONTRA OCTAVIAN.

OCTAVIA. EXCOMMVNICATVR.

Ex altera vero parte eodem ferme tempore nempe menſibus Iunii & Iulii huius anni, (quod narrat Otto Morena in Chronico Laudenſi) idem Antipapa Octauianus, Victor dictus, vna cum Imperatore aliiſque Epiſcopis & Principibus ſuæ partis, *Laudæ*, Conciliabulum habuit; in quo fuere confirmata, quæ anno ſuperiori Papiæ ſtatuta fuiſſent de electione ipſius Octauiani. Sed veritate cognita, reſilierunt plurimi ex Præſulibus & Principibus: qui ibi recenſentur à Morena, & ipſo inhærente Victori contra Alexandrum.

III. CONCILIABVLVM LAVDENSE

IV. ALEX. NAVIGAT IN GALLIAS.

Quod ad Alexanduum ſpectat; ipſe hoc eodem ſecundo Pontificatus ſui anno (vt tradunt eius Vitæ Acta) Romam reuerſus, cum propter Schiſmaticorum ſeditiones haud ibi quiete valeret permanere, in Campaniam rediit; & quoniam ſchiſmatici armis Imperatoris cuncta fere Eccleſiæ Romanæ loca occuparant, conſilio cum ſuis habito, ad ſolitum Romanorum Pontificum aſylum in Galliam tranſire deliberauit; ordinatoque in Vrbe Vicario Iulio Prænestino Epiſcopo, & aliis rebus diſpoſitis, intraturus mare cum reliquis Cardinalibus Tarracinam perrexit. Vbi inuentis triremibus Regis Siciliæ optime inſtructis, quas ille ad ipſum miſerat, vix eas conſcendit, cum ventus validus ſubito irruens ipſas inter procellas conquaſſatas ad ſaxa litoris impulit, vbi abſque vlla iactura hominum vel ſarcinarum ſunt diſſolutæ. Ipſe autem Pontifex modico tempore reparatis omnibus, infra Octauas Natiuitatis Dominicæ rurſum mare intrauit. Hæc ibi: ſed de itinere dicetur anno ſequenti. De cauſa vero ipſius, præter ea quæ dicta ſunt, habet Wilhelmus *b* Neubrigenſis, Alexandum ſuſcepiſſe profectionem in Gallias, quod licet eum totus Orbis veneraretur Latinus, præter terras Imperatoris ſubditas poteſtati; vias tamen obſidentibus hoſtibus, periculoſiſſimus ad ipſum eſſet acceſſus pro neceſſitatibus Eccleſiaſticis.

b *Neubrig. lib. 2. c. 14.*

Porro quod audiſti propenſum ſtudium Wilhelmi Siciliæ Regis erga Alexandrum: etſi is cetera Malus & re & cognomine, in hoc tamen probus & prouidus extitit, vt fœdere ſibi iungeret Alexandrum; quem niſi habuiſſet amantem, Maionis Ammirati tyrannide inuolutus facile diſpendium regni paſſus eſſet. Etenim aſſerit Hugo Falcandus, qui quæ vidit ſcripſit, Maionem ope Ioannis Cardinalis Neapolitani, multa pecunia tentaſſe impetrare ab Alexandro, vt amoto Rege Siciliæ, Maio in eius locum ſuccederet; ad exemplũ (inquit) cuiuſdam Regis Francorum, cui, depoſito eo quod inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem ſubſtituit. Hæc ibi: quæ licet tentata fuerint, haud tamen eis Alexandrum conſenſiſſe ſignificarunt euenta. Siquidem ambos ſimul ſeſe mutuis beneuolentiæ officiis frequentaſſe vſque ad obitum, quæ dicturi ſumus oſtendent.

V. REX SICIL. CONSVLIT SIBI SVCCIPIENDO ALEX.

Hoc eodem anno in Dania Rege creato Waldemaro, Canuti Regis & Martyris filio, per eum idololatria Rugianorum, Wandalorum, & aliorum finitimorum populorum, eſt ſublata, cultuſque religionis Chriſtianæ mirifice propagatus, adhibito ad opus Abſalone ſuo collectaneo, Epiſcopo Roſchildenſi, inſignis pietatis & miræ virtutis viro. Quæ cuncta cum exactiſſime, ſicut & ornatiſſime, deſcribantur à Saxone *c* cognomento Grammatico, Roſchildenſi Præpoſito, abſque vlla temporum nota; eadem hoc anno Domini geſta eſſe, expreſſe traditur in Rebus *d* geſtis S. Wilhelmi Abbatis Roſchildenſis: quem idem Abſalon per eumdem Saxonem Pariſiis ex conuentu S. Genouefæ accerſiuit in Daniam, ad reſtituendam illic collapſam regularem diſciplinam.

VI. WALDEMARI REG. DAN. PIETAS.

c *Sax. Gra. Hiſt. Dan. lib. 14.*

d *Ap. Sur. April.*

IESV CHRISTI AN. 1162.

ALEX. III. AN. 3.

FRIDERICI 8.

MANVELIS 20.

I. ALEX. PP. ADVENTVS IN GALLIAS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, Alexander Papa è Campania in Galliam nauigans, in feſto S. Agnetis Genuam applicuit: vbi contra prohibitionem Friderici Imp. ab vniuerſo Clero & populo cum honore & gloria ſuſceptus eſt atque tractatus. Inde vero quarta feria poſt Paſcha peruenit Magalonam, & tranſiens ad populoſam Montis-Peſſulani villam, ingenti gaudio & reuerentia ſuſceptus eſt à maxima multitudine Prælatorum, & infinita populi copia, qui eius aduentum præſtolabantur. Vbi etiam inter Chriſtianos nobiles, qui accedebant ad eius veſtigia, quidam Saracenorum Princeps figens genua coram eo, deoſculatiſque pedibus ipſum adorans, locutus eſt ei ex parte domini ſui Mahometanorum Regis; quem Pontifex honorifice recepit, & circa pedes ſuos inter honoratos conſidere fecit. Hæc Acta Vitæ Alexandri, in antiquo Vaticano codice: vbi additur, poſt hæc Pontificem nutu Regis Galliæ, quem per

LEGATOS ACCIPIT A REGE MAHOMETÆ.

aliquot

aliquot Cardinales visitauit, perrexisse Claromontem in Aluernia, indeq; rursum ad alia Galliæ loca. In his autem quæ dicta sunt de Principe Mahometanorum, videas Dei opera; dum non solum Christiani Reges, sed & Saraceni assurgunt, & legatione honorifica venerantur Romanum Pontificem, cum illum impius Romanorum Imperator dire persequeretur, qui Ecclesiæ Romanæ se Defensorem iactabat.

II. IMP. DOLOSE CIRCVMVENIT REG. FRANCOR.

Interea vero (pergunt Acta) Fridericus videns omnes Orthodoxos Reges & Principes Alexandro reuerentiam exhibere, erubescebat in seipso, & propria cum accusante conscientia confundebatur. Sed cum verecundaretur ab incepto desistere, ex altera vero parte timeret Imperiũ amittere, si Alexander præualeret; in his dubiis cõstitutus, vafre cogitauit, tam ipsum Alexandrum, quam idolum suum Victorem, sub prætexta ingentium malorum quæ ex discordia ipsorum oriebantur, iudicio Vniuersalis Ecclesiæ in ordinem redigere, & tertium quendam in Romanum Pontificem eucbere. Quod vt posset perficere, Regi Francorum, doli inscio, pacis autem Ecclesiæ cupido, per Comitem Trecensem persuasit, vt ambo conuenirent apud Auenionem in confinio Imperii & Regni, & ipse quidem secum eo deduceret Octauianum, Rex autem Alexandrum, & per congregatam ibidem in vnum Ecclesiam Gallicanam, Italicam, & Teutonicam, de vtroque decerneretur quod rectius & vtilius esse existimaretur: resque iureiurando vtrimque firmata est. Statuta igitur die Friderico vna cum Octauiano, Regibusque Daciæ & Boemiæ, ac magna Principum suorum multitudine, & ingenti exercitu, ad locum accedente; Rex quoque vna cum Primatibus, Episcopis, ac Baronibus suis, ad eundem locum festinans, collocutus in itinere cum Alexandro, vt & ipse eo proficisceretur, responsum accepit, indignum esse, & SS. Patrum statutis contrarium, vt Romanus Pontifex & Prima Sedes aliquod humanum subiret iudicium; ac satis superque esse, si nonnulli Cardinales mitterentur, ad electionem Alexandri canonicam, & Octauiani illegitimam demonstrandam: missique ad id sunt quinque Cardinales cum Rege. Sed antequam ipse ad locum accessisset, videntes Fridericus & Octauianus, Ecclesiam Gallicanam vna cum Romana contra se stare, diffidentes consiliis ac causæ suæ, rem rursus in maximum discrimen adduxerunt, cum Imperatore per Nuntios Regem insimulante perfidiæ, quod absque Alexandro veniret, Rex vt iureiurando suo satisfaceret, Alexandro significauit vt sine mora cum suis accederet, nisi vellet ipsum Regem se custodiæ Imperatoris dedere, prout in eos fuisset iuramento conuentum.

ALEX. IN MAGNA ANGVSTIA POSITVS.

III.

Sed subueniens suis Dominus in his angustiis constitutis, inprimis excitauit animum Regis Anglorum, vt in auxilium domini sui Regis Francorum, quem audissent periclitari, cum exercitu accurreret, ac deinde immisit in exercitũ Imperatoris ingentem famem. Quibus rebus turbatus Imperator, occasionem recedendi quærere festinans, Regi per Cancellarium suum arroganter significauit; cum nullis Ecclesiarum Prælatis iudicium electionis Romani Pontificis competeret, nisi eis qui sub Romano Imperio existerent, ipsum Regem cum Episcopis suis ad Imperatorem accedere debere, non vt iudicarent, sed vt sententiam Imperatoris audirent. Rex vero hunc fastum irridens, cum scite respondisset, se quoque ac suos esse de ouibus, quas Dominus Beato Petro, eiusque successoribus commodasset; dimissis cum contemptu Nuntiis, munitisque debilioribus Regni sui locis, ad sedem suam reuertit. Alexander autem Pontifex tanto periculo liberatus, visitatusque apud Bobiense monasterium, & pretiosis muneribus donatus à Rege Anglorum; (qui post pedum oscula, præparatam sibi sedem humiliter recusans, ad pedes Pontificis in terra voluit cum suis Baronibus considere:) in ciuitatem Turonensem, in festo Sancti Michaelis Archangeli peruenit, ibique diuturniorem moram fecit. Hæc pluribus in prædictis ipsius Actis.

REX SCITO RESPONSO REDARGVIT ARROGANTIAM IMP.

IV.

Quæ quidem testimonium etiam accipiunt, & auctarium, ex Appendice ad Sigebertum Roberti de Monte, qui suorum temporum res gestas summa fide breuiter perstrinxit. Ait autem, Fridericum Imperatorem & Ludouicum Regem, cum super fluuium Ararem de pace tractaturi conuenire debuissent, repente mutato animo propter schisma Octauiani, infecto negotio ad propria rediisse. Exinde vero paruo temporis spacio interiecto, eundem Ludouicum & Henricum Regem Anglorum super Ligerim fluuium conuenientes, Alexandrum Papam honore congruo suscepisse; & vsos officio stratorum, pedites dextra læuaque frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum habitaculum perduxisse: eoque mediante, pacem inter eos firmam restitutam esse. Hæc Robertus; qui vidisse potuit. Siquidem ipse obitu Alexandri Papæ anno Redemptoris millesimo centesimo octogesimo primo, de se ipso testatur, se præsentem fuisse Concilio Turonensi anno proximo celebrato, nempe (vt ibi ait) millesimo centesimo sexagesimo tertio. Ex quo loco valeas corrigere, quod apud eundem in Chronico, res inter Fridericum & Ludouicum gestæ collocantur sub anno millesimo centesimo sexagesimo quarto. In occursu autem Regum Francorum & Anglorum, mireris summam Dei potentiam, & admirabilem prouidentiam, vt duo potentissimi Reges inter se ipsos iugiter dissidentes, ad cultum & venerationem Vicarii sui conuenerint pacifici, eidemque adeo humili obsequio concordes obseruierint; spectaculum Deo, Angelis, & hominibus gratissimum exhibentes, quale hactenus nunquam in Orbe visum fuisset. Quamuis enim alias sæpe à singulis seorsum siue Regibus, siue Imperatoribus, eiusmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus stratoris ministerium: vt tamen ad hoc duo simul conuenerint adeo magni Principes, nusquam antehac scriptum inuenimus.

ET ANGLI STRATORES SIMVL AGVNT ALEX. PP.

V.

Quod autem ex Actis Alexandri audisti superius, etiam Regem Daciæ, siue Daniæ, ad conuentum cum Francis ab Imperatore ductum; fuit ille Waldemarus, de quo dictum est anno superiori: qui vanis Imperatoris promissionibus illectus, ac pietatis specie ab eodem per Legatos circumuentus, quasi ad componendum dissidium Schismatis, ad eum cum multo ac nobili comitatu profectus est: frustra conantibus prudentioribus ipsius ministris ab eo itinere eum reuocare; & incassum monente Absalone sanctissimo Episcopo Roschildensi, cauendum esse ab astutia Imperatoris, Danos sibi subiicere affectantis; nec sine religionis violatu, familiaritatis eius vsum haberi posse, quod schismaticæ factionis acrior quam iustior defensor existeret. Sensit vero Rex fero fraudem, cum ab Imperatore ad modum illiberaliter exceptus est; quin etiam dure increpatus, quod citius non venisset reddere seruitium, ab eo Imperatori debitum ob Regnum quod Romani Imperii beneficio gereret: Et quamuis omnino decreuisset Waldemarus, ante ceruicem ferro, quam patriam seruituti subiicere; nihilominus noua ludificatione pro Sclauiæi promissa, ad obsequia imperatori paciscenda pertractus est. Cuius seruitii pudorem minuere videbatur, Gallorum ditioni in consimili famulatus genere Britanniæ Regis inclinata maiestas. Post hæc vero Octauiano Antipapa conciliabulum celebrante, & accensis luminibus aduersus Alexandrum, eiusque suffragatores solemnem excommunicationem patante; Waldemarus, hortante Absalone, ne sacrilego eius facinori interesset, concione excessit. Narrat hæc pluribus Saxo a Grammaticus, rerum eius temporis inspector, qui & multa alia laude digna refert ab eodem Rege in hoc itinere gesta, ob quæ Germanis nobilibus admirationi fuit, rusticis autem ac feminis superstitiosæ veneration.

REX DAN A CIRCVMVENTVS AB IMP.

a Sax. Grã lib. 14.

VI

Eodem anno *Londini* in Anglia celebratum est generale CONCILIVM Episcoporum totius Insulæ, cui etiam Rex interfuit, ad subrogandum Metropolitanum in locum defuncti Theobaldi Cantuariensis: communibusque omnium votis electus est *Thomas* ex Cancellario. Hæc in actis Vitæ eiusdem Thomæ, scriptis ab Eduardo eius æquali prolixe satis, quæ postea in compendium redacta b fuere. Sed extant alia ab auctoribus quatuor, iisdemque ipsius Thomæ discipulis, nempe Hereberto eius clerico, Willelmo Cantuariensi, Iohanne Saresberiensi, & Alano Abbate Deoche, tribus libris conscripta, quæ habentur in Vaticana Bibliotheca, vna cum collectione Epistolarum ad eius negocia spectantium, auctorum diuersorum; inter quas, plures sunt eiusdem Thomæ, & Alexandri Papæ, omnesque simul quinque libris partitæ atque digestæ opera eiusdem Ioannis Saresberiensis, qui fuit Thomæ à Secretis. Refragatum autem illum esse

CONC. LONDIN. VBI S. THOM. CREATVR ARCHIEP. CANTVARIENSIS

b Ext. ap. Dis. ACTA ET EPIST. S. THOMÆ.

magnopere ne fieret Archiepiscopus, scribit Herebertus; protestatumque esse contra Regem, ne eum eligeret, alias se fore ei aduersarium propter Ecclesiasticam libertatem. Sed subiicit Saresberiensis, vrgente Henrico Pisano presbytero Cardinale Sanctorum Nerei & Achillei, Legato Alexandri Papæ, tandem acquieuisse: moxque missis Nuntiis pro Pallio ad Alexandrum, qui tunc erat in Monte Pessulano, eum ob tanti viri reuerentiam, illud ipsi absenti concessisse. Porro consecratus Episcopus, habitū induit monasticum, ea de causa quod exempla multa præcessissent eorum, qui non monachi cathedram illam conscendentes, à Deo male mulctati essent.

INDVIT MONAST. HABITVM.

IESV CHRISTI AN. 1163.

ALEX. III. AN. 4.

FRIDERICI 9.

MANVELIS 21.

I. CONCIL. TVRON. SVB ALEX. PP.

ANNO Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, Indictione vndecima, mense Maij, Alexander Papa, (vt traditur in eius Actis) *Turone* in Ecclesia S. Martini CONCILIVM celebrauit; cui cum eo interfuerunt Cardinales septemdecim, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti quatuordecim, & aliorum clericorum maxima multitudo. Inter alios vero insignes Præsules, interfuit S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis; quem præter morem Alexander ea excepit honorificentia, vt (quod tradunt Vitæ ipsius Scriptores) omnes Cardinales in eius occursum miserit extra ciuitatem, præter duos qui soliti essent ipsi Pontifici semper assistere. Conuolauit etiam ad Synodum Conradus electus Archiepiscopus Moguntinus, consanguineus Imperatoris: qui nolens Octauiano schismatico adhærere, clam Imperatore ad Alexandrum se contulit; à quo benigne exceptus, postmodum factus est Cardinalis Episcopus Sabinensis. Interim vero commotus in eum Imperator, Cancellarium suum nomine, etsi non opere, Christianum, in Ecclesiam Moguntinam intrusit; vnde diuturnum in ea factum est schisma, quousque pace inter Alexandrum & Fridericum Venetiis composita, idem Christianus combusto publice quod acceperat à schismatico Pontifice Pallio, aliud ab Alexandro sumpsit pro eiusdem Ecclesiæ Moguntinæ administratione, Conrado in Saltzburgensem translato; qui rursum post obitum Christiani, Moguntinam recepit. Narrat ista Romualdus Archiepiscopus Salernitanus huius temporis scriptor fidelis in Chronico; agitque de ijsdem Rogerius in Annalibus Anglicanis, ac pluribus alius Conradus, qui sequenti sæculo Chronicon scripsit rerum Moguntiacarum.

THOMAS HONORIFICE EXCIPITVR AB ALEX. CONRAD. MOGVNT. STAT PRO ALEX. *De quo Baron. hoc & sqq. annis.*

II. ACTA SYNODI TVRON.

De Actis autem huius Concilij Turonensis, imprimis Robertus, qui aderat, asserit Alexandrum reddita plenissima ratione de sui legitima promotione, ingessisse de inuasione Octauiani querelam; eoque factum esse, vt in ipsum atque complices fuerit iteratum anathema. His vero peractis, confirmata sunt antiqua Ecclesię decreta, nouaque decem constituta; quorum nouem, de certis vsuræ & simoniæ speciebus, deque monachis physicam & leges mundanas profitentibus, aliisque nonnullis eiusmodi abusibus vetitis, deque hæresi apud Tolosam & Guasconiam vigente damnata, ac denique de irritis declaratis Octauiani & aliorum schismaticorum & hæreticorum ordinationibus; descripta *a* reperiuntur in eiusdem Pontificis Vitæ Actis, necnon in codice antiquorum canonum in Vaticana Bibliotheca, eademque fere cuncta leguntur apud Willelmum *b* Neubrigensem, sed inuerso ordine: decimum autem descriptum habetur extra de Pœnis capite quarto. Post hæc vero Alexander Papa ciuitatem Senonensem elegit, in qua assiduam moram agens Vniuersalis Ecclesiæ negotiis vacaret; vbi & mansit vsq; ad reditum in Italiam.

a Rec. Baron. Ann. Tom. XII. hoc an.
b Neubrig. lib. 2. c. 15.

Quod autem idem Neubrigensis *c* addit, in hoc Turonensi Concilio S. Thomam Pontificatum minus canonice per laicam manus regiæ inuestituram susceptum, pungentis conscientiæ stimulos non ferentem, secreto in manus Alexandri Papæ resignasse, & Alexandrum pastoralem illi sarcinam Ecclesiastica manu rursum imposuisse: hæc quidem postea facta esse, suo loco dictum est inferius. Sed & correctione dignus in eo idem auctor est, dum ad excusationem Regis Angliæ vnam tantummodo causam illam refert excitatæ postmodum discordiæ inter eum & S. Thomam, quod non fuerit Sanctus Regem lege agere contra facinorosos clericos. Nam etsi hæc quoque intercesserit, alias tamen etiam plures iustissimas præcessisse, quibus oportuit à Sancto Regem corripi, docent Vitæ ipsius Acta, à quatuor auctoribus qui præsentes erant, de quibus dictum est anno superiori, conscripta; dum aiunt, Regem ei infensum esse redditum, quod Ecclesiæ prædia à laicis vsurpata, male vero à prædecessoribus alienata, recuperare laboraret; quodque prauam consuetudinem quæ in Anglia inualuerat, vt fructus vacantium Ecclesiarum regius Fiscus sibi vendicaret, vnde fiebat vt Ecclesiæ diu vacantes permanerent, abolere satageret, itemque quod creatus Archiepiscopus se à munere Cancellariæ abdicasset, (nimirum iuxta consilium Apostoli, ne militans Deo, implicaret se negotiis sæcularibus) quem Rex optaret sibi retinere ministrum: præterea, quod iniustam tributi prohibuisset exactionem; & homicidam presbyterum damnatum, minime tradidisset Curiæ sæculari, sed exauctoratum inclusisset monasterio; pariterque alium quemdam Canonicum facinorosum, non sicut Rex cupierat, pœnas dare compulisset, sed censuris tantum cohibuisset Ecclesiasticis.

c III. c. 16.

DISSIDIA INTER THOM. CANTVA. ET REG. ANGL.

IV.

Horum igitur causa Rex indignatus, cum instanter postulare cœpisset vt eiusmodi facinorosi clerici post pœnam canonicam in eos irrogatam, traderentur Curiæ sæculari; non solum Thomas, sed & reliqui Episcopi refragati sunt ei. Quimobrem (vt subdit Robertus) cum iam vehementius commoueretur, quod cerneret Archiepiscopum & Episcopos aduersus ipsum in hiis esse vnanimes, rursum in maiorem furorem exarsit, cum scisciatans num Consuetudines suas regias forent obseruaturi, eos omnes, præhabito simul consilio, singillatim interrogatos, respondentes audiuit, illos se obseruaturos *Saluo Ordine suo*: & cum vrgeret, vt absolute absque aliqua adiectione eas se obseruaturos promitterent; Thomas respondit, quod cum fidelitatem ei iurassent, *Vitam* scilicet *membrum, & honorem terrenum, saluo Ordine suo*, in hoc *Honore terreno*, regias esse Consuetudines comprehensas; seque ad earum obseruationem minime in alia forma obligaturos esse, nisi in qua prius iurauerant. Ac licet vnus, nempe Hilarius Cicestrensis, videns ob hanc communem omnium vocem, Regem magis exacerbatum, vt eius sedaret animum, ceteris inconsultis mutasset verbum, dicens se regias Consuetudines obseruaturum *Bona fide*: nihil tamen Rex mitigatus, & ipsum contumeliis affectum reiecit, & post multas altercationes, cunctis insalutatis Episcopis, in ira & indignatione multa abscessit Londonia, vbi hæc agitari contigit. Ista ex Roberto: quæ autem sunt secuta, dicentur anno sequenti.

DE MODO OBSERVATIONIS CONSVETVD. REGIAR.

V. REX ANGLOR. IN IRAM PRÆCIPI.

Interea vero, vt scias quanto periculo Regi ab Episcopis resisteretur, audi quam is sæpe feraliter in transuersum agi consueuisset. In epistola enim quadragesima quarta ad S. Thomam conscripta legitur, eumdem Regem aliquando cum esset Cadomi, & de negotio quod haberet cum Rege Scotiæ tractaret cum quodam qui pro Scoto loqui videbatur; subito in verba ignominiosa aduersus eum prorupisse, & solito furore succensum, pileum de capite proiecisse, baltheum discinxisse, pallium & vestes quibus erat indutus longius abiecisse, stratum sericum quod erat supra lectum manu propria remouisse, & quasi in sterquilinio sedentem straminis cœpisse manducare festucas. Et epistola sequenti narratur de quodam, qui eidem Regi literas minus gratas reddidisset, Regem digitos ad oculos eius eruendos apposuisse vsque ad effusionem sanguinis. De quo etiam Petrus *d* Blesensis eius familiaris, ad Rogerium Decanum scribens.

d Petr. Blef. ep. 75.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bens, teſtatur agnum fuiſſe dum placati eſſet animi, leonem vero aut etiam leone truculentiorem dum vehementius excandeſceret. Et ad *e* Archiepiſcopum Panormitanum, oculos eius orbiculatos fuiſſe, dum pacati eſſet animi columbinos & ſimplices, ſed in ira & turbatione cordis quaſi ſcintillantes ignem, & in impetu fulminantes.

e Id. ep. 66.

VI.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc anno Amalricus ſuccedens Balduino fratri defuncto, coronatus eſt Rex Hieroſolymorum. Sed antequam coronaretur, coactus eſt ab Apoſtolicæ Sedis Legato Ioanne presbytero Cardinale, ſimul cum Patriarcha Hieroſolymitano dimittere vxorem quam ſibi in quarto conſanguinitatis gradu coniunctam, Patriarcha refragante, duxiſſet: conceſſo tamen vt duo ex ea ſuſcepti filii haberentur legitimi. Hæc pluribus Tyrius *f*.

f Tyr. l. 19. c. 1. & 4.

IESV CHRISTI AN. 1164.

ALEX. III. AN. 5.

FRIDERICI 10.

MANVELIS 22.

I.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, indictione duodecima, in Anglia grauiores in dies excitati ſunt fluctus, non ad obruendum tantum Cantuarienſem Primatem vna cum vniuerſa Eccleſia Anglicana, ſed & ipſam ſacroſanctam Catholicam (ſi licuiſſet) demergendam vna cum eius Præſule Alexandro. Siquidem Henricus Rex S. Thomam obſtinato animo perſequens, in ipſum Alexandrum, vt eum ab Eccleſia Cantuarienſi dimoueret, ſtudium omne conuertit; laboratumque eſt per ſeptennium, vt hæc ſciſſa concordia vniretur. At quomodo cuncta ſe habuerint, accipe.

II. CONVENTVS CLARIND. IN ANGL. DE CONSVET. REGNI.

Poſt turbulentum illum inter Epiſcopos Regemque congreſſum; ad euitanda grauiſſima imminentia mala, Thomas crebris impetitus multorum Epiſcoporum & Abbatum ſuaſionibus, aſſerente & vno ex eis Abbate Alexandrum Papam ita fieri conceſſiſſe, cum de his altercationibus audiuiſſet: his tandem perſuaſus ad Regem accedens, verbum quod ei ſcandalo fuerat pro Regiis Conſuetudinibus obſeruandis, ſe mutaturum promiſit. Vnde Rex aliquantum ſedatus, id fieri volens in generali totius Regni *Conuentu*, omnes Antiſtites & Proceres Magiſtratuſque *Clarendunam* conuocauit hoc ipſo anno die trigeſima Ianuarii. Vbi cum inſtantius exigeret, vt promiſſa adimplerentur, rurſum Thomas valde timens libertati Eccleſiaſticæ, reſiliit, nec vllis furentis Regis minis, aut blandientis promiſſis, induci potuit ei acquieſcere, donec iterum continuis Epiſcoporum, aliorumque tam ex Clero quam ex populo precibus, genuflexionibus, lacrymis, & præſentiſſimis carceris, exilii, capitiſque periculis commotus, eis potius quam Regi obedire acquieuit; primuſque ante omnes iurauit Regias conſuetudines obſeruare *Bona fide*, ſuppreſſo verbo contentioſo *Saluo Ordine*: idque ipſum eadem forma ſingulatim vniuerſi Pontifices iurauerunt. Qua ratione idem Thomas, (vt traditur in Quadripartita ipſius Hiſtoria, vbi cuncta iſta pluribus recenſentur) ne victor in lite per ſuperbiam intumeſceret, inde deficiens vnde proficere debuiſſet, permiſſus eſt ad horam cadere, vt poſtmodum fragilitatis propriæ memor, fortior reſurgeret ad pugnam. Quod autem Rogerius ait in Annalibus, ſuaſione Alexandri Papæ eam illicitam promiſſionem factam eſſe Regi: ſi id verum eſſet, cur tanquam de maximo facinore perpetrato, Thomas apud eundem Pontificem de iis pœnitentiam egit, quorum ille auctor ipſi extitiſſet? Ceterum præter Quadripartitam quam diximus Hiſtoriam, appoſita eſt ad calcem exactior narratio de iis, quæ contigerunt à fine eiuſmodi Conciliabuli Clarendunenſis, vſque ad profectionem Alexandri ex Galliis: ex qua conſtat Thomam recedentem à Curia, grauiter reprehenſum à ſuo Crucigero de Eccleſiaſtica libertate prodita, mox delicti pœnitentia compunctum, ingemuiſſe; & nuntium ad Alexandrum Papam pro abſolutione miſiſſe, proponentem interim ab omni ſacerdotali & Pontificali officio ac miniſterio, tanquam indignum, abſtinere. Extantque ad eum literæ Alexandri *a*, quibus mœrentem eſt conſolatus; iubenſque diſcreto ſacerdoti per pœnitentiam confiteri, à præſtito iuramento eundem abſoluit.

PŒNITENTIA SIBI INDICTA.

a Ca. Vatic. Epiſt. Tho. Cantuar. 1. ep. 26.

Cum autem Regi innotuiſſet, renuere S. Thomam propoſita Clarendunæ Conſuetudinum capita, ſicut dictum fuerat, ſuo ſigillo corroborare, quinetiam à promiſſione verbali facta de ipſorum obſeruatione reſilire velle, quod ea maxime in perniciem Eccleſiæ verterent; inde Rex acerbius exaſperatus, Nuntios miſit ad Alexandrum, duo petituros; nimirum vt Legationem Apoſtolicam Angliæ, credi ſolitam Archiepiſcopo Cantuarienſi, concederet Eboracenſi; & vt ab eodem ipſo Pontifice confirmarentur prædicta Conſuetudinum capita. Quibus Alexander in anguſtiis conſtitutus, vel alienandi à ſe animum Regis, cui ob accepta ab eo beneficia plurimum deberet, vel contra Eccleſiaſticam libertatem petita concedendi; conſilium iniit eo temperamento rem agere, vt Legationem Archiepiſcopo Eboracenſi indulgendo, Regi aliquo modo ſatisfaceret; confirmationem vero Conſuetudinum negando, nullum Eccleſiæ damnum afferret. Hæc enim ita ab eo geſta eſſe, certum redditur ex literis *b* ea de re ab ipſo ad Thomam conſcriptis: quibus & eum omnino hortatus eſt, vt Regi in omnibus & per omnia, ſalua honeſtate Eccleſiaſtici ordinis, deferre ſatageret, & eius ſibi gratiam & amorem inceſſanter recuperare intenderet. Verum quod poſterioribus *c* literis ita Legationem Eboracenſis arctandam putaſſet, vt nullum haberet ius in perſonam vel diœceſin Archiepiſcopi Cantuarienſis, nec ideo exempti eſſent Epiſcopi ab obedientia eiuſdem Metropolitani ſui; hinc rurſum ad indignationem Rex excitatus, qui deponendi cauſa Thomæ, auctoritate Apoſtolica, Legationem pro Eboracenſe petiiſſet, poſtmodum literas quibus illam ei Alexander conceſſerat, vt inutiles reddendas *d* curauit. quem nihilominus idem Pontifex *e* admonere, opportune & importune arguens, increpans, obſecrans, minime prætermiſit.

III. REX MITTIT LEG. AD ALEX. PP. ADVERSVS THŌ.

b Cod. Vatic. 1. ep. 4.

c 1. ep. 5. 39. 40.

d 1. ep. 6. & 7.

e 1. ep. 42. & ap. Rog. in Annal.

Inter hæc autem in Anglia Thomas cum aliis Epiſcopis à Rege *Norhantonam* vocatus, & de reddenda ratione reddituum vacantium Eccleſiarum, quos dum cancellarius eſſet adminiſtrauerat, iudicio poſtulatus; cum Epiſcoporum conſilia ſuper his exquirens, audiret pleroſque ſuadere, aut cedere Archiepiſcopatui, aut in omnibus Regi obedire: idem induciis in craſtinum petitis ad reſpondendum, ſummo mane celebrata Miſſa S. Stephani Protomartyris, parans ſe ad martyrium quod ſe ea die ſubiturum ſperabat, delata ſecum ſecreto, more maiorum, ſacratiſſima Euchariſtia, palam vero geſtanda ſumpta propriis manibus Archiepiſcopali Cruce, ad palatium accedens, ſubſannatus à ſuis Epiſcopis eſt, & ab iiſdem, aliiſque in Conſilio Regis, quod regias conſuetudines ſicut promiſerat, obſeruare nollet, ſententia depoſitionis, tanquã periurus, ac Regi infidelis, damnatus. Qui cauſam ſuam agens, poſtquam oſtendit ſe, cum ad Eccleſiam Cantuarienſem inuitus pertractus eſt à Rege, in ipſa ſui electione & promotione declaratũ ab eodem fuiſſe liberũ & abſolutum ab omni nexu Curiali; tam ipſius, quã eius Conſilii publice declinans iudicium, Romanumque Pontificem appellãs, conteſtatus ſe minime cedere Eccleſiæ ſuæ, vniuersã cauſæ cognitionem Sedi Apoſtolicæ reſeruauit: ad quam & ipſos coepiſcopos ſuos vocauit, quod elegiſſent magis obedire hominibus quam Deo. Ac poſt hæc contumeliis & conuitiis Curialium proſciſſus, palatio exiens, ſuſceptus fauſtis acclamationibus infirmorum & pauperum, & ab eis perductus ad hoſpitium, ipſe eoſdem epulo excepit; ac paulo poſt tranſfretans in Belgium, conſtitit in monaſterio S. Bertini. Narrantur hæc pluribus in actis ſuperius citatis rerum tunc geſtarum, necnon in Vita S. Thomæ Quadripartita.

IV

THOMAS DAMNATVR IN CONCILIABVL. NORDANTON.

APPELLAT SEDEM APOST.

Cum autem hanc ipſius profectionem aduerſarii fugam nominarent, & tanquam in fugitiuum conclamarent; de eo ſcribenda fuit à Ioanne Saresberienſe ad Petrum ſcriptorem

V.

LAPSVS THOMÆ CANTVAR.

(puto Bleſenſem) ornatiſſima Apologia, quem etſi plura ſint quæ excuſent, exempla Chriſti, Apoſtolorum, atque Sanctorum omnium; illud ſatis eum ab omni calumnia vindicat, quod cum Romanum Pontificem appellaſſet, utique ad ipſum teſe experturus conferre debuerit. Ad quem etiam ſtatim ſcribens *f* de cunctis rebus geſtis, & appellationis ſuæ ſeceſſioniſque ratione, obtinuit ab eo omnium quæ contra ipſum facta eſſent abrogationem *g*. Ex alia vero parte Rex in eum infrendens, Archiepiſcopum Eboracenſem & alios Angliæ Epiſcopos ad Alexandrum miſit, poſtulaturos aduerſus eum; quorum aliqui in ſuis inuectiuis infatuati à Domino ut mutire non poſſent, irriſui fuere auditoribus: petierunt autem omnes, vt aliquis mitteretur à Papa in Angliam Legatus à Latere ad cognoſcendam cauſam inter Regem & Thomam, ipſeque Thomas remitteretur in Angliam vt ibi iudicaretur. At licet hoc inſtanter peterent, atq; ſchiſma ex parte Regis minarentur; Pontifex tamen haud tradendum putauit in manus adeo trucium hoſtium innocentiſſimum virum, ſed vocatum expectandum eſſe, vt de illo ipſe Pontifex iudicaret. Verum renuentes illi hoc facere, indignantes receſſerunt abſq; benedictione Apoſtolica. Hæc pluribus in iiſdem Actis: extatque inter Epiſtolas, libellus aduerſus Thomam ab iſtis Epiſcopis Alexandro oblatus, maledicentiæ veneno infectus.

f Ext. ap. Reg. in Annal. an. ſeq. *g* Cod. Vatic. 1. ep. 49. LEGATIO EPISC. ANGLIÆ AD ALEX. PP. CONTRA THOM.

IV. THOMAS AGIT IN CONSISTORIO CAVSAM SVAM.

Poſt hæc veniens Thomas ad Pontificem (vt traditur in Quadripartita) cauſamque ſuam perorans, obtulit ei Conſuetudines, de quibus controuertebatur, ſeu potius tyrannicas vſurpationes, quæ adeo execrabiles viſæ ſunt, & antiquis de libertate & immunitate perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum vbique receptiſſimis legibus contrariæ, vt in eandem omnes conuenerint ſententiam, in perſona Archiepiſcopi Cantuarienſis ſuccurrendum eſſe Eccleſiæ Vniuerſali, quæ per eas in duriſſimam Regum & Principum Laicorum, ipſorumque miniſtrorum ſeruitutem deduceretur. Vnde & Pontifex acriter Thomam redarguit, quod non ab initio elegiſſet omne ſuſtinere diſcrimen, quam vllum vnquam tantis legis Dei ſubuerſionibus præbere aſſenſum. Verum quod in eis nullæ quidem bonæ, ſed quædam vtcunque tolerabiles viſæ ſunt; eas ita Pontifex habito de his maturo cõſilio diſcriminauit, vt ex ſexdecim illarum capitibus, decem penitus damnarit, & ab Eccleſia in perpetuum damnanda cenſuerit; reliqua ſex tolerauit.

VII. CONSVET. REG. ANG. DAMNATÆ AB ALEX.

Quæ autem damnauit, ſunt iſta, deſcripta verbatim ex codice Vaticano ſuperius citato de vita S. Thomæ, & Epiſtolis ad hæc negocia ſpectantibus.

1. De aduocatione & præſentatione Eccleſiarum, ſi controuerſia emerſerit inter laicos & laicos, vel inter Clericos & laicos, vel inter Clericos & Clericos; in Curia Domini Regis tractetur & terminetur.

2. Clerici citati & recuſati de quacunque re, moniti à iuſtitia Regis, venient in Curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc, vnde videbitur Curiæ Regis quod ſit ibi reſpondendum. Ita quod Iuſtitia Regis mittit in Curiam Sanctæ Eccleſiæ, ad videndum qua ratione res ibi tractabitur: & ſi clericus conuictus vel confeſſus fuerit, non debet de cetero eum Eccleſia tueri.

3. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & perſonis Regni, non licet exire de regno abſque licentia domini Regis. Et ſi exire voluerint, ſi domino Regi placuerit, aſſecurabunt quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum vel damnum domino Regi, vel Regno.

4. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare iuramentum; ſed tantum vadium & plegium ſtandi iudicio Eccleſiæ, vt abſoluantur.

5. Nullus qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum miniſtrorum eius excommunicetur, nec terræ alicuius eorum ſub interdicto ponantur; niſi prius dominus Rex ſi in terra fuerit, conueniatur, vel Iuſtitia eius, ſi fuerit extra regnum, vt rectum de ipſo faciat; & ita vt quod pertineat ad Curiam Regiam, ibidem terminetur; & de eo quod ſpectabit ad Eccleſiaſticam Curiam, ad eandem mittatur, vt terminetur.

6. De Appellationibus ſi emerſerint ab Archidiacono, debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum; & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitia exhibenda, ad dominum Regem proueniendum eſt poſtremo, vt præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controuerſia terminetur, ita quod non debet vlterius procedere abſque aſſenſu Regis.

7. Si calumnia emerſerit inter clericum & laicum, vel è conuerſo, de vllo tenemento, quod clericus velit ad eleemoſynam attrahere, laicus vero ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum, per capitalis iuſtitiæ Regis conſiderationem terminabitur, vtrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſiue ad feudum laicum, coram ipſa iuſtitia Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in Curia Eccleſiaſtica; ſi verò ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem Epiſcopo vel Barone aduocarint, erit placitum in Curia regia. Si vterq; aduocauerit de feudo illo eundem Epiſcopum, vel Baronem, erit placitum in Curia ipſius; ita quod propter factam recognitionem, ſaiſinam non amittat qui prius ſaiſitus fuerit.

8. Qui de ciuitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, ſi ab Archidiacono, vel Epiſcopo, de aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eidem reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit; bene licet eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari, priuſquam capitalis miniſter Regis villæ illius conueniatur, vt iuſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia Regis, & exinde poterit Epiſcopus ipſum accuſatum Eccleſiaſtica iuſtitia coercere.

9. Cum vacauerit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu eius, & inde percipiet omnes redditus & exitus ſicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in capella ipſius debet electio fieri aſſenſu Regis, & conſilio perſonarum Regis quos ad hoc faciendum vocauerit; & ibidem faciet electus homagium & fidelitatem domino Regi, ſicut ligio domino de vita, & membris, & de honore ſuo terreno, ſaluo ordine ſuo, priuſquam ſit conſecratus.

10. Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur, vel abſque interpoſitione fidei, ſint in Curia Regis.

VIII. ALIÆ TOLERATÆ.

Atque hæc fuere capita penitus damnata. Quæ vero tolerata ſunt, ita ſe habent.

1. Eccleſiæ de feudo domini Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius.

2. Laici non debent accuſari niſi per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia Epiſcopi, ita quod Archidiaconus nõ perdat ius ſuum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et ſi tales fuerint qui culpantur, quod non velit nec audeat aliquis accuſare eos; Vicecomes requiſitus ab Epiſcopo faciet iurare duodecim legales homines de viſueto, ſeu de villa coram Epiſcopo, quod inde veritatem ſecũdum conſcientiam ſuam manifeſtabunt.

3. Archiepiſcopi, Epiſcopi, & vniuerſæ perſonæ Regni, qui de Rege tenent in capite, & habent poſſeſſiones ſuas de dominio Regis, ſicut Baroniam, & inde reſpondent iuſtitiis & miniſtris Regis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines regias & rectitudines, & ſicut ceteri Barones, debent intereſſe iudiciis Curiæ domini Regis cum Baronibus, vſq; perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem.

4. Si quiſquam de Proceribus Regni diffortiauerit Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Archidiacono, de ſe vel de ſuis iuſtitiam exhibere; Rex debet iuſtitiare: & ſi forte aliquis diffortiauerit domino Regi rectitudinem ſuam; Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, & Archidiaconi debent eum iuſtitiare, vt domino Regi ſatisfaciat.

5. Caſtella eorum qui ſunt in Regis forisfacto, non detineat eccleſia vel cœmeterium contra iuſtitiam Regis, quia ipſius Regis ſunt, ſiue in Eccleſiis, ſiue extra fuerint inuenta.

6. Filii ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu domini, de cuius terra nati dignoſcuntur.

IX. THOMAS

Porro his ita vt diximus geſtis, Thomas alia oratione habita declarans ſe indignum Archiepiſcopatu, ad quem

licet

SEAPDI-CAI, ET RESTITVI-TVR A PP.

licet inuitus, tamen per Regem, adeoque humana & non diuina ratione euectus eſſet; eo ſe in manu Pontificis abdicauit, quem noluiſſet ad nutum Regis dimittere, ne eius rei pernicioſum exemplum Eccleſiæ Catholicæ relinqueret. Sed paulo poſt eodem ipſi à Pontifice reſtituto, commendatus ipſe eſt Abbati Pontiniacenſi Ordinis Ciſtercienſis educandus: cum quo viuens monachus inter monachos, expleuit numeros omnes perfectionis monaſticæ, lectioni, orationi, & aliis ſpiritualibus exercitiis incumbens.

X. EDICTVM REGIS CONTRA THOM. ET ALEX.

His autem cognitis Henricus Rex Angliæ, in ipſius Alexandri Papæ, & Thomæ Archiepiſcopi iniuriam, ſæuiſſima mox edicta per omnes ſibi ſubiectas etiam extra Angliam prouincias promulgauit, nempe, Vt omnes portus diligentiſſime cuſtodirentur, ne literæ interdictionis Summi Pontificis, vel aliquod mandatum Archiepiſcopi Cantuarienſis, in Angliam deferrentur: quod ſi quis inuentus eſſet illas deferre, confeſtim quaſi traditor Regis puniretur: & quidem ſi Regularis eſſet, pedibus truncaretur; ſi clericus, oculos & genitalia amitteret; ſi laicus, ſuſpenderetur: ſi leproſus, combureretur: Ne aliquis clericus, vel monachus, vel conuerſus, iret in Angliam, vel inde rediret, abſque licentia ſcripta Regis, vel miniſtrorum eius: Ne aliquis appellaret ad Papam, vel ad Archiepiſcopum: Ne aliquod mandatum Papæ, vel Archiepiſcopi, ab vllo homine teneretur, vel reciperetur, neque aliquid ad eos ex parte alicuius clerici, vel laici deferretur: Si Epiſcopi, vel clerici, vel Abbates, vel laici, ſententiam interdicti tenere vellent; ſine dilatione de terra eiicerentur, cum vniuerſa ſuorum cognatione, nihil ſecum deferentes præter baculum: Vt omnia bona fautorum Papæ, vel Archiepiſcopi, cuiuſcumque gradus, ordinis, ſexus, vel conditionis, Fiſco regio applicarentur: Vt omnes Clerici qui redditus haberent in Anglia, intra tres menſes eo ſe reciperent; alioqui redditus in theſaurum Regis conferrentur, ipſique extorres eſſent, ſine ſpe redeundi: Vt omnes presbyteri qui celebrare detractarent, genitalia amitterent; omneſque rebelles beneficiis priuarentur: Vt denarij S. Petri non redderentur amplius Papæ, ſed defetrentur in theſaurum Regis: Vt redditus Archiepiſcopatus Cantuarienſis, necnon res omnes ipſius Archiepiſcopi, & ſuorum, Fiſco addicerentur; omneſque de ipſius cognatione, quique ei familiaritate coniuncti eſſent, cuiuſcumque ordinis, ſexus, vel ætatis, ex Anglia trans mare deportarentur. Narrantur iſta pluribus in codice Vaticano Epiſtolarum, *h* necnon in Quadripartita S. Thomæ Hiſtoria: vbi & traditur, nec hac ſæuitia ſatiatum Regem, adieciſſe adhuc vt ſpiritualibus quoq; officiis eumdem Sanctum priuaret, edicto inhibens vt nullus pro eo orare præſumeret.

h I. c. 14. & l. 16. 48.

XI. OCTAV. ANTIP. INTERITVS.

Dum autem iſthæc ita cœpiſſent agitari, contigit hoc ipſo anno circa feſtum Paſchale, ſchiſmaticum Antipapam Octauianum infirmari apud Lucam ciuitatem, & impœnitentem migrare ad inferos: licet quidam aſſererent eum vocaſſe ſacerdotem Catholicum, qui prohibitus à ſchiſmaticis eſt ad eum intrare. Ita in Rebus geſtis Alexandri Papæ. In epiſtola vero Nuntij S. Thomæ, qui erat apud Alexandrum, cum huius rei certum ad eum nuntium ex Italia delatum eſt, aſſeritur eumdem Octauianum quarta feria poſt octauas Paſchæ obiiſſe in vrbe Lucenſi, & ſepultum eſſe in monaſterio extra ciuitatem, eo quod Canonici maioris Eccleſiæ, & Regulares Canonici S. Fridiani, ei ſepulturam negaſſent, præeligentes à ſuis migrare ſedibus, quam admittere corpus ſchiſmatici, quem crederent in inferno eſſe ſepultum: à ſatellitibus autem Imperatoris, & familia propria, ad miſeros monachos cadauer perlatum eſſe, ipſumque Octauianum quindecim diebus antequam moreretur, phreneticum effectum eſſe continue, & in tantam verſum inſaniam, vt nec Dei nec ſui memor eſſet: Alexandrum autem audita eius morte, eum defleuiſſe, & Cardinales de ea exultantes durius increpaſſe, eo quod iactura animæ irreparabilis ſit, vbi culpa per pœnitentiam non deletur. Porro cum his certiſſimis eius temporis Scriptorum teſtimoniis conſtet de miſerando Octauiani obitu; tamen qui iohærebat Imperatori ſchiſmatico Otto Morena Laudenſis, in gratiam eius, & ad conſolationem conſortum ſchiſmatis aſſerere non erubuit, eumdem Octauianum claruiſſe miraculis; quem non ſchiſma tantum, ſed & publica latrocinia oportuit ad inferos demerſiſſe, toto id orbe Catholico conclamante.

XII. GVIDO CREM. ANTIPAP. SVBROGATVR.

Illo igitur extincto, Ioannes de S. Martino, & Guido Crementis pſeudocardinales, ipſius olim promotores, deſperantes ob peſſima ſua ſcelera ab Eccleſia cum honoribus ſuis recipi; collectis in vnum ceteris ſchiſmaticis clericis & laicis, tam Italis quam Germanis, qui ad ſepulturam Octauiani conuenerant, peccatum peccato addentes, alium ſtatuerunt in eius locum ſubrogandum eſſe Antipapam: electuſque eſt ab omnibus ipſe Guido, quem *Paſchalem* Tertium nominarunt; & confeſtim per Nuntios Imperatorem tunc in Germania exiſtentem rogarunt, vt eius electionem Imperiali auctoritate confirmaret, quod quidem ipſe adeo libenter præſtitit, vt etiam ſuper ſancta Dei Euangelia iurauerit, ſe dictum Guidonem eiuſque ſucceſſores habiturum Catholicos Papas, Alexandrum autem & ſucceſſores ſemper vt ſchiſmaticos reiecturum: & ad idem impium ſacramentum alios quoſcumque potuit viros Eccleſiaſticos adegit. Traduntur hæc in Actis Alexandri. Sed quæ pertinent ad iuramentum, poſtea (vt dicetur) contigerunt.

XIII. ALEX. REVOCATVR IN VRBEM.

Additur vero in iiſdem Actis; cum eodem tempore defunctus etiam eſſet Romæ Iulius Prænestinus Epiſcopus, Alexandri Papæ Vicarius, & in eius locum Ioannes presbyter Cardinalis tituli SS. Ioannis & Pauli ſubrogatus; huius opera factum fuiſſe, vt vniuerſus Clerus & Populus Romanus Legationem miſerint in Gallias ad Alexandrum; qua inſtanter petierunt, vt ad propriam Sedem ſuam, & populum ſpecialiter ſibi commiſſum, quamprimum dignaretur reuerti. Quod ipſe præſtitit anno ſequenti: qui interea pro impenſis itineris, & aliis ipſi ex neceſſitate incumbentibus, collectam indixit Eccleſiis Galliarum; cuius mentio eſt apud Petrum *i* Bleſenſem, ex epiſtola Archiepiſcopi Rotomagenſis ad ſuos ſuffraganeos pro eiuſmodi faciendo ſubuentione conſcripta.

i Petr. Bleſ. ep. 170.

XIV. *k* Io. Ola. lib. 19. c. 7.

Hoc eodem anno, *k* inſtante Carolo Rege Suenonum atque Gothorum S. *Helena* vidua, genere Wiligotha, ob vitam ſanctiſſime ductam, mortemq; violentam iniuſte acceptam à cognatis generi ſui, de cuius nece fuerat per calumniam accuſata, & ob miraculorum inſignem operationem, ab Alexandro Papa relata eſt in Sanctorum numerum. Eodemq; tempore, precibus *l* Waldemari Regis Daniæ, idem Pontifex æque in Albo SS. Martyrum adſcripſit *Canutum* Regem, alterius item Canuti Regis & Martyris filium, patrem vero eiuſdem VValdemari.

l Sax. Gra. lib. 14.

XV. PETRI LOMBARDIOSITVS. *m* Apud Matt. Pariſ. Hiſt. Angl. an. 1179. & Baron. eod. an.

Hoc item anno *Petrus Lombardus* Epiſcopus Pariſienſis ſcientia clarus, cuius ſunt inter alios Libri quatuor Sententiarum, ex hac vita deceſſit. Habuit correctorem virum inſignem VVillelmum Archiepiſcopum Senonenſem; ad quem extant literæ *m* Alexandri Papæ in Concilio Lateranenſi, vt abrogandam curaret prauam eius ſententiam, *Quod Chriſtus, ſecundum quod eſt homo, non eſt aliquid.* Paſſus eſt quoque accuſatorem, Ioachimum Abbatem monaſterij Florenſis; ſed damnatus eſt accuſator in Concilio Romano ſub Innocentio Tertio. Qui dicunt eiuſdem Petri germanum fuiſſe Petrum Comeſtorem (qui & Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ) necnon Gratianum Decretorum collectorem, puto errare: ſiquidem Petrus iſte Lombardus, patria fuit Nouarienſis, Gratianus Tuſcus è Cluſio, & Comeſtor Trecenſis Gallus. Reprobat & S. Antoninus *n* fabulam illam vulgo ſparſam.

n Anton. part. 3. tit. 15. c. 6.

IESV CHRISTI AN. 1165.
ALEX. III. AN. 6.
FRIDER. 11.
MANVEL. 23.

I. PAX INTER THOM.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, Indictione decimatertia, in cauſa Thomæ Cantuarienſis diſcurrentibus hinc inde (vt ait Alanus in Quadripartita) Nuntiis ad pacem cum Angliæ Rege conciliandam, tandem vtrimque placuit Papam & Regem certo die & loco ſimul conuenire, vt per mutuum collo-

CANTVAR ET REG. ANGL. FRVSTRAVENTAT.

quium via pacis facilius inueniretur. Verum quod Rex nollet Thomam adesse, Thomas autem instaret præsentiam suam omnino esse necessariam, cui mores Regis noti essent, ne Papa verborum eius varietate circumueniretur: renuntiante Papa Regi, inauditum à sæculo esse, Romanam Ecclesiam ad alicuius Principis nutum quemquam à se reiicere, maxime pro iustitia exulantem res effectu caruit. Cum interim Thomas summis angustiis pressus, literas commonitorias ad Regem scribere non desisteret, necnon ad Episcopos Angliæ, vt & ipsi Regem ad pœnitentiam hortarentur; quas suis Annalibus Rogerius inseruit.

II. ITER ALEX PP. ROMAM VERSVS.

Post hæc vero, Alexander Papa frequentibus Romanorum literis in Vrbem vocatus, (cuius causa ijdem adeo in arctum reducti erant ab Imperialibus, vt pacti essent se Guidonem schismaticum recepturos, nisi Alexander ante diem festum S. Michaelis veniret, ac subueniret:) celebrato Paschate recedens Senonis, post festum Apostolorum peruenit ad montem Pessulanum; paratisque nauibus, infra Octauam Assumptionis Beatissimæ Virginis inde soluit, & cum multo discrimine tam procellarum, quam insidiarum Imperatoris, qui nihil non tentauit vt redeuntem in Italiam caperet, Messanam peruenit; ibique honorificentissime à Siciliæ Rege Willelmo Ecclesiæ Romanæ feudatario, tamquam dominus susceptus, (quicquid rursum Imperator apud eum literis & promissis amplissimis ageret, vt hospitem prodoret) & muneribus donatus, mense Nouembris cum triremibus & præsidio Regis Messana soluit, aduenitq; Ostiam: vbi à Senatoribus & nobilibus, magnaq; parte Cleri & Populi Romani visitatus peruenit tandem Romam, & ineffabili omnium gaudio & honore receptus est die vigesima prima eiusdem mensis Nouembris. Quomodo autem ista se habuerint, narrant pluribus Acta Alexandri, Ioannes *a* Saresberiensis, Willelmus Neubrigensis, *b* ac Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, qui Salerno transeuntem Alexandrum debito honore excepit.

a Cod. Vatic. 1. ep. 33. ad Thom. Cant.
b Neubrig. lib. 2. c. 17.

IESV CHRISTI AN. 1166.

ALEX. III. AN. 7.

FRIDER. 12.

MANVEL. 24.

II. CONCILIABVL. HERBIPOL. PRO CONFIRMATIONE GVID. ANTIP. IVRAMENTVM IMP. ET SVOR. DE PROPVGNANDO SCHISMATE.

ANno Christi millesimo centesimo sexagesimo sexto, Indictione decimaquarta, Fridericus Imp. videns res Catholici Pontificis Alexandri magis ac magis inualescere, inuidia percitus *Conuenticulum* Principum ac Præsulum suorum indixit *Wirtzburgi* (quæ alio nomine dicta est Herbipolis) ad Pentecosten: in quo Guidonis Antipapæ confirmata intrusione, manu propria super Sanctorum Reliquias iuramentum publice præstitit, se numquam recepturum in Papam Rolandum, (hoc est, Alexandrum) vel eius successores à parte ipsius electos, Guidonem autem, Paschalem nominatum, eiusq; successores, quos pars eius eligeret, defensurum, eisq; vt Catholicis Pontificibus obedientiam exhibiturum: voluitq; vt idem iuramentum à Prælatis, & Principibus sæcularibus ipsi præsentibus præstaretur, & ab absentibus omnis ordinis & conditionis Ecclesiasticis viris, atq; etiam à monachis, laicisq; vbiq; exigeretur; ac demum si ipse prius moreretur, vt Electores nullum antea promouerent ad Regnum, quam illud ipsum feciſſet iuramentum. Est de his eiusdem Imperatoris Circularis *a* epistola ad cunctos populos ipsi subiectos, ex eodem Conciliabulo scripta Calendis Iulij: aliaq; ad Abbatem Stabulensem, quæ formula est earum quas ad omnes Episcopos, Abbates, & Principes, longe lateq; per Imperium constitutos, pro illius decreti Synodalis executione & obseruatione conscripsit; ea pœna omnibus detrectantibus imposita, vt publici hostes Imperij haberentur, & absq; omni spe recuperationis, quibuscumque officiis, honoribus, bonis, & beneficiis priuarentur.

a Cod. Vat. 1. ep. 70 71. Rec. Ba. 90. hoc an. ficus & a. as, de quibus infra.

II.

Sed est & alia eodem tempore à quodam secreto amico Alexandri Papæ, qui tunc Herbipoli his omnibus interfuit, scripta ad eumdem Pontificem epistola; *b* qua singillatim cuncta fideliter exponens, ait hanc iuramenti formam propositam fuisse Imperatori à Reginaldo Colonensi Archiepiscopo, qui auctor fuerat electionis Guidonis; verum ferme omnes qui aderant, inuitos, nec nisi ab Imperatore coactos, atq; certis additis conditionibus, ei subscripsisse; plurimosq; tam Prælatos, quam Principes, eidem conuenticulo interesse refugisse. Deniq; est etiam mentio illius iuramenti in Rebus *c* gestis *Conradi* Saltzburgensis Archiepiscopi, qui ante biennium, post felicem obitum Eberardi, de quo dictū est superius, translatus est in eam sedem ex Patauiensi, cui sexdecim annis præfuerat: Vir vndequaq; præstantissimus, genereq; nobilissimus; quippe qui natus patre Liupoldo Marchione Austriæ, matre Agnete, filia Henrici Quarti Imp. frater vterinus fuit Conradi Regis Romanorum, Friderici vero Imp. patruus, & sororius Henrici Quinti itidem Imperatoris; habuitq; sorores, Gerdrudem Ducissam Boemiæ, & Berchtam Ducissam Polonorum; & consobrinam, Imperatricem Hispaniæ Gerdrudem. Idem vero scientia & morum probitate longe clarissimus, postquam ad sedem Saltzburgensem translatus est, cum pene Germaniæ & Italiæ Prælati in gratiam Imperatoris adhærerent Guidoni Antipapæ, & (vt dictum est) sacramento ne ab eo recederent, sponte vel coacti se obligarent; ipse palam firmiusq; adhærens Alexandro legitimo Pontifici, & Catholicis, immobilis extitit columna veritatis, vna cum altero Conrado Moguntinensi, & ipso Imperatoris consanguineo, de quo dictum est superius, ac pauciſſimis aliis illarum partium Antistitibus.

b Ibid. epist. 72.

c Canis. Antiq. Lect. Tom. 2. 6. Ap. Baro. an. 1164. in 6.

DE CONRADO ARCHIEP. SALTZB. [Cuius etiam germanus fuit Otto Episcopus Frisingensis; de quo superius.]

Quod autem in prædictis Friderici literis traditur, Legatos quoq; Regis Angliæ in eodem Wirtzburgensi Conciliabulo, idem iuramentum pro domino suo atq; vniuerso ipsius regno publice præstitisse; extat quidem illius Regis ad Archiepiscopum Colonensem schismatis antesignanum epistola, *d* qua docet se consilium cepisse mittendi per terras Imperatoris, Legationem ad Alexandrum Papam, qua ei denūtiaret, quod nisi desisteret à protectione Thomæ Cantuariensis, permitteretq; alium in eius locum promoueri, sed & regias consuetudines confirmaret, ipse cum vniuerso regno suo ab eius obedientia deficeret. Verum quod Nuntij, quos misisset ad Imperatorem pro matrimonio contrahendo inter filiam suam & filium Imperatoris, quosq; hæc tractantes contigit interesse conciliabulo tunc habito, ipsius Regis nomine iurarunt inhærere Guidoni schismatico; nequaquam ex præcepto eius feciſſe, excusatum est ab Archiepiscopo Rotomagensi scripta epistola *e* ad Henricum tituli SS. Nerei & Achillei presbyterum Cardinalem. Ipsos vero nuntios sic turpiter lapsos, S. Thomas Legatione fungens Apostolica, excommunicasse reperitur *f* anno sequenti. Tantum autem abest, vt Alexander minis Regis territus, aliquid ei contra ius fasq; concesserit; vt contra eumdem, tam per sacrum Collegium Cardinalium, quam per Gilebertum Londoniensem Episcopum, necnon per Archiepiscopum Rotomagensem, ipsamq; Regis matrem, ac demum per Thomam ipsum, de quo præcipue agebatur, seueris monitis, & salutaribus consiliis, cum verbo tum scripto, solicitandum curauerit, de suis excessibus resipiscere ac pœnitere: prout constat ex pluribus epistolis *g* quæ hoc eodem anno intercurrerunt inter eos: quibus apparet, Regem non tam ab Alexandri & Catholicorum communione disiungi quæsisse, vel desiderasse, quam sua facinora variis prætextibus & fallaciis excusando, eumdem Pontificem circumuenire.

d Cod. Vatic. 1. ep. 69.

e Ibid. 1. ep. 102.

f 1. epist. 96. 138.

ALEX. PP. REDARGVIT REG. ANGL.

g 1. epist. 41. 65. 97. & ap. Roger. hoc an.

III. LEGATI REGIS ANGLIÆ PRÆTER EIVS MENTEM SVBSCRIBVNT IVRAMENTO IMP.

Sed vt ad Imperatorem redeamus, ipse post prædicta Herbipoli violenter gesta, vt quem promouisset tot artibus Antipapam, eumdem quoq; in Vrbem Romam, in ipsam Petri Cathedram intruderet, Alexandrum vero occideret, aut eiiceret; exercitum in Italiam duxit. Hac enim mente eam expeditionem illum parasse, asserit Joannes *h* Saresberiensis. Qui & alio *i* loco testatur, eum ex falsitate patrocinium quærentem, in vulgus spargendum curasse, prænuntiatum esse à prophetis quibusdam, quos spiritu diuino afflatos iactabat, fore vt ipse Alexandrum caperet, omniaque sibi subiugaret. Sed quam deceptus spe fuerit, qui alios decipere cogitabat, videbitur suis locis. Quo autem animo exercitum in Italiam duxerit, facta eius patefecerunt. Tradunt

IV. IMP. VENIT IN ITAL. CVM EXERCITV.

h 1. ep. 169.
i 1. ep. 109.

enim

enim Acta Alexandri, ipſum quidem deſcendiſſe Anconam, vt eam ciuitatem, quam Græcorum Imperator occupauerat, obſideret: verum miſiſſe aliquos de magnatibus ſuis in Tuſciam, vt auxilium & vires præſtarent Guidoni Antipapæ; qui pleraſque ciuitates à conſueta Romanæ Eccleſiæ fidelitate diuulſerunt, vniuerſamque prouinciam deprædationibus, incendiis, & aliis oppreſſionibus deuaſtarunt: cumque Vrbem Romam armis ſubigere non poſſent, pecuniarum largitione multos ex ciuibus in partes Guidonis & Friderici attraxiſſe: Cum vero in ijs in officio continendis Alexander laboraret, interim veniſſe in Vrbem Legatos Imperatoris Conſtantinopolitani, qui oblatis eidem Pontifici magnis & pretioſis muneribus, propoſuerunt dominum ſuum in optatis habere Eccleſiam ſuam vnire cum Romana omnium matre, ſicut fuerat antiquitus, vt ſub vna diuinæ legis obſeruantia, & vno Eccleſiæ capite, vterq; populus & Clerus, Latinus & Græcus, perpetua vnitate ſubſiſterent: poſtularuntque vt quoniam occaſio iuſta ſe offerebat, Romani corona Imperij ab Apoſtolica Sede redderetur ipſi Græcorum imperatori, ad quem ea iure pertineret: ipſumque tantum pecuniarum militumque miſſurum, quantum ſat eſſet ad vniuerſam Italiam Eccleſiæ Romanæ obedientiæ reſtituendam. Hæc ſumma Legationis illorum: cuius executio licet difficilis videretur (inquiunt eadem Acta) vtile tamen viſum eſt, vt Pontifex Epiſcopum Oſtienſem & Cardinalem SS. Ioannis & Pauli pro ea cauſa tractanda, cum ijſdem Legatis Conſtantinopolim mitterer.

IMP. CONST. ANTINOPOL. IT. LEGATIO AD ALEX. PRO REPETENDO IMPER. OCCID.

Addunt item Acta, eodem tempore Willelmum Regem Siciliæ defunctum eſſe: quod accidiſſe conſtat pridie Calendas Maij, cum regnaſſet annos tredecim, menſes duos, & dies tres, vixiſſet annos quadraginta ſex. Cui eadem die ſucceſſit Wilielmus filius, cognomento Bonus, agens ætatis annum duodecimum. Meminit etiam de his Ioannes Sareſberienſis, aitq; Willelmum Seniorem in extremis agentem, quadraginta millia ſterlingorum donaſſe in vſum Alexandri Papæ, ac Iuniorem totidem paulo poſt eidem miſiſſe.

V. WILLELMI REG. SIC. OBITVS.

l 14. 139.

Quod ad reliquas res Orientales huius anni pertinet; idem Conſtantinopolitanus Imperator Emmanuel Conſtitutionem promulgauit de tribunalium diebus feriatis, iuridiciſq;, vel etiam mixtis, quos enumerat; nempe quibus vel omnino ius reddi non poſſet, aut publica inſtrumenta confici, vel iudiciariæ executiones exerceri, (niſi forte ex neceſſitate, vel diſpenſatione Principis) aut ex parte tantum poſſet, hoc eſt, poſt ſacrum cultum peractum. quam conſtitutionē intexuit in ſuo Nomocanone Theodorus Balſamon. In qua illud etiam notandum, Emmanuelem ſtatuiſſe vt dies natales Imperatorum, vel quibus renuntiari eſſent Imperatores, non amplius inter feriatos eſſent, ſed inter iuridicos recenſerentur.

VE EMMANVEL. IMP. CONSTITVTIO DE DIEB. FESTIS ET IVDICIIS.

VII.

Hac item Indictione decimaquarta, *Conſtantinopoli* à Luca Chryſoberge Patriarcha celebrata eſt SYNODVS, cuius ſuperius mentionem egimus in eius creatione. Poſt hæc vero haud diutius eum oportuit fuiſſe ſuperſtitem, ſed ex hac vita migraſſe, & in locum eius ſubrogatum eſſe (vt habetur in ſerie Græca Patriarcharum Conſtantinopolitanorum) *Michaelem Anchialum* inſignem philoſophum, eius nominis Tertium. Quem quidem ſub prædicto Emmanuele Comneno Imperatore vixiſſe, teſtatur Theodorus Balſamon in præfatione in commentarium ſuum in Nomocanonem Photij, cum ait ab vtroque ſe in mandatis accepiſſe vt eum commentarium elaboraret; quem & poſtea obtulit Georgio Xiphilino, vt dicetur ſuo loco. Laudat vero idem hunc Michaelem ſæpius, & inter alia quod *l* ſuperſtitionem quādam, quæ fiebat per diuinationes dæmonum, & ibidem inoleuiſſet, penitus ſuſtulerit: itemq; ex decreto *m* quod promulgauit, ne Clerici ſæcularia obirent munera, dato ſub quarta Indictione, nempe anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo. quem quidem ſediſſe annos octo, habet ſeries Græca Patriarcharum.

MICH. ANCHIALI PATRIAR. CONST. DECRETA.

l Balſam. in can. 65. Conc. Trul. in Id. can. 16. Conc. Carthag.

IESV CHRISTI AN. 1167.

ALEX. III. AN. 8.

FRIDERICI 13.

MANVEL. 25.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, ſtatus Eccleſiæ Romanæ in extremum diſcrimen adductus, diuina miſeratione ſpecioſiori nitore refloruit. Siquidem (vt habent Acta Alexandri Papæ) cum menſe Maio Populus Romanus pro defenſione eiuſdem ſui Pontificis, aduerſus Raimonem Tuſculi dominum ingenti multitudine hoſtiliter proceſſiſſet, is haud par ei reſiſtere, auxilium ab Imperatore Friderico petiſſet; miſſæ ſunt ab eo validæ fortiſſimorum militum copiæ, qui cum Romanis conſerentes manus, tantam eorum ſtragem ediderunt, vt ab eo tempore quo Romanos Hannibal apud Cannas deuicit, nulla huic ſimilis contigiſſe reperiretur; moxque ijdem, iunctis ſecum vicinarum ciuitatum populis, ad Vrbis obſidionem properarunt qua erat Alexander Papa. Quo audito Fridericus, relicta Ancona, cum reliquo ſuo exercitu Vrbem deglutiturus accurrens, munitionem S. Angeli aggreſſus eſt, ſed ab ea repulſus, cum nec præſidium Eccleſiæ S. Petri expugnare poſſet, ignem ipſi Eccleſiæ furibundus iniecit; quæ ne incenderetur, milites deditionem fecerunt, poſtquam proximæ Eccleſia S. Mariæ in Turri ab eodem ſacrilego tota combuſta eſſet. Interea vero Alexander, dimiſſo Lateranenſi Palatio, in munitiſſimam quandam Turrim Frangipanum, quæ intra Vrbem erat, ſe recipiens, Nuntios ſuſcepit Willelmi Iunioris Siciliæ Regis; qui cum audiſſet conatus Friderici, pecunias & triremes ad ipſum Pontificem miſit, quibus eriperetur à periculo: verum ipſe nolens deeſſe neceſſitatibus Vrbis, remiſſis triremibus, pecunias diuiſit inter Romanos ſibi fideles. Cum autem Fridericus incaſſum laboraret aduerſus Romanos viriliter ei reſiſtentes, ad dolos conuerſus, propoſuit eis optimum eſſe, vt tam Alexander quam Guido Cremenſis renuntiarent Pontificatui, & tertius quidam de vtriuſque partis conſenſu eligeretur; hacque conditione ſe firmam pacem Eccleſiæ datum, ac liberam in perpetuum Romani Pontificis electionem Clero relicturum promiſit. Quod cum approbaret afflictus populus, & pro executione imitaret; Alexander conſilio cum Epiſcopis & Cardinalibus habito, ſecreta fuga eludens technas Imperatoris, Beneuentum ſe recepit. Hæc pluribus in eius Actis. De cuius etiam fuga agens Romualdus in Chronico, ait eum habitu peregrini cum paucis Roma exiiſſe, & Caietam vſque perueniſſe; ibiq; aſſumpto Pontificali habitu, Beneuentum adiiſſe.

I. BELLVM INPAVSTVM ROMAN. CVM TVSCVLANIS.

FRIDER. OBSIDET VRBEM.

DOLOSE REM AGIT CVM ROM.

ALEX. PP. FVGA ELVDIT RVM.

Poſt quæ reſpiciens tandem Dominus ſuper populum ſuum, quem paſſus eſſet pro peccatis eius dire affligi; vltionis arma contra ſacrilegum Imperatorem in manus arripiens, immiſit in eius exercitum tantam ſubitaneæ mortis peſtilentiam, vt intra ſeptem dierum ſpatium, non ſolum immenſa militum multitudo, ſed & vniuerſi ferme Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, atq; inter eos Fridericus Dux Bauariæ filius Conradi Imperatoris, & ipſius Friderici conſobrinus, atq. impiiſſimus Reginaldus Cancellarius Electus Colonienſis, ſchiſmaticorum anteſignanus, miſere perierint. tantuſque terror reſiduos inuaſit, vt coactus fuerit Fridericus rebus vtcunq; cum Romanis compoſitis, octauo Idus Auguſti cum ingenti confuſione recedere. Qui cum Lucam, comitante ſemper mortalitate adueniſſet, prohibitus à Longobardis, iamdiu aduerſus eius tyrannidem inter ſe fœdere iunctis, ipſorum regionem attingere; cum per mōtium aſpera tamquam profugus cum paucis perueniſſet Lapiam, paulo poſt ab ijſdem, tamquam violator & deſtructor legum & conſtitutionum Imperatorum Orthodoxorum, & ab Eccleſia Romana excommunicatus, turpiſſime expulſus eſt ab vniuerſa Longobardia, & trans Alpes fugere coactus. Hæc in ijſdem ſinceriſſimis Actis Alexandri, ab auctore Catholico tunc viuente conſcriptis. Quæ & fidem ſibi conciliant à Scriptore ſchiſmatico ipſi Friderico inhærente, nempe Ottone Morena Laudenſi, de quo dictū eſt ſuperius:

II. INGENS PESTILENTIA INVADIT EXERCITVM.

FRID. IG. NOMINIO. EJICITVR AB ITALIA.

qui teſta-

qui teſtatur, Fridericum frequentibus Paſchalis Antipapæ Viterbij commorantis legationibus prouocatum, duxiſſe Romam exercitum vt illum eo introduceret, Alexandrum autem expelleret: captaque ab Imperatore Eccleſia S. Petri, ipſum vna cum vxore Beatrice, coronatum in ea fuiſſe ab Antipapa, die feſto S. Petri ad Vincula: ſed & multos Romanorum fœdus cum eo iniiſſe aduerſus Alexandrum, qui ſe interea in munitionibus Frangipanum continebat: Verum ſequenti die ab eius coronatione, cum maxima cœli ſerenitas eſſet, ſubito quaſi in ictu oculi copioſiſſime pluere cœpiſſe, turſumq; ſerenitatem clariſſimam factam eſſe; ac ſtatim ſæuiſſimam peſtem exercitum eius diuinitus inuaſiſſe, qua Epiſcopi, Archiepiſcopi, Comites, Marchiones, Duces, alijque nobiles & ignobiles, infinito numero ſubitanea morte paſſim corruere cœperunt: Itaq; Imperatorem cernentem immenſam ſuorum ſtragem, relicta Roma, dimiſſoq; Viterbij Paſchale, Papiam petiiſſe, eo modo impeditum, & fugatum, quem diximus ex Actis Alexandri. Sed de eius clade per ciuitates Longobardiæ ei illata, & ignominioſa expulſione in Germaniam, dicetur pluribus anno ſequenti.

III. ALEX. PP. LEGATVM CREAT THOM. CANTVA.

Hoc eodem anno, cum Alexander Papa intellexiſſet, Regem & Epiſcopos Angliæ omnem lapidem aduerſus Thomam Cantuarienſem, licet exulem, mouere, vt eum deiicerent; ipſe ex aduerſo vt eumdem erigeret ſuper ſuos perſecutores, illud egit laude digniſſimum, vt ei munus Apoſtolicę Legationis committeret pleniſſima poteſtate corrigendi & ſtatuendi in vniuerſa Anglia (excepto Epiſcopatu Eboracenſi) quę corrigenda & ſtatuenda exiſtimaret, ad honorem Dei & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atq; ad ſalutē animarum. Extant *a* enim de his eiuſdem Pontificis literæ ad eum ſcriptæ. Quibus & alias eodem argumento dedit ad Epiſcopos & Clerum prouinciæ Cantiæ, vt ei in omnibus obtemperarent, & eius Clericis beneficia à detentoribus reſtituti anathematis ſententia compellerent; ac deniq; Denariū S. Petri, quem Rex ſibi vſurpauerat, ipſimet exigerent, & Nuntiis ad illum recipiendum mittendis integre conſignarent. Quæ epiſtolæ cum ab aliquo homine ignoto redditæ eſſent Epiſcopo Londonienſi, decano ſuffraganeorum Cantuarienſis Eccleſiæ, dum in die S. Pauli ad altare conſiſteret; ipſe confeſtim de omnibus certiorem reddens *b* Regem, rogauit vt permitteret mandatis Pontificis obediri: ſed & parietem deliniens abſq; temperamento, conſuluit præcipere Epiſcopis, vt ſi quod in literis Thomæ Legati aduerſus Regni conſuetudinem eſſet grauamen, ſtatim ad Papam vel ad alios Legatos qui ab eo mittendi eſſent in Angliam, appellarent: ſic enim fore vt & ipſi à reatu inobedientiæ liberarentur, & cauſæ ipſorum nullum detrimentum acciperent.

a *Cod. Vat. 1. ep. 115, 116.*

MANDATA ALEX. AD EPIS. ANGL.

b *Ibid. 1. ep. 131.*

IV.

Thomas autem Legationis ſuæ adminiſtrationi diligenter incumbēs, cum videret Regem neq; beneficiis, neq; admonitionibus, poſſe ad meliorem frugem conuerti, omniaque in deterius apud eum quotidie dilabi; ſicut ipſemet ait, periculoſum & intolerabile exiſtimans, tantos illius miniſtrorumq; eius contra Eccleſiam Dei exceſſus, vlterius impunitos relinquere, inuocata Spiritus Sancti gratia, ſcriptū illud, in quo continebantur illæ non Conſuetudines, ſed prauitates, quibus perturbaretur & confunderetur Eccleſia Anglicana, quaſq; iam antea ab Alexandro Papa dum eſſet Senonis in Gallia damnatas vidimus, publice condemnauit, & ceſſauit; vniuerſoſq; obſeruatores, exactores, conſiliarios, adiutores, ſeu defenſores earum excommunicauit; & omnes Epiſcopos à iuramento, quo in gratiam Regis contra conſtitutiones Eccleſiaſticas ad earumdem obſeruationem ſe obligauerant, abſoluit: atq; inter eas ſpecialiter damnauit illas, quibus aſſerebatur, 1. Non debere appellari ad Sedem Apoſtolicam qualicumq; de cauſa, niſi de licentia Regis: 2. Non licere Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, exire de regno, & venire ad vocationem Papæ, abſq; licentia Regis: 3. Non licere Epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneret aliquid de Rege in capite; vel terram eius, aut officialium ſuorum, ſub interdicto ponere, abſq; licentia Regis: 4. Non licere Epiſcopo coercere aliquem de periurio vel fide læſa: 5. Clericos, vel religioſos viros teneri ad ſæcularia iudicia: 6. Homines laicos, ſiue Regem, ſiue alios, tractare poſſe cauſas de Eccleſiis vel decimis. Poſt hæc vero damnata, excommunicauit etiam nominatim plures, qui ſiue Reginaldo Colonienſi adhæſiſſent in præſtando iuramento Guidoni ſchiſmatico, ſiue bona Eccleſiæ Cantuarienſis vſurpaſſent, ſiue alia contra quædam expreſſa mandata Romani Pontificis, vel ipſius Thomæ, perpetraſſent. Ipſum autem Regem *d* nondum perſonaliter excommunicauit, quod adhuc expectaret correctionē eius: minatus autem eſt excommunicare, niſi celeriter reſipiſceret. Extant enim eius de his rebus ſic à ſe geſtis, ſcriptæ literæ tam ad Epiſcopos Angliæ, alioſq;, quam ad ipſum Alexandrum Papam; quem etiam rogauit, vt eadem cuncta rata haberet, & literis ſuis confirmaret.

c *1. ep. 96. S. THOM. MVNVS IMPLET LEGATIONIS.*

d *1. ep. 131.*

cdd. epp. 96. 32. & 1. ap. Roger. in Annal. Anglic.

V.

f 1. ep. 139.

Iiſdem autem à Rege auditis, qui tunc erat in Aquitania, habito apud Chinonem ſuorum conuentu (inquit Ioannes *f* Saresberienſis) grauiſſime conquerens de Thoma, quod ipſi (vt aiebat) corpus & animam pariter auferret, ſtudioſius inquirere cum multa obteſtatione cœpit, quonam conſilio ſibi in his vtendum eſſet; & amaro animo lacrymans, omnes proditores eſſe queſtus eſt, qui eum ab vnius hominis infeſtatione nollent expedire. Erat enim dolor acerbior, ob metum quem conceperat ex literis quas Thomas illi & matri eius ſcripſerat, de mittendo in terram eius interdicto, & ſententia anathematis in perſonam eius auctoritate & mandato Summi Pontificis iaculanda. Quare cum his anguſtiis premeretur, Lexouienſis Epiſcopus vnum dixit eſſe remedium, imminentem ſententiam præpedire obſtaculo appellationis ad Sedem Apoſtolicam: eoq; ab omnibus probato conſilio, idem ipſe vna cum Sagienſi Epiſcopo ad Thomam miſſi ſunt Pontiniacum, vt appellatione interpoſita ſuſpenderent ſententiam eius. Sicq; ea ratione, qui per anitas conſuetudines ius appellationis euacuare Rex conabatur, eam magis confirmauit, dum ipſemet pro capite ſuo ad appellationis remedium confugere coactus eſt. Eluſa tamen eſt Epiſcoporum ſollicitudo, dum Thomam quem appellarent non inuenerunt. Is enim in procinctu ferendæ ſententiæ, iter arripuerat ad vrbem Sueſſionum orationis cauſa, vt agonem ſuum commendaret Beatiſſimę VIRGINI, cuius ibi memoria celebris erat; & *B. Dranſio* Confeſſori, ad quem pugnaturi refugere conſueuerant, docente experientia eos qui ad Memoriam eius pernoctarent, victores euadere; atq; *B. Gregorio* Anglicanæ Eccleſiæ fundatori, qui in eadem vrbe quieſcebat. Cumq; in his Sanctorum Memoriis triduo pernoctaſſet, confeſtim verſus Vizelliacum properans, vt ibi in die Pentecoſtes in Regem & ſuos anathematis ſententiam iacularetur; nutu diuino contigit, vt ſexta feria dictam præcedēte ſolemnitatem, certiſſimum acceperit nuntium de grauiſſima Regis infirmitate, eaq; de cauſa ſententiam in eum ferre diſtulerit. Hæc Ioannes Saresberienſis. Qui & turſum alibi *g* docet, iam quidem ante hæc Regem appellationem interpoſuiſſe per quemdam clericum cuiuſdam excommunicati; ſed nihilominus Thomam hac aduerſus clericum exceptione vſum, quod cum nullum oſtenderet appellationis ſuæ mandatum Regis, idemq; ipſe clericus teneretur excōmunicatione domini ſui, appellantis officium implere non poſſet; perſtitiſſe in propoſito excommunicandi Regis, ſed eius interueniente morbo executionem diſtuliſſe.

REX APPELLAT PAPAM.

PEREGRINATIO S. THOM. SVESSIONEM.

g 1. ep. 166.

VI.

Scripſerunt vero Epiſcopi ad Alexandrum Papam, appellantes ipſum aduerſus Thomæ conatus, & tam Regem, quā ſeipſos, & eos qui ab eodem Thoma excommunicati aut ſuſpenſi fuiſſent, excuſantes. Sed ijſdem ad certam diem appellationis quam ipſimet præſtituiſſent, non comparentibus, Alexander iam probe cognitis ipſorum improbitatibus & tergiuerſationibus, confirmauit *h* ſententiam Thomæ; ipſiſq; Epiſcopis *i* diſtricte iniunxit, vt in ijs quæ ad Eccleſiæ Cantuarienſis iura, dignitates, vel libertates ſpectarent, ſeſe immiſcere ſub prætextu ſuæ ipſorum appellationis, nullatenus abſq; Thomæ aſſenſu præſumerent. Rex vero nihil aduerſus eum non mouens, cum ſæpe tentaſſet (vt queſtus eſt Thomas *k* ad Alexandrum) Abbatem Ciſtercienſem ab eius protectione dimouere, minatus ruinam Abbatiarum eius Ordinis, quæ in ſua poteſtate eſſent; iam demum effecit (vt tradit Saresberienſis *l*) vt ex monaſterio Pontiniaco pelleretur, poſtquam integros duos annos ibi egiſſet; vt etiam traditur in Quadripartita eius Vita. Quantum autem ſcandali intulerit bonis omnibus eiuſmodi expulſio tanti hoſpitis, pluribus ibidem narratur: additurq;, Ludouicum Francorum Regem, vbi iſta ex literis Thomæ accepit, hæc publi-

APPELLATIONES VADVNT EPISCOPI ANGL.

h 1. ep. 147. 149.

i 1. ep. 159.

k 1. ep. 158.

l 1. ep. 159. S. THOM. EXPELLITVR PONTINIACO.

ce excla-

ce exclamasse: *O religio, ô religio, vbi es! Ecce enim quos credebamus sæculo mortuos, sæculi ruinas timent: & pro rebus caducis, quas propter Dominum contempsisse profitentur, à Dei opere quod imperant conuertuntur retrorsum, Dei causa exulantem ejicientes à se.* Illum autem exceptum esse regia munificentia ab eodem Christianissimo Rege, vrbemq; Senonum ei ad habitandum concessam, tum ibi traditur, tum etiam testatur Saresberiensis. *m*

EXCIPITVR A REGE FR. m 2. ep. 90.

VII.

Sed ex aduerso hau listis contentus Anglorum Rex, cum adhuc adeo timeret, die appellationis elapso, excommunicari, & vniuersam ditionem suam interdicto subijci, vt manifeste diceret, se Episcopis appellare nec persuasisse, nec compulisse; Episcopi vero in tantum angerentur, & interdici metuerent, vt quidam ad Thomam nuntios mitterent, quidam ad eius vocationem venire parati essent: aduersus hæc primo Rex omnia maritima loca diligentissime custodiri iussit, ne interdictum à quoquam deferretur: deinde nouis excogitatis dolis, vt imminentem Thomę sententiam eluderet, legationem direxit ad Alexandrum Papam, vt ab eo Legatum à Latere impetraret ad se mitti, hoc consilio vt ita labefactaret S. Thomæ auctoritatem: petitque sibi dati VVillelmum Papiensem Cardinalem presbyterum tituli S. Petri ad Vincula, quem haberet amicitia coniunctissimum, sciret autem esse S. Thomæ aduersarium. Delectus vero ab eo est ad hoc impetrandum, Ioannes de Oxenefort, Decanatus Saresberiensis Ecclesiæ vsurpator, & Schismaticorum communicatione in conuentu VVirtzburgensi infectus, eaque de causa iam antea à S. Thoma excommunicatus denuntiatus. Qui missus ad Alexandrum, eumdem circumueniens, primum præstito publico iuramento se nihil contra fidem Catholicam, & honorem Ecclesiæ Romanæ, facturum in eo conuentu, renuntiatoque in manibus eius Decanatu Saresberiensi, atque insuper abiuratis regiis illis Consuetudinibus, quarum causa esset omnis conflata discordia; ac denique suggerens, pacem inter Regem & Thomam componi posse, si esset qui de ea fideliter tractaret, omnemque suam operam ad hoc promittens: tunc demum ab Alexandro absolutus est ab excommunicatione, & Archidiaconatui restitutus. Cumque postmodum literas Regis produxisset, quibus insertum erat vt illi tamquam ipsi Regi in omnibus crederetur; tuncque ipse ex parte Regis causam regiarum Consuetudinum, ipsiusque Thomæ, commisisset arbitrio Pontificis, vt illæ ad nutum eius starent aut caderent, & Thomæ pax secundum formam quam idem præscriberet integra redderetur; hocque rursum iuramento confirmasset: tandem obtinuit, vt suspenso iudicio per Thomam inchoato, Pontifex ad promissa Regis exequenda, Legatos in Angliam decerneret; sed ea conditione, vt pacem tantum componere studerent, non autem causæ iudicandæ se immiscerent: & si perfecta pax non fieret absque aliquo iurium Ecclesiæ dispendio, tunc Thomas in Regem, & Regnum, & omnes Regni personas, suo vteretur vel Metropolitani vel Legati Sedis Apostolicæ iure: itemque vt nihil interim concederetur aliis excommunicatis à Thoma, nisi vt instante morte absolui possent, præstita iuratoria cautione. Sed & cum Legatum quem Rex petiit, VVillelmum Papiensem transmisit; ne ex eo quod ille esset amicus Regis, infertetur aliquod aduersæ parti damnum, primo collegam ei adiecit virum penitus incorruptibilem, atque ex integritate vitæ vbique notissimum, & erga Thomam propensiorem, Oddonem siue Ottonem Brixiensem, diaconum Cardinalem S. Nicolai in Carcere Tulliano, qui virtute sua collegam, si quid præter ius fasque tentaret, cohibere posset: deinde ab ipso VVillelmo promissionem expressam exegit, illum haud quidquam aduersus Thomam moliturum.

REX ANGL. LEGATVM A LATERE PETIT ADVERSVS THOMAM.

IOA. OXENFORD. FRAVDES APVD ALEX. PP.

ALEX. LEGATOS MITTIT IN ANGL.

VIII.

Constant hæc omnia ex literis *n* tam ab ipso Alexandro ad Thomam, Regemque, & Episcopos Angliæ, quam ab Episcopo Pictauiensi ad eumdem Thomam, & à Ioanne Saresberiensi ad Milonem Morinensium Episcopum, de hac causa scriptis; cum pessimus ille, & vndiquaque periurus, ac mendacissimus Ioannes Oxenefordiensis, postquam à legatione sua rediisset, vbique sparsisset in vulgus, se obtinuisse ab Alexandro, vt Rex exemptus esset à potestate omnium Episcoporum, præterquam ipsius Papæ, quoad excommunicationis innodationem; & vt in reliquis omnibus abrogata esset ipsius Thomę auctoritas, VVillelmus autem Papiensis omnimodam haberet plenitudinem potestatis in vniuersam Regis ditionem, omni remedio appellationis sublato, & maxime ad decidendam principalem, quæ inter Regem & Thomam verteretur, causam. quibus mendaciis effectum est, vt non solum Rex palam gloriaretur, se & omnes ditionis suæ Episcopos exemptos esse à potestate Archiepiscopi Cantuariensis, ac nunc demum aut sui consecutum esse, riuilegium, qui in terra sua erat Rex, Legatus Apostolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia quæ volebat: verum etiam, vt quousque veritas non innotuit, fuerit in Alexandrum etiam ab eius amicis, & Catholici nominis studiosis, atque adeo ab ipso Francorum Rege Christianissimo, verbis atque scriptis vbique conclamatum: sicut patet ex querulis ea de re scriptis *o* literis à Thoma ad quemdam Ioannem Cantuariensem Romæ agentem, necnon à Lombardo Romanæ Ecclesiæ subdiacono tunc in Galliis degente ad Alexandrum Papam, & à Ioanne Saresberiensi ad Ioannem Episcopum Pictauiensem: quibus plane intelligas, etiam quemlibet, licet sanctissimum, in signum positum esse, in quem detractionis sagittas inimici iaciant pariter & amici. At qui paulo solutior tanti Pontificis æstimationem carpserat Saresberiensis, idem post omnia bene explorata, ea omnino correxit suis postremis literis *p* ad prædictum Milonem Morinensem; dum breui compendio vniuersam causam tractans eo modo quo superius narrata est ex ipsius Alexandri aliorumq; literis, euidenter docet, eumdem Pontificem, etiam circumuentum, causam Ecclesiæ & Thomæ fidelissime procurasse: quod & euidentius cognoscetur ex ijs quæ dicentur annis sequentibus.

o l. ep. 164. 165. 178 CONCLAMATVR INIVSTE ADVERSVS ALEX. PP.

p 2. ep. 57.

Sed non ita Cardinales aliquot, qui auro Regis corrupti, grauissimum intulerunt Fidelibus scandalum: de quibus sunt iustissimæ Thomæ querelæ *q* ad Archiepiscopum Moguntinum, & Pictauiensis *r* Episcopi ad Lombardum: sicut & ab eodem Thoma alibi *s* laudantur Humbaldus & Hyacinthus itidem S. R. E. Cardinales, quod (vt ait) non abiissent, ost aurum, quo ad læsionem ipsius Thomæ, & Apostolicæ Sedis confusionem, capti essent quidam, quorum patrocinio receptis literis Apostolicis Rex Anglorum se de Romana Ecclesia gloriaretur triumphasse. Porro hæc adeo turpia & detestabilia excusare non possumus, nec debemus. Nam qui sic Regio capiuntur auro, plumbei ipsi redduntur, deformes existimatione, flexibiles leuitate, graues spondere conscientiæ, Deo inuisi, hominibus expositi subsannandi, & conculcandi vt sal infatuatum, quod ad nihilum valet vltra. Perdat hos Deus, ne inficiant Sanctam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Perdat hos Deus, antequã perdant ipsi Ecclesiam in manum laicam. Sintque ista, aliaque eiusmodi errata maiorum, maior cautela successorum.

IX.

q 2. ep. 21. r 2. ep. 32. s 2. ep. 14. AVRO CORRVPTI NONNVLLI CARDINALES.

IESV CHRISTI AN. 1168.

ALEXAND. III. AN. 9.

FRIDERICI 14.

MANVELIS 26.

ANNO Christi millesimo centesimo sexagesimo octauo, Indictione prima, ipsis *a* Calendis Ianuarij, VVillelmus Papiensis, & Oddo, siue Otto Brixiensis, ille presbyter, iste diaconus, Cardinales S. R. E. Legati à Latere ab Alexandro Papa in Gallias pro concordia inter S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem exulem, & Henricum Angliæ Regem, componenda destinati, Roma egressi, seorsum ab inuicem *b* diuerso itinere profecti sunt, conuenturi in vnum apud oppidum Montempessulanum.

I. a Cod. Vat. lib. 1. ep. 163.

b 2. ep. 4.

Sed ne simulac in Gallias peruenerunt, susceptæ legationis munus obirent, intercessit impedimentum belli conflati inter Reges Francorum & Anglorum: de quo Alexander ad eosdem Legatos epistolam *c* scripsit, qua præcepit vt omissis ceteris pacem inter eos conciliare summopere studerent, prudenter cauentes nequid in fauorem alterius faturent, vnde alter offenderetur: & districte prohibuit, ne Regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiusdem regni tractare præsumerent, nisi prius Thomas Regi penitus reconciliaretur. Verum quod nihilominus alter Legatorũ, nempe

II.

c 2. ep. 31.

Willelmus

Willelmus continuo in partem amici sui Regis Anglorum declinans, *d* non solum eum consilio iuuaret aduersus Regem Francorum, sed & falsis obreptionibus rescriptum ab Alexandro surripuisset pro suspesione auctoritatis Thomæ, quod Rex Angliæ vbiq; iactabundus ostentabat; inde graui orto scandalo, tam Rex Francorum Christianissimus, quam vniuersum eius regnum, omnesq; filij Ecclesiæ, (inquit ad Alexandrum Willelmus *e* electus Carnotensis Episcopus, vir, vt ait Saresberiensis, *f* famæ clarissimæ, & magnæ auctoritatis, prudentia & eloquentia præstantissimus.) doluerunt virum iustum, Pontificem reuerendum, qui pro libertate Ecclesiæ Catholicæ, ac Sedis Apostolicæ maiestate tuenda, exul ac proscriptus viueret, contra quem ageret tyrannus, Ecclesiæ persecutor, iniquus hostis Regni Francorum, & ex aduerso pro quo supplicaret Rex Christianissimus, quo non esset inter Reges, & Principes, qui mandatis Pontificis obediret humilius, & Ecclesiam ac viros Ecclesiasticos deuotius honoraret, & studiosius tueretur; cuiusq; Regno non esset aliud in toto Orbe, fide, charitate, & deuotione erga Sedem Apostolicam comparandum, nec esset Ecclesia, quæ Ecclesiæ Romanæ fuerit vtilior in omnibus angustiis suis, quam Gallicana: sine causa suspendi, & ab Apostolica Sede manasse scriptum tam pernicioſum exemplo. Quare & scripsit tunc ipse Rex Francorum ad Papam, & eiusdem Thomæ extant ad diuersos Cardinales *g* de ijsdem epistolæ.

Quibus compertis Alexandervalde commotus, primum literis *h* Thomam ad fortitudinis & constantiæ virtutem hortatus est, monens vt nullam penitus cum Rege Anglorum in depressionem & diminutionem Ecclesiasticæ dignitatis pacem faceret, & tamen consulens vt quantum saluo honore officij sui & libertate Ecclesiæ fieri posset, ad gratiã & amorem eius recuperandum modis omnibus enitereretur. Deinde ad Legatos suos scribens, *i* eorum auctoritatem suspendit, ne se immiscerent iudiciaria potestate in decisione causæ, nec in Regnum Angliæ vlla ratione intrarent, nisi prius plena pax inter Thomam & Regem inita esset: cui quidem ita intendere iussit, vt tam ipsi Thomæ, quam eius Ecclesiæ, antiqua iura & libertates integræ & illibatæ seruarentur. Ioannem vero Oxenefordiensem, periurum, & falsorum rumorum disseminatorem, ita castigari præcepit, vt alij eius exemplo à similibus deterrerentur. Quibus Alexandri diuulgatis in Gallia literis, magnam piorum omnium factam esse exultationem, diuersorum literæ *k* testantur.

Post istas autem perplexitates, initamq; inter Reges concordiam, cum demum autumni tempore Legati primo Regem Angliæ, deinde Thomam adiissent, *l* & de pace inter eos conciliandæ egissent: tamen quod alter eorum, nempe Willelmus Papiensis, apertè in omnibus faueret Regi in damnum Thomæ & aliorum exulum, ac perniciem Ecclesiæ; alter autem, nempe Oddo remissius ageret, quam tantæ expectationis hominem decuisset: amissa omni spe concordiæ, Rex cum Episcopis & Clero suæ factionis, intelligentes non habere Legatos facultatem decidendi causam principalem, vel ipsum Thomam ad iudicium compellendi, timentesq, ne idem Thomas censuris Ecclesiasticis in ipsos vteretur: rursus consilium inierunt rem cunctam ad Summum Pontificem per appellationem deferre, & se ac sua omnia sub Apostolica protectione ponere, appellationi terminum præfigentes festum S. Martini anni proxime venturi: idque Thomæ significari curarunt, tam per literas *m* Legatorum, quam per missos à se ad eum nuntios, ne posthac aliquid contra ipsos in præiudicium appellationis suæ intentaret, præsertim cum iam ante à literis Apostolicis interdicta ipsi fuisset auctoritas de rebus ac personis Ecclesiæ Anglicanæ. Quibus à Thoma cognitis, cum iterum cerneret literas illas Alexandri ad Regem de inhibitione auctoritatis suæ conscriptas, circumquaq; diuulgari magno scandalo bonorum omnium fauentium Ecclesiasticæ libertati; idem de his excruciatus, literas *n* de sua ac suorum diuturna persecutione, & inimicorum insultatione, valde querulas ad eumdem Pontificem conscripsit; aliasq; ad sacrum Cardinalium Collegium, quibus eos liberius de officio suo commonens, & negligentiam in vindicanda Ecclesiæ iniuria carpens, hanc egregiam in fine sententiam inseruit; *Non simulatione, non ingenio* (hoc est prudentia carnis, quæ est *o* inimica Deo) *regendam esse Ecclesiam, sed iustitia & veritate, quæ se obseruantem liberat ab omni periculo.* Quibus, aliorumq; sanctissimorũ virorum querelis permotus Alexander, Legatos quantocyus omni nudans auctoritate, reuocauit ad se: qui cum multa post hæc *p* cum Rege & eius Episcopis tractassent de illorum ad Papam appellatione, deq; perperam ab ipsis Legatis facta absolutione eorum qui fuerant excommunicati à Thoma, demum recedentes, & Regem *q* adeo commotum reliquerũt, vt palam quereretur se proditum esse à Papa; & ijdem ipsi de rebus à se gestis pœnitentes, conquesti sunt *r* se ad Regis voluntatem nimis cautam Ecclesiæ depressisse. Miserunt vero etiam Rex & Thomas Nuntios suos ad Pontificem: de quorum petitionibus, & obtentionibus, dicetur anno sequenti.

Vbi vero Legati re infecta ex Gallia recesserunt, studuit Rex Christianissimus ad mutuum colloquium congregare in præsentia sua Regem Anglorum & S. Thomam, vt se inter eos mediatorem constituens, facilius eosdem posset fœdere pacis copulare. Sed cum inter mutua eiusmodi habita simul colloquia, aliquando Thomas ad pedes Regis Angliæ procidens, dixisset se totam mutuæ dissentionis causam ipsius committere arbitrio, honore saluo Dei; Rex ista adiectione excandescens, obijciensq; Thomam, quicquid ipsi displiceret dicturum honori Dei esse contrarium, & sic tam quę sua, quam quæ Regis essent vindicaturum; publice obtulit se quieturum, dummodo quod ipsius Thomæ antecessorum Cantuariensium Archiepiscoporum maximus & sanctissimus fecisset minimo prædecessorum Regis, hoc Thomas præstaret Regi. Ad quam vocem cunctis acclamantibus, ipsoq; etiam Rege Christianissimo Thomam vrgente, sed eo prudenter ac grauiter respondente, malle se prædecessorum suorum animas, quas pro pietate & libertate Ecclesiastica defendenda sustinuissent, pati, quam si in aliquo repuissent, illos imitari; solutum est colloquium, cum multa in eum vtriusq; Regis indignatione, & aulicorum conuiciis. Sed admiratione dignum est, quomodo ausus sit Rex Angliæ ad exempla prouocare antiquiorum Cantuariensium Archiepiscoporum, quorum pleroſq; constaret magnopere restitisse Regibus libertatem Ecclesiasticam violantibus, eaq; de causa plurium annorum esse passos exilia & proscriptiones, vt abunde ostensum est superius.

Ceterum cum post hæc subtracta Thomæ alimonia, quã à Rege Christianissimo suscipere consueuerat, ad extremam redactus inopiam, nihilominus fortis permanens cogitaret alio se recipere; post paucos dies Christianissimus facti pœnitens, eum rursum ad se vocauit, & coram omnibus ad pedes eius cum lacrymis se proiiciens, veniam ab eo postulauit, & peccati absolutionem, quod dedisset ei consilium vt ad nutum hominis honorem Dei remitteret; promisitque numquam se ei defuturum: & cum Rex Angliæ de his apud eum per Nuntios grauissime expostularet, rogaretq; instantissime vt Thomam eiiceret è Regno suo, dignum Rege Christianissimo responsum reddidit; *Regi vestro nuntiate, quia si Rex Angliæ auitas quas vocaret consuetudines, licet minas (vt aiunt) legi diuinæ congruas, tamen vt ad regiam dignitatem spectantes, non sustinet abrogari; multo minus mihi licet ius illius liberalitatis subuertere, quod cum corona regni mihi iure competit hereditario. Consueuit siquidem Francia ab antiquis temporibus, omnes miseros & afflictos, & maxime pro iustitia exulantes recipere, & donec pacem habuerunt, fouere, tueri, ac defendere,* adiiciens *se Thomam recepisse de manu Romani Pontificis, quem solum in terris haberet dominum; & ideo nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua mundi potestate, eum dimissurum.* Narrantur hæc omnia pluribus in Quadripartita Historia Vitæ eiusdem Thomæ, & in epistola ab eodem ipso scripta ad Humbaldum Cardinalem Ostiensem. Quæ vero post hæc contigerunt, dicentur anno sequenti.

Interim ad res Italiæ conuertamus orationem, vbi Fridericum Imp. acerrimum Ecclesiæ persecutorem, vidimus anno superiori peste diuinitus immissa ab Vrbe fugatum ægre Papiam peruenire potuisse. Sed longe sæuiora hoc anno in eum congesta sunt. Siquidem imprimis Romanus Pontifex (inquit hæc narrans Ioannes *t* Saresberiensis ad Cantiæ Subpriorem) cum per patientiam eum diutius expectasset, vt vel sic pronocaretur ad pœnitentiam; & schismaticus abutens

d 2. ep. 32. & 103. SCANDALVM ORTVM EX LEGATI INIQVITATE.
e 2. ep. 57.
f 2. ep. 60.
LAVDES FR. REGNI, REGIS, ET ECCLESIÆ.
g 2. ep. 52. 54. 55.
III. h 2. ep. 80. ALEX. PP. MEDETVR SCANDALO.
i 2. ep. 23.
k 2. ep. 30. 36. 95.
IV. l 2. ep. 28. 30.
RVRSVM REX ANGL APPELLAT PONT.
m 2. ep. 29.
n Cod. Vatic. in Append. QVERELÆ S. THOMÆ AD CARDINALES.
o Rom. 8.
p 2. ep. 6. 16. 96. 100. 101.
q 2. ep. 26.
r 2. ep. 105.
V. CONGRESSVS REGIS ANGL. CVM S. THOMA CORAM REGE FR.
REGIS CHRISTIANISS. DICTA RESPONSIO AD ANGLVM.
s 3. ep. 78. Ap. Baron. an. seq. nu. III.
VI.
VII.
t 2. ep. 84.

FRID IMP. DEPONITVR, ET EXCOMMVNICATVR AB ALEX. PAPA.

utens patientia eius, peccata peccatis adderet iugiter, vt error in amentiam verteretur: Vicarius Petri à Domino conſtitutus ſuper gentes & ſuper regna, Italos, & omnes qui ei ex cauſa Imperij religione iuriſiurandi tenebantur aſtricti, à fidelitate eius abſoluit, & Italiam fere totam à facie furentis & præſentis tanta felicitate & celeritate excuſſit, vt in ea nihil habere videretur, niſi tortores quos euitaret, interdum & anguſtiarum, quas euitare non poſſet, iuge ſupplicium. Abſtulit ei etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnauit; & inhibuit auctoritate Dei, ne vires vllas ab eo tempore in bellicis congreſſionibus haberet, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequeretur, aut alicubi quiete & pace gauderet, donec fructus pœnitentiæ condignos operaretur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorij Septimi deceſſoris ſui, qui Henricum Imp. Eccleſiæ priuilegia conuellentem deponens, in Concilio Romano ſimili ſententia condemnauit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt, & hanc de priuilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes, reædificauerunt Mediolanum, Schiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi vnanimiter adhæſerunt. Hæc Saresberienſis.

VIII. 21. ep. 26. 61. VINCITVR A MEDIOLANENSIB.

Sed quæ rurſum mala eumdem Fridericum exauguſtum (vt vocat) ſecuta fuerint, idem aliis epiſtolis describens, docet ipſum congreſſum cum Mediolanenſibus, amiſſis viginti quinque millibus armatorum, in fugam conuerſum eſſe, & intra Papiam concluſum: cum vero ſentiret ſe militum præſidio deſtitutum, & Italiæ ciuitates in ipſum irruere properare, nec tutus vllus eſſet regreſſus in Germaniam, eumdem relicta Papia per caſtella latitare cœpiſſe: ac cum nihilominus deſperaret manus hoſtium euadere, doloſe fingentem ſe pacem velle cum Eccleſia, quoſdam viros religioſos vocaſſe, quorum conſilio ſe acquieturum promiſit: ſed ex eo iam mitius cum eo agentibus Longobardis, vbi opera Marchionis Montisferrati, multis & ingentibus promiſſis à Comite Maurienſi elicuit facultatem egrediendi ex Italia, cum obſidibus quos olim ex ciuitatibus acceperat; mox detracta larua, venientibus ad ſe viris religioſis quos pro pace euocauerat, per literas ſignificaſſe, eos ob eam cauſam fruſtra venturos eſſe, niſi Angelum de cœlis ſecum patenter adducerent, aut venirent in poteſtate faciendi miracula, mundandi leproſos, & ſuſcitandi mortuos: denique cum prope Secutiam nobilem quemdam obſidem Brixienſem ſuſpendiſſet, imponens ei quod fuiſſet auctor colligendi exercitus quo ex Italia pelleretur; Secutianos arreptis aduerſus illum armis, reliquos omnes obſides ei abſtuliſſe: ipſum autem aſſumpto famuli habitu, quaſi qui alicuius magni viri procuraret hoſpitium, cum aliis quinque famulis noctu abſceſſiſſe: tandem ad ſua redeuntem, Alemanniam & Saxoniam ſuprà modum turbatas reperiſſe, & fratrem ſuum præ ceteris inimicum. Hæc Saresberienſis. Quibus quidem videas (vt alibi idem philoſophatur) Fridericum, qui nominis ſui fama Orbem perculerat, & cuncta fere ſubegerat Regna vicina, atque etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, vt magis deditionem, quam confœderationem legationibus miſſis videretur offerre; iam inter ſuos vix ſecurum conſiſtere. Etenim (vt ipſemet conqueri ſolebat) ex quo Regem Francorum, & Gallicanam Eccleſiam ſeparare conatus eſt ab obedientia Alexandri Catholici Pontificis, ſucceſſus eius relapſi ſunt, & quæ eum extulerat in depreſſionem eius cœpit fortuna dilabi: hac tandem de faſtigio Romani Imperij, in paupertatem & ignominiam miſer, ſed nulli miſerabilis corruit, ad gloriam eius qui ſolus pro arbitrio Regna & Imperia tranſfert, erigitq; quas vult & deiicit poteſtates.

21. ep. 39. 40. Ap. Baron. an. 1167. XII.

EIVSDEM SVMMA DELECTIO.

IX.

ALEXANDRIA CIVITAS CONSTITVTA.

Poſt eiectum vero penitus ab Italia Fridericum, hoc ipſo anno (vt narratur in Rebus geſtis Alexandri Papæ) Cremonenſes cum Mediolanenſibus & Placentinis, in manu potenti conuenientes aduerſus Papienſes & Marchionem Montisferrati, Friderici fautores, ad villam quæ dicebatur Roueretabi ad honorem Dei, & Beati Petri, & totius Longobardiæ, deſignarunt ambitum conſtruendæ ciuitatis, inter duos fluuios, & in terra amœna & fertiliſſima: ad quam inhabitandam concurrentibus omnibus incolis circumpoſitarum villarum, ſtatim ea creuit in ciuitatem magnam, adeo vt primo anno numerata fuerint quindecim millia ciuium: & vt glorioſior vbique haberetur atque famoſior, placuit omnibus, vt pro reuerentia B. Petri & Papæ Alexandri, nominaretur *Alexandria*. Altero vero anno eius fundationis, Conſules eius ad ipſum Alexandrum accedentes Beneuentum, eamdem ei, & per eum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in ius & proprietatem obtulerunt, atque in perpetuum tributariam Beato Petro ſponte fecerunt. Hæc ibi quæ fieri Deus voluit ad gloriam Catholici Pontificis, quem tyrannus deprimere niteretur.

IESV CHRISTI AN. 1169.

ALEXAND. III. AN. 10.

FRIDERICI 15.

MANVEL. 27.

I. NOVI CONATVS REG. ANGL. CONTRA S. THOM.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, Indictione ſecunda, rurſum in cauſa S. Thomę Cantuarienſis multum altercatum eſt inter partes. Siquidem Rex Angliæ animoſiſſime eum perſequens, miſſis in Italiam Nũtiis, primo ciuitates corrumpere ſtuduit, Mediolanenſibus tria millia marcharum promittens, Cremonenſibus duo millia, Parmenſibus mille, & totidem Bononienſibus, vt impetrarent à Papa & Eccleſia Romana deiectionem Thomæ, vel translationem ab Eccleſia Cantuarienſi in aliam extra ditionem ipſius Regis: deinde vero ipſi Alexandro Papæ obtulit, ſi id agere vellet, ſe data Romanis pecunia, liberaturum eum ab omnibus illorum vexationibus, & decem millia marcharum adiecturum; atque inſuper conceſſurum, vt tam in Eccleſia Cantuarienſi, quam in aliis vacantibus in Anglia, paſtores ordinaret ad libitum; ac demum pacem Imperatoris procuraturum. Cumque Alexander his promiſſis non flecteretur, tunc ad terrores conuerſus, per eoſdem Nuntios minatus eſt, ſe Noradini Principis Mahometanorum potius ſecuturum errores, & profanæ religionis initurum conſortium, quam in Eccleſia Cantuarienſi diutius pateretur ſedere Thomam. Sed nec timore concuti ſciens Pontifex, duaſque eis proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, reſpondit, eos, vt cœperant, facile poſſe, contempta gratia & patientia Dei, pereuntium eligere vitam, ſed ſe, Domino propitiante, non receſſurum à via recta. Qui propter hac itetum ſpe deiecti, ad Regem Siciliæ recurrentes, eius quoque opem ad hoc implorauerunt: qui tamen non magis auditus eſt, quamuis multum inſtiterit potentia & gratia, qua polleret apud Pontificem & Eccleſiam Romanam. Dimiſſique ſunt tandem Nuntij impotes voti, hoc ſolum impetrato, vt Pontifex Nuntios mitteret qui pacem procurarent, nempe Gratianum nepotem Eugenij Pontificis, Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, & Viuianum vrbis Veteris Archidiaconum, munere aduocationis in Romana Curia conſpicuum: quibus formam præſcripſit, quam in omnibus obſeruare deberent: ac per eoſdem Thomam admonuit, vt dum pax tractaretur, mitius ageret, nihilque omitteret quod ad recuperandam Regis gratiam (quantum ſaluo ordine & officio ſuo fieri poſſet) inſeruiret: & quo omnis conquerendi occaſio Regi tolleretur, præcepit vt vſque ad diſceſſum Nuntiorum, nec in ipſum Regem, nec in perſonas Regni, aut Regnum, aliquam ſententiam proferret: quod ſi pax non ſequeretur, liberam haberet facultatem cenſuris agendi: fuitque præſcriptum tempus pacis, feſta dies S. Michaelis Archangeli. Conſtant hæc omnia ex literis tunc ab eodem Alexandro, Ioanne Saresberienſi, aliiſque in hac cauſa datis.

ALEX. PP. CONSTANTIA PRO S. THOMA.

NOVA LEGATIO AD ALEX. AD REGEM.

21. ep. 61. & lib. 3. ep. 1. 2. 3. 5. 78. 79.

II.

Porro primus congreſſus Nuntiorum cum Rege fuit apud Danfront in Northmannia, die feſto S. Bartholomæi Apoſtoli: quo cum Rex primo omnium ab eis peteret, vt clericos olim à Thoma excommunicatos abſoluerent, ipſi autem id recuſarent, niſi excommunicati iurarent, quod ſi

pax non sequeretur, eadem excommunicatione sicut antea constricti tenerentur; indeque Rex grauiter commotus, conquereretur de Papa, quod numquam in aliquo audiretur ab eo, ac minaciter addidisset; *Per oculos Dei ego faciam aliud*; tunc Gratianus Nuntius ad illum, *Domine* (inquit) *noli minari. Nos enim nullas minas timemus, quia de tali Curia sumus, quæ consueuit imperare Imperatoribus & Regibus.* Rursum vero conuenientibus sæpe ijsdem vna cum Rege & Episcopis, diuersis locis & temporibus, cum post multas altercationes Rex offerret pacem *Salua dignitate regni sui*, Nuntij autem omnino recusarent eam clausulam formulæ pacis inserere, nisi æque apponeretur *Salua libertate Ecclesiæ*, eo magnopere Rex commotus alios mox super hac re Nuntios misit ad Alexandrum, cum literis suis, & Episcoporum suorum quos ad hoc collegerat. Interim vero adueniente præfinito ab Alexandro tempore expectationis pacis, cum Gratianus alter Nuntiorum confestim recessisset, quod iam suæ legationis tempus expirasset; remansit tamen adhuc Viuianus spe concordiæ, quam Rex denuo simulauit; sed ab eo varie ex solito eluius, cessauit & ipse cum eo amplius agere, postquam nec Thomas eidem Regi ad Montem Martyrum prope Parisios occurrens, nec ipse Rex Christianissimus his summa sollicitudine interueniens, aliud quicquam ab Anglo præter fallacia verba eruere valuissent: vt de his omnibus, aliisque plurimis in hac legatione vltro citroque gestis, dictis, scriptisque, abunde apparet ex multiplicibus tunc ab ijsdem, à quibus res agebatur, datis literis. *b*

GRATIANI LEGATI LIBERA RESPONSIO.

b 3. *ep.* 4. 5. 6. 9. 10. 2. 13. 19. 20. 21. 22. 26. 36. 60. 61. 62. 63. 65.

III. RVRSVM VARIE AGITATVR CAVSA S. THOMÆ.

Cum vero nihilominus idem Rex Angliæ per suos ad Alexandrum missos nuper Nuntios, importuna obreptione obtinuisset ab eo literas, quibus Thomæ super ipsum Regem ac regnum suspensa esset auctoritas, quousque pacem obtineret à Rege, ijsdemque abusus Rex, pacem differret dedita opera, quantumuis tam alij superuenientes Papæ Nuntij, quam ipse Rex Christianissimus pro ea conficienda studiosissime laborarent, ac Thomas valde se coram Rege humiliaret: hinc rursum orta occasione, aduersus Alexandrum declamatum est, non ab ipso tantum Thoma, *c* sed & à Francorum Rege, *d* atque Regina, *e* & ab aliis *f* plerisque, quibus zelus iustitiæ inesset, indignantibus quod Pontifex eiusmodi literas Regi Anglorum concessisset, quas idem vbique magna iactantia publicabat. Quare tot pulsatus querelis Alexander, se de his apud Thomam ac Regem Christianissimum excusans, *g* quod spe pacis deceptus fuisset; in posterum mandauit, vt nisi Rex Angliæ ante initium Quadragesimæ, quæ iam instare videretur, ea quæ promisisset adimpleret, sed in sua obstinatione duraretur, tunc ipse Thomas restitutus esset in auctoritatem suam, vt tam in personas, quam etiam in Regnum, & in ipsum Regem, liberam haberet facultatem exercendi debitum officij sui. Hasque literas idem Pontifex voluit per suos Nuntios *h* deferri ad Regem; qui vt vidit, magnopere commotus exclamauit in Pontificem, quod repugnantia eodem anno decreta sanxisset. Quænam autem hæc secuta sint, dicetur anno sequenti. Cum interim non desiterit etiam idem Pontifex eumdem Regem aliis comminatoriis literis *i* monere, vt vacantibus in Anglia Ecclesiis permitteret Episcopos eligi; & Episcopis Angliæ præcipere, *k* vt quod audisset inuestituras laicas beneficiorum ac bonorum Ecclesiasticorum ibi frequentes esse, omnes tam dantes quam accipientes excommunicarent, eosdemq; ab omnibus vitari facerent vsque ad plenissimam satisfactionem.

c 4. *ep.* 14. 15.
d ep. 18. 22.
e ep. 19.
f ep. 20. 23. 25. 28.
g ep. 16. 17. 31.
h ep. 1. & 23.
i 3. *ep.* 11.
k 4. *ep.* 30.

IV. REX HVNGAR. RESTITVIT IVRA ECCLES.

Quo eodem anno dum ipse in causa iurium Ecclesiæ Regem Anglorum refractarium experiebatur, alius potentissimus Rex Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ, suasione M. diaconi Cardinalis, libentissimo animo Ecclesiam restituit in ijs quæ tam ipse, quam eius decessores vsurpauerant aduersus Ecclesiasticam libertatem, circa depositionem aut translationem Episcoporum, aliorumque Præpositorum, ac bona vacantia Ecclesiarum: deque ijs diploma conscripsit, quod asseruatur *l* in Vaticana Bibliotheca libro qui inscribitur *Cencij Cameralis.*

l Rec. Bar. Annal. Tom. XII. hoc an.

V. SCHISMATICI

Eodem anno (vt habetur in Actis Alexandri Papæ) Ioannes presbyter Cardinalis tituli S. Martini, promotor duorum pseudopontificum, Octauiani & Guidonis, cum extra Viterbium equitaret, subito corruit, & confractis ceruicibus impœnitens vitam pessimam finiuit infelici morte. Atque ipse Guido incurabili morbo percussus, pede necesse habuit claudicare quamdiu vixit.

CARD. MISERANDVS INTERITVS.

VI. SOLDANI ICONII AD CHRISTVM CONVERSIO.

Quo item anno baptizatus est in Cilicia Soldanus Iconij. Erat ei mater Christiana, sed occulta ob metum Saracenorum: quæ proxime moritura, fidem suam filio significauit, & vt ipse eamdem susciperet hortata est; insuperque rogauit, vt cum defuncta esset, super eius sepulchrum, quasi pyramidem, poneret signum CRVCIS. Paruit ille: sed cum visa Cruce Saraceni in eum acerrime commoti, eam deiicere conarentur; qui primi id aggressi sunt, mortui corruerunt: conuenientibus autem ad opus multis hominum millibus, pleriq; immissis cælitus fulguribus & coruscationibus igne perierunt: tuncque apparuit Angelus Domini, & lucidissimum signum CRVCIS posuit super pyramidem; ex quo multi crediderunt in CHRISTVM. Ipse vero Soldanus, cum suasione matris, hisque miraculis, tum lectione diuinarum Scripturarum, flagrans ardore Christianæ fidei suscipiendæ, missis ad Alexandrum Papam Legatis, petiit ab eo virum idoneum per quem vice ipsius in lege Christi plenius instrueretur: eoque accepto, baptizatus est clanculo ob metum suorum. Narrant ista pluribus Matthæus Paris hoc anno, & Robertus in Appendice ad Sigebertum anno millesimo centesimo octogesimo primo.

VII. CLADES SICILIÆ EX TERRÆMOTV.

In Sicilia vero, hoc eodem anno, quarta die Februarij, circa primam horam diei, vehemens terræmotus tanta vniuersam insulam excussit violentia, vt in Calabria quoq; sentiretur. Catanensium opulentissima ciuitas vsque adeo subuersa est, vt ne vna quidem domus superstes remanserit. Viri ac mulieres circiter quindecim millia, cum Episcopo, maximaque parte monachorum, sub ruina sunt ædificiorum oppressi. Hæc Hugo Falcandus, qui ea oculis intuebatur: pergitque narrare de cladibus ceterarum ciuitatum, & aliis prodigiis quæ tunc in Sicilia contigerunt. Sed causam horum malorum detegit *Petrus* m *Blesensis*, vir pietate, scientia, & moribus insignis: qui in Siciliam missus *n* ab Archiepiscopo Rotomagensi magno auunculo Willelmi Iunioris Regis Siciliæ, vt eum scientiis imbueret; paulo post æmulos passus, prætextu promotionis in Archiepiscopatum Neapolitanum (quem tamen recusauit) a Curia dimotus, sed & pertæsus turbas & coniurationes in Stephanum Archiepiscopum Panormitanum & Cancellarium, cum quo in Siciliam venerat; hoc eodem tempore in Northmanniam reuertit ad Regem Angliæ. Scribens *o* igitur ad Richardum Syracusanum Episcopum de frequentibus horrendis cladibus, quibus grauissima Siculorum peccata Deus punire consueuisset, ait plagam istam Catanensium accidisse in vigilia S. Agathæ virginis & martyris, cum damnatissimus illorum Episcopus, qui eam sedem pecunia adeptus esset, abominationis offerret incensum: inde que patuisse, beatissimæ Agathæ (quæ in ea ciuitate colitur) offensam, suis exigentibus peccatis tam populum quam Episcopum incurrisse. Hæc ille: eademque Rogerius in Annalibus Anglicanis, sed non suo loco, anno videlicet millesimo centesimo sexagesimoquarto. Est vero etiam eiusdem Petri *p* grauissima querela de eodem Willelmo Iuniori Rege, quod manu laica introduceret Episcopos in Ecclesias, & rapaces manus iniiceret in thesauros Ecclesiæ: necnon *q* de Episcopis eiusdem Regni, qui in obsequium Regis morarentur in Curia, vbi iusta Dei dispensatione contingeret, eosdem vincula, aliaque dira pati ab eodem Rege: de quibus etiam agit pluribus idem qui supra Falcandus. Sed quod ad Regem spectat; si talis Bonus, (ita namque iste Willelmus Iunior cognomento dictus est, respectu Mali ipsius decessoris) qualem putatis fuisse Malum? Sed de his modo satis.

m Petr. Blef. ep. 46. DE PETRO BLESENSI.
n Falcand. in Chron. & Petr. Blef. ep. 66. & 90. *Ap. Baron. an.* 1167. *in fi.*
o d. ep. 46.
p Id. ep. 10. WILLEL. BONVS VALDE PERVERSVS.
q Petr. Blef. de inftit. Epifc.

IESV CHRISTI AN. 1170.

ALEXAND. III. AN. 11.

FRIDERICI 16.

MANVELIS 28.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Indictione tertia, Alexander Papa nouam ad Angliæ Regem Legationem credidit Rotrocho Archiepiſcopo Rotomagenſi, Wilhelmo Senonenſi, & Bernardo Epiſcopo Niuernenſi; ad quos extant eiuſdem Pontificis *a* literæ, ſcriptæ Beneuenti decimoquarto Calendas Februarii, de his quæ cum Rege tractanda eſſent; nimirum vt S. Thomas in ſuam reſtitueretur Eccleſiam, omneſque poſſeſſiones Eccleſiæ ablatas reciperet, atq; item alii exules ſinguli ſua recuperarent: Pacem plenam eidem Rex concederet in oſculo ſancto; & ſi minus ad id cogi poſſet, (quippe qui iuraſſet, nunquam id facturum) ſaltem per filium ſuum impleret, quod pollicitus erat: Conſuetudines quoque prauas contra Eccleſiaſticam libertatem aboleret, & Epiſcopos qui promiſerant eas ſeruare, iidem Legati à promiſſione abſoluerent: itemque ſi ſpes eſſet pacis, abſoluerent excommunicatos ea conditione, vt ſi pax non ſequeretur, in eandem reincideret excommunicationem. Has vero conditiones intra quadraginta dies implendas eſſe præſcripſit: aliquin mox prouinciam eiſmarinam vbi Rex erat ſubiicerent interdicto. Hæc ſunt quæ Legatis data ſunt in mandatis.

a Cod. Vat. 5. ep. 5. LEGATIO VLTIMA MISSA AB ALEX. PP. AD REG. ANGL.

II. Sed dum iſta tractarentur, noua ſunt obortа diſſidia, eo quod Rex filium ſuum Henricum in Regem coronari volens, id per Archiepiſcopum Eboracenſem fieri procuraret, cum id eſſet muneris & priuilegii primæ Anglorum ſedis, nempe Cantuarienſis. Quapropter tam ipſe Alexander Papa, quam eius nomine Thomas, diſtricte per literas *b* cum ipſi Eboracenſi, tum aliis Angliæ Epiſcopis prohibuerunt, nequis ipſorum manum eidem Regis filio imponere præſumeret. Cumque Rex, ſiue miniſtri eius, Epiſcopos eiuſmodi prohibitionibus non obedire iurare coegiſſent; hoc execrandum nefas ſtatim Thomas literis *c* acriter redarguens, ne eiuſmodi illicitum iuramentum ſeruarent admonuit, eoſdemque ab omni eius obligatione abſoluit. Attamen hominus facta eſt *d* coronatio & inunctio noui Regis in Cantuarienſi diœceſi ab Archiepiſcopo Eboracenſi aſſiſtentibus ei præcipue Londonienſi & Saresberienſi Epiſcopis; iam antea à Summo Pontifice & S. Thoma ob alia ſacrilega facinora nominatim excommunicatis, licet falſo iactaretur, *e* eos ab Archiep. Senonenſi Legato fuiſſe auctoritate Apoſtolica abſolutos. Vnde potius hæc eici execratio, quam conſecratio debuit, quæ contra mandatum Apoſtolicum, & ab excommunicatis facta fuerit. Nec mirum ſi tot inde mala prouenerint, nempe (vt notat Willelmus in Quadrilogo Vitæ S. Thomæ) ſacerdotum ſuſpenſio & anathematizatio, Thomæ Archipræſulis occiſio, ſemel & iterum inter patrem & filium rebellio, & in fine eiuſdem pueri conſecrati præmaturæ mortis deteſtanda præuentio. de quibus omnibus videbitur infra in ſuis locis.

b 4. ep. 41. 44. 46.

c 4. ep. 47.

d 5. ep. 10 33 & in Quadripart. lib. 2. in fin.

e 5. ep. 18. 26 34 67.

III. Cum autem hactenus Alexander ita pro iuſtitia conſtantiſſimus perſtitiſſet contra Regem, vt tamen eam ingenti manſuetudine, coniuncta cum ſumma patientia temperaſſet; nihil relinquens intentatum antequam ipſum excommunicatione percelleret, & Regnum interdicto ſubiiceret: demum cuncta cernens incaſſum fieri, omninoq; procedere decernens ad executionem frequentiſſimarum cõminationum, nihilominus ſemel adhuc mitiorem viam experiri deliberauit. Quapropter acerbiores ad eum ſcripſit literas, quibus peremptorio termino præcepit dare pacem Thomæ; alioquin *f* ſi obedire contemneret, abſque vlla prorſus remiſſione expectaret ab ipſo eandem ſententiam, quæ lata fuerat in Fridericum Imp. ac pariter Epiſcopi, ſiqui forte non obedirent, ſuſpenſione & excommunicatione mulctandi eſſent. Eodemque modo Thomas *g* literas interdicti intra quindecim dies promulgandi, niſi pax fieret, ad Angliæ Epiſcopos miſit. Quibus omnibus Rex acceptis, alieno caſu perterrefactus, tandem ad ſe reuerſus, præſcriptum præueniens terminum, ſcripſit ex Anglia ad Rotomagenſem & Niuernenſem Antiſtites Sedis Apoſtolicæ Legatos, ipſos importunius vrgens de pace. Cuius literæ etſi deſiderentur in codice, eſt tamen frequens de iis mentio in aliis ipſius Thomæ epiſtolis: extantque aliæ *h* eiuſdem Thomæ ad Rotomagenſem, quibus ipſius collegæque arbitrio pacis capitula relinquit. Sed cum iidem Legati Thomæ deferrent, vt ipſe ea ſcriberet; collegit ipſe *i* illa ex præteritis congreſſibus cum Rege habitis, necnon ex literis Apoſtolicis quibus præſcribebantur quæ Rex obſeruare deberet. Docens autem eoſdem quomodo cum Rege agendum eſſet, cuius ipſe mores optime noſſet; monuit vt quia multiplices illius fucos nõ erat facile deprehendere, quicquid diceret, quamcunque figuram indueret, tamen omnia eius ipſis ſuſpecta eſſent, & fallaciæ plena eſſe crederentur, niſi quorum fidem manifeſta operis exhibitio comprobaret. Si enim ſentiret, quod ipſos aut promiſſis corrumpere, aut minis deterrere valeret, aut aliquid obtineret contra ipſorum honeſtatem, & cauſæ indemnitatem; illico ipſorum apud eum prorſus nullam fore auctoritatem, ipſoſq; futuros tam illi quam ſuis in contemptum, in fabulam in deriſum. Sin autem videret, quod ipſos à propoſito flectere nequiret, furorem ſimulaturum, iuraturum, & deieraturum, & vt Protheum ſe in varias formas mutaturum; ſed tandem reuerſurum in ſe: ac niſi per ipſos ſtaret, exinde ſemper ipſos futuros in deos Pharaonis. Hæc Thomas & alia inſinuauit, quibus Legatos vincere Regem doceret. quæ & reliqui attendant, quibus agendi cum Regibus erit munus demandatum.

f 5. ep. 45.

g 5. ep. 35. vſque 39.

h 5. ep. 14.

i 5. ep. 12.

S. THOMÆ ADMONITIO, QVOMODO CÜ REGE TRACTANDVM.

Poſt hæc autem conuenientes Legati Regem, cum tandem ab eo quæcunque petiſſent impetraſſent; accedens pariter ad eum Thomas, *k* die feſto S. Mariæ Magdalenæ ab eo honorificentiſſime, & cum ingenti (vt apparebat) gaudio ſuſceptus eſt: ſed cum mox in quibuſdam articulis Rex à pactione reſiliens, ſubtraheret quaſdam poſſeſſiones Eccleſiæ; fuerunt de his rurſum multæ inculcandæ à Thoma querelæ, *l* & intentandæ ab Alexandro Papa interdicti, & aliarum pœnarum comminationes. qui etiam *m* Archiepiſcopum Eboracenſem ſuſpendit, quod filium Regis coronaſſet, contra priuilegium ſedis Cantuarienſis, & in eadem coronatione præſtari ſolitam à Regibus cautionem de tuenda Eccleſiaſtica libertate, exigere omiſiſſet, & (quo i deterius erat) de conſuetudinibus regiis contra Eccleſiam militantib. conſeruandis illibatis, iuſiurandum fuiſſet interpoſitum: ſed & Londonienſem & Saresberienſem Epiſcopos, iſidem de cauſis in excommunicationem, a qua ſub conditione ſoluti fuerant, reuocauit, ipſumque demum Regem monuit, *n* vt in his omnibus, tam ab ipſo quam ab eius filio ſatisfieret Eccleſiæ Cãtuarienſi & Thomæ eius Archiepiſcopo.

IV.

k 5. ep. 45. S. THOM. RECIPITVR A REGE.

l 5. ep. 31. 32. 40. 53. 54.

m ep. 65. 66. 67.

n ep. 55.

Qui quidem Thomas cum ſuper iiſdem ſemel atq; iterum Regem conueniens, *o* non aliud acciperet quam promiſſiones obtinendæ reſtitutionis cum Rex eſſet in Anglia; tandẽ in animum inducens eo nauigare, ſalutato Rege Franco umvenit ad portum Witſand. Vbi cum ei nuntiaretur, nonniſi vincula, & proditiones in Anglia ipſi parari; hæc reſpondit: *Nec ſi membratim diſcerpendus ſim, ab incæpto itinere deſiſterem: non metus, non vis, non cruciatus, degenerem reuocabit vlterius. Sufficiat Dominicum gregem paſtoris ſui abſentiam luxiſſe ſeptennem.* Sicq; in principio Aduentus Domini huius anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi nauem conſcendens, felici nauigatione peruenit in Angliam: ac licet prædicti Antiſtites Eboracenſis, Lõdonienſis, & Saresberiẽſis, cum ſuis complicibus, poſt conatus adhibitos vt pacem inter Thomam & Regem initam reſcinderent, armatis militibus portus & litora obſediſſent, qui appellentis Thomæ cunctam ſupellectilem curioſius perſcrutarentur, & omnes literas quas impetraſſet à Summo Pontifice auferrent: idem à Ioanne decano Saresberienſi, qui mandato Regis ipſum comitabatur nequa ei vis inferretur, in Eccleſiam ſuam deductus eſt, & à Clero populoque magna deuotione exceptus.

V.

o Quadripart. hiſt. 5

REVERTITVR AD SVAM ECCLESIAM.

Verum nulla interpoſita mora, illum adeuntes miniſtri

EPISCOPI ADVERSANTVR.

VI

regii

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

regij, (à prædictis Antistitibus solicitati, qui Cantuariam adventarant vt Thomam exagitarent) denuntiarunt ei ex parte Regis, vt Episcopos à Papa suspensos & excommunicatos absolueret; quia quod contra eos factum fuerat, in Regis iniuriam redundabat, & in euersionem consuetudinum Regni. Ad quæ primo respondit Thomas, non esse iudicis inferioris soluere sententiam superioris: deinde cum alij instantius vrgerent, multa minantes à Rege, addidit se pro pace Ecclesiæ & reuerētia Regis subiturū periculū impertiēdæ illis absolutionis, modo Episcopi iurarēt in forma Ecclesiæ se mandato Summi Pontificis parituros. Cumque ad hoc ceteri monerentur, non ducentes tutum, vt pro cōseruandis Regni consuetudinibus, Ecclesiæ se opponerent, & impugnarent Apostolicas sanctiones; homo pacis inimicus, & omniū ab ipso dissensionis initio turbarum auctor & propagator Eboracensis distulit, consulens vt potius aditent Regem; sine cuius voluntate asserebat, illud iuramentum fieri non posse: eoque impulsore, iidem in Galliam transfretarunt ad Regem ibi adhuc existentem; & peccatum peccato addentes nuntios miserunt ad novum Regem in Anglia commorantem, qui ei criminaderent Thomam quæsiuisse eum deponere. Est de his omnibus in Anglia gestis, certissima relatio ipsius S. Thomæ ad Alexandrum Papam: quæ est omniū nouissima eiusdem epistola *p*. Quid autem apud Regem male affectum pessimi instigatores egerint, in Quadripartita describitur; nimirum adeo ipsum contra Thomam commotum esse illorū accusationib, vt æstu furoris sæpe sæpius in funestas voces erumpens, omnes quos nutriuisset, quosq; familiaritatis gratia, & beneficiorum collatione deuinxisset, maledixerit, quod ipsum non vindicarent de vno sacerdote, qui sic Regnum turbabat, & ipsum Regem suis dignitatib. exauctorare quæreret.

EBORAC. OMNIVM MALORŪ CAVSA.

p S. 49. 73.

REX IN CAVTE PARAT ILIVM THOMÆ.

VII. Quibus verbis cum omnes in Thomam commouissent, quatuor ex eis, viri quidem genere nobiles, sed enormi sceleris ausu militiæ gloriā & stemmatis titulū perpetua ignominia mox dānaturi, in necē Thomæ simul cōspirantes, cōfestim in Angliam profecti; cum ille vix in Ecclesia sua per mensem moram fecisset, ad eum introēuntes, post multas rixas, iactaque in eum probra & conuicia, rursum cum multa armatorum manu in ecclesiam, dum ille cum suis monachis & clericis vespertinum officium persolueret, districtis gladiis irrūpentes, eumdem furiosis clamoribus appellare cœperunt. qui primum ædituos arguens, quod obice portarum eos excludere tentarent, dicens *Non esse Ecclesiam castrorum more custodiendam*, mox seipsum ingenti animo militibus mortem minitantibus offerens, seque paratum esse dicens pro Deo mori, & pro assertione iustitiæ, & Ecclesiæ libertate; atque eisdem sub anathemate prohibens, ne cuiquam omnino ex suis, siue monacho, sive clerico, siue laico nocerent; demūque in modum orantis inclinato capite, Deo & Beatæ Mariæ, ac Sanctis eius Ecclesiæ patronis, Sanctoque Dionysio, commendans seipsum & Ecclesiæ causam, mira constantia ferales expectauit ferientium ictus, quibus cerebrum cum sanguine super ecclesiæ pauimentum effusum est. Hancque tandem consecutus est inuictissimus Confessor Martyrij palmam, qua præstantissimum peragens de superatis Ecclesiæ hostibus triumphum, cœli intima glorioſissimus intrauit: summæ constantię posteris omnibus relinquens in terra exemplum, certandi vsque ad mortem pro libertate Ecclesiæ vindicanda. Eius sepulturam monachi cathedrales, & reliqui clerici curarunt: qui cum adhuc in choro iaceret super feretrum, leuata manu dextera stupentibus omnibus dedit benedictionem. Cædes vero eodem die quo contigit, reuelata est Beato Godrico anachoretæ apud Fintzhale, qui locus distat à Cantuaria plusquam centum sexaginta milliaribus. Monachi autem Cantuarienses clauserunt ostia ecclesiæ, quę permansit absque officio fere per annum, quousque reconciliari iussa est ab Alexandro Papa.

MARTYRIVM S. THOMÆ.

POST MORTEM, BENEFICTIONEM VIS IMPARTITVR.

VIII. Porro totam S. Thomæ martyrij rem gestam, quæve illud præcesserunt, aut subsecuta sunt, plenissima narratione in Quadripartita scribuntur; multaque ponuntur, quæ desiderantur in aliis scriptoribus, qui in eodem argumento laudabiliter sunt versati: redigit vero ea omnia in compendium Rogerius in Annalibus Anglicanis, quæ suo tempore facta nouit. Passus est autem sanctus Martyr hoc eodem anno Domini millesimo centesimo septuagesimo, ætatis suæ quinquagesimo tertio, quarto Calendas Ianuarij, quinta die Natalis Domini: adeo vt qui exordium anni à Natali incipiunt, æque eius necem collocent anno millesimo centesimo septuagesimo primo. Mox autem in hostes eius irruit formido & pauor, vndique culpa vltrice exagitatos; de quib. erit funestior inferius sermo.

Interea hoc eodem anno Emmanuel Constantinopolitanus Imperator, rursum Legatos ad Alexandrum Romanū Pontificem Beneuentum misit, cum ingenti pecunia, rogans vt cum iam Fridericus ob schisma aduersus Ecclesiam, Imperij corona priuatus esset; idem Pontifex eam ipsi Emmanueli restitueret. Sed Alexander consilio cum Cardinalibus ac nobilib. Romanis habito, gratis Imperatori actis pro ipsius in Ecclesiam Romanam beneuolentia, ad ea quæ postulauit de Imperio respondit, se non posse ei, ob rei difficultatem & periculum, assensum præbere, quod ex officio à Deo sibi commisso, pacis non dissensionis auctorem se esse conueniret. Remissisque Legatis cum muneribus quæ detulerant, subsequi fecit duos Cardinales quos ad eumdem Imp. destinauit. Hæc in Actis Alexandri. Testaturque etiam Nicetas *q* Choniata, eumdem Græcorum Imperatorem summo conatu egisse, vt cum Papam, tum Longobardos, & alios quos potuisset Principes, aduersus Fridericum commoueret, quod sciret eius animum ad Orientale Imperium occupandum esse propensum. Porro Fridericum inter alia tentasse Corcyram insulam, certum redditur ex literis *r* ad eum redditis à Georgio eius insulæ Metropolita.

IX. LEGATIO EMMAN. IMP. AD ALEX. PP.

q Nicet. in Emman. lib. 7. Ap. Baron. an. 1176.

r Rec. Baro. d. an. 1176. exsid. mi.

Eodem quoque tempore (vt in iisdem Actis Alexandri additur) cum Guido Cremensis, qui & Paschalis Antipapa, ad ecclesiam S. Petri incubaret, ab eodem ipso Apostolo immissus cancri morbus in renibus eius apparuit: vnde cum pulmonis anhelitu tamdiu emisit saniem fœtidam, donec infelicem spiritum impœnitens exhalauit. In cuius locum residua schismaticorū fæx, cum nullus de Ecclesiæ suæ corpore superesset, quem sibi præficere possent, subrogarunt Ioannem quemdam Abbatem Strumensem, virum apostatam, lubricum, voracem, atque gyrouagum; quem dixerunt *Callistum*: eūdēq; Fridericus approbavit. Qui tamē Fridericus paulo post, videns cautā Alexādri quotidie in valescere, suā vero ad nihilū redigi; vt etiā Cathol. animos sibi redderet beneuolos, simulato pacis desiderio, Episcopū Babenbergensem, qui Catholicus semper extiterat, ad Alexandrum Papam legauit, cum certis capitulis quibus pax componeretur. Verum cum ista omnia fraudulenter agi compertum esset, remissus absque alio effectu est Episcopus. Hæc pluribus in iisdem Actis.

X. GVIDO ANTIP. MORITVR.

IOANNES STRVM. INTRODVCITVR.

Hoc eodem anno, quo ex hac vita subductus est S. Thomas Cantuariensis, Dei magno beneficio ex materno utero in lucē editus est Calarogæ in Hispania ex nobili Gusmannorum familia S. DOMINICVS; qui secundum præcedentem prophetiā matri per quietem ostensam, fax lucis foret, vitæ sanctitate illuminaturus Orbem, & canis latratu abacturus feros lupos; nempe voce prædicationis debellaturus hæreticos. Hæc de ortus tempore ex S. Antonino *s*.

XI. S. DOMINICVS NASCITVR.

s Anton. Hist. par. 3. tit. 23. §. 4.

Quod vero spectat ad ceteras res Orientales; hoc eodem anno vigesimo octauo Manuelis Imp. (non decimo octauo, vt habet mendosus codex: nam Indictio tertia ibidem notata legitur vna cum anno à mundi creatione sexies millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo) ad corrigendos Armeniorum errores missus est ad Armeniæ *Generalem*, (Ita nominati reperiuntur his temporibus Principes Armeniorum, donec Regis titulum consecuti sunt à Romano Pontifice, vt videbitur inferius) Theorianus; quem naviter incubuisse in opus, patet ex relatione *t* ab eo scripta.

XII. LEGATIO AD ARMENIOS.

t Ext. in Bibl. Patr.

IESV CHRISTI AN. 1171.

ALEX. III. AN. 12.

FRIDERICI 17.

MANVELIS 29.

I. LEGATIONIS CONTRARIÆ AD ALEX. PP. DE NECE S. THOMÆ.

ANno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, Indictione quarta, factus est ad Alexandrum Papam Tusculi existentem concursus diuersorum Legatorum super nece *S. Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi; aliorum quidem execrandum sacrilegium accusantium, & vindictam de eo petentium, aliorum vero Regem Anglorum excusantium. Fuerunt autem inter accusatores, Rex Francorum Christianissimus, Comes Blesensis, & Archiepiscopus Senonensis Apostolicæ Sedis Legatus; quorum extant *a* ea de re ad eundem Pontificem literæ. Excusatores autem fuerunt, tam ipse Rex Anglorum, quam ipsius Episcoporum conuentus; quorum nomine supereſt *b* Lexouiensis epistola. Quid vero gestum fuerit, docet *c* relatio Nuntiorum Regis Anglorum è Tusculano ad ipsum missa: nimirum Sūmum Pontificem adeo in Regem indignatum esse, vt nec Nuntios eius videre, nec vel nomen ipsius audire pateretur; atque instante tunc feria quinta ante Pascha, qua mos est publice absoluere vel excommunicare, omnino decreuisse ipsum Regem nominatim excommunicare, & vniuersam eius ditionem interdicto supponere: sed Nuntios in iis angustiis constitutos, cum nulla prorsus via aut intercessione potuissent eum ab illo proposito dimouere; timore infamiæ Regis perterritos, consilio cum nonnullis Cardinalibus ei fauentibus inito, per eos significasse Pontifici, se ab eodem Rege accepisse in mādatis, vt iurarent in psentia ipsius Pōtificis, quod Rex staret mandato & iudicio eius, & hoc ipsemet ad præceptum eiusdem iuraret in propria persona: admissisque prædicta ipsa feria quinta ad illud iuramentū Nuntiis in generali Consistorio, Pontificem postea de Rege quidem tacuisse; verumtamen generaliter excommunicasse interfectores S. Thomæ, & omnes qui consilium vel auxilium, vel assensum præbuissent, & omnes qui in terras suas eos scienter reciperent aut fouerent. Hæc Nuntii in sua relatione. Post quæ missi sunt ab Alexandro duo presbyteri Cardinales ad examinandum Regem, nempe Theodinus tituli S. Vitalis, & Albertus tituli S. Laurentii in Lucina Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, viri sanctitate & scientia præstantes; de quorum rebus in ea Legatione gestis dicetur anno sequenti.

a *Cod. Vatic. 5. ep. 78. 80. 81. 82. 83.*

b *Ibid. ep. 79.*

c *Ep. 85.*

II. HIBERNIA DEDITA REGI ANGLI. *De qua re vide supra an. 1159. III.*

Interea vero ponit Rogerius hoc anno expeditionem eiusdem Anglorum Regis ad subiugandam Hiberniam; quam sponte deditam sibi vendicauit. Vbi celebrato à quatuor Archiepiscopis & vigintiocto Episcopis (quotquot ea tunc haberet Insula) CONCILIO, idem ab illis receptus est in Regem & dominum, eiusque heredes in perpetuum. Eorum autem hac de re scriptum misit postea idem Rex ad Alexandrum Papam: qui secundum eius formam, confirmauit eidem Regi atque eius heredibus regnum Hiberniæ. Hæc Rogerius: qui etiam agit de alio CONCILIO ab iisdem Præsulibus in *Cassellensi* ciuitate paulo post celebrato, pro optima constitutione œconomiæ Ecclesiasticæ.

CONFIRMATVR AB ALEX. PP.

IESV CHRISTI AN. 1172.

ALEXAND. III. AN. 13.

FRIDERICI 18.

MANVELIS 30.

I. ANno Christi millesimo centesimo septuagesimo secundo, Indictione quinta, Rex Angliæ audito aduētu Theodini & Alberti Cardinalium Legatorum Alexandri Papæ continuo omnibus aliis negociis dimissis, ex Hibernia in Angliam, indeque ad eos in Northumanniam nauigauit: iisdemque honorificentissime susceptis, post leues quasdam disceptationes, cuncta benigne suscepit quæ ab iisdem Legatis iniuncta sunt. Atque imprimis super sacrosancta Euangelia iurauit, se neque mandasse, neque voluisse vt S. Thomas occideretur, & audita morte eius vehementissime doluisse. Verumtamen quod existimaret, se frequentibus vultus sui commotionibus, & querelis aduersus eumdem sanctum virum sæpissime cum iracundia repetitis, occasionem præbuisse interfectoribus eum aggrediendi: idcirco in expiationem huius reatus, sicut ei à Legatis præscriptum est, iurauit se ducentos milites in Terra Sancta ad dispositionem Templariorum sumptibus suis per annum integrum habiturum: ac præterea semetipsum Crucem vsque ad triennium accepturum, & in propria persona illuc profecturum, nisi de licentia Romani Pontificis remaneret: itemque si Pontifex iuberet, expeditionem in Hispaniam paraturum contra Saracenos. Deinde prauas Consuetudines, quæ in diebus suis in ecclesias inductæ essent, penitus abrogauit, & siquæ essent antiquiores illicitæ, ad mandatū Pontificis correcturum iurauit; omnesque Episcopos solvit promissione quam fecerant de his conseruandis. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ integre restituere, & omnibus qui occasione S. Thomæ eiecti aut spoliati fuissent, pacem & bona concedere, atque Appellationes ad Sedem Apostolicam liberas omnibus relinquere promisit. Et vt hæc omnia validiora redderentur, non solum bis, terve, eadem publice repetita, ac iuramento confirmata fuerunt, apud Abrincam ciuitatem, & Cadomum oppidum; (ad quod etiam vocati sunt Archiepiscopus Turonēsis, & suffraganei eius, ut essent de regno Francorum qui de iis testari possent:) sed & ex Anglia accitus est Henricus Rex Iunior, ut eadem & ipse cum patre iuraret; ea adiecta conditione, vt si pater vel morte vel alia legitima causa præpeditus, eam pœnitentiam complere non posset, ipse filius perficeret. De his enim omnib. ita hoc anno gestis, est certa relatio in epistolis *a* S. Thomæ & Alexandri Papæ, necnon in Actis eiusdem Pontificis, & apud Rogeriū in iis quos tūc scribebat Annalib. Anglicanis.

QVIBVS CONDITIONIBVS REX ANGLOR. ABSOLVTVS A MORTE S. TH.

a *Cod Vat. 5. ep 88.89.*

Sed quod præter hæc in iisdem epistolis & Annalibus traditur, ambos Reges iurasse, numquam se recessuros ab Alexandro Pontifice, & Catholicis eius successoribus, quamdiu ipsi eos sicut Christianos & Catholicos Reges haberent: hoc ipsorum iuramentum sic in Actis Alexandri conceptum habetur: *Ego & maior filius meus Rex iuramus, quod à Domino Alexandro Papa, & eius Catholicis successoribus, recipiemus & tenebimus Regnum Angliæ, & nos, & successores nostri in perpetuum non reputabimus nos Angliæ Reges, donec ipsi nos Catholicos Reges tenuerint.* Regnumque Anglorum esse feudum Apostolicæ Sedis, & sæpe vidimus superius, & confirmavit expressis verbis, literis suis idem Senior Henricus Rex *b* anno sequenti ad Alexandrum scribens. Ceterum in relatione quæ est inter epistolas S. Thomæ *c* additur, iniuncta insuper secreto fuisse Regi in pœnitentiā reatus sui, ieiunia, eleemosynas, & alia quædam, quæ ad communem omnium notitiam non peruenerunt: Ipsumque cuncta summa humilitate & deuotione suscipientem, dixisse Legatis, *Ecce corpus meum in manu vestra est: scitote pro certo, quod quidquid iusseritis, paratus sum obtemperare:* adeo vt qui aderant, non possent lacrymas continere: Sed & nequid deesset perfectæ pœnitentiæ consummationi, prompto animo annuisse vt à Legatis deduceretur extra portas ecclesiæ, ibique flexis genibus absolutionem ab iis acciperet, & in ecclesiam introduceretur. Post hæc vero addit Rogerius, celebratum apud *Abrincam* esse CONCILIVM ab iisdem Apostolicæ Sedis Legatis, vna cum Archiepiscopo, Episcopis, & Clero Northmanniæ; in quo multa constituta sunt decreta, ad rectam Ecclesiasticam disciplinā pertinentia, quæ recitat.

II. IVRAMENTVM REGIS PRO REGNO ANG.

b *Ap. Petr. Blef. ep. 136.*

c *Id. ep. 82.*

PROMPTVS REGIS ANIMVS IN SVSCIPIENDA PŒNITENTIA.

His iam visis, quæ ad gloriam S. Thomæ Martyris spectant, non tacēdum de ipsius commilitonibus, qui eum extorrem septenii temporis spatio sunt secuti. Cum enim celebres omnes & insignes plane viri essent; multos quoque ex iis sublimes postea dignitates assecutos esse, legitur in fine Quadripartitæ in codice Vaticano, vbi singulorum præcla-

III. VIRI ILLVSTRES FAMILIÆ S. THOM.

ra apposita sunt elogia. Primusque ponitur *Lombardus* nomine & natione, nempe ortus Placentia, doctrina celebris, qui vocatus ab exilio, S.R.E. Cardinalis creatus est, & Archiepiscopatu Beneuentano auctus. Secundus *Ioannes Saresberiensis*, & ipse doctrina præstãtissimus, qui post martyrium Thomæ factus est Episcopus Carnotensis. Post eum ponuntur *Robertus* Anglus, creatus Episcopus Herefordensis; *Gerardus* factus Episcopus Couentrensis; *Hugo* natione Romanus, & in Episcopatu successor Gerardi; *Gilebertus* Anglus, promotus ad Episcopatum Roffensem; *Radulphus* creatus in exilio Decanus Rhemensis Ecclesiæ: ac denique inter plures alios diuersis honoribus Ecclesiasticis insignitos ponitur *Lambertus* Mediolanensis, qui ad Archiepiscopatum eius Ecclesiæ primum vocatus, inde in Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Pontificem electus est, dictusque *Vrbanus Tertius*. Talis erat familia præclarissimi viri, non ad oculos seruiens, sed plane ea qua eorum dominus constantia prædita in persecutione laborum; viri Apostolici, viribus Apostolicis decori, digni habiti qui præ cunctis ad Ecclesiasticos promouerẽtur honores.

IV.

PŒNITENTIA, ET FINIS EORVM, QVI OCCIDERVNT S. THOMÃ.

At vero sacrilegi percussores Martyris, cum viderent se non solum ab omnibus hominibus vbique vitari, sed etiam ipsis brutis animalibus execrationi esse, (canes enim quantumlibet famelici, panem ab eis porrectum, vt intinctum veneno anathematis horrebant) ac longius à se ipsis sua ipsorum conscientia mali conscia propulsari, invocantes eum quem percusserant Sanctum, ab eo quæsierunt misericordiam, in quem extitissent ipsi immisericordissimi. Qui inter mœroris nebulas spe veniæ impetrandæ illustrati, ad Alexandrum Pontificem se conferentes, iussi sunt in expiationem immanissimi sceleris, in Terram Sanctam peregrinari. Dumque pergerent, vnus ex illis idemque princeps & instigator, ac primus percussor Martyris, vbi in Calabriam peruenisset, moras nectens Cosentiæ, tali percussus est à Deo infirmitate, vt putrescentibus carnibus, apparentibusque neruis & ossibus, eædem è compagibus suis solutæ, siue sponte diffluerent, siue manibus ipsius sui carnificis doloris impatientis diuellerentur, inuocantis iugiter in auxilium quem occidisset Martyrem, quousque extremum efflauit spiritum. Quæ omnia per Episcopum Cosentinum nota facta esse Fidelibus, asseritur in fine sæpe citatæ Historiæ Quadripartitæ: iisdẽq; reliqui historici, qui sunt prosecuti res gestas S. Thomæ, adstipulantur. Porro tres reliqui in loco dicto Monte Nigro, tanquam carcere pœnitentiæ clausi iussu Pontificis, paulo post extremum clausere diem, vtique pœnitentes: nam & honesta sunt sepultura dignati, nempe ante ostium templi, vbi (inquit Rogerius) eiusmodi apposita fuit inscriptio: *Hic iacent miseri, qui martyrizauerunt Beatum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem.*

IESV CHRISTI AN. 1173.

ALEXAND. III. AN. 14.

FRIDERICI 19.

MANVELIS 31.

I.

CANONIZATIO S. THOMÆ.

ANno Christi millesimo centesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, Alexander Papa audiens à Legatis suis, quos pro pœnitentia Regis Angliæ ad eum miserat, quæ Deus in manu potenti & brachio excelso operaretur ingentia & frequentissima miracula ad sacrum corpus noui Martyris Thomæ; deq; iisdem plurimorum aliorũ certissimam testificationem adeptus: habita apud Signiam cum fratribus suis S.R.E. Cardinalibus, aliisque Ecclesiæ Catholicæ Antistitibus, diligenti cõsultatione; ex communi omnium consensu, retulit eum solemni ritu in numerum Sanctorum Martyrum die primo Quadragesimæ: ac de eius canonizatione, literas *a* privatas scripsit ad Clerum Ecclesiæ Cantuariensis, aliasque publicas ad vniuersos Christi Fideles. De ipsius autem Martyris egregiis miraculis, non solum qui res gestas eius conscripserunt, sed & alij plerique variis occasionibus meminerunt: adeo vt non tantum in iis exhibendis nihil minus habere visus sit à ceteris magnis Sanctis, verum etiam prætergressus sit eos; vt inter alia testimonia constat ex epistolis Petri *b* Blesensis qui aderat, & Ioannis *c* Saresberiensis qui eidem Sancto fuerat à secretis. Quot autem miraculis, tot diuinis innotuit testificationibus, Deo gratissimam nauare operam, & coronis dignam, non solum qui pro fide Catholica illibata seruanda à persecutoribus necantur, sed etiam qui pro iuribus, bonisque Ecclesiæ conseruandis, & repetendis ablatis occiduntur. Cuius occasio subeundi martyrij haud longe ab Infidelibus perquirenda, sed vnicuique Episcopo, aut alia qualicumque dignitate Ecclesiastica insignito, præsens semper vbique immineat, si quod sui est muneris, numeris omnibus laboret implere.

a *Cod. Vatic. 5. ep. 92. 93.*

b *Petr. Blef. ep. 46.*

c *Cod. Vatic. 5. ep. 90.*

CAVSAM MARTYRII IN PROMPTV ESSE VNICVIQVE EPISCOPO. *Quod habet Baron. an. super. num. XII.*

II.

DISSIDIA INTER REGES ANGL. PATREM ET FILIVM.

Inter hæc vlciscente adhuc Domino accidit, vt inter Reges Angliæ patrem & filium, implacabilis dissensio oriretur, eo quod petenti filio dari sibi ciuitatem aliquam siue in Anglia, siue in Northmannia, ad habitandum vna cum coniuge, filia Regis Francorum; pater negauerit omnino. Ex quo factum est, vt deficiens à patre filius, aduersus eum bellum cõflarit, vna cum fratribus suis, & fœderatis Principibus, ipso Rege Francorum, necnon Rege Scotiæ, Comitibus Pictauiensi & Flandrensi, aliisque. Ita permittente Deo, vt Rex Senior, qui patrem suum Thomam indefesso studio fuerat persecutus, persecutorẽ ipse pateretur filium suum, quousq; tantum à se admissum penitus expiaret delictum. Qui & in summum discrimen adductus, non alium habuit ad quem confugeret, quam illum ipsum, cuius tam sæpe mandata eluserat, Alexandrum Romanum Pontificem: & ab eo auxilium per literas *d* implorans, eam imprimis rationem adduxit, quod (vt ait) Regnum Angliæ esset iurisdictionis Ecclesiæ Romanæ, & iuris feudatarij obligatione teneretur eidem obnoxium & adstrictum: ideoq; rogauit, vt experiretur Anglia, quid posset Romanus Pontifex; & quia materialibus armis non vteretur, patrimonium B. Petri spirituali gladio tueretur.

d *Ap. Pet. Blef. ep. 136.*

III.

c Id. ep. 69 ALEX. PP. LABORAT PRO REGE ANGL.

Quid autem egerit Alexander docet Petrus *e* Blesensis eiusdem Regis Secretarius, & Archidiaconus Ecclesiæ Bathonensis in Anglia, in epistola ad Radulphum Andegauẽsem Episcopum: nimirum eum mandasse, vt quicumq; pacem Regis turbarent, appellatione remota, excommunicationis vinculo adstringerentur. Additque, ea auctoritate fretum Archiepiscopum Cantuariensem, omnes Regis impugnatores apud Cadomum excommunicasse, nec Rege Iuniore, nec aliis exceptis. Porro iste Cantuariensis Archiepiscopus, dictus est nomine Richardus; quem Rex Senior *f* his iisdem temporibus ex Priore Douverensi ad eam Ecclesiam euexit, & vna cum aliis, quos pariter Ecclesiis vacantibus elegit, abire Romam pro consecratione iussit; vbi idem auctus est etiam Primatu Angliæ, & Legatione Apostolica prouinciæ suæ. Qui quidem antequam excommunicationem in Regem Iuniorem proferret, admonitionis literas *g* voluit præcessisse, quibus agens de prædicto mandato Pontificio, omnino asserit se illud in eum plenissime prosecuturum, nisi intra quindecim dies resipisceret. Scripsit *h* etiam ad eumdem Iuniorem Regem Rotrodus Archiepiscopus Rotomagensis, vir summæ nobilitatis, auctoritatis, atq; virtutis, quem mire Petrus *i* Blesensis prædicat, literas tanto Præsule dignas, quibus eum ad obedientiam patri exhibendam egregiis rationibus reducere conatus est. Sicut & ad Reginam *k* Seniorem Eleonoram, quæ & ipsa vna cum filiis à viro discessisset, scribens, addit demum, nisi ad virum rediret, se in eam censuris Ecclesiasticis acturum. Itemque Regem Seniorem aliis literis *l* hortatus est, vt in his angustiis constitutus, diuinum numẽ sibi conciliaret, ablata restituendo, odia dimittendo, & Ecclesiæ omnem reuerentiam exhibendo: Hoc enim inimicos eius potissimum inuitare ad pugnam, quod intestinos hostes sentirent ipsum habere, & arbitrarentur illum Ecclesiæ Dei minus extitisse devotum.

e *Id. ep. 69*

f *Roger. in Annal. Angl. hoc an. et seqq. ac pariter Baronius.*

g *Ap. Petr. Bles. ep. 47.*

h *Ibi. ep. 33.*

i *Ep. 533.*

k *Ibid. ep. 134.*

l *Ep. 163.*

IESV CHRISTI AN. 1174.

ALEXAND. III. AN. 15.

FRIDERICI 20.

MANVELIS 32.

I. PERFECTA REGIS ANGLIÆ POENITENTIA DE NECE S. THOMÆ.

ANNO Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione ſeptima, Henricus Senior Rex Angliæ, imm nſis ob rebellionem ſuorum coangustatus ærumnis; quod plane deſiderari poterat ad pleniſſimam expiationem perſecutionis in S. Thomam illatæ, (cuius occaſione hæc ſibi diuinitus mala contigiſſe non dubitaret) nempe vt quem offendiſſet toties verbis atque factis, & cauſam præbuiſſet necis eius, purgaret id ipſum publica pœnitentia ad ſepulchrum martyris; hoc expleuit abunde. Audiens quippe in dies (inquit Herebertus *a* qui aderat) virtutes, & ſigna, & prodigia, quę Cantuariæ fiebant per Martyrem, à Northmannia exiuit, & illam, ſicut alias dominationis ſuę terras, in ſolius proregentis Dei, & Martyris ſui manu relinquens; confeſtim ſola diuinæ protectionis ſpe aduerſus hoſtes ſuos armatus, tranſiuit in Angliam. Antequam autem Cantuariam intraret, vt ipſam vidit Metropolitanam Eccleſiam, in qua Martyr requieſcebat, mox incredibiliter humiliatus, pauperis ſerui formam induit, nudis pedibus, totoque nudato corpore, præterquam vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes & nudus ſic palam in omnium conſpectu ciuitatem intrauit; & per vicos & plateas luteas cum ſuſpiriis & gemitibus incedens, Martyris adiit ſepulturam, & ad eam tota illa aduentus ſui die, & nocte ſequenti, ieiunus & pernigil in oratione perſtitit: conuocatoque monachorum cathedralium cœtu, à ſingulis virgæ diſciplinalis percuſſiones ſingulas accepit. Hæc ibi. Sed addit Eduardus in Vita Martyris, Regem veſte ſe nudantem, caput in tumuli feneſtram ſubmiſiſſe, primoque ab Epiſcopis qui aderant, quinquies cæſum eſſe, deinde à monachis amplius octoginta ternos accepiſſe ictus.

a Lib. 3. Hiſt. Quadripart. VISITAT SEPVLCHRVM.

II. VINCIT HOSTES EIVS OPE.

Quinam autem ſucceſſus tantam pœnitentiam mox ſecuti fuerint, pergens Herebertus enarrare, imprimis ſequenti die (inquit) cum Rex maculatis ſic pedibus vt venerat, necdum refocillatus, audiret ante ſepulchrum Martyris miſſam de Martyre, eadem ipſa hora Rex Scotorum vehementiſſimus ipſius impugnator, fortuito quodam caſu ab exercitu ſuo parum deflexus, à militibus quibuſdam paucis & mediæ manus hominibus, qui inter paucos prædicto Regi Angliæ fauebant, interceptus eſt, & ſine pugna & plaga captus. Deinde non longa mora, & ciſmarini & tranſmarini rebelles, in retiaculum quod domino ſuo tetenderant ceciderunt. Videnteſque alij tam ſubito cum eo manum Dei validam, ſiluerunt vniuerſi, & factum eſt in pace regnum eius: qui hęc tanta, eo plus miraculoſa, quo tam cita, cuncta adſcripſit Domino, & glorioſo Martyri Thomæ, cui certiſſime erant adſcribenda. Ita Herebertus. Agit vero etiam de pœnitentia publica Regis, Neubrigenſis, *b* & ipſe eius temporis auctor: itemq; Rogerius, *c* præſens ijs omnibus; qui etiam pluribus narrat, quot hoc anno ex ipſa pœnitentia idem Rex bona fuerit conſecutus ope S. Martyris, cum omnes aduerſarios Deus conuertit in amicos & obſequentes; filiumq; Regem vna cum fratribus redire fecit ad patris gremium, pacificum & pœnitentem. Quæ adeo inexpectata beneficia tribuit quoq; Petrus *d* Bleſenſis viſitationi ſepulchri Martyris à Rege factæ.

b Neubrig. lib. 2 cap. 34.
c Roger. Annal. Angl. hoc an.
d Petr. Bleſ. ep. 66.

IESV CHRISTI AN. 1175.

ALEX. III. AN. 16.

FRIDERICI 21.

MANVELIS 33.

I. CONCIL. ANGLIC. PRO RESTITVENDA DISCIPLINA.

ANNO Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione octaua, Dominica ante Aſcenſionem celebratum eſt apud *VVeſtmonaſterium* in Anglia CONCILIVM à Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi: in quo ſtatuti ſunt ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam canones decem & octo, quos ſingulos Rogerius in Annalibus recitat, accommodatos omnes decretis Romanorum Pontificum. Inter quos qui numeratur decimusquartus, prohibet ex decreto Alexandri tunc ſedentis, nequis nouam Præfationem, vltra decem quæ eſſent in vſu Romanæ Eccleſiæ, addere Miſſis aliquo pacto præſumeret. Pertractatæ ſunt etiam complures Eccleſiaſticæ controuerſiæ diuerſi generis: ſed illæ grauiores, quæ emerſerunt pro Primatu inter Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem: quæ quod maioris eſſent momenti, delatæ ſunt per appellationem ad Romanum Pontificem: earumq; cauſa, Rege perente, ab Alexandro miſſa eſt in Angliam Legatio; de qua plura Rogerius.

II. ALEXANDRIA CIVITAS LONGOB. OBSESSA A FRID. LIBERATVR A S. PATRO.

Hoc eodem anno Fridericus Imp. qui ſub finem ſuperioris cum ingenti exercitu in Longobardiam veniens, Alexandriam nouam vrbem Eccleſiæ Romanæ, obſidere cœperat; & nec inuſitatis aquarum inundationibus diuinitus immiſſis, nec aſperitate hiemis, aliiſque difficultatibus, à propoſito eius impugnandæ dimoueri potuerat; eo maiori iracundia in ciues indignatus, quod videret non ſolum eos ipſi viriliter reſiſtere, ſed & ingentia damna inferre, quamuis nullo murorum vallati eſſent præſidio, nec multitudine militum abundarent: demum poſt quartum obſidionis menſem, aduenientibus ſanctis Maioris Hebdomadæ diebus, ſub prætextu conceſſionis induciarum ad celebrationem Paſchatis, inſidias parans, ipſa nocte magnæ Feriæ Sextæ proditorie illos adortus, immenſa ab eis affectus eſt clade, pugnante pro illis, & in equo albo coruſcantibus armis præire viſo, ipſo S. Petro eius vrbis domino. Quare timens etiam ſibi ab exercitu Longobardorum fœderatorum, qui proxime aderat in auxilium Alexandrinorum, in ipſa Dominica Reſurrectionis obſidionem ſoluens, verſus Papiam iter direxit. Sed quod vitare non poſſet occurſum exercitus Longobardorum, cui minime pareſſet; ad ſolitas fraudes conuerſus, conſultationem de pace interpoſuit, ſub cuius ſpecie illorum manus euaſit. Qui rurſum cum omnia ſiniſtre ei ſuccederēt, vt religioſos viros & populum ſibi propitium redderet, pacis ſtudium cum Romana Eccleſia ſimulans, accerſiuit Papiam tres ex præcipuis Cardinalibus, nempe Oſtienſem, & Portuenſem Epiſcopos, ac presbyterum S. Petri ad Vincula; quos cum humaniſſime excepiſſet ac ſalutaſſet, haud tamen ab ijs reſaluratus eſt ob excommunicationem qua erat conſtrictus: paciſque tractatio abſque effectu permanſit, quod ipſe in cunctis modum nimis excederet, atque etiam in ſpiritualibus nonnulla poſtularet, quæ nulli vmquam laico inuenirentur eſſe conceſſa. Narrantur iſta pluribus in Actis Alexandri Papæ; quorum etiam meminere alij eius temporis Scriptores.

III. AVGVSTVS EPISCOPATVS. Quæ de re Baron. hoc an. & 1180.

Additur vero ibidem, eo tempore Alexandrum priuaſſe Papienſem Epiſcopum Crucis & Pallij dignitate, eo quod ciuitas diu Octauiano Antipapæ, & Friderico excommunicato adhæſiſſet, ac poſt præſtitam ſatisfactionem, eumdem Fridericum in grauem iacturam Eccleſiæ Longobardorum præſumpſiſſet in Italiam reuocare: Alexandriam vero ciuitatem in Epiſcopatum erexiſſe, & Metropolitano Mediolanenſi ſubiecciſſe. Porro ſedem Aquenſem tranſlatam fuiſſe Alexandriam, ita vt qui prius Aquenſis dicebatur Epiſcopus, dictus poſtea fuerit Alexandrinus; conſtat ex literis Algiſij tunc Mediolanenſis Archiepiſcopi ad eoſdē Alexandrinos

ea de re conscriptis anno millesimo centesimo octogesimo; necnon ex aliis Innocentij Papæ Tertij, qui controuersiã super hac unione obortam, appositis quibusdã conditionibus sedauit.

IESV CHRISTI AN. 1176.

ALEXAND. III. AN. 17.

FRIDERICI 22.

MANVELIS 34.

I. DE HÆRETICIS ALBIENSIB.

ANno Christi millesimo centesimo septuagesimo sexto, Indictione nona, in prouincia Tolosana, hæretici ALBIENSES dicti, qui seipsos *Bonos homines* appellabant, (Manichæis potiusquam Arianis affines, licet Ariani nominati inueniantur) examinati ab Episcopis, conuicti sunt aduersus doctrinam Catholicam sapere. Extant ipsa Acta, quæ recitantur à Rogerio eius temporis auctore in Annalibus Anglicanis.

II. ERRORES ILLORVM.

Recipiebant tantummodo Scripturas Novi Testamenti, reiicientes penitus Vetus, nisi in iis testimoniis quæ inducta sunt à Christo Domino & Apostolis, & non aliis: nam & respuebant pariter ceteros omnes Doctores Legis Christianæ. Interrogati de fide sua, dicebant se nõ teneri ad respõdendum. Asserebant duos Deos existere, bonum alterũ, alterum malũ: bonum, qui inuisibilia tantum, & ea quæ mutari aut corrumpi non possunt fecisset; malum, qui cœlum, terrã, hominem, & alia visibilia condidisset. Negabant Baptismum prodesse parvulis ad salutem; Corpusque Domini confici per ministerium sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti; & virum ac mulierem salvari, si canaliter conuenirent. Dicebant ministros Ecclesiæ, qui non essent moribus & conuersatione tales, quales Paulus ordinandos esse docuerat, non esse Episcopos, aut presbyteros, & seductores; ideoque nullam eos habere potestatem in rebus diuinis & ecclesiasticis, aut in sacramentis administrandis; nec obediendum eis esse, aut primitias & decimas soluendas. Negabant ecclesias, siue templa, in honorem Dei & Sanctorum erigi debere, aut ad orationem adiri à Fidelibus; itemque eleemosynas iisdem ecclesiis, aut pauperibus fieri. Dicebant sufficere ad salutem peccata cuilibet homini confiteri, nec post confessionem necessariam esse pœnitentiam. Ac denique inter alios plurimos eiusmodi errores, asserebant numquam omnino debere iurari per aliquod iuramentum. Hæcque cuncta miseri asserebant, se ex Euangelio & Epistolis excipere; nec se aliquid aliud, quã quod ibi expresse contineretur, recipere velle; respuentes omnes quorumcumque Doctorum interpretationes, cum alioqui ipsi prorsus rudes & imperiti essent. Recensentur vero ista à Rogerio sub hoc anno, quo iidem conuicti sunt; & sub anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, quo in iudicium vocati.

III. CONVENIVNTVR, ET CONVINCVNTVR.

Porro hoc anno conuenientibus in vnum aduersus pestiferos eorum errores, apud Episcopum Albiensem, (electum ab vtraque parte, vna cũ aliis quibusdam Abbatibus, disputationis iudicem) Archiepiscopis Lugdunensi & Narbonẽsi, aliisque Episcopis, Abbatibus, & Præpositis Ecclesiarum, necnon Comitibus, ac viris Illustribus, cum maxima populi multitudine; Lugdunẽsis publice interrogatis hæreticis, cunctos eorumdem errores validissime confutauit solis Novi Testamenti auctoritatibus, quas ipsi tantum admittebant. Post quæ videntes hæretici se esse conuictos, vt non vitarentur à populis, itidem publice Catholicæ fidei professionem emiserunt: sed quod nollent eam iuramento confirmare, quam vis eis abunde ex Sacris Scripturis probaretur, & id licitum esse, & ad id ipsos obligari ut purgarent infamiam hæresis qua notati erant: iidem à Iudicibus sententiam damnationis acceperunt, quam & alij omnes suis calculis confirmarunt. Acta ipsa disputationis recitat Rogerius. Quomodo vero Sedis Apostolicæ auctoritate fuerint rursum iidem ad iudicium vocati, conuicti, & damnati, dicetur post biennium.

IV. FRID. VINCITVR A MEDIOL.

Hoc eodem anno Imperator Fridericus, nouis receptis ex Germania copiis, aggressus Alexandri Papæ confœderatos Mediolanenses, ingenti ab eis prælio deuictus est: quo inter ceteros ipse coruscantibus armis insignis apparens, ab hostibus de sella eiectus, ab omnium oculis tunc evanuit; dubitatumq; diu est quid de eo factum esset, adeo ut eius uxor vestem lugubrem induerit: quousque idem subito Papiæ comparuit omnibus rebus destitutus. Hæc pluribus in Actis Alexandri Papæ: vbi cum ea consignentur duplici chronographia, nempe anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo sexto, & Pontificatus Alexandri decimoseptimo, mense Iunij; male eadem Vrspergensis anno superiori collocat, ac Robertus sequenti. quæ etiam Dodechinus summatim recenset. Post hæc autem Imperator, quem nulla vnquam aduersitas aut difficultas, ex quo aggressu est Ecclesiam persequi, licet rebus quotidie in deterius dilabentibus, ab incœpto retrahere valuerat; hac tamen accepta clade, adeo vehementer à supremo Iudice contritus est, (inquiunt eadem Acta) vt pacem Ecclesiæ, quam hactenus in duplicitate cordis popposcerat, toto animi affectu ab Alexandro suppliciter postulare decreuerit. Cuius rei causa misit ad eum tunc Anagniæ in Campania degentẽ, quatuor ex præcipuis Imperij Principibus Ecclesiasticis, nempe Magdeburgensem, Moguntinum, Wormatiensem Antistites atque Protonotarium Regni, cum plenissima potestate tractandæ & conficiendæ pacis inter Ecclesiam & Imperium. Qui cum diutius de ea cum Pontifice egissent, tandem facta capitulorum conuentione constitutum est, ut quoniam ad omnia solidius peragenda, necessaria videbatur ipsius Imperatoris, atque Longobardorum, de quorum etiam pace agebatur, præsentia; Pontifex in eas partes se quantocyus transferret; atque interim Imperator firmam daret securitatem omnibus personis & rebus Ecclesiæ Romanæ; Regisque Siciliæ, aliorumq; ipsis inhærentium. Quæ autem ista sunt secuta, proximo anno prosequemur.

SERIO PETIT PACEM AB ALEX.

IESV CHRISTI AN. 1177.

ALEX. III. AN. 18.

FRIDERICI 23.

MANVELIS. 35.

I. ALSAEL.

ANnus Christi millesimus centesimus septuagesimus septimus, Indictione decima notatus, dicendus est ex bonis quæ secum tulit, secundum Isaiam a vere *Placabilis*, quo pax exul annis decem & octo, tãdem est postliminio restituta, & schisma Ecclesiæ sublatum. Digna quidem tanta historia, vt præstantissimorum virorum (sicuti factum est) digno stylo posteris traderetur. Sed infortunio magno accidit, quod cum ad ornatum supervacaneum inopportunus & commentitius quæsitus est fucus, deformis effecta, diuersa penitus reddita sit ab illa venustate, quam mixto candore simplicitatis cum rubore vividæ veritatis, conciliauerat ipsi absque arte natura. Vt autem absterſis sordibus, in pristinum decorem eamdem vendicemus, aperiendum imprimis, duplicem & magnopere inter se diversam reperiri historiæ huius narrationem; utramque vero in codice Chronicorum dignæ memoriæ Cardinalis Bessarionis, qui summa diligentia & honore asseruari dicitur in Bibliotheca Veneta.

HISTORIÆ DE PACE CVM FRID. REPRESENTATIO.

II. PRIMA.

Prima igitur narratione, ex Blondo, & Ænea Silvio desũpta, asseritur, Fridericum Impp. Magdeburgensem Moguntinumque Archiepiscopos Oratores ad pacem cũ Alexandro constituendã destinasse Anagniam. Copuentum esse ibidem, vt Pontifex Bononiam, Imperator Mutinam se conferret, quod eo modo facile posset ad colloquium perveniri. Pro

ea re

ea te complenda, Pontificem receptis apud Garganum montem ab Willelmo Rege Siciliæ tredecim triremibus, iis Venetias delatum, magno honore exceptum esse, & terrestri itinere sex Cardinales Bononiam misisse; Fridericum autem Mutinam venisse. Sed interea Oratoribus Friderici Bononiam suspectam dicentibus, Ferrariam pro conuentu electam esse. Quo cum perrexisset Pontifex, rursum mutatis conditionibus, Venetiis conuenire placuisse, ea lege, ne prius Imperator Venetias admitteretur, quam pacem iureiurando firmaret. Itaque concessisse Fridericum pacem Alexandro in ea formula, qua semper optauerat; itemque Willelmo Regi Siciliæ, ac ciuitatibus Longobardiæ, certis conuentionibus pacem dedisse. Hæc ibi ex Blondo. Alii vero (vt ibidem additur) asserunt, Fridericum cum magno exercitu venisse in Ausoniam, mouisseque in Romanam Vrbem, eiusque vires perhorrescentem Pontificem, decimoseptimo sui Pontificatus anno, coqui sui vestibus sumptis, eo in habitu Venetias profugisse in monasterium S. Mariæ de Charitate, atque ibi hortulo præfectum esse: sed post aliquot menses agnitum, summo honore à Sebastiano Duce & vniuerso Senatu habitum esse. Imperatorem autem hæc audientem, ad eum reposcendum misisse Ottonem filium suum cum armata classe: hunc vero, bellum ob id Venetis mouentem, ab eorum Duce prælio superatum esse, vinctumque Venetias perductum. Sed eo procurante, pacem inter Pontificem & Imperatorem his conditionibus stabilitam esse, vt Imperator Romam & quæ ditionis erant Ecclesiasticæ, Pontifici redderet, & quicquid ille pro perpetrata culpa iniungeret, patienter perferret. Itaque Pontificem ad fauces Ecclesiæ S. Marci, vniuerso adstante populo, Imperatori iussisse vt se humi prosterneret, & veniam denuo postularet: eiusque collum pede comprimendo dixisse, *Scriptum est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* Fridericum autem respondisse, *Non tibi, sed Petro, cui successores, parco:* iterumq; Pontificem adiecisse, *Et mihi & Petro:* sicque pace composita, Imperatorem cum bona venia abiisse: Pontificem autem ob beneficium à Venetis susceptum, Sebastiano Duci & eius successoribus, ac Senatui Veneto, multa priuilegia, Indulgentiasque concessisse. Ita posterior narratio in codice Bessarionis; cui & alia quædam monimenta fauent.

ALTERA.

III. *Iatem. 6.*

ITRA IXIOR.

Cui vero inhærendum nobis sit, tanquam in biuio constituti, illud diuinæ Scripturæ *b* obseruabimus; *State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Nam illos vtique interrogabimus, qui viam triuerint ambulando; non autem inexpertos, qui tantum audita retulerint, eadéq; fucata coloribus monstrasse, satis esse ad probationem existimauerint. Quamobrem non aliunde quam ab auctoribus eius temporis, & iisdem plane ipsis qui rebus gestis interfuerunt, vel etiam magna pars fuerunt, cuncta narraturi, inprimis reuocamus in memoriam quæ dicta sunt anno superiori ex indubitatæ fidei Scriptoribus, deuicto & profligato à Mediolanensibus Friderico, & legatione ab eodem pro pace ad Alexandrum missa: vt ex iis appareat, vanum illud commentum de timore Alexandri ob insultationem Friderici omnino corruere, nullamque de ineunda à Pontifice fuga, latebrisque captandis, prorsus fuisse occasionem. Sed quomodo rem geri contigerit, veraciter ac copiose descripsit auctor qui aderat, in Actis ipsius Alexandri, de quibus sæpe dictum est superius; confirmantq; alii, de quibus etiam dicetur.

IV. LEGATIO A PONT. AD IMP.

Alexander igitur antequam Anagnia exiret ad colloquium Imperatoris, præmisit ad eum duos Cardinales, vt securitatem, quam Magdeburgensis cum sociis suis promiserat, ab eodem Imp. per exhibitionem iuramenti reciperent. Quem cum inuenissent circa Mutinam, honorifice ab eo susceptisunt: idemq; filium Marchionis Montisferrati super sancta Euangelia iurare fecit in anima sua prædictam securitatem; & vt omnes Principes Alemanniæ qui secum erant, eandem pari iureiurando confirmarent, effecit. Pontifex autem præmissis terrestri itinere sex de suis Cardinalibus Bononiam, vt Imperatorem & Longobardos de suo aduentu certiores faceret; ipse vna cum reliquis iter arripiens ad mare Hadriaticum, transito monte Gargano, susceptisque in ciuitate Liciana ab Willelmo Siciliæ Rege tredecim triremibus, commeatu & armis optime instructis, sub ductu duorum ex præcipuis ditionis eius Principibus, nempe Romualdi Archiepiscopi Salernitani, & Rogerij Comitis Andriensis Magni Comestabuli, (qui cum illo pro Rege interesse deberent colloquio pacis, vt & ipse in ea comprehenderetur, qui se fidelem Ecclesiæ defensorem semper exhibuisset:) post nonnullas aduersorum ventorum & procellarum moras, per medias Dalmatiæ & Sclauorum insulas nauigans: tandem decimo Calendas Aprilis Venetias appulit, occurrente ei Duce cum Patriarcha & Episcopis, ac nobilibus & Clero, copiosa nauium multitudine. Mox vero ad eum accedens Magdeburgensis cum sociis, roganscq; vt quoniam vrbs Bononia Principibus Imperatoris suspecta erat, alius eligeretur ipsius cum Imperatore colloquii locus; promisit Pontifex se quamprimum Ferrariam profecturum, vt ibi cum Rectoribus Longobardiæ, quorum etiam maxime interesset, de ea deliberaret. Quare indicto per literas, vniuersorum Episcoporum & Consulum ciuitatum Longobardiæ conuentu, Dominica Passionis Ferrariæ habendo, ipse interim Dominica Lætare in Ecclesia Beati Marci Missam solemniter celebraturus, Rosam auream ex cõsuetudine ad altare ferens, eam post impleta mysteria, Duci Venetiarum in signum gratiæ Sedis Apostolicæ contulit. Deinde vero, eodem Ferrariam petente, ibi post quasdam altercationes, tandem consensu omnium electa est ad congressum ciuitas Venetiarum, ea tamen conditione, vt antea Dux cum populo Veneto iurarent, quod antequam pax firmiter stabilita esset, haud absque consensu Pontificis permitterent Imperatorem intrare ciuitatem: quod & factum est.

ALEX. PP. APPELLIT VENETIAS

[Quod de Rosa aurea legisti habes de eodem antiquo sacro ritu eius benedicendæ eo die, eiusdem temporis Scriptorem notissimum, (quem & hic ea de re citat Baronius) *P. Iranum Bisuntinum*, qui *serm. 15.* eius meminit, & rei mysterium pandit, quod Dominica illa *Lætare*, septima numeretur à Dominica Septuagesimæ. Sed de eius mysteriis plura Innocentius PP. III. sermone ad eam Dominicam habito, & Durandus lib. 6. Ration. cap. 53. Extatque etiam ipsius Alexandri Tertii epistola ad Francorum Regem cum mitteret ei eiusmodi Rosam: quæ refertur à Io. Picardo in Not. ad lib. 1. cap. 4. Guil. Neubrig. de Reb. Ang. & post eum à Gretsero l. 2. de Bened. cap. 40. vbi plura de his.]

Conuenientibus igitur rursum cunctis delegatis apud Venetias, post multas de Feudis Longobardorum concertationes, demum in ipsis Apostolorum Petri & Pauli Octauis, perpetua pax Ecclesiæ firmata est, ea forma quæ prius inter partes composita fuerat: ac pariter Regi Siciliæ in annos quindecim pax concessa, & Longobardis inducia ad sex annos, vt interim vniuersæ simul eorũ ciuitates conuenirent de regalibus ac iurib. quæ Imperator ab eis sibi deberi contendebat. Hæc autem ita transacta. Imperator Chiogiam prope Venetias accedens rata habuit; ac per Diedonem Comitem, & Sigilboth Camerarium suum, coram omnibus delegatis, ac Principibus suis, iurare fecit in anima sua, quod mox vt Venetias accederet, pariter in anima sua iurare faceret integram obseruationem eorum omnium quæ inter partes constituta fuissent. Hisque peractis præcepit Pontifex vt Imperator Venetias honorifice deduceretur. Altera vero die, in Vigilia S. Iacobi, misit ad eum quosdam Cardinales; qui post abiuratum ab illo schisma Octauiani, Guidonis Cremensis, & Ioannis de Struma, ac promissam obedientiam Alexandro, eiusque successoribus Catholicis, eumdem à sententia excommunicationis absoluerunt, & Catholicæ vnitati restituerunt. Idemque factum est cum eius Principibus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, aliisque cunctis schismaticis illic præsentibus, qui eodem vinculo constricti tenebantur. Exinde Imperator tanquam Catholicus Princeps accedens ad Pontificem, qui eum opperiebatur ante fores Ecclesiæ S. Marci, deposita chlamyde prostrauit se in terram, & deosculatis Pontificis pedibus, ad pacis quoque osculum admissus est: & apprehensa Pontificis dextera, *c* cum cantic. is & laudibus ad chorum Ecclesiæ ipsum deducens, inclinato capite benedictionem eius reuerenter accepit. Sequenti vero die, in festo S. Iacobi, celebrãte solemniter Pontifice Missam, post dictum Euangelium, & sermonem factum ad populum, Imperator denuo ad eius vestigia cũ Principibus suis accedens, aurum post pedũ oscula obtulit. Finita

V. VNIVERSALIS PAX FIRMATVR.

IMP. VENETIAS VENIT.

c [De hoc more vide sup. ann. 774 post num. I. Et quod ad istum Pontificis & Imperatoris congressum, de quo hic agitur, differte Andr. Dandulus Venet. Dux in suo Chron. ait, *Papam medium inter Imperatorem & Ducem Venet. ad altare Marci processisse.*

autem

autem Missa, rursum dexteram Pontificis apprehendens, extra ecclesiam vsque ad equum album deduxit, & streguâ (siue suppedaneum equestre) fortiter tenuit; frenumque accepit, vt stratoris officium impleret: Sed quod iter ad mare nimis videretur prolixum, pro facto Pontifex habuit, quod Imperator affectuose voluit adimplere.

VI. IVRANTVR CONDITIONES PACIS.

Calendis vero Augusti, conuocatis omnibus in Consistorium, Imperator præcepit Comiti Henrico de Diessa, iurare in anima ipsius Imperatoris super sancta Dei Euangelia, se pacem Ecclesiæ & Imperii, necnon pacem Regis Siciliæ, & inducias ciuitatum Longobardarum, sicut inter mediatores conuenerat, bona fide seruaturum, & vt eadem pariter se seruaturos, cuncti iurarent Principes eius, tam Ecclesiastici quam laici, æque præcepit. Idque ipsum iurarunt ex parte Regis Siciliæ, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus & Comes Andrensis; ac pro Longobardis, ipsorum delegati. Deinde decimosexto Calendis Septembris, in Ecclesia S. Marci Alexander Papa vna cum Episcopis ac Prælatis Italis & Germanis SYNODVM celebrauit; in qua iuxta eum residente Imperatore, rursum communi omnium consensu prædicta omnia confirmata fuere; ipseque Pontifex sententiam protulit, vt quicumque ea infringeret, nisi commonitus intra quadraginta dies satisfaceret, excommunicationem incurreret: in schismaticos autem qui nondum resipuerant, anathematis sententiam renouauit. Sed & decimoquinto Calendas Octobris, eandem pacem, tam ipse Imperator, quam eius Principes Ecclesiastici & sæculares literis suis scriptis confirmarunt, quas propriis subscriptionibus & sigillis munierunt. Ac demum Imperator cum suis recessurus, Christianum Archiepiscopum Moguntinum Cancellarium suum reliquit, vt intra tres menses integre restituenda curaret cuncta regalia S. Petri, & possessiones Ecclesiæ Romanæ exceptis bonis Comitissæ Mathildis; quæ licet vna cum aliis ex conuentione pacis restitui deberent, tamen quod ea Imperator ad ius Imperii pertinere contenderet; ne inde pax Ecclesiæ turbaretur, annuit Pontifex vt eligerentur ex vtraque parte viri, quorum iudicio tam ea res definiretur, quam alia tunc primum ab eodem Imp. mota quæstio de Comitatu Bertinori; qui quamuis ab antiquo fuisset iuris Ecclesiæ Romanæ, ac nouissime, dum de pace Venetiis ageretur, eum Comes eius absque liberis decedens eidem Ecclesiæ contulisset, atque ipsius possessionem Alexander per suos apprehendisset; tamen Imperator sui iuris esse assereret. Hisq; ita peractis, idem Imperator post osculationem pedum Pontificis, versus Rauennam & Cesenam profectus est: Pontifex autem circa medium mensis Octobris, habitis à Duce Venetiarum triremibus, Sipontum in Apulia applicuit, atque inde terrestri itinere Anagniam decimono Calendas Ianuarii reuersus est.

CONCIL. VENET. SVB ALEX. PP.

ABSCEDVNT VENETIIS IMP. ET PONT.

VII.

Hactenus ex fusioribus Actis Alexandri Papæ, ab auctore qui aderat conscriptis, pacis confectæ historia, omni sinceritate decursa. Quam etiam testatiorem reddit relatio Romualdi Archiepiscopi Salernitani, quem omnibus interfuisse vidimus Legatum Wilhelmi Regis Siciliæ: qui cunctas res gestas ab eo tempore quo Pontifex Anagnia profectus Venetias se contulit, atque inde rursus Anagniam reuertit, exactissime tamquam à se visas recenset, eodem prorsus modo atque tenore, quo in prædictis Actis recitatur: nisi quod eas Romualdus longe copiosius ac minutius descripsit, multaque alia singularia intexuit, quæ desiderantur in Actis: puta de ingentibus tumultibus Venetiis ortis, cum quidam niterentur Imperatorem eo introducere absque licentia Pontificis; isdemque prudentia Pontificis ac Ducis, & industria ac fortitudine Legatorum Regis Siciliæ sedatis: ac de contestatione Principum Ecclesiasticorum Imperii facta Friderico, cum ipse Clozæ opperiens exitum tumultus Veneti, cũctaretur promissam pacem iurare, de eo derelinquendo, & Pontifici inhærendo, nisi quantocyus promissa impleret: itemque de obsequio ab Imperatore exhibito, cum adueniente in Ecclesiam Pontifice ad Missam solemniter celebrãdam, idem Imp. deposito pallio, virgam manu accipiens, laicos de choro expulit, & viam Papæ tamquam ostiarius præparauit: denique de tractatu pacis, ab Henrico Rege filio Imperatoris, qui tunc cum matre Imperatrice erat in castello Gayuæ, iussu patris iureiurando confirmato. Hæc & alia plura tũc vltro citroq; gesta, dictaque, diffuse prosequitur Romualdus ad finem Chronicorum, quæ conscripsit ab Orbe condito ad sequentem vsq; annum. Extantque insuper apud Rogerium in Annalibus Anglicis, binæ literæ ab Alexãdro Papa scriptæ Venetiis ad Antistites Anglos: de rebus gestis inter ipsum & Imperatorem vsq; ad iuratam Calendis Augusti pacem: quæ cum iisdem eius Actis, & Romualdi narratione, mitam habent consensionem. Estque par credere, ab eodem Pontifice tunc eodem argumento scriptum esse ad diuersos Ecclesiarum Antistites, vt quos mœror de schismate Ecclesiæ deiecisset, optatissimum nuntium eiusdem vnionis erigeret. Reperiuntur enim & aliæ eiusdẽ generis ab eo missæ literæ ad Archiepiscopum Capuanum, & ad Abbatem Cassinensem. Denique eadem plane quæ apud prædictos auctores habentur narrat, sed breuius, Rogerius; qui etsi non fortasse, vt illi, ea vidit quæ scripsit, tamen vt qui eadem vixit ætate, ea quæ sunt eius temporis accurate descripsit.

ALIA EX NARRATIONE ROMVALDI ARCHIEPIS. SALERNIT.

ALEX. AD OMNES SCRIBIT DE CONFECTA PACE.

VIII.

Quibus sic omni oculatorum testium genere certissime stabilitis atque confirmatis, cuncta quæ ab eis discrepant, ab aliis ex auditu relata, mendacia esse penitus conuincuntur. Sterque asserta in Chronico Bessarionis, prioris sententiæ veritas omni contradictione superior, nec labefactetur vllis posteriorum superinductis mendaciis: quorum præterea auctores, cum et nota temporum, & rerum gestarum discrepantia, sibi inuicem aduersentur, vel ex his illorum assertiones procul longe abiiciendæ sunt: ac præcipue illa cæteris magis indecora, qua obtruditur factum illud arrogans, & penitus insuetum, vt humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipse presserit, atque insultauerit verbis illis quæ superius relata sunt. Abhorrens est quippe ab Alexandri mansuetudine turgens fastu facinus; quem summa fuisse animi moderatione, atque benignitate præditum, & omnes eius temporis auctores abunde demonstrant, & satis docetur ex iis quæ de eo iam antea variis locis dicta sunt, dicenturque postea. Siquid autem eiusmodi ab eodem Venetiis in Imperatorem fieri contigisset, quomodo Scriptores illi qui minima quæque summa diligentia prosecuti sunt, quasi ex condicto referre prætermisissent? Sed ne rem sua ipsius inscitia deficientem, nimia exagitatione exuscitemus, iam ad alia transgrediamur.

MENDACIA DE ALEX. FASTV EXPLODVNTVR.

IX.

Post reditum Pontificis Anagniam, subdunt eius Acta, magnam schismaticorum turbam audientes quæ gesta essent, ad eius obedientiam sponte reuersos esse, ac multos intrusos Ecclesias Catholicis Episcopis restituisse: Ridiculum vero Ioannem Antipapam, qui Viterbii morabatur, tanto timore correptum esse, vt occulte Viterbio exiens, tamquam profugus in montem Albanum confugerit ad Ioannem dominum illius castri; eo vero audito, Imperatorem tam eum, quam eius defensores, nisi ad obedientiam Alexandri properarent, Imperiali banno subiecisse. Porro tradit Rogerius in Annalibus, eumdem Antipapam in Concilio Venetiis ab Alexandro habito, de quo dictum est superius, degradatum esse, & ab ipso Imperatore, atque omnibus Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus, deiectum ac reprobatum: pariterque omnes Archiepiscopos & Episcopos & Abbates regni Teutonici, qui ab eo vel eius prædecessoribus Antipapis ordinati fuerant, degradatos esse; & altaria quæ ab eis, siue ab ordinatis per eos dedicata erant, diruta fuisse.

IOAN. ANTIP. AB OMNIB. REIECTVS

X.

Dum autem Alexander adhuc Venetiis esset, quinto Calendas Octobris scripsit epistolam ad Indorum Regem in AEthiopia longe lateque regnantem, quem vulgo nominant PRETEIANNVM, ipse vero Alexander in inscriptione epistolæ vocauit *Sacerdotum Sanctissimum*, titulo ab omnibus ei impendi consueto. Scribendæ autem epistolæ ea occasio intercessit, quod quidam Magister Philippus ipsius Pontificis medicus, ad partes illas peregrinatus, rediisset eorum Principem, alioqui fide Christianum, tamen quod non in omnibus consentiret cum Romana professione, auide cupere de omnibus erudiri, vt in nullo dissentiret à doctrina Sedis Apostolicæ; habereque in Vrbe Ecclesiam, vbi missi ab eo viri prudentes habitare possent, & Apostolica plenius instrui disciplina, quam postmodum in patria sua alios docerent. Rescribens igitur per eundem Philippum Alexander, petiit mitti Romam viros illos, & cunctas ipsius

LEGATIO A PRETIANNO AD ALEX. PP.

Regis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Regis petitiones se effectui mandaturum promisit. Recitat has Pontificis literas Rogerius in Annalibus. Quæ autem secuta sint ista, nos latet; nisi quod siue ab ipso Alexandro, siue ab alio Romano Pontifice, constat Æthiopibus istis regni Prereianni, *Abyssinis* dictis, datam in Vrbe Ecclesiam S. Stephani Protomartyris, vna cum eius habitationibus, sitam post absidem basilicæ S. Petri; quam in hanc vsq; diem possident.

XI. HVGONIS ETHER. SCRIPTA ADVERSVS GRÆCOS.

Idem quoque Pontifex Anagniam rediens, cum esset Troiæ in Apulia, accepit commentarium aduersus Græcos de processione Spiritus sancti, missum ab *Hugone Etheriano*, natione Etrusco, Constantinopoli agente vna cum fratre suo, Leone dicto, qui apud Imperatorem Emmanuelem Interpretis munere fungebatur: quo quidem commentario cuncta argumenta, quæ à Græcis tam antiquioribus quam recentioribus essent aduersus Latinos elicita, egregie confutauit. Porro id præstitit vir doctissimus (vt ipse prætatur in nuncupatoria ad eumdem Pontificem) tum quod gratum esse ipsi Emmanueli nouisset, tum etiam quod fuisset ad id impulsus à nonnullis S.R.E. Cardinalibus. Extat totum egregium opus, vna cum perbreui Alexandri Papæ epistola ad eum rescripta, data Troiæ Idibus Nouembris.

d In Bibl. Patr.

XII. FRID IMP. RELABITVR IN TYRANNIDEM.

Quod autem attinet ad Fridericum Imperatorem; cum is non tam amore concordiæ ductus, quam rerum necessitate coactus pacem cum Pontifice iniisset, mox vt ab eo discessit, ad pristinam perfidiam & contumaciam relapsus, nulla habita ratione repetiti sæpissime iuramenti, diuinis humanisque legibus violatis, cum Cesenam peruenisset, (vt narratur in Actis Alexandri) accedens iuxta Bertinorum castrum munitissimum, de quo superius dictum est, vocatis iis qui pro Ecclesia Romana, ad quam illud multiplici iure pertinebat, custodiebant, petiit vt eius possessione cederent; iisq; respondentibus, haud se absque mandato Romani Pontificis id facere posse, adducto confestim exercitu eos inde expulit; ac postmodum poscenti per Legatos Pontifici eius restitutionem, penitus recusauit. Quam iniuriam Alexander, ne pax solueretur, dissimulauit.

XIII. LEGATIO IN NORTHMANN.

Hoc eodem anno tradit Rogerius, missum esse ab Alexandro Pontifice Legatum in Northmanniam, Petrum Cardinalem S. Chrysogoni, qui vniuersam Regis Angliæ ditionem interdicto subiiceret, nisi is permitteret Richardum filium suum Comitem Pictauiensem ducere vxorem Alesiam filiam Regis Francorum, quam ipse Rex Angliæ iam diu, & vltra quam inter eos conuenerat, in sua custodia retinuerat. Regem autem appellasse ad Pontificem; & colloquio cum Rege Christianissimo habito, inter eos certis conditionibus concordiam initam esse.

XIV. Saxo Gr. lib. 14. in fi.

Hoc item anno, quo Fridericus subiecit se Pontifici (vt tradit Saxo Grammaticus) idem Pontifex Legationem in Daniam misit, ea occasione, quod cum Eschillus venerãdus senex, Lundensis Ecclesiæ metropolitanæ præfectura, & Apostolicæ Sedis Legatione diu dignissime perfunctus; obtenta demum ab Alexandro missione, cum facultate transferendi Archiepiscopatum & Legationem in quem vellet, vt sic post labores ipse sibi vacans, in habitu & obseruantia Regulæ Cisterciensis expectaret diem sui transitus; idem omnium consensu, geminæ præfecturæ onus in Absalonem Roschildensem Episcopum omnium laudatissimum refudisset, hicque penitus abnuens suam Ecclesiam deserere, quam immensis laboribus excoluisset à iuuentute, contra vrgentium importunitatem opus habuisset ad remedium appellationis confugere. Missis ergo vtrimque ad Alexandrum Papam Nuntiis, ita ipse contrarias eorum petitiones conciliauit, vt Absalonem Lundensem Archiepiscopatum assumere iusserit, & Roschildensem administrare permiserit; misso ad hoc Legato, qui cuncta rite componeret. Rem gestam narrat Saxo pluribus. Hic vero primum tẽtatum, vt duo vni à Sede Apostolica traderentur Episcopatus; quod semel ex causa præsumtum, male apud complures transiit in exemplum.

ABSALON RECVSAT MAIOREM ECCLESIAM.

DVO EPISCOPATVS VNI TRADITI.

XV.

Sed claudat huius anni periodum elegans historiola, diplomatibus Pontificiis comprobata, de admiranda Pontis Auenionensis structura perneccssaria super Rhodanum fluuium rapidissimum, non agros tantum alueo proximos corrodentem, sed homines plurimos absorbentem. Hoc igitur anno Christi millesimo centesimo septuagesimo septimo, pastoritius puer nomine *Benedictus*, vulgo *Benezet*, duodecim annos natus, dum pasceret maternum gregem apud Almilatum oppidum antiquæ Burgundiæ; tergemina Iesu Christi compellatione admonitus est pontem facere in Rhodano. Puer expaueſcens, primum negauit se posse ouium custodiã deserere, vel tantæ prouinciæ, cum inops esset, satisfacere: deinde cum Christus curam gregis, omniaque ad opus necessaria pollicitus esset, accingẽs se itineri, ac in Angelũ eiusdem habitus incidens, tali duce tridui itineris spatium tribus horis emẽsus est. Viso vero Rhodano, rursum à suscepto deterritus, ab eodem Angelo confortatus est: eoq; recedente, puer transmittens fluuium, & Auenionem ingressus, in media Episcopi concione clamauit, se missum esse à Christo vt pontem eis in Rhodano faceret. Qua voce populo in risum conuerso, pueroque ab Episcopo coram vrbis Præposito sisti iusso, monuit puer Præpositum in structuram pontis aliquid largiri. Cui ille, *En tibi*, inquit, *saxum ingens in atrio meo, sustolle in humeros, habebis fortasse vnde tui pontis queas aliqua fundamenta ponere, tum te id posse intelligam*. Puer, *Feram*, inquit, *saxum*: & accersito Episcopo ac ciuibus, cui ferendo non forent triginta homines (erat enim longitudinis tredecim pedum, latitudinis septem) expedite humeris portabat, fundamentũ futurum tantæ molis. Quo prodigio ciuitas vniuersa stupefacta, Præpositus venia erroris petita, primus trecentos solidos pro ponte largitus est, atque eius exemplo alii in limine ad quinq; millia nummorum contulerunt, vnde cœpit pons ædificari. Perfectumque est tandem opus mirandum, dignũ præconiis Pontificum Romanorum celebrari. Extat enim diploma Innocentii Papæ Quarti in Concilio Oecumenico datum, apud Paradinum in Historia Lugdunensi, vbi hæc res gesta narratur: additurque absoluto ponte Benedictum Romam petiisse: redeuntem vero, Luduni alium pontem cũ xenodochio ædificasse, ac miraculis claruisse, & sancto demum fine quieuisse. Porro tantæ rei veritati non solum Innocentii Quarti, sed & Clementis Quarti, & Quinti, Bonifacii Octaui, & Ioannis Vigesimisecundi diplomata adstipulantur; præter alia plura publica monimenta, omni fide munita.

AVENION. PONTIS STRVCTVRA MIRABILIS.

IESV CHRISTI AN. 1178.

ALEXAND. III. AN. 19.

FRIDERICI 24.

MANVELIS 36.

I. ALEXAN. PP. RÉGRESSVS IN VRBEM.

ANno Christi millesimo centesimo septuagesimo octauo, Indictione vndecima, Alexander Pontifex à Clero, Senatu, Populoque Romano; rogatus in Vrbem redire, eo accessit quarto Idus Martii, & cum ingenti lætitia & honore receptus est ab omnibus; cui & Senatores olim refractarii, fidelitatem & homagium fecerunt, & regalia ab eis occupata restituerunt. Narrat hæc pluribus codex Vaticanus Actorum eius, qui hic desinit. Addit vero Romualdus Archiepiscopus Salernitantus, Ioannem de Struma Antipapam, reatum suum agnoscentem, montem Albanum deseruisse, & apud Tusculanum quarto Calendas Septembris huius ipsius anni, ad pedes Alexandri cum quibusdam suis Clericis se proiecisse, & in conspectu Cardinalium, aliorumque multorum, peccatum publice confessum esse, & veniam petiisse: Alexandrum autem pro solita & innata sibi mansuetudine, non solum non obiurgasse, sed benignis verbis suscepisse, atque inde eum in Cura & mensa sua honorifice habuisse. Post quæ narrata, & ipse quoque Romualdus finem suæ imponit Historiæ.

IOA. ANTIP. POENITENTIA.

II.

Eodem anno Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Anglorum, audientes hæreticos *Tolosanos*, siue *Albienses* dictos, de quorũ erroribus & damnatione dictum est superius, magis in dies crescere; zelo Christianę fidei accensi, iuctis simul dexteris, statuerunt illuc cum armatis militibus se conferre, vt eos prorsus à finibus illis expellerent: sed paulo post mutato consilio, satius visum est, rem per Ecclesiæ ministros

ALBIENSIVM HÆ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

RET TENTATA ITERVM CONVERSIO.

nistros verbi prædicatione agere. Quamobrem miserunt ad eos, vna cum Petro Cardinale presbytero tituli S. Chrysogoni Apostolicæ Sedis Legato, Archiepiscopos Bituricensem & Narbonensem, Episcopos Bathonensem & Pictauiensem, atque Abbatem Claræuallensem, & alios multos viros Ecclesiasticos, vt prædicatione sua hæreticos illos ad fidem Christianam conuerterent, vel rationibus probabilibus hæreticos esse manifestarent, & à communione Ecclesiæ ac Fidelium consortio eicerent. Insuperque elegerunt Raimundum Comitem Tolosanum, & Vicecomitem de Turena, aliosque viros potentes, vt Cardinali ac collegis eius assisterent, & prædictos hæreticos abiis finibus vi expellerent. Tradit ista Rogerius in Annalibus; vbi & res in hac legatione gestas accuratissime describit: ex quo nos quædam præcipua referemus.

III.

Cum igitur legati Tolosam aduenissent, & ab Episcopo, & Clero, ac Consulibus, & ciuibus Catholicis illius vrbis, iuramentum exegissent de reuelandis hæreticis quoscumque nossent, & in singulos dies innumera multitudo deferretur; imprimis delatus est quidam diues grandæuus, *Petrus Moranus* nominatus, qui cum in ea vrbe ceterorum antesignanus esset, Ioannē Euangelistā se esse iactabat. Qui interrogatus, cū in omnib. articulis inuētus esset fidei Catholicæ contrarius, atque inter cetera impie negaret, panem sacerdotis ministerio in verbo Domini consecratum, esse Corpus Domini; ab omnibus hæreticus damnatus est, eiusque bona proscripta, & turres pulcherrimæ, hæreticorum conuenticulis infamatæ euerti iussæ. Quod audiens Petrus, veniam erroris petiit, ac publice coram omnibus pristinas hæreses abiurauit: sed in pœnitentiam coram vniuerso populo in Ecclesiam S. Saturnini nudus & discalceatus adductus est, cedentibus hinc inde eum ab ingressu Ecclesiæ Episcopo Tolosano & Abbate S. Saturnini, donec ad pedes Cardinalis Legati solemniter Missam celebrantis, in ipsis altaris gradibus constitueretur: vbi Ecclesiasticis reconciliatus sacramentis, rursum abiurauit omnem hæresim, & hæreticis anathema dixit: aliaque ibidem ei pœnitentia iniuncta est, nimirum vt intra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet, in seruitio pauperum Hierosolymis triennio moraturus: atque interim singulis diebus Dominicis, ecclesias vrbis Tolosanæ nudus & discalceatus, cum disciplinalibus virgis circuiret; ecclesiarum bona quæ abstulerat redderet; vsuras omnes quas acceperat restitueret; damna pauperum quos afflixerat resarciret; domino suo Comiti Tolosano quingentas libras argenti daret; ac turres eius in testimonium hæreticæ prauitatis ab ipsi fundamentis euerterētur: si vero post triennium à peregrinatione Hierosolymitana rediret, tunc rel qua eius bona, quę interim proscripta remanerent, ei redderentur.

PETRI MORANI PRINCIPIS HÆRET. CONVERSIO, ET POENITENTIA INIVNCTA.

IV.

His ita gestis, multi alii hæreticiti mentes similia pati, venientes ad Legatos, confessi errorem misericordiam consecuti sunt, alii vero hæresim occultantes, Catholici videri voluerunt; sed quod abnuerent iurare, se ita corde credere sicut ore confitebantur, rursum hæretici conuicti, cum in obstinatione perseuerarent, publice accensis candelis excommunicati sunt: præceptumque est Fidelibus eos vitare, & Principibus eosdem è terris suis expellere. Narrat hæc hæc pluribus, vt diximus, Rogerius: qui etiam litteras recitat scriptas de iisdem rebus gestis à Petro Cardinale Legato ad vniuersos Christi Fideles: itemque publicam declamationē aduersus eosdem hæreticos, Henrici Abbatis Claræuallensis qui adest: qua cum cetera exacte recenseat, habet insuper, in Legatorum aduentu ad vrbem Tolosanam, tantam fuisse hæreticis vbique licentiam, vt ipsos quoque Legatos per vicos & plateas subsannarent verbo, digito demonstrarent, & apostatas, hypocritas, atque hæreticos conclamarent, sed mox prædicationibus eorumdem Legatorum conterritos quieuisse, & censuris penitus deiectos fuisse: porro Albiensem diœcesim velut totius sentinā malitiæ, totam in se colluuionem hæresis illuc defluentis excepisse; eiusque Principem Rogerum cum ob eamdem hæresim, tum quod Episcopum Albiensem sub custodia hęreticorum in vinculis detineret, publica excommunicatione damnatum esse. At de his hæreticis modo satis; aduersus quos fuit etiā post hac diutius laborandum.

EORVM PROCACIA.

IESV CHRISTI AN. 1179.

ALEX. III. AN. 20.

FRIDERICI 25.

MANVELIS 37.

ANno Christi millesimo centesimo septuagesimo nono, Indictione duodecima, vniuersa Catholica Ecclesia pace gaudente, Alexander Papa ad expugnanda mala, quæ siue per schismatios, siue per alios irrepsissent, GENERALEM SYNODVM *Romæ* in Ecclesia *Lateranensi* celebrauit; ad quam præter omnes vbique Occidentales, vocauit etiam Orientales ex Syria & Palæstina Latinos. Testatur enim id, qui inde cum aliis venit, Wilhelmus [a] Archiepiscopus Tyri: cuius etiam assertione (vtpote qui interfuit, &, vt ait, rogatu Patrum, statuta Synodi, & Episcoporum nomina, numerum, & titulos descripsit) eos omnes erroris arguas, qui non anno præsenti, sed sequenti celebratam, ad ducentos tantum & octoginta Episcopos interfuisse scribunt. Siquidem ipse affirmat eam habitam esse anno Christi millesimo centesimo nono, Pontificatus Alexandri vigesimo, Indictione duodecima, die quinta mensis Martii; atque ei interfuisse trecentos Episcopos. Ad hos autem vndique colligendos, tradit Robertus, & ipse huius temporis auctor, missos fuisse ab Alexandro subdiaconos ad Orientem, & Occidentem, & Meridiem, & Septentrionem. Recenset que Rogerius eos qui ex Anglia, Scotia, & Hibernia Romam accesserunt. Quinetiam schismaticos inuitatos esse Græcos, iussumque ab Imperatore Emmanuele eo accedere Georgium Metropolitam Corcyræ, magnæ inter eos tūc famę virum, sed cum ægrotasset Brundusii, ab eodem Imp. reuocatum esse; constat ex eius ea de re scriptis eo tempore ad Fridericum Imp. (quem etiam iussus fuerat salutare) aliosque, literis. [b] Cuius munus expleuit in Synodo Nectarius Abbas; de quo dicendum inferius.

I. CONCIL. GENER. LATER. SVB ALEX. PP. III.

[a] *Tyr. de Bel. Sacr. l. 21. cap. 26. in fi. Ap. Baron. an. super. quo indicta est Concilium.*

GRÆCI INVITATI AD SYN.

[b] *Roc. Ber. an. super. in cod. Fœder. Matth.*

Sed quod ad Acta Synodi pertinet; sentiet quoque Lector, mendacissimum esse titulum inditum Concilii Romani nomine collectioni canonum incerti auctoris, qui primo posuit eiusdem Alexandri Papæ decreta, sancita in eodem Lateranensi Concilio, numero viginti septem: reliquæ enim eiusdem voluminis sectiones quæ sequuntur, (continet enim eas numero quinquaginta) ex diuersorum Pontificum decretis collectæ noscuntur, atque etiam nonnullorum qui post Alexandrum vixerunt. Nam & Rogerius huius temporis scriptor, dum de hoc agit Romano Concilio, affirmat cœptum esse tertio Nonas Martii, tribusque distinctis diebus absolutum; cuius & decreta recitat. Ex quibus plane intelligitur, summa diligentia eumdem Pontificem inuigilasse, vt deperderet deciuitate Domini omnes operantes iniquitatem; simulque omnes quæ in disciplinam Ecclesiasticam irrepsissent corruptelas, insurrexissent prauæ consuetudines, irrupsissent ex tyrannorum violentia seruitutes & oppressiones, è medio tolleret; oborta sque recens hæreses, siue veteres male curatas latius propagatas excideret; atque insuper cohiberet fastum & auaritiam Ecclesiasticorum; aliaque id genus, quæ dictis viginti septem capitibus continentur.

II.

GESTA IN SYNODO.

In quibus primum obtinet locum, quod ad auertenda quæ imposterum possent oboriri schismata, statutum est, vt non haberetur Romanus Pontifex, qui non à duabus partibus Cardinalium esset electus. Secundo vero loco damnauit ordinationes omnes habitas à Schismaticis Pontificibus Octauiano, Guidone, & Ioanne. Et quod ad historicam pertinet rationem, vigesimo septimo, eodemque vltimo decreto, hæreticos qui in Guasconia, Albigesio, & partibus Tolosanis errores suos publicantes, ab aliis *Cathari*, ab aliis vero *Patareni*, aut etiam *Publicani*, vel aliis nominibus appellarentur, vna cum ipsorum fautoribus, vel receptoribus, aut qui cum eis negotiationem exercerent, excommunicauit; & si in eo peccato decederent, omnino prohibuit ne quocumque prætextu vel occasione inter Christianos haberent

III.

DE HVIVS TEMPORIS HÆRETICIS.

rent sepulturam, aut oblatio fieret pro eis. Iisdemq; pœnis subiecit grassatores, quos nominat, *Brebantiones, Aragonios, Navarros, Basculos, Coterellos, & Triaverdinos*, qui more Paganorum ita debaccharentur in Christianos, vt nec sexui, nec ætati, nec conditioni, nec locis sanctis vel profanis parcerent: contra quos armis agendum admonet; eorumque bona à Principibus in fiscum redigi, ipsosque seruituti subiici concedit: illis autem qui aduersus eos arma sumerent, Indulgentiam peccatorum, secundum modum laboris, ad Episcoporum discretionem largitur: atque eos qui Episcoporum admonitionibus in his parere contemnerent, excommunicationi subiacere decernit: ipsos vero Episcopos & presbyteros, qui se in eis negligentes exhiberent, officij sui priuatione mulctat. Porro eiusmodi grassatorum turbæ, haud sub Alexandro cœptæ: nam & longe ante fuit Petri *c* Cluniacensis ad Eberardum Magistrum Templariorum exhortatio, vt eos exagitaret; aliaque ad Eugenium Papam epistola *d*, cuius etiam extat *e* aduersus eosdem constitutio.

INDVLGÊTIA INSECVTORIBVS DATVR.

c Pet. Clun. 6. ep. 27. d lib. ep. 28. e Sub tit. Cle. Later. sub Alex. par. 3. 4. ca. 1.

IV.

In hoc eodem Concilio, Episcopi illi Germaniæ, & alii qui contra Alexandrum secuti fuerant schismaticum Imperatorem, veniam supplices postularunt, hac forma præscripta *f*; *Ego N. anathematizo, & recuso omnem hæresim extollentem se aduersus Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, præcipue vero schisma Octaviani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico, & modo & in antea me obediturũ iuro, & promitto fidelitatẽ S.R.E. & domino meo Alexãdro, & successorib. eius intrãtib. ipsiq; seruiã absq; omni malo ingenio cõtra omnẽ hominẽ secundũ ordinem meũ. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mãdauerit, vel ipse commiserit, null. hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expensis. Sic me Deus adiuet, & hæc sancta Euangelia.* His vero verbis dabantur ipsis Pallia: *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & in honorem Dei Genitricis, & in honorem Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & domini Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium sumptum de beatissimo corpore Petri Apostoli, vt eo vtaris in confectione Sacramentorum, & Corporis & Sanguinis Domini, & consecratione ecclesiarum, & Chrismatis, & Ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum secundum Ecclesiæ tuæ consuetudinem.* Inter alios vero Hertoldus *g* Electus Bremensis, vir insignis literaturæ, tunc ab eodem Pontifice repulsam consecrationis suæ passus est, eiusque electio penitus irrita est reddita, quod inter alia, quando electus est, nondum in sacris esset ordinibus constitutus, & ante eosdem sacros ordines accepisset regalia de manu Imperatoris.

f FORMA ABIVRATIONIS SCHISM.

FORMA TRADITIONIS PALLII

g Helmold. Chron. l. 2. c. 18. Albert. Stad. in Chron. Cantz. l. 12. c. 7. cap. 4.

V.

Inter cetera quoque in hac Synodo gesta, delata accusatione à quibusdam aduersus *Petrum Lombardum* olim Episcopum Parisiensem, quod male sensisset de Christi humanitate; Alexander Papa scripsit ad Willelmum Archiepiscopum Senonensem, vt conuocatis Parisios coepiscopis suis, vna cum magistris in Theologia, eius condemnaret errores. Qua de re iam dictum est superius in eiusdem Lõbardi obitu. Pertinetque insuper ad huius Synodi Acta, quod Græcorũ schismaticorum Legatus *Nectarius* Abbas monasterii Casulorum in magna Græcia constituti, qui videbatur ceteros eiusdem schismaticæ factionis excellere doctrina & animositate dicendi, eadem qua venit animi obdurata peruersitate, inflexus post prolixas disputationes est reuersus ad suos, à quibus tamquam in Olympiacis victor est receptus. Hoc enim significant literæ *h*, quas ad ipsum tunc temporis dedit Georgius Corcyræ Metropolita, & ipse eadem schismatis & errorum fuligine tinctus

NECTARIVS GRÆCVS REFRACTARIVS IN SYN. ROM.

h Rec. Bar. hoc an. et seq.

VI.

Eodem anno recentem suũ Martyrem Deus magis illustrare volens, cum Philippus filius Ludouici Francorum Regis ægrotaret ad mortem, ipsius patrem Ludouicum in somnis admonuit, vt si vellet filium sanari, deuota peregrinatione adiret B. Thomam Cantuariensem. Qui petita ab Henrico Rege Angliæ securitate, transfretans in Angliam vndecimo Calendas Septembris, Cantuariæ ad sepulchrum Martyris obtulit ingens vas aureum, aliaque dona & privilegia in Regno suo illius ecclesiæ monachis in perpetuum contulit. Mox vero septimo Calẽdas eiusdem mensis reuersus in Gallias, reperit filium suum integræ sanitati restitutum: quem & Calendis Nouembris fecit Rhenis coronari in Regem, conuocatis ad hoc in eam ciuitatem cunctis Regni Episcopis & Principibus; cui tamen solemnitati haud ipse Ludovicus pater interesse potuit, quod cum ab Anglia rediens, ad Beatum Dionysium iter arriperet, subito percussus frigore incidens in paralysim, vsum dexteræ partis sui corporis amisisset. Narrat hæc pluribus Rogerius in Annalibus.

PEREGRINATIO REG. FR. AD SEPVLCHRVM S. THOMÆ CANTVAR.

Hoc eodem anno Alphonsus Primus, Dux Portugalliæ, ab Alexandro Papa titulum Regis accepit, ob res aduersus Saracenos præclare gestas. Qui cum iam antea sub Lucio Secundo Romano Pontifice, vt vidimus, Ducatum suum vectigalem fecisset Romanæ Ecclesiæ sub annuo censu vnciarum auri quatuor; rursum hoc tempore noua dignitate insignitus, obtulit Regnum suum eidem Ecclesiæ, sub cuius iugiter protectione consisteret, persoluturum in perpetuum annis singulis loco census duas auri marchas. De quibus extat diploma eiusdem Alexandri Papæ in Turri de Tombo dicta, in qua alternantur monimenta Regum, datum hoc Redemptoris anno, & ipsius Pontificis vigesimo. Estque de iisdem mentio in epistolis Innocentii *i* Papæ Tertij, scriptis ad Sanctum, & alterum Alphõsum, filium, ac nepotem prædicti Alphonsi Primi.

VII. DVX PORTVGAL. AVCTVS REGIS TITVLO.

i Inn. Tert. l. ep. 144. 151. 152. Recitatq; alias ex monimẽtis Vatic. Barõ. Ann. Tom. XII. hoc an.

Hoc eodem anno, Indictione duodecima, data reperitur *k* Constitutio Theodosii Patriarchæ Constantinopolitani de gradibus affinitatis, scripta à Theodoro Balsamone tunc Chartulario eius Ecclesiæ; vt ipse testatur in fine. Ex quibus etiam discas, quo tempore idem *Theodosius* sederit.

VIII.

k Ext. lib. 3. Iur. Orient.

IESV CHRISTI AN. 1180.

ALEXAND. III. AN. 21.

FRIDERICI 26.

MANVELIS 38.

I.

ANno Domini millesimo centesimo octogesimo, Indictione decimatertia, innotuit quiddã mirandum de Prophetissa, quæ ex Gallijs Romam accessit. Rem gestam narrat Robertus, eius temporis testis fidelis; quamuis, sicut in plurimis, anni vnius errore, quod hoc anno (nẽpe sequenti post Concilium Lateranense) factum contigit. eius qui hunc sequitur numero notetur. Cum igitur (vt ait) in loco dicto Rocca Amatoris, monachi ecclesiæ S. Mariæ & S. Amatoris, mutuo accepissent pecuniam à prædiuite quodam homine, sub pignore cortinarum ecclesiæ; & adueniente festo Beatissimæ Virginis, rogassent eum vt cortinas tantum ad ornandam eo die ecclesiam accommodaret, statim post solemnitatem ei restituendas; ille vero nulla prece flexus, respondisset cum tumore animi, eas esse circa lectum vxoris suæ, quæ nuper ei puerũ pepererat, nec posse inde amoveri; sicq; die festo ecclesia ornatum suũ non habuisset: nocte sequenti apparens Dei-Genitrix vxori illius diuitis, significavit virũ eius grande peccatum commisisse, & in eius pœnam primo puerum tertia die spiritum exhalaturũ, deinde patrem octaua die hanc temporalem vitam & felicitatem morti ac supplicijs æternis commutaturũ: *Tu vero (inquit) proficiscere ad meã ecclesiam, quæ est in Bethleem, & circumspectis ibi tribus sepulchris, quorum duo extrema vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrũ. Interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret abore tuo & naribus sanguis multus, & vsque ad horam nonam sabbati veluti mortua permanebis: sabbato vero spiritu redeunte, duces vtrasque manus super faciem tuam, & continuo pristinus color & fortitudo in te redibunt.* Hæc locuta B. Maria abscessit: mulier vero somnium viro narrauit; miserque non adhibens fidem, neque etiam expitante filio de pœnitentia cogitans, die octaua mortuus est; ac mulier in se cœpit experiri quæ prænuntiata essent. Quare Romam proficiscens, cuncta Summo Pontifici retulit; addiditque brevi sæviss imam ibi futuram famem, nisi à pravitatib. suis resipiscerent. Pontifex autem experturus an ipsa verum mentis excessum

PROPHETISSA ROMÆ INNOTESCIT.

AVARI SACRILEGI DAMNATIO.

ALEX. PP. PROBAT SPIRITVM SIBI EX DEO SIT.

pateretur, vnde diuinas reuelationes acciperet; præcepit duodecim nobilibus matronis, vt cum illa obdormiret per exstasim, plantis eius calentes subulas infigerent, & sanguine ab ore defluente vestes suas inficerent. Factum est; & illa non subularum sensit infixiones, & infectio sanguinis redeunte in mulierem spiritu protinus euanuit. Hæc Robertus: quæ sicut certa, ita veritati inuenta sunt consentiétia. Fuit enim semper in Ecclesia prophetia, iuxta illud Ioelis *a*; *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & Prophetias non esse spernendas*, Apostolus *b* monuit.

a Ioel. 2.

b 1. Thess. 5

II. SCHISMA IN ECCL. SCOTORVM.

Hoc eodem anno, cum Ecclesia in Scotia inter se scissa esset occasione electionis primarij eius Regni Antistitis, nempe Episcopi S. Andreæ, quod defuncto qui eam sedem tenebat, Canonici elegissent ei successorem Ioannem cognomento Scotum, & Willelmus Rex Hugonem Capellanum suum, quem etiam consecrari fecit contra Ioannis ad Sedem Apostolicam appellationem: his auditis Alexander Papa, ad res componendas Legatum misit Alexium Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum. Qui cum post exactissimam causæ cognitionem, comperisset Ioannem canonice fuisse electum, & Hugonem violenter intrusum; deposito Hugone, Ioannem confirmauit, ac permittente Rege consecrari fecit. Sed cum Rex statim post consecrationem, prohibuisset Ioannem in Regno morari, & Hugo non minus gereret se pro Episcopo; Legatus Episcopatum S. Andreæ subiecit interdicto: eiusq; sententiam confirmans Alexander, scripsit ad vniuersos Episcopos & Clerum Scotiæ, vt omnino Ioannem in suam Ecclesiam introducerent, etiam si Rex aliud vellet: Deo enim & S.R.E. magis obediendum esse, quam hominibus. Idemque Legationem Scotiæ committens Rogero Eboracensi Archiepiscopo, mandauit ei, vt vna cum Hugone Dunelmensi Episcopo, sententiam excommunicationis proferret in Regem, & regnum illius interdiceret, nisi permitteret Ioannem sedere in pace: eodemque tenore ad ipsum Regem literas dedit. Quare cum Rex obedire detrectans mandatis Apostolicis, expulisset è regno Ioannem, prædicti Rogerus & Hugo, vna cum Alexio Legato, sententiam excommunicationis in Regem protulerunt, & interdicti in Regnum. Cumque Rex Nuntios misisset ad Alexandrum, vt pro bono pacis concederet fieri sedium commutationem, nempe vt Ioannes S. Andreæ Ecclesiam dimitteret, acciperetque aliam quam vellet in Scotia; numquam id ei Pontifex concedere voluit. Atque hæc ita viuente Alexandro hoc & sequẽti anno sunt gesta; quæ fusius narrantur à Rogerio in Annalibus: Quæ autem ista secuta sunt, dicentur sub Alexandri successore Lucio.

REX SCOT. EXCOMMVNICATVR A LEGATIS SED. A. POST.

III. REX POL. SVA STATVTA PETIT CONFIRMARI A SEDE APOST.

Hoc item anno Rex Poloniæ Casimirus (quem Ducem vocant) cum quasdam Constitutiones in vtilitatem Ecclesiæ ac pauperum, de consilio Antistitum ac Procerum Regni sui sanciuisset; easdem singulari deuotionis erga Sedem Apostolicam exemplo, Romam ab Alexandro Papa confirmandas misit: quod Alexander præstitit, gratiis etiam actis, quod pestifero durante schismate, nationibus & regnis vicinis aut claudicantibus, aut obedientiam Antipaparum profitentibus, Poloni constanti perseuerantia ab Alexandri obedientia non discessissent. Hæc Longinus canonicus Cracouiensis. Sicut & hoc pariter anno tradit Rogerius, Henricum Regem Angliæ pias valde leges Ecclesiæ rebus fauentes condidisse, quibus abstersit quas contraxerat olim maculas impugnando Ecclesiasticam libertatem.

IV. ALEX. PP. PROCVRAT EXPEDIT. IN TER. SANCT. IMP. CONST. TIMET SIBI A FRANCIS

Quo etiam anno, cum perlatum esset nuntium è Terra Sancta de Saladini tremenda expeditione aduersus ciuitatem Hierosolymitanam; mox Alexander Papa scribens ad vniuersos Christianos Principes, populosque, & Catholicæ communionis Antistites, eosdem ad subsidium Fidelibus Orientalibus ferendum, procurandumque hortatus est: cuius ea de re scriptas literas Rogerius in Annalibus recitat; additque, confestim Philippum Regem Franciæ, & Henricum Angliæ, promisisse eis breui subuenire. Quo tempore Manuel, siue Emmanuel Imperator Constantinopolitanus, timens ne in suum Imperium aliquid in transitu Franci molirentur, rogauit Alexandrum Pontificem, vt securitatem ei à *Protonobilissimo* (vt vocat) *Rege Francorũ* procuraret, mitteretq; cum eius exercitu aliquem Cardinalem, cuius reuerentia milites compescerentur. Extat eiusmodi Manuelis epistola in collectione antiquorum diplomatum, facta per Benedictum Papam Duodecimum. Sed quod Philippum, Regem Francorum nominauimus; cœpit ipse hoc anno solus regnum administrare, cum Ludouicus ipsius pater decimoquarto Calendas Octobris ex hac vita migrasset. Petrus autem S.R.E. presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni Sedis Apostolicæ Legatus, eumdem Philippum cum Rege Anglorum strinxit perpetuo pacis fœdere: vt pluribus refert Rogerius.

Transisse vero & ipsum Manuelem Imp. hoc anno pridie Nonas Octobris ex hac vita, tradit Willelmus Tyrius: qui hoc elogio eum ornat, quod eius eleemosynas, & beneficia largissima, enarratura sit omnis Ecclesia Sanctorum. Habet vero etiam Nicetas, eumdẽ in obitu monasticũ sumpsisse habitum, sicque publice pœnitentem decessisse. Insuperque, ab eodem paulo ante obitum, curatum indici à Patriarcha Constantinopolitano Concilium, ad differendas quasdam quæ emerserãt in causa fidei quæstiones. Ad quod cum vocarentur vndique viri doctissimi, inuitatum fuisse etiam inter alios longe positos Georgium Metropolitam Corcyræ, docent eius ad Patriarcham redditæ *d* literæ. Sed Concilium intercepit obitus Manuelis. Cui successit in Imperio, ipsius filius ALEXIVS Comnenus Porphyrogenitus, adhuc puer.

V. MANVEL. IMP. OBIIT VS.

d Rec. Bar. ibid. ex cod. Fedor. Mett.

ALEX. COMN. IMP.

VI.

Quo pariter anno (vt addit Tyrius) Amalricus Patriarcha Latinus Hierosolymorum, anno vigesimo secundo suæ sedis defunctus est; successorque ei datus *Heraclius* Cæsarien sis Archiepiscopus.

IESV CHRISTI AN. 1181.

ALEXAND. III. AN. 22.

FRIDERICI 27.

ALEX. COMN. 1.

I. ALEX. PP. COGIT FILIVM REGIS ANG. RENVNTIARE EPISCOPATVI.

ANno Christi millesimo centesimo octogesimo primo, Indictione decimaquarta, Alexandro Papæ agendum fuit aduersus Gaufredum secundogenitum Regis Angliæ, eo quod electus cum fuisset ad Episcopatum Lincolniensem, ipse tamen minus quæ essent curæ Episcopalis cogitaret. Quamobrem (vt loquitur Rogerius hæc narrans) districtius in mandatis dedit Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, vt omni occasione & excusatione postposita, Gaufredum Ecclesiastica censura compelleret electioni suæ renuntiare, vel sine dilatione ordinem sacerdotis, & pontificalis officii dignitatem recipere. Gaufredus igitur in arcto positus, consideransque se tantæ administrationi minime posse sufficere, maluit ab Episcopalibus abstinere, quam onus importabile sibi imponere. Hæc Rogerius.

II. EIVS OBITVS.

Hoc eodem anno, sexto Calendas Septembris (siue, vt alii, duodecimo Calendas Octobris) *Alexander* Papa, post sui Pontificatus dignissimam functionem, ex hac vita migrauit, cum sedisset annis viginti duobus, minus decem diebus. Extabant totidem libri Epistolarum eius, quot numerati sunt anni Pontificatus: Citatos enim à Collectoribus Decretorum inuenimus libros decimumtertium & decimumquartum: sed omnes periisse dolemus, licet siue in Collectionibus decretorum, siue in aliis voluminibus diuersorum auctorum, multa sint reperire eiusdem Pontificis monimenta. Testaturque Henricus de Gandauo libro de Viris Illustribus, ipsum Alexandrum collegisse seorsum in volumen vnum suas à se datas Epistolas Decretales, quod *Consulta Alexandri* voluit nominari: sed nec ipsum inuenitur. Quod autem legitur in Decretalium collectione Gregorii Noni de Reliquiis *a* & veneratione Sanctorũ, eiusdẽ Alexandri fragmentum epistolæ, penes omnes canonum doctores vulgatissimum; vbi agens de quodam homine in potatione & ebrietate occiso, tamquam sancto à nonnullis culto, omnino prohibet eum colere, *cum si per eum* (inquit) *miracula fierent, non liceret ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari*: quod sciamus in his magnopere laborare Interpretes, ad ipsorum elucidationem, aliqua

a c. 1. audiuimus.

RESCRIPTVM DE VENERATIONE SANCT.

historice afferemus, quæ aperiant germanũ eorum sensum. Atque illud imprimis, dum ait, etiam præuiis miraculis non licere aliquem coli pro Sancto absque auctoritate Romanę Ecclesię; vtique non priuatum, sed excludere voluisse publicum illum cultum, quem Ecclesia consueuit Sanctis probatis deferre. Siquidem & ipsius Alexandri tempore, ipsoque non solum non prohibente, sed & gaudente, priuatum exhibitum constat S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, antequam canonizaretur: cui postea ab eodem Pontifice solemni ritu sancitus est publicus ille, qui nonnisi post canonizationem impendi consueuit. Ceterum neque etiam priuatũ debitum fuisse illi in ebrietate occiso, puto voluisse intelligere, etiam si (vt ait) per eum miracula fierent, hoc est, facta dicerentur. Extat enim epistola Arnulphi Lexouiensis Episcopi ad ipsum Alexandrum Papam scripta, vbi referens ingentem dissolutionem monachorum cœnobii Gristani, qui inter alia mutuis inter se vulneribus sæpe confligebant, ac nihilominus vt miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis sæcularium personarum frequentes inuitarent accessus, sanitatis remedia, per aquam certis carminibus incantatam promittebant; ait, nouissime Procuratorem monasterii ebrium in refectorio super cœnam duos de Fratrib. cultello percussisse, eumdemque ab eis incontinenti pertica, quam casus obtulit, interfectum esse. Quidnam vero ad hæc rescripserit Alexander, non reperitur. Sed illud satis exploratum habetur; cum ille procurator in ebrietate necatus, Martyris titulo impudenter ab illis miracula affectantibus coleretur; delatis his ad Alexandrum, ne id fieret literis Apostolicis omnino prohibuisse, ex quibus decretum illud Gregorius Nonus intexuit suæ Collectioni.

CONSVLTATIO EPISC. LEXOVIEN.

III. ORDO CARMELITANORVM.

Sub isto quoque Alexandro, constantior esse videtur assertio, Ordinem Religiosorum CARMELITANORVM, qui in Palæstina in ipso Carmelo monte fixere sedes, sumpsisse originem. Quorum quidem promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente Legatione Apostolicæ Sedis, Haimericus Patriarcha Antiochenus: qui considerans complures, qui ex Occidente venerant acturi in Terra Sancta vitam eremiticam, hinc inde dispersos, expositos barbarorum incursibus, collegit eos in vnum, duxitque in montem Carmelum, Eliæ habitatione egregie olim nobilitatum. Fuereque ista principia, ex quibus, vt ex parua scaturigine flumen, immensum est auctus, & in vniuersum Orbem dilatatus, cœtus Religiosorum virorum.

IV. INVENTA SANCTOR. CORPORA.

Hoc item anno, viuente adhuc Alexandro, Conradus *b* Archiepiscopus Saltzburgensis, Cardinalis Episcopus Sabinensis, Legatus Apostolicæ Sedis in Germania, Imperatoris consanguineus, de quo superius, venerandum corpus S. *Virgilii*, & aliorum trium eiusdem Ecclesiæ SS. Antistitum, quorum sepulturæ locus ignorabatur, casu reperit: ex quibus, velut ex Paradiso, *c* quatuor mox vberrima miraculorum erupere flumina, quibus vniuersa Germania irrigata est.

b Ap. Cam. Antiq. Lect. Tom. 2 & Gen. 1.

V. LVCIVS PP. III.

Post obitum Alexandri, *Humbaldus* Cardinalis Episcopus Ostiensis, natione Etruscus, patria Lucensis, vir grandæuus admodum (inquit Wilhelmus Tyrius) & modice literatus, sed in rebus gerendis solertissimus, quarto Calendas Septębris creatus est Romanus Pontifex, & LVCIVS Tertius dictus.

VI.

Eodem tempore Patriarchæ Antiochenus & Hierosolymitanus, vna cum suffraganeis suis, Boamundum iuniorem Principem Antiochenum censuris exagitarunt, eo quod relicta vxore legitima Theodora, nepte Imperatoris Constantinopolitani, aliam in matrimonium sibi iungere præsumpsisset, qui spretis Episcoporum correctionibus, diram aduersus eos persecutionem mouit; de qua pluribus Tyrius. *d*

d Tyr. lib. 22. c. 6. & 7

IESV CHRISTI AN. 1182.

LVCII III. AN. 1.

FRIDERICI 28.

ALEX. COMN. 2.

I. ANno Domini millesimo centesimo octogesimo secundo, indictione decimaquinta, Willelmus Rex Scotiæ, quem iussu Alexandri Papæ excommunicatum ob dissensiones Ecclesiæ S. Andreæ vidimus, missis ad Lucium Pontificem Nuntiis, absolutionem ab eo obtinuit: sed non ita vt causæ præiudicium fieret. Misit enim eo Lucius Rolandum Electum Dolensem, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, Legatum suum; qui res ita cum Rege composuit, vt tam Hugo quam Ioannes renuntiarent eidem Ecclesiæ S. Andreæ, & Ioannes loco illius haberet Episcopatum Dunkeldensem, & alia nonnulla. Sed appellante Hugone ad Summum Pontificem, æque Lucius Episcopatum S. Andreæ vtrique ademit; at eum postea Hugoni concessit & Ioanni Dunkeldensem confirmauit, cum aliis quæ ei ex parte Regis oblata fuerant. Sed recusante Rege ablata Ioanni restituere, iterum ipse de Episcopatu S. Andreæ quæstionem Hugoni mouit. Agitataq; varie controuersia pluriuus annorum spatio, tam sub Lucio, quam etiam sub Vrbano eius successore, demum sub Clemente Tertio sopita est, cum Ioannes cedens iuribus sibi sententia Pontificis acquisitis, elegit Episcopatum Dunkeldensem cum pace retinere, quam tot iurgiis reliqua persequi, & Hugo expulsus & excommunicatus, post obtentam absolutionem, Romæ peste periit. Qui vero hæc cupit, habet quem consulat diffuse ea suis quibusque temporibus prosequentem, Rogerium in Annalibus Anglicis.

SCHISMATIS SCOT. PROSECVTIO ET FINIS. *De qua Baron. hoc an. & seq. & 1186. & 1188.*

Contigit hoc eodem tempore, prout qui aderat Willelmus Tyrius *a* docet (vt natio quædam Syrorum in Phœnice provincia habitans, cum per annos pene quinge ntos cuiusdam *Maronis* hæretici Monothelitæ errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur *Maronitæ*, & ab Ecclesia Fidelium sequestrati, seorsum sacramenta conficerent sua; diuina inspiratione ad cor redeuntes, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum accesserint, & abiurato errore, quo vnam tantum in Christo agnoscerent voluntatem & operationem, aliisque quos postquam ab vnitate Ecclesiæ recesserunt, adiecissent; fidem Orthodoxam vna cum Patriarcha suo, & nonnullis Episcopis susceperint, parati Romanę Ecclesiæ traditiones cum omni veneratione amplecti & obseruare. Dicebantur autem quadraginta millium excedere numerum, qui per Biblensem, Botrensem, & Tripolitanum Episcopatus, iuga Libani, & montis deuexa inhabitabant: erantque viri fortes, & in armis strenui, Latinis Orientalibus aduersus hostes valde vtiles. Hæc Tyrius. Porro hi se à vico Syriæ, *Maron a*, Maronitas, siue à S. *Marone* Abbate, ante cognitum Maronem Monothelitam, contendunt esse denominatos; ex hocque fieri, vt nomen hoc suum, pristinum detestantes errorem, retinere mordicus hactenus perseuerent. Venit autem eorum Patriarcha sub Innocentio Papa Tertio ad Lateranense Concilium, vbi plenissime fidem Catholicam, ritusque sacros edoctus, ad suos rediit: perstiteruntq; immobiles in ea fide, licet semper agitati Infidelium pressuris; vt literæ illiorum ad Leonem Decimum aperte demonstrant.

a Tyr. l. 22. c. 8.

MARONITÆ AD ECCLESIAM REVERSI.

III. LABORANTIS CARD. COLLECTIO.

Hoc eodem anno suam elaboratissimam Canonum Collectionem edidit *Laborans*, sic proprio nomine dictus S.R.E. Cardinalis presbyter Tituli S. Mariæ Trans-Tiberim, quam ad Petrum Præsulem Pampilonæ misit. Fuisse vero ipsum literis philosophicis atque Theologicis apprime exculto, apparet ex aliis eius lucubrationibus, De iusti iustitieque rationibus, De vera libertate, De Appellationibus, & Contra Sabellianos rursum reuiuiscentes; quas omnes continet codex Basilicæ S. Petri in Vrbe.

IV. S. FRANCISCVS NASCITVR.

Hoc item anno natum esse Assisii in Vmbria S. FRANCISCVM, filium Petri de Bernardone, testatur ex antiquioribus Albertus Abbas Stadensis his temporibus proximus in suo Chronico: affirmantque idipsum recentiores. Ita plane Deus, Ecclesia sua in deterius declinante, ac morum disciplina collabente, ad erigendam eam, in conflatorio diuini Spiritus Apostolicum hunc formauit hominem, qui mundi contemptum ac paupertatem non affectu tantum, (quod ad SS. Patrum imitationem sufficere videri potuisset) sed effectu etiam insigniter prosecutus est.

IESV CHRISTI AN. 1183.

LVCII III. AN. 2.

FRIDERICI 29.

ANDRON. 1.

I. DISCORDIA INTER ROMANOS ET PAPAM.

ANno Christi millesimo centesimo octogesimo tertio, Indictione prima, ortum est graue dissidium inter Lucium Papam & Romanos, occasione quarundam consuetudinum, quas cum prædecessores facere consueuissent, Lucius tamen iurauit se numquam facturum. Vnde Romani indignati, in eum insurrexerunt; qui in alias munitas ciuitates se recepit. In eius vero auxilium accurrens cum exercitu Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Friderici Imperatoris Cancellarius, Romanos grauiter afflixit: sed ii veneno inficientes fontem, ex quo ille bibere consueuerat, ipsum cum plurimis aliis de medio sustulerunt, & acrius Pontificē persequi cœperunt. Qui non valens eis resistere, missis ad Reges ac Principes, tā seculares quam Ecclesiasticos, Nuntiis pro obtinendo auxilio; accepto ab eis magno auri & argenti pondere, pacem cum Romanis composuit. Hæc pluribus Rogerius in Annalibus.

II. DE OBITV HENRICI IVN. REG. ANGLIÆ, ET INSIGNI POENITENTIA

Subditque de obitu Henrici Iunioris Regis Angliæ. Qui post reconciliationes cū patre sæpe factas, rursus ad discordias leuiter reuocatus, deficiente sibi pecunia (inquit Rogerius) perrexit ad S. Mariam de Rupe Adamatoris, & decorticauit ferretrum S. Adamatoris, & thesauros Ecclesiæ asportauit. Paucis post diebus, cum vidisset se non posse multum nocere patri suo, ex indignatione & animi rancore in grauē incidit infirmitatem in villa Martel, non longe à ciuitate Lemouicensi. Qui cum sensisset mortem sibi imminere, misit ad patrem; qui ad eum venire noluit, timens insidias eius. Rex igitur filius, vocatis Episcopis & viris religiosis qui aderant, primum secreto, deinde coram omnibus sua cōfessus peccata, pœnitentiam, & suorum recepit absolutionem peccatorum; & tradidit Willelmo Marescallo familiari suo Crucem suam Hierosolymam deferendam. Deinde depositis mollioribus indumentis, cilicium induit; & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, & ceteris viris religiosis circumstantibus; *Tradome peccatorem indignum, culpabilem, & obnoxium, per funem istum vobis ministris Dei, postulans vt Dominus noster Iesus Christus qui latroni confitenti in Cruce peccata dimisit, per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ.* Postea iubens se trahi à lecto per illum funem, impositus est lecto cinereo, quem sibi præparauerat, appositis capiti & pedibus suis, duobus lapidibus magnis quadratis: sumptoque post hæc sacrosancti Corporis & Sanguinis Domini viatico, in timore Domini emisit spiritum: quem pater, corruens in terram, vehementer planxit. Hæc Rogerius.

III. CONSTITVTIO DE PACE CONSTANTIÆ.

Hoc eodem anno Fridericus Imp. vna cum filio, & aliis Germaniæ Principibus, celebrato *Constantiæ Conuentu*, de firma pace stabilienda in Italiæ parte illa quæ dicitur Longobardia, cum suis egit: sanciuitque famosam illam constitutionem, à loco denominatam *De Pace Constantiæ*; quæ data ponitur hoc anno, hacque Indictione, septimo Calendas Iulii; extatque in Appendice ad Authenticorum Collationes, illustrata glossematibus Baldi Iurisconsulti Perusini.

IV. *Ant Tom. tit. 17. §. 7.* COTERELLI NEANDISS. HÆRET.

Quo item anno (vt habet Antoninus) *a* in prouincia Biturigensi, septem millia *Coterellorum* hæreticorum, & amplius, interfecti sunt ab illius regionis incolis. Isti enim terram Regis vastando prædas ducebant, homines captos secum vilissime trahebant, & cum vxoribus captorum, etiam ipsis videntibus commiscebātur; ecclesias incendebant: Sacerdotes autem, & viros religiosos tormentis afficientes, atque irrisorie eos Cantores vocantes, iubebant cantare, moxque alapas infligebant, & virgis adeo crudeliter cædebant, vt nonnulli mortem obirent: alios vero post longam carceris custodiam, accepta pro redemptione pecunia, semimortuos emittebant. Denique ecclesias spoliabant, & Corpus Domini de vasis aureis & argenteis, in quibus pro infirmorum necessitate reseruabatur, extrahentes, & in terram viliter proiicientes, pedibus conculcabant: de corporalibus vero concubinæ eorum pepla capitibus suis componebant: ac calices malleis & lapidibus cōfringentes distrahebant. Quapropter incolæ eius prouinciæ, accepto à Rege Philippo exercitu, eosdem aggressi, omnibus interfectis à minimo vsq; ad maximum, de præda illorum ditati sunt. Hæc Antoninus: quem putares descripsisse mores hæreticorum nostri sæculi. Sed ita solent infelicissimi posteri suos maiores imitari.

NECANTYR.

V. ANDRON. OCCVPAT IMPERIVM ORIENT.

Quod ad res pertinet Orientis, ANDRONICUS qui hactenus visus esset pugnasse pro Alexio Imperatore puero aduersus Imperii perduelles; illis in ordinem redactis, vt solus sibi adsciscceret summam rerum, infelicem puerum nocte strangulauit arcus neruo, pollicitationibus suis redempta ab Episcopis absolutione à iuramento quod viuenti præstiterat Imperatori. Describit hæc pluribus Nicetas *b* Choniata: atque eum qui illa indulgeret Andronico, fuisse *Basilium Camaterum* Patriarcham, Theodosio subrogatum. Quænam vero ante hæc ab eodem Andronico aduersus Latinos Constantinopoli commorantes sæuissima grassatio facta sit, idē auctor inumbrat potius, quam describit; qui amore suorum, plurima præteriit horrenda auditu. Sed tantam tragœdiam recitant diligentius eiusdem temporis auctores sinceriſsimi, Willelmus *c* Archiepiscopus Tyrius, & Robertus *d* de Monte. Error tamen de tēpore irrepsit apud Tyrium, dū ea facta ponūtur anno Redemptoris millesimo cēteſimo septuagesimo nono, quo nōdū Manuel Imperator pater Alexii decesserat; quæ recte Nicetas & Robertus his anno & Indictione gesta referunt. Porro occasio vexandi Latinos inde ab Andronico sumpta narratur, quod fauissent Alexio Protosebasto Imperatoris Manuelis patrueli, Imperium aduersus puerum affectanti. Iidem igitur, Protosebasto ab Andronico capto & excæcato, timentes (inquit Tyrius) ne ciuium super eos repentina fieret irruptio, prænoniti à quibusdam coniurationis consciis, qui validiores erant ascendentes in triremes ac naues; quarum erat in portu maxima copia, discrimen euaserunt: qui autem segniores fuere, vel ad fugam minus idonei, à militibus Andronici iunctis cum ciuibus, viri & fœminæ, senes ac pueri, sani & infirmi, clerici & monachi, sæculares & laici, quotquot in vrbe reperti sunt de gente Latina, aut gladio perempti sunt, aut incendio consumpti cum vniuersa vrbis regione in qua morabantur, & locis sacris ac xenodochiis eorum vsui inseruientibus; bonaque eorum expoliata: qui vero ad sibi notos confugientes, spem salutis ab eis acceperant, Turcis & aliis infidelibus in perpetuam venditi sunt seruituti, qui excesserunt numerum quatuor millium promiscui sexus, ætatis, & conditionis. Sed nec à mortuis temperatum est, quibus omnis parcere consueuit impietas: siquidem & ipsi de monumentis extracti, per vicos & plateas, quasi illatas sentirent iniurias, distracti sunt. Sicque impii ac perfidi Græci, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, male remunerauerunt hospites suos de pluribus beneficiis, quæ ipsorum Imperio cōtulerant; cum tamen & filias suas, & neptes, ac sorores, eis in vxores dedissent, eosdemque ex diutino conuictu sibi fecissent familiares atque conciues. Hæc ex Tyrio.

b Nicet. in Andron. l. 2. in fin.

c Tyr. de Bel. sa. l. 22. cap. 12. 13.

d Rob. in Append. ad Sigeb.

HORRENDA GRÆCOR. IN LATINOS GRASSATIO.

VI. S. IOAN. LEGATI MARTYRIVM.

Idem autem inter alia habet; cum feræ illæ bestiæ monachos & sacerdotes exquisitioribus quam laicos perimerent cruciatibus; præ cæteris Ioannem S. R. E. Subdiaconum, quem pro negotiis Ecclesiæ illuc Papa direxerat, comprehendentes, in contumeliam Ecclesiæ decollasse, caput eius ad caudam canis immundæ religantes. Robertus autem hunc Ioannem Cardinalem fuisse tradit, missumque Constantinopolim ab Alexandro Papa ad petitionem Manuelis Imperatoris, qui per eius prædicationē cupiebat reuocare Græcos ad instituta; & subiectionē Romanæ Ecclesiæ porro ad hunc Ioannem, cum ceteri Latini occiderentur, venisse

quos-

quosdam religiosos viros vt suaderent ei fugam, ne & ipse perimeretur; ipsum autem respondisse, *Absit hoc: ego hic sto pro vnitate Ecclesiæ, & præcepto Papæ domini mei:* tuncque irruentes perfidos Græcos, occidisse eum, & ligantes canem cum eo, ita quod cauda canis esset in ore eius, traxisse eum per vicos ciuitatis, & facta fouea ibi combussisse: sed postea viros religiosos de fouea tulisse corpus eius, atque optime sepelisse, & ad eius sepulchrum crebra fieri miracula consueuisse.

VII. LATIN. IN GRÆCOS VLTIO.

Ceterum non omnino impune tantum facinus in Latinos commissum est à Græcis. Nam (vt ait Tyrius) præter complures, quos in ipsa sui internecione Latini, quibus arma supperterent, ex eis occiderunt; qui in triremes & naues se receperunt, circumeuntes vtrumq; Hellespontum, ab ostio maris Pontici vsque ad ostium Mediterranei, per spatium ducentorum milliarium, cunctas vrbes & pagos vtriusque littoris deuastarunt, & vniuersos incolas peremerunt; monasteria vero, quæ tam in eodem litore, quam in modicis insulis illius maris, ædificata erant, cum iis qui ad ea confugerant, succenderunt, & pseudomonachos, ac sacrilegos Græcorum sacerdotes gladio peremerunt: tantaque spolia adopti sunt, vt damnum rerum amissarum duplici fœnore resarcirent: ac demum mare mediterraneum ingressi, Thessaliæ, aliarumq; maritimarum prouinciarum cunctas vrbes & oppida incendio, rapina, & strage affecerunt. Quænam autem terribilis diuina vltio Andronicum sit secuta, dicetur suo loco.

IESV CHRISTI AN. 1184.

LVCII III. AN. 3.

FRIDERICI 30.

ANDRON. 2.

I.

ANno Domini millesimo centesimo octogesimo quarto, indictione secunda, inter alias res gestas, quas Rogerius in Annalibus recitat, haud illa prætermittenda, quod cum Richardus Cantuariensis Episcopus, nec exemplo sanctissimi decessoris sui Thomæ Martyris, nec reprehensionibus a Legatorum Apostolicæ Sedis, nec deniq; amicabilibus admonitionibus b familiarium suorum motus; expergisceret à negligentia, qua cunctam Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam ad nihilum redigi patiebatur, nec à dilapidatione bonorum Ecclesiæ suæ cessaret; tandem ab ipso Christo Domino ad tribunal horrificum vocatus, paulo antequam in morbum incideret, ab eo in visione audiuit, *Tu dissipasti bona Ecclesiæ meæ, & ego extirpabo te à terra.* Qua visione perturbatus, statim cœpit ægrotare, & octaua sequenti die obiit, nempe decimoquarto Calendas Martij.

a Pet. Bles. ep. 38.
b Id ep. 5. RICHARDVS ARCHIEPISC. CANTVARIEN. TERRORE VISIONIS MOLITVR.

II. TRANSLATIO CORPORIS S. FLORIANI IN POLON.

Eodem anno, petente Rege Poloniæ Casimiro à Summo Pontifice, mitti in Poloniam sacras alicuius Sancti Reliquias, quib. Cracouiensis insigniretur Ecclesia; Lucius Papa Sacrarium, in quo plura erant Martyrum corpora ingressus, quis Sanctorum illic quiescentium in Poloniam migrare vellet, inquisiuit. Ad quam vocem (serione, an ioco à Sumtio Pontifice prolatam) ex tumba in qua corpus sacrum Beati *Floriani* conditum erat, manus protensa, eidem Pontifici vocitanti, designantis & indicantis se apparuit. Quo miraculo Pontifex commonitus, eiusdem Sancti corpus per Ægidium Mutinensem Episcopum Regi & Cracouiensi Ecclesiæ transmisit; à quibus honorificentissime susceptum est, & insignis in eius honorem Ecclesia condita. Narrat hæc pluribus Longinus canonicus Cracouiensis in Chronicis Polonorum.

* * *

IESV CHRISTI AN. 1185.

LVCII III. AN. 4.

FRIDERICI 31.

ANDRON. 3.

ANno Christi millesimo centesimo octogesimo quinto, Indictione tertia, Veronæ congressus est habitus Lucii Papæ & Friderici Imperatoris. Errant vero qui putant, tunc Episcoporum celebratum esse Concilium. Nam ex Actis a quæ adhuc extant, perspicue patet non concilium, sed mutuum dunt axat tunc habitum esse conuentum quorundam negotiorum causa. Ac primo cœpit Imperator omni instantia intercedere pro ordinatis à schismaticis tempore Alexandri Papæ, qui magno numero Veronam accesserant, vt Pontifex dispensaret cum eis. Qui cum id semel promisisset, postea retractans respondit, cum ii in generali Concilio Venetiis habito ab ordinibus suspensi fuissent, non esse conueniens vt id mutaretur nisi in alio Cardinalium & Episcoporum generali conuentu; promisitque se apud Lugdunum ea de causa Concilium habiturum. Post hæc vero egerunt Pontifex & Imperator de bonis Comitissæ Mathildis, quæ iste Imperio, ille Ecclesiæ Romanæ testamento relicta esse contendebant: & cum ab vtraque parte probationes proderentur, res infecta permansit. Actum deinde de electione Archiepiscopi Treuerensis: ad quam sedem nuper vacantem cum quidam Volcmarus prior à seniori parte electus esset, ac post eum à parte inferiori Rudolphus; & schismate facto, Volcmarus ad Sedem Apostolicam appellasset, Rudolphus ad Imperatorem recurrens Inuestituram ab eo accepisset: re Veronæ agitata, Pontifex pro Volcmaro stetit ob canonicam eius electionem, Imperator pro Rudolpho propter electionis dissensionem: sicque tunc res suspensa perstitit; ita tamen vt cum Imperator intellexisset Pontificem decreuisse ordinare Volcmarum, ei per suos renuntiauerit, si id ageret omnem inter ipsos amicitiam cessaturum, aliasque minas terribiles addiderit. Quod autem valde etiam Imperator vigebat Pontificem, vt filium suum Henricum coronaret Imperatorem; respondit Pontifex, non posse simul duos Impp. regnare, nec filium coronari, nisi prius pater coronam deposuisset. Hæc pluribus Arnoldus Abbas Lubecensis in Slauorum Chronicis, de rebus gestis Veronæ inter Pontificem & Imperatorem; sed male anno millesimo centesimo octogesimo tertio, vt bene correxisse cognoscitur Crantzius. b

I. CONVENTVS VERONÆ INTER PAP. ET IMP. a Arnold. Lubec. li. 3. cap. 10.

SCHISMA IN ECCL. TREVERENSI.

NE SINT DVO SIMVL IMPP.

b Crantz. in Metr. li. 6. c. 46. 47.

II.

Inter hæc autem in deterius quotidie prolabentibus in Palæstina rebus Christianorum, ob infestissimas Saladini incursiones; coeuntes vna Principes cum Episcopis, decreuerunt mittere Legationem in Occidentem pro impetrando auxilio periclitantibus Hierosolymis. Ita quidem qui interfuit Willelmus c Tyri Archiepiscopus in sua de Bello sacro Historia: qui quod hic finem scribendi fecisse reperiatur, illud in causa fuisse videtur, quoniam ipse vnus ex Legatis fuit missus ad Regem Francorum, & antequam rediret, contigit Palæstinam in potestatem hostium incidere; ac propterea rerum aduersarum dolore perculsus, munus omisit, quod nec resumpsisse potuit morte præuentus. Porro primum omnium adornata est Legatio ad vniuersalem promotorem eiusmodi expeditionum, nempe Romanum Pontificem, cuius nutu reliqui Principes moueri solerent, impertienda ab eo remissione peccatorum loco militaris stipendii, qua quiq; Fideles consueuissent magna frequentia sacræ militiæ nomen dare. Acceptis autem à Lucio Papa literis ad Anglorum Regem, cui pro pœnitentia necis S. Thomæ Cantuariensis, superius vidimus iniunctam fuisse expeditionem in Terram Sanctam; Legati ad eum directi, nempe Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, & Summi Magistri Hospitalis & Templi, venientes in Angliam, obtulerunt ex parte Regis ac Principum terræ Hierosolymitanæ, Henrico Regi Vexillum regium, & Claues Sepulchri Domini, Turris Dauid, &

c Tyr. li. 23. c. 1.

LEGATIONES A LATINIS ORIENT. PRO PETENDO SVBSIDIO.

VEXILLVM ET CLAVES HIEROSOL. OBLATÆ REGI ANG.

[Ceterum scribit Rigordus in vita Philippi Franc. Regis, delatas quoq; ad eũ fuisse ab ipsdẽ Patriarcha & Magistris, easdẽ Claues ciuitatis & Sepulchri. Nempe, benedictionis causa, veteri more; cuius tibi exempla suppeditabit huius Epitomes Index, verb. *Claues.*]

III. LVCII PP. OBITVS.

Sanctæ ciuitatis, festinum ab eo postulantes auxilium, tamquam ab herede ac domino terræ Hierusalem; quippe quod Fulco frater Gaufredi Comitis Andegauiæ, patrisque istius Henrici, fuisset Rex Hierusalem. Quibus honorifice susceptis, celebratus est prima Dominica Quadragesimæ *Londony* generalis totius Regni Principum & Antistitum *Conuentus*, cui etiãinterfuit cum suis Willelmus Rex Scotiæ: vbi cõmuni deliberatione placuit, ante omnia Regem debere super ea re consulere dominum suum Philippum Regem Franciæ. Habito autem cum eo colloquio, promiserunt ambo se pecunias & auxiliares copias breui missuros. Sed hæc Patriarcha patuipendens, quod sperasset ducturum se in defensionem Terræ Sanctæ ipsum Regem Angliæ, vel aliquem ex filiis eius, aut alium insignem Principem; spe deceptus, mœrens ad propria rediit: cum nihilominus quamplurimi Antistites, cum Balduino Cantuariensi, & Waltero Rotomagensi, ac fere omnes Comites & barones vniuersæ ditionis Regis Angliæ, Crucem pro expeditione cepissent. Quæ omnia pluribus narrat Rogerius in Annalibus hoc anno.

Accessit autem ad commune damnum, & impedimentum promouendæ expeditionis, quod præcipuus eius promotor *Lucius* Papa, hoc ipso anno, septimo Calendas Decembris, Veronæ ex hac vita migrauit; vbi & honorifice sepultus est, hoc epitaphio inscripto eius sepulchro:

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.
Immo Verona dedit verum tibi viuere, Roma
Exitium, curas Ostia, Luca mori.

Recitat ista Ptolomæus Lucensis in sua Historia antiquitus scripta, quæ extat in Vaticano. In Lucii vero locum statim suffectus est, vnanimi omnium Cardinalium qui aderant consensu, *Lambertus* Archiepiscopus Mediolanensis, dictus VRBANVS eius nominis Tertius.

VRBANI III. CREATIO.

IV.

Qua eadem indictione (vt testatur Nicetas) Willelmus Rex Siciliæ ingenti comparata classe in vltionem innocentis sanguinis Latini, adeo immaniter à Græcis ante biennium Constantinopoli effusi, primo Dyrrachium, inde Thessalonicam expugnauit: adeoque in Græcos omnes Latini milites sæuierunt, vt etiam eorum quæq; sacra reddere profana, & veluti execranda polluere, deprauare, atque penitus perdere laborarint. Scribit singula ac plane nefanda, idem Nicetas in Andronico: cuius rei gratia ait ideo inter Græcos & Latinos odium implacabile esse excitatum, vt omnis spes coniunctionis animorum exciderit, etiamsi corporibus coniuncti in iisdem ædibus habitarent. Accidit vero mox inuersa alea, vt inter ista sublato de medio Andronico, & Imperium inuadente ISAACIO ANGELO, confluentes vniuersi Græci aduersus Siculos eodem hoc ipso anno vicerint, & durioribus malis affecerint: quæ cuncta leges apud eundem auctorem in Isaacio.

SICVLORVM ET GRÆCOR. BELLVM.

V. DIVINA VLTIO IN ANDRONICVM.

Sed quas pœnas Andronicus tyrannidis suæ atque horrendæ in omnes tam Græcos quam Latinos sæuitiæ dederit, describit idem qui aderat. Etenim duabus grauibus catenis ferreis collo iniectis, & compedibus oneratus, ad Isaacium perductus, contumelioſis verbis exceptus est; alapæ ei impactæ, nates pulsatæ, barba vulsa, dentes excussi, capilli euulsi: deinde publice omnium ludibriis expositus, etiam à mulieribus pugnis cæsus est; ac præcisa dextera in carcerem coniectus, sine cibo, sine potu, sine vllo cuiusquam officio. Post aliquot dies altero oculo effosso, scabioso camelo impositus, per forum triumphi specie traductus est, calua glabra instar aridæ quercus, & ono nudiore, ac breui tunicula tectus: quem petulantissima plebs, & circumforanea sordida turba, nulla ratione habita quod is nidiustertius Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus esset, quodque sanctissimo iureiurando fidem suam & beneuolentiam erga illum testati essent; efferatis animis in eum ruentes, nihil mali prætermiserunt, quo non eum afficerent. Alii clauas in caput impegerunt, alij stercore nares fœdarunt, alii spongias excrementis hominum & pecudum conspurcatas in faciem expresserunt, alii verubus latera pupugerunt. Impudentiores quidam lapidibus coniectis, rabidum canem appellarunt. Scortum quoddam ollam feruenti aqua plenam, è culina raptam, in faciem effudit. Nemo denique erat, quin male ei faceret. Ac demum ita ignominiose in theatrum perductum, ac misero illo camelo detractum iuxta duas columellas, quibus superne lapis incumbebat, pedibus suspenderunt fune alligatis. Qui tot mala perpessus, & alia sexcenta, tamen generoso animo ea perferens, nihil aliud dicebat, nisi *Domine miserere*; & ad populum, *Quid calamum contritum infringitis*? Sed dementissima turba ne suspenso quidem parcens, direpta tunicula virilia eius vexauit, & quidem longum ensem per fauces vsque ad intestina adegit; duo vero Latini generis, enses ambabus annixi manibus in nates adegerunt, vt periculum facerent vter esset acutior. Post tot ærumnas & clades, ægre vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, vt multi putarent, eum calidum ex ea sanguinem, ob recentem plagam adhuc distillantem, exugere. Aliquot vero diebus interiectis, inde detractus in theatri fornicem quemdam vt bestia proiectus, iacuit, donec quidam humaniores in alium locum transtulerunt: quẽ tamen Isaacius non permisit sepeliri. Hæc Nicetas.

SÆVITVM DIRISSIME IN EVM.

Iis autem significatur, haud absque spe indulgentiæ à Deo consequendæ pœnitentem Andronicum esse defunctum, quem in aliquibus commendatione dignum ostendit: vt inprimis quod adeo tenax esset Catholicæ fidei custos, vt nec vllo modo in disputationem à quibuscunque adduci pateretur, quod ei in aliquo derogare posse videretur: itemque quod studiosissimus esset S. Pauli Apostoli, cuius & Epistolas præ manibus habere soleret: ipsum vero Apostolum non despexisse Andronicum, sed eius curam habuisse, cum imminente ei exitio, Imago Apostoli antiqui operis, quam auro exornatam in æde sacra collocarat, abunde lacrymauit: idque Andronicum cladis super se venturæ prænuntium esse intellexisse. Sed quod ad Niceram horum scriptorem attinet, testatur eius frater Michael Episcopus Athenarum in ipsius Monodia, eum vbi Constantinopoli inualuit tyrannis Andronici, inde aufugisse, deligentem potius exilium voluntarium in alieno solo, quam sub alea hominis sæuissimi periclitari.

VI. POENITENS DECESSIT.

IESV CHRISTI AN. 1186.

VRBANI III. AN. 1.

FRIDERICI 32.

ISAAC. ANG. 1.

ANno Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, Indictione quarta, inter Vrbanum PP. & Fridericum Imp. Veronæ existentes, obortæ sunt contentiones, quod (vt ait Arnoldus Lubecensis) Pontifex vt zelator iustitiæ, pro defensione S.R.E. constanter agens, nec terreni Imperii metuens Principatum, quæ sui iuris erant, intrepidus requireret. Arguebat enim præcipue de tribus Imperatorem; videlicet de patrimonio Comitissæ Mathildis, quod ab eo iniuste detineri conquerebatur; deinde de exuuiis Episcoporum motientium, quas idem inique rapiebat; postremo de stipendiis Abbatissarum, dum videlicet plurimas expellens sub prætextu deprauatæ earum vitæ, minime alias in illarum locum sufficiebat, sed prouentus sibi vsurpabat. Etsi vero has Pontificis reprehensiones non libenter Imperator audiret, patienter tamen sustinebat, quia de coronatione filii sui Henrici in Imperatorem instanter agebat. Cum autem Pontifex, decessoris sui Lucij exemplum secutus, omnino recusasset filium promouere, nisi prius pater se abdicaret; sed & Volcmarum canonice electum Treuerensem Archiepiscopum, contra eiusdem Friderici voluntatem consecrasset: tunc demum excandescente Friderico, manifestissima inter eos facta est discissio. Quam & valde auxit idem filius Friderici, cum eodem tempore in Longobardia existens, interrogato quodam Episcopo, à quo inuestituram Pontificalem susceperit, & illo respondente, A Papa; post tertio hinc inde repetitam eiusmodi interrogationem ac responsionem, addente Episcopo nihil se de regalib. Imperatoris possidere,

I. OBORTÆ CONTENTIONES INTER PP. ET IMP.

ideoque

FRID. RVRSVM AGIT IN PONTIFICEM.

ideoque nihil ei debere; Henricus indignatus præcepit servis suis pugnis eum cædere, & in luto platearum conculcare. Rediens autem Imperator in Germaniam, imprimis clausit omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, vt nemo posset adire Sedem Apostolicam: Deinde explorans animum Philippi Archiepiscopi Colonienſis, cui Pontifex Legationem Germaniæ crediderat, vtrum sic intercluſis Italiæ meatibus vellet ipse loco Pontificis omnium causarum cognitionem ac iudicium suscipere; cum eum renitentem inuenisset, collecto in Geilenhusen reliquorum Episcoporum & Principum Conuentu, ad infringenda, de quibus agebatur, Pontificia & Ecclesiastica iura, vbique ea vendicanda; placuit Episcopis commonere Pontificem, vt pacem cum eo seruaret, & quæ iuste Friderieus exigeret, ei concederet. Qui nihilominus Pontifex cunctantem Imperatorem satisfacere capitulis superius recensitis, & alia peiora molientem, legitime citatum, excommunicare decreuit: sed morte præuentus rem infectam reliquit. Hæc plurib. Arnoldus *a*. At obitus Vrbani nõ nisi anno sequẽti cõtigit.

a Arnold. lib. 3. ca. 15. 17. 18.

II. IN LIVONIA PRIMA SEDES EPISCOP. ERECTA.

Hoc vero anno accidit fundari in Liuonia primam sedem Episcopalem in loco Riga dicto, sub patrocinio sanctissimæ Dei-Genitricis; populo ex Gentilitia superstitione ad CHRISTVM conuerso opera & prædicatione *S. Meinardi* Canonici Sigebergensis, creati illorum Episcopi, necnon *Bertolfi* Abbatis Lubecensis. Quomodo vero illa contigerint, describit Arnoldus *b*. Rogerius autem de rebus Anglicis ait, Henricũ Regem missis ad Vrbanum Papam Nũtiis, multa ab eo impetrasse, quibus Lucius eius præcessor fortiter restiterat; quorum vnum fuit, vt Rex quem vellet de filiis suis coronaret de regno Hiberniæ. Ita ipse.

b Id. lib. 7. cap. 8. 9.

III. GOTIFRIDVS HISTORIAM SVAM OFFERT PONTIFICI. [Quã forte Pontificẽ diuertit (sicut ex ipsius præf. ad Vrb. PP. colligi videtur) & continentes gestas illius Principũ tam Ecclesiasticorum quam tẽporalium. Principes enim Dei appellantur in Scripturis.]

Eodem anno *Gotifridus* sacerdos Viterbiensis (vt vulgo fertur) siue Vitembergensis, eam quam elaborauit Historiã, prosa metroque contextam, quam *Pantheon* appellauit ob rerum vniuersalitatem, obtulit Vrbano Papæ. Quamuis autẽ ipse Friderici Imperatoris, eiusque filii Henrici Regis Notarius extiterit, sicut iisdem scriptis frequenter testatur, iiq; læpissime Ecclesiæ iuribus aduersati fuerint: haud tamen ille destitit libere læpe profiteri, Imperatores & Reges debere esse subditos Papæ eiusq; auscultare mandatis. Quantæ vero vertex Pontificalis fuerit apud eum æstimationis & pretij, intelliges ex præfatione ad Vrbanum, quam operi præfixit; vbi hæc inter alia: *Dum sacrosanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem; illud ante omnia necessarium esse mihi reor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus, ita omnes Reges & Principes, & vniuersæ Orbis Ecclesiæ, doctrina eius & regimine adornentur, & ab ea tamquam à fonte iustitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur: Quia nullum scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur. Quare si quod Historiarum opus nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus si acceptione dignum esse perpendatur, eius mandato & iudicio approbetur; & ab eo vires auctoritatemq; recipiat, cui terrena & cœlestia diuinitus sunt cõmissa, &c.* Quæ quidem antiquissimo vsu probata, & Catholicæ Ecclesiæ auctoritate recepta, (sicut multis vidimus exemplis eorum, qui tam ex Occidente quam Oriente, quæ contra hæreticos, siue de aliis rebus sanctis scripserunt, eadem cognoscenda ac comprobanda mittere consueuerunt ad Ecclesiæ Romanæ Pontifices: imitantes videlicet ipsum S. Paulum Apostolum, qui vt acceptum diuinitus Euangelium vniuersæ probaretur Ecclesiæ, ad hoc ipsum vt cognosceretur à Petro, Hierosolymam ad eum accessit.) idcirco hic recitare voluimus, quod, dictu nefas, horrendum factu, infelicissimis nostris temporibus, probata à Romano Pontifice scripta, ministri regii audeant sub censuram redigere, vt ea à Librariis vendi non sinant, nisi ab ipsis impetrata licentia; quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant ne vendantur, cum videlicet ex illis arguantur iidem ipsi præterius fasque aliquid perpetrare. At quidnam hoc est, nisi alteram Clavium Petro à Christo collatarum, quæ Scientiæ dicitur, è manibus eius successoris extortam, à manu laica, ac laicis vsurpari Principibus? Quod tamen esse potius arrogantiæ ministrorum, quam Principum Christianorum modestiæ, quis negauerit vmquam? Sed hæc obiter.

SCRIPTA PROBÃDA AVCTORITATE RÕ. PONT. MINISTRI REGII MALE SIBI ARROGÃT LIBROR. COGNITIONEM. [Quos autem præcipue fugiluerit Bonitius, satis intelligat, qui sciunt quæ de eius scriptis fuerint querelæ.]

Hoc eodem Redemptoris anno (vt testatur idem Gotifridus) sexto Calẽdas Februarij, Rex Henricus filius Friderici Imperatoris, cum Regina Constantia filia Rogerij Regis Siciliæ, amita vero Willelmi tunc regnantis, nuptias celebrauit Mediolani, anno ætatis suæ vigesimo primo. Quod autem ex recentioribus pene omnes asserunt, Constantiam hanc monialem fuisse: scias commentum esse, fortasse inde excogitatum, quod asseruata fuerit in monasterio, vt si deesset Regibus proles mascula, spes esset nubendi Regi cum dote Regni. Scriptorum enim omnium huius temporis nullũ plane reperies, qui aliquid narret de monachatu Constantiæ; quod tamen ob rei nouitatem, vt nuberet monialis, nullatenus à quoquam ipsorum prætermittendum fuisset. Nam præter Gotifridum Notarium ipsius Henrici, neque Hugo Falcandus scriptor Siculus, qui his aderat, deq; Constantiæ educatione agit, quidquam habet de monachatu: nec Arnoldus *c* Abbas Lubecensis, cum de eius celeberrimis nuptiis meminit: nihil Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, aut Neubrigensis, vel Appendix ad Vrspergensem, vel Rigordus; non Rogerius eiusdem & ipse temporis auctor, qui pariter de nuptiis meminit: neque Innocentius Papa Tertius, in cuius epistolis frequens est Constantiæ mentio; nec denique vllus alius, qui de Constantia, vel eius nuptiis egerit. Quod si nubes testium recentiorum id rumore quodam conclamasse potius, quam auctoritate maiorum, vel certa ratione asseruisse cognoscitur; eadem plane qua effutitur facilitate, reiicitur.

IV. HENR. REGIS GERM. NVPTIÆ CVM CONSTANTIA SICVLA.

c Id. 3. Chron. 14.

Nam & quæ profertur ex inscriptionibus incisis in eorũdem Henrici & Constantiæ sepulchris testificatio; ne errore labaris, ego diligenti de iis inquisitione habita, didici à viuentibus nunc Siculis, eas non tempore illorum mortis conscriptas esse, sed nouissime à quodam Canonico: idq; vt crederem magis magisque, Maurolicus persuasit, qui res Siculas hoc sæculo diligentissime pertractauit: qui cum Siciliæ Regum quæ reperit epitaphia, cuncta in vnum collecta inibi cudenda curauerit, haud tamen istorum aliquam habuit mentionem; vt necessario dicendum sit, ea post editum ab eo commentarium fuisse composita ex recepta vbique fabula. quæ etiam alioqui in notatis ibi temporibus Imperij & obitus Henrici, atque ætatis & mortis Constantiæ, patẽtissimorum conuincuntur mendaciorum. Sed & quod ipse Gotifridus, qui cuncta habuit præ oculis, Constantiam posthumam natam esse asserat post obitum patris Rogerij, plane eluditur fabula illa, quam Fazellus narrat, perculsum Rogerium varicinio Ioachini Abbatis, quo asserebat, si Cõstantia nuberet, funestam futuram Siciliæ facem, retrusisse eam in monasterium, atque religionem fecisse profiteri monasticam. Nam si posthuma, quomodo potuit per patrem monacha professa effici?

V. CONFVTATVR COMMENTVM DE MONACHATV CONSTANTIÆ.

Denique quod asseritur ab iisdem recentioribus, Romanum Pontificem eiusmodi monachæ matrimonium dispensando probasse, vel ex eo refellitur, quod constat Pontificẽ ipsi diuersatum esse, dum fauit magis Tancredo vt fieret Siciliæ Rex, sicut videbitur inferius. Si enim dispensasset, vt exécrata monialis Henrico nuberet, quem sciret non alia ratione eam ducere in vxorem, nisi vt vna cum ipsa potiretur regno; plane contra Tancredum, non pro eo laborasse cõuinci posset. Sicut & quod dicunt, dispensationem illam factam fuisse per Alexandrum Papam Tertium; nec semel eiusmodi dispensationem ab eodem Pontifice vsurpatam, sed iterum cum Nicolao Iustiniano Veneto tunc monacho postea patre B. Laurentij Iustiniani, vt habet Bernardus *d* Iustinianus eius nepos in Vita ipsius: multiplex in his detegitur error. Nam cum pluribus ante annis ex hac vita decessisse constet Alexandrum, quam nupserit Constantia Henrico, nihil plane est vt tribui possit ea dispensatio Alexandro. multo vero minus, quæ concessa dicitur Nicolao; cum idem ipse Bernardus affirmet, B. Laurentium fuisse insignitum munere Episcopali ab Eugenio Papa Quarto, qui iniit Pontificatum ducentis quinquaginta annis post obitum Alexandri Tertii, nempe anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo primo. Vt ex iis discas sparsas in vulgus exufflare fabulas, atque solidæ inhærescere veritati.

VI.

d Ap. Sur. 3. Ianuar.

Quod ad res pertinet Orientalis Ecclesiæ; Nicetas *e* tradit, Isaacium Imp. expulisse Basilium Camatetum Patriar-

VII.

e Niceta in Isaac. Ang. lib. 2.

cham Constantinopolitanum, quamuis eius ope maximè adiutus fuisset in obtinendo Imperio; ea prætensa causa, quod quas nobiles matronas Andronicus in monasterio invitas abstrusisset, iis ipse nigro vestitu depositò, reditum ad pristinam vitæ rationem concessisset: atque in eius locum substituisse *Nicetam Mundanum* magnæ Ecclesiæ Sacellarium; qui sedit sex annos & sex menses.

IESV CHRISTI AN. 1187.

VRB. III. 2.

GREG. VIII.

FRIDERICI 33.

ISAAC. ANG. 2.

I. HIERVSALEM CAPTVM A SALADINO.

ANno Christi millesimo centesimo octogesimo septimo, Indictione quinta, vox ab Oriente audita est lugentium clades populi Dei, & Sanctæ ciuitatis Hierusalem: cum videlicet Calendis Maii, & postea infra Octauam Apostolorum Petri & Pauli, infeliciter pugnatum est à Christianis contra Saladinum Babyloniæ Regem, capta S. Cruce, (quam portabat Ruffinus Episcopus Acconensis) & Guidone Rege Hierosolymitano, plurimisque ciuitatibus, ac demum ipsa Hierusalem quarto Calendas Octobris eidem reddita. Porro cum plures eius temporis Scriptores cladem tantam stylo lugubri sint prosecuti, prævalent iis omnibus epistolæ eorum qui rebus gestis interfuerunt; nempè Terrici Magni Præceptoris (vt vocabant) Templariorum, ad suos ubique constitutos Fratres Templi, & ad Henricum Regem Angliæ; Haimerici Patriarchæ Antiocheni, ad eumdem Regem, atq; Conradi filii Marchionis Montisferrati, ad Balduinum Cantuariensem: quibus enixè iidem petierunt, vt Occidentales festinarent auxilium ferre conseruandis ciuitatibus quæ adhuc residuæ essent, & recuperandis deperditis: easque omnes descripsit Rogerius in Anglorum Annalibus.

Inter alia verò habet Terricus ad Regem, capta Hierosolyma, Saladinum S. Crucem Domini per duos dies in ostentum per ciuitatem fustigando portari fecisse; deinde iussisse Templum Domini aqua rosata intus & exterius, sursum & deorsum lauari, & legem suam desuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. Contadus vero conqueritur, has clades inertia Christianorum contigisse: atque inito fœdere inter Saladinum & Imperatorem Constantinopolitanum, huic Saladinum tradidisse omnes Ecclesias Terræ Promissionis, vt in eisdem seruiretur secundum ritus Græcorum: insuperque vniuersam illam terram ei promisisse, vt impediret iter Christianorum, maxime autem Francorum, in auxilium Terræ Sanctæ properantium: denique misisse Constantinopolim de assensu Imperatoris idolum suum, vt ibi publice coleretur; sed illud captum esse in mari à Ianuensibus, & perductum Tyrum, quæ adhuc detinebatur à Latinis Christianis. Porro quo die à Saladino capta fuit Hierusalem cum Sepulchro & Cruce Domini, id eodem tempore in spiritu ostensum fuisse diuinitus *S. Christinæ* virgini magni nominis in Germania, tradit Thomas *a* Cantipratensis, ipsâque vehementer exultantem, adstantibus significasse magnâ in cælo factam esse lætitiam, quod ex ea clade multa salutis oblata esset hominibus occasio, dum Terræ sanctæ recuperandæ causa, à peccatis suis conuerterentur, & in eiusmodi expeditionibus fundentes sanguinem suum, quandam morti Saluatoris vicem cum multa deuotione penderent.

II. INIVRIA ILLATA S. CRVCI.

FOEDVS INTER IMP. CONST. ET SALADIN. ADVERSVS LATINOS.

a *Cãtiprat. in Vit. S. Christ. ap. Sur. 23. Iunii, cap. 20.* GAVDIVM IN COELIS DE CAPTA HIEROS.

At vero *Vrbanus* Papa (vt ait Rogerius) tam tristi nuntio perculsus, incidit in ægritudinem, mortuusque est decimotertio Calendas Nouembris apud Ferrariam. Sed Neubrigensis & ipse eius temporis auctor, ait nuntiũ de capta Hierosolyma non veniisse Romam nisi post obitum Vrbani. Ceterum eo mortuo, sequenti mox die electus est in locum eius, *Albertus* Cardinalis Cancellarius presbyter tituli S. Laurentii in Lucina, patria Beneuentanus; dictusq; est GREGORIVS Octauus, successor doloris, heres calamitatis. Qui pauIII. VRB. PP. OBITVS.

GREG. VIII. SVROGATIO.

cis diebus quibus sedit, suæ pietatis digna monimenta reliquit; cum imprimis pro subsidio Terræ Sanctæ ad vniuersos Christi Fideles literas dedit, tanto Pontifice dignas, quas recitant iidem Rogerius & Neubrigensis: deinde verò alias adiecit, quibus ad placandũ offensum numen, indixit omnibus Ieiunium quinquennale, ita vt toto eo tempore cuncti Fideles saltem per omnes sextas Ferias, ieiunium Quadragesimale obseruarent, feria autem quarta & sabbato à carnibus abstinerent; ipse vero Pontifex & cardinales secunda quoque feria cũ familiis suis similiter ab esu carnis cessarent: hoc que adeo statuit obseruandum, vt quicumque transgressor existeret (nisi fortè infirmitas, aut magna solemnitas, vel alia euidens causa intercederet) quasi præuaricator Quadragesimalis Ieunii haberetur.

IEIVNIVM INDICTVM PRO REB. ORIENT.

Sed de prompto animo S. R. E. Cardinalium vt succurrerent Terræ Sanctæ, idem Rogerius hæc recitat omni commendatione digna: nimirum eos de assensu Papæ inter se firmiter promisisse, quod abiectis omnibus diuitiis & deliciis, prædicarent Crucem Christi non solum verbo, sed etiã opere & exemplo; & euntes mendicando acciperent Crucem primi, & præcederent alios in terram Hierusalem. Statuisse etiam de eiusdem Pontificis assensu, firmissimam treguam (hoc est, inducias) inter omnes Principes Christianos vsque ad septennium; ita vt quicumque bellum contra Christianum medio tempore moverent, maledictioni Dei & Sũmi Pontificis, & excõmunicationi omnium Prelatorum vniuersalis Ecclesiæ subiacerent. Firmiter item inter se promisisse, quod nulla deinceps munera reciperent a quoquam cui negotium esset apud Apostolicam Sedem; sed ea tantum recipere possent, quæ pro ipsorum necessitate & sustentatione donata vel missa forent: Ac denique quod non conscendetent equum, quamdiu terra in qua pedes Domini steterunt, foret sub pedibus hostium. Hæc ipsi admiratione plane digna. At illud importune satis accidit Ecclesiæ Dei permolestum, vt ipse *Gregorius* Papa, nondum duobus expletis mensibus in Pontificatu, Pisis cum esset, ex hac vita migrarit decimoseptimo Calendas Ianuarii; qui tamquam sapientissimus architectus, magnæ molis construendæ iecerat fundamentum. Cuius sedes cum vacauerit dies viginti, agetur de eius successore anno sequenti.

IV. QVÆ LAVDABILIA STATVANT CARDD. PRO EADEM CAVSA.

GREG. PP. OBITVS.

Quod autem pertinet ad res Orientalis Imperii; tradit Nicetas, Isaacium Imp. exagitatum bellis ciuilibus, spiritualibus imprimis rem egisse auxiliis, translata Dei-Genitricis veneranda Imagine in mœnia urbis, vbi bellum & aggressus hostium timeretur: insuperque monachos sanctiores introduxisse in Regiam ad preces, nudipedalia, humicubationes, & alias sanctas exercitationes frequentandas; quibus Deum placans, liberatus est ab imminenti exitio.

V. PIA GESTA ISAACII IMP.

IESV CHRISTI AN. 1188.

CLEM. III. AN. 1.

FRIDER. 34.

ISAAC. ANG. 3.

ANno Domini millesimo centesimo octogesimo octauo, Indictione sexta, octauo Idus Ianuarii, *Paulinus* Cardinalis Episcopus Prænestinus, patria Romanus, electus est Summus Pontifex in locum nuper defuncti Gregorii Octaui; dictusque CLEMENS Tertius. Qui statim indictam à decessore expeditionem in Terram Sanctam ad perfectum ducere laborauit, & Indulgentiam confirmauit, statuẽs vt quicumq; ea de causa sacram Crucem susciperet, de omnibus peccatis de quibus pœnitens confessus esset, liber esset & absolutus. Idemq; statuit, vt ab vniuersa Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad Dominum pro pace, & liberatione Hierusalem, & Christianorum captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Hæc Rogerius Anglus; qui & præscriptam tunc ab eodem Pontifice, inter Missarum solemnia dicendarum per singulos dies precum formam recenset.

I. CLEMENS PP. III.

Idemq; addit, habito inter hæc apud *Gisortium* duodecimo Calendas Februarii *Conuentu* Regum Franciæ & Angliæ, cũ suis Prælatis & Baronibus, cui etiam interfuit Archiepiscopus

II. REGES FRANC.

ET ANGLOR. CRVCEM SVMVNT PRO EXPEDIT. SANCTA.

pus Tyri; adeo huius præſtantiſſimi viri oratione illos commotos eſſe, vt depoſitis mutuis inimicitiis, conſenſerint de manu eius Crucem accipere: eademque hora apparente ſigno CRVCIS in cœlo, eo viſo miraculo ceteros cateruatim ruiſſe ad ſuſceptionem Crucis. Ipſos vero Reges in ſuorum militum diſtinctionem, Crucis colorem variaſſe, ita vt Rex Franciæ cum ſuis Cruces rubeas, Rex Angliæ albas, & Philippus Comes Flandriæ virides ſuſceperint: ac poſt hæc vnumquemq; ad parandas res neceſſarias reuerſum eſſe ad ſua. Statuiſſe vero aſſenſu & conſilio Epiſcoporum & Baronum ſuorum, vt omnes tam Eccleſiaſtici quam laici (exceptis illis qui ipſam peregrinationem ſuſciperent,) ad impenſas expeditionis decimam reddituum & mobilium ſuorum integre perſoluerent, ſub pœna excommunicationis. Prohibuiſſe quoque deiuria, & aleas, & omnem luxuriam veſtium atq; conuiuiorum, & vt nullus aliquam mulierem duceret in peregrinatione, niſi forte quamdam lotricem peditem, de qua nulla eſſet ſuſpicio. Scribit hæc omnia pluribus Rogerius. Et quod ſpectat ad eiuſmodi *Decimarum* impoſitionem; extat etiam earum indictionis decretum à Francorum Rege Philippo, aſſenſu Epiſcoporum ſancitum, apud Rigordum in Vita ipſius: quas & *Saladinas* dictas, ob bellum aduerſus Saladinum indictum, teſtatur. Sed quod eiuſmodi earundem penſitatione plurimum grauarentur Eccleſiæ, atque pauperes anguſtiarentur; ſcripſit Petrus *a* Bleſenſis, inſignis pietatis, doctrinæ, atque zeli Chriſtiani vir, epiſtolam ad Epiſcopum Aurelianenſem, hortans vt ſe Regi talia præſcribenti obiiceret; prorſus dignam, quam legant illi, qui quouis prætextu fauent Regibus aduerſus pauperes & eccleſias; cum multis auctoritatibus, exemplis, atque rationibus è Sacra Scriptura petitis demonſtret, *non debere eos qui pro Eccleſia pugnant, Eccleſiam ſpoliare, ſed potius inimicorum ſpoliis, donis triumphalibus illam ampliare: & numquam pauperum, numquam Eccleſiæ ſpolia proſperum habuiſſe euentus auſpicium.* Idemque ad *b* Decanum Rotomagenſem, qui apud Regem Anglorum plurimum poterat, eadem inculcans, inter alia ait, *Eccleſiam à diebus antiquis liberam eſſe, & filios eius. Quod ſi Principes nouæ peregrinationis obtentu velint orbem deſcribere, & Eccleſiæ Chriſti tributarius functionibus characterem ſeruitutis murere; qui filius Eccleſiæ eſt, ex aduerſo aſcendat, ac mori potius eligat, quam ſeruire.*

DECIMÆ SALADINÆ.

a Pet. Bleſ. ep. 112.

CONTRA EXIGENTES DECIMAS AB ECCL.

b Id. ep. 121. Aſſ. Baron. 22. ſeq.

III.

Ceterum cum ad eiuſmodi diſponendam expeditionem, vt vidimus, pax facta eſſet inter eoſdem Reges Francorum & Anglorum, & vterque diligenter in opus incumberet: tamen retardata eſt illa, quod (vt ait Rogerius) miſſus hoc eodem anno à Clemente Papa in Gallias Henricus Cardinalis Epiſcopus Legatus, excommunicationis ſententia Richardum Pictauiæ Comitem, filium maiorem natu Regis Angliæ, perculerit; cuius occaſione quæ fuerat ſancita inter Reges pax turbata eſt. At nihilominus Fridericus Imperator (ſubdit idem auctor) accepta Cruce de manu Henrici Cardinalis Albanenſis, prouide itineri neceſſaria parans, imprimis reconciliauit ſe Deo & Sanctæ Eccleſiæ, atque eius Pontifici Clementi; ac deinde ſcripſit ad Saladinum Principem Saracenorum, præfigens ei terminum à Calendis Nouembris huius anni vſque ad reuolutum anni circulum, quo niſi Terræ Sanctæ poſſeſſionem Chriſtianis reſtitueret, prælium ei indiceret in campo Taneos in virtute viuificæ Crucis, & in nomine veri Ioſeph. Tradit hæc Rogerius, ipſamq; Friderici epiſtolam, magnifica de ſe ſuiſq; viribus prædicantis, recitat: quam & recenſens, ſed alia verſione Matthæus Paris, Saladini quoq; redditam ad Fridericum reſponſionem deſcribit, minaci ferocitate conſcriptam, qua res ſuas geſtas, & immenſam regnorum potentiam, ac populorum bellicoſitatem iactat. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

FRID. IMP. AC SALADINI MVTVÆ EPISTOLÆ.

IV.

Hoc eodem tempore Gaufredus monachus Ciſtercienſis, diſcipulus olim S. Bernardi, cum rogatus ab Epiſcopo Cardinali Albanenſi, res in Gallia geſtas in cauſa Giliberti Porretani coram Eugenio Papa Tertio, ſcripſiſſet; (prout dictum eſt ſuperius tempore illius controuerſiæ;) paulo poſt per eundem Cardinalem conſulit *c* Romanam Eccleſiam, quid ſentiendum eſſet de ventilata nuper in Gallia quæſtione, de aqua mixta vino in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio; aſſerentibus aliis eam ſimiliter cum vino mutari in ſanguinem Chriſti, aliis vero negantibus; quorum vtrorumq; rationes

c Recitat eius epiſtolã Baron. Ann. Tom. XII. hoc an. QVÆSTIO ORTA DE AQVA CALICIS.

recenſet. Quid autem reſcripſerit Cardinalis, non inuenimus: ſed aliud reſcribere nõ potuiſſe certum eſt, quam quod credidit & cuſtodiuit ſemper S. R. E. nimirum aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.

In cuius confirmationem veritatis, accidit quoq; his diebus inſigne miraculum, quod refert in Slauorum Hiſtoria auctor huius ſæculi Helmoldus Abbas. Cum enim puella quadam in partibus Thuringiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ægrotante, ſacerdos poſt datum ei ex more viaticum, ablutionem digitorum faciens in calice vitreo, vt illam aquã puellæ bibendam traderet, inſcienter portiunculam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in eam excuſſiſſet; cõfeſtim tota aqua mutata eſt in ſanguinem, & portiuncula formam accipiens digituli verſa eſt in cruentam carnem. Sed & interim dum mittitur pro tanto prodigio ad Archiepiſcopum Moguntinum, calice ſuper altari reuerenter poſito, videntibus cunctis columba venit ſuper labrum calicis, & diu ſedit, non ſine admiratione cunctorum, quod mole corporis ipſum non euertiſſet, quippe parte inferiori longe anguſtior eſſet quam ſuperiori: vnde creditum eſt, eam nõ corporalem, ſed ſpiritualem eſſe columbam. Adueniens autem Archiepiſcopus cum omnibus Prælatis ſuis, & vniuerſo Clero, ac multo populo; poſt apportatum cum ſupplicationibus & proceſſionibus Sanguinem in prædictam ciuitatem Erpisfordienſem ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis, hortatus eſt omnes orare, vt diuina clementia quæ ad euacuandum errorem infidelium, vel corroborandam fidem ſuorum, Sacramẽtum, quod ſub ſpecie panis & vini ſanctificatur, vere ſuam carnem & ſanguinẽ euidentiſſimis indiciis demonſtraſſet ad laudem & gloriam nominis ſui, ſimiliter etiam ad iucunditatem & exaltationẽ Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, rurſus in priorem ſubſtantiam panis & vini transformare dignaretur. Quod cum poſt multam demum orationem factum eſſet, Archiepiſcopus, egregio habito in laudem tanti Sacramenti ſermone, in gratiarum actionem noui iſtius miraculi, iniũxit omnibus in ſua diœceſi conſiſtentibus, à minimo vſq; ad maximum, ab infantulis vſq; ad decrepitos, vt incuruati adorarẽt Dominum IESVM, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Idq; adeo factum eſt, vt etiam qui in cunabulis iacebãt, incuruati gratias agerent. Deniq; Archiepiſcopus ipſam aquam tranſubſtantiatam, in alio vaſculo pretioſo ad poſteritatis memoriam in eadem Eccleſia honorifice repoſuit; priorem vero calicem Moguntiam detulit, vbi exinde maximæ veneration ab omnibus eſt habitus. Hęc ibi de tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti, per commixtionem viuifici corporis diuinitus facta. quod quidem ſemper fieri in vino, cum commixtio intercederet, antiquitas exiſtimauit. Vnde illud *d* Romani Ordinis, *Vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum.* Sed hæc prolixiorem exigerent diſputationem. Confutauit autem hoc miraculum nuper enarratam hæreſim, negantiũ aquam vino mixtam mutari in ſanguinem.

d Ord. Ro.

prolixe, ac plane egregie, poſt hæc a Baronio ſcripta, in cõfirmationem eius ſententiæ tractauit Ægid. de Coninck Soc. Iesv tom. 1. de Sacram. q. 74. art. 8. dub. un.]

V. DE EVCHAR. INGENS MIRACVLVM.

Quod eſt ap. Baron. an. 1192. nos vero hic poſuimus occaſione quæſtionum præcedentium.

ALIVD IN EADEM RE MIRACVLVM.

IESV CHRISTI AN. 1189.

CLEM. III. AN. 2.

FRIDERICI 35.

ISAAC. ANG. 4.

I.

ANNO Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono, Indictione ſeptima, Clemens Papa Ioannem Anagninũ Cardinalem miſit in Gallias, ad conciliandam pacem inter Reges Francorum & Anglorum, vt ad ſubſidium Terræ Sanctæ vterq; pergeret. Ad cuius inſtantiam cum prędicti Reges dediſſent cautionem ſtandi iudicio illius, & Archiepiſcoporum Rhemenſis, Bituricenſis, Rotomagenſis, & Cantuariẽſis; atq; idem Legatus cum præfatis quatuor Archiepiſcopis ſtatim protuliſſent ſententiam excõmunicationis in omnes tam clericos quam laicos, per quos ſtaret quominus pax fieret inter Reges: nihilominus in mutuo congreſſu habito apud Feritatem Bernardi, (ita locum nominatum) minime potuerunt inter ſe concordare. Vnde cũ Legatus minaretur, niſi Rex Francorũ plene cõponeret cum Anglo ſe regnum eius ſub interdicto poſiturum; reſpondit ei Rex, ſe non

REX FRAN. LEGATVM MINANTEM VRGET.

timere

timere eius sententiam, cum nulla æquitate niteretur. addiditque iam ipsum Legatum sterlingos Regis Angliæ olfeciſſe: *nec pertinere ad Ecclesiam Romanam, in regnum Francia per sententiam, vel alio modo animaduertere, si Rex in homines suos* (qualis videlicet esset Rex Angliæ) *demeritos, & regno rebelles, causa vlciscendi iniurias suas, & coronæ dedecus, insurgeret.* Ceterum armis Francorum perstrictus Anglus, conditiones quas Francus præscripsit, inuitus licet accepit. Sed pax illa tenuit, quamdiu vixit idem Rex Angliæ Henricus: qui hoc ipso anno decessit pœnitens in Octauis SS. Apostolorum; sepultusque est in monasterio Fontis Ebraldi. Habet hæc omnia pluribus Rogerius.

I. RICHARDVS REGNAT IN ANGLIA.

Successit autem in locum eius, filius maior natu Richardus, consecratus tertio Nonas Septembris; qui mox aduersus Francorum Regem exercitum mouit. Cum vero Archiepiscopum Cantuariensem in Angliam misisset, vt Episcopis ac Prælatis in vnum conuocatis, indicaret Regem pecuniis indigere, cupereq, ab illis adiuuari; tunc Magnus ille *S. Hugo*, qui ante triennium ex Priore Carthusiano creatus fuerat Episcopus Lincolnienſis, & consueuerat infractus stare aduersus Reges, eorumque ministros labefactantes Ecclesiæ iura; (vt pluribus docetur in eius Rebus a gestis, ab eius familiari conscriptis;) cum animaduertisset pauperculam plebem ea ratione grauari, coram omnibus perorans aduersus eiusmodi exactionem, ceteris eam admittentibus, ipse omnino negauit Regi in eo acquiescere. Vnde Rex valde iratus, misit qui eum sede pellerent, & bona eius Ecclesiæ fisco addicerent. At ille antequam ij manum ad prædandum extendissent, iussit omnes in vicinis parochiis, pulsatis campanis, excommunicatos denuntiari: qui nutu diuino territi, cõtinuo recesserunt, timentes à dæmone præfocari, vel alia morte pessima perire; sicut multis aliis iam euenerat, quos sanctus Episcopus percusserat anathemate. Ipse vero continuo ad Regem properans, licet eum valde indignatum reperisset, extorsit tamen ab inuito pacem & osculum; adeoq; ipsum sua magnanimitate pulsit, vt & mitissimo animo ipsius sanctissimi viri acres obiurgationes acceperit. Quo abeunte, Rex conuersus ad suos; *Stommes* (inquit) *Episcopi tales essent, nihil aduersum eos possent siue Reges, siue Principes.* Vnde & dictus est *Regum Malleus*, quod perpetuo de ipsis triumpharet, dum reliqui Antistites eisdem se obsequentes in omnibus exhibentes, permulta indignissima pari cogerentur. Hæc pluribus in eius Vitę Actis. Ceterum Richardus Rex (inquit Rogerius) obtentis à Clemente Papa literis, vt quoscumq; ipse vellet dimittere ad terras suas custodiendas, essent immunes à captione Crucis, & ab itinere Hierosolymitano; inde sibi inæstimabilem acquisiuit pecuniam.

a *Ap. Sur. 17 Nouemb.* S HVGO LINCOLNIEN RESISTIT REGI.

FVIT REGVM MALLEVS.

III.

Inter hæc, dum sic Reges Francorum & Anglorum, ob mutuas dissensiones bellicas, protelarent profectionem in Orientem; Fridericus Imp. omni excusatione remota, hoc anno *b* eam suscepit cum expeditione terrestri & nauali. Cuius itinerarium conscripsit Arnoldus *c* Abbas, qui & numerum militum habito delectu fuisse centum quinquaginta millium armatorum affirmat. Sed propter ingruentes afflictiones, & Isaacij Græcorum Imperatoris inconstantiam, non nisi anno sequenti in Thraciam peruenit. Quænam autem passus sit Græcorum opera, ab eodem petas auctore. eaſdemq; res singulas, qui aderat prosecutus est Nicetas, *d* tum Præfectus Isaacij in rebus administrandis bellicis. Nocuit vero huic expeditioni maxime, quod impostor quidam *Dositheus* monachus Studita (vt idem *e* auctor docet) vatem se esse professus, fallis vaticiniis perculit animum Isaacij, quibus affereret Fridericum sub prætextu expeditionis aduersus Saracenos, habere in animo potiri ciuitate Constantinopolitana. Qui quidem in præmium redditæ reuelationis, primo Patriarchatum Hierosolymitanum Græcorum, deinde Constantinopolitanum accepit.

b *Robert. Append. ad Sigeb.*
c *Arnol. Chron. Slauor. lib. 3. cap. 29.*
FRID. IMP. EXPEDITIO IN ORIENTEM.
d *Nicet. in Isaac Ang. lib. 2.*
e *Id. lib. 6.*

IV. ALTERCATIO PRO SVCCESSIONE REGNI SICIL.

Mortuus est hoc anno Willelmus Rex Siciliæ absque liberis, Constantia nupta Henrico Regi (vt vidimus) regni herede relicta. Sed Tancredus eiusdem Willelmi consanguineus vendicans sibi regnum, bellum ciuile conflauit. Ad quem pellendum, Henricus exercitum in Italiam misit: qui cum plurima damna rebellibus intulisset, re tamen infecta reuersus est in Germaniam. Hæc Rogerius in Annalibus. Romanum vero Pontificem fauisse Tancredo, eique inuestituram more maiorum concessisse, testantur Neubrigensis *f* & Arnoldus *g*. Calamitates autem, in quas Siciliæ regnum obitu Willelmi coniectum est, luxit in sua Historia Hugo Falcandus, qui aderat.

f *Neubrig. l. 3. cap. vlt.*
g *Arnol. l. 4. cap. 5.*

IESV CHRISTI AN. 1190.

CLEM. III. AN. 3.

FRIDERICI 36.

ISAAC. ANG. 5.

ANNO Domini millesimo centesimo nonagesimo, Indictione octaua, Philippus Rex Francorum soluens è Galliis Orientem versus, tempestate maris pulsus in Siciliam die decimasexta mensis Septembris, illic inuitus hiemare coactus est; vna cum Richardo Rege Angliæ, qui & ipse Massilia soluens, Messanam appulit die vigesima tertia eiusdem mensis. Quæ autem illic inter Siculos & Anglos graues sint ortæ discordiæ, necnon turbæ excitatæ inter eosdem Anglos & Francos, paxque inter eos renouata opera Episcoporum, ac leges nauticæ sancitæ; hæc omnia singillatim describit Rogerius in suis Annalibus. Composuit quoque tunc Richardus cum Tancredo Siciliæ Rege, negotia sororis suæ Ioannæ, relictæ Willelmi defuncti Regis: iniitque cum eodem Tancredo fœdus, sub pacto contrahendi matrimonij inter Arthurum Ducem Britanniæ, futurum heredem ipsius Richardi si absq; prole decederet, & filiam Tancredi, sub conditione dispensationis Sedis Apostolicæ; quam & sequestrem fecerunt capitulorum inter se conuentorum: sicut de his constat ex literis tunc ab eodem Richardo conscriptis ad Clementem Pontificem, quas Rogerius recitat.

I. REGIS FRAN. ET ANGL. AP. PELLVNT IN SICILIAM.

Post hæc vero idem Richardus (inquit idem auctor) recordatus fœditatis vitæ suæ, cum vepres libidinum excessissent caput eius; post contritionem cordis, conuocatis in vnũ vniuersis Archiepiscopis & Episcopis suis, qui cum eo erant apud Messanam, nudus procidens ad pedes eorum, peccata sua coram illis Deo confiteri non erubuit; & ab ipsdem pœnitentiam recepit, factusq; est ab illa hora vir timens Deum, recedens à malo, & faciens bonum. Habuit etiam colloquiũ cum *Ioachimo* Abbate de Curatio, monacho Cistercienſi, qui propheta Dei circumferebatur esse in Sicilia; sed tam suis ipsius vanis responsis, quam inanibus prædictionibus inuentus est pseudopropheta, cum pleraq; asseruit ventura quæ penitus in contrarium acciderunt: quod signum dedit *a* Deus populo suo, ad cognoscendum verum prophetam à falso. Vnde & auctor ipse qui tunc ista scribebat, Rogerius, veritatem prædictionum eius ab euentu fore noscendam asserens; ex eo plane diuerso ab ipsis prædictionibus, conuicit eum impostorem extitisse: qui & postea sententiam condemnationis, cum suis scriptis, accepit sub Innocentio Papa Tertio.

II. RICHARDI REGIS PVBLICA POENITENTIA.

ABBATIS IOACHIM CVM RICHAR. CONGRESSVS.

a *Deut. 18.*

Hoc eodem anno, quarto Idus Iunij, Fridericus Imp. immensis plane superatis itinerum, hostium, penuriæ, aliarumque plurimarum difficultatum laboribus, in expeditione pro Terræ Sanctæ recuperatione; post victos sæpissime Turcas, Soldanique Iconij ferme incredibilem quadringentorum millium equitum exercitum ingenti prælio prostratum, sub ductu S. Georgij Martyris, (qui frequenter ea peregrinatione visus est Imperatoris acies præcedere:) cum vix ea pugna Imperator sexcentos haberet in suo exercitu equos, reliquis ob defectum pabuli extinctis: post item captam nouo miraculo à Duce Sueuiæ, cum aliis sex dumtaxat sibi adiunctis, opulentissimam ciuitatem Iconij; fugataq; eodem tempore ab Imperatore alia ducenta millia equitum: post hæc, inquam, ingentia peracta, cum peragrans idem Fridericus Imp. partes inferioris Armeniæ, transita in conuallibus mõtium rapidissima quadam aqua, voluisset in ea post prandiũ nando recreari; casu inopinato submersus est. Quonam autem modo cuncta ista se habuerint, dilucido compendio descripsit, qui cunctis interfuit, licet incertus auctor, scripta ea de re epistola, quæ extat *b*: cui tutius credendum, testi

III.

FRID. IMP. INSIGNES RES GESTÆ CONTRA SARACENOS.

EIVSDEM DEPLORANDVS OBITVS.

b *In Appen. ad Radeuic.*

oculato›

oculato, quam aliis ex auditu tantum res geſtas referentibus. Apponit vero Arnoldus *c*, de lamentabili caſu Friderici luctum communem vniuerſi Chriſtiani Orbis. Nam non Occidentalium tantum, ſed & Orientalium, & ipſorum quoque æmulorum Græcorum animos dolor pertigit, cum & rem geſtam Nicetas Choniata illorum doctiſſimus proſecutus ſit ſtylo lugubri valde, laudans eumdem Imperatorem. De cuius etiam morte extat Petri *d* Bleſenſis acerbiſſima lamentatio.

c Arnol. Apad ad Helmold. l.b. 3. cap. 33. 34.

d Pet. Bleſ. ep. 169.

IV. QVORVM CRIMINVM LVERIT PORNAS.

Sed quod ingens quoque omnes admiratio inuaſerit, cur Deus permiſerit in tam calamitoſo ſtatu rerum Chriſtianorum, tam cito abripi tantum præſidium, cui dediſſet adeo læta atque felicia principia, vt eius vel ſolo nomine conſternati hoſtes videri poſſent; ex omnibus iſta ſcrutantibus magis illorum conſilium laudem meretur, qui à profunditate & abyſſo iudiciorum Dei traxere pedem, quod nefas ſit mortalem ſedere arbitrum conſiliorum eius. Verum quod propter peccata ſæpe adverſa contingere certum ſit, ad illam nonnulli *e* reuocarunt culpam interitum Imperatoris, quod diuturno iniquiſſimo bello inceſſerit Romanam Eccleſiam: hocque peccatum tale fuiſſe, vt vix potuerit inter delitias Imperiales expiari, atq; ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia diuinitatis proviſione in hac vita ſeuerius caſtigari. Porro ſublato illo, filius eius Dux Sueviæ Conradus, qui cum eo in expeditione erat, collectis in vnum viribus, in Terræ Sanctæ auxilium properauit: verum & ipſe in obſidione Acconitana diem clauſit extremum.

e Neubrig. li 4. cap. 13.

V. HENR. REX GERM. PETIT IMPERIVM A ROM. PONT.

Henricus autem Rex Germaniæ, eiuſdem Imperatoris filius, quem in patria reliquerat, audita morte patris, (inquit Rogerius) miſit Nuntios ſuos ad Clementem Papam, & ad Cardinales, & Senatores Vrbis, petens Romanum Imperium, & promittens ſe in omnibus leges & dignitates Romanas ſeruaturum illæſas. Clemens vero habito cum Cardinalibus & Senatoribus conſilio, conceſſit Regi quod petebat, ſaluis dignitatibus & conſuetudinibus Romanorum: & ſtatuerunt ei terminum veniendi Romam, proximum Paſcha.

IESV CHRISTI AN. 1191.

CÆLESTINI III. 1.

HENRICI V. 1.

ISAACI ANG. 6.

I. CLEM. PP. III. OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo primo, Indictione nona, quarto Idus Aprilis, *Clemens* Papa obiit, antequam Henricum potuiſſet coronare Imperatorem, qui iam Vrbi appropinquabat. Electus vero eſt in eius locum *Hyacinthus* diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmedin, patria Romanus; & in vigilia Paſchæ ordinatus eſt in ſacerdotem; ipſaque die Paſchæ, quæ contigit decimooctauo Calendas Maii, cõſecratus in Romanum Pontificem, dictuſque CÆLESTINVS Tertius. Hæc Rogerius *a*, & Arnoldus *b*. Erat autem tunc Cæleſtinus plane decrepitæ ætatis; quippe quem in functione diaconatus ſexaginta quinque annis permanſiſſe, teſtis ſit Petrus *c* Bleſenſis *d* Richardum Epiſcopum Londonienſem. Quod autem ſpectat ad eius conſecrationem; Cencius Camerarius, qui aderat & iſta videbat, cæremonias illas exacte deſcripſit *d*, quibus tunc temporis creari & conſecrari conſueuerant Romani Pontifices.

CÆLEST. III. CREATIO. a Roger. in Annal. Angl. b Arnol. Chrõ Slauor. lib. 4. cap. 4 c Pet. Bleſ. ep. 123. d Rec. Farõ. in cod. Vat.

II. CORONATIO HENRICI IMP. QVOMODO FACTA.

Poſtera autem die à conſecratione Cæleſtini, (ut ait Rogerius) venit ad eum *Henricus* Rex Germaniæ cum Conſtantia vxore ſua: à quo Pontifex ad gradus Eccleſiæ S. Petri recepit ſacramentum, quod Eccleſiam Dei, & iura Eccleſiaſtica ſeruaret illæſa, rectam iuſtitiam faceret, & patrimonium B. Petri in integrum reſtitueret. Deinde introduxit eum in eccleſiam, & vnxit in IMPERATOREM, vxoremque eius in *Imperatricem*. Sedebat autem Pontifex in ſede Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter, de pedibus Pontificis. Statim vero Pontifex pede coronam Imperatoris deiecit in terram, ſignificans quod ipſe poteſtatem eiiciendi eum ab Imperio haberet, ſi ille demereret: ſed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris. Hæc Rogerius. Porro factum huiuſcemodi Pontificis auſpicandi Imperii ſcias ea ratione recens adhibitum, quod Henricus ſucceſſor & filius eſſet illius, qui poſt idem ab Eccleſia acceptum ſummum beneficium, de ipſa tamen adeo male meruiſſet. Adfuit conſecrationi Gotifridus Viterbienſis Notarius Imperatoris; qui rogatus ab eo tunc carmine deſcripſit myſteria omnium inſignium *e* Imperialium, nempe Crucis, enſis, ſceptri, coronæ, lanceæ, pallæ, &c. Narrat inſuper Rogerius, Romanos cum Cæleſtino Papa egiſſe, vt antequam Henricus coronaretur, exigeret ab illo reſtitutionem ciuitatis Tuſculanæ quam detinebat reſtitutamque Pontificem Romanis conceſſiſſe, qui confeſtim illam ita deſtruxerunt, vt lapis ſuper lapidem non remanſerit. Vlciſcente tandem numine ſummam ignominiam, qua eius Comites ſæpius Apoſtolicam Sedem affecerant: præter multiplices alias clades & iniurias Romanis ciuibus inde illatas.

e Vide ſup. ad an. 1014. li.

III. INVADIT REGNVM NEAPOL.

Poſt hæc vero profectus Imperator in Apuliam, vt regnum Siciliæ occuparet tanquam vxori ſuæ debitum; multis receptis ciuitatibus, cum ad obſidionem Neapolis ſe conferens, vxorem Salerni reliquiſſet, illam Salernitani rebellantes proditione captam, miſerunt in Siciliam ad Tancredum ibi auctoritate Apoſtolica regnantem. Ipſe vero Imperator, lue laborante exercitu, vix morbo liber, Mediolanum ſe recepit, ac Cæleſtinum Papam per literas rogauit, vt ageret pro liberatione vxoris. quod ille præſtitit anno ſequenti; receptamque à Tancredo in Germaniam remiſit. Narrantur iſta ab Arnoldo, *e* Rogerio, *f* & in Chronico Foſſænouæ.

c Arnold. li. 4. c. 15. f Roger. in Ann. Angl. hoc an.

IV. REX GALLÆCIÆ EXCOMMVN. OB CONIVGIVM INCEST.

Hoc item anno fuit agendum Cæleſtino Papæ apud Reges Hiſpaniarum, pro diſſolutione matrimonij, quod Sancius Rex Portugallenſis conciliauerat inter Tarſiam filiam ſuam & Adelfonſum Regem Gallęciæ nepotem ſuum. Et licet multum laboratum eſſet à Summis Pontificibus vt ſeparentur, atque adeo Regem Gallæciæ refractarium excommunicaſſent, ac terram eius interdicto ſubiecciſſent; nihilominus retinuit eam ipſe per quinque annos, quibus tres ex ea genuit filios. Quouſque inſurgens in eum Adelfonſus Rex Caſtellę, coegit eum relinquere illam, & accipere filiam ſuam in vxorem. Hæc Rogerius in Annalibus.

V. REGES FRANC. ET ANGL. IN PALÆST.

Eodem Anno Rex Frãcorum Philippus, deinde Richardus Rex Anglorum, ſoluentes Meſſana peruenerunt in Palæſtinam. Deſcribit ſingulorum nauigationem Rogerius adeo diſtincte, vt plane videatur ipſe interfuiſſe rerum geſtarum inſpector, vel accepiſſe ab aliquo qui præſens inſpexit. Cum autem inter vtrumque Regem, tum ob antiquam æmulationem, tum ob recentes diebus ferme ſingulis emergentes occaſiones, oborirentur diſſidia, & interdum vſque ad ſanguinis effuſionem; Rex Francorum expugnata Acconę, relictis nonnullis ex ſuis, diſceſſit è Palæſtina: cumque veniſſet Romam, multa apud Pontificem conqueſtus de Rege Anglię, quod ipſum coegiſſet recedere; tam ipſe, quam omnes qui cum eo venerant, vel poſt eum venturi eſſent, abſoluti ſunt per Pontificem à voto profectionis Hieroſolymitanæ: diſtribuitque eis Pontifex palmas, & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens quod eſſent peregrini. Ita Rogerius, referans antiquos ritus de his qui votum Hieroſolymitanum impleſſent.

REX FRANC. REDIT IN GALLIAS.

VI. REGIS ANGL. RES GESTÆ.

Rex autem Angliæ, cum Meſſana ſoluiſſet, tẽpeſtate maris delatus in Cyprum, aduerſantem ipſi Iſaacium tyrannum, qui in ea Inſula agebat Imperatorem, expugnauit; eodemq; ducto captiuo, potitus eſt Inſula. Inde vero appulit in Palæſtinam, perſtititque cum Rege Francorum in expugnatione Acconis: ac poſt eius receſſum, ſæpe cum Saladino proſpere pugnauit. Sed nouis obortis inter Principes diſcordiis, deploratiſque rebus diſceſſionem cogitans, fœdus cum Saladino ad triennium ſtatuit, regnum Hieroſolymorũ Henrico nepoti tradidit, (Conrado competitore nece ſublato) ac Guidoni olim Regi (quẽ Saladinus poſt vnius anni carcerem, liberum certis conditionibus dimiſerat) loco regni

Inſulam

Insulam Cypri concessit:hisque peractis,octauo Idus Octobris redituras in Angliam soluit Accone.Sed passus in Hadriatico sinu naufragium, ex quo vix saluus cum paucis euasit, dum compendiosiori via per Germaniam transiret in Angliam,in territorio Viennensi,quantumlibet incognitus iter faceret,cognitus tamen,à Leopoldo Austriæ Duce captus est ad finem anni sequentis, & ad Henricum Imp.transmissus. Prosequitur ista omnia singillatim Rogerius hoc & sequenti anno.

CAPTIVVS DETINETVR IN AVSTRIA.

VII.

Quænam autem præcesserit Regis captionis causa,recenset Matthæus Paris, prosecutus sua historia res Anglorum: nempe quod Duce Austriæ in Terra Sancta militante, cum aliquando ministri eius hospitium quoddam ei præpararent, ac superueniens præcipitanter quidam de familia Regis Angliæ,iactaret se prius illud sibi suisq; sociis assignasse; multiplicatis vtrimq;conuiciis,Rex audito rumore,sed re non cõsiderata,nimium suis fauens, subito præcepisset vt vexillum Ducis in eo hospitio pro signo affixum, in cloacam deiiceretur; & Dux Regem querulus adiens, nihil nisi sannas reportasset. Qui inuocans Deum in vltionem cum lacrymis, postea ad propria reuersus, haud inuitus arripuit oblatam sibi occasionem retinendi Regis: & ad exercendam vindictam confortem adhibendum putauit Imperatorem; qui & ipse ab eodem Rege multipliciter se quereretur offensum, tum ob eamdem iniuriam illatam consanguineo suo, tum ob Regem Cypri, qui ei affinitate coniunctus erat, iniuste captum spoliatumque:itemq; quod ipse (vt dicebat) per eiusdem consilium & auxiliũ,regnum Siciliæ amisisset:quodque Marchio Montisferrati,ipsius Imperatoris hæres, illius proditione & machinatione ab Arsacidis peremptus fuisset: ac denique eosdem ille misisset, ad occidendum Regem Francorum dominum suum, cui nec vllam fidelitatem seruasset in communi amborum peregrinatione. Hæc enim siue vera, siue prætenta, obiecit postea Imperator Regi Richardo in Conuentu Episcoporum ac Principum: quæ tamen facile Regem diluisse,idem auctor ait.Et quidem quod argueretur auctor fuisse necis Marchionis de Monteferrato, & machinator mortis Regis Francorum; procuratæ sunt literæ excusatoriæ à *Sene de Monte*,ipso nempe Principe Assassinorum (hic namq;titulus illi) quibus innocens penitus idem Richardus declararetur;quas recitat Neubrigensis. *g*

CAVSA EIVS CAPTIVITATIS.

g Neubrig. lib.5.c.14.

VIII. MOTVS IN ANGL. ADVERS. PROREGEM.

At antequam ista fierent,statim vt idem Rex expeditionẽ in Terram Sanctam suscepisset,status regni ipsius vehementer perturbatus est factionibus fratrum eius, Ioannis Comitis Moretonij & Gaufredi Archiepiscopi Eboracensis,quem olim vidimus renuntiasse Episcopatui Lincolniensi.quorum leuitatem Rex præsentiens, relictis iis in Northmannia, ac iuramento astrictis, ne in regnum eo absente irent,aut aliquid innouarent; Vicarium suum in Anglia constituerat Willelmum Episcopum Elicnsem Cancellarium suum, quem & Legatione Apostolica firmari à Clemente Papa obtinuerat. Iidem igitur fratres ipsius,contra iusiurandum Angliam perturbantes, cum Willelmum Proregem conatibus suis aduersantem sensissent,eundem dire exagitarunt, atque tandem occultam fugam inire coegerunt: & vt hæc iuste fecisse viderentur,famosum aduersus eum libellum, per Hugonem Couentrensem Episcopum harum turbarum incentorem,pessimæ vitæ hominem, per Orbem peruulgari curarunt,quo illum omnium scelerum reum falsissime constituerunt.Quomodo vero hæc cuncta se habuerint,videre est fuse apud Rogerium in Annalibus hoc anno. Sed non defuerunt,qui pro viro prudentissimo, ac regni administratore fidelissimo,defensionem susceperint. Nam inter alios Petrus Blesensis Archidiaconus Bathonicnsis,doctrina & probitate omnibus notus, atque omnis penitus adulationis & conniuentiæ expers, cum ad ipsum Elicnsem Episcopum literas *h* consolatorias, simulque egregiarum ipsius virtutum prædicatrices,tum ad Hugonem eius criminatorem acerrimam inuectiuam scripsit. Atque ipse Cælestinus Papa, mox vbi hæc audiuit,Archiepiscopis & Episcopis Angliæ literis *i* suis præcepit,vt tam ipsum Comitem Moretonii,quam reliquos omnes impressionum in Elicnsem factarum Consiliarios, auctores, complices, & fautores, accensis candelis & pulsatis campanis, omni appellatione, vel personarum acceptione postposita, publice denuntiarent excommunicatos, & tamdiu facerent eos à reliquis omnibus vitari, vsque dum Elienſi Legato, ac Regno ipso in pristinum statum plenissime restitutis, iidem ad Sedem Apostolicam accederent absoluendi. Cumque rursum inter eundem Elienſem, & Walterum Archiepiscopum Rotomagensem, quem Rex ad sedandos tumultus delegasset, aliæ graues dissensiones ortæ essent;idem Pontifex iustitiam Elienſis firmiter defendit: prout ista omnia plenius pertractata habentur apud Rogerium hoc & sequenti anno. Ac denique Elienſem à seditiosis expulsum, restitutum fuisse à Rege in pristinum honorem,docent ipsius Regis literæ *k* ad Reginam matrem & Iustitiarios suos scriptæ.

h Petr.Blef. ep.87.118. & ap.Roger.in Ann.

i Ext.ap.Roger.in Ann.

EXCOMMVNICATIO IN FRATREM REGIS.

Contigit vero etiam hoc ipso anno in eadem Anglia,illud memoria dignum facinus mirifici illius S.Hugonis Episcopi Lincolnienſis, quod idem auctor in suis Annalibus descripsit;nimirum vt cum visitans domos Religiosorum suæ diœcesis,venisset ad Abbatiam Sanctimonialium de Godestoue, & intrans Ecclesiam vt oraret, vidisset tumbam in medio chori ante altare sericis pannis velatam, & lampadibus ac cereis circumdatam; quærensque cuius esset, audisset esse Rosamundæ, quæ fuerat amica Henrici Vltimi Regis,cuius amore ipse multa bona illi Ecclesiæ contulisset: subito præcepit auferri illinc,quia scortum fuerat, & sepeliri extra Ecclesiam,ne Christiana religio vilesceret, & vt exemplo illius ceteræ mulieres exterritæ cauerent sibi ab illicitis & adulterinis concubitibus. Sed quid mirum si hæc in mortuam Regis pellicem egerit, qui nec parceret viuentibus Regibus; quos pro Ecclesiastica vendicanda libertate redarguere minime prætermisisse vidimus.

k Ap.Roger. an.1193.

IX. S.HVGO PELLICEM REGIS EXTVMVLAT.

IESV CHRISTI AN. 1192.

CÆLESTINI III. AN. 2.

HENRICI V. 2.

ISAACI ANG. 7.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo secundo,Indictione decima, Cælestinus Papa quarto Nonas Martij,anno primo sui Pontificatus nondum exacto,ritu solemni retulit in Sanctorum Confessorum numerum *S. Vbaldum* Episcopum Eugubinum, miraculis post obitum clarissimum: sicut constat ex eiusdem Pontificis diplomate, quod seruatur in Archiuo Eugubino, ex quo Surius corrigatur, qui S. Vbaldum floruisse ait vsque ad annum millesimum ducentesimum decimum.

I. CANONIZATIO S. VBALDI.

Eodem anno idem Pontifex, petente Willelmo Scotiæ Rege,libertates Ecclesiæ Scotianæ confirmauit, vt eam penitus eximeret à subiectione Anglicanæ. Quapropter indulsit,vt ipsa Apostolicæ tantummodo Sedi, cuius filia specialius existeret,nulla alia mediante,subiaceret: & vt nemini liceret,nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato,in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare: itemq; vt nullus qui de regno Scotiæ non esset,nisi quem Apostolica Sedes de corpore suo specialiter destinaret,posset in eo Legatione fungi: ac denique ut controuersiæ, quæ fuissent in regno illo de possessionibus eius exortæ,ad examen extra regnum positorum iudicum non traherentur, nisi cum ad Romanam Ecclesiam fuisset appellatum.Recitat ipsum Cælestini priuilegium, datum tertio Idus Martij,ipsius Pontificatus anno primo,Rogerius in Annalibus sub anno præcedenti: qui & sub millesimo centesimo octogesimo octauo, aliud Clementis Papæ Tertii iisdem omnino verbis exaratum habet.

II. PRIVILEGIA CONCESSA ECCLESIÆ SCOT.

Hic item est annus,quo Cencius S.Mariæ Maioris Canonicus, & Pontificis Camerarius, consulturus rebus temporalibus Ecclesiæ Romanæ,aggressus est opus vtile valde, vt census qui tunc eidem Ecclesiæ à diuersis locis, monasteriis, ecclesiis,episcopatibus,villis,ciuitatibus, prouinciis,regnis

III. DE CENCIO CAMERARIO.

persol-

persoluerentur, in vnum colligeret ex tomis charticiniis (vt ait) & voluminibus Regestorum antiquorum Pontificum Romanorum atque modernorum, & aliorum librorum, seu memorialium veracium, quod eius opus ab ipso conscriptum, custoditur in Bibliotheca Vaticana.

IESV CHRISTI AN. 1193.

CÆLESTINI III. AN. 3.

HENRICI V. 3.

ISAACI ANG. 8.

I. HENRICI IMP. CRVDELITAS IN SICVLOS.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo tertio, Indictione vndecima, Henricus Imp. ingenti comparato exercitu, classeque, vt illatam sibi à Salernitanis in proditione coniugis iniuriam, de qua superius, vlciscereturatque ipsum Tancredum Regem è Sicilia pelleret; cum etiam interea audisset, Rogerium Tancredi filium primogenitum iam coronatum in Regem migrasse ex hac vita, atque haud diu post ipsum Tancredum pariter obiisse, relicta superstite Regina cum puero & duabus puellis: in Campaniã veniens, Salernum expugnauit, diramque vindictam de ciuibus sumpsit: receptisque Apulis & Calabris in fidem, Messanam se contulit: vbi promissionibus ad se allectis Siculis, pactis quoque conuentis Reginam matrem cum puero atque puellis redegit in suam potestatem; sed idem periurus, mox eosdem vinculis alligauit, puerumque excæcauit, ac puellas cum matre custodiæ mandauit. Hęc omnia ex Chronicis Fossę nouæ. Addit vero Rogerius in Annalibus, eumdem Henricum iussisse effodi corpora Tancredi & filii eius Rogerii, regiisque nudari coronis, quas illegitime accepisse asserebat.

Interea Regina Aleonora, siue Eleonora, matre Richardi Regis Anglię, & Episcopis ditionis eius, instanter *a* pulsantibus fores Apostolicę Sedis pro liberatione eiusdem Regis è manibus prædicti Henrici Imperatoris; eademque Aleonora amarioribus literis iterum atque iterum Cęlestinum Papam vrgente, vt auctoritate ipsi à Deo tradita, qua (vt ait) non Rex, non Imperator, aut Dux, à iugo ipsius iurisdictionis eximeretur, exeteret in filij sui detentores gladiũ Petri, qui ad hoc constitutus esset super gentes & regna: tandem Pontifex, præuiis legitimis denuntiationibus, sententia excommunicationis perculit Leopoldum Austriæ Ducem, qui Richardum ceperat: & (vt ait Rogerius) præcepit Imperatorem cum vniuersa eius terra subiici anathemati, nisi quantocyus Regem Angliæ liberaret; itemq; Regem Francorum cum suo regno, nisi ab eiusdem persecutione desisteret quippe qui dominium eius inuaserat, adhærente sibi ipso Ioanne fratre Richardi Regis. Sed inter hæc Richardus, pacta in sui redemptionẽ centum quinquaginta millium marcharum argenti puri summa, datisque pro ea obsidibus, permissus est liber abire in principio anni sequentis, postquam detentus fuisset in custodia anno vno, hebdomadis sex, & diebus tribus, vt numerat Rogerius in Annalibus. Cuius quidem vinculorum, necnõ discordiarum Principum Christianorum in expeditione Terræ Sanctæ, eiusdemque Terræ amissionis, atque aliorum malorum omnium auctorem fuisse improbum dæmonem; coactus est ipse dæmon fateri, cum aggressus in via peregrinum quemdam Hierosolymam proficiscentem, interuentione S. Iacobi Apostoli, cuius sepulchrum idem peregrinus recens visitauerat, fugatus est: quam rem gestam pluribus describit Neubrigensis *b* fidelissimus eius temporis auctor.

II. ANGLI AGVNT PRO LIBERATIONE SVI REGIS.

a Epistola de his scripta extat apud Petrũ Bles. qui eas dictauit: ep. 144 145 146. Ap. Bar. *b* c. an. præced. SENTENTIA PONT. IN DETENTORES EIVS.

Hoc eodem anno (vt Rogerius tradit) Philippus Rex Francorum duxit vxorem, filiam Regis Daniæ, eamdemque cognitam dimisit sub prætextu sanguinis propinquitatis, annuentibus Regni eius Episcopis. Agente autem Rege Daniæ apud Cælestinum Papam, vt cogeret eum filiam suam recipere; misit Pontifex Legatum in Gallias vt id Regi suaderet, penitus irritans sententiam Francorum de faciendo eiusmodi diuortio. Cum vero nihil obtinuisset, præcepit Archiepiscopo Senonensi (inquit Matthæus *c* Paris) vt si Rex ista viuente aliam superinducere vellet, ipse auctoritate Apostolica id eidem inhibere curaret. Agit etiam de iisdem Neubrigensis *d*: Fuitque adhuc in his laborandum Innocentio *e* Cælestini successori, vt dicetur suo loco.

b Neubrig. lib. 5. cap. 7. & Baron. an. seqq.

III. NVPTIÆ, ATQVE DIVORTIVM REGIS FRANC.

Quod ad res Orientalis Ecclesiæ spectat; hoc anno (vt habet Nicetas Choniata) Isaacius Angelus Imperator Constantinopolitanus, loco amouit Nicetam Mundanum Patriarcham, cum annos sex atque sex menses sedisset, senium, & delirium, & leuitatem causatus: & pro eo subrogauit *Leontium* quemdam monachum; iureiurando publice testatus, eum prius ignotum sibi à Dei-Genitrice noctu esse demonstratum. Verum eo quoque Dei homine, priusquam annus elaberetur, repudiato: instituit Dositheum Studitam ab Hierosolymitana Græcorum sede, cui antea illum in præmium reddiræ olim reuelationis præfecerat, Constantinopolim transferre. Sed quod sciret id canonibus vetitum esse, *Theodo ũm Balsamonem* Antiochenum Græcorum Episcopum, virum ea ætate iurisconsultissimum, astu circumueniens, finxit sibi esse in animo ipsum Antiochia ad regiam vrbem euocare, si ipse vt legum & canonum peritissimus, demonstrare ac vulgo persuadere valeret, eiusmodi translationes licite fieri posse. His vero allecto Theodoro, postridie in conuentu Episcoporum quæstione illa agitata, conclusum est pro trãslationibus: moxque Imperator *Dositheum* Constantinopolim vocauit. Sed obstupefacti Episcopi, cum se canonibus temere violaris deceptos viderent, Dositheum alienæ Ecclesiæ occupationis accusarunt, atque nihil licet non agente pro eius defensione Imperatore, eiecerunt: quisic, vt canis Æsopicus, & sedem quam tenuerat amisit, (nam alius Hierosolymis iam electus erat) & maiore cui inhiauerat excidit, magno vasorum custode *Georgio Xiphilino* Patriarcha designato. Hæc Nicetas: ex quibus initium sedis Xiphilini statuendum esse videtur anno sequenti, quo & alij illud collocarunt: quamuis non desint *e*, qui ex eo quod sedisse dicatur annos septem, & peruenisse vsque ad primam Indictionem, annum scilicet Redemptoris millesimum centesimum nonagesimum octauum: eius introitum ponant anno millesimo centesimo nonagesimo primo.

c Matth. Paris. Hist. Angl. an. 1195. *d* Neubrig. lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 14.

IV. ALTERCATIONES PRO SVCCESSIONE PATRIARCHÆ CONST.

Huic autem Xiphilino prędictus *Theodorus Balsamon* obtulit Commentarium super Canones, imperatum olim ipsi opus ab Emmanuele Augusto, & Michaele Anchialo Patriarcha Constantinopolitano. Qui quidem Theodorus pessime affectus in Latinos, quod ab eis detineretur Ecclesia Antiochena, cuius ipse Patriarcham se dicebat, (sicut & dictum est superius de aliis Græcis, qui nomine tenus tam ad illam, quam Hierosolymitanam sedem promouebantur, cum illic consistere à veris Patriarchis Latinis prohiberentur:) toto opere illo, summa animi amaritudine à se conscripto, nihil magis curauit, quam vt infamaret Latinorum Ecclesiam principalem, Romanam Sedem, cuius auctoritate ab Antiochena se excludi cognosceret. Vt autem id ageret, imprimis homo vaferrimus consueta arte Pelasga, apocrypha in sua collectione miscuit cum authenticis, nempe Canones, Apostolorum dictos, ab Ecclesia Catholica numquam plene probatos: itemque reiectos alios, appositos mentitos canones ad Sexam Synodum, ex quibus tamquam è pharetris sagittas sumpsit contra cælibatum Ecclesiæ Occidentalis, ieiunium Sabbati, & alia id genus. Ac demum (quod nemo alius Græcorum antea fecerat) ex Actis Siluestri Papæ, sub Eusebij Cæsariensis falso nomine Græce scriptis, prodidit Edictum Constantini de Donatione; non vt rem gratam faceret Romanæ Ecclesiæ, sed vt Constantinopolitanum Patriarchatum ostenderet antiquissimum. quod quidem quam falsum sit, ostendimus suo loco: egimusque pluribus sub Constantino *f*, tam de hac ipsius Theodori fallacia, quam de impostura assertæ Donationis, & quo loco Acta Siluestri haberi debeant.

THEOD. BALSAM. AMBITIO.

XIPHIL. PATRIARCHA.

c [Ipsemet Baron. an. 1191. (vbi & habet quæ descripsit Theodori dicũtur infra numeris seqq.) Idéque in his variãs, hic rursum agit de electione Georgii Xiphilini Vt ut sit, nihil deperit rebꝰ gestis.]

V. THEOD. BALSAM. QVO ANIMO SCRIPSERIT NOMOCAN.

Sed parua visa sunt ista Theodoro, quæ aduersus Latinos duobus iis libris euomuit nomocanonis. Longe enim execrabiliora sunt, quæ habet idem in *Meditatis*, siue Responsis de Patriarcharum priuilegiis, necnon in Responsione ad Marcũ Patriarcham Alexandrinum: in quibus asseritur Romanus Pontifex iure apud Græcos esse penitus execrabilis,

f Sup. an. 124 num. XXIII. & seqq.

VI. DE MEDITATIS BALSAM.

nullaq; commemoratione eorum in sacris dignus; fuisseq; à quatuor Patriarchis Orientalibus excommunicatus. Quæ cum scriberet (vt testatur in exordio) anno Redemptoris millesimo ducentesimo secundo; factum est, vlciscente Deo immanissimum sacrilegium, vt biennio post capta fuerit à Latinis ciuitas Constantinopolitana, & illi Ecclesiæ datus Patriarcha Latinus, qui obediret Romano Pontifici. Fuisseque etiã ex ipsis Græcis, qui aduersati sint prædictæ Responsioni Theodori de non communicando cum Latinis; testis est Demetrius Chomatherus Archiepiscopus Bulgariæ in Responsionibus ad Constantinum Cabasylam Archiepiscopum Dyrrachij, quæ extant vna cum prædictis Theodori tractatibus, in codice Iuris Orientalis: vbi & ipse Demetrius aduersus Theodorum docet, Latinos à Græcis nunquam vt hæreticos fuisse publice damnatos; sed & ipsos simul cum Græcis cibum sumere consueuisse, & precari; atque item Græcos Latinorum alire ecclesias, & cum eis orare, & sacrificiis interesse. Quare cum à suis ipsis erroris redarguatur atq; perfidiæ Balsamon, opus non est vt à nobis amplius corrigatur, omni ipse execratione dignus.

GRÆCORVM CVM LATINIS CONTINVATA COMMVNIO.

Hoc eodem tempore (vt Nicetas *g* habet) nouus quidam tyrannus pseudo Alexius Imperiũ noua arte inuadens, occisus est dormiens à quodam sacerdote; cito dans pœnas de Persis contra Romanos incitatis, iisdemque in celebre templum Michaelis Archangeli apud Chonas introductis, vbi Christi & Sanctorum Imagines comminuerunt, & sacrosanctam mensam euerterunt. Sed hæc ille pluribus.

VII. *g Nicet. in Isaac. lib. 6.* PSEVDO-ALEX. TYRAN. DAT POENAS.

IESV CHRISTI AN. 1194.

CÆLESTINI III. AN. 4.

HENRICI V. 4.

ISAACI ANG. 9.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo quarto, Indictione duodecima, cum ad Sedem Apostolicam multiplices accusationes delatæ essent aduersus Gaufredum Archiepiscopum Eboracensem fratrẽ Regis Angliæ, à Clero illius diœcesis; videlicet quod officium suum vilipendẽs, venatione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occuparetur; itemque quod approbatas consuetudines Ecclesiæ suæ euerteret, & appellationes ad Sedem Apostolicam contemneret, ac prohiberet, bona clericorum expilaret, aliaque illicita perpetraret: Cælestinus Papa iudicibus incorruptissimis, probatæ virtutis vitis, Hugoni Episcopo Lincolniensi, Winemero Archidiacono de Northampton, & Hugoni Priori de Ponte sacro, causam cognoscendam delegauit. Et ad minuendas vires eiusdem Archiepiscopi, exaltauit æmulum eius Hubertum Cantuariensem Archiepiscopũ, creans eum Legatum in vniuersa Anglia, atque adeo (quæ semper excipi consueuerat) in diœcesi Eboracensi. Qui confestim *Eboracum* proficiscẽs, CONCILIVM ibi celebrauit, ad recte cõponendam Ecclesiasticam disciplinam; cuius duodecim canones recitat Rogerius. Eodemque auctore *a* constat, Gaufredum præueniisse citationem iudicum delegatorum, appellatione ad Sedem Apostolicam; sed quod neglexerit die constituto eam adire, suspensum esse ab officio, & curam diœcesis Eboracensis, tam rerum spiritualium, quam temporalium, commissam esse Decano illius Ecclesiæ cum consilio Canonicorum. Porro proficiscens ipse tandem ad Sedem Apostolicam, benigne exceptus est à Cælestino Papa; qui non tam iudicare, quam concordare eum cum aduersariis laborauit. Sed non valuit eius causa absolui sub ipso Cælestino, dilataque est vsque ad tempora Innocentii eius successoris.

I. CAVSA EPISCOP. EBORAC. FR. REG. ANG. DELATA AD SED. AP.

CONCIL. EBORAC. *a Roger. in Ann. Angl. hoc & seq. an. pariterque ap. Bar. eisdem annis.*

Hoc eodem *b* anno à Cælestino Papa relatus est inter Sanctos, cultu publico celebrandus in Ecclesia Catholica *S. Bernardus* Hildensheimensis Episcopus, anno septimo ab eius obitu: translatumque est ipsius corpus in ecclesiam S. Mariæ solemni ritu, non sine virtute miraculorum. Hæc autem quomodo facta fuerint, describit *c* auctor eius sæculi; qui ait ea contigisse anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Cælestini quarto, & Imperii Henrici pariter quarto: hoc est, præsenti.

II. *b Arnol. Lubec. l. 6. ap. 13.*

CANONIZATIO S. BERNARDI. *c Ap. Sur. 20 Nou. & in Vit. S. Gerha. 4. Maii.*

Quo item anno (vt tunc scriptum habet Chronicon Fossæ nouæ) Henricus Imp. deceptos suis sacramentis Principes ac nobiles Siculos, bonis ac dignitatibus priuatos, diuersisque cruciatibus exagitatos, in Germaniam secum vinctos duxit, vna cum Rege puero filio Tancredi, ac Regina matre, & puellis, vniuersoque thesauro. Nec vero tantum laicos, sed etiam Episcopos & Archiepiscopos, eodem modo captiuos abduxisse, patet ex epistolis *d* Innocentii Papæ, quas post obitum Henrici scripsit pro reducendis in Siciliã Regina ac liberis, aliisque captiuis, qui vsque ad ea tempora sunt infelici conditione in Germania detenti. Quod vero ad thesauros expilatos attinet; habet Arnoldus *e* Abbas Lubecensis, Henricum inuenisse in gaza Regis Tancredi, lectos, & sedilia, ac mensas ex argento, vasa autem eorum ex auro purissimo; reperisseque thesauros absconditos, cum multa lapidum pretiosorum & gemmarum copia: ita vt centum quinquaginta iumenta iisdem onusta in terram suam perduxerit; præter alia plurima, quæ postea detecta sunt.

III. CLADES SICILIÆ PER HENRIC. IMP. *d Innoc. Ter. l. ep. 24. 25. 26.*

e Arnold. Chron. slauor. lib. 4. cap. 20. DVITIÆ REGVM SICVL. DELATÆ IN GERMAN.

IESV CHRISTI AN. 1195.

CÆLESTINI III. AN. 5.

HENRICI V. 5.

ALEXII ANG. 1.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo quinto, Indictione decimatertia, Cælestinus Papa à Richardo Rege Angliæ per Legatos interpellatus aduersus Leopoldum Ducem Austriæ, pro restituenda pecunia quam ille iniuste ab eodem Rege pro ipsius redemptione exegisset, ac dimittendis obsidibus, qui pro alia pecunia adhuc soluenda in vinculis detinerentur: idem Pontifex post trinam admonitionem, quam Dux exaudire recusauit, eum iterum nominatim excommunicauit, eiusque terram interdicto subiecit. Cum vero ille hæc omnia contemneret, diuina eum vltio apprehendens, totam eius terram incendiis, inundationibus, sterilitate, mortalitate, dirissime afflixit. Ac denique cum nec sic conuerteretur, sed magis induratum esset cor eius; ipsemet terribiliter percussus est. Siquidem equitante illo, equus cui insidebat violenter pedem eius offendens, tibiam cum pede insanabiliter contriuit: nec valuit vlla medicorum arte effici, quin ignis quem infernalem vocant, tumori admixtus, etiam post abscissum pedem, totum corpus inuaserit. Ex quo tandem culpam agnoscens, suadentibus Episcopis qui aderant, præcepta Pontificis impleuit: & ab iisdem à sententia excommunicationis absolutus, cum intolerabili cruciatu spiritum exhalauit. Eius vero corpus diutius iacuit inhumatum, donec horribilib. vermibus scateret, eo quod filius eius mandatum ipsius de reddenda pecunia & obsidibus exequi nollet: quod tandem ab amicis compulsus prestitit. Narrant hæc pluribus Rogerius, Matthæus Paris, atque Neubrigensis *a*.

I. DIVINA VLTIO IN DVCEM AVSTRIÆ. *a Neubrig. lib. 5. c. 6.*

At qui Austriæ Ducem excommunicauit Cælestinus Papa, nequaquam abstinuit à censura Henrici Imperatoris: sed & cum aduersus eum instaret pariter Rex Anglorũ, vt quod male ab eo exegisset restitueret, ac quod exigendum remaneret omnino remitteret, illeque de his à Pontifice commonitus, non obediret; eumdem Pontifex anathematis sententia condemnauit, in qua miser ad obitum vsque permansit. Porro fuisse adhuc laborandum Innocentio Cælestini successori in harum restitutionum contentionibus, docent quæ extant ipsius *b* datæ ad diuersos eo argumento literæ Apostolicæ.

II. HENRIC. IMP. EXCOMMVNICATVR. *b Innoc. Ter. 1. epist. 230. 236. 242.*

III.

Inter hæc vero Cęlestin⁹, audita discordia inter filios Saladini

dini post mortem patris conflata, feruenti studio promouere satagens negotia Terræ Sanctæ, misit per Christianũ Orbem Legatos, vt cunctos Principes ac populos ad nouam expeditionem excitaret. Recitantur enim à Rogerio, & Matthæo Paris, ipsius ea de re scriptæ in Angliam literæ: & apud Arnoldum *c*, & Neubrigensem *d*, est mentio Gregorij Cardinalis ad hoc in Germaniam missi; vbi & tradunt, istam expeditionem magno affectu ab Imperatore, aliisque Germaniæ Principibus paratam esse.

c Arnold. Chron. Slauor. lib. 5. cap. 1.
d Neubrig. lib 5. c. 20.

Quod spectat ad res Orientalis Imperij, Isaacius Imp. in ordinem redactus est ab ALEXIO ANGELO, & in carcerem detrusus, cum imperasset annos nouem, & menses octo. quæ pluribus prosequitur Nicetas, simul & mores eius varios, siue laudabiles, siue probrosos recensens.

IV. ALEX. ANG. IMP.

IESV CHRISTI AN. 1196.

CÆLESTINI III. AN. 6.

HENRICI V. 6.

ALEXII ANG. 2.

I. DE BELLO VAC. EPISCOP. IN BELLO CAPTO.

ANNO Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto, Indictione decimaquarta, Cælestinus Papa literis Bellouacensis Episcopi rogatus scribere ad Regem Angliæ pro ipsius liberatione; (qui scilicet dimicantibus inter se Francis & Anglis, præter fas iusque Ecclesiasticum, armatus hasta & clypeo aduersus Anglos progressus, ab iis captus fuerat:) quamuis eumdem Episcopum acriter redarguerit de armorum tractatione, egit nihilominus sollicite apud Regem pro eius liberatione: quem & in epistola sua, vt magis flecteret Regem, charissimum vocauit fratrem, & filium suum, & Ecclesiæ. Sed Rex missa lorica Episcopi ad Papam; *Vide* a (inquit) *an tunica filii tui sit, an non?* Cui Papa, *Non filius meus est, vel Ecclesiæ. Ad Regis igitur voluntatem redimatur, quia potius Martis, quam Christi miles iudicatur.* Hæc Matthæus Paris; quæ pluribus recenset Rogerius.

a Gen. 37.

II. HENRICI IMP. IMMENSA CRVDELITAS IN SICVLOS.

Sub finem eiusdem anni Henricus Imp. sub prætextu expeditionis Terræ Sanctę, cum ingenti exercitu veniẽs in Italiam, primo in Campania, inde in Sicilia diram persecutionem mouit aduersus omnes quos sciret ex Northmannorũ gente descendere, & eos imprimis qui alium in Regẽ erexissent; quorum aliquibus diademate impositio, clauis acutissimis caput cum ipso diademate transfixit; alios pedibus ad caudas equorũ ligatos, per plateas tractos, patibulis affixit; alios suspendio, vel incendio, aut aliis etiam atrocioribus suppliciis affecit. Eoque eius carnificina processit, vt Constantia Augusta ipsius coniux, propago Northmannorum Regum, indigne ferens gentem suam ita demeti, aduersus virum armauerit exercitum: adeo vt Imperator coactus aufugere, præsidio munitissimo se incluserit, in patriã regressurus si per hostes licuisset. Narrantur ista in Chronico Fossæ nouæ, & ab Arnoldo *b*, & Rogerio: quæ in fine præsentis anni cœpta, sequenti maxime gesta sunt.

b Arnol. lib. 5. cap. 2.

IESV CHRISTI AN. 1197.

CÆLESTINI III. AN. 7.

HENRICI V. 7.

ALEXII ANG. 3.

I. HENRIC. IMP. TRIBVTVM PE-

ANNO Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione decimaquinta, Henricus Imp. in regno Siciliæ coniugi deferens, quas ipsa voluit conditiones accepit; ne dum maiora meditaretur, præpediretur bello domestico. Quod autẽ classe potens in Siciliam peruenisset, haud mediocrem timorem incussit Alexio Constantinopolitano Imperatori, dum ad eum misit legationem acerbissimam; qua ab ipso peteret quicquid terrarũ olim occupasset Willelmus Siciliæ Rex ab Epidauro vsque Thessalonicam, vel vt pro his tributum ingens penderet. Qua legatione adeo concussus est Alexius, vt tributi duram conditionem minime reiiciendam esse putarit. Cuius occasione tradit Nicetas Imperatorum fuisse refossa sepulchra, vt aurum imperatum colligi posset, cuius summa erat talentorum sexdecim auri purissimi; quod tunc ab eis qui soluebant, appellatum est *Tributum Alemannicum*. Sed illud male collectum videre non metuit, qui indicendum iusserat Henricus, tunc ex humanis exemptus: cuius interitu respirauit Alexius. Hæc autem prolixiori tractatu Nicetas est prosecutus.

TIT AB IMPER. CONST.

II. MORITVR, ET PRIVATVR SACRA SEPVLT.

Sed quod ad obitum Henrici spectat; tradit Rogerius, ipsum post factam reconciliationem cum vxore & magnatibus Siciliæ, cœpisse ægrotare, ac misisse ad Richardum Regem Angliæ Legatos pro repensatione pecuniæ ab eo exactæ, siue in auro & argento, siue in terris: sed dum Legati essent in itinere, ipsum in vigilia S. Michaelis, die vigesima octaua mensis Septembris apud Messanam obiisse excommunicatum à Cælestino Papa ob captionẽ & vexationem prædicti Regis Angliæ: atque ideo Pontificem prohibuisse ne corpus illius sepeliretur, nisi de consensu eiusdem Regis, & nisi pecunia quam ab eo extorserat redderetur. Condidit autem ante mortem testamentum valde pium; quo pœnitentia rapinarum ductus, non solum per filium suum (vt postea scripsit Innocentius *a* Papa ad Richardum Regem) ipsi Richardo restituendum mandauit quod ab eo extorserat, & nisi faceret, per Sedem Apostolicam cogeretur: sed etiam (vt habetur in Actis Vitæ eiusdem Innocentij antiquitus scriptis) Ecclesię Romanę exhiberi iussit omnia iura, quę à Regibus Siciliæ ei reddi consueuissent; & vt si filius sine herede decederet, eadem Sicilia ad ipsam Ecclesiam Romanam deueniret: insuperq; alia plura eidem restitui ordinauit. Quamobrem tradit Rogerius, eo defuncto magnam partem Tusciæ, quam idem Imperator & prædecessores eius abstulerant, redditam esse Cælestino Papæ: Itemque Siciliam, Calabriam, Apuliam, & omnes terras quæ fuerant Regis Siciliæ, sicut proprium patrimonium S. Petri, æque ei exhibitas esse: sed ipsum in eis constituisse Regem, Fridericum Henrici & Constantiæ filium, acceptis ab eo duobus millibus marcharum argenti. De aliis vero Henrici legatis, addit Matthæus Paris, eum reliquisse Capitulo Cisterciensium tria millia marcharum argenti de redemptione Regis Richardi, ad thuribula per totum Ordinem facienda argentea: verum Abbates iam ipsum Imperatorem, quam donum eius detestantes, renuisse de turpi quæstu acquisitum donum eius recipere.

a Innoc. Tit. 1. ep. 230. EIVSDEM TESTAM.

III. DE NATALIBVS FRIDER. II.

Quod autem spectat ad Fridericum filium Henrici; tradit Rogerius, Constantiam Imperatricem, antequam Cælestinus Papa conferret ei Regnum Siciliæ, tactis sacrosanctis Euangeliis iurasse, eum natum fuisse de legitimo matrimonio prædicti Henrici & ipsius Constantiæ. Iure enim visus est Pontifex exegisse ab ea eiusmodi iuramentum, eo quod suspiciones increbuissent Fridericum fuisse partum suppositum. Tantumque abfuit, vt per iuramentum Constantiæ, sparsus semel rumor abolitus fuerit, vt etiam ex fabulosis *b* colorum pigmentis acceperit incrementum. Qui & fidem sibi conciliauit ex portentoso mendacio, quo afferebatur, ipsam tunc Constãtiam cum filium peperit, annorum fuisse quinquaginta quinque, vel etiam secũdum alios sexaginta; quæ ætas vt plurimum in feminis natura impotens est filiis generandis. Verum cum eam superius viderimus posthumam fuisse, ipsiusque patrem Rogerium decessisse (secundum Robertum *c*, & Facellum *d*) anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, vel secundum alios qui plus habent, ad finem anni millesimi centesimi quinquagesimi secundi; rursumque verior sententia habeat, Fridericũ natum esse anno millesimo centesimo nonagesimo tertio: ex his plane elicitur, Constantiam eo anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, non nisi triginta octo, vel ad summum quadraginta annorum ætatis fuisse; qua feminas posse

b Vide Crantz in Metrop. Saxon. lib. 7. cap. 38.

c Rob. in Append. ad Sigeb. an. 1154.
d Facel. lib. 6. cap. 3.

parere, quotidiana docent exempla: cum & alioqui Physici *e* confirment in aliquibus accidere, vt etiam vsque ad sexagesimum annum concipiendi tempus extendatur, vna cum menstruorum fluxu.

e *Paul. Ægin. lib. 3. c. 60. Aet. serm. 16. c. 4.*

IV.

Ceterum cum hoc eodem anno, paulo antequam Henricus ægrotare incepisset, ipsis Calendis Septembris (vt Arnoldus Lubecensis Abbas, qui tunc viuebat, testatur) classis eius soluisset Messana Orientem versus, sub ductu Conradi Hildesemensis Episcopi Imperatoris Cancellarij; & felicissima nauigatione peruenisset in Palæstinam ad portum Accon vigesima secunda eiusdem mensis: post aliqua prospere gesta *f*, audito aduentu filii Saladini aduersus eos, simulque accepto nuntio de obitu Imperatoris; omnes Duces exercitus arripuere fugam, & quidem ignominiosam, cum præsertim milites essent parati ad prælium. Remansere tamen Archiepiscopus Moguntinus, & Verdensis, sancti propositi tenaciores. Quorum Moguntinus missus fuit ad coronandum Regem Armeniæ: qui audito exercitus aduentu, missis Nuntiis gratulatus est de rebus gestis, ac paratissimum se dixit Romano subdi Imperio, si coronam ab eius Nuntio mereretur accipere. Ita apud Arnoldum *g*: sed expunctum in eo fuisse ab aliquo Nouatore nomen Romani Pontificis; cuius præcipue auctoritate ea sunt in Armenia gesta, tum sequêtia eiusdem auctoris docent, dum ait gloriam hanc fuisse Romanæ Ecclesiæ, vt ipsa non solum in spiritualibus, sed etiam dilataretur in temporalibus, cum etiam Reges Transmarini eo titulo affectarent insignia: tum aperte manifestant literæ *h* Gregorij *Catholici* Armeniæ (sic enim vocabant Patriarcham suum) scriptæ anno sequenti ad Innocentium Cælestini successorem, anno primo ipsius Pontificatus, quibus se penitus ei subiicit, gratiasque agit de impertita corona Regi suo Leoni: cuius etiam extant *i* ad eumdem Pontificem literæ, ac rursum aliæ ab Innocentio ad vtrumque illorum redditæ. Denique ipsum Moguntinum Archiepiscopum, qui Regem coronauit, fuisse S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem, patet ex eiusdem Innocentij epistolis *k*. Addit autem Arnoldus, eumdem Moguntinum glorioſe expleto negotio, pacem composuisse inter ipsum Regem Armeniæ & Principem Antiochiæ, quorum dissensione non modicum Ecclesia Dei in partibus illis turbata fuerat.

MOGVNT. ARCHIEP. CORONAT REGEM ARMEN.

f *Arnold. Chron Slauor. lib. 5. c. 1. & seqq.*

g *Id. lib. 6. cap. vlt.*

h *Ap. Innoc. Tert. 1. ep. 206.*

i *Ibid. epist. 207. 208. 209.*

k *Ibid. epist. 205. 207.*

V.

Hoc item anno Cælestinus Papa, causa cognita, sententiam rescidit Clementis decessoris sui surreptitie extortam; cuius auctoritate Hugo de Nonant Episcopus Cestrẽsis siue Couentrensis in Anglia, vi & armata manu, eiectis ab Ecclesia sua monachis, in eorum locum introduxerat Canonicos sæculares: Cælestinus autem Anglicanorum monachorũ pulsatus querelis, Archiepiscopo Cantuariensi mandauit, vt expulsis canonicis monachos restitueret: quod & factum est. Recitat hæc narrans Rogerius ipsius Cælestini ea de re scriptas ad Cantuariensem literas: ex quibus mendacij redarguas Matthæum Paris, monachum S. Albini in eadem Anglia; qui ad hoc tantum visus suscepisse prouinciam scribendi Historiam, vt Romanos Pontifices carperet, more suo Innocentium Cælestini successorem perstringit, quod primo negata cum amara indignatione monachorum petitione, deinde metu prænuntiatæ illi ab vno eorum mortis, inuitus tandem indulserit. Vt ab hoc vno tam patenti mendacio, cetera eiusdem auctoris discas & caueas. Ceterum increbuisse his temporibus vsq; ad Innocentij primordia, falsariorum ingentem numerum, qui nomine Sedis Apostolicæ quas vellent literas scriberent, est grauis querela eiusdem Innocentij *l*, scribentis ad Rhemensem Archiepiscopum S. R. E. Cardinalem. Et quod ad Angliam, de qua agitur, spectat; testis est Rogerius, clericum Archiepiscopi Eboracensis anno superiori Romæ ad mortem ægrotantem, publice confessum se multa falsa scripta nomine Romanæ Ecclesiæ in Angliam misisse. Talibus autem prædictum Hugonem de Nonant abusum *m* esse, haud difficile erit persuadere iis, qui apud Rogerium legerint, quæ ipse in extremis laborãs de flagitiosa sua anteacta vita pœnitens coactus est, exigente conscientia, confiteri; cum & inter alia vehementer doluit quod expulsis monachis Couentrensibus, in eorum locum irreligiosos clericos introduxisset. Quare ad illius reatus satisfactionem elegit mori in monastico habitu, & in omnium suorum scelerum pœnitentiam, petiit sibi imponi, vt esset in pœnis Purgatorij vsque in diem Iudicij, vt tunc per misericordiam Redemptoris saluus fieret.

DE HISTORIA MATTH. PARIS.

l *Id. l. epist. 215. ap. Baron. an. 1195. XX. FALSARII LITER. APOST.*

m *Hæc confirmatur ex iis quæ de Hugonis vita habet Rogerius, quæ recitat alia occasione Baronius an. 1191. XXXV.*

Hoc pariter anno coram Cælestino Papa delata, & composita est controuersia, quæ diutius agitata fuerat inter Archiepiscopum Rotomagensem & Regem Angliæ, eo quod Rex contradicente Archiepiscopo munisset castrum eius ecclesiæ dictum Angeli, valde opportunum ad reprimendas inuasiones Francorum in Northmanniam; Archiepiscopus autem, reiecta æqua compensatione ipsi à Rege oblata, censuris perculisset ministros Regis, & prouinciam interdicto subiecisset. Vtraq; porro parte à Pontifice audita, ipse sequestrem potius agens, quã iudicem; attendens damna quæ acciderent Northmanniæ, nisi locus ille muniretur, consuluit Archiepiscopo vt cum Rege amicabiliter componeret, & ab eo sufficientem compensationem reciperet, secundum æstimationem hominum proborum & peritorum; asserens licere Regi, & cuilibet Principi, infirmiora terræ suæ loca munire, cum inde damnum sibi & suis timetur. Habet hæc Rogerius in Annalibus; de quibus etiam agit Neubrigensis *n*.

VII. CONTROVERSIA INTER ARCHIEP. ROTOMAG. ET REG. ANG.

n *Neubrig. lib. 5. c. 21. & 24.*

IESV CHRISTI AN. 1198.

INNOC. III. AN. 1.

ALEXII ANG. 4.

ANno Domini millesimo centesimo nonagesimo octauo, Indictione prima, sexto Idus Ianuarii, *Cælestinus* Papa senio & graui morbo laborans, Romæ ex hac vita migrauit, cum sedisset annos sex, menses nouem, minus duobus diebus: sepultusq; est in ecclesia Lateranensi. Qui cum cœpisset ægrotare (vt ait Rogerius) conuocatis coram se vniuersis Cardinalibus, præcepit vt tractarent de successore eligendo: cumque ipse valde cuperet, Ioannem de S. Paulo presbyterum Cardinalem tituli S. Priscæ, de cuius sapientia, sanctitate, & iustitia plurimum confidebat, sibi succedere; obtulit seipsum deponere à Papatu, si Cardinales consentirent in eius electionem. Sed omnes vna voce responderunt, se nolle illum conditionaliter eligere, esseque inauditum vt Summus Pontifex se deponeret, cum & alioqui seniores, aliique singuli Cardinales, cuperent ipsimet ad Pontificatum euehi. Hæc ex Rogerio.

I. CÆLEST. PP. OBITVS.

Fuere eiusdem Cælestini digna alia factorum monimenta, quæ certis eius Pontificatus annis non sunt affixa: & inter alia, confirmatio religiosæ militiæ Ordinis TEVTONICORVM. Rogatus enim ab Henrico Imp. donauit eos veste alba & Cruce nigra, subiecit vero Regulæ S. Augustini. Censiti autem sub eo Ordine non nisi nobiles, iidemque Germani; qui magnitudine animi digna ipsorum generositate edidere facinora, quæ alij scriptis commendarunt. Quo etiam tempore florebant Hispaniæ sacris Ordinibus militibus S. IACOBI, & CALATRAVÆ. Porro Teutonici postea aucti sunt LIVONIENSIBVS, qui se illis iunxere.

II. ORDO TEVTONICORVM, ET ALII.

[Huc vsque produxit Baronius Tomum XII. Annalium suorum. In cuius fine apposuit sequentem perorationem.]

PERORATIO BARONII.

SICVT *seruus* a *desiderat umbram, cum sub æstuantis Solis radiis labore fractus, calore dissolvitur* b *ita & ego portans pondus diei & æstus, exoptavi ut tandem fasce solutus, sub umbra illius* b *requiescerem, quem semper concupivit anima mea. Et sicut mercenarius* c *præstolatur finem operis sui, expectavi & ego, ut inclinata ad vesperam die mercedem accipe, em à Patre familias denarium diurnum, eius imagine cusum, & pretio auctum illius, qui dixit Abrahæ* d *patri credentium*, Ego ero merces tua magna nimis. *Ab hora namque prima conductus, eius auxilio, indefesso studio laboraui, ut puteos e illos, quos antiquiores Patres nostri fodere, impij vero Palæstini obstruxere, exhaurirem; purgaremq; ab in mensa super iniecta mendaciorum congerie, ipsosque purissimos interceptos latices revocarem ad usum pristinum ovium atque pastorum. Quod iam vero sit diei hora novissima, pulsante ostium morte, sumpta fiducia immensæ Dei misericordiæ, accurro ad Patrem filius, sed prodigo* f *illi similis, misericordiam petens.*

a *Id. 7.*

b *Cant. 2.*

c *Iob. 7.*

d *Gen. 15.*

e *Gen. 20.*

Tu vero, Pater, ne occursum neges, amplexum nec subtrahas, neque osculo prives immeritum: sed, ut pater illi, mihi exhibe stolam primam porrige annulum, & cetera illi exhibita usque ad calceamenta pedum, amoris signa, honoris insignia; & quod præstat omnibus, ut nomen filij cõsecutus, tuus heres, CHRISTI *coheres* g, *effici dignus inveniar. Sed quod spem tantam timor imminuat, dubitatio vero intercipiat, frangat autem magis male sibi conscia conscientia: exemplo Iacob* h *qui æque formidans ne ab offenso patre maledictionem loco benedictionis eliceret, consilio atque ope prouidæ matris, à patre exoptatam primogeniti accepit benedictionem: Ecce supplex interpello te matrem nostram, Dei genitricem* MARIAM, *ut per te ipsum à Patre luminum benedicti nem illam consequi dignus efficiar qua sublimis illius regni cœlestis, æternæ scilicet particeps efficiar hereditatis, gratia & misericordia ipsius* CHRISTI IESV *Domini Nostri: cui una cum Patre, & Spiritu Sancto, honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

f Luc. 15.

g Gal. 4.

h Gen. 27.

HAbes, Lector, ad principium Vitæ Baronii huic Epitomæ præfixæ, quæ mihi fuerit cum *D. Fab. Iustiniano* Romæ consuetudo. Ex illa & hoc tibi æque ac mihi emersit commodum, quod scisciante me num quid Baronius continuationis Annalium post se reliquisset, exhibuit ipse de Superiorum consensu schedas aliquot ipsiusmet Baronii manu scriptas, quibus continebantur tantummodo præfationculæ quædam in Tomum XIII. à se nouissimum designatum, & historia rerum ab Innocentio Tertio gestarum primo ipsius Pontificatus anno. Doluit equidem, non potuisse Baronium susceptum opus pertexere: at noluit committere, quin quod tunc priuatim mihi communicatum est, illud ego nunc tecum, quantulumcunque sit, consueto stylo concisum participarem; ne maiori tuo damno periret, quam imperfectum sit: præmissis tamen præter morem præfationculis, quod vere aureæ sint, ac velut vltimus proximi morituri cygni cantus. Sunt autẽ huiusmodi

Peruenimus Deo duce ad Decimitertii Tomi annalium scriptionem quam etsi absoluere forte non liceat, defectu vitæ, vel virium; saltem inchoasse præfando voluimus. Totidem enim mente concepimus Tomos, quot nouimus ab Ecclesiæ Catholicæ perduellibus summa impietate scriptos esse contrarios. Ad posteriora autem tempora digerenda, spero quod Vallicellanæ nostræ Ecclesiæ Patres eius facultatis studiosi, tanquam iure hæreditario, manus immittent. Quos moneo, sibi proponant Vaticana Bibliotheca potißimum fore promendos, qui conscribendi erunt Annales. In quibus conficiendis sint inprimis veritatis amantes, absolutißimam in omnibus ineant temporis rationem; in omnibus delectum habentes; summa prudentia insistentes iis, quæ reperiunt esse impressa vestigia: sero edentes, quæ diuturnus labor inuenerit, cribraritq; sæpe iudicium, atq; discretio cunctando concoxerit. Ecclesiastico candore fluat oratio, non flaccescat: currat facilis, sed non languens: quæ pro argumenti dignitate sit grauis, atq; robusta, gradiens in decore fortitudinis suæ. Hæc igitur sibi seruanda præscribant succedanei quicunq; scriptores, innixi præcunctis diuino subsidio, de propria ingenii viribus vel minimum præsumentes.

Nos hic interim in huius Tomi scribendi limine constituti, diffisi viribus ad Deum conuertimur, cygneo cantico illo Dauidico modulato; Deus i *docuisti me à iuuentute mea, & vsq; nunc pronuntiabo mirabilia tua: & vsque in senectam, & senium, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est potentiam tuam & iustitiam tuam Deus vsque in altissima quæ fecisti magnalia. Quibus opto diuinũ illud reddatur oraculum* k: Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo. *Sic erit* Senectus l *mea in misericordia uberi: cum videlicet ipse* Deus m benedixerit nouissimis meis plusquam principio *Quibus fiet, ut nequaquam, ut lignum aridum, sua sponte concidat consumpta labore ipsa senectus, immo spe vitæ v. rescat, cum ei pateat aditus ad æternitatem. Vt iam exoptanda sit mors ipsa, per quam morimur morti, & vita nascimur immortali; & auidius expectanda, per quam fide certa, atque spe firma, quæ non* n *confundit, ad beatitudinem pertingamus æternam, gratia & misericordia Domini nostri* IESU CHRISTI.

i Psal. 70.

k Isai. 46.

l Psal. 91.

m Iob. 42.

n Rom. 5.

Modo autem in his anhelanti seni sub immenso pondere duplicis fascis, laboris atque doloris, inuocatus Deus assistat adiutor in labore, & in tribulatione defensor, sua ipse promissione devinctus, qua dixit, Veritas o *liberabit vos scuto* p *suo vndique circumtectos. Qua ab eo tanta accepta securitate alacriores elucidandæ veritatis prosequimur institutum: eoque fidentiores, quo securiores sumus patrocinio supplicantis; intercedente nimirum pro nobis apud ipsum iugiter Dei genitrice* MARIA, *cuius precibus calamus noster iam diuturnitate usus attritus, instauretur ad opus, viuidaq; virtute instar Aaron* q *virgæ deuoret Magorum virgas: illique similis, quæ rediuuo vigore viruit, floruit, atque erupit in fructus, scriptione sit gratus, vtilitate iocundus, & proficuus veritate. Addatur vero eiusdem copioso munere gratiarum, vt exaratæ eodem stylo graciles chartæ rigescant in tabulas adamantinas, in Ecclesia perpetuo permansuras. Et nequid plus æquo in eas sibi vendicet humana præsumptio, vel temporis iniuria labefactet, easdem serimo perennitatis inclusas bene custoditas, veritatis testes fideles, custos ipsa fidelis seruet illæsas. Amen.*

o Num. 17.

p Psal. 90.

q Exod. 7.

[Hactenus Præfationes: sequitur modo continuatio anni superius notati Domini 1198.]

III. INNOC. III. CREATVR PONT.

Eadem die qua Cælestinus obiit, celebratis honorifice eius exsequiis, sufficienti suffragio Cardinalium, (explosis senioribus mutuo concertantibus) nouo exemplo, ætate iunior annorum triginta septem, *Lotharius* patria Anagninus, ex nobili genere Comitum Signiæ, filius Trasimundi, ex Diacono Cardinali Sanctorum Sergii & Bacchi creatus est Pontifex, & nominatus INNOCENTIUS eius nominis Tertius. De cuius primordiis, ex Vita eius exactissime & fidelissime descripta vsque ad eius Pontificatus annum undecimum, accepta ex Archiuo Auenionensi, traditur ipsum primo in Vrbe, deinde Parisiis, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudasse, & supra coætaneos suos tam in philosophia quam Theologia (quam & publice professus est) profecisse: à Gregorio vero Octauo in Subdiaconum ordinatum, à Clemente Tertio promotum esse in Diaconum Cardinalem. Quem & iuris ciuilis atque canonici fuisse peritissimum, Decretales datæ ab eo ad diuersos Epistolæ docent. Eumdemque ante Cardinalem acceptam Diaconiam, militasse in basilica S. Petri canonicum, idem ipse testatur quadam epistola *s* ad eosdem Canonicos data iam Pontifex. Cardinalis autem varios scripsit Tractatus, summa eruditione & pietate refertos. Quapropter & testantur eadem ipsius Vitæ Acta, ipsum præ ceteris omnibus, ob morum honestatem, & scientiam literarum, (licet flentem, eiulantem, ac renitentem) erectum esse in Pontificatum; præcessisseque de futura eius electione prænunciationes per quietem ostensas; sed & signo visibili electionem eius confirmatam esse, cum videlicet è tribus columbis quæ frequentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, post eius nominationem una, quæ candidissima erat, iuxta dexteram eius insedit.

EIVS ANTERIORA.

s Innoc. 1. epist. 296.

Sequenti vero die, nempe quinto Idus Ianuarii, idem de sua electione dedit Literas *t* circulares ad vniuersos Christi Fideles; breues illas quidem, sed quæ modestiam prudentiamque eius singularem demonstrent: eæque primum locum obtinent inter eius Epistolas, sed in aliquibus mendose cusæ, & inter alia, dum quod in scripto codice ponitur *C. prædecessor noster*, quod Cælestinum significat; qui edidit, loco Cælestini Clementem posuit. Peculiares autem scripsit *u* ad Philippum Francorum Regem Christianiss. quem primo deliniendum putauit, eumdem postea ob dimissam legitimam uxorem, & pellicem superinductam, redarguturus. His vero iunxit alias *x* ad monachos Galliarum, quibus ad optime instituendum Ecclesiæ regimen, preces illorum efflagitauit. Ad Ecclesias quoque transmarinas de electione sua scripsit, atque imprimis ad patriarcham *y* Hierosolymitanum, nec non ad eius suffraganeos; his etiam literis excitans emortuum una cum Pontifice negotium de expeditione contra Saracenos in Terram Sanctam. Ac denique (vt subiicitur in textu) in eumdem fere modũ Moguntino Archiepiscopo, & Episcopis de regno Alemanniæ in Vltramarinis partibus constitutis scripsit.

t Id. 1. ep. 1.

u Epist. 2.

x Epist. 3.

y Epist. 11.

IV.

V. CONSECRATVR, ET CORONATVR.

Quod autem esset tantummodo Diaconus, dilata est eius ordinatio in presbyterum usque ad Sabbatum Quatuor Temporum IX. Cal. Martii: & sequenti dominica, qua celebrari consueuit in Ecclesia Catholica Cathedra S. Petri Antiochena, fuit apud S. Petrum in Episcopum consecratus, cũ multa cordis cõpunctione & lacrymarum effusione: eademque die solemniter coronatus processit à basilica S. Petri ad Palatium Lateranense, ingenti populi lætitia. Postridie vero Petrum Vrbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, qui vsque ad illud tẽpus iuramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo Præfecturæ tenebat honorem: pariterque ab aliis Baronibus circumquaque iuramentum fidelitatis recepit: & missis Nuntiis per totum Ecclesiæ patrimonium, fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi; &

PROVIDET DOMINIO TEMPORALI ECCL. ROM.

excluſis Iuſtitiarijs Senatoris, ſuos ordinauit. Nihilque hoc ſui Pontificatus exordio antiquius habuit, quam vt tyrannos occupantes dominium S. Rom. Eccleſiæ procul abigeret, reuocaret que ſublatas prouincias eiuſdem Eccleſiæ poteſtati. Quod quamuis perdifficile negotium videretur, tamen quia manus Domini fuit cum illo, cuncta felicissime hoc ipſo anno peregit, non armis, ſed per Legatos cenſuris tantummodo Eccleſiaſticis. Vt hæc omnia luſe narrantur in iiſdem Actis Vitæ ipſius: extantque eius de his literæ z.

21. ep. 15. 23 27. 38. 88. 404.

VI. DE REB. SICVLIS QVO MODO TRACTAVERIT.

Cum vero & Conſtantia Auguſta, confeſtim vt is creatus eſt Pontifex, frequentibus ad eum legationibus atque muneribus agere cœpiſſet, vt innueſtituram ſibi filioque ſuo Friderico impertiret Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, ac Principatus Capuæ, cum ceteris ſuis adiacentiis; econtra pie attendens priuilegium conceſſionis indulſum primo ab Adriano, & renouatum poſtmodum à Clemente, ſuper quatuor capitulis, videlicet Electionibus, Legationibus, Appellationibus, & Conciliis, derogare non ſolum Apoſtolicæ dignitati, verum etiam Eccleſiaſticæ libertati; nunquam potuit adduci, vt id faceret, niſi capitulis illis omnino remotis. Qua conditione obtinuit Auguſta conceſſionis priuilegium innouari, abſque illis capitulis, & cum cenſu, fidelitate, & hommo conſueris. Priuilegium tamen non peruenit ſed ad Conſtantiam, morte præuentam, tradunt Acta. Verum iurata fuiſſe ab ea pacta conuenta, cum ab Innocentio miſſus eſſet ad ipſam in Siciliam Legatus Octauianus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, teſtantur literæ a ipſius Innocentij poſtea ad eamdem Conſtantiam ſcriptæ. extantque aliæ b eiuſdem de eadem Octauiani legatione ad omnes Præſules in Sicilia exiſtentes; quibus innoteſcit, eumdem Legatum miſſum eſſe in Siciliam ad corrigenda cuncta quæ deformata eſſent: rurſumque ad eamdem Conſtantiam aliæ c, de regimine ſpirituali in priſtinum reſtituendo; imprimis eam admonentes de electionibus Epiſcoporum rite celebrandis more maiorum, vt tamen conſenſus ipſorum Principum requireretur. Aliæque d inſuper ad vniuerſos Præſules, & minorem etiam clerum Siciliæ, de iiſdem pactis conuentis, contentis in Capitularibus ea de re confectis ſuper Eccleſiaſtica libertate in priſtinum vendicata. Ac demque in eumdem modum ad Præſules & Clerum in Apulia conſtitutum. Idemque poſtmodum ad Comitem e Fundanum ſcribens de morte Conſtantiæ, ait ipſam legitimum condidiſſe teſtamentum, quo ipſi Innocentio Friderici paruuli ſui filij tutelam, & curam Regni conceſſiſſet, ac demum vigeſima ſeptima die menſis Nouembris defunctam eſſe. Quod ipſum patet etiam ex literis f ab eodem paulo poſt ad ipſum Fridericum reſcriptis, tum qui ei inhærebant, ad Innocentium eius nomine legatos miſiſſent.

a Epiſt. 412.
b Ep. 413.
c Epiſt. 413.
d Ep. 414.
e Epiſt. 573.
f Epiſt. 575.

VII. LEGATIO IN GERM. PRO CAPTIVIS SICVLIS.

Idem quoque Pontifex ad liberandos infeles captiuos, quos ſecum Imperator Henricus vinctos in Germaniam duxerat, ac præcipue Archiepiſcopum Salernitanum, adiiciens animum; Legatos miſit *Epiſcopum Sutrinum* & *Abbatem S. Anaſtaſij*, ſcribens Epiſcopis Germaniæ vt detentores eorum monerent, & ſi neceſſe foret, compellerent per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras, vt illos dimitterent; comminando Principibus vniuerſis, niſi ad hoc impenderent operam efficacem, ſe totam Alemanniam ſuppoſiturum interdicto. Ita in Actis: extantque g ipſius Innocentij literæ de hac legatione ad Epiſcopos Germaniæ. Pergunt vero Acta narrare; quia Cæleſtinus deceſſor Innocentij excommunicauerat Philippum Ducem Sueuiæ, dum eſſet Dux Tuſciæ, propter inuaſionem Apoſtolici patrimonij; iam Innocentium permiſiſſe prædictis ſuis Legatis, ipſum abſoluere, dummodo Archiepiſcopum Salernitanum liberaret. At vero Legati venientes in Germaniam, inuenerant dictum *Philippum*, Henrici nuper Imp. fratrem, à quibuſdam Principibus electum in Regem; qui ad ipſos Legatos accedens, ſe fecit abſolui occulte, Archiepiſcopum & fratres eius liberos dimittendo. De his quoque extant literæ h Innocentij ad Legatos, & aliæ i pro captiuis Siculis, imprimis vero pro ſolutione Reginæ Sibiliæ. Poſtmodum autem (pergunt Acta) idem Philippus ſe fecit inungi, & coronari, non Aquiſgrani, ſed Moguntiæ, nec à Colonienſi Archiepiſcopo, ſed à Tarentaſienſi; quia nullus Archiepiſcoporum Germaniæ id facere voluit. Sed nec aliquis Epiſcoporum, qui fuerunt in illa coronatione, Pontificalibus indui præſumpſit, præter ſolum Sutrinum, qui ad aliud fuerat deſtinatus: vnde & poſtea Epiſcopatu priuatus eſt ab Innocentio. Porro captiui reſtituti ſunt à Conſtantia Imperatrice adhuc viuente. Sibilia vero relicta Regis Tancredi cum filiabus ſuis carcerem euaſit; & in Regnum Francorum confugiens, primogenitam ſuam Gualtero Brenenſi Comiti tradidit in vxorem. Colonienſis autem Archiepiſcopus, & quidam alij Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, videntes ſe in electione Philippi fuiſſe contemptos, vocauerunt *Othonem* filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, & apud Coloniam elegerunt in Regem, eumque Archiepiſcopus Colonienſis coronauit ſolemniter Aquiſgrani: & ſic facta eſt diuiſio in Imperio, longo tempore duratura. Hæc ex Actis.

g Epiſt. 24.
h Epiſt. 25.
i Epiſt. 26.

DVO REGES AD VERSIS GERM.

VIII. CAVSA AGITVR PHILIPPI REG. GR.

Laborandum quoque hoc anno & ſequenti fuit Innocentio in cauſa Philippi Regis Francorum: ob quam miſit in Gallias Legatum *Petrum* diaconum Cardinalem S. Mariæ in Via lata; nempe vt proſequeretur diu ante cœptum iudicium de diuortio à Rege facto cum legitima coniuge, alia ſuperinducta. De quibus extant plures eiuſdem Innocentij literæ & tum ad ipſum Regem, tum ad alios diuerſos datæ. Iiſdemque conſentientia ſcribunt Acta, & dicunt, quia Rex ſæpe commonitus ac quieſcere noluit, Innocentium per Apoſtolica ſcripta præcepiſſe, vt ſublato appellationis obſtaculo, Legatus totam eius terram eccleſiaſtico ſubiiceret interdicto, ita vt nullum in ea præter baptiſmum paruulorum, & pœnitentiam morientium, diuinum celebraretur officium. Congregato igitur per Legatum apud *Senonas* Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum multorum CONCILIO, Rex præſentiens Legatum velle procedere contra ipſum, per nuntios ſuos fecit ad Sedem Apoſtolicam appellare. Legatus vero, non vt appellationi deferret, ſed vt differret ad tempus, quatenus mandatum Apoſtolicum alibi commodius adimpleret, tandem apud *Viennam* l coacto CONCILIO, in quo adfuerunt etiam quidam Archiepiſcopi de regno Francorum, interdicti ſententiam promulgauit, mandans vniuerſis Francorum Prælatis, ſub pœna ſuſpenſionis, vt & ipſi illud obſeruarent; & ab aliis obſeruari facerent. Illorum vero nonnulli illud firmiter obſeruarunt, alii vero minime, donec rurſum ab Innocentio iuſſi, omnes humiliter paruerunt: ſicque tota terra Regis Francorum arctiſſimo eſt interdicto concluſa, ita etiam vt clauſis eccleſiis nuſquam in cœmeteriis ſepelirentur corpora mortuorum, ſed ſuper terram ſeruarentur vbilibet inſepulta. Quare Rex in tantam indignationem excanduit, vt Epiſcopos & clericos qui ſeruarent interdictum, faceret ab eccleſiis ſuis expelli, & bona omnium occupari. Sed cum plebs vniuerſa clamaret, Rex nuntijs miſſis ad Papam, cum nec minis, nec precibus, nec promiſſis potuiſſet flectere Pontificem vt interdictum relaxaret; tandem aduenientibus aliis Legatis, nempe *Octauiano* Cardinale Epiſcopo Oſtienſi, & *Ioanne* tit. S. Priſcæ presbytero Cardinale, Rex ad mandatum eorum recepit Reginam, & ſententia interdicti, quæ per octo menſes duraverat, relaxata eſt ingenti omnium gaudio & applauſu. Superinductam autem Rex à ſuis ſeparauit amplexibus, ſed à Regni finibus non excluſit, quia grauida erat, & partui proxima: eademque poſt partum grauiter infirmata, mortua eſt. Sed & Regina, quod numquam effici potuit vt Rex eam amore coniugali diligeret, mœrore tandem confecta defecit. Iſta ex Actis.

21. ep. 4. 171. 346. 347 & lib. 2. ep. 186.
l Alij habent Diuionem, ſed falſum.

IX. INNOC. AGIT IN REGES INCESTVOSOS.

Eodem quoque anno, audiens Innocentius Regem Legionenſem ſibi filiam Regis Portugalliæ conſobrinam ſuam copulaſſe, tam ipſum Regem Portugalliæ, quam inceſtuoſe coniunctos excommunicationis ſententia innodauit, & eorum Regna ſuppoſuit interdicto. Vnde quod illegitime factum fuerat, penitus eſt reuocatum. Sed Rex Legionenſis ad deteriora manum extendens, filiam Regis Caſtellæ conſobrini ſui ſibi copulare præſumpſit. Quod cum audiſſet Pontifex, miſit in Hiſpaniam Fratrem *Raimerium* virum ſcientia & religione vbique venerandum: qui cum ſuis monitionibus nihil apud Legionenſem profeciſſet, (Caſtellanus enim obedire

promi-

promisit, si sibi filia sua redderetur:) eumdem legitime citatum, nec comparentem, excommunicationis sententia percussit. Cumq; iidem Reges per Legatos suos Romam missos non valuissent obtinere dispensationem huiusmodi matrimonij; tandem Legionensis rediens ad cor, incestuosam copulam dissoluit, & absolutionem obtinuit. Ista pluribus Acta. quibus consentientes extant literæ Innocētij ad ipsum Rainerium *m*, necnon ad Archiepiscopum Compostellanum *n*, & Episcopos sub Regno Legionensi constitutos. Iisdemque literis Rainerio præcepit, vt Regem quoq; Nauarræ excommunicatione percelleret, si fœdus iniret cum Saracenis aduersus Christianos. Aliisq; *o*, vt Reges Castellæ & Portugalliæ cogeret confirmare ictum inter se fœdus, sub comminatione inferendæ in eos excommunicationis. Ac denique eumdem Regem Portugaliæ coegit *p* ad debitum Apostolicæ Sedi censum persoluendum.

m Ep. 93.94
n 2. epist. 72
o 1. epist. 249.
p 1. epist. 451 452.

X. ALTA REGNA CVRAT.

Hocque item anno, cum Hungaria bello intestino laboraret, fratre Regis aduersus eum insurgente; Innocentius vt his mederetur, Archiepiscopum *q* Strigonienſem paratum ex voto nuncupato Hierosolymam proficisci, retinuit in Ecclesia sua: fratremq; Regis sub comminatione censurarum, & priuationis Regni successionis coercuit *r*. Seuerum quoq; tyrannum ex clerico Deo sacrato, qui falsatis literis Apostolicis, Norwegiæ regnum inuaserat, exturbari præcepit, datis eadem literis *s* ad omnes Episcopos, & ad Regem Daniæ. Rogatus ab Angliæ Rege, ius sibi ab eo dici aduersus heredes Henrici Imp. & Ducis Austriæ, pro recuperatione pecuniæ persolutæ pro sua liberatione, acquieuit *t* eius petitioni. Boleslaum Poloniæ Regem, (quem Ducem nominat) specialē S.R.E. filium, audiens exagitatum aduersariorum insultibus, scriptis ad Archiepiscopum Gnesnensem & omnes Episcopos literis *u*, iussit suo nomine ecclesiasticis censuris aduersarios cohibere. Et à Guidone Comite Aluerniæ literas *x* accepit, quibus ipse exemplo patris sui, qui præcipuum quoddam sui Comitatus castrum donauerat Romanæ Ecclesiæ sub Alexandro PP. Tertio, donauit aliud etiam præcipuum castrum eidem Ecclesiæ; petens à Pontifice patrocinium aduersus fratrem suum Episcopum Claromontensem, quem dirum patereturperſecutorem.

q 1. epist. 5.
r Epist. 10.
s Ep. 384. 385.
t Epist 230. 236. 242.
u Epist. 43.
x Ep. 501.

XI. RESQVE ORIENT.

Nuntiis quoq; ab Alexio Imp. Constantinopolitano acceptis, rogatus est Imperium eius per Legatos suos visitare. Quod ipse præstitit, monens Imperatorem vt succurreret Terræ Sanctæ, & Græcam Ecclesiam reduceret ad vnionem & obedientiam Romanæ; alioquin se super hoc executurū officium suum. Scripsitq; pariter ad Patriarcham Constantinopolitanum, vt Imperatorem ad id induceret. De quibus plures scriptę sunt vltro citroq; literæ, quæ extant inter eusas eiusdem Pontificis libro primo. Rogatusq; insuper idem est ab eodem Imp. vt per excommunicationis sententiam compelleret Regem Hierosolymitanum ipsi restituere insulam Cypri. Quam causam Pontifex in aliud opportunius tēpus distulit, ne interim hæc officerent rebus Terræ Sanctæ, quas ipse omni sollicitudine curabat. Missit enim ad diuersos Principes, Cardinales aliosq; Legatos, vt omnes ad Crucem suscipiendam excitarent: quod & in Gallia & in Italia ingēti animi alacritate præstitum est. Extantq; plurimæ de his ab eo scriptæ literæ *y*. Atque etiam constituit, vt vniuersi clerici maiores pariter & minores, de prouentib. ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium Terræ Sanctæ conferrent; Cardinales vero decimam: ipseque frumentum & pecunias misit. quibus in rebus fuit ei per quadriennium laborādum.

y Epist. 12. 13 219.300 302. 336. 342. 344. 345.399.

XII. HAERETICOS REPRIMIT.

In Gallia Waldenses, Catharos, Patarenos, aliorumque nominum hæreticos, sæpe oppressos, rursum maiori audacia resurgētes, (qui cum in prouincia Tolosana diu, vt vidimus, coaluissent, inde pulsi se in proxima loca receperant,) comprimere studens, scripsit *z* aduersus eos ad Auxitanum, Aquensem, vicinorumq; locorum Antistites, necnon ad Principes, Barones, omnesq; populos in ipsorum diœcesibus cōstitutos. Quod autem indictum aduersus eos bellū non fuerit tunc executioni mandatum, impedimento fuit expeditio Hierosolymitana, de qua diximus.

z Epist. 521.

XIII. CVRAT DISCIPLINAM ECCLES.

De restituenda quoq; Ecclesiastica vbiq; disciplina sollicitus, imprimis Patriarcham Hierosolymitanum grauiter arguit *a*, quod tam ipse quam alij Præsules, clerici & laici illarum partium, vitiis suis iram Dei in Terram Sanctam excitassent. Antiochenum *b* Patriarcham, & Turonensem *c* in Gallia Archiepiscopum, quod præsumpsissent, inconsulta Apostolica Sede, translationes Episcoporum agere, suspensionis sententia ad officium reduxit. Suntq; eiusdem de trāslatione Episcoporum epistolæ *d* magistrales ad Episcopos Fauentinum & Babenbergensem. Rursumq; eumdem Patriarcham Antiochenum perstrinxit *e*, quod tributum clericis sibi subditis indiceret persoluendum. E Galliis vsuras, quæ vehementer illic inualuissent, eliminare satagit *f*. Cultum Sanctorum studuit illustrare: interque alia redarguit *g* Episcopum Wormatiensem, quod negligeret celebrare diem Conuersionis S. Pauli. Sacerdotes bellatores *h* statuit deponendos. Laicales Inuestituras *i* omnino prohibuit. Iudices ecclesiasticos voluit *k* aliquid accipere à litigantibus. Prohibuit *l* beneficiorum pluralitatem. Voluit *m* Episcopos peregrinationem ad loca sancta suscipere absque licentia Summi Pontificis, cuius esset vota commutare. Animabus infelicium prostitutarum consulens, indulgentiam *n* impertitus est iis qui aliquam ex eis duceret vxorem. Falsarios *o* Literarum Apostolicarum coercuit, occasione impostorum, de quibus dictum est anno superiori. Clericorum quoque percussores *p* à nemine absolui voluit nisi ab ipso Summo Pontifice; ne hoc quidem indulgere volens Crucesignatis. Itemque remotissimarum etiam Ecclesiarum curam gerens, inter alias Islandiam studuit ad pristinam viuēdi formam ex sacro Euangelio præscriptam reuocare; scripta ad eos egregia epistola *q*, quæ his præsertim temporibus, quibus erraucrunt ab vtero, & locuti sunt falsa, iisdem possit esse proficua. Et in Vtlandia *r* corrigere satagit disciplinam à prauis moribus qui in eam irrepserant. Daniæ quoq; Ecclesiæ consultum voluit *s*, vt donationes more prisco heri solitæ ratæ haberentur. Hibernosque *t* de ritibus Ecclesiasticis informauit.

a Epist. 331.
b Epist. 176 357.
b Ep. 50. 506.
c Epist. 118.
d Ep. 326. 335.
e Epist. 115.
f Epist. 401.
g Epist. 44.
h Epist. 382.
i Ep. 64 65.
k Epist 378.
l Ep. 8 101.
m Epist. 69.
n Epist. 113.
o Epist. 235.
p Epist. 310.
q Epist. 320
r Epist. 422.
s Epist. 424.
t Epist. 63.

De Monastica quoque disciplina sollicitus, grauissimas ad Cassinenses literas *u* dedit, redarguens eos quod socordes in ea custodienda inuenti essent. Ordinem regularem HOSPITALARIORVM S. SPIRITVS, nuper auctore *Guidone* mire cœptum erigi apud Montempessulanum in Gallia, cōfirmauit *x*, & priuilegiis auxit: qui & mirifice propagatus est. Et (vt habetur in eius Actis) propriis sumptibus ad opus infirmorū & pauperum Romæ *Hospitale S. Spiritus* apud S. Mariam in Saxia fecit: quod & multis ædificiis, possessionibus, redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & priuilegiis ditauit & dotauit. Monasteriis *y* quoque S Germani Parisiensis, & S. Dionysij, priuilegia confirmauit. Et quod ad hæc de priuilegiis spectat, illud accidit memoria dignum, quod extensis manibus petentibus aliis vndique religiosis ab eodem Pontifice priuilegia, soli Præmonstratentes non augeri priuilegiis honorum ambierunt *z*; petentes confirmari ab Apostolica Sede decretum ab ipsis factum de non vtendo mitra vel chirothecis in officio diuino, ne huiusmodi Pontificalibus vtendo, supercilium elationis assumerent. Quod vt idem Pontifex confirmauit, ita etiam noua iisdem de Catholica Ecclesia bene meritis, & summo decore perfectæ obseruātiæ vitæ religiosæ florentibus, alia adauxit *a* priuilegia. Coluit enim eos plurimum: Sicut & Cistercienses, quorum preces ad subeunda onera pastoralia sæpe literis *b* admodum officiosis postulauit.

u Epist 388.
x Ep. 96 98. HOSPIT. S. SPIR.
y Epist. 172. 173. 174.
z Epist. 197.

XIV. ET MONASTICAM.

Quæ vero, qui aliis ita prospiciebat, sibi ipse ab exordio Pontificatus pia opera præscripserit, Acta eius Vitæ narrant: nempe, ad eleemosynas deputasse vniuersos prouentus ad se pertinentes de oblationibus basilicæ S. Petri: ac præterea de cunctis prouētibus suis integram decimam in opus eleemosynæ separasse, ac de residuo, licet occultas, sæpissime tamen largas eleemosynas impendere consueuisse: vniuersasque oblationes, quæ secundum antiquam consuetudinem ad pedes ipsius proueniebant, eleemosynario destinasse erogandas. Faciebat igitur (inquiunt Acta) famelicos refici, nudos vestiri, virgines pauperculas maritari, pueros expositos enutriri: subueniebat frequenter monachis & monialibus indigentibus, reclusis, & eremitis: domosque religiosas visitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & inuestigabat diligenter eleemosynarius eius pauperes, ac debiles, maxime nobiles; dabatque illis sigilla, vt per eos qui ipsa referrent singulis hebdomadibus pecuniam destinaret

XV. PAVPERIBVS ABVNDE SVBVENIT.

ad vi-

ad victum: exceptis illis qui quotidiè recipiebant aut cibos, aut nummos, aut vestes. Permittebatque etiam, pauperculos pueros ante mensam suam post finem refectionis venire, & de iis quæ coram eo remanserant victualia exhiberi. Ac denique sabbatis faciebat mandatum, lauans, ac tergens, & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciensque refectionem omnibus impendi. Hæc ibi.

[Atque hactenus collectio ex supradictis schedis BARONII, fideliter à nobis excerpta: cum alioqui sciamus, non hæc omnia præcise primo anno Innocentii contigisse, essequalia ad eum pertinentia quæ in iisdem schedis desiderantur. Subdimus autem pro vniuersi operis coronide, supremam ipsius BARONII contestationem c: quæ priori parte cunctos excitet ad gratias Deo agendas, posteriori si non iam ipsi Baronio, (qui cum Beatis in cœlo fruitur Summo Bono) saltem mihi prosit misertimo peccatori, breui (vt spero, timeoque) ad huius ærumnosæ vitæ terminum peruenturo.]

c Ext. Tom. XII. Ann. post Epist. dedicat. ad Paul. V.

In vitæ huius limine constitutus, & futuram morti iam propior recogitans, oro te atque obtestor, Christiane Lector, quicumque cum Romana Catholica Ecclesia communicas, siquem vmquam ex his Annalibus nostris ad tuam, aliorumve ædificationem fructum capies, primum vt Deo Opt. Max, omnium largitori acceptum feras: deinde hanc mihi vigiliarum, lucubrationumque, quas tua causa tot annos libens pertuli, gratiam reponas, vt animæ meæ, cum ex hac vita excessero, bene precari, ac opem ferre ne graueris, tum ceteris suffragiis quæ defunctis impertiri in Ecclesia mos est, tum maxime sacrosancti & salutaris Missæ sacrificii oblatione. Hanc à te, inquam, vicem peto. Tibi vero tribuat Deus, vt pie semper viuas, & supernis benedictionibus repleare.

FINIS.



INDEX VTRIVSQVE TOMI

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, IN QVO PRIOR NVMERVS NOTIS RECENTIORIBVS DESIGNATVS, ANNVM CHRISTI, POSTERIOR ANTIQVIORIBVS CHARACTERIBVS EXARATVS, Marginalem numerum cuiusq; anni denotat.

ET Ω cur dictus Christus, ex sententia quorundam Valentinianorum. 175. IX.

Aaron Rex Saracenorum in Oriente, adhuc sub Patre infestat imperiũ, & tributum ab Imp. pro pace exigit. 781. III. licet infensissimus Christianis, Carolum Magnum veneratur, & muneribus frequentat. 784. III. à Nicephoro Imp. Orient. tributum exigit. 805. I. Dat pœnas temerarij conatus in Reliquias S. Nicolai. 807. I. Moritur. 808. II.

Abagarus, siue Abgarus, vel potius Edessenorum in Syria Rex, scribit ad Christum, & recipit ab eo litteras, & Imaginem eius. 31. XXII. Sanatur à Thaddæo Christi Discipulo. 43. V.

Abgarus alius sub Antonino Pio, vir sanctissimus. 175. V.

Alius sub Caracalla; à quo male habitus, diuinitus vindicatur. 218. I.

Eo nomine dicti omnes eius prouinciæ Reges. 175. V.

Abailardus, vide Petrus Abail.

Abasti populi sub Iustiniani Imp. Christiani facti, vetantur ab eo amplius castrari; cum prius ex ijs plerumque Eunuchi Impp. sumerentur. 527. 6.

Abbati monasterij S. Columbani, ordine inusitato subiecti illius prouinciæ Episcopi. 565. VI.

Abbati data à Gregorio Magno testandi facultas, de bonis quæ ante susceptum monasticum habitum habuisset. 601 VI.

Abbates Cardinales in Ecclesia Rom. & quot essent in Vrbe Abbatiæ. 1057. III.

Abbatissæ subsunt viri religiosi & fœminæ in Ordine Fontis Ebraldi. 1117. VI.

Abbo Floriacensis monachus promouet in Anglia monasticam disciplinam, & literarum scientiam. 970. II. factus Floriacens. Abbas in Synodo Rhemensi stat fortiter pro sede Apostol. rursumq; scribit aduersus eius obtrectatores. 992. II. III. mittitur Romam à Rege Roberto pro pace Eccles. Gallic. 995. III. Robertum Regem ad meliorem frugem reducit. 998. I. infi. moritur martyr & claret miraculis. 1003. V.

Abdiæ Babylonij nomine scripta Vitæ Apostolorum, apocrypha. 44. XXIV.

Abecedarius psalmus, scriptus ab Augustino aduersus Donatistas. 392. VI.

Abercius Hierapolitanus Episcopus accersitus Romam à Marco Imp. ad filiam Lucillam à dæmone liberandam. 163. V. Ter mille modis frumenti donatur quotannis in Ecclesiæ suæ vtilitatem. ibid. Perseuerat ea donatio vsque ad Iulianum Apostatam, qui eam aufert. 362. I. VI.

Abila ciuitas Decapoleos; vnde Abilina Tetrarchia apud Lucam. 31. III.

Abilius creatur Episc. Alexandrin. 87. III. moritur. 100. VI.

Ablauius Præf. Prat. inter Constantini Magni aulicos princeps, per visum à S. Nicolao deterretur à nece trium innocentium Tribunorum. 326. XVIII. Eius inexplebilis auaritia perstricta à Constantino ibidem XIX. Necatur à Constantio: dictus ob immensum eius casum, Pila fortunæ. 337. X.

Abominatio desolationis à Domino prædicta, quæ intelligenda. 68. XVI.

Abortiuum cur se Paulus Apostolus nominet. 44. XXXII.

Abrasax summum numen Basilidianorum. 120. VIII.

Abrasio capitis, signum mœrentis hominis; præterquam apud Romanos, qui in luctu capillos promittebant 58. LIV. Ea apud omnes fere gentes, ignominiæ nota. ibid. LI.

In Clericos auctoritate Apostolica delapsa: & quid in ipsis mystice denotet. ibid. L. III. Olim prohibita Sacerdotibus Hebræis: Gentilium vero prorsus diuersa à Christianorum tonsura. ibi. Vide etiam Tonsura, Capilli, Barba.

Abrincense in Gallia Concilium, de disciplina Eccles. 1172. II. in fi.

Absalon Episcop. Roschildensis in Dania præsto est suo Regi in propaganda fide. 1161. VI. Fit simul ex causa Archiepiscopus Lundensis in eadem Dania. 1177. XIV.

Absimarus à militibus euehitur in Imperium, nominaturq; Tiberius. 696. II. Leontium Imp. præcisis naribus relegat in monasterium. ibi. Insultat Rom. Pontifici per Italiæ Exarchum. 701. IV. Capitur à Iustiniano Imperium recuperante, & publice illuditur, ac uecatur. 703. II.

Absolutio grauiorum delictorum Rom. Pontifici reseruata. 867. XII. 1027. VI.

Absolutio ab hæresi. Vid. Hæretici & Rom. Pont.

Abstinentia ciborum quæ damnata à Paulo Apostolo. 57. LIV. Quam damnet pariter Ecclesia, & quam probet. ibid. LV. Vide plura in Cibi. Animata. Carnes.

Abstinentia Apostolorum, & veterum Christianorum qualis. 57. LVI.

Abstinentiæ nullum esse meritum, dixit Ioannianus hæresiarcha. 382. VII.

Abstinentes dicti hæretici Hieracitæ, & quare. 287. IV.

Abundius Comensis Episcopus mittitur cum aliis à Leone Papa in Orientem ad erigendam collapsam Ecclesiam. 450. II. Celebrat Constantinopoli Concilium cõtra Nestorianos & Eutychianos. ib. VI. Curat Mediolani aliud celebrari, pro subscriptione epistolæ Leonis PP. de Incarnatione Verbi. 451. II.

Abyssini dicti AEthiopes subditi Presbyteri Ioannis, obtinent Romæ Ecclesiam. 1177. X.

Acacius Amidæ Episcopus beneficentiss. in captiuos Persas, admirationi est illorum Regi, licet Christianorum persecutori. 420. IV.

Acacius Antiochen. Episc. creatur. 458. IV. moritur. 459. IV.

Acacius Beræensis Episcopus, magni vir nominis, fungitur Legation. ad Rom. Pontif. pro reconciliatione Flauiani Antioch. 398. XVIII. inhæret Theophilo Alexandrino aduersus Chrysostomũ, in gratiam Eudoxiæ Aug. 1. 404. 5. Excommunicatus ab Innocentio PP. ea de causa, certis postea conditionibus restituitur. 408. XI. Centum & decem annos natus, agit pro Nestorio apud Theodosium Imp. aduersus Synodum Oecumen. Ephesinam. 431. XVII. Postea agit pro reducendis Nestorij fautoribus ad concordiam cum Catholicis. 432. IV.

Acacius Cæsariensis in Palæst. Episcopus eligitur in locum Eusebij Pamphili: Arianus in locum Ariani. 340. XIII. Venit cum suis collegis fraudulento animo ad Concilium Sardic. pariterque recedit. 347. VI. Damnatur ibi à Patribus. ibid. VII.

Signifer Arianorum aduersus Semiarianos. 358. IV. In Concilio Seleuc. horrendas profert in Filium Dei blasphemias, & damnatur à Semiarianis. 359. XVIII. XIX. Fauore Constantij Imp. ipse cum suis Constantinopoli abdicat Semiarianos. ib. XXI. AEtium quoque Impium, vt ea ratione ipse videatur pius, damnat, licet ei doctrina coniunctus. ibid.

Sub Iouiano Imp. Catholico simulat fidem Orthodoxam in Concilio Antioch. 363. XX. Moritur

ritur. 366.V.

Acacius Constantinop. Episcopus creatur ex præfecto collegij orphanorum. 471. I. Conatur promouere primatum Ecclesiæ Constantinop. post Romanam, sed resistit ei Simplicius Papa. 472. I. Ab eodem Pont. literis excitatus; viriliter agit contra Basiliscum Imp. Eutychianum. 476. III. VI. VII. Ob rem bene gestam, vices ei suas delegat Simplicius Papa. 477. II. Inuidiose agit aduersus Episcopum Antioch. 482. I. Itemque aduersus Alexandrinum. ibid. II. Demum aperte cum Zenone Imp. fauet hæreticis. ibid. Eius impulsu Zeno promulgat Henoticon suum. ibidem. III. Citatur à Felice Papa, causam dicturus de obiectionibus Ioannis Alexandrini. 483. III. Petrum Fullonem, Trisagion sacrum corrumpentem, Concilio celebrato damnat, scribitque aduersus eum ad Rom. Pont. ibidem IV.

Cogit Legatos Apost. Sedis præuaricari; & sæpe monitus vt vitaret communionem hæreticorum, nec obediens, excommunicatur in Concilio Rom. à Felice Papa, eiusque damnatio promulgatur in Oriente. 484. II. IV. Dire sæuit in Orthodoxos, nomenque Felicis PP. aufert è Diptychis. ibidem V. Moritur in anathemate. 488 I. Nomen eius diu à successoribus in Diptychis retentum (obnitentibus licet Rom. Pontificibus) tandem eraditur ignominiose. ibidem. & 519. III.

Quanta fuerit eius causa desolatio Ecclesiæ Orientalis, 512. II.

Acacius Melitinæ in Armenia Episcop. interest Concil. Oecum. Ephesino. 431. V. XIX.

Academici Philosophi iactantes, Christianos à Platone accepisse de fide sententias, refelluntur à Sancto Ambrosio. 384. V.

Eorum secta adhæsit ad tempus Augustinus ante baptismum. ibid.

Acclamationes vanas populorum non audiendas, sancierunt Dioclet. & Maxim. Impp. 301. V. nihilominus ad eas persecutionem in Christianos excitarunt. 301. III.

Accusationum libellos ab Episcopis in alterutrum sibi oblatos, Constantinus Mag. igni tradit. 325. XII.

Accusator sui (siue vere, siue falso) clericus, omnino credendus, ex Concilio Valentino. 374. V. & Tolet. Decimo. 656. IV.

Accusationes populi in pastores, non recipiendæ nisi in causa fidei, ex Concilio Rom. sub Symmacho. 503. II. Quanto populorum periculo ea fiant. 587. III. non tamen omnino prohibendas censuit Pet. Damian. 1065. I.

Acephali hæretici, vnde sic dicti, & quando orti. 432. VII. 481. IV. Dicti etiam Hæsitantes, quod Concilium Chalcedon. falsis prætextibus recipere recusarent. 492. IV. Eorum caput factus Seuerus, impiiss. Antiochen. Episcopus. 513. II. Vide Seuerus. Eorumdem capita facta multa, & variæ ortæ secta. 535. XI. Eorum Ecclesiæ reconciliandorum prætextu, orta quæstio de damnatione Trium Capitul. Synodi Chalcedon. Sed accidit vt damnatis Capitulis, confusio in Ecclesia aucta fuerit. 538. VII. 546. III. 553. XIII. XIV.

Acephali clerici, commorantes in curiis procerum secularium, damnantur in Concilio Melfit. sub Vrb. PP. II. 1090. II.

Acesius Nouatianorum Episcopus resistit in Concilio Nicæno vnioni Ecclesiæ. 325. XXXVIII.

Acetum ad quid in Cruce Christo propinatum. 34. XXXII. Aceti natura. ibid.

Achillas creatur Episc. Alexandr. 310. V. Arguitur nimiæ facilitatis, quod Arium susceperit, & presbyterum crearit. ibid. Moritur. 311. VIII.

Acholius Thessalonicensis Episcopus, Gothorum reprimit insultus, eosq; peste immissa vexat. 378. VIII. Baptizat Theodosium Mag. Imp. 380. I. Interest Oecumenico Concilio Constantinop. 381. II. itemq; Romano sub Damaso, celebrato ob turbas Antiochenas. 382. I.

Acilij Glabrionis Exconsul. illustre pro fide certamen sub Domitiano Imp. 94. I.

Acœmetatum monachorum, die noctuq; iuges Deo laudes offerentium, institutio Constantinopoli. 459. III. Idem etiam dicti Studitæ. ibid. Vide Studita.

Eorum monasterium, fulminibus ab Imagine Crucifixi procedentibus, seruatur ab inuasione sacrilegorum. 466. II. Fortiter agunt pro Sede Apost. aduersus Acacium Episc. Constantinop. 484. IV. Nestorianam sectantes opinionem exagitantur ab Imp. Iustiniano, agunt q; apud Roman. Pontif. 533. III. Excommunicantur à Ioanne Papa. 534. II.

Acolythorum, siue Ceroferariorum, Ordo ab initio Ecclesiæ, & quod esset eorũ munus. 44. XXXIV. 58. XXXVI.

Ἀκρίδες quibus vescebatur in deserto Ioannes Baptista, quid essent. 31. VI.

Acta Pilati de Christo Romam missa, & quid de ijs Tiberius & Senatus. 34. LXII. Alia eiusdem Pilati nomine postea conficta. ibidem & 311. VI.

Acta Apostolorum à Luca conscripta, qualem historiam contineant. 34. LXV. Acta alia plurima ab hæreticis conficta sub nomine tum omnium simul Apostolorum, tum eorundem singulorum, nec non & aliorum veterum Discipulorum. 44. XXIV. & seqq.

Ad acta martyrum conscribenda, instituti Romæ à Clemente PP. Primo Notarij septem Regionarij. 98. III. His postea Fabianus septem præfecit Subdiaconos. 238. I. facta martyrum vbique magna diligentia collecta. ibid. II. Acta Proconsularia quæ dicerentur. 238. II. 285. I. Acta martyrum quam plurima deperdita inuidia Diocletiani, qui Christianorum scripta aboleri iussit. 67. I. 69. XVII. 94. I. & alibi sæpissime.

Acta martyrum singulorum, aliorumq; Sanctorum, necnon Conciliorum, &c. vide sub propriis eorum nominibus.

Actardus ex Nannetensi Ecclesia translatus in Turonensem, creatur à Rom. Pontif. Card. metrop. Turonensis. 871. V.

Adalbertus vir sanctus constituitur primus Archiepisc. Magdeburgens. & totius Slauoniæ metropolit. 971. III. moritur. 983. I.

Adalbertus creatur Episc. Pragensis. 980. I. Boemos expertus nimis refractarios, Romam pergens includit se monasterio. 983. I. 989. I. Requisitus abijs, cogitur Ecclesiam repetere: sed ob eorum duritiem, pergit ad Conuersionem Hungarorum; & inde redit Romam ad monasterium ibidem. A Moguntino Metropolitano interpellatus de residentia, rursum à summo Pont. iubetur ad eam pergere. 996. VI. Iter peregrinatur in Gallias, ad visitanda corpora SS. Martini & Benedicti. ibidem. Repulsus à Bohemiæ Duce, pergit ad prædicandum Prussis, alijsq; finitimis populis: vbi martyrio coronatur, & martyrium longissime dissitis locis eodem momento reuelatur. 997. I. Corpus aquo auri pondere redemptum, immensis claret miraculis. ibid. Sepulchrum eius visitat Otto Imp. 999. IV. Manus Romam ab eodem Imp. transferuntur, & ecclesia in earum honorem erigitur. 1000. I.

Adalbertus Episcopus Hamburg. seu Bremensis, vitiis suis accelerat perditionem Ecclesiæ Slauonicæ. 1065. IV. Henricum quoque Regem perdens, cogitur à populis rebellantibus longe pelli. 1066. IX. Auctus legatione Apostolica, impigre curat Ecclesias Boreales. 1067. II.

Adalbertus Mogunt. Vide Albertus.

Adalualdus filius Agilulphi Longobard. in Italia Regis nascitur & donatur Phylacteriis à Greg. Papa. 604. Succedit patri sub cura Theodolindæ matris. 616. I erigit Ecclesiam S. Ioan. Bapt. ibid. mente capitur, & ideo regno pellitur. 626. VI.

Adam primus homo sepultus in Golgotha, vbi Christus crucifixus. 34. XXXIII. Alius Adam è genere gigantum, sepultus in Hebron. ibid. Adam & si non peccasset, moriturum esse; eiusque peccatum, ipsum solum læsisse, & non genus humanũ; docuit Pelagius. 415. IV.

Adamitarum impurissima secta auctore Prodico, inter Gnosticos adnumerata. 120. XVII. Eorum impia dogmata. ibid.

Adam canonicus Bremensis egregio candore scripsit historiam Ecclesiasticam prouinciarum Borealium. 826. V. in fi. 1067. II. quousque eam perduxerit. ibid.

Adelfonsus, siue Adelfonsius. Vide Alfonsus.

Adelais coniux Lotharij Regis Italiæ, mortuo viro nubit Ottoni Magno. 951. I. an fuerit Ottonis commater. 973. I. ritu solẽni inter SS. refertur. ibid.

Adelais vxor Henrici III. Imp. inauditas passa ab eo turpitudines, & mala, confugit ad Mathildem Comitissam, & Vrbanum PP. & fit Abbatissa. 1093. II. In Conciliis Constantiensi, & Placentino querelas aduersus Henricum ingeminans, declaratur innocens, quod inuita eas spurcitias passa esset. 1094. I.

Adhardus Caroli Magni consobrinus passus ab eo scandalum, fit monachus. 771. IV. Factus Corbeiæ Abbas, optime administrat Italiam sub Pipinio Caroli filio. 807. IV. Calumniam passus mittitur in exilium à Ludouico Pio. 817. IV. reuocatus auctor & est pœnitentiæ publicæ peragendæ. 822. I.

Adeodatus S. Augustini filius baptizatur cum Patre. 388. IX.

Adeodatus creatur Rom. Pont. 669. III. Moritur. 676. I.

Ado Viennensis Episc. quousque perduxerit Chronicon suum. 878. VI. Auxit etiam Martyrologium. ibid.

Adolescens quomodo dictus Paulus à Luca. 35. V.

Adoptione, non natura, corpus gestasse Filium Dei, asseruerunt Apollinaristæ. 373. Itemque Bonosiaci. 531. II. & Nestoriani. 791. II.

Adoptat sibi filium Rom. Pontifex Ioannes VIII. & qua ratione. 878. IV. itemque Steph. Sextus. 885. III.

Adrumetinum Concilium in Africa. 394. VIII.

de Aduentu Domini prologomena. Vide in Apparatu.

Aduentus integrum tempus continuato ieiunio transigere quidam soliti, & vnde ea fluxerit consuetudo. 581. VI.

Adulter habitus Episcopus, aut presbyter, qui coniugatus ordinatus, post ordinationem commisceretur vxori. 58. VIII. itemque sacra virgo qua fidem Christo frangit. 57. XXVI.

Adulterium seuerissime punit Domitianus 83. II. filij Constantini Magni. 339. II. Valentinianus. 367. VII. Vvamba Rex Hisp. 674. I. Kiouenses. 1018. I. Adulterij actio denegata adulteris maritis lege Antonini Pij, ipsique subiecti legi Iuliæ. 163. II. Ob adulterium Constantini

Imperat. filij Irenes, quanta excitata turba in Ecclesia Orient. 795. I. 806. II. 809. I. itemque ob aliud Lotharij Franc. Regis in Gallia. 862. IV. 863. III. 868. IV. Adulterarum pœna quadam asserta à Socrate. 389. IX.

Aduocatus fisci constitutus ab Hadrian. Imp. 134. II.

AEdesij & Apphiani fratrum martyrium sub Maximiano. 304. 9.

AEdes Dianæ, quæ dicantur à Luca. 57. II. de AEdificijs construendis, ne incendijs pateant, constitutiones Impp. 46. II.

AEditha Regina, vxor Ottonis Magni, sanctitate & miraculis clara. 947. III.

AEdituus idolorum per S. Gregorium Thaumaturgum insigniter conuersus. 253. XXI. *AEdituum fani Fortunæ Valentinianus postea Imp. pugnis coram Iuliano Apostata cædit, quod aquæ lustralis guttam lauæ suæ aspersisset.* 362. VII.

AEgrotantium curandorum causa nosocomium prima Roma instituit Fabiola. 390. VI. *eorum curæ destinatum Alexandriæ corpus* 600. *clericorum minoris ordinis.* 415. IX. *vide Parabolani.*

AEgyptus multa bona suscipit ex aduentu Domini. 1. X.

AEgypti præfectura Augustalis, Equitibus Rom. tributa ab Augusto Imperatore, Senatoribus à Seuero. 204. II. *Redigitur sub tributo à Saracenis.* 634. I.

AEgyptij rerum nouarum cupidi. 204. II. *Vide Alexandria. eorum præcipuus Deus Apis.* 123. IV.

AEgyptius, idem quod magus. 324. VIII.

AEgyptij sic dicti hæretici, qui Concilium Chalcedonense reuicebant. 452. IV. *Idem aliis quoque nominibus dicti, à diuersis auctoribus.* 535. X.

AEgypti Ecclesia dirißime vexatur in persecutione Decij. 253. XV. *Sub Constantio, ab Arianis.* 356. III. *Sub Iuliano, ab Arianis simul & Gentilibus.* 362. I. *Sub Valente, ab Arianis.* 372. V. *Vide Alexandrina Ecclesia Schismate diuiditur, ob expulsionem Dioscori Episcopi Alexandr. hæretici.* 412. IV. *Grauiss. patitur persecutionem ab Eutychianis.* 457. IV.

AElfredus regnat in Anglia. 871. VI. *profugus à Danis, eos postea debellat, & Magni nomen adipiscitur.* 878. XI. *restituit Ecclesiam Anglicanam. ibid. eleemosynas mittit Romam & in Iudæam.* 883. II.

AElia dicta Hierusalem, in honorem AElij Hadriani, qui eam rursum inhabitari iußit. 130. III. 137. I. *Reliqua vide in Hierosolyma.*

AEmilianus creatus Imp. aduersus Gallum & Volusianum, paulo post necatur. 257. IV. *Alius inuadens in AEgypto Imperium sub Gallieno, strangulatur in carcere.* 263. II.

AEmilianus Phryx martyr sub Iuliano. 362. XX.

AEonas suos quomodo distinxerit Valentinus hæresiarcha. 145. I. *Quid de iis delirarint alij eius discipuli.* 175. VII.

AEræ numerandæ ratio, peculiaris Ecclesiæ Hispan. 325. I. *Frequentia in eius notis menda.* 567. V.

AErem Iudæorum censere voluit Pescennius Niger. 199. II.

AErius hæresiarcha Episcopum & Presbyterum nulla re differre asseruit. 58. III.

AEsculapius serpens. Vide Serpens.

AEtas longæua multorum in censu facto sub Vespa. Imp. 76. I. *Itemque multorum ex Discipulis Domini, & Apostolorum, ad vtilitatem Ecclesiæ. ibid.*

AEternum dictum Romæ Pacis templum Annal. V. & an. 77. II.

AEternum se Constantius Imp. nominat. 353. V.

AEthiopum Antiqua religio. 35. XV. *Prædicat illis Euangelium Eunuchus Reginæ Candaces. ibid. Feminæ ibi regnare solitæ, dicique Candaces. ibid.*

Eorum postea Reges, Preteianni dicti. 1177. X. *Vide Preteiannus.*

AEtius Atheus, siue Impius cognominatus, ex aurifice sit Philosophus; & ob perplexitates argutiarum, ab Arianis (quib. inhærebat) pellitur. 356. XVII. *Impia eius dogmata, & nefandæ turpitudines ibi. & XVIII. Insolentißime se supra Prophetas & Apostolos extulit. ibid. iungitur æque impio Eudoxio. ibid. XVIII. Aduersus eum paratur à Constantio Imp. Concilium.* 358. I. *Damnatur in Concilio Constantinopolitano ab Acacianis, licet multis, & ab Imperatore relegatur in Phrygiam.* 359. XXI. *Primus post Arium, palam asserere ausus est, Christum ex nihilo ortum, & Patri prorsus Dißimilem: indeque eius sectatores dicti Anomiani & Exuccontii.* 360. XI. *Reuocatur ab exilio per Iulianum Apostatam.* 361. XIV.

AEtiani hæretici, ab eo dicti; qui & Eunomiani, ab eius discipulo Eunomio; siue Eudoxiani, ab Eudoxio impietatis collega. 356. XVIII.

Iidem exagitantur à Theodosio Mag. Imp. 381. XI.

AEtius dux cum Romanis conflixit; rebusque compositis, augetur dignitate Comitatus. 425. V. *Certamine à Bonifacio Comite, æmulo suo, victus, rursum ad Hunnos in Pannoniam fugit: sed mortuo Bonifacio, restituitur.* 432. XI. *Iunctas Gothis & Francis, ingenti prælio vincit in Gallia Attilam.* 451. VIII. *Consulatum gerens, occiditur à Valentiniano Imp. ob falsam suspicionem tyrannidis: & vna cum eo cadit Imperium Occidentale.* 454. I. *Ab eius amicis occiditur Valentinianus.* 455. I.

Affectiones Christo Arius assignauit. 318. IX. *Affectus omnes vitiorum, posse in homine penitus conuelli, docuit Pelagius.* 411. VIII.

Affectus quales fuerint in Christo. 563. I.

Africa VVandalis meruit tradi, ob impudicitias, aliaq; ingentia crimina, quibus in profundum impietatis peruenisset. 428. I. 439. VI. *Euertuntur in ea funditus à VVandalis reliquiæ idololatriæ.* 439. VI. *Recuperatur à Iustiniano Imp. per Belisarium; & quæ ad eius restituendum statum præstiterit.* 534. IV. V. *Rursum turbatur factione Arianorum rebellantium, sed sedatur à ducibus Iustiniani.* 536. XV. *Rursum desolatur à tyrannis.* 545. IV. *Saracenis sit tributaria.* 647. I. *Occupatur penitus ab ijsdem.* 696. II.

Africanum Concil. sub Cypriano, in causa presbyteri tutoris constituti. 257. VI. *Aliud, in causa Basilidis & Martialis Episcop. Hisp.* 258. II. *Plura alia celebrata post reditum Episcoporum exulum è Sardinia, pro restituenda Eccles. disciplina.* 522. III. *Quæ celebrata sunt certis Africæ locis, vide sub singulis earum vrbium nominibus.*

Africana Concilia aduersus hæresin Monotheliarum. 640. I. 646. I.

Africana Ecclesia vnde, & à quibus Euangelium susceperit. 44. XX. *Quæ damna passa sit à Lapsis in persecutione Decij.* 253. V. & seqq. *Quæ à Proditoribus sub Diocletiano.* 302. XIX. *Quæ à Donatistis; Vide Donatistæ Circumcelliones. Monachismum recipit ex Italia per S. Augustinum.* 328. IV. 391. III. *eumque introducit in clerum ecclesiarum.* 398. XV. *Nulla fuit eius scißio ab Ecclesia Rom. in causa Appellationum, sed tantum de earum modo controuersia.* 419. XIV. *Vide Appellatio.*

Diram patitur à VVandalis persecutionem. 437. I. 439. V. 456. IV. 483. V. 484. VI. & seqq. 504. II. *Corruptißima moribus, meruit subiici iugo Saracenorum.* 696. II. *Desolatißimus eius posterioribus temporibus status.* 1053. VI.

Africani Episcopi consulunt Rom. Sedem, de quibusdam dubijs in baptismo infantium 397. XIX. *Minime olim gestare consueuerant prolixã barbam.* 398. XV. *Petunt sacros ministros à Romano Pontifice & Antistite Mediol.* 401. II. *Vide etiam Carthag. & Milenit. Concilia. Euntes ad Comitatum, negotia sua communicare habebant cum Rom. Pont.* 407. III. 419. VIII. *Quæ de re controuerterint cum Apostol. Sede in causa Appellationum.* 419. VIII. & seqq. *Quantum ei detulerint in definiendo canone Scripturarum. ibidem. XV. & alijs rebus.* 535. IV. 646. I. *Ex immenso numero in quantam paucitatem redacti fuerint ex persecutione VVandalorum.* 456. IV. *Fuerunt tamen nonnulli illustres Scriptores aduersus impiiss. Arianos. ibid. V. Immensus eorum, clericorumq; numerus, in exilium deportatur.* 483. V. *Omnes rursum Episcopi relegantur in Sardiniam.* 504. II. *Restituuntur ab exilio Sardiniæ per Hildericum, & Concilia celebrant ad restituendam disciplinam.* 522. III. *Commiscentur vxoribus, & Saracenis merentur subdi.* 696. II. *Sub Leone PP. IX. fuerunt tantum in vniuersa Africa quinq;.* 1053. VI.

Africanus scriptor Ecclesiast. vide Iulius Afric.

Agapes, ac sacrorum martyrium sub Maximiano Imp. 304. X.

Agapes conuiuia publica exhiberi solita in Ecclesia 57. XXXIX. *Earum varia genera, vsus, abusus, & reformatio. ibid. & XL.* 377. V. 384. VI. 397. XVIII.

Agapetæ virgines quænam dicerentur. 398. XIX. *Earum prauum vsum redarguit Hieronymus: sustulitque Constantinopoli Chrysostomus. ibid.*

Aliæ item eiusmodi, reprimuntur in Concilio Lateran. sub Innocentio Secundo. 1139. II.

Agapetus diaconus, qui Epistolam paræneticam ad Iustinianum Imperat. scripsit, quis fuerit. 527. II.

Agapetus Roman. Pontifex creatur. 535. V. *Rogatus à Iustiniano Imperat. Legatos mittit in Orientem ad res Eccles. ordinandas. ibidem. VII. Scholas Theologiæ primus omnium Romæ erigere satagit. ibid. XV. Clotario Franc. Regi comminatur interdictionem regni, nisi satisfaciat de nece Gualteri de Tuetot, intra ecclesiam facta. ibid. XVIII. Cogitur à Theodato Rege, legationem obire ad Iustinianum Imp. pro pace.* 536. II. *Miracula in itinere edit. ibid. III. Adoratur à Iustiniano. V. Anthimum Episc. Constantinop. hæreticum Eutychianum deponit, & excommunicat, vna cum Seuero Acephalorum capite, aliisque hæreticis, licet à Theodora Augusti impensum fouerentur. V. VI. In locum Anthimi, ordinat Menam. VII. Moritur Constantinopoli, & corpus transfertur Romam. VIII. Eius egregiæ laudes.* ibid.

Agapetus alius, confictus à quibusdam successor Martini. 891. I. *Itemque alius, successor Gregorij Quinti.* 999. III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Agapetus II. sedet. 946. I. Vocat in Italiam Ottonem Germaniæ Regem, aduersus Berengarium tyrannum. 950. I. Moritur. 955. I.

Agapij martyrium sub Maximiano. 305. II.

Agareni Arabes, rebellantes aduersus Traianum Imp. prodigijs adiuuantur. 114. II. Vide Arabes.

Agathæ virginis Siculæ insigne martyrium sub Decio. 254. I. offensa ab Episcopo & populo Catanensi, diu evlciscitur in eos. 1169. VII.

Agathense Concilium in Gallia Narbon. pro restitutione disciplinæ Ecclesiast. 506. I.

Agatho creatur Roman. Pontif. 678. II. Celebrat Concilium Romæ contra Monothelitas, & Legationem inde mittit ad Synodum Sextam Oecumen. 680. I. Eius definitionem Synodus sequi professa est. 681. X Petitur ab eodem confirmatio. ibid. XI. Concilium celebrat pro ea. 682. I.

Moritur. ib.

Agaunenses martyres sub Maximiano Herculio, ijdem qui Thebæi dicti. 297. I. II. Frequens ad eos Fidelium peregrinatio ibidem. II. Ibi Sigismundus Rex Burgund. erigit monasterium: vbi & ipse post mortem sepultus miraculis claret, augetque frequentiam peregrinationis. 526. X.

Agbarus, vide Abagarus.

Agelius Nouatianorum Episcopus quid in Concil. Constant. in causa disputationis de religione. 383. VII. VIII.

Ager figuli, emptus ex 30. argenteis venditionis Domini, qualis. 34. VII.

Aggregationes ad merita Ordinum, in vsu antiquitus. 1118. XIII.

Agilulphus creatur Rex Longobard. in Italia. 591. X. Conuertitur ad fidē Catholicā cum tota gente, opera Theodolindæ vxoris, ibidem. Exarchatum Rauennæ, & agrum Rom. vastat. 595. I. Episcopum Mediolani eligere tentans, impeditur à Gregorio Papa. 600. IV. Moritur. 616. I.

Agnes filia Comitis Pictau. nubit Henric. Imp. 1043. II. vidua relicta religiose educat filium Henricum. 1056. I. in fi. quæ eius culpa vt ab ea auferretur custodia filij. 1062. II. Recipit se Romam pœnitentiæ causa & quam pie ibi egerit. ibid. IV. Visitat monasterium Casinense, & dona offert. 1073. X. Mittitur à Gregor. VII. ad Henricum filium, vt eum reducat ad meliorem frugem. 1074. I. Immobiliter semper adhæret Gregorio aduersus filiū. 1076. IV. pie moritur. 1077. XII.

Agnetis Roman. virg. illustre martyrium sub Diocletian. 303. V. Eadem ad prostibulum damnata, diuinitus liberatur ibid. Eius fides & castitas in Ecclesia celebratissima. ibid.

Agonitæ hæretici, Christum ignorationis diei Iudicij accusantes. 535. XI. 563. I.

Agnus Dei, h. e. Cera sacra vsus ad tollendam superstitionem Gentilium introductus, & miraculis confirmatus. 58. XXX.

Agnus Dei, &c. vt cantetur in Missa statuit Sergius PP. 701. I.

Agobardus Lugdun. Archiepiscop. scribit aduersus Laicos bona Ecclesiast. sibi vsurpantes. 823. II. Erravit in doctrina cultus Imaginū. 825. V. Restituit Antiphonarium nimia scrupulositate. 831. II. Damnatur in Concilio Villa Theod. ob conturationem in Ludouicum Imperatorem. 835. I. 836. III.

Agon Capitolinus quatuor annorum, constitutus à Domitiano Imper. ad numerandos annos. 88. I. In quo differret ab Olympiad bus. ibid. II. Agon, siue certamen triplex ab eodem institutum in honorem Iouis. ibid

Agon Solis ab Aureliano Imp. institutus. 275. III.

Agrestinus monachus tentat sed frustra Gallos abducere in schisma trium Capp. 617. II. agit contra regulas S. Columbani, & demum miserè perit. ibid.

Agriculturam damnauit Manes. 277. X.

Agrippa cognomento Herodes, Aristobuli filius, Herodis Idumæi nepos, pro ferrea catena, qua vinctus fuerat à Tiberio, donatur aurea eiusdem ponderis à Caio, & Rex constituitur Tetrarchiæ Philippi. 39. II. Illuditur ab Alexandrinis. 40. I. Augetur à Caio Tetrarchia Herodis Antipæ. ibidem. II. & à Claudio, Iudæa & Samaria. 43. II. Iacobum Zebedæi Apostolum, in gratiam Iudæorum capite truncari iubet. 44. I. ac Petrum carceri mancipat, necandum post dies Azymorum. ibidem. V. Ob non reiectam blasphemam adulationem, repentina plaga ab Angelo percussus, à vermibus corroditur. 46. II. Conuiciis post mortem agitatus est, & filiarum eius statuæ in lupanaria delatæ. ibidem.

Agrippa filius prædicti Agrippæ, donatur à Claudio Imperat. regno Chalcidis. 50. I. & à Nerone quatuor aliis ciuitatibus, 56. XIII. In bello Iudaico adhæret Romanis, & recipit se Romam, fuitque vltimus Rex Iudæor. 73. II.

Agrippina mater Neronis, Claudium virum suum veneno occidit. 56. XIII. Et ipsa à filio Nerone occiditur. 61. III.

Agrippinense Concilium aduersus Euphratem eius vrbis Episcopum, cuius sit fidei. 346. III. Reliqua vide in Colonien.

Agrippinus Alexandr. Episc. creatur. 165. VI. moritur. 182. IV.

Agrippinus Episcop. Carthag. in Concilio declarat baptismum hæreticorum esse nullum, & anabaptismum inducit. 217. I. Quo tempore vixerit. ib & 250. I.

Aibertus Abbas Crispin. regulam suam confirmari curat. 1091. I.

Aidanus Episc. Scotus conuertit Bernicios populos. 634. II. mœrore necis Osuuini Regis moritur. 651. I.

Aigulphi monachi Floriacensis illustre martyrium. 664. IV. Vtrum transtulerit in Gallias corpus S. Benedicti è monasterio Casinensi. ibidem.

Aistulphus adipiscitur regnum Longobard. in Italia. 750. I. Rom. & Imperialem ditionem deuastat. 752. V. rogatus à Stephano PP. aduersus eum Pipinus Franc. Rex, eumdem vincit, obsidesque accipit. 754. IV. Iterum Aistulphus Rom. ditionem infestat, ipsamque Vrbem obsidet. 755. I. Rursumque vincitur à Pipino, & cuncta restituere compellitur. ib. II. In venatione diuinitus occiditur. 756. I.

Alabastrum vnguenti Magdalenæ quale. 32. VII.

Alamundarus Rex Saracenorum incursans Palæstinam, molestiam infert monachis. 509. II. Ex miraculis visis, fit Christianus. ibid. & 513. IV. Tentatus à Seuero hæresiarcha, egregie illudit eius legatis. 513. IV.

Alani inuadunt Gallias, vna cum VVandalis, Sueuis, aliisque barbaris. 407. II. Occupant cum ijsdem Hispanias, easque inter se partiuntur. 409. V. atemq; Africam. 428. I.

Alaricus Rex Gothorum vocatur à Ruffino in desolationem Orientalis Imperij. 395. VII. VIII. Italiam inuadens, vincitur à Stilicone, sed proditorie sinitur abire liber. 403. IX. Vincit paulo post Rom. exercitum, sub duce Ethnico militantem. ibid. Vtitur eo Stilico ad transferendum Imperium in filium suum, & immensum aurum ei dari procurat. 408. III. Occiso Stilicone ab Honorio, obsidet Vrbem, sed rursum immenso accepto auro, recedit. 409. I. II. Mox eamdem iterum obsidet, impellente numine ob Gentilium impietatem. ibid. III. IV. Attalum Arianum creat Imp. eumdemque ad libitum deponit, ac reponit. 410. I. III. Tertio rediens ad obsidionem Vrbis, eam capit, & triduana dumtaxat expilatione tentat, confugientibus ad ecclesias illæsis seruatis, vasisque ecclesiast. intactis. ibid. IV & seqq. In Siciliam trajicere tentans, moritur apud Cosentiam, & in medio amne cum suis opibus sepelitur. 411. I.

Alaricus alius filius Euarici, regnat in Gallia. 484. XI. Codicem Theodosianum, contractum & aliis auctum, per Anianum Cancellarium promulgat. 506. II. Preces pro eo, licet Ariano, fusa à Catholicis Episcopis in Concilio Agathensi. ib. I. Exilium irrogat quibusdam Episcopis & mox bello impetitur, occiditurq; à Clodoueo Rege Franc. 507. I.

Albertus Henrici Imp. Cancellarius, ex auctore schismatis in Sedem Apostol. creatus Episcopus Mogunt. sit acerrimus Ecclesiæ defensor. 1112. V. Carceri mancipatus ab Imperatore, extrema quæque patitur. ibidem. Liberatus à Moguntinis, Henricum in Concilio excommunicat. 1115. II. Adeo eumdem exagitat, vt cogat dare firmam pacem Ecclesiæ. 1121. II. Mortuo Henrico, promouet in regnum, Lotharium Saxoniæ Ducem. 1125. III.

Albertus quidam ereclus Pseudopontifex aduersus Paschalem II. 1100. II.

Albienses hæretici innotescunt, ex Manichæis emergentes. 1176. I. Prauæ eorum dogmata. ibid. II. Conueniuntur publica disputatione, & conuicti damnantur. ibid. III. Rursum conueniuntur solemni Legatione Romani Pontificis, & Regum Franc. & Angl. & conuicti partim conuertuntur, partim excommunicantur, & pelluntur. 1178. II. & seqq. Denuo damnātur in Concilio Generali Lateran. sub Alex. Tertio. 1179. III. exagitantur ab Innoc. III. 1198. XI.

Albina insignis matrona Rom. discipula S. Hieronymi. 382. VIII.

Albina alia Melaniæ iun. mater secedit Roma, & quid ei contigerit in Africa. 408. XII.

Albinus, qui & Alcuinus, discipulus Egberti Episcopi Eboracensis non Bedæ. 761. III. 778. IV. publice profitetur Eboraci, summa laude. 778. III. Vtrum fuerit magister Caroli Magni. ibidem IV. Libros de Diuinis Officiis, & vulgatæ Scripturæ editionis emendationem, eius hortatu promulgat. V. Nascentem in Scotia aduersus Confessionem peccatorum hæresim extinguit. VI. Fit Abbas Turonensis. ibidem. Eius obitus quo tempore, & qua ipsius ætate contigerit. 804. III. 835. V. 843. III.

Albinus Clodius exercitus Dux in Britannia, arripit Imperium 195. II. Paciscitur cum Seuero, & ab eo creatur Cæsar. ib. III. Rebellans occiditur in prælio. 199. I.

Albinus Gentilium Pontifex conuertitur ad fidem Christi ex sancta conuersatione filiæ & generi. 382. VIII.

Alboinus Longobardorum Rex, magna potentia, multisque aliis diuersorum populorum auxiliaribus copijs, inuadit Italiam. 568. I. Mediolanum capit, & multas alias ciuitates. 570. II. Ticinum post trium annorum obsidionem capit. 571. I. Necatur fraude coniugis. ibid.

Alcimus Auitus. Vide Auitus Vien.
Alcuinus. Vide Albinus.
Aldebertus impostor Gallus, quas hæreses introduxerit. 743. II. Damnatur variis Synodis. ibid. & 745. I. II.
Alemanni populi vincuntur à Crispo Cæs. 320. I. Inuadunt Gallias sub Gallieno Imp. 263. III. Easdemq; occupant post necem Aureliani: sed à Probo pelluntur ingenti clade. 280. II. Rursumque à Constantio inde eiciuntur. 354. I. & à Iuliano Cæs. 357. XXIII. sed inuadunt iterum eas sub Iuliano August. 364. V. Vincuntur à Valentiniano Seniore per Iouinum Magistrum equitum. 365. II. Itemque à Gratiano. 378. V. & à Clodoueo Francor. Rege. 499. IV. Vide etiam Germania & Franci.
Alexander Alexandrinus Episcopus creatur. 311. VIII. Athanasium sibi scribam sumit. ibid. Arium exuit presbyteratu, & Ecclesia eycit. 315. XI. Scribit aduersus eum, eiusque hæreses confutat. 318. IX. X. Certiorem de omnibus reddit Ro. Pontificem. ibid. XI. Interest Magno Concilio Niceno. 325. VIII. Moritur, & Athanasium sibi subrogandum significat. 326. I.
Alexander Antiochenus Episcopus creatur. 408. X. Extinguit schisma quo eius Ecclesia Orthodoxi per 68. annos inter se diuisi fuerant. ibid. Primus omnium Orientalium, nomen S. Chrysostomi in sacra Diptycha refert. ibid. Præstitit ista, auctore Roman. Pontif. ibid. XI. Moritur. 411. XIV.
Alexander Constantinopolitanus Episcopus creatur. 317. III. Philosophum Gentilem aduersus Religionem disputantem, ore obstructo mutum reddit. 325. XIII. Iussus à Constantino Imperat. introducere Arium in ecclesiam, precibus à Deo impetrat infamē Arij extinctionem. 336. VIII. Moritur sancte. 340. V.
Alexander nobilis sub Seuero confessor, ordinatur Episcopus Hierosolym. 199. III. 213. III. Accusatur de ordinatione Origenis, & excusatur. 230. II. III. Martyrio coronatur sub Decio. 253. XX. Nobilem collegit Hierosolymis Bibliothecam. ibid.
Alexander ex philosopho Gentili Christianus carbonarius, diuinitus detectus, à Gregorio Thaumaturgo ordinatur Episcopus Comanus. 273. X. Subit martyrium sub Decio. ibid.
Alexander Papa creatur. 121. II. Latet in Cataeumbis persecutionis causa. 122. III. Ob multos nobiles Rom. ad fidem conuersos, martyrium consequitur sub Hadriano. 132. I. De quibusdam Ecclesiasticis eiusdem decretis, & Epistolis. ibid. II. III.
Alexander Papa II. creatur canonice ex Lucensi Episcopo; sed quod absque consensu Henrici Regis German. inde ingentes ortæ turbæ, & schisma. 1061. III. Fugit ab Vrbe. ibidem. IV. in fi. Eius electio confirmatur in Concilio Germanico, cui Rex interfuit. 1062. III. Corripit Regem Norwegiæ de excessibus. ibid. V. Censum exigit à Rege Daniæ. ibid. VI. Celebrat Concil. Lateran. contra simoniacos & fornicarios clericos, &c. 1063. V. Rursum eius electio confirmatur in Cōcilio Mantuano, coram Legatis Regis. 1064. II. Concilia celebrat contra Incestuosorum hæresim. 1065. III. Decretum edit contra beneficiorum emptionem. ibid. IV. Guillelmo Duci Northmanniæ præsto est pro Regno Angliæ. 1066. III. Curat res Daniæ, & aliarum Borealium prouinciarum. 1067. II. 1068. I. II. Regem Henricum interminatione excommunicationis prohibet repudiare coniugem. 1069. I.
Cognoscit de simonia præcipuorum Germ. Episcop. 1070. I. Retinuit semper titulum prioris Ecclesiæ Lucensis, eiusque encænia celebrat. 1070. V. Dedicat omnium celeberrime Ecclesiam Casinensem. 1071. II. Apocrisiarium mittit Constantinopolim. ibid. VII. Citat Henricum Regem Romam causam dicturum de accusationibus in ipsum delatis ad sedem Apostol. 1073. I. Eius obitus & miracula. ibidem. IV.
Alexander III. creatur inuitus, quamuis præcedentibus prophetiis. 1159. IV. Euecto aduersus eum Octauiano, ipse custodiæ includitur; sed ereptus à populo, consecratur extra Vrbem solemni cœtu & ritu. ibid. VI. Excommunicat Octauianum, eiusq; sequaces, ipseque parem ab eo accipit sententiam. VII. Resistit Friderico Imp. præsumenti sine consensu Sedis Apost. indicere Concilium. IX. In Conciliab. Papiensi damnatur, & Octauianus approbatur. 1160. II. Excommunicat Fridericum, vna cum suo Antipapa, eorumque sequaces. ibidem. VI. Recipitur ab omnibus vbique Regibus, vniuersaque Ecclesia tam Orientali quam Occidentali, præterquam à Friderico. ibid. VII. VIII.
Schismaticorum agitatus armis, proficiscitur in Galliam. 1161. IV. 1162. I. Honoratur etiam legatione Principis Saracenorum. 1162. I.
Dolo Friderici, conijcitur in maximum discrimen cum Rege Franc. sed liberatur diuinitus. ibid. II. III. Reges Franc. & Angl. exhibent ei simul obsequium stratoris. ibidem. IV. Celebrat Concilium Turone, & sedem fixam eligit Senonis. 1163. I. II. Sollicitatus à Rege Angl. de consuetudinibus regiis aduersus Thomam Cantuar. recusat damnare Thomam. 1164. III. V. Examinatis consuetudinibus, quasdam tolerat, plurimas in perpetuū proscribit. ibid. IV. VII. VIII. Thomam se abdicantem restituit. IX. Mortuo Octauiano Antipapa, rogatus à Romanis redit in vrbem, non sine continuo periculo insidiarum Friderici. XIII. & 1165. II.
Aduersus eum stabilitur à Friderico, cum iuramento, Guido Cremensis subrogatus Octauiano. 1166. I. Resistit Regi Angliæ, pro Thoma Cantuar. ib. III. Pressus à Friderico, legationem suscipit ab Imperator. Constantinopol. pro vnione Ecclesiæ, & repetitione Imperij Occident. mittitq; ipse legatos Constantinopolim. ibid. IV. 1170. IX. Obsessus Romæ à Friderico, clam aufugit Beneuentum habitu peregrini. 1167. I. Circumuenitur dolis Regis Angliæ in causa Thomæ, sed confestim medetur scandalo inde oborto. 1167. VI. 1168. II. III. IV. Fridericum Imp. excommunicat, & Imperio deponit. 1168. VII. De eius nomine vocatur Alexandria ciuitas, tunc fundata & ædificata à Longobardis. ibid. IX. Rursum multa agit pro Thoma Cantuariensi. 1169. I. & seqq. Rogatur à Soldano Iconij de mittendo ad ipsum instructore fidei. ib. VI. Regem Angliæ adeo terret de excommunicatione & interdicto, vt tandem pacem dare Thomæ coegerit. 1170. III. IV.
Satagit de reductione Armenorum ab hæres. 1170. XII. Legatos mittit ad inquirendum de nece Thomæ Cantuar. & pœnitentiam Regi Angliæ imponendam. 1171. I. ibidem. 1172. I. Eumdem Thomam solemni ritu refert in numerum Sanctorum Martyrum. 1173. I. Præsto est Henrico Angl. Regi, aduersus eius hostes. ibidem. III. Rogatur de pace à Friderico. 1176. IV. De pace inter eos inita, duplex narratio, & vera verior. 1177. II. III.
Venetiis solemni ritu absoluit eum. ibid. V. VI. Refellitur impostura de eius fastu in calcando collo Friderici. ibidem. VIII.
Scribit ad Preteiannum, Regem AEthiopiæ, cum prius ab eo literas accepisset. ibid. X. Regreditur in Vrbem. 1178. I. Ioannem Antipapam pœnitentem benigne suscipit. ibidem. Celebrat Romæ Concilium Generale. 1179. I. Duci Portugalliæ confert titulum Regium. ibidem. VII. Probat spiritum cuiusdam prophetissæ. 1180. I. Regem Scotiæ excommunicat ob contumaciam, & regnum interdicto subijcit. ibidem. II. Nouam expeditionem in Terram Sanctam promouet contra Saladinum. ibidem. IV. Moritur. 1181. II. De eius Epistolis, & Decretis. ibid.
Alexander Mamææ filius, adoptatur à consobrino Elegabalo August. & cunctas amplissimas Imperij dignitates vno die consequitur. 223. V. Eo mortuo, ipse omnium consensu imperat. 224. I. Christi Imaginem in suo larario habuit, eique templum erigere cogitauit, & Christianorum instituta imitatus est. 224. II. Locum inter Christianos & propinarios controuersum, Christianis ad Deum colendum adiudicat. ibid. III. Iudæos quoque bene habet. ibid. IV. Præstantissimos ICtos sibi adhibet consiliarios & præfectos constituit: sed quod ij infestissimi essent Christiani, inde plures sub eo facti sunt martyres, ipso inscio. 225. I. II. Turpitudines auferre cupit. 227. I. Mathematicos & Genethliacos publice profiteri voluit, deditus ipse ijs artibus. ibidem. Persas innumerabili pollentes exercitu debellat, triumphatque. 236. II. Occiditur vna cum matre à Maximino Thrace, occasione auaritiæ matris, vel ob nimiam sui ipsius in animaduersionibus seueritatem, aut potius in pœnam relegati in exilium Pontiani PP. 237. I. Refertur inter diuos à Senatu. ibid.
Alexander filius Basilij Maced. Imperat. creatur à patre Cæsar. 870. VIII. Imperat post fratrem Leonem Sapientem. 911. III. Misere perit, diuinitus ob blasphemias percussus. 912. II.
Alexandri, Valentini hæresiarchæ discipuli, blasphemia de carne Christi. 175. X.
Alexander magus in Asia sub Antonino Pio, exponit serpentem adorandum sub nomine AEsculapij. & oracula ab eo fingit. 145. VI. Romanum exercitum; falsis responsis delusum, bis interne cioni subiicit. 163. IV. 171. II. Vermibus exesus perit. 145. VI.
pseudo-Alexander quidam, Herodis se filium mentiens, in ordinem remigum redigitur ab Augusto Imperat. 8. II.
Alexander quidam vsurpans Imperium in Africa perimitur à Ducibus Maxentij. 306. IX.
Alexandriæ vrbis AEgypti excellentia. 45. XVI. Diripitur à Caracalla Imperat. ob dicteria in eum iactata. 217. II.
Alexandrini ciues natura inuidi. 40. I. Item rixosi, qui ob leuissimas causas sæpe ingentes tumultus ciuerunt. 263. II. Seditionem mouent ob expulsionem Dioscori Episcopi Eutychiani. 452. IV. A dæmonibus verberati, latrant more canum, in vltionem damnationis Concilij Chalcedon. 515. IV.
*Alexandrina Ecclesia fundata à Marco Euangelista, nomine Sancti Petri Apostoli. 45. XVI. 381. IV. Cur primum post Romanam locum obtinuerit, & Antiochenæ prælata fuerit. ibidem. & 439. IX. De eius priuilegiis quid statutum sit in Magno Concilio Niceno. 325. XXXII. & seqq. Persecutionem patitur sub Philippo Imperat. à mago quodam excitatam. 252. II. Itemque alias immanissimas sub Constantio Imperat. à Gre-

gorio Cappadoce intruso ab Arianis in locum Athanasii expulsi. 342. I. & à Georgio, intruso post Gregorium. 356. I. III. Sub Iuliano, ab Arianis simul & Gentilibus atque Iudæis. 362. L. Sub Valente, à Lucio intruso ab Arianis in locum Athanasii defuncti. 372. V. Sub Arcadio, à Iudæis, qui ea de causa, opera Cyrilli Episcopi, omnes vrbe penitus sunt pulsi. 415. VIII. Schismate diuiditur ob expulsionem Dioscori Episcopi hæretici. 452. IV. Grauissimã patitur persecutionem à Timotheo Aelluro sedis inuasore Eutychiano. 457. IV. Eius miserandus status, cum eo confugerent hæretici aliunde expulsi. 519. XI. Rursum turbatur factionibus contrariis Episcoporum hæreticorum. 535. X.

Alexandrino Episcopo cura Paschalis Cycli quotannis conficiendi, à Concilio Niceno data: & quamdiu is mos perdurarit. 325. XXX. Alexandrini Episcopi contendebant, ad se spectare ius constituendi Episcopos Constantinopolitan. 381. VIII. 397. XX. Quæstionem etiam mouent Antiochenis vt illos sibi subiiciant, sed cadunt causa. 431. XI. 439. IX. Eorum summa Alexandriæ auctoritas, in rebus etiam sæcularibus. 412. IX. An fuerit ijs à Cælestino Papa concessus titulus Iudicis Vniuersalis. 430. III. Alexandrini Episcopi soliti à Roman. Pontif. iudicari, confirmari, excommunicari, & deponi. 263. V 340. II. 377. I. 404. VI. 407. VII. 451. XV. 478. II. 482. II. 483. I III. 484. IV. Itemq; ab ijsdem Vicariam potestatem in rebus ad hæreses, & vniuersalis Ecclesiæ negotia pertinentibus accipere. 430. II. III. Non alibi quam Alexandriæ, nec nisi ab AEgypti Episcopis & Clero Alexandr. ordinari consueuerunt. 516. IV. Infregit eam consuetudinem Anastasius Imperator. ibid. Quo ritu succedere legitime censerentur. 535. IV. Eorum successio interrupta per hæreticos. ibidem.

Alexandria ciuitas constituitur in Longobardia, & offertur Sanct. Petro & Ecclesiæ Roman. 1168. IX. Obsessa à Friderico Imperat. schismatico, liberatur diuinitus à S. Petro. 1175. II. Augetur Episcopatu ab Alexandro PP. Tertio. ibid. III.

Alexandrinum Concilium centum Episcoporum sub Alexandro aduersus Arium. 315. XI. Aliud Generale ab Osio Cordub. celebratum aduersus eumdem Arium, aliasque in AEgypto vigentes hæreses. 319. III. Aliud pro electione Athanasii. 226. I. Post restitutum Athanasium per Constantinum Iuniorem. 338. II. Pro eodem in sede confirmando sub Liberio Papa. 352. III. Post eiusdem latebras pro restitutione Ecclesiæ Orientalis, lacerata ab hæreticis sub Constantio Imperat. 362. XXXIX. Eius gesta confirmantur à Liberio Roman. Pontif. cuius etiam auctoritate celebratum fuerat. ibid. XLIV. Aliud sub eodem Athanasio, è quo missus libellus fidei Orthodox. adIouianum Imperat. eum expetentem. 363. XIX. Sub Theophilo, aduersus Origenistas. 399. VII. Sub Cyrillo, aduersus Nestorium. 430. V. Sub Proterio aduersus Eutychianos. 453. IV. Pro electione Ioannis Talaiæ Orthodoxi, contra eosdem hæreticos. 482. II. Conciliabulum in AEgypto sub Cyro Cyri, quo via aperta est hæresi Monothelitarum. 633. II.

Alexius Comnenus, detruso in monasterium Nicephoro Botoniatæ, imperat in Oriente. 1080. XVII. Ingenti prælio superatur à Roberto Duce Northmannorum. 1081. V. Promulgat bullam auream de ornamentis eccles. non auferendis, pœnitens de eiusmodi à se facta expilatione. 1082. IV. Petit auxilium à Latinis, aduersus Saracenos. 1095. I. IV. Impedimento eis est in Oriente, ex inuidia, & magis fauet Saracenis. 1098. IV. 1101. III. 1118. XIII. Quærit à Romano Pontifice coronam Imperij Occident. aduersus Henricum schismaticum. 1112. VI. Moritur. 1118. XI. Quæ eius laudanda, vel reprehendenda. ibid. & XII. XIII.

Alexius alius Comnenus, filius Manuelis, adhuc puer succedit patri defuncto. 1180. V. Strangulatur ab Andronico Duce. 1183. V.

Alexius alius quidam falso assertus, Imperium noua arte inuadens, cito dat pœnas sacrilegiorum. 1193. VII.

Alexius Angelus inuadens Imperium, Isaacium in ordinem redigit. 1195. IV. Minas accipiens ab Henrico. V. Imp. Occident. promittit ei graue tributum annuum; eaque de causa inuadit res sacras & bona eccles. 1197. I. agit cum Innoc. PP. de rebus sui Imperij. 1198. XI.

Alexius creatur Patriarcha Constantinop. 1025. III. insidiis appetitus egregie eas repellit. 1036. I. Moritur. 1043. III.

Alfonsius cognomento Catholicus, Hisp. Rex, multas ciuitates eripit è manibus Saracenorum. 738. II Moritur glorioßus victoriis, & in cœlum fertur. 757. III.

Alfonsius II. cognomento Castus, (quod cum vxore sorore Caroli Magni, continenter vixerit) regnat in Hispania. 783. I. Pellitur regno à patruo ibidem. Restituitur; eiusque pietas miraculis confirmatur. 790. II. Vincit multis prælis Saracenos. 793. I. Obsequiis & muneribus frequentat Carolum Magnum. 798. II. An fecerit ipse cladem exercitus Caroli in saltibus Pyrenæis. 812. IV.

Alfonsius III. cognomento Magnus, initio regni suos thesauros distribuit pauperibus & Ecclesiis. 861. VII. sollicitus de SS. reliquiarum conseruatione. 878. X. Curat encænia Ecclesiæ Compostel. 900. V. Ob longum eius regnum, tadio affectus filius in eum insurgit, ipse vero ei cedit. 908. IV. Militans sub filio vt dux exercitus, præclaram de Saracenis adipiscitur victoriam. 912. V.

Moritur. ibid.

Alfonsius IV. cognomento Monachus, creatur Rex Hispan. 924 III. Sponte se abdicans, fit monachus; & rursum tumultuans, excæcatur. 927. III.

Alfonsius V. puer quinque annorum succedit patri. 998. II. Curat optimam dispositionem Eccles. & Regni Hispan. 1012. IV. Necatur in prælio aduersus Saracenos, magno Reipubl. damno. 1027. V.

Alfonsius VI. à fratre Sancio carceri mancipatus, liberatur ope S. Petri Apostoli, per preces Hugonis Cluniac. 1074. VIII. Munera accipit à Gregorio PP. VII. mittitque. 1079. VI. 1080. XII. Correptus ab eodem de non recepto Ordine Rom. aliisque excessibus, obedientem se præstat. 1080. XI. XII. Toletum recuperat à Saracenis. ibidem. Sæpius eos vincit. 1093. IV. Studiosissimus Cluniacensium, ecclesiam ædificat; & cupit fieri monachus, sed impeditur ab Abbate. ibidem.

Alfonsius Primus Dux Portugalliæ, offert Ducatum suum S. Petro & Ecclesiæ Romanæ sub censu annuo. 1144. II. Augetur ab Alex. PP. III. titulo regio, ipseque pariter censum auget. 1179. VII.

Alienatio bonorum Ecclesiæ prohibita ab Odoacre Rege Italiæ. 483. II. Eius constitutionem, licet bonam, non tamen legitime factam, irritat Symmachus Papa: ipsamque alienationem prohibet ipse auctoritate Ecclesiastica. 502. V. VI. alienationem bonorum Eccl. prohibet Iustinianus Imp. 535. I. Ea nulla quantumuis pia occasione alienanda esse, declarauit etiam Agapetus Papa ibidem. XVII. Prohibeturque id ipsum Episcopis sub anathemate in Concilio Florent. sub Victore Secundo. 1055. I. Vide etiam Bona Eccl.

Alipius Augustini socius, baptizatur cum eo à S. Ambrosio. 388. IX Quam sanctam vitam cum eosdem August. egerit in Africa. 389. I. Peregrinatur Hierosolymam, & amicitiam conciliat inter SS. August. & Hieronymum. 394. IX.

Creatur Episcopus Tagastensis. 394. IX. Vnus est ex septem præcipuis delectis ad disputandum in Collatione aduersus Donatistas. 411. III. Mittitur Legatus ad Honorium Imperatorem aduersus Pelagianos. 419. VI.

Alleluia vocis antiquus in Romana, aliisque Ecclesiis vsus. 384. IV. Eadem voce olim moniales ad Synaxim vocari solita. 58. XI. Eam non nisi in Paschate canendam, dixit Vigilantius. 406. VII. In Quadragesima etiam cecinerunt Græci schismatici. 1053. V.

Alluuiones Tiberis portentosæ. Vide Tiberis.

Alluuione Veronæ ingens miraculum in Ecclesia S. Zenonis. 589. IV. Alluuiones maris. Vide Mare.

Almachius qui & Telemachus, Gladiatorum pugnas impedire nitens, sit martyr. 404. II.

Alogi hæretici, Christi diuinitatem negarunt, &c. 196. III.

Altaria plura etiã olim in vna Ecclesia. 57. XXXII. 596. II. De Altaris euersione sit quæstio aduersus Asclepam Episcopum Gazensem. 347. VIII. Altaria Catholicorum raduntur à Donatistis, aut lauantur aqua salsa, in detestationem communionis eorum. 362. LV. Altarium denudatione, vindicta expeti à Sanctis solita de Ecclesiarum expilatoribus, quod tamen postea vetitum ob abusus. 683. V. Altaria à Schismaticis erecta, diruuntur iussu Alexand. PP. Tertij. 1177. IX.

Althelmus Episc. Anglus ob sanctitatis famam vocatur Romam à Sergio Papa, & liberat eum diuinitus à calumnia incestus. 699. II. eius scripta. ibid.

Altinensis Synodus sub Paulino Aquileiensi, ob cæsum Patriarcham Gradensem. 802. III.

Altmannus Patauiens. Episc. Apost. sed. Legatus in Germania fortiter agit. 1081. II. 1089. I 1090. III.

Amalaricus Gothus regnans in Hispania à parte Galliæ, male habens coniugem suam sororem Childeberti Franc. Regis ob religionẽ Catholicam occiditur ab eo. 531 II.

Amalarius Treuirens. Episc. mittitur à Carolo Magno Legatus ad Imp. Constant. 813. I. An fuerit idem cum authore librorum de diuin. offic. 831. II.

Amalarius Fortunatus componit libros de Eccles. Officiis, eorumque causa mittitur à Ludouico Pio Imp. ad Gregorium IV. Papam. 831. II. Amalasuentha filia Theoderici, post eius obitum, regnum Italiæ pro Athalarico paruulo filio prudentissime administrat. 526. VIII. Iustinianum Imp. assiduis officiis demeret. 527. III. A Theodato Rege ingratissimo relegatur, & obtruncatur. 534. VI. In eius vltionem Iustinianus bellum parat in Gothos. ibid.

Amandus Burdigal. Episc. clarus tempore S. Martini.

tum. 394. XV.
An andus Traiectensis Episcopus ob reprehensum Dagobertum Regem de mœsto connubio, pulsus ab eo prædicat Euangelium diuersis populis. 632. II. Reuocatur ab eodem, & flexis genibus rogatur de venia. 639. VI. Petit à Martino PP. vacationem ab Episcopatu, nec obtinet. 649. 6. Flandrorum Apostolus dictus. 661. I. Moritur. ibid.
Amatus Oforensis Episcopus Legatus Apostol. Sedis male habetur ab Episcopo Ptolemaidensi. 1075. III. Mittitur à Gregorio PP. VII. Legatus in Hispaniam pro iuribus Rom. Ecclesiæ. 1077. IX. Itemque in Minorem Britanniam, ad Concilium celebrandum contra falsas pœnitentias. 1079. VI.
Ambrosius missus ad gubernandam Insubriam, Liguriam, & AEmiliam, prophetice à Probo PP. iubetur eas administrare vt Episcopus. 369. V. Auxentio Mediolanensi defuncto, ipse diuinitus renunciatur Episcopus, & licet diu reluctans fugiensque ordinatur. 374. I. II. Eius electio, quamuis adhuc catechumeni, probata Occidentalibus & Orientalibus. ibidem. III. Accipit à Damaso PP. adiutorem Simplicianum presb. Rom. ibidem. Vitam monasticam iungit cum muneribus clericalibus. ibidem. Egregia eius vitæ institutio, & vigilantia in Episcopatu. ibid. IV. A tribus rebus perpetuo abstinuit. 374. IV. Componit clerum, & corrigit multos pratos vsus. 377. V. Resistit Iustinæ Aug. Arianæ in electione Episcopi Sirmiensis, & prævalet. 380. IV. Obstat item apud Gratianum Imp. ne Synodus Oecumenica Arianis concederetur. ibid. Manus in eum inijciens Ariana virgo, misere perit. ibid. Reijcit Priscillianum hæresiarcham ad se venientem. 381. XIV. Post Gratiani necem missus Legatus in Gallias ad Maximum tyrannum, cohibet eum ne in Italiam irrumpat. 383. V. Commodum publicum præferre solitus priuato. ibid. Pœnam interdictionis comminatur Valentiniano Imp. si concedat Symmacho restitutionem cultus Deorum. 384. I. Resistit Iustinæ Aug. Ecclesiam Arianis tradere conanti. 386. IV. Renuit disputare de fide in Consistorio Imperatoris. ibid. V. Ad aures eius visus loqui Angelus. ibid. Variis iterum modis vexatur, & necari tentatur à Iustina, sed constantissime resistit, & diuinitus tuetur. 387. I. & seqq. Confortatur visione Sanct. Pauli, & inuentione corporum SS. martyrum Gerualii & Protasii. ibid. m. III. IV. ab ipso dæmones se torqueri, coguntur fateri. ibidem. Rogatus à Iustina iterum adire Maximum, haud adeo felici legatione fungitur. 387. V. Noluit communicare cum Maximo, eiusque Episcopis Ithacianis. ibidem. In grassatione Maximi in Italiam ad redimendos captiuos, & subleuandos egenos, vasa sacra confringit. ibid. VII. Baptizat S. Augustinum 388. IX. Theodosium Imp. ob eadem Thessalonicensem, Ecclesia pellit, & post actam pœnitentiam restituit. 390. I. Ad famam eius, sapientissimi Persarum veniunt explorare eius sapientiam. ibid. IV. In Concilio Mediolanensi, auctoritate Siricij PP. damnat Iouinianum hæresiarcham. 390. VII. Cogit Theodosium retractare legem de bonis viduarum non relinquendis Ecclesijs. ibid. IX. Iterum resistit Symmacho, repetenti à Valentiniano Gentilia sacra. 391. I. Eugenium tyrannum arguit de reddita Gentilibus Rom. Ara Victoria. 392. IV.
Commendat ei Theodosius moriens filios suos. 395. III. Rogatus à Regina Marcomannorum, mittit ad eam, Epistolam catecheticam. 396. II. Moritur & multis diuinis visionibus, aliisq; signis, in obitu, & postea honoratur. 397. VII. VIII. IX. Eius ætas. ibid. X. Scripta tam vera quam spuria. ibid. XI. Apparet multis, diuersisque locis, post obitum, & dæmones torquet. ibid. IX. An mortuus ante S. Martinum. ibid. VII. Apparet Mascezili confortans ad prælium contra Gildonem tyrannum. 398. X.
Ambrosius hæreticus, ab Origene conuersus, eiomma necessaria suppeditat ad Scripturæ interpretationem. 217. III.
Ambrosius Aurelianus in Britannia purpuram sumens, eam insulam ab ingruentibus barbaris liberat, & Ecclesiasticam disciplinam restituit. 477. VI.
Amiras nomen Principatus Arabum Mahometanorum, siue Saracenorum. 633. I. itemq; Amomiramolin. 923. I.
Ammianus historicus Ethnicus, testis supremæ Rom. Pont. auctoritatis in Ecclesia. 355. VII. Carpit regium splendorem eiusdem. 367. IV. Præ aliis auctoribus Ethnicis, moderatior in laudibus Iuliani Apost. 363. XVI. Eius calumniæ in Iouianū Imp refelluntur. 363. XVIII. In Christianos Principes parum æquus. 383. IV. & alibi sæpe arguitur de eare, deque mendacijs in rebus Christianorum.
Ammon monachus inuitus ad nuptias tractus perpetuam continentiam vxori persuadet. 340. II.
Ammon alius Monachus Episc. ne fieret, aurem sibi præcidit, & nihilominus ordinatur. 385. VII.
Ammonius Alexand. Philosophus Christ. contexuit Harmoniam Euangelicam. 31. II. Confusum id eius opus cum Diatessaro Tatiani hæresiarchæ. 174. III. Publice professus est Philosophiam Alexandriæ, habuitque inter alios Ethnicos, auditorem Plotinum. 234. II. Calumniam passus à Porphyrio, quod defecerit ad Ethnicismum. ibid.
Amos creatur Episc. Hierosolymit. 594. IV. Moritur. 601. IV.
Amphilochius Icomij Episc. exigit à S. Basilio commentarium de Spiritu sancto. 371. V. Falso ei adscribitur Vita Basilij quæ extat scatens mendacijs. 363. XIII. 378. II. Interest Concilio Constantinopolitano. 394. VII. Scripsit multa. ib.
Amphitheatri Fidenatis casus, quinquaginta millia hominum obtrita. 29. II.
Ampulla Chrismatis à Donatistis proiecta, ab Angelis illæsa seruata. 362. IV. Alia cœlitus missa ad vnctionem Clodouei primi Francorum Regis Christiani, & successorum eius. 499. V.
Amuletum veterum Christianorum, Agnus Dei. 58. XXX. Euangelij gestatio. 232. III. 604. I. claues S. Petri cum ramenti vinculorum eius. 595. VIII. in fi.
Amuleta portentosa Basilidianorum. 120. VII.
Amuleta morborum prohibita à Caracalla. 218. II. Ea sumi ex crucibus solita. ibid.
Amuleta superstitiosa ad morbos, proscripsit Constantius Imp. 358. VI. Itemq; S. Augustinus in Africa. 418. VI.
Amuleta sacra mittit Gregorius Magn. ad infantulum regum Longobard. 604. I.
Anabaptismus introductus à Marcione. 146. VII. itemq; ab Agrippino Carthag. 217. I. Reliqua vide in Rebaptizatio.
Anabaptistæ vltimo supplicio damnati à Theodosio Iuniori. 413. VI.
Anachoretarum monachorum princeps Paulus Thebæus, seu potius auctor Ioan. Baptista, veteriam Eliæ Prophetæ. 328. VI. 340. III.
Anachoreticam vitam agit Narcissus Episc. Hierosol. sub Seuero Imp. 199. III. Fuerunt etiam eiusmodi monachi in Occidente tempore persecutionum. 340. III.
Anachoretæ genuerunt cœnobitas, & vice versa sæpe ex cœnobitis facti anachoretæ ib. Eam vitam restituit, & mire propagat Romualdus Rauennas. 974. II.
Anacletus Papa, confusus à nonnullis cum Clero. 69. XV. Sedet post Clementem. 103. II. Erigit Romæ in Vaticano ecclesiam in honorem S. Petri. 106. II. Martyrio coronatur sub Traiano. 112. II.
Anacletus II. dictus Petrus Leonis Antipapa, intrusus aduersus Innocentium II. 1130. I. Vide Petrus Leonis.
Ananiæ & Saphiræ duplex peccatum in retinenda parte pretij agri venditi. 34. LXXVI. Quale supplicium inde luerint. ibid.
Ananias Discipulus Domini colligit Ecclesiam Damasci. 35. I. Baptizat Paulum Apostolum. ibid. II.
Ananus Summus Iudæorum Pontifex quinque filios habuit qui eamdem dignitatem consecuti sunt: ideoque existimatus omnium hominum felicissimus. 31. post num. V. 62. I.
Anauus, idem qui Anna. Vide in Anna.
Anastasia dicta Ecclesia Constantinopoli à Gregorio Naz. erecta aduersus Arianos. 378. XIV. Maioribus spatijs à latatur à Marciano Oeconomo, & solemniter dedicatur in conuentu Episcoporum. 459. II. in prodigioso incendio vrbis, diuinitus seruatur illæsa. 465. I.
Anastasiæ fœminæ Senatoriæ diuturnum martyrium in persecutione Diocletiani. 303. XIII. Roborata à Chrysogono martyre. ibid. Epistolæ vtroque ab ijs scriptæ. ib. Anastasia alta nobiliss. vidua, in monte Olueti vixit monacha. 519. V.
Anastasius I. creatur Rom. Pont. 398. I. Damnat Origenis errores, vna cum ipso auctore. 400. V. itemque Russinum eorumdem errorum disseminatorem. 401. I. Promlet Ecclesiæ Africanæ, aduersus Donatistas. 401. IV. V. Moritur. 402. XI. De eius Epistolis Decretalibus. ib. XIII.
Anastasius II. creatur. 496. VII. Legatos mittit in Orientem propace Ecclesiæ. 497. I. Defenditur à calumnijs de communicatione cum Acacianis. ib. II. Moritur, iterumq; defenditur de genere mortis. 498. I.
Anastasius III. sedet. 910. I. Insignia confert priuilegia Ecclesiæ Tricinensi. ibidem. Moritur. 912. I.
Anastasius IV. creatur ex Episcopo Sabinensi. 1153. II. Nimiæ facilitatis in Fridericum Imp. arguitur. 1154. I. Cito moritur. ibid. II.
Anastasius Cardinalis tit. S. Marcelli presbyter excommunicatur & deponitur in Concilio Rom. ob desertam per plures annos parochiam. 853. IV. Factione Ludouici Imp. intrudit se in sedem Pontificiam in electione Benedicti, sed resistentibus Clero & populo expellitur. 855. V.
Anastasius Imp. creatur ab Ariadna Aug. ex Silentiario nondum Senatore. 491. II. Exterquet ab eo Euphemius Episc. professionem fidei Cathol. ibidem. Eius initia probat aufertque tributum Chrysargyrum. ibid. III. Mox in prauum mutatus, rapacissimum se & impiissimum exhibet. ibid. IV. Prohibet de Cōcilio Chalc. disputare, & sectatur hæresim Acephalorū, veletiā Manichæorū. 492. IV. Eius statuæ, & coniugi, seditione plebis trahuntur funibus per vrbem. 493. VI. Euphemium

Constantinop. Episc. sede pellit, quod ipsi comminatus esset depositionē ob hæresin. 495. III. Persequitur Catholicos. 499. III. Pacem auro redimit à Bulgaris. ib. Dicteriis à populo Constantinop. & contumeliis vt hæreticus iactatus in spectaculis immittit in eos milites. 501. II. Excommunicatur ob hæresim à Symmacho Papa. 502. V. Exagitat Macedonium Episcopum Constantinop. aliosque Orthodoxos. 505. II. 506. IV. 510. II. Ob profanas ab eo pictas imagines, tumultus excitatur. 506. IV. Offert Consulatum Clodouco Francorum Regi, qui eum respuit. 508. I. Macedonium relegat, populum Cōstantinop. dire vexat, & Acta Concilij Chalcedon. comburit. 511. I. Vbiq; persequitur sanctiss. viros. ibid. II. Insurgit in eum populus Constantinop. pro defensione fidei, & aliquamdiu quiescere facit. 512. I. Impijssimum Seuerum in sedē Antioch. intrudit. 513. I. Insurgente aduersus eū Vitaliano duce simulat pœnitentiam, & conuocationem Synodi Oecumenicæ, cui Romanus Pontifex interesset. 514. VIII. Deludit Legatos Hormisdæ Papæ. 515. II. ipsumq; etiam Hormisdam. 516. I. Vitalianum in ordinem redigit & Episcopos Orthodoxos pellit. ibid. III. resistitur ei à nonnullis. ibid. Alios eiusdem Pont. Legatos pessime habet, ipsumq; Pontif. litteris contumacibus impetit, & persecutionem in Orthodoxos auget. 517. II. III. Terretur in somnis, quorum vno significatum ei est, 14. annos vitæ eius deleri ob hæresim. 518. I. Oraculo edoctus, sibi pereundū igne, tandem fulmine extinguitur. ibid. Ad iudicium coram Deo aduersus eum euocantur Episcopi Antioc. & Hieros. ab eo fidei causa exules facti. ib. II. Eius nomen è Diptychis abraditur. ib. & 519. III.

Anastasius II. antea dictus Artemius, ex ministro à Secretis Imperatoris, euehitur in Imperium. 713. II. Deponitur à Theodosio IV. & monasterio includitur. 714. V.

Anastasius Bibliothecarius S. R. E. auctor libri de Rom. Pont. qui fertur nomine Damasi. 45. XIII. 69. XIV. Idem admodum corruptus in notis temporum. ibid. XIV. Scripsit etiam librum de Munificentia Constantini. 324. XXI. Vertit è Graco in Latinū Historiam Theophanis. 408. I. quid in ea versione præstiterit. 813. III. Quo vsq; perduxerit Vitas Rom. Pontif. 867. XV. Missus à Ludouico Imp. ad Basilium Aug. pro fœdere nuptiarum, interest Octauæ Synodo Oecumen. 869. VIII. Eius Acta in Latinum vertit, defertque Romam. ib. XIV. XV. Mittit ad Carolum Caluum Imp. Vitam S. Dionysii Areopag. 876. V.

Anastasius creatur Hieros. Episcopus, præcedentibus prophetiis. 458. VI. Calumniam patitur à Zacharia Rhetore, de abrogatione concilij Chalcedon. 476. V. Moritur. 477. V.

Anastasius Iconoclasta intruditur Episcopus Constantinop. in locum S. Germani expulsi. 730. I. Reuertitur cum sua Synodica à Greg. Papa & excommunicatur. ibid. Pandit horrendam blasphemiam Copronymi Imp. 741. II. Ab eodem publice caditur, & deluditur, ac nihilominus in thronum restituitur, quod non esset ei par alius impietate. 743. V. Moritur corpore & animæ. 753. II.

Anastasius Sinaita, ex monacho eius montis creatur Episcopus Antiochenus. 561. Resistit Iustiniano Imp. promulganti hæresim Incorruptibiliū. 563. II Damnatus ab eo in exilium haud pellitur, interuenientē Imperatoris morte. 565. I. Calumnijs impetitus apud Iustinum Aug. in exiliū pellitur. 572. IV. Restituitur post 23. annos 594. IV. Moritur 599. III. Fuit clarus inter Scriptores. Eccles. ibid.

Anastasius Iunior ei succedit in Episcopatu. 599. III. Moritur martyr à Iudæis. 609. I.

Anastasius Persa magus, transit ad Christianos, & baptizatur Hierosolymis, monasticumq; suscipit institutum. 621. III. Persas magos, de prestigijs arguens, capitur, & multis tormentis afficitur. 626. III. Missus ad Cosrhoen Regem, eius iussu aqua submersus martyrium consummat. 627. I. Corpus Cæsaream Palæstinæ, Caput Romam cum Imagine defertur, vbiq; miraculis coruscans. ib. & 713. I.

Anathema, dicta etiam excommunicatio. 57. VI. Vide Excommunicatio. Ea vox quid significet. 57. XLVIII. Quo sensu accipiatur à Paulo Apostolo. ib.

Anatolius Dioscori Alexand. Apocrisiarius, creatur ab eo Constantinop. Episcopus in pseudosynodo Ephes. in locum S. Flauiani deiecti. 449. XI. Petitur eius confirmatio à Leone Papa. 450. II. Offert Legatis Apost. Sedis professionem fidei. ib. VI. In Synodo Chalcedonensi elicit decretum de prærogatiua Ecclesiæ Constantinop. post Romanam, resistentibus Legatis Apostol. Sedis. 451. XXXI. Redargutus ea de re à Leone PP. calumnias in eum spargit multas, aliasq; addit scelera. 453. I. Fastum deponit, & mandatis Leonis obsequitur. 454. III. Accepta à Leone Vicaria potestate ad recipiendos hæreticos, non recte ea vtitur. 458. II. Moritur. ib. V.

Anatolius scriptor Eccles. 283. III.

Anatolij cuiusdam occasione, idolis secreto immolantis, ingentes editæ turbæ Antiochiæ, & Constantinopoli, quibus ipse tandem bestijs & vinus & mortuus deuorandus traditus est. 581. II.

Anatinenses martyres, sub Honorio à Gentilibus rusticis interfecti. 400. I. Eorum apud antiquos illustris memoria: Memoriæque in ipsorum honorem erectæ, à Fidelibus frequentari solitæ. ibid.

Ancilla Christiana Iberos conuertit ad fidem. 327. V. Ancillas Christ. tradi lenonibus, prohibuit Constantinus. 315. IV.

Ancyra metropolis Galatiæ, monstrorum hæresum ferax, & altrix. 347. XI. 373. VI.

Ancyranum Concil. Cathol. quo tempore & qua occasione celebratum. 314. IX. X. Aliud Semiarianorum, aduersus perfidam Arianorum formulam Sirmiensem. 357. VI.

Andegauense Conc. pro disciplina Eccles. 453. VIII.

Andeolus martyr in Gallia sub Seuero Imp. 206. VI.

Andragathius Dux Maximi tyranni, occidit Gratianum Imp. 383. IV. Victo Maximo à Theodosio, ipse præcipitem se dat in fluctus. 388. VII.

Andreas Apostolus fuit celeb, & maior natu Petro, & prius à Christo vocatus. 31. X. Quas prouincias peragrarit post diuisionem Apostolorum. 44. XIV. Eius nomine Acta & Scripta ab hæreticis conficta. 44. XXIV. XXV. Acta passionis eius corrupta à Manichæis. 69. XIII. Cruce martyrium in Achaia subiit. ibid. Eius Reliquiæ translatæ Constantinopolim. 336. XIII. Brachium Romam à Gregorio Magno defertur. 584. II.

Andreæ Calabytæ, siue in Chrysi dicti, insignis monachi, nobile sub Copronymio martyrium pro defensione sacrarum Imag. 761. I.

Andreas Græcus homo, falsarius & impostor, damnatur à Gregorio Papa in Synodo Rom. 601. VI.

Andreæ insignis ducis, vna cum militibus suis, martyrium sub Dioclet. 301. I.

Andronicus Præf. Pentapolis, ob enormia scelera excommunicatur à Synodo Ptolemaid. 411. XI. Pœnitens veniam meretur. ibid.

Andronicus Patricius, strangulato Alexio Imp. puero, occupat Imperium Orient. 1183. V. Horrende grassatur Constantinopoli in Latinos. ibid. Horrendam & ipse vltionem patitur suarum crudelitatum. 1185. V. Aliqua eius laudanda: qui & pœnitens decedit. ibid. VI.

Anemmius creatur Episcop. Sirmiensis ab Ambrosio, iniuita Iustina Aug. 380. II. Interest Concilio Aquil. aduersus Arianos. 381. XII. Itemque Romano sub Damaso de turbis Antioch. 382. II.

Angelos negabant Sadducæi. Appar. VII. Angelus suscepit in deserto curam Ioan. Baptistæ infantuli derelicti. 1. XIII. Angeli præsides templi Hierosol. in Passione Domini, & ante defectionem Iudæorum à Romanis, deserunt templum. 34. XXXVIII. 68. XIII.

de Angelorum creatione, & malo mundi per eos moderamine, quid fabularetur Simon Magus. 35. XII. Itemq; Basilides, qui etiā 365. eorum ordines, aliaq; plane deliria de ijs confinxit. 120. V. VI. Itemque Saturninus. 120. XI. & Carpocras. ibid. XII. Ab ijs mundum creatum esse, dicebat idem Simon. 35. XII. itemque Carpocras, Cerinthus, & alij eiusdem Simonis discipuli. 60. VII. VIII. & Bongomili. 1118. XII. Angelū esse Deum Hebræorum, eumdemque malum dixit Cerinthus. 60. VIII. 97. VII. itemque Basilides. 120. VI. & Saturninus. ib. XI. Angelos super Christum extollebat Cerinthus. 60. VIII. Eorum barbara nomina, ad inducendam admirationem, confinxit Basilides. 120. V. itēque Nicolaita. 68. V. & alij impostores. 743. II. Angelos præfectos esse peccatis perficiendis, & oppressores bonorum hominum, dicebant Cataui. 145. VIII. De eorum propter homines pugnis, & ipsorum cum hominibus permixtionibus, quid delirarent Sethiani hæretici. ib. IX.

Angelum esse stellam, quæ apparuit in ortu Christi, quidam existimarunt. 1. VIII.

Angelici custodes templi Hierosol. recedunt ab eo. 34. XXXVIII.

Angelorum religionem qualem damnet Paulus Apostolus ad Coloss. 60. VI. & seqq. Eos esse astra, & inde astra simul & Angelos colendos esse fuit error Iudæorum. 60. VI. Eorum religiosus cultus in antiqua Ecclesia probatissimus. ib. IX. X. Qualis eorumdem cultus damnatus in Concilio Laodicensi. ib. XI. Angeli vocari soliti sacerdotes. 57. XVI. Angeli aspectu factus dignus Valerianus sponsus S. Cæciliæ virginis, eius precibus. 232. III. Alius ter quotannis suffitum facere solitus ad Crucem à Constantino Mag. erectam Constantinopoli. 330. III.

Alij noctu flagris cædentes Natalium hæreticum, eum resipiscere faciunt. 207. I. Angelus liberat Iosephum ab Arimath. è carcere Iudæorum. 34. LV. Itemque Apostolos. ibidem. LXXVIII. & Petrum. 44. V. Adest S. Theclæ. 47. III. Docet Ignatium cantū alternare. 60. XII. Præsto sunt martyribus pro fide certantibus. 362. XXII. 469. I. Coronas eis deferunt. 316. IV. Subuenit Gallicano duci pugnanti contra Scythas. 330. XI. Illæsam seruat ampullam chrismatis à Donatistis proiectam. 362. LV. Loqui visus ad aures Ambrosii cōcionantis. 386. V. Corripit Martinum de communicatione cum Ithacianis. 386. VI. Iubet Chrysostomum ordinari presbyterum. ib. XII. Vide etiam Michael Archang.

Angelos esse creatores animarum, asseruerunt Hermias & Seleucus hæresiarchæ. 170. V.

Angeli custodes vrbis Constantinop. seruant eam ab

eam ab incendio Gainæ Gothi. 400. VII.
Angeli visi sæpe à Chrysostomo descendere ad adorationem sacratissimæ Eucharistiæ. 407. VI.
Angelorum administratione Aldaburius vincit Persas, pro Theodosio Iun. Imp. 420. III. in fi.
Angeli ductu Ioannes tyrannus capitur Rauennæ. 425. III.
Angeli monitu Tiberius Imp. redditur securus de tyranno. 579. I. Alius in maxima lue Romæ vsus ad processiones sacras nudatum gladium in vaginam recondere. 590. IV.
In pagina ciuili Regum Francorum, enæginatum tenere gladium. 601. VIII. Visi circumallare exercitum Vambæ Hispaniar. Regis. 674. III. In pestilentia Italiæ, notare domos eorum qui morituri essent. 680. VII. Angelorum ductu victi Saraceni in Hispania. 938. I. 998. II.
Inimici Henr. II Imp. 1022. I.
Hostes Poloniæ à Rege Casimiro. 1041. III. in fin. Pons Auctionensis à puero confectus. 1177. XV.
Angelorum visio oblata Leoni PP. IX. de pace Ecclesiæ. 1049. III.
Angelus ponit crucem super sepulchrum Sultanæ mortuæ Christianæ. 1169. VI. Vide etiam Michael Archang.
Angelica Annunciatio facta Beatissimæ Virgini Appar. XXIII. Qua occasione acceperit additamentum, S. Maria mater Dei, ora pro nob. &c. 431. XXIII. Eius celebrationis tempus, varie statutum aliquando in Hispania. 656. III. & in Gallia. 1004. I. Stabilitur vbiq; eo ipso die quo fieri contigit. ibid.
Angelici hæretici obscuri, cito defecerunt. 260. VII.
Angelitæ secta Scuerianorum, sine Acephalorum. 535. XIV.
Angilbertus gener Caroli Magni sit monachus ex consensu vxoris. 792. I. mittitur Romam ad perducendum Felicem hæreticum. ibid.
Anglia facta tributaria Sedi Apostolicæ. 740. III. 775. III. 847. VIII. 1135. IV. 1172. II. Miserè deuastatur à Danis Ethnicis. 870. IV. 874. III. Liberatur à Rege AElfredo Magno. 878. XI. iterum dirissime ab ijsdem afflicta, liberatur omnibus vna condicta die vbique occisis. 1011. III. IV. Rursum occupatur ab ijs. 1016. II Liberatur ab Eduardo Rege. 1043. I. Rursum eis tributum pendit. 1050. IV. Obtinetur à Northmannis auspicijs Rom. Pontificis. 1066. III. IV. quorum Rex Vilelmus, denarium quidem soluere, sed non fidelitatem præstare acquieuit. 1079. V.
Angli Britanniam occupant. 595. IX. Conuertuntur ad fidem opera Gregorij Papæ, per Augustinum Abbatem & Episcopum. ibid. & 596. II. 597. III. V. Consueuerunt mittere filias suas ad monasteria Galliarum, sponso cœlesti copulandas. 640. V. Eorum regnum ex sacrilegio & iniustitia decidit. 684. VI. Frequentes eorũ, siue Regum siue aliorum quorumcumq; ad Limina Apost. Romam peregrinatio. 689. I. 699. II. 703. IV. 704. II. 717. V. 726. XI. itemque Compostellam. 1123. I. Multi eorum Reges facti mon achi. Vide Monachi sponte.
Anglicanæ Ecclesiæ cunabula, à Gregorio Papa per Augustinum primum illius gentis Episcopum, optime instituta. 601. V. Eius Episcopatuum constitutio & ordo. ibid. & 633. VIII. dissensiones inter Cantuarien. & Eboracens. de primatu, vide in Cantuaria. Persecutionem patitur à Paganis. 613. III. 633. VIII. Propagatur in ea fides. 625. III. 626. IV. 634. II. 635. II. 640. V. 644. I. 653. V. 655. II. 681. XVI. Floret admodum sub Theodosio Tarsensi, Archiepiscopo Cantuariensi. 668. III. 676. IV. Recipit cantum Eccles. Romanum. 679. I. Propagatur in ea monachismus, opera S. Benedicti eorum Abbatis. 703. IV. Restituitur ab Eduardo Rege. 1043. I. Dirissime vexatur à Danis. 870. IV. 1011. III. De Legationibus Sedis Apostol. ad eam mittendis, orta controuersia. 1117. IV. 1119. III. De regijs consuetudinibus altercationes. Vide Consuetudines. Itemq; de aliis dissensionibus inter Reges, & Episcopos, de libertate Ecclesiæ, vide præcipue in Anselmus, Lanfrancus. Thomas Cantuar. Monachos introducit in Ecclesias, loco clericorũ incontinentium. 970. I. 975. IV. 979. II. Eius Archiep. debebant seipsos conferre Romam ad petendum pallium. 1027. II. 1070. IV. 1095. VII. 1073. III.
Anglicana duo Concilia sub Augustino eorum Apostolo, de Britannorum schismate Paschatis. 604. VIII. Aliud sub Theodoro Tars. de Eccl. disciplina. 672. II. Aliud sub eodem Theodoro, aduersus Monothelitas. 679. I. Aliud in causa S. Vvilfridi Archiep. Eborac. 705. III. Sub Eduardo Rege, pro restitutione Ecclesiæ, dissipatæ à Danis. 894. II. Sub S. Dunstano Archiep contra incontinentiam clericorum. 970. II. de aliis in eadem Anglia certis locis habitis. vide sub propriis locorum nominibus.
Anianus eligitur post Marcum Euangelist. Alexandrinus Episcop. 64. I. moritur. 87. III.
Aniani Episc. Aurel. precibus, Attila victus, & fugatus è Gallia. 451. VIII.
Anicetus creatur Rom. Pontifex. 167. III. Quidei cum Polycarpo de celebratione Paschatis. ib. IV. Martyrio coronatur sub Marco Imp. 175. I.
Anicetiense Concil. in Gallia, pro Innocentio. II. aduersus Petrum Leonis Antipapam. 1130. VIII.
Anicciorum familia Roma illustrissima: ad cuius potentiam cognoscendam, potentissimi Persarum accesserunt. 390. IV. 395. I. Exea Probi, & Olybri. 395. I.
Animarum transmigrationis assertores Pharisæi Appar. VI. Earum iudicia sub terra fieri dicebant. ib. Eas vna cum corporib. extingui asserebant Sadducæi ib VII. Animas prius peccasse in alia vita, hic autem pati supplicium, dicebant Basilidiani. 120. IX. & Origenistæ. 415. VII. Earũdem quoq; transcorporationem post mortem Basilidiani docuerunt. 120. IX. sicut & Carpocratiani. ib. XII & Manichæi. 277. IX. Animas de igne & Spiritu esse, easq; creari ab Angelis, dixerunt Seleucus & Hermias. 170. V. Eas esse corporeas, coloratas, & anthropomorphitas, docuit pseudoprophetissa Montani. 173. VII. Earum hic statum per traducem propagari, pessimas autem post mortem conuerti in dæmones fuit error Tertulliani. 216. V. Animabus solis promissam esse salutem, non etiam corporibus, asserebant Basilidiani. 120. IX. itemq; alij qui resurrectionem carnis negarent, de quibus vide in Resurrectio. Animas cũ corporibus extingui, & rursum in resurrectione vitã recuperaturas, asseruerunt quidam hæretici in Arabia. 249. IV. Anima Christum caruisse, sed pro anima deitatem habuisse, docuit Arius. 318. IX. itemq; Apollinaris. 373. III. Animas ex traduce generari, & instar corporum ex animabus propagari, dixerunt cum Tertullianistis Apollinaristæ. 373. III. Eas vero carnis esse substantiam & pariter ex traduce generari, docuerunt Luciferiani. 362. XLVI. De earumdem origine & creatione, male quoq; senserunt Eunomiani. 360. VII. Ea quæstio difficillima visa SS. Patribus, & quid tandem de ea sentiendum. 405. VII. Animas substantiæ esse diuinæ, docuerunt Manichæi. 277. IX. Priscillianistæ. 381. XVI. Vincentius Victor. 420. II. Animas duas esse in homine, asseruerunt Manichæi, & Massaliani, & quænam absurda de ijs delirarent. 277. IX. 361. IX. Esse corporeas, asseruit Faustus Regiensis. 520. VI. Animæ immortalitas probata ex visionibus. 411. XII. 949. XI. De earumdem post transitũ statu, multiplices visiones. Vide Visio. & de earumdem purgatione vide in Purgatorius ignis. Earumdem euocatio per sectiones hominum à Iuliano Aug. 362. XXX. Animas duas inesse singulis hominibus, asseruit Photius Constantinop. 863. II. 869. IX.
Animæ nonnullorum sanctorum hominum, visæ in cœlum ferri: Fructuosi Episcopi Tarracon. & sociorum. 261. VII. Marcellini Presb. Rom. & Petri exorcistæ. 302. XVIII. Ambrosii Med. 397. IX. Aliæ prauorum hominum visæ ferri in infernum: Theodorici Regis. 526. VI. Ebroini Maioris domus Franciæ. 685. IV. Pandulphi Principis Capuani. 1038. II. Aliæ per Sanctos visæ eripi à dæmonibus: Dagoberti Regis. 647. II. Henrici II. Imp. 1056. I. De Animalibus herbarum & plantarum, quid garrirent Manichæi. 277. X.
Animales homines dicebant Valentiniani, medios inter Spirituales & Carnales; & quænam de ijs delirarent. 145. II. Ita quoque vocabant Montanistæ & Cataphryges eos omnes qui non susciperent Paracletum Montani. 201. IV. Eodem nomine appellabant Origenistæ Catholicos, & quare. 393. II.
Animata non comedebant Dosithæi. Appar. VIII. neq; Nazarei. ib. IX. Ab ijsdem abstinuerunt animalium carnis Marcionitæ. 146. VII. & Tatiani. 174. II. Valesii quoq; sine Eunuchi ante abscissionem. 230. III. Eadem reiecerunt, tanquam immunda, Ebionæi. 74. IV. Saturninani vero, vt ea virtutis specie plures seducerent. 120. XI. Vide etiam Abstinentia. Cibi. Carnes.
Anna matris Deigenitricis genus. Appar. XIX. XX. Ea fuit vniuira, & vnipara. ibid.
Annas princeps Sacerdotum qua ratione dictus sit à Luca. 31. V. Interrogat Christum, eumdemq; mittit ad Caipham. 34. XXII. An male sicut Caiphas, perierit. 37. I. 62. I. Vide Ananus.
Anno Colon. Episcopus abstrahit à matre Henricũ Regem puerum, & quare. 1062. II. Demandatur ei à Comitijs Germaniæ, regni administratio, & Regis educatio. ib. Mittitur à Rege ad Alexandrum PP. pro iuribus regijs in eligendo Ro. Pont. & pro extinguendo Schismate Cadaloico. 1064. I Rursum petit ipse Romam pro necessitatibus Ecclesiæ suæ, & sacras Reliquias inde transfert in Germaniam. 1070. II. Abdicat se à cura regni quod omnia in Henrico deplorata videret. 1073. II. Moritur, & miraculis illustratur. 1075. IV.
Annuntiatio. Vide Angelica Annunt.
Annuli arrhæ nomine ab antiquis dari soliti. 57. XVII. Sponsales alijq; quales esse solerent. ib. Signatorius vti olim soliti Episcopi. 142. IV.
Artaldus vir insignis, ex monacho sit Archiep. Rhemensis, aduersus Hugonem puerum electum. 933. I.
In Concilio Suession. iubetur cedere Hugon. 941. I. Rursum sedē accipit à Rege, & Synodis. 947. I. 948. II.
Moritur. 962. II.

Artemia filia Diocletiani Imp. asserta martyr: sed fides dubia. 298. III.

Artemius ex custode carceris martyr, sub Dioclet. 302. XVII.

Artemius insignis Dux senio confectus, exprobrans Iuliano apostasiam, egregium consequitur martyrium. 362. XXV.
Necem creditus intulisse cælitus eidem Iuliano. 363. XIII.

Artemius factus Imp. mutat nomen in Anastasium. 713. II. Vide Anastasius II.

Artemius alius erectus in Sicilia Imp. aduersus Leonem Isaurum, vius comburitur. 714. II.

Artemon hæresiarcha negauit Christi diuinitatem. 396. IV.

Artotyritæ hæretici, ita dicti quod in suis mysterijs apponerent panem & caseum. 173. XI.

Aruernensis in Gallia ciuitatis virtus, & nobilitas antiqua. 475. V.
Eius ciues castitatis cultores. ibid.
Sæpe frustra tentata à Gothis, tandem eis pro redemptione pacis vicinorum populorum traditur. 466. III. 475. III. V.

Aruernense Concilium pro disciplina Eccles. 541. VII. Aliud pro limitibus quarumdam diœceseon. 587. VII.

Arundo passionis Christi seruata ad posteros. 34. XLII.

Aruspicinam Romæ vilescentem Claudius Imperator restituendam curat. 49. I.
Pro eadem rescribit Constantinus Magnus. 321. VIII. sed postea proscripsit. 324. VI. Eamdem Constantius vetuit. 356. I. 358. VI. permisit Gentilibus Valentinianus Senior. 371. X.

Aruspices dire exagitauit Valens Imperator. 370. XVI. Videetiam Diuinatio.

Ascennonis Domini insignia monumenta in monte Olueti. 34. LXIV. in eius honorem conuersa solemnitas AEgyptiorum, dicta Accensio lucernarum. 58. XXVIII. Eius festum institutum ab Apostolis. ib. XXXVI.

Ascensionis Isaiæ liber confictus ab hæreticis. 44. XXVI.

Asceta, & Asceteria in Ecclesia antiquissima. 301. V. Vide Monachi & Monasteria & Virgines.

Aselepas Gazæ Episc. pulsus ab Arianis, restituitur à Iulio Papa. 342. VIII. Eius causa iterum cognita in Concilio Sardic. aque absoluitur & restituitur. 347. VIII.

Aselepiades eligitur Episc. Antiochenus. 213. III. Moritur. 219. IV.

Ascodrogitæ hæretici, qui instar bacchantium furentes agebantur. 173. XI.

Ascroditæ hæretici, quanam docerent. 175. X.

Asiæ Minoris prouinciæ, à quibus Apostolis Euangelium acceperint. 44. XI. Illæ Ecclesiæ omnes excommunicantur à Victore PP. ob errorem de die Paschatis. 198. I.

Asinus alligatus ad præsepe, in Natiuitate Domini. Annal. nu. 1.

Asini caput adorari à Iudæis & Christianis, calumniabantur Gentiles. 42. III. 201. VII.

Asinum hominis formam habere Dominum Sabaoth blasphemabant Gnostici. 201. VII.
Eiusmodi pictura Dei Christianorum, publicata Romæ à Gentilibus sub Seuero Imp. ibid.

Aspar dux Theodosij Iunioris, Angeli ductu Rauennam ingreditur, & Ioannem tyrannum capit. 425. III. Vide Ardaburius. Missus aduersus VVandalos in Africam, vincitur ab eis. 431. XVIII. Copias Leonis Marcellus proditorie tradit ijsdem VVandalis. 468. II. Eius filius ficte creatus à Leone Cæsar, ipseq; demum vna cum filio occiditur. 469. I. 470. I.

Aspebetus dux Persa, ex miraculo factus Christianus, dictusq; Petrus, postea ordinatur Episcopus Saracenorum. 420. IV. Interest Concilio Ephesino Oecumen. 431. V.

Assamonai ex qua tribu. App. ar. II. In eis coniunctum simul sacerdotium & regnum. ibidem. In eisdem defecit regnum de domo Dauid. ibid. & III.

Assumptio B. Mariæ Virginis quando contigerit. 48. II. & seqq. Ea vere anima & corpore facta. ib. VI. VII.
De eadem scripta quædam falso tributa Hieronymo & Augustino. ab. Solemnitas eius in Ecclesia antiquissima. ibidem. VIII. dicta à nonnullis, Dies Dominæ. ibid. 1002. IV. Eius Octaua, olim inter celebrari cœpta Romæ sub Leone Quarto. 855. IV.

Astati, secta Manichæorum. 810. I.

Asterius Senator proprijs humeris sublatum, epelit martyrem ac dæmonem coercet. 262. III.

Asterius veternosus sophista, & Episcopus Arianus, Iuliani monachi ex sufflatione sublatus. 370. XI.
Recensetur inter Scriptores Ecclesiasticos. ibidem.

Asterius Episc. mittitur à Leone Papa ad restituendam Eccles. Orientalem. 450. I.

Asterius eligitur Alexandr. Episc. Orthodoxus contra Timotheum hæreticum. 521. IV.

Astra esse animata, eademque Angelos esse, & ideo colenda, fuit error Iudæorum. 60. VI.

Astrologi sub Augusto Roma pulsi. 56. XII.

Astronomiæediti Pharisæi, Appar. VI

Astronomia Iudiciaria damnata ab Ecclesia. 56. XII.
Ob eius studium Aquila Ponticus eiectus Ecclesia. 137. V.
Eusebius Emesenus pulsus à ciuibus illius vrbis. 341. III.

Asturicense Concil. pro disciplina Eccles. 947. II.

Athalaricus octo annorum puer, succedit in regnum Italiæ Theodorico auo sub prudenti administratione Amalasuenthæ matris, 526. VIII. Eius educatio qualis. ibid.
Rescribit pro immunitate clericorum à iudicijs secularium. 527. VII. item q, aduersus seculares simoniacos. 533. VI. Summam pecuniæ imponit Episcopis electis, tam Rom. Pontif. quam alijs, pro confirmatione ipsorum. ib. Moritur. 534. VI.

Athanacenses martyres in Gallia sub Marco Imp. 179. II. Eorumdem cinerum inuentio. ibid.

Athanaricus Rex Gothorum Ethnicus, pecunia pacem redimit à Valente Imp. 369. IX.

Persequitur Christianos apud se agentes. 370. XVI.

Pulsus à suis ob pacem cum Theodosio Aug. initam, excipitur ab eo honorificentissime Constantinopoli: ibiq; moriens ambitiosis exequiis sepelitur. 381.I.

Athanasius puer ludens cum aliis aequalibus; Episcopum prophetice agit. 313.VIII.

Sumitur in scribam ab Alexandro Episc. Alexandr. ibid.

Profectus in eremum adhaeret Magno Antonio. ibid.

In Concilio Niceno viriliter agit contra Arianos, diaconus adhuc existens. 325.XIV.XXIII.

Disputationes quae feruntur inter ipsum & Arium habitae, videntur potius scriptae ab alio auctore. ibid.

Creatur Episcopus Alexand. divino suffragio. 326.I.

Eius electionem calumniantur apud Constantinum Imp. Ariani, defendit Synodus generalis AEgypti ibidem. Eius pro fide labores quanti. ibid.II.

Recusat Arium recipere Alexandriae, ideoque Arianorum inimicissimum in se odium concitat. 327.I.III. Visitat dioecesim. 328.I. Visitat quoque Antonium, & duo ei pallia donat. ibid.II. Monachorum instituit: transfert in clerum civitatis; & ex monachis creat Episcopos. ibid.

A Meletianis & Arianis falso accusatus de gravibus criminibus apud Constantinum, ipse calumnias diluit. 329.I. Iterum ab iisdem accusatus de fracto in Ecclesia calice, & necato Arsenio Episcopo. 331.I. Purgatur coram Delmatio Caesore. 332.I.

Rursum aliis calumniis oneratus. 334.III. causam dicit in Concilio Tyrio, & damnatur ab Eusebianis. 335.III.& seqq.

Sed & accusatus denuo de impedienda vectione frumenti Constantinopolim, relegatur Treueros à Constantino. 336.II.

Diuinum iudicium aduersus eum comminatur. ibid.

Honorifice excipitur Treueris. ibid.IV. Restituitur a Constantino iuniore Alexandriam. 338. III.

Iterum accusatur ab Eusebianis apud Iulium Papam, & Imperatores Occidentis. 339.I. Citatur à Iulio, & petit Romam. 340.II. Romae diuulgat Vitam Antonij Magni, & primus in Vrbem inuehit monachismum coenobiticum. ib. III. Symbolum, Athanasii dictum, cunc Romae Latino sermone componit. ibid IV. Absens deponitur ab Eusebianis in Conc. Antioch. in Encaeniis. 341.III. Absoluitur à Iulio Papa, & redit Alexandriam. ibid. XIII. Quaesitus ad necem a Gregorio eius sedis inuasore, clam clabitur, & rursum petit Romam. 342.II.VI. Absoluitur in Synodo Sardic. a calumniis Arianorum, & sedi sua restituitur. 347.VII. Vocatus à Constantio opera Constantis, bene ab eo habetur. 348.III. 349.I. Egregie eludit petitionem ipsius de concedenda Arianis vna Ecclesia in vrbe Alexand. 349.III. Excipitur vbique summa cum laetitia. 350.IV.VII. Congreditur Laodiceae cum Apollinare. ibid.V. Rursum accusatur ab Arianis de amicitia cum Magnentio tyranno. 350.VIII. Eius nomine confictae ab eis epistolae. 352.IV. In ipsum, & eius fautores, saeuissima excitatur a Constantio persecutio. 353.VI. 355.II.& seqq. Subrogato aduersus eum Gregorio, & misso exercitu, aegre euadit necem. 356.II. Iubetur à Constantio toto Orbe perquiri. ibid. Quas abstrusas latebras habuerit, & quae in eis scripta pro sua defensione ediderit. ibid.IV.VII. VIII. Scribit pro eo aduersus Constantium Lucifer Calaritanus Episcopus. ibid.V. Et Antonius Magn. moriens legat melotem & pallium. 358. V. Primus omnium haeresim Macedonianam, adhuc in latebris existens confutat. 360.V. Necato Gregorio inuasore, è latebris emergens redit Alexandriam sub Iuliano Aug. & celeberrimo totius AEgypti concursu excipitur. 362. XXXVIII.

Concilium Alexandriae celebrat, in causa Lapsorum sub Constantio. ib.XXXIX.

Rursum Arianorum simul & Gentilium factionem, iubetur à Iuliano Imp. solum vertere. 362.I. Quaesitus ad necem, offerès se ipsum persequentibus se, egregie eos eludit, & Alexandriā rediens, ibi latitat vsq; ad necem Iuliani. ibid. Restituitur à Iouiano Imp. & ab eo petitum fidei Orthod. libellū mittit ex Concilio Alexandr. 363.XIX. Calumnias apud eumdem Imper. appetitus ab Arianis, eas ad ipsum accedens facile diluit. ibid.XXI. Scribit ex Synodo ad Damasum PP. pro damnatione Auxentij Mediol. Episcop. Ariani. 368.IV. Pelli iussus à Valente Imp. mox reuocatur. 370.II. Praefectum Libyae moribus incorrigibilem excommunicat. ibid. XIII. Scribit ad Rom. Pont. pro Ecclesia Orientali. 371.I. Basilio visitationem Ecclesiarum committit. ibid.II. Migrat in cœlum. post 46. sedis annos: cuius praeconia & laboribus recensendis non est quis par. 372.IV. Eius scripta quanti habita. ibid.

Athanasius patriarcha Iacobitarum haereticorum oblatam ob Heraclio Imp. Antioch. Ecclesiam vt adipiscatur fidem Cathol. simulat, eidemq; haeresim Monothelitarum propinat. 625.I.II.

Athanasius Episc. Neapolit. post dira à nepote tolerata, moritur miraculis clarus. 872.III.

Athanas. alius, praedicti nepos, eiusdemq; ciuitatis Episcopus, proprium fratrem tyrannum caedit; & inde laudatur à Ioanne Papa. 877.II. Excommunicatur ab eodem, ob foedus cum Saracenis initum. 881.I.

Athanasius alius eiusdem Ecclesiae Alex. pseudoepiscopus haereticus. 490.II. moritur. 497.III.

Athanasius quidam Arianus, subrogatur à suis, in locum Basilij Ancyrani Semiariani. 359.XXI.

Athanasius alius sanctissimus, Ancyrae Episc. sub Valente Imp. 373.VI.

Athaulphus Alarici affinis, ei succedit in Italia. 411. I. Sumit vxorem Placidiam sororē Honorij Imp. ibid. Romanum Imperium voluit facere Gothorum, & Gothiam dicere quae esset Romania, & vt dicerentur Athaulphi qui dicebantur Caesares Augusti. ibid. Postea decreuit pro Imperio, & Honorio fideliter militare. ibid Inuadit Gallias. 412.VII. Exactus inde à Constantio duce Honorij, dum pacem quaerit, occiditur à suis apud Barcinonem, vna cum sex filiis suis. 414.I.

S. Athenagora, philosophi Christiani legatio, & apologia pro Christian. 179.III.

Athenienses Gentiles prouergà diuinum cultum. 52.III.

Habebant aras dedicatas Ignotis diis. ibid. Paulus Apostol. eis praedicat. ibid. Ecclesia ibi erecta exagitatur ab Hadriano Imp. 125.II. Schola ibidem florentiss. sub Constantio Imp. 354.V.

Athenodorus discipulus Origenis, frater Gregorij Thaumaturgi, Episcopus in Ponto. 233.VII. Interest Concilio Antioch. contra Paulum Samosat. 266.I. Martyrium adipiscitur sub Aureliano. 266.V.

Athenodorus alius martyr sub Maximiano. 304. XV.

Atingani dicti Manichaei posterioribus temporibus. 810.I.

Attalus Arianus, Vrbis Praef. creatur Imp. ab Alarico. 410.I. Eius vana tactantia. ibid. Designatur habere Honorium Imperij consortem. ibid. II. Deponitur ab eodem Alarico. ibid. III. Iterum resumens Imperium opera Gothorum, ab iisdem rursum derelictus, capitur & in triumpho ducitur ab Honorio, manuq; truncata relegatur. 414.I.

Atticus creatur Episcopus Constantinop. viuente adhuc Chrysostomo exule. 405.III. in fin. Qualia fuerint eius primordia. 406.III. Excōmunicatur ab Innocētio Papa, ob male habitos sues legatos. ibid.V. Nec post mortem Chrysostomi, valuit vmquam adipisci communionem Sedis Apostol. donec retulit in sacra Diptycha nomen illius. 407.IX. 412.IX. Vsurpare conatur auctoritatem in Eccles. Illyr. contra Romanam. 421. II. Moritur, laudaturq; de insigni Orthodoxia, & in pauperes munificentia. 425.IV.

Attila Hunnorum Rex Ethnicus, Imperium deuastat. 442.II. Et Theodosius Imp. tributum soluere cogitur. ibid. & 446.V. in fin.

Recedit ab Oriente in Occidentem. 450.VII

Eius mores, effigies, summa potentia & numerosissimus exercitus. 451.V. Ex praedictione dicitur Flagellum Dei. ibid. Gallias miserrime vastat. ibid.VI. sed ingenti praelio vincitur à Rom. Gothis, Francis, vna iunctis. ibid.VIII. Irrumpens in Italiam, coercetur à Leone Papa, assistentibus ei SS. Petro & Paulo. 452.VIII. IX.

Mulieris nouae à se amatae, siue manu, siue occasione, extinguitur. 454.V.

Eius filij de successione inter se decertant. ib.VII. in fi.

Dentifices vnus ex ijs occiditur à duce Leonis Imp. caputque defertur Constantinopolim. 468. III.

Attiniacus Conuentus, propoenitentia Ludouici Pij Imp. de rigore in suos, licet meritos, exhibito. 822.I.

Alius pro restituendo statu Ecclesiae & politico. 844.II.

Alius aduersus Hincmarum Laudun. 871. IV.

Auares Scythici populi annuam pecuniam à Iustiniano Imp. exigunt, ne incursiones faciant in Imperium. 566.II.

Eam postea Iustinus denegat, & bellum minatur. ibid.

Deuastant Syriam. 574.I.

Itemque Thraciam sub Chaiano Rege. 593.X.

Vide Chaianus. Idem dicti Hunni. 788.II. Vide Hunni & Hungari.

Auari cuiusdam terribilis casus Constantinopoli. 553.XX. Itemq; cuiusdam Episcopi in Germania. 1066.VII. Alius in Gallia diuinitus monitus, nō respiscens damnatur ad inferos. 1180.I.

Auaritia Clericorum. Vide Clerici.

Auaritia damnata à Constan. Mag. in Ablauio praefecto. 326.XIX. canon admittenda in directione templorum idolorum. 389.VIII XVIII.

Audaeus nimio zelo corripiens prauos mores ministrorum Ecclesiae, fit schismaticus, & tandem haereticus. 341.XI. Eius errores damnati in Synodo Antioch. in Encaeniis. ibidem. XII. Sectatores dicti quoq; Anthropomorphitae, & quare. ibid.

Audas Episcopus templum ignis Persarum diruens, nec readificare volens, necem sibi, & Christianis Persis diram persecutionem causatur. 420.III.

Audoenus ex ministro à secretis Dagoberti Regis, creatur

creatur Episcopus Rothomagensis. 647.II.
Præcipuæ auctoritatis apud Clodoueum Dagoberti filium. 650.IV.
Scripsit Vitam S. Eligij Nouiomensis, arctißima sibi amicitia coniuncti. ib. & 665.II.
Peregrinatur ad Limina Apostolorum, & ibi voce cœlesti honoratur, ac Reliquias SS. secum in Galliam reportat. 672.I. Moritur, & miraculis claret. 677.II.
Audomari Taruanensium Apostoli, Morinorum Episcopi, transitus ad Dominum. 695.II.
Auzmonense Concil. in quo creatus est Episc. S. Hugo Gratianopolit. 1080.XVI.
Auenionensis pontis mirabilis structura diuinitus facta. 1177.XV.
Augustalis Præfectus, dictus AEgypti rector, & qualis esse soleret. 204.II.
Augustanum in Germania Concilium sub Ottone Rege de reb. Ecclesiast. 951.I.
Augustini primordia, & lapsus in Manichæismum. 377.III. Romam petit, & priuatim docet Rhetoricam, incipiens abhorrere hæresim. 383.X.
Mittitur Mediolanum ad docendam publice Rhetoricam. 384.V.
A Manichæis ad Academicos transit. ib.
Commentus à matre, & solutus vinculo concubinæ, incipit videre lumen fidei. ibid.VI.
Orationem panegyricam habet coram Valentiniano Imp. 385.I. Victorini Oratoris cognita conuersione, & Magni Antonij Vita, ad Christum conuertitur; & diuinitus monitus, ex lectione Pauli Apostol. discit quid sibi agendum esset. 385.I. quæ scripserit nondum baptizatus. ibid.
Baptizatur à S. Ambrosio vna cum Adeodato filio naturali, & Alipio amico: Romamque redit in Africam reuersurus. 388.IX.
Matre Ostiæ defuncta, ipse cum sociis redit in Africam; & per triennium ruri vacat ieiuniis, orationibus, & libris conscribendis. 389.I.
Per vim raptus à populo Hipponensi, ordinatur Presbyter à Valerio Episcopo. 391.III.
Primus ex Presbyteris, contra morem Eccles. Afric. Euangelium præsente Episcopo annuntiat populo. ibid.
Monachismum in Africam, ipse monachus intulit ex Italia. ibid.
Publica disputatione confundit Fortunatum Manichæum. 392.VI.
Altercationes eius cum S. Hieronymo, de quibus rebus fuerint, & quam pacifice agitata. 394.IX. & seqq.
Ingenti omnium desiderio cogitur ordinari Episcopus Hipponensis: sed quod adhuc viueret Valerius Episcopus, excusauit postea se tunc nescisse id fuisse vetitum. 395.XIII.
Init consuetudinem literarum cum Paulino Nolano. ibid.XIV.
Dire exagitatus vna cum aliis Catholicis, à Donatistis, censet hæreticos per magistratus cogi, & punire debere. 398.VI. 405.IV.
Hanc gessauit prolixam barbam. 398.XV. Pro audientium diuersa fide solitus aptare sermones suos ad populum. ibid.XVI. Publica disputatione confundit Felicem Manichæum, qui conuertitur ad Ecclesiam. 404.XVIII. Eius praxis in recipiendis bonis Ecclesiæ relictis. 408.XII.
Occasione obtrectationum Gentilium in Christianos, de direptione Vrbis per Alaricum; scripsit libros de ciuitate Dei. 410.VIII.
Procurat Collationem publicam cum Donatistis. ibid.XI.
Interest illi; & magna pars eius est. 411.III. V.
Confutat hæresim Pelagij, antequam ipse sepalam proderet. 411.IX. ac postea sæpe. 415.IV. VI.
Mitius à Præfectis agi petit cum Donatistis, licet in Catholicos furerent. 412.I.
Auctor est Demetriadi nobiliss. virg. Rom. renunciandi sponso & sæculo, eandemque præseruat à veneno Pelagij. 413.III IV.
Quomodo cum obstinatiss. hæreticis agendum censuerit. 398.VI. 405.IV. 414.III.
Multas emergentes nouas hæreses ex Origenis scriptis confutat. 414.IV V.
Consulitur ab Hispanis per Orosium, de ijsdem erroribus. ibid.
Eumdem pro quæstione de origine animarum remittit ad Hieronymum, & quid ipse de ea senserit. 415.VII.
A Conciliis Carthag. & Milenit. prouinciam suscipit scribendi aduersus Pelagiana dogmata. 416.II.
A Iuliano Pelagiano accusatus prauaricationis eius hæresis, rursum plura aduersus eam, illumque scribit. 418. III. IV. 419. IV. V.
Confutat quoque contrariam hæresim, qua totum tribueretur Gratia, Liberumque tolleretur arbitrium. 418.IV. Legatione fungens Zozimi Papæ, Cæsareæ Maurit. multa praua corrigit, & alias in Africa plerosque abusus sustulit ibid. VI. Se inscribit Christi seruorum seruum. 419. VI. Duos hæresiarchas, Vincentium Victorem, & Leporium, reducit ad sanam mentem. 420. II. Eius praxis in agendo cum hæreticis. ib. Epistolæ eius nomine scriptæ ad Bonifacium Comitem, cuius sint fidei. 422.II.
Excommunicat eum ob violatam Ecclesiæ immunitatem, & pœnitentem restituit. ibidem.
Ab Arianis, disputationibus lacessitus, eos confutat. ibid.III.
Coadiutorem sibi, ad successorem in Episcopatu, deligit Eradium, annum ipse agens 72. 426. II.
Retractat sua scripta. ibid.IV. Vocatur à Theodosio Iuniori ad Concilium Oecumenicum Ephesinum; sed qui ad eum deducendum accesserunt, inuenerunt eum iam defunctum. 430. VIII.
Moritur tertio mense obsidionis suæ ciuitatis per VVandalos. ib.IX.
AEgrotans ipse sanitatem restituit ægroto. ibid.
Sanctia eius per pœnitentiam præparatio ad obitum. ibid.
Consanguineos suos quomodo tractauerit in vita & morte. ib.X. Eius scripta in conflagratione ciuitatis diuinitus seruata, impugnata à diuersis, defenduntur à SS. Hilario Arelat. Prospero Aquit. Cælestino PP. ib.XI.
Eius corpus cum mitra & baculo pastorali, transfertur in Sardiniam, in relegatione Episcoporum Afrorum sub Trasamundo VVandalo. 504.IV. Inde vero transfertur Ticinum, magno pretio redemptum à Saracenis, per Luitprandum Regem Longobard. multisq; miraculis claret 725.I.
Brachium eius, centum talentis comparatum, Canutus Rex mittit in Angliam. 1027.II.
Augustinus Abbas mittitur à S. Gregorio ad conuersionem Anglorum. 596.II. Ordinatur in Gallia Episcopus & appellens in Angliam, signis & miraculis conuertit Regem cum alijs quamplurimis. 597.III.
Eam Ecclesiam optime ordinat. 601.V. Duobus celebratis Conciliis, frustra conatur Britannos Episcopos reducere à schismate de Paschatis celebratione. 604.VIII. Moritur. ibid.
Augusti Imp. quoto anno natus Christus: Appar. XXXII. XXXIII. Eius Imperij annorum diuersæ supputationes vnde ortæ. ibid. Eidem tributa multa quæ de Christo venturo dicta essent. ibid. XIII. XIV.
Qua occasione erexerit Aram primogeniti Dei. ibid. XIII. Iubet describi orbem, & quare. ibid. XXVIII. Partus Christi, inseruit edicto in Bethlehem abit. Dominum se dici vetuit Annal. num. IV. Post Christum natum fauet Iudæis, quos antea oderat. ib.VI. Eius dictum de Herodis infanticidio. an.1. num. XI. Veram Carminis Sibyllina à spuriis seligit an. 19. nu. II. Moritur, & quot annis regnarit. 16.II.
Augusti nomen proprium Imperatoribus, Athaulphus Gothorum Rex, in Athaulphi appellationem commutare cogitauit. 411.I.
Augustunense in Gallia Concil. aduers. Reges schismaticos & adulteros. 1094.II.
Augustulus ab Oreste patre euehitur in Imperium Occident. aduersus Nepotem. 457.I. Ab Odoacre Erulorum Rege relegatur in Lucullanum Campaniæ, & in eo penitus defecit Imperium Occidentale, transitque ad Reges barbaros. 476.I.
Auitus, patria Aruernus, aduitentibus Gothis, inuitus erigitur in Imperium. 455.VI. Deponit illud paulo post, & quare. 456.I.
Auitus Viennensis Episc. in Gallia, laboribus & scriptis aduersus hæreticos insignis, conuertit Sigismundum Burgund. Regem Arianum. 519.III. Præest Concilio Epaunensi ibidem. IV. Litteræ mutuæ ipsius, & Hormisdæ Papæ. 516.II.
Auitus Nutiacensis Abbas sanctitate insignis. 526.IX.
Auiti duo Hispani, Origenis hæresim in Hispaniam inuehunt. 414.IV.
Aurei Numeri origo ad inueniendum Pascha, à Concilio Nicæno. 325.XXXI.
Aurelianus creatur Imp. 271.II. Eius seueritas in milites. ib. Rescribit pro expulsione Pauli Samosatæni è domo Episcopali Antioch. 272.III. Agnoscit primatum Romani Pont. ibidem. Eius propensum studium in cultum Deorum. ibid. IV.
Herculem sibi allegit consortem Imperij. ibid. Sæuit in Senatores. 273.I. Diuinitus correptus in subscriptione persecutionis in Christianos, nihilominus eam indicit. 273.II.
Vincit Zenobiam dominatricem Orientis, & in triumphum ducit. 274.I. Primum Solis agonem instituit. 275.III. Ampliat muros Vrbis vsque ad 50 passuum millia. ibidem. Quantum tēporis regnarit. 276.I. Necatur à suis. 278.I.
Aurelianus Ambrosius. vide Ambros. Aurelian.
Aurelianus creatur Arelatensis Episcopus, & Vicarius constituitur in Gallia à Vigilio Papa. 546. VII. Agit apud Childebertum Regem pro vrbe Rom. 550.II.
Interest Concilio Aurelianensi Quinto. 552. VI.
Aurelianense Concil. I. sub Clodoueo Rege, pro reformatione Ecclesiæ. 507.II.
Secundum sub Childeberto Rege pro disciplina Eccles. 536.XIV.
Tertium sub eodem Childeberto, aque pro optima constitutione Ecclesiæ. 540.V.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quartum. 545. III.

Quintum, in causa Trium Capitulorum. 552. VI.

Aliud, pro damnatione cuiusdam hæretici. 650. IV.

Aliud sub Roberto Rege, contra nouos Manichæos. 1017. I.

Ea ciuitas, vna cum Ecclesiis, igne crematur sub Arnulpho eius Episcopo viro insigni. 880. VI.

Aurelius creatur Episcopus Carthag. 391. III. *Ipse, an Genedius, prior sederit.* 397. XV. *Sub eo celebrata quamplurima Concilia in Africa.* 397. XIV. 398. VII. XIV. 399. XIII. 401. II. IV. 402. XVI. 403. VIII. 404. XVII. 405. IV. 407. III. 408. VII. 410. X. 412. IV. 416. I. 419. VII. *Primum obtinet locum inter electos ad disputandum contra Donatistas, in Collatione Carthag.* 411. III.

Aurelius Cassiodorus. Vide Cassiodorus.

Aurelius peremptо Froila, regnat in Hispania. 770. IV. *Virgines in tributum dat Saracenis ibidem. Moritur.* 775. IX.

Ausonius rhetor, & poeta Gallus, magister Gratiani Imp. creatur ab eo Consul. 379. I. *Fuit Christianus.* ibid.

Austregisilus Episcopus Bituricensis floret, & insurgit magno animo aduersus inuasores rerum Eccles. & tributorum indebitorum exactores. 611. II.

Auxentius Cappadox Arianus, intruditur à Constantio Imp. Mediolanum in locum Dionysii Orthodoxi expulsi. 355. VI. *Damnatur in Concil. Ariminensi.* 359. V. *Sub Catholico nomine latens, impetitur à S. Hilario, sed frustrà.* 369 II. *Fauore Valentiniani Imp. eius simulatione decepti, insultat Catholicis Episcopis. ibidem.* IV.

Damnatur Romæ in Concilio à Damaso PP. & ab aliis per Orbem Synodis. ibidem. Moritur. 374. I.

Auxentius Iunior Mediol. pseudoepiscopus, distinctus à Seniore. 386. IV.

Prouocat Ambrosium ad disputationem sub Iudicibus Gentilibus & Imperatore, sed recusat Ambrosius. ibid. V.

Auxentius insignis anachoreta strenue agit pro Cõcilio Chalcedon. aduersus Eutychianos. 451. XXXIV.

Auximitæ populi AEthiopiæ, conuertuntur ad fidem. 541. IX.

Aymo Halberstat. scriptor clarus moritur. 853. IX.

Azades charissimus Regis Pers. eunuchus, martyrium subit pro fide Christi. 343. IV.

In azymis confecta à Domino Eucharistia, idemq; mos perseuerauit in Ecclesia. 34. XVII.

Azymorum diebus nefas Iudæis in aliquem animaduertere. ib. XXV.

Azymitæ vocati à Græcis schismaticis Latini, eo quod Eucharistiam in azymis conficerent. 1054. III.

B.

BAanitæ, secta Manichæorum. 810. I.

Babylas creatur Episc. Antioch. 241. I. *Insignis eius confessio, & martyrium sub Decio. ibidem. &* 253. XX.

Translatione eius corporis facta in Daphnem à Gallo Cæs. obmutescit idolum Apollinis ibi antea responsa dare solitum. 351. II. 362. XXIII. *Itaque illud postea Iulianus Apost. inde auferre iussit, quod in vrbem à Christianis magno triumpho relatum est.* 362. XXIII.

Eiusdem martyris precibus Daphne cælitus conflagrat. ibi. XXIV.

Babylon quo sensu dicta Roma à Petro, & Hieronymo. 45. VI.

Babylonis variæ significationes in Script. ibid.

Babylones duæ, Assyriorum, & AEgyptiorum. ibid.

Baculo S. Petri Martialis suscitat mortuum, qui hodieque baculus asseruatur Burdegalæ. 74. VII.

Baculo & superhumerali Senuphij anachoretæ, Theodosius Mag. vincit hostes. 388. V.

Batulus pastoralis S. Augustini vna cum eius corpore, transfertur in Sardiniam. 504. IV.

Bacurius Iberorum Rex cum sua gente, miraculis ancillæ Christianæ ad fidem conuertitur. 327. V. *Creatur à Constantino Magno Domesticorũ Comes. ibid.*

Bagaiense Concil. Donatistarum. 310. *Episcoporum, in causa schismatis inter ipsos constati.* 394. VIII.

Bagaudarum rusticanorum factio in Gallia, compressa à Maximiano Imp. 297. I.

Baioarij. Vide Bauari.

Balationes & saltationes ante basilicas Sanctorum, sustulit in Africa Augustinus. 418. VI.

Balbinus à Senatu creatus Imp. vna cum Puppieno aduersus Maximinum Thracem. 238. IV. *Occiduntur ambo à militibus.* 240. VI.

Balduinus eligitur Rex Hierosolymit. 1100. VI. *Contendit de iuribus cum Patriarcha. ib. Pellit eum, & nauigat in Galliam ad connubia celebranda.* 1104. III. *Vincit Saracenos virtute S. Crucis.* 1105. V. *Capit Berytum.* IIII. VIII. *Viuente legitima coniuge, aliam ducit.* 1113. II. *Moritur pœnitens.* 1118. X.

Balduinus alius prædicti affinis, creatur post cum Rex Hierosol. 1118. X. *Vincit Turcas virtute S. Crucis.* 1120. V. *Postea capitur ab ijs.* 1123. III. *Moriturus religionis habitum assumit.* 1131. V.

Balnea Antiochena passa dæmonum infestationem ob reliquias virginum Christ. 118. I. *Gadarena obnoxia dæmonum illusionibus.* 31. XXV.

Balsami liquor accendi aliquando solitus in Ecclesijs in honorem Dei vel Sanctorum. 58. XXVII.

Balsami arbor delata in Triumpho Romæ à Pompeio & Tito. 73. I.

Bamberga ciuitas, augetur Episcopatu. 1006. I.

Bambergense Concil. in Encæniis. 1011. I. *Ea ciuitas tradita Ecclesiæ Rom. & eius loco postea Beneuentum.* 1019. I. 1053. I.

Baptismus Christi quo eius ætatis anno contigerit. Appar. XXXIV. *& an.* 31. VII. *Locus factus miraculis clarus.* 31. VIII.

Baptismum quotidianum, siue ablutionem, necessariam ad salutem putarunt Hemerobaptistæ. Appar. IX. *item q; Ebionæi.* 74. IV.

Baptizati Apostoli, & Discipuli Domini, à quibus fuerint. 31. XVII.

Baptismus in nomine Christi collatus quomodo intelligendus. 34. LXX.

Baptismus Constantini Mag. qua occasione, quoue loco, modo, & tempore contigerit. 324. VI.

Baptismi aqua. Vide Aqua bapt. Baptizatorum vnctio. Vide Vnctio.

Baptismum reiecerunt, aut corruperunt Nouatiani. 254. XIV. *& Manichæi.* 277. XI. *Eum prorsus abiecerunt Ascodrytæ & Archontici, & quare.* 175. IX. *Eum pariter Ariani tollebant, negantes Filij Cõsubstantialitatem.* 325. XXVIII. *Item q; Pelagiani negantes Peccatum Originale.* 411. IX. 415. IV. 417. II. *Eiusdem trinam immersionem damnarunt Eunomiani, in odium SS. Trinitatis.* 360. VII. *Ridicula cautela ab ipsis in baptismo conferendo obseruata. ibid.*

Baptismo non deleri, sed oratione, peccatum originale dixerunt Massaliani. 361. IX.

Baptismum sanguine victimarum delere conatus Iulianus Apostata. 361. XII.

Baptismum ab hæreticis vel schismaticis collatum, esse nullum, decreuit contra Ecclesiæ doctrinam Agrippinus Carthag. Episc. 217. I. *Itemq; Tertullianus. ibid. Ea quæstio vbiq; agitata tempore Cypriani, occasione Nouatianorum.* 258. IV. *& seqq.*

Quinam baptismum hæreticorum damnarint. 258. V. VI. XI. *Ii damnati à Stephano PP. ibid. V. Idem error renouatus ab Hilario E. R. diacono, secta Luciferiana.* 362. XLVII.

Baptismus schism. & hæret. quinam suscipiendus, quiue reiiciendus. 258. X. *Plurimorum hæreticorum baptismus reiectus ab Ecclesia.* 314. XII. *Vide etiam Rebaptizatio. Non iterandus ob falsam Latinitatem ministri.* 744. II. *Eum paruulis ante octauum diem, & mulieribus in menstruo vel parta, denegabant Græci schismatici.* 1054. III.

Eius necessitatem in infantibus sustulit Pelagius. 411. IX. 417. II. *Eamdem q; omnino negauit Sampson presb Scotus.* 748. I. *Et Berengarius.* 1035. II. *Nihil prodesse ante intelligibilem ætatem, asseruerunt Petrobrasiani.* 1126. VI. *Henriciani.* 1147. VIII. *Apostolici ibi.* XII. *Albienses.* 1176. II.

Baptismum Ecclesiæ, esse baptismum Ioannis, dixerunt Bongomili. 1118. XII. *Per baptismum renatos, à diabolo non posse subuerti, Iouinianus dixit.* 382. VII. *& Pelagius.* 411. VIII. *Itemque Iouinianus, omnium qui Baptisma seruarent, esse vnam in cœlis remunerationem.* 382. VII. *Nullum baptizari, nisi saluandum, Gilibertus Porret dixit* 1147. V.

Baptizarunt multi hæretici viuentes, pro defunctis absque baptismo. 57. XLVII. *Aliy baptizatos in Ecclesia rebaptizarunt. Vide Rebaptizatio.*

Baptismus secundus fuit Nouatianis loco pœnitentiæ. 258. VI.

Baptismus tres introduxit Marcion. 146. VII.

Baptizati in lecto, Clinici dicti, fuerunt que ij olim incapaces sacrorum Ordinum. 254. IX.

Baptizari in nomine suo, Menander necesse esse dicebat ad salutem. 74. VI.

Baptismus à pueris collatus ritu Ecclesiæ, validus: supplenda tamen quæ à sacerdotibus mos est. 311. VIII.

Baptismi tempore omnes amiciri soliti vestibus cãdidis. 57. XXIX.

Baptizandi primo ad Occidentem, mox ad Orientem conuerti soliti, & quare. 58. XLIII.

Baptismi solemne tempus. 447. IV. *Baptismus dilatus, reprehensus à Patribus.* 377. V.

Baptizatus arena, defectu aquæ. 181. I.

per Baptismum Constantinus sanatur lepra corporali. 324. X. XI. *Iudæus curatur à paralysi.* 408. IX. *Alius Iudæus sæpius baptizatus, denuo rebaptizari satagens, euanescente aqua, vere cõuertitur.* 419. XVII. *Innatus populorum fœtor, baptismo tollitur.* 1145. IV. V.

Baptismus Agarenorum sumptus ad corporalem tantum medicinam, non animo fidem amplectendi, declaratus nullus à Patriarcha Constantinop. 1145. V.

Baptizari cur dicantur campanæ. 968. IV.

Barba cultus, qualis apud antiquos Christianos 57.

nos. 57. XXVIII.
Barbæ rasio qualis prohibita in antiqua lege. 58. LVI.
Qualis item improbata à SS. Hieronymo, Epiphanio, vel aliis. ibi. LV. & seq. Diuersa Ecclesiarum ea in re consuetudo, tam in clericis, quam monachis, secundum morem gẽtium inter quas habitarent. ibid. LVII. LVIII.
Barbæ rasuram primus obiecit Photius schismaticus glaber, Ecclesiæ Latinæ. ibid. LVIII. Ea diu in Occidente perseuerauit. ibid. Est signum doloris, & ideo optime conuenit monachorum instituto. ibid LVII. Eius tonsio præscripta Clericis in Concilio Carthag. Quarto. 398. XV. Barbam radere, ignominiosissimum olim Gothis. 674. III. Eam à Clericis obseruari iubet Gregorius. VII. 173. XII.
Barba S. Petri Apost. translata in territorium Parisiense, ingentibus claret miraculis. 922. VI.
Barbararũ Gentium cõuersiones. Vide Fidei Christ. propagatio.
Barbarorum per vniuersum orbem eodem tempore incursiones in Rom. Imperium sub Valeriano Imp. 263. III. item initio Valentiniani Senioris. 364. V. Aliorum grassationes in Oriente sub Valente. 376. II. 377. II. Aliorum sub Arcadio, ex proditione Ruffini. 365. VIII. Aliorum in Occidente sub Honorio, ex proditione Stilichonis. 407 II. Totus ferme tunc mundus barbaricis afflictus cladibus. 410. X.
Inuasores Galliarum & Hispan. offerunt Honorio Imp. inter se digladiari pro securitate Imperij. 414. II.
Barbaricini populi in Sardinia, à Gentilismo conuersi opera Gregory Magni. 594. I
Barbelitæ hæretici, secta Gnosticorum. 120. XVIII.
Barchochebas dux Iudæorum sub Hadriano Imp. diuinitus se missum mentiens, multas clades intulit Romanis, tum etiam Christianis. 130. IV.
Barcinonense Concil. de disciplina Eccles. 603. IV. Aliud sub Legato Sedis Apost. de Gothicis legibus. 1064. III.
Bardanes Philippicus. Vide Philip. Bard.
Bardanes cognomento Turcus, inuitus aduersus Nicephorum euectus in Imperium, mox illud deponit, & fit monachus. 803. I. Priuatur luminibus à Nicephoro. ibid.
Bardas frater Theodoræ Aug. Michaeli Imp. fit auctor corruptissimæ simul & impiissimæ vitæ. 854. III. Electa sorore, rerum summam adipiscatur. 855. VII. Excommunicatus ab Ignatio Patriarcha, ob coniugem legitimam electam, & pellicem, cognatam suam subintroductam, cum throno pellit, & Photium intrudit. 858. IV. Restituit Scholas Constantinopoli 859 VII. Acerrimas minas accipit in visione à Petro Apost ob rebellionem Photij in Sedem Apost. 867. V. Necatur iussu Michaelis, & frustratim conciditur. ib. VI.
Bardas Sclerus, Præf. Orientis, ad defensionem sui arripit Imperatoris nomen sub Basil. & Constant. Augg. & magna diu afficit calamitate Imperium. 976. I.
Bardesanes Syrus aliquando insigniter militauit in Ecclesia Cathol. postea in Valentini hæresim lapsus. 175. V. Alia de suo adiecit, sed quædam ei tributa, quæ potius eius sectatoribus adscribenda. ib. VI. Habuit filium Harmonium. Vide Harmonius.
Barense in Apulia Concilium sub Vrbano PP. II. pro vnione Græcorum cum Rom. Eccles. 1097. XLV.
Barlaham rustici Christiani mira pro fide constantia in adustione manus. 304. XIII.
Barnabæ primordia. 34. LXXV. Latifundium vendidit, & pretium ad pedes Apostolorum posuit. ibid.
Prædicat cum ingenti fructu Euangelium Antiochiæ. 43. III. Eius nomine suppositum ab hæreticis Euangelium. 44. XXV.
Imitatur Apostolatu vna cum Paulo. 44. XXXII.
Peregrinationes eius cum eodem Paulo. 46. III. 47. I. 48. I. 49. I. Mittuntur ab Ecclesia Antioch. Hierosolymam, ad consultandum de circumcisione, & interfuit Concilio ibi celebrato. 51. III.
Iisdem ibi concreditus Apostolatus Gentium, & quomodo id intelligendum. ib. VI.
Separantur ab inuicem, occasione Marci consobrini Barnabæ, sed absque scissione charitatis. ib. XII.
Reliquæ eius peregrinationes, & quæ de eis confecta. 51. XIII.
Scripsit Epistolam; eaque perperam à nonnullis credita, quæ Pauli est ad Hebræos. ibid. XIV. & 60. XX.
Eius corporis inuentio in Cypro sub Zenone Imp. & cum eo Euangely S. Matthæi. 485. I.
Baroniana familia egregia antiqua monumenta. 1030. III.
Barri populi inuadunt imperium sub Anastasio. 503. II.
Barsa Episc. Edessenus exulat pro fide sub Valente Imp. 371. VIII.
Barsaniani hæretici, secta Acephalorum. 535. XI.
Barsanuphij anachoretæ inclusi admiranda vita. 548. V.
Barsimæus Episc. Edessen. martyr sub Traiano. 1100. III.
Barsumas Archimandrita Syriæ vicem agit monachorum Orientis in latrocinio Ephes. 449. IV. dire agit in S. Flauianum Constant. Episc. ibid. XI.
Bartholomæus Apost. idem à nonnullis creditus qui & Nathanael. 31. XI. in quibus regionibus prædicarit fidem. 44. XVII. Detulit secum Euangelium Matthæi. ibid. & 41. V.
Eius quoq; nomine suppositum ab hæreticis Euangelium. 44. XXV.
Reliquias eius reprobans Anastasius Imp. male consulit custodiæ ciuitatis. 507. IV.
Eadem à Paganis, & Saracenis disiectæ, colliguntur à Fidelibus, & transferuntur tandem Beneuentum. 831. III.
Deferuntur Romam ab Ottone III. Imp. sed pellis remanet Beneuenti. 1000. I.
Basilicæ dictæ olim Ecclesiæ ampliores, & quare. 57. XXXVIII. Vide Ecclesia.
Basilicius ex regij dromonis remige creatur Imp. 867. VIII.
Basilense Conciliabulum Simoniacorum & Nicolaitarum, pro confirmatione suarum turpitudinum. 1061. II.
Basilides Alexandr. sectator Simonis magi, & Menandri. 35. XIII. 74. V. 120. V Et ipse hæresiarcha, quas impietates introduxerit. 120. V. & seqq. Vsus quoque incantationibus. ibidem. VII. Scripsit suo nomine Euangelium. ibid. IX. Habuit filium Isidorum æque impium. ibidem. Moritur. ibidem. Quinam eius errores confutarint. ibid.
Basilides Episcopus Hisp. ob varia crimina damnatus, appellat Rom. Pontificem. 258 II.
Basilina mater Iuliani Apostatæ. 337. XII.
Basilius martyr prædicit Chrysost. obitũ. 407. IV.
Basiliscus hæreticus Eutychianus, frater Verinæ Aug. coniugis Leonis Thracis, missus cum ingentibus copiis aduersus Vandalos, inertia & proditione rem perdit. 468. II. Reus ab omnibus conclamatus, confugit ad Ecclesiam, & liberatur à sorore. ibid. Zenonem Imp. fugat, ipseque Augustus nominatur. 476. IV. Dire persequitur Catholicos, & publica lege proscribit Concilium Chalcedon. ibidem. V. Resistentibus ei sanctis Episcopis, monachis, & populo, contrarium promulgare cogitur edictum. ibidem. VII. Redeunte Zenone, fugit ad Ecclesiam, sed inde abstractus pellitur in exilium, & misere perit. 477. I.
Basiliscus serpens lethifer Romæ extinguitur precibus Leonis PP Quarti. 847. V.
Basilius, siue Basilens, celeberrimus Episc. Amasenus, in carcere constitutus, fidem Cathol. egregie profitetur aduersus Arium. 315. X. Martyrium consequitur in persecutione Licimana. 316. II.
Basilius Antioch. Episc. creatur. 456. VI. Moritur. 458. IV.
Basilius Seleuciæ Episc. scripsit Acta S. Theclæ. 46. III. Interfuit Concilio Chalced. ibidem. & 382. XI.
Basilius alius Seleuc. Episc. interest latrocinio Eph. 449. IX. Damnatur in Synodo Chalced. 451. XI. Pœnitens absoluitur. ib. XVIII.
Basilii Cappadocis parentum fuga in persecutione Galerij Imper. ad deserta loca. 304. XII. Feræ bestiæ se illis sponte offerunt in cibum. ibid. Posteaquam persecutionem, concesserunt Cæsaream Cappadociæ, qui olim habitarant Neocæsaream in Ponto. ibid.
Basilius proficiscitur Athenas, consummandus scientiis, & intimam init ibi cum Gregorio Nazianzeno amicitiam. 354. V.
Vocantur ambo in aulam à Iuliano Apost. sed recusant ire. 362. II.
Creantur presbyteri, & facti monachi secedunt in eremum Pontican. ibidem. XIV. XV.
Qualem vitam ibi egerint. ib. XVI. XVII. Basilius scribit tunc Regulas monasticas. ibid. XVII. Non fuit auctor Vitæ Cœnobiticæ, sed imitator. 328. III. Accusatus à Sabellianis apud Neocæsarienses de ambitione & fidei desertione, scribit pro se ad eos apologiam. 362. XVIII. Ei per visum ostenditur à B. Virgine cædes Iuliani. 363. XIII Eius Vita Amphilochio tributa, mendaciis scatet. ib. Reuocatur ex eremo aduersus hæreticos, & Cæsariensis Ecclesiæ curam gerit sub Eusebio Episcopo. 366. IV. Patrimonium suum tempore sæuiss. famis in pauperes erogat. 367. VIII.
Creatur Episcopus Cæsar admodum inuitus. 369. VII.
Quæ ei cum Valente Imp. Ariano conflictatio, & quæ tunc prodigia in eius fauorem contigerint. 370. VII. VIII. Principem coquorum egregio dicto confutat. ib. VIII. in fi.
Aliud eius certamen cum auunculo Imperatricis. ib. IX.
Præfectum Libyæ ab Athanasio excommunicatum, ipse etiam talem declarat. 370. XIII. Agit apud Athanasium, aliosque præcipuos Orientis Antistites, vt legatio mitteretur in Occidentem, ad impetrandum auxilium Ecclesiæ ab Arianis prostratæ. 371. I. Eo Athanasius vsus in visitatione Ecclesiarum. ibid. 2. Calumnias patitur de collusione cum Eustathio Sebasteno, & Apollinare, deque assertione trium Deorum, & negatione diuinitatis Spiritus sancti: sed ipse tam à seipso, quam ab aliis defenditur. 371. II. & seqq.

Iisidet cum Anthimo Tyanensi, de limitibus diœceseon.ib.VI. Plures Episcopatus erigit, & Gregorium Naz. Episcopum creat Sasimorum. ibid. Iteratas legationes mittit ad PP. Damasum, & alios Occidentales, vt succurreretur Ecclesiæ Orientali.372.II. Amariusculè de ijs scribit, sed mox pœnitet ibid.III. Fuit ei consuetudo literarum cum S. Ambrosio Mediolanensi.374. III.

Migrat in cœlum, & insigni funere effertur. 378.I. Ei aliquando concionanti Spiritus S. in forma columbæ sermonem suggerere visus est. ibid. Ex duro viuendi genere frequenter ægrotauit.ibid. Eius scripta & effigies ibidem II. Longe postea templum eius expilatur à Turcis at sepulchrum permanet saluum. 1067.III.

Basilij Episcopi plures tempore Chrysostomi, & quis ille, ad quem ipse scripsit de Sacerdotio. 382.XI.

Basilius Ancyranus Episcopus, Semiarianorum signifer.357.VI.VII.358.IV. In Concilio Seleu. damnat Acacium, & alios Arianos.359.XVIII. Ipse vero in Concil.Constantinop. patrocinante Constantio Imp. abdicatur cum suis ab eodem Acacio specie quorundam criminum.ibid.XXI. Adhæret hæresi Macedonianæ.360.IV. Sub Iouiano Imp.Catholico, Nicænæ fidei subscribit. 362.XIX.

Basilius alius Ancyræ presbyter, martyr sub Iuliano. 362.XIX.

Basilius auctor hæresis Bongomilorum comburitur ab Alexio Imp. 1118.XII.

Basilius confictus à quibusdam Roman. Pontifex. 891.I.

Basilius Macedo, ex Præfecto cubiculi Michaelis Aug.ob Bardam Cæs.occisum, creatur ab eodem Mich.Imperator.867.VI. Eum à nefaria vita abducere tentantes insidiis ab eo appetitur; quas ipse præueniens ei necem procurat.ib.VIII. Photium impium ejcit, Ignatium legitimum Patriarcham restituit; & legatos ad Rom. Pont. mittit.867.IX.XI. In Concilio Octauo Oecumen.egregias habet ad Episcopos admonitiones. 869.V.IX.in fin. Nõ acquieuit primo loco subscribere, sed tantum post Legatos cunctarum Sedium Patriarch.ab.Eius ingratitudo in Rom. Ecclesiam. ibid. XV.

Tres filios promouet in Imperium, quartum mancipat diuinis officijs: quatuor vero eius filiæ, virginitatem Deo consecrantes viuunt in monasterio.868.I.870.VIII. Altercatur in nomine Imperatoris cum Ludouico Imp. Occidentis. 869.XII.871.III. Vane deceptus à Photio reuocat eum Constantinopolim, & mortuo Ignatio, restituit sedi, ingenti Ecclesiæ, iuoq; damno.878. VII.IX. Subscribit impiæ pseudosynodo Photianæ, cum damnatione Octauæ legitimæ. 879. VII. Traducitur præstigijs Santabareni.ibid.IX. Inuehitur in Romanos Pontif. quod nollent recipere Photium.882.IV.884.I. Retunditur à Stephano PP.885.II. Moritur ex diarrhœa. 886.I. Multa eius laudanda facta scriptaque nonnulla damnanda. ib.II.III.

Basilius & Constantinus fratres, filij Romani Iunioris, imperant.975.III. Succedunt patri, & tamen alius præripit Imperium. 963.IV. Demum Basilius insignis prorsus Princeps, ex voto in bello concepto fit monachus 998.VI. conatur obtinere à Rom. Pontifice nomen Oecumenici pro Patriarcha Constantinopol. in suo orbe; sed repellitur. 1024.III. Moritur. 1025.III.

Basilius monachus creatur Constantinus Patriarch.970.I. Deponitur ob crimen. 975. III.

Bassianus Ephes.Episc.deponitur à Leone PP.447. IV.451. XXVIII.

Bassula Carthag.Diacon.interest Concil.Ephes.pro Eccles.Afric. 431.III.

Bauari conuertuntur ad fidem à Ruperto Episcopo Vangionensi.580.IV. Excoluntur à S.Corbiniano.724.II. Tassilo Dux eorum rebellis Carolo Magno, maiestatis damnatur, & in monasterium detruditur. 788.III.

Baugenciacense in Gallia Concilium, pro absolutione Philippi Regis.1104.II. aliud pro diuortio Ludouici Regis. 1151.II.

Beatrices Ducissæ Thusciæ plures earumq; discrimina. 1070.VI.

Beatus presbyter Hispanus agit contra Nestorianos, & sancte quiescit. 783.II.

Beda vocatur Romam à Sergio Papa, & vtrum eo accesserit.701.II. Itemq; à Gregorio Secundo. 731.IV.in fi. Quousq; perduxerit librum de Sex ætatibus.726.I. Itemq; Historiam Anglorum. 731.III. De locis sanctis vnde hauserit, quæ scripsit.699.III. De eius ætate, & tempore obitus. ibidem. De cognomine Venerabilis ei indito. ib. IV.

Belisarius dux mittitur à Iustiniano Imper. aduersus Persas, eosq; sæpe, diuina ope vincit. 527.V. Missus contra VVandalos in Africam, eos superat, Carthaginem occupat, & vniuersam Africam recuperat, Regem capit, & triumphat Cõstantinopoli.533.VII.534.IV. Siciliam recuperat & triumphat Syracusis.535.XVI. Neapolim Italix capit & sacra profanaq; diripit, vnde postea cogitur à Siluerio PP. pœnitentiam agere.537.I. Recuperat Romam.ib.II. Obsidetur à Vitige, & qui cum eo conflictus.539.I. Iussu Theodoræ Aug. falsis proditionis prætextibus. Siluerium Papam in exilium pellit, & Vigilium intrudit. ib.II. Vitigem Regem capit, & Constantinopolim reuocatur, inuidiosè accusatus affectatæ tyrannidis.540.VII.541.II. Iterum mittitur in Italiã aduersus Totilam.544.I. Vrbem a Totila captam, iterum recuperat, & munit.547.II. Redit Constantinopolim inglorius. 549.I. Iam senectute confectus, Hunnos repellit ab inuasione Constantinopolis.558.III. In suspitionem coniurationis in Iustinianum adductus, redigitur in ordinem; & quis tandem eius finis. 561.II. Diuina in eum iustitia, ob expulsum olim Siluerium Papam. ib.III.

Bellum, etiam iustum, Manes damnant. 277.X. Bellum pro Religione susceptum. Vide Religio.

Bella singula, vide sub nominibus Principum aut Ducum, qui ea gesserunt, vel populorum deuictorum. Vide etiam Milites. Bellorum occasione multæ factæ populor. ad fidem conuersiones.327. V. Bellicæ cedis expiratio, qualis olim apud Ethnicos, Iudæos, & Christianos.394.IV. Vide Cædes. Bellica etiam tractat Gregorius Papa Primus aduersus E.R. hostes.598.II.603.III. Itemque Gregorius Secundus.715.III. Bened.VIII.1016. I. Greg.VI.1044 IV. Leo Nonus: 1053.II.III. Nicolaus II.1059.IX. Gregorius Sept.1074.V. VII. Honorius Secundus.1127.I. Innoc. Secundus:1137.I.1139.IV. Hadrianus Quartus.1155. VI. Idq; legitime fieri posse defenditur contra Petrum Damianum: sed non licet per se arma vti. 1053.III. Bellum non esse Iudæis inferendum decreuit Alex.II.1069.I. Sacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ primus conclamauit Syluester II. Papa 1003.I. Suscipitur hortatu Vrbani PP. in Concilio Claromont. 1095.IV. Vide Terra Sancta.

Bellatores Episcopi. Vide Episcopi.

Bellouacense Concil.sub Carolo Caluo.in quo creatus Hincmarus Archiepisc. Rhemensis.845.III. Sub Henrico Rege, in causa Apostolatus S.Martialis, & aduersus prædones.1034.III. Sub Cononе Sedis Apostol. Legato aduersus Inuestituras laicorum.1114.III. Sub Ludouico VII. Rege, pro receptione Alexandri Papæ Tertij. 1161. I.

Benedicendi ritus apud Hebræos.34.LXI. Benedictiones in secundis mensis consuetæ.ibid. XIV. Benedictiones aquæ, olei, aliarumq; eiusmodi rerum, ex traditione Apost.132.II. Itemq; frugum.283. V. Decretum de his Eutychiani Papæ. Benedict. Apost. denegat Gregorius VII. Regi schismatico, & impertit Saraceno. 1076.LXI.

Benedictus Nursinus eremum quo anno petierit. 494.VI. Fit notus virtute miraculorum & monachos congregans, duodecim erigit monasteria.ibid. Multi falso asserti eius discipuli. ibid. VII. & 502.VIII. Petit Casinum & monasterium ibi erigit.529.V. Quo anno defunctus sit. 542.IV. Eius Regula confirmata in Concilio Rom.sub Gregorio Magn.595.VI. Vtrum, & quando eius corpus translatum fuerit in Gallias.664.IV.1088.II.1107.I. Vide etiam Casinense Monast.

Post obitũ insurgit vindex aduersus Saracenos. 846.I. & Northmannos 1045.III. Frequens ad ipsius reliquias tam in Gallias, quam Casinum peregrinatio.996.VI.998.IV. Et alibi sepissime multi falso asserti eius discipuli. 58.V.

Benedictus Abbas in Anglia, monachismum ibi mirifice propagat, & sancte quiescit. 703. IV.

Benedictus I. creatur Rom. Pont.573.I. A Gracis nominatur à cognomento Bonosus.ib. Moritur. 577.I.

Benedict.II. creatur.684.I. De eius epistolis in Hispaniam missis.ibid.II.688.I. Redditur ei à Cõstantino Imp. ius confirmationis Rom. Pont. à prædecessoribus vsurpatum. ibid.I. itemq; dantur ei ab eodem Imp. filij sui in filios, per missionem capillorum eorum.ib.IV. Moritur, & colitur inter Sanctos. 685.III.

Benedict.III. innocentissimus creatur, & licet factiosis resistentibus coronatur.855.V. Moritur.858. I.

Bened.IV. sedet.905.III. Moritur.907.II.

Bened.V. eligitur à Romanis, & paulo post ejcitur iniuste ab Ottone Imp.964.III. Ducitur in Germaniam, atq; ibi moritur martyr: ossa vero referuntur Romam. 965.I.

Bened.VI. creatur.972.I. A Bonifacio inuasore in carcerem detruditur, ibique strangulatur. 974. I.

Bened.VII. ex Sutrino Episc. creatur Rom. Pontifex, post expulsum ab eo Bonifacium inuasorem. 975.I. Moritur. 984.I.

Bened.VIII. eligitur ex Portuensi Episcop.1012.I. Pulsus à Gregorio schismatico, confugit ad Henricum German.Regem.ibidem. Restituitur ab eo, ipseq; eum coronat Imperatorem. 1013.II. 1014.I. Saracenos debellat.1016.II. Iudæos, Christi Imaginem deludentes, decollat.1017. II. Conuenit Imperatorem in Germaniam, & quæ causa eius itineris.1019.I. Moritur & liberatur à purgatorio precibus S. Odilonis. 1024.I.

Bened.IX. adhuc adolescentulus intruditur in Sedem Apost. & tamen agnoscitur ab vniuersa Ecclesia. 1033.II.

Dispensat cum Casimiro regni Poloniæ hærede, monacho & diacono, sub conditione census regni, & aliis.1041.II. Ob turpiss. vitam ejcitur, & reductus iterum pellitur.1044.II. Rursum inuadit, & deturpat Sedem.1047.IV.1048.I.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Moritur & damnatur ad inferos. 1054. VI.

Benedict. alius intruditur, Mincius anno a dictus. 1058. II. Excommunicatus à Nicolao. II. se abdicat, & veniam petens, sacerdotio deponitur. 1059. I.

Benedictus Leuita collector legum Caroli Magni, & Ludou. Pij Impp. 819. III.

Benedictus puer 12. annorum, mirabiliter construit pontem Auenionensem. 1177. XV. Aliumque Lugduni cum Xenodochio. ib. Sancto fine quiescit. ibid.

Benefactorum Ecclesiæ origo. 502. VI.

La à Regibus accipere, vetitum legibus Eccles. 541. VIII. Vide etiam Episcopatus & Inuestituræ.

Passim occupata à laicis. 1007. III. Vide Bona Eccles.

Clodoueus Franc. Rex in Gallia Childerico patri succedit. 484. in fi. Licet adhuc Gentilis, maxime tamē veneratur SS. Genouefam virg. & Remigium Episc. Rhem. ijsq; munera confert. ibid. Vincit Syagrum, & militem sacrilegum punit. 489. IV. Ducit vxorem Clotildem, Christianam feminam, & ob filios ab ea baptizatos nōnihil ei succenset. 494. IV. In prælio aduersus Alemannos periclitans, votum edit de suscipienda fide, & post victoriam, baptizatur à S. Remigio. 499. IV.

In eius institutione Christus apparet, & in baptismo Ampulla chrismatis ore columbæ cœlitus demittitur. ibid. V. Multa dona Ecclesiis impertitur, & olim ablata restituit. ib.

Bellum religionis Cathol. zelo aduersus Gothos Arianos suscipit, & feliciter conficit, comitantibus miraculis; propriaq; manu Regem Alaricum occidit. 507. I. II. Respuit Consulatum ab Anastasio hæretico Imp. oblatum. 508. I.

De bello ab eo cum Theodorico Rege Italiæ gesto. ibid. III. V. Sanatur mirabiliter à S. Seuerino Abbate. ibid. V. Coronam Auream mittit ad Hormisdam Papam. 514. II. Moritur. ibidem. IV.

De eius progenie quid vaticinetur S. Remigius. ib. V.

Clodoueus II. succedit patri Dagoberto in parte Regni. 647. II.

Mortuo fratre Sigeberto, succedit in vniuersum. 657. IV.

Irreuerenter agens in sepulchrum S. Dionysii, diuinitus punitur. 660. I.

Eximit eius monasterium ab aliorum dominio. 662. I.

Moritur, & verum mente captus fuerit. 664. III. 660. I. Eius vidua diuinitus monetur abdicare ornatum regium. 665. II. de eius filiorum successione. 668. IV. 671. I.

Clodoueus III. regnat. 688. II. Moritur. 692. VI.

Clotarius Clodouei Primi filius, victis Thuringis, Bertharij Regis defuncti filiam Radegundem, captiuam ducit, & demum in vxorem accipit. 527. X.

Ob necem intra Ecclesiam factam domini de Yuetot, minaces interdictionis regni literas ab Agapeto Papa accipiens, satisfacit. 535. XVIII.

Res Ecclesiæ sibi vindicans, acriter reprehenditur ab Iniurioso Episcop. Turonen. & resipiscit. 536. XIV. Diuinitus defenditur ab inuasione fratrum. 540. VI. Vna cum fratre Childeberto inuadit Hispaniam. 542. III. Eius incestus. 555. V. Contendit cum fratre Childeberto ob bona nepotis ipsorum. 556. III. Rebellantem Chramnum filium, sæpe in gratiam receptum, recidentemq; tandem in prælio captum comburit vna cum vxore & filiabus. 556. III. 564. II. Defunctis fratribus, & nepotibus solus potitur monarchia Galliarum. 562. I.

Sanctos viros colit. ibidem. Supponit collum feretro S. Medardi, cum duceretur ad sepulturam. 564. II.

Moritur, & sepeliri mandat in basilica prædicti Sanct. Medardi. 565. IV.

Clotarius II. relinquitur à Patre Chilperico moriente, infantulus nondum baptizatus. 587. VI. Bellans cum nepotibus vincitur. 601. VIII. adipiscitur solus monarchiam Galliarum. 614. V. Fouet literas, viros q; Sanctos. ibid. & VI. Regni consortem sibi allegit Dagobertum filiū. 626. V. Moritur. 631. II.

Clotildis siue Chrotildis, Christiana femina, nubit Clodoueo Francorum Regi Pagano. 494. IV.

Filios baptizat, & ob mortem primi, succenset ei Clodoueus. ibid.

Eum ipsa continue solicitat ad fidem & tandem attrahit. 499. IV.

Eo mortuo Turonos se recipit, & vsq; ad obitum Ecclesiæ S. Martini deseruit. 514. VII. Mortuo viro suo Clodoueo, sedat ciuile bellum filiorum. 540. VI.

Pius eius obitus, & dignæ laudes. 553. XXI.

Corpus Turonis defertur Parisios à filiis, sepeliendum iuxta coniugem. ibid.

Cluniacensis monasterij fundatio, quando & à quibus contigerit. 912. VI.

Eius nomen, & reformatio breui mirifice propagatur. 936. III. frequens eo fidelium peregrinatio. 1013. II.

Inita societas cum Casinensi Congregatione. 183. III.

Ecclesia construitur à fundamentis, pecunia Alfonsi Hispan. Regis. 1093. IV. Misere deuastatur à Pontio pseudoabbate: eaq; causa delata ad Sedem Apostol. terminatur à Papa Honorio Secundo. 1126. III.

Clypiacense Concil. prope Parisios; pro exemptione monasterij S. Dionysii. 662. I.

Cnapheus. Vide Petrus Cnaph.

Coddiani hæretici, secta Gnosticorum. 120. XVIII.

Codicis Theodosiani promulgatio, quando, & qualiter facta. 435. IV.

Alia eius editio facta ab Alarico Rege Gotho, per Anianum Cancellarium suum, approbantibus Episcopis. 506. II.

Codicis Iustinianei compilatio & editio, quando, & per quales homines facta. 529. VI.

Iterum auctus & emendatus editur. 534. V.

Cœmeteria plurima olim Romæ, & qualia. 226. III.

Ea diuersis aliis nominibus dicta. ibid. Fiebant quoq; in eis Synaxes tempore persecutionum; ideoq; prohibita sunt tunc Christianis, restituta vero in pace Ecclesiæ ab. & 255. V. 260. II. 262. III.

Eadem etiam posterioribus temporibus visitari à Fidelibus solita, ob corpora SS. Martyrum & Confessorum ibi condita. 226. III.

Cœmeteriorum diuisio à Dionysio PP. facta, quomodo intelligenda. 270. V. Vide etiam Sepulchra.

Cœna duplex, vel vnius cœnæ duplex mensa, in conuiuiis Paschalibus Iudæorum. 34. XI.

Cœna item duplex, Communis & Sacra, in antiqua Ecclesia; & quis earum vsus, abusus, & reformatio. ib. XVII. & LXXX. 57. XXXIX. & XL.

Cœna dicta Eucharistia. 34. XIII.

Cœnatoria vestis in vsu Iudæis in conuiuijs. 34. XII.

Cœnobitica vitæ semina iacta in communi vita priorum Christianorum. 34. LXXV. LXXVI.

Eius obseruatores Esseni, qui in AEgypto sub Marco Euangel. floruerunt. 328. III.

Antonius Magnus eius institutor habitus, sed potius est dicendus restitutor. ibid. Eius mira mox propagatio per vniuersum orbem. ib. III. & IV.

Institutio, vna cū vita Antonij, delata Romam ab Athanasio, & inde per vniuersum Occidentem propagata. 340. III.

Vide etiam Monachismus.

Cœnobitæ ex anachoretis, & contra anachoretæ ex cœnobitis, sæpe facti. 328. VI.

Cognationis gradus. Vide Gradus.

Cognationis spiritualis causa prohibita coniugia. 567. V. 721. I. Vide etiam Coniug. incest.

Cognitorum Iudicum quanam essent partes in Synodis, vel alijs Conuentibus Eccles. 411. IV. 431. VI.

Non intererant, cum quid mere ecclesiasticum secundum canones tractandum esset. ibid.

Colarbasius, qui & Bassus dictus, discipulus Valentiniani, vna cum impietatis socio Marco nouam hæresim excogitauit ex Græcorum alphabeto. 175. IX.

Colchi dicti populi; qui postea Lazi. 522. IV. Vide Lazi. Inuaduntur à Cosrhoe Persarum Rege. 554. II.

Eorum Rege Christiano, à Romani exercitus ducibus dolose necato, idem exercitus 50. millia militum, fugatur à tribus millibus Persarum. 555. IV.

Collatio famosissima Carthag. inter Cathol. & Donat. promouetur ab Augustino, iubetur ab Honorio Imp. sub directione Marcellini Tribuni & Notarij. 410. XI.

Quot Episcopi ex vtraq; parte conuenerint; quis seruatus ordo, & quomodo post varias terguersationes, Donatistæ disputare compulsi, causa ceciderint. 411. II. & seq.

Multa populi millia inde conuersa sunt, Episcopis in sua duritie permanentibus. ib. VI.

Alia itidem Carthagine, inter Cathol. & Arianos, sub Hunerico VVandalo dissoluitur malitia Arianorum. 484. VI.

Alia Constantinopoli cum Seuerianis, iussu Iustiniani; ex qua multi ad Ecclesiam redierunt. 532. III.

In Hispania cum Arianis, ex qua Reccaredus Rex cum omnibus suis subditis amplectitur fidem Cathol. 590. XIII.

In Anglia, cum Scotis de controuersia diei Paschatis. 664. II.

Parisijs, de Imaginibus; & quam ignoranter, seu malitiose, in ea collatores egerint. 825. I. & seqq.

In prouincia Tolosana, cum Albiensibus hæreticis, qui conuicti & damnati sunt. 1176. III. Vide etiam Disputatio.

Collectarum vsus in Ecclesia ad vsum pauperum ex institutione Apostolica. 44. XXXI.

Eæ nonnunquam veluti iure regio exigi solitæ. ibid.

Fieri consuetæ diebus Dominicis. 58. XXXV.

Collectæ Iudæorum prohibitæ ab Honorio Imperatore, & paulo post restitutæ. 399. XII.

Eas sibi vindicat Theodosius Iunior. ibid.

Quales eæ essent. ib. Collegia diuersa regionum Hierosolymis. 34. LXXXIX.

Colluthus presbyter Alexan. detegitur hæresiarcha, ac pro Episcop. sefalso gerit. 315. XII.

Damnatur ab Osio in Concilio Alexan. 319. III.

Colluthiani Arianis se, atq; Melitianis coniunxerunt. 315. XII. 335. I.

Collyridiani hæretici B. Virginem diuina, non humanæ naturæ participem esse dicebant. Appar. XX. an. 48. num. IV. & 373. V.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Colobium, quod genus vestis. 283. IV. *Eo tegenda corpora Martyrum.* ibid.

Colomanni regis prosapia Scot. viri sanctiss. martyrium. 1012. V.

Coloniæ Rom. quid differrent à Municipiis. 58. LIX.

Colonienſe in Germania Concil. sub Carolo Magno. 782. II.

Sub Ludouico Rege, pro disciplina Eccles. 870. III.

Aliud postea, aduersus raptores bonorum Eccles. &c. 887. II.

Sub Victore PP. II. pro stabiliendo regno Henrici III. adhuc pueruli. 1056. I. *Sub Legato Sedis Apost. contra Henricum IV. Imp.* 1115. II. *itemq; aliud.* 1118. VI. I. *Vide etiam Agrippinenſe Concilium.*

Color vestium antiquorum Christianorum, & clericorum, qualis. 57. XXIX.

Color albus vbiq; baptismi tempore. ibid.

Color niger irrepsit in Clerum cum monachatu. ibidem.

Colossenses, ad quos scripsit Paulus, quinam fuerint. 60. IV.

Colossa dicta postea Chonæ. ibid. X. *Terræ tremore prostrantur sub Nerone.* 62. II.

Colossus Rhodius, inter septem mundi miracula olim nominatus, terræmotu disiectus, distrahitur à Saracenis. 653. VI.

Columba visa egredi è templo Hierosol. tempore Passionis Domini. 34. XXXVII. *E sublimi deuolans in caput Fabiani, eum ordinandum Papam designat.* 238. III.

In ordinatione presbyteratus Chrysostomi, repente deuolans, stat supra caput eius. 386. XII.

Columbæ aureæ in antiqua Ecclesia, ad seruandam in basilicis sacram Eucharistiam. 57. XLIV.

Columba visa deferre Ampullam Chrismatis ad vnctionem Regis Clodouei. 499. V.

Columbæ visibili signo, repletur Aredius Spiritus S. gratia. 595. XI.

Cur pingatur ad aurem S. Gregorij Papæ. 604. V. *Duæ visæ ad caput Eugenij Papæ celebrantis missam.* 1145. IV. *alia in miraculo SS. Eucharistiæ.* 1188. V.

Ligneæ super perticas apponi solitæ à Longobardis in suis sepulturis. 673. I.

Columbanus Abbas Hibernus Pictos ad fidem conuertit. 565. VI.

Monasterium extruit, cuius Abbati subiecti essent Episcopi. ibid.

Luxouiense construit in Burgundia, è quo pellitur in exilium à Regina Brunichilde, & praditionibus aliisq;, miraculis vbiq; claret. 612. II.

Erecto in Italia Bobiensi monasterio ibi sancte quiescit. 614. V.

Eius monastica instituta carpens Agrestinus monachus, diuinitus punitur. 617. II.

Columna, cui Dominus flagellandus alligatus fuit, corrigiis circumdari à Christianis solita, quibus morbi pellerentur. 34. XXVII.

Columna cochlis, in honorem Traiani olim Romæ erecta, à Sixto PP. V. dicata S. Petro. 106. I.

Alia M. Aurelio erecta ob victoriam Marcomannicam, ab eodem Pontif. dicata S. Paulo. 176. III.

Columnarij monachi. Vide Stilitæ.

Columnæ cælestis indicio detectus Gregorius Magnus, cum se absconderet ne ordinaretur Pontifex. 590. VIII.

Alia indicatur sanctitas S. VVlstrani Angli. 849. IV.

Columnēſium nobilis familiæ Romanæ, prima memoria. 1100. II.

Comam nutrire, prohibiti clerici in Concil. Carthagin. IV. 398. XV. *Vide Capilli.*

Cometa sub Heraclio gladij forma meridie apparens signum inualescentis Arabum Imperij. 632. I.

Alius sub Constantino Pogonato; post quem secuta est triennij siccitas, & pestis sæuiss. 678. I.

Duo in Gallia circa solem, denuntiantes inuasionem Saracenorum. 729. III. *Sub Michaele Curop. in Oriente de malis à Bulgaris prouenturis.* 812. II.

Sub Ludouico Pio, præsagiens proximum eius obitum. 837. I. *Alius consignatus à Latinis & Græcis.* 1066. I. *Cometa sub Arcadio Imp. Constantinopoli portendens insidias Gainæ Gothi.* 400. VII.

Commodus Imp. succedit patri Marco. 182. II. *Monstrosissima eius vitia, & sacrilegia.* ibidem. *Deus dici vult, & vt Herculi sacra sibi fieri.* ibid. & 192. I. *Christianis parcens, in suos Gentiles diuinam nesciens agit vindictam.* 182. III. *Impensum colit sacra Isidis.* 189. II. *Turpiss. vitam agit, nihil de Imperio curans.* ibid. IV. *Periclitatur à Materno.* 191. III. *Romam incendere in animo habuit.* 193. III. *Coniuratione quorumdam, quos ipse decreuerat neci dare, strangulatur ab athleta.* 194. I. *Refertur inter diuos à Seuero.* ibid.

Commonitoriæ Literæ, quæ Legatis pro institutione dabantur. 142. VIII. 419. VIII. *Commonitorium Gelasij Papæ, Fausto datum pro refellendis Græcorum obiectionibus.* 493. III.

Communicatio cum Rom. Ecclesia. Vide Rom. Eccl.

Communicatoriarum Literarum vsus in antiqua Ecclesia. 142. VI. *Communicare nulli prorsus volebant quidam antiqui cerebrosi monachi.* 361. XI. *Communicatione laica tantum impertiendi sacerdotes lapsi.* 255. I. 258. I. 487. I. *Communicatio peregrina qualis, & quibus impertiretur.* 400. XI. 487. I.

Communionis Eucharistiæ varij antiqui ritus. 57. XLI. XLII. *Ea fieri solita sub vnica specie panis.* ibid. *Vide Eucharistia.*

Communionem intinctam non porrigendam, sancitum olim à Summis Pontif. 1118. I.

Communis Vita iniungitur canonicis ecclesiarum, ab Alexandro PP. II. in Concilio Lateran. 1063. VI. *Quas rebelliones ea de causa egerint canonici Lucenses, & quomodo puniti.* 1074. VI.

Amplectuntur eam in Germania omnes Catholici, tam Ecclesiastici, quam laici vtriusque sexus. 1091. III.

Compatres Francorum Regum Romani Pontif. 772. I.

Compendiensis Conuentus sub Ludouico Pio, ad expianda prodigia, & aduersus laicos bona Eccles. vsurpantes. 823. II. *Alius aduersus eundem Imp. à filijs eius habitus, quo & depositus est Imperio.* 833. II.

Compostella vrbs decorata Episcopatu à Leone PP. Tertio, ob inuentionem corporis S. Iacobi Apostoli. 816. III. *Frequentatur peregrinatione totius orbis.* ibidem. & 1123. I. *Eius Ecclesiæ Encænia.* 900. V. *Ei vectigalis facta Hispania in honorem S. Iacobi.* 844. V. *In direptione vrbis per Arabes, ecclesia seruatur illæsa à S. Iacobo, ipsique Arabes diuinitus pereunt.* 985. IV.

Erigitur in Metropolim à Calliſto PP. S. Iacobi studiosissimo. 1123. I.

Compostell. Concil. pro disciplina Eccles. 1056. V.

Conceptionis B. Mariæ festum, qua occasione celebrari cœptum. 1136. III.

Conciliabula hæreticorum, vel schismaticorum, vide sub singulis eorumdem, vel locorum nominibus.

Concilium intellexit Christus, Sanhedrin magnum Iudæorum 32. V. *Vide Sanhedrin.*

Concilia dicta Ecclesiastica. 57. XXXVIII.

Concilium Iudæorum, quo Christus reus mortis declaratus est, an haberet iudicium capitis. 34. XXV.

Concilij celebrandi typus à Christo expressus. 33. V.

Concilia ab Apostolis, quot, & vbi habita. 51. III. 58. XLVIII.

Conciliorum varia genera, & appellationes. 347. III.

Bis in anno celebrari iussa, in synodo Nicæna. 325. LXI.

Concilium vniuersale, absque auctoritate Romani Pont. colligi nefas. 325. V. 341. II. *in fi.* 342. VIII. 1159. IX. 449. VI. 450. V. 451. XV. *Ea indicere, & confirmare, atque infirmare, eisdemque præsidere, solius est Romani Pont. Vide Rom. Pont. Non est Imperatoris ea conuocare, sine consensu Romani Pontif.* 449. V.

Concilio Oecumenico opus non est, vbi Rom. Pontifex aliquid definierit. 449. I. *extra vrbem ijs interesse nisi per legatos non consueuit.* ibidem. IX.

Concilia quatuor priora Oecumenica, tanti æstimanda censuit Theodosius cœnobiarcha, quanti quatuor Euangelia. 531. IV. *Itemque Iustinianus Imp.* 541. IV. & *Gregor. Magnus Papa.* 591. III.

Concilia singula, vide sub singulis vrbium vel locorum, aut etiam rerum vel personarum, in quibus & de quibus habita sunt, literis ac nominibus.

Conciliorum frequentia ad mutandas fidei regulas sub Constantio Imp. vniuersam ferme perdidit fidem & Ecclesiam. 359. XXII. *Ea taxata etiam ab Ethnicis.* ibid. XXI. I.

Concilia particularia cogi solita in Occidente, cum in Oriente Oecumenica celebranda essent, vt communi nomine mitterentur Legati. 451. III. 679. I.

Concilia celebrari solita in Secretariis ecclesiarum. 451. X. 680. IV.

Concilia postulantibus hæreticis non concedenda in rebus iam definitis, aut alioqui receptissimis. 457. VI. 476. III. *eorum confessus. Vide Confessus & Episcopi.*

Concubinatum Constantinus Mag. sustulit. 326. XVII.

De concubinis quid statutum in Concil. Tolet. Primo. 400. III. *Vide Coniugium. Continentia.*

Concubitus illegitimos, bonum esse, asseruerunt Nicolaitæ hæretici. 68. V.

Concubitus promiscuos in suis synaxibus Gnostici egerunt. 120. XIV. *indeque Christiani omnes à Gentilibus eius turpitudinis insimulati.* ibidem. XV. *Vide Turpitud. Libidin. Nicolaitæ. Exoleti.*

Concupiscentiæ omnis hominem expertem esse posse vi liberi arbitrij, docuit Pelagius. 415. V.

Confessionis peccatorum, siue publicæ, siue secretæ, institutio & vsus. 34. LVII. 56. V. & *seqq.*

Obiectiones ex antiquis auctoribus diluuntur. 56. VIII. & *seqq. Eam non esse faciendam hominibus, sed soli Deo, apud Scotos*

quidam

quidam olim prædicarunt: quam hæresim, in ipso ortu, Alcuinus extinxit. 778.VI. Cuilibet homini rite fieri posse, dixerunt Albienses. 1176. II.

Publica à quibusdam, maioris erubescentiæ causa, laudabiliter posterioribus temporibus facta. 1015.I. 1087.VII. 1183.II. 1190.II.

Confessores, quinam dicerentur antiquitus. 194.I. 253.XI.

Confessoriæ Literæ, quæ dabantur à Confessoribus in carcere detentis; earumque antiquus vsus. 142.VIII.

Confluent. Concil. pro disciplina Eccles. 912.IV.

Conuentus pro electione Regis Romani. 1139. I.

Confirmationis Sacramentum. Vide Chrisma.

Confirmatio Synodorum Oecumenicarum solita peti à Romano Pontif. 451.XXXII. Vide in Concilium Vniuers.

De Confirmatione item Patriarcharum Orientalium, vide sub nominibus earum sedium.

Confraternitas Mortis. Vide Mortui. & Sodalitium.

Coniugatorum leges à Paulo expressæ. 57. XIII.

Coniugatorum continentia. Vide Continentia.

Coniugatis præpositi virgines, & vidui. 57. XVIII. Vide Virginitas.

Coniugati sæpe olim ordinari soliti, sed mox vsu coniugij abstinere, fuit perpetua ab ipso initio praxis vniuersalis Ecclesiæ: soluuntur q3 contrariæ obiectiones. 58.VIII. & seqq. Vide Cælibatus. Continentia.

Coniugium qua ratione extulerit Augustus Imp. 11.II. Illud damnauit Marcion, & coniugatos saluari posse negauit. 146.VI.

Eius quoq3 renunciationem necessariam esse ad salutem, docuerunt Apotactici. 260.VIII. Et Eutactici. 319.VIII.

Illud idem damnarunt Saturninus. 120. XI.

Tatianus. 174.II.

Priscillianistæ, qui & coniuges à coniugibus aulserunt. 381.XVI.

Sicut & coniugij solutionem docuit Montanus. 173.V. & ad libitum dirimi posse, dixerunt Massaliani. 361.IX. Vide etiam Matrimonium Nuptiæ. Diuortium.

Coniugium consobrinarum, & sororum, apud quos populos olim prohibitum, & permissum. 390.X. cum fratris vxore, quo casu Iudæis permissum. 31. post num. XIX.

Aduersus coniugia illicita, celebratum Rom. Cõcil. sub Gregorio Secundo. 721.I. & sub Zacharia. 743.IV.

Eadem vetita in Concil. gener. Engelheim. 948. II.

Coniuge viuente legitima, aliam, priori reiecta, duci posse, asseruerunt hæretici. 809. I.

ob coniugium illicitum, Robertus Rex Franc. excommunicatur & ex eodem coniugio nascitur monstrum. 998.I. ob aliud eiusmodi coniugium Alphonsus Arago Rex, commination em accipit, priuationis regni, & diuinitus punitur. 1109.I. aliq3 Hispaniar. Reges, ex ijsdem causis varijs inmodantur censuris. 1198.IX. itemq3 Francor. Reges. 1094.II. 1095.III. 1198.VIII.

Coniugia incestuosa defensa à quibusdam Iurisconsultis, damnata ab Alexandro PP. in Conciliis Rom. 1065.III.

Punita diuinitus. 613.I. 1065.II. 1109.I.

Conon creatur Rom. Pont. 686.I. Eius Legatos Iustinianus Imp. præuaricari facit. ibidem. II.

Moritur. 687.I.

Conon ex eremita Cardinalis Episcopus Prænest. Legatione Apostol. fungens, multa per Orbem Concilia celebrat pro damnatione Inuestiturarum laicorum, & Henrici Imp. eas sibi vsurpantis. 1111.VII. 1114.III. 1118.VIII.

Oblatum Pontificatum recusat. 1119.II. Conon vide etiam Cuno.

Conradus Rex Germaniæ creatur à Principibus, & confirmatur à Papa. 1024.V.

Eius prima institutio sub Burchardo VVormatiensi. ib.

Retardatur electio ob incestuosum connubium. ibid.

Coronatur Romæ Imp. à Iohanne PP. 1027. I.

Diuinitus retrahitur ab inuasione Hungariæ. 1030.I.

Ioannem PP. pulsum à Romanis, restituit in Sedem. 1033.I.

Burgundiam à socero sibi relictam, armis vindicat. 1034.IV.

Rebelles Mediolanenses domat; sed ob pulsos Episcopos, patitur diuinam vindictam. 1037. I.

Ducem Beneuentanum tyrannidem exercentẽ, in ordinem redigit. 1038.I.

Moritur repentino obitu. 1039.I.

Conradus filius Henrici III. Imp. ob inauditas patris turpitudines, rebellat in eum: & captus mirabiliter liberatur: creaturq3 Rex Italiæ. 1093. II.

Stratoris officium exhibet Vrbano PP. 1095. II.

Moritur. 1101.IV.

Conradus creatur Romanorum Rex post mortem Lotharij Imp. 1139. I. Stat pro Rom. Pont. aduersus rebelles Romanos. 1144.III.

Crucem sumit pro expeditione in Terram Sanctam. 1146.I. Proficiscitur in Orientem, sed eius exercitus ferme totus perit proditione Manuelis Imp. Constantinop. 1147.I.III. Appellit in Palæstinam, & inglorius redit in Germaniam. 1148.I. 1149.I. Fœdus init cum Manuele aduersus Rogerium Siciliæ Regem. 1149.I. Moritur. 1152.II.

Conradus Vrsperg. Abbas, peregrinatur Hierosolymam, cum expeditione Christianorum. 1101. III. in reditu petit Romam. 1102.I. in Germanos Imp. propensior. & in Rom. Pontif. parum æquus. 1105.I.IIII.III.

Conradus Moguntinus, consanguineus Friderici Imp. fortiter in eum agit pro Alexandro PP. multaq3 inde patitur. 1163.I.

Conradi Salzburg. Archiepiscopi constantia, & immensæ passiones pro defensione iurium Ecclesiæ aduersus Henricum Imp. schismaticũ. 1111. III. Alterius pariter, viri vndequaq3 præstantissimi genereq3 nobilissimi, contra Fridericum. 1166.II.

Consecrationes Ecclesiarum, & vasorum ministerialium, solitæ fieri antiquitus ritu solemni. 335. IX.

Consecrationis Ecclesiarum festa celebrata in antiqua Ecclesia. ab. Vide etiam Dedicatio, & Encænia. Et de consecratione Episcop. Vide in Episcopus.

Consecrat Ecclesiam suam Londoniæ solitis cæremonijs S. Petrus Apostolus. 610.VI.

Consessus ordo Episcoporum in Synodis qualis, quoad dextram vel sinistram attinet. 325.XVII. XVIII. 680.V. Item quo ad prærogatiuam aetatis, vel sedium. 451.III. 465.IV. 1075.VIII.

Consobrinarum nuptias, quinam prohibuerint, vel permiserint. 390.X.

Constans filius Constantini Magni, creatur à patre Cæsar. 335.I. Succedit patri in Italia, & multis aliis prouincijs Imperij. 337.VIII. Excusatur de bello in fratrem Constantinum, eiusdemq3 occisione: cui & successit in sortẽ Imperij. 340.XIII. Francos pellit à Galliarum inuasione, eosq3 fœderatos Romanorum facit. 341.XVI.

Bene habet Athanasium, fugientem ab Oriente. 342.VI. Laborat pro celebratione Concilij Sardicensis. 346.II. Scribit minaciter ad fratrem suum Constantium, pro restitutione Athanasii Alexandr. & Pauli Constantinop. 348. III. Mittit Legatos in Africam ad expungenda nomina pauperum, & alliciendos Donatistas ad vnionem. ibid. V. Occiditur in Gallia insidijs Magnentij ducis. 350.I. Martyr vocatur ab Athanasio. ibidem. Defenditur à calumnijs Ethnicorum. ibid.

Constans filius Constantini tyranni. Vide Constan. Britan. Ex monacho creatus Cæsar, malane cecidit. 411.VII.

Constans, nepos Heraclij, hæreticus Monothelita imperat, hæresimq3 valde propagat. 641.I. 642. II. Promulgat pro ea edictum, Typum dictum. 648.I. Martinum Papam, & Maximum Abbatem, ob damnatum Typum, crudeli mulctat exilio. 650.I. 651.II. Manichæos in Armenia comprimit. 653.VII. Victus nauali prælio à Saracenis vix mutata veste elabitur. 654.II. Munera mittit Romam ad S. Petrum, vt appareat Catholicus. 655.I. Et tributum pendit Saracenorum Rex. 658.II. sed paulo post resilit. 659.II. Fratrem suum, diaconum creatum, occidit, vnde continuis insomnijs exagitatus, secedit in Siciliam, & Imperium Syracusas transferre cogitat. 659.I. Visitat Limina Apostolorum, auferet aurea Vrbis ornamenta, Longobardos frustra bello tentat, & rediens in Siciliam, eam expilat. 663.I.II. Necatur in balneo. 668. I.

Constantia soror Constantini Magni nubit Licinio Imp. 313.I. Gignit Licinium iuniorem Cæs. 315. II. Agit pro Christianis aduersus maritum Ethnicum. 316.III. Fauet Eusebio Nicomed. Episcopo. 318.VIII. & ab eo defertur in partes Arij hæresiarchæ. 327.II. Moriens commendat fratri Constantino quendam presbyterum Arianum eiusq3 fidem. ibid.

Constantia filia Const. Magn. vlceroso morbo sanata ad sepulchrum S. Agnetis, virginitatem Deo vouet. 330.XII.

Constantia filia Constantij Imp. nascitur postuma 361.IV. nubit Gratiano Imp. ibid.

Constantia filia Rogerij Regis Siciliæ, nubit Henrico filio Friderici Imp. 1168.IV. An fuerit olim monialis. ibid. & seqq. Altercatur de successione Siciliæ cum Tancredo. 1189.IV. Coronatur Augusta, vna cum viro, à Cælestino PP. 1191.II. Capitur à Salernitanis, & mittitur ad Tancredum. ib. III. Liberatur ope Cælestini Papæ. ibid. Ob crudelitatem viri in Siculos, armat exercitum aduersus illum. 1196.II. Vtrum vere peperit Fridericum Secundum. 1197.III. Post viri obitum, obtinet ab Innocentio III. inuestituram Siciliæ. 1198.VI. Moritur. ibid.

Constantiense Concil. in Germ. sub Henrico Rege 1043.II. sub Legato Apost. Sedis, contra sacerdotes simoniacos, & incontinentes. 1094.I. Conuentus à Friderico Imp. habitus, pro stabilienda pace Longobardiæ. 1183.III.

Constantina filia Const. Magni, ob crudelitatem dicta noua Megæra. 330.XII. Datur in vxorem Gallo Cæs. patrueli suo. 351.I. Moritur paulo ante mariti

te maritis necem, & Romæ sepelitur. 354. II. 360. XII.

Constantinopolis olim dicta Byzantium. Vide Byzantium.

Constantinopolim qua occasione ædificauerit Constantinus Magn. & quæ mira tunc diuinitus acciderint. 324. XXXI. Dedicatur solemni ritu Deo, in honorem S. Virg. Mariæ, cuius & dicta est ciuitas. 330. I. II. Dies eius natalis anniuersaria commemoratione celebrari iussus. ibidem. I. in fin. Nona quoque Noua Roma: eamque antiquæ Constantinus æquare sategit spoliis eam omnium pene insignium vrbium ornans: sed non valuit. ibid. IV. Ecclesia & Cruces ibi erectæ. ibid. III. Ciuibus annona constituta. ib. V. Mulctatur à Constantio dimidia parte annonæ, ob turbas in Macedonij electione excitatas, & Ducem interemptum. 342. VII. Eius ciues Christiani coctio frumento vtuntur ex reuelatione Theodoti martyris, ne cibis immolatitijs à Iuliano Apost. expositis polluerentur. 362. IX. Ingenti errore concutitur sub Arcadio Imp. ob ignem cælestem apparentem ad emendationem populi. 396. III. Seruatur diuinitus ab incendio Gamæ Gothi. 400. VII. Conflagrat prodigiose, ob expulsionem Io. Chrysostomi. 404. VIII. Itemque postea ob fauorem Nestorio exhibitum. 433. I. Affligitur ob eamdem causam fame & peste. 445. II. Itemque horrendiss. terræmotu, qui tandem sedatus est per reuelationem Trisagij. 446. II.

Conflagrat prodigioso incendio sub Consule hæretico. 465. I. Acriter ciues tumultuantur in Imp. Leonem, ob creatum ab eo Cæsarem Arianum. 469. I.

Contumelijs impetant Anastasium Imper. hæreticum, qui dire in eos sæuit. 501. II. & 511. I. 512. I.

Liberatur grauissima peste immissa per Angelos malos, ope Deigenitricis. 543. III.

Ingenti terrore concutitur, ex diro terræmotu, & falsis proximi Iudicij prædictionibus. 557. I.

Affligiturque peste, fame, turpitudinibus, bello, & seditionibus 558. II III. ac rursum adeo terretur ex inuasione Auarum, vt cogitaretur de fuga in Asiam. 600. II.

Liberatur iterum ab obsidione eorumdem Auarum, virtute S. Deigenitricis. 625. II. Itemque ab obsidionibus Saracenorum. 672. III. 717. IV. Trecenta hominum millia peste & fame ibi pereunt. 717. IV. Pro defensione sacrarum Imaginum, fortissime agunt aduersus Impp. eorum oppugnatores. 726. III. V.

Direptioni militum exponitur à Copronymo Imp. ob receptum Artabasdum. 743. V. Pene deserta redditur à peste Bubonis. 746. I. obsidetur à Thoma tyranno sub Michaele Balbo, sed liberatur per Bulgaros. 822. II. Concutitur alijs dirissimis terræmotibus. 789. I. 861. IV. 862. I. 986. II. 1011. V. Concessum in ea Saracenis Oratorium. 917. III. 1187. II.

Constantinopol. Conciliabulum Eusebianorum sub Constantino Mag. aduersus Marcellum Ancyræ Episcopum Orth. 336 V.

Acacianorum sub Constantio, aduersus Semiarianos: quo inter alias blasphemias, nomen Hypostasis in personis diuinis abdicatur. 359. XX.

Aliud sub Arcadio, quo Chrysostomus pulsus est in exilium. 404. V.

Sub Heraclio, pro confirmatione impiæ Ecthesis Monothelitarum. 639. I. Sub Iustiniano Iuniori, Erratica Synodus dicta, pro Appendice ad Synodos Quintam & Sextam Oecumenicas, vnde & Quinisexta quoq; dicta est. 692. I. & seqq. Vide Quinisexta Synodus. Sub Philippico Bardane post restitutionem hæresis Monothelitarum. 712. I. sub Constantino Copronymo, Septimum Oecumen. ab eis dictum, aduersus sacras Imagines, & Sanctos. 754. VI.

Damnatur à Stephano Papa, & Patriarchis Orientalibus. ibid. VII. & in Concilio Rom. sub alio Steph. 769. II. itemq; in septima legitima Nicæna Secunda Synodo. 787. V. Sub Nicephoro, duo Concilia Adulterantium. 806. II. 809. I. Sub Leone Armeno, aduersus sacras Imagines, & pro damnatione Nicænæ VII. Oecumen. Synodi 814. III. A Photio intruso pseudopatriarcha aduersus Ignatium expulsum: quod Nicolaus PP. vocat latrocinale Concilium. 861. I. II. Aliudq; aduersus eumdem Nicolaum. 867. VII.

Huius Acta comburuntur Romæ, & Constantinopoli. 868. III. 869. VI. Rursum aliud, Octauum falso dictum, quo abrogata est legitima Octaua Synodus. 879. V. Damnatur à Ioanne Papa. 889. I.

Constantinopol. Concilium Oecumenicum 150. Episcoporum, ad confirmandam fidem Nicænam, indictum à Damaso PP. conuocatum à Theodosio Imp. 381. II. Damnati in eo Macedoniani, vna cum alijs omnibus hæreticis & additũ Symbolo Nicæno, de diuinitate Spiritus S. ib. V. Cõfirmatur à Damaso in his quæ spectant ad fidem Cathol. ib. VI. Canon eius assertus de prærogatiua sedis Constantinop. cuius fidei. ibid. V. 403. IV. 426. II.

Quæ ibi turbæ ob successionem Meletij Antioch. contigerint, ob quas etiam Gregorius Naz. se abdicauit. ibi. VII. & seqq. Aliud sub eodem Theodosio, ad quod vocati præcipuarum sectarum Episcopi spe concordiæ: sed frustra. 383. VII.

Itemque aliud in Encæniis Ecclesiæ Ruffinianæ. 394. VI. Sub Arcadio, pro electione Ioannis Chrys. 397. XX. A Chrysostomo, in causa Episcoporum simoniacorum. 400. XIII.

A Proclo, in causa distinctionis diœceseon Alexandr. & Antio. 439. IX. A Flauiano aduersus Eutychetem hæresiarcham. 448. III. aliudque rursum contra eumdem. 449. II. Sub Legatis Apostol. Sedis, aduersus Nestorianos & Eutychianos. 450. VI. Sub aliis eiusdem Sedis Legatis, pro confirmatione Chalcedonensis aduersus Eutychianos. 459. I. Sub Acacio, contra Petri Fullonis Theopaschitarum hæresim. 483. IV.

A Ioanne Episcopo pro referendis in Diptycha nominibus Orthodoxorum erasis sub Anastasio Imp. hæretico, & abradendis hæreticorum. 518. VI.

Ab Epiphanio, pro mittenda professione fidei ad Rom. Pont. 520. X.

A Mena, & aliis Apost. Sedis Legatis, aduersus Anthimum, Seuerum, aliosq; hæreticos. 536. X.

A Vigilio Papa, in causa Trium Capitulorum. 547. III. 551. II.

Oecumenicum, dictum Quintum, in causa Triũ Capitul. & errorum Origenis. 553. III. Vide Quinta Synodus. Aliud prouinciale in causa Gregorij Episcopi Antiocheni, sub Ioanne Ieiunatore. 587. I.

Oecumenicum Sextum, contra Monothelitas. Vide Sexta Synodus.

Sub Methodio Patriarcha, pro confirmatione Nicænæ Oecum. VII. Synodi, & restitutione sacrarum Imaginum. 842. III.

Sub Ignatio, in causa Gregorij Syracusani, quæ ad Rom. Pont. delata est. 854. II.

Oecumenicum Octauum, contra Photium, eiusque schisma. 869. II. Vide Octaua Synodus.

In controuersia de Polygamia. 921. I. Pro consecratione Theophylacti Episcopi. 944. I. Pro depositione Basilij Patriarchæ crimina accusati. 975. III. Sub Luca Chrysoberge Patriar. 1145. V. 1148. XIV. & 1166. VII.

Constantinopol. Ecclesia à quo fundata. Vide Byzantium. olim subiecta Heracleensi. 314. XV.

Turbatur ob electionem Macedonij hæretici in Episcopum eius ciuitatis. 342. VII.

Dirissimam persecutionem patitur ab eodem Macedonio. 351. XII. itemq; ab Arianis sub Valente Imp. 370. VI. Ei subuenit Damasus PP. ib.

Reparatur à Gregorio Naz. 378. XIV. & Theodosio Imp. 380. II. Grassationem sacrilegam patitur in expulsione Chrysostomi. 404. V. itemq; incendium cæleste. ibid. VIII. aliaq; dirissima à persecutoribus. ibid X.

Cædibus polluitur sub Nestorio. 431. II. Auxilium petit à Rom. Pont. aduersus Eutychianos. 475. VII. Eius maioris Ecclesiæ numerus clericorum, à Iustiniano Imp. constitutus. 535. I.

Itemq; ab Heraclio. 638. I. Turbatur ob subintroductam pellicem à Constantino filio Irenes. 795. I. 806. II. 809. I. item ob quadrigamiam Leonis Sap. Imp. 901. II. 921. I.

Decius prærogatiua post Romanam, canon assertus Concilij Constantinop. Oecumenici, cuius fidei. 381. V. 403. IV. 426. II.

Eius Episcopus in Conciliab. Ephesino, postponitur Hieroselymitano. 449. IX. prædicta eius prærogatiua firmatur in Concilio Chalced. resistentibus Legatis Apostol. Sedis. 451. XXXI. Irritatur à Leo. Papa. 452. III. 453. V.

Itemq; Marcianus Imp. 454. III. & Gelasius Papa. 494. III.

Renouat Iustinianus propria præsumptione. 541. IV. Ex quo tempore cæperit in deterius labi, & communicatio cum Ecclesia Rom frigescere 692. V. Vide etiam Græci, & Orientalis Eccl.

Sedet in ea femina Patriarcha, & inde à schismaticis calumnia in Rom. Ecclesiam de Papissa Ioanna. 853. VI.

Summa eius inuidia in Rom. Ecclesiam. 869. XV.

Quando penitus defecerit ab eius communione 1009. I. 1155. VIII.

Constantinopol. Episcoporum successio ante Constantinum. Vide Byzantium. Ii postea sepeliri soliti in Ecclesia Apostolorum, in qua & Imperatores. 337. III. Sibi subijcere conantur Ecclesias Illyrici. 421. II. & Hellesponti. 426. VI. & Bulgariæ. 869. XIII. vide etiam supra in Constãtinop. Eccles. Oecumenici nomen sui vsurpantes, retunduntur à Rom. Pontif. Vide Vniuersalis. Cõsecrari soliti ab Episcopo Heracleæ. 966. I.

Eorum index, confirmator, ac depositor, Rom. Pont. 342. VII. VI. I. 404. VI. 406. III. 407. VII. 430. II. 434. I. 450. II. 483. III. 484. IV. 494. III. 520. II. 536. V. 551. II. 587. II. 599. IV. 648. II. 730. I. 785. I. 863. I. 867. XI. 878. I. 886. I.

Consueuerant singuli à Rom. Pont. petere vsum Pallij, quem postea eis in perpetuum concessit Ioannes X. tyrannice ad id coactus. 934. I. Iidem soliti à Rom. Pontif. vicariam potestatem in rebus ad hæreses, & vniuersalis Ecclesiæ negotia pertinentibus, accipere: puta Anatolius. 456. II. Acacius. 477. II. Epiphanius. 521. II. Menas. 536. X.

Constantinus Magnus postea dictus, Constantij Chlor. Imp. filius Romæ detinetur in custodia à Galerio specie religionis. 306. II. Fugit ad patrẽ in Britanniam. ib. Succedit ei in Imperiũ. ib. III. Eius gentis paternum, & maternum. ibi. V. Quo tẽpore, & ætate sumpserit Imperium. ib. IV. VII. 307. III. Francos & Alemannos vincit. 307. II.

Ducit in vxorem Faustam filiam Maximiani Herculij.ibid.III.Habuit priorem vxorem Mineruinam,& ex ea filium Crispum.ibid. Herculium fugat, ob insidias ab eo sibi structas,& mori compellit.ibid.IV. Quibus causis motus ad bellum Maxentio inferendum.312.III. Crucis signum ei apparet.ibid.IV. Labarum cruce,& Christi nomine ornatum,fieri curat.ibid. Victoriæ de hostibus,& triumphus ibid.VIII. Agnoscit se virtute.S. Crucis Maxentium vicisse. ibid.X.

Qua tunc rescripserit,pro Christianis.ibid.XI. Qua ratione retinuerit posthac titulum Pontificis Maximi.ib.XII. Sororem suam Constantiam nuptui dat Licinio Imp. 313.I. Vna cum eo rescribit pro Christianis.ibid.II. Sæculares ludos celebrare contemnit,magno Gentilium mœrore. ib.III. Defenditur à calumnijs Zosimi historici. 306.VI.313.III.315.III.IV.318.II. 330.VI. VII. Irascitur Donatistis, quod ipsum interpellarent in rebus Ecclesiasticis,eorumque causam aduersus Cæcilianum committit Episcopis. 313. IV.V.

Rursum acriter in eosdem inuehitur,quod à iudicio Episcoporum appellassent.ibid.IX. iterumque eorum iudicium defert Episcopis apud Arelatem.314.IV. Demum ab eis coactus,ipsemet de causa cognoscit,tamque in fauorem Cæciliani definit. 316.VII. Calumniam ab eis passus, quomodo cum eis egerit. ibidem. VIII. Donat Melchiadi PP. Palatinum suum Lateranense. 313.VI.

Insidijs petitus à Maximino Imp. visione diuina euadit periculum.314.II. Celebrat Christiano ritu Decennalia Imperij sui. 315.I.

Creat Cæsares, Crispum & Constantinum filios suos,& Licinium Iuniorem filium sororis suæ.ibid. Eius munificentia in omnes,& laudabiles leges ea de re,atque etiam propudicitia.ib. III.IV.V. Iudæorũ in Christianos proclicta seuerissime punit ib.VI. Concedit Episcopis Cathol. manumittere in Ecclesia.316.IX. Leges aduersus calibatum abrogat.320.II. Diei Dominicæ feriationem,& feriæ sextæ,omnibus proscribit. 321.VI.

Permittit omnibus,bona sua testamento relinquere Ecclesijs.ibid.VII.Rescribit pro clericorum à muneribus immunitate.319.XI.330.XIII.& pro amplissima Episcoporum iudiciali potestate. 319.XI.326.XIX. Bellum infert Licinio pro defensione religionis Christianæ.316.II.III. Eum variis præliis,cælesti auxilio vincit.317.I.II.318. I.II.III.ac post renouata fœdera,iterum res nouas molientem relegat,& tandem mori cogit. ib.II. quam mitis erga hostes.ibid. Monarchiam consequitur vniuersi Imperij Rom.& pacem Ecclesiæ vbiq; restituit.ibid.IV. Vincit Sarmatas. 319.I. In cunctis bellis à Deo protegitur.ibi.Rescribit aduersus aruspices. 319.XI. & contra maleficos & incantatores. 321.VII. Scribit ad Alexandrum Episcopum Alexan.& Arium pro conciliandæ ipsorum discordia. 318.XI.XII. Contemptus ab Ario,publicas in eum literas inuectiuas scribit.319.II. Donatistas ab exilio reuocat.321.I.Rescribens pro Aruspicina grauissima inde patitur,321.VIII.IX.Crispum filium, Licinium nepotem,& Faustam coniugem necat.324.I.& seqq. Baptizatur in expiationem tot scelerum,& pariter mundatur à lepra,& quo tempore & loco id contigerit.ibi.VI. vsque XIX. multa pia sancit pro fide Christi,& aduersus idololatriam:multasq; Ecclesias extruit, & dotat.ib.XIX.& seqq.stratoris obsequium exhibet Siluestro Papæ.ibid.post num.XIX.Hortatur omnes ad fidem,sed neminem cogit. ibid. XX. Abstinet in Occidente à donarijs templorum,sed non in Oriente.ibid.XXI.Noluit suis ædificijs nomen suum insculpi.ibid.XXII.Eius Edictum de Donatione facta Eccles. Roman. expenditur. 324.XXIII.& seqq.

Consilium init de noua Vrbe condenda,in quam transferat Imperium,& post tentatum Ilium, diuinitus eligit Byzantium.324.XXXI. Ab eo quomodo dicatur indictum Concilium Nicænum.325.V. Libellos criminationum ab Episcopus sibi in alterutrum oblatos,non lectos comburit.ibid.XII. Quantam reuerentiam sacerdotali dignitati exhibuerit.ib. Quæ fuerint eius partes in Synodo. ibid.XIV.

Post finitam Synodum,muneribus honorat Patres,& frumenti annonam largitur cunctis vbique Ecclesiæ ministris,& sacris virginibus. ibid. L.

Celebrat Vicennalia Imperij,& filium Constantinum Cæsarem creat.325.L. Rescribit aduersus Ludos gladiatorios.ibid.LII. Supplicium Crucis abdicat.ibi.Legationes vndiq; ab exteris gentibus recipit. ibid.LIII.

Eius Lancea in similitudinem Crucis facta,ad Imp.Germanos translata, ibid.LII. Hæreticos omnes à priuilegijs Catholicorum excludit,& diuersis oneribus obligat,ac conuentus agere prohibet,sicq; plurimas eorum sectas magna ex parte delet 326.IV. Nouam ciuitatem Hierosolymam construit ad sepulchrum Saluatoris.326. VI. Quid egerit de parte Crucis,& Clauis Domini,ab Helena matre ei datis.ibid.X.XI.Ecclesias Christianorum ritu in Oriente erigit. ibid. V.VI.Templa idolorum,libidinum promptuaria demolitur,& impudica sacra,occultasque turpitudines,& concubinatum proscribit.ibid. XV.XVI.XVII.

Constantinopolim dedicat,& varie ornat.330.I. & seqq.sed carcerem,vt erat,humilem relinquit.ibid.V. Fuit amator bonarum literarum, & artium 330.IV. Ipseq; dicendi peritus,multas orationes conscripsit.337.VII. Nouos Magistratus creauit.330.VI.Defenditur à calumnijs de Chrysargyri,& Follis exactionibus.ibid.VII. & seqq.Scythas,siue Gothos,sub tributo redigit. ibid.X. Celebrat Tricennalia Imperij,& Constantem tertium filium,creat Cæsarem. 335. I.

Creat item Cæsarem Dalmatium filium fratris sui.336.XII. Legatos suscipit cum muneribus ex India.ib.XI.Imperium partitur inter filios.ibid. Calumnijs Eusebianorum in Athanasium fatigatus,tandem relegat eum Treueros. 336.II.Excusatur de eo facto,deq; aliis Orthod. Episcopis similiter in exilium pulsis.ibid.III.VI. VII.X.

Construit Ecclesiam Apostolorum,in qua sepeliretur,& sic particeps post mortem fieret precationum quæ ibi à Fidelibus offerrentur. 336. XIII.

Reliquias Apostolorum eo transfert. ibidem. Sepulturæ Fidelium insigniter prouidet.ibidem. XIV.

Vbi,quando,quomodo,& quo ætatis vel Imperij anno,mortuus sit.337.I.II.Funus regium,& sepultura.ibid.III. A Græcis cultus vt Sanctus: & quid sit quod Eutropius ait,eum inter diuos relatum.ibid. Eius virtutes ab Ethnicis quoque expressæ: & defenditur ab accusationibus Victoris,& Iuliani Apost.ibid.IV.& seqq.Coronam lauream Imp.cur in gemmeam mutarit.ib. VI. Creditus veneno potatus à fratribus.ibid.XI.Ob translatum corpus eius à Macedonio hæretico Episcopo,ingens excitatus tumultus Constantinopoli.351.XII. Eiusdem lancea & ensis delatus ad posteros,perueniunt ad Henricum German. Regem. 929.II.

Constantinus Iunior,filius Magni,creatur à patre Cæsar.315.II.Vincit diuina virtute Alemannos, Britannos,& alios barbaros.337.XVIII.Succedit patri in auita sorte.336.XI.337.VIII.Restituit Athanasium exulantem Treueris; in suam Ecclesiam Alexandr.338.I.Bellum mouet fratri Constanti,& ab eius militibus occiditur. 340.XIII.

Constantinus genere Britannus,vna cum filio Constante,Imperator acclamatur aduersus Honorium Aug. 407.VIII. Immittunt barbaros in Hispanias,qui eas occupant.409.V. Qui filium è monasterio eduxerat,ipse ne occideretur compellitur fieri presbyter,& nihilominus vterque mala nece perit. 411.VII.

Constantinus Heraclij Imp.filius,quarto regni mẽse moritur. 641.I.

Constantinus,Pogonatus cognomento à barba dictus,patris insectoribus tyrannoq; Mezentio, ecciss,imperat.668.II.Fratres in collegas assumit. ibid.

Pacem Ecclesiæ restituere satagens,omnia ei prospere aduersus Imperij hostes succedunt. 672. III.676.III.

Agit apud Rom.Pont.pro celebratione Concilij in causa hæresis Monothelitarum.678.II.Eligit tributum soluere Bulgaris Imperium inuadentibus,vt quies daretur celebrandi Concilij.ibid. III.

Edictum promulgat de fide Catholica,in Sexta Synodo stabilita. 681.X.

Liberat Ecclesiam Rom.à pensitatione pecuniæ pro ordinatione Pontificis. ibid.XII. Itemque à iure confirmationis eiusdem Pont.tyrannice à prædecessoribus vsurpato. 684.I.

Redigit in ordinem fratres suos,resnouas molientes.681.IX. Moritur. 685.I.

Constantinus Copronymus,filius Leonis Isauri,nascitur. 719.III.

In baptismo stercus egerens,inde Copronymi cognomen habuit,futuræq; impietatis augurium dedit.ib.Infantulus coronatur Imp.720.I. Ducit vxorem Irenem,filiam Chaiani Regu.732. I.

Mortuo patre,solus imperat.741.I.Quã impijs, & impuris moribus fuerit,& quæ ei inde cognomina indita. ib.& 775.II.

Pellitur Imperio ab Artabasdo cognato suo. 741.I.

Restituitur. 743.V. Donat quædam Ecclesiæ Rom. ibid.VI.

Concilium colligit aduersus sacrarum Imaginum,& Sanctorum cultum. 754.VI.

Iuramentum exigit ab omnibus aduersus imagines,& monachos,quos & diris modis persequitur.ab.VIII.Frustra tentatur reduci à Rom. Pontificibus.743.VI.754.VII.757.I.Nestorianum quoq; se patefacit.763.III.Fœdera cũ dæmonibus occulte sancit.765.I.Triumphat de Bulgaris. 763.I.

Ingentem amittit classem naufragio. 766.I.

Horribilia sub eo prodigia.742.I.746.I.749. I.763.III. Ecclesias profanat,SS.intercessiones edicto prohibet,Reliquiasq; exturbat. 765.I. 766.I. Legationem cum muneribus mittit ad Pipinum Franc.Regem.766.II.Brumalia more Gentilium celebrat.767.III.Horrendis blasphemijs impetit S. Dei genitricem. 741.II. 767.IV. Dire rursum persequitur monachos. 771.I. Moritur in expeditione Bulgarica,deq; sui æterna damnatione,ob blasphemias in B. Virginem,conqueritur.775.I. Scripta eius ibid. II. Sepultura,& effossio. ibid. Inuocatur à suis,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& miraculum consingitur. 813.I.

Constantinus, filius Leonis & Irenes, adhuc puerulus coronatur à patre Imp. 776.I. Succedit patri, sub regimine matris. 780.III. Vide Irene. Contrahit sponsalia cum filia Caroli Magni, sed ea dimissa, cogitur à matre aliam ducere. 781.II. 788.I. Insidias matri tendens, ab ea castigatur, & inclusus tenetur. 789.I. Imperat solus absque matre. 790.I. Eius crudelitas in patruos. 791.I. Reiecta legitima vxore, aliam ducit: vnde à multis anathematizatur, ipse vero in eos persecutionem mouet. 795.I. Rursum tentus à matre, excæcatur, & inde moritur. 797.I. Eum se postea fingens Thomas tyrannus, dat pœnas sub Michaele Balbo. 822. II.

Constantinus filius Basilij Macedonis, à patre adsciscitur in collegam Imperij. 868.I. Moritur. 878.IV.

Constantinus Porphyrogen. imperat sub tutoribus. 912.III.

Fatigatus à tyrannis, collegam sibi assumit Romanum Patricium. 919.I.

Redactis in ordinem Romano cum eius filiis, solus imperat. 944.IV.

Moritur, veneno potatus à filio, ob diuturnum imperium. 960. III. Eius virtutes, & vitia. ibid.

Constantinus & Basilius fratres Impp. Vide in Basilii. & Constant. Mortuo Basilio, Constantinus solus regnat. 1025.III. Populum tributis vexat. ibid. Moritur. 1028.IV.

Constantinus Monomachus ab exilio vocatur ad Imperium. 1042.II.

Ob pellicem subintroductam, periclitatur à populo. ibid. Ostendit se propensiorem erga Rom. Ecclesiam, aduersus schisma Graecorum. 1053.V. 1054.II. Moritur. 1054.VII. Eius vitia & pia opera. ibid.

Constantinus Ducas creatur Imp. 1059.XI.

Pietate debellat diuinitus sexcenta millia Scytharum. 1065.VII. Moritur. 1067.III.

Constantinus Rom. Pont. creatur. 708.I. Accersitur à Iustiniano Iuniori Imp. ob controuersiam de canonibus Synodi Quinisextæ, & miro honore in itinere à magistratibus, Constantinopoli à Clero & Senatu, & Nicomediæ ab ipso Imp. excipitur. 709.I.II. 710.II. Satisfacit Imperatori, de non recipiendis ijsdem canonibus. ibidem. III. Reuertitur Romam. 711.II. Agit viriliter cum Clero & populo, aduersus Philippicum Bardanem Imp. haereticum. 712.II. Moritur. 714.I.

Constantinus pseudopapa intruditur à Totone Duce Nepesino ipsius fratre, post obitum Pauli Pont. 767.II.

Pellitur à Christophoro Primicerio, occiso quoque Totone. 768.I. Damnatur in Concilio, & monasterio includitur, indeque à militibus extractus, excæcatur. ibidem. & 769. I.

Constantinus electus Antioch. Patriarcha quod factiosus esset, detinetur in carcere. 686.III. creatur Patriarcha Constant. 664.I. Moritur. 666. I. Constantinus alius Patriarcha Const. intruditur propria auctoritate à Copronymo Imp. 754.VI. Interest Conciliabulo aduersus sacras Imagines. ibid. Compescit Imperatorem à promulgando Nestorianismo. 763.III. Pellitur ab eo in exilium. 766.I. Impietatem Copronymi propalans, ab eodem reuocatur Constantinopolim, & post ludibria publica, capite truncatur. 767.IV.

Constantinus alius, cognomento Licodex, creatur Patriarcha Constantinop. 1058.V.

Moritur. 1066.X.

Constantinus Manichæus, multos antiquos renouat errores, & Siluanum S. Pauli Apost. discipulum se mentiens occiditur. 653.VII. Eius discipulis quid contigerit. ibid.

Constantius Chlorus eligitur Cæsar. 292.III. Eius genus. ibidem. Repudiare coactus priorem coniugem Helenam, ducit Theodoram priuignam Maximiani Herculij, & ab eo adoptatur in filium. ibid.

Appellatur Augustus post abdicationem Maximiani. 304.IV. Partitio Imperij inter ipsum & Galerium. ibidem. & VI. in fin. & 306.II. Egregium eius factum in tentanda Christianorum in religione constantia. 304.V. Moritur Eboraci in Britannia, & Constantinum, postea Magnum dictum, filium suum Imperij relinquit haeredem. 306.III.VII. Eius coniuges, & liberi. ibid.

Constantius, filius Constantini Magni, creatur à patre Cæsar. 325.I.

Ducit vxorem Eusebiam, magni ingenij feminam, sed Arianam. 336.XI.

Succedit patri in Imperio Orientali. 337. VIII.

Patruos suos, ob suspicionem veneni patri propinati, Delmatium Cæs. patruelem, aliosque clariss. viros necat. ibidem. IX. & seqq. Gallum & Iulianum patrueles, neci affinium ereptos, postea optimis disciplinis educandos curat. ibid. XIII. XV. Desciscit ad Arianos. 337. XVI. Curatur ab vlcere per Spiridionem Episc. Orthod. 338.III.

Multos praestantiss. Episcopos Cathol. in exilium pellit. 340.V. & seqq. 342.VII.

Infeliciter semper cum Persis pugnauit, & aliquando in fuga panis frusto ab anu precario porrecto vixit. 343.I.

Rescribit aduersus idolatriam. 341.XVI.

Patribus Synodi Sardicensis Oecum. pium se mentitur, approbato nomine substantiæ in Filio Dei. 347.XI.

Compellitur à fratre Constante restituere Athanasium, & alios Episcop. Orthodox. 348.III. 349.I. & seqq.

Profecturus in Occidentem aduersus tyrannos, Gallum patruelem Cæsarem creat, & praesicit Orienti. 351.I.

Omnes in suo exercitu militaturos, baptizari iubet, aut cingulo exui. ibid. IV. Paulum iterum pellit Constantinopoli, & Macedonium introducit ibid. XI. Vetrationem Imperij inuasorem dolo sibi subijcit. 352.V.

Pia eius expeditio in Magnentium, quem & superat. 353.I.III.

A Valente Episcopo Ariano quomodo tunc deceptus. ibid. IV.

Siluanum in Gallijs Imperium accipientem, per suos duces prosligat. ib. I I. in fin.

Ex prosperis sit elatior, adeo vt se AEternum exinde nominet, sed & magis obduratur in haeresi. ibid. IV. V.

Exilium indicit omnibus, qui Athanasium damnare nollent. ibid. VI.

Callum Cæs. tyrannidem affectantem, de medio tollit. 354.II.

In conciliabulo Mediolan. accusatorem se profitetur Athanasij, & eius vbiq; fautores in exilium pellit, vel alijs diris pœnis subijcit. 355.III. & seq. Antichristi imaginem gerit, de rebus Eccl. iudicare praesumens. ibid.

Liberium quoq; Rom. Pont. eadem Athanasij de causa pellit, & Felicem in locum eius intrudit. ibid. VII. & seqq. Eius oblationes in Ecclesia recipi prohibet Liberius. ibid. VIII.

Magnum quoq; Osium aggreditur, sed vincitur ab eo primis certaminibus. 355.XI.

Edicit ne causas clericorum cognoscant iudices seculares. ibid. XV.

Iulianum patruelem creat Cæsarem, & in Gallias aduersus barbaros mittit. 355.XVI.

Magis, & idolorum cultoribus pœnam capitis constituit. 356.I.

Episcopi Apostolorum auctoritatis successores, legum in Ecclesia condendarum potestatem habent. 51. XV. Vide Leges. Eorum iudiciaria potestas, tam in clericos, quam laicos quoscumque, à Domino instituta, à SS. Patribus exercita, ab Imperatoribus confirmata. 57. X. XI. 319. XI. 398. XIII. 408. VII. Vide etiam Iudicia.

Episcoporum causas à Principibus secularibus non posse cognosci, declarauit Constantinus Magnus. 325. XII.

Idem probat S. Ambrosius, ratione, & exemplis, aduersus Valentinianum Imp. 386. V. 387. II. Vide de Eccles. negot. Ea haud absque Rom. Sedis Antistite cognoscenda. 513. V. 542. VIII.

Eademque deferri consueuerunt, debentque, ad eam Sedem. 428. IV. 592. II. 593. IV. 599. I. 602. III. 835. II. 865. IV. 992. II. 1035. I. Vide Rom. Pont. & Principes. Eorum quoque causas à Iudicibus secularibus cognosci, vetuit Constantius. 355. XV. Episcopus appellans ad seculare iudicium, ob indignum hoc facinus mulctatur à Valentiniano Seniore. 369. VI. Vide etiam Eccles.

eles. immunitas & Iudicia.

Episcopis subiectos esse Praefectos prouinciarum, voluit Iustinianus Imp. 530. II. & Constantinus Magnus. 314. VIII. Iisdemque permisit iniquas Praesidum sententias rescindere: quod & ipsi sapissime praestiterunt. 319. XI. 398. XXI. Vide Eccles. Iudicia & Praefecti. Soliti quoque excommunicare Imperatores, & Praefectos, cum causa exigeret. 370. XIII. 390. II. 398. XXI. 411. XI. 422. II. Vide Excommunicatio.

Episcopus vnus in Ecclesia Cathol. idemque Romanus Pontifex. 254. XIII. 356. XIV. reliqui omnes, quomodo gerant curam Ecclesiae vniuersalis. 187. I.

Episcopus Episcoporum antiquissimus titulus Romani Pontificis. 216. III. Episcopi electi, legationem mittere consueuerunt ad Rom. Pont. pro obtinenda Cathol. communione. 520. II.

Soliti praestare iuramentum eidem Pontifici. 727. III. 1102. I.

De his omnibus, deq; aliis ad Romani Episcopi supra alios Episcopos, cunctosq; Principes tam seculares quam Ecclesiasticos, auctoritatem pertinentibus vide in Roman. Pontifex.

Episcopis praedicantibus assistere diaconos, praecepit Euaristus Papa. 112. V. Et vbiq; eos affectari debere presbyteros & diaconos, propter testimonium, statuit Lucius PP. 257. III. Lapsi honore priuandi, & laica tantum communione impertiendi. 258. I. II. Vide Lapsi. Eorum consessus ordo in Synodis. 325. XVII. Vide Consessus. De eorumdem depositione & successione, vide in Depositio & Successio.

Episcoporum translationes. vide Translatio. Eorum postulatio, quae olim legitima. 369. VII. Electionem liberam Episc. voluit esse Valentinianus Senior. 374. I.

Episcoporum electionem confirmari à Rege, & pro ordinatione pecuniam solui, constituit in Italia Athalaricus Arianus. 533. VI. Eorum electionem fieri à Principibus saecularibus, prohibitum in Conciliis Vniuersalibus, Nicano Secundo. 787. VIII. & Octauo Constantinopol. 869. IX. Reddit quoque eam liberam Carolus Magnus. 813. VII. De Principum vsurpatione ea in re, vide in Inuestitura. Post abolitas inuestituras, qualiter fieri permissae electiones in Germania & Imperio. 1122. II. 1152. III.

In Anglia quid de ijs praesumerent Reges. 1164. VII.

Eorumdem nominationem non sua auctoritate, sed Apostolicae Sedis concessione, Reges habent. 752. II.

Concessa in Regno Francorum Pipino à Zacharia Papa. ibid.

Eamdem Reges Hispaniae sibi olim vendicarunt: & quid de ea re constitutum in Synodo Toletan. Duodecima. 681. XIV

Episcopus exhibere Principibus obsequia indecentia, prohibitum in Concilio Oecumen. Octauo. 869. IX.

Episcopus de vili incessu, & infrequenti comitatu, reprehensus à Gregorio Magno. 603. II. Alius saecularibus Gothorum habitu incedens, damnatur in Concilio Aquileiensi. 381. XII. Venatores cohibentur in Concilio Matiscon. Secundo. 588. III. In Episcopos insurgentes populi seuere puniuntur à Deo. 587. III. Iidemque antiquissimis decretis iubentur curiae in seruitutem tradi. 1074. VI. Videetiam in Accusatores.

Episcopos indignos, non esse Episcopos, nec potestatem habere sacramenta administrandi, nec eis esse obediendum, dixerunt Albienses haretici. 1176. II. Episcoporum affines, siue iuste siue iniuste ditati, post mortem Episcoporum exagitari consueti. 445. I. Episcopi bellatores, armati lorica & galea, primum visi in Gallia. 575. II. Vide Salonius. Ne ad bella pergant, decernitur rogatu populorum in Concilio VVormat. 770. III. & in Moguntino prohibentur arma gestare: sed tamen permittitur laicis qui apud ipsos essent. 813. VI. In conuentu Aquisgranensi deponunt cultum saecularem. 817. II. Nihilominus postea vbique frequentatissimum fuit, ipsos Episcopos armis certare in praelio: indeque ingentia orta in Ecclesiam mala. 888. II. Immo & in Hispania pugnarunt pro Arabibus contra Arabes. 1010. I. Bellica tractare possunt, sed non per se arma vti. 1055. III. Et qui ijs vsus est Episcopus Bellouacensis, reprehenditur à summo Pontif. & punitur. 1196. I. ac sacerdotes bellatores deponi iubentur ab Innocentio III. 1198. XIII. Vide Bellica. Ob desertam militiam palatinam & castrensem, male habentur à Ludouico Crasso Franc. Rege. 1127. III.

Episcopis iuramentum non debet offerri. 449. II. in fi. Episcopi Galli transferunt iudicio suo regnum à Lothario Imp. ad fratres eius. 842. I.

Episcopi pueri quando primum eligi capti, & cuius auctoritate Pontificis. 925. II. Vide Pueri.

Episcopi Cardinales. Vide Cardinales.

Episcopi Collaterales, & Suffraganei Rom. Pontificis quot & quales. 1057. III.

Episcopi. Vide etiam Patriarchae. Sacerdotes.

Episcopatus à Regibus accipientes, damnati in Concilio Aruernensi. 541. VIII. Itemq; in Parisiensi. 559. III. Eaq; de causa in Santonensi, depositus est Emerius eius ciuitatis Episcopus. 560. IV. Vide etiam Inuestitura, & Beneficia. & supra Episcoporum electio.

Episcopatus licite emi posse à Principibus, modo consecratio gratis acciperetur. fuit quorumdam haresis, quam Petrus Damiani confutauit, Alexander PP. damnauit. 1065. IV. Plures simul obtinet in Oriente impius Santabarenus ab impiissimo Photio. 879. II. Id mali in Italiam primus inuehit Hugo Rex, in gratiam Manassis affinis sui hominis nefary. 936. V. Quando primū id concessum à Sede Apostol. & qua occasione. 1177. XIV.

Episcopatus onus super ceruicem suam sensit Nicetius Treuerensis. 530. VI. Greg. Mag nunquam pro aliquo in Episcopum eligendo agere voluit. 593. II.

Episcopales aedes, mortuis Episcopis, expilari consueta à plebe. 885. I. Prohibetur in Concilio Rauen. sub Ioanne PP. Nono. 904. II. & in Suessionensi in Gallia. 909. I. Rescribit etiam aduersus eiusmodi expilatores Leo Papa. IX. 1051. I. & Ioannes Comnenus Imperator Orientis. 1124. V. Episcoporum morientium exuuias rapiens Fridericus Imp. acriter arguitur ab Vrbano Papa. 1186. I.

Epistolae à Christo & Abagaro Edessae Rege ad inuicem scriptae. 31. XXII. Transferantur Constantinopolim & miracula claret. 994. III.

Pilati ad Tiberium Imp. de Christo. 34. LXIII.

B. Mariae asserta. 48. IX. Synodi Apostolor. 51. IV.

Petri prima, quando, vbi, & ad quos scripta. 45. V. Translata ex Hebraeo in Graecum à Marco. ib. VII. Secunda quando exarata. 68. II. Ea quondam in dubium reuocata, ab vniuersa tandem Ecclesia recepta est. ibid.

Pauli primae ad Thessalonicenses. 52. VII. Secunda. 53. I. Prima ad Corinth. 57. I. Secunda. 58. XVII. Prima ad Timotheum. 57. LIII. Secunda 59. III. V. Ad Titum. 58. I. Ad Romanos. 58. XIX. Ad Ephesios. 59. VII. Ad Galatas. 59. VII.

Ad Philippenses. 60. I. Ad Colossenses. 60. IV. Ad Philemonem. 60. XVII. Ad Hebraeos scripta, à diuersis tributa diuersis aliis auctoribus, sed vere esse Pauli probatur. 60. XVIII. & seqq. Hebraice à Paulo scriptam, Graecam fecit sine Clemens, sine Lucas. ibi. XIX. Quomodo dixerit Hieronymus, eam non receptam fuisse à Latinis. ibid. XXI. XXII. Ad Laodicenses vtrum scripserit Paulus. 60. V. Alia quadam eius nomine ab haereticis suppositia. 44. XXV. Pauli & Senecae ad inuicem scriptae quae extant, cuius sint fidei. 66. IV. Epistolae Pauli cum in Ecclesia antiquitus legerentur, responderi Lectoribus consueuerat Pax tecum. 60. XXII. in fi.

Iacobi Apostoli, ab aliquibus olim in dubium reuocata, tempore procedente ab vniuersa Ecclesia recepta. 63. II.

Ioannis tres, qua occasione, & ad quos scriptae. 99. IV. V. Prima semper ab omnibus, vt Ioannis recepta, de caeteris ab aliquibus nonnunquam dubitatum. ibid.

Iudae, ab vniuersa Ecclesia recepta. 68. III

Barnabas quoq; vnam scripsit, sed ea perperam à nonnullis credita quae Pauli est ad Hebraeos. 51. XIV.

Clementis Papae ad Corinthios, in Ecclesia legi consueta, perinde ac ipsa Apostolica. 95. I. Alia eiusdem quales. ibid. II.

Ignatij Antiocheni, quot numero, & ad quos scriptae, & cuius sint fidei. 109. III & seqq. Euodio ascripta qualis. 71. VII. Martialis Galliarū Apostoli. 74. VII. De caeteris singulorum, vide sub auctorum nominibus. Quorumdam Apostolicorum virorum, in Ecclesia quoq; legi solita: puta Clementis Papae. 95. I. Polycarpi. 169. IV. Leonis PP. Primi. 449. VII.

Epistolae Synodi Ephesinae Oecumenicae. à Patribus intra arundinem per fidum hominem mēdici habitu missae, ne interciperētur à Nestorianis. 431. XVI. Alia scribitur à Theodosio Iuniori ad Ioan. Chrysostomum longe antea defunctum in exilio vt dignaretur redire Constantinopolim. 438. II.

Ibae Edesseni Episcopi, olim Nestorij fautoris, quaratione in Concilio Chalcedon. probata, & in Quinto Oecumen. improbata. 448 IX

Leonis PP. ad Flauianum Episcopum Constantinop. de Verbi Incarnatione contra Eutychetem, ab omnibus tam Orient. quam Occiden. mirifice praedicata, eademque miraculis comprobata. 449. VII. Ioannis PP. & Iustiniani Imp. ad inuicem datae, impugnata à Nouatoribus, probantur genuinae. 534. I. Vdalrici Episcopi Augustani nomine conficta de coniugio sacerdotum. 591. IV. & seqq. S. Petri nomine scripta à Stephano PP. II. ad Pipinum Francorum Regem, pro subueniendo Ecclesiae Rom. aduersus Longobardos. 755. I. Theodori Studitae, comprobantur miraculis. 816. II.

Michaelis Imper. blasphema, & iniuriosa ad Nicolaum PP. iubetur à Nicolao igne comburi. 865. VI. Aliorum quamplurimorum, vide sub singulis auctorum nominibus.

Epistolae Decretales Rom. Pontificum. Vide Decretales. Paschales quales essent vid. in Pascha. Synodales Conciliorum Oecumenicorum, debet scribi ad Rom. Pont. 347. XVII. Aliarum Ecclesiasticarum varia genera. 142. VI. & seqq. Vide etiam Litera. & Tabellarius.

Epistola ab impostore asserta per Christum scripta, & per Archangelum Michaelem hominibus patefacta. 743.II. *Alia pariter à quodam Episcopo Gallicano obtrusa, quasi diuinitus ad se delata, pro ieiuniis austerioribus, & aliis mandatis importabilibus.* 1034.I. *Alia item falsò asserta de cœlo lapsa ad Petrum Eremitam pro Bello sacro promouendo.* 1095.*IV. Epistolaris historia, omnium certissima.* 552.II. 1073. XI.

ex Equitij Abbatis in Valeria, monasteriis sumpsit S. Greg. Abbatem sibi. 581.*V.*

Equitius Abbas in Valeria munus prædicandi diuinitus acceptum, in signis & virtutibus exequitur. 504.II

Eradius eligitur ab Augustino successor suæ sedis. 426.III.

Erfordiense Concilium de obseruatione festorum, & ieiuniorum. 932.I. *Aduersus sacerdotes coniugatos.* 1074.III.

Erminoldi Abbatis dignum facinus, in Henricum Imp. schismaticum. 1121.III.

Ermuolphus hæresiarcha damnatur in Bauaria. 733.III.

Eruli. Vide Odoacer. Conuertuntur ad fidem sub Iustiniano Imp. 527.*VI.*

Esdras an restituerit S. Scripturam. 183.*IV.*

Essenorum sectæ apud Iudæos, dogmata, & mores. Appar. VIII. 64.III. *Eorumdem antiquitas, & numerus.* 64.III.*IV. Essæorum, siue Essenorum, nomine Philo descripsit Christianos Alexandrinos à S. Marco institutos.* 64.II. *Eorum vita monasticum institutum, & facta nominis significatio. ibid. Differentia ab Essenis Iudæis. ibid. III.IV.*

Eschius creatur Hierosolym. Patriarcha. 601.*IV. Moritur.* 609.III.

Ethelalphus Angliæ Rex, Romam peregrinatus, facit regnum suũ vectigale Eccles. Romanæ. 847. *VIII. alia pia eius legata. ibid.*

Ethnici. Vide Gentiles.

Euagrius nobilis & diues presbyter Antiochenus, comes peregrinationis S. Hieronymi, necessaria ei in eremo ministrat. 372.*IX. Creatur Episcopus Antioch.* 389.*X. Eius, & Flauiani æque Episcopi, inter se contendentium, causa collecta Synodus Capuana. ibidem. XI. Moritur. ibid.*

Euagrius electus ab Orthodoxis Constantinopolitanus Episcopus, pellitur à Valente Imp. Ariano. 370.*VI.*

Euagrius Ponticus, Origenista, ex clerico factus Monachus Nitriæ, multa scribit. 388.*XIV. Falso ei Gennadius tribuit miracula. ibidem. Ab eo fluxere Pelagiani. ibid Indolentiam Stoicam in Ecclesiam introducere tentans, deridetur ab aliis. ibid.*

Euagrius insignis historicus, primus ex Græcis eorum qui leguntur, Orthodoxus. 565.II. *Vbi terminetur eius historia.* 594.*IV.*

Euagrius philosophus Christianus, apparet post mortem Synesio. 411.*XII.*

Euangelicæ historiæ dignitas. 32.I.

Euangelicas Harmonias quinam texuerint. 31. II.

Euangelistarum scopus in rebus Domini enarrandis. 34.LXII. *Euangelistæ dicti, non tantum qui Euangelium scriberent, sed etiam qui annuntiarent.* 35.IX. 58.*XLVI.*

Euangelium. Vide etiam Fidei propagatio. & Lex.

Euangelium Matthæi, quo tempore scriptum fuerit. 41.*IV.*

Immutatum à Nazaræis, & deprauatum ab Ebionæis. ibid.V.

Bartholomæus Apost. detulit ad Indos & Barnabas semper secum habuit. ibid.

Eo solo vtebantur Cerinthiani, nec integro. 97. *VII.*

Hebraice scriptum repetit Pantænus in India sub Commodo Imp. 183.III.

Inuentum in Cypro vna cum corpore S. Barnabæ sub Zenone, defertur Constantinopolim, & auro ornatur. 485.I.II. *Euangelium Marci, quando, vbi, & qua lingua scriptum.* 45.*X. XIII. Lucæ, quo tempore, & qua occasione editum.* 85.*XIV.*

Ioannis, quibus loco, tempore, causa, & prodigiis conscriptum. 99.II.III.

Scriptum Græce, sed translatum in Hebræum. ibid. Eo solo vtebantur Valentiniani hæretici. 145.I. *Repertum fuisse in specu templi Hierosol. sub Iuliano, asseritur à Nicephoro.* 363. *IV.*

Euangelia alia plurima conficta sub nomine diuersorum Apostolorum. 44.*XXV. XXVI. Scripsit & suo proprio nomine Basilides hæresiarcha.* 120.*IX. Itemque Valentinus.* 145. *IV.*

Euangelium gestare, amuleti loco, consuetum ab antiquis Christianis, ab ipso Apostolorum tempore. 232.III. 604.I.

Ad collum decollandi martyris appensum. 303. *XIII. In Synodis, super thronum in medio consessus Episcoporum collocati solitum, ad repræsentandum Christum.* 325.*XVIII.* 431.*VII.* 451. *XIII.* 680.*V. In Ecclesia populo legere fuit vbique munus diaconi, sed in Africa, clerici Lectoris.* 253.*XIV.*

Euaristus creatur Rom. Pont. 112.*IV. Titulos in Vrbe presbyteris diuidit. ib. Diaconos septem instituit, qui Episcopo prædicanti assisterent. ibi. V. Martyrio coronatur sub Hadriano Imper.* 121. II.

Euarix Gothorum Rex Arianus, dire grassatur in Gallias & Hispanias. 464.I. *An sub eo Gothi Leges scriptas habere cœperint. ibid. Sedem regni constituit Tolosæ.* 477.*IV. Persequitur Catholicos.* 475.III. *Miserè perit, vltione diuina.* 484. *XI.*

Euchitæ, hæretici, qui & Massaliani. Vide Massaliani.

Eucharistiæ Sacramentum à Christo institutum. 34.*XV. Vide etiam Missa. & Sacrificium. Eius aliæ appellationes.* 34.*XVI.*

Ea confecta in azymis. 34.*XVII. In tempore eius sumendæ, varij olim ritus. ibidem. &* 57. *XXXIX. Participauit Iudas traditor vna cum aliis Apostolis.* 34.*XVIII. Sumendæ, & ministrandæ ritus, ex institutione Apostolica.* 57.*XLI. XLII.*

Domi seruari, & in via deferri, olim solita à primis Christianis. ibid. XLIII. Mitti quoque consueta à Romanis Pontiff. ad Episcopos Catholicæ communionis. ibid. & 198.II. 313. *post num. XIII. In Ecclesia asseruandi, antiquus vsus, rituque.* 57.*XLIV.* 570.*IV. Sub vnica specie Panis, etiam olim impertiri consueta.* 57.*XLIV. Quam frequenter eam participarent Fideles. ibidem. XLV. Nonnullorum ea in re oscitantia, à Patribus redarguta. ibid. Indigne sumentes, terribiliter puniti. ibid. Mortuis etiam dari solita à quibusdam hæreticis. ibid. XLVIII. In Euchar. calice, aqua sola vsi plures hæretici, & alij vino solo. Vide Aqua. Eucharistiæ conficiendæ, execrabilis plane modus Gnosticorum.* 120. *XIV. Montanistarum quorumdam.* 173. *IX. Manichæorum.* 277. *VIII.* 420. I.

Ad eius quoque benedictionem, Ophitæ adhibebant magicis incantationibus serpentes. 143.*V. Affectabat item in ea miracula Marcus hæresiarcha præstigiis suis.* 175.*VII. & pseudoprophetissa sub Maximino Thrace.* 237.*XIV. Ad eam conficiendam, Attotyritæ apponebant caseum cum pane.* 173.*XI.*

Ex Eucharistiæ doctrina Catholica accusati Christiani à Gentilibus esu carnis humanæ. 120.*XV. Eam Priscillianistæ conuenientes cum Catholicis sic accipiebant, vt tamen non comederent, & quare.* 381.*XVII. Ritu Macedonianorum consecrata, inter dentes absumentium mulieris in lapidem conuertitur.* 400.*XVII. In Eucharistia Christi corpus & sanguinem tunc tantum esse, cum à Fidelibus sumeretur, asseruerunt quidam hæretici, quos refellit Cyrillus Alexandr.* 444.III. *Eam omnino damnauit Basilides, eo quod Christi carnem negaret.* 120. *IX. Esse solum vmbram & figuram corporis Christi asseruit impius Berengarius.* 1035.II. *(Vide Berengarius) Atque etiam Albienses.* 1178.III. *Nihil aliud esse, quam Dominicam orationem, dixerunt Bongomili.* 1118.*XII. Eius perceptionem nihil esse, vel prodesse ad salutem, asseruerunt Tanchelinus, & Petrus de Bruis hæresiarchæ.* 1126.*V. VI. In ea cum corpore sanguine inesse panem & vinum fuit error Rupert.* 1111.*IX. Non deberi vocari imaginem, probatum in Nicæna II. Synodo.* 787. *V.*

Eucharistiam Catholicorum, obijciunt canibus Donatistæ in Africa, sed mox diuinam sentiunt ab ijsdem canibus vindictam. 362.*LV. VVandali Ariani pedibus conculcant.* 456. *IV. Et Coterelli hæretici in Gallia.* 1183. *IV.*

In eius sumptione prodigia in lapsos sub Decio. 253.*VI. Ne eam Tarsicius gentilibus proderet, maluit necari, ipsa vero disparuit.* 260.I. *Ad eius adorationem sæpe visi à Chrysostomo Angeli aduenire.* 407.*VI.*

Sumens cum Christianis puer Iudæus in ignem conijcitur à patre, sed seruatur illæsus. 423.III. 552.*V. Visa à Saxonum Principe catechumeno in forma pulchelli pueri.* 783.III. *Eius sumptione liberatur virgo arreptitia.* 434.III. *Alia circa eam miracula aduersus Seuerianos.* 513. II. *& Berengarianos.* 1059.*V. Aquarios.* 1188. *IV.*

Purgatio impositarum criminationum, per sumptionem Eucharistiæ. 868.*IV.* 941.II. 1049.*V.* 1077.II. *Super Eucharistiam suos cogit iurare Novatianus Antipapa aduersus Cornelium Pontif.* 254.*IX. In ea porrigenda terribilis contestatio Hadriani PP. ad Lotharium Franc. Regem.* 868.*IV. Gregorij VII. ad Henricum Germ. Regem.* 1077.II. *Bernardi ad Guillelmum Aquit. Ducem.* 1135.I. *Illegitimum eius porrigendæ modum redarguit Robertus Franc. Rex.* 1004. III.

De Eucharistia vide etiam in Communio, & Sanguis Christi. Aqua.

Eucherius ex Senatore monachus Lerinensis, inde Lugdunensis factus Episcopus. 441. III.

Eius sunt plurimæ homiliarum, quæ feruntur nomine Eusebij Emiseni. ibid.

Fuit item alius Eucherius Episc. Lugdun. post 80. annos. ibid. IV.

Eucherius Aurelian. Episcopus, redarguit Carolum Martellum de vsurpatione decimarum in stipendium militum, & ideo pellitur in exilium. 731.*VI. Moritur. ibid.*

Eucherius Stiliconis filius, Paganus ambiens

Imperium, meditatur euersionem Ecclesiarum. 408. *V. Occiso patre, & ipse iussu Honorij Imper. extinguitur.* 409. I.

Eudo Aquit. Dux, contendit cum Carolo Martello, de maioratu domus Franciæ. 320. II. *in eius odium inducit Saracenos in Galliam, sed mox contra eos conuertitur.* 725. II.

Eudo, siue Eon dictus, insanus hæresiarcha, præstigiis diaboli dementatus, alios que dementans. 1148. II. *Quis eius finis, discipulorumque. ibid.*

Eudocia Attica, Leontij philos. filia scientia illustris, ducitur in vxorem à Theodosio Iuniori. 421. I. *Peregrinatur ex voto Hierosolymam, & multa pietatis opera exercet.* 438. *IV. Curatur per Melanium luxatione pedis à dæmone immissa. ibidem. Reliquias S. Stephani transfert Constantinopolim.* 439. I. *Catenis quoque S. Petri donata, alteram mittit Romam, alteram Constantinopoli collocat. ibidem.* II. *Theodosium maritum suum commouet in Pulcheriam Aug. & in Flauianum Episcopum Constantinop.* 446. *V. Resipiscente Theodosio ipsa relegatur in Hebdomum.* 450. III. *Post mortem viri, iterum peregrinatur Hierosolymam. ibidem. Rapitur in hæresim Eutichianam.* 552. *VI.*

Diu obstinata permanens, tandem resipiscit, & sancto fine quiescit. 455. *V.*

Eudocia alia, filia Valentiniani III. in vrbis direptione per Geisericum abducitur in Africam, & tradita in coniugium Hunerico, demum aufugit Constantinop. 455. *IV.*

Eudoxia ducitur in vxorem ab Arcadio Imp. 395. *V. Fauet Prophirio Gazensi aduersus Gentiles.* 401. *VIII.*

Prohibetur à Chrysostomo ingressu Ecclesiæ, ob iniquam auaritiam, & rapinas ibi. IX. *Fuit etiam ei conflictus cum Epiphanio, occasione eiusdem Chrysostomi.* 402. *VI.*

Nouis obortis causis exacerbata in Chrysost. procurat eius depositionem per Theophilum Alexandrinum, sed mox territa motu terræ, eumdem reuocandum curat. 403. I. *VI. Imaginem suam superstitiose circumferri faciens, rursum reprehenditur à Chrysostomo.* 404. III. *Ipsaque iterum eius expulsionem procurat. ibidem.* IV. *Miserrime moritur; & quando id contigerit. ibidem. XV. XVI.* 407. *VII.*

Eius vrna perpetuo motu agitata, donec Chrysostomi corpus longe post obitum cum honore relatum est. 404. *XV.* 438. II. *in fin.*

Excommunicata ante mortem ab Innocentio Papa, veniam petens restituitur. 407. *VII.*

Eudoxia filia Theodosij Iun. Imper. nubit Valentiniano Tertio. 437. III. *Suscepta à matre Eudocia, catena S. Petri, erigit Romæ basilicam in eius honorem.* 439. II. *Occiso arte Maximi Senatoris, Valentiniano, ipsa licet ab eodem Maximo in vxorem ducta, accersit VVandalos in vindictam; à quibus directa Vrbe, necatoque Maximo & ipsa abducitur in Africam.* 455. II. *IV. Remittitur Constantinopolim. ibidem. Quid de filiabus eius, Eudocia, & Placidia, actum. ibid. IV.*

Eudoxius discipulus Luciani martyris, in persecutione Diocletiani sacrificat idolis, & postea adhæret Ario hæresiarchæ. 311. III. *ob Galli Cæsaris amicitiam pellitur in exilium à Cõstantio Imp. sed confestim reuocatur.* 354. III. *Dolose inuadit sedem Antioch.* 356. *XVI. Ex eo quod martyris esset filius, ea abutitur gloria ad hæresim illustrandam, qua Filium Patri substantia omnino dissimilem asserit. ibid. XVIII. Amicitiam init eum Aetio Atheo, ob parem impietatem, & Sybariticam mollitiem. ibid. Damnatur à Semiarianis in Concilio Seleuciensi.* 359. *XVIII. Transfertur à Constantio Imp. Constantinopolim. ibid. XXI. Baptizat Valentem Aug. & exigit ab eo iuramentum de propugnatione hæresis Arianæ.* 366. III. *Moritur.* 370. *VI.*

Euentius & Theodulus martyres sub Hadriano. 132. I.

Eugeniæ virginis Cordub. nobile martyrium sub Saracenis. 923. I.

Eugenia Philippi Augustalis AEgypti filia, nuptias fugiens, virili habitu delitescit inter monachos. 204. III. *Martyrio coronatur sub Valeriano.* 261. *VII.*

Eugenius olim Rhetor, euehitur in Imperium Occid. ab interfectoribus Valentiniani Iunioris. 392. *IV. Restituit Gentilibus Rom. (licet ipse Christianum agens) Aram Victoriæ, eaque de re arguitur à S. Ambrosio. ibidem. Eius munera, tamquam sacrilegi tyranni, reiciuntur ab Ecclesia Mediolan.* 394. I.

Consulit exta victimarum de futuro bello contra Theodosium. 393. *VI.*

Signa Deorum habet in suo exercitu. 394. I. *Vincitur ingenti prælio; captusq; morte afficitur. ibid.* II. III.

Eugenij primi Toletani Archiepiscopi inuentio, & translationes. 1148. *VII.*

Eugenij II. Archiep. Tolet. vita, scripta & obitus. 637. III. *Præsit Concil. Tolet. IX.* 655. III. *& X.* 656. III.

Eugenius vir sanctiss. creatur Episcop. Carthag. durissimis conditionibus, ab Hunerico Ariano Rege propositis. 480. I. *Cæcos illuminat in confirmationem fidei Cathol.* 484. *VI. VII. Pellitur in desertum, dire vexandus. ibid. VI. Inde solertissimam agens curam reliquorum Cathol. pellitur in Gallias, ibiq; moritur clarus miraculis.* 495. *V.*

Eugenius eligitur Vicaria præfectura, in locũ Martini Papæ exulis pro fide. 652. II.

Mortuo Martino, confirmatur in Sede Pontificia. 654. I. *Moritur.* 655. I.

Eugenius II. creatur Roman. Pont. 824. I. *Schisma aduersus eum, fedatur, à Lothario Imp. ibid.*

Quid egerit in causa Imaginum, ex Collatione Parisiensi. 825. *IV.*

Recipit Legatos Michaelis Imp. Orient. 824. II. *Moritur.* 827. II.

Eugenius III. creatur ex Abbate Trium Fontium, & discipulo S. Bernardi. 1145. II.

Vim timens rebellium Rom. consecratur in monasterio Farfensi, & recipit re Viterbium. ibid. Suscipit legatos Catholici Armeniorum, de eius subiectione erga Rom. Sedem. IV. Satagit pro noua expeditione in Terram Sanctam, aliisque aduersus vniuersos vbiq; Christianitatis hostes. ib. VI. & 1146. III.

Compescit Romanos, & regreditur in Vrbem. 1145. *VII. Rursum vitans eorum insultus, confugit in Galliam.* 1147. II.

Plura ibi celebrat Concilia. ibid. V. Quid ei cum Cardinalibus, & S. Bernardo, de damnatione errorum Giliberti Porretani. 1148. *V. VI. Probat res S. Hildegardis virginis. ib. VIII. Rediens in Italiam, vario euentu confligit cum Romanis.* 1149. I.

Eius à muneribus abstinentia prædicata. 1151. I.

Expetit à S. Bernardo scribi libros de Consideratione. 1152. I *Pace cum Romanis facta, reuertitur in Vrbem. ibid.*

Moritur Tiburi, & corpus defertur Romam. 1153. II. *Illustratur miraculis. ibid.*

Eulaliæ Barcinon. virginis martyrium sub Dioclet. 303. *XI.*

Eulaliæ alterius, virg. Emerit. celebratissimum eadem persecutione martyrium. ibi. Eius ossa fugantur Gothi ab Emerita.

Eulalius Archidiaconus Ecclesiæ Rom. erigitur in schismate aduersus Bonifacij Papæ electionem. 418. *IX. Synodali, & Imperiali decreto damnatur, & relegatur.* 419. II. III. *Creatur Nepesinus Episcopus. ib. III. in fi.*

Eulalij duo, Alexandr. & Carthag. conflicti in controuersia de Appellationibus inter Apostol. Sedem & Afric. Ecclesiam. 419. *XIV.*

Eulogiæ dictæ oblationes Panis benedicti in Ecclesiis fieri solitæ. 313. *XIII. XIV. Aliarum priuatarum Eulogiarum vsus. ibid. Sic etiam dictæ Eucharistia.* 34. *XVI.*

Eulogius diaconus Tarracon. martyr sub Valeriano. 261. *VII.*

Eulogius creatur Episcopus Alexandrinus. 581. *VII.*

Scripta sua aduersus Agnoitas hæreticos cognoscenda mittit ad Gregorium Papam. 600. III. *Eius obitus & laudes.* 608. II.

Eulogius Cordub. in Hisp. presbyter, descriptor persecutionis Saracenorum in eam Ecclesiam, mancipatur & ipse ob fidem carceri. 851. II. *Scribit Memoriale Sanctorum aduersus detractatores martyrij.* 852. II. *Itemque Apologeticum, eadem de causa.* 857. I. *Consequitur martyrium ab ijsdem Saracenis, & diuinitus ei exhibentur solemnia funeris.* 859. I.

Eulogius presbyter Edessenus, exul pro fide sub Valente Imp. postea fit eiusdem ciuitatis Episc. 371. *VIII.*

Eumenes creatur Episc. Alex. 133. I. *Moritur.* 144. II.

Eunomius discipulus Aetij Impij. 356. *XVIII. Ob hæresim exagitatus, consilio Eudoxij fugam arripiens, scriptis promulgat impia sua dogmata.* 360. *VI. Ea quæ fuerint. ibid. VII. Sicut in blasphema doctrina sectator fuit Aetij ita & in turpissimis moribus. ib. VIII. Arroganzissime asserebat, ita se Deum nosse, vt ipse Deus se ipsum. ib. VII. Fuit lepra, & morbo regio infectus. ibid. VIII.*

Eius patria, ætas, scripta, discipuli, & antagonistæ. ib. Vocatus à Theodosio Magno ad Concilium Constantinop. renuens vnirì Ecclesiæ, damnatur cum suis. 383. *VII.*

Eius sectatores dicti quoq; Troglodytæ, & Anomiani. 360. *VIII. XI. Eorum conuentus prohibentur à Gratiano Imp.* 378. *IX. & à Theodosio.* 381. I. *XI.* 384. *VII.*

Idemq; hæretici damnantur in Concilio Oecumen. Constantinop. 381. *IV.*

Seuerissime exagitantur ab Arcadio, auctore Chrysostomo, eorumque receptatoribus capitale supplitium decernitur. 398. *XVIII.*

A Theodosio Iuniore subijciuntur diuersis pœnis. 410. *XIV.* 413. *VI.*

Eunomius alius, intrusus ab Arianis, Samosatenus Episc. ob immensam à se ciuium auersionem locum deserit. 370. *IV.*

Eunuchus Reginæ Candacis, proselytus, baptizatur à Philippo diacono. 35. *XV. Prædicat Euangelium AEthiopibus, & multis aliis populis: martyrque occumbit, & miraculis illustratur. ibid.*

Eunuchorum secta, sic dicta, quod omnes quos reciperet, aut per se ipsos, aut per alios castrari cogeret. 230. III. *Eius auctor Origenes. ibid.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eunuchos homines vetat Constantinus Magnus gerere magistratus. 315.IV.

Eorum fuit summa apud Constantium auctoritas, eorumque opera multum proficiunt Ariani. 337.XVI.

Exagitantur vehementer à Iuliano. 361.XIII.

Augentur immensum sub Arcadio. 399.II.

Inter Patricios militare, prohibet Theodosius Iunior. 431.I. Vide etiam Castratio.

Euodius, an Ignatius, subrogatus Petro Apostolo in Episcopatu Antioch. 45.IV.

Martyrium consequitur in tumultu quodam aduersus Iudeos concitato. 71.VII. De eius epistola, citata à Nicephoro. ibid.

Euodius Vzalensis Episcop. non scripsit libros de miraculis S. Stephani, sed ij ad eum scripti sunt. 416.IV.

Euoptius frater & successor Synesij in Episcopatu Ptolemaidis. 411.XII. Interest Oecumenico Concil. Ephesino. 431.XIX.

Euphemitarum secta Gentilium, qualis. 361. VIII.

Iidem dicti Martyriani, & Sataniani, & quare. ibid.

Euphemia virg. & mart. Chalcedon. reliquiæ iactæ in mare ab Hagiomachis, diuinitus præseruantur. 766.I. Vnguentum salutiferum ex ijs fluere consuetum. ibid.

Euphemia virgo & martyr sub Dioclet. liquorem sanguineum mirificum ex reliquiis suis emittere solita. 451.X. In eius Ecclesia celebratum Concil. Calcedonense. ibid. Confirmat diuinitus Concil. ibid. XXIV. In eius honorem, Chalcedonens. ciuitas, obtinet ius metropolis. ibidem. XXV.

Euphemius creatur Episcopus Constantinop. 489. I.

Licet Catholicus religione, tamen ob retentum in Diptychis nomen Acacij impij. non ei communicat Rom. Pontifex. ibi. & 492.II. Excommunicat Petrum Mogum, & ab eo vicißim excommunicatur. ibid.

Exigit professionem fidei ab Anastasio Imp. comminatione redigendi eum in ordinem. 491.II.

Agit arroganter in sedem Apostolicam & calumniose aduersus Gelasium Papam. 493. III.

Iusto Dei iudicio pellitur in exilium ab Imperatore iniusto. 495.III.

Euphemij Episc. Constantinop. nomen à Synodo Constantinop. refertur in Diptycha. 518.VI. Sed quod schismaticus fuisset auferetur inde iubente Hormisda Papa. ib. & 519.III.

Ephrasia virgo Nicomediensis, pretio vitæ suæ, mira ac plane egregia fictione, pudicitiam conseruat. 309.IX.

Euphrasius eligitur Antioch. Episc. 521.III. Perit in clade illius vrbis. 525.III.

Euphrates auctor hæresis Ophitarum, eiusq; praua dogmata. 145.V.

Euphrates Agrippin. Episc. an vere damnatus sit in asserta Synodo Agrippin. 346.III.

Mittitur ex Concilio Sardicensi Oecumen. legatus ad Constantium Imp. 347.XIX.

Quid passus Antiochiæ ab Stephano illius ciuitatis Episcopo Ariano. 348.II.

Euphratem fluuium Iulianus in Tigrim fossa deducit. 363.XI.

Euplus diaconus, Euangelio ad collum appenso, decollatur pro fide. 303.XIII.

Eupsychij martyres Cæsareæ Cappadociæ, sub Hadriano & Iuliano Impp. 362.XII. in fin.

Eusebia Constantij Imp. coniux, summæ eruditionis & prudentiæ femina. 336.XI.

Sterilis permanet aliarumq; partui insidiatur. ib. Desciscit in Arianismum. 337.XVI.

Iulianum Apostatam à nece liberat. 354.IV. Eumdemque creari Cæsarem curat. 335. XVI.

Insidiatur eius sobolj. 356.XX. Eius consilio, & sententia, cuncta peragebantur in Imperio, & contra fidem Catholicam. ibidem. Moritur. 361. IV.

Eusebiani (sic dicti ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, factionis Arianæ antesignano) vna cum Meletianis schismaticis, in Conciliabulo Tyrio Athanasium damnant. 335.I. & seqq.

In Concil. Hierosol. in Encæniis, probant confessionem Arij absque voce Consubstantialis. ibid. XI.

Athanasium, & alios Episcopos Orthodox. calumnijs apud Constantinum onerantes, efficiunt vt pellantur in exilium. 336. II. IV. V. Quamdiu Ariani detegi noluerint. ibidem. VI. 341.II. 344.II.

Eorum praui conatus, ad expellendos quoscumque Orthodoxos. 340. VI. VIII.

Conuenientes quoq; Antiochiæ Magnum Eustathium pellunt. ibid. VI.

Rursum agunt aduersus Athanasium, apud Iulium PP. & Concilium generale fraudulenter ab eo petunt. 339.I 340.I. Vocati Romam, subterfugiunt. 340.I. 341.I.

Fastuose ad eumdem Pont. scribunt ob absolutum Athanasium, aliosque Episcopos ab eis expulsos. 341. XV. Constantem Imp. in suas partes allicere conantur. ibidem. VIII.

Antiochiæ iterum atque iterum conuenientes, multas inter se diuersas condunt fidei formulas. 341.II. & seqq. 344.I.II. Mediolani coram Constante & Synodo recusant damnare sententias Arij. 344.III. Reliqua Vide in Ariani, & Semiariani.

Eusebius Rom. Pont. creatur. 309.VII. Moritur. 311.VII.

Eusebij Romani presbyteri, & sociorum, martyrium in persecutione Valeriani. 259.II.

Eusebius alius Rom. presbyter inclusus carceri à Cõstantianis, septem mensibus in oratione perseuerans, fame necatur. 357.XVI.

Eusebius Cæsariensis Episcopus in Palæstina, vnde dictus cognomento Pamphili. 308. III. Contexuit Harmoniam Euangelicam. 31. II.

Nimius Origenis laudator, Apologiam pro eo conscripsit. 230.II. 256.IV. Quousque perduxerit Historiam Eccl. & Chronicon. 318.IV. 325. IV. Quid in eius historia operatus sit Russinus. 410.XIII.

Eam cur Gelasius PP. reiecerit inter apocrypha. 439.VIII.

Chronico multa abdita. 136. in fin.

In persecutione Diocletiana apostatat à fide. 302. III. Eius mala fides in recensendis agonibus Christianorum in eadem persecutione. ibid. Itemque in narratione rerum ad Arium, eiusque sectatores pertinentium. 272.II. 302.II. 318.XII. 319.II. Dolus in descriptione baptismi Constantini Magni. 324. XIV. 336. X. Hypocrisis in recusanda sede Antiochena. 324. XXXII.

Propugnat hæresim Arianam. 109.XIV. 318. VIII. In Concilio Nicæno quomodo se habuerit. 325. XXVII. Præsit Conciliabulo Tyrio aduersus Athanasium, vbi S. Potamon exprobrat ei apostasiam à fide. 335.II.III.

Assistit Antiochiæ abdicationi Magni Eustathij. 340. VI. Moritur in perfidia Ariana. ibid. XII. XIII. Eius memoria posteritati exocrabilis, quamuis inscite à nonnullis fuerit Sanctus existimatus. ibid.

Eusebius Dorylæi Episcopus, primus detegit hæresim Eutychetis. 448.III. Damnatur in Latrocinio Ephes. 449.XI. absoluitur à Leone PP. ibid. XV. quæ eius partes in Synodo Chalcedonensi. 451. XV. XVII.

Eusebius Emesenus creatur Episcopus. 341. III. Eius primordia, & varia studia. ibid. Reiectus ab Emesenis, quod astronomiam iudiciariam exerceret, restituitur ab Arianis. ibid. Fuit Arianæ hæresis signifer, quamuis à nonnullis inscite habitus sit pro Sancto. ibid. IV. Eum Constantius Imp. ducere secum consueuit in expeditionibus. 345.I in fine. Ei falso tributa homilia quæ sunt sanctorum Antistitum Gallorum. 441.III.

Eusebius Laodicenus Episcopus, vir eruditissimus. 283.III.

Eusebius Luciani martyris discipulus, in persecutione Dioclet. sacrificauit idolis. 311.III. Fauore Constantiæ Aug. transfertur à Sede Berytensi Nicomediam. 318.VIII. Protectionem suscipit Arij hæresiarchæ. ibid. Eius litera pro sententia eiusdem Arij, lacerantur in Concilio Nicæno. 325. XXI. Renuens subscribere anathemati Arij, deponitur à Patribus, sed pœnitentiam simulans, restituitur. ibidem. XXVI.

Agit apud Athanasium, & Constantinum Imp. pro restitutione Arij Alexandriam. 327. I.

Constantiam Aug. allicit ad protegendum Arium. ibid. II. Conspirat cum Meletianis aduersus Athanasium. ibid. III. Pellitur in exilium à Constantino, ob calumnias in Athanasium. 329.II. Reuocatur opera Constantij Cæs. 331.I. Præsit Conciliabulo Tyrio aduersus Athanasium. 335.II.

Transfertur à Constantio Imp. in sedem Constantinopolitanam. 340. V. Moritur, cum in Rom. Ecclesiam se præsumit erigere. 342. VII. Multa alia de illo, vide supra in Eusebiani, qui ab eo denominati sunt: quippe illorum dux, auctor fuit omnium quæ ipsi perpetrarunt.

Eusebius Mediolanens. celebrat Concil. aduersus Eutychetem. 451.II.

Eusebius Samosatenus Episc. Orthod. sequester factus communis decreti Antiochenorum Cathol. & Arian. de electione Meletij, nullis minis Constantij Imp. induci valuit illud restituere; vnde mire ab eo laudatur. 360. X.

Exulare iussus à Valente, sese, inuitis ciuibus, deducendum militibus offert. 370.IV.

Militari habitu lustrans Ecclesias eas curat. ibid.

Post mortem Valentis, legatione fungens è Concilio Antiocheno ad restaurandas Ecclesias à femina Ariana caput tegula percussus occiditur. 378.XIII.

Eusebius Vercellensis Episcopus nomen accipit ab Eusebio Papa. 354.I.

Vna cum Lucifero Calaritano, & alijs legatione fungitur Liberij PP. ad Constantium Imp. in causa Athanasij. ib. In Concilio Mediol. recusat subscribere in Athanasium, & pia fictione liberat Dionysium eius ciuitatis Episcopum à sua subscriptione. 355.II.IV.

Pellitur in exilium à Constantio. ibidem. Coniectus in carcerem, numquam voluit cibum sumere ab Arianis. 356.X. Per scalas sæpe supinis pedibus crudelissime trahitur. ibidem. XI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Loco exilij sæpe mutatur. ibid.
Post obitum Constantij, creatur à Liberio PP. Vicarius Apost. Sedis ad restituendas Ecclesias Orientis. 362. XXXIX.
Interest Concilio Alexandrino in causa Lapsorum. ib. XLI.
Dissentit à Lucifero ea in re. ib. XLV. Orientem & Occidentem perlustrat, lapsos reuocando, & restituendo. ibidem. XLIX. Primus in Occidente iungit monasticam vitam clericali. 328. IV.
Exagitatur ab Anxentio Mediolan. Episc. Ariano. 368. IV. Moritur, & titulo Martyris quarantione celebretur. 371. IX. Miraculis post obitum claret. ibid.
Eusseb. eunuchus, præfectus cubiculi Constantij Imp. seductus ab Ariano presbytero, alios ad eandem hæresim impellit. 327. XVI. Eius oblatam sibi pecuniam Liberius PP. in exilium ducendus, cum exprobratione respuit. 355. IX. Pœnæ lethali addicitur à Iuliano, post obitum Constantij. 361. XIII.
Eusignius miles centum & decem annorum, ob exprobratam Iuliano apostasiam, martyrium cõsequitur. 362. XXVIII.
Eustachius ante baptismum Placidus dictus, insignis Dux sub Hadriano Imp. insignior martyr, vna cum vxore ac filiis. 120. III. Dictus ab antiquis alter Iob, ob miram in tolerandis aduersis patientiam. ibid.
Eustachius creatur Hierosolym. Episc. 548. IV. mittit legatos ad V. Synodum Oecumen. 553. V. moritur. 561. V.
Eustachius Belon. Comes electus Hierosol. Rex, cedit Balduino, ne bellum ciuile conflaretur. 1. 8. X.
Eustathius ex sede Berœensi transfertur Antiochiã, ob insignem Orthodoxiam. 324. XXXII. In Magno Concilio Niceno primus omnium orationem habet. 325. XVI. Quem locum in eo obtinuerit. ibid. XVII. Falsis criminationibus Eusebianorum deponitur in Concilio Antioch. & à Constantio truditur in exilium. 340. VI. VII. Eius obitus, scripta, & corporis translatio. ib. VII. & 482. I.
Eustathiani, ab eo dicti Antiochiæ Orthodoxi, qui eo pulso seorsum conuenire consueuerunt. 340. IX. Detrectant communicare Meletij sectatoribus, licet Catholicis, quod is aliquando fauisset Arianis. 360. IX. Vide Meletius Berœensis. & Antioch. Eccl.
Eustathius Berytensis Episc. interest Latrocinio Ephesino. 449. VIII. Impœnitens damnatur in Synodo Constantinop. 450. VI. & Chalcedon. 451. XV. Pœnitens absoluitur. ibidem. XVIII. Controuersia eius cum Tyrio Episc. ibidem. XXI.
Eustathius hæresiarcha, qui damnatus est in Synodo Gangrensi, quis fuerit. 319. VI. VIII. Eius impia dogmata. ibid. Ea cito compressa, ac penitus cum auctore extincta. ibi. VI. IX.
Eustathius Sebastenus in Armenia Episcopus, alius ab eo qui damnatus est in Synodo Gangrensi. 319. VI.
Non fuit auctor vitæ monasticæ in Armenia, ac vicinis prouinciis, vt Sozomenus perperam scripsit. ibid. VII. Stat à Semiarianis contra Arianos. 358. IV.
Abdicatur ab Acacianis. 359. XXI.
Adhæret hæresi Macedoniana. 360. IV. præest Concilio Lampsaceno & inde missus ad Liberium Papam, mentitur Cathol. fidem. 365. II.
Conciliis in Sicilia, & Illyrico habitis, fidem Cõsubstantialis iterum profitetur. ibid. III.
Literarum auctoritate Liberij, sedem Sebast. recuperat. ibid.
Eius simulatio detegitur, occasione S. Basilij. 371. III.
Eustathius creatur Patriarcha Const. 1019. II.
Moritur. 1025. III.
Eustathius alius, creatur itidem Patriarcha Const. 1086. V. Moritur. 1089. VIII.
Eustochium nobilissimã virgo Rom. à patruo, magno ipsius damno, iubetur mundano more comi. 382. VIII.
Eutactus hæresiarcha, de quo Epiphanius, idem forte qui dicitur Eustathius in Synodo Gangrensi. 319. VIII. Vide supra in Eustath. hæresiar.
Euthymius insignis virtute & miraculis Abbas, strenue agit pro Concilio Chalced. aduersus Eutychianos. 451. XXXIV.
Itemq; pro reductione Eudociæ Aug. ab ea hæresi. 455. V.
Moritur. 477. V.
Euthymius ex monacho, & Syncello, eligitur diuino calculo Patriarcha Constantinop. 901. II.
Pellitur; & inhumanissime tractatur à clericis, quorum simoniam arguisset. 911. III.
Moritur in exilio, corpus refertur honorificentissime Constantinopolim. 920. I.
Euthymius Zigabenus, auctor Panopliæ, quando scripserit. 1118. XI.
Eutropius eunuchus, Arcadij Imp. cubiculi Præf. auctor ei est agendi aduersus Rufinum. 395. V. XII.
Eligendi Chrysostomi in Episcopum Constantinop. 397. XXI.
Sanciendi legem aduersus immunitatem Eccles. 398. XX.
Primus omnium ex eunuchis euehitur ad Consulatum; sed eius postea nomen expunctum est è Fastis. 399. I. II.
Eius summa in Imperio potentia, coniuncta cum sanitia & impietate. ibid. II. Ob violatam immunitatem Ecclesiast. miserrime perit; diuino quidem iudicio. sed inuidia Gainæ Gothi tyrannidem affectantis, ibidem. & seqq. Fuit etiam Ethnicus. ibid. IV.
Eutychetes Archimandrita Constantinop. ex inconsiderato odio hæresis Nestorij, aliam induxit, qua duas in Christo Naturas negauit. 448. II.
Aliæ eius hæreses. ib. Monitus, & obstinatus perseuerans, damnatur à Flauiano Episcop. Constantinopol. in Synodo. ibi. III. IV.
Agit apud Leonem PP. falsis suggestionibus pro rescissione eiusmodi sententiæ. ibid. V.
Rursum damnatur in alia Constantinop. Synodo. 449. II.
Absoluitur in Latrocinio Ephes. eiusque dogma probatur. ibidem. XI. Damnatur in Concilio Constantinop. sub Leg. Apostol. Sedis. 450. VI. & in Chalcedonen. Oecumen. 451. XXII. XXIII.
Eutychiani hæretici accusare soliti Catholicos Nestorianismi. 449. XI. XV.
Subijciuntur à Marciano Imp. pœnis omnibus in alios hæreticos constitutis. 450. V.
Damnantur in Concilio Constantinop. à Legatis Apostol. Sedis. ibidem. VI. & in Chalcedon. Oecumenico. 451. XXII. XXIII.
Itemq; rescriptis Imper. Marciani, & scriptis doctorum eius temporis. 452. I. II.
Dira eorum scelera, & persecutio in Catholicos Palestinæ. ibid. VI.
Compescuntur à Marciano eorumq; scripta cõburi iubentur. ibi d.
Alia eorum grassatio in AEgypto. 457. IV. comprimitur à Leone Imperat. 460. I.
Eutychianus Rom. Pont. creatur. 275. I. Moritur martyr. 283. IV. Sepeliuit propriis manibus diuersis locis 342. martyres. ibid.
Eutychius ex monacho creatur Episcopus Constantinopolitan. multis visionibus à Deo designatus. 553. I. Interest Quintæ Synodo Oecumenicæ. 553. V. Resistens Iustiniano Imp. promulganti hæresim Incorruptibilium pellitur ab eo in exilium. 564. I.
Multa edit miracula in confirmationẽ Cathol. fidei ibidem. Restituitur in sedem post duodecim exilij annos, miraculis vbiq; proficuus. 578. I. Reuocatur ab errore Origeniano de resurrectione absq; carne palpabili, per Gregorium postea Papam. 583. I. Moritur. ibid.
Euzoius diaconatu depositus ab Alexandro Episcopo Alexandrino, vna cum Ario recipitur in cõmunionem ab Eusebianis in Conciliabulo Hierosol. 535. XI. Creatur ab Arianis Episcopus Antioch. in locum Meletij Orthod. expulsi. 360. IX. baptizat Constantium Imp. in eius obitu. 361. VI. grassatur in Ecclesiam Alexandrinam. 372. V.
Euzoius alius subrogatus ab Arianis in locum demortui Acacij Cæsarien sis. 366. V. Restaurare satagit bibliothecam Pamphili & Eusebij. ibid. Pellitur sub Theodosio Imp. ibid.
Exactor regius pecuniarum iniuste rapinam miserrime perit. 611. II.
Exaltationis S. Crucis festum, qua occasione institutum, & quibus diebus celebrari solitum. 628. I. Ea die proponi solita adoranda S. Crux. 701. I. Vide etiam Crux.
Exarchi ab Imperatoribus in Italiam mitti soliti, postquam maxima eius pars à barbaris occupata est, ad regenda quæ residua essent Imperij: qui Rauennæ considere consueuerunt. 567. IV. Eorum potentia freti Rauennates quidam Episcopi, aduersus Rom. Pontifices cornua erexerunt. 669. II. Eorum consensum in lectione Rom. Pontiff. requiri, tyrannice voluerunt Impp. vnde frequentia orta sunt schismata. 686. I. Eorum vires admodum minuuntur, stante pro Rom. Pont. militia Italica. 701. IV. Vide Rauenna.
Excommunicationis vsus apud Iudæos, & Gentiles. 57. V. Terribilis apud Essenos. ibid. In Ecclesia qualis. VI. VII. Diuersa nomina apud antiquos. ib. Formula ex Synesio. 411. XI.
Excommunicati traduntur satanæ. 57. VI.
Aliæ eorum pœnæ. ibidem. & 370. XIII. Excommunicat incestuosum Paulus. ibid. IV. Obnes etiam temporales vitè infligi potest. 411 VII. Ab vno Episcopo excommunicati, ab alijs non recipiendi. 325. XLI. 412. VI.
Ab Episcopo Catholico inflicta in hæreticum Arianum, diuinitus palam confirmatur. 359. XV.
Excommunicantur à Victore Papa totius Asiæ Ecclesiæ, ob errorem de die Paschatis. 198. I.
Theodosius Imp. à S. Ambrosio, ob cædem Thessalonicensem. 390. II.
Multi Præfecti prouinciarum, ab alijs antiquis Patribus. 370. XIII. 411. XI. 422. II.
Excommunicantur Reges & Imperatores à Ro. Pontiff. aliisque Episcopis. Vide in Reges & Imper. Eos ab his rite excommunicari posse, probatur insuper. 503. V. 800. IV. 875. II. 898. I. 1076. VII. 1081. II. 1097. XXVI. III. VI. 1157. III. quantum id timuerit Theodosius Iunior. 425. VI. Excommunicati à Rom. Pontiff. Patriarchæ Orientis. Vide sub singulis nominibus Sedium Patriarchalium: & plura de his alia, in Rom. Pont.
Excommunicantur etiam mortui. Vide Mortui.
Excommunicatorum communicatio quanto-

pere vitanda. 655.IV.

Excommunicatio non passim infligenda. 1065. I.

Excommunicationis timore repressi aliquando & ipsi tyranni à praui suis conatibus. 773.I. Eam contemnere, docuit hæresis Henriciana. 1102.I. Infligi non posse sæcularibus spoliatis rebus suis, fuit hæresis VVecilonis, damnata in Concilio Quitilineburg. 1085.III. Itemque in regios ministros immitti non posse inconsulto Rege, præsumptum est aliquando in Anglia. 1164.VII. Excommunicatos absq; reconciliatione recipi posse, fuit quoq; error eiusdem VVecilonis. 1085.III. Sicarius excommunicatus confestim diuinitus punitur. 900.IV. itemque incestuosus. 1065. III.

Excrementa ciborum, Christum non eiecisse dicebant Valentiniani. 145.III. in fin. quæcumque corporis egerere, peccatum esse, delirarunt quidam monachi AEgypti. 361.XI. Per ea dæmones foras egredi ab hominibus, dixerunt Massaliani. ibid. Excrementa duarum seminarum ex genere Elxai descendentium, adhibebant inaniter Elcesaitæ ad sanandos morbos. 105.II.

Exequiæ. Vide Funus. Sepultura. Corpora.

Exoleti cur non sublati ab Alexand. Imp. 227.I. auferuntur à Philippo Imp. 246.III. & à Constantino Magno. 315.IV. 330.VII. Vide Libidines. Turpitudines. Lenones.

Exomologesis, vnde dicta, & quid significet. 56.VI. Reliqua vide in Confessio.

Exorcistarum Ordo ab initio Ecclesiæ. 44.XXXIII. XXXV. 56.II. Exorcismi dæmonum apud Hebræos ex Salomone. 56.I. Eorum in Ecclesia probatus vsus. ibi. II. Exorcismi ante baptismum. ib. IV. Quos exorcistas fugillet Vlpianus. ib.III.

Expiationis varia genera apud Gentiles, haud tamen omnium scelerum. 324.VII. Expiantur omnia peccata per Baptismum. ibi VI. Expiationes ob eadem bellicam, quales olim apud Gentiles, Iudæos, Christianosue. 394. IV.

Expiari solita templa, & vasa, ac vtensilia hæreticorum. 536.IX.

Extorres qui dicerentur apud antiquos Christ. 253. XI. Extrema Vnctio. Vide, Vnctio.

Exuconty hæretici, qui & AEriani, ita dicti quod Filium Dei ex nihilo ortum assererent. 360. XI.

Exules pro fide, propagant eam. 456.IV. Vide. Fidei propagatio.

Exuperius Tolosanus Episcopus consulit Innocentiũ Papam de rebus Eccles. 405.V. Quis, quantusque extiterit. ibidem. Eius summa in pauperes largitas, mittitque eleemosynas in Orientem; ibidem. Scribit ad eum Hieronymus. ibid.

Exuperantij & Marcelli martyrium sub Dioclet. 301.III.

F.

Faber fuit Ioseph, & Christus. Appar. XXII. an. 12.II.

Fabianus, diuino accedente columbæ signo, creatur Rom. Pont. 238.III. Ecclesias erigit super cœmeteria martyrum. 242.II. Excommunicat Priuatum hæreticum. ibidem. III.

Baptizat Philippos Impp. 249.III. Philippum Seniorem ecclesia eijcit, & post pœnitentiam restituit. 246.III. Ad eum mittit Origenes professionem fidei, & postea ipsemet accedit. 248.I. Martyrio coronatur ipso initio Persecutionis Decianæ. 253.III. Post eum, amplius vno anno vacat Sedes, ob persecutionis acerbitatem. ib.VII.

Fabius Episc. Antioch. nonnihil inclinatus erga Nouatianum. 254.X. Stabilitur in Cathol. communione à Dionysio Alexandr. 255.IV. Moritur. ibid.

Fabiolæ clariss. fœminæ Rom. pœnitentia publica de inito secundo matrimonio post diuortium cum priori marito. 390.VI. Prima instituit Romæ Nosocomium. ibid.

Facundus Hermanensis in Africa Episcopus, scribit pro Tribus Capitulis. 547.III. Carpit etiam leuiter Vigilium Papam. ibid. V. Ad pœnas à Iustiniano quæsitus ob defensionem Capitulorum, quærit latebras. 553.XIV.

Fames ingens inuadit vniuersum Orbem sub Claudio Imp. 44.XXIX. Immanissima Hierosolymis in eius obsidione, vsq; ad necem & esum carissimorum liberorum. 72.III. Alia sæuissima in Oriente sub Valente. 367. VIII. itemque alia sub eodem in vltionem 80. presbyterorum Orthodox. ab eo necatorũ. 370. VI. Romæ sub Valentiniano II. Imp. 383.XI. Ibidem post obsidionem Alarici, tanta vt peteret populus pretium poni humanæ carni. 410. II. In vniuersa Italia sub Valentiniano III. adeo vt parentes cogerentur vendere liberos ad cibum emendum. 450.VIII. In Africa, in vltionem persecutionis VVandalica. 484.IX. In Palæstina, ob expulsionem Eliæ Patriarchæ Hierosolym. 513.III. In Italia, ob expulsum Siluerium PP. qua & matres natorum comederunt membra. 539.II. In vniuerso orbe sub Marciano & Valentiniano III. quæ leuata est alimento ex aere, veluti olim manna, delapso. 454.VII. & Henrico I. Imperat. 1097.II.

Lucius Anneus Moguntinus Episcopus ex Concilia b. Arelatensi ab Arianis in exilium pellitur & strangulatur. 353.VIII.

Lucius Britannorum Rex ad fidem conuersus, sacros ministros petit ab Eleuthero PP. 183.I.

Ipse que regno posthabito petit Germaniam, ad prædicandum Euangelium, fitque Episcopus & martyr. ib.II.

Lucius Hadrianopol. Episcopus pulsus ab Arianis, restituitur à Iulio Papa. 342.VIII.

Cogitur ab Arianis mori in exilio. 348.I.

Lucius Rom. Pont. creatur. 255.IX.

Exulat ob fidem. ibid.

Reuocatur. 256.I.

Martyrio coronatur in persecutione Galli & Volusiani. 257.II.

Eius decreta. ib.III.

Lucius II. creatur. 1144.I. *Dire vexatur à rebellibus Rom.* ib.III.

Moritur. 1145.I.

Lucius III. ex Ostiensi Episcopo eligitur. 1181.V.

Exagitatur à Romanis, ob quasdam consuetudines eis denegatas, sed auxilio Principum compescit eos. 1183.I.

Veronæ contendit cum Friderico Imp. de quibusdam iuribus. 1185.I.

Promouet expeditionem in Terram Sanctam. ibidem.II.

Moritur Veronæ. ib.III.

Lusius Samosatenus Episc. intruditur ab Arianis & persequitur orthodoxos. 370.IV.

Lucius Verus, vna cum Marco Aurelio, post Antonium Pium suscipit Imperium. 163. III.

Vide in Marcus.

Expeditionem mouet in Parthos. ib.IV.

Ducit vxorem filiam Marci, quæ liberatur à dæmone per Abercium Episcopum Hierapolitanum. ib V.

Triumphat vna cum Marco de Parthis. 168.I.

Moritur ex apoplexia. 171.I. *Inter diuos refertur à Marco.* ib.

Ludgerus Frisonum Apostolus, discipulus Alcuini. 778 III. *Cassini monasticis institutis exultus, propagat ea in Germania.* ib.

Ludi Gladiatorum.

Cateruales.

Seculares.

Theatrales.

Circenses.

Vide sub singulis vocibus, & adde Agon. Spectacula.

Ludouicus, filius Caroli Magni, cognomento Pius, constituitur à patre Rex Aquitaniæ. 806.III.

Restituit ibi collapsam Eccles. disciplinam, cupitque fieri monachus. 807.III.

Creatur à patre Imperator, optimisque monitis instruitur. 813.V.

Mortuo patre, solus imperat in occidente. 814. VI.

Coronatur, & vngitur à Stephano PP. Quinto. 816.VI.

In Conuentu Aquisgran. confirmat donationem bonorum Eccles. Rom. liberamque relinquit Clero & populo, Pontificis electionem. 817.II.III.

Lotharium filium coronat Imp. ib.III.

Rebellantem nepotem Bernardum, luminibus priuari permittit, fratres naturales coniurationis reos in monasterium detrudit. 817.IV.

Agit publicam ea de re pœnitentiam. 822.I.

Eius solicitudo de reformatione Ecclesiæ, & monasteriorum. 817.II.819.I.828.I.

Leges Ecclesiæ non nisi auctoritate Apostol. Sedis sancit. 819.III.

Recipit Legatos pro pace à Michaele Balbo Imp. Orient. 824.II.

Collationem procurat Parisiis de Imaginibus, ex permissione Eugenii PP. & quomodo ipse à Collatoribus in discrimen adductus fuerit. 825.I. & seqq.

Init periculum à coniuratione Pipini filij, aliorumque Principum, ob fauorem erga Bernhardum Hispanum hominem; sed liberatur à filio Lothario. 830.II.

Insurgentibus rursum aduersus eum tribus filiis, deponitur: sed rursum restituitur, & reconciliatur illis. 833.I.II.834.I.

Cometæ apparitione monitus, bonis operibus præparat se ad mortem. 837.I.

Regnum inter filios partitur, eisque commendat Defensionem Rom. Ecclesiæ, cæterarumque. 838. II.

Northmannos irrumpentes repellit, Britones & Aquitanos compescit. 836.I.839.I.

Filium Ludouicum rebellantem, ad deditionem compellit. 839.I.

Rursum rebellantem persequitur, & in morbum incidens pissime moritur, pace tum ei, tum aliis impertita. 704.I.II.

Post 33. ab obitu annos, in visione petit à filio suffragia pro sua liberatione à pœnis quas patiebatur in Purgatorio. 874.I.

Ludouicus filius Ludouici Pij Imp. constituitur a patre Rex Germaniæ. 817. III. *Insurgit cum fratribus in patrem: sed postea reconciliatur.* 833. I.834.I. *Rebellat sæpius, & semper veniam obtinet ab indulgentiss. patre.* 839.I.840.I.II.

Vna cum Carolo Calvo fratre vincit Lotharium alium fratrem, & regium eius inter se partiuntur iudicio Episcoporum Gallorum. 842.I.

Vocatus in Galliam aduersus fratrem Carolum, monetur ab Episcopis de rebus suis curandis: sed nihilominus multa infert mala regno & Ecclesiis. 858.II.

Interpellat summa humilitate Nicolaum PP. aduersus Carolum. 860. III. *Recipit egregia munera à Basilio Imp. Orient.* 872.I.

Moritur. 876.IV.

Ludouicus II. Imp. mittitur à patre Lothario Romam post electionem Sergij Papæ, & ad quid. 844.II.

Quando fuerit coronatus Imp. ib.III. *Eius praua conatus ad vendicandam sibi electionem Rom. Pontificis.* 855.V. *Mortuo patre, solus imperat.* ib.VI.

Nicolao Papæ exhibet ministerium stratoris. 858.I. *Vincit Saracenos.* 866.III.871.III. *Pro eius parte regni Franc. à patruis inuasa, multũ satagit Rom. Pont.* 869.XVI.870.I.873.II.

Altercatur cum Basilio Imp. Orient. de nomine Imperatoris, quod ei Basilius inuideret. 869. XII.871. III. *Proditorie capitur à Duce Beneuenti, diuina agente vindicta ob quadam eius sacrilegia.* 872.II. *Absoluitur à Rom. Pont. iuramento per vim proditoribus præstito.* 87[illegible]

Moritur. 87[illegible]

Ludouicus III. cognomento Balbus, Franc. Rex imperat in Occidente post patrem Carolum Calvum. 877.VI.

Moritur. 879.I.

Ludouicus IV. Bosonis filius, Romæ coronatur Imp. à Sum. Pont. 900.VI. *Oculis, & Imperio priuatur à Berengario tyranno.* 904.I.

Ludouicus filius Caroli simplicis Franc. Regis relinquitur à patre heres. 929.I. *Vngitur in Regem.* 936.II.

Rebellantes in eum Principes compescuntur à Rom. Pontif. 942.I. *Dolo Hugonis Principis detinetur in custodia à Northmannis; & liberatur post annum.* 945.II. *Purgat se in Concilio Engelheim.* 948.II.

In Treuerensi confirmatur. ib.III. *Moritur.* 954. IV.

Ludouicus Lotharij filius succedit patri. 986.I.

Moritur vltimus Carolinorum. 987.I.

Ludouicus, cognomento Crassus, Francorum Rex vngitur Aureliani. 1106.VII.

Eius insignis pietas, iuncta bellicæ fortitudini, pro defensione regni aduersus hostes. 1125.II.

Episcopos renuntiantes militiæ palatinæ & castrensi, male habet; & inde redarguitur à S. Bernardo, & alijs viris sanctis. 1127.III.

Adhæret Innocentio II. contra Petrum Leonis Antipapam, eumdemque honorifice suscipit. 1130.IX.

Filium Ludouicum per eum vngi & coronari facit in Concilio Rhemensi. 1131.I.

Moritur, vere pœnitentis exemplum edens. 1136.I.

Ludouicus Rex Franc. eius nominis Septimus, vngitur viuente patre ab Innocentio PP. 1131.I.

Succedit patri defuncto. 1136.I.

Refragatur Innocentio, ob cuiusdam Episcopi consecrationem, & Ecclesias vexat, sed paulo post resipiscit. 1142.I.

Sumit Crucem à S. Bernardo, pro expeditione in Terram Sanctam. 1146.I.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sumpto à S. Dionysio vexillo, dicto Auriflamma, proficiscitur, & appellit in Palæstinam. 1147. III. 1148. I.

In reditu captus à Græcis, liberatur à Rogerio Siciliæ Rege. 1149. II.

Coniugem relinquit, iudicio Synodali, ob consanguinitatem, aliamque ducit. 1151. II.

Adhæret Alexandro Papæ aduersus Octauianum schismaticum, quamuis in contrariam partem valde solicitatus à Friderico Imp. 1160. VIII. 1161. I. II.

Dolose circumuentus à Friderico, se & Alexandrum coniicit in immensum periculum, sed liberantur diuinitus. 1162. II. III.

Officium stratoris exhibet Alexandro, vna cum Rege Angliæ. ibid IV. Thomam Cantuar. expulsum, honeste excipit, fouetque. 1167. VI. 1168. II.

Eum aliquando deserens, mox flexis genibus veniam petit; & dignum Rege Christianiss. responsum dat Regi Angliæ, de vtriusque regni consuetudinibus. 1168. VI.

Diuino monitu peregrinatur ad sepulchrum eiusdem S. Thomæ martyris, pro sanitate filio ægroto obtinenda. 1179. VI.

Moritur. 1180. IV.

Lugdunensis & Vien. Eccles. litera ad Ecclesias Asianas, de persecutione sub Marco Imp. 179. II.

Per Irenæum presbyt. consulit Eleutherum PP. de quibusdam dubiis. ib. V.

Lugdunensis Eccles. Episc. vocatus aliquando Patriarcha. 588. III. Per eum indici debuit Concil. Generale Galliarum. ib. Ecclesia aliquanto tempore fuit sine Episcopo, ob sacrilegas Laicorum inuasiones rerum sacrarum. 738. III.

Valde fluctuat sub Conrado Imp. 1034. IV.

Eius priuilegium super quatuor Galliarum Archiepiscopatus, confirmat Gregorius PP. Septimus. 1079. IV.

Lugdunense Conc. in causa hæresis Prædestinatorum. 520. IV.

Aliud, Primum dictum, aduersus duos prauos Episcopos. 570. VI.

Secundum, pro disciplina Eccles. 587. IV.

Aliud sub Ludouico Pio, in causa Episcoporum Lugdun. & Vien. reorum coniurationis aduersus Imp. 836. III.

Aliud sub Legato Sedis Apost. quo excommunicatus est Rhemensis Archiep. 1080. XVI.

Luithprandi Regis Longobard. in Italia initium. 712. III.

Confirmat restitutionem Alpium Cottiarum Rom. Ecclesiæ. ib. & 715. I.

Transfert Ticinum è Sardinia corpus S. Augustini, magno precio redemptum à Saracenis. 725. I. Exurgit viriliter aduersus Leonem Imp. pro defensione sacrarum Imaginum. 726. VII.

Icto fœdere cum Imp. tentat Romam, sed à Gregorio Papa reuocatur à cæpto, eique se obsequentem exhibet. 729. I.

Rursum obsidet Romam, & Ecclesiam S. Petri diripit magno suo damno. 739. I. Moritur; & quæ eius laudanda vel vituperanda. 744. IV.

Luithprandus Episcopus Cremonensis, historia scriptor, mittitur à Berengario Italiæ Rege Legatus ad Constantinum Porphyrogen. Imp. 946. II.

Eius historia aucta appendice spuria, in gratiam Ottonis Imp. aduersus R. Pont. 960. I. 964. III

Rursum mittitur ab Ottone Constantinopolim ad Nicephorum Imp. pro nuptiis filii Ottonis, sed male habetur, ex inuidia Græcorum in Latinos. 968. I. II.

Lumina in Ecclesiis clara luce. 58. XXVII. Vide Lampades.

Lumina accensa olim præferri solita Augustis. 182. III.

per Lumen quomodo diuinarum Personarum distinctionem exponeret Hierax hæresiarcha. 287. IV.

Luminaria aliquando in sanctis Sacerdotibus in Ecclesiis extingui solita, quousque Deus vindictam sumeret de iniuriis illi Ecclesiæ illatis. 683. V. id prohibitum in Concil. Tolet. XIII. ib.

Lunam esse Deum, dixit Prodicus hæresiarcha. 120. XVII.

Lunam & Solem adorabant Manichæi; & quænam alia de iis delirarent. 277. IX.

Eius pariter cultum introduxit Mahometes. 630 II.

Luna in sanguinem conuersa in martyrio Felicis Episcopi Africani. 302. XIX.

Lunæ deficientis stulta Gentilium reuocatio, sublata Mediolani ab Ambrosio. 377. V. & in Africa ab Augustino. 418. VI.

Lupercalia aufert Romæ Gelasius Papa. 496. IV. In eorũ locum introductũ festũ Hypapanti. 544. III

Lupensi Abbatis martyrium in Gallia. 587. VII

Lupus Trecensis Episcopus, ex vxorato olim monachus, miræ vir sanctitudinis, vna cum S. Germano Antisiodor. mittitur in Britanniam aduersus Pelagianos. 429. II. Quid ipse cum Attila Gallias deuastante. 451. VI.

Moritur felicissimus in discipulis, & successore. 479. III.

Lupus Senonensis à Clotario Rege in exilium pulsus, ingenti honore reuocatur. 614. VI.

Lupus Ferrariensis Abbas constituitur à Ludouico Pio. 838. IV. Fungitur legatione ad Leonem Papam. IV. 855. IV. Memoratur sæpe cum laude.

Lupus ferum animal, Aureliis prodigiose tintinabulum ecclesiæ insonat. 888. VI.

Lustratio. Vide Expiatio.

Lustris singulis census apud Romanos fieri soliti, Appar. XXIX.

Lustrum nouissimum habitum sub Vespasiano. 76. I. Vide etiam Census.

Lustrici dies, qui dicti 1. II.

Lysanias Abilinæ Tetrarcha, cuius meminit Lucas, qui fuerit. 31. III.

M.

Macarius Ægypti Abbas pro Leunculis cæcis sanatis, donatur à Leone ouinæ pelle. 372. VI.

Macarius Antioch. Episc. signifer hæresis Monothelitarum. 677. I.

agit aduersus Rom. Pont. 677. I.

Eius impudentissima procacia in Synodo Sexta. 680. VI. 681. II.

Damnatur, atque deponitur. 681. II. Appellans Rom. Pontificem, mittitur in Vrbem. ib. X.

Obstinatus persistens, includitur monasterio. 683. III.

Macarius alius Antiochenus, insignis vir pietatis, post renunciationem Episcopatus, & varias peregrinationes, moritur in Flandria, miraculis vbique clarissimus. 1012. III.

Macarius Hierosol. Episc. creatur. 312. XVII.

Aduersatur Ario. 318. VIII.

Interest Magno Concilio Nicæno. 325. VIII.

Moritur. 331. II.

Macarius II. Hierosol. Episc. creatur, vir laudatiss. 546. VIII.

Calumniam passus de Origenis erroribus, pellitur, sed iis damnatis restituitur. 548. IV

Macarius monachus Catholicus miraculo suscitati mortui superat Hieracitam hæreticum, quem disputatione conuincere non posset. 287. IV.

Macarius V. C. à Constante Imp. mittitur legatus in Africam ad alliciendos Donatistas ad cõcordiam. 348. V. Ab eo Catholici dicti à Donatistis Macariani, & tempora Macariana nominata, & quare. ib. IV. VI.

Macarii cur dici voluerint Manichæi hæretici. 277 V.

Macedonij & sociorum martyrium in Phrygia sub Iuliano. 362. XX.

Macedonij Episc. Constantinop. nomen refertur in Diptychа à Synodo Constantinop. 518. VI. Sed expungitur iubente Hormisda Papa, quodlicet Catholicus retinuisset tamen Acacij Schismatici nomen. 519. III.

Macedonius præfectus Gratiani Imp. diuinitus punitur ob reiectum Ambrosium & susceptum Priscillianum. 381. XV.

Macedonius Antioch. Episc. creatur 640. III. Damnatur ob hæresin à Martino Papa. 649. VII.

Macedonicum Concil. ex quo legatio ad Innocent. PP. 414. VI.

Macedonius, fide Catholicus, creatur Episc. Constantinop. 495. III.

Agit pro Romana Sede, sed aduersarium patitur Anastasium Imp. 497. I.

Misso ad eum occidendum cuidam ab Imperatore, ipse munera donat. 505. II. Frustra tentatur de damnatione Concilij Chalcedon. 506. III.

Calumnijs ab Imp. exagitatus se purgat. 510. II.

Tandem vi & fraude opprimitur, & in exilium mittitur. 511. III.

Licet pro fide, haud tamen in castris Ecclesiæ pugnauit, ob retentum Acacij nomen. 512. III.

Moritur in exilio. 515. III.

Macedonius hæresiarcha, eligitur ab Arianis Episc. Constantinop. sed excitantur turbæ. 342. VII.

Introducitur à Constantino Imp. 351. XI.

Dirissime sæuit in Catholicos. ib. XII.

Odium quoque Constantij in se concitat, ob translationem corporis Constantini Magni, & plebis eadem inde secutam. ib.

Stat à parte Semiarianorum, contra Arianos. 358. IV. 359. XVIII.

Abdicatur in Concil. Constantinop. ab Acacio, & in eius locum substituitur Eudoxius. 359. XXI.

Nouam hæresim promulgat, qua Spiritum S. creaturam asseruit, sectatoresque habet omnes Semiarianos. 360. IV. ac confestim cunctos vbique Arianos. ib. V.

Macedoniani hæretici, dicti quoque Marathoniani, à Marathonio eius hæresis propagatore. 360. IV.

Eorum ciuitas appellata Cyzicus, quod eam hæresim valde auxisset Eleusius Cyzicenus. ib.

Vitæ sanctitudinem, & monachismum præseferebant, & ideo grati erant populis. ib.

In eam hæresim primus omnium Athanasius è latebris suis iacula intorsit. 360. V.

Damnatur ab eodem post latebras, in Concil. Alexandrino. 362. XII.

Student se insinuare Iouiano Imp. Catholico, sed reiiciuntur. 363. XX.

Vocati à Theodosio Magno ad Concilium Oecumen. Constantinopolim spe concordiæ, eam renuentes damnantur cum aliis hæreticis. 381. II. IV.

Iterum ab eodem Imp. compescuntur. 384. VII.

Pariterque sub Theodosio Iuniore exagitantur. 410. XIV. Vide etiam Semiariani.

Macrianus, capto à Persis Valeriano, inuadit Imperium. 262. III.

Macrina auia S. Basilij, egregiæ pietatis fœmina. 304. XII.

Macrinæ sororis eiusdem Basilij, sanctiss. & doctiss. virginis

virginis Deo dicatæ, obitus. 378. XII. Eius hereditas annulus ferreus, ac ferrea crux crescit Gregorio fratri. ib.

Macrinus Mauros ex ignobili ortu ad Præfecturam Prætorij perueniens, Caracallum occidit, & Imperium arripit, iuncto sibi filio Diadumeniano. 219. X.

Fuit sæuissimus, & aliis vitiis inquinatissimus. ibid.

Necatur post annum à militibus, vna cum filio. 220. I.

Macrinus alius, contra Philippos Imperator acclamatus, cito extinguitur. 253. II.

Magdalena. Vide Maria Magdal.

Magiæ varia genera. I. III. V.

Magia à Tiberio Romæ primum repressa. 18. I.

De Magia liber confictus nomine Christi qui per eam sua miracula fecisse diceretur. 44. XXVI.

Magiæ libri, etiam apud Gentiles igne damnati. 56. XII.

Eos Ephesij facti Christiani comburunt. ib.

Quæsiti quoque, & combusti, sub Valente Imp. 370. XV.

Magiæ tributa à Gentilibus miracula Christi, & Apostolorum. 68. XII. aliorumque Christianorum. 100. II. 302. XVIII.

Magi qui venerunt adorare Christum, qui nam, cuiates, quot, & quales fuerunt. I. III. IV. V.

Quo tempore venerint in Bethleem. ib. VI. VII. & 31. XIV. fuerunt primitiæ gentium, atq; ideo summa eorum aduentus celebritas in Ecclesia. ib. X.

Baptizantur à Thoma Apostolo, & socij eius fiunt in prædicatione Euangelij. 44. XVI.

Magos, hoc est, Maleficos, vndique ad se vocat Nero Imp. 68. VI.

Delusus à Simone, eos exagitat. ib. X.

Trahunt eo tempore post se Iudæos, promissione signorum & prodigiorum. 58. LIX.

A Tiberio exagitantur. 18. I. itemque à Constantio. 356. I. 358. VI. A Valentiniano & Valente. 364. VIII. 365. V. 367. VII. 370. XIV. XV. & à Theodorico Rege. 504. II.

Magus quidam Ægyptius, sub Philippo Imp. persecutionem excitat in Ecclesiam Alexandr. 252. II.

Eiusdemque impulsu Valerianus vbique Christianos exagitari iubet. ib. & 259. I.

Dicebantur etiam ab antiquis Ægyptij. 324. VIII.

Artem suam honesto philosophiæ pallio tegebant 351. III. 362. IV.

Eorum vanis prædictionibus deceptus Iulianus Apost. perit. 362. VI. VIII. X.

Vide etiam Malefici.

Magorum sectam in Perside extinguit Habdallas Saracenorum Rex. 758. II.

Maginolphus quidam erectus pseudo Pontifex, aduersus Paschal. II. 1100. II.

Magistratuum rapinas in prouinciis cohibet Nero. 59. VIII.

In eorum electionibus, Alexander Imp. imitatur Christianos. 224. II

Iis derogabat Manes. 277. X.

Accusari à prouincialibus, permisit Constantinus 325. LII. Eos Episcopus idem subiecit. Vide Præfecti.

Magistratus gerere prohibiti hæretici & schismatici, in Concilio Arelat. I. præsente Constantino. 314. VIII.

Prohibiti Christiani à Iuliano Apostata. 362. V.

Magistratus nouos creat Constantinus. 330. VI.

Venales omnes exponit Zeno. 474. III.

Eosque nihilominus constituit, post muneris functionem, quadraginta diebus rationem exigentibus reddere. 475. VIII.

Eorum venditionem aufert Anastasius, sed mox restituit. 491. III. IV.

Magistratus vendere prohibuit Iustinianus. 535. II.

Sed nihilominus sequuti postea Impp. venales exposuerunt, auctione proposita. 590. VIII.

Magistratus auxilium rite ab Episcopis implorari aduersus hæreticos & schismaticos, vide in Hæretici.

Magistri XII. Manichæorum, instar XII. Apostolorum. 277. XI.

Magistriani, hoc est, agentes in rebus. 163. V. Et Præfecti tabellariorum. 431. XVI.

Magnentius dux Constantis Augusti, occiso eo inuadit Imperium Occidentale. 350. I. II.

Simulat Christianum. ib. III.

Primus Christianorum conspirauit in Imperatorem. ib.

Mittit Legatos ad Constantinum, insignes Episcopos. 350. VIII.

Prostigatus à Constantio, desperatione actus, matrem, fratremque, ac seipsum necat. 353. III.

Magnum Concilium, quod diceretur. 347. III.

Magodia regio, ex qua forte Magi ad Christum. I. V.

Mahometis origo, progressus, nefanda dogmata, mors, & sepultura. 630. I. & seqq.

De cultu ei à suis exhibito, & peregrinatione ad eius sepulchrum. ib. III.

Maioli S. Abbatis Cluniacens. obitus. 993. II.

Maiorianus domitor Francorum & Alemannorũ, creatur Imperator Occidentis. 457. VIII.

Relaxat omnia tributa non soluta. 458. I. Necatur fraude Seueri Imperium ambientis, magno Reip. damno. 461. I.

Maiorinus creatur à Traditoribus Episcopus Carthagin. contra Cæcilianum. 306. XII.

Damnatur cum suis in Synodo Rom. sub Melchiade. 313. VII.

Maiuma, turpe spectaculum, vnde sic dictum. 399. V.

Lege Arcadij, agente Chrysostomo, proscribitur. ibid.

Malachias creatur Episcopus in Hibernia, restituitque collapsam eius Ecclesiæ disciplinam. 1124. IV.

Petit Romam pro pallio, & Apostolatu; & quantus ei à summo Pont. delatus honor. 1137. III.

Moritur in monasterio Clarauallensi. 1148. X.

Malchion. Antioch. presbyter disputatione publica Paulum Samosat. conuincit. 272. I.

Maledicentes Imperatori pœnæ eximens Theodosius, eosdem arctioribus vinculis constringit. 393. VIII.

Maledictum à Pontifice castrum, terra absorbetur. 1150. II.

Maleficiis & incantationibus vti soliti hæretici, Helcesaitæ. 105. II.

Basilidiani. 120. VII. Carpocratiani. 120. XII. Gnostici. 120. XIV. XVI. Ophitæ. 145. V. Montanistæ. 173. III. Seueriani. 174. V. Marcitæ. 175. VIII. Noruegi. 1028. III. Vide etiam Prastigiæ.

Malefici & incantatores à Constantino Magno cohibiti. 321. VII. itemque à Constantino eius filio. 357. XXIII. 358. VI.

Valentiniano & Valente. 370. XIV. XV. Gratiano & Theodosio. 382. V. 389. IX. & in Gallia, à Fredegunde Regina. 587. VI. Vide etiam Magi & Sortilegi.

Maleficiis & incantationibus vsus Valentinianus III. Imp. ad expugnandam matronarum castitatem. 454. I.

Malos omnes ab inferis eductos esse per Christum iustos autem ibi esse relictos, asserunt Marcion. 146 VI. Vide Inferi.

Malum esse bonum, & contra bonum esse malum, asseruerunt Caiani. 145. VIII.

Malum increatum esse, & Deo coæternum, dixit Marcion. 146. V.

A Materia prodijsse, Hermogenes. 170. IV.

Malorum causam esse Deum, dixit Florinus. 180. III.

Eorum non esse creatorem Deum, Colluthus. 315. XII.

Malphitanum Concil. sub Nicolao. II. 1059. VIII.

Mamæa Alexandri Imp. mater femina laudatissima, Christianis fauet, & Origenem accersit. 223. V.

Desciscens à priore illa institutione vitæ, ob auaritiam necatur vna cum filio Imp. 237. I.

Mamertinus carcer Romæ Principum Apostolorum 68. VIII.

Mamertus Viennensis in Gallia Episcopus, egregius Rogationum sacrarum institutor seu restitutor. 475. IV.

Ipsius frater eiusdem nominis presbyter eiusdem Ecclesiæ confutat scripta hæretica Fausti Regiensis. 520. VI.

Manasses affinis Hugonis Regis Italiæ, homo nefarius, primus plures simul Episcopatus possidet. 936. V. Cupidine potiundi Mediolanensi, prodit Hugonem. 945. I.

Manes hæresiarcha quo tempore innotuerit. 277. II.

Fuit genere Persa, conditione seruus, nomine Curbicus. ib. IV.

Cur dictus Manes, siue Manichæus. ib.

Eius primordia & disciplina. V. Ob necem filij Regis Persarum, quem sanandum susceperat, carceri mancipatur. VI. Fugæ, disputationes de religione, captura, & excoriatio, aliaque cadaueris supplicia. ib.

Non fuit Christianus, multa tamen hausit à Christianis. XI. Ex omnibus sectis aliquid sumpsit, vt omnes facilius ad se alliceret. XII. Apostolum se Iesu Christi nominauit, hoc est Paracletum, quem Christus promiserat. VII. Impia, ac delira, eius, ac discipulorum dogmata & nefandæ turpitudines. VIII. & seqq Scripta. VII. XIII. A quibus errores confutati. XIV.

Manichæorum diuersæ aliæ appellationes. 277. V. VI.

Diuisio in electos, & Auditores. ib. X. XI. Electorum aliæ subdiuisiones. ib. XI.

Fuit ea hæresis, sentina omnium impietatum & scelerum. XII.

Fuerunt potentes ad seducendos alios, difficiles conuerti ad Ecclesiam. XIII.

Reprimuntur à Diocletiano & Maximiano Impp. Ethnicis; eorumque libri, & doctores cõburi iubentur. 287. V.

Deteguntur Romæ conuentus habere sub Valentiniano Imp. & ab eo vbique prohibentur. 372. XIV.

Quod ii affectarent sanctitudinem, inde Christiani ieiunantes Romæ Manichæi vocati. ibidem.

Eorum conuentus rursum prohibentur à Gratiano. 377. III. & à Theodosio Magno. 381. XI. 382. XIII. ac postea vndique pelli iubentur ab eodem Theodosio. 389. X. exagitantur quoque

Romæ ab Anastasio PP. 402. XIII.

Et in Gallijs à Bonifacio. 419. XV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eorum execrabiles turpitudines, & horrenda mysteria, deteguntur Carthagine. 420.I.

Iterum detecti Romæ à Leone Papa in exilium pelluntur, librique comburuntur; & vt idem vbiq; fiat, ab eodem Pont. curatur. 443. I. 444. I.

Vt sacrilegi puniuntur à Valentiniano Tertio. 445. III.

Comburuntur ab Hunerico VVandalo in Africa. 476. IX.

Denuo pelluntur Romæ à Gelasio PP. 496. VI. *& ab Hormisda.* 523. I. *Et in Oriente capite plectuntur, & trucidantur à Iustino Imp. & Cabade Pers. Rege.* 523. II.

Reuniscunt in Armenia, sed ab Impp. Constante & Iustiniano Iuniore trucidantur & comburuntur. 653. VII.

Itemque à Leone Isauro. 722. I. *Fauet eis Nicephorus Imp.* 810. I.

Eorum ijs temporibus variæ aliæ appellationes, & sectæ. 810. I.

Rursum gladio necantur à Michaele Curopal. 812. I.

Bello item appetiti à Michaele III. ad centum millia occiduntur, reliqui iungunt se Saracenis. 845. II.

Delentur innumera multitudine à Basilio. 886 III. *Detecti rursum in Gallia & Hispania, noua quædam docentes, igne comburuntur.* 1017. I.

Et in Germania suspendio necantur. 1052. V.

Manlius Theodorus Consul, insignium virtutum vir sub Honorio Imp. 399. I. *alius eiusdem nominis item Consul. sub Theodorico fit monachus ex consensu coniugis.* 505. I.

Manuum impositio, propria Apostolorum, & Episcoporum, ad conferendum Spiritum S. in Sacramento Confirmationis. 35. XI. *Vide Chrismá.*

Manuum impositio in ordinandis sacris ministris. 44. XXXV. *Vide Ordinatio. Ismedus ab Hebræis acceptus.* ib.

Manus impositio duplex apud Hebræos. ib. *Æmulati quoque eundem ritum Gentiles.* ibidem. XXXVI.

Manuum opus. Vide Opus.

Manuum lotione soliti Iudæi suam contestari innocentiam. 34. XXVIII. *vel etiam, Manuum ad solem sublatione.* ib.

Manuum extensione benedictio ab Hebræis impertiri solita. 34. LXI.

Manuum cum thure adustio, excogitata à Gentilibus in Christianos pœna. 304. XIII.

Manibus inscribi Christianos & Iudæos, iussit Habdallas Saracen. Rex in Syria. 772. IV.

Manus S. Ioannis Bapt. transfertur Constantinop. 956. II.

Manus amputata restituitur S. Ioanni Damasceno à B. Virgine, relicta tantummodo linea ad locum excisionis. 728. I. *Eodemque plane modo restituitur alio tempore, cuidam homini in Germania.* 944. V.

De Manus præcisione, & restitutione, Leonis PP. fabula reijcitur. 461. VI. 795. V.

Manumissiones concessæ à Constantino Episc. 316. IX.

Mantuanum Concil. in causa Schismatis Ecclesiæ Rom. Cadaloici celebratur ab Alex. II. Pontif. 1064. II.

Manuel Comnenus imperat Constantinopoli, & ducit vxorem, sororem coniugis Conradi Rom. Regis. 1143. IV.

Eumdem Conradum proficiscentem cum expeditione in Terram Sanctam omnimodis vexat, & per Tucas eius exercitum delet. 1147. III.

Cũ manus iniecisset in bona Eccles. postea correxit, & ea aureis constitutionibus muniuit. 1148 XII.

Legationes mittit ad Alexandrum PP. pro repetendo Imperio Occidentali, aduersus Fridericum schismaticũ. 1166. IV. 1170. IX. *itemque pro securitate Imperio suo procuranda à Francis in Terram Sanctam expeditionem ducentibus.* 1180. IV.

Moritur sumpto pro pœnitentia monastico habitu. ib. V. *Laudatur de eleemosynarum largitate in pauperes & egenos.* ib.

Maranatha vox quid significet, & quare à Paulo Apostolo addita Anathemati. 57. XLIX. *Eam exhorrent Hispani, & quare.* 775. IX.

Marathoniani hæretici, qui & Macedoniani, à Marathanio Macedonij sectatore. 360. IV.

Marcella, nobilitate, scientia, & virtutibus præstans matrona Rom. discipula S. Hieronymi. 382 VIII. *omnium prima in Vrbe detegit Origenistas.* 397. V. *Renuntiatis ampliss. diuitijs, amplectitur vitam monasticam.* 419. VII. *In direptione Vrbis per Alaricum, tenta à Gothis vna cum Principia filia, fustib. cæsa cum poscerentur aurum, cognitæ liberæ dimissæ sunt.* ib.

Marcellina femina hæretica secta Gnosticorum, multos Romæ seducit. 167. VI.

Marcellina soror S. Ambrosij, virgo Deo dicata, Romæ domi suæ manens, alias virgines secum habet. 377. IV.

Marcellinus Comes, auctor Chronici, vbi illud terminet, & quæ alia scripserit. 537. VII.

Marcellinus, Tribunus & Notarius, mittitur ab Honorio Imp. in Africam, ad dirigendam Collationem inter Cathol. & Donatistas. 410. XI. *Quæ fuerint eius partes in Collatione.* 411. IV. *Iudicium profert aduersus Donatistas.* ib. V. *Fuit doctrina & pietate insignis.* 413. II. *accusatus falso à Donatistis de proditione, occiditur à Marino duce, & titulo martyrij viget in Ecclesia.* ib.

Marcellinus Rom. Pont. creatur. 296. II. *A Græcis auctoribus confunditur cum Marcello.* ibidem.

Dubia assertio de eius facta idolis immolatione. 302. XII. XIV.

Testimonia antiquorum de eius integra religione. ib. X V.

Eius lapsus, etsi verus esset, nihil obest Rom. Sedi. ib. XVII.

Martyrio coronatur. 304. VII.

Marcellinus Rom presbyter martyr sub Diocletiano, vna cum Petro exorcista. 302. XVIII. *Animæ in cœlum visæ ferri.* ib.

Reliquiæ transferuntur in Gallias opera Eginhardi. 826. II.

Marcellinus Rom. presbyter schismaticus, in Damasum PP. contumelios. 367. VI. *Offert librum famosum Theodosio aduersus Catholicos, & rescriptum impetrat, quod paulo post rescinditur.* 388 XI. *Fides eius sæpe nutat in enarrandis rebus virorum sanctissimorum.* 357. VIII. XVII. *& alibi.*

Marcellus Ancyranus Episcopus, Eusebianorum calumnijs deponitur. 336. V. *Appellat Rom. Pontificem, & ab eo causa cognita restituitur.* 340. I. 341. XIV. 342. VIII. *Eiusque restitutio confirmatur in Concilio Oecumen. Sardic.* 347. VII.

Dubium an fuerit Sabellianus: sed absolutio criminum obiectorum, fuit prorsus absque culpa vel Pontificis, vel Synodi. ib. XIV. *Photini ipsius discipuli impietas notam ei grauem attulit.* ib. *Iterum ecclesia sua pellitur à Semiarianis.* 351. X.

Marcelliani hæretici damnantur in Concilio Oecumenico Constantinop. 381. IV.

Marcellus Apamensis Episcopus martyrium subit à Gentilibus sub Theodosio Magno, ob dirutum ipsorum templum. 389. XVIII.

Marcelli Centurionis, cum XII. filiis, martyrium sub Dioclet. 298. I.

Marcelli & Exuperantij martyrium sub eodem Dioclet. 301. III.

Marcellus Rom Pont. creatur. 304. VII. *Titulos in Vrbe constituit.* 306. X. *Carcer, arumnæ, & obitus eius, pro fide Christiana, sub Maxentio tyranno.* 309. III. V. *Epistola ad eumdem Maxentium, de mutatium prauum eius moribus.* 309. V. *Eius Acta corrupta.* 298. III. 309. IV.

Marcellus tyrannus opprimitur à Valente Imp. 366. II.

Marcellus Acoemetarum Archimandrita, & propagator. 459. III. *Comitatus ab Angelo agit apud Imp. ne Arianus crearetur Cæsar.* 469. I. *Visio ei oblata de nece Asparis Ariani.* 470. I.

Marcia concubina amatissima Commodi Imp. fauet Christianis. 182 III.

Marcianus miles captus à VVandalis in Africa. ostenso Aquilæ prodigio liber dimittitur. 431. XVIII. *præcedentibus prophetijs euehitur in Imperium à Pulcheria Aug. & ab eadem assumitur in maritum, salua virginitate.* 456. III. IV. *Rescribit aduersus Eutychianos, & agit cum Leone Papa pro cogendo Concilio Chalced.* ibidem. V.

Eius in Synodo partes, & religio. 451. XIII. XX. XXIII. XXV. *Publicis reseriptis confirmat Acta Synodi, & agit aduersus Eutychianos.* 452. I. III. VI. *Extincto Attila apparet ei Dominus, arcum eius fractum ostendens.* 454. V. *Vindicat Clerum in pristinam libertatem de bonis viduarum suscipiendis.* 455. VII. *Eius obitus, & insignes virtutes.* 457. I. *Visitauit sæpe Simeonem Stilitam priuato habitu.* 460. II.

Marcianus nepos ex filia prædicti Marciani Imp. filiusque Anthemij Augg. aduersus impium Zenonem insurgit 484. I. *Re negligenter gesta in ordinem redigitur, & presbyter ordinatur.* ibidem.

Marcianus Oeconomus Ecclesiæ Constantinop. amplificat Ecclesiam Anastasij. 459. II. *Nobilitatur miraculo, ob charitatem exhibitam mendico.* ibid.

Ingenti alio miraculo liberat ab incendio prædictam Ecclesiam. 465. I.

Marcion ex philosopho Stoico hæresiarcha, quo tempore emerserit. 146. I. *A proprio patre, qui erat Episcopus, ob hæresim, & stuprum, ecclesia pellitur.* ib. III. *Sæpe Romæ recantat palinodiam.* IV. *Quæ fuerint eius hæreses.* V. *&c. Quæ scripserit, & qui contra eum.* VIII. *Vocatur à Polycarpo, primogenitus Satanæ.* 167. V *Catholicum Romæ simulans, confert ei Ecclesiæ ducenta sestertia.* ib. *Sapius electus, & receptus demum ei pœnitentia iniuncta, vt reduceret quos perdidisset.* 180. IV.

Marcionitarum conuentus prohibet Constantinus Magnus. 326. I.

Decem eorum millia conuertit Theodoretus, cũ tamen difficillima res esset vel vnum reducere. 423. IV.

Marcomanni inuadunt Imperium Rom. 169. II.

In arctum redigunt Marcum Imp. 171.II.
Diuinitus profligantur precibus Christianorum militum. 176.I.
Iterum acerrimum bellum aduersus eumdem Marcum excitant. 179 III.
Fidem suscipiunt per suam Reginam à S. Ambrosio. 396.II.
Marcus Euangelista fuit Interpres Petri Apostoli. 45.VII.XII.
Quibus tempore, loco, occasione, lingua, scripserit Euangelium. ib.X.XIII.
Cur ab Augustino Breuiator Matthæi appellatus. ib.X.
Eius nomine confictum ab hæreticis aliud Euangelium Ægyptiorum. 44.XXVI.
An fuerit è numero 72. Discipulorum Domini. 45.XI.
Quo genere natus. ib.
Fuit diuersus à Marco consobrino Barnabæ. XV.
Ecclesiam Alexandrinam erigit nomine S. Petri, & quando eo perrexerit. V.X.XVI.
Quam recte eam instituerit. 64.II.
Instituit etiam Ægypti monachos. ib.
Depollice sibi præciso, ne fieret Episcopus fabula exploditur. 45 XVI.
Glorioso martyrio migrat in cœlum. 64.I.
Translatione reliquiarum eius in Canopum cohibentur infestationes dæmonum. 414.VI.
eius pallio induebant noui Episcopi Alexandrini. 535.X.
Eius Sedes lignea, & Corpus transferuntur Venetias. 820.III.
Post longa tempora, ipsomet Euangelista reuelante, corpus reperitur, & solemni ritu sub ara reconditur. 1094.V.
Marcus prænomine Ioannes, Vide Ioan. cognomento Marcus.
Marcus Iunior Alex. Episc. creatur. 144.II. Moritur. 151.III.
Marcus Hierosol. Episc. creatur primus ex Gentibus. 138.I. Moritur. 157.III.
Marci & Marcelliani fratrum martyrium sub Dioclet. 286.III.
Marci Arethusij Episc. legatio ab Arianis ad Constantem Imp. 341. VIII. fuit auctor primæ formulæ Sirmianæ, quæ videri potuit Catholica. 357.III. factus omnino Catholicus horrenda tormenta & insigne martyrium sub Iuliano Apostata patitur. 362. XXXIV.
Marcus Rom. Pont. creatur. 316.I.
Eius nomine supposita epistola de Nicænis canonibus. ib.XV. Moritur. XVI.
Concessit Pallium Episcopo Ostiensi. XVII.
Eius nomen perperam appositum epistolæ Constantini ad Melchiadem. 313.V.
Marcus Aurelius & Lucius Verus, adoptantur ab Antonino Pio iussu Hadriani. 139.I.
Mortuo Antonino, succedunt in Imperium. 163. III.
Discriminatio eorum nominum ab inuicem. ibid.
Dicti Diui Fratres. IV.
Tunc primum duo visi simul regnare Impp. ibid. vide Lucius Verus.
Accersit Romam Abercium Episcop. Hierapol. ad liberandum à dæmone filiam suam, eique Ecclesiæ donat quotannis ter mille modios frumenti. 163.V.
Quomodo sub eo persecutio irrepserit in Christianos. 164 II.III.
Scelatus est in philosophia Stoicos. ibidem. III.
Solicitius curat sacra Gentilitia, ob metum belli Marcomannici. 169.II.
Insignem obtinet victoriam, precibus Christianorum militum. 176.I.
Christianorum accusationes vetat pœna ignis. ib. II.
Faustinam coniugem defunctam, licet impudicam inter diuos referri curat. 178.II. A Iudæis in Palæstina tædio percitus, quid in eos exclamarit. ib.
Vates excogitat. ib.III.
In alia expeditione Marcomannica moritur voluntaria inedia, ob depranatos mores filij Commodi. 182.I.II.
Marcus acclamatus in Britannia Imp. aduersus Honorum, breui occiditur. 407.VIII.
Mare præbet iter quotannis Fidelibus visitantibus sepulchrum S. Clementis Papæ. 102.II.
Congelat sub Phœa adeo vt pisces moriantur. 602.VI.
Fugit terminos suos in terræmotu Orientali. 740.IV. Mirè gelat riget in Ponto. 753.III.
Maris profundum, in quo fuit Paulus Apostolus, carcer Cyzici teterrimus. 58 XVIII.
Maris retractiones & eruptiones horrendæ sub Valentiniano. 365.IV. Insigne tunc editum à S. Hilarione Epidauri miraculum. ib.
Mares Chalced. Episc. olim discipulus Luciani martyris, sub Diocletiano sacrificat idolis, inde adhæret Ario 311.III. In Concilio Nicæno quomodo se gesserit. 325. XXV. XXVI. pœnitentiam præfert in Concil. Sardic. 347 VII.
Cæcus præsenio redditus, obijcit Iuliano Augusti. apostasiam, & ab eo de cæcitate derisus, respondet fortiter. 362.VIII.
Margarita famosiss. meretrix Antioch. conuertitur à Nonno Episcopo, & nominatur Pelagia. 451. XXVI.
Margaritæ Reginæ Scotiæ, disciplinæ Eccles. restitutricis, sanctus obitus. 1097.XLVII.
MARIA Virgo apparet Romæ Augusto Imp. Appar. XIII. Alias eius apparitiones, vide in Apparitio.
Fuit ex stirpe Dauid Regis, & ex genere sacerdotali, Appar. XVI. XVII.
De eius parentibus commenta reijciuntur, & veritas stabilitur. ib.XIX.
Quando, & vbi nata fuerit. XXI.
Trimula offertur in templo, & vndecim illic annis Deo seruit. XXI. desponsatur Ioseph. XXII.
Salutatur ab Angelo. XXIII. Votum perpetuæ virginitatis quando emiserit. ib. Visitat Elisabeth. XXVII.
Parit Christum. Annal. I. A perpetua virginitate perpetuum accepit cognomen Virginis. Ann. num. II. De eius obstetricibus, fabulosæ narrationes. Appar. XVIII. Annal. II.
Eius Purificationis festum. 1.IX. qua occasione celebrari cœptum. 544.III.
Quomodo se habuerit in Passione Domini. 34.XL
Et primum omnium apparuit Dominus post resurrectionem. ib. LIII. Migrat Ephesum, vna cum Ioanne Euangel. 44.XI.
De tempore ipsius Transitus diuersa sententia, & qua probatior. 48.II.III.
Quæ item probata, vel improbata de eodem eius Transitu ferantur. ib.IV. & seqq.
Vere anima & corpore assumpta in cœlum. ib. VI.VII. Vide Assumptio.
Descriptis ab ea, vel ad eam epistolis. ib.IX. & 109.IV.
Eius Imago à S. Luca depicta. ib.
De eius Imaginibus, & miraculis ad eas factis, Vide Imago.
Eius perpetuam virginitatem oppugnarunt Antidicomarianitæ. 48.IV. Heluidiani. 373.V. 382.VI. Iouinianistæ 302.VI. Bonosiani. 389. XII. Iconomachi. 741.II.
Eam vt Deam coluerunt Collyridiani. Appar. XX. 48.IV. 373.V.
Matrem Iesu non Christi, asserebant Cerinthiani. 60.II. Vide in Christus.
Deiparam negauit Nestorius. 428, VI.X. Vide in Deipara.
Post Concilium Oecumen. Ephes. eius cultus vehementer auctus. 431.XXIII. De eius Officio, vide in Offic. B. Mariæ.
Eius Vestis Hierosolymis Constantinop. translata, coruscat miraculis. 474.I. in fi.
In eam blasphemi, diuinitus puniuntur. 585.I. 775.I.
Eius auxilio sæpissime Constantinopolis liberata ab ingentibus periculis, ob celeberrimum illic eius cultum, & quod ei ciuitas dicata esset. 717. IV. Vide Constantinop.
Eius pariter auxilio superant hostes, Narses Iustiniani dux. 553.II. Cosrohes Pers. Rex. 591.II. Heraclius Imp. 625.II.
Pelagius Rex Asturic. in Hisp. 718.III.
Ioannes Zemisces Imp. qui & eius Imaginem curru triumphali Constantinop. deduxit. 971. IV.
Ioannes Comnenus Imp. eodem modo. 1123.III.
Andreas Dux Basily Imp. 886.II.
De alijs quoque eius miraculis passim agitur. Præbet vbera sugenda Fulberto ægrotanti. 1028.II.
Vide etiam in Lac.
Eius intercessionem, simul & aliorum SS. negauit impius Imp. Copronymus, eamque edicto prohibuit. 754.VI. 766.I.
Eius quoque nomen abolere cogitauit, & horrendis vocibus eam blasphemauit. 741.II. 767. IV.
Eius ecclesia in Vrbe Roma, S. Mariæ Maioris dicta insigni niuiũ miraculo ædificata. 376.II.
Eius Ecclesia Hierosoly. à Iustiniano erecta, miraculo nobilitatur. 530.IV.
S. Mariæ de Couadouga, spelunca in Hisp. cultu Deigenitricis famosa. 718.III.
S. Mariæ de Pilari Cæsaraugustæ, cultus vbique celebris. 1118. VII. de alijs item in eius honorem erectis Ecclesijs passim agitur.
Eius conceptionis festum, qua occasione celebrari cœptum. 1136.III.
Mariam Christi matrem se iactauit quædam infelix fœmina in Gallia qua paulo post miserè periit 595.XI.
Mariæ Ægyptiacæ à patria dictæ, è perditiss. meretrice, austerrimæ sit pœnitentiæ exemplum. 525. IV.
Post sanctum eius obitum, leo ei parat sepulchrum. ib.
Eius Vitæ mirabilis Acta, ab omnibus probata. ibid.
Maria Magdalena, vna, an plures fuerint. 32.V. VI.
Vnxit pedes & caput Iesu, fuitque fœmina opulentiss. ib. & 34.II.V. Quoties ei, & quomodo apparuerit Christus post resurrectionem. 34. LIV.
A Iudæis pulsa, appellit cum sociis Massiliam. 35. I. 44. XI.
Maria coniux Honorij Imp. moritur virgo. 408.V.
Maria coniux Constantini Imp. Irenes filij ab eo repudiatur falsis prætextibus, & monasterio includitur. 795.I. Sub Leone Armeno exulat pro defensione sacrarum Imaginum. 816.I.
Maria Tarsensis, ex meretrice pœnitens, in monasterio vitam transegit. 525.IV.
Marianus Scotus quo tempore natus sit, monachatum inierit, & scripserit. 853.V. Assertio eius de Ioanna Papissa confutatur. ib.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Marina filij Arcadij Imp. vna cum tribus aliis sororibus suis, virginitatem Deo dicat. 415.X. Moritur. 449.XVII.

Marinus Centurio martyr sub Gallieno. 262.III.

Marinus Dux Honorij Imp. Remp. liberat à tyrannide Heraclian. 413.I.
Marcellinum tribunum innocentem occidit & dat pœnas. ib.

Marinus Rom. Eccles. diaconus, mittitur à Nicolao PP. ad Michaelem Imp. pro eius emendatione 866.I. re infecta Romam regreditur. 867.I. iterum mittitur ab Hadriano PP. ad cogendam Oecumen. VIII. Synodum. 869.I. Itemque à Ioanne VIII. ad damnandum Photium, eiusque pseudosynodum. eaque de causa multa patitur à Græcis. 880.I.
Creatur Rom. Pontifex. 882.IV. Agit contra eum Basil. Imp. Constantinop. calumniose. ibid. Moritur. 884.I.

Marinus II. creatur insignis dono prophetiæ 943.I.
Dat operam reformationi Ecclesiæ, & paci inter Principes conciliandæ. ib.
Moritur. 946.I.

Marinus alius Episc. Legatus Apostol. Sedis varia celebrat in Gallijs, de diuersis rebus, Concilia. 948.II.III.

Marius Persa, vna cum coniuge, ac filijs, subit martyrium sub Claudo Iun. 270.IV.

Marius Victorinus insignis orator Afer donatur Romæ statua in Foro Traiani. 362.LIX. Conuertitur ad Christum, eiusque exemplo Augustinus ardet desiderio fidei consequendæ. ib. Eius scripta Christiana, qualia. ib.

Marna, idolum Gazensium famosissimum. Vide Gazenses.

Maronitæ populi Syriæ ex antiqua hæresi Monothelitarum redeunt ad fidem Ecclesiæ. 1128.II. Vnde sic dicti sint. ib.

Marozia, insigne scortum; ex consuetudine cum Rom. Pontiff. turpissimis, & Principibus Italiæ, imperitat Vrbi, & Sedi Apostolicæ. 908.III. 982.I.
Ipsius filius ex Sergio PP. sit etiam ab ea Papa. 931.I.
Detruditur in carcerem vna cum eodem Papa, ab alio ipsius filio. 933.I.

Marrano vox vnde deriuetur, & quid significet. 775.IX.

Martha soror Mariæ Magdalenæ, vna cum sorore pulsa à Iudæis appellit in Gallias. 35.I.

Martialis Apostoli Galliarum à Petro missi, obitus. 74. VII.
Vtrum fuerit ex 72. Discipulis Domini. ib.
Primum in vniuersa Gallia dicat templum in honorem S. Stephani protomart. ib. & 34. XC. Eius duæ epistolæ. ib. Suscitat mortuum baculo S. Petri. ib.
De eius Apostolatu posterioribus temporibus grauissime in Gallia altercatum, & plurima celebrata Concilia, definitioque expetita à Sede Apostol. 1029.II.III.

Martina insignis virgo martyr Romæ sub Alexandro Imp. 228.I.

Martinianus Cæs. à Licinio Imp. creatus, necatur à Constantino. 318.II.

Martiniani & Sociorum insigne certamen in Africa sub VVandalis. 456.IV.
Conuertit Mauros ad fidem.

Martinianus & Processus vide in Processus.

Martini patria, militia, & ætas tempore baptismi & missionis. 351.VI.VII.VIII.
Ab eius obitu solita olim apud Francos tempora numerari ib. VII. in fin. Missionem honestam petens à Iuliano Cæs. cum de metu insimularetur, promittit se inermem pugnaturum, sed deditione hostium liberatur à periculo. 356.XIX.
Multas passus ærumnas ab Arianis, redeuntem ab exilio Hilarium in Gallias sequitur. 360. III.
Creatur Turonensis Episcopus. 375.III. A Valentiniano Imp. repulsus, paulo post Angeli monitu rediens, accedente prodigio honorifice excipitur. ib.
Monachismum introducit in Clerum Ecclesiæ Gallicanæ. 328.IV. in fi.
Obnititur apud Maximum Imp. ne Priscillianus neci detur, sed frustra. 385.V.
Communicans ad horam cum Ithacianis sanguinarijs, (licet corpore tantum non animo, & vt vitam nonnullis impetraret;) corripitur ab Angelo. 386.VI.
Ad conuiuium à Maximo vocatus, presbyterum suum eidem Imp. in propinatione poculi præfert. ib.VIII.
Vxor Maximi pientiss. femina, eidem cõuiuium propriis manibus parat, & in modum famulæ ministrat, ac reliquias deuote comedit. ib.
Diruit templa idolorum in Gallia. 389.XVIII.
Quo anno, & ætate, mortuus sit, & vtrum ante S. Ambrosium. 402.XIV. 566.V.
Quinam scripserint eius res gestas. 402.XV.
Eius Reliquiæ solemni pompa transferuntur in Galliciam. 560.II.
Nomen eius inuocari super vinum, vnde mos fluxerit. 580.II.
Eius Quadragesima, quæ dicta in Gallijs. 581. II.
Sepulchrum frequenti peregrinatione visitatur. 813.VI.

Martinus alius æque Pannonius, vir summæ doctrinæ & sanctitatis appellit in Galliciam, & Bracarensis factus Episcopus, eam prouinciam optime curat 560.III.
Celebrat Concilium pro disciplina Eccles. 572. III.
Colligit, & emendat Orientales canones, aliaq; plura scribit in vtilitatem Eccles. ib.
Sancte moritur. 583 VI.

Martinus Rom. Pont. creatur. 649.I. Concilium celebrat aduersus hæresim Monothelitarum, & Ecthesin Heraclij, ac Typum Constantis Imp. ib.II & seq.
Diuinitus custoditur ab intentata nece per Exarchum Italiæ. ib.III.
Scribit ad Imp. & Orientales, Vicarium constituit ad res componendas, Ioannem Philadelphiæ Episcopum. ib.VII.
Calumnijs ab Imp. appetitus, eius iussu vi trahitur in exilium ad insulam Naxum, & pessime tractatur. 650.II.
Ducitur Constantinopolim, publice illuditur, & miserrime habetur, demumque Chersonam, deterrimum locum, relegatur. 651.II. 652.I.
Moritur martyr, & miraculis viuens & mortuus claret: corpus vero defertur Romam. 654.I.

Martini Iurisconsulti adulatio erga Fridericum Imp. quomodo compensata. 1158.III.
Ex eo vocati Martini, qui obstinate tuentur quamlibet opinionem quamuis erroneam. ibidem.

Martyrum Primitiæ dicti, qui Romæ passi sunt sub Nerone. 66.III.

Martyrum cultus quibus deberetur, diligenter à Patribus disquiri solitum. 55.IV. 254.VI. 302. XX. 362. XXXVII.
Eo titulo priuati, qui temere se offerrent neci. 302.XXI.
Et qui dum idola frangerent, necarentur. 303. XI.
Ita vero dicti, qui supplicia subijssent pro fide licet non mortem. 194.I. 221.I. 253.XI. 313.XI. itemque qui Extorres morerentur. 253.XI.
Acquiriturque etiam Martyrium, ex defensione iustitiæ, iurisque, & bonorum Ecclesiæ. 658 III. 670.I. 1003.II. 1135.III. 1173.I.
Ad martyrium se præcipitarunt laudabiliter, multi Christiani vtriusque sexus peculiari Spiritus Sancti impulsu. 252.II. 261.VI. 309.IX.
Martyrio se sponte offerentes, dicebantur Professores. 253.XI.
Damnati vero Marcionitæ, qui se sponte neci offerebant in odium carnis. 146. VII. pariterque Patriciani. 203.IV. sicut & Donatistæ, ac Circumcelliones, qui falsum martyriũ, voluntaria, vel alio modo quæsita nece, affectabant. 316. VIII. 348. VIII.

Martyrium non est extra Ecclesiam. 362.XXXVII.

Martyres haberi milites in bello cæsos, conatus est Phocas Imp. sed resistiterunt Episcopi. 394.IV. 610.II 964.VII.

Martyrum cultum damnauit Cerinthus. 97.VII. itemque Manichæi, & alij hæretici. 58. XXXVIII. 277.VIII. 319.IX. Vide etiam Reliquiæ.

Martyrium vitare suos docuit Simon magus. 35. XIII.
Illudque in persecutione non esse subeundum pro Christo, qua ratione dicerent Basilides. 99.IV. 120.VI. Gnostici. 120.XVII. Valentiniani. 145.II. 175.VIII.
A Saracenis illatum, quibus rationibus eleuare conarentur falsi fratres. 852.II. 857.I.
Contra vero nulla id occasione redimere, vel eius tempore fugere licere, docuerunt Montanus. 173 VII. 201.II. & Tertullianus. 205.IV. Vide Fuga & Redemptio.

Martyrij ardor Christianorum, & alacritas, in persecutionibus. 102.II. 104.III. 118.I. 261.VI. 302.III. XI. 310.VI. 371.VIII.
Immensus eorum numerus sub Diocletiano. 302 IV.
Corpora flammis aut fluctibus tradi solita, ne colerentur à Fidelibus ex more. 102.II. 109.II. 179.II. 302.V. Vide etiam Corpora.
Aliquando pretio distrahi consueta. 305. II.
Cum dalmatica, aut colobio purpurato, sepeliẽda. 283.IV.
Intra vrbem sepeliri permissa à Maxentio. 306 X.

Ad Martyrum Acta conscribenda, instituti Romæ à Clemente PP. Notarij septem Regionary. 98. III. Iisdemque à Fabiano præfecti septem Subdiaconi. 238.I.

Martyrij donum non omnibus id cupientibus datum. 1008.III.

Martyrologium an scripserit vnquam Hieronymus 388.XII. Illud, siue Hieronymi, siue Bedæ, Vsuardus iussu Caroli Magni reddidit opulentius. 778.V.

Martyrum passiones in Ecclesia legendi vsus qualis olim probatus, vel improbatus. 401.II.

Martyria, dictæ etiam olim Ecclesiæ. 57.XXXVIII.
Eo peculiari nomine dicta insignis ecclesia Hierosolymis constructa à Constantino Magno in memoriam Resurrectionis Domini. 326.VI. Eius solemnis dedicatio. 335.IX.
Martyrianorum secta Gentilium, vnde sic dicta 361.VIII.

Martyrius Antioch. creatur Episcopus. 459. IV.
Exagitatus à Petro Fullone, sedi renuntiat, reseruata sibi sacerdotij dignitate. 471.III.
Electo Petro à Leone Imp. ipse restituitur, restituto vero Petro à Zenone, ipse iterum ejicitur. 474.III.

Martyrius Hierosolym. Episc. creatur ex monacho. 477.*V. Moritur.* 485.*IV. Calumniam passus est de communicatione cum hæretic.* ib.

Maruthas Mesopotam. Episcopus Isdegerdem Pers. Regem à morbo, & filium eius à dæmone liberat. 408.II. *Fidem Christ. in Perside mirifice propagat.* ib.

Masbothei hæretici, ex Simone Mago. 35.XIII.

Mascezil Maurus, ex Senatusconsulto decretus dux belli aduersus Gildonem tyrannum fratrem suum, pietate, & precibus sanctorum monachorum, insignem obtinet diuinitus sine sanguine victoriam 398.X. *Elatus insolentia violat immunitatem ecclesiæ, & proxima morte dat pœnas.* ib.XI.

Massa Candida, trecenti martyres apud Carthaginem sub Valeriano, & cur ita dicti. 261.*VI. Alij eiusdem nominis in Hispania sub Diocletiano.* 303.X.

Massaliani hæretici, ijdemque variis aliis nominibus indigitati sub Constantio Imp. ex monachis orti in Mesopotamia. 361.*VIII. Spirituales se, alios vero homines appellabant Carnales.* ib. *Eorum impia dogmata, & insana deliria ibid.* IX.X. *Dicti quoque Saccophori, quod sacco conspicui incederent.* ib.& 383.IX. *A pluribus Concilijs, & Theodosio Mag. Imp. exagitantur.* 383.IX. *Concilio celebri sub Theodosio Iuniori habito, reiiciuntur penitus ab ingressu Ecclesiæ, quam sæpe relapsi delusissent.* 427.III. *Damnantur errorum in Concilio Oecum. Ephes.* 431.*XV.*

Massiliensis Ecclesia declarata in Concil. Taurinensi, metropolis prouinciæ Narbonensis secundæ. 397.XIII.

Materiam ingenitam, ex qua Deus omnia fecerit, ab schola Stoicorum introducere conatus est in Ecclesiam Hermogenes. 170.*IV. Itemque à materia prodijsse malum, & in eam refundendos esse dæmones ibid. Eandem quoque de materia Deo congenitæ opinionem asseruerunt alij hæretici.* ib.*V. Materiam à Mali Principio deducebant Manichæi, aliaque inde impia.* 277.*VIII.*

Materiarij dicti Hermogenis sectatores. 170.*V.*

Y.

YVetot regni erectio in Gallia, qua occasione facta. 535. XVIII.

Z.

ZAcchæus publicanus fit Episc. Cæsar. 58. XV.

Zacchæi hæretici, secta Gnosticorũ. 120. XVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Zachariæ Prophetæ corpus, ipso reuelante, inuentum sub Theodosio Iun. omnino integrum. 415. XI.

Zacharias pater Ioannis Bapt. non fuit Summus Sacerdos. Appar. XXV. Necatur ab Herode, ob subtractum neci filium. 1. XII. Fuit ille Zacharias Barachiæ, de quo postea locutus Dominus. ib. XIV. Sanguis eius indelebiliter inhæsit saxo templi. ibid. XV. Corpus transfertur Venetias. 814. IV.

Zacharias Episc. Vienn. martyr sub Traiano. 110. III.

Zacharias Rhetor, hæreticus Eutychianus, multa pro suæ sectæ validatione commentus est, & Catholicis calumnioſus extitit. 476. V. 477. III. 485. IV.

Abripitur in Perſidem à Cosrhoe Rege captiuus, vna cum S. Cruce Domini. 614. VIII.

Extincto Cosrhoe, restituitur vna cum eadem Cruce. 627. II. 628. I.

Zacharias Rom. Pont. ordinatur. 741. VI. Componit pacem cum Longobardis. ibid.

Celebrat Concilia de rebus diuersis. 742. III. 743. IV. 745. II.

Solicitat Constantinum Copronymum Imp. ab hæresi resipiscere. 743. VI.

Consulitur à Principibus & Antistitibus Galliæ de rebus Eccles. 744. III.

Nouos hæreticos damnat. 745. II. 748. I. Auctor est Rachisi Longob. Regi, monasticum habitum induendi. 750. I. Reg. Franc. ab Hilderico Stupido vltimo Merouingiorum, transfert in Pipinum. 751. I.

Moritur, & inter Sanctos refertur. 752. II.

Transtulit in linguam Græcam Dialogos S. Gregorij Magni. ibid.

Concessit Pipino Regi nominationem Episcoporum sui regni. ibid.

Zacharias Anagninus Episc. vna cum Rodoaldo Legatus mittitur Constantinopolim. Vide in Rodoaldus.

Zambdas creatur Episcopus Hierosolym. 296. III. Moritur. 298. V.

Zatus Lazorum Rex conuertitur ad fidem Christi, & à Iustino Imp. titulo Lazorum Imperatoris decoratur. 522. IV.

Zebennus creatur Antioch. Episc. 230. I. Moritur. 241. I.

Zelotes vnus ex Apostolis. vide Simon Canan.

Zelotæ, factiosi Iudæi, occupantes templum, cadibus implent Hierosolymam, & misere deuastant. 69. XX.

Interficiuntur omnes ad vnum intra templum. 72. I.

Zemisces. Vide Ioannes Zemismes.

Zeno Tribunus, vna cum 10203. militibus martyrium patitur sub Diocletiano. 298. IV.

Zeno diaconus Ticinensis, armis pugnans licet contra Tyrannum, misere interficitur. 691. II.

Zeno Isaurus, in præmium necis Asparis, & filiorũ eius proditorum Imperij, accipit à Leone Imp. filiam eius Ariadnam in vxorem. 470. I.

Augetur filio, qui decimo mense periit, sorte prius arte, vt eius loco imperaret. 473. II. 474. II.

Mortuo Leone socero, filioque, Imperium adipiscitur. 474. I.

Eius luxus, rapinæ, & promotio hæreticorum. ibid. III.

Pellitur cum vxore à Basilisco; & quæsitus ad necem, latet in deserto, & interdum deficiente pane, herba vescitur. 476. IV.

Reuersus cum exercitu, Basiliscum pellit, & misere mori cogit. 477. I.

Multa pie & Catholice agit aduersus hæreticos, & reconciliatur Rom. Pontifici. ibid. II.

Rursum fauet hæreticis, & Henoticon promulgat, aliasq; fraudes admiscet. 482. II. III.

Acriter redarguitur à Felice Papa. 485. III.

Plures tyrannos debellat per Theodoricum Gothorum Regem; quem ideo charissimum habet. 484. I.

Verinam socrum, piam feminam, in exilio mori cogit. ibid.

Ex morbo subitaneo pro mortuo habitus, vitus sepelitur; & spiritum resumens non permittitur ab Ariadna coniuge educi. 491. I.

Nomen eius eraditur ignominiosè è sacris Diptychis. 519. III.

Zenobiæ Odenati Regis Palmyrenorum vxor femina laudatissima. 265. I.

Præceptorem habuit in Scientijs, Longinum Philosophum; in rebus Christ. Paulum Samosatenum. ibid.

Fuit Iudæa. ibid.

Post viri obitum, Orientem possedit. 269. II.

Victa ab Aureliano Imp. ducitur in triumphũ. 274. I.

Vixit Tiburi, more Romanæ matronæ, & fit Christiana. ibid.

Zenobius Episcopus in Cilicia, martyr sub Diocletiano. 285. I.

Zenobius Florent. Episc. missus à Damaso PP. Constantinopolim, miraculis coercet Arianos. 370. VI.

Intercedit ei familiaritatis vsus cum S. Ambrosio. 392. IV.

Zephyrinus Rom. Pont. creatur. 203. V. Recipit Natalium hæreticum pœnitentem. 207. I.

Excommunicat Tertullianum, aliosq; pseudoparacleti Montani assertores. 215. I.

Martyrio coronatur sub Elagabalo in pace Ecclesiæ. 221. I.

Zeta, & Zetarij, quid. 286. II.

Zocomus Rex barbarus cum suâ gente conuertitur ad Christum, occasione sobolis masculæ ei impetratæ à quodam monacho. 372. XIII.

Zoen filiam Constantini Imp. ducit in vxorem Rom. Imp. repudiata priori coniuge. 1028. IV. Eadem maritum veneno necat, vt Michaele adultero, liberius potiatur. 1034. V. Coarctatur admodum à Ioanne fratre Michaelis. ibid. Mortuo Michaele alium euehit in Imperium, à quo ipsa retruditur in monasterium. 141. I. Educitur inde à populo. ibid. nubit Constantino Monomacho Imp. 142. II.

Zelus creatur Alexandr. Episc. 537. III. præsto est Vigilio PP. pro tribus Capitulis. 546. IV. ideoque pellitur à Iustiniano Imp. 551. II. Moritur. 533. I.

Zona circumductæ columnæ, cui Dominus flagellandus alligatus fuit, morbos pellunt. 34. XXII. Aliæ beneficta à Theodoro Siceota feminis sterilibus prosunt ad conceptum. 598. VI.

Zorobabel fuit ex tribu Iuda, & stirpe Dauid. Appar. II.

Zosimus historicus Ethnicus, Christianis infensissimus, in eorum inuidiam multa mentitur, & Imp. Christianos calumnijs proscindit. 249. III. 306. VI. 313. III. 315. III. 318. II. 330. VII. 395. IV. & alibi sæpissime.

Contumelioſus etiam in PP. Innocentium. 409. II.

Quo consilio historiam suam scripserit. 313. III.

Zosimus Rom. Pont. creatur. 417. III.

Pelagium & Cælestium in Africa damnatos, & Sedem Apostol. appellantes, quam caute susceperit. ibid.

Confirmans iudicium Patrum Afric. aduersus eosdem, damnat eos decreto vniuersali. 418. II.

Calumniam à Iuliano, eius sectæ post prædictos coryphæo, patitur prauaricationis, sed defenditur ab Augustino. ibid. III.

De Cereo Paschali quid statuerit. ibid. VIII.

Mittit Legatos in Africam pro Appellationum prosecutione. ibid. VIII. Moritur. ibid. VII.

Cur in prædicta Appellationum causa citauerit canonem Nicænum pro Sardicensi. 419. XIII.

Zosimi plures, sanctissimi monachi. 525. III. IV.

Zosimi duo martyres sub Traiano. 109. VI.

Zosimus inuasor Sedis Neapolit. diuinitus punitur. 359. XV.

Zotici Episcopi Otreni labores aduersus Mõtani sectatores, & martyrium sub Seuero. 205. VI.

FINIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HENRICI

SPONDANI

S. R. E.

PROTONOTARII

AVCTARIVM

CHRONOLOGICVM

AD ANNALES

ILLVSTRISSIMI

CARDINALIS BARONII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HENRICI

SPONDANI

SARE

PROTONOTARII

APOSTOLICI

CHRONOLOGICUM

AD ANNALES

ILLUSTRISSIMI

CARDINALIS BARONII



AVCTARIVM CHRONOLOGICVM AD ANNALES BARONII.

CVM post primam nostræ Epitomes editionem Auctarium etiam ab Orbis conditu ad principium Annalium Baronii, & ab eorum intermissione ad hæc vsque tempora meditati, rem à multis expetitam, & expectatam, serio aggressi fuissemus; in progressu illam eiusmodi reperimus, vt non in ea festinandum videretur. Cum ecce vno impetu, Et certiores facti sumus, eruditissimum Franc. Bosium Congregationis Oratorii Rom. presbyterum, quod Thomas ipsius olim germanus ab Ortu Mundi ad CHRISTVM vsque susceptum Opus, per obseruationes astronomicas ad Transitum Maris Rubri deduxerat, post eius obitum fere ad vmbilicum perduxisse, ac propediem editurum esse; quo, magno labore quæsita sacræ Historiæ cum profana concordi serie, quicquid præterea in singulis Regnis & regionibus, personisque illustribus perplexum aut controuersum reperitur, extricare & conciliare conatur: Et cœperunt edi in lucem doctissimi Iac Saliani Soc. IESV Annales Ecclesiastici Veteris Testamenti, quibus idem sibi institutum esse diserte demonstrat: Et prodit noua & accuratior nobilissimi Aug. Turnielli Congregationis S. Pauli editio Annalium sacrorum ab Orbe Condito ad ipsum CHRISTI passione reparatum: Ac denique comperimus, Illustrissimum Card. BARONIVM, cum iam nouissimam diei horam pulsante ostium morte sibi adesse sentiret, Patribus suæ Congregationis ad se conuocatis, veluti tabulas testamentarias, Præfationem * in Tomum XIII. Annalium à se inchoatum, alta voce coram omnibus recitari præcipisse; qua non solum illius Tomi, verum etiam totius insequentis historiæ contextum eis commendasse, ac vti auitum à S. Philippo fidei suæ cõmissum patrimonium ad heredes suos ac nepotes transmisisse; vt propterea nemo esse deberet, qui alienam hereditatem adire præsumeret: indeque Patres illos creditum sibi opus iisdem vestigiis ad nostra tempora lenta festinatione perducere, & aliquando edituros esse. Quare nos his auditis manum de tabula leuantes, primum substitimus; deinde re maturius considerata, assumptum onus libentissime deposuimus; ne in anterioribus actum ageremus, in posterioribus falcem inuito domino in alienam messem immitteremus, furtiuamque manum alienæ tabulæ admoueremus, ac demum in vicem laudis pœnas penderemus præcipitus properationis. Ac propterea contenti nostram Epitomen, absque vllius præiudicio aut inuidia, iterum atque iterum ad ipsos Annales Baronii recognitam, meliorem reddere; (quod & modo præstitisse, fidenter spondemus:) in hoc proposito placide quiescebamus cum rursum nonnulli importune vrgentes, vt saltem aliquod Auctarium in modum Chronologiæ subderemus, quo summatim Pontificum ac Principum successiones, Regnorumque mutationes, & rerum eo genere præcipuarum, toto Orbe gestarum series ob oculos proponeretur: adeo, quando nihil minus quam Auctarium aut Chronologiam cogitabamus, repetitis insultibus oppresserunt; vt quãtumlibet sciamus tot hoc sæculo prodiisse diuersorũ auctorum Chronologias & Chronographias, vt nauseæ vel ipsum nomen esse possit; manus tamen, licet inuitissimi, dederimus; & hoc quod vides, quicquid est opellæ confecerimus. De quo breuiter dicere nos posse confidimus; id quamuis tumultuarium sit, ac sub ipso posterioris partis Epitomes prælo quasi præcipitatum; tamen collatum ad cæteras eiusdem generis recentiorum curas, (quarum optimas quasque percurrimus, & ex iis pleraque delibauimus) eiusmodi inuentum iri, vt non paucos singularum errores emendet, nulli perspicuitate ac facilitate cedat. Quod igitur Deus bene vertat, ac Beatissima Virgo secundet, Sanctique omnes prouehant,

Opus aggredimur ab Anno Domini 1199. quo Annalium Epitome desinit.

* Vide illam sup. An. 1198. post nu. 11. quæ incipit: Peruenimus.

A.C.

PAcis opera Innocentij PP. inter Philippum Francorum & Richardum Angliæ Reges quinque annorum induciis, idem Richardus facta excursione in Aquitaniam, ad quoddam castrum Lemouicense sagitta vulneratus obiit 6. Aprilis. Cui successit in Regnum frater eius Comes Moretonius. *Polyd. Paris. Aemil.*

Constantinopoli circa Quadragesimam tremente terra, Alexius Imperator eiusdem hiatu fere absorptus est: quo plurimi suorum male affecti, nonnulli etiam omnino perierunt *Nicet.*

Georgius quoque Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus hoc anno obiit: eique successit *Ioannes Camaterus*, vt cõstat ex quadam eius constitutione hoc anno edita, *lib. 4. Iur. Orient.*

1200. ALPHONSVS Castellæ & Petrus Aragoniæ Reges, pace inita cum Mauris, arma sua vnitim conuertunt contra Sanctium Nauarræ ac Vasconum Regem magna nominis Christiani infamia: eiusdemque in Africam confugientis Regnũ inter se partiuntur. *Rod. Tolet. & Mariana.*

Pax componitur inter Reges Francorum & Angliæ, certis conditionibus: inter quas erat ne Anglus auxilium mitteret Othoni, nec Francus Philippo, Regibus in Germania inter se digladiantibus, ac misere vniuersam Germaniam deuastantibus; Innocentio Pontifice fauente præcipue Othoni aduersus Philippum. *Roger. Paris. Annales Franc.*

Hoc anno *Tartarorum* Dominium sumpsisse initium, scribit *Martinus Polonus.* Cui consentientia scribit *Haitonus Armenus*, & *Mechouius lib. de Sarmat.* Alij vero posteriotibus annis collocant. Qui quidem ab Indiæ montibus egressi, per vicinas prouincias prædas egerunt; & ad remotiores progressi, demum circa Mæotidem Paludem sedem firmarunt, & multa finitimis Christianis ipsi religione Pagani damna intulerunt.

1201. LEGATI à Pontifice in Gallias missi effecerunt vt Rex vxorem legitimam reciperet. de quo vide in Epitome ann. 1193. num. III. & 1198. VIII.

Simon cognomento Turuaius Theologus, nimis alte sapiens, sibique fidens, repente memoria caruit; ita vt nec primorum elementorum, nec quidem nominis sui recordaretur. *Polyd. Verg. Matth. Paris.*

Balduinus Flandriæ Comes ex voto parata expeditione in Terram Sanctam in itinere Venetis auxilio est ad quasdam Slauoniæ ciuitates recuperandas. Qui & cum Scodram ab Hungariæ Regibus possessam expugnasset absentibus illis in Palæstina, excommunicatur ab Innocentio PP. indignante absentes Belli sacri causa ita lædi: sed excommunicatione, intercedẽte Alexio Græco exule, soluitur. *Monach. Colõ.*

1202. MISI Thraciam vexant; & forte Constantinopolim peruenissent, nisi Rossi opem tulissent Christianis. *Nicet.*

Angliæ Regi accusato necis Arthuri nepotis, & illatæ Proceribus Aquitaniæ iniuriæ. dies dicitur à Philippo Francorum Rege: ad quam cum non adesset decernitur, eum iure excidisse prouinciarum, quas beneficiarij nomine à Rege Francorum possidebat: quas & idem Philippus inuasit. *Rigord. Aemil.*

In Polonia obiit Miecislaus Rex, qui Regnum fraude aduersus Lescum puerum vsurpauerat: succeditque filius eius Ladislaus, excluso adhuc Lesco. *Cromer.*

1203. ALEXIVS Iunior filius Isaacij Angeli (quem vidimus ann. 1095. ab Alexio Angelo in ordinem redactum) persuadet Balduino Flandriæ Comiti, aliisque Galliæ Proceribus ad subsidium Terræ Sanctæ properantibus, vt ipsum in Imperium Constantinopolitanum restituant. Quod ipsi Venetorum auxilio præstant, capta per vim Constantinopoli, & Alexio Angelo fugato: Isacioque in libertatem vindicato, Alexium eius filium coronari faciunt in templo S. Sophiæ. *Nicet. Villarduin.*

Quando & Veneti Cretam insulam, siue Cãdiam dictam, possidere cœperunt: vnde iis cum Genenusibus multa bella gesta. *Sabell. Genebrar.*

Anglo Rege aduersus Francum fidem Innocentij Pontificis implorante, missi Legati qui iubeant arma ab vtroque seponi, pacemque dare templis: Francus sic ratus victoriam sibi è manibus eripi, Põtificem appellat: atque interim Anglum armis persequitur. *Aemil.*

IMPERATORIBVS Constantinopolitanis, dum aut non possunt obnitente multitudine, aut nolunt stipendia pendere militibus, aliaque præstare quæ ducibus sacræ expeditionis promiserant pro sua in Imperiũ restitutione: orta seditione alius Imperator eligitur, *Ducas Alexius* cognomento *Murzuflus*, qui Alexium Iuniorem strangulat: mittitque qui classem Latinorum exurant. Sed Franci ac Veneti arctiori inito fœdere vrbem inuadunt, & die 12. Aprilis capiunt; Duca fuga elapso: qui postea deprehensus in Græcia, & Constantinopolim in iudicium de necato Alexio deductus, de altissima columna præcipitatur. Cum interim consensu Principum, Balduinus Flandriæ Comes eligitur & coronatur Imperator die 16. Maij; aliique Principes diuersas prouincias & insulas inter se partiuntur: atque è Veneta nobilitate *Thomas Maurocenus* Patriarcha creatur Latinorum primus; superstite licet adhuc Ioanne Camatero Græco. *Nicet. Onuphr. Aemil. & alii.* A.C. 1204.

Quo & ferme tempore ab iisdem Græcis *Theodorus Lascaris* Nicææ salutatur Imperator; qui extra Constantinopolim regnauit: sicuti & Alexius, ac Michaël Comneni ex Angelorum familia, alias prouincias sibi occuparunt. *Nicephor. Gregor.*

Nouumque conditum est Imperium *Trapezunti*, complectens Cappadociam, Pontum, & Colchidem ac diuisum Orientis imperium, in Europeum, & Asiaticum. *Genebrard. sub Honorio III.*

In Gallia cum Anglus bello non sufficeret, in Angliam se recipit: Rex vero Philippus vniuersam Northmanniam, & quicquid Anglorum fuerat in deditionẽ recipit, aut vi subigit. *Roger. Paris. Aemil.*

Moritur Emericus Hungariæ Rex, succeditque Ladislaus filius. *Bonfin.*

Hoc, vel sequente anno (variant enim Scriptores) S. Dominicus Ordinem suum instituit, magno Ecclesiæ bono. *Onuphr. Chron. Montfort.* Idemque Albigensium hæreticorum plurimos ad fidem Catholicam reuocat, cum tamen iis fauerent Raimundus Comes Tolosanus, Petrus Rex Aragonius, & Flussatium Princeps. Sed in eos demum missus est à Philippo Francorum Rege atque Innocentio PP. Simon Comes Montfortius armatus Cruce sacra. *Blond. Aemil. Polyd.*

Hocitem circiter anno *Almaricus* Doctor Parisiensis patria Carnotensis, se prodidit multarum prauarum opinionum circa Eucharistiam, & aliæ Ecclesiæ dogmata auctorem; ac damnatus est ab Innocentio Papa. Cuius sequaces, cum eiusdem effossis ossibus, Lutetiæ postea vsti sunt. *Gaguin. Aemil. Genebr.*

Eodem ferme tempore se agnoscendum præbuit *Dauid Dinantius*: qui præter Almarici errores, quos amplectebatur, alios intrudere conatus est. De vtroq; vide *Bern. Ludzenburg. Prateol. Castr. de hæres. & Gualther. in Chronol.*

BALDVINVS Imperator Constantinopolitanus ex Adrianopolitana obsidione obuiam factus Barbaris, qui suppetias laturi veniebant pulsis Principibus, in paratas insidias præcipitatur, & captus diriſſime trucidatur. *Nicet. Gregor. Onuphr.* 1205.

Fratrum Carmelitarum Regula ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano scripta, eorumque Ordo reformatus sub ipsorum Generali Bertoldo II. postea vero confirmatus ab Honorio IV. *Onuphr.* Sed & Eremitarum S. Augustini Ordinem, hoc tempore à Summo Pontifice approbatum, *Nauclerus* tradit: quod *Onuphr.* ponit an. 1255.

CONSTANTINOPOLI in locum Balduini eligitur Imperator *Henricus* frater eius. *Nicet.* Græci vero Imperatores, in Asia Patriarcham eligunt *Michaelem Autorianum*, in locum Ioannis Camateri defuncti; cum (vt diximus) Constantinopoli sederet Maurocenus Latinus. *Nicet. Onuphr.* 1206.

In Polonia Ladislaus Regno priuatur à suis, substituto tandem Lesco legitimo hærede. *Crom.*

CVM Germania tantis cladibus duorum Imperatorum factionibus afficeretur, missis communi Statuum consensu legatis ad Innocentium Pontificem, & ab eo aliis remissis; ita pax constituitur, vt Otho ab Imperij titulo abstinens, filiam ducat Philippi Beatricẽ, & Philippo mortuo succedat in Regnum. *Vrsperg.* 1207.

In Asia & Græcia Principes Constantinopoli pulsi, tum

inter

A.C.

1208. inter se dissident, tum cum Latinis regnantibus. *Nicet.*

PHILIPPVS Imp. cum forte post cœnæ sectionem in lectulo quiesceret, scelerate occiditur Bambergæ ab Othone quodam Palatino, cui Philippus olim filiam suam desponderat, nec tamen tradiderat, quod is cædis cuiusdam reus & perfidia notatus fuisset. Itaque ex pacto conuento Otho Saxo Philippi gener, consensu Principum eligitur in Imperatorem eius nominis Quartum. *Vrsperg.*

Ordo sanctissimæ *Trinitatis* pro redemptione captiuorũ, inchoatur Romæ à Ioanne Mattha ac Felice anachoreta, *Onuphr. Genebr.*

Missi duodecim Monachi Cistercienses à Pontifice in diœcesim Tolosanam, solemni habita cum Albigensibus hæreticis disputatione, errores eorum confutant: & Pontifex Comitem Tolosanum eorum fautorem obstinatum excommunicatione percellit. *Hist. Albig.*

1209. OTHO Rex Germaniæ Romam petens, coronatur Imperator ab Innocentio Papa; cum prius iurasset, se nec Regi Francorum, nec rebus & Patrimonio Ecclesiæ Romanæ obfuturum. Sed inde egressus fidem violauit, bonaque Ecclesiæ inuasit. *Vrsperg. Trithem.* Erat enim vir (inquit *Aemylius*) maiori amore & cupiditate, quam consilio & religione.

Ordo Fratrum *Minorum* instituitur à S. Francisco, ingenti Ecclesiæ bono, & Fidelium animarum saluti: qui postea ab Honorio Papa Tertio approbatus, & confirmatus, mire per vniuersum Orbem dilatatus est. *Onuphr. Trithem.*

Innocentius Papa, annuente Philippo Francorum Rege, armari curat & Cruce signari multa hominum millia aduersus obstinationem Albigensium hæreticorum. Vnde Raimundus Comes Tolosanus eorum fautor simulata pœnitentia flagris cæsus solemni ritu in Ecclesiam recipitur, atque eiusmodi sacri belli ductio committitur Simoni Comiti Montfortio. *Hist. Albig.*

Pax componitur inter Reges Nauarræum, Aragonium, & Castellanum. *Marian.*

1210. OTHO Imperator Regnum Neapolitanum eripere tentans Iuniori Friderico, qui adhuc erat sub tutela Pontificis, & totam Italiam sibi subiicere volens; à Pontifice ab his desistere monetur, & in sententia persistens excommuncatur, iusque Imperij ei abrogatur, & omnes subditi ab eius obedientia & fide absoluuntur. Vnde Principes Germaniæ eiusdem permissu Pontificis eligunt in Imperatorem prædictũ Fridericum Henrici Quinti Imperatoris filium ex Constantia olim Regina Siciliæ, iam viuente patre Regem Romanorum, adhuc puerulum, renuntiatum. *Vrsperg.*

Comes Tolosanus ac Princeps Flussatium iterum deficiũt ad Albigenses. *Hist. Albig.*

1211. IOANNES Rex Angliæ de spoliatione Ecclesiarum, expulsione sacerdotum, reddituum Ecclesiasticorum retentione, aliisque multis criminibus reus cõstituitur: ob quæ postea excommunicatur ab Innocentio Papa, ac tota Anglia interdicto supponitur; ac demum, ob contemptum excommunicationis, indignus Regno declaratur; quod donatur Francorum Regi. *Paris.*

Hispaniarum Reges Christiani, iunctis animis & armis bellum strenue suscipiunt aduersus Mauros. *Marian.*

Apparuit Cometes mense Maio flagrans diebus 18. cauda super Russiam porrecta; qui Tartarorum aduentum significabat. *Mechouius.*

1212. TARTARI Assyriam, Mesopotamiam, & prouincias Moscouiæ vicinas inuadunt. *Hayton.*

Pueri diuersæ ætatis & conditionis, per Germaniam & Galliam piis cuiusdam adolescentis cantilenis excíti, congregantur ad recuperandam Crucem Domini: nec potuerunt retineri, quin se itineri tradentes, plerique variis modis perierint. *Paris.*

Hocanno 1212. Æra Hispan. 1250. consignatur mirifica illa diuinitus concessa victoria Regum Christianorum in Hispania aduersus infinitam Maurorum multitudinem ex Africa irruumpentium; è quibus ceciderunt vltra ducenta millia. *Marian.*

1213. FRIDERICVS Iunior veniens in Germaniam, coronatur Aquisgrani: fœdusque init cum Philippo Francorum Rege. *Vrsperg.*

Ioannes Angliæ Rex in summas angustias redactus, cum è suis nemini fideret, & regem Francorum ad inuadendam Angliam paratum videret; subiecit se Innocentio Pontifici, & diadema capiti suo ademptum Pandulpho Legato Apostolico tradidit nunquam id ipse acceptutus, aut eius successores, nisi à Pontifice Rom. facitque Angliam & Hyberniam vectigales Ecclesiæ Rom. vt præter denarium S. Petri, solueret quotannis mille marcas argenti, & restitueret Ecclesiis omnia quæ eripuerat. *Paris. Blond. Polyd.*

A.C.

Comes Monfortius cum solis octingentis equitibus & mille peditibus inito apud Muretum prælio aduersus Petrum Arragoniæ Regem, & Raimundum Comitem Tolosanum fautores Albigensium, qui sub signis habebant centum millia hominum; insigni prorsus potitur victoria, qua Arragonius occubuit; relicto Regno Iacobo filio, quatuor annorum puerulo. *Hist. Albig. & Mariana.*

1214. OTHO, qui se Imperatorem dicebat, parum prospere in Germania aduersus Philippum agens, odio quo in Philippum Francorum Regem flagrabat, opem laturus Anglorum Regi & Comiti Flandrensi, aduersus Francum progreditur. Vbi ingentibus vtrimque stantibus exercitibus, in quorum altero ipse Otho cum Ioanne Anglorum Rege, Ferdinando Flandrensi Comite, multisque aliis Principibus; in altero Rex Philippus cum lectissima Francorum nobilitate militabant; memorabile contigit prælium 27. Iulij ad Bouinas prope Tornacum; quo Francus in ipso procinctu Deum in templo vicino veneratus, cum latus prodiisset ad suos, *Feliciter* (inquit) *pugnabimus, commilitones, aduersus hostem iudicio sanctæ Ecclesiæ damnatum*: initaque pugna insignem reportat victoriam, qua Otho fugit relicta aquila, fugerunt & alij: captus vero est Ferdinandus cum fratre Regis Angliæ, plurimisque aliis Proceribus. Eodemque tempore Ludouicus Philippi filius Anglos in Aquitania fudit. Quare inclinatis vbique Anglorum rebus, pacem petunt; tandemque opera Legati Pontificij indutiæ in quinquennium pactæ sunt. *Rigord. Vrsperg. Paris. Aemil. Chron. Belg.*

Fridericus vero aliena hac victoria in res suas vsus, Othonis sequaces ita pressit, vt plurimas vrbes ad deditionem, ipsumque etiam ad veniam petendam compulerit. *Naucler. & alii.*

Obiit Alfonsus Castellæ Rex: cuius quatuor filiæ nuptæ sunt quatuor Regibus; Blanca Ludouico filio Philippi Francorum Regis, qui postea patri successit, & ex Blanca suscepit S. Ludouicum; altera Regi Legionensi, tertia Aragonio, quarta Lusitano. Alfonso vero successit filius Henricus puer septennis. *Roder. Marian.*

Celebratur Concilium *Mompessulanum*, à quinque Galliarum Archiepiscopis vicinioribus, & viginti octo Episcopis; cui & plurimi Barones interfuerunt: in quo Simon Comes Montfortius constituitur Princeps terræ per Albigensium hæreticorum expugnationem conquisitæ. *Histor. Albigens.*

1215. CELEBRATVM est Generale Concilium LATERANENSE Calendis Nouembris, omnium quæ vnquam in Europa habita fuerunt celeberrimum; cui videlicet interfuerunt cum Innocentio Papa, Archiepiscopi 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuũ 800. quos inter exstitere Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, atque Alexandrinus & Antiocheni legati: itemque Oratores Imperatorum Orientis & Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierosolymorum & Cypri. In quo doctrina & nomenclatura *Transubstantiationis* panis & vini in corpus & sanguinem Domini in sacrificio Missæ confirmata est. Actumque præterea de Abbate Ioachimo; de opinione Petri Lombardi de Christi natura; & de recuperatione Terræ Sanctæ, pro qua emissi sunt per Europam, qui homines ad hoc sacrum bellum hortarentur. Ac denique damnata est hæresis Albigensium; & confirmatus Simoni Montfortio Comitatus Tolosanus, ipsi (vt vidimus) donatus in Synodo Mompessulana. *Vrsperg. Trithem. Platin. Onuphr.* Extantque Acta *in Tomis Concil.*

Ibidemque certus habitus Iudæis est assignatus. *Cap. in nonnullis de Iudæ.*

Initium item hocanno accipit in Hungaria Ordo *Fratrum Eremitarum* ex instituto S. Pauli primi Eremitæ, à B. Eusebio Strigonienſi. *Onuphr.*

A.C.

Ioannes Angliæ Rex sacerdotibus ditionis suæ iampridem infestus, deinde iis quoquo modo reconciliatis, rursum nobiles adeo nouis casibus in se concitauit, vt iidem facta coitione, Ludouicum Regis Francorum filium hortati sint ad Angliæ Regnum capessendum. *Aemil. & alii.*

1216. Qvi quidem in Angliam traiiciens, salutatus ab iis Rex est, frustra censuris obnitente Legato Pontificis. Sed paulo post Ioanne Rege, aut morbo, aut animi mœrore, ex hac vita decedente; iidem adhærent contra fidem datam *Henrico III.* Ioannis filio; quem & Regem coronarunt, Ludouico in Galliam se recipiente. *Paris. Polyd.*

Innocentius Tertius, laudatissimus Pontifex, moritur Perusij 16. Iulij, cum sedisset an. 18. mens. 6. dies 8. & in locum eius subrogatur biduo post Cūtius Sabellus Romanus; dictus HONORIVS Tertius: qui approbauit S. Dominici Ordinem Religiosum Prædicatorum, post decenium ferme in pio opere aduersus Albigenses consumptum. *Vrsperg. Anton.*

Decessit quoque hoc anno Henricus Imp. Constantinopol. Cui successit Petrus Comes Antisiodorensis eius gener. *Gregoras, Onuphrius.*

Et defuncto item Guillelmo Scotiæ Rege; qui in eius locum successit Alexander Secundus eius filius, cum Ludouico Francorum Principe transgressus in Galliam, fœdus antiquum renouauit: additumque, vt neuter alterius hostes in suum Regnum reciperet. *Boet. Leslæ.*

1217. HENRICVS I. Rex Castellæ, dum cum æqualibus pueris luderet in area, tegulæ ictu forte decidentis percussus moritur: & in eius locum substituitur sororis eius ex Rege Legionensi filius Ferdinandus eius nominis Tertius. *Roder. Marian.*

Exercitus Christianorum ad sacrum Bellum euntium in Palæstinam, per Venetorum triremes promouetur. *Paris.*

1218. PETRVS Imperator Constantinopolitanus Romam veniens cum vxore sua filia Henrici decessoris sui, coronatur à Pontifice. Vnde rediens Constantinopolim, à Theodoro Lascare, contra fidem datam, in nemorosis Thessaliæ locis proditorie captus, & biennio in squalido carcere detentus, occisus est. Cuius interea vxor Imperium prudenter gubernat, quousque filius eius Robertus è Gallia aduentaret. *Cuspin. Onuphr.*

Otho quoque Saxo olim Imperator, ab omnibus derelictus moritur peste. *Vrsperg.*

Itemque Simon Comes Monfortius Belli dux sacri aduersus Albigenses, vir militari arte clarissimus, & pietate insignis, in obsidione Tolosana, coniecto ex vrbe saxo opprimitur. *Hist. Albigens.*

Noua Christianorum expeditio in Ægyptum tendens, obsidet Damiatam, vrbem iuxta littus Nili munitissimam: deferente sacram militiam Andrea Hungariæ Rege, cum pluribus aliis, qui ad sua remearunt. *Blond. Sabel.*

In Frisia mare suis finibus egressum, vniuersam fere prouinciam inundauit; & ad centena hominum millia perierūt. *Trithem.*

1219. CAPITVR Damiata à Christianis post diuturnam & difficilem obsidionem. *Blond. Vitriac.*

Ludouicus filius Regis Franciæ mouet contra Albigenses & Tolosanos: sed ob pestem ingruentem, re infecta recedit. *Aemil. Altissiodor.*

1220. ROBERTVS Petri Imperatoris Constantinopolitani filius, è Gallia rediens coronatur Imperator in locum patris occisi. *Onuphr. Blond.*

Fridericus quoque Imperator Romæ coronatur 22. Nouembris ab Episcopo Ostiensi, ad hoc à Papa delegato: qui vt coronationis beneficium remuneraret, Fundensem Comitatum Ecclesiæ Romanæ perpetuo iure possidendū contulit; votumque Terræ Sanctæ concepit. *Vrsperg. Naucler.*

1221. FRIDERICVS Imperator Saracenos è Sicilia pellit: indeque rediens in Apuliam, duos Innocentij Tertij fratres, qui aliquot ibi loca possidebant, male habuit, ne quidem Episcopis quibusdam parcens. Vnde primum nata inter eum & Honorium PP. dissensio. *Vrsperg. Naucler. Platin.* Dictum in eum postea anathema.

Res in Ægypto male cedit Christianis; dum vlterius tendentes, ita arte hostium & Nili emissione concluſi sunt, vt coacti fuerint Damiatam reddere, & ex Ægypto recedere. *Aemil. Naucler. Marin.*

Obiit S. Dominicus 6. Augusti, Ordinis Prædicatorum institutor. *Baron. in Martyrol. Pet. de Natal.* sepelituque Bononiæ: quem post aliquot annos Gregorius PP. IX. in SS. album retulit.

A.C.

MORITVR Theodorus Lascaris, qui Imperij Græci titulum gerebat, in Asia minore: succeditque ei *Ioannes Ducas* eius gener. *Niceph. Gregor.* 1222.

Fridericus Imperator nihil non moliens contra Honorium PP. impri is filium suum Henricum nouem annorū puerum, de consilio Principum Regem Romanorum coronauit Aquisgrani; indeque in Italiam aduersus Pontificem rediens, à Ioanne Brenno Ierosolymorum Rege, qui petiturus venerat contra Saracenos auxilia, reconciliatus est Pōtifici. Cui etiam idem Ioannes filiam suam Iolantham vxorem collocauit, cum dote Regni Ierosolymitani. Vnde contigit vt deinceps Siciliæ Reges, se etiam Ierosolymorum Reges indigitauerint. *Vrsperg. Naucler. Aemyl. Trithem.*

Nascitur S. Thomas Aquinas, celebris Ecclesiæ Doctor, ac Theologiæ Scholasticæ princeps, monachus Ordinis Prædicatorum. *Trithem.*

Celebratur sub Stephano Archiepiscopo Concilium Oxonienſe in Anglia, de officio & statu Ecclesiasticorum: cuius extant Acta in *Tomis Concil.*

Terræmotus ingens Germaniam, aliasque prouincias concussit: in Cypro duæ vrbes euersæ, in Italia nemo in vrbibus metu ruinarum nocte permansit: Brixiaque vrbs fere tota subuersa est. *Trithem.*

1223. IOANNES Ducas Græcorum Imperator, vincit Alexium & Isaacium Principes, qui Lascaris soceri Ioannis Imperium affectabant, & ad hoc auxilium Roberti Imperatoris Constantinopolitani implorauerant: eaque victoria Ducas recepit vrbes, quas Latini in Asia habebant. *Niceph. Gregor.*

Obiit Philippus Augustus Francorum Rex. 14 Iulij Medunte, postquam regnasset ab obitu patris annos 43. delatus ad sepulchrum ad templum S. Dionysij, præsente Ioanne Brenno Ierosolymorum Rege. Successit filius eius *Ludouicus* huius nominis Octauus, S. Ludouici parens. *Aemil. Til.*

Ordo & Institutum S. Francisci, hoc tantum anno ab Honorio PP. approbatus ponitur à quibusdam *Onuphr. Trithem.*

Ab eodem confirmatur Ordo monasticus *Vallischolarium*, qui sub Regula S. Augustini originem sumpsit in Campania Galliæ per aliquot Theologiæ professores. *Genebr.*

1224. INTER Imperatorem & Regem Francorum renouatur amicitia, & nomen fraternum inter Gallos & Germanos. *Annal. Sueu.*

Angli vero tota fere Gallia pelluntur Francorum armis. *Rigord. Paris. Aemil.*

1225. QVIDAM se Balduinum olim Imperatorem Constantinopolitanum venditans, reposcensque à Rege Francorum Comitatum Flandrensem, comprehensus reste suspenditur; fama ancipiti, iurene an iniuria. *Aemil.*

Celebratur in Germania, præside Conrado Legato Apostolico, Concilium contra Simoniacos & Concubinarios clericos: cuius extant Acta in *Tomis. Concil.*

S Engelbertus Colonienſis Episcopus martyrio coronatur. *Baron. in Martyr. 7. Nouembris.*

1226. LVDOVICVS Rex Franciæ, ducto in Albigenses ingenti exercitu, Auenionem, quod transitum negasset, post molestam obsidionem muris exuit. Rediens in Franciam, moritur mense Nouembri ad Montempenserium. In cuius locum successit filius *S. Ludouicus* eius nominis Nonus anno ætatis suæ 12. Blancha matre Regni rectrice per viri testamentum constituta. *Aemil. Til. Meyer.*

Obiit S. Franciscus Ordinis Minorum institutor, anno ætatis 48. die 4. Octobris, Assisij: & post biennium inter Sanctos refertur à Greg. PP. Nono. *Trithem. Baron. in Martyr.*

Gingitz Cham Tartarus, cum annis 12. in Persidę grassatus fuisset, moritur: cui succedit Octai filius, qui fratribus suis ingentes dat exercitus, & assignat certas prouincias quas subigant: vnde factum, vt qui Moscouiam vastandam accepisset, inde etiam in Poloniam, ac demum in Germaniam penetrarit.

1227. HONORIVS PP. III. moritur mense Martij, cum sedisset annos fere vndecim. In cuius locum suffectus est vir doctissimus *Hugolinus* Episcopus Ostiensis, nepos ex cōsobrina In-

nocen-

NB. Ejus extat in Martio vita Vet. Monachi, tria Capita complectens, quem tribuit à Baronio loc. cit. dicit obiisse sed ipse dicit martyrio. Vide plura in Sanctor

A.C.

nocentii Tertii; dictus GREGORIVS IX. *Anton. Onuphr.* Prædicto Honorio *Vrſpergenſis* tribuit inſtitutionẽ, vt ad Euchariſtiæ conſecrationem, & ad ſalutationem Angelicam B. Virginis pulſentur campanæ, quod tamen alii eius ſucceſſori Gregorio tribuunt. *Genebr.*

In Gallia, Rege impubere agente ſub tutela matris Blanchæ (vt pater teſtamento cauerat) exoriuntur multæ factiones, dum Philippus Bononiæ Comes, Regis patruus, pro adminiſtratore Regni ſe gerit: captuſque Rex per inſidias à factioſis à Pariſienſibus liberatur, & reducitur Pariſios. *AEmil. Vit. S. Ludou.*

Celebratur *Concilium Londinenſe* de morum in Anglia reformatione: cuius Acta exſtant in *Tomis Concil.*

1228. BLANCHA Francorum Regina, tam armis quam prudentia fœdus conſpiratorum diſſipat. Quo anno fuit frigus adeo intenſum, vt equis ignis circumdandus eſſet ne frigore perirent. *Nangiſ. AEmil.*

Ingenti ex vniuerſa Europa in Palæſtinam ſuſcepta expeditione, Fridericus quoque Imperator minis coactus Pontificis, ac piorum inf nſis animis territus, eo nauigauit.

Leſcus Poloniæ Princeps per proditionem interficitur, relicto Boleslao filio adhuc puerulo Regni hærede. *Cromer.*

1229. FRIDERICVS in Syria, amicitiam clam iunxiſſe fertur cum Saracenis: Sane pactis cum iis, inteſtinis ſeditionibus occupatis, in decem annis induciis, recipit Ieroſolymam, aliaſque Palæſtinæ ciuitates. Sed cum aliud ab eo agi odio Pontificis (à quo excommunicatus erat, ob Eccleſiarum ſpoliationem, ac Eccleſiaſticorum perſecutionem, & alia crimina) non vana ſuſpicio eſſet; Pontifex monet militarium Ordinum Magiſtros, vt Chriſtiano nomini cauerent. *Vrſpergenſis* hic claudens Hiſtoriam ſuam, declamat in Pontificem, ac Fridericum laudibus extollit. At fama frequentior, & ſenſus prope omnium conſpirans, damnant Fridericum, inquit *AEmilius*; idque ex ipſo Vrſpergenſi, & actis Friderici ante & poſt profectionem hanc, non obſcure demonſtrat.

Erat tunc Patriarcha Hieroſolymitanus Robertus; qui ſucceſſerat Alberto ſucceſſori Heraclii. (de quo Baronius in Annal.) *Genebr.*

Robertus Imperator Conſtantinopolitanus moritur. Cuius filius Balduinus eius nominis Secundus, puer, Ioannem Brennum Regem olim Hieroſolymitanum, ex Italia vocatum, creat Cæſarem & generi eius efficitur. *Blond. Sabell. Onuphr.*

Ad diem dictam Pariſiis adfuit Raymundus Iunior Comes Toloſanus: vbi abiurata hæreſi Albigenſium, reſtitutus eſt gremio Eccleſiæ à Legato Pontificis, poſt peractam publice pœnitentiam. Cuius filia & hæres iuncta connubio Alfonſo Ludouici Regis fratri, pacem attulit, & finem bello Albigenſi. In reliquos Albigenſes data fratribus Dominicanis Inquiſitionis auctoritas. Ipſe vero Raymundus in quinquennium Bello ſacro Orientali ſe deuouit. *Chronic. Montfort.*

1230. FRIDERICVS Imperator, violatis iuribus diuinis & humanis nouos dolos cogitans, ſolui quærit anathematis vinculo, quo à Gregor. PP. innodatus fuerat; vt hoc pallio apud pios homines ſe tegeret. *AEmil. Chron. Hirſaug.* Perſoluit tamen centum viginti millia vnciarum auri, pro damnis illatis Eccleſiæ Romanæ. *Naucler. Platin.*

Alfonſus Rex Legionenſis, ſuis, & filii Ferdinandi Regis Caſtellæ copiis, Mauros ingenti prælio vincit, & aliquot munitiſſimas vrbes capit. Cumque paulo poſt obiiſſet, Ferdinandus paternam hæreditatem adiuit: ſicque vtrumque Regnum Caſtellæ & Legionis in vnum coaluerunt Imperium, nec poſtea diſiuncta ſunt. *Roder. Marian.*

Inſtitutus aliquot antehac annis Barcinone à Iacobo Aragoniæ Reg. *Ordo Mercenariorum*, ſiue *B. Mariæ de Mercede*, qui corrogatis eleemoſynis ſtipe redacta captiuos redimeret; hoc anno confirmatur à Summo Pontifice. *Marian. Onuphr.*

Valdenſium hæreſes adhuc repullulant: In quos damnatos ab Eccleſia grauiter etiam edixit Imperator Fridericus. *Trithem. in Chron. Hirſaug. Naucler.*

1231. ELISABETHA Andreæ Hungariæ Regis filia, S. Hedvvigis ex ſorore neptis, Ludouici Landgrauii Haſſiæ coniux, moritur 19. Nouembris: ſepeliturque Marpurgi. Hæc matrona & pia & calamitoſa fuit; quia matrem amiſit gladii ſupplicio, maritum in locis externis ex nauigationis nauſea, filium domi veneno; ipſaque præterea ab Henrico mariti fratre expulſa eſt poſſeſſione. Iſta tamen omnia virtute & patientia ſuperans, piamque ſe ac munificam erga pauperes ac miniſtros Chriſti ſe exhibens, meruit poſt quinque annos à Gregorio Papa Nono, in Sanctarum album referri. *Bonfin. Trithem.*

A.C.

Cum antehac Romani in Pontificem rebellantes, eo abſente affectaſſent antiquam Reipublicæ libertatem; iam peſte aliiſque malis caſtigati, ſubdunt ſe iterum Pontificis ſubiectioni. *Naucler. Blond. Platin.*

Inſtituitur *Ordo Canonicorum* Regularium S. Marci Mantuæ. *Onuphr.*

SCHOLARVM Pariſienſium ſplendorem neglectum reſtituit S. Ludouicus. *Gaguin.* 1232.

Ferdinandus Rex Caſtellæ Cordubam capit, regiam Maurorum ciuitatem. *Roder. Marian.*

Soldanus Friderico Imperatori tentoriũ elegantiſſimum mittit, mira arte ita inſtructum, vt Sol & Luna in eo facti curſum ſuum recte obſeruarent, & horæ tam noctis quam diei recte indicarentur. *Trithem. in Chron. Hirſaug.*

Ordo *Silueſtrinorum* ſub Regula S. Benedicti, à B. Silueſtro Vallis-vmbroſæ monacho inſtituitur: quam poſtea Innocentius Papa Quartus confirmauit anno 1258. *Azor. Inſtitut. Moral.*

PRVSSIA fere tota Chriſtianam Religionem amplectitur. *Chron. Polon.* 1233.

Ordo Militiæ *Monteſiæ* ſub Regula Ciſtercienſi inſtituitur in Regno Valentiæ in Hiſpania. *Onuphr.*

Quæ iam olim in turbis Italicis & Germanicis viguerant diriſſimæ *Guelphorum & Gibellinorum* factiones, & poſt ſopitæ videbantur, nunc à Friderico Imper. reuectæ ſunt, quibus omnes fere Italiæ ciuitates ad multa ſæcula vexarentur; dum qui Pontifici adhærerent Guelfi, qui vero Imperatori Gibellini dicerentur. Quas tamen Gregorius PP. omni conatu ſedare laborauit, miſſis ad eas variis concionatoribus. *Platin. Blond. AEmil. & alii.*

Idem Gregorius Papa Canones in quinque libros Decretalium per Sanct. Raymundum Ordinis Prædicatorum digeſtos, iubet publice proponi, & in Scholis explicari. Ius vero ciuile Pariſiis aliiſve locis proximis explicari vetuit. *Genebrard.*

FRIDERICVS Imperat. contra proficiſcentes ex Gallia ad Concilium Romæ indictum, ius gentium violans, filioque Henrico ac proceribus Germaniæ & ciuitatibus Lombardiæ inuiſus; magnas ſibi parit moleſtias, deficiente Henrico à patre, & renouato diſſidio cum Romana Eccleſia. *Æmil.* 1234.

Gregorius Papa crucem prædicat contra Stadingenſes hæreticos in confiniis Friſiæ & Saxoniæ; quod dudum à Sede Apoſtolica excommunicati & interdicti, claues Eccleſiæ contemnerent: qui & victi ſunt. *Trithem. Chronol. Hirſaug.*

Ludouicus in Francia Regni adminiſtratione ſuſcepta, ducit vxorem Margaritam, Comitis Prouinciæ filiam. *Annal. Franc. AEmil.* Conſtituiturque pax inter Francos & Anglos opera Blancæ Reginæ.

Obiit Sanctius Nauarræ Rex, dictus Fortis: ſucceſſitque Theobaldus Campaniæ Comes eius ſororis filius. *Marian.*

HENRICVS Friderici Imperatoris filius à patre vocatus in Italiam, poſt veniam acceptam, ob nouas ſuſpiciones coniicitur in vincula; vbi poſt aliquot annos extinctus eſt. *Auent. Trithem.* 1235.

Mortuo Andreæ Hungariæ Regi ſuccedit filius Bela. *Bonfin.*

DVM Fridericus vna cum Eccelino Lombardiæ tyranno vexat cõfœderatas aduerſus eos ciuitates, reuocatur in Germaniam ob bellum ab Auſtriaco excitatum; quod parum proſpere ab Imperatoris Ducibus geſtum, ipſe conficit. *Naucler Blond. Annal. Suevor.* 1236.

Græci obſidentes Conſtantinopolim, repelluntur ope Venetorum. Quo tempore ſcribit Blondus, ſacram Lanceam, Spongiamque, & partem Crucis Dominicæ, à Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, datam Venetis in pignus acceptæ ab iis pecuniæ. Quæ quidem non multo poſt

A.C.

S. Ludouicum vt sibi redimere liceret, obtinuisse, & Parisios deseruisse, testantur abunde Francorum Historiæ.

1237. FRIDERICVS arte, armis, & scriptis omnia turbans (quem Parisius Anglus in Romanam Ecclesiam parum æquus, cõtra omnium veri amantium, etiam Germanorum scriptorum sententiam, frustra excusare nititur) hostili animo in Pontificem è Germania in Italiam regreditur, & prælio Mediolanenses vincit.

Hactenus à capta per Francos Constantinopoli, vnita Latinis Græca Ecclesia, nunc iterum, Germano Græcorum Patriarcha, discessionem aliquam molitur. Post Michaelem (de quo ann. 1206.) numerantur Patriarchæ Græcorum Theodorus III. Maximus II. Manuel, & iste Germanus II.

In Palæstina, cum Soldanus defunctus esset, Templarii inducias olim pactas simul exspirasse putantes, eruptionem faciunt in Saracenos; sed graui prælio repelluntur. *Paris.*

Celebratur in Anglia *Concilium Londinense*, præside Othone Cardinali Legato Apostolico: in quo multæ latæ sunt leges, quæ deinceps Sacerdotalem ordinem conseruarunt. *Polydor.*

Bathi Tartarus Moscouiam inuadens, eius Principem interficit, omniaque vastans seruilem in modum incolas tractat diuturno tempore, donec iugum Tartarorum iterum Moscouitæ excuterent. *Mechou.*

1238. BALDVINVS veniens in Galliam, auxilia petiturus contra Saracenos, *Coronam Christi spineam* reliquit S. Ludouico Regi, sacri Sacelli Parisiensis decus ac ornamẽtum perpetuum. *Nangis. Annal. Franc. Vide supra an.* 1236.

Iacobus Aragoniæ Rex, vindicatis iam antea Balearibus insulis è manu Maurorum, nunc Valentiam in Hispania capit. *Marin.*

Guillelmus Episcopus Parisiensis, solemni habita Theologorum disputatione, definit neminem posse duo possidere beneficia sacerdotalia, si vnum sufficeret ad eum alendum, absque peccato mortali. *Chron. Franc. Meier. in Annal. Haud.* Ditlident etiam inter se diris diuisionibus Saraceni in Oriente. *Marian.*

1239. INTER Gregorium Pontificem, & Fridericum Imperatorem publicatur toto Orbe dissidium literis, & diuerso vtriusque diplomate: excommunicatur Fridericus, & Imperio priuatus declaratur. Italia & Germania dissensionibus & armis pro alterutra parte exardescunt: & Scriptorum fides in tanto animorum motu vacillat; pluribus tamen & æquioribus, Fridericum summæ ingratitudinis in Ecclesiam Romanam, impietatis, multorumque scelerum damnantibus *Blond. Platin. Sabell. S. Anton.*

Rex Nauarræ cum aliquot Francorum copiis soluit Massilia in Palæstinam.

Regnum *Granatæ* initium sumit, cum eius vrbis incolæ se Alhamari Saraceno dedissent. *Marian.*

In Asia quidam nomine *Baba* Prophetam se dicens, ex colluuione hominum ingentem colligit exercitum, omniaque longe lateque vastat, omnibus ex æquo hostis: quem tandem Rex Guniæ deleuit. *Zacuth.*

1240. IN bello contra Fridericum, Ferraria occupatur à Mediolanensibus; cui nomine Ecclesiæ Romanæ præficitur Azo Estensis, hincque exordium cœpit dominatio familiæ *Estensis* in ea ciuitate. *Blond. Sabell. Platin.*

Rex Nauarræ in Palæstina primum feliciter pugnat contra Saracenos; deinde vero eo absente Franci magna clade afficiuntur. Eod mque (post pactas inducias) redeunte in Europam; Richardus frater Regis Angliæ appellit in Palæstinam. *Paris. Marin.*

Mortuo Germano II. Patriarcha Græcorum Constantinopolitano, succedit Methodius item II. eique post tres menses vita functo sufficitur Manuel æque eius nominis II.

Palentina Academia ante 30 fere annos instituta ab Alfonso Rege, à Ferdinando traducitur *Salmanticam*, ob loci commoditatem. *Vasæ. Marian.* Quod alii in posteriora tempora referunt. *Vide Middend. de Academ.*

Quo tempore, inter cæteros doctrina præstantes viros, floruerunt Accursius Florentinus, primus vniuersi Iuris ciuilis glossator; Hugo Cardinalis Dominicanus, qui sacram Scripturam notis illustrauit, & Concordantias digessit: Alexander Alensis Franciscanus, SS. Thomæ & Bonauenturæ, necnon Scoti magister: S. Antonius de Padua item Frãciscanus, quem Pontifex Arcam Testamenti appellauit: Albertus Magnus & Vincentius Bellouacensis Dominicani: Iacobus de Vitriaco, & Henricus Ostiensis Cardinales: Gulielmi Parisiensis & Antisiodorensis: Martinus Polonus, Ioannes à Sacrobosco; & alii quamplurimi, præter illos quorum pro occasione fit hac Chronologia mentio.

A.C.

1241. GREGORIVS Papa IX. moritur 22. Augusti, postquam sedisset annos 14. & menses quinque. Ac post dies 30. ei subrogatur *Gaufridus Castellio* patria Mediolanensis; qui voluit appellari CÆLESTINVS eius nominis IV. Eoque 18. post die decedente, vacauit Sedes anno vno mensibus octo; donec liberi dimitterentur Cardinales, quos è Gallia venientes Romam ad indictum Concilium, Fridericus cum multis aliis Episcopis inique ac impie captiuos duxit. *Paris. Onuph.*

Quo tempore idem Fridericus, vniuersam licet Italiam spolians, laborans tamen pecuniæ inopia, iussit ex corio parari numismatis formam; vt haberet, quo militibus stipendia penderet, dum pecuniæ suppeterent ad ea redimenda.

Bathi Tartarus duplici exercitu Hungariam, Poloniamq; inuadit, & vtramque immensa afficit clade, euersis Strigonia Hungariæ, & Cracouia Poloniæ ciuitatibus; Silesia quoque & Bohemia deuastatis *Bonfin. Cromer. Dubrau.*

1242. TEMPLARII in Palæstina multa millia Saracenorum admiranda fortitudine vincunt. *Paris.*

Rex Angliæ, vt recuperaret, quæ parens desidia sua amiserat, in Aquitaniam cum exercitu nauigat: sed à Rege Francorum apud Santones superatus, redit in Angliam, pactis in quinquennium induciis. *Paris. Nangis.*

Tartari nouis victoriis in Hungaria, Polonia, & Silesia potiti, tantis tamen & ipsi cædibus attriti sunt, vt in sua reuerti coacti sint. *Cromer. Curæus, Dubrau.*

1243. PRECIBVS Balduini Imperatoris Constantinopolitani (qui petitutus auxilia in Italiam venit) dimissi sunt à Friderico Cardinales & Episcopi quos ceperat. Demum electus est Pontifex 24. Iunii *Sinibaldus de Fliſco* patria Genuensis, amicus olim Friderici, insignis Iurisconsultus, Azonis, Accursii, ac Iacobi Balduini Iurisconsultorum olim discipulus; tantique à multis æstimatus, vt *patrem veritatis* etiam appellare non dubitauerint. (*Volaterr.*) qui in Pontificatu INNOCENTIVS IV. dici voluit. *Onuphr.*

S. Hedwigis Henrici Barbati Silesiæ Ducis coniux, insignis innocentiæ, sanctitatis, & mansuetudinis fœmina, moritur. *Curæus. Baron. in Martyr.* 15. *Octob.*

1244. INNOCENTIVS Papa sibi metuens ab Imperatore Ecclesiam continuo persequente, primo Genuam, inde in Galliam vna cum Cardinalibus nauigat; ac Lugdunense Concilium in annum sequentem indicit; diemque dicit Friderico, vt adsit responsurus de criminibus in eum obiectis. *AEmil. Auent.*

Corasmiani, quos ex Perside expulerunt Tartari, quærentes in Ægypto sedes nouas, consilio Ægyptiorum arma conuertunt in Palæstinam: vbi ex improuiso occupata vrbe Ierosolyma, cuncta vastant cæde, fœdantque: mox acie excepti à Christianis, victoriam, sed ipsis cruentam, tulerunt, & Christianis, ob desideratos Duces, permoleſtam. *Paris. AEmil.*

1245. CELEBRATVR mense Iunii Generale CONCILIVM LVGDVNENSE, præsidente Innocentio PP. ad quod vocatus Fridericus nec comparens, excommunicatur, & Imperio abdicatur, tanquam schismaticus, & Ecclesiæ hostis. *Platin. Vincent. Nangis. & alii plurimi:* sententiæque formula refertur, *c. ad Apostol. de sent. excom. in 6.* Et ipsa Concilii Acta extant in *Tomis Concil.* Actum deinde de Bello sacro: cuius Dux constitutus est S. Ludouicus Rex Francorum. Qui nisi Concilio dignitatem roburq; præstitisset, turbasset illud armis Fridericus, vt ait *AEmilius.* Sed & in eodem hoc Concilio Pontifex Cardinales iam purpuratos, Rubro etiam Pileo nobilitauit: quo significaret eos paratos esse debere pro libertate Ecclesiæ, si opus sit, vitam morti exponere. *AEmil. Onuphr.*

1246. HENRICVS Hassiæ ac Thuringiæ Landgrauius S. Elisabethæ leuir, ex Francorum Regali prosapia, designatus Imperator ab Innocẽtio PP. in locum Friderici, vincit in Germania Conradum Friderici filium; & dum bene vtitur victoria, in expugnatione Vlmæ vrbis casu vulneratus sagitta, postea è vulnere interiit. *Naucler. Auent. Onuphr.* Sunt tamen, qui

A.C.

numerant annos 28. interregni à depositione Friderici ad Rudolphi Habspurgii Imperium.

Sanct. Ludgardes virgo Brabantina moritur. *Baronius decimo sexto tumit.*

Magnum Cham Tartarorum suscepisse sacra Christianorum, scribunt Blondus, Sabellicus, & Ioannes Copinus Franciscus in libello, quem de hac re ex professo scripsit, cũ missus fuisset ab Innocentio Papa ad Regem in Religione instruendum. Idemque magno animo defensionem suscepit Christianorum aduersus Saracenos. Quem & S. Ludouicus in expeditione Orientali literis & muneribus in fide confirmauit. *Gaguin. Genebr.*

1247. CORASMIANOS Christiani in Palæstina cædunt, & breui nomen eorum deletum est. *Paris.*

Vsque ad hunc annum sedit Antiochiæ Patriarcha Elias, successor Raimerii, quem præcesserat Rudolphus II. hunc que Aimericus, de quo Baronius in Annalibus. Quis vero Latinorum post Eliam sederit, incertum. *Genebr.* Hoc que eodem tempore sedebat Ierosolymis Patriarcha Iacobus Pantaleon, successor Roberti, de quo ann. 1229. *Genebr.*

Sanctius Rex Lusitaniæ moritur: cuius frater Alfonsus Comes Bononiensis Regni administratorem se constituit. *Vasæ. Marian.*

1248. COLLECTI Principes Germaniæ, vrgente Legato Pontificis, substituunt Henrico Landgrauio mortuo Guillelmum Hollandiæ Comitem in Regem Romanorum. *Naucler. Auent.*

S. Ludouicus Francorum Rex susceptam ex voto sacram expeditionem impleturus, Cyprum appellit; ibiq; hibernat. *Nangis. Ionuill.*

Hispalis nobilissima Hispaniæ Bœticæ ciuitas eripitur Mauris à Ferdinando Rege. *Marian.*

1249. REX Ludouicus à Cypro soluens capit Damiatam. *Nangis.*

Scotiæ Rex Alexander II. moritur: succeditque filius Alexander III. puer nouem annorum. *Boet.*

Petrus de Vineis Cancellarius Friderici, ob suspicionem parati Friderico veneni, oculis ab eo priuatur; & in vinculis detentus, metu grauioris supplicii capite ad columnam allisso exspirauit. *Paris.*

1250. GVILLELMVS Hollandiæ Comes, electus, vt diximus, Romanorum Rex, Aquisgranum capit; ibique coronatur. Aderant (inquit *Trithemius*) septem qui hodie numerantur Electores Imperii. Atque hinc forte Auentinus & Onuphrius volunt, hunc primum destinatos Septem illos Electores.

Moritur Fridericus in Apulia, antea (vt aliqui volunt) restitutus Ecclesiæ, dato pœnitentiæ signo.

Franci in Ægypto ingentibus præliis semel atque iterum Saracenos vincunt, ipso Rege Ludouico palmam referente: sed mox peste exercitum eius inuadente, circumdatus à Saracenis Rex ipse peste ictus captus est cum duobus fratribus, & reliqui fere omnes ad internecionem cæsi. Curatus vero diligentissime Rex, his conditionibus liber dimissus est, vt Damiatam restitueret, octo millia bisantiorum solueret, ac decennio toto bellum contra Saracenos non gereret: & in pactionis fidem Christianam Hostiam victori tradidit; quam postea numerato pretio redemit. Perrexit igitur in Palæstinam, vbi diuersas ciuitates muniit; & toto quadriennio ibi mansit. *Nangis. Ionuill. Iouius, Genebr.*

Henricus Danorum Rex ab Abele fratre in mari suffocatur: ipseque Abel anno sequenti, dum Frisonibus bellum infert, trucidatur. *Chron. Danor. & Belg.*

Cæsar Augustę puer septem annorum à Iudæis in Paschate cruci affigitur, & lancea pectus traiicitur. *Annal. Arragon.*

Circa huius annum *Guill. de S. Amore* sua disseminauit zizania, hostis Religiosorum Mendicantium: propter quæ ab Alexandro PP. IV. Innocentii IV. nunc sedentis successore damnatus est. Ac per id temporis in paupertatem Religiosam pari furore inuectus est *Desiderius Longobardus*, & a que damnatus. De vtriusque erroribus vid. *Bern. Lutzemburg. Prat. & Castr. de Haref. & Gualt. in Chron.*

1251. INNOCENTIVS PP. exacto pene septennio Lugduni, iam se tutius in Italia post mortem Friderici viuere posse existimans, eo redit, & Perusii subsistit. Sed cum nihilominus experiretur Conradum Friderici filium, suum & Ecclesiæ Romanæ aduersarium qui relicta Germania in Italiam venerat, Neapolitanum Regnum tuiturus; eundem excommunicat. *Blond. Paris.*

Florentini pulsis Gibelinis se Guelfos profitentur, & formam Reipublicæ instituunt. *Blond.*

Ingens opilionum & agricolarum numerus, ad sexaginta ferme millia, a Hungaro quodam Saracenicæ & Gallicæ linguæ perito, colligitur in Galliis sub vexillo Agni, spe occupandæ Terræ Sanctæ: qui nominabant se Pastorellos. Sed cum Gallias ipsas populari cœpissent, occiso Hungaro, reliqui dispersi sunt. *Paris.*

OBIIT S. Clara 12. Augusti, quæ institutum Monialium sub legibus S. Francisci inchoauit sub Honorio III. *Anton. Baron. in Martyr.* 1252.

S. Petrus Ordinis S. Dominici pro fide trucidatur. *Baron. in Martyr. 16. Apr.*

Circa idem tempus, in capita, quæ nunc habentur, distingui cœperunt Biblia, & conscribi Concordantiæ, præcipuo operis architecto Hugone Cardinale. *Genebr.*

Seruorum B. Mariæ, siue Seruitarum institutum, initium accipit apud Florentinos à septem eius vrbis ciuibus, quorum præcipuus B. Bonauitus. *Onuphrius.*

Ferdinandus III. Castellæ Rex moritur Hispali; Princeps habitus fortis, sanctus, & felix. Succedit filius eius *Alfonsus* eius nominis Decimus; qui & dictus est Sapiens, insignis Philosophus & Mathematicus: à quo nomen acceperunt *Tabulæ Alfonsinæ* Astronomicæ, quod eius auctoritate & diligentia sint conditæ à præstantissimis vndique conquisitis Astrologis. *Taraf. Marian.* Qui idem, immenso licet negotiorum mari circumeptus, nihilominus decies & quater vniuersam Bibliam perlegisse dicitur cum suis glossis. *Trithem. an. 1270. Genebr. in Vrb. IV.*

SORBONÆ collegium nominatissimum fundatur Parisiis à Roberto Sorbono insigni Theologo; quem quidam inepte fratrem dicunt S. Ludouici Regis. *Genebr.* 1253.

Innocentius Papa reuertitur demum Romam, & exercitum mittit contra Conradum in defensionem Regni Neapolitani; qui à Conrado deletur. Quod vero Conradus crudelissime illos populos haberet, vniuersumque Regnum sacrilega vastatione pessumdaret, indeque summo omnibus odio esset; offert illud Pontifex vna cum Sicilia Richardo fratri Henrici Regis Angli: qui tamen non acceptauit; sed Henricus cupide aurea porrexit. *Paris.*

Sanctus Ludouicus è Palæstina mandat Iudæos e Regno suo pelli, quod eorum causa Christiani male apud Saracenos audirent. Relicti tamen sunt, qui victum manibus quærerent. *Paris.*

S. LVDOVICVS redit in Galliam. *Ionuill.* Theobaldus Rex Nauarræ moritur: eique succedit filius eius Theobaldus Iunior. *Pith.* 1254.

Conradus Rex Neapolitanus fratrem Henricum Siciliæ Regem impie occidendum curat: & paulo post ipse veneno necatur à Manfredo Friderici notho 22. Maii. Et quamuis adhuc superstes esset Conradinus Conradi filius, qui in Germania per ætatem nondum aptus ad gubernandum, apud matrem agebat; nihilominus Neapolitani se dedunt Pontifici cum ipse eo accessisset; vbi & mortuus est 7. Decembr. vt habet *Onuphrius*, postquam sedisset annos 11. & menses 5. sepultumque ibidem Neapoli esse, *AEmilius* ait. Is indulgentiam decem dierum iis omnibus concessit, qui quouis tempore pro Christianissimo Rege Francorum preces fuderint. S. Thom. 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. sub fi. Nauar. not. 19. de orat. num 90. ob præclara videlicet officia regiasque munificentias, quibus Francorum Reges vti consueuerunt in Sedem Apostolicam, ac Summos Pontifices.

Mortuo igitur Innocentio IV. successor ei eligitur ALEXANDER itidem IV. patria Anagninus, antea dictus Rainaldus. A quo mox missus est exercitus ad Manfredi audaciam reprimendam. *AEmil. Platin.*

Post Manuelem Constantinopolitanum Patriarcham, sedisse iterum putatur *Germanus*: eique breui exstincto, cum Nicephorus Blemmydes oblatum sibi honorem recusasset, designatur. *Arsen. Greg.*

Borussi ad fidem Christianam deducuntur per Fratres

Teu-

A.C.

Teutonicos, quibus Fridericus Imp. eam terram acquirendam tradiderat. *Naucler.*

1255. MORITVR Ioannes Ducas, qui se Græcorum Imperatorem dicebat: eique succeſſit filius *Theodorus Ducas*, dictus Lascaris Iunior; Nicææ coronatus à Patriarcha. *Gregor.*

Guillelmus item Romanorum Rex occiditur a Friſiis; vacatque iam penitus Imperium Occidentale, vſq; ad Rudolphum Habſpurgium. *Naucl. Trithem. Cuſpinus.*

Manfredus Friderici nothus, qua vi, qua dolo, cæteris extinctis, aut expulſis, vtriuſque Siciliæ ſe Regem conſtituit; cum aliquamdiu, dum hoc ageret, animos hominum occupaſſet de morte Conradini. *AEmil. Onuphr.* Quare Pontifex in eum, velut impium & iniuſtum hæredem, Sacrum Bellum indixit, hoſtem Eccleſiæ denuntians,

Ottocarus Bohemiæ Rex Prutenos vincit, & vt Religionem Chriſtianam ſuſcipiant cogit. *Dubrau.*

1256. MICHAEL Theſſaliæ dominus, ex familia Angelorum, quem ad Deſpotæ honorem Ioannes Ducas Imperat. euexerat, iunctis ſibi Bulgaris Theodorum Lascarem Imperatorem prædicti Ioannis filium, bello petit; ſed infelici ſucceſſu, quo ad pacem petendam compulſus eam obtinuit. *Gregor.*

Tartari Meſopotamiam ſibi ſubiiciunt; capiuntque Baldac, aliquibus dictum olim Babylonem, occiſo Saracenorum Sultano, auro liquefacto in os infuſo, quod in immenſis diuitiis ſordide auarus fuiſſet. *Marin.*

Moritur Henricus Luſignanus primus Rex Cypri. *Hiſtor. Cypri.*

1257. DISSENTIVNT Principes Germaniæ de eligendo Romanorum Rege, dum alii Richardum fratrem Regis Angliæ, alii Alfonſum Caſtellæ Regem expetunt; ſed abſque ſolido effectu.

Sanctus Ludouicus Regnum ſuum Franciæ optimis ornat legibus; Princeps pacis inter ſuos, & iuſtitiæ ſtudioſiſſimus. *Ionuill.*

1258. MICHAEL Palæologus, ſuſpectus Lascari redditus, profugit ad Turcas reuocatus tamen amiciſſime, conſtituitur in Conestabilis dignitate. *Gregor.*

Obiit Nicææ Theodorus Lascaris Græcorum Imperator, relicto filio Ioanne Duca ſex tantum annorum; cui Muzalonem conſtituit tutorem: ſed Muzalone paulo poſt necato, Michael Comnenus Palæologus tutelam ad ſe deriuauit, cum Deſpotæ dignitate, quæ Regiæ proxima erat: qui & alium Michaelem Theſſaliæ dominum, auxilio Manfredi Siculi Thraciam inuadentem, immiſſo in eum exercitu fugauit. *Gregor.*

Ab hoc tempore Perſarum Regnum penes Tartaros fuit vſque ad ann. 1550. & occiſo eorundem Perſarum Calypha Muſtaceno, hinc vſque ad Sophi populus ille ſummo legis doctore caruit. *Genebr.*

Conuentus Oxonienſis in Anglia contra Pictos, qui ingenti numero confluxerant in Angliam: quos ſtatuerunt cum cæteris alienigenis exterminandos *Polydor.*

Genuenſes, Veneti, ac Piſani per hæc tempora, & ſequentia, de finibus inter ſe altercantes, multis præliis, & incurſionibus ſeſe mutuo variis locis conficiunt, in perniciem Regni Hieroſolymitani, & Imperii Conſtantinopolitani. *Marin.*

1259. MICHAEL Palæologus Imperium Orientale vſurpat, res tamen Ioannis Ducæ pupilli ſui fideliter ſe curaturum promittens. Fratrem quoque aduerſus Michaelem Theſſaliæ dominum immittens, iubet in tranſitu tentare Conſtantinopolim: quam ille ſubito occupat, nocte per proditores patefacto cuniculorum antiquorum aditu, dum Franci magna ex parte aberant; qui eam 56. ſiue vt alii volunt, 58. annis obtinuerunt: variant enim auctores in tempore recuperatæ illius vrbis. *Gregor. Pariſ. Onuphr. AEmil. &c.*

Henricus Angliæ Rex veniens in Galliam ad S. Ludouicum Regem, pacem his conditionibus cum eo facit, vt ipſe cederet omni iure Normanniæ, & Comitatus Pictauienſis, Turonenſis, & Cenomanenſis: retineret autem, vt Regis beneficiarius, Aquitaniam vlteriorem, eſſetque vnus ex Paribus Franciæ. *Annal. Franc. Gaguin. Nangiſ. Pariſ. Polyd.*

Tartari Syriam occupant: qui tamen anno ſequenti à Sultano Ægypti inde pelluntur, iidemque mortuo Magno Cham; ciuilibus diuiſionibus regni cauſa agitantur. *Haiton. Marin.*

A.C.

Arſenius Patriarchatum Conſtantinopolitanum abdicat; moxque recipit: tandemque poſt aliquod tempus ſubrogatur Germanus III. *Gregor.*

Quo etiam tempore Ieroſolymis, poſt Ioannem, de quo ann. 1247. ſedit Thomas: poſt quem, quis è Latinis ſederit, non literis traditum. *Genebr.*

1260. ECCELINVS Lombardiæ tyrannus Pontificiis & fœderatorum armis profligatur, & ex vulnere in acie accepto occumbit. *Blond. Sabell. Platin.*

Ottocarus Rex Bohemiæ, mortuo Bela Hungarorum Rege Styriam inuadit, & occurrentem Stephanum Belę ſucceſſorem prælio vincit. *Chron. Aug.*

Hoc circiter anno *Raymundus Lullus* monachus Maioricenſis ſuos cœpit ſpargere libellos, infinitis erroribus, atque etiam magia reſperſos: cum tamen iactaret, IESVM CHRISTVM ſibi in forma Crucifixi apparuiſſe, ſeque ex eius ore doctrinam ſuam accepiſſe. De quo vid. *Prateol. de Hæreſ. Bellar. de Script. Eccleſ. Gualt. in Chron.*

1261. ALEXANDER Papa Quartus moritur 25. Maii, cum ſediſſet annos ſex, menſes vndecim. In cuius locum ſuffectus eſt 29. Auguſti *Iacobus Pantaleon* Gallus, humillimo in Trecaſſibus loco natus, patre ſutore veteramentario; ſed animi indole nobilis, qui tum erat Patriarcha Ieroſolymitanus: dictuſque eſt VRBANVS, eius nominis Quartus. *Platin. AEmil. Genebr.* Pontificatum Peruſii iniit, quod populus Romanus facta in Alexandrum ſeditione, eo recedere coacto, ſuo regeretur Prætore, quem Senatorem vocabant. *AEmil.*

Michaelis Palæologi exercitus profligatur à Michaele Theſſaliæ Deſpota: ſed inter eos pace connubio icta, ipſe Ducam pupillum ſuum oculis impie priuat. *Greg.*

1261. ELISABETHA filia Regis Aragoniæ nubit Philippo Ludouici Francorum Regis filio: fœdereq; cautum, vt Carcaſſonam Francus haberet & Biterras; cederet tamen omni iure, quod ab anterioribus Francorum Regibus quæſitum habebat in Aragoniam. *Nangiſ. Æmil.*

Conſtantia Manfredi filia deſponderur Petro Aragonio, cum dote Siciliæ & Apuliæ, quod Manfredus prole maſcula careret. *Marian.*

1263. CONSTANTINVS Bulgariæ Rex, qui vxorem habebat ſororem Ducæ excæcati, Thraciam ingreſſus, Palæologum acie profligat. *Gregor.*

Vrbanus PP. Mediolanum interdicto ſubiicit, ob reiectũ Epiſcopum Othonem: qui poſtea eundem ſuum Epiſcopum receperunt. *Don. Boſius.*

Albertus Magnus nobilis Sueuus, profeſſor Ordinis Dominicani, abdicato Epiſcopatu Ratisbonenſi, ad quem ante aliquot annos electus fuerat, Coloniam ſe recipit, iterum Theologiam publice profeſſurus, vt merito cognomen Magni tulerit etiam hoc nomine. Quando inter quamplurimos diſcipulos, clariſſimum quoque Eccleſiæ lumen, Sanct. Thomam Aquinatem, auditorem habuit: qui breui poſtea Doctoratus honore Pariſiis vna cum S. Bonauentura Franciſcano decoratus eſt.

1264. ANGLIA inteſtino bello laborat: & commiſſo prælio, Henricus ipſe Rex cum fratre & filio capiuntur, ductore contrarii exercitus Simone Iuniore Comite Monfortio. *Chron. Monfort. Append. Pariſ. Nangiſ.*

Sultanus Ægypti Palæſtinam infeſtare incipit; vnde in Occidente indicitur expeditio in Palæſtinæ ſubſidium. *Nangiſ.*

Iazygum gens, quæ ſæpius Poloniam vaſtauerat, à Boleslao Pudico Rege fere tota deletur; & reliquiæ eius ad amplectendam religionem Chriſtianam adiguntur. *Hiſtor. Polon.*

Vrbanus Papa inſtituit feſtum CORPORIS CHRISTI, vt celebretur feria quinta poſt Trinitatis: eiuſque Officium cõpoſitum eſt a S. Thoma Aquinate, & ad Papam tranſmiſſum. *Onuphr. Vid. S. Thom. opuſc. 57.*

Obiit idem Pontifex die ſeptimo Octobris Peruſii, cum ſediſſet annos tres, menſem vnum: vacatque ſedes menſes quatuor.

1265. SVB principium menſis Februarii creatur Romanus Pontifex *Guido Groſſus*, Fulcodii filius, Gallus, iuris conſultiſſimus

olim

A.C.

olim miles & vxoratus, postea factus Episcopus Podiensis, inde Archiepiscopus Narbonensis, ac postea Cardinalis Episcopus Sabinensis; vir sanctæ conuersationis, & Prophetico spiritu (vt ferebatur) illustratus: nomenq; accipit CLEMENTIS IV. *Anton. Platin. Trithem. Onuphr.*

Carolus Comes Andegauensis frater S. Ludouici Francorum Regis, iam antea ab Vrbano PP. designatus Siciliæ & Neapolis Rex, Romam hoc anno aduenit; vicarius & Senator creatur, & à Legato Pontificis absentis Rex proclamatur, imposito vectigali quadraginta millium aureorum annuorum. *Naucler Blond. Platin. AEmil.*

In Anglia filius Regis Eduardus, arte è custodia elapsus, exercitum colligit; & cum aduersariis prælio congressus, eos profligat, desiderato in conflictu Comite Monfortio: patremque ac patruum liberat. *Append. ad Paris. Nangis.*

Alfonsus Castellæ Rex insignem reportat victoriam de Mauris: & Murciæ ac Granatæ Reges, qui rebellauerant, & Maurorum ingentem exercitum ex Africa aduocarant, ad priora ipsius iura redire, durioribus pacis conditionibus coacti sunt. *Marian.*

1266. CAROLVS cum exercitu Roma digressus, vno nobilique prælio ad Beneuentum victor Regni possessor euadit, occiso Manfredo. *Append. Paris. AEmil.* Idemque misso in Tusciam equitatu, Florentiam, aliasque ciuitates, pulsis Gibellinis, restituit Guelfis. *Blond.*

Sultanus Ægypti, tentata frustra Ptolemaide, expugnat Saphet; & omnes qui ad Mahometismum transire noluerunt, crudeliter trucidat. *Marin.*

Celebrantur in Anglia ab Othobono Cardinale Sedis Apostolicæ Legato, iam antea ab Vrbano PP. ad bella intestina componenda misso, *Concilia Northantoni & Londini*, de rebus ad religionem pertinentibus. *Polydor.*

1267. RVSSI & Tartari à Polonis magno prælio funduntur, Duce Petro Palatino Craconiensi, cum interim Princeps Boleslaus orationi vacaret. *Hist. Polon.*

Henricus pulsus ab Alfonso fratre Castellæ Rege, excipitur à Clemente Pontifice, & Romæ Prætor constituitur. *Blond.* Qui tamen anno sequenti Conradino inhæsit aduersus Carolum.

Circa hæc tempora Icum Nuamlach de familia Dauid Æthiopicum Imperium, quod *Presbyteri Ioannis* vulgo dicitur, maioribus suis ereptum, ope Optimatum, qui res Sabæ prouinciæ gubernabant, recipit, & ex Axuma prouincia in Sabam transfert. *Vict. Reat. de Regib. AEthiop. Genebr.*

1268. CONRADINVS Friderici olim Imperatoris nepos ex Conrado filio, vltimus ex familia Friderici Barbarossæ, ad lacum Fucinum ingenti prælio superatur a Carolo fratre S. Ludouici: idemque fugiens ex anulo agnitus, retractus est, & anno sequenti Neapoli publice secuti percussus, vna cum Duce Austriæ ipsius cognato: sicque exstincta est Sueuorum familia. Siculis vero, qui hostili animo videbantur, grauius imperatum, & valida præsidia in arces vrbesque missa. *Suffrid. AEmil. & alii.*

Sultanus Ægypti, Ioppen per proditionem capit, cum tamen res in induciis essent: indeque Antiochiam veniens, eam deditione capit & euertit. *Haiton. Marin.*

Clemens PP. IV. Viterbii moritur 29. Nouemb. postquam sedisset annos tres, ac menses fere decem: raræ virtutis & singularis exempli Pontifex, cum in aliis, tum maxime in affectu erga cognatos & affines temperando. Vacauitque sedes duobus annis & nouem mensibus, quod inter Cardinales non conueniret de futuro successore. *Onuphr.*

S. Ludouicus Rex Franciæ, cum sacerdotia nulla conferre vellet, sed ius integrum relinqueret Ordinariis talium beneficiorum collatoribus iuxta antiquorum canonum præscriptum; diploma Pontificium, quo talis sibi data potestas contineri dicebatur, coniecit in ignem; sibi satis esse dicens de temporalibus rebus sibi à Deo creditis rationem reddere. *Ganguin. Genebr.*

1269. Idem LVDOVICVS Rex, cum iterum de suscipienda expeditione in Terram Sanctam vocum fecisset, tempestate deiectus in Sardiniam, ibi hiemat. *Nangis.* Itemque Iacobus Aragoniæ Rex, eadem expeditione suscepta, tempestate iactatus rediit in Catalauniam. *Marian.* Eduardus vero filius Regis Angliæ cum eidem itineri se accinxisset, peruenit in Syriam; ibiq; biennio mansit, & tantum non trucidatus est ab Assassino, barbaro sicario.

A.C.

Michael Thessaliæ Despota moritur: cui succedit Nicephorus filius. *Gregor.*

Hugo Lusinianus Rex Cypri Ptolemaidem venit, & coronatur Rex Ierosolymorum. *Marin.*

1270. LVDOVICVS Rex Francorum, totam belli molem in Africam vertens, debellatis acie Barbaris, Carthaginem capit; & dum Tunetum obsidet, exorta in castris pestilentia, ipsum etiam è medio aufert 25. Augusti; postquam regnasset ann. 44. & præclarissimas æque ac piissimas res pace belloque gessisset, & Regnum suum optimis legibus & institutis muniisset, quæ in eius Vita describuntur. Adfuit opportune Carolus Siciliæ Rex ipsius frater & classis Anglica è Syria: quæ res Barbaros compulit ad tributum pensitandum annuum. Ludouico vero mortuo, salutatus ibidem est Rex Francorum *Philippus* eius filius *Audax* dictus; qui in Galliam rediens, secum asportauit ossa patris. Dum vero in Siciliam Franci appulerunt, obiit illic Theobaldus Rex Nauarræ: cui successit Henricus frater dictus Crassus. *Ionuill. Nangis. AEmil. Til.* Cæterum Margarita Ludouici vidua viri sanctitatem æmulata, sese Deo plane deuouit, & in Parisiensi suburbio cœnobium monialium sancti Francisci, seu sanctæ Claræ construxit: longe feliciori ad cœlum partu, quam quæ in Polonica Historia, alia Margarita Virboslai Comitis vxor, vno partu hoc eodem tempore 36. pueros viuos huic mundo edidisse dicitur & 50. ferme post annis alia itidem Margarita Hollandiæ Comitissa vno itidem partu peperisse fertur 63. liberos viuos, qui omnes baptismum receperint. *Annal Holl. Mater. Hist.*

1271. POST longam Sedis Romanæ vacationem, tandem prima Septembris huius anni eligitur Summus Pontifex *Theobaldus Vicecomes* Placentinus, Archidiaconus Leodiensis vir sapiens & integer, tunc cum Eduardo Anglo absens Ptolemaide: qui sequenti anno in Italiam aduenit, & dictus est GREGORIVS X. *Platin. Onuphr. AEmil. Genebr.*

Viuebat hoc tempore inter multos alios viros doctrina celebres, *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis in Gallia, vulgo dictus *Speculator*, ob Speculum iuris ab eo conscriptum; qui & *Pater practicæ* vocatus est, quod exercitationis forensis peritissimus esset. Itemque Ioannes Semeca cognomento Teutonicus, primus Glossator Decreti Gratiani: Iacobus Beluacensis Iurisconsultus; Ægidius Columnius; Thomas Cantipratensis & Ioannes Parisiensis, Dominicani; Richardus de Mediauilla Franciscanus, &c.

1272. GREGORIVS PP. aduenit in Italiam, & Viterbium se recipit, quæ tum Pontificum sedes plurimum erat, ob populi Romani frequentes dissensiones, ac rebelliones. *Platin.* Idéque pacem promouet inter Venetos & Genuenses.

Grauem Proceres Hispaniæ conspirationem in Alfonsum Regem faciunt; & ægre motus compositi. *Marian.*

1273. Stephanus Hungariæ Rex moritur: & succedit filius Ladislaus. *Dubrau.*

GREGORIVS mandat Principibus Germanis, vt tandem Imperatorem creent, nisi velint aliquem à se imponi. Conuenientes igitur illi Francofurti, primum Otocaro Regi Bohemiæ Imperium deferunt, sed recusante eo, quod longe se potentiorem esse Imperatore Romano existimaret, consensum est in *Rudolphum* Comitem Habspurgensem, armis & consilio potentem, tuncque absentem in obsidione Basileæ; qui fuerat olim Magister aulæ apud prædictum Ottocarum. Coronatus autem Aquisgrani exeunte anno, mox Papam conuenit apud Lausannam ad Lacum Lemanum; ibique confirmatus est ab eo; sed nunquam adduci potuit, vt iret in Italiam pro accipienda corona; quod diceret, multos Alemannorum Reges Italiam consumpsisse. *Albert. Argentin. Naucler. Auent. Trithem.*

Inde Gregorius PP. Lugdunum in Gallia accessit; honorificeq; exceptus à Philippo Rege, Concilium indixit in annum sequentem. *Platin. AEmil.*

Henricus Rex Angliæ moritur; succeditq; filius Eduardus, cognomento populari à tibiarum longitudine, Langschanx. *Append. Paris. Polidor.*

Haito Rex Armeniæ Christianus, postquam multa bella confecisset contra Tartaros, Persas, Calypham Babylonium, & Sultanum Ægypti, ac per annos 45. eos quinque memo-

A.C.

tabilibus præliis superasset, Præmonstratensem in Cypro professus, & Macarii nomen sortitus, in Domino moritur. *Genebr. ex Hist. Armen.*

1274. Celebratvr Concilivm Vniuersale Lvgdvni mense Maio, mille Patrum & amplius, e quibus fuere Episcopi quingenti; præsidente ipso Gregorio Summo Pontifice: adfueruntque Græci, & Tartarorum proceres aliqui, ipsiusque etiam Michaelis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani Legati. Actum de Terra Sancta, & Græcorum erroribus: & decreta decima pars reditvum Ecclesiasticorum, in vsum Belli Sacri ad sexennium: ac Græci capita probarunt exhibita de processione Spiritus S. ex Patre Filioque, ac de primatu Ecclesiæ Romanæ. Leges item constitutæ de forma electionis Summi Pontificis. *Gregor. Nangis. Blond. Æmil. Onuphr. Gaguin.*

Adfuit etiam S. Bonauentura, rubro tum galero donatus; qui paulo post ibidem obiit. S. quoque Thomas Neapoli euocatus ad Concilium, obiit in itinere, *Doctor Angelicus* dictus; sicut & S. Bonauentura *Seraphicus*, ob excellentiam & sublimitatem doctrinę. Consensit Michael Imperator vnioni Græcorum cum Latinorum Ecclesia, & suos repugnantes multis modis afflixit. *Gregor.*

Mortuo Henrico Rege Nauarræ & Comite Campaniæ, Pampelone; filia eius vnica Ioanna data est à matre (quæ filia erat Roberti Comitis Atrebatum fratris S. Ludouici) in fidem Philippi Regis; à quo missus eo est Prorex Eustachius Bellomarchius. *Annal. Franc. Nangis. AEmil.*

Gastone Precianorum, siue Benearnensium Domino, se Angli Regis Ducis Aquitaniæ subditum fateri abnuente, reque in Senatu Parisiensi acta, Gasto causa cecidit. *Thom. VValsingh.*

1275. In Germania Comitiis à Rudolpho Imperatore celebratis Augustæ Vindelicorum, decernitur bellum aduersus Ottocarum Bohemiæ Regem, ac Henricum Bauarum, quod iura Imperii occupassent *Naucler. Trithem. Annal. Sueu.* Atque Auentinus, hoc anno eundem Imperatorem libere concessisse Romano Pontifici quicquid in Exarchatu Rauennæ & Romania (olim Flaminia) Imperii iuris esset. A quo tempore solida constansque possessio fuit apud Romanos Pontifices.

Alfonsus Castellæ Rex Pontificem adhuc in Gallia morantem conuenit ad Belcairum in Rhodani ripa oppidum, petiturus Imperium ad quod olim ab aliquibus Germaniæ Principibus electus fuerat. sed respondit Pontifex, non magis æquum esse Hispanos imperare Germanis, quam iura dari Hispaniæ à Germanis. *Marian.* Idem tamen aliquamdiu cum titulum in literis suis retinuit, ob eligentium honorem. *Vasæ. Trithem.*

1276. Gregorivs PP. X. cum sedisset ann. 4. mens. 4. moritur Aretii in Tuscia 10. Ianuarii: eique subrogatur primus ex Ordine S. Dominici, & insignis Theologus, atq; Episcopus Ostiensis *Petrus* patria Tarentasiensis è Burgundia, dictus Innocentivs V. *Anton. Naucl. Platin.*

Quidum in Italia pacem conciliat, quinto sedis mense moritur: & succedit *Othonus Fliscus* natione Ligur, ex Diacono Cardinali S. Hadriani, nominatus Hadrianvs V. qui etiam obiit Viterbii post dies 40. nempe 18. Augusti: electusque est die 15. Septembris *Petrus Iuliani* natione Lusitanus ex Episcopo Tusculano, vocatus Ioannes XX. dictus XXI. *Onuphr.*

Iacobus Aragoniæ Rex, postquam regnasset annis 63. & condidisset templa ad duo millia, moritur; & succedit filius *Petrus* eius nominis Tertius: alter vero filius dictus Iacobus Maioricam accepit. *Taraf. Marian.*

Motus & bellici apparatus inter Francorum & Castellæ Reges, quod Castellanus filium Sanctium successorem designaret natu minimum, exclusis nepotibus ex natu maximo & Blancha sorore Franci genitis *Nangis. Marian.*

Puer sex mensium in Polonia prædicit reditum Tartarorum. *Cromer.*

1277. Capta Vienna Austriæ ab Imperatore Rudolpho, Ottocarus Rex Bohemiæ se ei subdit. *Auent. Hist. August.*

Maria Domicella, quæ contendebat ius Regni Hierosolymitani ad se pertinere, suum ius aduersus Hugonem Lusignanum donauit Carolo Siciliæ Regi; qui Proregem misit, quem statim receperunt Templarii, & Princeps Antiochiæ. *Marin.* A.C.

Brochius Cubicularius Regis Francorum, & Quæstorum præfectus, quod arcana enuntiaret Hispanis, recte suspenditur. *AEmil. Nangis.*

Otho Vicecomes, & Archiepiscopus Mediolanensis, pulso Torregiano, Mediolanum occupant; hæsitque diu in ea familia Principatus Mediolanensium. *Paul. Iouius, Georg. Merula.*

Ioannes PP. XXI. Viterbii moritur mense Maio, ruina palatii oppressus; cum sedisset menses octo: & post sex menses vacationis Sedis, eligitur 25. Nouembr. *Ioannes Caietanus Vrsinus*, ex primo Diacono Cardinale sancti Nicolai in carcere; ob vitæ integritatem vulgo *Compositus* dictus: & in Pontificatu Nicolavs III. *Onuphr. Genebr.*

Puella quædam in Sueuia anno ætatis octauo puerum peperit. *Annal. Sueuor.*

Hermannus Italus hoc circiter anno impiam animam euomuit, auctor Sectæ *Fraticellorum*, qua antiquas libidinum hæreses ab inferis reuocauit aliasque addidit: de quibus *Bern. Lutzemburg. Prateol. de Hæres. & Gualt. in Chron.* Dicti iidem sunt *Fratres de paupere vita, & Bizochi*, ac se Tertii Ordinis Fraciscanorum esse iactabant. Qui male ab aliquibus confunduntur cum *Beguardis & Beguinis*, qui postea emerserunt, & multum ab illis dissident. Cæterum Hermannus vigesimo post sepulturam anno exhumatus, ac crematus fuit iussu Bonifacii PP. VIII. à quo & Ordo extinctus est.

1278. Nicolavs PP. edicit, vt nullus deinceps Senator Vrbis, siue Præfectus, ex Regia nobilitate eligeretur, & ne plus quam annua amplissima ea dignitas foret. Habebat eam à multis annis Carolus Siciliæ Rex: sed abrogauit Nicolaus, cui nimis magna Francorum in Italia videbatur potentia. *AEmil. Albert. Argentin.*

Ottocarus Bohemiæ Rex, vxore instigante, redintegrato contra Imperatorem bello, Austriam inuadit, sed acri inito prælio perimitur. Post quæ Imperator in Bohemiam transiens, intercedentibus Principibus Wenceslao Ottocari filio regnum paternum permisit, data ei in vxorem filia sua. *Naucler. Auent.*

1279. Pacta illa inter Reges Francorum & Anglorum, de quibus anno 1259. iterum confirmantur Ambiani. *Matth. VVestmonast.*

Poloniæ Princeps Boleslaus dictus Castus siue Pudicus, obit: succeditque Leskus cognomento Niger, ex fratre patruele filius adoptiuus. *Cromer.*

Alphonsus quoque Lusitaniæ Rex moritur: & succedit filius eius Dionysius. *Annal. Portugall.*

Concilium Cantuariense in Anglia sub Archiepiscopo Ioanne, ad confirmandum religionis statum. *Polydor.*

1280. Tvrcæ à Tartaris attriti, resumptis viribus, quicquid Imperii Græcorum erat in Asia Minori occupant; terrasque subactas in septem Satrapias partiuntur à mari Pontico & Galatia vsque ad mare Lycium & Carium, fluuiumque Eumedontem.

Nicolaus PP. III. moritur mense Augusti, cum sedisset annos duos & menses nouem: vacatque sedes menses sex. *Platin. Onuphr.*

1281. Eligitvr Pontifex *Simon de Bria* Cardinalis S. Cæciliæ, natione Gallus, patria Turonensis, 22. Februarii Viterbii; qui nomen sibi sumpsit Martini, fuitque eius nominis II. dictus tamen IV. quod duo Pontifices Marini sub nomine Martini recenseantur. Hic restituit Carolo Siciliæ Regi Senatoriam dignitatem Vrbis Romæ.

Exercitus eiusdem Caroli Regis Siciliæ, fusus fugatusque est ad Belgradam inferioris Pannoniæ Vrbem, à Palæologo Imperatore. *Gregor.* Transierat hic exercitus per Ionium, vt Macedoniam inuaderet.

Tartari Saracenos inuadunt, & Soldanum Babyloniæ insigni victoria fundunt. *Marin. Haiton.*

1282. Abaga Cham Tartarus, cum iterum exercitum in Saracenos duceret, cura Soldani veneno necatur. Succedit ipsi frater Tangador; qui abnegata fide Christi se Mahometanum profitetur, nomenque accipit Mahometh Cham, & Christianos dire persequitur. *Marin. Haiton.*

Austria ab Imperatore Rudolpho datur Alberto filio: &

A.C.

ab eo tempore permansit in familia Habspurgensium Comitum. *Naucler. Trithem.*

Lithuani cum reliquiis Lazygum Poloniam incursione vastant; quos Leskus Princeps abeuntes profligat. *Histor. Polon.*

Moguntini in Iudæos insurgunt, ac multos interficiunt, reliquos bonis exutos eiiciunt: quorum exemplum multæ ciuitates in Germania sunt secutæ *Trithem.*

Alfonsus Castellæ Rex à Sancio filio Regno spoliatur: qua de causa Sanctius à Summo Pontifice excommunicatur, & abdicatur. *Marian. Roder.*

Vesperæ Siculæ nominatissimæ hoc anno contigerunt; cum secretis inuitis consiliis, parata à Petro Aragoniæ Rege classe specie inuadendi Africam, & Palæologo Imperatore Græco aurum suppeditante; Siculi constituto tempore pulsationis campanarum ad vespertinas preces, ipso die Paschatis, qui fuit 30. die Martii, omnes tota Insula Gallos supra octo millia, inermes, & nihil tale tali maxime die cogitantes, tanta crudelitate, nullo sexus, ætatis, vel ordinis, aut conditionis discrimine trucidarunt, vt etiam prægnantes ex Francis euiscerarentur, nequid stirpis Franciæ in Sicilia superesset. Soli illi superfuerunt, quos Spirlinga arx munitissima protexit. *Genebrard.* Quo tempore Petrus Aragonius eo aduolans, Caroli Regis (qui tũ in Hetruria aberat) nauibus & Insula potitur: Rexque salutatur Siciliæ, qui iam Constantiam Manfredi olim Regis Siculi filiam in matrimonio, & ex ea liberos habebat. Accurrit & Carolus audito nuntio, ac Messanam aggreditur; sed re infecta recedit. Et Martinus Pontifex in tanti sceleris vltionem, Petrum excommunicat; eique etiam ius Regni paterni abrogat, quod tribuit Carolo Valesio filio minori Regis Franciæ ex sorore Aragonii. *Æmil. Blond. Sabell. Nangis. Marian. & alii.*

1283. DVM Carolus euocatis è Gallia auxiliis contra Petrum Aragonium, Siciliam aggredi parat; Petrus arte rem agens, specie parcendi Christiano sanguini, conditionem proponit equitibus vtrimque centenis redimere controuersiam: locusque certamini eligitur Burdegala, sub Angli tunc potestate. At non comparuit Petrus. *AEmil Blond. & alii.*

Michael Palæologus Imperator Constantinopolitanus, Magni cognomen adeptus moritur: qui quod Ecclesiæ Romanæ fauisset, priuatus est à proprio filio Andronico sepultura sacra. Succedit ei in Imperio idem filius eius. *Andronicus Palæologus. Greg. Onuphr. AEmil.*

Concilium Herbipolense in Germania, præside Legato Apostolico, præsenteque Rudolpho Imperatore cum Principibus Imperii: vbi inter alia, Legatus nomine Pontificis contributionem decimi Denarii à Clero, Imperator ab vniuerso populo exigere cœperunt. *Trithem.* quod Munsterus refert ad an. 1287. *Genebr.*

1284. CAROLVS filius Caroli Regis, nauali pugna superatur à Rogerio Auria classis Aragoniæ Præfecto, atque etiam capitur. Et Carolus pater ex Aquitania in Italiam rediens, cum omnia inclinata inuenisset, Neapolim recipit. *Annal. Sucu. AEmil.*

Alfonsus Decimus Castellæ Rex moritur: succeditque filius eius Sanctius eius nominis Quartus, qui Fortis cognomen ex animi magnitudine accepit. *Marin.*

Moritur quoque Hugo Rex Cypri, qui & olim inauguratus fuerat Rex Ierosolymorum: cuius filius coronatur Rex Cypri Nicosiæ. *Marin.*

Iosephus cognomento Becus, successor Germani, de quo anno 1259. post mortem Michaelis Palæologi, qui consenserat in vnionem cum Ecclesia Romana, abdicatur Patriarchatu: & subrogatur alius Iosephus: eoque etiam pulso reiectoque iterum priori Iosepho, substituitur Georgius, seu Gregorius Cyprius. *Greg.*

1285. MARTINVS Papa Quartus, cum sedisset annis quatuor, ac mense vno, moritur Perusii die 25. Martii. *Nangis.* Fuit vir sanctissimus, adeo vt cæci, muti, & claudi ad eius sepulchrũ sanitatem recuperarint. *Trithem. Genebr.* Substituitur ei *Iacobus Sabellus* patria Romanus, vir integer & scientiæ amator, ex primo Diacono Cardinale S. Mariæ in Cosmedin; qui dictus est HONORIVS IV. *Platin. Trithem. Onuphr.* Is Ordinem Carmelitarum confirmauit, & reformauit, de quo an. 1205. *Idem.*

Moritur item Fogiæ in Apulia Carolus, qui Siciliam & Neapolim tenuerat, aduersarum rerum multitudine fractus. Cuius iuri Regnoque succedit filius eius Carolus, dictus Claudus, adhuc captiuus detentus. *AEmil. Nangis.*

Philippus quoque III. Francorum Rex, post sacram (vt eam nominauit Pontifex) expeditionem in Aragoniam, & pugnam ad gloriam Francorum memorabilem, in reditu moritur Perpiniani è morbo, mense Octobri, anno Regni 15. Eique succedit *Philippus IV.* cognomine *Pulcher* ipsius filius, qui iam ex Ioanna vxore Nauarræ Rex nominabatur. *AEmil. Til. Marian.*

Itemque Petrus Rex Aragoniæ è vulnere prædicta pugna accepto occumbit, anathemate deuinctus: cui succedit Alphonsus eius filius huius nominis Secundus *Marian.*

Bohemiæ Regi Wenceslao, genero suo, Rudolphus Imperator asserit officium Pincernatus in Imperio, & dignitatem Electoratus. *Dubrau.*

Mahomed Cham Tartarorum fratrem suũ Argon, quod foueret Christianos, interficere conatur: sed ille elapsus, postea fratrem Mahomed occidit; & Imperio Tartarorum potitus, egregie fauet Christianis. *Haiton. Marm.*

Tilo Colup senex & veterator astutus fingit se Fridericum II. Imperatorem, qui in Palæstina hactenus captiuus detentus fuisset: & à quibusdam recipitur in Germania. Sed à Rudolpho Imperatore captus, strophamque fassus, igne crematur. *Spangen.*

Leskus Poloniæ Princeps à Proceribus eiicitur, & Conradus Masouiæ Dux substituitur: donec Leskus Hungarorum auxiliis restituitur. *Hist. Polon.*

Pisani à Genuensibus tanta clade atteruntur, vt nunquam resurgere valuerint. *Platin.*

S Iuo Presbyter & Confessor, vulgo dictus, *Aduocatus pupillorum, viduarum, & pauperum*, floret hoc tempore; quem Clemens Papa VI. ann. 1347. retulit in numerum Sanctorum. *Baron. in Martyr.*

1286. IACOBVS alter Petri Aragonii filius, se Regem Siciliæ dicit, & coronam Regni accipit absq; consensu Romani Pontificis; quare & ab eo anathemate percellitur.

Alexandro Scotiæ Rege mortuo absque liberis, dum inter Ioannem Baliolum natione Normannum è Gallia, & Robertum Bruseum, vtrumque ex Regia stirpe oriundum, de successione certatur, rem Scoticam administrant Proreges sex. *Boet. Leslæus.*

Philippus item Sabaudus, (cui Rudolphus Imperator multa eripuerat) absque liberis moriens, ex tribus nepotibus, Thomam Taurinatium Comitem, Amedeum Sabaudiæ esse voluit. qui Amedeus à rerum gestarum magnitudine, Magni cognomen adeptus est. *Paradin. Genebr.*

Henricus Rex Cypri Ptolemaidem veniens, pellit Proregem à Carolo defuncto constitutum; & Rex Ierosolymorum coronatur. *Marin.*

1287. MORITVR Honorius Papa IV. Nonis Aprilis, postquam sedisset annos duos: vacatque Sedes menses decem ob ægritudinem Cardinalium, qua correpti sunt ad S Sabinam. *Platin. Onuphr.*

Tartari rursum Poloniam inuadentes, eam miserrime vastant. *Cromer.*

Insigne Gymnasium Nauarræum exstruitur Parisiis à Ioanna Regina. *AEmil. Genebr.* Viuebat *S. Rochus* Gallus prouinciæ Narbonensis.

Wernerus puer Christianus à Iudæis furtim raptus in oppido Wesalienſi ad Rhenum, acubus & cultris occiditur: qui postea tanquam martyr signis claruit plurimis. *Trithem. Genebr.*

1288. POST decem mensium vacationis sedis Apostolicæ creatus est PONTIFEX 22. Februarii, *Hieronymus* natione Picenus, professione Franciscanus, Cardinalis Præneſtinus, primus ex Ordine S. Francisci Pontificatum adeptus; qui dictus est NICOLAVS IV. *Platin. Onuphr.*

Carolo Claudo, Caroli filio, detento captiuo in Sicilia de capite periclitante in vltionem Conradini, quem Caroli pater supplicio affecerat; Constantiæ tamen Reginæ Petri Aragonii coniugis clementia, & Regis Angliæ interuentione (hæc in Precianorum siue Bearnensium agro, ciuitate

A.C.

Olorensi, Lugduno Cuquenorum dicta, vbi tum erat, per legatos curantis) factum est, vt Carolus dimitteretur è custodia, soluta non modica pecunia; & ea porro lege, vt contentus Regno Neapolitano, Pontificem exoraret de iure Siciliæ Arragonio adiudicando, & Carolum Valesii Comitem, vti cederet iure Regni Aragonici, quod ei Martinus Papa tribuerat. At licet Carolus dimissus his conditionibus fuerit; noluit tamen Papa Nicolaus hoc fœdus ratum habere, affirmans suo iniussu non potuisse transigi de Regno Sedis Romanæ beneficiario. *AEmil. Marian. Pandulph.*

Rudolphus Imperator Lucenses ac Florentinos, aliosque Italiæ populos, misso suo Cancellario, acceptaque pecunia, liberos facit: qui statim libertate aucti suos Tribunos constituunt. *Chron. Hirsaug.*

1289. NICOLAVS Papa Carolum Claudum creat Regem vtriusque Siciliæ tam citra quam extra Pharum, Romæ 28. Iulii. Vnde nouum Carolo bellum contra Iacobum Aragonium, qui Siciliã tenebat: sed induciæ in aliquot annos subsecutæ sunt. *Sabell. Pandulph.*

Leskus Poloniæ Princeps moritur relictis multis liberis; ex quo Polonia bellis intestinis conflictata est, quolibet Principe Prouincias ad se protrahente, vsq; ad Primislaum. *Cromer.*

Argon Cham Tartarus moritur; cui succedit Ragaithus frater, homo tantum gulæ deditus. *Marin.*

1290. TARTARORVM Princeps occiditur à suis; & post eum Baido Christianus: succedit Casanus, qui se Christianum quoque accepto principatu profitetur. *Haiton. Bizar.*

Albertus Dux Austriæ Hungariam vastat. Et interim moritur Ladislaus Rex Hungariæ succeditque Andreas. *Histor. Austr.*

Georgio Cyprio Constantinopolitano Patriarchæ succedit Athanasius Monachus. *Greg.*

Parisiis quidam Iudæus, pactus cum quadam muliere Christiana, vt acceptam in Pascha Sacram Hostiam sibi afferret, eam Iudæus acceptam, primum ictibus cultello pungit, clauo & malleo transfodit, lancea transverberat; & inde magna promanante copia sanguinis, in ignem coniicit; incolumemque sese extollentem, ac per cubiculum volitantem, demum in bullientis aquæ caldariam immittit, è qua apparet hostia Iudæo specie Crucifixi. Res tandem detecta à quadam superueniente muliere, Iudæus impœnitens viuus comburitur: sacratissima Hostia hactenus illæsa & integra conseruatur in Ecclesia S. Ioannis; & domus ipsa, in qua hæc patrata sunt, conuersa est in Ecclesiam & cœnobium Fratrum Charitatis B. Mariæ sub regula S. AVGVSTINI, vulgo dictum *Billetarum*, forte quod ibi corpus Christi fuerit ebullitum.

1291. ELPIS Sultanus Ægypti (qui & Babylonis dicebatur) postquam præteritis annis Tripolim, Sidonem, & quicquid Christianorum erat in Syria recepisset, excepta Ptolemaide; hoc anno moriens, commisit filio Melech Tasseraph expeditionem in eandem Ptolemaidem; quæ ab eo pariter capta est, Christianis qui gladium euaserunt pulsis in Cyprum. *Marin. AEmil. Hist. Belli Sacri.* Sicque penitus amissa est Syria: finemque accepit Bellum sacrum, quod ducentis ferme annis gestum est.

Obiit quoque Rudolphus Imperator, qui cum paulo ante Albertum filium suum Regem Romanorum creare tentasset, non obtinuit. *Auent. Cuspin.*

Ioannes item Alexii nepos, Lazorum Imperator, moritur: cui succedit Alexius Iunior. *Gregor.*

Senatus Tolosanus instituitur in Gallia. *AEmilius. Genebrard.*

Celebratur in Anglia Concilium Londinense ad Westmonasterium; quo statutum, vt Iudæi pellerentur ex Anglia, & vt Monachorum Collegiis non darentur prædia sine Regis permissu. *Polydor.*

Andreas Rex Hungariæ in Austriam irruit, in vltionem incursionis ab Alberto Duce anno superiori factæ: demumque interuentu Episcoporum pax initur. *Hist. Aust.*

1292. SVB initium huius anni eligitur Francofurti Romanorum Rex, siue Imperator, *Adolphus* Comes à Nassau. *Naucler. Trithem. Cuspin.*

Nicolaus Papa Quartus cum sedisset annis quatuor, mense vno, diebus duodecim, moritur Romæ 4. April. Et ex discordia Cardinalium vacat Sedes ann. 2. mens. 3. dies 2. *Onuphr.* A.C.

S. Albertus Carmelita moritur. *Baron. in Mart.*

Sultanus Ægypti; cum post captam Ptolemaidem, etiam Cyprum cogitaret; Saraceni metuentes sibi à bello maritimo, eum in venatione trucidant. Cumque liberis careret; ingentes de successione exortæ sunt dissensiones. *Marin.*

A Philippo Francorum Rege dictus dies Eduardo Angliæ Regi vti Franciæ Pari & beneficiario; quod classis Anglica Aquitaniam petens diceretur egisse prædas ex ora Normanniæ. Non adfuit Anglus: ideoque Francus Burdegalam occupat. *AEmil.* Historici tamen Angli causam huius belli in Francos reiiciunt.

Alfonsus Castus Rex Aragoniæ, paulo ante nuptias quas instituerat cum filia Regis Angliæ, moritur sine liberis: succeditque eius frater Iacobus Siciliæ Rex. *Taraf. Marian.*

Celebratur ab Archiepiscopo Moguntino *Concilium* Prouinciale *Aschaffenburgense*: vbi multa vtilia de negotiis Ecclesiasticis statuuntur. *Trithem.*

1293. ADOLPHVS Imperator exercitum ducit aduersus Albertum Austriæ Ducem, quod fidelitatem iurare nollet. *Histor. Austr.*

Dum inter Scotiæ Proreges, non conuenit de Rege constituendo, arbitrium defertur Eduardo Angliæ Regi; qui Baliolum nominat Regem, prius tamen tacite sibi deuinctum. *Boet. Leslæus.*

1294. POST diutinam Sedis Apostolicæ vacationem, tandem 7. Iulii eligitur Pontifex *Petrus Moronus* Sulmonensis ex Abbate Sancti Benedicti, dictus CÆLESTINVS Quintus. Qui vir sanctissimæ vitæ (ob quam in Sanctorum numerum post obitum relatus est) cum rebus agendis parum idoneus haberetur, sponte se Pontificatu abdicat 13. Decembris, cum sedisset menses 5. dies 7. Et 24. eiusdem mensis Decembris in eius locum subrogatur *Benedictus*, patria Anagninus ex nobili familia Caietana, Cardinalis tituli Equitii; vocatus BONIFACIVS eius nominis VI. dictus VIII. *Platin. Sabell. Blond. Onuphr.* Prædictus Cælestinus ante Pontificatum instituit Ordinem S. Benedicti in Montibus, qui ab eius Pontificio nomine nuncupationem accepit *Cælestinorum*: quem iam antea approbatum à Gregorio X. etiam postea confirmauit Bonifacius Cælestini successor.

1295. INTER Francos & Anglos vario marte pugnatur in Aquitania. *Annal. Franc. Nangis. Chron. Fland.*

Iudæi à Philippo Rege tota Gallia spoliantur, & eiiciuntur: qui in Germaniam migrarunt. Vnde & Iudæos Germanos esse de radice & trunco Francorum scribit Rab. Elias in Tisbi. *Genebr.* Quod tamen nonnulli ad posteriores Philippi annos referunt.

Sanctius IV. Rex Castellæ moritur, relicto filio Ferdinando eius nominis IV. puer nouem annorum, sub tutela matris. *Roder. Marian.*

Status Polonici pertæsi dissensionum ciuilium, quibus post Leski obitum vexati fuerant; Gnesnæ Comitiis habitis, eligunt in Principem Primislaum Ducem Magnæ Poloniæ; qui ritu antiquo ab Episcopis coronatur, & Regium nomen, per annos 215. à martyrio S. Stanislai intermissum repetit. *Cromer.* Quod alii ad annum 1320. & coronationem Ladislai Loctici factam Cracouiæ auctoritate Ioannis Papæ Vigesimi secundi referunt. *Genebrard. ex Herburto in Histor. Polon.*

Ad hunc fere annum referenda est *Heluetiorum* nouissima origo; quando asperi & montani homines, probata inter eos Regiminis forma popularis ab Imperatore, cœperunt ex paruis initiis alicuius esse nominis. *Chron. Heluet.*

Domus B. MARIÆ Virginis, in qua conceptus & educatus CHRISTVS, miraculose transfertur in Italiam. *Vid. Tursell. in Hist. Lauret.*

1296. PVGNATVR feliciter à Francis in Anglos tam in Aquitania quam in Flandria. *AEmil. Nangis. Naucler.*

In Scotia Ioannes Rex fidem male datam Eduardo Anglo rescindens, fœdus renouat cum Francis: sed victus prælio ab Anglis, etiam dolo capitur. *Boet. Leslæus.*

Cũ pax inter Francos & Aragonios auctore Bonifacio PP. com-

A.C.

compositafuisset his conditionibus, vt Caroli Neapolitani filia Blanca nuberet Iacobo Aragonio, & Sicilia ad Ecclesiæ Romanæ ius rediret, & ad Francos, vt antea; ac Carolus Valesius abscederet iure Regni Aragoniæ: his sic inter eos stabilitis, Siculi Fridericum Iacobi fratrem, odio Francorum, in Regem accipiunt; Iacobus autem offert auxilia Francis contra fratrem. *Marian. Pandulph. Tillius & alii.*

Primislaus Rex Poloniæ, occurrens Marchionibus Brandeburgensibus Pomeraniam inuadentibus, quæ ad Polonos tum pertinebat; occiditur acie. Eique subrogatur Ladislaus Locticus. *Cromer.*

Gerardus Sagarellus Parmensis dogmata sua cudere cœpit, quæ ipsum tandem igni adiudicarunt. Huius discipuli eo dicti sunt *Pseudoapostolici*, quod se Apostolos præsertim in paupertate imitari iactitarent. Discrepant tamen & ab Apostolicis tertii sæculi, & Pseudoapostolicis duodecimi: de quibus dictum in Annalium Epitome suis locis. De istis vero huius temporis, tractant *Praetol. & Castr. de hæres. & Gualter. in Chron.*

1297. Rex Angliæ & Comes Flandriæ, victi à Rege Francorum, petunt inducias in biennium. & obtinent *Nangis.*

S. Ludouicus Episcopus Tolosanus, Franciscanus moritur. *Baron. in Martyr.*

Alius S. Ludouicus olim Francorum Rex auus Philippi Pulchri modo regnantis, ob egregia pro religione Christiana facinora, & vitæ sanctitatem miraculis confirmatam, refertur à Bonifacio PP. ritu solemni in SS. numerum. *Vitriac. Baron. ibidem.*

Viuebant hisce temporibus inter cæteros viros doctos, Ioannes Duns Scotus, Nicephori Callistus & Gregoras, M. Paulus Venetus, Nicolaus de Lyra, Iacobus de Voragine, Georgius Pachymerius, Henricus Gandauensis, Ægidius Romanus Archiepiscopus Bituricensis; Demetrius Sidonius Thessalonicensis, qui S. Thomæ Aquinatis libros Græcos fecit; Ioannes de Sancto Geminiano, &c.

1298. Bonifacius Papa animaduertens quotidie Principes noua vectigalia Sacerdotibus imponere, & percrebro sine iusta causa; *Concilio Lugduni* celebrato, interdixit ne posthac id facerent, neve Sacerdotes imposita conferrent iniussu Romani Pontificis. *c. 3. de immun. Eccles. in 6.* Quod magnæ discordiæ causa fuit in Anglia. *Polyd.*

Quare ibidem in Anglia populo etiam aduersus Regem insurgente, quod nimiis grauaretur tributis; Concilio omnium Ordinum Londini à Roberto Archiepiscopo Cantuariensi habito, cui etiam interfuit Eduardus Iunior Regis filius, statutum est, ne in perpetuum Regibus liceret tributum vllum Anglis imponere, nisi ex Concilii auctoritate. *Polydor.*

Adolphus Imperator odio factus omnibus ob continuas prouinciarum inuasiones, & expilationes, ab Electoribus abdicatur: & in eius locum eligitur *Albertus* Dux Austriæ, filius Rudolphi olim Imperatoris. Et mox commisso prælio inter hos Principes, Adolphus ab Alberto occiditur. Et ne Imperium Albertus inuadere videretur, iterum legitime eligi voluit, & Aquisgrani coronari. Vbi tanta conuenit hominum multitudo, vt & Dux Saxoniæ oppressus fuerit. *Naucler. Auent. Cuspin.* Sunt vero qui scribant, omnes eos, qui contra Adolphum conspirauerunt, mala morte, diuino vlciscente numine, periisse. Ipseque Bonifacius Papa renuit initio Alberti electionem confirmare. *Trithem. in Chronolog. Hirsaug.*

Ciuitas Colonien sis, quæ per annos septem, totidemque menses, interdicto Ecclesiastico subiacuerat ob dissensiones cum Archiepiscopo, à Bonifacio Papa absoluitur. *Trithem.*

Iacobus Aragonius, iunctis copiis cum classe Caroli Neapolitani, fratrem suum Fridericum Siciliæ vsurpatorem profligare efficit tamen ne tota Insula ad Caroli iura rediret. *Pandulph. Collenut.*

Induciæ Francorum cum Anglis in pacem versæ, Margarita Philippi Regis Franci sorore data in vxorem Eduardo Anglo. *Polydor.*

Genuenses insigni potiuntur victoria aduersus Venetos, & Cretam Insulam occupant. *Sabell.*

Cataanus Tartarus, victo Ægypti Sultano, Syriam totam cum ipsa vrbe Hierosolymitana nomine Christiano recipit. *Haiton. Sabell.*

A.C.

Horrendus terræmotus in celebritate S. Andreæ repente in Italia exortus, multis diebus per interualla plurima durans, ædificia passim diiecit; quorum ruina multi homines vtriusque sexus obruti & perempti sunt. Apparuit tum quoque Cometes. *Siffrid. Platin.*

Sextus liber Decretalium à Bonifacio PP. promulgatur 5. Non. Martii.

Bonifacio Papa recusante confirmare electionem Alberti Imperatoris, Albertus cum Philippo Francorum Rege fœdus iniit in Lotharingia: concessitque Arelatense Regnum (quod à morte Friderici tenebant Franci) omnino Franci iuris deinceps futurum. *Nangis. Annal. Franc.* 1299.

Fratrum, seu *Fraticellorum* Ordo (de quo an. 1277.) à Pontifice ob libidines & hæreses extinguitur. *Trithem.*

In Polonia Ladislaus propter desidiam à suis Regno priuatur; quod defertur Wenceslao Bohemiæ Regi. *Cromer. Dubrau.*

Bonifacius PP. instituit Iubilæum centesimo quoque anno celebrandum, quo plenam delictorum indulgentiam concessit visitantibus Romæ Limina Principum Apostolorum. *Platin. Crantz. alii.* 1300.

Cum Turcæ, vt vidimus, in septem Satrapias Asiam Minorem diuisissent; ex his vnius Princeps *Othman*, cui Bithynia obuenerat, cæteras sibi subiecit magna ex parte. & ab hoc anno primi Regis Turcarum nomen meruisse dicitur. *Greg. Volater. Blond. Sabell.*

Gravissimvm hoc anno nascitur dissidium inter Bonifacium PP & Philippum Francorum Regem, tum ob iniuriosas vtrimque literas de iure Ecclesiæ & Regni scriptas, (quas tamen Æmilius confictas putat) tum ob Episcopum Eparensem à Rege traditum in custodiam. Ob quæ Regem Pontifex excommunicat; & vt haberet, quem ei opponeret, electionem Alberti Imp. approbat. 1301.

Cometes apparet, index malorum subsequentium. *Trithem.*

Anglorum exercitus in Scotiam immissus, triplici prælio memorabili à Cumeno Scotiæ Gubernatore fusus est. Sed cum Rex ipse auctis copiis aduenisset, coacti Scoti, ad loca ardua & inaccessa se recepere. *Polyd.*

Andreas Hungariæ Rex moritur absque liberis. In cuius eligendo successore diuisi Hungari, quidam Wenceslaum filium Regis Bohemiæ, alii Carolum cognomento Martellum, filium Caroli Claudi Regis Neapolitani ex Maria Stephani Hungariæ Regis filia, Regem pronuntiant: atq; hinc noua Hungariæ vastatio. Verum Carolus anno sequenti moritur, nec adepta Hungariæ possessione. *Bonfin.*

Ioannes Sozopolites abdicat se Patriarchatu Constantinopolitano: & subrogatur iterum Athanasius, qui ante Ioannem sedem tenuerat. Contra quem pro Latinis sedem tenuit Hugolinus professione Augustinianus vir doctissimus. *Greg. Genebr.*

Flandri rebellantes à Rege Francorum, temeritate Roberti Atrebatensis Comitis insignem de Francis reportarunt victoriam apud Curtracum mense Iulio; eodem Roberto Comite, multisque aliis viris illustribus occisis. *AEmil. Annal. Franc. & Flandr.* 1302.

Isabella Franci Regis filia, nubit Eduardo Iuniori Anglo; & Aquitania tota Anglo conceditur. *AEmil. Annal. Franc.*

Pax fit inter Francos & Fridericum Siciliæ vsurpatorem, vt Fridericus Siciliam retineat, à cætera autem Italia abstineat. *Marian.*

Vigent in Italia factiones Alborum & Nigrorum; quorum hi Guelphi, illi Gibellini. *Blond.*

Nunc primum ad Acum ventorum indicem inuenta nauigandi ratio à Flauio quodam Melphensi in Regno Neapolitano. Tam necessarium inuentum præmisit Deus Noui Orbis aperitioni, quod nō nisi emenso Oceano & per altum pelagus ad eum nauigatio fieri possit. *Genebr.*

Hic item annus est, quo Nauclerus, Platina, & alii scribūt, à Bonifacio PP. Francorum Regem abdicatum esse, eiusque regnum Alberto Imperatori concessum.

Bonifacius Papa Philippi Francorum Regis opera, per 1303.

A.C.

Sarram Columnenſem Romanum (quippe Bonifacius ante aliquot annos duos Cardinales iſtius familiæ depoſuerat, qui in Galliam fugientes, multa ibi contra Pontificem conſpirauerant; ipſumque Sarram Philippus Rex à Saracenis paulo ante captum redemerat) & Guil. Imum Nogaretium Gallum, die 7. Septembris, Angiæ in patria ſua perditionem in lectulo ſuo, nihil ſibi tale metuens, capitur: & Romam perductus mœrore animi moritur die 11. Octobris, Pontificatus ſui an. 8. men. 9. die 18. In quem cum Scriptores Franci ſtylum acuant; laudatur tamen ab aliis qui eius vitam deſcripſerunt, tanquam Eccleſiaſticæ libertatis egregius defenſor: obſeruatque Genebrardus, Philippum numquam deinceps proſpere ſe habuiſſe, vt ab Epiſcopo Morianenſi viro ſanctiſſimæ conuerſationis prædictum fuerat; tribus etiam eius filiis abſque prole maſcula breui exſtinctis.

In Bonifacii locum ſufficitur *Nicolaus Bocaſinus* Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Oſtienſis, patria Taruiſinus, qui BENEDICTI appellationem aſſumens, dictus eſt eius nominis XI. à quibuſdam IX. tantummodo numeratus.

Flandri à Francis aliquot præliis cæſi. Guido vero Flandriæ Comes, quem Rex in cuſtodia cum duobus eius filiis tenebat, data Regi fide emiſſus ad cõponendos motus Flandricos, cum nihil effeciſſet, rediit; obiitque Compendii. *AEmil. Annal Franc. Chron. Fland.*

Eduardus Rex Angliæ Scotiam miſerrime vaſtat, omniaque Scotorum iura, & monumenta, vel euertit, vel mutat; aſportata etiam Londinum marmorea Cathedra, quam Scoti fatalem dicebant. *Ioan. Maior. Boet. Leſl.*

1304. BENEDICTVS Papa quæſtionem agit de Bonifacii interfectoribus: Regem tamen Francorum anathematis, & Regnum interdicti vinculo ſoluit; & Bonifacii acta omnia in Francos reſcindit; duoſque illos Cardinales Columnenſes reſtituit. Et dum impenſe ſtudet vnioni inter Principes, moritur Perſii die 7. Iulii, poſtquam ſediſſet menſes octo & dies aliquot. Ac propter diſſenſionem Cardinalium, vacat Sedes menſes vndecim. *Platin. Onuphr. Volaterr.*

Pugnantibus Francis aduerſus Flandros ad montem Populeti menſe Auguſti, graue periculum in maximo æſtu Rex iniit: ſed tamen victoria à Francis ſtetit: quam ſecuta eſt pax anno proximo, duris ſatis in Flandros conditionibus, ſed dimiſſis è cuſtodia Flandriæ Principibus. *AEmil. Annal. Fland.*

Mortuo Caſano Tartarorum Principe in Aſia, ſuccedit Cambagido qui nomini Chriſtiano nuntium remiſit. A quo tempore, dum Syriam retinuit Sultanus Ægypti, & Turcæ Aſiatici Imperium proferunt verſus Aſſyriam, concidit cum religione Tartarorum Imperium in illis prouinciis, quorum reliquiæ in Hordas diuiſæ, per Europam & Aſiam diſperſæ ſunt; quibus ſinguli Principes præfuerunt. *Haiton. Genebrard.* Retinueruntque adhuc Perſidem poſt Combagadum, Carbanda, eiuſque filius, vſque ad annum 1350. quo Gempſa Parthus eam occupauit. Relapſi porro iidem ad Mahometiſmum, in eo hactenus perſeuerarunt; habentes tamen Sagomorbar Cham pro magno Propheta, vt Turcæ Mahometem, qui de Deo vno & de politia ac moribus aliqua eis dictata reliquit. *Genebr. in Nicol. IV.*

1305. DIE 5. Iunii eligitur Peruſii i Pontificem Romanum, *Bertrandus de Gotto* Vaſco, Archiepiſcopus Burdegalẽſis, tunc abſens in ſua Eccleſia: dictuſque eſt CLEMENS V. Qui mox Cardinales Lugdunum Galliæ euocans, in Eccleſia S. Iuſti coronatur. In pompa affuere tres Reges, Philippus Francorum, Eduardus Angliæ, & Iacobus Aragoniæ, & quicquid præcipuę nobilitatis Gallia tunc habuit. Quando dum pompa celebritatis per vrbem ducerẽtur, murus quidam vetuſtate & onere ſuperſtantis multitudinis procumbens, inter alios multos Ioannem Britanniæ Ducem oppreſſit, Carolum Regis fratrem debilitauit; & Pontifex ipſe adeo in turbam præceps deturbatus eſt, vt mitra ex capite excuſſa lapidem pretioſiſſimum amiſerit. *Platin.* Ab hoc Pontifice Sedes Pontificalis, ob continuas ſeditiones Italicas, Auenionem tranſlata eſt; perculſo reliquo Chriſtiano Orbe, & indignante Italia: hæſitque ibi ſeptuaginta & amplius annis: tribus miſſis Cardinalibus, qui res Romæ & in Italia gererent. *Platin. Genebr. & alii omnes.*

Wenceslaus Rex Hungariæ, recipiens ſe in Bohemiam, aufert ſimul Coronam ſanctam: quare Hungari eligunt ſibi Regem Ottonem Bauariæ Ducem; cui Wenceslaus Coronam reſtituit. Sed idem paulo poſt à Præfecto Tranſſyluaniæ captus, & arci inclu ius, coactus eſt renuntiare Regno, & Coronam reſtituere *Bonfin. Dubrau.*

A.C.

Idem porro Wenceslaus, mortuo Wenceslao Bohemiæ & Poloniæ Rege, proclamatus Rex Bohemiæ, breui exſtinguitur, dolo Alberti Imperatoris. *Auent. Dubr. Cromer.*

ALBERTVS Imperator Bohemiæ Regnum efficit ſuum, quod hactenus beneficiarium fuerat Imperii. Præficitque ei filium Rudolphum; qui paulo poſt dyſenteria periit. *Cromer. Dubrau.* 1306.

Ladislaus Poloniæ Rex à ſuis reuocatur, cum poſt obitum Wenceslai Bohemi, regnum diriperetur ab hoſtibus: nec tamen pacifice eo potitur. *Cromer.*

Robertus Bruſeus ex Anglia vbi detinebatur, elapſus in Scotiam; occiſo Cumeno aduerſario ſuo, Regni Gubernatore, ipſe Rex coronatur. *Boet. Polyd.*

Templarii & Hoſpitalarii in Cypro Regem Hugonem deponunt, & longe in Armeniam relegant, alio in eius locũ creato. quo poſt trienniũ mortuo, Hugo reuocatur. *Marian.*

S. Nicolaus Tolentinas ex Ordine S. Auguſtini, migrat in cœlum. *Baron. in Martyrol.*

1307. CLEMENS Pontifex Pictauis agit cum Philippo Francorum Rege de puniendis Templarius, qui de erroribus & ſceleribus grauiſſimis accuſabantur: quorum Ordinem Pontifex poſtea ſuppreſſit, bonis eorum magna parte Hoſpitalariis adiudicatis, quadam Regi conceſſis *Platin. AEmil.* De erroribus vero iis impoſitis (eos enim ipſi inficiabantur) vide *Prat. & Sander. de hæreſ. & Gault. in Chron.*

Ludouicus Philippi Francorum Regis filius coronatur Pampelonæ Rex Nauarræ.

Eduardus Angliæ Rex moritur menſe Iulii in Scotiæ finibus: iuſſis à moriente nobilibus Scotis obſidibus in crucem agi. Succedit filius Eduardus eius nominis Secundus, cognomento Carnarnen. *Boet. Polyd.* Et interim Bruſeus rem Scoticam plane inclinatam, rigere conatur. *Iidem.*

Heluetiorum pagi tres, Vrii, Suitii, & Vndervvaldii, iniuriis Præfectorum Auſtriacorum in deſperationem acti, inito fœdere cœperunt iis obniti. A quibus paruis initiis Res Helueticæ magnum incrementum acceperunt. *Stumpf.*

1308. ALBERTVS Imperator à fratris filio Ioanne, cuius bona tutorio nomine diutius iuſto obtinebat, aliiſque paucis coniurationis ſociis, impie trucidatur 24. Aprilis, vel, vt alii, Calend. Maii: cum regnaſſet annis ferme decem. Parricidæ etſi effugerunt, tandem tamen deprehenſi debito ſupplicio affecti ſunt: Ioannes vero ipſe in Italiam relegatus eſt in Piſano Eremitarum cœnobio. *Cuſpin.* In Alberti locum Electores menſe Nouembris ad Francofurtum renuntiant Imperatorem *Henricum* Comitem Lutzemburgenſem, Principem induſtrium & magnanimum; qui & menſe Ianuario ſequenti coronatus eſt Aquiſgrani eius nominis VII. eumque Pontifex approbauit. *Naucler. Cuſpin.*

Iſabella filia Philippi Francorum Regis datur in matrimonium Eduardo Anglo. Vnde poſtea orta infauſta contentio de Regni Francorũ iure prætento ab Anglis *Annal Franc.*

Ioannes Duns Scotus Theologus Franciſcanus, Doctor Subtilis dictus, moritur Coloniæ. *Trithem.* Quem nondum mortuum ſepulchro illatum ferunt, ſed duntaxat lethargo correptum, vt poſt cognitum eſt aperto ſepulchro. *Genebr.* Quo etiam tempore floruerunt inter Theologos, Guido Ferrarienſis, Auguſtinus Triumphus, Hugo à Prato, Marſilius Paduanus, Albertus Patauinus, Antonius Andreas Scoti diſcipulus, Petrus Aureolus, & alii permulti.

1309. CAROLVS Rex Neapolitanus, dictus Claudus, moritur menſe Maio. Succedit filius Robertus, mortuo iam Carolo Martello natu maximo quem poſtulaſſe vidimus Hungaros Regem iure materno. *Blond. Sabell.* Huius quoque Roberti erat Phocenſis Prouincia, cui Auenio contribuebatur. Exercuit vero tunc Iuriſconſultorum ingenia quæſtio, inde orta, quod Carolus Norbertus filius Martelli Regnum Neapolitanum peteret iure repræſentationis; num præferri deberet Roberto. Sed vicit ſententia Baldi, habita publicæ vtilitatis ratione. Effecit tamen Summus Pontifex, cuius conſenſu Robertus Regnum ſuſceperat, vt Carolus anno

ſequenti

A.C.

sequenti reciperetur Hungariæ Rex; sed post longa dissidia. *Bonfin.*

Bartolus de Saxo ferrato, Cyni Pistorienſis discipulus, Iuriſconſultus celeberrimus, hoc anno natus dicitur: qui ætatis 14. ſe ad Iuris ſtudium Perusii contulit, 21. Doctoratus inſignia Bononiæ accepit, 25. publice Pisis docere cœpit, 46. obiit. *Mant. Patau. Trithem.* Quo eodem tempore floruerunt inter Iuriſconſultos Dynus Mugellanus, Petrus de Bella pertica Burgundus, Iacobus de Arena Parmenſis, Oldradus de Ponte Laudenſis, &c.

1310. CLEMENS Papa Venetos, quod occupaſſent Ferrariam, ſacris interdicit, eorumque bona vbique terrarum primi occupantis decernit; excitatis etiam in eos ſacri Belli militibus: à quibus victi Veneti, veniam Auenione deprecantur per Franc. Dandulum, ad pedes Pontificis ad hoc proſtratum. *Sabell. Blond. Chron. Monfort.*

Templarii per hæc tempora in Galliis & alibi exciduntur, multi viui cremantur. *Chron. Montfort. Til.* Inter combuſtos fuit etiam Magiſter eorum.

Hoſpitalari: Rhodum à Turcis vindicant; & ex ea etiam *Equites Rhodii* indigitantur. *Marin. Chron. Montfort.* Alii anno ſuperiori. *Palmer.*

Ioannes Rex Armeniæ, dimiſſo Regno Leoni nepoti ſuo, fit Religioſus Ordinis Sancti Franciſci. *Antonin. Genebrard.*

1311. HENRICVS electus Imperator, vt erat in conditionibus à Clemente Papa approbatæ electionis eius, Italiam ingreſſus ad eam factionibus purgandam; Brixiam expugnatam excindit, Cremonæ mœnia deiicit, reliquis vero ciuitatibus ſibi metu deditis mulctam imponit: ipſeque coronatus Mediolani corona ferrea, hibernat Genuæ. *Platin. Blond.*

In Anglia Petrus Gauiſtanus ſeu Gauerſtonus, occiditur à Proceribus Regni, qui Regem Regnumque ad nutum regebat: parumque abfuit, quin de Regis abdicatione decerneretur. *Polyd.*

Concilium VIENNENSE Vniuerſale inchoatur menſe Octobris, quod in ſequentem annum durauit; præſidente Clemente Papa, præſentibus Regibus Francorum, Angliæ, & Aragoniæ, ac Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Epiſcopis 114. (quidam numerant 300.) præter Abbates & Doctores. In quo actum de recuperanda Terra Sancta: damnatæ ſunt hæreſes: ſuppreſſus Templariorum Ordo: decretum de moribus Clericorum: conſtitutumque, vt feſtum Corporis CHRISTI celebretur feria quinta poſt Octauam Pentecoſtes. Statutum quoque, vt in præcipuis Chriſtiani orbis Vniuerſitatibus ſint publici linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ Profeſſores, in conuerſionem & inſtructionem earum nationum Infidelium. *cap. 1. de Magiſtr. in Clementin. lib. 5.* Habeturque huius Concilii decretum *Clement. vn. de ſumm. Trinit.* definiens, ab eo tempore ſiquis aſſerat, ſeu tenere pertinaciter præſumat, animam rationalem, ſeu intellectiuam, non eſſe formam corporis humani per ſe & eſſentialiter, cenſendum hunc tanquam hæreticum. Exſtant porro Acta Concilii *in Tomis Conciliorum.*

In prædicto Concilio Viennenſ. damnati fuerunt hæretici *Beguardi & Beguini*, ac *Beguinæ* fœminæ: qui omnes præcipue per Germaniam inferiorem diffamati, cum in eo conuenirent, vt vitam monaſticam in multis profitentes, deliciis tamen & carnis voluptatibus ac conuiuiis ſeſe dederent; in cæteris tamen impiis dogmatibus aliquid ab inuicē diſſidebant, & cum hodiernis hæreticis concordabant. quos & iterum Ioannes XXII. damnauit. de quibus vid. *Clem. ad noſtrum. de hæret. in 6. extrauag. ſancta Rom. de relig. domib. ibid. Prat. & Sander. de hæreſ. & Gualt. in Chron.*

Quo eodem tempore fuerunt *Dulcimiſtæ*, quos in Alpibus *Dulcinus* quidam ad promiſcuam cohabitationem induxit, charitatem ac proprietatis odium prætexendo. qui tandem à Clemente Pontif. Cruciatam aduerſus eos inſtituente combuſtus eſt. De iis *Prat. Sand. & Gualt. ibid.*

1312. HENRICVS Romæ accipit auream coronam Imperialem à deſtinatis ad hoc à Clemente Papa Cardinalibus. *Blond. Sabell. Cuſpin.*

Robertus (de quo an. 1309.) venit in Phocenſem Prouinciam, dum Pontifex eſſet Auenione: à popularibus ſalutatur Comes Prouinciæ, à Pontifice Rex Neapolitanus: & vtriq; periculoſum viſum, ſi Henricus Vrbe & Italia, vt fieri cœperat, potiretur. *AEmil.* A.C.

Ferdinandus Caſtellæ Rex, poſt damnatos capite ob cædis ſuſpicionem duos fratres, ab iiſdem innocentes ſe conteſtantibus in diem trigeſimum ad iudicium Chriſti interpellatus: intra diem præſcriptū morbo tentatus, cum à prandio ſe daret ſomno, in lecto repertus eſt exanimatus. Cui ſucceſſit filius Alfonſus XI. Eius namque obitum *Mariana* in hunc annum refert; quem alii longe ante collocant.

Conſtantinopoli creatur Patriarcha *Niphon. Gregor.*

HENRICVS Imper. proſcripto Roberto Rege Neapolitano, dum expeditionem in eius Regnum parat; interim in Tuſcia contra Florentinos bellum gerens, moritur menſe Auguſti apud Bonconuentum agri Senenſis oppidum, veneno (vt fama fuit) potatus à quodam Monacho Dominicano in ablutione Calicis poſt ſumptionem Euchariſtiæ: poſtquam regnaſſet fere annos quinque. *Naucler. Cuſpin.* Secutum eſt interregnum in Imperio 14. menſium. 1313.

In Scotia Robertus Bruſeus Rex, pulſis omnino Anglis, Regnum recipit vniuerſum. *Boet.*

Flagellantium ſecta, quæ multis antehac annis innotuerat, nunc potiſſime viget: quorum dolus imprimis erat, multa crimina ac mendacia fucoſo pietatis ac mortificationis vultu contegere; flagellorum ſpontaneam verberationem maioris eſſe aſſerendo ad delenda quæuis peccata efficacitatis, quam vllam confeſſionem. De quorū multiplicibus errorib. agunt: *Bern. Lutzemb. Prat. & Caſtr. de Hæreſ. & Gualt. in Chron.*

1314. CLEMENS Papa V. moritur 20. Aprilis, poſtquam ſediſſet annos 8. menſes 10. dies 16. vacauitq; Sedes pluſquam biennio. Atq; ita eodem tempore nec Papa, nec Imperator fuit. *Platin. Onuphr.*

Conuenientes autem menſe Octobri Electores, vt Imperatorem ſufficerent, quatuor exſeptem Ludouicum Bauarum, tres Fridericum Auſtriacum ipſius conſobrinum nominarunt. Vnde Ludouicus, vt ſuffragiis ſuperior coronatur Aquiſgrani, Fridericus Bonnæ: & Germania bello inteſtino affligitur. *Naucler. Cuſpin.*

In Gallia dū res turbantur ob nimias exactiones, & quod (vt Æmilius habet) ſignatum argentum non iuſtæ probitatis eſſet; Rex ipſe Philippus Pulcher in venatione aprum inſequens, equo excutitur, & inde moritur 29. Nouemb. anno regni ſui 29. *Annal. Franc. & Til.* quamuis eius obitum Æmilius anno ſuperiori referat.

Robertus Bruſæus Scotiæ Rex memorabilem reportat victoriam de Anglis Scotiam ingreſſis. Inde in Hiberniam traiiciens in auxilium fratris ſui, quem Hiberni Regem expetierant; tandem poſt quadriennium coactus eſt eam Anglis relinquere. *Boet. Polyd. Leslæus.*

Ex tribus Philippi Pulchri filiis, regnat loco patris natu maximus *Ludouicus* X. cognomento *Hutinus*, hoc eſt, rixoſus, iam antea coronatus Rex Nauarræ Is Iudæos iterum in Galliam admittit, & admiſſos ſpoliat. Senatum, ſeu (vt vocant) Parlamentum, antea deambulatorium, & Pariſiis firmatum à Philippo Pulchro, ipſe Palatio ſuo donat, vbi ius redderet. *AEmil. Papon.* Quo tempore Engeranus Marinius Normannus Longæuillæ Comes, & Fiſci ſummus præfectus, grauiſſimi tributi indicendi auctor inſimulatus à populo; demum peculatus reus, furca ſuſpenſus eſt, euerſa eius ſtatua, Caroli Valeſii Regis patrui opera. *AEmil.* 1315.

Ibidem Pariſiis Franciſcus Mayronis Ordinis Minorum, in pago Mayronenſi diœceſis Ebredunenſis natus, Scoti diſcipulus, magnanimum illum Actum in Schola Sorbonica introducit, quo æſtate per ſingulas ferias ſextas ab hora quinta matutina ad ſeptimam veſpertinam, ſine præſide, ſine ſocio, ſine prandio & paſtu, ſine vlla emigratione, in eadem perpetua corporis ſede & animi contentione, per 14. horas continuas, omnibus opponentibus reſpondetur; præcipue vero Baccalaureis primi & ſecundi ordinis, qui ſunt minimum ſexaginta. Facinus inexpertis formidabile; at cuius cauſa nemo hactenus in valetudinis diſcrimen venerit, plures melius habuerint. *Genebr.*

Niphon Patriarcha Conſtantinopolitanus ob varia crimina abdicatur: ſubſtituiturque poſt annum Ioannes Glicys Logotheta dromi, cum vxor eius monaſticum habitum induiſſet. *Greg.*

A.C.

Tres Heluetiorum pagi, de quibus ann. 1307. electis præfectis Friderici Austriaci, Ludouicum Bauarum agnoscunt Imperatorem; & Leopoldum Austriacum magna pugna vincunt apud Morgartum: ac fœdus suum in literas conferunt; quod & Ludouicus confirmauit. *Stumpf. in Chron. Heluet.*

Hoc anno & sequenti tanta peste & fame laboratum est plurimis Europæ prouinciis, vt tertia pene pars generis humani absumpta fuerit; & in Polonia ac Silesia parentes à propriis filiis, & cadaueribus, immundissimisque cibis non abstinerent.

Hoc tempore viguisse in Germania *Lolhardos* hæreticos, *Trithemius, Sanderus, & Genebrardus* scribunt: quos Prateolus ex Anglia deducit, & secta Wiclefistas fuisse tradit, ac proinde paulo recentiores. Nomen iis à *Lolhardo Walthero*, quem illi crematum volunt Coloniæ ann. 1321. Fueruntque non solum variis infecti impudicitiis, sed etiam erroribus; quibusdam quidem quos cum Petrobrussianis, Henricianis, Waldensibus, atque Albigensibus communes habuere; propriis aliis, contra Dei iustitiam, Beatæ Deiparæ virginitatem, & de futura saluatione dæmonum, ac beatorum Angelorum damnatione: de quibus vide *Prateol. Sander. Gualter.*

1316. LVDOVICVS X. Rex Francorum moritur mense Iunii, cum vix sesquianno regnasset; relicta prægnante vxore Clementia filia Regis Hungariæ. Quæ cum postea filium peperisset, nominatus fuit *Ioannes*, & octauo post die obiit. Quare exclusa ex Lege Salica Ioanna eiusdem Ludouici ex priore coniuge Margarita Burgunda filia, (quæ tamen Regnum Nauarræ obtinuit, nupsitque Philippo Comiti Eburonico) succedit eidem Ludouico frater eius *Philippus*, cognomento ex corporis proceritate *Longus. Til. AEmil.*

Post diuturnam Sedis Pontificiæ vacationem, tandem conuenientes Lugduni Cardinales, mense Augusti eligunt Papam, *Iacobum de Osa* natione Gallum, patria Cadurcensem humili loco natum, ex Episcopo Auenionensi & Cardinali Portuensi, ac Franciæ Cancellario: appellatusque est IOANNES eius nominis XXI. dictus XXII. *Onuphr. & alii.*

1317. IOANNES Papa Episcopatum Tolosanum in sex diuisit, & Tolosam sedem Metropolitanam constituit. *Append. ad Nangis. & Polon.* Clementis Quinti Constitutiones, vulgo *Clementinæ* dictas, approbatas, publice iubet in Scholis prælegi. *Append. Polon. Platin. Anton.*

1318. RENOVATVR fœdus inter Francorum & Scotiæ Reges. *Lesl. Boet.*

Canis Magnus Scaliger dominus Veronensis, Paduanas regiones vastans, incolas cogit confugere Venetias. Idque ipsum in Taruisana regione factum. *Marin.*

Inter viros huius temporis doctrina insignes floruit Durandus de S. Porciano Dominicanus, qui scripsit in Magistrum Sententiarum, Episcopus Anicien sis, alius ab eiusdem nominis paulo antiquiori Episcopo Mimatensi, qui auctor Rationalis diuini officii dictus est Speculator: Petrus item de Palude, & Heruæus Natalis Dominicani; Okamus & Aureolus Franciscani, Landulphus Carthusianus, Guido Carmelita, Aureolus & Simon de Cassia Augustiniani. *Trithem. Cocc.* Sed de *Okamo* plura postea.

1319. INSTITVITVR à Ioanne Papa Ordo militaris IESV CHRISTI in Portugallia, sub Regula Cistercien si, ad resistendum Saracenis pro defensione fidei: iisque tributa bona, quæ fuerant Templariorum in illis partibus. *Marian.* Pariterque institutus Senis Ordo monasticus Fratrum Montis Oliueti. *Onuphr.*

Certatur acriter in Germania inter duos Imperii competitores; & in Italia inter Guelphos & Gibelinos, eosdemque *Nigros & Albos* vocatos.

1320. LADISLAVS Locticus, ancipiti diu fortuna vsus, tandem auxilio Pontificis Regnum Poloniæ obtinet, & coronatur 20. Ianuar. Cracouiæ: qui, vt erga Pontificem se gratum præberet, Denarium S. Petri pro singulis capitibus offert. *Cromer. Dubrau.* Vide supra an. 1295.

Turcæ traiecto Hellesponto Chersonesum occupant: & inde in Thraciam excurrere cœperunt. *Gregor. Chalcondyl.*

ANDRONICVS Iunior nepos auo suo Imperatori Andronico, qui ipso præterito Constantinum Despotam ad Imperium Constantinopolitanum vocabat, iratus, Constantinopolim obsidet: cui pacem auus offert, vt Thraciam & Macedoniam obtineat, & sibi Constantinopolim relinquat. Cum ciuitas obsideretur, equus in aula Imperiali ad parietem artificiosissime pictus, cui insidebat imago S. Georgii, clarum hinnitum die ac nocte edidit. Idemque fecerat ante 117. annos, cum Balduinus Constantinopolim occuparet. *Gregor.* A.C. 1321.

Leprosi in Gallia & ad Rhenum inficiunt fontes & puteos veneno puluere, vt homines vel leprosi, vel alias morbidi fierent: sperantes se hac via Principes, Comites, &c. euasuros; sed re patefacta, multi combusti sunt, & aliis diris pœnis affecti. *Chron. Belg.* Et circa hoc ipsum tempus Iudæi nuper à Philippo Francorum Rege in Galliam reuocati, propter eandem veneni suspicionem, non tam Principum iussu, quam plebis electione abire coacti sunt; nec deinceps in Regno Gallico mansisse videntur. *Genebradr.* anno 1323.

PHILIPPVS Longus Francorum Rex moritur 6. Ianuarii ex dysenteria; cum regnasset amplius quinque annis. Succeditque *Carolus Pulcher* frater eius, hoc nomine Quartus. *Annal. Franc.* 1322.

Magno inito prælio inter Fridericum Austriacum & Ludouicum Bauarum, Imperii Germanici competitores, mense Septembri; Fridericus vincitur & capitur: ac post triennii custodiam dimissus, breui diem clausit. A qua pugna Ludouicus solus pro Cæsare se gerit. *Naucler. Onuphr. Chron. Bohem.* sed *Auent. Nang. & Albert. Argent.* hanc victoriam in annum sequentem referunt.

Post Gerasinum Patriarcham Constantinopolitanum, substituitur Esaias *Greg.*

1323. IOANNES PP. Ludouico Imperatori multis de causis iratus, diploma mittit obsignatum 8 Idus Octobris, quo mandatum continebatur de abdicando Imperio: eumque Auenionem citat. *Naucler. Trithem.*

Cumque promulgata fuisset anno superiori ab eodem Pontifice constitutio, cuius initium est, *Ad conditorem Canonum*, non sine offensione Franciscanorum aliqua; nonnulli ex iis transierunt ad Ludouicum. Ex quibus *Guilelmus Okamus* natione Anglus euasit eiusdem stipendiarius, vt stilum acueret in Pontificem: cui & dixisse fertur: *O Imperator, tu me gladio defende à Papa iniuriis, & ego te verbis ac scriptis defendam.* Anathemate autem obstrictus à Pontifice, damnatus æque idem est à Schola Parisiensi exustis impiis eius libellis. *Trithe. AEmil. Genebr. alii.*

Ætna mons Siciliæ subsidit cum magno terræmotu, & eiectis ignibus viciniam vastat: sequenti vero die, tantum cineris, nigerrimique pulueris depluit, vt longinquæ regiones cooperirentur, & flante Borea in Melitam Insulam deferrentur. *Goltzius.*

Circa hunc annum *Ioannes de Poliaco* Doctor Parisiensis lapsus est in quosdam errores super Confessione auriculari: pro quibus damnatus est à Ioanne XXII. coactusque retractare. *Vid. extrauag. Vas electionis. de hæres. in 6. Prateol. Sander. Gualter.*

1324. LVDOVICVS prouocans ad futurum Concilium à sententia Pontificis, innodatur anathemate. Hinc natæ tragœdiæ, quas referunt multi.

Franci Anglos in Aquitania rebellantes profligant: ac pariter Scoti in Anglia eosdem repetitis præliis debellant. *Æmil. Polydor.*

Turcæ Thraciam & Macedoniam vastant; & ciuitates Asiæ pene omnes quæ Græcis supererant capiunt. *Gregor. Chalcond.*

1325. LEOPOLDVS abdicati Ludouici frater, eundem Summi Pontificis sententia hostem Ecclesiæ iudicatum, armis petiit, magno per Germaniam motu excitato. *Naucler. Cuspin.*

Dionysius Lusitaniæ, seu Portugalliæ Rex, moritur 7. Ianuarii. Is diuersos Ordines Militum aduersus Mauros in suo Regno instituit. Succedit filius Alfonsus eius nominis IV. *Hist. Portugall.*

S. Eleazarus Comes ex hac vita decedit. *Baron. in Martyrol.*

Cuius

A.C.

1326. Cuius vitam Angelicam fuse describit *Sur. 27. Sept.* interque alia, virginitatem cum sponsa Delfina obseruatam.

Isabella soror Caroli Francorum Regis, vxor Eduardi Regis Angliæ, è Gallia (vbi cum filio item Eduardo dicto diutius apud fratrem fuerat quod marito inuisa esset) in Angliam cum valida manu traiiciens, Baronum etiam Anglorum sibi fauentium auxilio, maritum bello captum impellit ad regni abdicationem, sumpto seuero supplicio de iis à quibus ad praua consilia impellebatur: renatque sic Iunior Eduardus eius nominis Tertius. *Continuat. Nangis. Polyd. Aemil.*

Iacobus Aragoniæ Rex moritur: qui primus sanxisse dicitur, vt Principatus Aragoniæ, Cathaloniæ, & Valentiæ indiuidui essent. Succedit Alfonsus filius minor, excluso maiori Iacobo *Fr. Tarasa. Marian.*

1327. Concilivm prouinciale celebratur Moguntiæ sub Matthia Archiepiscopo, de rebus Ecclesiasticis. *Trithem. in Chron. Hirsaug.*

Ludouicus Bauarus inuitatus à Gibellinis Lombardiæ, exercitum ducit in Italiam, ac Mediolani corona ferrea decorarur ipso die Pentecostes. Pisini, & qui à Pontifice stabant, nouis molestiis bellicis eum detinent quatuor mẽsibus in Etruria. *Naucler.* Pontifex autem, ad belli subsidium, exigit in Gallia, Rege permittente, Decimas. *Contin. Nangis. Aemil. Til.*

Othomanus Turcarum Princeps, qui Regnum eorum in Asia Minori constituit, moritur: succeditque filius *Orchanes* natu minimus, occisis duobus fratribus. *Chalcondyl. Leoncla. Zacuth.*

1328. Andronicvs Iunior, auxilio Bulgarorum & Italorum Constantinopolim per proditionem occupat aduersus Andronicum auum: quem tamen sibi collegam esse, etsi nomine tenus, ad tempus passus est: eundemque postea monasticum habitum suscipere coegit. *Gregor.*

Ludouicus Bauarus Romæ tertiam suscipit coronam, vna cum coniuge à Stephano Columnio: ac postea Conuentu schismaticorum habito, creari fecit pseudo-pontificem *Petrum de Corbaria* diœcesis Reatinæ in Vmbria, qui relicta vxore ordinem Minorum professus fuerat: quem *Nicolaum V.* vocarunt; qui statim duodecim Cardinales creauit. *Onuphr.* Quo tempore natus ibidem Romæ prædicto Ludouico filius est, quem ideo Ludouicum Romanum appellari voluit.

Nouis vero ex hinc rebellionibus in Ludouicum exortis; inter alios Ludouicus Gonzaga ciuis Mantuanus, Mantuã occupans, posteris firmam eius possessionem fecit ad hæc tempora. *Naucler. Cuspin.*

Carolus Pulcher Rex Franciæ & Nauarræ, cum regnasset sex annis solidis, moritur sine prole Calend Februarii, relicta tamen vxore grauida. Quæ cum filiam peperisset, disputatum est de successione: & tam illa, quam etiam excluso Eduardo Angliæ Rege, qui ex matre Isabella filia Philippi Pulchri, ac sorore prædicti Caroli, ius Regni sibi asserebat; substitutus est in Regno Franciæ ex antiqua Lege Salica, *Philippus Valesius*, trium superiorum Regum patruelis: cui etiam Eduardus Anglus præsens per se fidelitatem iurauit *Froissard. Annal. Franc. Aemil. Til.* Referunt tamen aliqui hunc ingressum in annum superiorem. Dictus est autem Philippus cognomento *Catholicus*, ob causam an. seq. recensendam.

1329. Lvdovicvs Bauarus vbique iam pro excommunicato & abdicato proclamatus, relicta Italia; quæ fere tota ab eo defecit, redit in Germaniam ad alios ibi motus sedandos. Ita tandem infeliciter omnia cedere necesse est iis qui Ecclesiæ bellum inferunt Idolum quoque eius, Nicolaus pseudopapa à Pisanis in carcerẽ coniectus est. *Naucler. Auent. Cuspin.*

Petro Cunerio Aduocato regio in Senatu Parisiensi, solemni actione coram Philippo Valesio Francorum Rege, omnem temporalem iurisdictionem Episcopis adimere, libertatemque Ecclesię infringere satagente; Rex causam Episcopis (quorum, & Ecclesiæ causam præcipue *Petrus Bertrandus* tunc Augustodunensis tantum Episcopus, postea etiam S. R. E. Cardinalis, validissime propugnauit) adiudicauit: ex quo nomen *Catholici* iure optimo consecutus est: perpetuæque ignominiæ monumentum appositum Cunerio in Ecclesia Parisiensi. *Aemil. Vigner. Genebrard. Gualter.* Et obseruatione dignum, controuersiam hanc fuisse à Rege terminatam ipso S. Thomæ Cãtuar. die, qui martyrium in Anglia pro eadem re, hoc est pro iurisdictionum Ecclesiasticarum conseruatione subierat. *Til.*

A.C.

Ludouicus Clarimontis & Marchiæ Comes, ex antiqua stirpe S. Ludouici, primus Borbonij Dux renuntiatur: vnde prognati *Borbonii* Principes, qui hodie Regnum feliciter possident. *Aemil. Til. Gaguin.*

Robertus Bruseus Scotiæ Rex moritur, postquam Regnum, quod pene Anglis seruire cœperat, in florentissimum statum asseruisset; pace etiam nuper cum Anglis, sæpius ab eo deuictis, stabilita, accepta in coniugem filii sui Dauidis filia Eduardi Angliæ Regis, qui & moriens auctor suis fuisse dicitur, ne vmquam cum Anglis constituta acie decertarent, sed leuibus tantum præliis. Successit in Regnum prædictus Dauid eius filius adhuc puerulus. *Boet. Lesla. Polyd. Maior.*

Ioannes Boemiæ Rex, filius Henrici Lutzenburgij olim Imperatoris, euocatus in Italiam aduersus Ludouicum Bauarum, magnam ibi rerum & factionum adfert mutationem: sed Ludouicus aduersarios ei in Germania excitans, cogit eum redire; relicto tamen in Italia cum exercitu filio suo Carolo, qui strenue contra aduersarios agit. *Dubrau. Naucler. Cuspin.* 1330.

Carolus Hungariæ Rex, dum sedet in aula cum coniuge, graniter vulneratur ab Hungario quodam; & Reginæ, quæ repentinum ictum excipiebat, manus amputatur. *Chron. Boem.*

Castellæ & Aragoniæ Reges iunctis copiis insignem de Mauris referunt victoriam. *Marian.*

Pseudopapa Nicolaus Auenionem perductus Pontificatum abdicauit 25. August. qui postea in carcere diem obiit. *Platin. Onuphr.*

Orchanes Rex Turcarum Nicæam in Bithynia post diuturnam obsidionem capit, frustra Andronico Iuniore Imperatore Constantinopolitano ei suppetias venire conato. *Gregor.* Instituit ibi primum dicitur, vt pueri Christianorum in Natolia caperentur. *Zacuth.* 1331.

Andronicvs senior Imperator Constantinopolitanus moritur 12. Februarii in monasterio, anno ætatis 74. Imperii 50. Regnarque solus *Andronicus* ipsius nepos, cognomento quoque *Palæologus. Gregor.* 1332.

Ioannes Boemiæ Rex iterum Italiam ingreditur: sed partim ob res domesticas, partim mobilia Italorum studia pertæsus, regreditur vna cum filio suo in Germaniam, nulla re magna gesta. *Dubrau. Naucler. Auent. Cuspin.*

Monaldus Dalmata Ordinis Minorum, insignis Theologus, martyrio vitam finit. *Bellarm. de Script. Eccles.*

Rex Angliæ in odium Francorum, & quod nollet Dauid Rex in eius verba iurare, Scotiam aggressus, Scotorum fugat exercitum, Berwicum capit, & Eduardum Baliolum (qui è Gallia euocatus Anglo fidelitatem iurauerat) in aliquam Regni partem intrudit; Dauide Rege puero in Galliam concedente. *Boet. Lesla.* 1333.

Ladislaus Locticus Rex Poloniæ moritur mense Martij: succeditque filius Casimirus dictus Magnus. *Cromer.*

Mauri ex Africa in Hispaniam traiicientes, Granatensi Regi auxilia laturi aduersus Alfonsum Castellæ Regem, aliquot vrbes occupant: sed nihilominus Granatensis ad pacis conditiones propensior, vetus tributum promittit Castellano; & ideo breui à suis ferro obtruncatur. *Marian.*

Andronicvs Imperator Constantinopolitanus affinem suum Bulgariæ Despotam aggressus, cũ is magis hortaretur, vt iungerentur vires aduersus Turcas; nihilominus pergens Andronicus bello agere, vincitur à Bulgaro: paxque initur. *Gregor.* 1334.

Ioannes PP. XXII. diem obit 4. Decembris, cum vixisset annos 90. sedisset 18. & menses 4. Suffectus ei est die 19. eiusdem mensis *Iacobus de Furno* Tolosas, ex monacho Cisterciẽsi Cardinalis S. Priscæ, nuncupatus Benedictvs eius nominis X. vel XI. dictus tamen XII. *Platin. Onuphr.*

Cum autem Ioannes antiquam aliquando tenuisset quorundam Patrum tam Græcorum quam Latinorum opinionem de receptaculis animarum vsque ad resurrectionẽ corporum; indeq; aduersus eum conclamatum esset à Ludouici

A.C.

Bauari fautoribus; ac demum idem tam ex sententia Parisiẽsis facultatis, (*Marsilian 4. dist. 13. art. 3.*) quam re alias maturius perpẽsa, retractasset: post eius obitũ, Benedictus ipsius successor decretalem edidit, determinans animas Sanctorum nihil habentes expurgabile, statim vt decedunt, ante diem iudicij faciem Dei cernere: hoc est, decidit quod Ioannes morte præuentus (vt ait) perficere nequiuit. Vid. Alph. à Castr. verb *Beatitudo. Genebr. in Chronol.*

Idem quoque Benedictus sententiam decessoris sui in Ludouicum Bauarum confirmauit. Ac reformauit Ordines Benedictinorum & Cistercienſium. *Genebr.*

1335. Cvm nec Pontificem, nec Imperatorem præsentem haberet Italia, varij dominationem Ciuitatum captant. *Blond. Sabell.*

Cum Turcæ magna incrementa facerent, aliquot Principes Latini, Itali, & alij, re inter se communicata, legatos Cõstantinopolim mittunt de societate contra eos cum Græcorum Imperatore Andronico iungenda: quibus ille assentitur, sed res postea ob dissensiones Italiæ effectu caruit. *Gregor.*

1336. Missi à Pontifice Constantinopolim Episcopi Græcæ linguæ periti, qui de concordia Ecclesiarum agerent. Sed quod Patriarcha, aliique Episcopi Græci rudes essent in Theologia, non ausi se disputationi committere, licet populus id vrgeret vehementer, causas excogitarunt cur fieri non deberet. *Gregor.*

Eduardus Angliæ Rex, quamuis Philippo Francorum Regi fidelitatem iurasset, fœde tamen resiliens, atrox bellum infert pro iure regni: quod diutius perdurauit in perniciem vtriusque gentis, Germania, Italia, Hispania, in societatem belli aduocata: ipseq; Anglus se Franciæ Regem scribere cœpit, & armis liliatis vti.

Alfonsus Aragoniæ Rex moritur: succedit filius Petrus eius nominis IV. *Taraf. Marian.*

Custodia Sepulchri Dominici Hierosolymis à Sultano Ægyptio committitur octo Franciscanis. *Munster.*

1337. Scythæ Thraciam vastant: & cum primo multos Turcas, qui Thraciam etiam vastabant, cepissent, deinde simul cum ipsis multa millia abducunt Christianorum captiuorum. *Gregor.*

Moritur (siue anno superiori, vt alij habent) Fridericus Siciliæ Rex: eique succedit filius Petrus eius nominis II. *Marian.*

Concilium Auenionense trium Archiepiscoporum & multorum Episcoporum; quo plura condita sunt decreta ad Officij diuini ritus, & mores spectantia. Cuius nondum editi meminit. *Gualter. in sua Chronolog. sub Bened. XII.*

1338. Lvdovicvs Bauarus, cum iniusto se excommunicationis vinculo innodatum quereretur, quod nihil peccasset; & tamen ea solui quæreret, nec impetraret, rursum ad Generale Concilium prouocans, conuentu suorum habito, decretum edit mense Augusto contra Pontificis auctoritatem; & qui illud probare recusant, variis modis vexat. *Naucler. Auent. Trithem. Cuspin.*

Franciscus Petrarcha Romæ in Capitolio corona aurea donatur. *Platin.*

Ioannes Boëmiæ Rex profectus in Galliam, suppetias Regi laturus contra Anglum; cum iam monoculus esset, (amisso olim oculo ex intemperie aëris in bello Lithuanico) & altero etiam oculo laborare inciperet; ad Montempessulanum à quodam Iudæo medico plane excæcatur. *Hist. Boem.*

Locustæ per aliquot annos, Poloniam, Hungariam, Boëmiam, aliasque vicinas prouincias, depopulantur tanto agmine, vt cum volarent, vmbram facerent vt nubes: quæ demum à ciconiis, ictibus, vulturibus, coruis, & monedulis, per totam æstatem absumptæ, mense Octobri vehementi niue omnes obrutæ sunt. *Bonfin. & alii.*

1339. Romani ad subiectionem Pontificis redeunt, reiecto Ludouici Bauari nomine. *Blond.*

Mauri ex Africa in Hispaniam traiicientes, à Rege Castellæ conteruntur. *Marian.*

Turcæ in Thracia vincuntur. *Gregor.*

1340. Pvgna naualis atrox ad Clusas in Flandria commissa mense Iunij in vigilia S. Ioan. Baptistæ; qua Eduardus Anglus secundo vento, & discordia Francorum adiutus, nobilem victoriam refert. *Aemil. Polyd.*

Pontifex his qui variarum Italiæ Ciuitatum dominationem in bellorum dissidiis consecuti fuerant, confirmat sua auctoritate; puta Gonzagæ Mantuam, Estẽsi Ferrariam, Scaligero Veronam, aliis alias: permisitque vt à iure Imperij abirent. *Blond. Sabell. Trithem.*

Mauri ex Africa maioribus copiis in Hispaniam aduenientes, post clades quasdam illatas, ingenti prælio superantur ad Salsum amnem mense Octobri, occisis amplius ducentis eorum millibus, & captis quamplurimis. *Marian.* Habent aliqui, 450. millia occisa, & ex Christianis viginti tantum milites desideratos. *Vasæ. Garin. Genebr.*

A.C.

1341. Andronicvs Imperator Constantinopolitanus moritur ex splenis tumore, relicto filio *Ioanne Palæologo* adhuc puero sub tutela Ioannis Cantacuzeni: qui sibi imperium assumens, pupillo filiam vnam dedit in vxorem, alteram Orchani Turcarum Regi. *Chalcond. Onuphr.*

Patriarcha Constantinopoli constituitur *Ioannes Aprinus.*

Dauid Scotiæ Rex in patriam redit; expeditionem in Angliam habet successu felici, & post inducias agit. *Froſſard.*

Casimirus Rex Poloniæ Lithuaniam sibi subiicit, & in prouinciæ formam redigit. *Cromer.*

Concilium Anglicanum, in quo multi, quod suis abuterentur officiis, ignominiose deponuntur. *Polyd.*

1342. Benedictvs PP. XII. moritur 25. Aprilis, cum sedisset an. 7. mens. 4. dies 7. Cui suffectus est 7. Maij *Petrus Monstrius* Rogerij filius, Lemouicensis, ex monacho Benedictino Episcopus Rotomagensis & Cardinalis; dictus Clemens VI. *Onuphr. Platin. Trithem.*

Carolus item Hungariæ Rex moritur; & successorem habet filium Ludouicum. *Bonfin.*

Mortuoque pariter Petro Siculo, succedit Ludouicus filius, puer quinquennis, sub tutela patrui. *Fazel.*

1343. Repetita sæpius legatione, agit Ludouicus Bauarus apud Pontificem de solutione excommunicationis: quam negat Pontifex, nisi abdicato imperio. *Trithem.*

Robertus Rex Neapolitanus diem claudit: regnatque Ioanna neptis eius ex Carolo filio prædefuncto; quæ nupsit Andreasso ex patris sui patruele genito. *Marian. Pandulph.*

1344. Castellæ Rex, egregiis terra marique partis aduersus Mauros victoriis, Algeziram nobilem Hispaniæ Bæticæ vrbem, diuturna obsidione fatigatam, & fame oppressam, per deditionem capit, ciuibus alio abire permissis. *Marian.*

Eduardus Rex Angliæ *Garteriorum Equitum* Ordinem S. Gregorio sacrum, instituit. *Polyd.*

Florent Holcot Franciscanus Anglus, Bartholomæus Pisanus Dominicanus, Gregorius Ariminensis, Thomas Argentinas, Simon de Cassia Augustiniani; Petrus Berchorius, Guido Perpinianus, Ioannes Andreæ Bononiensis, & Baldus de Vbaldis Perusinus, Iurisconsulti celeberrimi; Ioannes de Columna auctor libri cuius est titulus Mater Historiarum, & alij plurimi.

1345. Vectigal cœptũ Francis imponi ad belli necessitates: primumque ex sale. *Gaguin. Aemil.* Sed & in Parlamento decernitur, vsurariorum bona in fiscum redigenda, vt inde Regi subueniretur. *Gaguin.*

Ioanna Regina Neapolitana, strangulato Andreasso viro suo, nubit Ludouico Tarentini Principis filio. *Onuphr. Pandulph.*

1346. Clemens PP. rursum in die Cœnæ Domini Ludouicũ Bauarum execratur, hæreticum ac schismaticum pronuntiat; & Electores Imperii hortatur, iubetque, alium Imperatorem creare. Quare ij conuenientes Renzi prope Treueros, mense Iulio abdicato Ludouico eligunt *Carolum* Lutzenburgensem filium Ioannis Regis Boëmiæ, qui tum cum patre absens erat in Gallia: virum doctum, & quinque linguarum cognitione ornatum. Ac licet Ludouicus, collectis Spiræ suæ factionis Principibus, eiusmodi electionem infirmare conatus sit, nihilominus Carolus post prælium Cressiacum in Germaniam aduenies, coronatur Bonnæ mense Nouembri, cum Aquisgranenses eum admittere noluissent. *Naucler. Auent. Trithem.*

Pugnatum apud Cressiacum 26. Augusti inter Francos

A. C. & Anglos acerrimo prælio; quo Franci cæsi sunt occumbentibus inter Principes Carolo Regis Fratre, Duce Lotharingiæ. Comite Flandriæ, & Ioanne Rege Boemiæ; qui (vt refert Crantzius) etsi cæcus esset, pugnauit tamen; adeo vt cum audiret victoriam suæ partis inclinare, duci se iussit vbi confertissimi hostes essent: ibique fortiter prælians cecidit sagittæ vulnere. Inde Anglus Caletum obsidet, eoque post annuam obsidionem deditione potitur.

Pontifex donat Alfonso Castellæ Regi Fortunatas insulas, siue Canarias dictas, ea conditione vt ibi Christianam legem instituat. *Marian.*

1347. Ludovicvs Bauarus II. Octobris lapsus equo in venatione moritur, cum vixisset ab adepto Imperio 33. annis; Imperatorum vltimus, qui Pontifici Romano bellum ausus sit inferre: quod nemini vnquam bene cessit. *Naucler. Auent. Cuspin.* Post eum, cum eius factionis Principes Carolum anno superiori legitime electum agnoscere nollent, Eduardum eligunt Angliæ Regem, tunc florentem gloria rerum gestarum. At vero is suarum rerum magis satagens, gratiis pro honore actis, dignitatem recusauit. *Cuspin.* Sicuti & post eum Philippus Landgrauius Turingiæ ab iisdem electus à Carolo dissuadetur. Ac rursum Guntherus Comes Suartzburgensis pariter electus, breui cessit Carolo. *Trithem.* Tandemque misso à Pontifice Legato, qui eos ab excommunicatione absolueret, factus est omnium consensus in Pontificem & Carolum. *Idem.* Perierat antea hoc eodem anno mense Aprilis Okam, eiusdem Ludouici stipendiarius Franciscanus.

Dauid Scotiæ Rex in gratiam Franc. Regis Angliam inuadens acie victus, captus est. *Boet. Polyd. alii.*

Ioanna Regina Neapolitana, timens sibi a Rege Hungariæ fratre Andreassi Ioannæ viri, quem ipsa (vt vidimus) strangulauerat, pacem cum Rege Siciliæ constituit: quatuor omne Siciliæ ei permittit; Siculus vectigal annuū, & auxiliares copias promittit contra Regni Neapolitani inuasores. *Fazel.*

In Gallia pariter cœpit Ordo Fratrum Charitatis B. Virginis sub Regula S. Augustini; qui & hactenus perseuerat licet parum dilatatus: dicturque vulgo *Billetarum* à Monasterio Parisiensi. *Vide sup an* 1290.

Quo etiam circiter tempore Clemens PP. VI. ponderatis ingentibus Coronæ Franciæ in Sedem Apostolicam meritis, Christianissimis Francorum Regibus potestatem fecit, sub vtraque specie, quandocunque id optarent, communicandi. Qua potestate tum in die consecrationis suæ, tum in vltimo viatico vtuntur. *Henriq. lib. de Euchar. c.* 44. §. 7. *Gaulter. in Chronolog.*

1348. Ludovicvs Hungariæ Rex, Andreassi Neapolitani Regis exstincti frater, Regnum Neapolitanum vi occupat, pulsa Ioanna Regina; quæ se in Prouinciam recepit, conuenitque Pontificem Auenione. *Blond. Bonfin. Onuphr.*

Ingenti terræmotu quatiuntur Austria & Pannonia: qui cœptus 25. Ianuarij duratit 40. diebus, & 26. vrbes prostrauit. Quem secuta peste, Iudæi accusantur infectarum aquarum; & Augustæ Vindelicorum in tumultu omnes simul comburuntur. *Chron. August.*

1349. Pestis quæ ex India orta hactenus grassata fuerat in Asia, tandem violentissime peruadit & Europam: atque ita pluribus locis seuiit, vt nec fere tertia pars hominum superesset. *Platin. Trithem. Chron. Belg. & alii.* Eius occasione, quasi ad eam sedandam exorta est secta *Flagellantium*: sed breui à Pontifice damnatur, & extinguitur. *Naucler. Trithem. Genebr.*

Mortua Ioanna Nauarræ Regina, filia Ludouici Hutini Regis Francorum, Regnum Nauarræ tenet Carolus filius natus maximus. *Annal. Franc.*

Humbertus Delphinatium Princeps; post amissum filium vnicum, Dominicanorum institutum professus, Regi Francorum Principatum suum vili quidem 40. mille aureorum pretio sed ea lege permittit, vt inter Regum filios natu maximus *Delphini* nomen gereret, & Principatum. *Aemil. Gaguin. Til. Parad. in Chron. Sabaud.* Hincque Carolus Regis Ioannis filius primus Delphinus dictus est anno 1354. *Genebr.*

Clemens PP. VI. Iubilæum à centesimo ad quinquagesimum annum reducit, quod vita hominis centesimum annum non attingeret. *Platin. Genebr.*

1350. Philippvs Valesius Rex Francorum moritur 28. Augusti anno regni 23. Succedit filius *Ioannes*, magni animi Princeps, minime omnium simulator. Regni Francici calamitate nobilis. Is Ordinem Equitum Stellæ auspicatus est. *Aemil. Til. Annal. Franc.* A.C.

Moritur item Alfonsus Castellæ Rex in obsidione Heracleæ in Bætica: succeditque Petrus eius filius. *Taraf. Marian.*

Auenionem Clemens PP. emit à Ioanna Neapolitana eademque Prouinciæ Domina. *Platin. Pandulph. Genebrard.*

Apvd Perpinianum oppidum, in Curia generali 25. Decembris fuit determinatum in Catalonia ne Calendæ à Notariis in chartis scriberentur, nec ab Incarnatione annus Domini, sed à Natiuitate inchoaretur, Ita *Tarafa*; quod tamen ad annum 1358 refert *Genebrardus*: & idem actum ait apud Castellanos an. 1383. in Lusitania an. 1415. ex Vasæo Rem attigit Mariana lib. 3. Sicq; expuncta deinceps fuit Æræ mentio in monumentis publicis Hispaniarum. 1351.

Bellum exortum inter Venetos & Genuenses quinquennale. *Sabell. Blond.*

Magister Equitum in Francia constitutus Carolus Hispanus, e Castellæ familia, creatur Comes Engolismensis, data ei filia Comis Blesensis: eoque perempto à Rege Nauarræ ob priuatas simultates Magister Equitum dictus est Iacobus Borbonius, Ducis Borbonii frater. *Tillius.*

Opera Pontificis pax composita in Regno Neapolitano & Ioanna restituitur, ea lege vt post eius mortem iura Regni omnia essent penes Hungariæ Regem. *Onuphr. Pandulph.* 1352.

Veneti ad Peram Constantinopolim inter & Chalcedonem, magno prælio nauali vincuntur à Genuensibus. *Blond. Sabell.*

Clemens PP. VI. moritur Auenione die 6. Decemb. cum sedisset an. 10. & mēses 7 & die 16. eiusdem mensis sufficitur *Stephanus Alberti*, Lemouicensis, canonista maximus, ex Cardinali Ostiensi; dictus Innocentivs VI. *Platin. Onuphr.*

Ioannes Wicleff Anglus, sacerdos & magister artium, naturali quod à Deo acceperat ingenio cum eloquentia copulato abusus ad impugnandam Ecclesiæ doctrinam, anno secundum Prateolum præsenti, vel secundum Thomam Waldensem 1380. prodiit hæresiarcha. Cuius errorum 45. articuli sigillatim descripti habentur, ac condemnati in Actis Concilij Constantiensis, vbi & iubentur eius ossa exhumari; & ab ecclesia proiici. Præter quos sunt & alii ex eius scriptis à Doctoribus collecti: quos habet vna cum illis aliis. *Gaulter. in sua Chronolog.*

Veneti insigni victoria potiuntur aduersus Genuenses haud procul à Corsica. *Platin. Blond.* 1353.

Ægidius Carilla Cardinalis Hispanus præficitur à Pōtifice Italicis Romanæ Ecclesiæ rebus: qui aliquot annorum spatio, quicquid subtractum erat: reduxit ad iura Summi Pōtificis. *Platin. Blond. Sabel. Volater. Leand.*

Veneti ingenti clade afficiuntur à Genuensibus apud quoddam promontorium Peloponnesi: salutique Venetis fuit, quod Genuenses nescierunt vti victoria. *Platin. Blond. Sabel.* Paxque anno sequenti inter eos acta est. *Leander.* 1354.

Martinus electus Dux Venetiarum maiestatis reus perit. *Blond. Sabell.*

Carolvs Imperator coronatur Mediolani ferrea corona 4. Ianuarii: ac demum Romæ 5. Aprilis ipso die Paschatis Imperialem accipit à Cardinalibus à Summo Potifice ad id delegatis: moxque redit in Germaniam, vti Pontifici sponderat. *Naucler. Cuspin. Trithem.* 1355.

Carolus Rex Nauarræ, dictus Malus, res Galliæ plurimum vexans, & Eduardo Angliæ Regi occulte fauens, capitur Rotomagi in conuiuio à Ioanne Francorum Rege, & Lutetiam in custodiam mittitur. *Froissard. Til.*

Mortuo Ludouico marito Ioannæ Reginæ Neapolitanæ, illa cum Iacobo Taraconensi tertias nuptias celebrat; & postea quartas circa an. 1378. cum Othone Brunsuicense. *Pandolph. Marian.*

Mortuo item Ludouico Siciliæ Rege absque liberis, succedit frater eius Fridericus, dictus Simplex. *Fazel.*

Caro-

A.C. 1356. CAROLVS Imp. in Comitiis Norimbergensib. 10. Ianuarii promulgat Constitutionem *Carolinam*, seu *Auream Bullam* dictam sigillo aureo roboratam; continentem leges & ordinationes de electione Imperatoris, iuribusque Electorum, & gradibus atque auctoritatibus Principum & aliorum Ordinum Imperij. *Onuphr. Naucler. Trithem.*

Luctuosum Francis prælium Pictauiense 19. Septembris inter Ioannem Regem & Eduardum Walliæ Principem filium Eduardi Angliæ Regis; cum Rex numero longe superior conditiones pacis oblatas respuisset. Quapropter in desperationem redacti Angli ingentem referunt victoriam, qua Rex ipse capitur vna cum Philippo filio minimo; Magister Equitum necatus, & plurimi è præcipua nobilitate cæsi vel capti. Carolus Delphinus fuga elapsus Lutetiam tenuit: Rex cum Philippo filio & præcipuis nobilibus in Angliam ductus: factæque postea opera Pontificis in biennium induciæ. *Aemil. Til. Froſſard. Polyd.*

1357. IOANNES Palæologus dictus Caloioannes, filius Iunioris Andronici Imperatoris Constantinopolitani, iam maturæ ætatis, fretus fauore Genuensium & Turcarum, Imperio potitur; detruso in monasterium Ioanne Cantacuzeno, quem vidimus illud nomine tutorio sibi vsurpasse. *Chalcond. Blond. Onuphr.* Genuensibus data Lesbos insula cum ciuitate Mytilene, ob egregiam tunc nauatam operam. *Genebr.*

Alfonsus Lusitaniæ Rex moritur mense Iulio: succedit Petrus eius filius. *Marian.*

Dauid Rex Scotiæ è custodia Anglica dimittitur redemptione pecuniæ. Qui cum in Scotiam rediisset, retulit ad Regni Comitia de Regno Scotico ad Anglum transferendo, vt in custodia se facturum spoponderat sed reiectum hoc fuit non sine animorum indignatione. *Hist. Scot.*

1358. INTESTINIS dissensionibus tantum non perit nunc Gallia; Nauarræ Rege è custodia dimisso turbas passim excitante, ac plebe in Regios Magistratus exurgente; dum Delphinus Regni Rectorem ageret. *Aemil. Til. Froſſard.*

In Hispania quoque multi principes viri Castellani à Petro Rege cædi iubentur: Henricus frater eius nothus fugit ad Aragonium Castellani hostem, & inde oritur grauius bellum. *Marian*

Amurathes filius Orchanis, defuncto patre, ac fratre Suleimano, Turcarum Regem agens, aliquot iam antea vrbibus in Europa captis, hoc anno (vt plurium est sententia, cū alii alios annos assignent) vsus nauibus Genuensium, per Hellespōtum transmisit in Thraciam exercitum Turcarum; specie quidem iuuandi Imperatorem contra rebelles Despotas, sed reuera vt occuparet (quod & fecit) præcipuas ciuitates Philippolim, Hadrianopolim, aliasque: quibus captis, Ioannem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum vectigalem fecit, accepto obside eius filio. *Hist. Turc.*

1359. EXACTO inducIarum tempore, aliquot præliis certatum est inter Francos & Anglos diuersis prouinciis; quibus aliquātulum cum Francis felicius actum est, Nauarræo iterum ad eorum partes redeunte: cum interim vrgeret Pontifex, & alii Principes pro pace, & Regis liberatione. *Froſſard.*

Calogerius, dictus Calixtus, creatur Patriarcha Constantinopolitanus. *Onuphr.*

1360. CVM Ioannes Francorum Rex detentus ab Anglis nunquam induci potuisset vt se beneficiarium Angli profiteretur; tandem inita pace ad Britiniacum 8. Maij, confirmata Caleti 24. Octobris, exuit se Anglus iure, si quod in Regnum Franciæ illi exstitisset; ea lege vt iure supremo regioque haberet totam Aquitaniam & Caletium: hisque conditionibus, atque insuper promissis tricies centenis aureorum millibus, datisque filiis obsidibus, Rex dimissus redit Lutetiam. *Aemil. Polyd. Annal. Franc.*

1361. IOANNES Palæologus Imperator Constantinopolitanus auxilio Turcarum hostes debellat: vnde Turcis permittit possidere quæ iam tenerent. *Sabel. Annal. Turc.*

In Anglia decernitur vt actiones forenses deinceps fierent lingua Latina, vel Anglica; nō Gallica, aut Nortmannica, vt antea.

Post Calixtum, eligitur Constantinopoli Patriarcha Philotheus, seu Philetus. *Onuphr.*

1362. INNOCENTIVS PP. VI. moritur Auenione 12. Septembris, cum sedisset an. 9. mens. fere 9. In cuius locum eligitur 28. Octobris *Guielmus de Grisaco* prouinciæ Tolosanæ, Abbas S. Victoris Massilienſis, nec Cardinalis, nec præsens; dictus VRBANVS V. *Onuphr. Platin.* A.C.

Mortuo Philippo Burgundionum Duce, succedit Ioannes Rex Francorum, quod ex Ioanna Philippi Ducis amita procreatus esset. Ipse vero Ducatum tradidit Philippo filio suo audaci dicto, qui secum captiuus fuerat. *Aemil alii.*

Petrus Castellæ Rex eladem accipit à Mauris, & nihilominus Granatæ Rex fœdus cum eo facit: sed Petrus eum fraude interceptum occidit; interempta paulo ante vxore sua Blanca Borbonia. *Marian.*

1363. CVM Petrus Lusinianus Rex Cypri venisset in Galliam ad petenda auxilia contra Infideles; Ioannes Rex expeditione ad hoc parata eo profecturus, prius in Angliam transmisit, vt de obsidibus datis & securitate pacis transigeret: sed ibi morbo oppressus diem clausit Londini anno sequenti. *Froſſard. Annal. Franc.*

S. Brigitta vidua ante Suetiæ Regina, cuius sunt Reuelationes quæ extant, veniens ad Vrbanum PP. confirmationem impetrat Regulæ Ordinis à se instituti. *Naucler. Volater.*

1364. MORITVR Londini Ioannes Rex Francorum anno Regni 14. cuius corpus continuo translatum est Lutetiam. Succedit vero in Regnum filius *Carolus* huius nominis Quintus, dictus *Sapiens*. qui bella per fratres ac præfectos gessit, & feliciter, reparatis anteacti temporis damnis. *Annal. Franc.*

Milites, qui pace inter Francos & Anglos constituta Gallias Germaniasque vastabant, data pecunia tandem amandati sunt ad bella Italica & Aragonica. *Froſſard.*

1365. IN Minori Britannia, cum per annos multos certatum fuisset inter Comites Blesensem & Monfortium de possessione eius prouinciæ, tandem occiso in prælio Carolo Blesensi, pax à Ludouico Regis fratre ita firmata est, vt Britannia Montfortij esset, sed beneficiaria Regis. *Aemil. Til.* Ex hac concordia Carolus Sapiens totius Regni pacem est consecutus.

Cum Petrus Castellæ Rex, tum ob alias sæuissimas in suos exhibitas crudelitates, tum ob necem coniugis, odio omnibus existeret, & à Pōtifice Regno inutilis iudicaretur; Henricus frater eius nothus collectū in Gallia exercitum è vagis illis ac palantibus militibus, de quibus anno superiori, in Hispaniam ducit aduersus fratrem. *Marian.*

1366. HENRICVS adiutus ab Aragonio Petrum regno deturbat, ipseque Rex Castellæ & Legionis proclamatur: Petrus nullibi in Hispania receptus, fugit cum thesauris Baionam in Aquitania ad Eduardum Anglum Walliæ Principem. *Froſſard. Marian.*

Seruij dum Hadrianopolim recuperare conantur, ab Amurathe Turcarum Rege ingenti clade afficiuntur. *Annal. Turc.*

Vrbanus PP. Romam petit post egregiam victoriam ab eius Legato de rebellibus partam, ac triennio hæsit. *Blond. Platin.*

1367. PETRVS Castellanus cum exercitu Walliæ Principis in Hispaniam rediens, Henricum fratrem prælio vincit & Regno restituitur; ac principes ciuitatum qui defectionem ad Henricum suaserant, omnes interficit. & odium subditorū auget: quodque stipendium militibus Anglis promissum non solueret, Princeps Walliæ eos in Vasconiam reducit. *Marian, Froſſard Aemil.*

1368. PETRVS Rex Lusitaniæ moritur 18. Ianuarij, succedit Ferdinandus eius filius. *Hist. Portugal.*

Moritur item Fridericus Rex Siciliæ, relicta vnica filia. *Fazel.*

Henricus nothus collecto in Gallia exercitu in Hispaniā redit, & vbique recipitur: Petrus autem, vt se defendat, Maurorum auxilia euocat. *Marian.*

Carolus Imp. à Pontifice rogatus Italiam venire ad tumultus compescendos, eo accessit, vxorem Romæ Augustam coronari fecit; & nullo alio operæpretio, colligendis præcipue pecuniis intentus, in Germaniam regreditur. *Naucler. Blond. Cuspin.*

Iesuatorum Ordo religiosus (sic dictorum, quod nomen

A.C.

Iesv frequens esset in ore eorum) Senis initium accipit à S. Ioanne Columbino. *Sabell. Polyd.*

1369. Henricvs Rex Castellæ Petrum tandem mense Martio prælio victum, ac è fuga reductum, securi percutit: indeque alios quosdam ius sibi in Regnum sumentes, comprimit. *Marian.*

Armeniacus, & Vasconiæ proceres, quod tributis nimis premerentur ab Anglis, prouocant ad Regem Francorum: quapropter Eduardo Walliæ Principi ad causam agendam die dicto, cum renueret, renouatur bellum aduersus Anglos, à quibus deficiunt multi. *Froissard. Aemil.*

Dauid Rex Scotiæ moritur sine liberis: Rexque eligitur Robertus Stuartus Roberti Brusei ex filia nepos; cuius familia adhuc rerum potitur. *Boet. Leslæ.*

Vrbanus PP. Roma redit Auenionem, studio sedandi Anglicanum bellum. *Blond, Platin.*

1370. Angli per Caletium in Galliam immissi, omnia diripiũt, incendunt atque: quos Dux Burgundiæ Philippus cum Regis exercitu, nulla data pugnæ copia, subsequens, sensim delet. *Froissard. Contin. Nangis. Polyd.* quod & sequentibus annis similiter præstitit.

Casimirus Poloniæ Rex, Magnus ob res præclare gestas dictus, moritur absque prole mascula mense Nouembris. Succeditque, qui iam olim à Proceribus approbatus fuerat, nepos Ludouicus Hungariæ Rex. *Cromer.* Nuncque cœpit Polonia externos habere Reges, à quibus feliciter Res Polonica administrata est.

Vrbanus quoque PP. V. moritur Auenione 19. Decembris, cum sedisset an. 8. mens. 3. In cuius locum suffectus est die 29. eiusdem mensis *Petrus Rogerius* Lemouicensis, Clementis Sexti fratris filius, Cardinalis titt. S. Mariæ Nouæ: dictusque Gregorius XI. *Platin. Onuphr.*

1371. Henricvs Rex Castellæ classem mittit in oram Gallicam; cuius ope Franci ad Rupellam Anglos insigniter vincunt: resque etiam terrestres prospere iis vbique succedunt. *Aemil. Til. Froissard. Polyd.* Rex quoque Nauarræ reconciliata prius cum Rege gratia, nunc primum eum conuenit.

Ioannes Wiclefus multa scribit contra Ecclesiæ doctrinam: (*vid. sup. an.* 1352.) ex cuius libris *Ioannes Hussius* hæreses hauriens, eas paulo post per Boemiam spargit. *Aene. Silu. Hist. Boem.*

1372. Occiso improbe Petro Rege Cyprio, semper deinceps res illius Regni in deterius prolapsæ sunt: cum & Genuenses, quod eorum Legati in solemnitate coronationis filij Petri postpositi fuissent Legatis Venetis, Cyprum hostiliter vastarunt, & Iacobum nouum Regem iniquis conditionibus pacem redimere coegerunt. *Platin.*

1373. Secta *Turelupinorum*, seu Cynicorum, ferina & agrestis, damnatur, & flammis addicitur, ac penitus eraditur tempore Gregorij XI. nunc sedentis; tum propter Beguardorum errores quibus adhærebant; tum quod nihil pudere quempiam debere dicentes eorum quæ à natura accepimus, pudenda ostentabant, ac coibant propalam; & quod voce non esse orandum, sed solo corde esse asserebãt. *Bern. Lutzemburg. Prateol Sander. Genebr. Aemil. Gaulter.*

Inter viros hoc æuo præcipue nominatos, viuebant Maximus Planudes Græcus Grammaticus; Franciscus Petrarcha & Ioannes Bocacius, Hetrusci poetæ oratores, & philosophi; Humbertus Abbas Pruliacensis, Bartholomæus Pisanus, Richardus Noringhamius, Paulus Burgensis, & alij plurimi Theologi.

1374. Scoti misso in Galliam Cardinale Glascoense, renouãt fœdus cum Francis: moxque bellum Anglis inferentes, eos ad Ottirburnum oppidum insigni prælio vincunt. *Boet. Leslæ.*

Emmanuel, vnus ex filiis Ioannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani, accusatus conspirationis in Amurathem Turcarum Regem, priuatur ab eo principatu Thessalonicensi. *Chalcondyl.*

Macarius Caloierus Patriarcha Constantinopolitanus creatur post Philotheum.

1375. Carolvs Francorum Rex fert legem de filiis Regum consecrandis anno ætatis decimoquarto, quando mortuis parentibus ipsi impuberes relicti sunt. *Til.*

Vladislaus Iunior, Vladislai Poloniæ Regis nepos, monachus in monasterio S. Benigni Diuionensis, inuitatur dispensatione Pontificia ad Regnum Poloniæ capessendum; vt habet eius Epitaphium sepulchro insculptum in eodem monasterio: cuius tamen nulla mentio in Historia Polonica.

A.C.

1376. Gregorivs PP. XI. cum bellis Italiæ in dies renascentibus nullus finis inueniretur, hortante maxime *S. Catharina* virgine Senensi Ordinis Dominicani monialium auctrice, (cuius ad Gregorium exstant 12. epistolæ) & Baldo Iurisconsulto Perusino; vt iis malis mederetur, Sedem Pontificiam Romam referre constituit, quæ ante 71. annos fuerat Roma ob Italicas seditiones Auenionem translata. Quare mense Septembri Auenionem deserens, peruenit Romam sequenti Ianuario. *Platin. Onuphr. Volater. alii.*

Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, ab Andronico filio ope Genuensium antea pulsus, nunc ope Venetorum restituitur: quibus propterea Tenedus insula data est, erepta Genuensibus. *Blond. Sabell. Platin.*

Carolus Imperator Germaniæ multa Electoribus promissa pecunia efficit, vt filius suus Wenceslaus creetur Romanorum Rex anno ætatis 15. Cum vero Carolus promissam pecuniam dare non posset, ipsis publica Imperij vectigalia oppignerauit, & multas vrbes Principibus vendidit: vnde Imperium fere ad nihilum redactum est, nec caput iterum attollere potuit. *Aen. Silu. Cuspin.* quando (vt egregie dixit qui tunc viuebat Petrarcha) Romanum Imperium, cui nihil olim defuit nisi modicum Orientis, nihil nunc possidet nisi modicum Occidentis.

1377. Edvardvs Rex Angliæ moritur: succeditque Richardus eius nepos ex Eduardo filio Principe Walliæ anno superiore defuncto, puer vndecim annorũ. *Froissard. Polyd. Aemil.*

Amurathes Turcarum Rex, post deuictos Bulgaros & Seruios, gestaque magna felicitate maxima alia bella in Asia & Europa, in ipsa Seruica expeditione a priuato quodam occiditur. Imperatque filius Baiazethes, qui in Macedoniam, Epirum, & Hungariam sequentibus annis penetrauit. *Chalcondyl. Egnat.*

Mare 16. Nouembris ruptis aggeribus irrumpit in Flandriam, & plures quam septemdecim pagos submergit. *Annal. Bland.*

1378. Gregorivs PP. XI. moritur Romæ 26. Martij, cum sedisset an. 7. mens. 3. & dies 7. Post cuius obitum, dum Italia Romaque armis Pontificem Italum, Galli (ac præcipue Lemouicensium factio) Gallum expeterent; primum Romæ electus est die 2. Aprilis *Bartholomæus* Neapolitanus Barensium Archiepiscopus, vocatus Vrbanvs VI. Postea vero cum Vrbanus vitia temporum tollere conaretur, nec purpuratis parceret, (inquit Æmilius) Cardinales post tertium ab eius electione mensem, Anagniam dissimulantes, indeque Fundos digressi, fretique auctoritate Ioannæ Reginæ Neapolitanæ, vim in electione Vrbani illatam causantes, eligunt mense Septembri *Robertum* Cardinalem Gebennensem, qui dicit voluit *Clemens VII.* & Auenionem se recepit. Inde Schisma ingens ortum, quod durauit 40. annis. Itali (præter Reginam Neapolitanam) Germani, Angli, Hungari Vrbanum, (pro quo etiam recitat Æmilius plurimorum magnorum virorum sententiam) Galli & Scoti Clementem, Hispani quidam hunc, quidam illum probarunt. *Platin. Froissard. Aemil. Marian. Genebr.*

Carolus quoque Imperator, Caroli Francorum Regis auunculus (quippe cuius soror Bona nupserat Ioanni parenti Regis Caroli) post reditum ex Gallia (quo se contulerat pacis spe constituendæ cum Anglis) morbo correptus moritur Pragæ in Boemia auito Regno 29. Nouembris, cum post Ludouici Bauari abdicati obitum imperasset annis 31. diebus 50. sed à prima eademque legitima electione an. 32. & mens. 4. *Naucler. Cuspin. Auent. Mechou.* cum tamen *Onuphr.* notet Februarium anni sequentis. Post quem solus imperauit, qui iam ante biennium creatus Romanorum Rex fuerat, filius eius *Vvenceslaus*, patri longe absimilis, (inquit Æneas Siluius) voluptatum sequax, labores fugiens, vini quam regni curiosior. quem etiam propter socordiam tandem ab Electoribus depositum, videbimus suo loco.

1378.

Cum hactenus Tartari Moscouiam obtinuissent, hoc anno Demetrius eis rebellat, eosq; magno prælio vincit idemq; accidit tertio post anno: sed ann. 1383. à Tartaris iterum

vinci

A.C.

vincitur & Moscouiam regiam vrbem amittit. *Hist. Moscouit.*

1379. IOANNA Regina Neapolitana Clementem comitata Auenionem, spe liberorum frustrata, adoptat Ludouicum Andegauensem, Caroli Regis fratrem. *Froissard. Pandulph.*

Henricus Castellæ Rex moritur 30. Maij veneno exstinctus. Succedit Ioannes filius eius. *Froissard. Marian.* quod Tafa ante biennium ponit.

Genuensium classis Venetam profligat; ac Genuenses Fossa Clodia, aliisque Venetorum oppidis potiuntur. *Sabell. Blond.*

1380. CAROLVS Francorum Rex moritur 16. Septembris, cum 16. annis regnasset. Succedit filius eius Carolus huius nominis VI. ferme duodennis cognomento Beneamatus: cui ex testamento patris dati sunt tutores Philippus Burgundiæ Dux, & Dux Ioannes Borbonij, ille patruus, hic auunculus eius: Ludouicus vero maior natu patruus Dux Andium, cõstitutus est Rector Regni *Froissard. Aemil. Til.*

Nunc adinuenta ad hominum vrbiumque exitium, tormenta illa bellica quæ vulgo Bombardæ (à βόμβος, hoc est, sonus) nominantur, apud Venetos, à Bertholdo quodam Schvvartz siue Nigro, natione Germano, & professione (vt nonnulli volunt) monacho, artis chimicæ perito: quibus primum vsi sunt hoc anno Veneti in recuperãda Fossa Clodia *Sabell. Blond. Polyd. de rerum inuẽtione.* Nauclerus tamen hãc inuentionem refert ad an. 1354.

In Perfidem his fere annis inuexit nouum religionis ritum quidam eius regionis Regulus Sophi appellatus, qui se ex Alis generi Mahometis stirpe oriundus gloriabatur: adeoque inualuit secta, vt qui postea fuerunt Persarum Principes inde Regni & Religionis originem traxisse putentur. *Cal. Aug. in Hist. Saracen.*

1381. LEO Rex Armeniæ hisce temporibus in Hispaniam & Galliam venit, pacem conciliaturus in Europa, & arma contra Saracenos excitaturus: sed in ipso conatu moritur. *Marian.*

Parisiis & Rotomagi in Gallia plebs ob aucta vectigalia tumultuatur: (nec tamen soluebantur militibus stipendia) Quamuis Rex Carolus Sapiens non nisi anno præterito decedens, duodecies centena aureorum millia (Gaguinus & Annales octodecim milliones dicunt) in regio ærario reliquisset. *Froissard. Aemil.* Tantæ opes momento dissipatæ, Regis impuberis & Rectorum culpa.

Idem ob vectigalia malum & Anglos ad tumultum impulit, accedente apud plebem falsa opinione, debere omnia esse communia. *Froissard. Polyd.*

Carolus Dyrrachinus (filius alterius Caroli Dyrrachini, qui pro Ioanna Regina Neapolitana stans, fuerat à Ludouico Hungariæ Rege fratre Andreassi eiusdem olim Ioannæ viri in Neapolitana expeditione interfectus) ab Vrbano PP. ex Hungaria euocatus, Italiam armatus intrat; Romæ à Pontifice Senator creatur, & Rex Neapolis coronatur: indeque aduersus Ioannam exercitum mouens, Neapolim capit, ac toto Regno potitur mense Septembri: idemque suasione prædicti Regis Ludouici eandem Ioannam anno sequenti, eodem loco strangulat quo ipso Andreassum strangulauerat & Mariam Ioannæ sororem capite plectit. *Onuphr. Bonfin. Pandulph.*

Pax constituitur inter Venetos & Genuenses mense Augusti, opera Ducis Sabaudiæ. *Blond. Sabell. Platin.*

1382. FRANCORVM Rex ducto in Flandriam exercitu, rebelles Comitiuo factiones vincit, cæsis acie ad 20. millia. *Froissard. Annal. Fland.*

Pax conciliata inter Reges Castellæ & Lusitaniæ, post aliquot annorum bellum. *Froissard. Marian.*

Ludouicus Rex Hungariæ & Poloniæ moritur mense Septembri, duabus relictis filiabus; quarum altera Maria dicta, nupta Sigismundo filio Caroli IV. Imperatoris, Hungariæ destinata fuit: altera Hedvvigis nominata Polonis data, & triennio post ab eis Iagelloni Lithuaniæ Duci in matrimonium collocata *Cromer.*

Concilio Londini in Anglia habito, damnatur Wiclefus. *Th. Wald. vid. an.* 1352.

1383. MORITVR Ferdinandus Lusitaniæ Rex mense Octobri. Debebatur Regnum Beatrici filiæ vnicæ, quæ matrimonio locata erat Ioanni Regi Castellano. At Lusitani Castellanis infensi, Regem petunt Ioannem, quem alij Dionysium appellant, prædicti Ferdinandi fratrem nothum, Auisij Magistrum. Hincque renouatum bellum inter eos populos *Froissard. Marian.*

A.C.

Ludouicus Andium Dux, quem adoptatum vidimus à Ioanna Neapolitana, coronatur à Clemente Antipapa, armis regnum petit aduersus Carolum Dyrrachinum: sed, si creditur Pandulpho Collenutio, victus Ludouicus obiit anno sequenti. At eius obitum alij ad posteriora tempora referunt.

1384. CERTANTIBVS inter se Ioanne Palæologo Caloioanne Imperatore Constantinopolitano, & Andronico eius filio, de Imperio; Andronicus auxilio Baiazethis Turcarum Regis illud occupat, coniecto patre & fratre Emanuele in carcerem: & in verba iurans Baiazethis, eius se clientem ac tributarium profitetur. *Chalcond.* Sed perturbata non nihil habentur harum turbarum tempora apud auctores & chronographos, cum alioqui de rebus gestis concordent.

Mortuo mense Februario Ludouico Flandriæ Comite, succedit eius filia Margarita vxor Philippi Audacis Burgundiæ Ducis patrui Caroli Regis: qui anno sequenti sua prudentia bellum intestinum Flandriæ sopiuit, quo ceciderant ad ducenta hominum millia. *Froissard. Annal. Flandr.*

1385. CAROLVS Rex Francorum tres tantum Liliorum Flores pro insigni regio voluit deinceps exstare; cum antea incertus liliorum numerus poneretur, seu (vt loquuntur) absque numero, quod tamen *Tilius* refert sub an. 1381.

Ioanne Lusitano (de quo an. 1383.) mense Aprili proclamato Rege, & Ioanne Castellano aduersus eum agente, dimicatum est mense Augusto magno certamine ad Aliubarrotam, quo Castellanus victus est: huiusque victoriæ memoriam Lusitani anniuersario festo celebrare consueuerunt. *Froissard. Marian. Hist. Portugal.*

Iagello Dux Lithuaniæ vocatus à Polonis, vxorem accipit Hedvvigem (sup. an. 1382.) legitimam Regni hæredem, ea conditione vt Christianus fiat: qui baptizatus mense Februarij nomen sumit Ladislai; cuius & octo fratres nomen Christo dederunt. *Cromer.*

1386. CAROLVS Dyrrachinus Rex Neapolis, inuitatus à Proceribus Regni Poloniæ, eo accedit ad Regnum occupandum: sed à Regina Elisabetha matre Mariæ (*an.* 1382.) conuiuio exceptus, trucidatur ea iubente: indeque ortis intestinis dissensionibus, eadem ipsa Regina necatur: ac tandem rerum potitur Sigismundus cum Maria, sumpto supplicio de Reginæ occisoribus. *Bonfin. Dubrau. Marian.*

In Neapolitano quoque Regno conciratæ sunt turbæ in Margaritam prædicti Caroli viduam: sed regnat tamen Ladislaus eius filius. *Onuphr. Marian. Pandulph.*

Paratur in Gallia ingens classis ad traiiciendum in Angliã: (1200. nauium fuisse dicitur:) sed nouis casibus ea dissoluta est re infecta. *Aemil.*

1387. IOANNES Palæologus cum Emmanuele elapsus è custodia filij Andronici, efficit apud Baiazethem vt Emmanuel haberet Imperium Constantinopolitanum sub tributo annuo. Et Andronicus vixit deinceps apud Turcas in aula Principis. *Chalcondyl.*

Motus in Anglia inter Regem & patruos, post conflictũ (quo patrui superiores fuerunt) sedantur. Leceſtriesis Dux, rebus male gestis in Hispania aduersus Castellanum pro Lusitano (Borbonio è Gallia submisso, qui Castellanum iuuaret) redit in Angliam. *Froissard.*

Moritur nouo casu Carolus Rex Nauarræ, dictus Malus; dum vir intemperantia exhaustus, vt reficeret vires, insutus linteis aqua ardente perfusis, admota imprudenter filo secando candela, flammamque materia concipiente, idem exustus qui Galliæ fax fuerat, intra biduum misere expirauit. *Aemil Til. Annal. Franc.* Succedit Carolus eius nominis secundus Princeps sapiens, pacisque amans.

Lithuania & Samogithia, annitente Principe suo Iagellone Poloniæ Rege, deposita Gentilicia idololatria, Christianam fidem amplectuntur. *Cromer. Mechou.*

Moritur in Anglia Wiclefus hæresiarcha: cuius cadauer 40. post annis Martini PP. V. iussu exhumatum, ac publice crematum est

MOR

A.C.

1388. Mortvo Petro Aragoniæ Rege 6. Ianuarij, regnat filius Ioannes. *Froſſard. Taraſ. Hiſt. Arag.*

Ciuitates Germaniæ conſpirant in Principes: ſed ab iis grauibus affectæ cladibus quieſcunt, fœduſque hoc perniciosum diſcutitur. *Trithem.*

Pariſienſis Academia commouetur in Dominicanos, quod in cõcionibus aſſererent Beatam Virginem Dei matrẽ in originali peccato conceptam. *Annal. Franc.*

1389. Vrbanvs PP. VI. menſe Aprili promulgata conſtitutione decernit, vt 30. quiuis annus ſit Iubileus, ſecundum ætatem Chriſti, qui 30. annorum baptizatus prædicare cœpit: eaque ratione vult vt ſequens annus 1390. ſit Iubileus. Deinde conſtituit, vt feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis celebretur 2. Iulij, vt ipſa ſua interceſſione Eccleſiæ vnionem reſarciat, & vnitam conſeruet. *Platin. & alii.*

Idem vero Vrbanus poſt hæc, nempe 15. Octobris, moritur Romæ, poſtquam ſediſſet an. 11. menſ. 6. dies 12. Suffectus eſt à Cardinalibus qui erant in Italia die 2. Nouembris *Petrus Tomacellus* Neapolitanus, Cardinalis S. Anaſtaſiæ, annos tantum 30. natus; dictus Bonifacivs IX. cum adhuc Clemens occuparet ſedem Auenionenſem. *Froſſard. Platin. Onuphr.*

Margarita Regina Daniæ bellum gerit cum Alberto Rege Sueciæ: eumque captum ſeptem annis in vinculis detinet.

1390. Robertvs Rex Scotiæ moritur menſe Aprili: ſuccedit filius Ioannes, qui & ipſe dici voluit Robertus eius nominis III. *Maior. Boet. Leſlæ.*

Ludouicus Andium Dux, prioris Ludouici in Italia mortui filius, coronatus & ipſe à Clemente Auenione Rex Neapolitanus, exercitum ducit contra Ladislaum; ſed irrito conatu. *Pandulph.*

Noui Orbis pars Borealis, quæ verſus Groenlandiam, Islandiam, & Frislandiam Inſulas extenditur, & à chronographis Eſtitolandia nominatur, à quibuſdam Frislandiæ piſcatoribus tempeſtate ad eius littora appulſis olim luſtrata, ſed obliuioni tradita, circa hunc annum à quodam Ant. Zeno nobili Veneto auſpiciis Zichmi dicti Frislandiæ Regis denuo recognoſcitur. *Ortel.*

Incurſione à multis Gallis, Anglis, Italis, vna iunctis in Africam aduerſus Saracenos facta plurimi Chriſtiani è ſeruitute liberantur. *Aemil.*

Bonifacius PP. Eccleſiam Olyſipponenſem metropolim Luſitaniæ facit. *Genebrard. Marian.*

1391. Ioannes Caſtellæ Rex ludibundus equo excuſſus moritur: ſuccedit filius Henricus puer vndecim annorum. *Marian.* quod *Tarafa* ad an. 1388. refert.

Baiazethes Turca tota ferme Aſia Minori potitur; & in Europa, Theſſalia, aliiſque prouinciis. *Chalcond.* Cumque Imperatorem Conſtantinopolitanum iam quaſi pro ſeruo haberet, & niſi faceret quæ ipſe vellet mox & bellum inferret; Vrbem Conſtantinopolim his iiſdem temporibus obſidere cœpit; eamque obſidionem ad octo vel decem annos modicis aliquibus interſtitiis protraxit: vt omnes rerum Turcicarum Scriptores teſtantur; quamuis de tempore non adeo conueniant, turbata horum temporum rerum geſtarum ſerie.

Anglorum Comitiis Weſtmonaſterienſibus impie ſtatuitur, nulla vt deinceps fieret ad Pontificem prouocatio, nullaue eſſet ei in Anglia excommunicandi poteſtas. *Polyd.*

1392. Cvm Wenceslaus Imp. non ſolum totus in voluptatibus volutaretur, ſed etiam tyrannice cum plurimis ageret; hæc pertæſi Regni Boemici Proceres, eum aliquoties captiuum habuerunt; qui tamen variis artibus ſemper elapſus eſt, & nihilo melior factus. *Dubrau.*

Carolus Rex Francorum in expeditione Britannica, ira, æſtiuo calore, aliiſque incommodis, ſubito in phreneſim incidit: nec vnquam ita reſtituta eſt mens, vt ei omnino ſideretur: quare patruis eius Regni cura demandata eſt. *Froſſard. Aemil.*

1393. Moritvr Auenione Pſeudopontifex Clemens 16. Septembris. Eodemque menſe ſuffectus illi eſt Petrus de Luna natione Aragonius, dictus *Benedictus XIII. Onuphr. Marian.*

Wicleniſtarum hæreſi incipiente late ſpargi in Germania, hoc anno Auguſtæ Vindelicorum inquiſitio in hæreticos inſtituta fuit, & multi combuſti. *Annal. Sueu. Vid. ſuper an.* 1352.

A.C.

1394. Concilivm Pariſienſe omnium Galliarum Antiſtitum agente Carolo Rege celebratur contra Schiſma Petri de Luna Antipapæ: qui illic depoſitus, cedere tamen noluit. *Annal. Franc.*

Poſt obitum Friderici Regis Siciliæ, ſuccedit vnica filia Maria; quæ nupta eſt Martino Lunæ Comiti, filio alterius Martini fratris Regis Aragoniæ. *Taraſ.*

Bonifacius PP. circa hæc tempora indicit Annatas, ſeu annuos redditus vacantium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, Pontificio fiſco ſoluendorum ob neceſſitates belli aduerſus Infideles. Cuiuſmodi conſtitutionem & iam antea edidiſſe dicitur Ioannes XXII. *Genebr. Plat.*

1395. Sigismvndvs Rex Hungariæ Francorum auxilio inſignem refert victoriam de Turcis Hungariam inuadentibus. *Froſſard. Chalcond.*

Wenceslaus Imperator ingenti pondere auri exoratus (inquit *Aemilius*) Ioannem Galeatium ſocerum Ducis Aurelianenſis, Ducem conſtituit Mediolanenſem: cuius multum creuit potentia in Italia; ſed eo mortuo, tota pene concidit. *Blond. Sabell.*

Iudæi ſæpe eiecti ac recepti, nunc tota Gallia penitus eiiciuntur; annum enim hunc ipſi in ſuo Calendario definiũt. *Genebr.*

1396. Hungaris & Francis in auxilium Græcorum Nicopolim in Myſia obſidientibus, Baiazethes Rex Turcarum Conſtantinopolitanam obſidionem ſoluit, & cum ingenti exercitu aduerſus eos properat. Vnde inito ad Nicopolim acerrimo prælio 28. Septembris (quo cæſa ſunt Chriſtianorum viginti, Turcarum ſexaginta millia) victoriam Baiazethes obtinuit. Gallorum Duces magna ex parte vna cum eorum principe Ioanne filio Philippi Burgundi capti: Sigiſmundus Rex Hungariæ vix parua cymba Danubium traiiciens euaſit. Quam cladem *Bonfin. Leoncla. Froſſard.* & alij ad hunc annũ referunt: ſed Annales Turcici ad an. 1392. Ceterum poſt victoriam adeptam Baiazethes continuo ad obſidionem Conſtantinopolitanam rediit. Ioannes Burgundus ſoluta redemptione libertatem recuperat. Sigiſmundus Rex peſſime à ſuis receptus eſt; & Ladislaus Neapolitanus ad Regnum vocatus. *Dubrau.* Emmanuel autem Imperator Græcorum, relicto Ioanne filio fratris ſui Conſtantinopoli, Italiam & Galliam percurrit petens auxilia, ſed irrito conatu. *Chalcond.*

Ioannes Aragoniæ Rex in venatione ex ſpectri terrore lapſus equo, moritur 19. Maij: ſuccedit Martinus eius frater tum in Sicilia abſens cum filio. *Marian. Taraſ.*

1397. Tamerlanes Scytharum, ſiue Tartarorum Rex, humili loco natus, ſed bellicis artibus clariſſimus, qui ſe iram Dei & Orbis vaſtitatem eſſe dicebat; cum primo Parthos domuiſſet, ac Perſas; moxque Aſſyriis, ac demum toti Aſiæ ira dediſſet; & ſemper victor, felixque ad miraculum, totius Aſiæ ſpoliis ditatus fuiſſet; habens ſub ſignis peditum ſexcenta millia, equitum quadringenta: arma etiam conuertit in Baiazethem Turcarum Imperatorem; eundemque omiſſa obſidione Conſtantinpolitana ipſi occurrentem prope Stellam montem in finibus Galatiæ Bithyniæque, magno prælio fudit, occiſis ducentis Turcarum millibus; retractumque è fuga, ac cauea ænea clatrata in modum feræ incluſum; per totam Aſiam in ludibrium circumtulit, vtens eius dorſo pro ſcabello, quotieſcunque conſcenſurus equum eſſet: donec quatuor ferme poſt annis idem ipſe Baiazethes mortem ſibi conſciuit capite ad caueam alliſo. Hanc porro hiſtoriam cum plurimi ſcribant, variant tamen in annorum conſignatione; dum aliqui hoc anno, alij ſequenti, vel etiam 1399. aut vlteriori collocant. Nobis ſatis hiſtoriam recenſuiſſe: in qua digerenda ſuum cuique iudicium eſto. Deſcripſerunt autem illam *Chalcond. Perandin. Annal. Turc. Aen. Silu. &c.* Hæcque à Tamerlane illata Turcis clades, Turcicorum quoque Imperatorum ſeriem interturbauit.

1398. Wenceslavs Imperator plurima ſuorum admonitione, vt Schiſma Pontificium tolleretur, ad Regem Francorum proficiſcitur Rhemos tempore Quadrageſimæ. Cum

A.C.

quibus & ceteri Principes, eiusdem diuturnitate dissidij fessi, vrgentes Bonifacium Romæ, & Benedictum Auenione, vt se abdicantes locum facerent nouæ electioni; Bonifacium quidem audientem habuerunt, sed Benedictum renuentem: qui proinde iniecto metu vexatur, & obsessus ab inimicis in Palatio Auenionensi, à suis deseritur. *Froſſard. Marian.*

Antonius Caloerius Patriarcha Constantinopolitanus post Nilum. *Onuphr.*

1399. CVM anno superiori defuncto Ioanne Leceſtriæ in Anglia Comite patruo Richardi Regis, eius bona sibi Rex sumpsisset, exheredato eius filio Henrico; hoc anno conspirantes in Regem Anglieundem Henricum è Gallia, quo se receperat, reuocatum, Regem cteant eius nominis Quartum: ipsoque Richardum carceri mancipat, atque ibi mori cogit. *Froſſard. Polyd. Aemil.*

Alborum secta exoritur, cum quidam Presbyter ex Alpibus descendens, collecta ingenti hominum turba, omnibusque vestibus lineis albis indui iussis, Cruce prælata specie religionis atque reformationis Italiam turbare cœpit: quem Vrbanus Pontifex Viterbij captum supplicio affici iussit: atque ita secta dissipata est. *Volater. Genebr.*

1400. CELEBRATVR Annus Iubileus Romæ. *Platin. Onuphr.*

In Germania Wenceslaus Imperator ob ignauiam & vinolentiam ab Electoribus, post multas & frequentes ei fruſtra factas admonitiones, Imperio deiicitur 20 Augusti, anno Imperij 22. & in eius locum subrogatur *Rupertus* (siue Robertus) Comes Palatinus Rheni; coronatus Coloniæ, quod Aquisgranenses eum recipere nollent. *Trithem. Onuphr. Cuspin.*

Hoc anno per brumam gelu terras ac maria ita cõstrinxit, vt sicco vestigio è Lubecca per mare in vrbem Sundensem, & inde in Daniam peruenireturr; eaque opportunitate vsi milites Teutonici Massagetis bellum prospere intulerunt. *Crantz.*

Hoc tempore in Italia litterarum & linguarum studia reuiuiscere cœperunt; cum plurimi doctissimi Græci immanitatem Turcicam fugientes in Italiam secesserunt: inter quos fuit *Emanuel Chrysoloras* Byzantinus ex illustri familia oriundus: qui à Ioanne Palæologo Imperatore Constantinopolitano missus vt Regum opem imploraret, perfunctus munere in Italia substitit, & Græcas litteras, quæ per 700. ferme annos ab Italia exulauerant, quasi postliminio reduxit. *Platin. Genebrard.*

1401. RECRVDESCENTE bello inter Anglos & Scotos, hi in Angliam irrũpentes prælio ab Henrico Angliæ Rege vincuntur 7. Maij, quo flos nobilitatis Scotiæ periit. Dauid etiam Regis Scotiæ filius natu maximus, quod libidinosius viueret, à patruo clanculum in carcerem coniicitur, & fame necatur. *Hiſt. Scot.*

Sigismundus Rex Hungariæ cum quosdam Barones, qui eum post cladem Nicopolitanam male exceperant, securi percussisset; ab aliquot coniuratis captus in carcerem cõiicitur, credita eius custodia quibusdam nobilibus, quorum patrem cum reliquis occiderat. Sed eorum matris opera elapsus, collecto exercitu Regnum recuperat; pulso Ladislao Rege Neapolitano, quem Hungari iure propinquitatis ad regnum expellendum vocauerant. *Aen. Silu. Rittius. Mechov. Bonfin. Pandulph. Blond.*

1402. CIRCA hunc annum mortuus putatur Tamerlanes Scytha, Asiæ domitor; qui post captum Baiazethem, profectionem destinauerat in Europam, vt si eam victor peragrasset, per Hispaniam in Mauritaniam traiiceret; atque ita totius Orbis Imperio occupato in patriam reuerteretur: sed coacto eodem aduersus Indos bellum ei mouentes partem exercitus mittere, ipsoque in componendis Asiæ rebus occupato, euanuit vani hominis cogitatio. *Chalcond.* Moriens autem reliquit duos filios, qui à virtute paterna prorsus degenerantes, dum odio & bello intestino digladiantur, eadem ferme facilitate tot regna amiserunt, qua parens ea sibi acquisierat: Asiæque Imperium relapsum est ad Othomanos. *Perond. in Vit. Tamerl. Chalcond.*

1403. POST captum Baiazethem Turcarum Regem, concertantibus inter se eius filiis de reliquiis ipsius Imperij, Soleimanus occiso Issem Zelebi qui regnum occupauerat, fugatoque Musa siue Mose, solus rerum potitur; & post mortem Tamerlanis multa recuperat. Nominant alij *Calepinum* Baiazethis successorem, alij *Cyriscelebim*. confusaque fuere tam eorum nomina, quam successionis series. De iis vero agunt pluribus *Chalcond. & Hiſt. Turcar.*

A.C.

Iacobo Lusignano Cypri Rege demortuo, succedit Gennus filius. *Monſtrel.*

Constantinopoli Patriarcha eligitur post Antonium Calixtus secundus.

Mulier aquatica, siue marina, capitur in lacu Purmerio ab Emdensibus, nuda & muta; quæ Harlemum missa didicit vestes induere, nere, edere panem & lacticinia, atque etiam honorem exhibere Beatæ Mariæ Virgini. *Annal. Fland.*

MORITVR die 1. Octobris Bonifacius PP. IX. postquam sedisset annis 15. minus 30. diebus. Subrogatur die 17. eiusdem mensis *Cosmatus Melioratus* patria Sulmonensis Pelignius Cardinalis Sanctæ Crucis in Ierusalem; dictus INNOCENTIVS VII. *Onuphr.* 1404.

Philippus Audax Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ moritur: succedit filius Ioannes dictus Diuionensis, & Intrepidus. *Annal. Fland.*

ORDO Canonicorum sæcularium *Sancti Georgij* Venetiis per B. Laurentium Iustinianum instituitur: & Mendicantium sub nomine *Sancti Hieronymi* ex Regula Sancti Augustini, Fesulis à Redone Comite. *Onuphr. Genebr.* 1405.

Scripsit his temporibus Ioannes Froſſardus Canonicus & Presbyter Historiam Rerum in Gallia, Hispania, Anglia, &c. ab an. 1326. vsque ad an. 1400. gestarum.

ROBERTVS Scotiæ Rex (de quo an. 1390.) moritur mense Martij ex mœrore animi, cum audisset filium suum minorem Iacobum (Dauidem enim natu maiorem iam ante necatum vidimus ann. 1401.) dum in Galliam à patre missus nauigaret, interceptum esse ab Anglis: à quibus detentus est annos 18. interim Scotiam Proregibus administrantibus. *Boet. Leslæ.* 1406.

Innocentius quoque PP. VII. moritur 6. Nouembris, postquam sedisset ann. 2. & dies 20. Et in eius locum sufficitur vltimo die eiusdem mensis *Angelus Corarius* Venetus, ex insigni Theologo, & Cardinale S. Marci; qui nomen accepit GREGORII XII. Contra quem adhuc sedit Auenione Petrus de Luna Benedictus XIII. *Onuphr.*

PARISIIS occiso Ludouico Duce Aurelianensi Regis fratre ab immissis per Ioannem Ducem Burgundiæ patruelem percussoribus, magnum intestinorum dissidiorum in Gallia multorum annorum malum oritur. *Aemil. Polyd.* 1407.

Moritur Henricus Rex Castellæ & Legionis in ipso Christi die Natali: succeditque filius eius Ioannes eius nominis Secundus adhuc puerulus sub tutela matris & patrui. Hunc enim annum dat *Carthag.* cum *Taraf.* ponat 1404.

Montoliuetensium Ordo instituitur auctore Bernardo Ptolemæo. *Volateran. Genebr.*

Inualescere incipit *Ioannes Huſs* Boemus, Waldensium & Wiclefistarum hæreses recoquendo; quos aliis à se inuentis aspergebat, vt se antecessorum plusquam discipulum demonstraret. Quam ob causam tam ipse, quam quem habuit conscium *Hieronymus Pragensis*, in Concilio Constantiensi fuere damnati & combusti: In cuius Actis 30. recensentur eorum perfidiæ articuli, qua haretici, qua erronei & temerarij, omnes à Catholica & recepta fide alieni: quorum plurimos & hodierni Sectarij amplectuntur. *Genebr. & Gaulter. in Chronol. Prateol. & Sander. de hæreſ.*

LADISLAVS Rex Neapolitanus occupat Romam cum Capitolio 25. Aprilis contra Pontificem tunc Viterbij absentem. Sed dum molem Adriani obsidet, pellitur à Paulo Vrsino Pontificis duce, & Neapolim regreditur, exercitu per Tusciam aliaque loca diuiso. *Platin. Pandulph.* De qua expeditione multa cõtra fidem historiæ temere effundit *Theodorus de Niem*, iuratus (vt apparet) Pontificum hostis. 1408.

Ferdinandus Regis Castellæ tutor ac patruus, redingrato in Mauros bello, eos in Regno Granatensi affligit. *Marian. Carthag.*

Ordo *Scopetinorum*, siue *Congregatio S. Saluatoris* dicta;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

1409.

Bononiæ erigitur à Stephano Senensi Ordinis Eremitarum S Augustini. *Onuphr.*

Cvm Gregorius XII. vbi electus fuerat, promisisset cessurum se Pontificatu, si Benedictus Antipapa idem non recusaret; & fugiente Benedicto in patriam Aragoniam Gregorius promissum suum reuocasset: nihilominus extinguēdi diuturni Schismatis causa *Concilio Pisis* in Tuscia a Cardinalibus habito, cui & plurimi alij Episcopi interfuerunt, vterque est depositus, & alius electus; videlicet *Petrus Philargi* patria Cretensis, magnæ virtutis & doctrinæ, Ordinis Sancti Francisci, & Archiepiscopus Mediolanensis, ac Cardinalis titt. SS. XII. Apostolis ferme nonagenarius; quē Alexandrvm V. nominarunt. At vero recusantes tam Gregorius quam Benedictus ad Concilium accedere, neuter etiam voluit cedere. *Platin. Onuphr. Aemil.* Hoc porro Concilium, sicut non legitur manifeste approbatum, ita nec manifeste reprobatum. Eius tamen sententiam Poloni secuti, Alexandrum agnouerunt, cum antea Gregorium pro Pontifice habuissent. *Cromer.* Qui quidem Alexander adeo fuisse munificus dicitur in pauperes, vt quod nihil sibi reseruaret, de se ipso per iocum dicere consueuisset, se diuitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. *Platin.*

S. Iustinæ Congregatio erigitur à Ludouico Barbo Veneto. *Onuphr.*

Acta in Senatu Parisiensi causa cædis Ducis Aurelianensis, (*Vid. an.* 1407.) Burgundo venia datur, licet causa eius minus probaretur: & mortua vxore Aurelianensis, quæ causam acriter persequebatur in Burgundum, nomen pacis redintegratur inter partes; non tamē extincta animorum certamina, quæ non multo post foras eruperunt. *Aemil.*

Ludouicus Andium Dux (*vid.* 1390.) à Florentinis Ladislao Neapolitano infensis in Italiam reuocatus, fœdere cum iis inito, confirmatoque ipsi ab Alexandro PP. iure Regni Neapolitani; Romam pulsis Ladislai militibus Pontifici restituit. *Pandulph.*

Martinus Rex Siciliæ, post Sardos patri suo rebellantes victos, moritur in Sardinia mense Iulio. Succedit pater eius Martinus Rex Aragoniæ, qui regna Aragoniæ, Siciliæ, & Sardiniæ coniunxit. *Taraf. Marian. Fazel.*

1410. Alexander PP. V. moritur Bononiæ 3. Maij, cum sedisset tantum menses decem & aliquot dies. Subrogatur eodem mense *Balthasar Cossa* Neapolitanus, Cardinalis S. Eustachij, dictus Ioannes XXIII. aliis XXII. vel XXIV. cum interim Gregorius Arimini ageret, & Benedictus in Aragonia. *Onuphr.*

Moritur quoque eodem mense Maij, die vero 18. Rupertus Romanorum Rex, seu Imperator Germanicus, postquam res Imperij nouem annis & totidem mensibus diligenter administrasset. Cui nonnulli historici substitutum volunt per aliquot menses *Iodocum* quemdam Marchionem Moraviæ.

Moritur item die vltima eiusdem mensis Maij Martinus Rex Aragoniæ & Siciliæ absque liberis. & post magnas cōpetitorum contentiones re ad compromissarios delata, tandem omnium iuribus diligenter inspectis, renunciatus post biennium Rex est mira omnium acceptione, *Ferdinandus* Castellæ Infans, cognomento *Iustus*, filius Ioannis eius nominis primi Castellæ Regis, aui Ioannis secundi pueri tunc regnantis, cuius & ipse tutor (*Vid. an.* 1407.) relictus fuerat. *Taraf. Laur. Val. in Vit. Ferdin. Marian.*

Ludouicus Andegauensis expeditione ducta Neapolim versus, Ladislaum acie vincit; sed nescius vti victoria, anno sequenti rediit in Galliam. *Pandulph.*

Soleimanus Rex Turcicus, quod se voluptatibus daret, suis ad fratrem Mosem siue Musam deficientibus necatur, postquam septem circiter annis tenuisset Regnum: regnatque idem Moses tribus annis duntaxat. *Annal. Turc.*

Poloni Cruciferos in Prussia duobus ingentibus præliis maxima eorum strage vincunt. *Mechou. Cromer.*

Wiclefi libri comburuntur in Anglia: (*Thom. VVald.*) & tam eiusdem quam etiam Hussi Hieronymi Pragensis, & aliorum eiusmodi hæreticorum, in Boemia. *Hist. Boem.* Quo tempore & *Petrus Dresdensis* Germanus è Misnia exul à patria ibidem Pragæ, cum alio quodam *Iacobello* itidem Misneni, seminandis zizaniis operam dantes, inter alia inculcarunt, necessariam esse Laicis sub vtraque specie communionem. *Aen. Silu. Patreol. Gaulter.*

A.C.

1411. Electores Imperij in Germania mense Martio Imperatorem renuntiant *Sigismundum* Hungariæ Regem, filium Caroli IV. feliciorem in toga quam in armis. *Cuspin.*

Ciuile bellum in Gallia omnia turbat ex intestinis odiis familiarum Aurelianensis & Burgundæ: præualente tamen Burgundo, quod Regem pro suo arbitratu regeret. *Polyd. Annal. Flandr.*

Digladiantibus item in Oriente pro Imperio inter se filiis Baiazethis, & cum Imperatore Constantinopolitano; ex ingentibus malis quæ Constantinopolim vexarunt ac vicinas regiones, illud boni emersit, quod Iesus siue Iosue minimus Baiazethis filius apud Græcos baptizatus est, ac paulo post mortuus. *Chalcond.*

In Italia quoque Mediolanenses vicinas prouincias vexant. *Sabell. Blond.*

1412. Sigismvndvs Imperator Lombardiam ingressus, conuenit cum Ioanne Pontifice de futuro Concilio Constantiensi ad tollendum Schisma. *Sabel. Naucler.*

Florebant interalios præstantes doctrina viros, Petrus de Aliaco Episcopus Cameracensis & Cardinalis, Ioannes Gerson Cancellarius vniuersitatis Parisiensis, Thomas de Kempis auctor aurei libelli de Imitatione Iesu Christi, Sanctus Vincentius Ferrerius, Ioannes Dominicus, & Ioannes Capreolus Dominicani, insignes Theologi: Franciscus Zabarella, & Nicolaus de Tudeschis dictus Panormitanus Cardinales, Petrus Ancharanus, Ioannes de Imola, Paulus de Castro, Christophorus Castalionensis, Bartholomæus Salicetus, præclari iurisconsulti; Poggius Florentinus, Laurentius Valla, Leonardus Aretinus, egregij Philosophi & Oratores. *Trithem. Fichard. Genebr.* Sed de Valla postea.

1413. Delphinvs Galliæ præficitur Regno, dum pater eius per valetudinem impeditur. quare Burgundus, in cuius fauorem ingens excitata fuerat, ac sæpius repetita, plebis seditio, qua & ipse Rex periclitatus fuerat, iam sibi ab eo & à Delphino timens, in suam Flandriam se recepit. *Enguer. Annal. Flandr.*

Cum Ioannes PP. consilium iniret cum Rege Siciliæ de oppugnando Ladislao Rege Neapolitano, Ladislaus contra Romam iterum astu occupat. *Pandulph.*

Moritur Henricus Rex Angliæ 20. Martij: succedit eius filius Henricus huius nominis V. *Polyd.*

Musa, siue Moses Turcarum Rex, postquam regnum tenuisset tribus amplius annis, à suis desertus, capitur à fratre Mahomethe penultimo filio Baiazethis, (qui antea à Mose victus Constantinopolim se, & inde in Asiam receperat) & eius iussu strangulatur: ipseque Mahometes, post recepta omnia loca quæ Tamerlanes in Asia Minori occupauerat, Imperatoria insignia ex Prusia Bithyniæ Adrianopolim Thraciæ contulit. Vt vero erat moribus placidus, & quod ab Imperatoribus Græcorum adiutus aliquando fuerat; perpetuam habuit cum iis amicitiam. *Iouius de Rebus Turc.*

1414. Concilivm Generale, tollendi causa Schismatis, inchoatur Constantiæ die 5. Nouembris, quod amplius triennio durauit: cui adfuere Ioannes Pontifex, & Sigismundus Imperator, vna cum quatuor Patriarchis, 29. Cardinalibus. 47. Archiepiscopis, Episcopis 160. (aliis 270.) & Abbatibus ac Doctoribus 564. & conuenerunt ad sexaginta millia hominum. Fuit à Conciliis Florentino & Lateranensi vltimo improbatum, quoad primas Sessiones, quæ Concilium supra Pontificem esse decreuerunt: probatum tamē à Martino V. quoad reliqua omnia quæ sequentibus Sessionibus definita sunt. *Platin. Onuphr. Bellarm.* Initia huius Concilij late persequitur *Aemilius*: exstantque ipsius Acta in *Tom. Concil.*

Ladislaus Rex Neapolitanus moritur 6. August. & Regnum suscepit soror eius Ioanna eius nominis II. nullius maioris probitatis femina quam prima fuisset; quę nupsit Iacobo Borbonio. *Pandulph. Marian.*

1415. In Concilio Constantiensi, Ioanni vni ex tribus contendentibus fugam accipienti, sed inde retracto, crimina obiiciuntur: quæ cum non satis diluerent, tam ei, quem etiam Benedicto in Hispania agenti, citato, nec comparenti, Pontificatus abrogatur: Gregorius vero per legatos suos ipse Ari-

A.C.

minis agens sponte se abdicat; redditumque est ei ius pilei, & legatio data Marchiæ Anconitanæ: ac Ioannes traditus fuit in custodiam. Vacauitque Sedes per biennium.

Ioannes Husius impius hæresiarcha, euocatus à Patribus Concilij adfuit, & pertinax in hæresi damnatur; ac Sacerdotio exauctoratus, traditur Magistratui politico, & exuritur sexta Iulij. Decreuit porro idem Concilium multa de motum reformatione.

Henricus Anglorum Rex occasione captata motuum Gallicanorum ob duarum Regiarum familiarum controuersias, repetens à Rege quæ olim in Gallia Anglorum fuerant, transmittit in Northmanniam: & Areflucto expugnato, Caletium versus deflectit: pugnatumque ad Azincurthũ est 25. Octobris. qua pugna ceciderũt è Gallis ad decem millia, cum magno nobilium & Procerum numero, inter quos Duces Lotharingiæ & Brabantiæ; totidemque fere capti, & inter eos Duces Aurelianensis & Borbonius. *Hist. Franc. & Fland.*

Sigismundus Imp. in Concilio Constantiensi Amedeum Comitem Sabaudiæ XVI. & Adolphum Cliuensem, titulo Ducis insignit. *Chron. Belg. Munster.*

1416. IDEM Sigismundus cum Legatis Concilij, Franciam, Angliam, Aragoniam, aliasque vicinas prouincias pacis vbique studio componendæ peragrat: sed cum res non succederet, aduenientе hieme ad Concilium redit. *Enguer. Aemil. Chron. Belg.*

Interim vero Hieronymus Pragensis Hussita ad Concilium vocatus, & vt fecerat Husius obfirmato animo in hæresi permanens, pari & ipse ignis pœna afficitur 30. Maij: quos Hussitæ vt Martyres colunt. *Acta Concil. Hist. Boem.*

Ferdinandus Aragoniæ, Siciliæ, Sardiniæ & Maioricæ Rex moritur 2. Aprilis: succedit filius Alfonsus natu maximus, cognomento Magnanimus, Princeps omnium scriptis laudatissimus; (*Taraf. Vasæ Marian.*) qui tamen non semel aduersatus est Romanis Pontificibus. *Vid. in Epit. an.* 1097. *num. XIV. XV. XVI. & infr. an.* 1424.

Moritur quoque Ludouicus Dux Aquitaniæ, Delphinus Franciæ; ac breui post Ioannes eius frater. *Til.*

Hernoia Dux Bosniæ, quæ olim Dardania dicebatur, in aula quondam Hungarica risibus & iocis exagitatus, ad Turcas deficiens; acceptis à Mahomete eorum Imperatore copiis Hungariam vastat, Hungaros prælio vincit, & Paulum quendam iocorum auctorem captum pelle bouina insuit, & in flumen demergit.

1417. LVDOVICO Andium Duci & Prouinciæ Comiti demortuo, succedit filius Ludouicus huius nominis Tertius. *Naucler.*

Henricus Anglus Northmanniam fere totam sibi subiicit hoc & sequenti anno; dum interim in fauorem Burgundi Parisiis & alibi noui tumultus excitantur; Regina seipsi concredente, occisisque Conestabili & Cancellario, ipsoque Carolo Delphino ægre elapso. *Enguer. Aemil. Til.*

In Concilio Constantiensi agitur tandem de eligendo nouo Pontifice: creaturque *Otho Columna* Romanus ex Diacono Cardinale S. Georgij in Velabro: qui quod electus fuerit die festo sancti Martini, nempe 11. Nouembris, nomen accipit MARTINI eius nominis *Tertii* (*vid. an.* 1281.) dicti *Quinti*; vir optimus, & doctissimus. Sicq; sublatum est Schisma, quod per annos ferme 40. Ecclesiam vexauerat. *Platin. Aemil. Panuin. Acta Concil. Constant.* cum tamen Petrus de Luna pseudo-benedictus obstinatissimo animo non cessauerit vsque ad mortem insignia Pontificatus retinere in Hispania.

1418. MARTINVS PP. Constantiam deserens, Mantuam venit, & inde Florentiam. quapropter Concilium finitur die 22. Aprilis; cum prius ipse decreuisset, vt singulis decenniis celebraretur Concilium Vniuersale. *Platin.*

Errones illi, quos Germani *Heiden*, siue *Ziegeuner*, Galli *Boemos* siue *Aegyptios* vocant, hoc tempore primum in Germania visuntur; qui excocti sole, aut alia arte colorem fuscũ sibi facientes, immundi & lacera plerumque veste, intentique furtis & libidinibus, vulgus hominum falsa sua chiromantia passim decipiunt. *Fabr. Polyd. de inuent. Crantz.* Italis frequentius *Singari* dicuntur: mentiunturque se ex illis descendisse Singaræ vrbis Mesopotamiæ incolis, qui post extinctum Iulianum Apostatam inde pulsi (*de quo vid. in Epit. an.* 363. *num. XVIII.*) vagi deinceps facti sunt.

A.C.

1419. HVSSITIS hæreticis Pragæ in Boemia turbas in Regem Wenceslaum cientibus, ipse pauore attonitus (qui & alioquin ex pusillanimitate Ignaui cognomen sortitus est) paralysi corripitur, & moritur 16. Augusti. Et interim dum eius frater Sigismundus Imp. Regnum hoc sibi debitum occupare conatur, iidem hæretici ducem sibi constituũt *Ioannem Ziskam*, hoc est, cœcum, quod altero oculo orbatus esset in bello: qui genere nobilis, & in aula regia educatus, bellicisque exercitationibus magnum sibi nomen adeptus; iam Hussitarum dux factus, Imperatori ac reliquis Principibus, ecclesiis & monasteriis, imaginibus, & aliis cunctis rebus atque personis sacris, bonis denique omnibus bellum atrocissimum intulit. Qui & à quodam loco munito, quem in ciuitatem amplificauit, à se *Thabor* appellatum, asseclas quoque suos *Thaboritas* dixit; vt sic facilius persuaderet, visam ab ipsis fuisse cum tribus Apostolis in monte Tabor (*Matth.* 17.) Transfigurationem Saluatoris; illincque haustas suas ipsorum opiniones, quas *Fidei veritates* appellabant. factaque hæc ciuitas est refugium & spelunca omnium hæreticorum & latronum. *Aen. Silu. Cromer. Bonfin. Prateol. Gault. in Chronol. Genebr.*

Dum Angli Galliam vastant, Delphinus cum Burgundo ad Monterigolum (*Monterau Faut-Yonne*) in medio ponte munitionibus quibusdam ligneis factis, de fœdere aduersus Anglum ineundo congreditur: vbi orta inter eos rixa Burgundus occiditur à comitibus Delphini. Cuius filius & successor Philippus, Bonus dictus, vltor paternæ cædis cum Anglo pacem init; eique omnia quæ in patris potestate in Gallia fuerant, vna cum Rege, Regina, eorumque filia Catharina, quam antea Anglus in matrimonium petierat, nec obtinere potuerat, ipsamq; etiam vrbem Lutetiam, aliasque plures, in manus tradit. Tam atrox telum præbuit indignatio (inquit *Aemilius*) in Delphinum, ob necem patris Philippi. Qui mox Lutetiæ voce præconis citatus, dictaque die absens, declaratur priuatus Regno. Tricassibus Catharina nubit Henrico Anglo, ea lege vt post Caroli Regis obitum Henricus, liberique ex Catharina geniti in Regnum Franciæ succederent; atque interim socero superstite Franciam regeret Anglus gener. *Enguer. Aemil. Til. Polyd. Anal. Fland.*

Ioannes ille abdicatus Pontificatu (*an.* 1315.) moritur Florentiæ 22. Octob.

Post Calixtum creatur Patriarcha Cõstantinopolitanus, Euthymius monachus. *Onuphr.*

1420. MARTINVS PP. aliquos passus ex Ecclesiæ Romanæ subditis tyrannos, aliosque proditores; atque etiam cognita Ioannæ Reginæ Neapolitanæ de se bene meritæ ingratitudine, armat in eam Sfortiæ Ducem: transfertque ius Regni illius in Ludouicum Tertium Andium Ducem, cuius pater & auus idem ius olim obtinuerant. *Pandulph.* (*Vid. an.* 1383. 1390. 1410.)

Sigismundus Imp. venia rebellionis petentibus Pragensibus concessa; quod tamen postea apud Wratislauiam Silesiæ auctores necis Senatus ibi ab Wenceslao constituti punisset, eosdem Pragenses, eorumque solicitatione reliquas ferme Boemiæ vrbes rebelles sensit, duce Ziska. *Aen. Silu.*

Nouorum *Adamitarum* hæresis repullulat in Boemia, *Pikardo* quodam duce; qui è Flandria oriundus, peruasa Germania in Boemiam venit, omnium tunc turpissimarum hæresum cloacam. Iubebat suos tam viros quam feminas incedere nudos, Adamitas eos vocans, seque Adamum & filium Dei esse iactitans. *Naucler. Aen. Silu. Prateol. Gaulter.* Eodemque ferme tempore, eademque prouincia, *Bedricus* quidam initium dedit detestandæ *Orebitarum* sectæ, quæ in sacerdotes maxime sæuiit, & præcipue doctrinam Incarnationis Filij Dei euertere conata est. *Iidem.*

Amedeus primus Sabaudiæ Dux Militum Annuntiationis Virginis matris Ordinem erigit. *Chron. Sab.*

1421. MORITVR Emmanuel Imperator Constantinopolitanus, postquam regnasset amplius 33. annis. quem quidem vixisse anno superiori, constat ex eius tunc epistola ad prædictum Amedeum primum Sabaudiæ Ducem scripta, cuius se prototypon vidisse scribit *Vignerius*: cum alioqui *Onuphrius*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A.C. an. 1418. eius obitum consignet: qui successorem eius ponit *Ioannem* eius nominis VII. filium Andronici Aug. fratris & decessoris ipsius Emmanuelis: huic vero post tres annos absque liberis defuncto suffectum esse *Ioannem* VIII. eius patruelem, filium autem prædicti Emmanuelis, penultimum Græcorum Imperatorum: cum tamen non omnes prædicti Ioannis filij Andronici Imperium agnoscant.

Sigismundus Imp. Boemiam cum exercitu tentans, à Ziska fugatur. Idemque Ziska in obsidione cuiusdam oppidi, alterum quoque oculum ictu sagittæ amisit: nec tamen castrensem laborem, aut rei militaris curam dimisit: ac cœco populo cœcus placuit ductor. *Aen. Silu.*

Mahomethes Turcarum Rex moritur anno regni 8. cui successit filius Amurathes eius nominis secundus; qui magnam Græciæ partem sibi subiugauit, & Imperium per Asiã & Europam plurimum dilatauit: cum tamen initio pugnandum ei fuerit contra Mustaphas patruum & fratrem, quos Græci fouebant; sed eos tandem interfecit. *Chalcond. Hist. Turc.* Is ordinem institutum iam antea ab Othomano primo Rege peditum militum quos *Ianizaros* vocant, auxit, & eos ex Christianorum filiis eligendos iussit. Duos vniuersæ suæ Monarchiæ præposuit Bassas, vnum Europæ, quam Romaniam dicunt; alterum Asiæ, Anatholiæ ab iis dictæ. *Chalcond. Callimach. Genebr.*

Delphinus Franciæ accepto Scotorum auxilio Anglos vincit: & Ioannem Stuartum Scotum Magistrum equitum renunciat. *Enguer. Aemil. Gaguin. Til.*

Ioanna Neapolitana à Ludouico Andegauensi in angustias redacta, Alfonsum Aragoniæ Regem in filium adoptãs, eius copiis hostes repellit. *Pandulph.*

1422. Henricvs Rex Angliæ, post multas vrbes recens in Gallia captas, moritur ad saltum Vicennarum prope Parisios 29. Augusti, relicto filiolo Henrico eius nominis Sexto Anglorum Rege, nondum bimulo, ex Catharina Franciæ; præfectisque dum ipse adolesceret fratribus suis Ducibus Bedfordiensi rebus Galliæ administrandis, & Clocestriensi Angliæ Regno. *Aemil. Polyd. Til.*

Pauloque post moritur etiam Carolus VI. Rex Francorum 21. Octob. postquã regnasset an. 42. dies 35. Succeditq; Delphinus, *Carolus* VII. qui postea ex Anglorum è Regno pulsione adeptus est cognomentum *Victoris*; cum initio arctatus ab illis, per contemptum vocitaretur *Biturigum regulus*, quod in ea ciuitate frequentius moraretur.

Ioanna Regina Neapolitana Alfonso Aragonio irata, adoptionem rescindit; Sfortiam sibi reconciliat; & Ludouicum Andegauensem Calabriæ Ducem creat. *Pandulph. Til.*

Martinus PP. Germanos impellit ad sacram militiam contra Hussitas: sed parum prospere aduersus illos actum. *Aen. Silu.*

1423. Mortvo absque liberis Alberto Saxoniæ Duce & Electore ex familia Anhaldina; translata est ab Imperatore dignitas Electoris Saxonici in familiam Marchionum Misnensium; quorum primus Elector fuit Fridericus Marchio Misniæ & Landgrauius Thuringiæ, ob egregiam nouatam operam in bello Boemico. *Crantz.*

Varia belli fortuna in Gallia inter Regem & Anglos, *Hist. Franc.*

Amurathes Turcarum Rex receptis in Epiro ciuitatibus à Ioanne Castrioto eius prouinciæ Principe, tres filios belli obsides accepit: ex quibus natu minimũ Georgium magnæ spei adolescentem, exerceri fecit diligenter in re bellica; nomenque illi indidit *Scanderbeg*, quod Alexandrum Regem, siue Dominum sonat: de quo postea. *Chalcond.*

1424. Vernolio in Northmannia à Scotis pro Rege Francorum Anglis erepto, adfuit breui exercitus hostium; qui magna clade Scotos Francosque fudit, occiso etiam Magistro Equitum. *Emil. Enguer.*

Iacobus Scotiæ Rex nominis huius primus, post 18. annos captiuitatis, (*Vid. an.* 1406.) magna persoluta pecunia, tandem in Regnum ab Anglis dimittitur. *Boet. Enguer.*

Benedictus Antipapa (*Vid. an.* 1415. & 1417.) tandem moritur mense Maio, postquam insignia Pontificatus per 30. annos gestasset, 90. vixisset. Et soli duo qui eũ sequebantur Cardinales, successorem ei dicunt *Aegydium Munionem*, siue Munotium, canonicum Barcinonensem; recusantem omnino accipere nomen dignitatis, ni Alfonsus Rex Aragoniæ in odium Martini PP. cui erat infensus ob res Neapolitanas, eum confirmasset; indito ei nomine *Clementis VIII.* sed post annos quatuor reconciliato Alfonso cum Martino, coactus est hic bellus Papa abdicare se; creatus nonnulla compensatione Episcopus Baleatis: perstititque solus & verus Pontifex Martinus *Platin. Marian.*

Rhæti (quos *Grisones* vocant) ad suæ libertatis propugnationem primo fœdere sese inter se coniungunt. *Chron. Heluet. Genebr.*

Post Euthymium creatur Patriarcha Constantinopolitanus Iosephus II. monachus. *Genebr. Onuphr.*

Circa hunc annum Ziska dux Hussitarum hactenus inuictus, annuens Sigismundo Imperatori, magnam pecuniam & summos honores offerenti vt suarum esse partium dignaretur, dum conuenta completurus Imperatorem petit, intereundum peste tactus excubuit. Qui quasi viuens parum insaniisset, moriens sibi cutem detrahi & tympano induci iussit, fore pollicens vt ad eius tympani sonitum fugam hostes cõtinuo arriperent. *Aen. Sylu. Cromer.*

Ordo Eremitarum S. Hieronymi Romæ restituitur. *Onuphr.* 1425.

Moritur mense Septembri Carolus Rex Nauarræ: succedit eius gener Carolus huius nominis III.

Alfonsus Rex Aragoniæ, post bellum aliquamdiu in Ioannam Neapolitanam protractum, redit in Aragoniam: Massiliamque in transcursu vastat: atque interim Ludouicus Andegauensis totum fere Regnum Neapolitanum occupat. *Marian.*

Bombardarum vsus nunc primum Gallis notus; cũ Thomas Montacutus Anglus Comes Sarisbérienſis, vir apud suos re militari celeberrimus, Cenomanorum vrbem illis oppugnare cœpit. *Polyd. de Inuent. Genebr.*

Italia iam à multis annis bellis ciuilibus agitatur, dum præsertim Mediolanenses arma in omnes circum vicinos inferunt, & modo vincunt, modo vincuntur, cum ciuitatum occupatione & amissione. *Sabell. Blond. Iouius.* Et dum hoc anno Philippus Dux Burgundiæ iuuando Sabaudiæ Duci aduersus eosdem Mediolanenses occupatur, res Caroli Francorum Regis felicius aliquantum subsistunt. *Enguer. Annal. Franc.* 1426.

Sultanus Aegypti Cyprum vastat, & captum Regem reddit tributarium. *Enguer. & Chron. Cypr.*

Germani post mortem Ziskæ, Boemos Hussitas repetitis expeditionibus inuadentes, fere semper fugantur. Ipsiq; Hussitæ arma etiam in proximas prouincias efferentes, ingentes eis clades intulerunt: ac nisi intestinis dissidiis conflictati inter se fuissent, multa etiam maiora intulissent. *Mechou. Aen. Silu.* Siquidem in tres præcipuas diuisi factiones, *Pragensium*, ab ea vrbe sic dictorum; *Thaboritarum*, de quorum nuncupatione dictum superius; (*an.* 1419.) & *Orphanorum*, qui propter mortem magistri sui Ziskæ id nominis sibi sumpserunt: quamuis omnes ac singulæ in Catholicis infectandis & rebus sacris proculcandis, nihil non impietatis & crudelitatis exercerent; sic tamen inter sese pugnabant, vt verbis & factis sese impetere cessarent nunquam: cum tamen cæteris mitiores *Pragenses* semper sint visi. *Aen. Silu. Mechou. Prateol.* 1427.

Academia Louanienſis hoc vel sequenti anno erecta dicitur à Ioanne Brabantiæ Duce. *Chron. Belg. Genebr.*

Talbotius Anglicæ militiæ Dux clarus Minorem Britanniam ad defectionem à Rege Francorum compellit. *Enguer. Annal. Aquit.*

Philippvs Dux Mediolanensis post diuturnum bellum cum Venetis gestum, & acceptas illataſque clades, pacem cum iis constituit. *Sabell.* Sed post aliquot annos bellum restauratum est acrius. 1428.

Florebant hoc tempore inter viros doctrina conspicuos, Alfonsus Tostatus Abulensis Episcopus. S. Bernardinus Senensis Ordinis S. Francisci; B. Laurentius Iustinianus ex monacho Cælestino Patriarcha Venetus. Thomas Waldẽsis Carmelita, Paulus de S. Maria ab Episcopatu suo Burgensis cognominatus, & ex Iudæo Hispano Christianus factus; Raimundus Sebundius, insignes Theologi, & Scriptores sacri: Nicolaus de Tudeschis Ordinis S. Benedicti, Cardinalis & Archiepiscopus Panormi, indeque dictus vulgo Panormi

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

normitanus, tanta Iuris, præsertim Canonici eruditione cõspicuus, vt Lampas Iuris appellatus sit: Flauius Blondus historicus celeberrimus, qui fuit Secretarius Eugenij PP. IV. Maphæus Vegius Orator & Poeta clarissimus, &c.

1429. LÆTVS hic annus Francis illusit, cum magna Anglicarum rerum inclinatione. Cum enim ciuitas Aurelianensis ab Anglis obsideretur, virgo quædam Lotharinga 20. circiter annos nata, & oues paleere solita, nomine *Ioanna Darcia*, diuinitus inspirata ad Regem Carolum venire; acceptisque ab eo militibus, ipsa armis induta Aurelias per medios hostes ingressa crebris eruptionibus hostes obsidionem soluere coegit, capto etiam Talbotio Duce: indeque cognomen *Puellæ Aurelianensis* accepit. Multas deinde vrbes iisdem Anglis eripit, Regem ad sacram vnctionem Rhemis accipiendum ducit, & multa prælia feliciter gerit: donec sequenti vel ei proximo anno, in quadam eruptione è Compendio per Burgundum obsesso facta capitur, & Anglis tradita Rotomagum ducitur; vbi ab iis magiæ damnata, igne vitam finit. *Gagum. Aemil. Fulgos. Annal. Franc.* Sedatis autem Francicis rebus, iudicio quo damnata ab hostibus fuerat, auctoritate Apostolica retractato, omnium iudicum sententia declarata est innocens à criminibus impositis an. 1456. Extatque eius Vita, qua hæc omnia fusius continentur, & quamplurima horum ipsorum temporum virorum pietate & doctrina insignium de ea elogia recitantur.

1430. PHILIPPVS Dux Burgundiæ, post duarum sterilium vxorum mortem, tertiam ducit Elisabetham, Ioannis Lusitaniæ Regis filiam 10. Ianuarij; quo die instituit Ordinem militum Aurei Velleris. *Annal Bland.*

Amurathes Turcarum Rex Thessalonicam Venetis eripit, qui eam ante aliquot annos ab Imperatore Græcorum emerant, quod Imperator infirmior esset quam vt quæ extra Thraciam essent defenderet. Ciuibus autem per totam Europam & Asiam distributis & venditis, Amurathes nouos incolas eo inducit. Quam tamen cladem in annum sequentem alij, alij etiam ad posteriores referunt: rem vero gestam narrat præ aliis. *Chalcond.*

Quo eodem anno, prædicto Amurathi natus est filius Mahomethes, qui Constantinopolim postea cepit: estque hic annus 800. à morte Mahomethis eorum pseudoprophetæ.

1431. INCHOATVR CONCILIVM Generale BASILIENSE, pro reformatione morum tam Clericorum quam laicorum, & contra Hussitas alioſque hæreticos: primum à Martino PP. indictum Papiæ, sed ob pestem ibi grassantem Senas translatum & inchoatum; deinde interruptum ab Alfonso Aragoniæ Rege, in fauorem Imperatoris, qui illud in Germania celebrari cupiebat, continuatur Basileæ sub Eugenio PP. vbi interfuit idem Imperator Sigismundus; præfuit primo Iulianus Cardinalis Cæsarinus Legatus Apostolicus, & post eius reuocationem Ludouicus Cardinalis Arelatensis: perductumque est vsque ad an. 1442. Et quæ in eo decreta sunt de beneficiis & censuris ecclesiasticis, probauit postea Nicolaus PP. V. cetera improbauit Concilium Lateranense sessione 11. Extant vero eiusdem Concilij Acta.

Interim hoc ipso anno 20. Februarij moritur idem *Martinus* PP. V. postquam sedisset an. 13. mens. 3. dies 10. Electusq; est in eius locum 3. Martij *Gabriel Condelmerus* Venetus, ex canonico sæculari Cœlestini habitus S. Georgij in Alga Cardinalis 3. Clementis; dictus EVGENIVS IV. *Onuphr. Genebr.*

Ingens in Boemos expeditio Electorum Germaniæ supra 40. millia equitum præter pedites, Iuliano Cardinale præcedente, orto vano terrore de hostium aduentu, fœdissima fuga dissipata est. *Aen. Silu.*

Sigismundus Imperator sub finem anni coronatur Mediolani corona ferrea. *Naucler.*

Mortuo Cypri Rege, succedit filius Ioannes. *Chron. Cypr.*

Magno terræmotu in Aragonia & Cathalonia multa oppida subuertuntur. *Marian.*

1432. SIGISMVNDVS Imperator Romæ coronatur ab Eugenio PP. mense Maij, & inde regreditur in Germaniam; & in trãsitu Franciscum Gonzagam renuntiat Mantuanum Principem. *Naucler. Leand.*

Angli, vt in rerum suarum in Gallia inclinatione spem suis facerent, Henricum Regem suum puerum annorum 12. ex Anglia Lutetiam, quam adhuc tenebant, euocant, & coronari faciunt in Regem Franciæ à Cardinale Vincestriensi. *Aemil. Enguer. Polyd.*

Boemi à Concilio Basileensi inuitati eo venire ad reddẽdam fidei suæ rationem, data securitate itineris, & dicendi quæ vellent libertate; legationem trecentorum equitum mittunt cum præcipuis suis Ducibus: à quibus disputatum est per 50. ferme dies. Et cum victa eorum perfidia vinci nollet, tentatum est si forte amice trahi possent: missiq; in Boemiam oratores viri doctissimi, & qui gentis versutiam nossent. *Aen. Silu.* Fuit inter Legatos, Nicolaus Galecus, qui inter ceteros errores asserebat, neminem in Lege Gratiæ, etiam Iudicis sententia, iuste morte mulctari posse. *Prateol. Sand. Bernard. Lutzemburg. Gaulter.*

Carmoniola Venetorum Dux suspectus proditionis, decollatur. *Iustin.*

1433. EVGENIVS PP. factione Columnensium, quibus infensus erat, rebellantibus Romanis, Florentiam secedit. *Sabell. Platin.*

Orta dissensione inter Boemos, nobiles acie vincunt plebem Thaboritarum & Orphanorum: multisque occisis, reliquos casis inclusos comburunt. *Aen. Silu. Cromer.*

Ioannes Rex Portugaliæ moritur mense Augusti: succeditque filius Eduardus: cuius frater Henricus, insula Madera aliisque in Athlantico mari locis obseruatis, suos primum docuit artem longioris nauigationis. *Oſor. Marian.*

Ordo Fratrum *S. Ambrosii ad Nemus* Mediolani institutus sub Regula S. Augustini, confirmatur. *Onuphr.*

Mittitur ad S. Sacellum Diuionẽse à Philippo Duce Burgundiæ, sacrosancta Hostia, accepta per suum apud Pontificem procuratorem ab Eugenio PP. IV. quæ multis ictibus à perfido quodam Iudæo perforata, plurimum sanguinem emiserat: seruaturque hactenus magna veneratione ibidem Diuione. *Gaulter. in Chron.*

1434. LADISLAVS Poloniæ Rex moritur in fine Maij: succeditque Ladislaus filius eius nominis Tertius. *Cromer.*

Moritur quoque Ludouicus Andegauensis Rex Neapolitanus mense Nouembris: quem breui sequitur (nempe 2. Februarij anni sequẽtis) quæ illum adoptauerat Ioanna Regina; prius tamen in Ludouici locum adoptato Renato eius fratre Duce Lotharingiæ iure vxoris, quem tum Philippus Burgundus in custodia habebat, captum in acie à Comite Vallemontano, qui Lotharingiam ad se pertinere contendebat. *Aemil. Pandulph.*

In Concilio Basileensi damnantur Hussitæ; Beneficiorum Ecclesiasticorum annatæ prohibentur; caueturque ne Cardinalium numerus 24. excedat, ac ne quis nepotum Põtificis aut Cardinalium ad Cardinalatum admittatur. *Platin. Genebr.*

Georgius Trapezuntius Græcus vir eruditissimus, ab Eugenio præfectus Gymnasio Romæ, docet multis annis Rhetoricam ac philosophiam: qui deinde à Nicolao V. fit Scriba Apostolicus; & tandem ex morbi grauitate doctrinã suam vniuersam oblitus, nec proprij nominis meminisse dicitur: & in extrema senectute obiit an. 1486. Floruerunt eodem tempore in Italia Theodorus Gaza Thessalonicensis, aliique docti Græci; qui moti clade patriæ à Turcis illata, in Italiam se contulerunt, & linguam Græcam propagare illic cœperunt, quam paulo ante ab Emanuele Chrysolora, Byzantino restitui cœptam vidimus. *Genebr.*

1435. PACE in Gallia tentata, opera etiam Eugenij PP. inter Francos & Anglos; cum Anglis satisfieri æquis conditionibus non potuisset, iis omissis Rex Carolus cum Philippo Burgundo apud Atrebatum pacem init, nihil illi negãs quo illum in suas partes reduceret. Quæ pax Franciam ab Anglorum dominatu vindicauit, cum iam Angli non solum à Burgundo deserti essent, sed etiam oppugnarentur. *Aemil. Polyd. Marchant. Tit. Enguer.*

Renati Lotharingi Ducis vxor Isabella, dum maritus in custodia detinetur, (*vid. an superiori*) Neapolim properat ad Regnum eius nomine suscipiendum; præuenta tamen ab Alfonso Rege Aragonio. (*vid.* 1422.) Sed is dum Caietam obsidet, aduenientibus in subsidium Genuensibus (qui tum sub ditione Philippi Ducis Mediolanensis erant) occurrens, inita nauali pugna capitur, & ad Philippum ducitur; qui

cum

A.C.

eum liberaliter habitum fœdere facto dimisit. *Pandulph.Sabell.Leand.Marian.* Interim que missus ab Eugenio Papa in Regnum Neapolitanum exercitus, multa loca capit; asserente Pontifice, ad Ecclesiam Romanam Regnum illud deuolutũ esse. *Platin Leand.* Quo eodem anno Roma & Bononia redeunt ad iura, & ad nutum eiusdem Pontificis. *Iid.*

1436. Bohemi bellorum pertæsi, tandem Sigismundum Imperatorem legitimum suum Regem recipiunt: qui coronatur Pragæ. *AEne.Siluius.Dubrau.Naucler.Crantz.* Concessusque à Concilio Basileensi Bohemis vsus sacri calicis, quod is iam apud eos inoleuisset; sed tamen ea lege, vt diuersum vsum non improbarent, & in cæteris ritibus, ac dogmatibus, Ecclesiæ Catholicæ consentirent. *Iid.Genebrard.& alii.*

Lutetia, eiectis Anglis, redit ad iura Regis Caroli, cum aliis locis non paucis. *AEmil.Tit.Polyd.*

Turcæ irrumpentes in Hungariam, victi repulsique sunt à Sigismundi Regis & Imperatoris Ducibus. *Hist.Hung.*

1437. Ioannes Imperator Græcus agit per legatos cum Eugenio Papa de vnione vtriusque Ecclesiæ: ac proinde decretum Ferrariense Concilium anno proximo inchoandum. *Platin. Crantz.*

Idemque Eugenius in Æthiopiam Legatos mittit ad Zerah Iacob Abyssinorum Imperatorem, significans prædictum Ioannem Imperatorem conuenisse in Ecclesiæ vnitatem, & ad eandem illum inuitans: quod reuerenter præstitit. (Dauid Æthiopiæ Imp. ep. ad Clem. VII. ap. Dam. Goes. *Genebr.*) Ipsumque etiam misisse Legatos ad Concilium, constat ex eo, quod eius Actis Æthiopes interfuisse leguntur. *Genebr.*

Idem Eugenius Isabellam (ann. 1435.) iuuat auxilio miltum: atres Alfonsi magnum capiunt incrementum; quamuis hoc iam anno aduenisset Renatus Lotharingius cum copiis in Regnum Neapolitanum. *Panduph.*

Iacobus Rex Scotiæ à coniuratis in suo lecto impie trucidatur: exquisitum de percussoribus sumptum supplicium. Succedit in Regnum filius Iacobus eius nominis II. puer sex annorum sub tutela agens. *Leslæ.*

Sigismundus Imp. moritur 9. Decembr. in Hungaria ætatis anno 70. Imperii ab electione 27. à coronatione Romæ facta 6. Princeps prudentiæ & pietatis laude clarus, & literatorum fautor egregius, etsi nõ adeo in bellis felix; cum prius quam moreretur obtestatus esset primores Regnorum suorum, vt generum suum Albertum Austriæ Ducem successorem renuntiarent. *Crantz.Cuspin.Bonfin.*

1438. Albertvs eius nominis Secundus, consensu Electorum Imperii, vti socer exoptauerat, renuntiatur Imperator 20. Martii; idemque recipitur in Regem Hungariæ & Bohemiæ. *AEn.Sil.Naucl.Cuspin.* Voluerunt tamen seditiosi Hussitæ in Boemia Regem eligere Casimirum fratrem Regis Poloniæ; sed ab Alberto & Electoribus pellitur in turpem fugam. *Fabr.*

Eduardus Rex Portugaliæ moritur 19. Septembr. Succedit filius Alfonsus puer sex annorum, qui post victoriis suis contrà Mauros Africæ meruit *Africani* cognomen. *Histor.Lusitan.Marian.*

Florentini, Genuenses, & Veneti, Duci Mediolanensi adhuc aduersantur: Venetisque Pontifex, Mediolanensis Aragonius fauebat. *Sabell.Blond.*

Pragmatica Sanctio constituta in Concilio Basileensi, continens eius acta præcipua, approbatur in Conuentu Bituricensi à Carolo Francorum Rege die 7 Iulii, & publicatur in Senatu Parisiensi 13. eiusdem mensis. *Gaguin.Genebr.* Rex tamen postea sententiam Pontificis de ea latam secutus est, vt videbitur.

1439. Concilivm Ferrariense Oecumenicum inchoatur 9. Aprilis; sed ingruente peste Florentiam translatum: duraturque in vniuersum 15 ferme mensibus. Præfuit Eugenius ipse Pontifex; adfuitque Ioannes Octauus Palæologus Græcorum Imperator, cum Demetrio fratre Peloponnesi Principe, Ioseph o Patriarcha Constantinopolitano, Bessarione Trapezuntino Episcopo Nicæno, Isidoro Thessalonicensi Archiepiscopo Ruthenorum, aliisque magni nominis ex Oriente Antistitibus & doctis viris; cum pluribus Cardinalibus & Episcopis Occidentis. Ibique post multas disputationes, tandem non tantum Græcorum cum fide Latinæ Ecclesiæ, sed etiam Armenorum vnio & Indorum stabilita est: receptumque ab iis Confirmationis Sacramentum; Processio Spiritus sancti à Patre Filioque admissa; Primatus Romanæ Cathedræ in vniuersum Orbem assertus; &c *Bessarion & Isidorus* doctissimi in Latinis pariter ac Græcis literis in Cardinalium ordinem cooptati sunt, quod Ecclesiarum concordiæ præcipui promotores fuissent. *Platin. Naucler. Volaterr.Chalcond.AEmil.Onuphr.Genebr.extantque ipsius Concilii Acta.*

A.C.

1440. Evgenivs Papa dum Florentiæ Synodum Oecumenicam ageret, à Basileensibus ad Concilium suum schismaticum aliquoties citatus, cum non compareret, ab iisdem Pontificatu indignus pronuntiatur; & in eius locum eligitur *Amedeus* olim primus Sabaudiæ Dux, postea eremiticam vitam amplexus; cui nomen impositum *Felicis V.* Eum Germaniæ pars secuta est; sed reliquus Orbis Eugenium, & præ aliis Carolus Rex Francorum, quamuis antea Pragmaticam Sanctionem Basileensium suscepisset. Pauci neutri adhærentes, *Neutrales* dicti sunt. Sed demum Amedeus post 9. annos sponte se abdicauit. *Onuphr.Genebr.Parad.*

Florentiæ autem moritur Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus: & in eius locum subrogatur Gregorius eius nominis Tertius. *Chalcond.*

Reliqui vero Græci absoluta Synodo domum reversi, Eugenioque infensi quod minus subsidii bellici quam speraissent accepissent; ad vomitum redeunt, auctoribus Marco Ephesino, & Scholario, viris alioqui doctissimis. Quibus motus Eugenius, misit viros doctos Constantinopolim qui rursum disputationes de eadem re cum Græcis haberent. Isque re infecta dimissis, legatus demum ad eosdem Isidorus Ruthenus Cardinalis reconciliavit eos iterum Ecclesiæ Romanæ: sed seroinis. *Chalcond.* Ipseque inde Isidorus Russiam, cuius erat Metropolitanus Kiouensis, petens, quod iis Ecclesiæ Romanæ obedientiam prædicaret, spoliatus & in necem extremam impulsus est. *Mechou. Genebr.* De quorum propriis erroribus, vide *Ioan. Sacrar. in Elucid. error. Ruthen.& Gaulter. in Chronolog.*

Ob incursiones Turcarum in Hungariam, & ut Georgio Serviæ Despotæ, qui illuc confugerat auxilia petiturus; Albertus Imperator, magna ducta in eos expeditione, cum in æstu exercitus dissenteria affligeretur, ipse quoque immodico peponum esu in eam incidit, & moritur 27. Octobris, post suam in Imperatorem electionem anno uno & amplius septem mensibus. Reliquit uxorem Elisabetham gravidam, quæ mense Februarij anni sequentis peperit Ladislaum posthumum. *AEn.Silu.Naucler.Crantz. Bonfin.* Post quæ Amurathes Turcarum Rex præcipuas Mysiæ & Walachiæ, Hungariæ regni provinciarum, urbes expugnat. *Cromer. Bonfin.*

1441. Electorum omnium votis eligitur in Imperatorem mense Martij Fridericus eius nominis Tertius, Henesti Ducis Austriæ filius, annum ætatis agens vigesimum sextum; multæ virtutis & religionis Princeps, sed in rebus gerendis tardior & remissior. *Onuphr.Cuspin.*

Hungari coronato in Regem Ladislao posthumo quarto post ortum mense, rursum alium Ladislaum Poloniæ Regem Iagellonis filium ad se evocatum coronant: dum interim Elisabeth Regina mater Posthumi eum in Austriam cum corona Hungarica ad Fridericum ducit, veluti ad consanguineum & tutorem. *Mechov.Cromer.Cuspin.*

Cum vero Boemi quoque, neglecto eodem posthumo, Albertum Bavariæ Ducem sibi elegissent; ipse regio animo illud repudiat, quod non nisi vero herede excluso occupare poterat. *Æn.Silv.*

Delphinus Franciæ Ludovicus, quorumdam suasu à patre Rege secedit; sed conspiratione sedata, brevi redit in gratiam cum patre. Et Carolo Duce Aurelianensi accepta in vxorem filia Philippi Ducis Burgundiæ, sopitum est diuturnum dissidium harum familiarum. *Æmil.Annal.Franc.Tit.*

Ars Typographica excogitatur in urbe Argentinensi à Ioanne Gutenbergio antrhce: qui inde Moguntiam veniens, eam feliciter complevit. Eamdem postea auxit Ioannes Mentelinus idẽ Argentinæ: Sixtus Rusinger item Argentinas traduxit Neapolim in Italiã, & Udalricus Han Romã.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

Wimphelingus, & Fulgosius. At *Platina* & plerique alii tale inuentum referunt ad Ioannem Fauſtium Moguntinum ſub annum 1452. *Paulus* vero *Iouius* à Catainis Indiæ populis per Scythas & Moſchos ad nos peruenisſe ſcribit. *Genebrardus* addit & Themiſtitaneos, quorum vrbem patrum memoria Caſtellani in Nouo Orbe occuparunt. Qui vero de rebus Sinenſibus ſcribunt, aſſerunt vſque adeo veterem eſſe apud Sinenſes hanc artem, nullum vt inter eos exſtet originis eius monumentum. Primos autem libros in noſtra Europa typis mandatos volunt fuiſſe eos, quos de Ciuitate Dei Auguſtinus ſcripſit, & de Diuinis Inſtitutionibus Lactantius. *Volaterr. Genebr.*

1441. Dvm Hungaria inteſtinis diſſidiis agitatur inter Ladiſlaum Polonum, & eos qui à Poſthumo ſtabant; Turcæ in Tranſſyluaniam Duce Meſite Bego irrumpentes, inſigni clade afficiuntur à *Ioanne Huniade* cognomento *Corumo* à pago in quo natus eſt, magni nominis duce præfecto Tranſſiluaniæ à Ladiſlao: qui Walachus natione, humilibuſque natalibus ortus, ſed ingenio dextro animoque ſublimi primus apud Hungaros Turcarum acies & frangi & vinci poſſe mõſtrauit. *Æn. Silv. Cromer. Cuſpin.*

In Boemia *Gregorius Podiebrad*, ſeu *Podiebracius*, aut *Poggiebracius*, rei militaris peritia inſignis, Gubernator deligitur eius Regni ob puſillam ætatem Poſthumi: qui aũt paulatim qua vi qua arte illius demum factus eſt dominus, ut poſt videbitur. *Æn. Silv. Mechov.*

In Italia Franciſcus Sforcia, egregius militiæ dux, cum olim Venetis & Pontifici militaſſet, ac deinde iis relictis ad Philippum Ducem Mediolanenſem ſe conferens, eius filiam notham uxorem duxiſſet; turſumque ob quaſdam cum ſocero concertationes ad Venetos defeciſſet, ſæpiuſq; Philippi copias fudiſſet; hoc anno adeo vires eius attrivit, ut coegerit pacem quærere. *Iuſtin.*

In Thracia, Theodorus frater Imperatoris Conſtantinopolitani iratus quod à fratre regione aliqua ſpoliaretur, auxilio Turcarum Conſtantinopolim obſidet; ſed fruſtra. *Chalcond.*

1442. Renatvs Lotharingius amiſſa Neapoli (*vid. an.* 1435. & 1437.) cogitur in Galliam redire: & Alfonſus Aragonius Regni illius quod reliquum erat occupat. *Pandulph.*

Amurathes Turcarum Rex cladem ſuperioris anni ad Tranſſiluaniam acceptam ulturus, Abedinem Begleibegum cum 80. millibus Turcarum mittit: ſed rurſum tantus exercitus ab Huniade deletur. *Bonfin. Hiſt. Turc.* Erat cum Abedine *Scanderbegus*, de quo ad ann. 1423. qui deſiderio Epirum principatum paternum recuperandi, conſultatione cum Huniade habita ad Hungaros ſecedens, captum Turcæ ſecretarium literas Amurathis nomine ſcribere cogit, quibus ſibi totius Epiri præfectura traderetur: quarum auctoritate eo tendens, patriamque recuperans, & Chriſtianam religionem amplectens; (fuerat enim à Turcis circumciſus) ingentes poſtea intulit Turcis clades; & tam ipſe quàm Huniades Turcicam potentiam. & ne in Europæos inundaret, repreſſerunt hoc ſæculo. *Vita Scander.*

1443. Pax conſtituitur inter Eugenium PP. & Alfonſum Aragonium, ea conditione ut Pontifex Alfonſum diceret Regni Neapolitani Regem legitimum ſub tributo annuo octo millium unciarum auri; & Alfonſus Marchiam Anconitanam occupatam à Sforcia Eccleſiæ Romanæ reſtitui curaret. Steteruntque ambo conditionibus. *Pandulph. Marian.*

Idem Eugenius Florentia Romam redit; indicitque Lateranenſe Concilium. *Platin.*

Amurathes Turcarum Rex noua accepta clade ab Huniade, inducias petit à Ladiſlao Hungarorum Rege, impetratque in decennium, ſatis æquis pro Chriſtianis conditionibus. *Chalcond. Mechov. Cromer. Bonfin.*

1444. Ladislaus contra datam fidem, Iuliani Cardinalis & Italorum cruce ſignatorum ſuaſionibus ad bellum contra Turcas inſtaurandum impulſus, magno comparato exercitu, tranſitoque Danubio in Myſiam venit, & Amurathem obviam habuit ad Varnam oppidum: ubi acrociſſimo inito prælio die 10. Novembris, poſt diutinum certamen, & multam utrimque cædem, inſigni Turcæ potiuntur victoria, quamquam longe pluribus ſuorum deſideratis. Occiſus eſt Ladiſlaus Rex, cum aliquot Epiſcopis & Baronibus: Iulianus in fuga latronum manibus periit: Huniades incolumis euaſit, quod aliquos ſeruari quam omnes perire mallet. Ferturque Amurathes cum in prælio aciem ſuam inclinare cerneret, votum emiſiſſe, ſi incolumis & victor euaderet, ſe monaſterium ſuæ ſectæ ingreſſurum. *Chalcond. Cromer. Bonfin.* A.C.

Ludouicus Galliæ Delphinus à Friderico Imperatore, eiuſque fratre Sigiſmundo, Auſtriæ Duce (cum quo fraternum Delphino ius erat, quod haberent connubio ſibi iunctas duas Scotiæ Regis filias) invitatus exercitum in Heluetios ducit, Imperatori eiuſque fratri minus obtemperantes, & ad diſturbanda Baſileæ mœnia, ubi Concilium Eugenio Papæ infeſtum, pertinaciter adhuc hærebat. Victi prope Baſileam magna clade Heluetii, qui eam urbem in defenſionem Concilii propugnare decreuerant: Proceres ex urbe diffugiunt; & diſſipatur Concilium. *Crantz.*

Æneas Siluius, qui Scriba Concilij fuerat, vir apprime doctus, & in rebus gerendis induſtrius, mittitur ab Imperatore ad Eugenium, qui de tollendo ſchiſmate ageret. In qua legatione Eugenio reconciliatus, Baſileenſe Concilium ſua ſententia improbauit: quod & poſtea damnauit factus Pontifex. *Platin.*

1445. Amvrathes ex voto in prælio Varnenſi concepto, relicto Regno filio ſuo Mahomethi, in nemoroſam Aſiæ ſpecum cum paucis è ſuis monachis ſecedit: ſed tumultuantibus Ianizaris, & Chriſtianis nouas vires reparantibus, paulo poſt reſilit, & priſtinam adminiſtratiouem recipit, ac Peloponneſum ſibi ſubiicit. *Chalcond. Zacuth. Iouius. Annal. Turc.*

Hoc item anno *Nauclerus, Onuphrius*, & plerique alii diem obiiſſe volunt Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem, poſtquam imperaſſet annos 24. quamuis diſſentiat *Chalcondylas*, qui hoc poſt annos tres collocat. Succeſſit *Conſtantinus* frater, eius nominis XV. & poſtremus omnium Imperatorum Chriſtianorum: cui orta eſt diſſenſio cum fratribus, quæ ruinam Imperii accelerauit.

Poſt Ladislai ad Varnam interitum, Poloni Regem ſibi eligunt Caſimirum eius fratrem Lithuaniæ Ducem: Hungari Ladislaum Poſthumum puerum quinquennem, iam in cunis coronatum, (*an.* 1440.) adſciſcunt; ſed electo Regni Gubernatore Ioanne Huniade. Eiuſdemque Ladislai nomine Gregorius Podiebracius Huſſita Boemiam regit. *Cromer. Bonfin. Dubrav.*

1446. Inchoatvr bellum Amurathis in Scanderbegum in Epiro: quo Scanderbegus ſæpius eius exercitus fudit, & ex omni certamine victor ac ſine vulnere receſſit. Traduntque in hoc heroe tantum fuiſſe dimicandi ardorem, ut pugnanti ſanguis è labris etumperet: nec voluit vmquam in expeditione plura habere, quam ſena equitum millia, ternaque peditum; delectu militis, nõ numero, victorias parari prædicans. Vnde & eorum nomina, factaque memoriter tenere cõſueuerat. *Vita eius. Iouius, & alii.*

Sforcia ſolicitatus à Pontifice Eugenio, ad Philippum Mediolanenſem ſocerũ ſuum redit; & bello in Venetos excitato, eius partes defendit. *Iuſtin.*

Mare ad Dordracum in Belgio 17. April. Dominica Palmarum ruptis aggeribus, pluſquam centum hominum millia, cum infinita pecorum multitudine interemit. *Trithem.*

1447. Evgenivs PP. IV. poſt auditos Principum Germaniæ legatos, qui eum verum Pontificem reiecto Felice agnoſcebant, diem clauſit 23. Feb. poſtquam ſediſſet annos 16. minus novem diebus. Electuſque eſt in eius locum 6. Martii *Thomas* Serzan. Lunenſis, Cardinalis S. Suſannæ; qui nomen ſuſcepit Nicolai V. *Plantin. Onuphr.*

Hic Pontifex Nicolaus à liberalitate, & bonarum literarũ inſtauratione perpetuam laudem meruit. Miſitque & literatos per omnem Europam, quorum induſtria libri conquirerentur; unde Bibliotheca Vaticana mire aucta eſt: nec quiſquam vmquam fuit Pontificum aut Imperatorum, cui plures inſcripti ſint libri. *Platin. Volater. alii.* Quem & legimus quinque millia ducatorum (haud modicam tunc pecuniæ ſummam) ei promiſiſſe, qui Hebraicum S. Matthæi Evangelium ad ipſum deferret. *Genebr. ex Eckio.*

Florebant tunc inter viros doctos (præter illos, quos ſæpius variis locis ab anno 1428. recenſuimus tã Græcos quam Latinos) Ioannes Raguſæus, & S. Antoninus Ordinis Prædicatorum,

A.C.

dicatorum; B. Ioannes de Capistrano Ordinis Minorum; Georgius Scholarius, Iosephus Methanensis, Nicolaus de Cusa, & Ioannes Turrecremata Cardinales, & alii insignes Theologi & sacri Scriptores: Nicolaus Perottus, Franciscus Philelphus, Ioannes Argyropilus, Gemistius Plethon, Gregorius Tiphernas, Demetrius Græcus, Horatius Romanus, Victorinus, in Græcis & Latinis doctissimi: Georgius Purbachius Bauarus excellens Mathematicus, præceptor Regiomontani. *Bellarm. de Scriptor. Ecclesiast. Genebr. in Nicol. V. &c.*

1448. PHILIPPO Duce Mediolanensi, qui Italiam multis bellis turbauerat, (Vicecomitum in ea familia vltimo) mortuo sine liberis ex legitimo matrimonio natis; Mediolanenses, Alfonso Rege Aragoniæ, qui ex testamento defuncti heredem se asserebat, & Carolo Duce Aurelianensi, filio Valentinæ sororis Philippi, (quam Io. Galeacius pater nuptui dederat Ludouico Duci Aurelianensi Caroli V. filio) contendentibus de successione, repulsis; sed & Francisco Sfortiæ, qui Blancham notham Philippi vxorem habebat, metuentes ne Ducatum occuparet, auxilia subducentes quibus aduersus Venetos vtebatur: ipsi Reipublicæ formam sibi constituunt. Sed Sfortia ad Venetorum societatem denuo rediens, Mediolanensem se Ducem pronunciat, armisque eos inuadit. *Platin. Sabellian. Iustin. Don. Bossius.*

Huniades triduo pugnans aduersus Amurathem, primo victor, tertio suis non tam victis quam fessis, è prælio recessit: emptamque multo sanguine victoriam Amurathes domum retulit. *Cromer. Annal. Turc.*

1449. AMEDEVS, dictus Felix, Antipapa, suasione Concilii Gallicani apud Lugdunum habiti, & Friderici Imperatoris, ob bonum pacis Pontificatu se abdicat; eumque Nicolaus Pontifex Cardinalem creat. *Platin. Genebr.*

In hunc annum Matthæus Palmerius Florentinus Chronicon suum deduxit, cœptum ab anno 449. vbi S. Prosper desiit. Qui postmodum hæresis conuictus ex libro, quem de Angelis scripsit, damnatus est & igne combustus. *Trithem. Genebr.*

1450. ANNVS Iubilæus sextus Romæ celebratur. *Onuphr.*

Cæsis ad vicum Formini cum in Northmannia Anglis, vniuersa illa prouincia ad ius Regis Francorum redit. *Enguer. AEmil.*

Amurathes Turcarum Rex cum nimia vini copia se obruisset, repentina morte extinguitur 10. Februarii, post quam regnasset annos ferme 30. Succedit filius *Mahomethes* eius nominis Secundus, anno ætatis 21. qui fratrē suum, ne pater solus sepeliretur, statim strangulari iussit: & vrrumque funus regio ritu duxit. *Chalcond.* Sunt tamen qui hæc in annum sequentem referant.

Veneti cum viderent Sfortiam crescere, cum Alfonso Aragonio & Mediolanensibus fœdus ineūt aduersus eum: (adeo inconstans beneuolentia est cum de Regnis agitur:) sed nihilominus is Mediolanum capit, Ducis nomine assumpto. *Platin. Sabell.* Alii anno sequenti.

1451. REX Francorum, post captam mense Iunio Burdegalam, vniuersa potitur Aquitania; præter Baionam: quæ tamen 21. August. conspecta cruce candida in cœlo, (qualem Franci pro militari signo præferebant) rubram, quæ erat Anglorum, deposuerunt. *AEmil. Enguer.* Sed Burdegalenses iterum anno sequenti deficiunt ad Anglos, & circumiecta pleraque oppida. *Idem.*

In Italia pulsi è Veneta ditione Florentini, noui belli & periculosi initium faciunt: qui duce Cosmo Mediceo copias cum Sfortia Mediolanensi iungentes, arma mouent in Venetos & Alfonsum Neapolitanum. *Platin. Pandulph.*

1452. FRIDERICVS Imperator exiguo comitatu Romam aduenies, coronatur mense Martii a Nicolao P. P. & cum Alfonsum Regem inuisisset Neapoli, regreditur in Germaniam. *Platin. Naucler. Bonfin. Cuspin.* quod *Onuphr.* refert ad ann. præced.

Idem Fridericus regressus in Germaniam, quod Ladislaum Posthumum Hungariæ Regem, cuius tutelam hactenus gessisset, dimittere nollet, obiectus apud Nouam-ciuitatem, eum coactus est dimittere: qui summa omnium gratulatione Viennæ in Austria exceptus, Huniadi Hungariam gubernandam tradidit, Bohemiam Podiebracio, & Austriam Vlrico Comiti Ciliæ, qui Ladislaum apud se retinuit. sed idem Vlricus anno sequenti, ob nimiam superbiam, & rapinas, eiectus est: ac rursum anno subsequenti reuocatus, optime se deinceps gessit. Quod vero Fridericus recusaret restituere Coronam Hungaricam, Huniades eum bello impetit.

A.C.

Mahometes Turcarum Rex immanissimus, Athenas omnium artium & disciplinarum auctrices & altrices solo æquat, & ad obsidionem vrbis Constantinopolis se accingit. *Drechsler.*

Sacra Sindon, qua CHRISTVS Dominus in sepulchro positus est, eius effigiem integram, sudorisque & cruoris stigmata impressa tenens, Camberium in Sabaudiam defertur ab illustri matrona Margarita Carna à Regibus Hierosolymitanis orta, atque Hectori Lusiniano nupta; cum ipsa illuc ad Ludouicum Sabaudiæ Ducem Amedei filium & Annam Cypriam eius coniugem, tanquam ad affines accessisset. Rem gestam, miraculis comprobatam, ac diplomatibus Pontificiis confirmatam, descripsit *Philib. Pingonius* Baro libro de sacra ea Sindone conscripto. *Gaulter. in Chronolog.*

1453. MAHOMETES Turcarum Rex Constantinopolim obsidet terra marique, numerosissimo exercitu, & prodigiosis machinis. Cœpta obsidio die 5. Aprilis, prorogata est vsque ad 29. Maii, quo vrbs capta est. Triduo ante quam expugnaretur indicit Mahometes suis ieiunium; & promittit primo ascendenti murum prouinciam quam vellet in Europa, rotte exercitui direptionem vrbis per triduum. Constantinus Imperator fortiter inter primos pugnans ad portam occiditur, siue (vt alii volunt) populi fugientis pressura extinguitur: cuius abscissum caput conto suffixum delatum est per castra in contumeliam: & 40. millia hominum in vrbe cæsa feruntur. Sicque penitus concidit Imperium Græcorum sub Constantino Helenæ filio, quod fuerat primitus ab alio Constantino æque Helenæ filio in ea vrbe institutū, 1122. annis à dedicatione eius vrbis facta à Magno Constantino. Ac deinde Orientis Imperium penes Turcas fuit, & Ottomanicos Imperatores. *Onuphrius & Scaliger* hanc cladem referunt in annum præcedentem; sed plerique alii in præsentem, puta *Chalcond. AEn. Silu. Mechou. Leonclau. Crantz. Cruf. Genebr. Vigner. Gordon. Bucholcer. Caluis. & alii.* notaturque feria tertia & dies 29. Maii; quæ simul non concurrunt anno præcedenti, sed præsenti,

Gregorio Patriarcha Constantinopolitano mortuo, eligitur e Græcis in eius locum permissu Mahometis Gennadius Scholarius; qui rursum Græcos ab Ecclesia Latina retraxit: & sic deinceps suam Hierarchiam ad hæc vsque tempora perducunt, sub miserrima Turcarum tyrannide, quam ipsi sibi per schisma nefandum acciuerunt: assumunturque omnes ex ordine monachorum. Nicolaus vero Papa titulū Patriarchæ Bessarioni concessit; qui eum ad obitum vsque retinuit: sicuti & alii deinceps è Latinis Romæ creatis, tam illius quam aliarum Sedium Patriarchalium Orientalium titulares Prælati, *Genebr.*

Recipitur iterum à Francis Burdegala cum vniuersa Aquitania, post supremum cum Anglis prælium ad Castellionem, quo Talbotius occubuit. *AEmil. Til.* Adeoque tunc eiecti sunt Angli ex Gallia, vt nihil illis reliquum fuerit, præter Caletium. Vnde ad ciuiles inter se discordias conuersi, atque etiam in ipsum Regem armati, per annos plurimos acerbe patriam suam exagitarunt, præcipuis ortis factionibus familiarum Eboracensis & Lanclastrensis, quibus diuersi coloris Rosæ, alba & rubra erant insignia. *Polyd.*

Rex Castellæ à Mauris bello lacessitus, occupat Gibraltarum vrbem ad fretum Gaditanum, olim Heracleam dictam, aut etiam Calpe. *Stephan. Garm.*

1454. MORITVR idem Rex Castellæ Johannes mense Julii: eique succedit Henricus filius eius nominis Quartus. *Marian.*

Dum Mahometes Triballos debellat, Epirotæ & Macedones armantur in Demetrium Peloponnesi Principem, fratrem Constantini Imperatoris nuper occisi, quod pacem cum Turcis constituisset: Demetrius vero Turcas in auxilium vocat. *Chalcond.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

1455. NICOLAUS V. egregius Pontifex, angore animi ob captam Constantinopolim vexatus, pacem Italiæ à multo tempore bellorum motu concussæ afferre summopere studens; id tandem perficit inter omnes Principes & Respubl. solis exclusis Genuensibus. *Platin. Pandulph.*

Breui post idem Nicolaus moritur 24. Martii, cum sedisset annos octo dies 19. Eique substituitur 8. Aprilis *Alfonsus Borgia* Hispanus Valentinus Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, dictus CALLISTUS III. *Onuph.*

1456. LUCOVICUS Delphinus Franciæ iterum à patre secedens, quod non satis in honore apud eum esse sibi videretur, à patre bello impetitus rebus omnibus spoliatur: & ad Philippum Burgundum in Flandriam confugiens, ibi aliquot annis ab eo prudenter custoditur. *Til. Annal. Franc.*

Cometæ bini hoc anno apparuerunt, quorum posterior fuit mense Iunio procera cauda. Iis vero Callistus PP. territus, ad auertendam Dei iram aliquot dierum supplicationes indixit: constituitque in vrbibus, vt meridie campanæ pulsarentur, quo cuncti de precibus contra Turcarum tyrannidem fundendis admonerentur. *Platin.*

Vsumcassanes ex Assumbeia Turcica stirpe, Cappadociæ & Armeniæ Princeps, interempto Persarum Rege ex vetusta stirpe Gempsæ magni apud Parthos Sultani, vel (vt alii malunt) ex progenie Tamerlanis, in Perside stabilit Imperium suum, & bellum Mahomethi impulsus à Papa Callisto infert; ac victoria potitus, ad Pontificem rescribit sibi eius precibus hanc felicitatem obtigisse. *Volater. Platin. Genebr.*

Idem quoque Mahomethes cum ingenti exercitu & stupendis machinis bellicis Belgradum, seu Albam Regalem dictam, Hungariæ ciuitatem obsidens, ab Huniade, vrbem propugnante fortissime repellitur, cæsis 40. millibus Turcarum, & ipso Mahomethe oculum hasta sauciato, quoetiam prælio *B. Ioannes Capistranus* Ordinis Minorum sanctitate & doctrina celebratissimus, (paucis ante annis missus à Nicolao Pontifice in Germaniam, ad eradicanda concionibus suis hominum vitia, & populorum animos ad expeditionem in Turcas excitandos) egregiam operam adhibuit in hortandis militibus Christianis, & ope diuina imploranda. *AEn. Silv. Chalcondyl. Bonfin. Annal. Turc.* In cuius victoriæ memoriam Callistus Pontifex Transfigurationis Dominicæ festum instituit 6. Augusti, quo die prælium commissum est. *Platin. Anton. Genebrard.*

Eodem vero anno prædictus Huniades in morbum incidens, cum transiturus esset noluit Corpus Domini ad se deferri; sed summa animi demissione iusso se in templum vehi, ibi post peccatorum confessionem sumpta sacrosancta Eucharistia, inter manus sacerdotum piam animam efflauit: dux re militari clarissimus, propugnaculum hoc sæculo Orbis Christiani, & ingens Turcarum terror. *AEne. Silv. Bonfin.*

1457. E duobus filiis quos reliquit Huniades, senior Ladislaus, quod occiderit Vlricum Ciliæ Comitem, de quo supra, (*ann.* 1452.) qui cum Huniade apertum odium gesserat, & adhuc filios de proditione accusabat; à Ladislao Hungariæ Rege parum beneficiorum paternorum memore capite truncari iussus est, adolescens egregiæ indolis: Matthias vero minor natu in vinculis retentus est. *Æne. Silv. Bonfin.*

Cum vero contigisset, eumdem Ladislaum Regem adolescentem 18. annorum, eodem anno Pragæ, dum sponsam exspectaret Caroli Regis Francorum filiam, 22. Nouembris mortem obire: (non sine veneni suspicione ab Hussitis propinati) idem Matthias Coruinus ætatis ann 15. in custodia Pragæ detentus à Podiebracio, ab Hungaris Rex Hungariæ eligitur 22. Ianuar. anni sequentis; & pro eius liberatione 50. millia aureorum Podiebracio numerantur. Singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum: vt ex duobus adolescentibus, ætate moribusq; pene paribus, alter Ladislaus ex regio solio, dum nouæ nuptæ thalamum exornat, deferatur ad tumulum; alter Matthias, dum capitalem sententiam exspectat trepidus, ex carcere vocetur ad Regnum, *AEn. Silv. Methov. Bonfin.*

Circa hæc tempora *Ioannes* quidam *Echaim*, tympanista, & pecorum pastor, noua dogmata prædicare cœpit; dum negans decimas soluendas Clero, cuius vitam accusabat, etiam vlterius progressus, telonia, vectigalia, tributa, Principibus persoluenda negauit; & aquas ac nemora omnibus esse communia ac libera asseruit. *Munster. Genebr.*

A.C.

1458. SICVT in locum Ladislai Regis coronatus est (vt diximus) Hungariæ Rex Matthias Coruinus, cuius pater olim illud Regnum gubernauerat; ita & Bohemiæ gubernator Georgius Podiebracius, eiusdem Ladislai loco Rex proclamatur 2. Martii, vir quidem in administrandis rebus bellicis prouidus, sed erroribus Hussiticis plurimum deprauatus. *AEn. Sil. Bonfin.*

In Italia Genuenses varie vexati, dant se in fidem Caroli Regis Francorum: à quo missus Ioannes filius Renati Lothatingi, vrbem munit aduersus Alfonsi Regis Aragoniæ & Neapolis aduentantem classem. *Annal. Franc. Til.*

Interim Alfonsus moritur 27. Iunii absque liberis legitimis; cum declarasset successorem in Aragonia, Balearicis, Sicilia & Sardinia, Ioannem fratrem suum, qui iam Nauarræ Rex erat: in Regno vero Neapolitano, non relicto, sed virtute parto, Ferdinandum filium nothum. *Taraf. Pandulph. AEmil.*

Callistus quoque Tertius Pontifex, cum edixisset Regnum Neapolitanum ad iura Ecclesiæ redisse, carereque hærede legitimo, breui diem obit 6. Augusti, postquam sedisset ann. 3. menses 4. Eique subrogatur eodem mense *Æneas Siluius* Picolomineus, vir eruditus & industrius, patria Senensis, eiusdemque ciuitatis factus Episcopus à Nicolao Papa Quinto, & à Callisto Cardinalis S. Sabinæ: qui in Pontificatu nomen sumpsit Pii Secundi. *Onuphr. Platin.*

Is pace cum Ferdinando notho constituta, Regnum ei Neapolitanum confirmat; (ea tamen exceptione, ne id factum præiudicio cuiquam esset:) & vrbes Ecclesiæ Romanæ ab eo recuperat. *Pandulph.*

Mahometes Peloponnesum tributa solita negante subigit, expugnata Corintho; & potissimam partem ciuium Cõstantinopolim traducit. *Chalcond.*

1459. SIGISMVNDVS Austriæ Dux, quod Nicolaum de Cusa Cardinalem in vinculis aliquandiu detinuisset, à Pio Papa grauissimis censuris percellitur. *Platin.*

Idem Pius Conuentum Mantuæ celebrat multorum Episcoporum & Principum, de bello Turcis inferendo, Dux belli ipsemet futurus: sed cum essent tantæ Christianorum Principum diuisiones in Europa, conatus ille euanuit. Decreuit in eodem Concilio Pontifex, (contra quam olim in Concilio Basileensi senserat) nulli ius esse à Pontifice ad Generale Concilium prouocandi. *Platin. Marian. Crom.*

Joannes Renati filius, à Genuensibus & Francia accepta classe, Regnum Neapolitanum ingressus, molestum Ferdinando facessit negotium. *Pandulph. Marian.*

Jacobus nothus Episcopus Nicosianus in Cypro è Lusiniana familia, Regnum occupans, beneficiarium se Sultani Ægypti constituit; pulso antea ab eodem Sultano Ludouico Sabaudo, qui Reginam duxerat vxorem. *Paradin.*

1460. CRESCENTIBVS seditionibus in Anglia, Rex ipse Henricus prælio victus capitur à Richardo Eboracensi Duce: decretumque est à Senatu, vt Eboracensis Regni esset Rector Rege superstite; eo vero mortuo, Regnum obueniret Eboracensi familiæ. At Margarita Andegauensis, Regis coniunx, magni animi femina, collecto exercitu cum hostibus ipsa bis acie pugnat, & vincit, occiso Eboracensi cum filio, & aliis conspiratoribus supplicio affectis: sicque Rex libertatem recuperat. *Polyd.*

Jacobus Scotiæ Rex in obsidione Roxburgensi bombardæ clasmate extinctus, Regnum reliquit Jacobo filio, eius nominis Tertio. *Lesl.*

Academia Basileensis erigitur à Pio Papa: & Friburgensis in Brisgoia ab Alberto Austriaco.

1461. HENRICVS Rex Angliæ magno prælio victus ab Eduardo alio Ducis Eboracensis filio, confugit in Scotiam: Regina vero Margarita vna cum filio Eduardo in Galliam. Et Eduardus Eboracensis coronatur Rex Angliæ eius nominis IV. Qui Henricum, noua auxilia ex Scotia adducentem iterum vincit, & in Scotiam repellit, eundemque postea vestitu mutato in Angliam venientem capit, & in custodia detinet. *Polyd.*

Carolus Victor Rex Francorum moritur 22. Iulii, post-

quam

A.C.

quam regnasset ann. 38. mens. 9. Et Regnum accipit filius *Ludouicus* eius nominis XI. qui exauctoratis veteranis militibus, & ordinum ductoribus, mox etiam Magistratus munerumque functiones nouis hominibus demandauit: omnemque sic vitam sibi reddidit solicitam, & molestiarum plenam. *Gangum. Enguer. AEmil. Til.* Missis vero ad Pium PP. Legatis, obseruantiam Romanæ Ecclesiæ debitam exhibet; ac magna in Turcas auxilia, & Pragmaticæ Sanctionis abrogationem (sicut petierat Pius) pollicetur. *Matthias Palmer.* At Senatus Parisiensis non potuit adduci, vt Pragmaticam tolleret. *Gagnin. Genebr.*

Scanderbegus fortitudine & perpetua belli aduersus Turcas felicitate insignis, à Ferdinando Neapolitano in auxilium accitus, eum obsidione qua à Ioanne Andegauensi Barletæ premebatur liberat; eumque in Regno confirmat, deficientibus à Ioanne populis illis, facillima mobilitate notissimis. *Pontan. Iouius. Marian.*

Capta à Mahomethe Turca vrbe Trapezunte, Imperium illud finem accipit, ducto Dauide imperatore ex Comnenorum gente (*vid. ann.* 1204.) Constantinopolim, & cum tota familia interfecto. Sicuti & Demetrio Peloponnesi domino capto, familia Palæologorum in Græcia finem accepit. *Chalcond.*

1462. Aragonenses Proceres in Regem suum Ioannem rebellant, quod filium Regni hæredem durius quam par esset haberet. *Hist. Aragon.*

Fridericus quoque Imperator autumni tempore obsidetur à ciuibus Viennensibus, adiuuante eos Alberto Austriaco fratre; sed liberatur per Podiebracium Regem Bohemiæ. *Trithem.*

Laonicus Chalcondylas Athenienſis Turcicæ suæ Historiæ hoc anno finem imponit.

1463. Fit congressus ad Fontem rabiæ Aprili mense inter Ludouicum Franciæ & Henricum Castellæ Reges; quo Ludouicus nominatus arbiter diffidii quod erat inter eundem Henricum & Regem Aragoniæ de Regno Nauarræ post mortem Caroli eius Regis, fauorabiliorem Castellano dicit sententiam, quod Aragonios offendit, nec omnino Castellanis satisfecit: exortumque inde bellum diuturnum. *Commin. Marian.*

Veneti Hungaris confœderati bellum aduersus Turcas suscipiunt, ob vrbem Argos in Peloponneso Venetis ereptam. *Sabell.*

Moritur *B. Didacus* Complutensis 12. Nouemb. quem Sixtus V. ann. 1588. in SS numerum retulit.

1464. Conspirant Galliarum Proceres in Regem, atque imprimis Duces Britanniæ & Borbonii, ac Comes Carolesius Philippi Burgundi filius; Carolo Biturigum Duce Regis fratre belli principe, quod à *Bono publico* nomen accepit. *AEmil. Enguer. Commin.*

Cosmus Mediceus Florentinus, qui prudentia, opulentia, & auctoritate sua primus Mediceæ familiæ fundamenta splendoris iecit, moritur hoc anno, relicto filio Petro Mediceo. *Mich. Brut.*

Restituit tandem Fridericus Imperator Hungaris eius Regni Coronam. (*vid. an.* 1440. & 1452.) qua Matthias Coruinus anno Regni sui sexto coronatur Budæ mense Martio, post aliquas victorias reportatas de Turcis. *Bonfin.*

Stephanus Rex Bosnensis, & iure vxorio Seruiæ ac Rasciæ Despota, bello peritus à Mahomethe Turcarum Imperatore, & obsessus Iaitzæ, blanditiis eius ad colloquium euocatus, cute vinus exuitur; ac licet perfide ab impio tyranno, iusto tamen Dei iudicio cum vita Regnū, quod proprio patri fraudulenter ereptum, amittit. Hocque modo Bosna, Rascia, & Seruiæ magna pars in Turcarum potestatem pertulit: Iaitzam cum aliis aliquot oppidis Matthia Rege Hungariæ sibi vendicante. *Ann. Turc.*

Pius Papa Secundus dum Anconæ classem & expeditionem parat in Turcas, diem claudit 14. Augusti postquam sedisset lex ferme annos. Succedit 30. eiusdem mensis *Petrus Barbus* Venetus, Cardinalis S. Marci, sub nomine Pauli II. *Platin. Onuphr.*

1465. In Gallia coniurati prælium ineunt mense Iulii aduersus Regem ad Montem lethericum, pene dubio Marte: & tandem pax constituitur mense Octobri, dicta Confluentina à loco eius nominis prope Parisios; qua Rex quæ petebantur facile concessit, postea disiunctos aduersarios redacturus in ordinem. *AEmil. Commin. Til.* A.C.

In Hispania quoque Alfonsus Castellæ Regis frater bellum fratri indicit, fretus ope Procerum; qui Regis statuam regie ornatam, ornamentis spoliant, & per præceps agunt. *Marian.*

Pax inter Casimirum Poloniæ Regem & Cruciferos, seu milites Teutonicos, initur post varium ac diuturnum gestum inter eos bellum; ea conditione vt Magister Ordinis ac milites semper sint in fide & clientela Regum Polonorum: idque solemni iuramento confirmatum est. Atque eo modo Prussia ab Imperio aulla, Poloniæ iuncta est. *Munster. Cromer.*

Laurentius Valla moritur Calendis Augusti, omnium omnino Scriptorum reprehensor. *Desiderius Erasmus* nascitur, futurus postea semi Christianus: cuius tamen natiuitatem alii ad præcedentem, Cardanus ad sequentem annum refert.

1466. Paulus Papa Gregorium Podiebracium Bohemiæ Regem, ob hæresim quam profitebatur, Regno priuat, illudque donat Matthiæ Regi Hungariæ. *Matthias Palmer. Genebrard.*

Franciscus Sfortia moritur, primus eius prosapiæ Mediolanensium Dux; qui etiam ante biennium acceperat à Ludouico Francorum Rege Genuensem arcem. Succedit ei filius Galeacius, qui tum erat in Gallia apud Regem. *Platin. Bonfin. Bass.*

Moritur item ingenti Christianorum damno Georgius Castriotus Scanderbegus, febre extinctus 27. Ianuarii, anno ætatis 63. qui Turcicam rabiem à vastatione Epiri & Hungariæ annis 24. arcuerat; *Turcarum terror* vocitatus. *Vita eius.*

1467. Philippus Burgundiæ Dux, Flandriæ Comes, magnorum bellorum spectator & auctor, moritur Brugis mense Iulio anno ætatis 72. Habuitque successorem filium Carolum Comitem Carolesium, qui *Pugnax*, seu *Bellicosus* cognomine dictus est. *Annal. Fland. Marchant.*

Matthias Rex Hungariæ Bosniam Turcis eripere tentans, ex insidiis fere obrutus, ac tribus vulneribus fortissime pugnans acceptis, re infecta recedere cogitur. *Bonfin.*

1468. Rex Francorum Ludouicus exiguo comitatu ad colloquium cum Carolo Burgundiæ Duce veniens, cum interim audita esset Leodiensium à Carolo defectio, Rex aliquot diebus quasi in custodia detinetur vt auctor defectionis: tamen pax constituitur, & Leodium expugnatur, diripitur atque incenditur. *Commin. Gaguin. Til.*

Ioannes Andegauensis missus à Patre Renato Lotharingio, Aragonii nominis ob turbas Neapolitanas hoste, ad iura prosequenda Regni à Tarraconensibus oblati; post egregia in Aragonia edita facinora, exorta pestilentia decedit. *Æmil. Garin.*

Henricus Rex Castellæ, post certamen cum Alfonso fratre initum, ad pacem à Pontifice reuocatur, & Regno restituitur. *Marian.*

Matthias Hungariæ Rex Georgium Boemum sententia Ecclesiæ iam damnatum (*ann.* 1466.) acie vincit. *Crantz. Bonfin.*

1469. Ludovicus Rex Francorum Ordinem Equitum S. Michaelis instituit. *Gaguin.* Senatum, seu Parlamentum Gratianopolitanum in Delphinatu erexit. Literarum osor, noluit filium Latine scire, præter hoc solum, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare. Æmil. Genebr.*

Fridericus Imperator, voti religione Romam paruo comitatu petit, nemini formidabilis, paucis etiam venerabilis. Exceptus est à Pontifice per benigne ptidie natalis Christi; mansitque ibi diebus 17. *Crantz. Volater. Naucler.*

Matthias Rex Hungariæ maxima Boemiæ parte potitus, coronatur etiam eius Rex, Georgio Pragam fugiente: ac rediens in Hungariam, Georgii filium ducit captiuum. *Bonfin.*

In Anglia Warwicensis Comes, qui Eduardum euexerat in Regnum, iam eumdem bello impetit, ac primo victor, Regem capit; sed postea ab eodem è custodia elapso victus, in Galliam confugit ad Ludouicum Regem. *Polyd.*

1470. Certantibus in Gallia Rege, eiusque fratribus, ac

Duce

A.C.

Duce Burgundiæ, quis quem arte falleret; Rex vt cautior, ita & felicior. *AEmil. Commin.*

Eduardum Regem Angliæ, Comes Warvvicensis Gallorum auxiliis pellit regno, & Henricum antiquum Regem (*vid. ann.* 1461.) libertati & regno restituit. Eduardus fugit in Flandriam ad Carolum Burgundum sororis suæ virum. *Polyd.*

Iacobus Scotiæ Rex coniugem ducit Annam Danicam, & dotis loco Orcadas Insulas cum aliis accipit. *Hist. Scot.*

Mahometes occupata Eubœa insula, quam Veneti tenebant, metropolim eius Chalcidem per vim captam solo æquauit, crudelissime cæsis omnibus vtriusque sexus. Præfecti Veneti filia formæ elegantissimæ ad Mahometem deducta, mori maluit quam se eius libidini prostituere. *Naucler. Palmer.*

1471. GEORGIVS Podiebracius moritur in Bohemia ex hydrope, in hæresi pertinax: & à Proceribus Rex eligitur (neglecto Georgii filio) Ladislaus Casimiri Regis Poloniæ filius adolescentulus 15. annorum. Matthias autem relictis copiis, quæ protrahendo Bohemico bello sufficerent, cogitur in Hungariam ad sedandos ciuiles motus redire. *Cromer. Bonfin. Dubrau.*

Eduardus Angliæ Rex electus, accepto clam à Burgundo auxilio, rediens in Angliam, Henricum Regem à suis desertum, iterum in carcerem compingit; Comitem Warvvicensem prælio necat: Margaritam Henrici vxorem bellum instaurantem, vna cum eius filio Eduardo capit; Eduardum occidit, eamque ab Andegauense redemptam in Galliam remittit: ac demum Henricum ipsum in carcere peremit. *Polyd.*

Paulus Papa Secundus, vbi sedisset annis sex & vndecim fere mensibus, moritur 28. Iulii ex apoplexia. Et in eius locum substituitur 9. Augusti *Franciscus de Ruvere* Ordinis Minorum patria Sauonensis Cardinalis S. Petri ad Vincula; dictus SIXTVS IV. Huic Platina Vitas à se scriptas Romanorum Pontificum dicauit; valde infensus Paulo, à quo fuerat ob suspiciones in carcerem detrusus. Sequentium Pontificum Vitas Onuphrius addidit vsque ad Pium V.

Fuerunt Pauli tempore quidam hæretici Poli in Æquicolis, qui dicerent nullum vere CHRISTI vicarium fuisse post Petrum, nisi qui Christi paupertatem fuissent imitati. *Platin. Genebr.*

Eodemque tempore Hermannus Rissuich Hollandus, cum multorum errorum conuictus primo sententiam mutasset, & carceri perpetuo mancipatus fuisset; postea inde euadens, in priores errores relapsus, alios insuper peiores adiunxit: fidem Christianam velut stultam damnans, Aristotelicamque doctrinam ei præferens; Angelos à Deo creatos negans; animam hominis mortalem, Christum Dominum seductorem, elementa æterna asserens; aliaque id genus impiissime blaterans: ob quæ iterum damnatus, & Iudicibus sæcularibus traditus, igne pœnas luit. *Genebrar. Prateol. Sander. Gaulter.*

Quibus iisdem temporibus vixerunt (præter alios ab anno 1447. recensitos) insignes Theologi & Scriptores sacri, Dionysius Rikel & Ioannes Hagen de Indagine Carthusiani, Petrus de Natalibus, Pacificus Ordinis Minorum, Iacobus de Valentia ab Episcopatu dictus Chrysopolitanus, Ambrosius Camaldulensis, Henricus Harphius: præclari Oratores, & linguarum atque historiæ peritissimi, Rudolphus Agricola, Pomponius Lætus, Domitius Calderinus, Alexander de Alexandro, Ambrosius Calepinus: Mathematicus insignis Ioannes Regiomontanus: Iurisconsulti præclarissimi, Andreas Barbatius, Alexander de Imola, Bartholomæus Cæpola: & alii quamplurimi omni scientiarum genere ornati. *Bellar. de Script. Eccles. Trithem. Gault.*

1472. IN Galliis Rex, fratre vita functo, recepit Aquitaniam; res componit cum Britanno: & Burgundus deceptum se à Rege prætexens acre bellum infert. *Commin.*

Vsumcassanis Persarum Regis suasione, Veneti cum Romano Pontifice, Rege Neapolitano, & Rhodiis excitantur aduersus Turcas, & classes immittunt; sed fere irrito conatu. *Sabell. Palmer. Onuphr.*

Guinea, 12. gradibus ab Æquatore semota regio in ora Africæ ad mare Atlanticum, à Lusitanis inuenitur. *Osor.*

CERTATVR inter Francos & Aragonios de Perpiniano, siue Ruscinonensi Comitatu; quem decem antehac annis Franci in pignus acceperant auxilii eis bellici præstiti. *Nebriss. Garin.* A.C. 1473.

Mahometes Turcarum Imperator vlturus clades sibi ab Vsumcassane Persa illatas, expeditionem in eum ducit, transmissoque Euphrate, eum peracri prælio vincit; bombardarum maxime vsu deterritis Persis: filium eius necat, & ditionem vastat. *Ioan. Mari. Angi. Hist. Turc.*

Ordo *Minimorum* à S. Francisco de Paula Calabro instituitur, & confirmatur à Sixto Papa. Ipse vero post obitum refertur in canonem Sanctorum à Leone X. *Onuphr. Genebr.*

MORTVO Henrico Rege Castellæ, Regnum deuoluitur ad eius sororem Isabellam nuptam Ferdinãdo Aragonii Regis filio, qui dictus est *Catholicus. Nebriss. Marian.* Vult tamen *Garineus*, Henricum testamentum condidisse pro filia Isabella, quam Ioannam aliqui vocant: sed quod ea putaretur supposititia, reiecta est: quod tamen connubio iuncta fuerit filio Lusitani Regis, inde nata postea bella aduersus Ferdinandum de Castellæ Regno. *Taraf. Marian. Rittius.* 1474.

Bellum inter Hungaros & Polonos de Regno Bohemiæ recrudescens, induciis tandem pactis sedatur. *Bonfin. Cromer.*

SIXTVS Papa IV. Iubilæum Romæ celebrat, reductum iam antea per cõstitutionem Pauli decessoris eius ad quemuis vigesimum quintum annum. *Onuphr. Vid. extrauag. quem-adm. depœnit. & remiss. in 6.* Idemque festum Conceptionis B. Virginis confirmauit, cum approbatione Officii eius diei. *c. 1. de reliq. in extrauag.* 1475.

Stephanus Moldauiæ Princeps, vir magnus & rei militaris peritissimus, die 17. Ianuarii Turcas memorabili strage cædit. *Cromer. Annal. Turc.*

Renatus Lotharingiæ Dux & Heluetii, hostes Carolo Burgundo à Ludouico Francorum Rege excitati, eius ditiones aggrediuntur. Quod præstat ex alia parte Rex ipse: & aduenientem Eduardum Angliæ Regem in auxilium Caroli, inito cum eo colloquio apud Piquiniacum, ac sponsata filia Eduardi Delphino, remittit ad sua: fiuntque etiam induciæ cum Burgundo: qui Lotharingiam inuadens, fere totam occupat, Renato ad Ludouicum confugiente. *Commin. Naucler. Til. Annal. Fland.*

Ludouicus autem Lutzemburgius Comes S. Pauli Conestabilis Franciæ, quod contra Regem quædam molitus esse detectus fuisset ab Anglo, & Regi traditus à Burgundo, capite truncatur Parisiis. *Til. Annal. Franc.*

CAROLVS Burgundiæ Dux Heluetios inuadit; & bis ab iis victus, magnam in secundo conflictu ad Moratum acto Duce Renato Lotharingo cladem accipit 22. Iunii. Vnde Lotharingus prospere ad sua reuersus, Lotharingiam recuperat. *Commin. Naucler. Til.* 1476.

Ferdinandus Castellæ Rex Alfonsum Lusitanum prælio vincit Cal. Martii: eaque victoria, vna cum Summi Pontificis diplomate, pacatum ei attulit Castellæ Regnum, communi illius & Isabellæ coniugis nomine deinceps administratum. *Nebriss.*

Stephanus Moldauus Tartaros in se à Mahomethe immissos prælio vincit, & ad Borysthenem vsque fugat: ipsumque Mahomethem commeatu prohibens, Walachiam deserere cogit. *Annal Turc.*

Mortuo Iacobo puero Rege Cypri, filio Iacobi nothi, de quo *ann.* 1459. possessio Cypri deinceps Venetorum fuit: & quamuis scribant aliqui, testamento Carlottæ, quæ iure Regina dicebatur, ius Regni datum esse Sabaudiæ Duci; tamen illud Veneti retinuerunt: & quidem aliquamdiu nomine Catharinæ Corneliæ matris Iacobi, quæ Veneta erat; postea vero titulis quos ipsi proferunt nomine Reipublicæ; quousque Insulam Turcæ occuparunt. *Bonfin. Paradin. alii.*

CAROLVS Burgundus cum nouo collecto exercitu Nanceium in Lotharingia obsedisset, Renatus copiis Germanorum & Heluetiorum auctus affuit: prælioque inito 5. Ianuar. exercitus Caroli fusus est, ipseq; occisus: cuius corpus postridie è glacie quæ totum illud adstrinxerat eunlsum, honorifice sepultum est. Filia vnica Maria in tantas opes successura, paulo post nupsit Maximiliano Friderici Imper. filio. Rex Francorum Ludouicus Burgundiam recepit, & alias vrbes 1477.

quæ

A.C.

quæ in Belgio ad ius eius pertinebant. Hicque fuit exitus gloriæ & potentiæ Ducum Burgundiæ, quorum hic Carolus fuit postremus. *Commin. Gaguin. AEmil. Til.* Rex vero Senatum, siue Parlamentum Diuione in eadem Burgundia instituit, siue restituit. & stationes ac diuersoria equis cursoriis (quas *Postas* vocant) primus in Gallia constituit. *Til. Genebrard.*

Ioannes Moschorum Dux Tartarorum tributarius & seruus, vxore Græca hominem magis excitante, sumptis armis iugum Tartarorum excutit. Indeque finitimis Russorum Principibus astu & armis subiugatis; ac Nouogrado totius Septemtrionis emporio celeberrimo Polonis & Lithuanis post diuturnum bellum erepto; eius ingenti præda tantus euasit, vt terrori factus sit Tartaris, Turcis, Polonis, aliisque finitimis; sumpto sibi nomine *Magni Moschouiæ Ducis. Cromer. Hist. Moschouit.*

Academia Tubingensis auctoritate Apostolica instituitur à Duce Witembergensi; cuius primus fuit Rector *Ioannes Nauclerus.*

1478. Mahomethes Turcarum Imperator Croiam Epiri vrbem munitissimam Scanderbegi patriam sæpe tentatam, tandem post longam obsidionem in deditionem accipit: itemque Scodram Macedoniæ oræ caput, Venetis ereptam. *Barlet. Annal. Turc.* Prorogaturque in dies eius Imperium circumquaque in Europæos, dum Christiani Principes inter se dissident: quanquam non expers & ipse aliquando cladium.

Vsumcassanes moritur, qui Persis, Parthis, Medis, Armeniis, ac toti pene Orienti imperauit, & cum Turcis multis præliis decertauit. Post quem, Regnum obtinuit Iacobus eius filius, fratre natu maiore interfecto. *Bizar.*

Longa satis inter Parochos & Religiosos Mendicantes contentio de audiendis confessionibus, sedatur auctoritate Apostolica. *extrauag. de treuga & pace. c. 2.*

Inquisitio vbique iam per Italiam, Galliam, & Germaniam, atque etiam Aragoniam recepta; introducitur pariter in Regnũ Castellæ aduersus hæreticos, Mauros, & Iudæos, atque alios non Christianos, qui se pro Christianis gererent, ac multos seducerent. *Marian.*

1479. Ioannes Rex Aragoniæ moritur 19. Ianuarii: succeditque Ferdinandus filius iam vxoris iure Rex Castellæ; magnus Princeps vereque Catholicus, qui Hispanias Maurico dominatu liberauit. *Taraf. Marian.* Eiusdem Ioannis filia Eleonora, nata matre Blanca Nauarræa, & vidua Gastonis Flussatium Comitis, Regnum Nauarræ sibi debitum obtinuit: sed ea paulo post demortua, relictus est pupillus ipsius nepos Franciscus Phœbus sub tutela matris & patrui Petri Cardinalis. *Garim. Marian.*

Heluetii nunc primum consensu gentis, à Rege Francorum stipendia accipere incipiunt; sublato à Rege Ordine Sagittariorum, quos Carolus eius pater instituerat, quod latrociniis & rapinis vacarent. *Naucler. Gaguin. Genebrard.*

Maximilianus Flandriæ Comes, filius Imperatoris Friderici, expeditionem ducens aduersus Ludouicum Regem pro tuẽdis vxoris iuribus, exercitum eius fundit in Morinis: & pacem ab ea die expetit Ludouicus. *Æmil. Commin.*

Pax componitur inter Matthiam Hungariæ & Ladislaum Bohemiæ Reges; qua relictis aliquot prouinciis Matthiæ, Bohemiam Ladislaus & Electoris nomen retinet. Matthias statim ingentem Turcarum exercitum ditiones suas infestantem insigni victoria profligat, cæsis eorum triginta millibus. *Bonfin.*

1480. Rhodvs à Mesite Bassa iussu Mahometis Turcarum Imperatoris obsidetur maximis copiis & conatibus: sed resistentibus fortissime Equitibus sub eorum Magistro Petro Albussonio Gallo, soluitur obsidio; cæsis toto obsidionis tempore, nempe duorum ferme mensium, triginta Turcarum millibus. At missus ab eodẽ Mahomethe Achmes Bassa Italiam versus, Hydruntem Calabriæ oppidum post 17. obsidionis dies expugnat, multaque edit immanissimæ crudelitatis exempla; inter quæ Archiepiscopum hominem senem serra lignea dissecuit. Inde Apuliam ferro flammaque vastans, ingentem nec sine causa trepidationem vniuersæ Italiæ intulit: quæ Mahometis morte proxima, & Matthiæ Regis Hungariæ aduocato auxilio cessauit: cum & Principes Italiæ relictis dissidiis priuatis, de pellendis Turcis fœdus faciunt. *Bonfin. Sabell.*

A.C. 1481.

Mahomethes Turcarum Imperator, cum præliatum iret contra Sultanum Ægypti, prope Nicomediam in Bithynia in prato quodam circa vesperam extinguitur doloribus colicis die 3. Maii ann. ætatis 53. regni à morte patris 31. & 3. fere mense. *Magnus* à suis dictus; quippe qui duo Christiana Imperia, Constantinopolitanum & Trapezuntinum, ac duodecim Regna subuerterit, & plus quam ducentas magnas vrbes Imperio suo subiecerit. Ianizari statim Constantinopolim reuersi, vrbem diripiunt: & *Baiazethem* minorem natu filium in Imperium euehunt; qui paulo post Zemem siue Zizimum fratrem prælio victum fugauit. *Ann. Turc. Cuspin. Naucler. Onuphr.* Cæterum audito Mahomethis obitu, & aduenientе Matthiæ Regis Hungariæ auxilio, Turcæ Italiam deserunt; & Hydruns post aliquot mensium obsidionem deditione recipitur, atque omnes Turcæ præsidiarii in captiuitatem abducuntur. *Iidem.*

Christiernus, siue Christianus, Rex Daniæ moritur 2 Iulii: succeditque filius Ioannes.

Moritur item Alfonsus Rex Lusitaniæ mense Augusti, constituta prius pace cum Ferdinando Rege Castellæ; idemque insignis multis rebus præclare gestis contra Mauros Africanos. Succedit Ioannes filius eo nomine Secundus. *Marian.*

Diem claudit ætate admodum prouecta Renatus Andium & Prouinciæ Comes, nuncupatus Rex Siciliæ, Neapolis, Ierusalem, & Aragoniæ; de cuius in ea Regna iuribus dictum est suis locis superius. In nepotem Ludouicum Francorum Regem transfert ius Regni Siculi; & in fratrem Carolum Comitem Cœnomanorum, Prouinciæ iura omnia. Habet *Æmilius*, Prouinciam suprema prædicti Renati Senioris voluntate ad Regem peruenisse, multa Iunioris Renati Lotharingi sui ex filia nepotis expostulatione. Sane ab obitu prædicti Caroli, qui paulo post contigit, Francorum opibus accessit omnino Prouincia; nec est amplius ab iis auulsa. *Genebr. Marian. alii.*

Petrus Osmensis Theologiæ Professor in Schola Salmaticensi libellum scripsit de Confessione; quam non ex Dei institutione, sed hominum inuentum esse asseruit: qui per Alfonsum Toletanum & Theologos damnatus est, ac combustus; atque etiam peculiari decreto à Sixto PP. IV. proscriptus. *Castr. Genebr. Gaulterus.*

1482. Maria Maximiliani vxor (*ann.* 1477.) in venatione ex equo ferociente excussa, cum dolorem dissimularet, moritur mense Martii, relictis liberis Philippo quadrimo & Margarita. *Commin.*

In Italia Veneti (aduersus quorũ potentiam reliqui Principes Italiæ fœdus inierunt) Ferrariæ Ducem armis petunt, generum Ferdinandi Regis Neapolitani, ob loca quædam occupata: & Ferrariensis suis socerique armis eos ægre repellit. *Naucler. Onuphr. Iouius.*

In Scotia, quod Rex Iacobus Tertius cuiusdam Cochranei, aliorumque infimorum hominum consiliis regeretur; atque inde Ioannes Marriæ Comes Regis frater maiestatis damnatus occisus esset, & Alexãder Dux Albaniæ alter frater in carcerẽ coniectus, inde euadens in Galliam se recepisset: hoc anno idem Alexander Angliæ Regis auxiliis Scotiam inuadit, interea dum Rex à Proceribus in custodiam datur: paceque cum Anglis constituta Albanus Regni curam accipit: sed Angli contra fidem datam Beruicum expugnant. *Leslæus.*

Ferdinandus Hispaniæ Rex bellum inchoat aduersus Hali Habenhazen Maurum Regem Granatensem. *Nebrissen.*

Zemes frater Baiazethis, post fratris victoriam peregrinatus ad Mecham, iam inde reuersus alium exercitum ex Ægypto aduersus fratrem ducit: sed iterum victus Rhodum fugit: vbi diu velut sub custodia detentus, Baiazethe necessaria subministrante, postea in Galliam, ac demum in Italiam missus est ad Pontificem; & tandem arte Baiazethis extinctus. Interea vero hoc anno Baiazethes, post fusum fratrem vocatis aliquando Veziris suis ad cœnam, eosque noua veste honorans, Achmethem Bassam, cuius opera Hydruntem ceperat, & fratrem vicerat, quod videretur potentior, necat. *Annal. Turc. Bizar. alii.*

A.C.

1483. EDVARDVS Rex Angliæ moritur 9. Aprilis. Cuius frater Richardus Dux Cloceſtriæ, illius filiis occiſis Regnum inuadit eo nomine Tertius 3 detinetque biennio tyrannice. *Polyd.*

Moritur item Ludouicus XI. Rex Francorum 30 Auguſti, cum regnaſſet ann. 22. ac dies 40. Princeps ferox & verſatili ingenio; qui primus preſſam nobilitatem ſeruire coegit, & populum tributis preſſit: vnde dicitur primus emancipaſſe Reges Franciæ. Succedit patri *Carolus* eo nomine VIII. annum agens 13. *Æmil. Genebr. Til.*

Franciſcus Phœbus Regni Nauarræ hęres moritur: à quo ad Catharinam ſororem omne ius deuoluitur; negotium tamen ei faceſſentibus Belmontianæ familiæ Proceribus. *Garin. Marian.*

Veneti à Pontifice ceſſare iuſſi à bello, pergunt tamen, pugnant, & cæduntur. *Sabell.*

Luſitani Proceres contra Regem conſpirantes, vel capitis damnantur, vel in exilium eiiciuntur. *Marian.*

Naſcitur peſtis ingens Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ, *Martinus Lutherus* Islebii ſub dominio Comitum Mansfeldenſium, patre Ioanne & matre Margarita, 10. Nouembris feria 3. paulo ante mediam noctem. *Eber. & alii Vid. infr. ann.* 1505.

1484. POST magnam illatam Hiſpanis cladem à Mauris ad Malacam, iidem paulo poſt Boabdilem Granatæ Regem prælio fuderunt, ac ceperunt: & propter victoriam ad vetera Regum Hiſpaniæ inſignia, caput Regis coronatum adiectum eſt, circum oram clypei nouem vexilla de Mauris eo prælio capta, rei geſtæ monumentum. *Marian.*

Nauarræ Regnum incipit ſenſim occupari à Ferdinando Hiſpaniæ Rege, locatis per aliquot oppida præſidiis. *Idem.*

Luſitani Æthiopiæ regionem vltra Æquatorem (Regnũ *Congo* nominant) hoc anno inuenerunt. *Oſor.*

Sixtus PP. IV. cum ſediſſet ann. 13. dies 4. & Romam templis, ac xenodochiis, aliiſque operibus publicis reſtitutis ornaſſet; Principes multos Chriſtianos à Turcis pulſos ſuis ſumptibus aluiſſet, aliaque præclara plurima peregiſſet; moritur 12. Auguſti. Et in eius locum eligitur *Ioannes Baptiſta Cybo* Genuenſis, Cardinalis S. Laurentii in Lucina, die 29. eiuſdem menſis; dictus INNOCENTIVS VIII. *Onuphr. Genebrard.*

1485. IN Gallia inſanum bellum (ſic dictum, vulgo *La folle guerre*) excitatur à Ludouico Duce Aurelianenſi Regi cognatione proximo, iunctis ſecum multis aliis Principibus & Proceribus; quod in Regni regimine, dum Rex adhuc ætate minor eſſet, poſtpoſitus fuiſſet Annæ Regis ſorori. *AEmil. Til.*

In Anglia Richardus crudelitate ſuis exoſus, ab Henrico Comite Richemontio, qui iam diu in Minore Britannia exulans collecto exercitu in Angliam tranſmiſerat, prælio vincitur & interimitur menſe Auguſti: ipſeque Henricus Regno potitur, dictus Henricus Septimus. *Polyd. AEmil. Commin.*

Matthias Rex Hungariæ bellum gerens contra Fridericum Imperatorem, Viennam Auſtriæ fame execrabili expugnatam in deditionem accipit Calendis Iunii. *Bonfin.*

Stephanus Moldauiæ Princeps à Baiazethe Turcarum Imperatore inuaſus, dat ſe in clientelam Caſimiri Regis Poloniæ; ſolemni iuramento ſpondens menſe Septembri ſe vniuerſamque Moldauiæ prouinciam ſub imperio Regum Poloniæ deinceps futuram. *Annal. Turc.*

Iacobus Perſarum Rex filius Vſumcaſſanis, nulla re memorabili geſta, Regno tamen non mediocri moderationis laude adminiſtrato; cum aliquãdo à balneo exiens oblatum ab impudica vxore venenati vini poculum, iuſſa prius ipſamet guſtare, hauſiſſet partemque filiolo tradidiſſet; ipſe cum vxore & filio extinguitur. Succeſſit Iulauerus ei affinitate coniunctus: & poſt alios breui tempore extinctos, ſub ann. 1500. Regnum in antiquam Gempſæ familiam rediit. *Bizar. Genebr.*

1486. MAXIMILIANVS, agente patre Friderico Imperatore, in Comitiis Francofurtenſibus renuntiatur Rex Romanorum 16. Febr. & coronatur Aquiſgrani 10. Aprilis. *Naucler. Fabrit. &c.*

Henricus Rex Angliæ extinguendi odii cauſa inter familias Eboracenſem & Lanclaſtrenſem, Eliſabetham Eduardi IV. Regis filiam ducit vxorem. *Polyd. Commin.* A.C.

Ferdinandus Rex Hiſpaniæ feliciter proſequitur bellum Granatenſe. *Nebriſſenſ. Marian.*

Orto bello inter Baiazethem Turcam & Sultanum AEgypti, quod Sultanus Zemi Baiazethis fratri auxilia præſtitiſſet; hoc anno Sultanus duce Vſune Vsbego duos Baiazethis exercitus ingentibus cladibus in Ciciliâ profligauit; quorum priori qui præerat Baſſà Baiazethis gener interfectus eſt, qui poſteriori captus. *Annal. Turc.*

Albertus Elector Brandeburgicus moritur 11. Martii: dictus *Achilles Germanicus*, quod (vt ait *AEn. Siluius*) pluribus interfuiſſet præliis quam alii ſui temporis duces, proſtraſſet ferociſſimos hoſtes, expugnaſſet munitiſſimas vrbes, ſingulari certamine nunquam non proſtraſſet hoſtem, in militaribus ludis omnes in ſe currentes equo deturbaſſet, &c.

1487. LVSITANI magis penetrant in Æthiopiam; vbi tunc Imperator fuiſſe narratur Alexander quidam, & vbi Principes ſe à Salomone Rege progenitos iactabant matre Regina Sabæ. *Dam. à Goes.*

Ioannes Laſcaris ex Imperatoria Laſcarinorum familia originem ducens, mittitur à Laurentio Mediceo, penes quẽ erat ſumma Reipublicæ Florentinæ, in Græciam ad Baiazethem Turcarum Imperatorem; vt conquiſitis libris optimis Florentinam Bibliothecam hoc nouo theſauro ditaret: cui poſt Nicolaum Quintum Pontificem, tantum debent reſtitutæ linguæ & artes, quantum cuiquam alii; inuitatis ad ſe viris doctis è Græcia profugis, aliiſque vndique. Quo etiam tempore floruerunt (poſt illos quos ab ann. 1471. enumerauimus) Angelus Politianus, Raphael Volaterranus, Marſilius Ficinus, Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileienſis, Ioannes Picus Comes Mirandulanus, Philippus Beroaldus, Baptiſta Fulgoſius, Iouianus Pontanus, Philippus Callimachus, Ioannes Nauclerus, Matthias Palmerius, & alii plurimi viri ſumma eruditione clari & hiſtoriarum cognitione celebres: & inter Theologos, Gabriel Biel Germanus, Marſilius ab Ingen, Finus Hadrianus, Angelus de Clauaſio auctor Summæ Angelicæ, Wernerus Weſtphalus Carthuſianus, Rupertus Epiſcopus Aquilanus, Baptiſta Trouamala ſcriptor Roſellæ caſuum, Guilelmus Textor, &c. Felinus Iuriſconſultiſſimus; & alii plurimi omni artium & ſcientiarum genere præſtantiſſimi. *Bellar. Genebr. Cacc.*

1488. TVRCÆ duce Hali Baſſa, nouo exercitu in Cilicia Adanam ciuitatem oppugnantes, Ægyptios vrbi auxilio aduenientes vehementi prælio ſuperant. *Annal. Turc.*

Flandrenſes cum Maximiliano de tutela Philippi eius filii decertantes, eum in cuſtodia detinent Brugis: ſed poſt aliquot menſes liberatur à patre Imperatore; & pax inter eos conſtituitur. *Trithem. Marchant.*

Res item componuntur inter eundem Fridericum Imperatorem & Matthiam Hungariæ Regem: ipſe Matthias bellum transferens in Sileſiam, Glogouiam occupat. quod bellum quia in caſtris Matthiæ fuerunt equites Raſcii, dictum eſt à ruſticis Raſcianum. *Curæus.*

In Gallia pugnatur inter regium exercitum Duce Tremolio, & Ducem Arelianenſem eique adhærentes Principes; initoque acerrimo prælio ad S. Albanum in Britannia 29. Auguſti, victus Aurelianenſis capitur, & in cuſtodia detinetur vſque ad expeditionem Regis Neapolitanam. *AEmil. Til.*

Genuenſes coguntur ſe ſubdere Ludouico Sfortiæ Duci Mediolanenſi; qui è tutore Ioannis Galeacii pupilli, dominatum Mediolani occupauerat. *Append. ad Palmer.*

Iacobus Rex Scotiæ menſe Iunii à ſuis ob tyrannidem rebellantibus occiditur in prælio, ſiue poſt à conſpiratoribus. Succedit filius Iacobus eo nomine IV. adoleſcens 15. annorum. *Commin. Leslæus. Iouius.*

1489. CAROLVS Francorum Rex, repudiata quam olim deſponderat, & diu nondum nubilem apud ſe detinuerat, Margarita Maximiliani filia; Annam Britanniæ hæredem ducit, quæ per procuratorem iam fuerat Maximiliano deſponſa: hincque excitatur inter eos bellum, quod poſt triennium ſopitur, recepto à Maximiliano vna cum filia Atrebatum Comitatu. Interea vero Britanniæ Ducatus per

eiuſmodi

eiusmodi Regis Caroli matrimonium Coronæ Galliæ annectitur. *Commin. Til. Naucler. Gaguin.*

Scribunt aliqui Innocentium Pontificem permisisse Norwegis, vt possit Missa celebrari sub vna specie tantum panis, quod ob immensa frigora vinum eo importatum acescat. Sed suspecta historia, quam ex solo Volaterrano huius temporis scriptore acceperunt posteriores: præsertim cum Volaterranus secum pugnet, dum ait permisisse Pontificem sine vino sacrificare calicem.

Poloni Tartaros in Poloniam incursantes magna clade afficiunt: ac rursum in Russia. *Cromer.*

1490. MATTHIAS Rex Hungariæ, *Turcarum terror* appellatus, apoplexia moritur Viennæ in Austria 5. Aprilis; & leones qui Budæ detinebantur, omnes eodem die interiere. Eligitur in eius locum Rex Hungariæ Ladislaus II. Boemiæ Rex, filius Casimiri Regis Poloniæ. In quem Albertus ipsius frater minor natu, auxiliante etiam patre Casimiro, arma mouens quod ambiret ipse Regnum Hungariæ, prælio vincitur à ducibus Ladislai, etiam ipso (vt aiunt) inuito Ladislao qui in fratrem pugnare nollet. Fridericus quoque Imperator ius suum in Regnum Hungariæ repetens, Austriam a Matthia olim occupatam cedente Ladislao recuperat: Maximilianus autē Friderici filius his non contentus, Hungariam ipsam inuadit, & Albam regalem capit. Cum autem & Budam pergeret, in itinere à Ladislao magna clade affectus, cogitur regredi in Austriam; & Ladislaus Albam recuperat. *Bonfin. Cuspin.*

Innocentius PP. in ecthasin soporiferam incidens, horis 20. sine arteriarum motu immobilis fuit; vt omnes crederent eum defunctum esse. *Onuphr.*

In Armenia Baiazethis exercitus profligatur duce Ischenderbego; cui duo filii in acie ceciderunt, & ipse captus est. Pariterq; in Cilicia, alia inita pugna periit gener Baiazethis filius Vsumcassanis. *Annal. Turc.*

1491. MATTHIÆ defuncti Regis Hungariæ vidua nubit Ladislao Regi, ea conditione vt si liberi Ladislao non essent, Regnum Hungariæ deuolueretur ad Maximilianum, eiusque heredes recta linea descendentes: sicque pax inter eos firmata est. *Cuspin.* Quam & Ladislaus, missis legatis, cum Baiazethe Turcarum Imperatore iniuit.

Ferdinandus Rex Hispaniæ obsidet Granatam Maurorum metropolim 23. Aprilis; quæ post septem menses deditionis conditiones firmauit 25. Nonemb. sequenti vero Ianuario Ferdinandus eam ingressus est. *Marian.*

Baiazethes Turcarum Imperator, cum non satis prospere bellum in Cilicia ageret, pacem init cum Sultano Aegypti, retenta Adana cum Tarso. *Annal. Turc.*

1492. FERDINANDVS Hispaniæ Rex ingreditur arcem Granatæ 2. Ianuarii, vrbem ipsam 6. eiusdem mensis. *Marian. & alii.* Huncque tandem finem habuit in Hispania Maurorum dominatus, post 780. ferme annos ab eius facta per eos inuasione. (*vid. in Epitom. an.* 713.) Remanserunt tamen adhuc multi, sed absque Rege.

Quo eodem anno mense Martio pulsi sunt ex vniuersa Hispania Iudæi edicto regio; haud tamen permissi aurum vel gemmas regno exportare, sed commutatione bonorum suorum alias merces abducere. *Naucler. Onuphrius. Pontan. Marian.* Plerique Scriptores 170. familiarum millia abiisse confirmant, quidam ad octingenta millia capita. *Marian.* Vt non immerito Ferdinandus ex tot & tantis rebus pro fide Catholica feliciter gestis cognomento *Catholici* à Romano Pontifice honestatus fuerit. *Taraf Genebrard. Marian.*

Eiusdem item Regis auspiciis *Christophorus Columbus* Ligur mense Augusti nauigationem occœpit ad Nouum Orbem detegendum, quem Occidentalem Indiam vocant: quod & subsequentibus annis felicissime præstitit. *Genebrar. Bemb. & alii omnes.*

Idem vero Ferdinandus 7. Decembris, dum quosdam priuatos de iniuriis conquirentes audiret, à quodam Catalano, qui somniauerat se, occiso Rege, Regem futurum, districto gladio vulneratur ad aurem: fanaticus autem somniator exquisitis cruciatibus perimitur. *Marian.*

Casimirus Poloniæ Rex moritur mense Iunii: cui ex testamento succedit filius Ioannes Albertus, frater minor natu Ladislai Hungariæ & Boemiæ Regis; eruditus ille quidem, sed in bello parum felix. *Cromer.* Fuit autem & Casimiro alius filius eodem quo ipse nomine: quem tradunt, cum ad recuperandam sanitatem suaderent medici cum femina commisceri, maluisse mori quam pollui. *Genebrard. ex Chron. Polon.*

Moritur item Innocentius PP. VIII. 25. Iulii, postquam sedisset annos septem ac menses fere vndecim. Et in eius locum eligitur 11. Augusti *Rodericus Borgia* Valentinus Hispanus, Cardinalis Portuensis & Vicecancellarius; qui nomen accepit ALEXANDRI VI. *Onuphr.*

Scribit *Iouius*, prædictum Innocentium PP. dono Baiazethis Turcarum Imperatoris accepisse *Ferrum Lanceæ* quo Christi latus apertum est, *Genebrard.* sed vide sup. an. 1256. Sub eodem quoque Innocentio inuentus est Romæ *Titulus* S. CRVCIS Dominicæ, in Basilica S. Crucis in Ierusalem nuncupata in medio templi pariete occlusus, cum triplici lingua IESVS NAZARENVS REX: cetera deficiunt. *Volaterr. Genebr.*

CAROLVS Rex Francorum Neapolitanam expeditionem parans, (ad quod Regnum a Seniore Renato ius acceperat. *vid. an.* 1481.) ab aliquibus inducitur Ruscinionis & Perpiniani Comitatum Ferdinando reddere. *Til. vide supr. ann.* 1473. 1493.

Fridericus Imperator, cum enato carcinomate noxio alterum crus ei præcisum esset, moritur 19. Augusti anno ætatis 78. Imperii 53. ac mense 4. Post quem imperat *Maximilianus* eius filius, iam antea declaratus Rex Romanorum. *Cuspin.*

Catharina Regina Nauarræ & Ioannes maritus coronantur Pampelonæ. *Tid. ann.* 1483.

Christiani magna clade funduntur à Turcis in Croatia. *Trithem. Bonfin.*

Redeunte Columbo mense Aprili in Hispaniam, post detectas quaidam Insulas Noui Orbis; Alexander VI. Pontifex dato diplomate mense Maii, Ferdinando eiusque coniugi Isabellæ Hispaniæ Regibus legitimam concedit illarum Occidentalium prouinciarum possessionem, quæ essent centum leucis vltra Insulas Hesperidas ad Promontorium Viride iacentes; ceteris Regi Lusitano relictis; linea cogitatione descripta per vtrumq; cœli cardinem, quæ hunc limitem secaret. Iniunctum tamen Regibus, vt præcones Euangelii in eas prouincias mittere tenerentur. *Genebrard. Marian. alii omnes.*

1494. FERDINANDVS Rex Neapolitanus, dum parat in eum arma Rex Franciæ Carolus, moritur 25. Ianuarii: heredemque Regni relinquit Alfonsum filium, approbatum iam à Summo Pontifice, nihil tamen patre gratiorem populis ob sæuitiam. *Iouius. Guicciard.*

Orientalis Indiæ & Oræ Æthiopiæ iam antea Lusitanis quæsita possessio effecit, vt Pontifex concordiæ causa inter eos & Hispanos qui Indiam Occidentalem subigendam susceperant, noua linea eorumdem consensu figeret limites; quæ ducta à Septentrione ad Meridiem, Occidentem versus distaret ab Insulis Hesperidibus, & Promontorio Viridi 1080. milliariis, non, vt anno præterito decretum fuerat, 400. dumtaxat: ita vt quicquid ab ea linea versus Orientem acquireretur, Lusitanis cederet; versus Occidentem Hispanis. quod præsertim factum est, ne Hispani quicquam tentarent in Interiori Africa & Æthiopia, quam Lusitani (vt dixi) aperuerant. Sed omnino ex hac concordia lis postea noua orta est, occasione Insularum Molucarum vnde aromata aduehuntur, quas vtrique populi intra suam orbis partem comprehendi contenderunt: qua de re postea. Hæc autem inter alias Hispanicarum rerum Scriptores, elegantissime tractauit *Hieronymus Osorius* Episcopus Algarbiensis in Vita Emmanuelis Regis Lusitaniæ, qui successit Ioanni tum regnanti cum hæ pactiones fierent auctoritate Alexandri Pontificis.

Ordo *Pœnitentium* mulierum ex prostitutis, incipit Parisiis prædicatione Ioannis Tisserandi Ordinis Minorum S. Francisci. *Til. Genebr.*

Carolus Rex Francorum ingressus in Italiam, & qua benigne qua coacte vbique receptus, Romam aduenit

A.C.

desinente anno. Cuius itineris historiam cum plures attigerint, eam præ cæteris duo testes oculati omni exceptione maiores descripserunt, *Philippus Commineus* nobilis Flander, naturæ bonitate vsuque rerum ad sapientiam ciuilem instructissimus, qui Ludouici Vndecimi huiusque Caroli vitam conscripsit; atque *Franciscus Guicciardinus* nobilis Florentinus, qui magna eruditionis pariterque sapientiæ commendatione res his temporibus in Italia memorabiles scriptis commendauit.

1495. Rex Carolus Romę renuntiatur à Summo Pontifice Imperator Constantinopolitanus. Et interim Alfonsus Rex Neapolitanus, siue subditis diffidens, siue voto veteri motus, Regno se abdicans, illudque Ferdinando filio relinquens, secessit in Siciliam vitam monasticam acturus. Carolus autem leui prælio hostibus fusis, Neapolim ingreditur 22. Febr. & paulo post toto Regno potitur. Cuius felicissimo progressu perculsi Itali, aliique Principes eius gloriæ ac potentiæ æmuli, fœdus ineunt, Maximilianus Imperator, Ferdinandus Rex Hispaniæ, Ludouicus Sfortia Dux Mediolanensis, Veneti, fauente etiam Alexandro Pontifice; vt Caroli in Galliam reditus intercluderetur: qui iunctis copiis, Fornoui non longe a Parma ad Tarrum fluuium sese ei opponentes, haud tamen efficere potuerunt, quin ipse longe licet minori militum numero pugnans, acri eis prælio ruptis libere peruaserit: relicto Neapoli, priusquam inde abscederet, Duce Monpenserio cum parte exercitus. Peruenit autem in Galliam mense Octobri. *Guicciard. Commin. Til.*

In hac Neapolitana expeditione, primum in Europa innotuit infaustus ille morbus, quem Itali Gallicum, Galli Neapolitanum, Afri Hispanicum vocant. Augescentibus hominum peccatis, auxit Deus pœnas peccati. Sunt qui putant eum ex Nouo Orbe, vbi ea contagio plurimum viget, Hispanicis nauigationibus in Europam, & à militibus Hispanis in Italiam atque Neapolim delatum. *Marian.*

Ioannes Rex Lusitaniæ, cuius auspiciis primum superatum est maximum illud toto orbe terrarum Promontorium Bonæ spei, moritur ex veneno 14. Sept. Successit in Regnum Emanuel patruelis eius: cuius præclaras res per suos Duces India & Africa gestas copiose & elegantissime descripsit *Osorius*, de quo an. super.

Comitis à Maximiliano Imperatore Wormatiæ habitis mense Iulii, instituitur Camera Imperialis, ex consilio Bertoldi Archiepiscopi Moguntini viri sapientissimi. Quæ primo ibidem Wormatiæ steterit, deinde post aliquot annos Ratisponam, ac demum Spiram translata est. *Auentinus & alii.*

1496. Regresso in Galliam Carolo Rege, Neapolitani initi in eum fœderis nomine animati, deficiunt ab eo ad Ferdinandum Alfonsi filium: & mortuo Duce Monpensterio, quod reliquum fuit Gallorum militum in patriam remittitur. *Commin. Til. Marian.* Ferdinandus non multo post moriens, successorem habuit patruum Fridericum.

Maximilianus Imperator rogatus à Venetis & Mediolanensibus, in Italiam venit aduersus Florentinos; nullaque magna re gesta redit in Germaniam. *Guicciard.*

Iudæi pelluntur ab Emanuele Rege è Lusitania, sub pœna perpetuæ seruitutis. *Osor. Marian.*

1497. Americvs Vesputius Florentinus auspiciis Ferdinandi Regis Catholici partem illam Noui Orbis detegit, quæ versus Septemtrionem est, & *America* nomen ab eo accepit: & anno sequenti redit in Hispaniam.

Hocque item anno missus ab Emanuele Rege Lusitaniæ Vascus Gama, superato Promontorio Bonæ Spei, legit Orientalem plagam Æthiopiæ; & repertis Insulis Mosambico & Melindæ, defertur etiam in Regnum Malabaricum, cuius est præcipua ciuitas Calecutum: & post biennium redit in Lusitaniam. *Osor.*

Ioannes Rex Daniæ recipitur etiam à Suecis in Regem, ob metum à Moschis *Ioan. Magnus.*

1498. Carolvs Rex Francorum cum regnasset an. 14. mens. 7. & dies 8. repentina morte extinguitur ex apoplexia 7. April. Amboisiæ, vbi natus & educatus fuerat. Qui quod filios nullos haberet superstites, successorem habuit *Ludouicum* Ducem Aurelianensem, eo nomine XII. & *Patrem populi* dictum, defuncto Regi cognatione proximum: qui & cœpit dici Rex vtriusque Siciliæ, ex iure sibi per successionem Caroli competente; atque etiam Dux Mediolanensis, quod à Valentina Mediolanensi (*vid. ann. 1448.*) originem traheret: & pace constituta cum Regibus Hispaniæ & Angliæ, Ducatum Mediolanensem repetere decernit. *Til. Ferron. Annal. Franc.* A.C.

Mortuo Ioanne Principe Hispaniæ, vnico Ferdinandi & Isabellæ filio, Emanuel Rex Lusitaniæ, quod Isabellam filiam eorundem primogenitam vxorem haberet, successor Regni Castellæ declaratur mense Aprilis: sed Isabella eius coniux moritur mense Augusti. *Osor. Marian.*

Hieronymus Sauonarola patria Ferrariensis, professione Dominicanus, celebris eo tempore concionator; quod è suggestu Florentiæ insolenti temeritate potius quam dicendi libertate sæpe in Alexandrum Pontificem esset inuectus, eius iussu cum duobus sociis in foro eius vrbis publice fuit combustus 9. April. *Marian. Commin. Six. Sen. alii.*

Lvdovicvs Rex Francorum repudiata ex sententia Iudicum à Summo Pontifice delegatorum Ioanna Ludouici XI. filia, quam nolens coactus fuerat in vxorem ducere, Annam Britannam Caroli VIII. viduam iungit sibi coniugem. *Til. Ferron.* 1499.

Ioanna vero accepto à Rege Ducatu Bituricensi, eo se recepit; & magna sanctitatis fama vitam traducens, *Ordinem* instituit monialium sanctissimæ *Annunciationis*: ac demum pie in Domino quieuit.

Idem Rex Ludouicus solicitatus à Venetis, misso in Italiam exercitu, moxque ipse aduenies, Mediolano totoque Ducatu potitur; fugiente primum Sfortia Duce in Germaniam, deinde Turcas in auxilium vocante aduersus Venetos. *Guicciard. Gaguin. Til. Ferron.* Baiazethes autem Turcarum Imperator, inuadit Peloponnesum, & Naupactum Venetis eripit.

Idem quoque Rex Senatum Rotomagensem loco Scacarii instituit; ac postea Aquensem, & Burdegalensem. *Til. Genebrard.*

Maximilianus Imperator bellum agit in Heluetios, quod fœdus cum Austriis & Sueuis inire nollent; & aliquoties cum iis congressus, semper vincitur: quapropter paulo post pax initur. *Naucler. Cuspin.*

Septuaginta Turcarum millia per Walachiam in Russiam sese effundentes, rigidissimo frigore ac sæuissima fame pereunt maxima parte: reliqui à Stephano Waiuoda delentur. *Cromer. Genebr.*

Ismael Sophi magni Vsumcasanis ex filia nepos, filius vero Harduellis, quem Rustanus Rex Persarum necauerat, veritus ne is, quod insignis Doctor esset Alcorani, Halim Omari præferens studeret rebus nouis, & se Regno exueret; postquam è fuga quam ad necem paternam susceperat in Hircaniam, post Rustani mortem cum exercitu regressus, (quem ex persuasione noue Alcorani interpretationis, quam pater Harduelles adinuenerat, ex iis populis collegit;) contendentium inter se de Regno nepotum Vsumcasanis ex Iacobo filio, alterum secum congressum occidisset, alterum in Arabiam fugasset: Regno Persarum potitur, nouamque Religionem vna cum Imperio latissime propagans, Dynastiam Persarum firmat; quæ hactenus perseuerat continuis ferme cum Turcarum Imperatore, ob diuersam Legis suæ interpretationem bellis. *Bizar. Iouius. Genebr.* An vero nomen *Sophi* sumptum sit à magis & sapientibus Persarum, an vero quod Lanam significet qua vtebantur in capite hi Reges, disputant Scriptores.

Romæ celebratur Annus Iubilæus, & anno sequenti in cæteris Orbis Christiani prouinciis. 1500.

Mediolanenses denuo deficiunt ad Sfortiam, ex Germania cum auxiliatibus copiis reuertentem: sed missus iterum à Rege Ludouico exercitus omnia recuperat: captique sunt Dux ipse Sfortia & Cardinalis Ascanius ipsius frater, qui in Gallias & custodiam ducti sunt. *Guicciard. Til.*

Missus ab Emanuele Lusitaniæ Rege Petrus Aluarus Capralis in Orientalem Indiam cum classe 13. nauium, soluensque Olysippone 8. Martii tempestate iactatus *Brasiliam* casu

adinuenit.

A.C.

adinuenit; indeque peruenit Calecutum 13. Septembris: vbi ex iniuria illata inchoatum est bellum cum Rege Malabarico. *Osorius. Masseius.*

Perueniunt quoque in Indiam Orientalem Religiosi Franciscani, qui primi animarum zelo incensi longum hoc iter susceperunt. *Iarric.*

Baiazethes Turcarum Imperator Methonem vrbem Peloponnesi munitissimam Venetis post diuturnam obsidionem per vim eripit, & oppidanos ad vnum omnes Græcos pariter ac Venetos occidit, pueris & feminis in captiuitatem abductis: ipseque Episcopus mitratus, sacrisque vestibus indutus, obtruncatus est. Post quæ, & Corona quoque alia Peloponnesi vibs per deditionem ab eo accepta est. *Iouius. Mechouius. Drechsler.*

Iudæus quidam nomine Lemlem suis persuasit in Germania, se esse verum Christum, quem exspectabant. *Genebr.*

Rutheni ditionis Polonicæ, quod ab Alexandro Lithuaniæ Duce vrgerentur Romanæ Ecclesiæ se subdere, ad Moschorum Imperatorem Schismatis sui protectorem deficiunt. Indeque secuta bella, quibus Moschus tam per suos quam per Tartaros quamplurima intulit damna Poloniæ; Alberto Rege aut nihil aut parum in eos agente. *Genebr.*

Nascitur ex Philippo Belga Maximiliani Imperatoris filio & Ioanna eius coniuge Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniæ filia, Gandaui in Flandria 24. Februarii, *Carolus* postea Hispaniarum Rex & Imperator eius nominis V.

Florebant nunc inter præstantes doctrina viros, quibus hoc sæculum abundauit, (præter illos, quos ab ann. 1487. enumerauimus) Iacobus Philippus Bergomensis, Albertus Krantzius, M. Anton. Sabellicus, Ioan. Picus Mirandulanus Ioannis Pici nepos, Ioannes Trithemius, Ioannes Wimphelingius, Rob. Gaguinus, Baptista Mantuanus, Ioannes Maior, Polydorus Virgilius; atque alii plures litterarum & philosophiæ ac historiæ peritissimi: & è Theologis atque Hebraicarum & diuinarum litterarum peritis, Paulus Mildelburgius, Ioann. de Lapide, Petrus Tataretus, Ioannes Reuchlinus, Petrus Galatinus, Siluester Prieras, Iacobus Lopez, Dominicus Iacobatius, Ioannes Tabiensis, Ioannes Almainus, Ioannes Ludouicus Viualdus, &c. Iason de Mayno Iurisconsultissimus, &c.

1501. PHILIPPVS & Ioanna, de quibus anno superiori, in Hispaniam iter facientes ad accipienda Regni auspicia, per mediam Galliam iter faciunt, & excipiuntur Parisiis honorificentissime. *Til. Marian.*

Ludouicus Francorum & Ferdinandus Hispaniæ Rex, consiliis inter se initis de eiiciendo è Regno Neapolitano, Friderico, qui post mortem Ferdinandi nepotis illud occupauerat, specie prætenta (præter vetusta vtriusque Regis iura) Turcis pro religione bellum inferendi, quibuscum Friderico fœdus erat & iuncta amicitia: missis eo ex vtraque parte Ducibus, illud Regnum inter se diuidunt, confirmante eorum pactionem Alexandro Pontifice. Abductusque in Galliam Fridericus, benigne exceptus & in honore semper apud Regem extitit, donec obiit ann. 1505. *Guicciard. Til. Ferron. Marian.*

Cæsar Borgia Dux Valentinus, Alexandri Papæ filius (cuius elogium fuisse dicitur, *aut Cæsar, aut nihil*) magnis artibus aspirat ad Imperium Italiæ; & hoc ipso anno capta Fauentia, Florentinos, ad quas optabat conditiones, impulit. *Guicciard.*

Suscepta expeditio à Francis, Hispanis, & Italis in Turcas, parum prospere cedit; Gallis præcipue ad Mitylenem cæsis culpa Venetorum pacem cum Turcis constituentium. *Iouius. Sabell. Til. alii.*

Ioannes Albertus Rex Poloniæ, in expeditione aduersus Fridericum Ordinis Teutonici Magistrum, recusantem sibi iuramentum de Prussia præstare, moritur ex apoplexia 17. Iunii. Succedit frater eius Alexander Dux Lithuaniæ. Cuius tamen vxori Helenæ diadema ex more non est impositum, quod Græcorum schismati esset dedita, vtpote Ioannis magni Moschorum Ducis filia. *Cromer. Genebr.*

Ioannes Rex Daniæ in Sueciam profectus, factione Stenonis, qui Gubernator fuerat antea Regni, pellitur eo prætextu, quod quæ iurasset Suecis, non præstaret. *Ioan. Magnus.*

Cruces sanguinolentæ passim per Germaniam in vestibus hominum apparuerunt, & guttæ sanguinis de cœlo ceciderunt. A.C.

Ex partitone Regni Neapolitani ortis dissidiis, ad arma venitur inter Hispanos & Gallos: & Gallis initia felicia, finis funestus; dum post varia inita prælia, tandem qua dolo qua vi penitus inde expulsi sunt anno sequenti à Gonsaluo egregio Duce Ferdinandi Hispaniæ Regis, qui Magni nomen ex rebus præclare variis in prouinciis pro Rege suo gestis consecutus est. 1502.

Steno Gubernator Regni Suecici bellum gerit in Danos: & Norvvegios ad rebellionem excitat, quod Ioannes Rex eis aliqua priuilegia eripuisset: sed Christiernus filius Ioannis rebellionem Norvvegiæ comprimit; & reliqua etiam priuilegia adimit. *Ioan. Magn.*

Moschi acceptas à Waltthero Magistro in Liuonia aliquot clades vlturi, eius oras crudelissime vastant: sed Waltherus iis occurrens ad Plescouiam, paucis militibus totum exercitum Moschorum tormentorum fulminibus exterritum vincit. Vnde Moscouiæ Dux pacem offert optimis Waltheri conditionibus.

In Diœcesi Spirensi à duobus rusticis exorta est conspiratio Agricolarum contra Episcopum & Canonicos, quæ dicta est *Liga rusticorum*: cuius conspirationis præcipuus fuit articulus, vt omne iugum excuterent, & Heluetiorum imitatione libertatem sibi vendicarent; Sed pœnas dederunt cruciatibus & supplicis, iussu Maximiliani Imperatoris. *Append. Naucler.*

ALEXANDER Papa VI. postquam sedisset ann. 11. dies 8. moritur 18. Augusti ex veneno ei per errorem propinato. De cuius vita multa tum fama quæ nulli parcat, tum scripto prodita sunt, vero an ex inuidia haud facile dictu. *Marian.* Post eius obitum Italia Cæsarem Borgiam ipsius filium læta eiecit, iugum plerisque iam diu graue satis: qui demum post variam fortunam homo varius à Gonsaluo dolo captus, & vinctus in Hispaniam missus, inde aliquando euadens, & ad Regem Nauarræ transiens; occisus est ex insidiis in quadam pugna. Narrat hæc pluribus *Mariana*: qui & ait, Ludouicum Regem Francorum, cum audisset Valentinum à Gonsaluo contra fidem datam captiuum detentum, dixisse, *Deinceps pro fide Punica merito substituamus Hispanicam.* 1503.

Succedit Alexandro 22. Septembr. *Franciscus Picolominens* Senensis Pii II. sororis filius, dictus & ipse PIVS eo nomine Tertius. Eidemque post dies 26. defuncto 18. Octobr. suffectus est Cal. Nouembr. *Iulianus de Ruvere* Ligur patria Sauonensis Sixti IV. fratris filius, ex Episcopo Card. Ostiensi; qui dictus est IVLIVS II. *Onuph.*

Alfonsus Albuquercius missus anno superiori ab Emanuele Lusitaniæ Rege in Indiam Orientalem, eo nunc peruenit; qui postea Magni cognomen ob res præclarissime ibi gestas, consecutus est. *Osor. Masseius.*

Regnum Manicongo in Africa Christi fidem suscipit. *Genebr.* Alii post triennium collocant.

Picardus hæreticus, in Eucharistiæ sacramentum blasphemus, comburitur Parisiis. *Onuph.* Ab eo dicti hæretici *Picardi*, alii ab iis Adamitis, de quibus sup. an. 1420. Et ab vtroque eo Picardo alius prorsus insignis Theologiæ Doctor Parisiensis *Franciscus Picardus*, qui obiit an. 1558. *Genebr. in Paul. IV.*

ISABELLA Regina Hispaniæ moritur 26. Nouembr. relicta Ioanna filia vxore Philippi Belgæ hærede ex asse, & Ferdinando marito administratore donec Carolus Ioannæ filius adoleuisset. Vnde ortæ inter Philippum & Ferdinandum dissensiones. *Guicc. Marinæ. Marian.* 1504.

Renouatur bellum inter Suecos & Danos, quod aliqua pace compositum fuerat. *Ioan. Magn.*

In India bellum geritur inter Calecutianos & Lusitanos de Rege Cocini; quem Calecutiani, quod ad Lusitanos defecisset, oppugnandum, Lusitani propugnandum susceperant: repelluntur que cum ingenti clade Calecutiani: qui & sequentibus annis magnis cladibus ab iisdem Lusitanis afficiuntur; quamuis nec ipsi Lusitani earum omnino expertes. *Osor. Masseius.*

IOANNES Basilii filius Moschorum Dux moritur, relicto successore filio Basilio; qui dictus est Basilius Ioannis. *Chron. Polon. & Moschou.* 1505.

A.C.

In India primus Lusitanici nominis Prorex constituitur Franciscus Almeida. *Osor. Masseius.*

Maximilianus Imperator ad petitionem Ioannis Regis Danię, Suecos vt rebelles proscribit: ii vero eius sententiam, tanquam ab eo qui nullam in ipsos haberet iurisdictionem latam, nullius momenti esse contendunt.

Martinus Lutherus, cum ante biennium ann. ætat. 20. renuntiatus fuisset Magister artium Erfurdiæ in Thuringia, & ad studium Legum animum appulisset; territus aliquando fulmine & consternatus, voto suscipiēdi monacharus se obstringit. Agensque annum 22. inuito & reclamante parente ingreditur cœnobium Augustinianorum ibidem Erfurdiæ 17. Iulii, & post annum professionem emisit; ac deinde ann. 1507. sacerdos factus est: & an. 1508. Witembergam traductus ibi Aristotelem prælegit: actriennio post Romam à suis Superioribus negotiorum causa missus, post reditum ibidem Witnmbergæ ann. 1512 ætat. 29. renuntiatur Doctor in Theologia; cum esset disputator vehemens, & ferocis ingenii. *Sur. & alii.*

Dicitur etiam, cum ad hunc honoris gradum euectus esset, vilem cognominis sui rationem expendens, ex *Luddero* (quod derisorem & furem sonat) *Lutherum* fecisse quod putum designat. *Pontan. Geneb.*

1506. PHILIPPVS Belga gener Ferdinandi aduenies in Hispaniam, socerum remouet ab administratione Regni Castellani: qui in Aragoniam auitum Regnum se recipiens, inde nauigat Neapolim. Philippus autem cum vellet vxorem suam, quod parum mente valeret, inclusam detineri; repugnant Proceres, eique ac filio Carolo rursum sacramentum dicunt. Ipseque Philippus paulo post moritur ibidem in Hispania; & Ferdinandus ad Regni administrationem reuocatur: qui tamen hibernat Neapoli, ad pacandum & sibi firmandum illud Regnum. *Marian.*

Julius Papa collecto exercitu Bononiam recipit, pulso Bentiuolo. *Guicciard.*

Alexander Polonię Rex moritur, cum prius nuntium accepisset de Tartaris in Lithuaniam irrumpentibus, magna eorum clade à suis ducibus repulsis. Succedit ei frater Sigismundus, quem Magnum dixerunt. Hicque *Cromerus* finem imponit Historiæ suæ Polonicæ.

Bogdanus Walachiæ Waiuoda, quod Elisabetha prædictorum Alexandri & Sigismundi soror, eius vtpote schismati Græcorum addicti coniugium abhorreret, Russiam inuadit, & Poluciam prouinciam occupat. *Ibid.*

1507. DEFICIENTES Genuenses rursum Rex Francorum Ludouicus sibi subiicit, restituta quam ante defectionem habebāt administrationis forma. *Guicciard.*

Ferdinandus Neapoli soluens in Hispaniam, in transitu prolixe & amice agit Sauonæ cum prædicto Ludouico, cuius sororis filiam nomine Germanam ex Gastone Fuxensi susceptam (quæ etiam tunc ibi affuit) idem Ferdinandus post obitum prioris coniugis Isabellæ, vt se aduersus Philippum generum muniret, duxerat. *Guicciard. Marian.*

Moritur S. Franciscus de Paula, cuius Ordinem Minimorum vidimus approbatum an. 1473.

1508. FŒDVS initur Cameraci inter Iulium Pontificem, Maximilianum Imperatorem, & Ludouicum Regem Francorum, aduersus Venetos pro recipiendis vrbibus, quæ ad singulos pertinerent. *Guicciard, Iouius. Ferron.*

Campson Sultanus Ægypti à Regibus Calecuti & Cambaiæ solicitatus, classem per mare rubrum in Indiam mittit, vt Lusitanos iam ibi potentes pellat: & primo quidem prælio ad finem anni habito Lusitani inferiores discedunt, occiso Laurentio filio Francisci Almeidæ Indiæ Proregis. *Osor. Marian.*

Armorici aliquot & Northmanni, duce Dionysio Northmanno *Canadam* aduenium, quam *Nouam Franciam* dixerunt, regionem piscatu celebrem.

1509. LVSITANI in India Duce Francisco Almeida, mense Ianuario insigni parta de Ægyptiis & Indis victoria, egregie vlciscuntur cladem superiori mense ab iis acceptam; Regemque Cambaiæ, qui Ægyptios euocauerat, vectigalem Lusitano reddunt. Ismael autem Sophi Persatum Rex delectatus eorum fortitudine, missis postea Legatis ad Albuquercium, amicitiam eorum ambit. Et Helena Regina Æthiopū Legatum mittit ad Emmanuelem Regem, opem pollicens aduersus eosdem Ægyptios Mammelucos, & Mauros. Hæque prima Lusitanorum cum Æthiopibus coniunctio. *Osor. Maffeus. Marian. Bizar. Genebr.*

A.C.

Vti conuenerat Cameraci, ducta in Venetos expeditione, ii magna clade afficiuntur à Ludouico Rege ad Abduam amnem mense Maii; quaili ita prostrati sunt, vt amissis ciuitatibus & omni imperio terrestri, actum de Republica putaretur: quousque in Galliam regresso Rege, iidem Patauio recuperato quod Maximilianus occupauerat resumpto animo ipem ceperunt fortunæ melioris. Quando & innotuit eorum magnanimitas, dum rebus prope desperatis, adduci non potuerunt, vt Turcicas copias auxiliares admitterent. *Ferron. Til. Guicciard. Bemb. Iouius.*

Henricus Rex Angliæ moritur 21. Aprilis: succedit filius Henricus VIII. qui coronatus est 24. Junii, vna cum eius coniuge Catharina Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum filia, quæ Arthuri mortui fratris vxor fuerat; dispensatione obtenta à Romano Pontifice, quod Arthurus ob iuniorem ætatem & infirmam valetudinem ea non cognita decessisset. *Polyd.*

Ingens terræmotus per dies 40. Constantinopolim quassat, plurimis Turcarū ædificiis dirutis (templis tamen Christianorum incolumibus permanentibus) & multis hominū millibus obtritis. Et interim dum Baiazethes damna resarcire curat, Techelis dux Ismaelis Sophi magnas clades ei infert in Asia, deletis duobus eius exercitibus. *Bizar.*

Octoginta millia Moschorum, quæ Basilius eorum Dux ad Lithuaniam occupandam destinarat, cæduntur à Polonis ad Borysthenem amnem.

CAMERACENSE fœdus finem accipit, declinante Pontifice ad Venetos, & Hispanos atque Heluetios solicitante, quod timeret Italiæ à nimia externorum Principum potentia: perstantibus tamen Maximiliano Imp. & Ludouico Rege in fœdere, nouam Veneti cladem recipiunt. *Guicciard.* 1510.

Ferdinandus Rex Hispaniæ misso in Africam exercitu, Bugiam capit nobilem vrbem & Academia florentem, ac Tripolim Numidiæ: post quæ, exercitus nimio æstu afflictus magna clade à Mauris afficitur. *Marian.*

Franciscus Almeida Prorex Indiæ, dum clarus victoriis in Lusitaniam regreditur, ad Caput Bonæ spei ab Æthiopibus occisus, caret honore sepulturæ. At Alfonsus Albuquercius relictus eius loco Prorex in India Goam vrbem capit, sedem postea constituitam Imperii Lusitanici & Metropolim Orientis; ac multos alios progressus facit: magnus Dux iure merito Magni cognomen adeptus. *Osor. Maffeus.*

Die 6. Februarii Iudæus quidam in Marchia Brandeburgensi, ob sacratissimam Eucharistiam furto sublatam ictibus punctam (quæ copiosum sanguinem emisit; & in aquam & ignem consumenda frustra iniecta, ipsum scelerum auctorem detexit.) forcipibus discerpitur, & in cineres redigitur: cæterique illius tractus Iudæi, confessi se septem Christianorum infantes acubus & punctionibus peremisse, flammis traduntur. *Surius. Genebr.*

Multi Occidentales populi per Fratres Dominicanos ex Hispania conuertuntur. *Genebr.*

Conuentus Gallicanorum Episcoporum ac plurimorum Doctorum agitur Turonis pro Rege cōtra Pontificem; quo decretum est, vt mitterentur ad Pontificem legati, qui cum eo de pace agerent; vel si ipsos nollet audire, eum prouocarent ad conuocandum Concilium Generale. *Til. Annal Franc. Genebr.*

1511. DVM Pōtifex, Hispani, Veneti, & Heluetii obsistunt vario Marte Ludouici & Maximiliani ducibus; agunt duo Principes magno conatu vna cum Cardinalibus non nullis, de conuocando Concilio contra Iulium Papam, quod anno præcedenti inchoatum in Gallia, nunc *Pisis* haberetur, postea translatum Mediolanum, ac tandem Lugdunum; at sine vllo profectu aut exitu, interueniente morte Iulii. *Annal. Franc. Genebr.* Fuit autem illud reprobatum ab ipso Iulio adhuc superstite in Concilio *Lateranensi* hoc eodem anno ab eo indicto, Sess. 2. & 3.

Selimus Baiazethis filius, qui duxerat Tartarorum Precopensium Regis filiam, inhians Imperio, ad patrem Hadrianopolim specie visitationis tendit; eundemque illius timore

Con-

A.C.

Constantinopolim se recipientem insecutus, prælio à patre funditur & fugatur vltra Pontum Euxinum. *Annal. Turc.*

Comitia Imperij Treueris aguntur: vbi inter cetera, Imperium Romanum distribuitur in decem prouincias, siue circulos; Austriacum, Bauaricum, Sueuicum, Francicum, Rhenensem superiorem, Electoralem Palatinatus, Burgundicum, Westphalicum, Saxonicum inferiorem, & Saxonicum superiorem.

1512. PVGNA ad Rauennam commissa ipso die Paschatis 11. Aprilis, Gallorum exercitus sub Gastone Fuxensi Duce Nemorolio, qui Rauennam obsederat, memorabili clade magnaque cæde exercitum Pontificis & Hispanorum, ad soluendam obsidionem veniētem, fugat: sed Gasto fortissimus dux hostes incaute persequens, occiditur magno rerū Gallicarum in Italia damno. Rauenna autem capta destruitur. Accedente vero Maximiliano ad confœderatos aduersus Frācos, & Heluetiis Ducatum Mediolanensem inuadentibus; sed ex alia parte Anglorum Rege suasione Pontificis bellum in Aquitaniam mouente: iidem Franci Mediolanum & Italiam Hispanis & Heluetiis relinquunt; & Veneti, ac Pontifex, aliique Principes, suas vrbes recipiunt: ac denique Florentini Mediceæ familiæ se iterum regendos tradere compulsi sunt. *Guicciard Iouius, Ferron. Til.*

Eodem Paschatis die Terra *Florida* Americæ pars ad Septentrionem obuersa, à Ioanne Poncio Legionensi Hispano primum inuenitur. *Ortel.*

Et Lusitani hoc eodem anno penetrant ad Molucas insulas, quæ fere sunt sub Æquatore; & præter alia aromata, cateophilli dant copiam, ac fere solæ. Quorum occasione magnæ postea ortæ sunt cōtentiones inter Lusitanos & Hispanos ad quorum nam diuisionem illę pertinerent. *Osor.*

Eadem item die 11. Aprilis Bajazethes Turcarum Imperator à filio Selimo fauore Janizerorum priuatur Imperio, quod Bajazethes in Achmetem maiorem filium transferre cogitauerat. Idemque postea ab eodem Selimo per medicū Iudæum sublatus est anno vitæ 74. Imperij 31. Pariterque Achmetes, aliusque frater Corcuthes vna cum ipsorum filiis occisi sunt anno sequenti eiusdem Selimi iussu; qui sic ex stirpe Othomanica solus superstes, suorum funere imperium sibi stabiliuit *Annal. Turc.*

Ferdinandus Hispaniæ Rex, Angliæ copiis fretus Regnū Nauarræ occupat, pulso Ioanne Alebreto & Catharina Fuxensi eius coniuge legitimis Regibus; prætextu excommunicationis Pontificiæ in ipsos iectæ, & interdicti in Regnū, quod fauerent rebus Ludouici Francorum Regis, hostis Ecclesiæ declarati, cum iis omnibus qui Concilio Gallicano siue Pisano adhæsissent. Quod quidem ipsius Ferdinandi arte fraudulenta ad absorbendum aliquo prætextu illud Regnū, procuratum esse; omnium nationum, ipsiusquemet Hispanicæ historici fatentur. *Ferron. Til Guicciard. Marian. alii.*

Interea vero Iulius Pontifex Concilium Lateranense superiori anno indictum celebrare incipit; quod post quinquennium absolutum est sub Leone X & approbatum, contra Concil abulum Pisanum, & Turcas, ac pro reformatione morum. *Sur, Onuph. Gen.* extantq; Acta in *Tom. Concil.*

Hoc & sequenti anno Tartari Precopenses in Podoliam & vicinas prouincias grassantes, multis grauibus prælijs à Polonis & Lithuanis, Constantino Ostrogio duce, profligantur. *Mechov.*

1513. MORITVR Iulius PP. II. 21. Februarij, postquam sedisset an. 9. mens. 3. dies 20. ac bellica libenter tractans, ciuitates Ecclesiæ recuperasset, Gallos Italia per Hispanos & Heluetios expulsit. Succedit 11. Martij *Ioannes Medices*, Laurentij olim Florentię dominantis filius, qui nomē sibi indidit LEONIS IX. vulgo dicti X. (*vid in Epit. an. 963. num. III.*) *Onuphr. Genebr.*

Pactis indutiis inter Francorum & Hispaniæ Reges, ac Venetis iam Franco fauentibus; ipse nouum exercitum mittit ad recuperandum Mediolanum, in quod Maximilianus Sforti restitutus fuerat anno superiori auxilio Heluetiorum. Sed ab iisdem Heluetiis fusi 6. Iunij ad obsidionem Nouariensem Franci iterum Italiam relinquere compelluntur. *Bemb. Guicciard. Ferron. Iouius.*

Dum Henricus Anglus in finibus Picardiæ bellum gerit, Rex Scotiæ Iacobus iure fœderis Francici magno exercitu Angliam inuadit: pugnaque memorabili ad Flaudonium montem inita, ipse occiditur, æqua fere vtriusque exercitus militum iactura. *Boet. Leslæ. Iouius.* Succedit porro ipsi filius Iacobus eo nomine V. mensium 18. puerulus. A.C.

Maximiliani Imperatoris dux Rudolphus Anhaltinus ad Vicentiam 7. Octob. acerrimo prælio fundit Venetorum exercitū, cui pręerat Bartholomęus Liuianus. *Guicciard.*

Ioannes Daniæ Rex moritur: succeditq; filius Christiernus eius nominis Secundus, dictus Tyrannus.

Ismael Sophi, cum annis quinque Scytharum bellum atrocissimum continuasset, tandem eos deuincit vsque ad glacialem Oceanum, & pacem cum iis facit. *Bizar.*

Sub huius anni finem, dum octaua Sessio haberetur Cōcilij Lateranensis, adfuere Ludouici Regis è Francia Legati, qui nomine Regis conceptis verbis reiecto Pisano Concilio adhæserunt Lateranēsi: Sicque redintegrata pax est inter Pontificem & Regem Christianissimum. *Guicciard.*

PAX reconciliatur inter Reges Francorum & Angliæ, firmata connubio inter Mariam Angli sororem & Francium: (excesserat enim è viuis Anna Britanna eius coniux 11. Ianuarij) celebranturque nuptiæ 9. Octob. *Til.* 1514.

Selimus Turcarum Imperator, ducta expeditione quadringentorum millium militum aduersus Ismaelem Sophi Persarum Regem acerrimum init prælium in campis Zalderanis 26. Augusti, quo certatum est integro die; ceciderunt que ad centum millia fortissimorum Turcarum: & nihilominus, quoniam vesperi Ismael accepto vulnere recessit manfit victoria penes Selimum: qui Tauristo Ismaelis regia potitus, omnes opifices Constantinopolim transfert. *Annal. Turc.*

Sigismundus Poloniæ Rex Basilium magnum Moschorum Ducem, qui Smolenscum vrbem ceperat, insigni clade afficit ad Borysthenem 8. Sept. & è Lithuania pellit *Heberst.*

Promulgatis in Hungaria à Legato Pontificis indulgentiis militaturis contra Turcas; iis excitati plurimi, Cruciatos se dicentes, in perniciem Hungariæ conuertunt arma, eamque magna clade afficiunt, interfectis multis hominum millibus, & nobilium centenariis; donec eos Ioannes Waivoda Transiluaniæ, multis captis eorumque duce Georgio Zechelio capite plexo, dissipauit. *Iouius.*

Muleamethes, cui *Scirifo*, quasi Magno Sacerdoti cognomen erat, ex eremita & cōcionatore ad Regna Fessæ & Marochi peruenit, religionis nouæ auctoritate & armorū gloria florens. Ita Africam miscuit vt coacta multitudine in Lybiæ & Ægypti interiora penetrans, tribus annis plura alia Regna prædictis adiecerit: quæ tenuit 43. annis, quousque 1557. in venatione à stipatoribus corporis senex admodum interfectus est. *Genebr. Iouius in Elog. Leo in descript. Afric.* quod tamen nonnulli in posteriora tempora referunt.

MORITVR ipsis Calendis Ianuarij Ludouicus XII. Rex Francorum, postquam regnasset ab obitu decessoris annos 16. menses 8. dies 24. Et quod nullam masculam prolem reliquisset, Regnum deuoluitur ad *Franciscum* Valesium Ducem Engolismensem cognatione proximum, annum ætatis vigesimum ingressum. *Til. Ferron.* Qui mox Mediolanum recuperaturus in Italiam veniēs, Heluetios ad Marignanum memorabili prælio, quod toto biduo 13. & 14 Sept. durauit, cecidit ac fugauit: atque ita Mediolanum recepit, capto Maximiliano Sforti a Duce, & in Galliam relegato. Deinde Pontifex & Rex conuenientes Bononiæ 10. Decemb. pactionē ineunt de Pragmatica Sanctione abolenda in Gallia; ac vicissim de nominatione ad Beneficia, quæ antea erat penes Canonicos, deriuanda ad Regem; itemque de Annatis, ceteris que capitulis in libellum illum relatis quem *Concordatum* dixerunt. *Galeac. Guicciard. Iouius. Ferron. Til. Genebr.* 1515.

Viennæ in Austria mense Iulij conueniunt Maximilianus Imperator, Ladislaus Hungariæ Rex, & Sigismundus Poloniæ; actumque de successione Austriacæ familiæ in ea Regna & Boemicum, si Ladislai masculā progenies extingueretur; & vicissim de Borussia Polono relinquenda. Desponsaque est Ludouico Ladislai filio Maria soror Caroli postea Imperatoris, & Anna soror Ludouici Ferdinando fratri Mariæ & Caroli. *Cuspin. Birchth.*

Petrus Maronitarū Patriarcha tres Legatos ad Concilium Lateranense mittit. A quibus Theseus Ambrosius Albonesij

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

Regulus Iuriſconſultus litteras Syriacas didicit: & ab eo poſtea canonico S. Auguſtini Bononiæ, illæ inter nos cœperunt propagari. *Genebr.*

Dauidis quoque Abyſſinorum Æthiopum Regis legatio inſignis aduenit ad Emmanuelem Lũſitaniæ Regem, cum ſacroſanctæ CRVCIS fragmento. Aliaque mittitur ab Emmanuele ad Leonem Pontificem cum expetendis muneribus ex Indicis opibus; inter quæ elephas erat, doctus principes homines venerari, & paſſus ad modulos tibiarum tẽperare. *Oſor. Maffei Iouius. Gen.*

Biblia Hebraica, vulgo Complutenſia dicta, adiectis trãſlationibus Chaldaica, Græca, & Latina, editur opera ac ſumptibus Franciſci Ximenij Cardinalis Archiepiſcopi Toletani.

Viuebant tunc inter ceteros doctrina præſtantes viros (præter illos, quos ab anno 1500. enumerauimus) Auguſtinus Iuſtinianus Epiſcopus Nebienſis, (qui Octaplum vtriuſque Teſtamenti in quinque præcipuis linguis molitus, Nouum etiam, Veteris inſtar Hebraici, per verſiculos diſtinxit, cum antea dumtaxat diſtingueretur per paragraphos literis A.ß.C. &c. expreſſos ab Hugone Cardinale ſub ann. 1240.) Marcus Marulus Spalatenſis, Fridericus Nauſea Epiſcopus Viennenſis, Iacobus Sadoletus Epiſcopus Carpentoratenſis & Cardinalis; Franciſcus Ferrarienſis, Ambroſius Catharinus, & Thomas de Vio Cardinalis Dominicani; Ioannes Cochlæus & Eckius Germani; Auguſtinus Steuchus Eugubinus Canonicus Regularis S. Saluatoris; Albertus Pighius Germanus, Huldricus Huttenus Eques item Germanus; Ioannes Driedo, Ioannes Arboreus, Gentianus Heruetus, Iodocus Chlichthoueus, Galli; & alij plurimi omnium nationum Europæarum: quos Deus inſigni Orthodoxiæ & Theologiæ ac philoſophiæ, diuinarumque literarum peritia dotatos, præparauit ad fortiter reſiſtendum paulo poſt venturæ infauſtiſſimæ hæreſi Lutheranæ. Fuerunt & multa ac varia eruditione inſignes Deſiderius Eraſmus Roterodamus, & Ludouicus Viues Hiſpanus: ſed primus, quod ſupra captum ſuum de rebus fidei ſit locutus, & ſuis ſecommatibus viam hæreſibus ſtrauerit, merito in pluribus ſcriptis cenſura notatus eſt, ac velut ſemichriſtianus habitus: alter ob nimiam etiam dicendi libertatem, ſuſpectus quibuſdam ſcriptis declaratus. Vixerunt etiam tum, linguarum ac hiſtoriæ peritia illuſtres, Petrus Crinitus, Guilelmus Budæus, Ioannes Cuſpinianus, Paulus Iouius, Nicolaus Copernicus: & inter Iuriſconſultos Philippus Decius; & alij quamplurimi omni ſcientiarum genere præſtantes: nec tantum ex Catholicis, ſed etiam ex hæreticis, qui gloriam ſuam erroribus infamarunt.

1516. FERDINANDVS Aragonius Hiſpaniæ Rex moritur 23. Ianuarij ex aqua intercute. Succeditque in tot eius ac Iſabellæ olim eiuſdem coniugis Regna, Carolus eorum nepos ex Ioanna filia & Philippo Belga, tunc annorum quindecim. *Hiſt. Hiſp.*

Moritur item Ladislaus Rex Boemiæ & Hungariæ 13. Martij. Succedit filius Ludouicus puer annorum 11. *Ioann. Sambuc.*

Maximilianus Imperator exercitum ad Mediolanũ Gallis eripiendum ducens, obſidionem re infecta deſerere cogitur. Heluetiique cum Rege Francorum fœdus renouant, pactis illis in annos ſingulos deinceps penſitanda pecunia. *Iouius. Guicciard. Ferron.*

Algeri incolæ, Hiſpano vectigales, rebellant duce Barbaroſſa; vbi breui ſe Regem dicit. *Ionius. Leo in Hiſt. Afric.*

Selimus Turcarum Imperator bellum in Iſmaelem Perſam continuaturus, ingenti educto exercitu diuertit in Syriam aduerſus Campſonem Sultanum Ægypti & Syriæ, arma mouentem vt Perſam ſubleuaret: initoq; acerrimo prælio non longe à Damaſco, victus Campſon perfidia Caierbei præfecti Alepi, occubuit 26. Auguſti anno ætatis 77. Suffectuſque à Mamelucis in eius locum Tomombeius vir ſtrenus, æque à Selimo vincitur. Sicque Selimus Syriam occupat; & Hieroſolymis ac Bethleemi veterum Prophetarum ſepulchra veneratus, largas eleemoſynas Chriſtianis impendit: ac demum exercitum in Ægyptum ducit. *Annal. Turc. Iouius. Sanſouin.*

1517. SELIMVS in Ægyptum ingreſſus, ipſo menſe Ianuarij aſperrimo prælio Mamelucos vincit & Alcairum eorum imperij ſedem occupat: rurſumq; Tomumbeium prælium inſtaurantem, denuo victum, & è fuga ac latebris retractum, poſt crudeliſſima tormenta, vt theſauros detegeret, ignominioſiſſime per totam vrbem circumductum, laqueo necat, & vnco ferreo ſuſpendit menſe Aprilis, & tota Ægypto potitur. Atque ita finem accipit Mamelucorum in Ægypto Imperium, quod annis fere trecentis habuerant. *Iidem.*

A.C.

Pax Nouioduni firmatut inter Franciſcum Regem & Carolum Hiſpanum, connubio promiſſo filiæ Regis cum Carolo quod poſtea reiectum eſt. *Til. Annal. Fran.*

Lateranenſe Concilium inchoatum an. 1512. finem accipit 16. Martij. Quo cum decreta fuiſſet expeditio in Turcas, cuius in dies creſcebat potentia; & ad hoc Leo PP per vniuerſum Orbem Chriſtianum Cruciatam cum Indulgentiis promulgaſſet: eius promulgationis munus in Germania cum Archiepiſcopus Moguntinus Ioanni Tetzellio Dominicano commiſiſſet, id vſque adeo moleſte tulit Ioannes Staupitius Generalis per Germaniam Auguſtinianorum Vicarius, ac *Martinus Lutherus* eiuſdem Ordinis Vitembergæ Lector ordinarius, qui id muneris ſperauerant; vt confeſtim Lutherus in ipſas Indulgentias propoſitis vltimo Octobris Concluſionibus debachari cœperit. Ex hoc principio ortæ innumerabiles hæreſes, quæ Orbem hactenus turpiſſime inquinarunt natumque incendium, quo tota pene Europa conflagrauit. *Sur. Genebr.*

1518. ECLIPSIS horrenda Solis accidit menſe Iunij: ex qua Georgius Tranſteter inſignis mathematicus obitum Imperatoris Maximiliani prædixit, qui in principio ſequentis anni contigit.

Interea idem Maximilianus poſtrema Comitia Auguſtæ habuit: & in iis primum agi cœptum de Lutheri negotio; deque eo ipſe Maximilianus ad Pontificem ſcribens, hortatur his naſcentibus turbis mederi: qui Thomam de Vio Cardinalem Caietanum Ordinis S. Dominici in Germaniam ad hoc legat: ſed coram eo ſe Lutherus ſiſtens Auguſtæ, obſtinatuſque permanens abſque licentia inde ſe ſubtrahit; & ſubterfugia quæritans, à Legato ad Pontificem, & à Pontifice citatus Romam, ab eo ad Concilium prouocat: multa interim ſcripta de variis Religionis articulis, impietate & protervia referta promulgans, & ad inuidiam Pontifici cõcitandam (quod proprium hæreticorum eſt) omnes rumorum ventos captans. Quem inter alios Catholicos Doctores, inſigniter tum refellit Ioannes Eckius & diſputatione & ſcriptis.

Circa hunc annum prouincia illa, quæ nunc *Noua Hiſpania* appellatur, auri & argenti dites, & oſtreorum quæ margaritas pariunt circa Oceani littora piſcatione celebris; ſub Hiſpanorum Imperium redigitur à Ferdinando Corteſio, qui eam magna ſuorum, ingenti incolarum pro libertate pugnantium, ſtrage expugnauit: captaque ſequenti anno vrbe Mexico ceterarum regina, Nouæ Hiſpaniæ Imperium in Nouo Orbe ſtabilit. *Ortel.*

1519. MAXIMILIANVS Imperator moritur 12. Ianuarij, cum imperaſſet an. 25. menſes fere quinque. Eligitur in eius locum 28. Iunij *Carolus* eius nominis V. Rex Hiſpaniarum ætatis an. 19. licet Treuerenſis Elector atque Brandeburgenſis propenſiores fuiſſent erga Franciſcum Regem Francorum.

Cum vero deinceps res ſeres ſint quibuſvis notiſſimæ, ſuperuacaneum videtur auctores citare ex quibus eæ depromantur; niſi ſicubi quippiam peculiari indiguerit roboratteſtimonio. Sed & quod ſuperioribus annis aliquoties contigerit Scriptores citari cenſura notatos; factum id quidem & parce, & nonniſi poſt alios, & eum adiuncta Catholicorum auctoritate; nec vero vnquam in rebus ad religionem pertinentibus, in quibus ſcimus nullam eis penitus fidem habendam, cum omnia conſueuerint falſis narrationibus in rem ſuam peruertere. Quod inſigniter præſtitit ab hoc tempore Ioannes Sleidanus *mendaciorum loquaciſſimus; quem tamen plurimi velut diuinum hiſtoricum ſuſcipiunt.*

Ferdinandus Magellanus nobilis Luſitanus auſpiciis Caroli Hiſpaniarum Regis via compendioſa in Inſulas Molucas nauigaturus, *Fretum* quod de eius nomine *Magellanicum* dictum eſt, primus magno auſu aperit: & licet ipſe ex inſidiis occiſus fuerit à barbaris, eius tamen ſocij ad Molucas peruenerunt; atque vnica ex quinq; quas duxerat nauibus,

reliqua

A.C.

reliquis tempestate fractis, per caput Bonæ spei in Hispaniã rediit: quæ sic prima omnium totum terrarum Orbem circumnauigauit, ac proinde nominata est *Victoria*.

1520. LVTHERVS excommunicatus à Leone Pontifice prouocat ad Concilium. Eiusdem vero scripta damnantur à Schola Louaniensi & Colonensi, atque etiam comburuntur: ipseque vicissim Ius Canonicum cum Bulla Pontificia suæ damnationis, homo impudentissimus publice cremat Witembergæ; defensus in omnibus à Friderico Electore Saxoniæ, quem ipse dementarat. Eius autem impiarum hæresum, eiusque assectarum quamplurima inter seque diuersissima capita, multi qui de Hæresibus & contra Hæreses scripserunt enumerare conati sunt: sed tanta fuit eorum copia, vix vt vllus hactenus in vnũ colligere potuerit. Quod vero in Chronologia versemur, horum curiosos ad egregium huius sæculi Ecclesiasticum Chronographum remittimus, *Iac. Gaultherium*; qui quæ fideliter collegit, fortiter & confutauit.

Selimus Turcarum Imperator Constantinopoli Hadrianopolim petens, in itinere peste extinguitur 22. Sept. eodẽ loco quo olim cum parte suo prælio congressus fuerat; cum imperasset an. 8. & menses 5. Mors eius occultatur dies decem, donec Trapezunte adueniret filius eius *Solimannus* eo nomine Secũdus, qui administrationem Imperij inchoauit Calend. Octob.

Carolus Imperator in Germaniam veniens, coronatur Aquisgrani 23. Octobr. & Ferdinando fratri concedit Austriam, aliosque Maximiliani auitos Principatus.

Christiernus Rex Daniæ Noruegiæ à multo tempore Sueciam sibi & armis & arte subiicere conatus, tandem hoc anno Stockholmium Regni metropolim ad deditionem compellit. Sed rebus sibi firmatis, vocatos ad conuiuium splendidum primarios quosuis omnium Ordinum Suecos crudelissime interimit, incipiens ab Episcopis & vrbe direpta in Daniam abit.

1521. CAROLVS Imperator, prima sua Comitia celebrat Wormatiæ. Ad quæ vocatus cum saluo conductu Lutherus, & obstinatus in hæresi permanens, postquam inde recessisset, proscribitur 8. Maij: cum iterum à Leone Pontifice in die Cœnæ Domini excommunicatus fuisset. Sed à Friderico Electore in quadam sua arce absconditur decem mensibus. Schola quoque Parisiensis eum damnat cum suis scriptis. Itemque Henricus VIII. Rex Angliæ egregium librum edidit aduersus eius pestiferam doctrinã; eoque nomine à Leone Pontifice insignem consequitur titulum. *Defensoris fidei*.

Solimannus Turcarum Imperator, prætextu contumeliæ à Ludouico Hungariæ Rege legato suo irrogatæ, Hungariam aggressus, Belgradum, siue Albam Græcam (Taurunum olim dictum, inferioris Pannoniæ vrbem ad confluentia Saui in Danubium sitam) firmissimum ea parte Christianorum propugnaculum expugnatum occupat 29. Augusti.

Tartari in Moschouiam irruentes, obuiantem sibi Basilium Ducem prælio vincunt, & 80. millia hominum è Moschouia captiuos abducunt.

Leo PP. X. postquam sedisset an. 8. mens. 9. minus decem diebus moritur Calend Decemb. vacatque sedes 38. diebus

Moritur item Emmanuel Rex Lusitaniæ, Princeps laudatissimus, 13. Decemb. Succedit filius Ioannes eius nominis Tertius annorum 20.

Oritur bellum inter Carolum Imperatorem & Franciscũ Regem Francorum, clarissimos Principes; quod in 38. ferme annos productum est, interpositis aliquando induciis dubiis parumque cõstantibus. Et interim dum Carolus hoc anno Picardiam armatus intrat, ex Italia pelluntur Galli.

Missus vero à Rege exercitus, qui Henricum Alebretum filium Ioannis & Catharinæ Regum Nauarræ expulsorum & defunctorum in Regnum restitueret, Pampelonem capit. In cuius arcis expugnatione *Ignatius Loiola* è nobilitate Cantabriæ miles, ictu bombardæ conuulso lapide crure altero confracto, altero vulnerato, extremum vitæ periculum adiit: quod & illi salutis initium fuit, & *Societatis* IESV fundandæ diuinitus data occasio. Ceterum Pampelone paulo post, cum reliquis oppidis à Gallis captis, redierunt in Hispanorum potestatem.

1522. HADRIANVS Belga Traiectensis, vir doctissimus, atque ex Theologo Louaniensi & Caroli Imperatoris præceptore factus Cardinalis titt. Pammachij, cum absens in Hispania Cæsaraugustæ Proregem ageret, eligitur Romæ in Pontificem 9. Ianuarij: qui nomen non mutauit, sed retinuit proprium HADRIANI, Sexti dicti. Romam appulit mense Sept. ibique coronatus est.

A.C.

Hoc anno, siue sequenti vt alij ponunt, Christiernus Rex Daniæ, cum ob sæuissimam crudelitatem suis intolerabilis esset; à Friderico patruo Holsatiæ Ducæ, hortantibus cunctis Regni ordinibus, armis impetitus, profugit vna cũ thesauro, liberis, & coniuge Elisabetha sorore Caroli Imperatoris, in Belgium. Quem etiam notat Genebrardus, antequam pulsus fuisset defecisse ab Ecclesia. In cuius locum suffectus est Rex Daniæ & Norvegiæ idem Fridericus. Sueciæ vero Regnum postea obtinuit Gustauus: quem Sueci elapsum è custodia Christierni, Gubernatorem aduersus eum cõstituerant: qui & ipse deinde abdicata fide Catholica, perfidiæ Lutheranæ nomen dedit.

Rhodus insula nobilissima, dum Principes Christiani inter se digladiantur, post grauissimam sex mensium obsidionem, & fortissimam Equitum sub Magno Magistro Liladamo Gallo propugnationem, deditione capitur à Solimanno Turca 25. Decemb.

1523. CVM Hadrianus Pontifex per Legatum Germanis morum reformationi prospicere fuisset pollicitus; Lutherani librum edunt *Centum Grauaminum*, quæ pati Germaniam à Pontifice dicerent; petentes vt indiceretur Concilium Generale in Germania.

Idem Hadrianus VI. moritur 14. Sept. postquam sedisset annum vnum menses octo, dies sex. Qui paulo ante, nempe 6. eiusdem mensis Regibus Hispaniæ fecerat potestatem legendi Episcopos & præsentandi; & vt trium militarium Ordinum præfectura, ab aliis Pontificibus ad tempus concessa, Castellæ Regibus propriæ & perpetuæ esset. *Marian.* Suffectus est in eius locum 19. Nouemb. *Iulius Mediceus* Florentinus CLEMENTIVS VII. nomine Leonis X. patruelis, & ab eo factus Cardinalis titt. Damasi.

In Gallia Carolus Dux Borbonius & Conestabilis deficit à Rege ad Carolum Imperatorem: & armantur in Regem Angli, Flandri, Germani.

1524. INCIPIT Bellum Sacramentarium inter Lutheranos; dũ *Huldricus Zuinglius* Heluetius, olim Canonicus Constantiensis, deinde promulgator factus Tiguri doctrinæ Lutheranę; nunc ab eo dissentit, primo occulte, postea palam, vna cum *Ioanne Oecolampadio* Germano apostata Ordinis S. Brigitræ; reuocantes ab inferis damnatam Beringarij hæresim de Eucharistia, verbum *Est* interpretantem *significat*: & ex alia parte *Andreas Carolstadius* Archidiaconus Witembergensis, Lutheri assecla & amicus coniunctissimus, pronomen *Hoc* designasse dixit Christum ipsum mensæ assidentem: & contra eos omnes ipse Lutherus docuit Corpus Christi *in*, vel *cum*, vel *sub* pane esse. Natæ etiam postea plusquam 60. diuersæ sectæ. Sic enim qui semel Fidei Regulam deserunt, quot capita habent, tot sententias & errores comminiscuntur. Ceterum Lutherus Carolstadium pelli post hæc curauit è Saxonia; & probrosis libellis inimicitias exercuit cum Zuinglio. Sed inter cæteras Sacramentariorum sectas memoranda & illa, quam paulo post adinuenit *Ioannis Brentius* Sueuus Semilutheranus: qui quod Transubstantiationis doctrinam ferre non posset, veram tamen ac realem corporis Christi præsentiam teri vellet; asseruit corpus Christi ex quo in cælum ascendit, esse vbique: factusque est *Vbiquetariorum* auctor.

Prodiit etiam hoc ferme tempore secta *Anabaptistarum*, dicentium Baptismum paruulorum nullius esse momenti, ac proinde iterum baptizari debere cum facti sunt rationis compotes. Quorum auctorem alij faciunt *Thomam Munzerum* Stolbergensem, alij *Baltazarem Pacimontanum*, seu etiam *Carolstadium*, seu *Zuinglium*, vel *Nicolaum Storkium*, quidam etiam ipsummet *Lutherum*.

Prædicti vero Munzeri (quem etiam *Enthusiastarum* auctorem faciunt) perniciosissima doctrina, qua sibi à Spiritu reuelatum esse iactabat, quod gladio Gedeonis (quem se à Deo accepisse dicebat) vniuersum Orbem cogere deberet ad nouum Christi Regnum instituendum, & iustas pœnas de Magistratibus & Principibus Christianis repe-

tendas

A.C.

tendas; huius anni mense Nouembri cœperunt à domino suo Comite Luptio Sueuo diffidere homines rusticani, propter onera quibus se nimium grauari querebantur. Indeque orto principio, infinita turba rusticorum ad seditiones prætextu libertatis Euangelicæ concitata in Principes, ac Magistratus, & Clerum; ingentia intulerunt damna Germaniæ, atque in vna Franconia ad ducentas arces & monasteria incenderunt.

Interim Legatio à Dauide Æthiopiæ Imperatore & Helena eius auia ad Clementem PP. aduenit, obedientiam ab illis promittens Sedi Apostolicæ, ac benedictionem postulans. *Ioann. Genebr.* Alij in posteriora tempora reiiciunt. *Maffei. Iarric.*

Instituitur Ordo Clericorum Regularium, quos *Theatinos* vocant, à Petro Carafa Episcopo Theatino, qui postea creatus est Papa Paulus IV.

Borbonius Dux cum exercitu Imperatoris Massiliam obsidet, sed repellitur à Rege: qui eius vestigia insecutus, Lombardiæ partem ac Mediolanum recipit.

1525. Francisc vs Rex Franc. dum Ticinum siue Papiam obsidet, à Ducibus Caroli Imperatoris graui prælio 25. Februarij superatus capitur; occisis plurimis ex Gallica nobilitate, aliisque captis. In quibus Henricus Nauarræ Rex e custodia Ticinensi euasit: ipse vero Franciscus naui ductus est in Hispaniam.

Rusticanum bellum superiori anno cœptum, hoc finem accipit: occisis supra centum eorum millia, eorundem duce Munzero capto & capite punito cum plurimis aliis è suis.

Albertus Marchio Brandeburgensis Magister Ordinis Teutonici in Prussia siue Borussia, cum per multiplices dilationes ac tergiuersationes hactenus subterfugisset sacramẽto se obstringere Sigismundo Regi Poloniæ, sicut olim inter ipsorum decessores conuentum fuerat; (*vid. supra ann.* 1265.) indeque miseræ vastationes ei prouinciæ à Polono illatæ essent: nunc tandem fatigatus conuenit cum Rege, vt Ordo mutetur in Ducatum, qui conferatur ipsi Alberto hereditario iure: eaque ratione creatur ipse primus Dux Prussiæ 8. April.

Lutherus, dimisso iam anno superiori homo impiissimus cucullo monastico, nunc impurissimus vxorem ducit, seu verius concubinam æque impiam & impuram Catharinam à Bora, genere nobilem, è monasterio abstractam: cum duxisset iam antea vxorem Carolstadius an 1522. & ipse olim presbyter; ac primus omnium Presbyterorum huius infelicissimæ sectæ, *Bartholomæus Bernhardus* Feldkirchius Præpositus in oppido Kemberg an. 1521.

Quintinus sartor Picardus, socio *Coppino*, pestiferum *Libertinorum* dogma ex Brabantia & Hollandia disseminat: pro quo, aliisque multis criminibus extremo supplicio Tornaci afficitur, hæresi prius abiurata. Fuit autem præcipuus Libertinorum error, vnicum esse Spiritum immortalem, scilicet Deum; Angelos autem, dæmones, & hominum animos, nihil esse nisi meram opinionem: vnde deducebant, omne id quod ab hominibus fieri videretur, siue bonum, siue malũ, fieri ab illo vnico Spiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur; & alia pleraque absurdissima æque ac impiissima: de quibus *Gaulter. in Chronol.*

Hocque item anno *Dauid Georgius* vitriarius, circulatore natus Gandaui in Flandria, disseminare incipit suas impietates in Frisia, quibus se Dei nepotem esse dicebat ex Spiritu natum, verum Messiam, & tertium Dauidem; & in multis cum Sadducæis, Manichæis, Adamitis conueniebat. Qui demum Basileæ moriens, triennio post effossus vna cum suis libris crematus est.

Ex alia vero parte in Ecclesia Dei Ordo *Cappucinorum* sub Regula S. Francisci inchoatur hoc eodem anno, vel, vt quidam habent, paulo ante: qui pietate sua ac bonis operibus homines reuocarent à spurcitiis & abominationibus hæreticorum.

Hisque iisdem temporibus plerique eorum Doctorum & Scriptorum Catholicorum, quos anno 1515 recensuimus, egregiam præstiterunt operam in confutandis prædictis hæresibus, qua disputationibus, qua scriptis: cum quo tempore Satanas ad diruendum multos excitaret, Deus alios ad dirigendum & ædificandum apponeret.

Francisc vs Rex Francorum, cum in custodia detentus in Hispania conualuisset è grauissimo morbo, adeo duris conditionibus emissus in libertatem est à Carolo; vt quamuis obsides dederit duos filios suos, tamen cum in Galliam peruenit mense Martij, habitis Regni Comitiis decretum fuerit, non posse admitti tam iniquas conditiones de restitutione Burgundiæ & renuntiatione plurimorum iurium: æquis tamen se satisfacturum, soluturumque pro sua redemptione ingentem vim auri, & in firmum pignus amicitiæ ducturum (sicuti conuenerat) Eleonoram sororẽ natu maiorem Caroli, viduam Emanuelis Regis Lusitaniæ. A.C. 1526.

Ceterum cum hæc non acceptaret Carolus; sed & quod duces eius in Italia Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem proditionis insimulatum expulissent, ac denique quod in Hispania lege cauisset vt Pontificia diplomata Senatus regius examinaret: his occasionibus Clemens Pontifex cum Rege Francisco, Venetis, ac Longobardis, fœdus contra Carolum init, Anglo etiam solicitato.

Ludouicus Hungariæ & Boemiæ Rex ad oppidum Mohatzium, Budam inter & Belgradum, à Solimanno Turcarum Imperatore prælio victus 29. Augusti, fuga salutem quærens in vicinæ paludis lutulento gurgite suffocatur. Ortaque de Regni successione inter Christianos Principes dissensione; Ferdinandus Archidux Austriæ, qui duxerat Annam Ludouici sororem, idemque Caroli Imperatoris frater, ab aliquibus Rex eligitur; ab aliis Ioannes Waivoda Transiluaniæ: vnde diuturna bella extiterunt, & Regni desolatio secuta.

Moritur quoque Ismael Sophi Rex Persarum: eique succedit filius Tammas, siue Techmas.

Ferdinandvs Austriacus coronatur Pragæ Rex Boemię 24. Februarij: & inde in Hungariam progressus, coronatur etiam Budæ Rex 28. Octob. fugato Ioanne Transiluano, qui legatos mittit ad Turcam pro impetrando auxilio. 1527.

Carolus Borbonius ductor in Italia copiarum Imperatoris, Florentiam diripere parans, cum fœderati aduersus Imperatorem obstitissent, conuerso agmine Romam inuadit 5. Maij, & dum inter primos conscendit murum ictu sclopi occiditur: capta tamen vrbs, atque direpta; templa spoliata, omniaque sacra profanata, graui dedecore Religionis Christianæ: ac Pontifex in mole Hadriani obsessus, postea & ipse per deditionem captus, & in custodia detentus, auctoribus Principe Aurantio & Prorege Neapolitano: vt magni beneficij loco concessum ei fuerit, grandi se pecuniæ solutione redimere. *Onuphr. Iouius. Ferron. Til.* Interea vero commotus eo atroci nuntio Henricus Rex Angliæ, ad fœdus Pontificis accessit: & Franciscus Rex Francorum mittit Odetum Lautrechium in Italiam cum exercitu ad liberandum Pontificem. *Iul. Marian. Polyd.*

Celebratvr Concilium prouinciale Senonense in Gallia aduersus hæreses, & de moribus. 1528.

In Scotia, post multa dissidia & prælia, tam interna inter Reginam (sororem Henrici Regis Angliæ) & Regni administratores, quam externa cum Anglis, dum Rex Iacobus V. in minori ætate est; nunc tandem ipse anno ætatis 16. Regni gubernacula in se recipit.

Odetus Lautrechius dux exercitus Gallici in Italia Neapolim obsidens, ingruẽte peste tam ipse extinctus est quã exercitus dissolutus. Dux egregius, dictus & ipse (vt olim Demetrius Macedo) vtbium expugnator. Quo etiam tempore Andreas Aurea Genuensis classis Gallicæ præfectus ad Hispanos defecit.

Interea vero expostulante Carolo Imperatore de fide à Francisco Rege violata non redditis quæ in captiuitate promisisset, ac Rege mendacij Carolum accusante, & ad singulare certamen prouocante; res effectu caruit.

Cvm passim in Germania Missa abrogaretur, altaria diruerentur, Imagines exturbarentur & incenderentur, omnia sacra pessumdarentur ab hæreticis; qui in hoc vno conuenientes, in præcipuis articulis Religionis inter se misere digladiabãtur, nouis indies exorientibus sectis sibi inuicem contrariis: celebratur hoc anno mense Aprilis Spiræ Conuentus Ordinum Imperij de expeditione in Turcas, & de pace Religionis: vbi quoad Religionem decretum est, vt Edictum Wormatiense (an. 1521.) obseruaretur contra No 1529.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

uatores, & vt omnia in integrum restituerentur. Contra quod edictum Ioanne Electore Saxoniæ, Philippo Landgravio Hassiæ, & aliis solemniter protestantibus, inde orta peruulgata illa *Protestantium* nomenclatura.

Cupiente Carolo in Italiam nauigare, coronam Imperij de manu Pontificis suscepturus; in gratiam cum eo redit, pactus Mediceos Florentia pulsos à reliquis ciuibus, in patriam restituturum.

Conuenientibus quoque Cameraci Ludouica Francisci Regis matre, & Margarita Caroli Imperatoris amita, instauratum est fœdus; cedente Rege quæ in Belgio erant, & Carolo renuntiante Burgundiæ: ac liberi Regis restituuntur solutis in redemptionem vicies centenis millibus nummum aureorum: & Eleonora Regi in Hispania desponsata in Galliam cum iisdem liberis regijs mittitur. Sicque factum vt constituta etiam paulo ante pace cum Anglo, Principes per totam Christianum orbem ab armis discesserint.

At Solimannus Turcarum Imperator à Ioanne Transiluano aduersus Ferdinandum Austriacum pro Regno Hungariæ impulsus, cum exercitu trecentorum millium armatorum Viennam obsidet mense Septembri. Sed Philippo Comite Palatino vrbem defendente, cogitur re infecta obsidionem soluere mense Octobri, amissis 80. ferme millibus hominum.

Circa initium Octobris nouum morbi genus, quod *Sudorem Anglicum* dixere, in Germania inualescit, quo plurimi extincti sunt: prænuntium (inquit *Genebrardus*) hæreticæ pestis quæ populum Anglicum erat paulo post infectura.

Milites Rhodienses septennio post Rhodum amissam, consensu Pontificis & Caroli Imperatoris, *Melitam* Insulam inhabitare incipiunt: eamque ædificatam & munitam hactenus strenue contra Turcarum potentiam defenderunt; dicti & inde *Equites Melitenses*.

1530. Carolvs Bononiæ die S Matthiæ 24. Februarij (quo & natus fuerat) coronatur Imperator à Clemente Pontifice.

Idemq; Imperator Mantuano Marchionis nomen Ducis honore mutauit: ac Duci Ferrariensi Rhegium & Mutinam, de quibus cum Pontifice lis erat, consensu partium delectus arbiter, dedit. *Marian.*

Inde Carolus Germaniam petens Comitia habet celeberrima Augustæ mense Iunij: in quibus Protestantes suam Confessionem lingua Latina & Germanica conscriptam in conuentu obtulerunt Imperatori, ac legerunt: quæ confutata à Theologis Catholicis Eckio, Fabro, Cochlæo, & aliis qui aderant vna cum Laurentio Campegio Cardinale Apostolicæ Sedis Legato, & ipso viro doctissimo; reiecta est, ac omnibus iniunctum ad pristinam fidem redire. Zuinglianorum etiam quatuor vrbes, Argentoratum, Cõstantia, Memminga, Lindauium, peculiarem suæ fidei confessionem, longe ab ea diuersam eidem Imperatori obtulerunt: quæ tamen non fuit publice audita. Fuit autem prædicta Augustana Confessio Protestãtium composita à *Philippo Melanchthone*, præcipua quidem viro eruditione, sed haud pari pietate: quippe præterquam quòd primum Luthero adhæsit, paulatim ab eo se subducens, nouæ sectæ dux factus est, quæ dicta est *Semilutheranorum*, seu *Mollium Luheranorum*, vel etiam *Confessionistarum* ab hac Augustana Confessione: quibus capitales inimici facti sunt *Rigidi Lutherani* dicti; qui & *Illyricani* à Mathia Flacco Illyrico antea Melanchthonis discipulo. De Melanchthonis autem propriis erroribus vide *Gaulter. in sua Chronol.* Quod denique attinet ad prædictam Confessionem; mirum quoties fuerit ea deinceps mutata, aucta & adulterata: & tamen tanti fuit apud eius professores, vt Ioannes à Lasco in Epistola ad Regem Poloniæ non dubitauerit profano calamo asserere, malle se de Pauli Apostoli quam de ipsius doctrina dubitare.

Post Comitia, mense Decembri coeuntes Protestantes Smalcaldiæ, fœdus ineunt aduersus Catholicos: & Lutherus interea in arce Coburgensi latitans, librum edit quo omnes horratur ad resistendum Imperatori ac Catholicis.

Interea copiis Pontificis & Imperatoris in Italia diuturna obsidione fatigata Florentia deditur: & Mediceis in eam restitutis, atque Alexandro Mediceo creato Duce (cui Imperator Margaritam filiam nothamcõiugem pactus fuerat) erepta penitus ei libertas est.

In Gallia vero Franciscus Rex, non minus bonarum artium ac litterarum restaurationi intentus, quam bellicis exercitationibus; cum iam antea Guil. Budæo & Iano Lascari auctoribus insignem Bibliothecam Fontanableam instruere cœpisset; nunc eodem Budæo & Ioanne Belaio postea Cardinale hortantibus, ad addendum colophonẽ iis quæ in Academia Parisiensi desiderari videbantur, regios Linguarum professores instituit: qui tunc electi sunt, Hebraicæ quidem Franciscus Vatablus; (cuius nomen falso postea hæretici infamare conati sunt, quasi ipsis fauillet:) Græcæ Petrus Danesius, postea Vaurensis Episcopus: quibus duos continuo addidit, Iacobum Tusanum Græcæ, Agathium Guidacerium Hebraicæ doctorem: & aliquanto post duos in Mathematicis, Orontium Fineum & Ioannem Martinum: denique auctore Petro Castellano anagnoste suo, alios in literis Latinis, Medicina, Philosophia adiunxit. Quibus etiam temporibus, præter illos quos ab anno 1515. nominari contigit, insigni eruditione claruerunt Petrus Bembus, Longolius, Iodocus Badius, Galeacius Capella, Martinus Cromerus, & alij plurimi vbique.

A.C.

1531. Ferdinandvs frater Caroli Imperatoris Rex Hungariæ & Boemiæ, agente fratre declaratur etiam Rex Romanorum 5. Ianuarij in Comitiis Coloniæ ea de causa habitis; Electore Saxoniæ absente per filium solemniter intercedente, quod fieret electio contra Bullam auream: & nihilominus coronatur Ferdinandus Aquisgrani 11. Ianuarij. Saxonem secuti Bauari Principes, proximo anno mutarunt sententiam in gratiam Imperatoris; ipseque etiam Saxo accessit in Conuentu Ratisponensi.

Ioannes Comes Tarnouius Russiæ Palatinus, Petrum Moldauiæ Principem, qui contra fœdus, & nulla hostilitatis denuntiatione præmissa, Rokusiam Regni Polonici prouinciam inuaserat, cum solis quatuor equitum Polonorum millibus magno exercitu pollentem cædit, & memorabilem victoriam obtinet 22. Augusti: ac fugientem breui captum, Regi Poloniæ iuramentum præstare cogit.

Heluetiis ex nona Zuinglij hæresi de vno XIII. pagorum fœdere in duo diuisis, Catholicorum & Hæreticorum; cum ad arma ventum esset, Quinquepagici Catholici numero licet atque apparatu bellico inferiores, Tigurinos eorumque socios insigni prælio vicerunt 11. Octob. quo inter primos occubuit ipse Zuinglius auctor diuisionis. Et Calendis proximi Decembris Oecolampadius; aliud Lernæ Lutheranæ caput moritur, siue ab vxore extinctus, siue à dæmone, vel etiam sui ipsius suorumque manibus in lecto peremptus inuentus est; vt diuersa fuit diuersorum mortis eius fama.

Iniusta nobilium in Gallia vi, leges ac Magistratus contemnentium Rex motus, Conuentum Iuridicum extra ordinem instituit ad eos etiam manu armata comprimendos; quem Galli vocant *Les Grans Iours*: qui magna publicæ securitatis vtilitate postea sæpe renouatus hactenus est.

Mare ruptis aggeribus exundat in Belgium; vnde in Zelandia multa oppida mersa, vbi templorum turres hoc tempore visuntur.

1532. Rex Francorum Franciscus & Henricus Angliæ, primum Bononiæ in Franci ditione, inde Caletiæ quam Anglus occupabat, renouant fœdera.

Solimanni Turcæ metu Hungariam inuadere parantis, Comitia Ratisbonæ Carolus Imperator celebrat mense Martij: quibus concessa Sectariis religionis libertate, auxilia in belum Turcicum decernuntur. Libertas porro Religionis publicatur postea Noribergæ 23. Iulij, duratura vsque ad Generale Concilium. Collecto autem Imperator exercitu Italorum, Hispanorum, Germanorum, octoginta millium peditum & viginti equitum, aduersus Solimannum progressus, Viennam cum ducentis armatorum millibus obsidere parantem; eum ad sua se recipere compellit, præda tamen opima ex Hungariæ & Austriæ dira direptione onustum. Et remissus ab eo Casanes Waivoda cum 12. vel 15. millibus equitum, qui omnia vastaret; in reditu incidens in Fridericum Palatinum Caroli ducem, ad internecionem vna cum suis fere omnibus cæsus occubuit.

Henri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A.C.

Henricus Rex Angliæ, cum iam antea in puellam quamdã nobilem Reginæ Catharinæ inseruientem, nomine Annam filiam Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rochefordiæ, procaces oculos coniiciens, eam sibi iungere cuperet; demum eandem Catharinam legitimam coniugem suam, Caroli Imperatoris materteram, ex qua filiam Mariam susceperat, prętextu nuptiarum fratris Arturi (*Vid. an.* 1509.) post longam causæ coram Iudicibus constitutis disceptationem, Pontifice licet ac Theologis valde improbantibus, repudiat, & Annam superinducit: atque exinde incipit Lutheri in Anglia doctrina, quam idem Rex olim scripto confutauerat, & audiri & recipi.

Christiernus exul Rex Daniæ, (*an.* 1522.) cum iam anno superiori collectam in Belgio classem in Noruegiam duxisset; huius mense Martio à Friderico, qui eius loco regnabat, ad pacis conditiones ineundas coactus, & Hafniam vocatus; captus etiam est, & ad perpetua vincula damnatus; in quibus vixit an. 27.

Carolus Imperator rebus Germaniæ cõpositis in Italiam abit; & conuento Bononiæ Pontifice, de cogendo Concilio agit, ac de pace in Italia tuenda, deque bello in Turcas.

Hariadenus Mitylenæus, *Barbarossa* dictus, vrbem Algeriam in Africa occupat.

1533. Clemens PP. & Rex Franciscus Massiliæ conueniunt; captumque consilium de reprimenda hæresi: & Catharina Laurentij Medicei ex Magdalena Bononiensi filia, & ipsius Clementis Pontificis neptis, despondetur Henrico Valesio Regis minori filio; cum dote maternorum oppidorum in Aruernis, & magnæ pecuniæ ac pretiosæ supellectilis.

In Scotia publicis Comitiis decernuntur leges in hæreticos; & instituitur Senatus Edimburgi, quem Summus Pontifex sua auctoritate firmat.

In Dania post obitum Friderici Regis certatur de gubernatione, dum filius eius adhuc puer est, & Senatus Catholicus cupit hæresim euellere. Alij vocant Christiernum Holsatiæ Ducem, alij Christophorum Comitem Aldeburgensem: inter quos rursum certatur in magnum Regni ac Religionis detrimentum; donec victor Christiernus sublatis Episcopis Regnum sibi hæresi stabilit; coronatus Rex eius nominis Tertius.

Barbarossa à Turcarum Imperatore Solimanno creatur Rex Algeriæ, quam occupauerat anno præcedenti: ac mari præfectus, classe centum triremium Moream anno item præcedenti ab Andrea Auria Hispanicæ classis præfecto occupatam adit, & Coronem aliaque loca recipit.

1534. Monasterii in Westphalia, cum ciues abdicata religione Catholica Lutheranismo adhæsissent, & inde Anabaptistarum errores imbuissent, veterequę Senatu eiecto nouum ex suis elegissent: nunc à suo Episcopo cum auxiliaribus Principum copiis mense Februarij obsessi, acriter sese defendentes, in regem suum eligunt *Ioannem* quemdam sartorem *Leidensem*: qui mox alios duodecim ordinauit, quibus Ducatus & Episcopatus in tota Germania distribuit. Donec post durissimam toleratam summa omnium rerum penuria sedecim mensium obsidionem, ex insidiis noctu capta vrbs est, ac ciues fere omnes trucidati; eorumque Rex cum præcipuis Regni sui proceribus igneis forcipibus lacerati, in caveis ferreis in spectaculum suspensi exponuntur.

Clemens Pontifex in Regem Angliæ Henricum, ob diuortium Catharinæ eius coniugis, & Ecclesiæ Rom. atque ipsius Pontificis auctoritatem deiectam; post longas moras & diu fruſtra eius expectatam pœnitentiam, publicam fert anathematis sententiam. Rex autem publicis Comitiis mẽse Nouembri decretum promulgat, quo se Caput Ecclesiæ Anglicanæ pronunciat, pœna capitis statuta in eos qui Pontificis Romani auctoritatem in ea agnoscerent: sibique eo nomine annatas Beneficiorum Ecclesiasticorum, decimasque persolui iubet.

Insinuante se quoque tunc hæresi in Gallias, Rex seuere edicit in eam; & aliquot Lutherani viui exuruntur.

Barbarossa Rex Algeriæ Tunetum in Africa Imperio Turcico subiicit, pulso Rege Mulease Mauro.

Deficiente à Sophi ad Solimannum Vlama Bego Sophi sororio, bellum incipit geri à Solimanno aduersus Sophi fallæ & diuersæ religionis prætextu. Quare Solimannus Taurisium capit sedem Regum Persarũm: sed ad interiora progressus, magnam exercitus partem inedia, frigore, & excursionibus Persarum amittit, & apud Seleuciam hybernat. A.C.

Clemens PP. VII. moritur Romæ 25. Sept. postquam sedisset annis vndecim, minus diebus 55. In cuius locum suffectus est 13. Octob. *Alexander Farnesius* Romanus, iam fere septuagenarius, ex Episcopo Cardinale Ostiensi & Decano sacri Collegij; dictus Paulvs III.

Carolvs Imperator ad Regem Muleassem, qui ad se confugerat, in Regnum restituendum, collecta valida classe in Africam traiiciens; victo Barbarossa, Goletam capit munitissimam arcem in aditu portus vrbis Tunetensis, deinde & ipsam vrbem mense Iulio: & retenta sibi Goleta cum valido præsidio, Tunetum Muleassi restituit sub tributo. Indeque nauigat in Siciliam & Neapolim. 1535.

Interea Rex Franciscus armatur in Italiam ad recuperandum Mediolanum: eiusque exercitus in itinere Sabaudiam occupat, Taurinum aliaque oppida expugnat, velut iure successionis sibi debitas prouincias, pulso Carolo Duce. Cum & inter hæc Francisco Sfortia Duce Mediolanensi sine prole defuncto, Carolus Imperator eius ditionem occupauit; quam Rex sibi deberi affirmabat.

Solimannus post Seleuciam præsidiis firmatã, & Taurisium excisum, rediens in Europam, ingenti clade afficitur à Persis mense Octobri, amissis impedimentis cum tormentis bellicis: peruenit autem Constantinopolim sequenti mense Ianuario.

Henricus Rex Angliæ persecutione in eos excitata qui nollẽt ipsum caput Ecclesiæ asserere, imprimis Carthusienses Monachos cædit; deinde Thomam Morum Regni Cancellarium, ac Ioannem Fischerum Episcopum Roffensem (qui in carcere existens à Pontifice Cardinalis creatus fuerat) viros doctissimos, ac fide & moribus præstantissimos, supplicio afficit mense Iulio: indeque ad praua quæque progressus, templa expilat, cœnobia euertit, redditus fisco addicit, & nihil non impie agit.

Rex Scotiæ Iacobus V. in Galliam veniens, connubio Magdalenam Francisci Regis filiam accipit; & in Scotiam redit, vbi Magdalena moritur anno sequenti ex tabe.

Geneua vrbs Sabaudiæ ad lacum Lemanum eiurata penitus fide Catholica, exactoque Episcopo, cum noua religione nouam etiam sibi Reipublicæ formam constituit: præcipuis hæresis seminatoribus Petro Vireto Sabaudo & Guil. Farello Delphinate, antequam eo *Ioannes Caluinus* aduentaret. Qui quidem homo Gallus Nouioduni 10. Iulij 1509. patre Gerardo Cauuino natus, ex canonico illius Ecclesiæ & Curato liliatus euadens ob turpe vitium, atque profugus simul à patria, & apostata factus à religione; cum post peragrata diuersa loca, nomen sibi inter hæreticos fecisset ex scriptione Institutionis; anno proximo Disciplinæ suæ formulam Geneuensibus obtrudit: sed mox inde pulsus, & per Helvetiam ac Germaniam vagans, nullibique firmam sedem homo seditiosus & imperiosus inueniens; rursum an. 1541. Geneuam suorum factione reuocatur; & imperio pene supremo quãdiu vixit eam obtinuit; nouas cudens opiniones, vt & ipse Hæresiarcha audiret, nec quibusuis aliis subiaceret, ceteris omnibus æque odiosus atque intolerabilis. Cuius præcipuorum errorum centuriam habet *Gaulter. in Chronolog.*

Ordo *Societatis* Iesv auctore Ignatio de Loiola (de quo an. 1521.) initium sumit Parisiis; quando ipse cum aliis nouẽ adscitis ex variis prouinciis sociis, in æde Beatissimæ Virginis Mariæ ad montem Martyrum præcipua se religione voti obsequiis Pontificiis dedicauit. Eaque societas approbata est à Paulo III. Pontifice anno post hunc quinto, nimirum 1540. ac rursum confirmata an. 1543. (sublata numeri definitione) denuoque à Iulio III. Paulo IV. Pio IV. ipsoque Oecumenico Concilio Tridentino.

1536. Carolvs Imperator Neapoli Romam delatus, & ibi coram Pontifice & Cardinalibus contra Franciscum Regem secure debachatus, paucis post diebus in Galliam irruit cum exercitu Africæ domitore: sed in ipso ingressu tentata fruſtra Massilia amissaque magna copiarum parte, cum pudore in Hispaniam se recipere cogitur: dum interim in Lombardia & Belgio varie pugnatur inter vtriusque Principis duces.

Cele-

A.C.

Celebratur *Concilium Colonienſe* prouinciale, præſide Hermanno Archiepiſcopo, pro Cleri reformatione, & de dogmatibus ac cæremonijs Religionis: cuius extant Acta in *Tomis Conciliorum*. Miſer autem Hermannus ſeptimo poſt anno defecit ad Lutheranos.

Eodemque anno menſe Maij habitum eſt Conuenticulum Lutheranorum Witembergæ, quod ipſi Generale nuncupant, trecentorum Miniſtrorum, ipſomet præſide Lutherо tot coruorum parente quo, q̃ multis aliis ſæpe habitis variis locis inter Lutheranos & Zuinglianos priuatis conuenticulis fruſtra tentata fuerat, aliquatandem initur concordia de Cœna Domini, inter duos Martinos Lutherum & Bucerum, eoſdemque excucullatos apoſtatas, illum ab inſtituto Auguſtinianorum, hunc Dominicanorum; conſcribente illam cothurno Melanchthone.

Cęterum *Bucerus* cum à ſua Religione ad Lutherum, & ab hoc ad Zuinglium tranſiiſſet; rurſum in prædicto huius anni conuenticulo in quibuſdam adhæſit Luthero à quo denuo parum ſibi ſatisfactum putans, & ipſe partes ſuas agere cœpit, ac peculiarem ſectam erigere quæ cũ Lutheranis Sacramentarios copularet. Eius priuatos errores collectos habet in vnum *Gaulter. in Chronol.*

Henricus Rex Angliæ Annam ſuperinductam coniugem (mortua iam anno ſuperiori menſe Ianuario Catharina legitima, ſed repudiata) adulterã deprehenſam capite plectit 29. Maij, ſuperſtite ex ea Eliſabetha, quæ poſtea in hæreſi regnauit. Idemque mox in eius locum Ioannam admiſit filiam Ioannis Seymer equitis; ex qua Eduardum ſuſcepit qui ei in Regno ſucceſſit.

Moritur Baſileę Eraſmus Roderodamus ſeptuagenarius 11. Iulij, in litteris humanioribus magnum nomen adeptus, in Religione ἀμφίβολος. Itemque moritur Lugduni *Santes Pagninus* Dominicanus, concionator Apoſtolicus: qui ſecundus Latinorum poſt Reuchlinum, Lexicon Hebraicum edidit tanta eruditione, vt etiam Rabinos in eo argumenti genere vicerit, & reliquos à præſtantiori conficiendo deterruerit. *Genebr.* Vixerunt his iiſdem temporibus præter alios ſuperioribus annis recenſitos inſignes Theologos, Franciſcus de Victoria Theologus Caroli Imperatoris; Melchior Canus, & Dominicus à Soto Dominicani, eiuſdem Franciſci diſcipuli; Ludouicus Lipomanus Epiſcopus Veronenſis; Alfonſus à Caſtro, & Franciſcus Titelmanus Franciſcani; Ambroſius Catarinus, Georgius Wicellus, Ioannes Hoffmeiſterus, Franciſcus Picardus, & alij plurimi fortes fidei Catholicæ propugnatores: Sicuti inter Iuriſconſultos, Andreas Alciatus, Andreas Tiraquellus, Franciſcus Duarenus, & alij plures: inter ceterarum artium profeſſores, Mattheolus Dioſcoridis commentator, Gemma Friſius Medicus ac Mathematicus. Fernelius primus Regis Medicus, Philippus Theophraſtus Paracellus nouæ Medicorum Scholæ auctor; Georgius Agricola metalliſta, Iulius Cæſar Scaliger philoſophus & medicus; & alij paſſim omni ſcientiarum genere præſtantiſſimi.

1537. Paulvs Pontifex Concilium Generale Mantuæ celebrandum indicit; ad quod deinde Vicentiam vrbem deſignat. Proteſtantes Smalcaldiæ conuenientes, proteſtantur locum eſſe ſuſpectum; nec fore Concilium liberum ac legitimum, niſi celebraretur in Germania. Lutherus tamen articulos conſcribit, qui offerendi eſſent Concilio.

Alexander Mediceus Dux Florentinus cum vagas libidines ſectaretur, fraude agnati ſui Laurentij occiditur. In cuius locum ſuffectus eſt Coſmus ei ſius propinquus, qui magna ſapientiæ laude Principatum adminiſtrauit.

Ferdinandi Regis Hungariæ copiæ ſub ductu Ioannis Cztzianeri magna clade afficiuntur à Turcis menſe Octobri. Et Barbaroſſa Corcyram, quæ Venetorum erat, diripit. Solimannus Moldauiam occupat, quam tamẽ poſtea Waivodæ reſtituit.

1538. Prodevntibvs indies nouis è Lutheraniſmo ſectis, nunc *Antinomi* eſſe produnt auctore *Ioanne Islebio* Agricola; qui ad extollendum Euangelium, Legem eſſe inutilem prædicabat, nec obſtrictos eſſe Chriſtianos ad exequenda eius bona opera. Quam impietatem, in pluribus aliis licet magis impius Lutherus impugnat tamen. Vide *Gaulter. in Chronol.*

Apud Niciam in Prouincia conuenientes menſe Maio Paulus Pontifex, Carolus Imperator, & Franciſcus Rex Galliarum, de pace diu multumque differunt; & cum nulla poſſet conſtitui, induciæ in decennium publicantur. Vt tamen Carolus & Franciſcus inter ſe viderent, impetrari non potuit; ſed quiſque ſeparatim cum Pontifice egit. Regreſſo vero Pontifice ad ſua, Imperator in Hiſpaniam rediẽs, occaſione tempeſtatis qua iactatus eſt, cum Rex prope eſſet, ambo ad Foſſas Marianas (*Aquas mortuas* vocant) in mutuum veniunt conſpectum & colloquium; ac poſt aliqua de rebus ſuis vtrimque agitata, amice digrediuntur.

Henricus Rex Angliæ furens in Catholicos qui Pontificis auctoritatem agnoſcerent, etiam S. Thomæ Cantuarienſis oſſa comburit, quod fuiſſet acerrimus defenſor iurium Eccleſiaſticorum.

Andreas Auria triremium Pontificis, Imperatoris, ac Venetorum in vnum collectarum dux, capto in ſinu Ambracio Caſtro nouo ad Actium promontorium (Præueſam vocãt) in fugam vertitur à Barbaroſſa, amiſſis aliquot triremibus: & anno ſequenti Caſtrum nouum à Barbaroſſa reſtituitur; ac Veneti pacem à Turca impetrant.

1539. Rex Franciſcus edicit, vt in ſuo Regno decreta deinceps non Latina, vt antea, ſed Gallica lingua fierent.

Henricus Rex Angliæ habito Londini Regni Ordinum conuentu, multa ſtatuit de religione decreta fidei Catholicæ conſentientia, de Euchariſtia, Pœnitentia, Votis Cœlibatu, & ſimilibus: iiſque qui ſecus docerent, vt hęreticis, ſupplicia grauiſſima conſtituit. Ita nimirum pro capite Eccleſiæ ſe gerens.

Moritur *Georgius* Dux Saxoniæ, Catholicæ religionis in Germania aduerſus Lutheranam perfidiam propugnator acerrimus: cuius liberi omnes cum ante illum deceſſiſſent, ſuccedit iure ſanguinis Henricus frater Luthero addictiſſimus: à quo tam repentina facta eſt in fratris ditione mutatio religionis, vt cum Lipſiæ in feſto Paſchatis docuiſſent Catholici, (quippe obiit Georgius 17. Aprilis) feſto Penteceſtes ibidem docerent Lutherani.

1540. Gandavo vrbe Flandriæ, patria Caroli Imperatoris, mota propter pecuniam in belli ſumptus imperatam, Carolus ex Hiſpania eo proficiſcens, accepta Regis fide, modico comitatu per Galliam terreſtri itinere tranſit; & magno apparatu vbique exceptus, ipſis Calendis Ianuarij celebri pompa Pariſios ingreditur. Inde Gandauum profectus, & arte magis quam armis in vrbem admiſſus, noxios ſupplicio afficit, arcemque exædificat.

Ioannes Waivoda Tranſiluaniæ (*Vid. an.* 1526. & 1527.) alter Rex Hungariæ qui Budam obtinebat, moritur paulo poſt natum ex vxore filium die 7. Iulij, quem Stephanum dixit. Poſt cuius obitum, Georgius monachus tutor datus filiolo, Hungariam quæ patri parebat ſacramento adegit filij: vnde noua orta bella inter eum & Ferdinandum alterum Regẽ, quæ demũ Hungariam Turcis occupandã obiecere.

Rex Angliæ nunc primum Hiberniæ *Regem* ſe ſcribit, antea eius *Dominus* tantum dictus. Idemque poſt obitum Ioannæ coniugis, quartam ducit vxorem Cleuenſis Ducis ſororem: atque ea mox repudiata, ac lege lata de ſoluendis coniugiis, quantum Anglici ſanguinis Catharinam Havvardam dictam ſuperinduxit: quam etiam paulo poſt propter adulterium, & quod ante regium coniugium vitiata eſſet, capite plexit. Ac demum ſextam aſſumpſit Catharinam Parram viduam: cuius vt maneret coniugium, Regis obitu eſt factum.

1541. Wormatiæ cœptum Colloquium inter aliquot Doctores Catholicos & Lutheranos, quorum præcipui illinc Eckius, hinc Melanchthon; mandato Imperatoris transfertur Ratisbonam, vbi ipſe Comitia habuit: ibique poſt varias diſputationes, controuerſiæ remiſſæ ſunt ad futurum Concilium. Edita ſunt Acta Collationis. Decretum vero eſt iiſdem Comitiis bellum in Turcas Hungariæ imminentes.

Quo eodem tempore Ferdinandus ſuum ius in Regnum Hungariæ vrgens: Peſto capto Budam obſidebat. Sed adueniens Solimannus obſidionem ſoluit, Ferdinandum magnacl de afficit: Peſtum, ipſamque Budam occupat; viduãque Ioannis Waivodæ vna cum filiolo in Tranſiluaniam ablegat.

Carolus quoque Imperator ingentem claſſem ab Auria

A.C. Genuæ paratam, A'geriam in Africam ducēs Octobri mense; expositō in terram exercitu, sæuissimis superuenientibus procellis adeo classis contrita est, vt amissa magna parte exercitus ac machinarum, ægre in Hispaniam regressus sit.

Scotia intestinis motibus varie per hæc tempora agitata, nunc etiam bello Anglico distinetur, orto ex iniusta detentione à Rege Anglo aliquot nauium Scotarum: sed irruentes in Scotiam Angli profligantur à Scotis mense Augusti.

Franciscus Xauerius Nararrus è Societate IESV primus omnium mittitur in Indiam à Paulo Pontifice & Ioanne Rege Lusitaniæ; soluitque Olysippone 7. Aprilis, cuius in iis populis, necnon & Iaponensibus, aliisque eiusmodi Orientalibus ad fidem conuertendis exantlati labores, miracula edita, & fructus collecti, nulli non noti: extatque eius Vita fideliter scripta à Turtellino.

1542. EXPEDITIO ingens 62. millium armatorum in Hungariam ad recuperandam Budam missa sub ductu Ioachimi Electoris Brandeburgensis, negligentia ducum infligatur; ac superueniente contagione, ad nihilum fere redigitur.

Quoniam Concilij conuocandi superior conatus propter intestina Principum dissidia non processerat; nouo edicto Pontificis, Episcopi Tridentum conuenire iubentur, designatis etiam Pontificiis Legatis Ioanne Morono, Petro Paulo Parisio, & Reginaldo Polo Cardinalibus, qui diutius aduentum Episcoporum Tridenti morati sunt: sed nouis exortis bellis, res successum non habuit.

Quippe ob necatos anno superiori ab Hispanis Fregosium & Rinconium Regis Franc. Legatos per Padum nauigantes; cū post multas expostulationes nihil Rex ab Imperatore præter verba acciperet, bellum multis partibus concitatur variis euentibus; sed irrito conatu Perpinianum obsidetur à Francis.

Bellum item inter Anglos & Scotos terra marique geritur: æmissisque in Anglos cohortibus, quod inferioris ordinis homini imperium earum esset commissum, indignantes nobiles voluntaria deditione in potestatem Anglorum venere. Vnde Rex Scotus acerbo dolore correptus, cum & deteriora de reliquis suspicaretur, morbum contrahit, breuique diem claudit mense Decembri; cum paucis ante diebus nata ei esset vnica filia Maria ex secunda vxore Maria Ducis Guisij filia.

In Germania, Italia atque Hispania tanta locustarum fuit vis, vt cœli conspectum volatu auferrent.

Hieronymus Aleander Cardinalis Brundusinus, vir doctissimus & plurimarum linguarum peritia clarissimus, diuersis legationibus pro Summis Pontificibus ad Principes Christianos egregie perfunctus, moritur Romæ anno ætatis 62.

1543. CAROLVS Imperator rebus Hispanicis præfecto filio, cui Maria Ioannis Lusitaniæ Regis filia erat desponsa, Italiam petit; & colloquitur Placentiam inter & Cremonam cum Pontifice de Cōcilio Generali, pace publica, ac rebus priuatis. Cum vero interea ex alia parte Dux Cleuensis, qui à Rege Francisco stabat, (promissa ei in vxorem Ioanna Regis Nauarræ filia vnica) mense Martio Imperatoris exercitum profligasset; aduenies Carolus mense Augusto, expugnato Duræ oppido, Ducem ad veniam obtinendam compellit, & Geldriæ Ducatu multat. Indeque ingenti pollens exercitu militum Hispanorum, Italorum, Germanorum, atque etiam Anglorum (cum fœdus cum Henrico aduersus Franciscum iniisset) in fines Belgij venit ad recuperandum Landrecium à Francisco captum & munitum: quod tamen tum ei frustra fuit.

Barbarossa quoque in freto Siculo Rhegio vrbe vastata, Niciam Prouinciæ occupat, diripitque; arce tamen potiri non potuit, quamuis ætatis parte in ea obsidione consumpta.

Solimānus Hadrianopoli progressus in Hungariam, Strigonium proditione, Albam regalem (vbi vetustorum Regum sepulchra erant) vi capit; Quinqueclesias euertit; & Walpouiam, aliaque insignia Hungariæ loca occupat, munitque; ac deinde Constantinopolim regreditur.

In Scotia dum ob Regni administrationem in Reginæ infantia inter Proceres contenditur parsque ad Anglos propendet; incipit Monachus quidam à Dominicanorum instituto apostasta, libere pro concione inuehi in res sacras: atque inde fit breui inclinatio ad hæresim. A.C.

Hermannus Archiepiscopus Colonienſis ad Lutheranismum deficit; & in hæresi pertinax, priuatur tandem post triennium à Paulo Pontifice Archiepiscopatu: qui traditur Adolpho, quem Hermannus antea coadiutorem adsciuerat.

Moriuntur Gaspar Contarenus Cardinalis patria Venetus, Orator & Historicus: necnon Ioannes Eckius & Albertus Pighius, ob egregiam nauatam verbis & scriptis operam cōtra Lutheranas hæreses, memoria sempiterna digni.

SOLIS defectio totum diem 24. Ianuarij tenet; sequentibus mensibus ter Luna deficit: quod post Caroli Magni ætatem nunquam accidisse affirmant *Marian.* 1544.

Comitia Spiræ celebrantur verno tempore, præsentibus Imperatore, eiusque fratre Ferdinando, & Electoribus omnibus: quibus Rex Franciscus hostis Imperij pronunciatur, & auxilia Carolo in eum decernuntur, ac Ferdinando in Turcam.

Interea vero ad Carignanum inter Alpes 14. Aprilis altera Paschatis feria, Franciscus Anguianus memorabilem refert victoriam de Cæsarianis, quos ducebat Alfonsus Daualus Marchio Vasti.

Post quæ Carolus iuncto cum Anglis conatu irrumpens in Gallias, Lucemburgum deditione capit, obuia aliquot oppida occupat: ac trepidatur Parisiis, maxime q Anglus Bononiam in Morinis eodem tempore cepisset: sed initur pax mense Septembris, qua nouo hoc bello ablata vtrimq; restituta sunt omnia; & aliæ adiunctæ cōditiones, quæ postea effectu caruerunt.

In Sueciæ solemnibus Ordinum Comitiis Regnū illud declaratur hæreditarium; daturque Gustauo & eius posteris, legitimo tamen ordine obseruata primogenitura.

IN Gallia Rex Franciscus Waldensium reliquias in aliquibus Prouinciæ locis commorantes, & Lutheranis vniti satagentes, mense Aprili ferro & igni exscindit. 1545.

Comitia Wormatiæ Imperator celebrat (quibus etiam interfuit Alexander Farnesius Cardinalis nomine Pontificis) vt Sectariis persuadeat Concilij Tridentini celebrandi iudicio stare: sed nihil impetratum, præsertim faces subducente Luthero nouis libris editis. quare fiunt vtrimque tam ab Imperatore, quam à Principibus & ciuitatibus Protestātibus fœderis Smalcaldi præparationes ad bellum.

Conuenientibus tandem Episcopis *Tridentum* in finibus Italiæ & Germaniæ, & missis à Pontifice Legatis Cardinalibus, qui rebus omnibus præessent, inchoatur CONCILIVM Oecumenicum 13. Decemb. tum aduersus hæreses Lutheranorum, aliorumque Nouatorum, tum ad Christianorum omnium tam clericorum quam laicorum mores reformandos: quod aliquoties intermissum, demum finem accepit an. 1563. sub Pio IV. Cuius extant Acta singula, cum nominibus Cardinalium, Episcoporum, Legatorū Principum ac Theologorum omnium, qui ei interfuerunt.

LVTHERVS hæresiarcha Islebij, vbi natus erat, in lecto repertus est mortuus 18 Februarij, cum vesperi bene potus atque hilaris decubuisset. Quem quidem sub mortem probasse dogma Zuinglianorum de Eucharistia, contendunt Ministri Heidelbergenses in Colloquio Mulbrunensi. Verum qui eo viuente, tanto odio se inuicem prosecuti sunt ipsius & Zuinglij discipuli, etiam post eius obitum importunissime se contrariis scriptis lacerare hactenus non destiterunt. 1546.

Constituitur pax mense Iunij inter Reges Francorum & Angliæ.

Carolus Imp. Comitia celebrat Ratisbonæ mense Maio: sed cum plerique Principes Protestantes, quamuis inuitati, non venissent, (qui iam mense Ianuario Francofurti inter se conuenerant de bello deliberaturi) Imperator eos coercendos ratus, collectis vndique copiis, atque ei insuper militantibus nonnullis ex iisdem Principibus Protestantibus, aduersus illos progressus potentissimo iam exercitu millium supra sexaginta militum pollentes, (cuius præcipui duces Fridericus Elector Saxoniæ & Philip-

pus

A.C.

pus Landgrauius, ab Imperatore proscripti) post leuiora quædam prælia, aliquos eorum necnon etiam quasdam ciuitates ad pœnitentiam & deditionem compulit; Saxone tamen adhuc arma gerente.

1547. Moritvr mense Ianuarij in schismate suo Henricus Rex Angliæ; cum ingraueſcente ætate multi succi abdomine adeo grauis & iners euasisset, vt vix per ostia ingredi, ac neque scalas posset conscendere; sed in cathedra positus machinis in superiora ædium subueheretur.

Succedit ex patris testamento Eduardus, quem ex Ioanna Seymera susceperat, puer nouem annorum: sub cuius tutoribus ac Regni procuratoribus, post schisma hæresis Regnũ occupauit, abrogatis iis quæ Henricus eriam tum cum caput Ecclesiæ se declarauit religionis dogmata firmiter stabilita voluerat.

Franciscus quoque Rex Francorum sanctissimis Ecclesiæ sacramentis munitus, diem obit vltimo Martij ex febre cõtinua, postquam regnasset an. 32. mens. 3. vna die minus; vixisset 52. ac septem fere menses: Princeps omnibus sæculis memorandus ob res præclarissime domi forisque gestas; & maxime quod bellis continuo intentus, literas tamen ac literatos adeo dilexerit ac promouerit, vt *Parens literarum* appellati meruerit. Successit *Henricus* eius nominis II. solus superstes ex liberis masculis.

Carolus Imp. aduersus Fridericum Electorem Saxoniæ bellum continuaturus procedens, eum magno prælio vincit, capitque 24. Aprilis, ac postea venientem ad se Landgrauium detinet: hisque duobus Principibus captiuis, quieuere alij. Accepta ab iis & ciuitatibus rebellibus tormenta bellica, Mediolanum, in Belgas, & Hispaniam missa sunt, celebris victoriæ ad posteritatem monumenta. Ademptaque dignitas Electoralis ac ditio prædicto Friderico, collata est ab Imperatore Mauritio Saxoniæ Duci; qui licet & ipse hæreticus, tamen Imperatoris partes valide propugnauerat.

Post quæ Imperator Comitia celebrat Augustæ mense Octobris pro pace Religionis & Reipublicæ: in quibus actum, vt omnes sese Tridentino Concilio submitterent. Et interim formula quædam, certa continens capita doctrinæ ac cæremoniarum, iis per Germaniam obseruanda conceditur vsque ad definitionem Concilij, quæ inde *Interim* nuncupata est: quæ anno sequenti ex iisdem Comitiis Augustanis promulgata, haud tamen ab omnibus accepta est. Quinimo *Bellum Adiaphoristicum* inde inter eorum doctores ortum de Adiaphoris, vt vocabant, hoc est, ceremoniis ac ritibus externis; ex deliberationibus, an & quomodo formula Interim recipienda esset, vel repudianda: Matthia Flacco Illyrico eiusque sociis litem mouentibus Melanchthoni & aliis, qui de Adiaphoris minus acriter pugnauisse illis videbãtur.

Rebus admodum turbatis in Scotia tam in Religione quam in politica regni administratione, Cardinalis Betonius Cancellarius à siccariis hæreticis occiditur ad finem mensis Maij: deinde mense Septembri prælio inter Anglos & Scotos inito, cum Scoti parta pene victoria solutis ordinibus fugientes Anglos insequerentur, Angli redintegrato prælio victoriam fecere suam memoranda Scotorum strage.

Concilium Tridento, ob eius cœli insalubritatem, & bella Germanica, Bononiam transfertur; ac magno rerum detrimento, & piorum dolore cursus eius retardatur: moleste etiam Pontifice ferente, quod Imperator sibi tantum sumpsisset in proponendo Interim.

Occiso Placentiæ à coniuratis mense Septembri Petro Aloisio Farnesio filio Pontificis Duce Placentiæ & Parmæ, Imperatoris præfectus Mediolani Placentiam occupat, Parmam Pontifex munit. Postea tamen is Principatus Octauio Aloisij filio redditus est; cui adfuit Henricus Rex Francorum.

Moritur Constantinopoli Hariadenus Barbarossa Rex Algeriæ inſignis pirata, de quo superius: eique in Regno succedit filius Asanes.

1548. Celebrantvr in Germania *Concilia* prouincialia, *Treuerense* sub Archiepiscopo Ioanne, & *Augustanum* præsidente Episcopo Othone Cardinale: vtrumque de confirmanda fide, & reformandis moribus, quorum extant Acta in *Tomis Concil.*

Sigismundus Poloniæ Rex moritur ineunte Aprili octogenario maior, postquam regnasset 42. annos. Succedit Sigismundus Augustus eius filius, vltimus illustrissimæ Iagellonicæ familiæ. A.C.

Magna excitatur in Aquitania seditio ob vectigal salis: quæ demum comprimitur à Mommorantio Conestabili, seditiosis grauiter castigatis, & ciuitate Burdegala priuata Senatu atque priuilegiis: quæ tamen post sesquianum restitũta sunt, soluta pecuniæ mulcta.

Maria Regina Scotiæ adhuc sexennis, omnium Ordinum consensu, ducitur in Galliam matrimonio locanda Delphino; Anglis frustra transitum impedire conantibus, qui eam Eduardo Regi suo desponderi maximopere cupiebant.

Rex Lutetiæ constituit Iudicium confessum extra ordinem, qui hæreticorum causa cognita eodem seuere puniat.

Antonius Borbonius mense Octobri ducit in vxorem Ioannam Alebretam, filiam vnicam Henrici Regis Nauarrę ex Margarita sorore Francisci Regis; quæ olim promissa fuerat Duci Cleuẽsi. Ex hoc matrimonio natus est postea Henricus Magnus Francorum & Nauarræ Rex.

Dum Carolus Imperator adhuc Augustæ esset, ibi eum conuenit Muleasses Maurus Tuneti Rex, quem ipse olim à Barbarossa pulsum Regno restituerat; iam vero filius eius maior oculis priuauerat, sicut ille olim suis fratribus fecerat.

Ferdinandus Hungariæ Rex per suos duces hoc & sequẽti anno aliquot munitiones Turcis eripit.

Solimannus Turcarum Imperator expeditionem alteram ducit aduersus Techmasen Sophi, occasione Ercasis fratris Techmasis, qui relicto fratre ad Solimannum defecerat: ac Mediam ingressus, Wanum munitionem in deditionem accipit, & totam prouinciam deuastat. Sed hoste nusquam comparente, Solimannus tædio affectus, nulla alia re gesta inglorius Constantinopolim rediit anno sequẽti, post insumptum in ea expeditione annum vnum & menses nouem. Iam vero in ipsa Media Turcis in Ercasem commotis quod nihil proficerẽt, aufugit ipse ad quemdam Principem: à quo vinctus missus est ad Sophi, & ab eo in carcerem coniectus, ac tandem occisus.

Celebrantvr in Germania Concilia prouincialia, *Colonienſe* sub Adolpho, *Treuerenſe* sub Ioanne, & *Moguntinum* sub Ioanne Alberto, Archiepiscopis & Electoribus, de fide & moribus. Exantque eorum Acta in *Tomis Conciliorum.* 1549.

Philippus Hispaniarum Princeps filius Caroli Imperatoris, cum ex Hispania euocatus à patre sub finem anni superioris in Italiam nauigasset; obitis Genua, Mediolano, & Mantua, Brusellas nunc ingreditur Calendis Aprilis: & in eius fidem adiguntur ditiones Germaniæ Inferioris. In Hispaniam vero eius loco mittitur Prorex Maximilianus Ferdinandi filius ipsius Philippi patruelis; qui & sororem Philippi vxorem duxit.

Agitatur Anglia intestinis tumultibus ob violatam Religionem auitam ingressis in eam hæreticis Paulo Fagio, Martino Bucero, & Petro Martyre, vt ibi perfidiæ suæ sementem facerent.

Bellum quoque præter expectationem inter Francos & Anglos suscipitur; sed restituta ab Anglis Bononia, pax iterum conciliatur anno sequenti. Quemadmodum & certantibus in Scotia vario marte Anglis & Scotis; adeuentibus è Gallia copiis cedunt Angli: sicque eodem anno sequenti tenuit Scotia pristinum iuum statum, externo milite libera: & pax constituta est inter Francos, Anglos, & Scotos.

Paulus PP. III. Pontificatu peregregie functus, moritur Romæ 10. Nouembris, cum sedisset an. 15. dies 18. vixisset amplius 82. vacatque Sedes fere tribus mensibus.

Moritur etiam mense Decembri Margarita Regina Nauarræ mater Ioannæ, magni ingenij fœmina, sed in rebus Religionis nimiæ libertatis æstimata.

Mensis Februarij die 7. renuntiatur Summus Pontifex ex Episcopo Card. Prænestino, *Ioannes Maria de Mõte* ex diœcesi Aretina oriundus, sed natus Romæ: qui nomen suscepit Iulii III. Is Iubileum celebrat. 1550.

Mense Iulio Imperator Comitia celebrat Augustæ: &

A.C.

Philippo filio ibidem præsenti Imperium asserere cupiens, reluctantes sensit cum ceteros Electores; tum ipsum fratrē Ferdinandum iam olim Regem Romanorum renuntiatum & in filium Maximilianum ex Hispania reducem iam Boemiæ Regem caritate propensiorem, cum quo inter fuit Comitiis. Actum de instaurando Concilio Tridentino; (ad quod & Iulius Pontifex nouo edicto mense Decembri Episcopos reuocauit:) ac de bello inferendo Magdeburgensibus obedire detrectantibus; cuius dux constitutus Mauricius Elector Saxoniæ, quamuis & ipse è Protestantium numero, & molestissime ferens detentionem soceri sui Landgrauij.

Tolosæ in Gallia crematur quidam, qui se Ioannis Euangelistæ spiritum habere iactabat. Visus est & Parisiis ac Basileæ alius, qui se ab Angelo Sancti Petri dirigi dictitabat: alius denique ibidem Basileæ, qui pariter ab Angelo Mosis. Sed & Ionas coquus Lutheri, se Iustum Ionam radicabat: Osiander Enochum secundum. Sic enim egregie spiritus nequam illusit his fanaticis, qui detrectabant Spiritu Dei ab Ecclesia dirigi.

Mense Septembr. classis Cæsariana Africam, vrbem Africæ Aphrodisium etiam dictam, quam Draguthes Rais insignis pirata anno præcedenti occupauerat, & inde Mediterranei maris littora longe lateque vexabat, obsidet, capit, ac diripit, fugato Draguthe.

1551. Bellvm Osiandricum de Iustitia hominis essentiali in Prussia oritur, auctore *Andrea Osiandro*, qui propter Interim Noriberga recesserat: quippe qui cum Lutheranū aliquamdiu egisset, deinde altare suum seorsum erexit, secundum Henoch se esse iactans; ac speciatim docens, hominem iustificari non per fidem, vt Lutherani prædicarent, sed per essentialem Dei iustitiam, quæ est ipse Deus.

Fuerunt inde *Semiosiandriani* Tubingenses, & *Antiosiandriani* auctore Francisco Stancaro Mantuano, inter se decertantes; & aliæ plures quotidie exorientes Babylonicæ sectæ.

Inter quas fuit etiam, quam hoc eodem anno *Georgius Maior* inuexit de necessitate bonorum operum ipsis etiam infantibus; adeo vt nemo vnquam saluari possit aut iustificari absque bonis operibus antecedentibus. Contra quem *Nicolaus Ambsdorfius* peruicaciter asseruit, bona opera esse perniciosa ad salutem. De iis omnibus vide præcipue *Gaulter. in Chronolog.*

Concilium redintegratur Tridenti mense Maij, misso Marcello Crescentio Cardinale Legato. Et Melanchthon iussu Mauritij Electoris Confessionem Saxonicarum Ecclesiarum cōscribit offerendam Concilio: sicuti & Wittenbergenses suam peculiarem miserunt anno sequenti per Ioannem Brentium Semilutheranum.

Interea bellum reparatur inter Carolum Imperatorem & Henricum Franc. Regem, magno promotionis Concilij impedimento: & Mauritius Saxo Henrico occulte adhærēs, Magdeburgensem obsidionem soluit, & secreto expeditionem parat aduersus Imperatorem.

Draguthes Rais Tripolim Africæ, dedentibus Equitibus Melitensibus à quibus tenebatur, occupat.

Ioannes Basilius Magnus Moschorum Dux Cazanum Tartarorum Cazanēsium metropolim post septennem oppugnationem demum expugnat; & totum illud regnum sibi subiicit, magna iliorum multitudine ad baptismum suscipiendum inducta.

1552. Bellvm Mauritius Saxo, prætextu restituendæ Germanicæ libertatis, Imperatori incogitanti & imparato denuntiat simul & infert, & ad principium Aprilis Augustam deditione accipit: vnde non solum Imperatori Oeniponti magnus terror incussus, (qui inde festinato discessit ad fines Italiæ) sed & apud Tridentum adeo trepidatum est, vt Patribus præcipiti fuga dilapsis iterum sit Concilium dissipatum. Demum post multa ex vna parte à Mauritij exercitu, & ex alia multo plura ab Alberto Brandeburgico illata Germaniæ damna; tractatur de concordia à Ferdinando fratre Imperatoris: qua Fridericus Saxo atque Landgrauius libertati redduntur, & in Conuentu Passauiensi promittitur, religionis causa nemini molestiam illatum iri, donec lis omnis composita foret.

Interea vero dum hæc geruntur, Henricus Rex Francorum vrbes Tullum, Verodunum, & Metim Imperio subtrahit; ac Lotharingiam occupat, Ducem puerum nouem annorum in Gallias mittens, eique filiam suam in matrimonium spondens. Quare Imperator immensis collectis copiis Metim obsidet mense Octobri: sed tum ob fortem obsessorum propugnationem, tum ob inclementiam hiemis, copiarum magna parte consumpta, obsidionem inglorius soluere cogitur. A.C.

Turcæ in Hungaria multa loca occupant, & Ferdinandi exercitum cæduntiab Agriæ tamen obsidione cum dedecore multa clade repelluntur.

Moritur in Germania *Ioannes Cochlæus* anno ætatis 73. insignis Theologus, & egregius fidei Catholicæ propugnator aduersus Lutherum eiusque assecias. Et in aditu Sinarum *Franciscus Xauerius* Soc. IESV; cum per annos vndecim miraculis & prædicationibus quamplurima mortalium millia ad fidem Christianam conuertisset in oris illis Orientalibus: quem anno 1622. Gregorius PP. XV. in SS. numerū retulit.

Bellum Lutheranorum contra Zuinglianos, propter ciuilia bella simulata concordia aliquandiu interm issum, rursum acrius instauratur à Ioachimo Westphalo: quod nunquam postea potuit sopiri.

Siud à Nestorianis Syriæ, Assyriæ, & Persidis Patriarcha Mozal siue Seleuciæ Parthorum designatus, Romam venit consecrandus, cum epistola illorum populorum, qua Summum Pontificem pro vniuersi Orbis pastore agnoscunt. Professio autem fidei Siud, quam fecit Romæ hoc anno 1552. edita & versa est ab Andrea Masio; in qua eiurat nominatim Nestorium. *Genebr. Vid. infr. an. 1562.*

Edvardvs Rex Angliæ moritur 6. Iulij, ætatis an. 16. Et quamuis Northumbrius dux Ioannam Suffolciam filij sui vxorem, Henrici vero Regis proneptem ex sorore, in regnū euehere conaretur; populo tamen & magna nobilium parte pro Maria stante, filia Henrici ex Catharina legitima coniuge; ea regnum obtinet, & inauguratur; Northumbrio, Suffolcia, aliisque factiosis hoc & sequenti anno plexis. Moxque eadem Maria Catholicam Religionem restituit, pulsis Ministris hæreticis. Sunt vero qui obseruent eodem prorsus mēsis die mortuum esse Eduardum, quo Henricus Thomam Morum securi percusserat; quasi tanti viri nece regij filij morte expiata. 1553.

Eiusdem mensis die 9. Mauritius Elector Saxoniæ & Albertus Brandeburgensis in mutua odia incensi, atrox agunt prælium; quo victor Mauritius lethaliter sauciatur, & post biduum moritur: atque Electoratum accipit Augustus frater eius.

In Italia & Belgio certatur inter duces Imperatoris & Regis vario marte.

Instituitur in Britannia Minori Parlamentum ab Henrico Rege.

Solimannica classis Corsicam insulam capit, & multa dira infert ditionibus Imperatoris quæ ad mare vergerent. Ipse vero Solimannus Turcica crudelitate Mustapham maiorem natu filium, magnis rebus contra Persas gestis redeūtem, inuidia & metu fauoris in eum militum strangulat: iuniorem Ziangirem, quod de fratris nece ingemuisset, veneno aufert, siue ipse sibi, vt alij habent, viso fratris cadauere, manus infert.

Nascitur 13. Decemb. Pali in Bearnia, ex Ioanna Regina Nauarræ & Antonio Borbonio eius viro, *Henricus* qui postea Regnum Galliæ, & ob res præclare gestas nomen *Magni* est adeptus.

Michael Seruetus Hispanus Tarraconensis sub finem Octobris Genevæ comburitur, ob blasphemias in Sanctissimam Trinitatem; procurante Caluino, qui librum ea de re publicauit, & in hæreticos à Magistratu gladio animaduertendum esse contendit. Seruети errores in vnū collegit *Gaulter. in Chronol.*

Male pugnatur ad Senas Tusciæ à Stroza suppetias obsessis veniente cum copiis Gallicis. Et acrem aliam pugnam ad Rentinum in Artesia inter Imperatorem ac Regem nox diremit: rebus interim in Insubria prospere procedentibus pro Rege. 1554.

Maria Regina Angliæ nubit Philippo Hispaniarū Principi:

tora

A.C.

tota Anglia Ecclesiæ reconciliatur per Reginaldum Polum Cardinalem Legatum Apostolicum regio Angliæ sanguine ortum, virum doctissimum æque ac pijssimum.

Ioannes Basilius Moschorum Princeps Astra-canum Regni eius nominis metropolim, celebre Orientalibus mercibus emporium ad flumen Volgam, quod 57. ostiis in mare Caspium exoneratur, occupat cum vniuerso eo Regno.

1555. IVLIVS III. Pontifex moritur 23. Martij. postquam sedisset annos quinque, ac dies 45. Succedit 9. Aprilis *Marcellus Cervinus* domo Politianus ex Presbytero Cardinali S. Crucis in Ierusalem, multa eruditione & pietate venerabilis qui nomen non mutauit, sed suum retinens, dictus est MARCELLVS eius nominis II. Eodemque 22. post die, nempe Calend. Maij diem obeunte, sufficitur 23. Maij *Ioannes Petrus Carassa* Neapolitanus, ex Cardinale Ostiensi & Sacri Senatus Decano, iam prope octogenarius, sub nomine PAVLI IV.

Moritur item Henricus Rex Nauarræ: in cuius ius succedit Ioanna eius filia, vna cum Antonio Borbonio cõiuge.

In Comitijs Augustanis, quod promissum fuerat in Cõuentu Passauiensi de non molestandis Principibus ac ciuitatibus religionis causa, confirmatur; iis tamen exclusis, qui non essent Augustanæ Confessionis.

Senensis tandem vrbs victa malis obsidionis, deditionem Imperatori facit: ceditque eadem postea Duci Florentino, soluta pecunia.

Dux Albanus in Insubriam mittitur contra Brissacum Gallum, rem satis prospere ibi agentem. Sed ad angustias Oceani Britannici Cæsariani cum Gallis memorabili pugna decertant, vtriusque quidem exitiali, sed tamen maiori Gallorum cæde.

Sub finem Octobris Carolus Imperator Bruxellis in Belgio Regnis suis ac cunctis ditionibus sponte se abdicans, ea solemniter transfundit in filium Philippum ibi præsentem: Imperium vero commendat Ferdinando fratri Regi Romanorum. Ipseque otij cupidus anno proximo in Hispaniam nauigans, in monasterium S. Iusti Fratrum Hieronymitanorum in finibus Castellæ secessit; ibique reliquum vitæ transegit, Deo ac sibi vacans: contempto quam gesto Imperio mirabilior.

Nicolaus Durantius Villegagno Gallus Eques Melitensis, eam Americæ partem quæ *Brasilia* dicitur cum Gallico comitatu adit, ac mense Nouembri obtinet, & totam regionem *Franciam Antarticam* nominat: castrumque extruit, & aliquot domos tumultuarie. Quæ omnia paucis post annis venerunt in potestatem Lusitanorum, Francis cæsis vel expulsis. Nec sane poterat hæc ædificatio insurgere; cum Caluinistæ Catholicis permixti, hæresis suæ fundamenta illic iacere vellent, (præcipuo duce Petro Richerio ex Carmelita facto Caluinista, & hæresiarcha) ac motus in Catholicos excitarent. quos Villegagno variis suppliciis affecit; & in patriam regressus Caluinianam hæresim, & priuatas Richerij blasphemias porentibus scriptis confutauit.

Viennæ in Austria Nouum Testamentum lingua & characteres Syriacis primum editur liberalitate Ferdinandi, ac rogatu Mosis Mardeni Mesopotamij, quam Patriarcha Antiochenus ad id in Europam destinauerat, quod tamen opus Emmanuel Tremellius ex Iudæo Christianus, & ex Religioso Dominicano apostata Sacramentarius, insigni peruersitate corrupit. *Gnebr.* Fuerat & Papæ Marcelli, de quo supra, familiaris Petrus quidam Æthiops: à quo Marianus Victorius Episcopus Reatinus linguam Æthiopicam didicit, ann. 1552. Institutionibus de ea editis, nunquam antea à Latinis visis. *Idem.*

Quo eodem tempore floruerunt inter alios insignes omni scientiarum ac linguarum genere viros, (præter illos, quos ab anno 1536. recensuimus) Hieronymus Seripandus, Stanislaus Hosius, Guil. Sirletus, Cardinales; Iacobus Latomus, Ioannes Gropperus, Ruardus Tapperus, Guil. Lindanus, Cornelius Iansenius, Andreas Vega; & alij plurimi insignes Theologi, & hæresium egregij impugnatores. Inter quos nec omittendus Fridericus Staphylus, qui Lutheranismum eo abiecit, quod suis oculis vidisset Lutherum à diabolo verberibus sæue exceptum, cum energumenum liberare niteretur.

MENSE Februarij induciæ quinquennales fiunt inter Gallos & Hispanos: sed ex paulo post dissolutæ occasione Pontificis; qui cũ cœpisset Columnios Romanos proceres quibusdam de causis insectari, Philippus Rex Hispan. eos per Ducem Albanum Proregem Neapolitanum tuendos suscepit, Rex vero Henricus Guisium Ducem cum validis copiis in auxilium misit Pontificis.

A.C. 1556.

Sigethum obsidetur ab exercitu Solimanni; qui magna clade repellitur.

Moritur Romæ vltima Iulij *Ignatius Societatis* IESV institutor anno vitæ 65. quem ob insignes virtutes, pietatem, ac miracula, Gregorius PP. XV. retulit in SS. numerum 12. Martij an. 1622.

Moritur etiam Basileæ 23. Augusti, sed longe diuerso exitu, impijssimus *Dauid Georgius* Gandauus de quo *an.* 1525. qui se verum Messiam esse asserebat, Dei nepotem, ex Spiritu non ex carne natum; tertium Dauidem, qui in terra regnare deberet. Qui cum immortalem se iactaret, spem moribundus suis fecit reuicturum post triennium. Quod demum ita accidit, vt triennio post ossa eius effossa cremata fuerint. Sicuti & hoc eodem anno Buceri & Fagij hæreticorum cadauera Cantabrigiæ in Anglia, vbi sub Eduardo impietates suas effutierant, Reginæ Mariæ mandato extumulantur, & cremantur.

Moritur item Ioannes Sleidanus, spurius & hæreticus Belga, qui suos de Religione & Republica libros ediderat anno præcedenti, mendaciis & imposturis refertissimos. *Spond. Genebrard.*

Cum plerique laici in Polonia vsum Calicis (quasi Christus esset exanguis in altera specie) contentiose flagitarent, & missus à Rom. Pontifice Aloisius Lipomanus insignis eruditionis ac zeli Episcopus Veronensis ad Sigismundum Regem, illic ageret; ea quæstio diuino miraculo est iudicata: cum pretio inducta à quodam Iudæo ancilla Christiana sacratissimam Eucharistiam sub specie panis tempore Paschatis ore susceptam, sed non deglutitam, sibi deferri; eadem à Iudæis in synagoga cultris confossa, repente copiosum sanguinem emisit. Qua re derecta, sceleris rei flammis addicti fuere: Rex autem non mediocriter confirmatus in retinenda solita Ecclesiæ communione. *Sur. Genebr.*

1557. FRANCISCVS Dux Guisius ducto in Regnum Neapolitanum exercitu, multa loca occupat; feliciorem successum Duce Albano impediente. Obsidente vero Sanquintinum in Veromanduis Philippo Hispaniarum Rege, accurrentes subsidio Galli ingenti clade afficiuntur 10. Augusti; capto etiam cum multis aliis Mommorantio Constabili. Reuocatus igitur hoc casu ex Italia Guisius, cum nescientes insigni victoria vti Hispani, non vltra Veremanduorum prouinciam processissent; iamque etiam Regina Angliæ bellum Henrico Regi indixisset: mittitur ad obsidionem Caletij; quam & sequenti anno obtinuit, postquam Anglia eam 210. annis possedissent: nihil vt Anglis relictum fuerit in Gallia.

Ioannes III. Rex Lusitaniæ moritur 13. Iunij: succeditq; Sebastianus eius nepos ex filio pariter Ioanne nuncupato triennio ante mortuo & Ioanna Caroli Imperatoris filia. Scripserat ad hunc Ioannem, Dauidis Æthiopum Imperatoris successor Claudius, de communione Catholicorum Principum incunda, & obedientia Rom. Pontifici ab omnibus præstãda. qui & missos ad se Iesuitas humaniter excepit.

Tiberis immensum inflatus Romam inundat periculosissime, altero die postquam Paulus Pontifex, abscedente ex Italia Guisio, cum Albano pacem constituit; nempe 14. Sept.

1558. CAROLVS Imp. missis ad Comitia Francofurdensia Legatis, Imperium, quod hactenus 40. ferme annis tenuerat, in fratrem Ferdinandum Regem Hungariæ & Boemiæ, ac Romanorum iam olim electum, transfert; & vt Electores id gratum ratumque habeant rogat, quod & ipsi præstiterunt 18. Martij.

Franciscus Delphinus 24. April. Mariam Scotiæ Reginam solemni pompa ducit in vxorem Parisiis: hæque nuptiæ sancita lege gentes hactenus fœderatas iam in vnum velut corpus iunxerunt.

Tertium Tartarorum Regnum, Nogaium nuncupatum (vnde Tamerlanes originem duxerat) cum Moschus occu-

A.C.

passet, & Imperium vsque ad mare Caspium extendisset; nec Magister Liuoniæ pacem cum eo prorogare, nisi durissimis conditionibus posset; demum Liuoniam inuadens, nobiles aliquot vrbes expugnat.

Memorabilis quoque hic annus multis Principum funeribus. In quibus Carolus V Imperator 21. Septemb. in suo secessu piissimam mortē obiit: mortua prius Cal. Febr. ipsius sorore Eleonora olim Regina Franciæ; eumque subsecuta 18. Octobr. altera sorore Maria Regina Hungariæ: quæ vtraque cum ipso nauigarat in Hispaniam. Præcesserat mense Augusti obitum Caroli ingens cometes sub coma Berenices cauda ad Hispaniam directa: quod sidus ipse conspiciens, *His, ait, indicijs me mea fata vocant.*

Sed luctuosior omnino, & Ecclesiæ ac Religioni Catholicæ longe damnosior, Mariæ Reginæ Angliæ obitus, magnarum virtutum ac pietatis fœminæ; qui contigit 17. Nouembris. Successit enim (quod nullos Maria liberos reliquerit) Elisabetha filia Annæ Buleynæ; litteris quidem illa politioribus exculta, quibus fœminæ nullo damno carere possunt; sed hæresi infecta, quæ animas perdit tam virorum quam fœminarum. Moritur & eodem mense, sed post Mariam, Reginaldus Polus Cardinalis è regio sanguine, doctrina egregius, & moribus sanctus. Quapropter extincta cum iis pietate, ac religione sepulta; cœpit Elisabetha (postquam 15. Ianuarij anni sequentis Regina declarata fuit) prioribus edictis abrogatis, hæreticos in Angliam restituere, & in Catholicos sæuire: neque vnquam ab eo tempore cessauit hactenus persecutio.

In Scotia quoque Paulus Meffenius pistor, & alius nescio quis sartor ex Ordine Carmelitano apostata, Caluinianæ nouitatis præcones; qua publice qua priuatim eam disseminantes, adeo profecerunt, vt breui & Principum auctoritas & Religionis maiestas eo Regno pessumierit.

Obierunt item hoc anno Parisiis Franciscus Picardus insignis Theologus, Ioannes Fernelius excellens Medicus, & Andreas Tiraquellus præclarus Iurisconsultus; (quem vltimum ferūt singulis annis singulos libros & liberos Reipublicæ dedisse:) Aginni vero in Aquitania Iulius Cæsar Scaliger eruditione notissimus. Hoc que adhuc tempore in Gallia florebant inter doctos, Ioachimi Perionius & Bellaius, Hadrianus Turnebus, Guil. Rondeletius medicus, Antonius Goueanus Lusitanus Philosophus & Iurisconsultus; ac Carolus Molinæus, doctus quidem ille Iurisconsultus, sed in religione ignorantiæ erroriſque iure optimo damnatus, qui tamen magna Dei misericordia dicitur tandem in fide Catholica mortem obiisse ann. 1566. & inter Theologos, Antonius Democharis, Claudius Spensæus, Claudius Sanctesius, Simon Vigor, Thomas Beauxamis, & alij plurimi præter illos, quos ex aliis nationibus recēsuimus an. 1555.

Solimanni filiis Selimo & Baiazethe de Imperio parente adhuc superstite decertantibus, victus prælio Baiazethes profugit ad Techmasen Persarum Regem: sed instante per legatos Solimanno, tandem ibidem cum filiis suffocatur; solo ex Solimanni filiis superstite Selimo.

1559. PAX optatissima constituitur mense Aprilis inter Henricum Francorum & Philippum Hispaniæ Reges; quæ Cameracensis dicta est, quod in agro Cameracensi conuenientibus ex vtraque parte Legatis iancita fuerit. Quę etiam Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem comprehendit. Data Philippo vxor Isabella filia primogenita Henrici, & Margarita eiusdem Henrici soror Philiberto. Huic etiam reddita ab Henrico paterna ditio: ac Genuensibus Corsica. Et inter Reges eo bello capta vtrimque restituuntur: in reliquis priores paternęque transactiones (*vid. an.* 1529.) itidem Cameraci factæ, ratæ sunt habitæ.

At in nuptiis filiæ per pronubum Ducem Albanum Parisiis celebratis, in equestri ludicro Rex Henricus Mongomerij hastæ confractæ frusto alterum oculum vulneratus, moritur 12. Iulij, postquam regnasset ab obitu patris an. 12. mens. 3. dies 12. Cui successit *Franciscus* filius primogenitus eius nominis II. annum ingressus ætatis decimumsextum à mense Februario. Idemque vxorem Mariam, Angliæ quoque Scotiæ & Hiberniæ Reginam publice renuntiari curat, non sine Elisabethæ nouæ in Anglia Reginæ offensione.

Diem quoque obi. Paulus IV. Pontifex 18. Augusti; postquam sedisset annos 4 ment. 3. minus 4. diebus: vocatis ad se Cardinalibus tum optimi successoris electione commendata, tum maxime sanctissimi Inquisitionis Officij diligenti cura. Subrogatur ei 26. Decembris *Ioannes Angelus Mediceus* patria Mediolanensis, ex Cardinali S. Priscæ; dictus PIVS IV.

A.C.

Moritur etiam, sed ipso ineunte anno, nempe Cal. Ianuarij Christianus Rex Daniæ: succeditque Fridericus filius. Eodemque mense, sed die 25. æque moritur Christiernus ille, quem vidimus (*an.* 1522.) in custodia positum; vbi obiit an. ætat. 78.

In Scotia *Ioannes Knoxus* presbyter apostata & necromanticus, ab exilio rediens, iunctus ceteris quos diximus anno præcedenti, omnes olim perduellionis damnati perditissimi hæretici, fauorem nacti quorundam nobilium, ecclesias & monasteria diruere ac spoliare incipiunt. Idemque factitatum à Iacobo notho, qui pertæsus ecclesiasticam vitam, ex Priore Santandreano euasit Morauiensis Comes, & crudelissimus Catholicorum persecutor.

In Gallia vero, inter alios hæreticos quos sustulit hoc anno gladius vindex, fuit *Annas Burgius* Senator Parisiensis; qui primo strangulatus, deinde crematus est.

In Hispania quoque seuere in accusatos hæresis actum, ac de pluribus etiam nobilibus supplicium sumptum: ipseque Bartholomæus Miranda è Dominicano Archiepiscopus Toletanus, de religione postulatus, captusque ab Inquisitoribus, multis annis è vinculis causam dixit: qui postea iussu Pij V. Romam missus an. 1567. & in custodia detentus in Hadriani mole, demum à Gregorio XIII. an. 1576. remissus ad Mineruæ monasterium sui Ordinis, paulo post obiit. *Marian.*

1560. In Scotia rebellantibus sectariis in Reginam matrem, omnia turbantur: & Episcopi sedibus pelluntur. Angli rebellibus adsunt, Franci Reginæ, ac religioni Catholicæ: pugnatur varie. Ad demum mortem obeunte Regina 10. Iunij, & misso Legato è Gallia; conuenit vt tam Angli, quam Franci Scotia excederent, & Regnum à XII è nobilitate regeretur; quorum septem à Regina Franci Regis vxore, reliqui à Proceribus Regni nominarentur. De Religione vero nihil firmatum.

Gallia quoque inteſtinis motibus eodem religionis prętextu agitari cœpit, qui nunquam hactenus sopiri potuerunt. prima in Regem ipsum facta coniuratio; nata (vt creditum est) ex Geneuensi Conciliabulo auctoribus Caluino & Beza, aliisque perfidis fidei & patriæ proditoribus: ac dies 15. Martij coniuratis statuta, qua Amboſæ Regem nihil tale sibi metuentem, vnaque Principes opprimerent: sed detecta coniuratione, capti aliqui, & supplicio affecti; Renaudio factiosorum duce in pugna pereunte. Princepsque Condæus, frater Regis Nauarræ, in suspicionem vocatus, datur in custodiam: & ad motus componendos Comitia omnium Ordinum Aurelias conuocantur.

Quo tempore Rex Franciscus apostemate ad aurem nato moritur ibidem Aureliis 5. Decembris, cum regnasset à patris obitu non solidos menses 17. ætatis vero anno 17. Succeditque *Carolus* eius frater, eo nomine Rex IX. annum ducens ætatis vndecimum. Nuncque primum orta *Huguenotorum* nuncupatio; à porta (vt vulgo fertur) vrbis Turonesis quæ Regis Hugonis appellatur, ad quam conuenticula sua Sectarij celebrarent. Produntur tamen alię nominis origines: vt incertæ religionis hominum incerta sint omnia.

Classis Regis Hispaniæ, cui dux Medinæ Celi cum Andrea Auria præerat, prope insulam Africæ Meningen ad Syrtes obiectam, quam Zerbi vocant, & ad quam Rex arcem munitissimam ædificare cœperat; maxima clade afficitur, captis aut occisis ad 18. millia Christianorum; vixque prædicti duces cum paucis fuga in Siciliam euaserunt. Ac paulo post moritur mense Nouembri idem Andreas Auria, peritia rei nauali omnibus suorum temporum ducibus longe antecellens, ætatis anno 93.

At Rex Mauritaniæ in vrbe Fessa, cum magna suorum multitudine, abiecto Mahometismo Christianæ fidei professionem amplexus baptizatur Cal. Iulij.

Gostauus Rex Sueciæ moritur 29. Sept. succeditq; filius Ericus.

Promulgantur mēdacissimæ *Centuriæ* Ministrorū Magde-

burgen

A.C.

burgenſium, quorum princeps Matthias Flaccus Illyricus, non ſolum ipſe auctor ſectæ Rigidorum Lutheranorum ſed etiam Arianiſmi & Manichæiſmi in quibuſdam reſtaurator. (*Vid. Gualter. in Chronolog.*) Quarum quidem Centuriarum errores & mendacia cum plurimi Catholici Scriptores variis occaſionibus detexerint; præclariſſime illas confutauit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius Annalibus ſuis Eccleſiaſticis. *Vid. ſupr. in Vit. Baron. num. XXXI. & ſeqq.*

1561. ROMAE Pius Papa Ioannem Ducem Paliani & Carolum Cardinalem Caraffam, filios Alfonſi fratris Pauli Papæ IV. ob crimina propter quæ iam fuerant à patruo Pontifice Vrbe pulſi, ſeu (vt vulgus interpretabatur) in gratiam Philippi Hiſpaniarum Regis; Ducem quidem publice gladio plecti, Cardinalem vero in carcere laqueo ſuffocari iubet.

In Gallia erecto aliquot virorum Conſilio, quo Regis pueritia regeretur, cum præcipua auctoritate Reginæ eius matris atque Antonii Regis Nauarræ, Michaele Hoſpitalio Cancellarium agente, exiit 17. Ianuarii Edictum, quo permiſſum fuit Sectariis magno Religionis damno, ſuos agere conuentus; ſed extra vrbium mœnia, & donec aliter à Rege ſtatueretur, ſeu vſque ad Tridentini Concilii determinationem. Princeps Condæus è cuſtodia dimittitur, Rege Nauarræo pro fratre ſponſorem agente. Ac denique actum *Colloquium Poſſincenſe* de Religione, inter Epiſcopos ac Doctores Catholicos, & Miniſtros hæreticos, menſe Septembri; cui inter hæreticos interfuerunt Theodorus Beza Burgundus, & Petrus Martyr Florentinus apoſtata ex Ordine S. Auguſtini. Sed nihil eo profectum: cum & miſſus à Pontifice Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis interceſſiſſet, nequid priuatim ſtatueretur, ſed ad Concilium Tridentinum res integra reiiceretur, ad quod Pontifex edicto Epiſcopos conuocarat. Conſeſſum deſcripſit *Freigius in Carolo IX.* Nec audiendus Lauatherus, cum impudentiſſime mentiri non erubuit, Catholicos cum Miniſtris conſenſiſſe. *Genebr.*

Regina Scotię vno tempore matre & viro orbata in Scotiam redit; in ſua ſex dierum nauigatione caligine velut nube tecta, hoſtes qui in inſidiis erant feliciter euitans.

Albertus à Lasko Polonus menſe Nouembri Iacobum Heraclidem Sami Deſpotam, ab antiquis Walachiæ regulis genus ſuum repetentem, in Moldauiæ & Walachiæ dominium reducit; fuſo ac pulſo exigua manu Alexandro earum regionum Principe, ob inauditam immanitatem ſuis inuiſo.

Multi noui Epiſcoparus conſtituuntur in Belgio auctoritate Pii IV. Pontificis, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis: quibus dati Præſules doctrina & moribus inſignes; & inter eos Franciſcus Sonnius Buſcoducenſibus, Guil. Lindanus Ruremundenſibus, Cornelius Ianſenius Gandauenſibus, Cunerus Leyvvardenſibus. Eodemque tempore vixerunt Io. Heſſelius, Iodocus Raveſtein Tiletanus, Martinus Aſpilcueta Nauarrus, Sixtus Senenſis, Ludouicus Granatenſis, Alanus Copus, Laurentius Surius, Nicolaus Sanderus, Gentianus Heruetus, Iacobus Billius, Iacobus Pamelius, Theodorus Peltanus, Gabriel Prateolus; Iacobus Lainez, Alfonſus Salmeron, Ioannes Maldonatus, Franciſcus Turrianus, Antonius Poſſeuinus, è Soc. IESV: Arias Montanus, & alii inſignes Theologiae Scriptores Eccleſiaſtici. Quibus & iure merito adnumerandi, omnium ſcientiarum & hiſtoriæ eccleſiaſticæ ac profanæ peritiſſimi, *Onuphrius, Panuinus, & Carolus Sigonius*: necnon *Franc. Balduinus*, etiam Iuriſprudentia inſignis, qui & Caluini hæreſim, quam aliquando imbiberat, egregiis commentariis confutauit. Hieronymus quoque Vida Epiſcopus, & poeta elegantiſſimus: Abraham Ortelius Coſmographus, Iacobus Carpentarius Medicus & Philoſophus, Hieronymus Cardanus Medicus & Mathematicus, Dionyſius Lambinus Grammaticus, Paulus Manutius, &c.

1562. CONCILIVM Tridentinum iam tertio redintegratur menſe Ianuario; Io Morono, & aliis tribus Cardinalibus Legatis. Conuenere præterea duo alii Cardinales, tres Patriarchæ, 21. Archiepiſcopi, 168. Epiſcopi, 7. Abbates, 7. Generales Ordinum, 39. Procuratores abſentium Antiſtitum cum legitimo mandato: duraruntque vſque ad menſem Decembris anni proximi.

In Gallia hæretici omnia perturbantes, templa ac monaſteria euertentes, ſacra quæque diripientes, Catholicos omnes, ſed præcipue Eccleſiaſticos ac Religioſos modis omnibus exquiſitiſſimiſque tormentis excruciantes, ac Ludouicum Condæum Principem ſibi Ducem eligentes; multas vrbes occupant. In his Rotomagum dum Rex Nauarræ obſidet, ictu ſclopi è muro perit 17. Nouembris; vrbe tamen à ſuis capta. Succedit 19. Decembris memorabilis pugna ad vrbem Druidum, qua Duces vtriuſque exercitus capti, Coneſtabilis primum à Condæo, Condæus poſtea à Guiſio, qui poſt captum Coneſtabilem prælium reſtaurauit: ceſſitque victoria Catholicis.

A.C.

In Scotia Iacobus Reginæ frater nothus, Moraniæ Comes renuntiatus, ea vtitur auctoritate ad Religionis Catholicæ iniuriam, & nobilium cædem: tanta vi, vt Regina (quam etiam tandem Regni ſolio deturbauit) his malis medendo non eſſet.

In Italia à Coſmo Mediceo Florentiæ & Senarum Duce inſtituitur *Ordo* Militaris *S. Stephani* Papæ & Martyris, ſub Regula Sancti Benedicti: quem approbauit Pius Quartus Pontifex.

In Germania Maximilianus filius Ferdinandi Imperatoris, coronatur Pragæ Rex Bohemiæ 20. Septembr. & Romanorum Rex Francofurti renuntiatur 24. Nouembris: ac demum anno ſequenti 8 Septembr. Poſonii coronatur Rex Hungariæ.

Gothardus Magiſter Ordinis Teutonicorum in Liuonia, cum iam amplius eam prouinciam grauibus ac diuturnis cladibus à Moſcouitis afflictam, ac magna parte occupatam tueri non poſſet; nec auxilia ex Imperio haberet: publico & vnanimi Ordinum conſenſu, Regi Poloniæ in perpetuum ſe ſubiicit die 5. Martii: atque ita Ordo Militum Teutonicorum in Liuonia abrogatus deſiit, cum duraſſet annos 53, 8.

Ericus Rex Sueciæ vicinos iniuriis laceſſens, etiam in Liuonia multa quæ Polono dedita fuerant occupat. Quapropter Rex Sigismundus cum Friderico Rege Daniæ & Lubecenſibus fœdus aduerſus eum init: bellumque pluribus annis geritur vario Marte, multis hinc inde illatis acceptiſque cladibus, & captis receptiſque vrbibus.

Abdiſu ex ciuitate Gezira in Trigri flumine monachus S. Antonii, electus Primas ſiue Patriarcha ciuitatis Muzal in Aſſyria, Romam venit ad obtinendam confirmationem; obtulitque Pio Pontifici profeſſionē fidei 7. Martii huius anni 1562. qua iurauit ſe approbare omnia quæ Sedes Apoſtolica Romana teneret, & curaturum, vt idem teneretur in ſua ampliſſima iuriſdictione, quæ partem Imperii Turcarum, partem etiam Perſarum, atq; item Luſitanorum in India comprehendebat. *Genebr.* Vide ſup. *ann.* 1552.

1563. FRANCISCVS Dux Guiſius, inſigni religione & militari peritia clariſſimus, dum Aureliam ab hæreticis occupatam obſidet, proditorie à Ioanne Poltroto hæretico, ſubmiſſo parricida, tribus ſclopi glandibus ictus, paulo poſt moritur 24. Februarii. Parricida captus, in tormentis Bezam inter ſuaſores facinoris nominauit: ipſeque à quatuor equis Lutetiæ diſcerptus periit. Poſt quæ dimiſſis è cuſtodia hinc inde Condæo & Coneſtabili, pax datur Sectariis.

Bellum aduerſus Anglos ſuſceptum qui Portum Gratiæ occupauerant: iſque exeunte Iulio receptus à Gallis eſt.

Rex Carolus annum ſuæ ætatis ingreſſus decimumquartum, menſe Auguſti Regni adminiſtrationem in ſe ipſum recipit.

Ioannes Baſilius Moſchorum Princeps Regi Poloniæ, quod Liuones recepiſſet, bellum inferens, Polotiam vrbem Lithuaniæ occupat 15 Februarii.

Iacobus Heraclides (*de quo ann.* 1561.) à Walachis, hominibus improbis, ac dominos ſubinde mutare geſtientibus, dolo circumuentus trucidatur 5. Nouemb. & anno ſequenti Alexander tyrannus iterum reſtituitur Turcicis auxiliis.

Concilium Tridentinum finem accipit 4. Decembris: & paulo poſt confirmatur à Pio IV. *Extant eius Acta, & Bulla confirmationis.*

1564. SIGISMVNDVS Rex Poloniæ afflictis Lithuanis auxilium daturus, mittit cum exercitu Nicolaum Radzeuil Palatinum Vilnenſem; qui Moſchos inſigni prælio vincit 26. Ianuarii.

Quo eodem anno peſtis *Deiſtarum*, ſiue *Trinitariorum*, qui & noui Ariani, Poloniam vaſtare cœpit: ita in infinitum

A.C.

emergentibus vbique fœtidiſſimis erroribus ex cloaca Lutheriana. Vide de his *Gaulter. in ſua Chronolog.*

Inter Francos & Anglos pax promulgatur 23. April.

Ferdinandus Imperator vita excedit è tabe catharrali Viénnæ 25. Iulii; cum præfuiſſet Imperio ſex annis, 4. menſ. 7. diebus: ſui deſiderio apud omnes relicto. Succedit filius *Maximilianus* eius nominis II.

Controuerſia inter Francorum & Hiſpan. Reges mota de præcedentia, à Pio Pontifice deciditur in fauorem Franci. *Onuphr.*

Scotiæ Regina 29. Iulii nubit Henrico Stuarto Duci Lenoxio, & ex eo matrimonio naſcitur anno ſequenti 19. Iunii *Iacobus* poſtea Rex Scotiæ & Angliæ. Cui vel hoc vno peſſime conſultum, quod ei Georgius Buchananus Minorita excucullatus, pro præceptore tributus ſit. *Genebr.*

Penetrare incipit Euangelium Chriſti in Sinæ Regnum ampliſſimum.

In Gallia Michaele Hoſpitalio Cancellario, cauetur edicto, vt deinceps in actis, contractibus, inſtrumentis, & ſcripturis tam publicis quam priuatis, anni initium à Calendis Ianuarii puraretur; cum antea in actis iuridicis, & aliis publicis, à Paſchali die, aut ab Incarnatione Domini principium anni duceretur.

Moritur Genuæ *Ioannes Caluinus*, horrendis morbis tortus, 27. Maii ann. ætatis 55. Caliphatum Geneuenſem, imo & Caluiniſtarum omnium, ſuſcepit *Theodorus Beza* ipſius diſcipulus, olim & ipſe è Gallia profugus ob vitam ſpurciſſimam, cuius extant parentiſſima impreſſa veſtigia in eius fœdiſſimis Epigrammatis. Nec vero ipſum Caluini tantum ſectatorem, ſed etiam nouorum errorum auctorem extitiſſe; docet *in ſua Chron. Gaulterius* ex ipſiuſmet Bezæ ſcriptis, aliorumque de eo teſtimoniis.

1565. Anno ineunte Lazarus Suendius nobilis Sueuus, quem ſuperiori Maximilianus Imperator aduerſus Ioannem Sigiſmundum Tranſſiluaniæ Principem, fauore Turcarum ditiones Maximiliani infeſtantem, miſerat; magna celeritate multa Tranſſiluani loca expugnat, & Maximiliano ſubiicit: vlterius progreſſurus, niſi miſſa pro pace ad Imperatorem legatione Solimannus proſperum victoriæ curſum impediiſſet.

Poſt quæ contigit memorabilis illa Melitæ inſulæ obſidio à Turcis, Muſtapha terreſtribus copiis, claſſi Piali Baſſa præfecto: quæ cœpta menſe Iunio quatuor ſequentibus durauit, magna vtrimque clade, ſed longe maiori Turcarum; quorum ad 23. millia perierunt, occiſo inter alios, quem Piali ſocium dederat Solimannus, Draguthe inſigni pirata tormenti ictu. Demum appropinquante hieme, & audito Garſiæ Proregis Siciliæ cum validis auxiliis aduentu; Turcæ cum ignominia recedunt. Deſcripta eſt hæc obſidio à diuerſis; & publicata.

Galli, Caroli IX. Regis auſpiciis, ſeptem nauium claſſe inſtructi, in Floridam, Americæ partem ad Septemtrionem obuerſam, iam bis antea à ſe tentatam, nunc demum Duce Ioanne Ribaldo appellunt menſe Auguſti. Verum cum ibi vix per menſem hæſiſſent, loci commoditates & gentis mores cogniturі, ac poſtea oram illam, vt vacuam, & nullis adhuc Hiſpanorum coloniis inſeſſam occupaturi; à ſuperueniente Hiſpanica claſſe, communicato cum barbaris conſilio, fœdiſſime cæduntur, paucis in Galliam elapſis.

Exoritur in Anglia ſecta noua *Puritanorum*, qui ſe adeo à ritibus & templis Catholicorum ſegregarent, vt etiam eo nomine Reginę ſuę (quam alioqui caput ſuum agnoſcerent) aduerſarentur.

Ordo militaris *S. Lazari* à Pio Papa reſtituitur, & amplificatur.

Multa Concilia Prouincialia celebrari incipiunt in Italia, Gallia, Hiſpania, ex præſcripto Oecumenici Tridentini: Et in Italia quidem illuſtriora fuerunt, quæ diuerſis ſubſequentibus annis collecta ſunt Mediolani à Carolo Borromæo, ingentium virtutum & inſignis pietatis Archiepiſcopo. In Gallia Rotomagenſe ſub Carolo Borbonio Cardinale & Archiepiſcopo; Rhemenſe ſub Lud. Guiſio Cardinale item & Archiepiſcopo; Burdegalenſe, Turonenſe, ſub Archiepiſcopis: in Hiſpania Toletanum, Salmantinum, Hiſpalenſe. Extantque omnium Acta.

Pius IV. Pontifex, cum ſediſſet annis ſex, 16. minus diebus, moritur 9. Decembr. vacatque Sedes vſque ad menſem Ianuarium anni ſequentis. A.C.

1566. Die ſeptima Ianuarii eligitur diuinitus in Pontificem, nihil tale cogitans à nihil tale cogitantibus, *Michael Gislerius* patria Boſcho in agro Alexandrino Inſubriæ (indeque nuncupatus Cardinalis Alexandrinus) patre opilione, Religioſus Ordinis Dominicanorum; qui nomen ſibi ſumpſit Pii V. Pontifex natus ad Chriſtianæ Reipublicæ magnum incrementum, ſi longior vita ſuppetiſſet; ac tanta morum probitate, vt vix exemplum ſit reperire: eoque nomine etiam hæreticis venerabilis, ac Turcis formidabilis; aduerſus quos Fœdus ſacrum confeſtim meditatur; inuitatis omnibus Principibus Chriſtianis, necnon & Moſchis, Perſis, ac Preteiano. Ferunt ei eiuſdem miracula in liberatione dæmoniacorum; & admiranda opera in reformatione Ordinum, & obſeruatione decretorum Concilii Tridentini, &c. quæ videre eſt in eius Vita ſcriptis omni fide edita.

In Comitiis quoque Auguſtanis menſe Martio celebratis, Maximiliano Imperatori ad bellum in Turcas gerendum ab Ordinibus Imperii auxilia decernuntur, qualia nulli antea Imperatori.

Pialis Baſſa præfectus claſſis Turcicæ, ab obſidione Melitenſi cum ignominia recedens; ne nihil egiſſe videretur, Chium inſulam matis Ægei menſe Aprili ipſis feriis Paſchalibus occupat; cum fuiſſet in poteſtate Genuenſium ducentis ferme annis.

Solimannus II. Turcarum Imperator Sigethum arcem Hungariæ muniti ſſimam, alias fruſtra tentatam, obſidet 6. Auguſti: quæ priuſquam caperetur, ipſe ex apoplexia mortem obiit 4. Sept. poſtquam regnaſſet annis fere 46. Celata eius morte, Sigethum expugnatur triduo poſt nempe 7. Septembr. amiſſis tamen tota obſidione ad 30. millia Turcarum. Die vero 23. ciuſdem menſis Solimanni loco cœpit imperare *Selimus* vnicus filius eius nominis itidem II. & corpus Solimanni Conſtantinopolim relatum eſt.

Toto fere Belgio Sectarii ſpreta Margarita Parmæ Duciſſa, quę pro fratre Rege Hiſpaniæ eas prouincias regebat, turbas concitant, eccleſias diripiunt, imagines deiiciunt; nihilque omittunt, quo poſſent ſuam in Deum & Principem ſuum rebellionem patefacere.

Romæ menſe Iunii baptizatur *Elias Iudæus* Synagogæ præfectus, filius Eliæ Leuitæ qui Tisbi, Maſoreth, & multa alia ſcripſit: eiuſque exemplo Iudæi plus 300 fidem Chriſtianam amplectuntur.

Nicolaa Obry energumena Lauduni in Gallia liberatur porrecta ab Epiſcopo ſacroſancta Euchariſtia: cuius rei tota Gallia celeberrimæ edita ſunt Acta publica. Et Buſciducis in Belgio quidam S. Antonii Imaginem concidentes, continuo ſacro igne correpti miſere pereunt.

1467. Ad tumultus Belgicos, mittitur à Rege Hiſpaniæ Ferdinandus Dux Albanus: & Margarita paulo poſt in Italiam concedit.

In Gallia, dum omnia pacata viderentur, ſubito facta ab Huguenotis Septembri menſe coniuratione ad intercipiendum Regem Meldis; ipſe noctu elabitur Lutetiam, Heluetiis ſeſe ſtrenue hoſti obiectantibus. Inde Condæus caſtris ad Sandionyſium poſitis, Lutetiam obſidet menſe Nouembris: pugnaturque in conſpectu vrbis inter Catholicos & hæreticos; & quamuis prælio cæſo Anna Mommorantio, Coneſtabili Catholicorum ductore iam fere octogenario, ſtetit tamen victoria à Catholicis; conuerſo in fugam Colignio Admiralio hoſtium Duce. Qui inde digreſſi, ne victi viderentur, Carnutum obſidentiiſque Ioannes Caſimirus Comes Palatinus Rheni cum magnis copiis ſubſidio aduenit, cuncta vaſtans atque diripiens.

Iacobus nothus cum aliis Sectariis cuncta ſubuertens in Scotia, ipſam etiam Reginam falſis criminationibus impetitam in cuſtodiam mittit: ex qua ſequenti anno aufugiens in Angliam, è Charybdi in Scyllam, ibi contra omne hoſpitii ius arctiori cuſtodia detinetur vſque ad tragicam mortem.

Gourgueſius nobilis Burdegalenſis, ſola iniuriæ Gallis ad Floridam illatæ ab Hiſpanis vlciſcendæ cupiditate, nauigationem eo inſtituit.

1468. In Belgio Comes Arembergius Friſiæ Gubernator obuiam

A.C.

uiam progressus Ludouico Nassouio fratri Principis Aurantii præcipui seditionis Belgicæ auctoris, eam prouinciam cum Germanorum copiis inuadenti, 23. Maii prælio cæditur. Sed Prorex Albanus, Comitibus Egmondano & Hornensi, aliisque nonnullis e præcipuis perduellibus, sequenti Iunio securi percussis; eundem Ludouicum ad Groningam mense Iulii, ipsumquemet Guilelmum Aurantium sequenti Octobri atque Nouembri, multo maioribus cladibus affectos toto Belgio deturbat; arcesque multas recipit cæsis vbique Sectariis, quamuis supplicia de multis sumpta, magis irritauerint animos prouincialium, quam terruerint.

In Gallia dum Condæus & Casimirus Carnutum frustra obsident pax constituitur 23. Martii. Sed mox ea interrumpitur. Condæo nescio quibus suspicionibus bellum redintegrante: cuius tamen copiæ à Mouuantio ductæ, mense Octobri in Pictonibus à Duce Mompenserio fusæ sunt.

In Hispania Mauri Granatenses nouis in eos edictis irritati, motus concitant; qui in vnum annum & alterum continuati, tandem multis Hispanorum cæsis, Duce Ioanne Austriaco conquieuerunt: ac rebellibus reliqua Castella dispersis, sublata rebellandi facultas est.

Moritur itidem in Hispania 20. Iulii Carolus Hispaniæ Princeps, filius Philippi Regis ex prima coniuge Maria Lusitana, in vinculis, in quæ coniectus à patre fuerat. Vixit annos 23. periit ingenii impatientia: de cuius tamen vinculorum causa, & genere mortis, varii rumores sparsi, vt in rebus magnis. *Marian.*

Obiit 3. Octobris Isabella Regina Hispaniæ, soror Regis Francorum, ex immaturo partu, nulla existente prole masculâ regia.

Ericus Rex Sueciæ, quod concubinam ex qua duos liberos susceperat vxorem duxisset, & coronari fecisset, à fratribus Ioanne & Carolo ea de re indignatis, consilio cum Proceribus inito, in conclaui cum prædicta muliere custoditur; & Ioannes declaratur Rex die 13. Octobris.

Pax octennalis conciliatur inter Maximilianum Imperatorem, Selimum Turcam, & Io. Sigismundum Transsiluanum: cuius lex præcipua, vt quisque quod cepisset bello retineret; magno Maximiliani commodo, qui per Suendium Sueuum plurima loca occupauerat.

Turcis Mecham ad Mare Rubrum eripiunt Saraceni.

1569. Hoc anno in Gallia bis iusta acie Sectarii victi sunt, Henrico Regis fratre Catholicorum ductore: primum quidem 13. Martii ad Iarnacum, siue Bassacum in Santonibus, occiso Principe Condæo, & Admiralio fuga lapso: postea vero longe maiori clade 3. Octobris ad Monconturnium in Pictonibus, cæsis sedecim hominum millibus: cui victoriæ multum auxilia à Pontifice missa contulerunt, duo millia equitum, pedites duplicato numero. Hinc que magna rerum inclinatio nata hæreticis; quorum Duces in Vasconiam se ac Septimaniam receperunt.

Pius Papa V. Angliam proscribit, ac Reginam Elisabetham anathemate ferit. Quam sententiam declaratoriam anno sequenti in ipso Corporis Domini festo Ioannes Feltonus nobilis Londini ad fores Episcopales publice affixit: qui postea damnatus multis tormentis vitam finiuit. *Sand. Genebr.* Ecclesiam porro illic afflictâ recreant, simulque hæreticorum dogmata confutant è Belgio scriptis Anglicis & Latinis, Angli exules Thomas Hardingus, Nicolaus Sanderus, Guil. Alanus, Alanus Copus, Thomas Stapletonus, aliique Theologiæ Doctores.

Albertus Fridericus Marchio Brandeburgicus inuestituram Ducatus Prussiæ siue Borussiæ (mortuo anno præterito alio Alberto Duce, de quo ad ann. 1525.) solemni cæremonia accipit a Sigismundo Rege Poloniæ.

Selimus Turcarum Imperator Magni Moschouiæ Ducis potentiam euersurus, primum aduersus Tartaros Astracanenses Moscho subiectos expeditione terra marique suscepta, vrbem Astracanum 5. Sept. obsidet: sed omni arte bellica à Moschis eius exercitu fatigato, & fame ac peste ad extremas angustias redacto, eodem mense cogitur cum immenso dedecore & damno recedere, rebus fere omnibus atque personis amissis.

1570. Pivs V. Pontifex Cosmum Mediceum Ducem Florentiæ, Senarum, & Pisarum, *Magni Ducis Hetruriæ* titulo honestat, non sine aliqua aliorum Principum obtrectatione. Idemque ob discrepantes Theologorum de Conceptione Virginis sententias, edixit (quod fecerat ante Sixtus IV. & Concilium Tridentinum confirmauerat) ne partes dissentientes alterutram erroris insimularent.

Selimus Turcarum Imperator Cyprum insulam Ciliciæ obiectam, & ab ea angusto freto diremptam, quæ Venetis parebat, habere cupiens; quamuis esset ipsi cum Venetis pax à pluribus annis immota, mittit tamen Venetias qui eam depoſcant tanquam Imperii Turcici feudum; ac dare recusantibus bellum denuntient. Eligentibus bellum Venetis, Mustapham is mittit ac Pialim (eosdem qui Melitensi expeditioni præfuerant) qui Cyprum occupent: iique cum valido exercitu eo appellentes initio Iulii, Nicosiam Septembri expugnant: mox que Famagustam abeunt, olim Tamasum, aut Salamina dictam. Dum obsidio ducitur, Pii Pontificis summa diligentia Fœdus sacrum initur inter ipsum, & Philippum Hispan. Regem, ac Venetos: sicque hic annus finem accipit.

In Gallia mense Augusti edictum de pace promulgatur.

Maximilianus Imperator per Legatos pacem facit inter Reges Daniæ & Sueciæ, ac Lubecenses; vt Regnorum fines ab antiquo constituti manerent, & Lubecensibus priuilegia restituerentur.

Idemque Maximilianus duas filias suas nuptum dat duobus potentissimis Regibus, Elisabetham Carolo Galliarum, Annam Philippo Hispaniarum ipsius auunculo iam quartas nuptias ducenti. Elisabetha vnicam peperit filiam breuis ævi: Anna quatuor filios & vnam filiam; è quibus vnus superfuit Philippus, qui post patrem regnauit.

In Scotia Iacobus nothus, vixdum Regina pulsa, à suæ sectæ homine (postea tamen Catholico) priuati odii causa percussus perfidam animam efflauit. Paria que fere modo interfectus est paulo post Comes Lenoxius, qui Prorex ex Anglia eo missus fuerat.

Ignatius Azeuedius cum aliis 38. è Societate Iesv in Brasiliam nauigantes, à Iacobo Soria hæretico pirata Gallo perimuntur.

Ferraria mense Nouembri mouit horrendo tremore, qui vastas edidit ruinas; multisque diebus ciues in agro tendere compulsi sunt. Fuerunt & aliis Italiæ locis similes terræ tremores. Eodemque mense in Belgio perierunt maris inundationibus multa oppida, pagi, homines.

1571. Famagvsta in Cypro durissima vndecim mensium obsidione in extrema redacta certis conditionibus deditionem facit mense Augusti; quas impius Mustapha minime seruauit, irritatus immenso suorum numero qui ibi perierant: & M. Ant. Bragadinus Venetus vrbis præfectus per summum scelus violata fide naso & auribus mutilatus, viuus excoriatus est: reliqui omnes aut crudelissime trucidati, aut ad triremes relegati.

Post quæ Fœderati, cum suis cunctationibus occasionem subueniendi Cypro amisissent; tandem in sinum Corinthiacum (quem *Lepanticum* vocant) ad Insulas Echinadas conuenientes, vbi audierant Turcarum classem agere, quæ seuerum mandatum acceperat omnino cum Christianis pugnare; Pontificias triremes ductante M. Ant. Columna Romano, Venetas Sebast. Veniero, Hispanas Io. Andrea Auria Genuensi, & Ioanne Austriaco Philippi Regis fratre notho delecto totius classis consensu omnium Imperatore: die 7. Octobris memorabili habita pugna, clarissimam & antiquis parem victoriam reportarunt; qua ducentæ hostium triremes pars captæ, pars submersæ; cæsi hostes captique ad viginti quinque millia; liberati Christiani à seruitute Turcica ad viginti millia: occisus summus hostium Dux Hali Bassa, ac duo eius filii capti. Idque vnum ad felicitatis cumulum defuit, quod Vchiali insignis pirata natione Calaber, qui tunc Algeriæ Prosultanus erat, dextro Christianorum cornu vexato, cum non paucis triremibus euasit tandem fuga, cum segnius eum Andreas Auria insequeretur. Vnde breui classem reparauit, qui quidem olim veniens in Turcarum potestatem, primũ ad remos damnatus fuerat; abnegata vero postea Christiana fide, ad magnos honores ascendit.

Descripta

A.C.

Descripta hæc victoria à pluribus: eiusque lætitia vbique celebrata: & Pius Pontifex triumphum Romæ decreuit ad veterum speciem Columnæ suæ classis præfecto. Nihil tamen post victoriam in Turcas profectum; cum ipsi & Cyprum retinerent, & quædam alia loca post Famagustæ expugnationem occupâssent.

Tartari Precopenses mense Maii Moschouiam regiam Moschici Imperii vrbem ex improuiso occupant, & incendunt; magna Moschorum strage, & totius regionis deuastatione.

1572. Pivs V. Pontifex, dum rursum magno ardore Principes solicitat ad nouam expeditionem in Turcas, moritur Calendis Maii; postquam sedisset ann. 6. mens. 3. dies 25. cuius erat in grauissimis calculi doloribus ea vox. *Domine adauge dolorem, & da patientiam.* Sufficitur ei *Hugo Boncompagnus* Bononiensis eximius Iurisconsultus, Cardinalis S. Sixti, die 13. eiusdem mensis Maii; qui & nomen sumpsit Gregorii XIII. & Pontificatum tenuit annis 13. minus 33. diebus.

Idem vero mox vt creatus est, iisdem Pii decessoris vestigiis insistens, Fœdus ratum habuit, & summa celeritate militem atque pecuniam expediuit in Turcam qui iam classem reparauerat: sed solitis procrastinationibus agendi tempore elapso, demum Veneti tarda Hispanorum auxilia incusantes, anno sequenti rupto Christiano fœdere, pacem cum Turcis redintegrant; solutis mulctæ nomine, præter Cyprum & alia loca in Illyrico deperdita, trecentis aureorum millibus, magna Reipublicæ & Christiani nominis infamia.

In Gallia, pacta in matrimonium Margarita Regis sorore Henrico Borbonio Regi Nauarræ, Caluinianam licet hæresim profitenti; Ioanna Regina eius mater Lutetiam accessit; vbi 8. Iunii moritur. Nuptiæ nihilominus conficiuntur 18. Augusti. Cumque earum occasione magnus factus esset cõcursus procerum hæreticorum; eadem opportunitate, sauciato prius glande è fenestra Colignio Admiralio 22. Augusti, post biduum nempe 24. eiusdem mensis festo S. Bartholomæi, occiditur idem cum multis aliis omnis conditionis & sexus hæreticis. Rex Nauarræ ac Princeps Condæus erepti periculo fidem Catholicam profitentur. Et 26. eiusdem mẽsis edicto regio prohibentur hæreticis omnes conuentus: Ac in aliquot aliis Galliæ ciuitatibus occiduntur pariter hæretici.

In Belgio, occasione indictæ ab Albano Duce in belli sumptus decimæ omnium rerum mobilium, & vigesimæ immobilium, multæ vrbes à regio imperio deficiunt, præcipue Duce Guillelmo Aurantio: atque imprimis Hollandia & Zelandia alienatæ, munitissimæ prouinciæ ad mare Oceanum aquis circumfluẽ: confluentibus in auxilium rebel i im ex Angha. Germania, & Gallia sectariis. Sed Albanus copias pariter ex Germania euocans, aliquas vrbes recepit; & alias clades hæreticis intulit, hoc & sequenti anno.

Sigismundus II. Poloniæ Rex moritur 7. Iulii absque prole masculâ, vltimus ex Iagellonum familia: cuius locum multi ambierunt vsque ad annum sequentem.

Rudolphus primogenitus Maximiliani Imperatoris coronatur Rex Hungariæ 25. Sept.

Mense Nouembri apparuit Stella noua sub asterismo Cassiopeæ, de qua multi scripserunt: quæ cum immota diutius anno constitisset, æquans Iouem fulgore & magnitudine; inde paulatim attenuata, initio anni 1574. prorsus euanuit.

1573. Ioannes Moschorum Dux in Liuonia arce Wittenstein vi expugnata, inaudita sæuitia in victos grassatur, præfectum ac nobiles Liuonos veru alligatos ad ignem assat: paulo post tamen victus à Suecis, qui partem Liuoniæ occupauerant, redit ad sua.

Henricus frater Caroli Francorum Regis Rupellam vrbem munitissimam ab hæreticis detentam obsidet, & grauiter oppugnat. Sed & electus ipse in Polonia 9. Maii Rex in locum demortui Sigismundi, accepto ea de re nuntio, obsidionem soluit 16. Iunii: & pax à Carolo Rege hæreticis conceditur; excluſa tamen Sanserra, quæ diu ante durissima obsidione cincta, tandem 10. Augusti deditione accepta est. Henricus vero ad suum Regnum abiturus, Gallia excessit mense Octobri; ac per Germaniam itinere facto, peruenit in Poloniam 24. sequentis Ianuarii; & coronatus est Cracouiæ 21. Februarii.

A.C.

Ioannes Austriacus Octobri mense Tuneti Regnum Muleassi restituit, eius Muleassis nepoti; quem à filio pulsum captum oculis vidimus an. 1548. Rex Muleamides in Siciliam deducitur.

1574. Moritvr Carolus IX. Rex Francorum 30. Maii, postquam regnasset ab obitu fratris annis 13. & mens. 6. minus 6. diebus; vixisset an. 24. longiori plane vita dignissimus. Reliquit vnicam filiam ex coniuge Elisabetha, & ipsam breuis æui. Audita eius morte in Polonia Henricus frater, cum nec totos quinque menses ibi fecisset, 18. Iunii clam intempesta nocte, comitatus paucis domesticis Gallis, Cracouia euadẽs (ne à Polonis in Regno detineretur) equorum incitatissimo cursu in Moraviam peruenit: vnde Viennam Austriæ, deinde Venetias, ac demum Lugdunum venit 21. Septembr. & 15. Febr. sequentis anni Rhemis inunctus est Rex eius nominis Tertius.

In Belgio Duci Albano datur successor Ludouicus Requesena S. Iacobi Promagister in Castella, res Albani seueritate exulceratas morum suauitate sanaturus. Sed multo aliter accidit; quod Sectarii Galli, Belgæ, Germani, consiliis arcanis inter se conspirantes, nouos tumultus tam in Belgio quam in Gallia ciere cœperint. Quare Ludouicus & Henricus Nassouii, Principis Aurantii fratres, nouas auxiliares copias è Germania in Belgium adducentes, ab Hispanis ex improuiso oppressi sunt, ac profligati 14. April. Requesena vero Lugdunum Batauorum obsidens, ac Aurantio perfossis aggeribus agro inundato, inde re infecta abscedere cogitur.

Classis Turcica 14. Iulii Tunetum appulsa Sinane Bassa Duce, 23. August. Goletam arcem, atque post diem 24. Tunetanæ vrbis propugnaculum expugnat cæsis Hispanis præsidiariis.

Selimus II. Turcarum Imper. postquam regnasset annos octo menses fere tres, moritur Constantinopoli 15. Decembris, crapula & libidine confectus. Succedit 22. Decembr. filius *Amurathes* eo nomine Tertius: qui ritu Ottomannico Imperium à nece quinque fratrum minorum se auspicatus est. Idemque contra morem maiorum, bella omnia per legatos gessit, matris imperio actus.

Palatinus Walachiæ coactis copiis, ducenta Turcarum, Moldauorum, ac Tartarorum millia ad Moldauum fluuium cædit, duce copiarum Suerzouio Polono: qui perfidia Ciarneuecii Walachi Turcis proditus decollatur.

1575. In Polonia, cum nulla spes esset reuocandi Henrici Regis, nec ea prouincia ob circumstantes hostes diu Rege carere posset; habitis de nouo creando Comitiis, pars Maximilianum Imperatorem, pars Stephanum Battorium Transsiluaniæ Principem eligit: & dum Maximilianus in conditionibus præstandi iuramenti cunctatur, Stephanus celeritate & industria vsus, Regno & Regina Anna Sigismundi sorore potitur; coronatus anno sequenti Cracouiæ Calend. Maii.

Interea idem Maximilianus filium suum Rudolphum, iam antea coronatum Regem Hungariæ, hoc etiam anno 22. Septemb. Bohemiæ Regem Pragæ, & Calend. Nouemb. Ratisbonæ Romanorum Regem coronari curauit, annum agentem 24.

In Gallia Rex Henricus vxorem ducit Ludouicam Lotharingam, Nicolai Valdemontii filiam. Et tubas cientibus hæreticis, recedentibusque à Rege, Francisco Duce Alensonio ipsius fratre licet Catholico, & Henrico Rege Nauarræ; fit ad eos concursus tam hæreticorum quam Catholicorum. Quando auxilio eorum aduenientes Germanos fugans profligansque Henricus Dux Guisius, honorificum vulnus in facie accepit.

Belgæ confœderati qui sub Aurantio militabant, viribus Hispanis impares. Reginæ Angliæ implorato auxilio. Belgicarum prouinciarum dominium feudali titulo ei offerunt. Interimque Hispani Zelandiam premunt cædibus, & occupatione multorum oppidorum.

Ioannes Austriacus à fratre Philippo Rege mittitur Italiæ præfectus Exarchi titulo, quo cæteris eorum tractuum Proregibus præesset; ac facilius Turcæ conatibus obsisteret,

qui

A.C. qui validissimam classem parare nuntiabatur. Sed inanis is rumor fuit. Tantum Abdelmelechus Turcarum ope Marocium & Fesiense Regnum eripuit Muleio Mahomethi Cherib fratris sui filio, cum lege ante aliquot annos lanxissent, defuncti fratres præferendos. Muleius ad Regem Lusitanum profugit.

Russiam Turcæ longe lateque diripiunt, spolia in Walachia diuidunt. Tartaros Præcopenses Cosaci vastant: Et Podoliam Tauricani Scythæ; quos tamen insecuti Poloni, media parte exercitus priuant ad Borysthenem. Moschus Parnomam Liuoniæ vrbem capit.

Lutherani Tubingenses, Wittembergenses, & Rostochiani, a Catholicis Doctoribus nouitatis damnati, ac propterea communionem Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani missa Confessione Augustana emendicantes; reiiciuntur ab eo; triplicique scripto ea Confessio ab eodem cõfutatur. Vnde in lucem prodiit anno 1582. *Censura Ecclesiæ Orientalis*, a Stanislao Socolouio emissa: & ann. 1584. Acta atque scripta Theologorum Witembergensium & Patriarchæ Constantinopolitani vtrimque ab ann. 1576. vsque ad ann. 1581. Græce & Latine. Quibus responsis Ieremias, quod Catholicorum omnia quæ Lutherani impugnabant confirmaret; de conspiratione cum Rom. Pont. a bonis illis hominibus apud Turcam suspectus redditus, in carcerem, & tandem in exilium trusus est.

1576. MORTVO Requesena Bruxellis 5 Martii, conuenientes in vnum omnes Belgicarum prouinciarum Ordines, Hispanos pellendos censent, delecto capite Aurantio Principe. Cum vero Antuerpiæ arcem a præsidiariis Hispanis detentam obsedisset, quo tempore reliqui Hispani milites sublato capite seditiose ob non soluta stipendia recesserant; aduolantes tamen iidem seditiosi ad periculum ex diuersis locis, eruptione ex arce facta ad quatuor millia militum, vrbana multitudine & militibus hostium cæsis ad 14. millia, opulentissimam ac frequentissimam vrbem diripiunt, incenduntque 4. Nouemb. ingenti præda ditati. Quando & Ioannes Austriacus ex Hispania missus in locum Requesenæ, in Belgium aduenit, prouinciis defectione amissis ferum remedium.

Moritur item hoc anno (sui errorem aliqui notant) 11. Maii Techmas Rex Persarum, postquam regnasset ann. 50. & cum Imperatoribus Turcarum magna ac diuturna bella gessisset. Suffectus est illi ex vndecim filiis superstitibus tertiogenitus Haider Merises: eique post quindecim dies à quibusdam proceribus qui eum oderant occiso substituitur Ismael secundogenitus; qui confestim rumores octo fratres trucidat, & religione ad Turcas accedit.

Sed & Maximilianus Secundus Imperator, dum Comitia celebrat Ratisbonæ; inter pios conatus obtinendorum auxiliorum aduersus Turcas, placide moritur 12. Octobr. Imperii à patris obitu anno 12. mens. 2 die 17. ætatis anno 50. inchoato. Princeps magnæ pietatis, multarumque virtutum. Successit filius *Rudolphus* eo nomine Secundus, qui imperauit amplius annis 35.

In Galliam irrumpentibus Condæo Principe ac Casimiro Palatini filio cum magnis Germanorum copiis, pax componitur à Regina matre mense Maio; & Alensonius redit in gratiam cum fratre Rege, auctus ab eo Ducatu Andegauensi, & aliis. Mense vero Decembri habitis Blesis omnium Ordinum Comitiis, reuocantur Edicta in fauorem hæreticorum concessa: & aliquot vrbes hinc inde capiuntur, Alensonio creato Prorege.

1577. IOANNES Austriacus in Belgio summa vsus comitate, arces aliquot deserit semotis præsidiis, Hispanos amandat in Italiam, pacemque edicit. Sed frustra. Quamuis enim his contenti Belgæ visi essent initio, tamen sibi à fraude & insidiis timere simulantes, milites iterum conscribunt; & Matthiam Archiducem Austriæ Rudolphi Imperatoris fratrem ad suscipiendum regimen euocant; eique 12. Nouembris Antuerpiam aduenienti iuramentum præstant; sed creato Legato Principe Aurantio, vt nullo Principatus nomine Matthiæ relicto, Aurantius ad libitum omnia disponeret. Quare & Ioannes quem comprehendendum Sectarii deliberauerant, fuga Namurcum euadens: reuocatis ex Italia Hispanis, ad ipsum collectis copiis, ad bellum se parat: & Belgæ oblata ab Angliæ Regina auxilia recipiunt.

In Gallia, post aliquot hostilia gesta, nouum promulgatur exeunte Septembri Edictum de pace. A.C.

Dissensione inter Regem Poloniæ Stephanum & Dantiscanos (est ea vrbs nobile ac ferme vnicum Septemtrionis emporium) orta occasione portorii, Rex eosdem proscriptos & cladibus affectos obsidione cingit: quousque interuentione vicinorum Principum, concordia initur grauibus vrbi conditionibus. Interea vero Ioannes Basilius Moschorum Princeps, cum Stephanum his occupatum cernit, Liuoniam crudelissime vastat.

Mortuo Aloysio Mocenigo Venetiarum Duce, suffectus ei est Sebastianus Venierus clarus victoria de Turcis ad Lepantum obtenta, qui Rempublicam rexit biennio.

Ismael Persarum Rex, propter crudelitatem, & religionis mutationem, veneno extinguitur opera fororis Periaconcæ 24. Nouembr. Succedit Mahomethes Hodabendes Techmasis filius primogenitus. Qui cum antea vitam quietam elegisset, & iam non nisi coactus Imperii administrationem suscipere; filii tamen primogeniti Emiris Emsæ Mirizæ industrii & militiæ periti instigatione, fœdus aduersus Turcas init cum Chamo Tartaro, & Georgianis religione Christianis.

Cometes ingens cum longissima & latissima cauda visitur mense Nouembri: quem Lusitaniæ minari, post casum illius Regis vulgatum est: sic enim sunt Astrologorum vaticinia; de comete vulgi opinio est, Regis mutationem portendere.

1578. IOANNES Austriacus Ordinum Belgii copias ad Niuellam profligat mense Ianuario, cæsis ad decem millia, captis permultis: indeque secuta est multarum vrbium Brabantiæ deditio, & occupatio. Sed in Batauis Aurantius Amsterdamum nobile emporium Ordinibus subiicit mense Februario: & variis locis sæuitur in Catholicos. Cum vero non eis satisfaceret Matthias Archidux; Flandri Ioannem Casimirum Palatinum è Germania, Walones è Gallia Franciscum Alensonium fratrem Regis aduocant contra Ioannem: iique adsunt, sed absque effectu; cum interea mortuus esset Ioannes in castris prope Namurcum 2. Octobris, relinquẽs Alexandro Farnesio Principi Parmensi Octauii Ducis filio regiæ potestatis imperium.

Anglicana persecutio Martyres dat illustres ac Confessores, vbi læsæ Maiestatis crimen habitum, professione Catholicum agere.

Mustapha insignis bello & crudelitate Bassa Turcicus, qui Cyprum expugnauerat, ab Amurathe Imperatore in Persas & Georgianos missus, Tiphlisium Georgianorum, & Siruanum Mediæ capit: sed inito prælio succumbit, amissis ad 70. millia hominum.

Ioannes Podcoua Walachus ductor Cosaccorum, vir magnanimus, & admirabili corporis robore præditus, qui à soleis equorum ferreis manu disrumpendis nomen inuenisset: quod specie quadam militiæ, libertate & dominio Regni Poloniæ abusus pacem publicam perturbasset, iussu Stephani Regis præsente ac inspectãte legato Turcico capite truncatur Leopoli in Russia.

Luctuosus demum hic annus morte Sebastiani Regis Lusitaniæ: qui iuuenta feruens, (annos natus 24.) ac desiderio ardens promouendi nominis Christiani; ingenti parata expeditione ex subditis exterisque nationibus, in Africam appellens ad restituendum Regno Muleium Mahomethem à patruo Abdelmelecho pulsum, (*vid. ann. 1575.*) inita atroci pugna 4. Augusti. prope Alcazer, & extincto conflictus tempore ex apoplexia Abdemelecho qui iam pridem morbo laborabat; ipse quoque Sebastianus hostium numero obrutus, fortissime pugnans cæsus est cum flore nobilitatis Lusitanicæ, illisque quamplurimis; Muleio pariter in fuga cœnosis propinqui fluminis aquis hausto. Nulla à multo tempore pugna mirabilior, qua tres Reges perierunt. Inter innumeros captiuos, ex iisque multos nobilissimos, Antonius filius Ludouici ac nepos Emmanuelis à Mauro quodam liberatus incolumis euasit. Successit porro Sebastiano in Regno Lusitaniæ Henricus Cardinalis, ipsius magnus patruus, Emmanuelis filius, extrema ætate senex & valetudinarius. Inuentus tamen postea vnus & alter, qui se diuerso tempore eundem ipsum Sebastianum esse dixerit,

(quod

A.C.

1579. (quod diceretur elapsus esse è pugna, cum eius cadauer non agnitum fuisset inter mortuos) mentitas imposituræ pœnas dederit.

ALEXANDER Farnesius in Belgio strenue rem gerit aduersus Sectarios; equitatum eorum profligat, Traiectum expugnat magna strage, & multa alia recuperat qua vi qua deditione; eo etiam aliquot prouincis ei se subiicientibus, quod Aurantius contra generales conuentiones omnium prouinciarum religionem Catholicam vbique abdicaret.

Angliæ Regina sæve edicit in sacerdotes, Religiosos, & alumnos Seminariorum in vrbe aliisque locis in eius Regni auxilium à diuersis Principibus erectorum. Quain re egregiam præ omnibus operam locauit communis omnium parens Gregorius XIII. cum varia doctrinarum collegia ad subleuandas inopum electarumque nationum ærumnas, lustribus locis instituens & dotans; præcipue Romæ Seminaria Græcorum, Armenorum, Maronitarum, Iudæorum, Neophytorum, Germanorum, Anglorum, Scotorum, & aliarum eiusmodi nationum erexit; ac Rhemis item Anglorum, & Pontamussi Scotorum.

Stephanus Rex Poloniæ bellum infert Moscho, quod Poloniæ regno multa eripuisset, ac Liuoniam pessumdedisset: Polotiam, quam Moschus Lithuanis eripuerat, multo labore expugnat, plura alia occupat, magnum captiuorum numerum abducit, vbique tamen pietate & clementia illustris.

Amurathes adhuc vrgens Persicum bellum per suos Duces, variis cladibus affectus Tartaros in auxilium inuocat: cum quibus rursum eius exercitus internecione deletur; & sæpe sequentibus annis mutatis ducibus reparatus, (siquidem post Mustapham Othmanes, post hunc Sinan bellum duxit) semper cæditur. Reuocatus autem Mustapha, postea metu supplicii sumpto sponte veneno perit: Sinan quoque in exilium mittitur.

Ad finem anni in Sicilia mons Ætna magnam vim ignis euomuit.

Et ipso vltimo die anni, Henricus Rex Francorum instituit *Ordinem* Equitum *S. Spiritus*.

1580. HENRICVS Cardinalis Rex Lusitaniæ vltimus, moritur vltima Ianuarii in ipso puncto eclipsis lunaris. Cœperant ipso viuente, mox vt Sebastianus occubuerat, multi Regnum ambire, è quibus Philippus Rex Hispaniæ matre Elisabetha maiore, Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ Beatrice minore Emmanuelis filia natus erat; Dux Parmæ Mariam, Brigantinus Catharinam, vtramque neptem Emmanuelis ex Eduardo filio, vxores duxerant; quarum minor Catharina adhuc superstes erat maior Maria defuncta liberos reliquerat: Antonius Ocrati Prior, filius Ludouici, & Emmanuelis ex eo nepos, natalium vitium sublatum asserebat patris cum matre coniugio: Catharina Medicea Regis Francorum mater, maternum genus reperiebat à Mathilde Bononiæ Comite quæ vxor fuerat Alfonsi Tertii Lusitani Regis, atque ex eo prolem relictam firmabat, ex qua ipsa originem duxisset. Hisque omnibus de successione contendentibus, multa à Iurisconsultis disputata; & nulli non argumenta fautoresque suppetebant. Mortuo vero Henrico, Antonius fauore plebis se Regem dixit. Sed à Philippo (quem & Henricus moribundus nominasse dicebatur) missus Dux Albanus cum exercitu, eum repetito prælio deuicit, ac facili negotio toto Regno potitus est: ac Philippus sequentis anni mense Aprili coronatus Olysippone. Antonius fuga in Galliam euasit.

Interea vero huius anni mense Martio Guillelmus Princeps Aurantius Sectariorum Dux in Belgio ab eodem Philippo Rege publicis litteris proscribitur: & res Ordinum in deterius in dies prolabuntur, captis eorum vrbibus & copiis cæsis. Quare iidem Aurantii iussu, contempto Matthia Archiduce, Alensonio Regis Franc. fratri dominatum Belgii offerunt; ipsum etiam Regem sollicitantes de bello Hispanis inferendo.

In Gallia vrbs Fera in Morinis occupata à Condæo recuperatur à Matignono: secutaque est pax nouis conditionibus, & promulgata sequenti Ianuario.

Hibernia inuasa ab Hispanis & Italis in fauorem Catholicorum Insulæ, iidem postea facta quadam initia, misso à Regina Angliæ exercitu profligantur: & Hispani omnes publico edicto tota Anglia pelluntur.

A.C.

Stephanus Rex Poloniæ iterum Moschum aggrediens mense Septembr. Vielicolucam vrbem amplam & emporium celeberrimum expugnat; totamque eam regionem sibi subiicit.

Emmanueli Philiberto Duci Sabaudiæ mortuo mense Augusti, succedit filius Carolus Emmanuel hactenus in viuis existens.

Franciscus Dracus Anglus, cum an. 1577. die 17. Nouemb. quinque nauium classe ex Anglia soluisset, & tam nostri quã alterius Orbis maria omnia lustrasset, ac totum terrarum Orbem biennii & decem mensium spatio circumnauigasset; vnica reliqua nau prætoria, Londinum saluus redit hoc anno magna præda onustus.

Morbus epidemicus ex catharro præcipiti in pectus delabente, (Gall. *Coqueluchiam* vocarunt) vniuersam Europã occupauit; haud tamen per se lethalis, nisi alio morbo accedente.

MATTHIAS Archidux in Belgio contemptui habitus, ad sua se recipit & Ordines confœderati Philippo Regi Hispaniæ omnem subiectionem & obedientiam publico scripto renuntiantes, Alensonium vocant: qui Cameracum venit mense Augusti ac præsidio firmat; & inde Angliam petit in spem coniugii Reginæ, quæ sic varios Principes lusit. Rex vero Henricus excusat apud Pontificem & Regem Hispaniæ, hæc à fratre suo inuito se fieri. 1581.

Stephanus Poloniæ Rex Rigam Liuoniæ metropolim in potestatem recipit. Cum vero & Plescouiam vrbem Russiæ amplissimam a Moschis iam per multa tempora possessam, obsedisset, fatigatus tandem Ioannes Basilius Magnus Dux Moschoniæ, Pontificem Romanum implorauit, vt arbiter pacem constitueret. Quo missus à Gregorio PP. *Anton. Possevinus* Soc. IESV, eam inter eos Principes firmauit his conditionibus, vt Moschus tota Lithuania & Liuonia cederet Polonus Vielicolucam & quæ extra Lithuaniam erant restitueret. Ea pace Rex Sueciæ non fuit comprehensus; quamuis impie partem aliquam Liuoniæ ad Polonum, & Rutheniæ ad Moschum pertinentem occupasset.

Sub hoc tempus aperiri cœpit Patribus Soc. IESV diuinitus ianua ad conuersionem Sinensium. Qua de re, ac de profectu postmodum magnis laboribus & periculis facto, cõmentarium edidit qui diutius ibi fuit Nicol. Trigautius eiusdem Societ. professor; vbi & docet, hoc amplissimum regnum illud ita fuisse, quod ab aliquibus Scriptoribus Cataium appellatum reperitur.

Moritur Parisiis mense Septembri Guil. Postellus iam centenarius, disciplinarum linguarumque pene omnium exoticarum ad miraculum doctissimus; sed propter deliria multa ex Rabbinorum & Talmudistarum, propriique cerebri somnus hausta, merito damnatus, & in monasterium Sanmartinianum relegatus: qui denique magna Dei misericordia Catholicus obiit. Eius errores in vnum collegit *Gualterus in Chronolog.* Quo tempore viuebant adhuc in Gallia (præter quamplurimos insignes Theologos & Antistites) doctissimi viri Ioannes Passeratius, Ioannes Auratus, Ioannes Quinquarboreus, Petrus Ronsardus, Iacobus Cuiacius, Stephanus Durantius, Barnabas Brissonius, Pontus Tyardus, Laurentius Joubertus, Iacobus Dalechampius; & licet non in Gallia tunc viuens, Gallus tamen M. Ant. Muretus, qui Romæ diem obiit anno sequenti. Vt iam alias nationes præteream, quarum nimis operosum esset vel saltem aliquos ex singulis delibare viros in diuinis humanisque litteris præstantissimos, qui nominis sui fama & scriptorum excellentia Orbem Christianum illustrarunt.

FRANCISCVS Alensonius ex Anglia rediens, magna solemnitate die 19. Februarii recipitur Antuerpiæ, & 8. Martii renuntiatur Dux Brabantiæ & Marchio Romani Imperii, ac iuratur in eius verba ab Ordinibus fœderatis, inani tamen nominis vmbra, cum Aurantius omnia obtineret. Sed & eũ die 18. eiusdem Martii idem Aurantius remotis à prandio mensis à iuuene Cantabro, qui occidere volebat, aberrante sclopi ictu vtramque maxillam trajectus fuisset; id totum Alensonio imputatum est, donec confecti facinoris rem alitu cuiusdam mercatoris gestam esse certo demonstrassent. Iu- 1582.

uenis

uenis eueſtigio diſcerptus fuit; conſciis irrogata ſupplicia; Aurantius 2. Maii in publicum rediit. Interea Parmenſis aliquot oppida leuibus præliis recuperat.

Antonius Luſitanus collecta claſſe è Gallia ad inſulam Terceram quæ cum aliis Azoribus in eius fide perſtabat profectus, prælio nauali vincitur menſe Iulio a Marchione Santacrucio; & è Gallicæ claſſis ductoribus præcipuis Philippus Strozius occiditur in pugna, Briſſacus cum ipſo Antonio fuga euadit. Non remiſerunt tamen Inſulani, donec proximo anno expeditione repetita ab eodem Marchione penitus ſubiguntur: atque ita vniuerſum Regnum Luſitaniæ in Philippi Regis poteſtatem redigitur.

A Gregorio PP. XIII. ex Octobri menſe dies decem à quarto vſque ad 14. detrahuntur: & æquinoctium vernum ab vndecimo Martij transfertur ad 21. vt ſolſtitia & æquinoctia ad veteres rationes ſedeſque redirent: ac præterea in locum Aurei numeri maior numerus ſubſtituitur, quem Epactas dixere, quo & Biſſextis certis annis omiſſis Lunæ ortus abſque vllo errore perpetuo indicetur.

Tereſia nobilis virgo Hiſpana, *de* IESV dicta, quæ Carmelitarum Ordinem reſtituit, moritur annorum 68. quam ob virtutes & miracula Gregorius XV. cum aliis quatuor Beatis in SS. numerum retulit anno 1622.

Celebratur Toleti Concilium prouinciale ſeptem Epiſcoporum, Abbatum duorum, præſide Gaſpare Quiroga Cardinale Archiepiſcopo Toletano; cui & interfuit legatus à Rege miſſus Marchio Veladæ. Actum de diſciplina Eccleſiaſtica, & aliis; quæ aliquando tempus in lucem proferet. *Marian.*

Perſæ vna cum Georgianis rurſum Oſmanem Baſſam Turcicum florentiſſimo exercitu ſuperbientem profligant; & præda ampliſſima potiuntur.

1583. CRESCENTIBVS ſuſpicionibus inter Gallos & Belgas, cum etiam ad diſſenſiones ventum eſſet; menſe Ianuarij acris inter eos pugna initur Antuerpiæ & aliis vrbibus magna Gallorum cæde: qua propter Alenſonius, etiamſi poſtea cum Ordinibus denuo tranſegerit, relictis tamen ſuſpicacibus illis ex rebellione populis, in Gallias redit. Cum interea Parmenſis rebus ſuis proſpiciens, multas vrbes recipit, & Ordinum copias fundit.

In Anglia non ſolum ſæuitur in Catholicos, (quos inter non ita pridem *Edmundus Campianus* inſignis doctrina & conſtantia profeſſor Soc. IESV martyrium ſubierat) ſed etiam in Puritanos, quod ægre paterentur feminam dici Caput Eccleſiæ. Nec caruit Scotia ſuis tragœdiis, & in Regem ipſum conſpirationibus. Sic enim vbi religio peruertitur, omnia peſſum ire neceſſe eſt.

In Germania Gebhardus Truchſius Archiepiſcopus Colonienſis, homo impius & impurus, Confeſſionem Auguſtanam amplectitur, & connubium init cum Agnete Mansfeldica. Sed à Gregorio PP. excommunicatus ac depoſitus, pellitur: & in eius locum eligitur à Capitulo Erneſtus Bauarus; qui obnitente aliquamdiu pro Gebhardo, Caſimiro armata manu, tandem pacifice diœceſim tenuit.

1584. IOANNES Baſilius Magnus Dux Moſchouiæ, & Ruſſorum Imperator, moritur 28. Martij: Succedit filius Theodorus.

Franciſcus item Alenſonius ex Belgio redux, ſalutato Pariſiis fratre Henrico Rege, moritur ad Caſtrum Theodorici 10. Iunij, non ſine ſuſpicione veneni.

Et Iulij 10. Guil. Aurantius Delphis ſclopi ictu à Balthaſare quodam Burgundo, paulo ante in eius familiam adſcripto, traiectus extẽplo moritur: & in eius locũ ab Ordinibus confœderatis cõſtituitur filius eius Mauritius annorum circiter 18. quem ex Anna Saxona ſecunda coniuge ſuſceperat. Interea vero hoc eodem anno Parmenſis totam prouinciam Flandriæ aut vi aut ſpontanea deditione recipit, & humaniſſime tractat. Indeque progreſſus in Brabantiam, Antuerpiam obſidione cingit memorabili; quâ vt commeatũ prohiberet, Scaldim illabentem vrbi fluuium iunctis catena nauibus ſtrauit ſuperimpoſito ponte, qui 400. pedes latus propugnacula excipiebat firma: licet hanc molem hoſtes variis artibus & machinis ſæpe conati ſint euertere.

In Anglia Dux Nortfolcius, accuſatus de procurata liberatione Reginæ Scotiæ, capite plectitur.

Inter Rudolphum Romanorum & Amurathem Turcarum Imperatores prorogantur inducię in nouem annos. Cumque contra inducias decem millia Turcarum Carniolæ fines ingreſſi eam crudeliter deuaſtaſſent, & Chriſtiani eoſdem in reditu aſſecuti profligaſſent, Amurathes re audita iure eos cæſos pronuntiauit.

Alia vero parte eiuſdem Amurathis iuſſu Oſmanes Baſſa remiſſo Perſico bello, quod improſpere gerebatur à Turcis; Tauricæ Cherſoneſi partem Borealem, quæ Tartarorum Præcopenſium ſedes iam aliquot ſæculis fuerat, aggreſſus, & eorum Rex Mahomethes Kerai accepta licet pecunia refugeret in Perſas procedere: eumdem ipſum Regem, ac duos eius filios, à ſuis proditos ſtrangulat; & fratrem eius Islanem ab Amurathe miſſum Regem conſtituit, qui exinde Turcæ ſubditus eſſet. Quem tamen paulo poſt alius filius Mahomethis auxilio Tartarorum Nogajorum regno expulit, & ſibi illud recuperauit.

Moritur 3. Nouemb. *Carolus Borrhomæus* Cardinalis Archiepiſcopus Mediolanenſis, alterque Ambroſius; poſtquam tum factis tum ſcriptis per annos plurimos eximium ſe hoc ſæculo Prælatis exemplum præſtitit præclari regiminis Eccleſiarum, quem poſtea ob virtutes & miracula Paulus PP. V. anno 1610. Sanctorum catalogo celebri ritu adſcripſit.

Ad hunc vſque annum produxit ſuam Chronologiam *Gilbertus Genebrardus* nobilis Pariſienſis Theologus, & linguarum peritia conſpicuus: quem etiam ſpectata pietas & virtus ad Archiepiſcopatum Aquenſem euexit.

TRIVM Iaponiæ Regum, qui fidem Chriſtianam ad prædicationem Patrum Soc. IESV amplexi fuerant, Legati Romam miſſi ad obedientiam Summo Pontifici præſtandam; cum triennium itineri impendiſſent, tandem in vrbem aduenium; & à Gregorio PP. 23. Martij humaniſſime ſimul ac ſplendiſſime excipiuntur, & quæ poſtularent impetrant. 1585.

Paulo poſt, nempe 10. Aprilis, idem Gregorius PP. XIII. ætatis annum 83. emenſus moritur; rebus geſtis & pietate clariſſimus; cum ſediſſet an. 12. menſ. 10. dies 27. Suffectus eſt in eius locum 24. eiuſdem menſis Aprilis *Felix Perretus* Picenus, Cardinalis de Montalto titt. S. Hieronymi, ex Ordine S. Franciſci; dictus SIXTVS V. vir ſeuerus, & iuſtitiæ ad extremum cultor: qui & inter multa quæ egregie præſtitit ipſo Pontificatus exordio, Italiam latronibus & exulibus quibus diu vexabatur liberauit.

In Gallia nouum initur Fœdus ſpecioſo Religionis prætextu; cui nomen dederunt Carolus Cardinalis Borbonius, Henricus Dux Guiſius, aliique quamplurimi Galliæ Proceres: à quibus menſe Aprilis Declaratio euulgatur, quibus de cauſis arma ceperint aduerſus eos qui religionem Catholicam ſubuertere eo Regno conarentur: haud obſcuro Regis dolore, quod hæc ſe inſcio fierent. Qui tamen eorum ſuaſu menſe Iulio Edictum promulgat, quo hæreticos aut fidem Catholicam profiteri, aut Regno abire iubet. Ac Septembri Sixtus PP. Henricum Regem Nauarræ & Henricum Principem Condæum hæreticos declarat, & ſucceſſioni Regni Galliæ inhabiles: quippe qui mortuo anno ſuperiori Alenſonio, iure ſanguinis coronam proxime attingebant, ſi Rex ſine prole maſcula decederet; quod fere futurum videbatur, eius coniugio eatenus infœcundo. Hinc vero grauiſſimum ortum bellum, & inaudita rerum confuſio, atque animorum diſciſſio ſecuta: quæ nobiliſſimum ac Chriſtianiſſimum Regnum haud dubie in extremam perniciem deduxiſſent; niſi Dei Optimi Maximi inſigni erga eam Monarchiam beneuolentia, idem ipſe à quo deſtructio timebatur, potenti tandem manu reſtitutionem operatus eſſet.

In Hiſpania Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ menſe Martij nuptias celebrat Cæſarauguſtæ cum Catharina Philippi Hiſpaniæ Regis minori filia.

In Belgio aliquot præcipuæ vrbes ſponte ſe Regi ſubdunt, & Parmenſis Antuerpiam poſt duriſſimam anni fere vnius obſidionem in deditionem accipit menſe Auguſti. Quare labentibus indies Ordinum confœderatorum viribus, illi per legatos apud Reginam Angliæ euincunt, vt ipſorum tutelam recipiat: quæ acceptis in fidem aliquot mariti-

mis oppidis Regno suo opportunis, Rob. Dudleum Lecestriæ Comitem cum copijs eo transmittit, qui eas prouincias suo nomine regat.

Ibrahim Bassa gener Amurathis Turcarum Imperatoris, Maronitas & Drusos populos Christianos ad montem Libanum habitãtes, alias a Selimo frustra tentatos, bello subigit. De Maronitis alias dictum. (*vid. Epitom. an.* 1182. *num.* II.) Drusi reliquias se esse profitebantur illorum Occidentalium Christianorum, qui in recuperatione Terræ Sanctæ militauerant. Osmanes vero Bassa Persas aggressus, Tauri sium capit: sed variis congressibus ad 80. millia Turcarum amittit; ipseque ex dysenteria perit.

Apud Americam Virginia Insula ad Septentrionem vergens, soli vbertate cæliq; temperie nobilis, nauigatione Anglorum à Richardo Greinuille detegitur, & Anglorum colo niam accipit. ad quam ex Anglia tam facile est iter, vt ter in anno quocunque tempore absolui possit.

1586. Franc. Dracus à Regina Angliæ anno præterito ad Hispaniæ littora, & Americam versus, ad intercipiendam classem Peruanam cum 25. nauibus missus; S. Dominici insulam Hispaniolam depopulatur, Carthagenam diripit; & in illo pelago libere aliquot mensibus vagatus, redit in Angliam præda onustus.

Multi nobiles in eadem Anglia supplicio afficiuntur, ex suspicione coniurationis in Reginam. Eoque prætextu Regina Scotiæ arctiori custodia detinetur.

Constantinopoli mense Iunio exorta mane nebula quadam obscura; ea desinente locustis pluit, quæ omnes eius fructus absumpserunt. Eodemque anno pestis grassata est in Turcia, Hungaria, & Austria: ac fames Italiam & Belgium grauiter presit.

Parmensis in Belgio aliquot oppida occupat; & Nouesiũ Colonien sis ditionis Truchsianis eripit, ac legitimo Archiepiscopo restituit. Idemque hoc anno parentibus orbatur, matre Margarita Austriaca Caroli V. filia mense Februario, patre Octauio Farnesio Parmæ & Placentiæ Duce Septembri.

Moritur quoque Stephanus Battorius Rex Poloniæ 12. Decemb. paroxysmis epilepticis prostratus: Princeps à prudentia, doctrina, & bellicis artibus laudatus.

Hocque item anno ex hac vita decedunt duo magna Hispaniæ lumina, Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis vlt. Martij, ætatis an. 69. & Martinus Azpilcueta Nauarrus Cal. Iul. ætatis 94. Romæ: aliudque Italiæ Petrus Victorius Florentinus 8. Dec. ætat 87. Quos nominasse sufficiat, cum qui fuerint nemo ex scriptis eorum nesciat.

1587. Maria Scotiæ Regina, annis pene viginti in custodia Anglicana contra omne fas, diuinum ius & humanum, detenta; tandem quod fugam tentasset (ficto tamen crimine conspirationis in Elisabetam) capite plectitur 18. Februarii; magna constantia & pietate Catholica hanc Reginæ hæreticæ iniustissimam sententiam sustinens.

Franc. Dracus Anglus in Hispaniam cum 24. nauibus adnauigans, Gades ex improuiso adortus, 30. naues omni apparatu bellico instructas in portu repertas diripit, & partem incendit ac deprimit, partem in Angliam abducit.

E Belgio vero tantum non eiectus ab Ordinibus confœderatis Dudleus, quod non ad eorum voluntatem rem gereret, redit in Angliam: & Mauritius Nassouius renuntiatur vnicus Ordinum Gubernator. Parmensis autem Geldriam & Dauentriam recuperat.

In Galliam irrumpit ingens exercitus Germanorum, ductoribus Roberto Bulioneo & Fabiano à Dona, in auxilium Henrici Nauarræi: qui obuiam illis iturus, Annam Ioieusiũ Admiralium sibi obuersantem nobili prælio vincit ad Curtracum in Aquitania 20. Octobris: cæso Ioieusio vna cum eius fratre, aliisque plurimis. Germanis vero hinc Rex ipse, illinc Guisius obuiam procedentes, immensum eos fatigarunt cõtinuis aggressionibus, & commeatus intercluſione: ac demum Guisius mense Nouembris ad Alneum Belsię oppidum penitus eos profligauit. Cum & paulo ante in Delphinatu Alfonsus Dornanus alia tria millia Helueticorum hæreticorum deleuisset.

In Polonia post diuturnam inter Proceres disceptationem de nouo Rege deligendo, tandem mense Augusti facta discessione quidam Maximilianum Austriacum Rudolphi Imp. fratrem eligunt, plures Sigismundum filium Regis Sueciæ, & Sigismundi I. Regis Poloniæ ex filia, ac Sigismundi II. ex sorore nepotem: qui solemni more ac modo Rex coronatus est eius nominis III. Cracouiæ 27. Dec. postquam Maximilianus ad fines Poloniæ accedens, atque etiam ipsam Cracouiam obsidens, re infecta, quin etiam victus à Ioanne Zamoscio Magno Regni Cancellario, recessisset in Silesiam.

Mense Ianuario Maximilianus Austriacus rursum à Zamoscio victus prælio & captus, in Poloniam adducitur. Qui demum anno sequenti vix agente Imperatore ac Summo Pontifice (qui Cardinalem Aldobrandinum Legatum ad hoc in Poloniam misit) à vinculis dimitti potuit: quando & pax constituta est certis conditionibus inter Polonos & Austriacos. 1588.

Fridericus II. Daniæ Rex ac Norvegiæ moritur ad finem mensis Martij: & successorem habet filium Christianum vndecim annorum puerum: cui quatuor Consiliarij additi, donec adoleseeret.

Henricus item Borbonius, Ludouici filius, Princeps Cõdæus moritur mense Martio, ex veneno (vt creditum est) à quodam eius domestico ipsi propinato. Cuius vxor mense Sept. filium parit eiusdem cum patre nominis, sed postea religione Catholica, ac zelo expurgandæ Galliæ ab hæresi longe clariorem. Mense vero Maij ad aduentum in vrbem Lutetiam Henrici Ducis Guisii inermis, eius arma sumentes milites regios pellunt. Rex periculum fugiens; Carnutum se recipit: deinde Guisium mense Iulio in gratiam receptum, 23. Decembris in Comitiis Regni Blesis necari præcipit; ac postridie Ludouicum Cardinalem ipsius fratrem: Carolum vero Borbonium Cardinalem, Petrum Epinacium Archiepiscopum Lugdunensem, Henricum Guisii filium natu maximum, aliosque nonnullos diuersis custodiis mancipat.

Classis Philippi Hispaniarum Regis, toto triennio parata, & ingenti nauium, hominum, armorum, commeatus, omnium deniq; rerum necessariarum copia instructissima, & longe amplior futura adiunctione Parmensis classis in Belgio comparatæ; mense Iulio Olyssippone Angliam occupatura soluens, sæuis continuo procellis iactata, sed & ab Anglica insequẽte classe labefactata, vix tandem Sept. mense ad littus Caleti peruenit: vbi dum frustra Parmensem exspectat, (cuius naues impeditæ ab Hollandis in apertum mare exire non potuerunt; vnde postea a gre Hispano Regi accusatus satisfecit:) & nocte quadam ab immissis in eam à Draco nauigijs incensis veretur inflammari, recisis rudentibus in altum se dare conatur; demum & ab Anglis & à ventis dirissime agitata, tota ferme perit: cuius reliquiæ circumnauigata vniuersa Maioris Britanniæ Insula, post longissimam nauigationem exiguo militum numero in Hispaniam aduectæ sunt.

In Hungaria mense Octob. Christiani Turcas magna clade afficiunt.

Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ Carmaniolam & totum Saluzzię Marchionatum ditionis Gallicę occupat mense Decembri.

Ferdinandus Cardinalis Magnus Dux Hetruriæ, petit à Sixto Pontifice veniam (cum non esset ad sacerdotium promotus) vxorem ducendi; eaque impetrata, postea duxit Christinam filiam Ducis Lotharingæ.

Sixtus Pontifex *B. Didacum* ab Alcala è territorio Hispalensi, qui ante 125. annos vixerat, probatis eius sanctitatis miraculis, in Sanctorum catalogum solemni ritu retulit. Et alio tempore *S. Bonauenturam* Doctorum numero adscripsit.

Persecutio excitatur in Iaponia aduersus Christianos, quando Cabacondonus tyrannus, subactis Insulæ amplissimæ plurimis Regnis, religionem Christianam extinguere nititur.

Mahometes Hodabendes Rex Persarum, postquam toto tempore Imperii sui Turcas Persidem inuadentes ingentibus cladibus affecisset, moritur mense Decembri: (quidam notant annum præcedentem:) successoremque habet filium Abam Mirizem; cum Emir Hamza primogenitus, qui bellum Turcicum continuo gesserat, egregius plane Prin-

ceps

ceps, paulo ante magno rerum detrimento proditorie occisus fuisset.

1589. CATHARINA Medicæa Henrici II. Francorum Regis coniux, & trium subsequentium Regum mater, tam dolore (quem maximum ex cæde Guisiorum ob mala quæ inde secutura præuideret cepit) quam annis & continuis tumultuosi Regni molestiis fracta; paucos post dies expirauit, nempe die 5. Ianuarij. Ex eadem vero Guisiorum cęde magna Regi conflata inuidia, vniuersum fere Regnum ab eo defecit: minas etiam intentante Pontifice, nisi satisfaceret cædi & carceri virorum Ecclesiasticorum. Ipse vero Rex Nauarræo ad se euocato, dum Lutetiam magno comparato exercitu expugnare parat; ipsis Calend. Aug. à Iac. Clemente religioso Dominicano, ad audientiam secretam quasi arcana ciuium communicaturo admisso, venenato cultello in ventre inferiori vulneratus, die sequenti moritur anno regni 15. In quo desiit regnare *Valesiorum* familiia. Et ex lege Salicæ succedente BORBONIA, *Henricus* Nauarræus eius familiæ princeps, qui aderat, confestim post Valesij obitum Rex proclamatur eius nominis IV. solemni prius iuramento præstito de Religionis Catholicæ conseruatione, & Regni ex auita consuetudine administaratione. Repugnarunt tamen pleræque ciuitates, cum Carolo Duce Menio Guisij occisi fratre, aliisque eiusdem familiæ Principibus, ac non paucis Proceribus. Multa prælia inita: plurimæ vrbes obsessæ, captæ, direptæ: omnia cædibus, ignibus, stragibus, mortibus, ruinis plena: variæ natæ diuisiones, simulationes, simultates, fraudes: tanta facta rerum perturbatio, quanta fuit ab ortu Monarchiæ: quam solus ille demum potuit componere, cuius occasione originem sumpserat.

Regina Anglię fœdus init cum Turcarum Imperatore aduersus Regem Hispaniæ: &, vt vicem eidem Regi rependeret, magnam classem in Hispaniam immittit, specie Antonium diu in Anglia exulem, eademque classe vna cum Draco vectum, in Lusitaniæ Regnum armis restituendum. Et mari quide res succesit, captis aliquot nauibus Hispanicis: sed terra non item, cum ad Olysipponem descensionem facientes, duriter excepti, fugatique, multis suorum milibus desideratis in Angliam redeunt; captis in reditu ad ostium Tagi aliquot Hanseaticarum ciuitatum nauibus, quæ frumentum in Hispaniam adsportabant.

Constantinopoli mense Martio Legionarij ex Persida reuersi, iunctis sibi Ianizaris, ob non solutũ iusto tempore iusti valoris stipendium, ingentem seditionem excitant, qua & ipse Amurathes Imperator periclitatus est: qui Beglerbegum Græciæ & Quæstorem Regni coactus est iis dimittere crudeliter dissecandos. In ea seditione ignis in vicum Iudęorum (qui telonia Turcica administrare consueuerunt) iniectus, flante vento supra 12. millia ædium absumpsit. Ceterum Amurathes cernens se nihil aduersus Persas proficere, pacem cum iis componere satagit. Et Sinanem Bassam, qui in Hungaria pacem turbarat, vinctum Constantinopolim abduci iubet.

Cosaccorum iniuriis lacessiti Tartari, vastant Podoliam: sed in reditu à Cosaccis Nisouiis ad Boryslhenem profligantur. Tartaris auxilio fuerunt Turcæ, Cosaccis Poloni. Sed tandem pax inter Polonos & Turcas firmata est intercedente Regina Angliæ.

1590. IN Gallia Confœderati *Carolum* Cardinalem Borbonium, custodiæ licet detentum, (in qua paulo post obiit) Regem specie tenus eius nominis X. agnoscunt, Henrico reiecto, qui tamen Menium Starus Rectorem constitutum copiis quamuis Hispanicis è Belgio adiutum, insigni prælio debellat ad Yvrium 14. Martii; occiso etiã Comite Egmondano Hispanici auxilij ductore. Inde Lutetiam arcta obsidione cingit, & ad extremam omnium rerum necessitatem reducit: donec aduenientè è Belgio Parmensi cum exercitu, obsidione soluta obuiam ei pugnaturus procedit: sed ille vitata pugna, post commeatum Lutetiam illatum recedit in Belgium: vbi eo absente Mauritius Ordinum Gubernator multa interea loca Hispanis eripuit.

Sub huius anni exordium atrox inter Moschos & Suecos bellum exardescit: quo Moschus, postquam sæpius frustra repetiisset à Sueco regiones sibi in bello Polonico ereptas, magnam Liuoniæ partem occupat.

Sixtus V. Pontifex moritur 27. Augusti, postquam sedisset an. 5. mens. 4. di. 3. & Vrbem multis sacris ædificiis, aliisque ornamentis publicis mire decorasset; plurimisque salubribus decretis Ecclesiam Catholicam informasset; & ad Sedis Apostolicæ necessitates multas auri myriadas ex sua parsimonia in arce S. Angeli recondidisset. Suffectus est in eius locum 15. Septembris *Ioannes Baptista Castaneus* Cardinalis S. Marcelli, patria Romanus, nomine VRBANI VII. à quo omnia optima sperabantur, si per ætatem ac valetudinem licuisset diutius viuere.

Eodem vero 12. post die, nempe 27. Sept. defuncto; eligitur 5. Decembris *Nicolaus Sfondratus* nobilis Mediolanensis, Cardinalis S. Cæciliæ, dictus GREGORIVS XIV. vir sanctis moribus, atque benignus.

1591. IN Gallia magna fit vbique inclinatio rerum Confœderatorum: & dux Sabaudiæ, qui partem Prouinciæ & Delphinatus occupauerat, à Ladigherio & Valetano funditur. Sicuti & exitio Iunioris Ducis Guisij è carcere Turonensi plus nocuit fœderatis quam profuit, ob suspiciones inde inter supremos eorum duces ortas. Henricum tamen regio nomine indignum pronuntiat Gregorius XIV. P. & exercitum aduersus eum in Gallias mittit, nullo operæpretio. Itemque Henricus acceptis magnis è Germania & Anglia copiis, Rotomagum obsidet improspere, ob secundum aduentum Parmensis: qui pariter dum in hac expeditione aliena negotia curat, multa ex sibi in Belgio creditis locis amittit artibus & armis Mauritij. Hæc autem eius expeditio contigit ad principium anni proximi.

Interea moritur idem Gregorius XIV. 15. Octobris, vbi sedisset menses 10. ac totidem dies. Sub quo Italia, ac præcipue Roma, ingenti annonæ caritate & mortalitate vexata est: quæ mala multas etiam alias regiones grauiter afflixerũt. Electus est in Gregorii locum 29. Octob. *Ioannes Antonius Faquinettus* Bononiensis, ex Cardinali S. Quatuor Coronatorum, dictus INNOCENTIVS IX. Qui postquam sedisset tantum duos menses, obiit 29. Decembris: vacauitque sedes mensem vnum.

Anglica classis, quæ ad fauces Atlantici maris constiterat inuasura naues Hispanicas aurum ex India deferentes, ab Hispanis magna clade profligatur.

Sueciæ Rex Ioannes societatem aduersus Moschos init cum Tartaris; qui fere vsque ad vrbem Moschouiam penetrantes, commisso acerrimo prælio penitus dissipantur, captis etiam duobus ipsorum Principibus.

Abas quoque Mirizes Rex Persarum alia parte Vsbegum Chamum Tartarorum reprimit; & cæso cum exercitu filio eius, Chorazanem prouinciam sibi ab iis ereptam recuperat.

1592. HIPPOLYTVS *Aldobrandinus* Florentia nobili & antiqua familia oriundus, ex Cardinale S. Pancratii & Maiori Pœnitentiario creatur 30. Ianuarii Summus Pontifex nomine CLEMENTIS VIII. vir magnæ apud omnes existimationis, ex moribus inculpatis, præstanti doctrina, & cognita in rebus gerendis prudentia.

Alexander Farnesius Dux Parmensis, post auxilium Rotomagensibus allatum rediens in Belgium ægro corpore, tandem moritur Atrebati in cœnobio S. Vedasti 2. Decembris, anno ætatis 47. magni animi Princeps, & bellicis artibus victoriisque clarissimus.

Moritur item Ioannes III. Rex Sueciæ 7. Nouembris. Succedit vnicus filius Sigismundus Rex Poloniæ; qui anno proximo in Sueciam vna cum vxore Anna Caroli Archiducis Austriæ filia nauigans, sequenti coronatus est solemni pompa

Turcæ ruptis ex improuiso induciis, quas à multo tempore obseruarãt cum Imperatore, Croatiam inuadunt, Wihitzium occupant; aliquot hominum millia cædunt, alia in seruitutem abducunt, & omnia direptionibus & incendiis vastant; dum tarde in Germania delectus habetur.

Iterum ab Hispanis profligatur classis Anglica in Atlantico Oceano, captis nauibus 27. aliisque depressis.

Cæsaraugustæ in Hispania tumultus excitatur occasione Antonii Peresii: qui cum à secretis Regis fuisset, post duodecim annorum vincula è carcere Madriti in Aragoniam patriam suam euaserat, causam ex priuilegio Aragonensium

de crimínibus sibi imputatis dicturus coram Iustitia Aragoniæ. Cùm vero & è publico Iustitiæ carcere in arcanam Inquisitorum custodiam deductus fuisset; tumultuante populo, inde eductus aufugit in Galliam. At missus à Rege Philippo exercitus tumultum repressit cum cæde plurimorum: inter quos & ipse Aragonum Iustitia (qui Magistratus sacrosanctus iis habebatur) capite truncatus est, quod armatus contra regias copias processisset.

1593. CONFOEDERATI Galliæ, occasione potestatis sibi à Clemente Pontifice factæ eligendi Regis qui Catholicus esset, Comitia Parisiis celebrant; sed ingenti confusione, cum & Hispani, & plurimi alij exteri promoueri cuperent. Quando & felix ille illuxit dies, quo Henricus, quem ipsi Regno expulsum volebant, diuinitus illustratus, & rationibus Catholicorum apprime imbutus, 25. Iulij abiurata hæresi religionem auitam amplexus est in vrbe Sandionysiana: multique Romam Ducem Niuernensem, qui absolutionem Pontificiam à Clemente impetraret: sed eam Clemens aliquandiu distulit, causantibus aduersariis simulatam conuersionem; quos omnino erasse, tempus aperuit.

Muleius Xequus Fessæ & Marochi Regis filius datus olim obsès Sebastiano Lusitano, & postea educatus in Philippi tutela: baptizatur mense Nouembri in cœnobio S. Laurentij Escurialij, cum aliquot aliis nobilibus.

Turcæ ad Sisechium in Croatia cæde 18. millium profligantur à Cæsarianis mense Iunio, qui nihilominus reparato exercitu, Septembri Sisechium expugnant, aliasque vrbes: sed iterum ad Albam regalem cæduntur mense Nouembri, multaque loca amittunt.

Nec solum Christianos aggressus, sed & Persas Amurathes, violato pacto nuper cum iis fœdere, ingenti exercitu aggreditur; multa quidem diripiens & vastans, at in ceteris infelici successu, vt semper alias.

1594. IN Gallia, postquam mense Ianuarij vrbs Meldensis à Fœderatis defecit, & 27. Februarij Henricus Carnuti (quod Rhemi adhuc ab aduersarijs detinerentur) ritu solemni vnctus & inauguratus esset ab eius vrbis Episcopo, Rex Francorum & Nauarræ; certatim vrbes in eius obsequium concesserunt: ipseque Lutetiam 22. Martij armatus ingreditur paruo tumultu, & paucorum cæde, eadem ipsa porta qua Henricus III. eius decessor vltimo inde profugus exierat: eaque dies deinceps solemni processione celebratura Parisiensibus. Ad finem autem anni ingens vitæ periculum incurrit, cum 27. Decembris cultello vulneratus est facie in cubiculo ab adolescente Parisiensi Ioanne Castellio, qui guttur petebat: qua occasione tam ipse sicarius grauissimis supplicijs addictus, quam omnes Societatis IESV professores, quod in eorum collegio is litteris operam dedisset, decreto Senatus pulsi: donec eosdem innocentes probe agnitos, Rex honoratiori reuocatione restituit, quam fuerant turpi gnomina electi.

Ernestus Archidux Austriæ, Rudolphi Imperatoris frater, mittitur in Belgium à Philippo Hispaniarum Rege successor Ducis Parmensis: ac nihilominus Groningam Frisiæ Mauritius ad deditionem cogit.

Matthias quoque alius Rodolphi frater, Hungaricæ expeditionis aduersus Turcam administrationem accipit: qui Nouigradum recuperat, sed Iauarinum munitissimum omnium oppidum male defendit; quod à Sinane Bassa acceptum est turpi Comitis Hardechii deditione, qui ea de causa ab Imperatore capite cæsus est. Sigismundus vero Battorius Transiuaniæ Princeps detecta in se conspiratione, à Turcis deficiens, in societatem Imperatoris transit.

Cum autem præterea Amurathes fœderatorum suorum Tauricanorum Tartarorum duceta equitum millia in Hungariam euocaret, illisque Poloni transitum per fines suos negarent, & illi delectu habito 70 millia præmisissent qui reliquis iter aperirent: iis Ioannes Zamoscius Magnus Regni Cancellarius occurrens, 30. eorum millia acie prostrauit. Rex vero Sigismundus è paterno Suecię Regno, rebus constitutis, relictoque Prorege patruo Carolo Sudermanniæ Principe, in Poloniam reuertitur.

In Italia quoque Turcica classis Rhegium Calabriæ diripit: sed repellitur à triremibus Pontificijs & Hispanicis. Cosacci tribus præliis Palatinum Walachiæ superant.

Mense Aprili *Hyacinthus* Polonus ex Ordine Dominicanorum ante 300. annos defunctus, ob vitæ merita & virtutem miraculorum, à Clemente PP. refertur solemni ritu in SS. numerum.

Quo eodem exeunte anno aduenit Romam missa legatio à Patriarcha Gabriele & vniuersa Ecclesia Alexandrina, pro communione Sedis Apostolicæ impetranda, & obedientia ei præstanda: quod solemni celebritate peractum est sequenti Ianuario.

LIVONIÆ item Archiepiscopus, post eiectam ex ea regione Lutheri hęresim, Romam venit ad Limina Apostolorum, obsequium Pontifici iuraturus. Ac pariter Ruthenorum Episcoporum Legati, mense Nouembri ad eamdem Sedem pro communione obtinenda aduenerunt. 1595.

Paulo vero ante missus itidem Romam *Iacobus Perronius* postea Cardinalis, eloquentia sua, & potentissimis rationibus, euicit vna cum *Arnoldo Ossato* & ipso postea Cardinale (rem maxime promouente *Francisco Toleto* Hispano, è Soc. IESV primo omnium Cardinale) vt publica absolutio Henrico Regi Christianissimo solemni ritu impertiretur à Clemente PP. 17. Septembris: aduersantibus licet maximopere Hispanis, tum ex natiua gentis inuidia in Francicam, tum quod is idem Henricus Ianuario præterito bellum Philippo ipsorum Regi publicè indixisset. Ceterum postquam audita est in Gallia Regis facta Romæ reconciliatio, Dux Menius aliiq; Principes ac Proceres continuo ad eius obsequium accesserunt: vno excepto Mercurio, qui suis & Hispanorum armis adhuc Britanniam retinebat.

Interea moritur mense Februarij Ernestus Gubernator Belgij ex dolore calculi: cuius loco administrationem rerũ suscipiens Comes Fontius, aliquot oppida vi capit in Picardia, Admiralium prælio fusum occidit; & Cameracum ad deditionem compellit.

Moritur item 18. Ianuarij Amurathes III. Turcarum Imperator nephritide, seu vt alij volunt paroxysmis epilepticis; expletis regni annis viginti. Cui succedit Mahomethes æque III. filius natu maximus: qui regni auspicia pro more gentis 18. fratrum cæde consecrauit, & iugulatos patri consepeliuit.

Moritur etiam mense Septembri Parisiis Antonius Lusitanus, qui se Regis nomine solabatur. Et Augusto Carolus Mansfeldius, fortitudinis & peritiæ militaris laude celebris, in obsidione Strigoniensi, postquam Turcarum quinquaginta millia profligasset. Et Strigonium paulo post recipitur à Matthia Archiduce, aliaque plurima Hungariæ loca qua vi qua deditione.

Moritur & Persarum Rex: cuius filius & successor bellum in Turcas renouat.

Moldauiæ & Walachiæ Reguli deficientes à Turcis, subdunt se Sigismundo Transiluano; qui magnas Turcarum strages repetitis prælijs edit. Quod vero interea Zamoscius Poloniæ Cancellarius Moldauiam occupasset; quæstus de his Transiuanus apud Clementem Pontificem, eius opera obtinuit, vt Poloni ab eo bello desisterent: cuius & conatus in Turcas idem Clemens pecuniis iuuit. Sed Moldauia haud multo post à Sigismundo non defensa, Turcicum iugum subiit.

Ad principium anni pax sancitur inter Suecos & Moschos, post 30. fere annorum bellum, breuibus induciis subinde interpolatum.

Classis Anglica ab Hispanis versus Americam profligatur: & Dracus eius ductor, huius sęculi pirata insignis, finem viuendi facit ex dysenteria Ianuario sequenti.

Hoc vero anno 26. Aprilis moritur Romæ *Torquatus Tassus*, Poeta clarissimus: & 26. Maij *Philippus Nerius* Florentinus, fundator Congregationis Oratorij: quem ob pietatis ac virtutum meritò, & miracula tam in vita quam post obitum edita, Gregorius XV. in Sanctorum numerum retulit anno 1622.

ALBERTVS Cardinalis Austriacus frater Rudolphi Imperatoris, mittitur à Philippo ipsius auunculo Gubernator Belgij in locum Ernesti fratris demortui: qui Caletum vrbem Gallis eripit mense Aprili, Ardram Maio, Hulstium Ordi-

bus

bus Belgicis Augusto. Contra Rex Henricus Feram pulsis Hispanis recuperat: & Dux Guisius Massiliam ab eorumdem proditoriis insidiis liberat.

Classis Anglica Hispanicam ad nauigationem Noui Orbis paratam ad Gades incendit: ipsaque Gades capit & diripit.

Sigismundus Transiluanus Bassã Temesuariensem cędit; sed Temesuarum frustra obsidet, cum simul ingruerent Tartari à Turcis in auxilium vocati. Mahomethes autem Turcarum Imperator ducto in Hungariam numeroso exercitu, Agriam mense Octobri capit, munitissimum Hungariæ Superioris propugnaculum: & Maximilianum Archiducem, sero nimis in auxilium aduenientem, prælio pene victus vincit; & Constantinopolim regreditur.

Celebratur *Concilium Aquilejense* prouinciale sub Francisco Barbara Patriarcha, de moribus. Extant Acta in *Tom. Concil.*

1597. Mavritivs Ordinum Belgicorum dux mense Ianuario Hispanorum copias ad Tornhutum magna clade cædit, occiso earum ductore Comite Varaxio: indeque multa loca capit.

Alia vero parte Hispani mense Martio Ambianum amplam Picardiæ metropolim stratagemate militari occupant: quam Rex continuo obsessam, magnoque molimine oppugnatam, Septembri recepit.

Persarum Regis Legati Constantinopolim aduenientes, pacem & amicitiam Mahomethis exquirunt: re Mahomethi pergrata, quod totus esset bello in Christianos promouendo.

Perseuerante in Iaponia Quabacundoni persecutione; inter alios, sex Religiosi Franciscani magna constantia per crucem martyrium consummarunt mense Martij.

1598. Clemens Pontifex Ferrariæ Ducatum, Ecclesiæ Romanæ feudum (mortuo iam anno superiori Duce Alfonso Estensi absque liberis) censurarum vi & armorum minis vindicat, & eiusdem Ecclesiæ patrimonio adiungit: eaque de causa ipse post illius vrbis deditionem eo proficiscitur.

Philippus Rex Catholicus Isabellam filiam primogenitam Alberto Cardinali (obtenta à Sede Apostolica sanguinis & ordinis dispensatione) coniugem spondet, cum dote prouinciarum Belgij. Inde pacem conficit cum Henrico Rege Christianissimo, redditis vtrimque quæ occupata fuerant: annitente præcipue Clemente Pontifice per suum in Gallias Legatum Alexandrum Cardinalem Florentinum, postea Papam Leonem XI. quæ dicta est Veruinensis, quo i ad illud oppidum conclusa fuerit mense Maij. Ad quam etiam admissi sunt prædicti Albertus & Isabella; necnon Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ certis conditionibus. Ac demum idem Philippus 13. Septemb. moritur in monasterio Escurialí, ætatis anno 72. magnus plane Princeps, & in paucis prudentia & pietate clarissimus. Successorem habuit Philippum, vnicum è pluribus superstitem filium eo nomine III. qui hoc eodem anno vxorem duxit Margaritam Caroli Archiducis filiam; quæ sequenti Martio in Hispaniam delata est, & Aprili tam eius quam Alberti nuptiæ Valentiæ confectæ: cum prius Ferrariæ huius anni Nouembri, præsentibus Margarita & Alberto, ab ipsomet Clemente Pontifice nuptiarum sacræ cæremoniæ magna pompa celebratæ fuissent.

Armorica vniuersa, Mercurium Ducem ante secuta, ad Regis obsequium redit.

In Hungaria Iauarinum (siue Raba vocatum) munitissimum præsidium recuperatur mense Martij, virtute Adolphi Schuartzenbergii, adminiculo instrumenti petardi: occisis intra vrbem quatuor horarum certamine 1600. Turcis.

Sigismundus Transiluaniæ Princeps, post multa præteritis annis præclarissime in Turcas & Sectarios gesta; nescio quo morbo veluti fascinatus, mutato vitæ instituto mense Aprili vxorem Christiernam Caroli Archiducis filiam reliquit; ditionem de consensu Ordinum Rudolpho Imperatori cedit, accepta Silesia cum annua pensione 50. millium aureorum: sed paulo post pœnitentia ductus, Claudiopolim redit mense Augusti.

Cæsarianam Budam obsidentes à Calendis Octobris vsque ad 11. Nouembris, altera arce capta atque diruta, ab alterius occupatione cœli inclementia repelluntur: Turcæ eodem tempore à Varadini expugnatione, virtute Christianorum.

Sigismundus Rex Poloniæ in Sueciam paternum Regnum nauigans, quod patruus Carolus, quem Proregem illic reliquerat, omnia arbitratu suo ageret, nulla habita Sigismundi auctoritatis ratione; vix effugit eius insidias: magno suo damno expertus, quam periculose hæreticis quantumuis sanguine proximis concredatur Regnorum administratio.

In Hibernia Comes Tironius, submissis aliquot ex Hispania auxiliaribus copiis, pugnat pro Religione Catholica contra Proregem Anglum; initio quidem satis feliciter: sed demum post biennium cum iis debellatum est à Comite Essexię, quem Regina Angliæ cum exercitu in Hiberniam misit. Ipseque Tironius postea Romam cum vxore se recepit; vbi omnia ad vitam necessaria liberaliter eis Pontifex exhibuit, donec ibidem vitam cum morte commutarunt circa annum 1618.

Theodorus Magnus Dux Moschouiæ & Russorum Imperator moritur sub initium Ianuarij: cui, quod sobolem nullam reliquisset, suffectus est à Moschis Borisius Federowitzius Hodwinus, cuius sororem Theodorus coniugem habuerat: cum mortuus crederetur Demetrius frater Theodori, quem Borisius iam antea, ne sibi aliquando impedimento esset ad regnum quod ambiebat, adhuc puerulum necari iusserat. At vero Demetrius neci sublatus, (alio in eius locum supposito) in Germaniam, indeque in Poloniam deductus, à Rege honeste educatus est, & in fide Catholica diligenter institutus: de quo rursum postea.

Romæ circa Natale Domini tanta fuit Tiberis inundatio, quanta nunquam antea fuisset; ingenti vrbis afflictione & damno: cuius incredibilis eluuionis notata fuit variis vrbis locis, ad fidem futuris sæculis faciendam, monstrosa altitudo.

Moriuntur è viris doctis Benedictus Arias Montanus Hispalensis, Thomas Stapletonus Anglus, & Abrahamus Ortelius Antuerpianus; scriptis suis vbique notissimi.

Albertvs & Isabella Principes Belgii ab Hispania veniunt in Belgium exeunte Augusto; ducto etiam Philippo Nassouio Aurantio Principe, cui bona paterna restituta sunt. 1599.

Carolus Sigismundi Regis patruus vniuersam fere Sueciam in potestatem suam redigit; & habitis Regni Comitiis, procurat Sigismundo Regnum abrogari: electo tamen specie tenus Ladislao eius filio adhuc puerulo, ea conditione vt mitteretur in Sueciam instituendus in Lutheranismo. Indeque Carolus Finnonios à Sigismundo stantes subigit.

Sigismundi Battorij in Transiluaniam reditu, ea prouincia admodum turbata est; cum ipse rescisso contractu cum Imperatore inito, Transiluaniam patrueli suo Andreæ Battorio Cardinali donauit: qui tamen à Michaele Walachię Waiuoda mense Octobri profligatus periit in fuga à rusticis Walachis occisus: & Transiluania in fide Imperatoris confirmata est.

Henricus Ioieusius Franciæ Marescallus, qui olim Ordinem Capucinorum professus fuerat, & inde annuente Pontifice Gubernatorem Occitaniæ bellorum ciuilium tempore egerat; iam iterum sæculo remittens nuntium, in pristinum Ordinem se recipit. In quo egregius factus concionator, tandem sanctissime obiit: vnica relicta ex matrimonio ante primum Religionis ingressum filia, quæ primo Duci Mompenserio è regio sanguine nupsit; eoque mortuo, Duci Guisio.

Celebratur mense Iunio in ciuitate *Diamper* Indiæ Orientalis, ab Alexio Archiepiscopo Goensi Ordinis S. Augustini, *Concilium* de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur. Vbi Georgius eorumdem Nestorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylonis adhærebat, & 153. presbyteri, atque deputati 671. fidem Catholicam sunt professi; quos vniuersus populus secutus est.

Insignis est hic annus Iubileo, cuius occasione infinita confluxit Romam omnis status & conditionis hominum multitudo: & Clemens Pontifex nulla non charitatis, 1600.

liberalitatis,& humilitatis opera peregrinis exhibuit; pecuniis eos subleuando,accumbentibus ministrando,pedes lauando, confessiones audiendo, omnes consolando, singulis benefaciendo: & Cardinales aliosque Prælatos ad hæc eadem præstanda, verbo & exemplo egregie inuitando. Adeo vt non pauci ex iis hæreticis qui Romam spectatum aduenerant, his visis sese Ecclesiæ Catholicæ fidei addixerint.

In Gallia mense Maij apud Fontenobleum celebris illa habita est inter Iacobum Perronium tunc Episcopum Ebroicensem, postea Cardinalem & Archiepiscopũ Senonensem, & Philippum Mornæũ Caluinistam,concertatio de eiusdẽ Mornæi falsis assertionibus insertis libro de Eucharistia, in amplissimo Principum & summorum virorum consessu; constitutis ex vtraque parte Iudicibus Cognitoribus; præsente quoque ipso Rege, & actionem summa prudentia moderante: qua Mornæus omnium sententia falsarius & temerator pronuntiatus est. Vnde pudore suffusus, fugam noctu conceptam summo mane celerans, Regem aliosque eluit, qui nouam quam promiserat pugnam spectare gestiebant.

Idem Rex Christianissimus mense Augusti Duci Sabaudiæ, quod Marchionatum Salussianum reddere procrastinaret, bellum indicit; moxque totam Sabaudiam occupat. Missio vero à Clemente P. P. Petro Cardinale Aldobrandino fratris sui filio, pax componitur ineunte anno sequenti; qua Marchionatum Dux retinens, Regi Bressiam concedit.

Cum vero iam anno superiori Clemens matrimonium, quod inter Regem & Margaritam Valesiam sub Carolo IX. contractum fuerat; de partium consensu nullium esse declarasset, tum propter consanguinitatem, de qua nulla sufficiens extitisset dispensatio, tum propter alias allatas atque probatas causas: Rex hoc anno vxorem accipit *Mariam Mediceam* Francisci olim Magni Etruriæ Ducis filiam: quæ mense Nouembri Massiliam appellens, regio comitatu Lugdunum ad Regem deducitur; vbi exeunte anno nuptiæ conficiuntur, solemnia celebrante Legato Aldobrandino.

Iacobum Regem Scotiæ Comites Gaurienses insidiose in arcem suam specie thesauri indicandi deductum, & ad interiora conclauia solum & inermem allectum, armis interficere moliuntur: sed Rex haud tanto periculo desponsus animum, & voce & manu vim auertens,accurrentibus e vestibulo aliquibus è suis,mortem effugit; quæ proditoribus illata est.

In Belgio dum pars militum Hispanorum secessionem ob non soluta stipendia faciunt, Mauritius nonnulla loca munita Archiduci eripit: & dum Neoportum in Flandria obsidet, inuatus ab Archiduce, post cladem aliquam acceptam, suos recolligens Archiducis exercitum 2. Iulii profligat, cæsis multis hostium millibus: sed iterum nouis exurgentibus in eum copiis, suos in Hollandiam & Brabantiam reducit.

Turcæ Canissium duce Ibraim Bassa Sept. mense obsidione cingunt: cui licet in auxilium veniente Philippo Emanuele Duce Mercurio è domo Lotharingica: (qui post exactà in Gallia bella ciuilia ad Imperatorem profectus, exercitus eius administrationem acceperat:) tamen quod commeatu destitueretur, Canissium deditur: & nihilominus quod præpropere deditionem præfectus fecerit, capite truncatus est,præcisa manu.

Sigismundus Battorius Transiluaniam iterum recuperare studens,profligatur à Michaele Walacho. Ac paulo post idem Michael, quod eam prouinciam sibi ac filio firmare cuperet, ac propterea clandestina cum Turcis & Tartaris consilia iniret; reuocatur ab Imperatore, & in eius locum mittitur Georgius Basta, qui Transiluaniam in fide Imperatoris retinuit. Quæ hoc & sequenti anno peracta fuerunt. Demumque Sigismundus interuentione Clementis Pontificis receptus in gratiam ab Imperatore,Pragam se recipiens, ibi tandem mortuus est apoplexia an. 1613.

ROMÆ 29. Aprilis *S. Raimundus Pennafortius* Aragonensis e Dominicano Ordine, solemni ritu à Clemente PP. refertur in SS. numerum.

Ostendum vrbem Flandriæ maritimã ab Ordinibus Batauicis detentam Albertus Archidux obsidet ineunte Iulio; nec nisi post triennium magnis laboribus atque etiam detrimentis capit, quod obsessis commeatus & auxilia tuto mitterentur continuo. Canissium item in finibus Styriæ & Hungariæ Ferdinandus Archidux obsidet mense Augusti, auxilijs adiutus Summi Pontificis & Principum Italorum: sed post multas molestias, ac mortem plurimorum, re infecta recedit impedimentis & tormentis relictis. At vero Dux Mercurius Albam regalem in Hungaria occupat mense Sept. & mox aduenientem numerosum Turcarum exercitum ad eam recuperandam, semel atque iterum parua militum manu profligat.

Carolus Dux Sudermanniæ patruus Sigismundi Regis Poloniæ & Sueciæ,quem iam vidimus ab eo defecisse;à Statibus Regni Suecici, perfidus à perfidis, & hæreticus ab hæreticis,in Regem eligitur. In Liuoniam quoque mouet; sed nullo operæpretio: quin potius Poloni eum magnis cladibus afficiunt, Wolmerum vrbem occupant, Carolique filium nothum capiunt.

Legati Regis Persarum,qui anno superiori Imperatorem in Germania conuenerant,Romam nunc mense Aprilis aduenium,in Hispaniam postea transituri; vt Principes Christianos ad bellum in Turcas accenderent, sui Regis omnem spondentes operam.

Nascitur in Hispania Regis primogenita *Anna Mariæ Mauritia* 22. Septemb. Et in Gallia Delphinus *Ludouicus* 27. eiusdem mensis: cuius recens nati dexteræ Henricus pater gladij capulum inseruit, precatus vt ad Dei gloriam firmata ætate vteretur. quod ea vel nondum firmata prosperrime hactenus conspeximus in comprimendis internis rebellionibus,& externis motibus compescendis processisse. Eũ de sacro fonte postea leuauit Paulus V. Summus Pontifex ministerio Francisci Cardinalis Ioieusij, Legati à latere specialiter ad hoc constituti. Par autem istud Infantium regiorum sacro matrimonij vinculo feliciter vnitum, suo tempore visuri sumus.

In Anglia Comes Essexius,quo duce in Hibernia cum Tironio Comite & Hispanis feliciter debellatum fuerat anno superiori, iam coniurationis reus factus Londini capite plectitur mense Martij.

Insignis quidam impostor Sebastianum Lusitaniæ Regem (*vid. an.* 1578.) tanta arte se finxit, vt & quibusdam Principibus imposuerit, & Lusitanorum animos maximopere excitauerit: qui postmodũ detectus,& ad triremes Neapoli applicatus, perit demum in Hispania.

DVM Ostendæ obsidio protrahitur ingenti partium contentione, Mauritius Grauiam mense Sept. deditione accipit. 1602.

Post discessum Ducis Mercurij ab Hungaria (qui dum in Galliam redit nouum delectum habiturus, moritur Norimbergæ mense Februar.) Turcæ Albam regalem vi & arte interim dum de induciis tractatur expugnatam, iterum recipiunt mense Augusti; magna accolarum & præsidiariorum strage, amissis tamen & decem Turcarum millibus. Christianus exercitus vicem repensurus, Budam tentat; sed Festum tantum oppositum oppidum capit, atque Adon propugnaculum.

In Gallia renouatur fœdus cum Heluetiis. Et Carolus Gontaldus Dux Bironius Par & Marescallus Franciæ, cuius eximia rei militaris peritia ac fortitudine Rex diutius feliciter vsus fuerat in hostes,iam detecta ipsius (hominis inquietissimi,& arrogantissimi) in Regem & Regnum coniuratione,capite plectitur vltimo Iulii.

Rex quoque Henricus Edictum promulgat in duella', quibus magnus nobilium numerus damnabili honoris prætextu ob res plerumque leuissimas his temporibus in Gallia periit. Quæ rursum seuerioribus edictis prohibenda fuit obstinata consuetudo an. 1609. ab eodem Henrico Rege. Et quod nec his cessaretur, Ludouicus Iustus eius filius iterum iterumq; in eam sanciens, & lege in præuaricatores agens; tandem ita pernicioſum illum abusum sustulit, vt nec ferme nomen eius amplius audiatur.

MARIA Caroli V. Imperatoris filia, Philippi II. Regis Hispaniæ soror, Maximiliani II. Imperatoris coniux, Ru- 1603.

dolphi

dolphi II. & Matthiæ Imperatorum mater, ac multiplici alia sobole felicissima, pietate vero & bonis moribus ditissima; annis grandæua, moritur in Hispania mense Martio.

Eodemque ferme tempore Elisabetha Angliæ Regina, longe diuersa, sicut vixerat vita, ita & morte moritur 4. Aprilis, ætatis an. 70. regiminis 45. cuius egregias dotes infausta hæresis & Catholicorum atrox infectatio fœdarunt. Successit ei tam iure sanguinis, (quippe Margaritæ pronepos, quæ Henrici VIII. Regis soror maior fuit) quam ex testamento Elisabethæ, Iacobus eius nominis Scotiæ VI. Angliæ I. Rex; qui se Regem Maioris Britanniæ indigitauit, quod totam Insulam ditione complectatur; quæ vix vmquam hactenus vnicum dominum passa esset. Parentes habuit Catholicos, matrem etiam martyrem: vt plane mirum videri possit, elegisse ipsum, postquam semel lac Catholicum suxisset, & hæresim sectari, & Catholicos insectari. Confestim vero vt in Angliam è Scotia accessit, sæua pestis totam in Angliam inuasit magna hominum mortalitate. Et in eum, ac vniuersam eius progeniem detecta est coniuratio: cuius auctores, viri illustres, partim supplicio affecti, partim perpetuis carceribus damnati fuere.

Ad finem vero anno vergente à Ministris Anglicanis celebratum est eiusdem Regis auctoritate *Londini* Conuenticulum; quod in annum sequentem protractum est: cuius editi sunt 141. canones de doctrina & disciplina: eorumque omnium primo confirmatus Regis primatus etiam in rebus Ecclesiasticis, vt Capitis Ecclesiæ Anglicanæ. Aliorum non pauci Puritanis eiusdē Anglię & Scotiæ, ac Caluinianis Galliæ adeo aduersantur; vt plane effrontes esse oporteat, qui vnitatem doctrinæ iis esse comminiscuntur.

In Gallia quoque *Vapinci* in Delphinatu, aliud celebratur mense Octobri Ministrorum Caluinianorum Conuenticulum, præside *Daniele Chamerio* Ministro Montilensi, quo inter alia egregii scilicet Theologi statuerunt, Baptismum infantium à Proponentibus collatum, (ita vocant Ministerii candidatos, qui in procinctu sunt adipiscendæ manuum impositionis) nullius esse valoris, ac proinde iterandum esse ab ipsissimis Ministris, secundum alterius anterioris ipsorum Synodi Pictauiensis decisionem. Quod vero iidem belluli homuncuii eadem Vapincensi Synagoga satanica, suę Confessioni nouum articulum inseruerunt, Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum: tam illi profecto Christum norunt quam Antichristum; & vtroque deflendi magis quam irridendi. Ceterum quod & alio Rupellensi Conuenticulo an. 1607. etiam illi saperdæ eamdem crambem recoquerent; irritatus eorum effronti impudentia Henricus Rex Christianissimus, seuerissime prohibuit nequid eiusmodi suis scriptis impurissimi homines garrire auderēt. Prędictum vero Chamerium Vapincensem præsidem, *Gaulterus in Chronologia* facit *Metaphoristarum* nouorum hæreticorum auctorem, aut certe acrem defensorem: quorum impios errores ipse recenset. Addam autem hic ego; fuisse quidem illum hominem eloquio satis facundum, nec litteris indoctū; sed ambitiosissimum æque ac seditiosissimum, qui numquā non turbas ciuit vbicumque adesse contigit, bellum continuo ac cædes intonando; donec an. 1621. in ciuitate Montalbana, dum quadam die post iniuriosissimam in Regem Ludouicum, qui eam ob rebellionem obsidione cingebat, inuectiuam concione publica habitam, iisdem furiis ad vrbis muros & propugnacula deferretur, vt & milites ibi ad custodiam existentes in scelesta rebellione firmare; in ipso muro, ictu subito ac fortuito tormenti ænei è castris emisso fœtidissimam animam iras & flammas spirantem prius exhalauit, quam se pinguissimi abdominis corpore læsum sensit.

In Hungaria Christianus exercitus duce Colnitio Turcas prælio profligat mense Sept. & Hatuanum recipit.

Transiluaniam Moses quidam natione Hungarus secta Arianus Turcicis copiis cum occupasset, & à Gregorio Basta Imperatoris nomine eas prouincias regente profligatus fuisset; iterum Transiluanis Proceribus ad defectionem solicitatis exercitum reparans, rursum à Basta simul & Radulio Walachiæ regulo prostratus est, ac cū præcipua Transiluaniæ nobilitate occisus. Sicuti & à Rebellib. dux electus Betlemus Gabor hæreticus Caluinista, paulo post à Belgiosa subprefecto Transiluaniæ à Basta constituto profligatus est.

Scribianus Aliæ præfectus, cum Mahomethem Turcarum Imperatorem totum delitiis deditum cerneret, ex contemptu ipsius rebellat: vnde indignati Ianizari, in ministros Imperatoris magnam Constantinopoli excitant seditionem; quæ non potuit sedari nisi supplicio duorum Mahomethis cubiculariorum, in quos reiecta est culpa male administratæ Reipublicæ. Et Scribianus pacatus, præfectura Bosneæ donatur.

Ad finem vero anni, nempe 21. Decembris, ipse Mahomethes peste moritur Constātinopoli; cum paulo ante vxorem aquis, filium maiorem laqueo suffocasset, quod ex imprudenti coniugis quæsitione, annon ille filius in Imperio successor foret, sibi ab iis insidias parare suspicaretur. Imperauit ab obitu patris an. 9. minus dieb. 27. Successit autem minor filius *Achmethes* puer annorum 15.

In Belgio occumbit Fridericus Spinola Genuensis, maris illius præfectus, dum Batauos Ostenda prohibere conatur. Cuius audita nece Ambrosius eius frater in Belgium veniens, & Alberto Archiduci suam operam spondens, Ostendam arctius premit.

1604. Mavritivs in Belgio; dum obsidio Ostendæ adhuc producitur, Cassandam insulam, Isendicam, & Slusam in Flandria occupat. Inde vero Ostenda, post memorabilem, & ardentissimam 39. mensium obsidionem, (qua, in ipsa vrbe ad 75. fere hominum millia periisse traduntur; & in castris Hispanorum totidem, aut plura; nouis semper vtrisque succedentibus auxiliis: vnico mense quinquagies mille tormentorum ictus emissi:) ad deditionem demum cogitur à Spinola 21. Sept.

Albertus Archidux pacem constituit cum nouo Rege Angliæ. Cum quo pariter Philippus Rex Hispaniæ per Conetabilem Castellæ fœdus sancit, vt negotiationes vtrobiq; instituerentur, & Anglus Hollandos non adiuuaret, conditionibus Anglo quam Hispano honestioribus: sed tanti fuit finitimos Principes habere pacatos.

Petrum in Hungaria ante biennium à Christianis captum, ac deinde egregie defensum; nunc à præsidiariis vano metu territis desertum, in Turcarum redit potestatem. Rex vero Persarum Babylonem & Ægyptum inuadit, Turcas fundit; & Taurim Persarum olim regiam cum finitimis vrbibus recipit.

Carolo Sueco, iam antea contra Sigismundum legitimū Regem Regi electo, Sueci Regnum plenarie, eiusque hæredibus masculis confirmant.

E Gallia in Canadam, quę *Noua Francia* dici solet, colonia traducitur Montio duce.

Hamptoncuriæ in Anglia, ipso Rege præsente ac præsidente, habetur Collatio inter ministros Anglicanos qui nuper Conuentum suorum celebrauerant Londini, & Puritanos: qua Puritanorum querelæ & oppositiones penitus reiectæ sunt; itidemque reprobati atque damnati.

Initio Octobris apparuit noua Stella in 17. gradu Sagittarij, quam multi in principio Venerem putarunt: sed motu & loco accuratius notato, è Cometarum genere esse deprehēderunt, etsi caudam non traheret. Paulatim vero minor facta est, donec disparuit.

1605. Clemens VIII. Pontifex, postquam 13. annis & 33. dieb. Ecclesiam sanctissime gubernasset, ex hac vita decessit 3. Martij. Et Cal. Aprilis electus est in eius locum *Alexander* Cardinalis titt. SS. Ioannis & Pauli, Mediceus siue Florentinus dictus, quod ex ea familia esset ac ciuitatis Archiepiscopus; qui nomen assumpsit Leonis ea nūcupatione Decimi, dictus tamen XI. (*vid. an.* 1513.) ille ipse qui Legatum agens in Gallia sub Clemente pacem conciliarat inter Reges Franc. & Hisp. qua hactenus gaudet Christianus orbis.

Sed illo mortem obeunte 27. eiusdem Aprilis; sufficitur 16. Maij *Camillus Burghesius* Romanus, Senis oriundus, ex Cardinale S. Chrysogoni, Paulvs V. nuncupatus; quem rerum agendarum magnus vsus, zelus honoris Dei & Ecclesiasticæ libertatis, singularis morum comitas, placida in omnes beneficentia, mores incorruptissimi, egregie commendabant: sub quo *& Fides, & Pax, & Honor, Pudorque prisćus,* (quod in sæculari quondam carmine canebat Lyricus) *& Virtus apparuit beata pleno copia cornu.* qui &

piis Ecclesiarum, aliisque magnificentissimis ædificiis & ornamentis, nomen sibi immortale comparauit.

Idem Paulus confestim de graui illa controuersia, quæ sub Clemente agitata fuerat de Gratię diuinæ Auxiliis & Libero Arbitrio, inter Religiosos S. Dominici & Soc. Iesv, ita sanxit, vt vtrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset sua in Scholis modeste tueri, sed sine damnatione alterius partis.

Cum Venetis vero sub eadem Pontificatus initia fuit lis ob leges ab iis latas, quibus in Ordinem Ecclesiasticum sibi potestatem arrogarent, ac fundos, prædiaque, & alia stabilia bona addici Ecclesiis vetarent. Cum moniti satisfacere renuerent, promulgatur in eos interdictum, & dum rursum illi nec in hoc Pontifici ab Ecclesiasticis obediri volunt, aliquot Religiosi Ordines è Veneta ditione discedere eligunt: inter quos fuere Patres Soc. Iesv; quos (licet re postea inter Pontificem & Venetos composita, interuentione Regis Christianissimi, & ministerio Francisci Cardinalis Ioieuij) numquam deinceps Veneti in suam ditionem admitti hactenus concesserunt; maiori sane (vt equidem autumo) Reipublicæ damno, quam Societatis. Hæc vero præcipue acta sunt anno sequenti.

Præsenti vero Henricus IV. Rex Christianissimus, iisdem Patribus in suum Regnum plenissime restitutis, etiam Pyramidem illam, quæ in eorum ignominiam fuerat ante Palatium Senatus erecta, deiici voluit: ingens à tanto Rege eorum innocentiæ & integritatis testimonium.

Fluctuant rursum mirum in modum res Transiluaniæ; cum seditiosis Hungaris ob non soluta stipendia imperium Bastæ detrectantibus, & Morauiam ac vicinas prouincias misere deuastantibus; Stephanus Botzkaius Hungarus hæreticus Zuinglianus aduersus Imperatorem rebellans, auxilio Turcarum magnam Transiluaniæ partem occupat, & Catholicos dire persequitur: cui & Achmetes Turcarum Imperator auream Coronam Ladislai olim Hungariæ Regis donat. Nihilominus Basta Heiduccos vtramque Danubij ripam accolentes, qui à Botzkaio stabant, vincit. Sed ij rursum cum Botzkaio Hungariam, Austriam, & Morauiam vastant. Sic que omnia turbari necesse fuit, cum perfidi hæretici malis artibus cœperunt illic dominari.

Strigonium à Turcis per deditionem recuperatur 5. Octobr. Sed alia parte in Asia Rex Persarum ingentes Turcarum strages repetito in Cigalam & Bassam Trapezuntinum prælio edit, capta etiam Adena.

Carolus qui se Regem Sueciæ dicebat, ad Rigam Liuoniæ à Polonis magna suorum cæde profligatur.

In Belgio Spinola tam per se, quam opera Comitis Bucquoii, aliquot oppida recipit. Mauritius velitationibus quibusdam tempus terit.

In Gallia detegitur mense Decembri proditio Merargi nobilis Prouincialis, qui Massiliam Hispanis tradere cogitauerat; & capite pœnas luit. Alius vero de causis Aruerniæ Comes & Antraguius perpetuo carceri iam mancipati fuerant.

Theodorus Beza Calipha Caluinistarum, tot Gallicanarum cladium quas attulit hæresis auctor existimatus, moritur Genuæ 23. Octob. ætat. an. 86. mense 4.

Dedit idem mensis tantam solis defectionem, vt in plerisque Galliæ locis die in noctem verso, rustici & mercenarii desertis operis fuga in domos festinarent, & multi mortales turbatas naturæ leges inclamarent.

In Moschouia Demetrius ille, de quo an. 1598. auxiliis instructus Polonorum duce Palatino Sendomirienſe, sublato de medio Borisio, Imperium Moschorum suscipit; & filiam Sendomirienſis in vxorem accipit.

In India Orientali Rex Serræleænæ, eiusque duo fratres ac quatuor liberi, baptizantur à P. Balthasare Barreira Soc. Iesv.

1606. Londini mense Martio quidã Percius nobilis Anglus, puluere tormentario sub æde vbi Comitia Regni futura erãt occultato, Iacobum Regem cum ceteris in aerem disiicere cogitauit: sed facinore ipso pene articulo detecto, Rex periculum euasit, reus pœnam subiit.

Idem Iacobus Rex Scotos in ritibus Religionis conformes Anglis facit, iisque Episcopos instar Anglorum præficit; resistentibus frustra Ministris Scoticis, quorum aliquos ob seditiones in exilium mittit, alios mulctat, Maluinum ceterorum coryphæum in carcerem coniicit.

Demetrius Moschouiæ Dux, quod Germano milite ad custodiam corporis vteretur, & Polonis maximopere faueret; à Moschis, hæc de contemptu gentis interpretantibus, mense Maii crudelissime trucidatur, & diu tractus in cineres redigitur; plurimique Poloni, qui nuper eius coniugem magna pompa deduxerant, eadem feritate in frusta concisi, canibus alitibusque obiecti. Quæsitus sceleri titulus, quod Demetrius se filium Basilidis mentitus fuisset, & consilia cum Pontifice ac Iesuitis iniisset de mutanda Moschouiticæ gentis religione. Conuentu habito Basilium Ioannidem, Suiskium dictum, creant Principem. Finxerunt nihilominus quidam Demetrium denuo cædem vitasse, & in Hungariam euasisse; vnde noua post modum orta bella.

Botzkaius potitus Transiluania, Walachia, & Moldauia, morbo tamen & rerum Turcicarum inclinatione commotus, (Bassa namq; Alepiensis rebellans, Tripoli & Damasco captis, & exercitibus in se missis profligatis, Syriæ dominum se cõstituit: initoq; cum Rege Persarum fœdere, sese ad maiora parabat:) pacem ab Imperatore quærit: quæ constituta est Viennæ Sept. mense, concessa ei ac liberis masculis Transiluania. Secuta etiam pax inter Imperatorem & Turcarum Regem in annos viginti.

In Polonia quidam è præcipua nobilitate, sed potissimum hæretici, Regem variis quæsitis prætextibus regno pellere conati sunt, nisi infamibus quibusdam articulis subscriberet. Ventum est ideirco ad arma: & perduellibus victis, ac benigne habitis, seditio quieuit. Quæ hoc & sequenti anno gesta sunt.

Moritur *Iustus Lipsius*, insignis vir literaturæ, Louanij 3 2. Martij.

Pavlvs Pontifex audito felici progressu Ecclesiæ S. Thomę in India Orientali ex relatione Archiepiscopi Goensis; (*vid. an.* 1599.) eum amplius promouere studens, in vrbe Cranganor Sedem Archiepiscopalem instituit. 1607.

Vt de pace in Belgio inter Archiducem & Status tractari possit, cogitur Archidux Statibus concedere, se cum illis ita acturum vt cum Republica libera, suique iuris & potestatis: eaque conditione iunt mense Aprilis induciæ octo mensium, in quibus de pace ageretur.

Celebratur ibidem in Belgio *Mechliniæ* mense Iulio *Synodus* pruuincialis sub Matthia Archiepiscopo, de disciplina Ecclesiastica: quæ sequenti anno confirmata est à Sede Apostolica.

Moritur Botzkaius in Transiluania ad principium anni, cum suspicione veneni; in obitu Transiluanos & Hungaros hortatus ad obsequium Imperatoris. Quare Hungari Coronam Hungaricam Imperatori referunt. Sed electus in Botzkaii locum absque Imperatoris assensu Sigismundus Ragotzius hæreticus Caluinianus, omnia rursum inuertit.

Exurgentes rursum in Polonia rebelles & Sectarij in Regem, iterum atque iterum magnis cladibus ab eo profligantur. Alius vero potentior rebellis atque hæreticus Carolus Suecus eiusdem Regis patruus, Regni Suecici coronam sibi perfide apponens, Liuoniam quoque exercitu vastat.

Donawerda ciuitas Imperialis in Sueuia hæresi infecta, ob male habitum Abbatem & sacerdotes in quadam processione, proscribitur ab Imperatore, & occupatur à Maximiliano Bauariæ Duce.

Cæsar Baronivs Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, & Annalivm Ecclesiasticorvm eximius scriptor, moritur vlt. Iunii: cuius Vitam habes in principio nostræ Epitomes. Reliquit tum Romæ inter viuos collegas suos, duo alia clarissima illius sacri Collegij lumina, Italum alterum *Robertum Bellarminum*, alterum Gallum *Iacobum Davy Perronium*, arctissima sibi & omnes inter se amicitia, sicut & vitæ ac doctrinæ meritis coniunctissimos; singulos tribus diuersis promotionibus à prudentissimo patrefamilias Clemente PP. VIII. in numerum Cardinalium, velut pretiosissimos adamantes cooptatos, qui suo fulgore splendentes satis suis virtutibus collegas magis illustrarent.

In Belgio totus hic fere annus, prorogatis subinde induciis, consultationibus ac negotiationibus de pace impensus 1608.

est;

est; interuenientibus etiam, ac rem maxime promouentibus Legatis Regum Galliæ & Britanniæ, aliorumq; Principum, ad hoc speciatim missis. Ad quam cum cetera satis facilia viderentur, de nauigatione tamen in Indiam, à qua Rex Hispaniæ Status abstinere maximopere cupiebat, conueniri non potuit.

Romæ à Pontifice Paulo V. duplex Legatio suscipitur: altera à Rege Congiad obsequium Sedis Apostolicæ deferendum: altera longe illustrior, ad idem tamen obsequium, à Rege Christianissimo Henrico IV. qua functus est Carolus Gonzaga Dux Niuernensis.

Idemq; Pontifex hoc ipso anno mense Maij *S. Franciscam* nobilem Romanam viduam, crebris miraculis illustrem, quæ ante 168. annos pie obierat, retulit in catalogum Sanctorum. Equitum Ordinem à Vincentio Duce Mantuæ in memoriam sacri Sanguinis Christi institutum approbauit. Ac per lectam iuramenti formulam, qua Iacobus Rex Maioris Britanniæ Catholicos Regni sui obstringere nitebatur, damnauit.

Idem vero Iacobus Rex nouam coloniam destinat in Virginiam citerioris Indiæ Insulam, ad aurum quod profert ea regio quærendum.

In Hungaria cum Heiducci turbas cientes rebellionem cogitarent; Matthias Archidux Rudolphi Imperatoris frater Posonij Comitiis celebratis eos compescit, inito nouo fœdere cum Austriis & Hungaris pro conseruatione illarum prouinciarum. Quæ cum in diminutionem auctoritatis Imperatoris ipse facta conquereretur, orta inde rixa inter fratres, & collectis vtrimque exercitibus; demum procurante maxime concordiam Summo Pontifice, Rudolphus Princeps pacificus Matthiæ Austria cessit & Hungaria; Boemiæ quoque eumdem successorem declarans, si ipse Imperator absque prole mascula decederet.

Philippus II. Hisp. Rex Philippum Dominicum Victoré filium natu maximum, necdum tamen trimulum, 13. Ianuarii Madriti Castellæ Regem solemni ritu renuntiat: iuraturque non alium heredem fore post patris obitum.

In Liuonia Carolus Rigæ obsidionem soluere cogitur à Polonis; vixque euadit incolumis, & aliquas vrbes amittit.

Sigismundo Ragotzio Transiluania cedente, Gabriel Battorius eam sibi vendicat; & neglecto Imperatoris dominio, Turcis se submittit: qui olim Catholicè à patruo educatus, ad hæresim postea defecit.

Moritur Carolus Dux Lotharingiæ mense Maio: Princeps pietate ac virtutibus & annis plenus: ac successorem habet Henricum filium natu maximum, qui hactenus pie & prudenter ditioni suæ præest.

Bassa Alepiensis, quem vidimus Achmeti rebellasse, tandem à Turcis fractus, & à suis desertus, ad gratiam Achmetis recurrit; eamque promissione militandi contra Persas obtinet.

1609. Cvm non posset conueniri inter partes de pace Belgii, Inducia tantum fiunt in 12. annos 14. Aprilis: quas & Rex Hispaniæ ratas habuit mense Iulio.

Excipitur Romæ à Paulo P. P. V. mense Augusti Legatio à Rege Persarum Xâ Abà, cultum illi & obsequium deferente. Quodque per Religiosos Augustinianos fidei semina in Persida iacta fuissent; idem Pontifex pro suo erga Infidelium conuersionem zelo, ad illam facilius exequendam, statuit vt in Religiosorum Ordinum Studiis essent Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ, ac Latinæ Linguarum professores.

Quando & Fridericus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis, egregius pietatis ac virtutū patrui S. Caroli imitator, locupletissima Bibliotheca instructa, Collegium etiā insignium virorum instituit, q. *Ambrosiana Bibliothecæ Collegium* nuncupari voluit, quo præclara ingenia excolantur ad Orbem Christianum suis scriptis illustrandum.

Moritur Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ: successorem accipiens filium Cosmum.

Rex Poloniæ cum Suecos & Moschos acerrimos pateretur aduersarios, vtrisque viriliter resistens, quinimmo & eosdem aggrediens; Carolum Suecum perduellem iam sæpius victū, hoc tursum anno, Mansfeldij licet nouis è Belgio auxiliis munitum, per Rodkievicium egregium ducem Lithuanum profligat, & quasdam arces occupat. Ipsemet vero in Moschouiam mouens, (quæ iam bellis intestinis affligebatur, quod multi Demetrium mentitum, de quo an. 1606. nuper reducem sequerentur contra Basilium Ioannidem) Smolenskum vrbem munitissimam obsidione cingit.

Moritur hoc anno *Iacobus Arminius* Belga, inter hæreticos Theologiam professus Lugduni Batauorum. Ex cuius doctrina, à Caluino ac Symmistis suis in multis aliena, ingentes inter ipsos ortæ sunt turbæ; ac præcipue de Prædestinatione: cum Arminii de illa sententiam vehementer impugnare incipiente Francisco Gomaro eiusdem & ipso Caluinianæ scholæ homine, indeque Worstio; (de quo postea) res à verbis & stylo ad arma & pugnas progressa est; Principibus etiam & Magistratibus in partes secedentibus, dum Catholicum nomen horrentes, malunt audire *Gomaristæ*, aut *Worstiam*, aut *Arminiam*: vt iam & *Cornartianos* & *Socinianos* taceam, aliasque eiusmodi hominum pestes, quæ easdem illas regiones inficiunt. Hæc nimirum est pietas, hęc concordia Sectariorum.

Henricvs IV. Francorum & Nauarræ Rex Christianissimus, dum altam à multis annis prudentia suaac vigilantia toto Regno pacem conseruasset; ac nuper quibusdam motus secretis rationibus florentissimum, & omnibus rebus ad magnam expeditionem instructissimum exercitum comparasset, quo metum cunctis Principibus iniecit, ignaris quo tandem tanti apparatus moles se verteret: in ipso ferme procinctu, postquam die 13. Mail Mariam coniugem solemnibus sacris inaugurationis ritibus ingenti pompa apud Sandionysium corona regia insignisset; dum postridie per vrbem Lutetiam, contemplaturus magnificentissimum apparatum quo Reginam de more vrbem regiam ingredientem excepturus esset, theda vectus obambularet; à perditissimo sicario, iam à multo tempore ei insidiante, intra ipsam thedam ictu cultri gemino, sinistro lateri ad regionem cordis illato, perimitur 14. Maii, anno ætatis 57. Regni 21. nondum absoluto. Inter meritissima à Senatu illata sicario supplicia, & hæc pœna addita est, vt nomen eius æternæ oblivionis maledictioni addiceretur; & vniuersæ familiæ iniunctum vt cognomen mutaret. Cor Regis ex ipsius olim decreto consignatum est Patribus Soc. Iesv deferendum ad Collegium Flexianum ab eo regie fundatum: corpus solemni pompa ad Regum Mausoleum Sandionysianum delatum. 1610.

Succedente autem in Regnum iure legitimo *Ludouico* Henrici Magni (hoc enim ei cognomentum ob præclarissima facinora communi totius Orbis consensu inditum est) filio natu maximo, qui necdum annum ætatis nonum impleverat; collata est Regni administratio Reginæ eius matri, donec ipse adolesceret: qui interim Octobri sequenti inauguratus est Rhemis, & sacro chrismate vnctus à Cardinale Ioieusio, qui & ipsum baptizauerat, & Reginam inauguraverat; dignissimus tantarum cæremoniarum Antistes. Diciturautem vulgo Rex eo nomine XIII. initio numeri sumpto à Ludouico Pio Rege & Imperatore filio Caroli Magni: cum tamen reuera dicendus sit XVI. quod qui prima Regum stirpe Merouingia tres *Clodouei* regnarunt, idem sint & *Ludouici*, siue *Hludouici*, aut *Hludouei* apud priscos auctores nuncupati.

Philippus Rex Hispaniæ à Xequo Mauritaniæ Rege suppetias rogatus aduersus fratrem suum Muleium Sidanum, per quem Regni participatione priuatus fuerat; accipit eius industria mense Nouembri Alarachiam firmissimum totius Africanæ oræ Oceanicæ propugnaculum, ad Columnas Herculeas ex opposito Gadium à Regibus Maroci olim exstructum, & tam Hispanis quam omnibus illac nauigantibus semper infestum. Quod quidem Xequus, corruptis auro quod à Philippo acceperat custodibus, in potestatem Hispanorum tradi curauit; tam in pignus fidei suæ erga Philippum, quam vt inde facilius rebus ipsius ab Hispanis prospiceretur.

Idem quoque Philippus Rex hoc eodem anno Mauros è tota Hispania expulit, gentem semper perfidam, & quæ nunc Mauros Africanos & Turcas in nouam Hispaniæ perniciem sollicitare dicebatur. Expulsio hoc anno cœpta, consequentibus etiam tenuit; expulsorumque numerata dicuntur capita ad nouies centena millia; è quibus

innu-

innumeri in Africam abiere; plurimi variis aliis locis dispersi fuere, non pauci commercio linguæ tecti, & mutatis sedibus ignoti mansere in Hispania.

Mortuo anni superioris mense Martio Ioanne Guillelmo Duce Iuliacensi absque prole, atque inde Electore Brandeburgico & Palatino Neoburgico, aliisque, ex connubiis cũ sororibus & agnatis defuncti Principis, successionis ius prętendentibus; Imperator iubens disceptationem apud se agi, interim Leopoldum Austriacum Episcopum Argentinensem miserat, qui suo & Imperij nomine Ducatum regeret. At vero hoc anno peractis conuentibus quorumdam Germaniæ Protestantium Principum Hałæ Sueuorum, & aliorum Catholicorum Herbipoli Franconiæ, colliguntur vtrimque exercitus ad bellum Iuliacense; cum qui successionem prætendebant, flocci pendentes mandatum Imperatoris, pleraque Ducatus oppida suæ potestatis fecissent: excepto tamen Iuliaco, quod detinebatur à ducibus Leopoldi. Verum & illud quóq; à Mauritio Nassouio Belgico iam bello soluto, & Anhaltino Principe ad finem Iulij obsessum; adueniente in eorum auxilium misso à Regina matre Marescallo Chatræo cum copiis Gallicis, deditione accipitur ad principium Septembris. Ac positis vtrimque armis, lis Iudicibus delegatis Coloniæ dirimenda committitur.

Romæ Cal. Nouembris Paulus PP. V. solemni celebritate in SS. numerum retulit *Carolum Borromæum* olim Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem; cuius vita, virtutes, ac miracula, toto Orbe celebrantur.

Interim dum Sigismundus Poloniæ Rex in Smolẽsko expugnando laborat, & alius Polonorum voluntariorum exercitus in oppugnanda Moschouiæ metropoli; præclaras insuper aliis locis Poloni contra Moschum reportant victorias, ca, to ipsomet Magno Duce Suiskio cum duobus eius fratribus. Nouogardia quoq; legatos ad Sigismundum mittit cum oblatione obsequii. Et Tartarorum Astracanensium Chamus ad eumdem accedit, subiectionis declarandæ causa. Ac pariter exeunte anno Demetrius impostor trucidatus est.

Persarum Rex ducta expeditione in prouinciam Babylonicam, Turcas vincit cæsis eorum 20. millibus. Turcæ vero alia parte classe incursant mare mediterraneum aduersus Melitenses & Florentinos.

Mortuo anno superiori (vt diximus) Iacobo Arminio, Ordines Batani, vt eius locum in Schola Leidensi suppleãt, litteris publicis *Conradum Worstium* è cathedra Steinfurtẽsi euocant. Atq; inde nouæ dissensiones oriuntur; dum quem secta Caluinianum pleriq; alij Caluiniani vt schismaticum & hæreticum infectarentur; & ne ab Ordinibus reciperetur, monitis, precibus, ac minis obstare conati essent quidam alij obstinatissime defenderunt, ipsique Ordines tutati sunt ac promouerunt. Hæc enim est concordia eorũ qui schismate se discindunt ab vnitate Ecclesiæ. Ceterum hoc Ordinum patrocinium Worstij adeo Rex Anglię molestę tulit, vt post eius scripta anno proximo 1611. igni adiudicata, etiam iidem Ordinibus grauiter minatus sit, se non modo illos apostatarum fautores per vniuersum terrarum orbem proclamaturum, verum etiam suũ cum illis fœdus immortalibus inimicitiis commutaturum. Quibus minis territi Ordines, Worstium inuitum inuiti Leida in aliam vrbem emisẽrũt: vbi rursum vt Apostolus cultus est, & ingentium turbarum ansam præstitit: de quibus postea. Porro aliquas eius priuatas in diuinas perfectiones impietates, è quamplurimis aliis collegit *Gaulterius in Chronol.*

1611. Exercitvs à Leopoldo in Bellũ Iuliacense anno superiori collectus, mense Februarii impressione subita vrbẽ minorem Pragæ occupat, & diripit. Iubente tamen Rudolpho Imperatore recedit. Adueniẽs vero Matthias Hũgariæ Rex cum numeroso exercitu in Boemorũ auxilium, ab iisdẽ Rex Boemię proclamatur; & assensum publicę trãquillitatis causa præbente Imperatore ipsius fratre, coronatur mense Maii.

Iu Transiluaniam Forgatzkius Hungariæ Palatinus (audita clade à Battorio acceptâ prope Cronstadium à Præfecto Radulensi) transiens, Claudiopolim, & alia oppida ad obedientiam Matthiæ Regis Hungariæ perducit: at subito mutatis rebus Forgatzkius à Battorio cæditur, & vix tandem per siluas incolumis euadit.

Smolenskum tandem expugnatur à Sigismundo Poloniæ Rege mense Iulij, post biennalem obsidionem; qua periisse dicuntur ducenta Moschorum millia. Et dum reliqua Moschouia intestinis dissensionibus agitatur, Sigismundus Poloniam repetit, reditum paraturus in proximum annum, vna cum filio Vladislao à Moschis in Magnum Ducem expetito.

Rex Daniæ indicit bellum Carolo Sueco mense Aprili; & Maio Colmariam expugnat. Cuius cladis dolore Carolus, etiamsi quædam Danis eripuisset, moritur Nouembri; perfidus inuasor alienæ hæreditatis. Nata contentione inter Proceres de successione, quidam Gustauum Caroli filium, alii Sigismundum Poloniæ Regem legitimum & naturalem dominum petunt: & tamen Gustauus coronatur.

Turcatum & Persarum Imperatores pacem inter se constituunt.

Detecta Parmæ in Italia nobilium quorumdam in Ducem, vxorem, ac filium conspiratione, sumitur de perduellibus supplicium.

Dum Gallia, Reginæ matris prudentia, supra omnem expectationem pace fruitur, discedit ex hac vita mense Nouẽbri Regis frater Dux Aurelianẽsis ætatis annorum quatuor, eximiæ puer indolis: qui in illa ætatula, dum morbo affligeretur, oculis continuo ad cœlum eleuatis, circumstantes pariter ad eius contemplationem hortabatur, felicesque illos prædicabat qui ibi habitarent. Antea vero ad principium Octobris obierat Carolus Dux Menius, multæ prudentiæ & religionis Princeps: cuius & ea præclara laus, quod nulla bellorum ciuilium aut temporum difficultate adduci potuerit, vt pateretur Regnum, cuius magnam partem in sua potestate tunc habebat, in minores portiones diuelli, aut ad exteros transire.

1612. Rvdolphvs II. Imperator, postquam Imperium tenuisset ab obitu Maximiliani patris an. 35. menses 3. moritur 20. Ianuarii Pragæ; vbi se diutius tenuit, bellicis curis, fœd & ciuilibus ob valetudinẽ impar. In cuius locum Electores Francofurti conuenientes 13. Iunii nominant *Matthiam* Rudolphi fratrem, Regem Hungariæ & Boemiæ; qui coronatur 24. eiusdem mensis: & aulam sedis Cæsareæ Praga Viennam Austriæ transfert.

Gallia & Hispania nouo fœdere iunguntur gemini coniugii; nempe Ludouici Regis Christianissimi cum Anna Maria Mauritia primogenita Philippi Regis Catholici, & Philippi Principis Hispaniarum cum Elisabetha sorore Christianissimi. Missi vtrimque Legati; & Ludi, iocique triumphales vbique peracti. Nuptiæ tamen dilatæ, ob immaturam partium ætatem. Et interim moritur in Gallia mense Octobri Carolus Comes Suessionensis Princeps regii sanguinis.

Celebratur *Parisiis* mense Martii *Concilium* prouinciale sub *Iacobo* Cardinale Perronio Archiepiscopo Senonense, (cui omnes septem eius suffraganei Episcopi interfuerunt) occasione cuiusdam libelli *De Eccles. & polit. potestate*, à quodam innominato, satis tamen superque cognito, nuper editi: qui ibi damnatus, ac proscriptus est. Sicuti & alia prouinciali *Synodo*, hoc eodem anno habita mense Maii *Aquis Sextiis* à *Paulo* Archiepiscopo Aquensi, idem Liber eadem censura reprobatus est. Quem & plenissime confutauit egregio volumine *De suprema Rom. Pontificis in Ecclesiam potestate*, Andreas *Duuallius* insignis Doctor Sorbonicus, & Regiorum in Theologia Professorum dignissimus Decanus.

In Angliam Fridericus Comes Palatinus futurus Imperii Elector aduenit mense Nouembri, ad coniugium filiæ Regis Maioris Britanniæ. Cuius Regis filius maior natu Henricus Princeps Walliæ exeunte anno inopina morte raptus est. Nuptię vero Palatini non nisi sequenti celebrantur mense Februarii.

Viget bellum inter Danos & Suecos, variis vtrimque cladibus. Et res Polonicæ non adeo prospere in Moschouia procedunt; tum ab hostibus, tum quod exercitus Moschouiticus confœderatus ob non soluta stipendia bellum detrectaret; qui in Poloniam perrexit ad illa expetenda.

Battorius in Transiluania Cronstadium expugnare contendens, misso Constantinopolim Andrea Gierzio auxilia

petit

petit à Turca. At Gietzius res proprias curans, propugnacula quædam Turcæ promittit, si sibi Principatum traderet. Quare Turca Mahomethi Bassæ id negotij dat, vt Battorio electo Gietzium introducat. Id vero Battorius animaduertens, auxilia quærit à Palatino Hungariæ, seque in Regis Matthiæ tutelam insinuat: expostulante quidem de his Turca apud Matthiam, sed ne bellum inferret impedito rebellione Arabum.

Ordines Batauici cum Achmethe Turcarum Imp. fœdus sanciunt Constantinopoli mense Iulij.

Iterum tentatur à Batauis infeliciter nauigatio ad Sinas per Borealem poli artici plagam, Roeslino duce: qui partim longa nocte, partim concreto glacie Oceano repulsus, post magnam suorum iacturam retro cedere coactus est.

Magus quidam in Mauritania paucis militibus ingentem Marroci Regis exercitum bis sternit, ac Regnum occupat. Sed Rex alium adeptus magum, primum illum eiicit: qui nihilominus artem suam instaurans iterum Regem pellit. Sic ludunt dæmones inter suos affectas, in perniciem infelicium animarum.

1613. Pax inter Reges Daniæ & Sueciæ constituitur: cum Danus à prospero victoriarum cursu, ingruente in exercitum suum peste, retraheretur.

Gabriel Battorius, qui vt Transiluaniam retineret, diu in vtramq; partem claudicauerat, Imperatoris & Turcarum; tandem à Bethlemo Gabor (de quo iam supra) & ipso hæretico Caluiniano, atq; etiam Schismatis Græcorum fautore, in eum rebellante, Turcarum ope profligatur; & à suis anno sequenti miserrime occiditur. Gabor autem nihil eius casu prudentior factus, eadem vestigia terens, vt Princeps Transiluaniæ constituatur, promittit & Turcis & Imperatori pacem & fidelitatem; atque interim sibi resistentes Turcicis auxiliis persequitur.

Turcæ quoq; pacem infideliter colentes in Hungaria, aliquot pagos incendunt, homines q; abducunt. Triremes autem Magni Ducis Hetruriæ excursione in Minorem Asiam facta, multa eis damna inferunt: & tam ab iis, quam ab Hispanicis, plures illorum triremes ac naues captæ, captiui facti, & Christiani ab eorum seruitute liberati.

Cosaci præcipuas penitioris Moschouiæ vrbes euertunt, & magnis thesauris potiuntur. Inde in Tartaros ducentes, eos ingentibus cladibus afficiunt. Atq; alij in Ponto Euxino 24. triremes Turcicas in quodam portu incendunt. Sed & Tartari audientes Poloniam à seditiosis militibus vastari, & ipsi in Podoliam irruentes, multa damna inferunt.

Mortuo in Italia Francisco Duce Mantuæ absq; virili stirpe; eius successionem Ferdinandus frater & Cardinalis adeptus, pileo renuntiat: qui & postea dispensatione Pontificia, cum non esset sacerdos, vxorem duxit. Viuitque hactenus, placide ditionem suam gubernans; post gestum aliquot annis auxilio Hispanico bellum cum Carolo Emmanuele Duce Sabaudiæ, occasione veteris rixæ de Marchionatu Monferratensi, & recentis dissensionis ob viduam Francisci Ducis quæ filia erat Caroli, & dotes nescio quas tam antiquiorum quam recentiorum matrimoniorum: quarum rursum controuersia, dum hæc scribimus, redintegrari audirur, aucta Ducis Mantuani causa nouis nuptiis Ferdinandi II. Imperatoris cum illius sorore.

Rediit in Galliam à Brasilica expeditione Rasillius nobilis Gallus, relictis ibi ad barbarorum conuersionem duobus Patribus Capucinis, & abductis in Galliam sex eius oræ incolis, qui Christianam fidem sunt amplexi. Hoeque item anno consignatur exitus expeditionis Canadēsis, ab aliquot viris nobilibus & mercatoribus ante biennium in Nouam illam Franciā repetitæ. Vbi dum aliquot Religiosi Soc. Iesv signis & virtutibus dant operam conuertendis illis populis, Angli è Virginia in Canadam excurrentes, & naues Francorum imparatas diripiunt, & ædes extructas incendunt.

In Gallia Tilenus & Molinus Prædicantes Caluinistæ, hæreticorum more tractantes quæ non sua sunt, nec ipsi intelligunt, de recondita Incarnati Verbi vnione hypostatica, Naturarum distinctione, proprietatibus, & officiis, pugnas edunt: quas nec Rex Maioris Britanniæ suis litteris nec ceteri Ministri suis monitionibus consistorialibus componere valuerunt.

In Polonia confœderato Moschouitico militi tandem fit satis, numeratis quinque millionibus. Horum pars Smolenskum contendit; & hac æstate tres contrariorū Moschorum exercitus profligat: alij Neudam munitionem intercipiunt. Cumq; de damnis illatis a Cosacis Turca apud Regem Poloniæ expostularet; Cosaci fugam simulantes, cum Thraciam ad conspectum vsque Constantinopolis populati fuissent, Nagaiensium Tartarorum regionem diripiunt; Bithyniam ac Palphagoniam vastant, Trapezuntem Cappadociæ cū portu & 27. triremibus, atq; nobili armamentario euertunt; Sinopem Ponti incendunt; ingenti præda potiuntur. 1614.

Nouæ dissensiones oriuntur in Germania occasione Ducatus Iuliacensis; inter Duces Brandeburgensem Protestantem, & Neuburgensem iam Catholicum; qui ducta in vxorem anno superiori filia Ducis Bauariæ, 25. Maij huius anni Lutheranam hæresim setio abiurauit. Ordines Hollandiæ sibi Iuliacum defendendum suscipiunt, & copias ac commeatum eo mittunt: & Albertus Archidux similiter exercitum colligit. Cui cum executio mandata esset proscriptionis vrbis Aquisgrani, ab Imperatore factæ ob tumultus in Catholicos excitatos; is ductu Spinolæ vrbem occupat, & alia loca; alia q; item ex altera parte Mauritius Ordinum ductor; sed absque Inducarum Belgicarum lesione. Res vero Aquisgranenses tandem compositæ sunt an. 1616, per alios Imperatoris commissarios, & seditionis auctores supplicio affecti.

Quo eodem tempore exorta inter ciues seditione Francofurti ad Mœnum, Senatores pristini exturbantur; sed iidē postea iussu Imperatoris restituuntur, seditionis auctoribus castigatis, hominibus (vt plerumque fit in eiusmodi tumultibus) vilium artium opificibus: Indeq; isque pariter restitutis, qui pulsi fuerant bonis eorum direptis.

Gallia, quæ hactenus à nece Henrici Magni arma continuerat, nunc demum nouos tumultus patitur; Principibus aliquot atque Proceribus secessionem facientibus, prætextu nimiæ auctoritatis Concini Florentini in ceterorum præiudicium. Sed collectis vtrimq; exercitibus, concordia quædam initur; verum nec firma, nec diuturna. Interim Rex cum Regina matre ad sedandos alios tumultus, Pictauos tendit, & Nanneres: ac post reditum, cum iam attigisset annum ætatis 14. sedens in Parlamento Parisiensi die 2. Octobr. suscepit in se administrationem Regni, quam mater hactenus exercuerat. Mox Trium Ordinum Comitia ibidem habita ad auferendas belli occasiones, & res Regni constituēdas: quibus ex parte Cleri interfuerunt quinque Cardinales, septem Archiepiscopi, & 47. Episcopi, præter plurimos alios in dignitate Ecclesiastica constituros. Inter alia ibi tractata, ingesta est à Plebeij Ordinis hominibus propositio de auctoritate Summi Pontificis in Reges: sed quod ea nouas dissensiones generare potuisset, nunime ab Ecclesiasticis & Nobilibus admissa, à sanctiori Regis Concilio penitus sopita est. Ceterum Cōmitia posteriores huius anni menses, & sequentis priores occuparunt; sed nullo fere effectu.

Persecutionem dire vrget in Christianos Iaponenses Rex Cubo Paganus, Anglorum præcipue & Batauorum artibus; qui vt negotiationis faciliorem sibi viam aliis nationibus exclusis aperiant, mentiūtur Regi, omnia in Iaponia à Christianis agi vt Lusitanis & Hispanis aditus dominandi patefiat.

Ad hunc vsq; annum perduxit *Iacobus Gaulterius* Annonēsis Gallus Soc. Iesv suam *Tabulam Chronographicam Status Ecclesiæ Catholicæ*: qua scitissime per continuam & numquam interruptam doctrinæ ac personarum successionem, rerumque præcipuarum toto Orbe gestarum narrationem, hæreses impugnat, & Catholicam veritatem confirmat.

Romam deferuntur mense Ianuario litteræ à Gabriele Gangrensi in Paphlagonia Episcopo, quibus agnoscit Primatum Romani Pontificis. Ineunte vero Octobri Eques Vandomius filius naturalis Henrici Magni, nomine Regis Ludouici Iusti solitum Pontifici defert obsequium. Exeunte autem eodem mense excepti ibidem è Iaponia Legati missi ab Idate in Iaponia Rege Voxu, ad agnoscendum Romanum Pontificem, & obsequium ei deferendum. 1615.

Vltima Ianuarij mortuo Claudio Aquauiua Societatis Iesv Generali Præposito, sequente Nouembri facta est Generalis Patrum Congregatio; cui interfuerunt Mexicani,

Peruani,

Peruani, Malabarici, & ex Goana India, & Regno Sinensi: electusque est in demortui locum *Matthæus Vitellescus* ex nobili familia Romana, omnium dignissimus iure merito à tantis Patribus æstimatus.

In Gallia post solata Comitia iterum venitur ad arma, secedentibus rursum Principibus. Nihilominus Rex iter ingressus ad excipiendam sponsam Annam filiam Regis Hispaniæ, & deducendam sororem Elisabetham ad Philippum Principem; Septembri mense Burdegalam aduenit. Eodem die eademque hora ex condicto Dux Lermæus Regis Ludouici mandato Burgis in Hispania cum Anna, Dux Guisius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elisabetha, publice in Ecclesia connubiales cæremonias ministerio sacrorum Antistitum adimplerunt. Inde Guisius Elisabetham ad limites Regni ducens, consignauit Hispanis; & acceptam ab iis Annam (quam Rex ipse Philippus eius parens vnice sibi dilectam ad ipsos etiã Regni limites comitatus fuerat) Burdegalam ad Regem deduxit.

Moritur ad finem Martij Parisiis Regina *Margarita Valesia*: in qua *Valesiorum* stirps regia penitus extincta est; quæ in Henrico Tertio regnare desierat an. 1589. cum in Philippo Valesio cœpisset an. 1328. Moritur & mense Augusti Auenione *Franciscus* Cardinalis *Ioiosius* sacri Collegij Decanus & Regni Galliæ protector, pluribus summi momenti rerum tractationibus pro Ecclesia & Republica Christiana egregie functus.

Mense vero Iulij in Generali Conuentu Cleri Gallicani Parisiis habito, omnium vnanimi consensu Concilium Oecumenicum Tridentinum recipitur; omnesque se illud, quãtum in eis esset, suis functionibus obseruaturos promittunt, & iurant: satagente hæc imprimis ingenti fidei ac disciplinæ zelo, *Francisco* Cardinale *Rupifocaldo*, natalibus, pietate, doctrina, omnique virtutum genere, etiam supra dignitatem conspicuo.

Pax constituitur inter Regem Hispaniæ, qui Ducis Mantuani de contẽtione Montisferrati partes susceperat; & Ducem Sabaudiæ, qui spretis vanis illius formidabilis potentiæ terriculamentis, non solum se ab eius immensis exercitibus viriliter defenderat; sed & multis illatis cladibus demonstrauerat, non verbis ac multitudine bella geri, sed animi fortitudine & rei militaris peritia.

Legatio à Turcarum Imperatore Achmete ad Matthiam Romanorum Imperatorem Viennam aduenit mense Maio, & pacem ad viginti annos instaurat: quæ sequenti anno confirmatur, & typis mandatur.

Dum Rex Poloniæ rebus Moschouiticis & Suecicis detinetur, facta à Chamo Tartarorum Tauricanorum irruptione in Russiam, qua multa hominum & pecorum millia abducta sunt; Russici duo strenui duces Visnouecius & Korecius, coactis 15. millibus equitum Daciam inuadunt; Tamsam eius Regulum, quod Tartaris ad eam excursionem incentor extitisset, acie profligant, & fugientem occidunt; ac victores regiam ingressi, Michailonem Daciæ præficiunt ditioni: peractis his omnibus ad finem huius anni. Quo eodem tempore alia ex parte Cosaci Nogaiensi & Crimensi Tartarorum prouincus horrendam intulerunt vastitatem.

Cum vero & Moschouia diutino bello à Suecis & Polonis misere vastata fuisset, Moschi Ducem sibi eligũt Michaelem Fedrovitzium, quamuis iam antea acceptassent Vladislaum filium Sigismundi Regis Poloniæ. Agiturque per Imperatoris legatos de rebus cum Polonis componendis; sed irrito conatu. Quare Chodkeuicius Polonicarum copiarum ductor, Moschorum legiones Smolensko submouit, euersis munitionibus ad eius obsidionem paratis.

1616. COMPONITVR iterum in Gallia discordia Principum; & Rege mense Maio Lutetiam redeunte cum Reginis matre & coniuge, Princeps etiam Condæus ac reliqui omnes confœderati ad eum accedunt. Sed nouis rursum ortis suspicionibus, idem Condæus Cal. Sept. retinetur in palatio regio, & postea mittitur in custodiam in arcem Bastillæ; è qua ad finem præteriti Iunij emissus in libertatem fuerat Carolus Comes Aruerniæ filius naturalis Caroli IX. quem ob alias conspirationis suspiciones Henricus Magnus ante 12. annos ei incluserat in perpetuam custodiam damnatum: cuius postea egregia virtute ac peritia Rex Ludouicus tam rebus bellicus quam politicis feliciter hactenus vsus est. Capto vero Condæo, qui ei antea adstiterant iterum secedunt; & Rex in eos bellum decernit.

Vscochis, populis Croatiæ partis ad Ferdinandum Archiducem Austriæ pertinentis, latrocinia & terra exercentibus & mari; Veneti, quorum ciuitatis commercium non parum incommodi inde patiebatur, de his questi apud Ferdinandum, cum malum non cessaret, eius ditionem manu armata inuadunt, varias clades inferunt; ac vicissim accipiunt à ducibus Ferdinandi animose eos excipientibus.

Bellum inter Regem Hispaniæ & Ducem Sabaudiæ iterum recrudescit in Italia, & acrius quam antea geritur, nescio Duce minis Hispanicis cedere. Cum tamen missus interea à Summo Pontifice Paulo V. Alexander Ludouisius tunc Archiepiscopus Bononiensis, postea Cardinalis, nunc Papa Gregorius XV. & à Rege Christianissimo Ludouico Iusto Philippus Bethunius variis insignibus Legationibus conspicuus; nihil prudentiæ ac solertiæ omitterent, quo res inter Ducem & Gubernatorem Mediolanensem amice componerent.

In Transiluania dissidium exoritur inter Bethlemum Gabor & Humanoium, quod Bethlemus Waradinum Turcis tradere vellet in mercedem suæ ab ijs protectionis, qui Lippam & multa alia loca Transiluaniæ & Hungariæ eorum potestati subdidit.

Turcæ passim terra marique cæduntur: mari Mediterraneo ab Hispanis, separatim, & Florentinis ac Melitensibus vnitim: palude Mæotide ac vicinis locis à Cosacis: Asia à Persis, vbi 40. eorum millia peste ac ferro occubuerunt.

Ordines Batauici Flissingam & alias quasdam arces olim Elisabethæ Reginæ Angliæ ad auxilia ab ea obtinenda traditas, iam vt restituantur à Iacobo Rege numerata certa pecunia impetrant.

Hoc anno definit *Iacobi Gordoni* Scoti Soc. IESV insigne *Opus Chronologicum*; quo concinna breuitate res toto Orbe gestas ex optimis quibusque omnium gentium auctoribus digessit.

1617. IN Gallia Rex Principes ac Proceres confœderatos qui ab eo secesserant proscribit, & armis persequitur. Sed cum hinc Comes Aruerniæ cum parte copiarum regiarum, post quædam eorum loca capta, Suessiones obsidione cingeret; inde Dux Guisius cum aliis item regiis copiis, multis munitis locis vi occupatis, impigre ad alia pergeret: interim Rex frequentibus multorum in Concinum Florentinum Marescallum Franciæ (cuius summam potentiam confœderatis prætextui fuisse dissidiorum diximus) criminationibus suasus, iussit illum in regia detineri cum de more illuc accederet: qui tamen non captus, sed quod dum capiendus esset resistere velle videretur, occisus est in ipso regiæ aditu à satellitibus regiis 24. Aprilis. Cuius necem, etsi non iussam, cum tamen Rex approbasset; Reginamque matrem (cuius fauore potentia Concini subsistere dicebatur, quod Concini vxor esset collactanea Reginę, ac proinde ipsi carissima) tantisper dum omnia pacarentur Blesas secedere rogasset: continuo Principes confœderati ad ipsum accurrunt, veniã sumptorum absque regia licentia armorum deprecantes. Corpus Concini post sepulturam à vili plebecula exhumatum, fœde laceratum ac combustum est: coniux diuersorum & ipsa criminum accusata, Senatus decreto capite plexa; corpus igne crematũ. Sicque vniuersum Regnum tranquillitatem recepit: detento tamen adhuc Principe Condæo in custodia ad saltum Vicennarum.

Post quæ Rex seriam Regni administrationem gesturus, inter alia præclara quæ hoc eodem anno dixit, fecit, & constituit; 25. Iunii in sanctiori Consilio decreuit, & mense Sept. edicto publico sanxit, vt omnibus & singulis locis prouinciæ Bearnensis hæresis contagione admodum infectæ, cultus Religionis Catholicæ libere exerceretur, & bona Ecclesiasticis ante quinquaginta ferme annos erepta omnino restituerentur. Mense Augusti Cardinali Rupifocaldo, Duci Niuernensi, aliisque insignibus pietate & auctoritate viris curam commisit subuentionis Terræ Sanctæ; ad quam toto regno pecunias colligi iussit in restaurationem & ornamentum sacrorum locorum. Ac denique Decembri Romagi magnũ Conuentum habuit præcipuorum ex Tribus Regni

Ordi-

Ordinibus virorum, ad consultandum de optima Regni administratione.

In Italia dum bellum protrahitur inter Hispanos & Ducem Sabaudiæ, Gubernator Mediolanensis 25. Iulij Vercellas deditione capit vrbem ditionis Ducis; post arctam duorum mensium obsidionem, & magnam Hispanorum stragem. Dux auctus copiis Gallicis, aliquot oppida in ditione Mediolanensi expugnat, ac diripit; variis locis hostes magno numero profligat, cæditque.

Venetis quoque & Archiducalibus mutuis sese cladibus terra marique, ac præcipue apud Gradiscam in Styria quam Veneti obsidebant, (sed fere magis ipsi obsessi) multis damnis & incommodis afficiunt. Cum & alia parte Dux Ossunæ Prorex Neapolitanus in mari Hadriatico classem instruens, ingentes iisdem Venetis turbas concitarit; damna intulerit, acceperitque.

Interea vero Ferdinandus Archidux adoptatus ab Imperatore Matthia in filium, & suorum Statuum successorem, de cõsensu Maximiliani & Alberti fratrum Imperatoris qui liberis carebant; (erat autem Ferdinandus ipsorum patruelis; videlicet filius natu maximus Caroli Archiducis, fratris Maximiliani II. Imp. cuius illi erant filii;) hoc anno in Comitiis Boemicis, præsentibus iisdem Matthia Imp. & Maximiliano eius germano, & rem promouentibus, eligitur Rex successor Boemiæ; ea tamen lege, vt administrationi quandiu Matthias Imperator & Rex viueret non se immisceret, nisi de consensu Imperatoris & Ordinum Regni: & coronatur 29. Iunii die festo SS. Petri & Pauli Apostolorum. Post quæ iidem Matthias, Maximilianus, & Ferdinandus, visitaturi Ioannem Georgium Electorem Saxoniæ, Dresdam accedentes, honorificentissime ab eo excepti sunt.

Reges Daniæ & Sueciæ in Regnorum limitibus conuenientes, fœdus defensiuum ineunt aduersus Regem Poloniæ legitimum Sueciæ dominum; hæretici in Catholicum. Idêque postea Sueeus etiam cum electo aduersus filium Regis Poloniæ, schismatico Moschouiæ Duce, pacem componit. Denique Sueci Liuoniam inuadentes, post aliquot loca occupata à Polonis cæduntur.

Turcæ circa Agriam excursiones facientes, ab Heiduccis profligantur. Alia vero parte continuis deprædationibus Cosaccorum irritati, assumptis Tartaris in Poloniam irruentes, magnas prædas agunt. Mari Mediterraneo 19. naues quæ tributum ex Ægypto Constantinopolim vehebant, tempestate submersas amittunt.

Mensis vero Nouembris die 15. moritur Achmetes eorundem Turcarum Imperator, postquam regnasset an. 14. minus 36. diebus. Cuius filius Osmanes, quod nondum attigisset annum ætatis 12. & Magnus Vizir abesset in expeditione Persica; *Mustaphe* Achmetis fratri, qui eatenus reclusus quadam cella vixerat orationibus vacans, Imperii administratio iussu morientis Achmetis delata est. Sed crudeliter in quoscumque agens, nec alioqui ingenio tantæ ducendæ moli potẽs, iterum post duos circiter menses qua sponte qua coacte pristinum cellæ suæ incolatum repetit: & *Osmanes* sequenti Ianuario in thronum euectus est.

Barcinone & reliqua Catalaunia mense Sept. immensa accidit inundatio ex continua atque violentissima multorũ dierum pluuia: qua multa hominum millia perierunt, aliquot oppida ac plurimi pagi absorpti sunt. Incendio etiam totum pene Tangermundum veteris Marchiæ oppidum cõsumptum est; & Isenacum in Thuringia magna parte deletum mense Augusti.

Elector Saxoniæ, aliique Lutherani in Germania, vanum Iubileum celebrant mense Nouembri; quod centesimus hic esset annus à Lutheri apostasia: cusaque numismata aurea & argentea, cum inscriptione *Seculum Lutheranum* 1617. Cum antea mense Iunio Paulus V. Pontifex sacrum Iubileum per vniuersum Christianum orbem promulgasset, ad implorandam diuinam misericordiam pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

1618. AD principium huius anni pax confirmatur inter Ferdinandum Regem Boemiæ, & Rempublicam Venetam. Et postquam Petrus Toletanus Gubernator Mediolanensis distulit quantumcunque potuit restitutionem Vercellarum Duci Sabaudiæ; demum tamen vrgente apud Regem Hispaniæ Rege Francorum, & minas intẽtante ni staretur promissis, quorum ipse se vadem ac fideiussorem constituerat, mense Iunii reddita est ciuitas Duci: & cæteris omnibus vtrimque restitutis, tranquillitatem Italia recepit.

Idem Ferdinandus, Rex etiam Hungariæ, sollicitante Matthia Imperatore, coronatur ineunte Iulio in Comitiis Posonienſibus, iisdem conditionibus quibus fuerat antea Rex Boemiæ declaratus.

Venetiis mense Maij, ex quadam suspicione coniurationis in vrbem à Duce Ossunæ Prorege Neapolitano, qui Rẽpublicam hactenus non parum suis excursionibus maritimis turbauerat; multi tam Hispani quam etiam Galli supplicio affecti sunt.

Eodem mense Maii Pragæ in Boemia Comitiis habitis à Statibus hæreticis; prætextu conseruationis suæ religionis, armis inuasi Consiliarii & Magistratus Imperatoris, per fenestras arcis altas 40. cubitis præcipites dantur (qui tamen magno miraculo incolumes permanserunt:) hæc maxime operante Comite Turrensi, qui ciues Pragẽses Directoribus Regni mox institutis iuramento obstrinxit; Patres Soc. Iesv vrbe eiecit; vicinas prouincias Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ, ad eamdem defectionem solicitauit; & exercitum colligere cœpit. Quibus auditis Imperator, postquam litteris admonitionibus nihil apud rebelles profecit, exercitum in Boemiam immisit: & varia inita sunt prælia, capta vtrimque oppida, prædæ actæ; Comitibus Bucquoio & Dampiero impigre rem pro Imperatore agentibus; Mansfeldio notho & Turrensi pro Statibus, longe quidem numero militum vndiq; ad eos aduenientium superioribus, sed tamen plerumque pugna inferioribus.

Dissidia Religionis, quoad articulum de Prædestinatione, apud Ordines Batauicos ab aliquot annis inchoata, (*vid. an.* 1609. & 1610) adeo subinde aucta sunt, vt etiam in factiones politicas, & diuisiones ciuitatum atque prouinciarũ, & delectus militum processerint. Vnde Mauritius (iam Princeps Aurantius morte Philippi fratris, qui decessit mense Februarij huius anni) in gratiam Regis Angliæ, & Ordinum Generaliũ nomine, pro antiquiori satagens opinione, ne & forte ab Arminianis dominatione excuteretur; Traiecto vna ex præcipuis ciuitatibus Arminianis arte & armis occupata, alias continet promissione nationalis Synodi, quam Rex Angliæ in causa illius controuersiæ celebrandam suaserat. At paulo post idem Mauritius præcipuos earumdem ciuitatum Hagam vocatos; prætextu mutationis Religionis ac Reipublicæ ab iis intentatæ, in carcerem coniicit; atque inter eos Ioannem Barneueldium Hollandiæ Aduocatum iam ætate prouectum, cuius prudentia & consilio Ordines pleraque sua gesserant (cui à multo tempore infensus Mauritius fuisse dicebatur, quod non in omnibus ipsi assentiretur:) deinde vero manu armata Hollandiam & Westfrisiam prouincias Arminianas percurrens, Magistratus vbique mutauit, præsidia constituit, præcipuos Arminianos prædicantes expulit.

In Rhætia quoque (siue apud Grisones) turbæ excitantur; dum quidam specie auertendæ nonnullorum tyrannidis, qui statum Democraticum abrogatum vellent in fauorem Hispanorum, (quibuscum conuentio quędam transacta fuerat anno superiori Curiæ, in communem vtilitatem Mediolanensium & Grisonum, quam isti proditionis nomine appellabant:) maiorem ipsi sibi in populum suspicacem auctoritatem vsurpant: armatoque populo in patriæ perniciem ac religionis Catholicæ; multos supplicio plectunt, & inter alios Archipresbyterum Sundrensem crudelissima tortura necant, atque Episcopum Curiensem perpetuo exilio damnant: cum tamen conuentibus aliquot habitis contestati fuerint, nullam se vim religioni illatam cupere.

In eorumdem Grisonum montana regione 4. Sept. terræmotu facto, mons quidam imminens oppido Plurauio sub crepusculum vespertinum oppidum momento obruit cum omnibus incolis, tanta clade vt ne vestigium vllum conspiciendum reliquerit.

Ingenti inito prælio inter Turcas & Persas prope vrbem Ardeuillensem, Turcarum ad 60. millia, Persarum nouem perierunt: & tamen quamuis videretur Persa vicisse, obtulit nihilominus pacem Turcæ; qui eam libenter acceptauit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In Gallia Palatium Senatus Parisiensis 7. Martij fortuito incendio fere consumptum est. Mense Aprili Rex Patres Soc. IESV, semotis omnibus quibuscumque & quorumcumque oppositionibus, plenissime restitutos sancit ad Lectiones publicas ibidem Parisiis faciendas. Ac postea à Summo Pontifice impetrat, vt festum S. Ludouici Regis celebretur de præcepto per vniuersam Galliam 25. Augusti.

Mense Nouembri *Mauritius* Princeps Cardinalis Sabaudiæ, missus à patre Duce in Galliam tum ad gratias Regi agendas de rerum suarum cura adeo feliciter ab eo susceptа, tum ad tractationem matrimonii Christinæ sororis Regis cum Principe Victore Amedeo filio Ducis natu maximo: honorificentissime Parisiis susceptus est, ac summæ prudentiæ & pietatis laude legatione sua ex optatis functus.

Quo eodem tempore aduenit pariter Lutetiam legatus ab Osmane nouo Turcarum Imperatore, ad confirmationem amicitiæ, & excusationem iniuriæ Legato Regio Constantinopoli sub iniqua Mustaphæ administratione illatæ; cui abunde Osmanes satisfecit.

Denique mense Decembri eodem peruenit Comes Furstemburgius, legatus ab Imperatore Ferdinando ad petenda auxilia aduersus Boemos, Palatinum, & alios Regnorum suorum vsurpatores.

Obiit Ioannes Bembus Dux Venetiarum: & qui in eius locum electus fuit Nicolaus Donatus iam ferme nonagenarius, vix mensem superfuit. Subrogatus est mense Maii, qui tunc in exercitu absens erat, *Antonius Priolus*, vnus ex Procuratoribus S. Marci: qui adhuc Rempublicam administrat.

Obiit item Maximilianus Archidux Austriæ ineunte Nouembri; cum Iulio Cardinalem Clesselium, qui hactenus cuncta domus Austriacæ negotia summa industria administrauerat, improuiso ob quasdam suspiciones Viennæ captum ad Tirolensem regionem abduci curasset, re Pontifici subito significata.

Itemque 5. Septembris ex hac vita decessit Lutetiæ *Iacobus Davy* Cardinalis *Perronius*, Gallicanæ, quinimmo & Romanæ atque adeo totius Catholicæ Ecclesiæ decus ingens & ornamentum; hæreticorum malleus, doctus & eloquens ad miraculum: quem si amplius laudare voluero, fucos faciam, cum maior sit omni laude.

Mense Nouembri apparuit Cometes prolixa admodum cauda formidabilis: de quo multi scripserunt. Quid autem portenderit, tempora demonstrarunt, demonstrabuntque: cum non nisi ex euentibus de his iudicetur.

1619. BELLVM Boemicum protrahitur vario Marte; aliquibus nonnumquam interpositis induciis, & colloquiis de pace: quæ tamen frustra sunt, cum non iam Status de religione sua asserenda, sed de familia Austriaca omnino expellenda agerent, ac de Catholica religione opprimenda. Quare & Imperator Ernestum Comitem Mansfeldium ob Pilsnam Boemiæ ab eo occupatam, aliaque in Imperium commissa, proscribit edicto publico 19. Februarij.

Sequentis vero Martij die 20. idem Matthias Imperator obiit anno ætatis 62. expleto, Imperij 6. mense 9. Post cuius obitum Ferdinandus eius patruelis, electus iam antea Rex Hungariæ & Boemiæ, earum sicuti & reliquarum prouinciarum hereditariarum possessionem, Alberto Archiduce Matthiæ fratre concedente, adipiscitur: (*vid. sup. an.* 1617.) ac paternis monitionibus rebelles ad mentem reuocare satagit. Sed iam hæreticis Austriacis, Hungaricis, Morauicis, Silesiis, atque Lusaticis firmiori fœdere cum Boemis qua vi qua sponte vnitis; crescit vbique rebellio: & Turrensis ac Mansfeldius circumquaque cum magnis copiis excurrentes, omnia cædibus, rapinis, incendiis vastant; Catholicos, ac præcipue Ecclesiasticos, maximeque Religiosos Soc. IESV calumniis ac criminationibus onustos vndique pellunt; & Cardinalem Dietrichsteinium Olmucensem Episcopum misere exagitant, spoliant, & custodia detinent. Post quæ mensibus Aprilis & Maii peracta, Turrensis ineunte Iunio Viennam spe motuum ab hæreticis suscitandorum exercitum ducit: sed tam à Ferdinando repulsus, quam à Statibus (post ingentem cladem Mansfeldii, quam interim à Bucquoio & Dampiero ad Nadlitiam Boemiæ acerrimo inito prælio accepit) celeriter reuocatus, relicta Vienna in Boemiam festinat; vbi Bucquoius post victoriam multa oppida Statibus eripuit: & tam ipse quam Dampierus diuisis copiis multa damna rebellibus intulerunt; haud tamen aliquando inulte. Et hæc ita processerunt vsque ad finem Augusti.

Cum interea conuenientibus Electoribus Francofurtum ad nouum Imperatorem eligendum, tribus Ecclesiasticis, Moguntino, Treuerensi, Colonensi; cum legatis trium sæcularium, Saxonici, Palatini, Brandeburgensis, ac Ferdinando Rege Boemiæ: 28. Augusti electus est in Imperatorem idem *Ferdinandus* eo nomine II. & 9. Sept. vnctus ac coronatus.

Alia vero parte eodem tempore Status Boemiæ, præsentibus Moraviæ, Silesiæ, & Lusatiæ prouinciarum vnitarum legatis, decernunt eumdem Ferdinandum Regno Boemiæ ac prouinciarum vnitarum omnino abdicandum, & numquam admittendum: Regnumque, iam antea Electori Saxonico, & Duci Bauariæ oblatum, sed ab iis recusatum, deferunt Friderico Electori Palatino; missis legatis qui eum in Boemiam accerserent.

Quo eodem tempore Gabriel Bethlemius Transiluaniæ Princeps, (dictus vulgo patrio idiomate Bethlem Gabor) Turcæ cliens ac vasallus, communicatis per litteras & nuntios cum Boemis consiliis, Hungariæ dominationi inhians, cum ingenti exercitu eam ingreditur; & Cassouiam, Filecum, Posonium, aliasque plurimas ciuitates vi aut deditione recipit; Catholicos, ac præcipue Ecclesiasticos, diriissime tractat; & Principis Hungariæ titulum accipit, habens in potestate Coronam Hungaricam, quæ Posonii religiosissime asseruari consueuit.

Decimoquarto vero Nouembris Palatinus coronatus est Pragæ; & triduo post Elisabetha eius coniux, filia Regis Angliæ: quam ambitione tituli Reginæ maxime impulisse tradunt Palatinum, valde de hac electione anxium, ad eam acceptandam. Ac paulo post habitis conuentibus Principum Protestantium Norimbergæ, & Catholicorum Wirsburgi; vtrobique actum est de modis res suas prouehendi, & religionem quam profitebantur conseruandi.

Dordraci in Belgio mense Ianuarij magnus Conuentus habetur Ministrorum ex Belgio, Germania, Anglia aliisque locis, contra Arminianos; præsente etiam Principe Mauritio & aliis proceribus: quo ad principium licet Maij continuato, nulla tamen certa facta est controuersiæ de Prædestinatione definitio; Ministris inter se diuisis, & Arminianis oppositiones suas formantibus. Illud sane secutũ, quod Barneueldius tum damnatus sit vt auctor seditionum Arminianorum, & 13. Maij capite truncatus Hagę ætatis anno 73. quem vt martyrem Arminiani colere cœperunt.

In Gallia, mense Februarij celebratæ sunt nuptiæ Parisiis Christinæ sororis Regis cum Victore Amedio filio natu maximo Ducis Sabaudiæ. Eodem mense Tolosæ Italus quidam nomine Luciolus deprehensus atheismum docere, præcisa lingua viuus combustus est.

Eodem item Februario Regina mater Regis pertæsa diutinæ commorationis Blesensis, (quam ipsa honoratum carcerem interpretabatur) ope Ducis Espernonij, inscio Rege, inde deducitur Engolismam. Iratus Rex in Espernonium, exercitum colligit: sed multis interea vltro citroque missis nuntiis & litteris, tandem Septemb. mense concordia renouatur, & Rex Turonis matrem visitat: indeque ipsa Andegauim petit, ipsi à Rege concessam; Rex Carnutum concedit, ad reddendas Deo ac Beatissimæ Virgini (cuius ibi antiquissima Imago, & templum augustissimum frequẽtissimo populorum concursu visitatur) gratias dẽ felici rerum successu: ac deinde Condæum Principem ex diuturna custodia saltus Vicennarum pristinæ libertati restituit; & magna omnium lætitia ad se venientem excepit apud Cantiliacum 20. Octobris.

In Hispania Rex Philippus Philippum filium in Lusitaniam deduxit vna cum Elisabetha Franciæ eius sponsa; atq; ibi in eorum verba iurari fecit à Lusitanis mense Iulii.

Nouus Equestris *Ordo de sacra Militia Christiana*, sub protectione Beatissimæ Virginis, S. Michaelis, & S. Francisci, instituitur mense Martio Viennæ in Austria aduersus Infideles; præcipuo auctore Carolo Gonzaga Duce Niuer-

nensi

nensi: cui multi Principes ac Proceres Germani, Itali, Galli, Poloni, nomen dederunt: fuitque mox à Romano Pontifice Paulo V. confirmatus.

1620. MENSE Ianuario initur noua confœderatio inter Palatinum, Gaborem, Boemos, Hungaros, Transiluanos, Austriacos, ceteraſque prouincias rebelles, ſolicitato etiam in conſortium Turcarum Imperatore. Februario autem Imperator Ferdinandus Edicto publico electionem & coronationem Palatini irritam oſtendit, & declarat: atque Aprili aliis publicis litteris tum monet illum ab ea deſiſtere, tum omnes ei adhærentes ab eo recedere. Electores quoque, atque Principes Imperij tam Catholici quam etiam è Proteſtantibus qui ab Imperatore ſtabant, Conuentu habito Mulhuſij in Turingia, eumdem Palatinum ceteroſque ſuis monitionibus conantur ad pœnitentiam reducere: & quod fruſtra omnia fierent, fœdus & ipſi ineunt aduerſus eorum perfidiam. Boemi vero eodem Aprili filium Palatini ſexennem declarant Regem ſucceſſorem patris. Nec interea ceſſabatur ab armis: ſed copiis vtrimque & vndique creſcentibus, variæ fiebant excurſiones, deprædationes, pugnæ, cædes, & occupationes locorum: miſſis in auxilium Imperatoris à Regibus Hiſpaniæ & Poloniæ, militum, à Pontifice Paulo pecuniarum ſubſidiis.

Rex vero Chriſtianiſſimus, poſt acceptam legationem quam diximus ab Imperatore, ſatius iudicans de conciliatione agere quam diſſidia auxiliaribus copiis adaugere; celebrem miſit in Germaniam menſe Maio legationem Ducis Engoliſmenſis, cum Berthunio multis aliis grauiſſimis legationibus proſpere geſtis conſpicuo, & Aubeſpineo è præcipuis ſanctioris Concilij miniſtris; qui nomine ſuo, quantũ poſſent, tum obſtarent ne reliqui Principes & Status Imperij (quod timebatur) arma in ſe mutuo conuerterent in euidentem perniciem vniuerſæ Germaniæ, tum inſiſterent vt diſſidentes in concordiam reducerentur. Qui primo in Conuentu Vlmenſi Principum & ciuitatum Proteſtantium correſpondentium (ſic enim vocabantur qui Boemis fauebant) celebrato menſe Iunij, id præſtiterunt, vt 3. Iulij inter Maximilianum Bauariæ Ducem, ducemque electum copiarum Catholicarum, & Ioachimum Erneſtum Marchionem Anſpachii, ducem copiarum Proteſtantium, qui inſtructiſſimos exercitus in conſpectu habebant; conueniretur, nequi eorum alios Principes aut Status aggrederẽtur cuiuſuis Religionis, quam in Boemia ac prouinciis vnitis vbi bellum eatenus viguiſſet. Indeque Viennam ad Imperatorem accedentes, honorificentiſſime ab eo excepti ſunt 20. Iulii. Deinde etiam Gaborem conuenerunt; ſed irrito pene conatu.

Poſt prædicta vero Vlmæ peracta, Bauarus in Auſtriam cum exercitu procedens, Status eius prouinciæ Proteſtantes cogit renuntiare fœderi Boemorum, & ad obedientiam Imperatoris redire. Eodemque ferme tempore Elector Saxonicus, cui Imperator executionem proſcriptionis Boemiæ commiſit, Luſatiæ prouinciam occupat. Et Spinola cum exercitu collecto ex Belgis & Italis iuſſu Regis Hiſpaniæ in Palatinatum Inferiorem ingreſſus; multas vrbes capit. At in Hungaria Gabor in quodam ſuorum conuentu (abſentibus tamen, præter Eccleſiaſticos omnes, præcipuis Regni Proceribus; nonnullis etiam ciuitatibus quarum aderant legatis aperte contradicentibus) Rex Hungariæ proclamatus, Auſtriam incurſat, & auxilia Palatino mittit. Et Dampierus, dum Poſonium tentat, occiditur. Quando Bauarus copias ex Auſtria in Boemiam ducens, iunctus Bucquoio ductori exercitus Imperatoris; ambo Pragam verſus procedentes, adverſante ſemper à latere Palatino: demum 8. die Nouembris in celebritate Octauæ Omnium Sanctorum, quæ & tum erat Dominica 22. poſt Pentecoſten, qua recitatur in Officio diuino Euangelium *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*: iidem Catholici duces (hortante maxime P. Dominico Hiſpano Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, & certam victoriã diuinitus promittente; viro inſigni pietate, & miraculorum fama conſpicuo) memorabili prælio Palatinũ fuderũt prope ipſam Pragam, eodem ipſo loco quo Status Boemici anno præteriro, accerſito ad Regnum eidem Palatino obuiarant. Fugiens Palatinus Pragam, accepta vxore cum liberis in Sileſiam conceſſit. Duces Catholici Pragam poſtridie triumphantes ingreſſi ſunt: & vniuerſa ferme Boemia eueſtigio ad obſequium Imperatoris rediit. Captiq; multi ſunt exprælipuis motuum illorum auctoribus; qui poſtea iuſſu Imperatoris variis ſuppliciis affecti ſunt. Et hæc quidem ibi.

Interea in Walachia & Moldauia certatur à Turcis & Tartaris Præcopenſibus aduerſus Gratianum Wainodam & Polonos; cum accuſatus apud Turcam Gratianus de conſpiratione cum Polonis, necato Campagio quem Oſmanes Turcarum Imperator ad ipſum occidendum miſerat, aperte deficiens à Turca Polonos in auxilium vocaſſet. Bino itaque inito prælio, priori Turcæ inferiores, poſteriori ſuperiores fuere; quo Gratianus extinctus eſt cũ ducibus Polonis & maxima nobilium multitudine. His vero excitatus Oſmanes, cum iam ei pax eſſet cum Perſa, electo cum ignominia legato Polono ex aula ſua, bellum Polonis denuntiat; qui ſe ad defenſionem ingentibus animis & viribus parant.

Dum vero Rex Poloniæ Sigiſmundus ad hæc Varſouiæ Comitia celebrat; 15. Nouembris in ipſo ingreſſu eccleſiæ, à quodam nobili Polono ſecuri bis caput & humerum percuſſus, ſummum incurrit vitæ periculum. Cura tamen eodem ipſo loco vulneribus adhibita, Rex egregio ſummæ pietatis exemplo noluit domũ regredi, quin prius ad quod venerat Sacrum audiſſet. Percuſſor nihil vnquam à Rege læſus, deteſtabili tamen malitia hoc ſolum dolens quod eum non occidiſſet, debitas luit ſceleris pœnas.

Hoc eodem anno in Valle tellina, ſita in confinibus Italiæ & Germaniæ, porrectaque in longum à lacu Comenſi ad Comitatum Tirolenſem, vnita Rhætis ſiue Griſonibus, Catholici conſiliis ſecreto inter ſe initis, ob preſſuras quas patiebantur ab hæreticis dominantibus, menſe Iulio omnes Caluiniſtas tam incolas quam exteros occidunt; & fauore Ducis Feriæ Gubernatoris Mediolani vniuerſam Vallem occupant: pulſis etiam poſtea Griſonibus, qui confeſtim accurrentes multis militum millibus eam recuperare conati ſunt. Inde vero Dux Feriæ aliquot præcipuis locis propugnacula ædificat, ſiue ad ſecuritatem Catholicorum, ſiue eo prætextu ad Vallis occupationem. Quod tam ipſi Griſones eorumq; confœderati Proteſtantes ægerrime ferentes, quã etiam è Catholicis Veneti, quod ſic videretur in ſeruitutem Italia redigi, clauſo Heluetiis & Germanis oſtio; tum alios ad vindicandam è manibus Hiſpanorum Vallem tellinam ſolicitare cœperunt; tum maxime Regem Frãcorum Ludouicum: qui propterea miſſa ad Regem Hiſpaniæ Legatione, promiſſionem accepit reſtitutionis, modo Catholicis Vallis cautum eſſet. Eaq; de re multa inita ſunt conſilia à Legatis vtriuſque Regis cum Heluetiis & Rhætis; eademque variis artibus ac difficultatibus interturbata.

Gallia quoq; ingentibus rurſum motibus agitatur menſe Iunio & ſequentibus; cum Luinei apud Regem auctoritatis occaſione, ſiue prætextu, aliiſque priuatis inter Principes inuidiis ac diſſidiis; quam plurimi Principes ac Proceres à Rege ſeceſſerunt ad Reginam eius matrem, ſpecie eam tuendi aduerſus inſidias maleuolorum. Sed præueniens Rex mira prudentia, celeritate, ac fortitudine, & fideli Condæi Principis conſilio atque obſequio, eorum conatus, antequã omnes copias in vnum collectas haberent; capta Cadomo vrbe Northmanniæ munitiſſima poſt aliquot dierum obſidionem, pleraſque alias ad ſpontaneam deditionem redegit; & ad Pontem Cæſaris prope Andegauos fuſis Reginæ copiis, adeo in arctum Principes conſtrinxit, vt coacti fuerint veniam petere: & 13. Auguſti accedentem ad ſe Briſſacum Reginam amabiliſſime excepit, & quodcumque voluit humaniſſime conceſſit. Inde confeſtim Rex in Aquitaniam pergens; cum nullis vmquam hortationibus atque iuſſionibus, obſtinatiſſima Miniſtrorum ac Magiſtratuum Bearnenſium corda flectere potuiſſet ad exequendũ ian. anno 1617. promulgatum edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum; illuc ipſemet cum modicis copiis pergens menſe Octobri, Venit, Vidit, Vicit: quippe attonitis hæreticis ad incogitatum eius aduentum, quem omnimodis artibus impedire conati fuerant; intra ſolos quinque dies rebus ita proſpexit, vt præſidia vbique mutarit, ac præfecturas armorum quibus duces hæretici Catholicos dura ſeruitute premebant extinxerit; templa Catholicis, bona Eccleſiaſticis, Eccleſiaſticos priſtinis honoribus reſtituerit; prouinciam antea liberi dominii iure gaudentem Coronæ Franciæ

adnexuerit, & Senatum nouis Consiliariis Catholicis auctum in Parlamentum exexerit. Hisque tot ac tantis pari fortitudine ac felicitate gestis, ad Reginas matrem & coniugem Lutetiam rediens, eo peruenit 7. Nouembris, quatuor omnino mensibus postquam inde ad componendos Principum motus exisset 7. Iulii: miro vbique applausu ab omnibus exceptus, præterquam à factiosis hæreticis, qui reductione Bearnij vehementissime afflicti modos interim meditantur, quibus incruentam hanc cladem euertione Regni compensent: magna tamen illorum parte, in officio se & obsequio Regis moderate continente. Ceteri vero, post multos priuatos ac prouinciales variis locis peractos conuentus, nationalem ex omnibus Galliarum prouinciis Rupellæ agentes; nec priuatis Regis monitionibus, nec publicis edictis ac proscriptionibus, ad illum dissoluendum induci vmquam passi sunt.

Turcarum classis mense Augusti mari Adriatico excursionem faciens in Apuliam, Manfredoniam vrbem celebrē capit, diripit, & multos vtriusque sexus captiuos abducit; magna Christianorum Principum siue Ducum iis oris infamia.

1621. Ferdinandvs Imperator 22. Ianuarij Palatinum ac Principes Imperii ei adhærentes, quod & cladibus licet attriti, & frequentibus monitionibus solicitati, nihilominus in rebellione obstinate perseuerarent, publicis edictis proscribit: cum iam ad finem anni superioris in Betlemum Gabor, ob inuasionem Hungariæ, traditionem aliquot eius propugnaculorum in manus Turcarum, & tituli regij vsurpationem; aliud diploma promulgasset, quo eius qualemcunque in Regem electionem irritam declarauerat.

Post quæ, Morauia per Bucquoium, Silesia per Saxonicum ad obedientiam Imperatoris reducuntur; & Hispani rursum multa loca in Palatinatu Inferiori occupant. Palatinus profugus, post longos circuitus, tandem peruenit cum vxore in Hollandiam, vbi à Statibus & Principe Aurantio benigne & honorifice excipitur. Principes ac Ciuitates Correspondentes vnionis Protestantium in Germania, dissoluto fœdere Imperatori reconciliantur; interuentione potissimum Ioannis Suiccardi Archiepiscopi Electoris Moguntini, qui ab ipso horum motuum Germanicorum ortu egregiam in omnibus nauauit operam Religioni & Reipublicæ.

Cum interea Boemiam nothus Mansfeldius rursum turbare tentans, à Barone Tillio ductore copiarum Ducis Bauariæ, & locis priuatur quæ adhuc ibi retineret; & ad finem Septembris quodam loco Superioris Palatinatus ita reciditur, vt quo liber euadat, promittere certis conditionibus coactus sit Imperatori obsequium: quod tamen inde elapsus perfide detrectat: & cuncta circumquaque latronis potius quam ducis personam gerens diripit, vndique profugus, & nullibi certam sedem figens, aut duces Imperatoris vel Bauari sustinens.

Gabor item in Hungaria aliquid mouet, sed parum promouet: & dum Turcarum & Tartarorum petita opperitur auxilia, abstinet interea à coronatione; ac Coronam regiam Posonio in tutiorem locum secum transfert; quæ tantæ est apud Hungaros æstimationis, vt qui eam possideat vti Rex habeatur. Multis nihilominus Proceribus & ciuitatibus ad aduentum Bucquoij cum exercitu Imperatoris, à Gabore recedentibus; Bucquoius insuper Posonium capit, ac multa alia loca: sed dum Newensolum obsidet, in quodam cum hostibus conflictu desertus à suis necatur 10. Iulij; magno rerum Imperatoris damno, ingenti Gaboris gaudio, qui iam propemodum eo statu erat vt tota Hungaria expelleretur: sed post Bucquoij necem, aliquot amissa loca recipit; à Posonii tamen obsidione magna clade repellitur. Ac denique conuentu Niclesburgi habito, tandem exeunte anno concordia aliqua initur inter Imperatorem & Gaborem, qua Gabor Coronam regiam restituere debeat, & Imperatoris nomine vrbes quas possideret regere.

Poloni rursum mense Ianuario à Turcis cladem accipiunt in Moldauia. Sed Martio aduenientes Ladislaus Princeps cum 50. millibus: atroci prælio eos vincit. Vnde Osmanes mirum in modum exacerbatus, iuuenili ardore, contra suorum omnium sententiam, Constantinopoli exiens Poloniam (vt iactabat) deglutiturus; cum numerosissimo & instructissimo exercitu 300. fere millium militum, præter immensam Tartarorum multitudinem, in Moldauiam venit; vbi Ladislaus limites Regni cum 60. millibus tam Polonorum quam Germanorum tutabatur, interim dum pater Sigismundus reliquum exercitum colligeret, qui futurus existimabatur amplius 200. millium equitum. Castris in conspectu positis, dum Osmanes frequentissimis insultibus Polonos aggreditur, simulque impedire conatur ne 60. millia Cosaccorum iungerentur Ladislao; vtrimque magnis cladibus repulsus est: vt desperans vlterius progredi, pacem obtulerit æquis conditionibus; quæ magno gaudio, velut diuinitus missa accepta est à Polonis, cum rebus omnibus consumptis vix iam haberent quo vel vnum diem sustinerent. Cæsa iis certaminibus ad duodecim millia Polonorum & Germanorum; multi alij morbis consumpti: è Turcis ad centum circiter milia cæsa, totidem aliis casibus extincta. Quæ toto mense Septembri & parte Octobris contigerunt.

Expirante hoc eodem anno, mense Aprilis, Induciarum Belgicarum constituto termino annorum duodecim; inuitatis frustra ab Archiducibus, prouinciarum vnitarum Statibus ad agnitionem legitimi illorum dominii, rursum venitur ad arma, & colliguntur vtrimque exercitus sed nullo operæpretio: nisi quod Spinola vrbē Iuliacum obsidet mense Septembri; quam demum deditione accipit ad principium sequentis Februarij, nequicquam Aurantino Principe ei succurrere conato.

In Gallia Rex Ludouicus, rebellium hæreticorum multis locis turbas cientium insolentissima arrogantia, & Conuentus Rupellani obstinatissimo Regię Maiestatis contemptu, ac nouæ Reipublicæ formæ constitutione, commotus; nullis non tentatis modis, quibus eos saltem ad pristinam quantumuis male securam obedientiæ speciem reduceret, tandem in eosdem rebelles mouens mense Iunio, vrbem Santonum munitissimam San-ioannem, post duram 20. circiter dierum obsidionem, in deditionem accipit; mœnia ac propugnacula diruit, & in vicum redigit, superbe antea clades iactantem apud eam olim à Catholicis acceptas. Inde Cleracum in Vasconia pari obsidione ad deditionem compellit. Et alias qua vi qua minis tam ipse, quam eius auspiciis Præfecti prouinciarum, ad 60. vrbes præsidiis hæreticorum munitas ad obedientiam redigunt, magna variis certaminibus rebellium strage. Montalbanum postea, omnium munitissimam ac fere amplissimam ipsorum vrbem, sero nimis Rex aggressus; superuenientibus morbis ac inundationibus hibernis, rem in tempus commodius differre cogitur, desiderato inter plurimos duces ac nobiles ea obsidione, Henrico Duce Menio Prorege Aquitaniæ, strenuissimo Principe, ictu sclopi. Ac post solutam obsidionem, dum Rex Monhurtum oppidum, quod recens rebellauerat, mense Decembri vi capit & incendit; Dux Luinius Franciæ Constabilis in ægritudinem incidens, moritur 15. eiusdem Decembris: quem Rex ad supremam illam dignitatem, ob eius virtutes, ac probe notum in se zelum euexerat, & magnis diuitiis locupletauerat.

Interea Parisiis media nocte post 24. Octobris, subito incendio perierunt duo pontes Aurificum & Auium, siue Cābii & Mercatoris dicti, cum omnibus suprapositis ædificiis; ingenti mercatorum damno. Quod quidem incendium multi negligentia cuiusdam ancillæ, alii malitia accidisse crediderunt hæreticorum, in vindictam combusti eorum templi Carentonii quadam nupera aliquorum ex infima plebe seditione. Ac paulo post Lugduni pars Palatii publici arsit.

In Anglia mense Aprili Parlamentum Londini habitum, auctoritatem sibi sumens in ministros Regios, Cancellarium carceri mancipat, & indignum eo honore declarat; alios quoque non infimæ notæ Proceres in vincula coniicit; nec sine quo in Regem ipsum murmure, occasione (vt multi crediderūt) tractatus matrimonii, qui agitabatur inter Principem Angliæ filium Regis & vnam è filiabus Regis Hispaniæ; siue alia quacumque de causa.

Rhęti, siue Grisones, dum variis, seu veris, seu fictis difficultatibus protrahitur restitutio in integrum

V-]

Vallis-tellinæ; moræ impatientes, menſe Sept. magno numero irrumpunt in eam: ſed ingenti ſuo damno: non ſolum quod accepta clade inde pulſi fuerint; verum maxime quod ea occaſione hinc Dux Feriæ, illinc Archidux Leopoldus in ipſam Rhætiam ingreſſi, eam occupauerint, coactis Rhetis manus dare. In quorum tamen gratiam ad finem anni inita eſt aliqua concordia, qua vtrique parti aliquo modo ſatisfactum, & Religioni proſpectum videretur.

In Africa Rex Maroci propugnaculum ab Hiſpanis ad fluvium Mamoram prope Alarachiam ante aliquot annos ædificatum, terra marique obſidens, magna ſtrage repellitur aduenientе in auxilium claſſe Hiſpanica: quæ etiam ad fretum Gaditanum 32. naues Batauicas bene inſtructas Venetiis redeuntes (elapſis iam induciis inter Hiſpanos & Batauos) aggreſſa, aliquot capit, alias ſubmergit aut fugat. Aliique Hiſpani ac Luſitani, auxilio Anglicarum nauium Batauos ex Inſulis Moluccis omnino repulerunt. Angli vero in portu Algeriæ aliquot naues incenderunt, & magna præda potiti ſunt.

Mortui ſunt præterea hoc anno magni aliquot Principes. Atque imprimis Paulus V. Pontifex 28. Ianuarij anno ætat. 69. ſedis 15. menſe 9. de cuius virtutibus breuiter dictum in eius creatione *an.* 1605. Eligitur 9. Februarij in eius locum *Alexander Ludouiſius* nobilis Bononienſis, ex Archiepiſcopo illius ciuitatis & Cardinale tit. S. Mariæ Tranſpontinæ, annum agens ætatis 67. variis antea magiſtratibus & legationibus pro Sede Apoſtolica feliciter functus; comis, beneficus, pius, & nulli non admodum gratus; qui nomen ſumpſit GREGORII XV.

Pauciſq; poſt diebus, eodem menſe Februarii obiit Coſmus Magnus Dux Etruriæ, diuturna inualitudine in iuuentute confectus: multis tamen liberis relictis; è quibus natu maximus Ferdinandus adhuc puer 10. circiter annorum ſucceſſit in patris ditionem, ſub tutela auiæ Lotharingicæ, matris Auſtriacæ, ac patrui Cardinalis Medicei.

Vltima die Martij exceſſit quoque ex hac vita Philippus III. Rex Hiſpaniarum, inſigni pietate ac morum ſuauitate Princeps, anno ætatis 43. regni 23. Poſt quem, Regni adminiſtrationem ſuſcepit maximus natu filius Philippus eo nomine Rex IV. annos natus 16. magni animi Princeps, & mirabilis ingenii, ac ſupra ætatem prudentiæ: qui confeſtim ingentes rebus curialibus mutationes intulit, exturbatione illorum qui patris facilitate abuſi ad multa fuerant, & euectione aliorum ad exturbatorum honores & dignitates. Inter alios vero Ducem Oſſunæ olim Proregem Siciliæ & poſtea Neapolis, turbulentiſſimi ingenii virum, & qui res Neapolitanas in magnum diſcrimen coniecerat, carceri mancipauit: & Rodericam Calderonium, ab infima quondam ſorte ad potentiſſimam ac faſtuoſiſſimam auctoritatem euectum, ſed à multo iam tempore plurimorum atrocium criminum reum conſtitutum, capite damnauit; feliciorem pia morte, quam odioſa vita.

Menſis Iulij die 13. moritur Albertus Archidux Dominus Belgii, magno ſui deſiderio Belgis relicto, tum ob eius pietatem ac manſuetudinem; tum maxime quod poſt eius obitū, quia nullos reliquit liberos, Belgium iterum redierit ſub dominium Regis Hiſpaniæ: remanente tamen eius Rectrice Iſabella Alberti coniuge, amita Regis Iunioris, & Ambroſio Spinola ſupremo duce armorum.

Denique 17. Septembris *Rob. Bellarminus* è Societ. IESV Cardinalis, filius ſororis Marcelli II. Summi Pontificis, piam vitam ſancto fine clauſit, fere octogenarius; eruditione & virtutibus Chriſtianis etiam ſupra famam ornatus, ac meritis numquam intermorituris plenus.

Menſis vero Nouembris die 15. Gregorius Pontifex proſpicere cupiens diſſidiis, quæ frequenter accidere conſueuerunt in electione Romani Pontificis; nouam edidit Conſtitutionem de forma, qua illa deinceps legitime fieri debeat.

1622. PRÆSENTI vero anno, quo iſta ſcribimus, idem Gregorius Pontifex ad maiorem Dei gloriam, lætitiam Paradiſi, bonum vniuerſæ Eccleſiæ, ſingulorum Fidelium vtilitatem, ritu ſolemni, vnaq; & eadem celebritate, 12. Martii feſto ſancti Gregorij Magni, retulit in numerum Sanctorum, *Iſidorum* agricolam Hiſpanum, qui vixit ante 450. & amplius annos; *Ignatium* Inſtitutorem Societatis IESV; *Franciſcum* ex eadem Societate Apoſtolum Indiarum; *Tereſiam* fundatricem Carmelitarum Diſcalceatorum; ac *Philippum* auctorem Congregationis Oratorii.

Deinde vero Decretum amplians, quod Paulus V. ipſius deceſſor de Conceptione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ promulgarat, quo omnino prohibuerat, nequi auderent in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: iam idem Gregorius die 24. Maii prædictum Pauli decretum extendit etiam ad priuata colloquia & ſcripta: *præcipiens ne etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quod eadem Beatiſſ. Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare.* atque inſuper, vt feſto Conceptionis, nulli omnino *in Officio diuino ac ſacroſancto Miſſæ ſacrificio celebrandis, tam publicis quam priuatim, alio quam Conceptionis nomine vti debeant.*

Faxit Deus, tam eiuſdem Beatiſſimę Virginis, quam etiam prædictorum quinq; Sanctorum, aliorumque omnium Cœlitum precibus & interceſſionibus, vt pax Eccleſiæ vbique reſtituatur; perennis vigeat concordia inter Principes Chriſtianos; hæreſes extirpentur; vitia reſecentur; Infideles conuertantur, rebelles conterantur; denique ſit GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS.

Præter quæ idem GREGORIVS XV. Summus Chriſtianorum Pontifex, conſtituta noua Congregatione *De Fide propaganda*, diligentiſſime inuigilat per multiplices virorum doctorum miſſiones, vt ea quem nomen promittit effectum ſortiatur: aliis quoque Eccleſiæ Catholicæ neceſſitatibus pie ac prudenter, quantum per hominum malitiam, ac temporum difficultates licet, proſpiciens ac prouidens: annum agens ætatis ferme 70. Sedis ſecundum.

FERDINANDVS II. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ & Boemiæ Rex, anno ab eius ortu 44. ab electione in Imperium tertio nondum expleto; in malleo & incude dilatatus, hoc anno (vt auditur) feliciter res Hungaricas compoſuit, recepta à Gabore Corona Regni quam ille abſtulerat. Cum & alia parte Palatinus, vbi è Belgio per Galliam, mediamque vrbem Lutetiam, incomitatus & ficto habitu, ad nothum Mansfeldium tranſijt; repetitis cladibus ita proſtratus eſt, vt parua ſit ei reliqua ſpes reſurgendi.

LVDOVICVS XIII. Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, cui IVSTI cognomen eximius cultus eius virtutis conciliauit; anno ætatis 21. Regni 13. ſudoribus bellicis reliquias rebellium hęreticorum, felicibus præliis, & vrbium expugnationibus ad debitam ſubiectionem reducere pergit: exterorum etiam motuum arbitrum agens; & ſplendens vbiq; coruſcis IVSTITIÆ ac FORTITVDINIS radiis.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus; ætatis anno 18. & Regni 2. Hiſpaniam per ſe virtute ac prudentia, reliqua Regna & ampliſſima Dominia per ſuos qua legibus qua armis potenter regit. Cuius tamen res in Rhetia haud adeo feliciter procedere dicuntur; quod Rhęti reſumptis animis, auxilio Heluetiorum Bernatium aliorumque fœderatorum Caluinianorum, iterum ſua recuperare aggreſſi, eo ſtatu ſint, vt Hiſpanica præſidia vix ſuſtinendo putentur.

ANTONIVS quoque PRIOLVS Princeps Senatus Veneti, & Dux Reipublicæ antiqua prudentia & potentia celeberrimæ, ac de libertate Italiæ continua nunc fere anxietate ſolicitæ; in armis modo eſſe dicitur, ob motus Rhæticos, & vicinorum expeditiones: maior ſeptuagenario, & rebus pace belloque præclare geſtis inſignis, quintum ingreſſus Principatus ſui annum.

Itemque CAROLVS EMMANVEL Dux Sabaudiæ, ætatis anno 61. Dominationis quadrageſimum ſecundum fere cenſus; arma parare nuntiatur, ob contentiones de quibus dictum ad an. 1613. Tantæ Princeps magnitudinis animi, vt duorum toto Orbe Chriſtiano potentiſſimorum Regum exercitus intrepide ſuſtinuerit, nulli turpiter ſuccubuerit, eum vtroque æquis conditionibus pepigerit.

IACOBVS VI. Scotiæ, I. Angliæ, vniuerſæ Maioris Britanniæ, & Hiberniæ, Orcadumque Inſularum, primus omnium ab omni certa rerum memoria Imperium ſolidum adeptus

in rebus generi sui Palatini, ac motibus Gallicis, ita hactenus se gerens vt quamuis religione iis vnitus, nec tamen vsurpationem Boemiæ approbauerit vnquam, nec rebellibus Galliæ eius importunè implorantibus auxilium aures præbeat. Annum ducit ætatis 57. Regni Britannici 20. Magnis Principibus æquandus, multisque præferendus; si egregias animi dotes, & literarum studium, ac prudentiam politicam spectes: sed quæ cultus hæresis Caluinianæ plane degrat. At iam mitior factus in Catholicos, quis nouit an præparetur, à Domino in Vas electionis, & restitutorem pietatis Catholicę in florentissima olim Sanctis Regibus Insula? O sanguis Mariæ martyris, an non tandem hoc tuo semine fœcundabis patriam quam semel irrigasti?

Denique de Rebus Turcicis auditur; mense Maio elapso Ianizeros seditione facta in Osmanem ipsorum Imperatorem, ob suspicionem nouæ militiæ (quod Ianizerorum iam effeminatior videatur) ab illo feruidissimo & magna moliente adolescente constituendæ; iterum in thronum euexisse *Mustapham* eius patruum, de quo dictum an. 1617. qui timens rursum deponi, Osmanem mox necauerit. Cum vero dicatur retusioris esse ingenij, ac procreandæ proli inhabilis; latissimum videtur apertum ostium ad rem Christianã promouendam: nisi nunc perfidi hæretici rebellionibus suis egregiam nauarent operam conseruando Imperio Turcico; & alioqui ipsi Principes Catholici plerumq; mallent de rebus nihili inter se digladiari, & vanis contentiunculis miserorum subditorum fortunas & vitam ludere; quam, modo concordes essent, facillimo negotio maxima Regna, & amplissimas prouincias inter se partiri, easdemque Regno Dei postliminio restituere. O Fides! ô Pietas! ô Zelus! Putatisne quando venerit Filius hominis, inuenturus sit aliquid vestri in terra? Veni igitur cito DOMINE, & noli tardare, priusquã pereat omnino de terra memoria Tui. Et interim insta Tu, ô Beatissima VIRGO, Mater Dei, & misericordiæ, cum omnibus SANCTIS, VT FIAT VOLVNTAS DEI, SICVT IN COELO, ET TERRA.

AMEN.

INDEX

IN AVCTARIVM.

ITA DISPOSITVS, VT QVÆ AD RÉGNORVM, ET POPVLORVM singulorum, ſucceſſiones, ac res geſtas pertineant, (puta Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Perſarum, &c.) ſub nomine illorum Regnorum, aut populorum, collocentur: itemque illa quæ notionem aliquam vniuerſalem (veluti Conciliorum, Hæreticorum, Ordinum, &c.) ſpectant; ſub iis nominibus comprehendantur: præterea alia, quæ perſonas aut res priuatas tangunt. Numerus vero additus, annum ſignificat, quo ea reperiantur.

A.

ABYSSINI. *Vide in Æthiopia.*
Academia Pariſienſis reſtituitur à S. Ludouico. 1232.
Salamantica inſtituitur. 1240
Louanienſis. 1427
Baſileenſis, & Friburgenſis. 1460
Tubingenſis. 1477
Accurſius Iureconſultus floret. 1240
Achilles Germanicus, Alb. Brandeburgicus. 1486
Acus marina inuentio ad nauigationem. 1302
Ægypti Sultanus Syriam occupat. 1291. *Profligatur à Tartaris* 1298. *Cadit Turcas.* 1486 1491. *Luſitanos in India exagitat, ſuo damno.* 1508 & 1509. *Profligatur à Turcis: & Imperium Mamelucorum extinguitur.* 1516. 1517.
Ægyptij errones. 1418
Æneas S. luius vir doctiſſimus. 1444. *Fit Pont. Pius. II.* 1458.
Æræ mentio aboletur in Hiſp. 1351
Æthiopiæ Regnum recuperatur ab Icum de familia Dauid. 1267. *Mittuntur Legati ad Concilium Ferrarienſe.* 1437. *Reges ſe à Salamone prognatos iactant.* 1487. *Luſitani eo penetrant.* 1484. 1487. 1494. *Iunguntur amicitia.* 1509. 1515. *Mittuntur Legati ad Rom. Pontificem:* 1524. *& curam habent de eius primatu.* 1557
Æthiopica lingua innoteſcit in Europa. 1555
Ætna mons Siciliæ ignem & cinereſeuomit. 1323. 1579
Africæ Regna Maroci, Feſſe, & alia, occupantur à Scirifo. 1514
Algeria rebellat Hiſpanis: 1516. *Occupatur à Barbaroſſa;* 1532. *quis ſit eius Rex.* 1533. *Fruſtra tentatur à Carolo Imp.* 1541. *Tunetum Turcæ ſubijcitur:* 1534. *Eripitur eis à Carolo, & reſtituitur Muleaſſi:* 1535. *quo rurſum à filio excæcatur, & pellitur:* 1548. *Regnum autem eius nepoti Muleaſſi iterum reſtituitur à Ioanne Auſtriaco.* 1573. *Tunetum capitur à Turcis.* 1574. *Iterum diuiſiones inter Reges:* 1575. *& inde ſecutum prælium, quo tres Reges ceciderunt; & inter eos Sebaſtianus Luſitaniæ.* 1578. *Tunetum capitur à Turcis.* 1574. *Alarabia traditur Hiſpanis.* 1600. *Aliqui Reges fiunt Chriſtiani.* 1560. 1593. *Magus quidam vſurpat Regnum.* 1612
S. Albertus Carmelita. 1292
Albertus Magnus floret. 1240.
Abdicat Epiſcopatum. 1263
Albigenſes debellat Simon Monfortius. 1204. 1209. 1213. *Dantur ei dictiones eorum.* 1214. 1215. *Occiditur.* 1218
Aloiſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis. 1556
Alexander Alenſis. 1240
Alfonſus Toſtatus. 1228
Ambroſianæ Bibliothecæ Collegium Mediolani. 1609
Americus Veſputius. 1497
Andreas Auria egregius dux maris, à Francis ad Hiſpanos deficit. 1528. *Moream capit.* 1533. *Profligatur à Barbaroſſa:* 1539. *& ab aliis poſtea ad Syrtes; & moritur an. æt. 93.* 1560
Andreas Duuallius inſignis Theologus Parienſis. 1612
Angliæ Rex Richardus moritur. 1199
Ioannes fit Rex. ibid. Citatur à Rege Franc. ob quædam crimina: & non comparens, damnatur. 1202. *Implorat Pontificem.* 1203. *Excommunicatur ob crimina.* 1211. *Vectigalem ſe facit Eccleſ. Rom.* 1213. *Moritur.* 1216. *Regnat Henricus III. ibid. Profligatur à Francis.* 1242. *Res componit cum S. Ludouico.* 1259. *Capitur à ſuis in Anglia.* 1264. *Liberatur à filio.* 1265. *Moritur.* 1273
Eduardus. ibid. Citatus à Rege Franc. nec comparens bello appetitur. 1292. 1296. 1297. *Seditionem patitur ob tributa.* 1298.
Profligat Scotos. 1301.
Eduardus II. 1307. *Debellatur, & capitur ab vxore.* 1326.
Eduardus III. ibid. Inuadit Scotiam. 1333. *Regem ſe dicit Franciæ.* 1336. *Garteriorum Ordinem inſtituit.* 1344. *Affligit ingenti clade Francos apud Creſſiacum.* 1346. *Galliam vaſtat.* 1370. *Vide etiam in* Ioan. Gal. Rex.
Richardus II. 1377. *Moritur in carcere à ſuis.* 1399
Henricus IV. 1399
Henricus V. 1413. *Magna parte ſubigit Galliam.* 1415. 1417
Henricus VI. bimulus. 1422. *Coronatur Pariſiis Rex Franciæ.* 1432
Angli penitus pelluntur ex vniuerſa Gallia, excepto Calato: & ad ciuiles diſſenſiones conuertuntur Roſarum Alba & Rubra. 1453. 1460.
Eduardus IV. 1461. *Pellitur à ſuis:* 1469. 1470. *ſed redit, & illos punit.* 1471
Richardus III. tyrannus. 1483
Henricus VII. 1485
Henricus VIII. 1509. *Ob librum ſcriptum in Lutherum, adipiſcitur titulum Defenſoris fidei.* 1521. *Repudiat Catharinam coniugem, & ſuperinducit Annam.* 1532. *Excommunicatur à Pontifice; & ipſe ſe Caput Eccleſiæ Regni ſui declarat.* 1534. *Catholicos perſequitur.* 1535. *Alias ducit vxores; & quaſdam ob impudicitiam plectit.* 1536. 1540. *Multa decreta edit de Religione.* 1539. *Regem Hiberniæ ſe dicit ex Domino* 1540. *Moritur in ſchiſmate.* 1547
Eduardus VI. puer: ſub quo, poſt ſchiſma, hæreſis Angliam occupat. 1547. *Moritur: ſuccedit*
Maria: quæ Religionem Cathol. reſtituit. 1553. *Nubit Philippo Principi Hiſp.* 1544. *Moritur.* 1558. *Regnat*
Eliſabetha: quæ reducit hæreſim, & Catholicos perſequitur. 1558. *Proſcribitur à Pio V.* 1569
Crudeliter agit in ſacerdotes, & religioſos. 1579. 1583. *Mariam Reginam Scotiæ capite plectit.* 1587. *Liberatur ab inuaſione ingentis claſſis Hiſpanicæ.* 1588. *Fœdus init cum Turcis aduerſus Hiſpanos.* 1589. *Moritur.* 1603
Iacobus Rex Scotiæ ſuccedit filius Mariæ quam eadem Eliſabetha decollauerat. 1603. *Declaratur Caput Eccleſiæ Regni ſui. ibid. Exagitat Puritanos.* 1604. *Periclitatur à ſuis.* 1603. 1606. *Introducit in Scotiam ritus Religionis Anglicos.* 1606
Aliquem motum patitur à ſuis in Anglia. 1612. *Mitior in Ca-*

tholicos. 1622
Annatæ Beneficiorum institutæ. 1394
Antiochia euertitur à Saracenis. 1268. Eius Patriarchæ Latini. 1247
S. Antonius floret. 1447
S. Antonius de Padua. 1240
Aquarum immensæ inundationes. 1218. 1377. 1446. 1531. 1557. 1570. infin. 1598. 1617.
Aquatica mulier curatur. 1403
Aragoniæ Rex Petrus Albigensium hæreticorum fautor. 1204
Occiditur in prælio. 1213
Iacobus puer. ibid. Balcares & Valentiam obtinet. 1238. Moritur anno Regni 63. conditis 2000 templis. 1276
Petrus III. ibid. Occupat Siciliam. Vide in Sicilia.
Excommunicatur à Pontifice, & abdicatur vtroque Regno. 1282
Moritur in anathemate. 1285
Alfonsius II. 1285
Iacobus Siciliæ Rex. 1292
Alfonsus III. 1326
Petrus IV. 1336
Ioannes. 1388
Martinus. 1396
Ferdinandus. 1410
Alfonsus Magnanimus. 1416
Agit contra Pontificem. ibid. & 1424. Occupat etiam Regnum Neapolit. 1442. 1443
Ioannes. 1458
Ferdinandus Rex Castellæ: in quo vniuntur ea Regna. 1479
Reliqua vide in Castella.
Arelatense Regnum, fit Francorum. 1299
Armeniæ Rex Haito, post multa bella contra Infideles confecta, fit monachus Pramonstratensis in Cypro. 1273
Ioannes item Rex fit religiosus S. Francisci. 1310
Leo in Europam venit, arma contra Saracenos excitaturus. 1381
Concordant Armeni in fide cum Ecclesia Rom. 1439. Cadunt Turcas. 1490
Assiriæ Patriarcha Romam petit ad obsequium Rom. Pontificis. 1552. 1562.
Auenionem transfertur Sedes Apostolica. 1305
Ciuitas emitur à Ioanna domina Prouinciæ per Clementem VI. 1350
Augustana Confessio Lutheranorum. 1530
Aurelianensis familiæ dissidia cum Burgundæ. Vide in Burgundia.
Aurelianensis puella. 1429
Austria in familia Habspurgensium Comitum. 1282

B.

Baldus Iurisconsultus. 1344
Barbaressa. Vide in Algeria. Capit Niciam in Prouincia. 1453
Meritur Constantinopoli. 1548
Bartolus Iurisconsultus. 1309
Bearnum, feudum Ducis Aquitaniæ. 1274
Religio Catholica ibi restituitur à Ludouico Rege XIII. & vnitur Coronæ Franciæ. 1617. 1620
Belgium. Vide in Flandria.
S. Bernardinus. 1428
Bessarion Græcus Cardinalis. 1438
Beza interest Colloquio Possiacensi. 1561. Suadet necem Ducis Guisii. 1563. Succedit Caluino Genevæ. 1564. Moritur. 1606
Bibliorum Concordantiæ fiunt. 1252
Bibliam vniuersam cum suis glossis 14. vicibus legit Alfonsus X. Rex Castellæ. 1252
Biblia distinguuntur per versiculos. 1515. Editio Complutensis variarum linguarum. ibid. Nouum Testam. editur Syriacus characteribus. 1555
Boemiæ Rex Ottocarus Prutenos ad fidem Christ. impellit. 1255. Vincit Hungaros. 1260. Dedignatur Imperium sibi oblatum. 1273 Bello impetitur à Rudolpho Imper. quod intra Imperij occuparet. 1275. Subdit se illi. 1277. Austriam inuadens perimitur. 1278
Wenceslaus. 1278. Eligitur etiam Rex Poloniæ. 1299. Moritur. 1305
Albertus Imp. Regnum facit suum. 1306
Ioannes stat pro Pontifice Romano contra Ludouicum Bauarum. 1330. Excæcatur à medicis. 1338. Pugnat prælio cæcus, & occumbit. 1346
Carolus IV. Imperator. 1346. Vide in German.
Wenceslaus. 1378
Sigismundus Imper. 1419. Sed Hussitæ omnia turbant, duce Io. Ziska. ibid. & 1420. 1421. 1427. Boemia fit tunc omnium hæresum sentina. 1419. 1420. Ziska fit cæcus ex monoculo, & nihilominus duxit feliciter exercitus. 1421. Moritur. 1424. Boemi Hussitæ in factiones diuisi. 1427. 1433. Subdunt se tandem Sigismundo. 1436
Albertus Imper. 1438
Georgius Podiebracius Hussitæ, ex Gubernatore fit Rex. 1441. 1445. 1458. Abdicatur à Pontifice. 1466. Prosligatur à Matthia Coruino. 1468. 1469. Moritur. 1471
Ladislaus regnat. ibid. & 1479. Fit etiam Rex Hungariæ. 1490
Ferdinandus frater Caroli V. Imp. 1527. qui postea Imp. 1558
Maximilianus: 1562. qui & Imp. 1564
Rudolphus: 1575. qui & Imp. 1576
Matthias 1611. qui & Imp. 1612
Ferdinandus coronatur. 1617. Rebellant Boemi: 1618. & Palatinum eligunt in Regem. 1619. Caduntur magnis cladibus, & vi reducuntur ad obsequium. 1619. 1620
Boemi errores. 1418
Bombardarum inuentio. 1380
S. Bonauentura fit Doctor: 1263. & Cardinalis. 1274. Moritur. ibid. Refertur in numerum Doctorum Ecclesiæ. 1588
Borbonia regiæ familiæ initium. 1329. Regnare incipit in Henrico IV. 1589
Borussia. Vide in Prussia.
S. Brigitta Regina Suecia Ordinem religiosum instituit; qui confirmatur à Sum Pontif. 1363
Britanniæ Maior. Vide in Anglia.
Britannia Minor, beneficiaria Regni Franciæ. 1365. Deficit ad Anglos 1427. Vnitur Coronæ Franciæ. 1489
Burgundia datur à Rege Ioanne filio suo Philippo Audaci. 1362. Succedit ei
Ioannes intrepidus. 1404. Necat Ducem Aurelianensem, & inde ingentes turbæ in Regno Franciæ. 1407. 1409. 1411. 1417. Occiditur à Delfino. 1419
Philippus Bonus Anglis iungitur in vindictam patris. 1419. Paciscitur cum Francis aduersus Anglos. 1435. Sopitur dissidium cum familia Aurelianensi. 1440. Carolus Bellicosus. 1467. Dure agit cum Rege. 1468. Aggreditur Lotharingiam & Helvetios; a quibus occiditur. & Burgundia redit ad Regnum Francorum. 1475. 1476. 1477

C.

Cæcus Rex, aliique duces exercituum pugnant prælio. 1346. 1421
Cæsar Baronius moritur. 1607
Cæsar Borgia, filius Alex. Papæ aspirat ad Imperium Italiæ. 1501. Vinctus mittitur in Hispaniam, & demum misere perit. 1503.
Caletum expugnatur ab Anglis. 1346. Recuperatur à Francis. 1557
absque Calice sacrificare, an permissum aliquando Norvegis. 1489
Camera Imperialis constituitur in Germania. 1495
Cardinales insignuntur pileo rubeo in Concilio Lugdun. 1245
Carolus Borromæus Card. & Archiepisc. Mediolan. moritur. 1584
Refertur in numerum Sanctorum. 1610
Carolus Molinæus Iurisconsultus moritur in fide Cathol. 1558
Carthusienses martyres in Anglia ab Henrico VIII. 1535
Casimirus Princeps Poloniæ eligit mori quam pollui. 1492
Castellæ Rex Alfonsus IX. moritur. 1214
Succedit
Henricus puer. 1214. qui paulo post moritur. 1217
Castellæ & Legionis Regna vniuntur. 1230
Ferdinandus III. moritur. 1252
Alfonsus X. regnat, conditor Tabularum Alfonsinarum. 1252

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vincit Mauros. 1265
Quarit Imperium German. nec obtinet. 1275
Pellitur Regno à Sanctio filio; qui propterea excommunicatur à Pontifice. 1282. *Moritur; & regnat idem*
Sanctius IV. 1284
Ferdinand. IV. puer. 1295
Alfonsus XI. 1312. *Conterit Mauros.* 1330. 1339. 1344. *Accipit à Pontifice Canarias insulas.* 1346
Petrus. 1350. *Turbatur in regno.* 1358. *Crudeliter agit.* 1362. *Iudicatur à Pontifice inutilis regno.* 1365. *Pellitur à fratre Henrico notho.* 1366 *& securi percutitur.* 1369
Henricus II. nothus. *ibid.*
Ioannes. 1379. *Vincitur magno prælio à Lusitanis, quorum petebat Regnum.* 1385
Henricus III. puer. 1391
Ioannes II. 1407
Henricus IV. 1454. *Patitur à suis.* 1465
Ferdinandus & Isabella. 1474. 1476. *Ex victoria in Mauros auget insignia regia.* 1484. *Capit Granatam: & Mauros omnino subigit.* 1492. *Pellit Iudæos.* *ibid.* *Obtinet Indias Occidentales à Pontifice.* 1493. 1494. *Occupat Regnum Neapolitanum:* 1501. 1502 *& Navarræ.* 1512
Carolus. 1516. *Creatur Imperator eius nominis Quintus.* 1519 *vide in* Germania.)
Multa Regibus Hisp. concedit Hadrianus Papa VI. 1523
Philippus II. renuntiatur Dominus Belgij. 1549. *Ducit vxorem Mariam Reginam Angliæ.* 1554
Accipit Regnum Hisp. cum omnibus ditionibus paternis. 1555. *Vincit Francos ad Sanquintinum.* 1557. *Facit cum iis pacem.* 1559
Carolum filium in vinculis mori cogit. 1568. *Ingentem classem, ad inuadendam Angliam missam, totam perdit.* 1588. *Plectit Iustitiam Aragoniæ.* 1592. *Succurrit Fœderatis Gallis per Ducem Parmensem.* 1590. 1591
Bello sibi indicto ab Henrico Rege IV. multa ei eripit. 1595. 1596. *Pacem conficit, & moritur.* 1598
Philippus III. regnat. 1598. *Philippum filium Regem Castellæ renuntiat.* 1608. *Mauros tota Hispania pellit.* 1610. *Duplex matrimonium cum Gallia conciliat.* 1612 *Filium cum sponsa Franca à Lusitanis agnosci curat.* 1619. *Moritur: & succedit Philippus IV.* 1621
S. Catharina Senensis. 1376
Cathedra fatalis Scotiæ. 1303
Centuriæ Magdeburg. promulgantur. 1560
Chius Insula occupatur à Turcis. 1566
Christophorus Columbus Occid. Indiam detegit. 1492
S. Clara moritur. 1252
Clementinæ promulgantur. 1317
Colloquium Poissiacense in Gallia. 1561
Colonensis ciuitas sub interdicto manet 7. an. ob dissensiones cum Archiepiscopo. 1298
Coloniensia Concilia. Vide in Concilia.
Coloniensis Archiepisc. Hermannus fit Lutheranus, & pellitur. 1543
Itemque Gebhardus. 1583
Cometæ vari. 1211. 1298. 1301 1456. 1558. 1577. 1604. 1618
Concilium Mompessulanum contra Albigenses. 1214. *Lateranense Generale sub Innoc. III.* 1215
Oxoniense in Anglia. 1222. *Germanicum.* 1225. *Londinensia.* 1227 1237. 1266. *Northantonense.* 1267
Lugdunense Generale sub Greg. X. cui adfuerunt etiam Græci. 1274. *Cantuariense.* 1279. *Herbipolense.* 1283. *Londinense.* 1291. *Aschaffenburgense.* 1292. *Lugdunense.* 1298
Viennense Generale sub Clem. V. 1311. *Moguntinum.* 1327. *Auenionense.* 1337. *Anglicanum.* 1341. *Londinense.* 1382. *Parisiense.* 1394
Pisanum pro tollendo schismate. 1409
Constantiense Generale. 1414. *Basiliense Generale.* 1431. *Deriuat in schisma.* 1439. *Dissipatur.* 1444
Ferrariense Generale, siue Florentinum, sub Eugenio IV. quo Græci cum Latinis concordarunt. 1438. *Mantuanum sub Pio II.* 1459
Gallicanum, seu Pisanum, reprobatum. 1511
Lateranense sub Leone X. 1513. 1517
Senonense. 1528. *Colonense.* 1536. *Tridentinum Generale inchoatum sub Paulo III.* 1545. *sæpe interruptum, & repetitum.* 1547. 1551. 1552. 1562. *Tandem finem accipit sub Pio IV. & ab eo confirmatur.* 1563
Iura provincialia in Germania. 1548. 1549. *Italia, Gallia, Hispania.* 1561. 1565. *Aliud Toletanum.* 1582. *Aquilejense.* 1596 *Diamper in India Orientali.* 1599. *Mechliniense.* 1607. *Parisiense, & Aquense.* 1612
Conciliabulum Wittenbergicum Generale Lutheranorum. 1536. *Londinense Anglicanum Puritarum.* 1603. *Vapincense Huguenotorum.* 1603. *Hamptoncuriense contra Puritanos.* 1604. *Dordracense contra Arminianos.* 1619
Concordatum inter Leonem X. Pontif. & Franciscum I. Regem. 1515
Corgi Rex mittit Legatos Romam ab obsequium. 1608
Constantinopol. Imperator Alexius restituitur à Balduino Flandriæ Comite 1203. *Strangulatur à Duca Alexio: & Ducas præcipitatur à Balduino.* 1204
Balduinus Constantinopolim capit, & fit primus Imp. Latinus *ibid.*
Capitur ab hostibus & occiditur 1205
Henricus. 1206
Petrus Antisiodorensis. 1216
Robertus. 1220
Balduinus puer. 1229
Vrbs iterum occupatur à Græcis: & imperat Michael Palæologus. 1259. *Concordat cum Ecclesia Rom.* 1274. *& ideo post mortem priuatur à suis sepultura.* 1283
Andronicus Palæologus. 1283
Ab Andronico nepote includitur monasterio. 1328
Andronicus Iunior. 1332
Ioan. Cantacuzenus vsurpat Imperium. 1341. *Detruditur in monasterium à Ioanne Palæologo; qui imperat.* 1357. *Fit vectigalis Turcæ.* 1358. *Dissentiunt inter se propinqui de Imperio.* 1384
Emmanuel imperat. 1387. *Percurrit Italiam & Galliam ad auxilia in Turcas; sed frustra.* 1396
Ioannes VII. 1421. *Consentit cum Ecclesia Latina in Concilio Florent. sed postea redit ad priora.* 1439
Constantinus XV. 1445. *Necatur in expugnatione vrbis à Mahomethe: & concidit penitus Imperium Constantinopolitanum: ipsaque vrbs occupatur à Turcis.* 1453
Constantinopol. Patriarcha primus à Latinis Thomas Maurocenus Venetus. 1204
Græcorum successio: 1199. 1206. 1237. 1240. 1254. 1259. 1284. 1290. 1301. 1312. 1315. 1322. 1341. 1359. 1361. 1374 1398. 1403. 1419. 1424. 1439.
Gennadius Scholarius sub Turcis. 1453. *Ac deinceps habuerunt ipsi suos, & Rom. Pontifex Latinos titulares creauit hactenus. Ieremias Græcus à Lutheranis solicitatus de communione ineunda; eos refellit scriptis publicis.* 1575
Corasmiani populi occupant Ierosolymam. 1244. *Cæduntur, & delentur.* 1247
Coronam spineam Domini obtinet S. Ludovicus Rex Franc. 1236. 1237
Corona sacra Regni Hungariæ, magnæ illis populis veneration. 1305. 1440. 1452. 1464. 1605. 1607. 1619
Cosacci Tartaros infestant. 1589. 1615. *& Turcas.* 1613. 1614. 1616
S. Crucis Titulus reperitur Romæ. 1492
Cruces sanguinolentæ in vestibus hominum. 1501
Cypri Rex Henricus Lusinianus moritur. 1256
Hugo Rex, creatur etiam Rex Ierosolymit. 1269. *sed patitur aduersarios.* 1277
Henricus, itidem Rex Ierosol. 1284. 1286
Hugo regnat, pellitur, & redit. 1306
Petrus petit Galliam ad auxilia. 1363. *Occiditur ex insidiis.* 1372
Iacobus, & Gennus. 1403
Ioannes. 1431
Iacobus nothus ex Episcopo. 1459
Veneti Insulam obtinent. 1476
Capitur à Turcis. 1570. 1571.

D.

DANIÆ *Rex Henricus à fratre Abele mari suffocatur; Abel bello trucidatur.* 1250
Ioannes regnat. 1481. *Fit etiam Rex Suecia:* 1497. *sed pellitur.* 1501
Christianus II. Tyrannus. 1513. *Suecos fraude circumuentos necat.* 1520
Fridericus. 1522. 1532
Christiernus III. abrogat Religionem Catholicam. 1533

Fridericus II. 1559. Christianus. 1588. Bellum agit cum Suecis. 1611. 1612. & postea pacem. 1613. Vnuntur contra Regem Poloniæ. 1617
Decretales publicantur à Greg. IX. 1233. Et sextus liber à Bonif. VIII. 1298
Delphinus Franciæ constituitur. 1349
Desiderius Erasmus nascitur. 1465. Qualis fuerit. 1515. Moritur. 1536
S. Didacus Complutensis. 1463. 1588
Dionysius Carthusianus. 1471
S. Dominicus instituit suum Ordinem. 1204. qui confirmatur. 1216 Ipse moritur. 1221
Dragut hes Rais, insignis pirata Turcicus, multa damna infert Christianis. 1550. 1551. Occiditur in obsidione Melitensi. 1565
Duella sedere prohibentur in Gallia. 1602
Durandus de S. Porciano. 1318
Durandus Speculator. 1271

E.

ECLIPSES horrendæ. 1518. 1544. 1605
Edmundus Campianus è Soc. IESV martyr in Anglia. 1583
S. Eleazarus Comes. 1325
S. Elisabethæ Hungaræ pietas, & obitus. 1231
S. Engelbertus martyr. 1225
Equus pictus hinnitum edit. 1321
Estensis familiæ exordium Ferrariæ. 1240. Vide in Ferraria.
Eucharistia. Vide in Hostia.

F.

FAMES ingens. 1315
Ferdinandus Cortesius. 1518
Ferdinandus Magellanus. 1519
Ferraria occupatur ab Estensibus. 1240. Ob eam occupatam, Veneti proscribuntur. 1310. Estensibus confirmatur à Pontifice. 1340. Tremit horrendo tremore. 1570. Vindicatur à Clemente VIII. Ecclesiæ Rom. 1598
Fessa. Vide in Africa.
Festum Corporis Christi instituitur. 1264. 1311. Transfigurationis Dominicæ. 1456
Visitationis B. Virginis. 1389
Conceptionis eiusdem. 1475
Nouum de hoc decretum Gregorij XV. 1622
Flandria rebellat Francis. 1302
Cladibus atteritur. 1303. 1304
Rebellat & Comiti. 1382
Pacatur à Philippo Audace. 1384. Vide etiam in Burgundia.
Maria filia vltimi Ducis Burgundiæ nubit Maximiliano Austriaco. 1477. Is in custodia detinetur à Flandrensibus, ob tutelam Philippi filij & Mariæ filij. 1488
Ex Philippo nascitur Carolus postea Rex Hisp. & Imp. 1500. Et ex eo tempore Flandria, cum aliis Belgicis prouinciis, perstat in ditione Regum Hisp.
Constituuntur ibi multi noui Episcopatus. 1561
Rebellant in Regem Hisp. postquam hæresim susceperunt. 1566. 1572. 1576. Cæduntur cladibus, caduntque, educe Aurantio Principe. 1568. 1572. 1574
Vocant Matthiam Archiducem. 1577
Alex. Farnesius Gubernator regius multa recuperat, eosque sæpe profligat. 1579. 1583. 1584
Ipsi remisso Matthia, Alensonium vocant fratrem Regis Galliæ. 1580. 1581. 1582. eumque nouis seditionibus abire cogunt. 1583. Aurantio occiso, recurrunt ad Reginam Angliæ. 1585. Mauritius Aurantij filius renuntiatur Gubernator. 1587. & multa Hispanis eripit, dum Parmensis Galliam petit suppetias Confœderatis laturus. 1590. 1591
Philippus Rex Belgium dat in dotem filiæ, quæ nupsit Alberto Archiduci. 1598. 1599. Certatur cum Mauritio. 1600. Celebris obsidio Ostendæ agitur. 1601. quæ vltra triennium protrahitur. 1604. Archidux tractat cum Ordinibus, vt liberis. 1607. Facitque cum iis Inducias in 12. annos. 1609
Dissentiunt inter se Ordines de religione. 1609. 1610. 1918. 1619. 1621. Fœdus ineunt cum Turca. 1612
Post finitas Inducias duodennales, reditur ad bellum. 1621. Archidux moritur: & Belgium redit ad dominium Regis Hispaniæ. 1621
Florentia factione Guelfa. 1251. Fit libera à Rudolpho Imp. 1288. Præliatur cum Mediolanensibus: 1438. & Venetis. 1451
Medicæi auctoritatem accipiunt: 1464. & dominationem vrbis. 1512. 1530
Alexander creatur Dux. 1530. Cosmus egregius Princeps. 1537. Obtinet etiam Senas. 1555. Creatur à Pio V. Magnus Dux Hetruriæ. 1570
Ferdinandus ex Cardinale fit magnus Dux. 1588. Moritur & succedit Cosmus. 1609. Eodemque mortuo, succedit Ferdinandus puer decennis. 1621
Franci. Vide in Gallia.
B. Franciscæ Romana refertur in numerum Sanctorum. 1608
S. Franciscus moritur. 1226. Eius Ordo instituitur, & approbatur. 1209. 1223
S. Franciscus de Paula, auctor Ordinis Minimorum. 1473. Moritur. 1507
Franc. Balduinus Iurisconsultus è Caluinista fit Catholicus. 1561
Franc. Dracus insignis pirata Anglus, circumnauigat totum terrarum Orbem. 1580. Incursat mare contra Hispanos. 1586. 1587. 1589. Moritur. 1595
Franc. Petrarcha donatur corona in Capitolio Romæ. 1338
Franc. Rupifocaldus Card. curat Concilium Trident. recipi ab Ecclesiasticis Galliæ. 1615
Franc. Vatablus falso insimulatus ab hæreticis. 1530
Franc. Xauerius primus omnium Iesuitarum mittitur in Indiam. 1541. Moritur. 1552. Refertur in numerum Sanctorum. 1622.

G.

GALLIÆ Rex Philippus Augustus bello persequitur Ioannem Regem Angliæ. 1202. 1203. 1204. Ingenti prælio vincit Othonem eximperatorem, Anglos, Flandros. 1214. Moritur. 1223. Succedit
Ludouicus VIII. ibid. Auenionem exuit muris. 1226. Moritur. ibid.
S. Ludouicus adhuc impubes. 1226. Patitur factiones. 1227. Lanceam sacram, Coronam spineam, Spongiam, partem Crucis adipiscitur. 1236. 1237
In Conc. Lugdun. creatur dux Belli sacri in terram sanctam. 1245 Suscipit expeditionem. 1248. 1249. Peste tangitur, capitur ab hostibus, curatur, multaque præclare ac pie agit in Palæstina. 1250
Redit in Galliam. 1254. Recusat nominationem Beneficiorum sui Regni. 1268. Moritur in Africa ex pestilentia. 1270. Refertur in numerum Sanctorum. 1297 Eius festum celebratur. 1618
Philippus Audax. 1270
Philippus IV. Pulcher. 1285
Anglos variis cladibus afficit. 1292. 1295. 1296. Dissentit cũ Bonif. PP. & ab eo excommunicatur: 1301. & abdicatur. 1302.
Curat eum capi; & inde punitur diuinitus. 1303
Absoluitur à Bened. XI. 1304. Moritur. 1314
Ludouicus X. Hutinus. 1315
Ioannes posthumus octauo ortus die moritur. 1316
Philippus V. Longus. 1316
Carolus Pulcher. 1322
Philippus Valesius. 1328. Causam adiudicat Ecclesiasticis aduersus Petrum Cunerum aduocatum regium; & inde consequitur titulum Catholici. 1329
Ioannes. 1350. Captus prælio ab Anglis, ducitur in Angliam. 1356
Liberatur grauissimis conditionibus. 1360
Carolus V. Sapiens. 1364. Fert legem de coronandis Regibus impuberibus, an. 14. 1375
Carolus VI. 1380. Tria Lilia deinceps vult esse pro insigni regio. 1385. Incidit in phrenesim. 1392
Carolus Delfinus Regnum administrat. 1413. Vexatur à Duce Burgundiæ. 1417. quem ipse necat. 1419. Pellitur ab Anglis. ibid. Regnat post patrem. 1422. Ope Aurelianensis Puellæ expugnat hostes. 1429
Ludouicus XI. 1461. Patitur bellum Boni publici à suis. 1464. 1465. Perturbatur à Duce Burgund. 1468. Obtinet Burgundiam: 1477. & Prouinciam. 1481

Carolus VIII. 1483. Insanum bellum excitatur in eum. 1485
Debellat coniuratos. 1488. Britanniam obtinet iure vxoris. 1489
Italiam ingreditur. 1494. Creatur Romæ Imp. Constantinop. & occupat Regnum Neapolit. 1495. Redit in Galliam, ruptis in itinere hostibus. ibid.
Ludouicus XII. Pater populi. 1498. Occupat Mediolanum. ibid. Vincit Venetos & Hispanos; & nihilominus deserit Italiam. 150[illegible]. 1512. 1513. Agit contra Iulium PP. II. 1511. sed reconciliatur ei. 1513
Franciscus I. Heluetios cædit; Mediolanum capit; cum Leone PP. X. concordat. 1515
Inchoat bellum in Carolum V. Imp. 1521.
Capitur in prælio Papiensi, & ducitur in Hispaniam. 1525
Liberatur iniquis conditionibus: 1526. & inde nouæ rixæ. 1528
Restituit bonas literas. 1530. Occupat Sabaudiam. 1535. Pellit Imperatorem è Prouincia. 1536. Suscipit eum Parisiis. 1540. Declaratus hostis Imperij: sed initur pax. 1544. Parens Literarum dictus. 1547
Henricus II. 1547. Bellum agit in Imperatorem, & occupat Metim, aliasque vrbes Imperij. 1551. 1552. Mittit exercitum in Italiam. 1556. Fit pax: sed ipse occiditur in ludicro equestri. 1559
Franciscus II. 1559. Incipiunt rebelliones hæreticorum: & Rex periclitatur ab eorum insidiis. 1560
Carolus IX. 1560. Conceditur Sectariis libertas Religionis. 1561. Sectarii omnia subuertunt: ipsique præliis cæduntur. 1562. 1567. 1569. Insidiantur Regi. 1567. Necantur Parisiis, aliisque vrbibus. 1572
Henricus III. antea Rex Poloniæ. 1574. Diuisiones occasione regiminis, & religionis. 1575. 1576. Fœdus contrahitur contra hæreticos. 1585. Colliguntur exercitus, fiuntque prælia, & cædes. 1587
Rex Guisium necat, & Cardinalem eius fratrem. 1588. Ipse quoque necatur: & ingentia dissidia oriuntur. 1589
